HIERONYMI

CARDANI

MEDIOLANENSIS

PHILOSOPHI AC MEDICI

CELEBERRIMI

OPERVM

TOMVS SEXTVS;

QVI EST

MEDICINALIVM PRIMVS.

CONTENTORVM HVIVS TOMI SERIEM
Index Titulorum exhibet.

EDITIO VT CÆTERIS ELEGANTIOR ITA ET ACCVRATIOR.



LVGDVNI.

Sumptibus IOANNIS ANTONII HVGVETAN,
& MARCI ANTONII RAVAVD.

M. DC. LXIII.

CVM PRIVILEGIO REGIS.



INDEX
Librorum, Tractatuum, & Capitum Tomi Sexti.

I.

Encomium Medicinæ à fol. 1. ad fol. 8.

II.

De Sanitate tuenda.

LIBER I.

LIBER II.

LIBER III.

Index Capitum.

LIBER IV.

III.

Contradicentia Medica.

LIBRI I.

TRACT. I.

TRACT. V.

TRACTAT. VI.

LIBRI II.

TRACTATVS I.

17. Cere

TRACT. VI.

LIBER III.

Calida

LIBER IV.

LIBER V.

LIBER IV.

Index Capitum.

LIBER VII.

LIBER VIII.

25. In

LIBER IX.

LIBER X.

HIERO



HIERONYMI CARDANI MEDICINÆ ENCOMIVM.



NEMO, vt opinor, faciliùs artem aliquam laudarit, quàm qui in argumentum inciderit per se abundans, splendidum atque illustre: nemo meliùs, quàm qui quod laudare proposuit, bene nouit: nemo veriùs, quàm qui tractauerit exercuerítque: Ob hæc omnia artem medicam & facilè, & bene, ac verè me laudare posse spero. Quòd si modò neque eloquentiâ, neque facundiâ illâ polleam, quæ tanto operi sit necessaria, nec colores illos ac fucos, qui à Rhetoribus addi solent, adiiciam: meminerint qui legent, tantò formosiorem futuram orationem nostram his ornatis externo apparatu, quantò naturalis pulchritudo commentitiâ atque fucatâ præstantior est. Etenim cùm oratio per se clara & splendida futura sit ob artis excellentiam.

Ornari res ipsa negat contenta doceri.

Nam seu ad Deos artis origo referatur, autores fuisse existimantur pater & filius, Apollo scilicet & Æsculapius, si Ouidio credimus, dicenti:

Inuentum medicina meum est: opiféxque per orbem.
Dicor, & herbarum subiecta potentia nobis.

Seu ad quoscunque alios prima est inter omnes, & cum ipso humanitatis ortu initium cœpit: nam nihil antiquius esse potuit eâ causa, propter quam inuenta est, scilicet morbis incommodisque mortalium: non nitar rationibus vt ostendam quam antiquus fuerit Æsculapius? quàm vetus prosapia Hippocratis? nam metuo ne potius fabulosa esse illa dicatis, quam de vetustate dubitetis. Itaque his omissis, quæ minus necessaria sunt negocio nostro, quam dubia, ad ea quæ illius præstantiam ostendunt, quanquam mortalibus optanda sit, transeamus. Ea verò in triplici genere collocanda videntur, scilicet vtilitatis, pulchritudinis, atque nobilitatis. Vtilitatis duplex mihi genus esse videtur: tum vt humano generi, tum ipsis qui eam exercent, maximum afferat emolumentum. Ipsis quidem mortalibus tantum certè affert, vt neque re ipsa, neque exemplo vlla alia ars possit ei comparari. Quid enim maius homini contingere potest quam morientes ad vitam reuocare? quod fecisse cum plurimos medicos constet, etiam mortuos suscitasse quosdam prædicant. Æsculapium enim & Hyppolitum, & Tyndaridem à mortuis ad vitam, tum Æsclepiadem clarum medicum quendam à rogo reuocasse referunt. Quinetiam alios maius quid morte passos, vt dæmonio malo obsessos, resolutos, hydropicos, carcinomate laborantes, suspiriosos calculosos, tabescentes, luxatos, leprosos, cæcos, surdos, obliuiosos, claudos, syderatos sanasse melius est, & ipsa quotidiana experientia frequens. Dij quidem hac in parte sola tyrannis potentiores sunt, quod cum tyranni solum obesse possint, dij ipsi etiam

prodesse queant. Quamobrem & partem illam qua ipsi præstant, etiam diuiniorem esse atque illis propriam consentaneum est. Quid cum in quibusdam morbis adeo præsentem artis huius opem sentimus, velut in anginosis, synochis, colique doloribus vbi sanitatem morti coniunctam persepè videre licet? Quamobrem & à Diis tractatam, & eos qui tractarunt pro Diis habitos hoc ipso inuento, diuósque ipsos ea indiguisse, nihil mirum videri debet. Omitto fabulosa de Appolline, vt dixi, & Æsculapio. Christus, quem nemo addubitat Deum fuisse, nihil maius egit, nihil frequentius quam quod medicinam, sed suo more (diuino scilicet) exerceret, ægros omnis generis sanando. Idque etiam per Spiritum sanctum Discipuli verbis docet dicens: Ægrotat vestrum aliquis, aduocet Ecclesiæ seniores, qui eum in Domini nomine oleo vngant: pro eoque supplicent: & fidei supplicatio ægrum seruabit, eumque alleuabit Dominus. Ille idem, vbi Dei nomen deponit, quasi ex hominibus vnus medici assumpsit. Sic etiam ex veteri lege Helisæus Naamanum Syrum à lepra: Angelus Tobiam à cæcitate liberauit. Extant & quotidie tabellæ in delubris appensæ, illorum qui diuinis votis etiam diuina ope liberati sunt à morbis: vt opus ipsum ac finis in nullo ab his quæ à Diis impetramus, dissentiat. Hominum verò qui artem exercuerunt, atque ob id à vetustate diuinitatis nomen & opinionem promeruerunt, neque exempla desunt, Chironis, Machaonis, Podalirij, Hipp. aliorúmque: adeò vt parum abfuerit quin Paulus & Barnabas ob id à Lystrensibus pro diis colerentur: sed mos etiam nunc manet. Beatos enim ac Sanctos vocamus, atque in Diuorum numerum referimus, quorum supplicationibus sanitatem languentes adipiscuntur: inter quos non minus vllo alio Rochus, vir pauper, vbique colitur: vt constet opinione hominum nihil tam esse diuinum, quam hominum sanationes. Quinimò & diui ipsi hac arte indiguisse, non solum eam exercuisse videntur. Homerus,

Τῷ δ' ἐπὶ παίηνον ὀδυνήφατα φάρμακα πασῶν. ἠκέσατ'

De Marte loquens. Ad quos alludit Virgilius de Venere, dum vulneratum Æneam curare student, dicens:

His Venus indigno nati concussa dolore
Dictamnum genitrix Cretea carpit ab Ida.

Quasi etiam minores dij aut ope huius disciplinæ indigerent, aut non sine ea vellent quemquam curari posse. Quinimò cum Æsculapius in templo Epidautio ferretur languentes per somnium sanare, aut admonere de ipsa sanatione, non aliud faciebat quam vt conquisita illis ac præcipua auxilia ostenderet. Sed à fabulis rursus (si modo fabulæ sunt) ad Diuos nostros redeamus. Ipse Paulus, qui etiam mortuum suscitauerat, Timotheo viro sancto scribens, iubet vt vinum ob ventriculi imbecillitatem assumat: adeò verò hoc magnifacit Beatus Augustinus vt parendum medicis aduersus etiam constitutiones suadeat. Occasionum verò maximarum rerum, quæ vel ope medica restitutæ sunt, vt in Alexandro Magno, per Philippum medicum: Atheniensibus ab Hippocrate, dum peste laborarent: in Augusto, per Antonium Musam: seu perierint, velut cum per morbum C. Caligula seipsum & imperium Romanum pessumdabat: & cum parum ante nostram ætatem malè curato Bartholdo, militum classis Venetæ præfecto, res non solum Veneta, sed Christiana inclinauit, Turcica euecta est (ne longius repetam) neque vlla ars magis fœcunda est: nec si exempla referre velim, dies ipsa suffectura sit. Sed neque minus ipsis professoribus vtilis, quam languentibus aut etiam his qui sani, quoquo modo illius ope vti volunt. Seu enim nomen seu diuitias aut amicos parare velis, disciplina nulla melius aut vberius præstare potest. Omitto rationes, quæ omnibus manifestissimæ sunt, ad ipsa exempla venio. Adeò verò in quibusdam horum claret, vt non solum præcellat, sed sola sit, nulla enim ars esse videtur, imò neque potentia vlla aut dignitas, quæ sine inuidia, sine iniuria, sinéque offensa benefacere possit, quemadmodum ars medica. Diuitias quæritis? hæc dat & tantas & tam repentè, vt si exempla referre velim, fabulas narrare videar.

Omitto antiqua, quæ Hippocrati Artaxerxes obtulerit, quæ Phalaris Polycleto Messenio dederit: aut quæ Alexander Magnus Critobulo sanato Philippo illius patre, quæ Democides à Polycrate. Samiorum tyranno, qui etiam

aureas compedes à Dario Persarum rege accepit: quantum Crinas opum moriens reliquerit, cum iam viuens propriis sumptibus vrbis muros instaurasset: quoque Erisistratus ab Antigono curato illius filio sexagies mille aureos philippeos acceperit, duorum tantum exemplorum quæ paulo ante nostram ætatem contigerunt, meminisse sat erit. Thadeus Florentinus non nisi quinquagenis aureis coronatis in singulos dies pactis extra vrbem proficiscebatur. Idem cum ad Honorium Pontificem, eius nominis quartum vocatus esset, centenos pactus est. Et tamen longè breuiore spacio quam trium mensium decies mille accepit. Recitat Philippus Cominus Argentorati princeps laquem Cotierum in quinque mensium spacio præter pinguem Episcopatum, accepisse quinquaginta quatuor millia aureorum coronatorum, à Ludouico Gallorum rege, eius nominis vndecimo: cum tamen Rex ipse eo morbo obierit. Sed vt mihi videtur non hoc donum fuit, quod quasi vi, vel metu extorsit: non merces bonæ valetudinis, cum vt dixi, rex ipse obierit, sed latrocinium. Quin etiam medicorum familiam, quæ nunc in tota Hetruria regnant, à medico quopiam ortum habuisse verisimillimum est. Quamobrem hac arte etiam ad regna paratur aditus: quo fit, vt etiam nobilissima sit: neque reges ob id eam exercere puduit. Hermes Trisme gistus Ægyptiorum, Ponti Mithridates, Arabum Sabiel, Gyges & Sabor Medorum: fuit & Mesue regis Damasci nepos. Sed non tam laudabile est à paucis probari, quàm ab omnibus. Ab omnibus dico, quoniam quæ diuinis scriptis & sapientia immensa probantur, omni laude digna prorsus sunt. Inde illud Iosuæ Syrachi: Medicum suis præmiis affice, vt habeat ea quibus opus est: nam eum creauit Dominus Est enim à supremo medicina, & à rege stipendium accipit. Medici scientia caput extollit, ita vt proceribus sit admirationi. Dominus creauit ex terra medicamenta, quæ prudens homo non fastidit. Nonne ligno dulcuit aqua amara, vt eius vis ab hominibus cognosceretur? Ipse scientia hac donauit homines, vt suis miraculis gloriam consequeretur. Per hæc medetur, eorumque dolores tollit. Ex his & compositiones facit seplasiarius ad suauitatem, & malagmata ad valetudinem: nec vllus est eius operum modus, ea est ab illo per orbem prosperitas. Fili, in morbo tuo Dominum ne neglige, & ipse te sanabit: amoue culpam, rectas habe manus, & ab omni peccato cor tuum expurga: obmoue suaues odores, & similaginis monumentum, opimumque libamen, vt qui non conferas, & da medico locum, vtpote cuius autor sit Dominus: néve à te discedat cum eo sit opus nam & ipsi Dominum orant vt sibi lenimentum secundet, & vitæ causa sanationem. Qui in creatorem suum peccat, incidet in medici manus. Hoc testimonium: quo magis demiror eos qui perceptis neglectis, exutaque omni ob quæstum & ambitionem prorsus humanitate, cum pro diuino opere carnificinam exerceant, sperare audeant vt vel minimæ portionis huius laudis sint participes. Sed hæc mittamus, quæ omnibus bonis notissima sunt: vobis verò si boni, si sapientes, si artis periti non estis, frustra conabor persuadere. Ad institutum redeamus, non solum præconiis diuina scriptura medicinam extollit, sed ipsis operibus atque præceptis. Quid illa antiquæ legis instituta, ne carnibus animalium, quæ vngulam non diuisam haberent, non suillis, non suffocatis vterentur? de auium quoque delectu, ac cæterorum eduliorum de elephanticorum sepratione, de tot balneis & abstinentia à Venere tempore fluxus mensium. nonne hæc omnia præter animæ repurgandæ commoda etiã valetudini bonæ corporis ad amussim conueniunt? Simile est apud nos præceptum illud, quo diebus duobus in singulas hebdomadas (ita vocant spacium septem dierum) à carnium esu prohibemur. Nobis etiam præceptum est ieiunij quadraginta dierum: quod qui negligunt per luxuriam & impotentiam, sæpe magnis calamitatibus morborum, imò & intempestiuæ mortis opprimuntur. Sed non solum sacris scripturis, verum etiam poëtis, oratoribus philosophisque commendatur Homerus.

Ἰητρὸς γὰρ ἀνὴρ πολλῶν ἀντάξιος ἄλλων.

Et Aristoteles in primo de Republica: Et patrifamilias & principi Reipubl. medicina magis quam ars parandarum diuitiarum necessaria est: hac enim res habetur, illa bona valetudo. Nemini dubium est modesta laude, vt solet eam

omnibus artibus præposuisse: cum constet magis necessariam esse patrifamilias bonam valetudinem, quam rem familiarem: & Principi in Republica bene valere, vtilius sit quam opulentam habere Rempublicam. Et Plutarchus in libello de bonæ valetudinis præceptis: At medicina (inquit) sic est de numero disciplinarum liberalium, vt politiæ splendore iucunditate nulla sit inferior. Portò mercedem magnam abunde addit sui studiosis, nempe corporis salubritatem ac prosperam valetudinem. Cicero maiore medicinam honore dignatur, cum omnia ad illam referat commoda, quæ vitiatis animis aut corporibus, aut casibus adhibentur. Vt illud: Ita sum leuatus, vt Deus mihi aliquis medicinam fecisse videatur. Vel id: Quibus autem artibus aut prudentia maior inest, aut non mediocris vtilitas quæritur, vt medicina, architectura? Talia multa non solum ille, sed & quisque fermè egregius autor de hac diuina arte prædicat. Verum maiora sunt testimonia, quæ à miraculis artis sumuntur, quam quæ laudibus autoris. Vespasianus igitur Imperator, vt maiorem diuinitatis opinionem nanciseretur. Imperiúmque sibi & filiis stabiliret, medicæ artis exemplo duos curauit infirmos. Quod etiam à Pyrrho factũ legimus: & nunc Gallorum Reges imitantur strumas solo tactu sanantes. Refert Erasmus, nostri seculi magnum decus, Calceranum medicum potione quadam purgata, magna vermium multitudine hominem à dæmonio, quo Germanicè loquebatur, cum nunquam Germaniam inuisisset, liberasse; tanta est huius artis vis, tanta excellentia. Non audita, non scripta referam, quæ ego vidi, quæque peregi solum recitabo. Laborabat mulier doloribus intestinorum assiduis, nec prodesse videbantur fomenta, non lenia medicamenta, non excogitata viuendi ratio: adhibuimus catapotia, triginta octo dentes exclusit, rursúsque numerum alium non paruum, erant tamen è glutinosa pituita. Ita hæc diuina ars non solum corpora à morbis, sed animos etiam à superstitione liberat. Quominus demiror patrem Galeni somniis admonitum vt filium medicinæ traderet, Hippocratem vt ad Democritum sanandum pergeret, atque alia sexcenta huiusmodi Deorum curæ argumenta de hac sacra disciplina Cacodæmonas propellere multi profitentur, sed quotusquisque sine sulphure, vitis albæ aqua, aliísque eiuscemodi acrioribus ac efficacioribus pharmacis: (Vt manifestum sit vim inesse arti, & dæmonas morbos esse, sed occultioris cuiusdam naturæ.) Iam verò videmus quid ipsa per se omnibus externis ornamentis auxiliísque nudata polliceatur ac præstet. Finem enim eius bene valere nemo negat: hócque tanti est, vt neque diuitiæ, neque gloria, nec potentia, nec filij, nec amici, imò ne ipsa quidem sapientia aut virtus, vbi hoc ipso destituamur, nos beatos efficere queat. Finge hominem morbo graui atque insanabili ad mortem properantem, quid illi bonum, quid dulce aut iucundum esse, aut videri, aut saltem conditionis acerbitatem lenire potest? At medicina dum morbos amouet dum vitæ hominem restituit, omnium bonorum, omnium voluptatum, quas per illam consequimur causa est. Quid aliis contigerit nescio, patrem me filiósque meos superstites ob peritiam artis medicæ illius, ac meam planè scio. Præter enim quod in rudem medicum facilè impingere fuisset in tam difficillimis ac penè deploratis morbis, multo verò facilius, imò certè in minus diligentem: nunquam sanè in quenquam, qui simul tam bene & artem, & naturæ nostræ propria noceret, incidere potuissemus. Quamobrem cuique expediret propter se suósque, etiamsi medico vti vellet, artem ipsam tenere: vt quæ medicus perperam non ex arte, aut per incuriam, aut vsui suo suorúmve, aut naturæ incommoda licet ex arte delinquit, corrigere possit. Quæ etiam causa est, vt plerique optimorum medicorum modo non supra modum auidi sint, diuitiarum & ambitionis, aut casu aliquo pereant, ad extremam senectutem ac satis incolumes perueniant. Nam Hippoc. propè centesimum, Auenzoar etiam ad centesimum XXXV. annum peruenisse, constans omnium opinio est. Cum igitur hac vna disciplina tot & tam magnis incommodis obuiam eamus, procul posita deuitemus, ingruentia auertamus, iam opprimentia perturbemus, insidentia expellamus siue domi, siue foris, siue in ipso itinere à nascentibus, à nondum natis, à pueris, adultis, iuuenibus, senibus, quippe quæ illius incommoda adeò minuat, vt apud Ciceronem in Catone melior sit conditio senis præscripto viuentis artis medicæ, quam ado-

leſcentis luxurioſè ac nequiter (ita enim apud illum Cato de ſeipſo gloriatur dicens.) Sed tamen(vt vos videtis) non planè me eneruauit, non afflixit ſenectus: non curia vires meas deſiderat,non roſtra,non amici, non clientes, non hoſpites.Et rurſus:Nemo adhuc conuenire me voluit,quin fuerim occupatus. Poteſt enim exercitatio & temperantia,etiam in ſenectute conſeruare aliquid priſtini roboris quænam vtilitate illi conferri poterit? At dicetis, Romani tamen hoc tanto commodo ſexcentis annis carere voluerunt,nec vnquam fœlicius vixere quam cum ſine medicis ciuitas fuit. Nec perpetuò defuere Senatus conſulta , quibus medici philoſophíque ac mathematici ex vrbe tanquam peſtes noxiæ exigerentur. Qui mos etiam nunc apud Turcas viget , & tamen gente illa nulla ferocior,nulla felicior,nulla numeroſior.Cato quoque & Plinius eiuſdem artis ſunt ſcriptores & accuſatores egregij. Adrianus etiam Imperator illud vulgatum reliquit moriens.

πολοὶ ςρατηγοὶ καρίαν ἀπόλεσαν :
πολλοὶ δ᾽ ἰατροὶ τὸν βασιλεῖ ἀπόλεσαν.

Videntur etiam morbi ad perfectionem animi facere. Et Platonem referunt quæſiſſe locum in vrbe minus ſalubrem in quo habitaret : quoniam exiſtimauerit robuſtiore in corpore animi vires magis langueſcere. Hæc & talia multa à paradoxis parum abhorrentia , quæ magis defendi ſolent ad artis oratoriæ vires oſtentandas, quam quod vel vera ſint, aut veris ſimilia , digna reſponſione non exiſtimans , prætereo : atque illos potius ægros eſſe iubebo, deinde felicitatem ſuam prædicare, animíque fortitudinem extollere ſinam. Quanquam , quod ad Platonem attinet, nihil minus credendum ſit quam vt ex habitatione morbum quæſierit, cùm mille modis aliis morbi cauſas quærere potuiſſet : nec familiares amicos clientes, diſcipulos in idem conijcere periculum , atque prodere. Sed ſi modo vera hæc ſunt , forſan hac ratione deuitare frequentiam voluit, ipſe ſibi confidens propter eximiam omnium abſtinentiam. Itaque vtcunque res ſe habeat, omnia potius ſunt excogitanda, quam quod inutilis ſibi atque aliis eſſe voluerit. Quinimò potius hac ratione ſtudiis ſuis operam dare,atque libellis ſuis quos quotidie factitabat incumbere. Romanos vitaſſe medicinam , cùm vitando illam maximè obſeruauerint, nego,medicos concedo:quod & Turcæ factitant : nam & inediam ſeruant,& catapocia deuorant , aliiſque præſidiis artis vtuntur , velut etiam venæ ſectione. Itaque maluerunt artem imperfectam habere ſecuram , quàm cum periculo in tanta hominum perfidia perfectiore frui. Quanquam perfectio ad paucos peruentura foret , fraus in multos. Hæc ratio Romanorum ac Barbarorum plerumque, quæ non in artis vituperationem, ſed artificum ſolum cedit. Poſſem me excuſare de inculto æuo,de rudi gente,de ferinis moribus ſed nobis à veritate ipſa diſcedere haud licet. Qui verò illud adducunt ex ſacris literis , Fortitudo mea in imbecillitate perficitur : verbum ἀσθενία non rectè interpretantur, vt quidam imbecillitatem alij abſurdius infirmitatem , etiam pro infirmitate morbum intelligentes, cum nullus Apoſtolorum aut diſcipulorum in ſacris literis vnquam legatur ægrotaſſe : ſed verbum illud vt à Paulo interpretandum eſt , infortuniis ſeu calamitatibus : quales explicat, carceres, verbera, accuſationes,contumelias, atque eiuſmodi. Quod verò ad exercitationem attinet (hoc enim ſecundum eſt genus eorum , à quibus nobilitatis, decoris , vtilitatis ac voluptatis ratio ſumi debet) nulla in parte aliis inferior artibus eſt. Vbique habet quod agat torpet Imperator ſine milite. Iuriſconſultus inter arma ſilet , nec niſi magna cum mole librorum conſulere poteſt: præſcriptos habet limites , inter quos iudicet. neque enim affinibus , aut cognatis litigantibus iudicem ſe poteſt exhibere. Prouocationem habet iudicis ſententia,tametſi iuſta, medicorum conſulta non habent. Raro Iuriſconſulti de vita , medici ſemper de ſumma rerum tractant. Vitari poteſt iudicum dominatio , compoſitâ inter partes lite , ſed non cum morbis pax aut induciæ vel pacta intercedere poſſunt. Auxilium medici die noctúque præſto nobis adeſt,beneficium ſine offenſa, lucrum voluntarium non exortum:gratia principum,fauor populi, amicorum multitudo, exiſtimatio , opes, diuinitatis opinio. Rhetor friget apud pleraſque nationes,nunquam in eadem cauſa ab omnibus probatur : ſæpius iniuſta quàm iuſta conſulit , innumeris occaſionibus impeditur:

impeditur: non sine multis verbis, non sine magnis studiis, non absque ingenij excellentia, ac memoriæ tenacitate, denique non sine maximis animi ac corporis æstibus, ad gloriam ascendere potest, aut finem suum obtinere. Medicus vbique inuenit præsidia, seu ex horto dum spaciatur, seu incultis locis dum iter agit, seu domi, sed apud pharmacopolas. Mediocre ingenium, mediocris memoria, labor mediocris: modo recta voluntas non desit, nec plus velis quam possis sufficiunt. Obiicies intempestiuos labores, vigilias, iudicia quorundam peruersa, qui etiam bene acta perperam quasi inconsulto facta calumniantur: inopinatos præterea casus, insidias aliorum medicorum & maledicentiam: tum quod maximum est, assiduam & seruam operam, adeò vt miserior sit quacunque alia arte. Quin etiam versari perpetuò inter fœda & tristia, vt olim seruorum tantum esset officium. Sit ita sanè: nónne omnia hæc quæ videmus, quæque obscœna & fœda vocas nobiscum ferimus, intúsque habemus? Neque triste est versari cum conualituris, sed iucundum: nam morituri presbyteris relinquantur. Reliqua nulli contingunt, nisi ei qui per imprudentiam labitur, aut qui vitam & eius commoda pro ambitione & lucro venditat: mihi inquam totis triginta annis, quibus medicinam exerceo, vix triginta vicibus, imò ne tot quidem, hi casus obtigerunt: non seruietis vllis, si artem ea integritate exercueritis, vt illi potius qui nostra opera vtuntur, nobis seruiant, quam nos illis. Præterea cognouerint vos nullis pecuniis adduci posse vt seruiatis: ergo integrum cuique relinquitur, vel legitimè artem exercere, nec cuiquam seruire: aut seruire, nec legitimè artem exercere, sed obiter & pro illius fine proposita vana gloria, ambitione opibúsque. Iudicia verò imperitorum vulgíque ac vanas obtrectationes quisnam vnquam effugit, seu hac, seu aliâ in arte? habet tamen hoc commodum medicina, quòd terra celerrimè, quicquid euenirit sinistri, obtegit atque occultat. Ei verò qui peritus est, nihil horum vix in tota vita bis absque certa prædictione, adeò vt liber sit ab omni culpa, euenire poterit. Porrò de assiduitate & serua opera non contendo, habet omnis dignitas, omnis virtus, omnis diuina operatio, secum coniunctam assiduitatem. Cœli nunquam ab opere suo cessant, non natura, non mens, non Deus denique ipse: quid miraris ergo eum qui medicinam rectè exercere velit: perpetuò quasi operi mancipatum esse? Illud solum quod paucissimi animaduertunt, forsan malum est, extremo morbo cognoscere ac scire se moriturum. Sed huic malo (si modo malum est mori probo viro) multis modis occurritur. Primum, quod multi absque morbo intereunt: deinde, quod breue est illud mœroris spacium: demum quod vnicuique si libeat, vitare hanc curiositatem liceat, nec lotia inspiciendo, neque venas tentando. Ergo de exercitationis commodis hæc sufficiant: quæ vt non mediocri admiratione digna sunt, ita quicquid in contemplatione repositum est, planè diuinum est. Est autem hæc tertia pars & non minima laudis eius. Quærit medicus, an morbi, an sanationes à Deo immittantur, quemadmodum facit Hippocrat. sursumque mentem dirigens Theologus euadit. Idem quid sit anima, an mortalis, an immortalis, idem quid astra possint, & eodem modo an ab illis morbi sanationésque pendeant: ab iisdem enim vtrumque fieri, à quo alterum eorum fiat verisimile est. Ita motus siderum, & exortus considerans, atque occasus, tempora quoque geniturarum reditus non mediocrem Astrologiæ partem tractat. Inde ad ventos, anni constitutiones, pluuias, serenitatem aut nubes siccas, frigora caloresque Metheorologicum diceretis exquisitissimum. Rursus cum domorum considerat structuram commodáque, architectum peritissimum. Quibus ventis exponendæ fenestræ, porticus, atrium: quibus lignis constare debeant ædes: quæ cubicula aut cœnacula & quomodo construenda, vt hyemali sole tepeant, æstiua aura refrigerentur. Mitto coquorum artem, quam penitissimè oportet vt norit, tótque alia quæ nunc enumerando potius ad ostentationem protrahi oratio forsan videri posset, quam necessitatis causa recitari: hæc solum adiiciam, quæ ad medicum tantum pertinent, eique sunt propria: quorum scientia adeo admirabilis est, vt vnus medicus plura scire videatur, quam vniuersi alij artifices aut philosophi. Quid enim maius dici apud mortales aut excogitari potest, quam hominem vnum non solum noscere plantas omnes ac fructus tum lapides, metalla

pisces,

piſces, aues, ſerpentes, quadrupedia membraque illorum vniuerſa: ſed generationem tum illorum, tum etiam eorum animalium quæ inſecta dicuntur? ſed formam & regiones vbi naſcantur, quæque optima peſſimáve ſint? & quod maximum eſt, vires, ſecretáſque potentias ac miracula? Vt ſi hac in parte medicus philoſopho conferatur, videatur ſanè philoſophus paruulus, viro comparatus. Nonne medicus herbas, arbores, fructus, ſemina, flores ſolus depingit? ſolus quid poſſint nouit? atque idem in omnibus quæ terra producit facit? Quid dicam poſtmodum de diſſectione illa admirabili corporum noſtrorum, déque notitia vſus vniuſcuiuſque partis? Ille ſolus vim etiam elementorum nouit: ille morum perturbationes etiam ſanare docet: nonne hæc (ingenuè fateamur, quæ manifeſtiſſima ſunt) propè ad diuinitatem accedunt. Quid ſubtiliſſima illa pulſuum atque vrinarum cognitio, ac adeò admirabilis, vt multi eam eſſe negent, in qua cum natura ipſa cum ipſo rerum opifice (ſed tamen id mementote, omnem humanam ſcientiam vmbram quandam eſſe, cum ad diuinam immenſitatem comparatur) contendere velle videtur? quid dicam de diuinis medici periti oraculis in prædicendo, cum & mortem & ſalutem, & tempora & qualitatem adeò norit, vt nullus vates, nulla deorum reſponſa mereantur illis conferri? Quamobrem & de quorundam improbitate queri licet, qui & hoc tantum miraculum non ſolum in ſeipſis ob imperitiam perire ſinunt, ſed etiam ex tota arte adimere conantur, audéntque inficiari, quod illi ob ignorantiam & auaritiam ac ſuperbiam efficere nequeunt, neque fieri poſſe, nec artis ipſius partem eſſe. Acceſſit huic tanto ſpectaculo ac tam præclaro inuento quorundam nuper ſtrenuiſſimorum Heroum (ita enim merentur appellari) laboribus facunda oratio ac Latina, vt nihil nunc ſuauius aut iucundius legi poſſit, vt verè nunc huic diſciplinæ Horatianum conueniat.

Et prodeſſe volunt, & delectare Poëtæ.

Quorum princeps fuit Nicolaus Leonicenus Vicentinus, poſt quem ſequuti ex Germania, Gallia, Anglia, Italiáque multi alij: Laurentianus Copus Andernacus, Cornarius, Rheginus, Linacer, Cruſerius, Vaſſeus, Gerardus, Rota, Felicianus, Fichardus, Craſſus, Syluatrius, aliique plures: vt nec Sicilia huius honoris expers fuerit Balanio ſuo interprete, nemo in his requirat ordinem, nemo ſe prætermiſſum queratur. Sed vt nobis in mentem venit, ita retulimus. Ob quæ commoda & iucundam lectionem hæc diſciplina iam à nullis prætermitti ſolet. Memini vidiſſe Andream Alciatum, noſtræ ætatis magnum lumen, operam dantem Galeni libris. Quid Eraſmus? Budæus? Rhodiginus? partim Iuriſconſulti, partim Theologi: omnes facundia Græca latináque viri ornatiſſimi, & qui ſuorum laborum præclara monumenta poſteris reliquerunt. Sed & antiquorum, vt Ælianus autor eſt, Pythagoras, Plato, Ariſtoteléſque medicinæ operam dederunt. Quæritis forſan quinam hac in diſciplina viri claruerint? nimis apertum eſt quam vt referatur. Quis neſcit Hippocr. illius fuiſſe principem, continua ſucceſſione ab Æſculapio deducta: Donatum quoque, ſi vera filius eius refert, ab Athenienſibus ciuitate & ſtatua. Proximus illi Galen. imperatoris medicus: cuius pauciora extant monumenta quam vellemus, plura quam credere fas ſit, hominem potuiſſe ſcribere. Poſt quos Græcorum, Arabum & Latinorum magnus numerus eſt illuſtrium virorum: nec noſtro æuo deſunt, qui ſuis laboribus, induſtria diligentiaque aut amiſſa iam recuperarunt, aut etiam ſcriptis ſuis ad artem multa adiecerunt. Itaque ob hæc tot tantáque priuilegia à nobis laudari, & à vobis ac ab omni inter diuina munera conſecrari meretur.



DE SANITATE TVENDA OPVS.

LIBER PRIMVS.

PROOEMIVM.

Contemplandi duplicem artium differentiam.



DVPLICEM esse præter cæteras contemplandi artium differentiam: vnam quidem disciplinis demonstratiuis communem, ex vno ad plura, velut in Geometria (licet pluribus distinctam assumptionibus, definitionibus, siquidem communibus animi sententiis postulatis) alteram ex pluribus ad vnum scientiis vocatis practicis, longè difficiliorem: vt in quibus magnitudo & modus etiam atque alia huiusmodi assumuntur, haud dubium esse reor. Neque enim quod calidum cum sicco adiunctum astrictionem faciat, aut humido emolliat, sed sub certa mensura calefacit, alia tepefacit, altera vrit, emollit, attrahit, digerit, astringit: hæc omnia calido & sicco efficiuntur, & alia plura, vtpotè aroma amarum. Accipiamus ergo primum quomodo calor agat ex tertio de Dentibus: primum quidem motum habet. Si enim cœlestis, mouetur ad mutationem originis, sin autem elementaris, à contrario vt se tueatur. Erit ergo motus ille, vt cùm sit in corpore, mouet alia circunstantia, quare diuellit, non secus ac in doloribus ex flatu dicimus (licet partes cohæreant) fieri separationem, atque diuisionem, ac per se diffunditur, atque motu separat. Quæ ergo separantur, diuelluntur, & maius occupant spatium: hoc autem est rarescere. Naturale enim est cuiuscunque entis non æterni generare sibi simile, vt maneat. Quo verò potentius est vnumquodque eo agit, quod per se agit, vt calidi est mouere atque diffundi, ita & calidissimi celerrimè, atque ob id cùm maius occupat spatium, attenuat. Quid enim est tenue, quod maius occupat spatium pro materiæ mole? Cùm ergo formam mutet & attenuetur, velut aqua in vaporem, vapor in fumum rarescere, resolui non: cùm autem parte aliqua diffundat, biuariam etiam attrahit, vno modo ne detur vacuum, quod potentius est, subingreditur, vnde ad membra imbecilla materiæ confluunt, hac atque alia in ea ratione altera vt motu confertim in alterã partẽ inclinato, vt est quasi attractio velut in suctione, sic & in cucurbitulis, cùm autem motus partium præuenit, fit condensatio, vt in bellicis machinis: constat enim ignem condensari, quoniam motus præuenit raritatẽ factã in qua obseruãdum est quòd forma plus potest, quàm motus & materia, aliter quid prohiberet ne denuo coiret in pyrij pulueris paruitatem? sed ignea forma obstat. Quæcunque verò parum terreæ partis habent, calore soluta diffluunt, & colliquata mouentur, vt aqua è glacie, mel & oleum: & siccũ dicitur, quod materia caret, humidũ, quod habet, solutũ enim fit humidũ. Humidum igitur impedimento est calori. Vnde siccitatem appellant caloris climam, & calidum non impeditum igneum generat, impeditum autem putridum. Quatuor enim sunt genera caloris, vnum quod est quasi materia, & dicitur potestate, id est, quod comminutum, & motu accedente calorem

Calor quomodo agat.

Tenue quid.

Caloris quatuor genera.

rem gignit, vt piper. Tria autem actu sunt calida, vel à calore cœlesti, & proportione respondenti elemento stellarum, & hic est instrumentum animæ, & in omnibus viuentibus, & plantis, & animalibus. Verùm quoniam comparatiuè dicitur, ideo homini, anguis, & scorpius frigidi esse dicuntur. Et omnes plantæ ob id carent motu sensili, & paucis, vt piscibus, talis inest, vt exuperet humanum, velut de stella affirmat Aristoteles: neque enim repugnat si hoc tale etiam non esset in eodem genere reperiri, velut in plantis: hic ergo calor heterogenea iungit, & homo genea disgregat. Vnum enim ad aliud sequitur, velut à contrario, sicut calor igneus qui secundus est, quoniam humido caret, & putridus, etiam homogenea congregat. Iam verò & quædam, velut alia in huiusmodi genere, talia sunt, velut de fimo columbino Galenus refert, sed hæc putrida sunt, atque ob id etiam ardent, alia non, sed simpliciter, velut sal, ob id aqueo immistus est. Et ob id amara non solùm subiguntur, sed etiam placent, velut oliuæ, cappares, absynthium, ruta, cùm ab acribus vix vincatur, nedum vt placeat, à dulcibus nec flectatur amarum, nec superetur, cùm tamen genere acrior sit potentior, numero verò dulce: sacchar, mel, & lac dulcia magis sunt quàm salsus sal. Ergo in medica arte est necessaria contemplatio, iudicium, peritia naturalis philosophiæ, & vsus singularis Dialecticæ artis. Cùm ergo dereliquerint contemplationem, priuati sunt Medici tertia parte, & præcipua nobilioreque medicinæ, sola empeiria relicta, quæ constat experimentis & ratione quadam generali, vtpote quòd in inflammatione sanguinem subducere præstat, quoniam superabundat. At morbi pauci sunt qui sic sanari possint, partim quòd morbi plerique sunt interiores & occulti. Quare scripsit Hippocrates in libro de Arte: Medicus paucos sanat, quia paucos morbos satis tempestiuè agnoscit: Et ob id etiam externos plerunque, & certè plures multo. Cumque Medici celebres nostris temporibus laudentur apud Principes, non qui præstantiores sunt, sed qui vel experimentis incumbunt: Empirici atque hi à populo apud Principes euehuntur, alij patientia & consuetudine aulæ præferuntur, & in vsu magis sunt, ideo ex optimis paucos eligunt, & qui vix ob labores aulæ trientem fructus reddere possunt: contingitque ideo vt ipsimet huius erroris in persona sua pœnas luant. Quod nisi essent fontes, & commodorum multitudo omnium, incredibilis tamen vsus perpetuus, optimorum iam nemo superstes esset. Itaque hæc ars omnibus vtilissima est, etsi aliqui per se viuant incolumes, adhibita arte multo plures, vt Venetiis inuenirentur & firmiores, cùm hi miris iactati modis quotidie langueant. Etsi sanitati non per artem restituantur, tamen vita breuis euadit, & impedita, quomodo si sanus sim, me credam tam imperito medico? Quod relicta adhuc sub iudice? an medicamenta diuersa diuersis membris opitulentur? & si non, quid prodest tot medicamentorum compositio, si sic, quid fermentatio? nam sine illa faciliùs distribuentur, celeriusque, & validiora erunt? & cur miscemus medicamenta? si enim non distribuuntur, plus nocebunt quàm iuuabunt: si distribuuntur, cur non adhibemus compositiones & fermentata? & quomodo agnoscam quid cuique conueniet, aut non, nisi cognouero ordines? si ergo ordines non cognoscimus nisi in primis qualitatibus, quomodo vtemur, an non refert? & ita aperiemus, & laxabimus in colica, adhibita quantitate, temporéque, modo, & aperiemus diarrhœam ex qua æger morietur, ita in diarrhœa astringemus, vt colica lethalis excitetur, ex qua æger pereat, vt sæpiùs videmus? Ergo primum oportet in omnibus his statuere principia principiorum, inde ipsa principia: quæ quamvis non possint ab initio ordinatim scribi, sæpiùs scripta in ordinem redigentur. Sunt autem principia principiorum quibus indigemus, præter qualitates primas, & alia quæcunque & quovis modo tradita: Quantitas, numerus, electio, præparatio, consueto, necessitas, demonstratio, præpositio inter plura & inter contraria cuius habenda sit ratio, inde autem principia quibus constituti sumus & quid profecerimus aut planè sanatus sit æger cognoscamus. De medicamẽtorum compositione & formatione destillatio, putrefactio, de sub terra genitis, de alimentis animalium, de propriis cuiusque dispositionis noxis: Vt quomodo destillationi mucci in ventriculo occurrendum sit. Quomodo prouidendum

Contemplatio Medicis necessaria.

Quia medicus paucos sanet.

Nota.

dum ne medela pariat morbos, exemplo modici mellis per quantitatem, aut sacchar sancti Thomæ, de simplici curationis genere. Non agendo seu nihil agendo, per consueta agendo, ac per auxilia comparando inter se, & ad reliqua. Cùm verò in his omnibus connexio singulorum in vno quoque infinita esset, principiorum autem anceps, & imperfecta, & difficillima, sanè necesse erit vt simplicibus comparatis communibus affectionibus, tum propriis, atque etiam coniunctis, doceamus. Atque vnus hic est tantùm modus artem trahendi, ex cuius ignorantia multitudo errorum emersit, pluresque imperfectiones, totiusque disciplinæ perturbatio atque defectus.

Vt arti propiùs accedamus.

Vt autem propiùs accedamus, scire decet rem quæ quæritur an sit, quid sit, an finis, inde causas, seu natura seu consilio constet, seu arte: nam his tribus omnia apud nos fiunt. Tertiò, si sit scientia practica, demonstrationem inuenire maximè per diuisionem. Quartò, scire modum quo res fit. Quintò, abiicere annexa superfluè, & ipsum quod proponitur continuare prioribus. Sextò, docere modum traducendi per minutissimas differentias ex contemplatione ad opus. Ergo nihil mirum quòd hæc ars sit sublata, non solùm pereuntibus inuentis iam, sed negligentia potentium, & adulatione qua imperiti præponuntur, præstantiores posthabentur, sic periit Architectura, Pictura, honos imminutus Plasticæ, atque sculpturæ, nec artifices habentur, nec præmia etiam si adessent, debita consequerentur. Quid ergo mirum de Medicina, cuius exempla addita magis sunt sensibus, ipsa disciplina profundior & subtilior, fallendi tot modi atque occasiones? Ideo in ea diligenter elaborauimus, vt ex præclaris artibus, ac cæteris ipsius partibus, hanc fructuosissimam (quam ita esse quis est qui non fateatur?) & à nobis exultam, posteritatis memoriæ traderemus, sperantes cunctos continuo vsu edoctos, ac beneficium agnoscentes, rerumque in primis vtilium commoditate inuitatos, spretis quàm pluribus aliis, hanc sibi potissimùm conseruandam fore: cùm nulla ars nec humano generi tam vtilis bonorum nostrorum accommodatior, inueniri possit. Ex ea enim præcipuus ac salubriter ducendæ vitæ vsus, iamque sæpiùs obsidentibus morbis, in quibus maximè versans subsistit, liberandæ habetur, cùm nullum reperiatur corpus, quantumlibet optima constitutione præditum, quod non vt primùm in lucem editum est, fluoribus semper quibusdam obnoxium, atque inter horum discrimina constitutum sit. Verùm cùm medicinæ duæ sint potissimùm partes, altera quæ præsentem tuetur sanitatem, altera quæ absentem reuocat: hîc tantùm potiorem eam medicinæ partem diligenter tractemus, atque excolamus, quæ sanitati tuendæ, incolumemque producendæ dicata est, & vt eam tanquam bonum corporis intactum custodiamus, & prouideamus ne in morbos tanquam in errata incurrat, quæ pars non parum alteram antecellere videtur, cum hoc enim quòd præsentem tuetur sanitatem, ne etiam periculum vllum adeamus, præstat, longéque id submotum repellit, adeò maximus, atque in primis commodus est huiusce partis vsus. Cùm etenim à primo nostro ortu exsiccari incipiamus, hocque pacto noxa hæc contracta semper nos concomitetur, donec tandem absumpta omni materia, nec quò vlteriùs calor hic innatus, vnde alatur, foueaturque, habeat, nos prorsus in sicco destitutos relinquit, dissoluta penitus corporum nostrorum substantia, quæ nisi cõtinuò resarciatur, intra breue temporis curriculum tota dissipata periclitatur. Huius ergo artis adminiculo egemus, & licet prorsus arte naturæ decreta auferre valeamus, quin exsiccati tandem soluamur, nemo tamen ambigat naturæ necessitatem adhibita arte ac diligentia melius sarciri posse, ac nisi præceptis aliquibus homines vitæ suæ obseruatione nitantur, in noxas offensasque incurrere: cùm sæpissimè in his falli contingat. Quis enim vel optimè à natura constitutus, ac sibi ipsi quoque vni inseruiens, multa horum per se, aut aëris ambientis sibi commodam temperiem, aut se exercendi opportunitatẽ, modumque, aut rectum ciborum ordinem, opportunumq; vsum, & quamplurima alia eiusmodi, nisi huius artis præceptis assequi poterit: quotidie enim experimur quamplurimos in tempore nõ admonitos, in multa incõmoda incidere, & præsertim in

Vtilitas medicinæ.

Medicinæ duæ principales partes. Hæc pars altera præstantior.

in excrementorum (vt ita dicamus) œconomia, nec alibi magis crebriúsvè peccatur. Copia enim ac rerum varietate seducimur tam anxiè ad saporum auiditatem palatum irritantes, nullámque nec aëris nos ambientis, nec exercitij, nec cæterarum sex rerum non naturalium, in quibus salubritatis materia petitur, differentiam ponentes, & hinc fit, quòd tam breue ac exiguum nobis est vitæ curriculum, non tamen naturâ (vt aliquibus placuit) insitum, sed iam dictis erroribus comparatum. Inordinatè enim, imò insanè, vt plurimum nunc temporis homines viuunt, viuentésque in aëre prauo, ipsum horis intempestiuis subeunt, tristitiis etiam, curis, vigilia, venere, ac laboribus; sed perperam excruciant, immodicóque cibo, vt iam diximus, & potu, & sæpius quàm oporteat, & intempestiuè, & malè præparato, & vario, se replent: vt plerumque, imò ferè semper contingat, ij non naturali morte absumpti, sed inopinatè, aut vi, aut morbo intereant, septuagenarius enim annus tempore antiquo fuit vitæ humanæ communis terminus, vt testatur Dauid in Psalmis; ita, vt si quis antea moriebatur, non naturali morte, sed vi morbi absumptus existimabatur: neque enim negare possumus, quòd si recta ratione homo viueret, aliquantò diutius vitam extenderet, vt nos luce clarius in quinto de Proportionibus demonstrauimus. Quare manifestè apparet, non minùs necessariam hanc autem humano generi esse, quàm salubrem, tum, vt noxas qua parte possumus repellamus, tum quas non possumus saltem vt minuamus, ac præsentem nobis tueamur sanitatem, & sic pars hæc instituti nostri omnium maxima, atque in primis tractatu iucunda erit. Ea autem de quibus hoc in opere dicendum est, sunt subiecta, & res adhibendæ aut fugiendæ, & modi atque causæ. Ac quidem subiecta sunt humana corpora & eorum species iuxta ætates, lactantes, sorbitionibúsque vtentes, & solidis cibis, & adolescentes, & qui non ampliùs augentur, & masculi, & fœminæ, & temperati, & intemperie laborantes, & integrè sani, & oblæsi, & iuxta regiones. Quæ verò adhibentur, aër, motus, somnus, euacuatio, lætitia cibi, potúsque, atque alia huiusmodi. Fugienda autem medicamenta, & cibi participes horum, veluti cruda, atque alia in genere, alia aliis. Modi autem, somni diurni, aut nocturni, à repletione, venus, labor, assa, elixa. Causæ autem, quoniam sine illis doctrina erit & incerta, & specialis, ac circa illa etiam contingent errores. Ob id ergo præstabit disputationes præscindere, ne opus in immensum augeatur. Cúmque duplex sit ordo legendi, & ad alios libros comparatus, & doctrinam per partes dissecandi: primus sanè perspicuus, vt etiam ante primas si fieri possit hic liber sit legendus, quòd eius finis sit viuere diu, & inculpata valetudine, at sine his alij libri nihil proderunt, aut admodum parum: meliúsque est longè non ægrotare quàm ægros sanare: nam qui ægrotant, de fine incerti sunt, & si assequantur, non tamen ad integritatem pristinam redeunt, quòd & si redirent, interim tempus medium perijt. Adde quòd vita illis fit breuior, etiamsi viribus non videatur imminuta. Quæ autem ordinis difficultatem faciunt in tractando, duo sunt, alia quidem, quia non videntur habere certum genus, velut operimenta, & ad aërem, & ad somnum, & ad motum referri possunt, alia quoniam nescimus an præcedere debeant, atque in his duplex est dubitatio, quædam enim finis ratione, veluti tractatio per ætates, quam Galenus sequutus est, quod ad opus attinet, commodior videtur. At rursus quomodo illa attingemus, nisi sciemus, quæ de illis tractanda sint, ac rursus hanc de nutritione priùs, illa enim fini propinquior, an concoctione, sine qua nutritio non fit? Incidimus etiam in difficultatem, non quæ in infantibus diximus, alia sint in aliis ætatibus repetēda. Et rursus si specialia cōiunxerimus generalibus, veluti bulbos & cæpas cibis, interrumpetur ordo generalium inter se, si generalium inter se ordinem custodiamus, specialia à generalibus & membra ipsa à toto distinguemus. Demum & alia huiusmodi, vt præparationes, adeò vt difficile videatur, vt non multa repetamus, aut incognita cognitis præponamus. Plurima verò in huiusmodi ob id absque causis, tum referre oportebit ad ordinis seruandam æqualitatem, & perspicuitatem, nitorémque orationis. Illas autem vel ex præcedentibus sumere, aut suo loco posterius referre, ad quod opus non parum iuuabunt tituli eorum, quæ adiecta sunt vbique. Vnde etiam tabulam in hoc genere conficere quasi necessarium est ob tantam rerum multitudinem

Tractanda in hoc opere.

Duplex legendi ordo.

Huius operis finis.

nem ac varietatem, tum perturbationem ordinum, quam etiam præponere tanquam ideam vnam totius operis, quasi corporis vnius delineationem, erit commodum & opportunum. Porrò cùm duo sint scopi huius, vnus ad seruandam bonam valetudinem, alter ad producendam vitam, si quando contingat, non idem conuenire quæ adhibentur, tria spectanda sunt, quid certius, & an morbus sit vitæ longitudini obfuturus, vt febris, nephritis, hydropum omne genus, an parum, aut nihil, vt podagra, scabies, oculorum morbi, hæmorrhoïdes: in his longitudinem vitæ magis obseruare decet, velut & si minus certi sint. Demum in pauperibus, & imperitis, & filios nutrientibus magis valetudinis quàm vitæ ratio habenda est, contrà, in his qui carent filiis, diuitibus, aut qui consilio valent. Cùm duo verò sint genera casuum, vnum quod prorsus est naturæ contrarium, vt venenum, præcipitatio, somnus in luto, medicamentum (est enim medium inter venenum & alimentum) tristitia, metus, ira, inuidia, & quod naturâ salutare est: manifestum non nisi deterioris incommodi vitandi causa locum primo relinqui, in secundo autem fugiendam prauitatem, immoderantiam, & importunitatem. In cibis ergo, quod ad qualitatem attinet, fugere oportet concoctu difficiles, quòd interim corpus alimento fraudetur, vires debilitentur, flatúsque necessariò gignantur, tum quæ parum nutriunt, & habent multum excrementi, excrementosa etiam omnia tum quæ tenuioris sunt alimenti, nam breuiorem efficiunt vitam, quæ facilè putrescunt. Immoderatè calida, frigida, sicca, humida, detergentia, astringentia, natura enim nostra ab omni immodico labefactatur. Occasiones, cruditas, vigilia, labor magnus, euacuatio, affectus animi, & similia. Horum omnium sunt indicia, sapor vehemens, odor malus, cibus crudus, aut malè coctus, mistio diuersa maximè ex contrariis, vetustas, impuritas (ob id elui debent singula, tum etiam securiora sunt à veneficiis atque suauiora) ortus & educatio. Censent Philologus chamas, conchas, ostrea, apuas, & similia praui esse alimenti, quòd è cœno nascantur: nam si mali sunt pisces qui in sordibus victitant, quantò magis quæ sine parente oriuntur? quo in genere sunt etiam anguillæ, mustelæ cœnosæ vermibus similes, nisi quòd nigræ sunt, testudines, ranæ, limaces, sed & fungi, qui ilei dolores gignunt & spirationem grauem, & suffocant, persepè etiam venenosi sunt, & interficiunt, vt tubera, & herbæ syluestres, sunt enim luto vestita, cùm sine semine proueniant: & etiam quòd è semine nata sint, quia imperfectionem generis ostendit, potuisse absque semine oriri: sed & legumina omnia, (cicer tamen omnium præstantissimum, vt faba & phaselus omnium flatuosissima) pisa coli doloribus obnoxia, lens visui, cerebro officit, bilem atram gignit, faciliùs tamen concoquitur, nec flatum adeò generat. Pisces praui omnes choleram & iliacam passionem procreant, sed & à lacte consulo vt abstineant, alimentum bonum, sed tot modis obnoxium incommodis: primùm si per se vt mulctum est, corrumpatur, facilè enim & quàm breui corrumpitur teste Galeno: si assumptum misceatur bili, aut putridis humoribus, aut vermes habentibus: si vino, piscibus, oleribus, leguminibus, misceatur, aut fructibus. Demum si eo assumpto exerceatur, vigilet, concumbat, irascatur: habet etiam proprietates quibusdam inimicas hominibus, & omnibus habentibus capita debilia, aut dentes infirmos, aut iecoris venas angustas, aut renes calidos, manifesta causa nocet. Caseus etiam acris est ob coagulum, & terreus exempta butyrosa parte, alia etiam habet incommoda, vt satis scitè dixerit Philologus non esse bonum nisi fabris lignariis ad tabulas iungendas. Mel etiam malum cum cibis ob obstructiones & biliosam naturam. Sturni cicuta, turdi hyoscyamo, coturnices elleboro, qualeæ comitiali ex morbo cadunt, merli non eduntur antequam putrescant, quod in omnibus duris carnibus est obseruandum, ob id aut non concoquuntur, aut prauè: vtroque igitur modo talia, & si bono alerentur cibo, mala sunt, vt bouina caro, anserum, & huiusmodi auiculæ Cypri scammonium edunt. Salita quoque omnia mala sunt, sed non omnibus, nam ventriculo pituita redundante quandoque commoda sunt. Acria præterea valde, vt piper, elephantiasim gignunt, & exustiones humorum, & sunt causæ phlegmonum, & morborum acutorum. Caulium vsus quàm malus sit, ostendit odor, qui in chorte etiam cubilia superiora infestat: atrum succum

Cibi qui fugiendi in genere.

Salita quibus vtilia.

succum gignunt, & oculis nocent,& somnia mouent,& vermes,& pediculos generant,tametsi serpentes occidant,& lumbricos iam genitos,& aluum subducant: ita rapæ quartanam patientibus prosunt, turbant, flatum plurimum gignunt, & parum nutriunt,& crassi sunt, hoc ipso damnandæ quòd Democrito displicuerint, qui tandiu vixit, acuunt tamen visum. Refert Thomas, Franciscum Mollinum patritium Venetum creatum fuisse inter Consiliarios supremos reipublicæ anno centesimo, cùm iam seculum aliud ingressus esset, annóque M. D. XXXV. egisse CIII. interrogatus quomodo ad id ætatis peruenisset,respondit:Neque Clodianas merces degustasse,id est,fructus, præcipuè pepones,& olera, neque sub vmbra turris beati Marci spaciatum: eo enim in foro austri à mari spirant,nec limbis,id est,gondolis (sic enim eos vocant Veneti patritio sermone) vectum, scilicet vt se exerceret. Damnat idem author multa eius generis & bene,sed illud non probo,quòd vitam vltra CXX. annos perdurare posse speret, hœdina carne, vitellísque ouorum. Omitto quòd incommoda esset nimis hæc viuendi ratio, nec licet hœdos apud nos,nisi Martio atque Aprili mense inuenire, nullibi in vna Prouincia perpetuò. Extent verò qui solis ouis victitant,vt collegiis phratrium,non solùm nullus est inuentus qui CXX. annum excesserit, sed pauciores ad ætatem communem perueniunt, quàm ex his,qui vulgari modo viuunt. Præterea si contingat vt cogantur excedere eam rationem,nimis grauiter læduntur,ob idque iubet Hippocrates vt quandoque homines singuli ad insueta transeant,vt infrà satis abundè ostendemus, sed neque alimentum illud adeò tenue & siccum ad valde longæuam ætatem bonum est: ad mediocrem velut ad LXX.vel paulò plures annos optimum esse fateor. Oportet enim esse valde solidum, & humidum alimentum,quale si modo ex carnibus porcinæ, ceruinæ atque castrati. Et veteres Iudæi,quos constat valde vixisse,& nunc etiam quidam diu viuunt, castratis & agnis potiùs quàm hœdis vsi sunt,tum quod(vt dixi)caro hœdina paucorum dierum est, agni vsque ad annum fit melior: tum quia assari potest agnus & bonus est,hœdus si elixetur,malus est,quia omne elixum malum est; si in veru torreatur, deterior, quia nimis exsiccatur, ob id iurulentum edere semper conuenit. Verùm docebimus infrà,vitam longæuam,neque carnibus, neque ouis,neque vino constare,dico vitam illam admodum longam, de qua propriè vir hîc sermonem habet, sed in fructibus terræ, vt pane, amygdalis, pineis, castaneis,aqua cum saccharo: quòd si aqua vtilis est,quæ à terra sumitur,cur omnia quæ à terra sumuntur,reijcere cogimur? Et si vinum admittit, & laudat,nónne id succus est fructus?propterea fructus & semina,bis elaborata, non vt radices, vel folia, & si etiam semel tantùm vt dixi, non ob id mala sunt,cùm elephanti, cameli, & cerui, quorum ex confesso vita longissima est, his quæ ex terra nascuntur,& non ex animalium carne viuant. Adducam tamen quædam,quæ ad hunc vsum meritò improbantur,Carduos,& rectè,cùm enim tingant, & manus, & aquam in qua elixantur, atrum gignere illos humorem,haud dubium est. A saluia cauendum monet,cui ego assentior æstiuis temporibus: nam & calida est satis, & habitaculum ob densitatem serpentum & bufonum: in ea enim ob densitatem vmbræ non solùm refrigerantur, sed delitescunt, velut & sub hædera, & arbutis densis & humilibus, vt etiam rubo, & humili buxo: ideo bene Poëta cecinit,

Historia.

Nota.

Cardui cur mali.

Cur à saluia cauendum.

Frigidus, ô pueri fugite hinc, latet anguis in herba.

In hyeme autem vtilis est, non solùm quia subastringat modicè, vt Galenus ait, sed quia etiam detergit, & multo magis quàm astringat, ideo ventriculo pituita redundanti, tum aliis vtilis est, cùm etiam dissecet, & caput corroboret. Similiter & à moris: quanquam enim mala non valde sint, adeò tamen sunt obnoxia facilè putredini, vt eam voluptatem consuluerim tanto periculo non emendam. Similiter & à malis, quòd inutilia prorsus sint, ideóque nulli conueniant, quod phthisi progignendæ apta, quòd in omnibus flatum excitant, qui cùm in frigida materia fuerit, per arterias diuiditur, & in musculos etiam deriuatur, & tabefacit hominem, flatus enim præter commodum eijcienda lenta,& multa,& mediocria excrementa,vt in senibus, & melancholicis, cui muneri auxilium præstat: si sit similis fœcum materiæ, scilicet crassus, & ad imum ventris descendens, secùs semper nocet: nam

Flatus incommoda.

crassus & non descendens, coli & ilei dolorem gignit, si in intestinis sit: si verò inter omentum & peritonæum, hydropem siccam & antea dolores vmbilicum, si descendat, enterocelem, aut epiplocelem: si in ventriculo grauis & densus intercipiatur, dolores creat, & coctionem intercipit: si leuis, eructationes, & coctioni etiam incommodus, sed non adeò: leuis autem & cum impetu delatus efficit vertigines, densior, comitialem morbum, tenuiusculus & diuisus, imagines ante oculos, continuatus & non multus, tinnitus, sibilos, & ex his surditatem parit. Et ob id etiam hæc omnia in senibus accidunt, quoniam & flatuum copiam maiorem gignunt, ob cruditatum multitudinem, & quoniam discutere illos minùs valent, tum ob caloris imbecillitatem, tum ob id quòd minùs exercentur. In reliquis solùm cauenda prorsus suadeo quæ mala sunt, & vt deteriora fiant, periculum est: prorsus mala, & nemini vtilia, mala insana etiam: periculosa verò apium ob similitudinem ranæ, similiter fungi, anguillæque ob commercium, velut etiam de saluia diximus, sed & poma cum inutilia sint, & suspecta de phthisi, & tabe, & oculorum ac aurium offensa, tum coli doloribus & ilei, tum vermibus, difficiléque sit in tanta malorum turba omnia euitare, ex hoc numero censebuntur. Aëris præterea eligendi optimi, tum aquæ curam habere oportet: nam quantum vtrumque ad institutum propositum conferat, Hippocrates longo opere prosequutus est, & nos inferiùs, cùm absque bonis aquis incolumem diu esse difficillimum: longæuum aut in prauo aëre qualis apud Garamantas, & in quibusdam regionibus nouæ Galliæ, sit impossibile. Ad hoc etiam pertinet immundities, & consuetudo, vt cum elephanticis, velut in Hibernia, & vbi venti Austri conclusi excipiuntur, loca lacustria, palustria, valles, sordida ex animalibus ac stabulis armentorum, & Orientales regiones, India maximè, deinde Asia, aptiores sunt ad vitæ longitudinem cæteris, dicebat Thomas Philologus, quòd ex Occidentalibus nullam Vrbem vidit, in qua longiori tempore viuerent, quàm Venetias, idque iure multis ex causis expositi, sunt enim secundum mare oriente ad meridiem declinanti, id est, Euro & Vulturno, & in mari, vbi homines diu viuunt, & rectam viuendi normam norunt atque custodiunt. Sed neque his assuescere oportet quæ speciem habeat vtilitatis præsentis, in posterum autem nocent, velut fontes in membris, vomitus, ieiunium, non præsente cruditate, euacuationes molles, frequentes, aut etiam aræ, non necessariæ, hæmorrhoïdes: at ex his hæmorrhoïdes sponte natæ sine sensu, & non diu, & aceruatim fluentes sunt satis bonæ. Sed & tempora somni & vigiliarum obseruanda, non solum in quantitate, sed ordine, dum nox longa est, aut mediocris, dormiendum donec sol ascenderit, non prodeundum, nisi aëre bene perspicuo, & similiter à penultima diei hora recipere se in domum oportet, aut si cogaris prodire, quod & Veneti obseruant, velati vndequaque. Æstate verò ad nonam horam ab occasu producendus est somnus, si non, decumbat ad vndecimam, nec crudus exurgat: nam quiescenti malum exercitaturo longè deterius. Neque procuranda macies nulli apta vsui, neque pinguedo, non solùm quòd dicat Hippocrates, Qui naturâ admodum crassi sunt, citiùs moriuntur gracilibus, sed quòd institutio hæc salubris minimè debet pugnare cum communi bono, cum proprio hominis fine, qui est intelligere. Dicebat autem B. Hieronymus, venter obesus non gignit spiritum tenuem. Non solùm autem Venus immodica vitam breuiorem reddit, sed & ipsa salacitas sola signum est breuioris vitæ, vt inter arbores persicus, inter animalia passeres. Tale enim quod potestate est, ab initio & ei assimilatur quale futurum esset cùm ad actum peruenisset. Hæc satis in genere à nobis dicta sint, his quibus naturâ id concessum est, vel natura sponte, vel artis auxilio, vita incolumis ac longa seruetur: nam quidam sunt adeò malè compositi, vt si etiam seruandi Æsculapio traderentur, neque sani viuere possent, neque ad senectutem peruenire. E quibus sunt nati iunioribus & teneris parentibus, aut qui rara sunt substantia solidorum membrorum, aut graui aliquo vitio laborant in membrorum aliquo vitæ necessario, è quibus sunt tria principalia, & præter illa ventriculus & pulmo. Quæ verò ad quasdam sublimiores artes pertinent distillationum, atque Astrorum, cum circuitibus suis locis declarabuntur: nam non talia sunt, vt breui sermone comprehendi queant.

Optimi aëris electio.

Qui naturaliter breuis sunt vitæ.

DE



LIBER PRIMVS.

CAPVT PRIMVM.

Cur disciplina tuendæ sanitatis fuerit neglecta.



NIMVERO tametsi multa de hac disciplina, clarissimi viri scripserint, Hippocrates siue Polybus & Diocles, totque alij, de quibus aliàs actum est, multos tamen habent contradicentes, plurimos verò contemptores, atque ij diuersis causis inducti esse videntur. Prima, quòd omnes qui artem medicam nullam esse putant, quanto magis si vrgente necessitate salutem negligunt? inter illos terrores supremi ictus, lentam spem, tam longam, incertósque euentus parui facere debent, quinimò tam pauci hoc argumento elicere, imò excludere curam omnem tuendæ sanitatis nituntur. Aliis visum est, velut Plutarcho dicenti. Præfinire autem oportet quantum sanitati sit incumbendum, neque illam exactam curam probo quæ ciuilia negotia abrumpit, reipublicæ inutilem reddit, contemplationem tollit, & insuauem eius vsum efficit. Tria enim hæc iure vitæ prætulero, stirpem, patriam, sapientiam: ob id consuluero vt qui principibus aut reipublicæ mancipati sunt, aut sapientiæ studiis, à voluptatibus quantum possunt abstineant, tempus id, quod superest valetudinis præceptis tribuant. Manifestum est autem maiorem partem horum ad voluptatem facere: Decubitum super lectum, deambulationem, equitationem, piscationem, musicam, confabulationem amicorum, aucupium, gemmarum intuitum, historiarum lectionem, lusum turriculæ, & pilæ collimando. Voluptates quoque, quæ à corpore per corpus exercentur, velut cibi & potus: & quæ ab animo in animum resiliunt, vt cogitationes iucundæ, gloria Dei, amplitudo & pulchritudo cœli, mentium ordo, splendor immensus, quies sempiterna, immota in infinito, immensitas ardens, iustitia, gaudium, tranquillitas, beata omnia. Non ergo sapientiæ studiis, non reipublicæ vtilitati, neque operibus deerimus, si vnicuique iuxta fabricam, velut in ædibus officia tribuerimus. Fabula illa mihi arridet, leonem cùm coëgisset omnia animalia, asino tubicinis imposuisse munus, lepori cursoris & nuntij. Malè ergo Galenus vt seruare videtur velle Respublicas, artem palestræ potiùs docuit quàm tuendæ sanitatis, sed dum nimis postmodum incumbit noxæ exercitationis, nec vni, nec alteri satisfacit, illos enim laboribus periculo febrium exponit, cùm præcepta sanitatis tuendæ periculo vacare debeant, vel si muneri coniuncta sint, proprium habere, neque regulam, velut si cogaris exerceri, antea dormias, edas parum solidum nutriens sine potu, si vigilare nihil cœnes, aut vuas passas grandes, postquam verò periculo aut morbo te obiecit, non curat vt militem, sed vt œconomum diuitis Matronæ. Qui verò fastidiunt hæc præcepta, alij abstinentiam damnant. Velut Alfonsus Rex Aragonum, qui cùm audisset à sene xc. annorum vitæ genus, dixit: Mallem mori intra decem annos (nondum verò excesserat quinquaginta) quam peruenire ad centum cum hoc vitæ genere: digna vox Rege, sed non hominum; quanto meliùs dixisset, præstabat hanc tantam curam pro studiis sapientiæ, aut virtutis, quàm vitæ collocare. Sed his Aloysius Cornarius Patritius Venetus pulcherrimè respondit, quinimò etiam acerbè arguit delinquentes eo libello, qui in omnium manibus est. Alij dicunt nihil proficere Senectutem, cùm omninò moriendum sit: falluntur hi, namque interim viuimus, & si vera sunt quæ prodit Aristoteles, sine dolore est mors naturalis, vel vt Boëtius ait:

Tria vitæ præferenda.

Dictum Regis Aragonum.

> *Mors hominum fœlix quæ se non dulcibus annis*
> *Inuehit, & mœstis sæpè vocata venit.*

Interim etiam descendentibus meliùs consulere possumus, verùm graue est quantò frui licet, tantò diuturna expectatione cruciari, tum præcipuè quod vix verisimile est posse mortem esse absque dolore, longam expectationem eam tollit ἀμνηστία & vitæ suauitas; ipsius mortis dolor vel nullus erit, vt ille ait: vel exiguum tollit ira, ob id (quod damnant in Sylla, præcipuum fuit felicitatis suæ fastigium. Ex iracundia enim mori, cùm nihil magis milites accendat ad pugnam quàm ira & furor, vt de Etheacle, & Polynice, vt & Virgilius testatur, dulce est.

Rursus quidam obiiciunt quòd hæc scientia sit impossibilis homini, idque indicio patere, quod nullus eorum qui ad centesimum peruenerunt annum, ei operam dedit, siquidem neque videbis medicum centenarium, neque centenarium medicum, vt Galenus hoc ipse apertè fassus est: nam medicum vix octuaginta annos superasse, Grammaticum centum attigisse, rusticum etiam excessisse: & ego quidem vidi hortulanum vnum, pistorem alium. Plinius recitat de fullone Bononiensi. Nihil ergo proficit hæc ars. Quibus respondemus (aut malè traditam) horum causa hoc scribimus opus: non quia non iuuant, quia malè tradita sit, sed quia solùm tradita (& vt dixi) scribimus opus. Cur autem non viuant tandiu, alia causa est, scilicet quòd omnibus quidem tradita disciplina vtilis est, sed non quantum debet, confert, & experimentum sui præbet: nam in validis propter naturam, in medio-

Obiectio.

cribus ob imperfectionem artis & obseruationis præceptorum non satisfacit,cum propter casus, at natura plus potest quàm ars, & integra statua quàm refecta. Eorum ergo qui ad summum bonitatis peruenerunt, ni casus obstent, vita longissima est, in qua natura plus potest quàm ars in aliis, & licet medicos non consulant, naturam tamen ducem habent eorum loco, qui parum fidi vel impediti, vel ingrato labore nil conferunt: omnes etiam hi quandam normam vitæ sequuntur à sexagesimo anno: supra dictum est autem ab vno cuncta proficisci, & quòd consuetudo maximè diuturna ex pluribus vnum facit.

Sunt etiam qui cum valeant, omninò negligant huius disciplinæ vsum, quòd dum valent, inutilis sit hic labor: cùm in morbum inciderint curatione indigeant, in medio spem proferendo transigunt tempus, incertam mutationem horrent, exemplum multitudinis, quæ perperam agit, magis sequuntur quàm res, ideo ad iudicium vulgi reuoluuntur in his, quæ ad rationem & sapientiam spectarent. Itaque errant & eum erroribus commoriuntur. Sed si lentis priùs morbis detineantur, refugiunt ad medicos, & licet hæc sit pars tuendæ sanitatis, illi tamen ob locum ad curatiuam referunt: multitudo autem errorum non efficit consuetudinem, sed præuaricationem, meliori ergo in statu deinceps ars tuendæ sanitatis erit, vt homines intelligant esse magnum donum Dei.

CAPVT II.

De Erratis exercentium artem.

SIcut in fœcundo agro multò plures (si incultus maneat) herbæ, & inutiles, & etiam venenosæ, & maleficæ,quàm in sterili oriuntur, ita felicissimis & regionibus atque temporibus, vitia plura, & deceptores, ac homines improbi, scelerati, tum imperiti, abundant: multò maiore numero, ac flagitiis, perniciosi humano generi, quàm dum mundus adhuc nouus erat, & multis commodis destituti homines laborarent, & in speluncis ac cauernis adhuc habitarent: Et vt ille dicebat: *Glandem ructante marito.* Nostra ætate floridissima esse omnia (si qua vlla vnquam alia) nemo dubitat: cur ergo miramini, si dum bella geruntur, alij meditantur implicitis principibus (quanquam optimis ac prudentissimis) maxima labes ementitorum artificum, & qui disciplinas, quas minimè salutauerint, ne dum nouerint, profiterentur, emerserit? Omitto nunc diuina, cùm Heliæ tempore coactus sit se exponere contra quadringentos prophetas vitæ euidenti periculo, sub rege etiam parum ei amico boni publici causa, veniamus ad propria: Nonne Hippocrates de hoc quæritur, vt inceperit librum de victu in acutis, sic: [Qui Gnidias appellatas sententias scripserunt, rectè quidem scripserunt ea quæ patiuntur ægroti. Quæ verò antè medicum discere oportet, ægroto non referente, pleráque & quæ ad coniecturam faciunt, omissa sunt. Quomodo verò curare oporteat in his aliter sentio nec laudo, quòd paucis vsi sint medicamentis.] Demum concludit: [Siquidem hæc bona essent, & morbis, quibus exhibenda iusserunt conuenientia, magis forent laudanda.] Et in libro de lege: [Duo sunt, scientia, & opinio, quarum vna scire facit, altera ignorantiæ causa est. Medici nomine quidem solo plures, re ipsa & peritia pauci, ob quod medicina malè audit.] Plura sanè dicturus, ac de hoc conquesturus, nisi incommodum scribendi obstitisset: nam (vt Galenus testatur) pleraque nondum euulgato vsu chartæ, in ligneis scripsit tabulis, multa tamen sparsim scripsit, in quibus errata exercentium artem arguit. At Galenus quanto plura contra hos nebulones modò reprehendens illos imperitiæ, modò contumaciæ, aliàs prodens eorum homicidia, non raro conquestus, & grauiter, de temporum suorum præsertim aulicorum moribus, de Principum socordia: medicos etiam arguens beneficij, vsque adeò impatiens imperitiæ, & prauitatis illorum, vt non solùm ex proposito in aliud propositum præter decorem resiliat, verùm libros omnes adeò his contentionibus repleuerit,vt fastidium non leue etiam his, qui illius nomini addicti sunt, laudántque ordinem eius, styli elegantiam, doctrinam, subtilitatem, ac cæteras virtutes: pariat immoderata forsan illius reprehendēdi voluntas,& dicendi copia, sed longè immoderantior fuit eorū quos reprehēdit ignorantia, stupor, flagitia, atque imprudentia. Itaque meritò mihi conqueri videor de quorundam hominum erga me acerbitate, qui quod Galeno tot in operibus licuit, de eo mihi duntaxat vno aut duobus verba facienti vitio vertant: cùm longè plures, & grauiùs, ætate nostra, quàm Galeni temporibus peccent. Hominum genus hoc ipsum naturâ inditum habet, vt malit sibi bene esse, quam alteri. Quapropter cum iam vsu inualuerit, vt opes penè suspiciantur solæ, meritò factum putet, vt authoritatem simul ac pecuniam quisque quærat, ideóque qui neque bonis artibus imbuti sunt, neque ingenio valent, ad dolos & flagitia confugiunt. Etenim illud inoleuit quod Satyricus inquit:

Medici nomine plures, re verò pauci.

Nota.

> *Criminibus debent hortos, prætoria, mensas.*
> *Argentum vetus, & stantem extra pocula caprum.*

Quibus accessit vnum illud, de quo queritur Plinius, & sanè meritò reprehendendum, & detestabile, sed adeò iam vulgatum, & verissimum, vt in adagium transierit: solis medicis licet homines impunè occidere. Irrepsit interim occasio alia euertendi omnia bona sub magnæ fœlicitatis nomine. Eruta sunt antiqua Galeni volumina, tum aliorum, Aldi Manutij Romani viri insignis industria, Græcè scripta: statim affuère periti Laurentianus, Leonicenus Copus, aliique medicæ artis professores, qui tam luculenter ea Latinè verterunt (vt è Latinis librum de senectute) vt in Græcum sermonem versa potius existimes.

Solis medicis licet homines impunè occidere.

Eloquen

Eloquentia, sensus proprietates, lepôs ita transierunt ad nos: cùm statim Grammatici irrepserunt sine iudicio, sine artis cognitione, sine peritia qui reprehendant παντὶ pro πάντη, ἀργόνομον pro ἀργόνομος, & multum referre, quòd quis dicat huius notitiæ esse quandam artem, & huius artis quandam notitiam. Extra aleam ambo sunt medicinæ, nec quicquam ad ægros conferunt, imò impediunt, vt Auenzoar dicit imò grauiter reprehendit. Quantum verò intersit inter omnia, & omnimode nihil: nam si ad Deum, vtrumque verum, si ad homines, vtrumque falsum: nullus enim omnes res nouit, neque vnum tantùm omnimode. Ergo primùm in lectione constituenda non litterulæ inspiciendæ sunt, sed quis sensus magis ad artem pertineat, quisque verior sit: si secus feceris, periculum est ne simul in rem preces, & in hominem. Qualis etiam sit phrasis authoris familiaris: & vt colluctationem Grammaticorum circa verbula effugias hortor. Ex tam paruo commodo, quot, & quanta euenerint detrimenta, accipe. Primùm vt iudices artis sponte eligamus artis ignaros, cum Iurisconsulti litem de re vestiaria ad vestiarios relegent: secundùm adolescentes ad puerilia studia reuocemus, cùm ad Philosophiam & Mathematicam prouocari deberent. Hic mos antiquorum, hæc præcepta Platonis, Aristotelis, Galeni. Sic veteres illi profecerunt. Nonne dixit Hippocrates: [Vita breuis, ars verò longa?] Iuerit Plato in Ægyptum, nouæ doctrinæ comparandæ causa: non ostendes verbum in toto Platone Ægyptiacum. Nec erant libri Græcis à barbara sapientia: at nunc, cum transtulerint etiam fabulas, non erimus contenti duabus linguis, cùm maioribus vnica satisfecerit? Esto contentus, vel libris, vel linguæ peritia, vel doctrinæ cognitione: non imitemur hydropicos, qui cùm ventrem habeant humore plenum, sitiunt tamen in dies magis: sint Græcæ litteræ emolumento Grammaticis, illustribus viris ornamento. In Paulo tertio eruditionem suspiciebamus, in Leone decimo musicæ peritiam admirabamur, in rustico resistemus, in medicis despicimus. Modus tamen & modestia vnamquamque rem efficit decentem, honestam, & laudabilem. Horatius:

Græcis ingenium; Græcis dedit ore rotundo
Musa loqui.

Sed aliud longè est pulchrè nugari, & rectè agere: quinimmo ambo præstare nemo facilè potest. Propterea ne malè quidem egerunt ciues Mediolanenses, qui munus hoc in nobiles tantum transtulêre. Quod, vt inquit Aristoteles, Notabilitas à maiorum virtute cùm ortum habeat, verisimile est descendentes eis assimilari. Hoc autem duntaxat obseruandum in his artibus, ac negotiationibus, quæ deteriores faciunt homines, è quibus ex confesso est medicina, vt Conciliator ait. Meritò igitur potentes plectuntur, qui in eruditis fauent. Id verò accidit, quòd quilibet maiora, & citò, & cum voluptate quærit potiùs, quàm contraria iis. Nebulones autem hæc omnia pollicentur, & vt ait Poëta:

Nobilitas à maiorum virtute ortum habet.

Promissis diues quilibet esse potest.

Sustinet morituros in spe, donec intereant, cùm hora adest, aduocant collusorem, qui omnia laudet, imò extollat, ita demiror de Galeno, qui Thessalum accuset, quòd sex mensibus polliceretur docere medicinam, cùm nostro tempore vna linea tota scribi possit.

Blanditiis primò, tum pòst spe certa salutis, inde collusore strenuo. Hanc electionem fouent ipsi eruditi contumacia, indignatione, nimio amore studiorum, neglectu omnium, vt in responsis imprudentes, in ornatu incompti, in actionibus inepti videantur. Ergo mihi iam nunc accidit, quod Comensi cuidam venandi studiis nimis auido, qui dum capream sectatur, inter montes ei venit, vt nulla arte inde retrahi posset, frigoreque & fame interierit: sic mihi vt medicorum turbam irritauerim, confusionémque negotio intulerim, ex qua non facilè possum me seruato pudore explicare, præsertim quòd de illis non conqueri, sed ornatus beneficiis eos laudare tenear. At ego solùm id Centauro offeram, odi illos, cùm possint communi cõmodo bene habere malint ob pertinaciam quandam non minus sibi ipsis, quàm aliis malè consulere. Itaque duo aliàs præsidia contra hanc labem docui, ne quis admittatur ad hanc artem, nisi Mathematicorum fuerit valde peritus. Voco Mathematicos, Geometriam, Arithmeticam, & notitiam cursus astrorum, (non genethliacos, cæterasque minùs constantes futuri cognoscendi artes) Ingenerant enim veritatis amorem adeò firmum, vt qui profitentur illas, mentiri nesciant. Alterum, vt ne cui præmia numerentur, nisi qui ægrum seruauerit. At dices, durum, iniustum, & incommodum publicæ vtilitati: sed ea optima est quæ pluribus longè vtilior est, quàm damnosa: item quæ exemplo incitat alios ad rectè agendum, demum quæ processu temporum vtilior euadit, cuiusmodi hæc est. At nunc tertium subiungam, scilicet vt non verbis imperando, sed manibus tractando. Chirurgorum more, ægros curent, medicamenta secum deferant. Primum quidem apud illos peritus ab ignauo experimento dignosceretur, non fallax pharmacopola turbaret opus, non verbis locus esset: hæc tria auxilia à veteri medicina deprompta sunt, & Hippocratis. Iac Galeni etiam testimonio confirmata, ita Ægineta & Oribasius eam exercuere, & apud Arabes Albucasis, & Rasis est Auenzoar: sic disciplina dignitatem, artifices authoritatem, præstantes viri locum suũ retinuerunt. Paciscebantur etiam antiquo tempore cum ægris de pretio, vt diligentiam ipsi, ægri spem de eis augerent. Graue crimen ob tam paucorum hominum factionem, tot innoxios & bonos pœnas extremas dare, patres filiis, fratres fratribus, maritos coniugibus, pupillos parentibus, respublicas defensoribus spoliari, atque in simul vnumquemque vt magis ornamento est atque decori mortalium generi, per incuriam & improborum scelus nobis eripi. Quin quòd etiam Galenus dolet vicem ægrorum, osten

Nota.

Quis ad hanc artem admitti debeat.

Vt in Parangeliis.

ostentationem medicorum infelices progressus modò rogat Dei auxilium, modò desperat contra tantam nebulonum copiam deplorat sortem, narrat historias, fletum discipulorum, pœnitentiamque illorum. His rationibus disciplinam admirabilem in contemptum deduxere: ex vtilissima, damnosam, ex pia & officiosissima, bonis plena exemplis, honesta, decora effecêre detestabilem, malorum & miseriarum fontem, falsorum professorum qui se illius titulo vendicarunt ingressu cum ornatu decoro, comitatu splendido. Audi Historiam breuem. Erat medicus Mediolani, qui vt imponeret ciuibus medicis, implebat ægros vsque ad guttur, vt nemo euaderet, curabat nobilem quendam, & admonitus sæpè à quodam medico amico meo, vt modum aliquem tantæ repletioni poneret, non paruit, sed irrisit, paulò pòst cùm videret illum efflare animam, conuenit medicum à quo monitus fuerat dicens: Ecce nunc est occasio in qua cuperem te mihi socium habere, & ego libenter, imo liberè illum tibi concessurus sum, vt possis vt velis curare. Tum amicus meus inquit: Vt scilicet quem tu peremisti, videatur à me sepultus. Dicebat ergo si recepissem, & nutriuissem, socium volebat homicidij, si subtraxissem, necis mihi causam imponere. Ergo hæc sunt miranda huius artis exempla, inclyti artifices, successus perniciosi, mirabilis stupor, sed vnde oriatur, pauci norunt. Quid ergo mirum? ô nimis ambitiosi, frustrà obiiciunt, quid proficiam? cur ab initio non patiuntur vocari, an timent quod ego LXXV. annorum per Vrbem cursitem? in curando tota vis est in prima die, vt serues in continua obseruatione, & hæc gloria est, dicetis quis tu, nunquam ne erras: forsan non. Herophilus cùm nihil se scire testatus esset, multò melius (quanquam prior etiam teste Vesalio Anatomiam tradidit) quàm cum tot scientiis Galenus. Surgimus inflati, erramus inscij, profitemur quæ non didicimus, dumque de plurimus gloriamur, tantò in pluribus nos fallimus, alios euertimus nostris erroribus: hæc est misera scientia mortalium, vmbra vana. Quæritis an cum iis sciamus aliqua: an Mathematica prorsus inanis sit, an simus omninò Pyrrhonici? non, absit: sed faber lignarius arcam meliùs conficit, quia scientiæ expers sensibus vtitur, & ratione ac iudicio eorum, dum mentem non diuidit.

Historiam nota.

Curandi vis in prima die.

Misera mortalium scientia.

Pluribus intentus minor est ad singula sensus.

Dum non confidit in vanis disciplinis, neque tumultuatur in verbis, neque ambitione stringitur, & cogitur, veritas illi brachium est, & meta sensus, experientia iudicium. Sic nos sensibus & rationi firmè innitentes, artem sanitatis Deo dante non falsa sapientiæ professione aggrediemur. Medicum autem eligemus ministrum naturæ, & moribus probum, quod ex familiis à quibus ortum ducit, atque maioribus coniectaberis, tum vitæ illius historia, planè veritatis amatorem, contemptorem quasi honoris & diurni quæstus, paucorum verborum studiosum, humanum, prudentem, vitæ admodum frugalis, boni iudicij, gratum, misericordem, ætatis vltra quadragesimum annum, qui rem vt se habet doctrinarum sciat, in opere fortunatum, & minimè auarum, nec parata medicamenta in officinis tenentem, cum pharmacopolis participantem: atque ab illis maximè caueas, qui se nouam artem medicam fingunt, atque adinuenisse profitentur, imo spretis diuini Hippocratis, atque aliorum veterum medicorum dogmatibus, suo Marte medentur, & quicquid eis in mentem venit, absque alia ratione ac methodo exequuntur in perniciem humani generis, nec parum damnanda est illorum arrogantia, qui falsa scientiæ professione freti, contra Hippocratem omnium medicorum absque controuersia principem, scribere audent, eiusq; Aphorismos, in quibus diuina illa oracula & aurea dicta continentur, verbis corripere student, more grammaticorum, nec vllam etiam diætandi rationem seruant, modò ægrotantes nimio cibo iugulantes, modò oua, carnes, & vinum etiam in febribus acutis exhibentes, vt mulierculis, aliisque assistentibus placeant, blandianturve, solum sibi præ oculis lucrum ponentes: modò nimia inedia interficientes: tanta est istorum imperitia. At dices, cur aliqui in horum manibus ita malè curati euadunt: illos me hercle Dei beneficio, non medici malè medentis opera, in pristinam sanitatem fuisse restitutos, existimandum est.

Optimi medici electio.

A quo medico cauendum sit.

CAPVT III.

De prandio, & cœna, & de exemplo dictorum, & quantum faciat modus in vnaquaque re.

IAm verò ne videamur potiùs velle construere dogma, & disputare, quàm humano generi consulere, iam diu factitata est contentio, ac quæstio, & valde celebris vsque ad iurgia adeò acriter, an prandium conueniat esse maius cœna? Hoc primum exponetur tam vtile mortalibus, quàm authoribus esse videtur, cùm tamen non multum boni in se cõtineat, nam primum quæritur à vobis clari viri, an alterutrũ sit verum? Si vnũ verum est, alterũ est falsum, & qui falsum tuetur, si ipsũ sequantur plures, magnum hominum generi damnum affert, si etiam pauciores, sed huic igoscamus, est enim humanum errare, & in multis & in maximis: sed hîc præter id etiam in errore velle gloriari, amicis velle nocere, id etiam grauius est: sed grauissimum, atque intolerandum, velle finem assequi, qui nullus est, nam omnibus velle conuenire prandium cœna plenius, absurdissimum est, cùm aliqui & multi nullo modo pranderent, vt etiam tempore Romanorum: quod & Homerus, & Martialis longa testatur serie verborum in eo epigrammate:

Prima salutantes atque altera detinet hora.
Exercet raucos tertia Causidicos.
In quintam varios extendit Roma labores.
Sexta quies lassis, septima finis erit.
Imperat extructos frangere nona toros.

Antiquo tempore postmodum qui luxuriosè

tiosè viuebant, cœnam trahebant ferè ad mediam noctem: erant enim magni comedones, atque bibones, qui modesti, decima vacabant aliis negotiis: vnde subiicit,

Hora libellorum decima est Eupheme meorum.

Nec ampliùs vsque ad eandem diem sumebant cibum, vt lurcones, ab octaua noctis ientaculum sumebant, vt Satyricus,

Nota.

Exul ab octaua Marius bibit.

Fuit enim magnus comestor, & bibax, cùm rusticus esset, nec quicquam boni nisi sæuitia, ambitioque immensa in auaritiam ordinata, quæ postmodum in gulæ luxuriam. Ergo ad propositum non omnibus prandere expedit, & hoc clarè Hippocrates in libro de Victu in acutis docet. Sed reuertamur ad rem. Verùm ô generosè putas ne seriò, expepedire omnibus cœnam prandio copiosiorem (nam de prandio nimis fortes insultus; si non esset aliud, infantes ventriculo valde læsi, atque imbecilles, quique cursitare per totam Vrbem coguntur, te admonere poterunt) si affirmas, iam ostendam non esse verum, si negas, quare vis tueri quod falsum esse non ignoras in perniciem humani generis, in mortem amicorum, prodendo etiam illos, qui tibi fidunt? At cùm neutra pars possit esse vera generaliter, cur generaliter quæstionem introducis amabo ob inanem gloriam? Neque vos latet primùm quòd habenda est ratio consuetudinis, longitudinis interualli, vtrorumque negotiorum agitandorum, & aliorum quæ visa sunt, animaduersaque antè ab antiquis. Venio ad ea quæ illi non attigerunt, de discrimine facultatis vomendi prãdium faciliùs, quàm cœnam, & illud prætereo, an dubitatis, si quis rutam edere velit de veneno solicitus, tutiùs & minore noxa non facturus sit in prandio, non in cœna? Idem de cæpa, de vino potenti ac multo, nam cùm in die os pateat, calorque diei auocet, & homo sibi faueat, quin minus lædatur ex prandio, quàm ex cœna) omitto modò nimis sæuam necessitatem cursitandi per Vrbem) cùm in cœna tetri illi vapores, acres, torridi, amari, semiputridi, aut etiam putridi, maligni, fœcales, venenosi, quales fungorum, atque alliorum putrescentium à viru tractorum, attracti à iecore, caput petentes remissi per asperam arteriam in pulmones, noxam in his quatuor membris (dico iterum iecur, cerebrum, pulmones ac ventriculum) irreparabilem non gignunt, laborabis ex eo tribus mensibus, primùm inde oborta febricula, ex eo tanquam ex pomo quod fortuitò ederis, mortis nomen, pomum, & multa alia innoxia & calumniã habebit, nec prætercam, sed suo loco dicetur, quòd in eiusmodi accusatis Galeno teste cucumeres, & pepones, & fructus nonnulli alij continentur, sed hoc locum hîc non habet. Quis ergo tam impurus est qui hæc non videat, tam stolidus qui contemnet? At contrà, edere propositum est ciuiliter ptisanam, auiculas, & acetarium ex radice hieracij, & borraginis (quanquam hîc non ignorem rursus cum pædagogis excitandam pugnam, neque magis Galeni aut verba intelligunt, quàm lyræ sonum asinus, etsi ad modos saltare videtur, quemadmodum referunt de Ægyptiis Cain) tum vino mediocri diluto, cum semipyro assato, & de omnibus copiosè meliùs habiturum, & ad robur, & ad bonum habitum, & hilaritatem, & somnum, ac cibi prandij appetentiam, quàm eiusmodi cibis vesceretur in prandio, cœnam autem exilem faceret, aut non cœnaret, vel grauiorem faceret? Nonne ergo melius fuisset instituere quæstionem, quæ cuique magis expedirent in prandio, & quæ in cœna? & quomodo & de ordine ciborum, ac præparatione, inde collectum per exemplum de singulorum victu, similiter in confesso est styracem somnum prouocare, & siccam tamen esse. Princeps enim quamvis tria illa faciat capita, tamen in singulis calidam & siccam esse affirmat, Græci calidam esse referunt, non audent siccam, an humidam appellare. Quomodo si sicca, somnum & potenter prouocat? Quæ quæstio de innumeris quoque aliis est: vt Iride, aloe, amomo. Sed dices Græcos non affirmare? nunquid nil interest, aut vel parùm, hoc scire? Nunquid idem est somnus qui à sicco, & qui ab humido, & ita de emollientibus, dispeream, si non melius sit nescire, quàm scire. Ecce videtis in minimis, ac quæ sensui ipsi sunt manifesta, quantum intersit scientia per causas, & diligentia ac peritia in actione: effectus enim à natura semper iidem manent, & causæ duplices sunt, & aliæ mutantur in nobis, & has disponit medicus; aliæ in potestate aliarum causarum, & de his medicus non potest disponere, & sunt ancipites, fauent quandoque, quandoque impediunt, sed hæc in potentibus sunt rariores, igitur causarum fortuitarum obiectum non officit huic de optimo medico disquisitioni: solùm ergo meditetur hæc quatuor præcepta. Sed primum est commune omnibus humanis actionibus, cum duobus sequentibus, scilicet quòd omnia hæc mortalia sunt vana, idque non debet propalari: esset enim præter propositum, & malam opinionem de se posset in hominum mentibus ingenerare. Secundum, quòd vita humana est similis reti, composita scilicet ex vaculis sæpiùs iteratis, & penè similibus, nisi quòd aliæ sunt integræ, aliæ fractæ. Tertium, quòd omnium quæ eueniũt hominibus ab initio, sunt velut ortus plantarum, exiguus & imbecillis, & ideò semper, sed maximè tamen, id est, à principio debere hominem omni studio, diligentia, sedulitate, industria, non solùm animo, sed opere, & corporea etiam actione illi incumbere. Quartum est proprium medico, ideo maximè ad illum pertinet, & vt ei operam det, quoniam ea quæ sunt circa ægrum, in tria genera diuiduntur, in illa quæ ad artem pertinent: & hæc sunt duplicia, alia quæ sunt in naturæ potestate, & ista sufficit scire, alia quæ sunt in nostra potestate, & ista debet non solùm scire, sed præstare, alia in accidentium euentu, nec ista conuenit negligere, sed sufficit vt rectè coiectemur. Multùm autem necessaria diligentia etiam in minimis, cùm haud obscurum sit ex illis maxima deriuari, & industria hominis supplet non solùm instrumentis quæ parantur, verùm ostendit curam superfluam illorum parandorum, cùm absque eis actio etiam meliùs

Nota.

431. 600. & 603.

Quatuor præcepta in actionibus meditanda.

Tria ad artem medicam spectantia.

Diligentia in minimis etiã necessaria.

 perficiatur,

perficiatur. Miraris, & dices, quomodo quòd tam diligens & expertus sit artifex, vt semper optimè operetur, quod cum tot illis instrumentis, alter efficere non potest, vt in scribendo multis ex partibus apparet, primùm in notis, pennarum diuisione, & moderatione, in tradendo pumicè leui, & candido minuto, & celeritate manus & leuitate in reponendo ne dispergatur, affricatione ad partem eandem cum charta candida, & molli, in restituendo litteras modico atramento, & sensim, & constanter, sed in hoc plus virium est in opere, sicut & in multis aliis huiusmodi actionibus apparet. Vt verò iam in cœptum sermonem tandem absoluamus, ne à nobis propositam, & à multis (vt diximus) agitatam quæstionem, ita imperfectam derelinquamus: quamvis enim eius finis nullus sit, per se ac simpliciter consideratus, comparatè tamen constat assequi posse, & ad modum necessarius erit, vt nos probare intendimus. Cùm namque natura hunc sibi scopum constituisse videatur, vt quisque per totum eius vitæ decursum nutrimento indigeat, vt exhalatam assiduis fluoribus substantiam reficiat, atque corpus continuò alat, foueatque (euaporato enim assiduè corporum nutrimento per insensibilem transpirationem ex sententia Galeni, nisi continuò, loco difflati, aliud suggeratur, quo corporis sedes repleantur, breui corpora viribus propriis & facultatibus destituta, cùm ampliùs sustentari nequeant, concidunt, atque collapsa pereunt) idcirco sagax natura facultatem conseruandi ei præbuit ventriculique os constituit, vt facta ab extimo corporis habitu suctione quadam vellicetur, ac ad se alimentum rapiat: cùm etenim ita vellicari, sugíque sentiat eius animalis facultatis potentia, neruosis illis partibus innata, nec molestiam eam ferens, subsidium sibi ab alimenti ingestione petit, quod confectum postea in reliquas corporis partes distribuatur. Verùm si in cibi, potusque assumptione: nullus seruetur ordo, nullaq; eorundem qualitatis, quantitatisve, atque temporis, diligentia adhibeatur, nemini dubium esse reor, quòd qui in his aberrabit, manifestum inde reportabit detrimentum, sicuti optimé docet Galenus in libro de natura humana, nec non & quinto, & sexto de tuenda sanitate, & multis aliis in locis, nec in eo disputandum arbitror, imo potiùs ratio inquirenda, ac modus indagandus, quo quisque ab huiusmodi erroribus se vendicare possit, habita consideratione ætatis, temperamenti, consuetudinis, & huiusmodi, vt infrà patebit. Cùm itaque eadem die bis capiendi cibum ab omnibus ferè gentibus rectè constitutus sit vsus, atque à celeberrimis tam Græcorum, quàm Latinorum medicis approbatus quos constat de prandio & cœna sæpè in suis scriptis sermonem habuisse, imo dixit Hippocrates: [Semel tantùm in die cibum assumere, corpus emaciat, siccat, & aluum sistit.] Ideo meritò quæri videtur, nunquid sanis cœna prandio vberior esse conueniat? & quamvis circa hoc complures inter se cōtendant, nos tamen, ne in re tam clara tempus conteramus, eam breuiter absoluemus, & præsertim cùm constet, communem tam Hippocratis ac Galeni, quàm aliorum illustrium doctorum sententiam esse, quòd prandio cœna vberior esse debeat, licet non desint qui potiùs Hippocrati & Galeno contradicendi causa, quàm humano generi consulendi, oppositum probare nituntur: dicentes, prandium cœnâ copiosius esse debere, eò quia in nocte & somno calor innatus in concoquendis humoribus crudis totus intentus est, quare si plus sibi in cœna assumātur, retrahitur calor ab eius operatione & humorum crudorum concoctione, cùm non possit duo vnà facere, cibum videlicet, & humores crudos concoquere. Quæ ratio quàm absurda, & à veritate aliena, vnusquisque, & si mediocriter in Hippocratis & Galeni doctrina versatus, cognoscere poterit: qui volunt Prima Aphorismorum, quod hyeme, ac in somnis longissimis, tanta fiat ad intra caloris innati copia, vt per eam dum ventriculi, sed iecoris quoque ac venarum concoctio, & totius corporis nutricatio, & omnium excrementorum vacuatiō, longè meliùs administrentur. Inquit enim Galenus: [Quòd autem omnia bene hyberno tempore in corpore animalis administrentur, indicio sunt naturæ opera fortiora: nam cibi in ventriculo concoquuntur, quoniam calor innatus plurimus est; & in somnis longioribus superfluitates expurgantur.] Subiungit quoque, [quòd somni longissimi fiunt ob noctium longitudinem, quod & non parum confert ad naturales operationes, ob hoc igitur, & concoctiones, & sanguificationes, & nutritiones his temporibus sunt pleniores.] Merum igitur fuit horum somnium, quod & clariùs ostendit Hippocrates in sextum de Morbis Vulgaribus, qui habet: [Euidenter vigilans calidior exterius, interius autem frigidior dormiens è contrario,] supra quam particulam Galenus inquit: [Id nempe ex eo apparet, quòd dormientes compluribus stragulis, ac vestibus, tum etiam capitis egent tegumento, si frigidus, vt hyberno tempore quo circumfunditur, sit aër, vt qui interdiu vigilantes hæc non requirunt. Quin etiam maior respiratio plus caloris in penetralibus corporis collectum esse testatur: perinde & concoctiones in dormientibus efficaciùs, quàm in vigilantibus fieri, non solùm in ventriculo comestorum ciborum, verùm etiam humorum in iecore, & venis corporis. Et sic abditas sedes in dormientibus calidiores effici signum est, cùm à nobis concessum & suprà ostensum sit ingenitum calorem omnium in corpore concoctionum præcipuum esse opificem.] Isti ergo non leuiter mea quidem sententia aberrant, quod & Hippocratis omnium medicorum consensu facilè principis sententia patet, quarto Acutorum, qui cœnam prandio præfert, nec non & Galenus tot in locis allegatis, & etiā in libro de Dissolutione continui: vbi reddens rationem, cur antiqui cœnam prandio præferebant, inquit: [Melior horarum in accipiendo cibum est hora frigiditatis, propter aggregationem caloris innati in interioribus corporis sed hora caliditatis oportet quòd dimittatur acceptio cibi, quia caliditas aëris attrahit calorem naturalem ad exteriora

Nota.

Naturæ scopus in corporis conseruatione.

Sect. 2.

2. Acutor. iuxta finem An cœna prādio vberior esse conueniat.

15.

Hyberno tempore naturæ opera fortiora.

Com 4. Sect. 14.

Hora accipiendi cibum quænam melior.

riora corporis, & euacuatur ab interioribus, & debilitatur calor in interioribus corporis ob indigestionem, & propter hoc est, quòd antiqui præferebant cœnam prandio, præcipientes quòd sumeretur plus in cœna, propter aggregationem caloris in interiora corporis frigiditate noctis, & somno, quia calor innatus in somno reuocatur.] Patet igitur, quòd tempus quo in primis concoctio per cunctas vniuersi corporis particulas adiuuatur est nocturnum, propterea quòd somnus conciliatur, qui & potissimùm à natura institutus est pro reficiendis, refocillandisque dilapsis, ac diurno labore dissipatis spiritibus, & eo magis, quia dũ ociosa quiescit animalis facultas, maximè suum exercent opus vitalis & naturalis, & præsertim naturalis hæc. Addas etiam quòd inter prandium & cœnam interuenire solent octo duntaxat horæ, sexdecim verò inter cœnam & prandium succedens, & cùm natura plus otij habuerit, rationi consentaneum est, vt non solùm cibum perfectiùs conficiat, verùm etiam ventriculum puriorem & à cruditatibus liberum reddat. Sed si nimirum, plusquam excoquere in cœnæ vsque tempus valeat, ventriculus exoneretur, ac nouus ingeratur cibus, cruditatibus ipsum repleri nulli dubium est, ex quibus obstructiones, febres, inflammationes, abscessus, & multa alia huiusmodi ortum habere solent. Et ideo dicebat Galenus: [Crudo crudum addere quid deterius?] Excipiuntur tamen pueri qui crescunt, & plurimum caloris habent, qui calor cum fundatus sit in substantia aërea & aquea, humida nempe & calida, facillimè defluit: idcirco necessarium est, vt sæpè comedant, quoniam oportet defluxum similem esse subiectæ substantiæ. Vbi enim id quod defluit, plurimum est, quod verò influit, paucum, necesse est subiectam corrumpi substantiam: inquit enim Hippocrates Prima Aphorismorum, [Qui crescunt, quia calidam & humidam habent substantiam, idcirco plurimum ab ipsis defluere necessarium est, & ob id plurimo egent alimento, alioquin corpus absumitur.] Oportet namque alimentum, quod effluxit è corpore, suppleatur. De his ergo non loquimur, nec etiam de quibusdam aliis, qui naturâ admodum biliosi sunt, qui cùm plurima abundent bile, multa in eis fit resolutio, atque cùm ea in ventriculo congregetur, cogit pluries in die cibum assumere, alioquin sæuissima incurrunt symptomata, quia bilis accenditur, & dum efferuescit, petit os ventriculi, & dolores vehementes facit, quia pars admodum sensibilis est, & syncope inducitur, si bilis multiplicetur, & famis toleretur, & sæpè etiam deiicitur appetitus, & cibus postea cùm assumitur, in ventriculo corrumpitur ob bilis admistionem, & multa alia incurrunt accidentia, quæ connumerat Galenus secundo Acutorum, necnõ & Princeps. Ideo tales pluries in die cibum assumere, & ante balneum, & frictiones, & exercitum coacti sunt, nec regulam seruare possunt. Sed ad propositum redeamus, & quoniam probauimus cœnam prandio copiosiorem esse debere, ideo videamus nunquid omnibus conducat, & plus cibi in cœna assumere, quàm in prandio: & quamvis verba Galeni hoc testari videantur, secundo Methodum inquit. [Somnus concoquit, vigiliæ digerunt,] vt per somnum noctis, alimentum in cœna assumptum concoquatur, quod concoctum postea in die possit distribui per vniuersum corpus, & à qualibet particula sibi proprium attrahi, atque assimilari, nihilominus habenda est ratio eorum, qui per longum tempus aliqua in consuetudine sunt constituti. Cùm etenim consuetudo sit altera ascititia natura, ex consensu omnium antiquorum, ideo non sine maximo corporis detrimento ea permutari poterit, & præsertim repentè, velut clarè descripsit Hippocrates secundo Acutorum: [Nempe tum iis qui semel, noxas & infirmitatem pariunt repentinæ mutationes: qui enim prandere non consueuerunt, & prandent, statim infirmi fiunt, & eorum corpora grauia, imbecillia, &c. Et si super cœnauerint, acidum ructant, alui læuitas eos exercet, ventriculus nempè præter consuetudinem grauatur solitus resiccari, & non bis tumescere, nec bis eadem die cibos concoquere.] Et paulò infrà subiungit: [Qui bis in die cibum capere soliti sunt, si pransi non fuerint, debiles & infirmi fiunt, & ad omne opus timidi, viscera enim ipsis pendere videntur, & alui egestio comburitur.] Et multa alia enumerat incommoda, quæ ex repentina mutatione consuetudinis oriri possunt. Quod idem Galenus in libro de Dissolutione continui affirmat, dum inquit, [Etiam consuetudo in eis addit magnam partem quoniam qui consueuit prandere, & remouetur, & est contentus cœna, magnificat nocumentum sibi, & qui consueti sunt cibum in aliqua hora determinata assumere, & mutatur ad aliam præter istam horam, declarabitur sibi hæc permutatio nocua, licet mutauerit cibum ab horis malis ad horas bonas. Mutationes ergo eorum quæ circa naturas nostras & habitus contingunt, maximè morbos faciunt. Et propterea nemo debet immutare consuetudinem, quando est antiquata, & longa, etsi bona non sit, dummodo non adducatur aliquid necessitatis ad mutationem suam: nam consuetudo est natura secunda, sicuti memorat sapiens Hippocrates.] Hæc Galenus. Ex quibus manifestè apparet, omnes repentinas ad inconsueta permutationes maximam sanis læsionem afferre: de ægris enim alia est ratio. In rebus ergo naturalibus suam quisque seruare debet consuetudinem, si longa fuerit. Dicebat namque Hippocrates secunda Aphorismorum: [Quæ longo tempore consueta sunt, etsi deteriora sint, insuetis tamen minùs molesta re solent.] Pulcherrimamque super his Galenus adducit rationem tam in cibis & potibus, quàm aëre, nam de cibis inquit: [Cùm ex his fiat habitus, acquiraturque similis illis natura, cùm longo tempore perseuerauerint, fiet etiam habitus ille similis nutrimento futuro, quare faciliter concoquetur, nil aliud enim est concoctio, nisi assimilatio: & quæ assimilata sunt, iam magna ex parte facillimè transmutantur, ideo familiaria meliùs concoquuntur, eaque causa panis optimum præbet alimentum. In aëre etiam frigidus

Calor in somno reuocatur. Somni effectus.

Ventriculi obstructiones quæ mala pariant.

Cur biliosi inediam non ferant.

Sect. 19.

3. Pri. Doc. 2. cap. 7.

Cap. 3.

Consuetudo altera natura.

Iuxta medic.

50.

Concoctio est assimilatio.

dus densat cutim,& ita à frigore minus offenditur, calidus verò aperit poros & meatus, vnde meliùs difflatur calor minusque æstuat homo.] Vnum tamen animaduertendum est,quod Hippocrates loco præallegato videtur velle, quòd quandoque liceat ad insueta permutari: quòd nonnulli perperam hunc locum interpretantes,dicunt,duplicem esse consuetudinem, alteram diuturnam & longo vsu acquisitam, alteram recentem, & nondum in corpore conceptam,& hanc esse, de qua hîc Hippocrates loquitur? quod tamen hallucinantur, nec Aphorismum intelligunt:quis enim ignorat huiusmodi consuetudinem,si praua fuerit,statim permutandam esse, melioremque eligendam? voluit enim Hippocrates per ea verba nobis significare, quòd quandoque licet ad insueta permutari,nec quisquam ita se in victus regimine restringere debet,vt tantummodo cibis,& potibus,aliis rebus non naturalibus bonis, & electis,sub æquilibrio vtatur, sed aliquando debet ad insueta transire, ne adeò assueta ei inhæreant, vt cùm opus fuerit, ad aliorum vsum (nisi maximo cum discrimine) haud transcendere possit.Si enim aliquis ita se restrinxerit, vt inquit Princeps tertia primi, doc.quinta, & per viam transiens consueta non inuenerit,coactus insuetis vti,malè disponetur ab eis:quod & maximè manifestum fit in his, qui non ouis aut ferculis vtuntur, quia dum ægrotant, multum impediuntur. Insuetis ergo bonum est etiam assuescere non tamen in eis perseuerare, sed vt cùm opus fuerit,illa ferre possit. Verùm cùm longam ac sibi iam familiarem consuetudinem quis permutare coactus sit (vt plerunque contingit,& præsertim senibus semel in die comedere assuetis, qui cum vna vice tantam cibi copiam,qua corpus se reficere queat, concoquere non possint,necesse est, vt ad nouum viuendi genus se transferant, nec solùm bis, imo & ter etiam cibum in die capere cogantur)sensim,atque pedetentim ab ea permutari debet. In permutationibus enim quod plurimum existit,atque repentè,periculosum est satis: quod verò paulatim fit, tutum, & ideo dicebat Princeps loco præallegato: [Consuetudo tam in rebus naturalibus,quàm non naturalibus,est veluti natura,quæ mutationes repentinas non sustinet absque magno grauamine.] Concludendum est ergo pro conseruanda valetudine, maximam in omnibus sibi vendicate partem consuetudinem ipsam,& ideo Galenus quinto de tuenda sanitate, laudat medicos, qui longam consetudinem seruare consulunt, imo vult etiam quòd senes consuetis exerceantur laboribus, remissa tamen eorum vehementia, & si aliquo casu venerit permutanda,vt gratia exempli:si aliqua dispositionum corporis sani præter solitum permutata fuerit vt appetiua virtus fortior,aut debilior existat, vel exeuntia è corpore plura, vel pauciora sint, vel somnus longior,vel breuior, vel etiam in somnis quis fuerit, vel sudor præter solitum è corpore decurrat, vel ea quæ è corpore manare solent,retineantur,vt hæmorrohidarum,vel mensium sanguis,qui statutis diebus fluere solitus erat,vel sanguis è naribus, vel si totius corporis dissolutio, fiat, aut in ore extraneus sentiatur sapor,& tandem vbi aliquid non consuetum acciderit,& permanserit,atque augeri inceperit, quod & futuram solet denunciare ægritudinem,tunc eam sensim permutandam esse censemus, quod & colligitur à Galeno quinto de tuenda sanitate,dum de Antiocho medico loquitur,qui illæsis sensibus,membrisque omnibus integris ad extremum perdurauit,& plusquam octuaginta annos natus erat,& ter in die comedebat, licet copiosiùs in cœna:sic & Telephus Grammaticus prouectiore fuit quàm Antiochus ætate,vt qui centum ferè annos vixerit. Optimam ergo rationem vnusquisque sibi eligere debet,atque in ea diutiùs quàm potest insistere, & quamvis quotidie videamus complures adeò optima temperie præditos, quòd etsi nulla recta victus ratione seruata, longissimam tamen vitam, eamque incolumen ducant, de quibus locutus est Galenus tertio artis curandi,cùm dixit, [Et proinde videmus complures homines robustos proba victus ratione non vtentes diutissimè viuere,id quod non ad exquisitam, rectamque viuendi regulam, verùm ad optimam ipsorum sanitatem referendum esse,nec præceptore indigent victus rationem ordinante:]ab huiusmodi tamen exemplum, desumi non debet,quia & de ipsis quàm plurimos etiam, & iuuenes è vita migrasse vidimus,& qui superstites sunt à principio generationis prospera sunt valetudine præditi, & in optima temperie ac membrorum omnium structura constituti: quod non omnibus naturâ concessum est, imò & cum hoc multo vtuntur exercitio, sicuti dat exemplum Galenus de bono habitu exercitatorum illorum, quibus hoc est totius vitæ institutum:exercitationibus assiduè operam dare, vt alios deiiciant, qui mos est athletarum.De ægrotantibus,autem cùm alia sit ratio, de his agere non intendimus,cùm constet apud omnes medicos, subitam in eis & ab initio fieri mutationem, de vino nemne ad aquam,de carnibus ad prisanam, de prandio etiam ob initia accessionum ad cœnam,de quibus abundè pertractabimus in Commentariis nostris super Hippocratem de ratione victus in morbis acutis, opus quidem non minùs vtile,quàm necessarium omnibus artem medicam exercentibus.Vt ergo omnia breuiter colligamus,dicimus, vberiorem cœnam prandio præferendam esse, in omnibus tamen habita ratione ætatis, temperamenti, & consuetudinis introductæ,receptique iam fortè alicuius vsus: qui si naturæ,temperamentoque, ac constitutioni, conuenienter fuerit susceptus, in eo consistendum est,sin aliter visum fuerit, cœnæ assuetis,prandium rectiùs competere posse,consuetudo deterior in tempore sensim ac pedetentim demenda, & loco illius longè melior,ac laudabilior, omni studio ac diligentia introducenda est. Nec nobis arridet eorum opinio, qui cùm aliquem destillatione, vel quovis alio capitis affectu laborantem inueniant, nulla habita longææ consuetudinis ratione, ex insperato consulunt, vt prandium vberius accipiant, cœnam verò leuiorem,dicentes, quòd ex cibo vesperi assumpto

Ad insueta aliquando transire oportet.

Cap.1.

Quibus consuetudo mutanda sit.

Repentinæ mutationes naturæ sunt obnoxiæ. Cap 11.

Cap. 4.

Cap. 81.

1. Aphor. 3.

Consuetudo seruanda.

Medicorum error.

ſumpto multi ex ſomno gignuntur vapores, qui cùm ob cutis meatus obſtructos, extra ferri non poſſint, ſurſum eleuari, ac caput repleri neceſſe eſt. In manè autem ſi cibus aſſumatur, quia cutis meatus aperiuntur in vigilia, per quos fumi exeunt, & reſoluuntur, ideò caput non tentant. Contra quam opinionem & ſi multis mediis reſponderi poſſet, cùm tamen hîc non ſit locus diſputationis, hoc vno ſolo atque efficaci medio, eam refellere contenti erimus diffusè enim illam diſcuſſimus in quarto Contradicentium.

14. Nota.

Ideò breuiter dicimus, quòd vapores qui in nobis gignuntur, vel ſunt ſuaues, & calori noſtro naturali affines, vel flatuoſi turbidi, ac (vt ita dicam) nebuloſi: tantùm abeſt, ſi primo modo, vt caput repleant, ac lædant, quòd omnes operationes naturales adiuuant, ſomnum namque conciliant, iuxta Galeni ſententiam, tertio de locis. [Vtilis namque materia, quæ ex ſtomacho in cerebrum colligitur, quæque magis humidior, ac mediocriter calidior eſt, ſomnum conciliat, ex quo fit attractio ſpiritus vitalis, ac naturalis, à virtute regitiua pro reſtauratione eius, quod reſolutum eſt in vigiliis de ſpiritibus, & vt cibus optimè concoqui poſſit: ſi verò flatuoſi, ac nubiloſi gignantur, dubium non eſt, quin eo tempore aſſumendus ſit cibus, quo meliùs confici, ac elaborari poſſit,] Cùm enim alimentum perfectiùs fuerit concoctum, vapores ex eo eleuati tantò ſuauiores, ac natiuo calori proximiores erunt, non autem turbidi, ac nebuloſi, quales ex pituitoſis, & craſſis, atque ex humoribus ſemiconcoctis, in ventriculo exiſtentibus gignuntur, verùm cùm in ſomno (vt demonſtratum eſt) melior fiat concoctio, ideo & per conſequẽs pauciores fient flatuoſi vapores, dum tamen cibus ſuapte natura non ſit flatuoſus, & minùs replebitur caput, quod & experimento comprobatur in febrientibus, quibus ſi cibus exhibeatur febre in vigore exiſtente, acres, mordaces, fumei, & fuliginoſi vapores gignuntur, ob malam, quam facit igneus calor, concoctionem, & proinde datur cibus hora remiſſionis febris, quo tempore calor minùs igneus, & magis naturalis eſt. Vt igitur ex cibo fumei ac fuliginoſi vapores, pauciores fiant (ex quibus diſtillationes atque variæ capitis indiſpoſitiones oriri ſolent) tempus cibandi erit in veſperi, id eſt, in cœna, niſi (vt diximus) conſuetudo prohibeat, circa quod tamen vnum præcipuè animaduertendum eſt, ne ſtatim à cœna ſomno indulgeamus, quoniam tunc temporis caput vaporibus malis repleri neceſſe eſt, dum etenim cibus in ſuperiori ventriculi orificio exiſtit ac veluti innatans ſe commouet, & calor innatus ſeſe per ſomnum ad intima contrahit, maximam in eo iam innatante excitat fluctuationem, atque vniuerſi corporis æſtuationem, pluſque exhalatæ materiæ in ſuperiores partes ſemper reſilire facit. & ſic caput mirum in modum repletur, quod multorum, magnorumque ſæpè malorum eſt cauſa, ergo expectandum eſt, quoad cibus à ſuperiori ventriculi parte ad ipſius fundum deſcenderit, priuſquam aliquis cœnatus ſomno ſe committat, quod eri duarum ad minimùm horarum ſpatio, quo tempore clauſum erit ventriculi orificium, nec tanta ciborum euaporatio ad cerebrum fiet, iucundis ergo eo tempore vacandum eſt confabulationibus, & pauliſper, molliterque deambulandum, vt euitatis omnibus incommodis, ex ſomno integer abſolutæ concoctionis ſequatur vſus.

Cur ſtatim à cœna ſomno indulgere non debeamus.

Mos ſeruandus.

Quamobrem mos ille conſeruandus erit, in quo ratio, & celeberrimorum virorum authoritates nobis præeũt, quibus ſi ſubſcribat vſus, & conſuetudo honeſtiſſimorum, laudatamque imprimiſque politè ac ciuiliter ſvitam perſequentium, neque ſe nimis longo ieiunio macerantium, neque repetitis eadem die crebrioribus comeſtionibus, potionibuſque exaturantium: nil aliud vlterius pro tuenda valetudine, eaque diu incolumi conſeruanda, deſiderari excogitamus.

CAPVT V.

De generali victus ratione.

Generalis victus ratio.

Panis ac tritici optimi conditiones.

PОrrò vt inſtituamus aliquam victus generalem rationem, in nullo (vt ita dicam) ſed potiùs optimam omnibus, ea talis erit. Neceſſe eſt, vt aliquid ſit ſolidum, admodum temperatum & familiare: id ergo optimum, & proculdubio panis ſiligineus, ſeu ex tritici flore farinæ benè cribratus, fermentatus, pinſitus, coctus, recens, mollis, ſpongioſus, lenis, & æqualiter habitus, pro ratione partium, in quo cruſta, ſubcruſta, criſpatus cortex, medulla iucundus odore, ſaporeque: Hic etiam calidi & humidi temperamenti eſt, etenim ex tritico optimo confectum volo, recenti, ponderoſo, albo farina, flauo cortice, non exeſo, non madefacto priùs: nato pingui ſolo, aprico. Soli ardenti exquiſito, ſed aura liberiore ſæpius perflato, maturo. Quantum verò declinat ex temperamento, per calidum & humidum, tantum ab hominis naturâ, per frigidum, ſiccumque, in cuius oppoſito, caro, & non omnis, ſed porci campeſtris, maſculi, vnius anni, atque etiam caſtrati annui, tum pullorum, & auium grana comedentium, & ex his alæ, atque iecora, tum cerebra collocentur. Optima omnium columbi parui ſylueſtris, turturæ paulò maioris, ſed ei ſimilis, pòſt galli paui: pulli ob commodum, inde phaſiani, demum perdicis, pòſt auicularum ex eo genere candidas carnes habentium, inde hœdina, quæ nondum ſurgere deſiit, vitulini lumbi, & lactes, pòſt pedes non pro carne, ſed carneis habentur, parum nutriunt aſſata multo, & molli adipe vituli, & gallinæ, in patina vel olla ſuffocatæ, verùm pauci norunt. Pòſt piſces pelagij, & molles vt ſoleæ, paſſeres, gobij, aut ſquamoſi, velut auratæ, ex fluminibus lucij tantùm: oportet autem in piſcibus, minores beſſe relinquere, & omni aqua ſtagnante, turbulenta, ſordida, & ob id prope vrbes, à beſſe autem, ad ſexquilibram, ita tantùm, vt in ſuo genere ſint iuniores, recentes, pingues, leues carne candida, ſupra eliguntur: pro viſceribus, iecore, lactibus, ouis, partibus circa os, & oculos: at mediorum, ſi paulò maiores ſint conſtituto, viſcera, venter, & oculi: & dicta minorum, aut nimis

Nota.

Piſces boni & qui fugiendi.

mollium

mollium, dorsum, & cauda salitorum magnorum, vt etiam non salitorum mediocrium, & paruorum nullus est vsus, vt nec diu mortuorum iam, vel etiam qui viui contabuerint, seu extra aquam, seu in ea. Frixi, aut in patina, crustata: item elixi ex iure albo. Post sunt ouorum recentium vitelli, ex gallinis granis depastis, & loco liberiore, cum gallo, iunioribusque admittuntur: & quasi extra ordinem etiam anserum iecora: ob ea, quæ in Physicis retulimus, sunt omninò mollia, sunt dura: & coagulata generaliter præferenda in vsu, si Hippocrati auscultemus, exulabunt tum maximè, (quod ille etiam prætermisit) quoniam nulli alij cibo tutò permiscentur, aut iunguntur. Caseus, butyrus recens non salitus, candidus, mollis, quibus in vsu est maximè exercentibus se nulli alij cibo permistus, quinto loco admisceri potest. Vinum autem pro aqua ob vsum, sed aqua multa recipit auxilia ex ferri coctione, & his quæ illi permiscentur, vinum nihil per se melius habet aqua, nisi quòd ciborum appetentiam excitat magis, atque id generali ratione, confirmat enim os ventriculi. Illud ergo habentibus imbecille, ac consuetis, melius est, distribuit enim cibum celeriùs, licet Hippocrates aquam edacem appellet. In vniuersum nisi esset difficultas parandi aquam, in longè pluribus præferremus, vt in pueris, mulieribus, adolescentibus, malè morigeris. Ex aquis quæ pluuia est, & quæ probatur vt omnis vitij expers. Septimo loco est vua passa, sed tenui admodum cortice, & in hac quæ maior est, vt Prania, pinguis, dulcis, recens, sed si crasso sit cortice, nil peius, maximè pensilis, & in hyeme tanto deterior, quanta prior melior, ideo inter ancipitia numerari debet. Quo enim consilio hostem pessimum in fausto tempore in domum excipiemus, quem nulla arte expellere posse speramus? cortices enim illi hærebunt perpetuo, inter casulas coli intestini atque etiam orbi: Vt etiam pisorum quamvis elixatorum. Octauo loco pulegium, vt medicamentum cibale confirmat enim omnia membra, & spiritus præcipuè, dissoluit flatus, expellit atram bilem, ideoque & omnia illi similia, aut affinia: & iucundum gustu est, odoremque suauem habet, velut & Virgilianum anethum, quod adiuuat coctionem flatum excellit, dolores sedat, somnum cōciliat, & vomitum cit molliter, auxilio futurum, si quid infeliciter deuomuerit: quo in genere, sed non vt cibi, sunt ruta, & cæpa, aut pro cæpa, porrum. Et pro theriaca tetrapharmaco habes iam rutam & salem, de quo mox, pro ficu, vuam Damascenam, nux quoque in promptu est: hæc (vt dixi) modica, detergunt ventriculum, & excitant cibi appetentiam, dico velut capares, & haleculas, & mel, sed hoc mitius. Apud Galenum raphani radices videntur, sed per vomitum huic membro propriæ. Sal lapideus quem vocat sal gemma. Galenus vtitur sua hiera simplici, quæ concinnata etiam, vt temporibus nostris solet optima est huic muneri. Dico à ventriculo detergendo educit, mellis præcipuè ratione, euacuat humores crassos, propter aloëm, & confirmat, aromatum causa. Alij conficiunt catapotia ex turpetho, & gingibere, ac saccharo, ratione continuæ dupla: nam turpethum est (vt dici vulgariter solet) ventriculi scopa: ideo quidam composuēre catapocia minora, seu secunda ex eodem genere: nec displicet opinio eorum, qui sæpius elotam aloem succo trinam, aut turpethum, immiscent, vt ablatis omnibus partibus solùm educat, & non trahat. Eo modo præparabitur succus centaurij minoris, cum pipere. Laudantur diatrion pipereon valde, diacitoniten cum pipere, diaspoliticon, diacalamentum, omnia ex herbis, aut seminibus, quæ parum admodum contrita sunt, vt vim sero ventriculo reddant, vlteriùs non progrediuntur. Laudat sales Iamblichos Ætius etiam, sed quorsum? compositio laboriosa est, præcipuè ætate nostra. Verum in aceto scillicito, dicebat author tertij libri de facilè parabilibus. Huius inuentor fuit Pythagoras Samius quem ferunt CXVII. annis vixisse illius vsu, & incolumem, cùm à L. annis ipsum inceperit assumere: nil superflui generari sinit, non bilem, non flatum neque stercus, aut vrinam, sed aluum lubricam conseruat. Horumque, & aliorum, author ille periculum fecisse testatur. Eruit etiam ossibus excrementa infixa, deploratos phthisicos sanat, & comitiali morbo diuturno opitulatur, incipientem verò sanat. Ad podagras, articulorum dolores, iecoris & lienis durities, valde vtile est. Vinū autem scillinum ad pituitam dissoluendam, & per ventrem ac vrinas educendam, ventriculumque calefaciendum, vtilius etiam est aceto: nam cum hoc ipsum corroborat, caput etiam purgat prorsus, & siccat. Ante cibum binas vncias exhibeto, à cibo semunciam, quòd si iucundius efficere velis, mellis adiicito partem sextam, aut quartam, scilicet ab initio, nam post XL. diebus suspensum (in Sole scilicet) teneri vult. Quòd in Sole ostendit liber de Dinamidiis: & quoniam necessarium est, vt virtus transeat, aliter etiam putresceret, & quòd eligat dies caniculares ad hoc Sed hìc primùm est animaduertendum, quòd tanta miracula non debent mouere quemquam ad vsum huius aceti, quod ego cùm experiri vel modicè voluerim, in tenesmum me adegit, & vesicæ & intestinorum rem molestissimam, si quæ est alia, nec conuenit ventriculum habentibus sensibilem, aut imbecillem, id est tenuem, aut rarum, aut angustis vasis, aut in corpore senili, vel macilento, aut admodum bilioso. Scire necesse est etiam, quibus maximè, & per se conueniat, scilicet lienosis propriè, & ideò atræ bili, & melancholiæ, at maxima pars morborum, qui natura occidunt, ab hoc contingunt humore, cæteri aut ob compositionem interficiunt, aut effectus magnitudinem, aut imbecillitatem patientium, vel ob prauam curam. Sanabit igitur duros maximè tumores, refrigerationes, viscerum obstructiones, lentas putredines, fluxiones, & intemperies tabificas, frigidas, & hæc quæ ad eadem consequuntur. Bonum non est studiosis, Veneris vsu gaudentibus, vitam segnem agentibus, membra naturâ debilia habentibus, atque his omnibus oxymel eiusmodi melius est aceto. Inquit enim Mesues, oxymel scilliticum melius est capiti, & ventriculo, & lieni, ac pulmoni, (licet tria

Oua quæ bona.

Quibus vinum melius sit aqua.

Vua passa.

Pulegium cibale medicamentum.

Hiera simplex Galeni. 7. Art. cur.

Turpethum ventriculi scopa.

Aceti scillitici laus.

Vini scillini laus.

Quibus non conueniat acetum scillinum.

Oxymelis scillitici laus.

tria ex his tantùm communicet, alij addiderunt, quartum) & suauius est aceto, & vinum oxymelite, & melicratum magis omnibus familiare est, atque vtile. Mens autem Galeni est, (vt ad principale reuertar) vt quod est in ventriculo, aut concoquatur, si natura moram fert, nec adsit periculum maius vel expellatur vomitu, cùm in eo vna sit difficultas, vnum sit periculum, in aliis auxiliis plura, & maiora, & euidentiora, aut dimittatur solùm, sed non expellatur, aut hiera educatur, ea quæ nomen ab illo consecuta est. Quod si secus facias, pro errore sit: nondum inuenta scilicet via præparandi succū centaureæ, qui etiam aut parum, aut rarò erit necessarius, vt enim iuuet, & nihil noceat, concoctio facit, si autem concoqui non possit, palàm est vomitum minùs lædere, celeriùs opitulari, ac securiùs breuis via lata à voluntate, ab auxiliis iuuari potest: si ergo vomitu expelli non potest, præstat, aut subduci, aut minore negocio solùm ad inferna, vt natura minore labore terreatur, aut si modò educenda est extra annexam, separare à tunicis ipsis, imbibitam auellere in concauitatem, lentam dissecare in partes, crassam attenuare, demum impedire omnibus auxiliorum viis ad optimum (& cur tale, iam dictum est) recurrere oportet.

Nunc verò iam cœptum sermonem absoluamus. Deerant ad cibos duo principales, sal, & oleum, vt numerus vndicimanus expelleretur, elementorum autem quatuor miscibilium, siquidem vt declarabitur, sal ignis vicem refert, oleum, pinguis carnium, piscium, ouorum, lactis, & omnium partium eius: hoc alimur, illo, vt tali possimus, fit. Dicemus autem paulò pòst de eorum natura: nunc tantùm, vt proposito nostro conuenit. Oleum ergo fermè totum si purum sit, transit in alimentum, & optimū robur addit, mollit ventrem, omnem asperitatem tollit, visum acuit, venenis omnibus, omni pesti, omnique putredini resistit, solum ipsum rectè salso copulatur, eiusque retundit & mulcet acredinem, impinguat, bonum habitum restituit, calorem bonum præstat, fractis, ruptis auxiliatur, & omne doloris genus mulcet, & mitigat, lassitudinem tollit, cariem à lignis, à metallis æruginem prohibet, picem, resinamque separat, omne animal non legitimè natum perimit, cunctorum medicaminum vires atque odores imbuit, vetustate fit tenuius & potentius, sed eò minùs quò magis medicamentis, vtile cibis, omne mixtum oleo constat, sed maximè semen, atque ideo semina plurimum continent olei, & quæ plurimùm continent, ex eo sunt fœcunda, vt raporum, & eius generis: nuces autem omnes plurimùm continent, ponticæ auellanæ, amygdalæ, pistacia, pineæ, nuclei persicorum, chrysomelorum, cerasorum, phaseli Indici, nostrorum etiam. Semen prouocat vrinam, & laxat ventrem, & cum hoc roborat. Oleum præterea auget iecur, & cerebrum, ac medullas, ob substantiæ tenuitatem, ac densitatem. Est etiam oleum substantia tenuius adipe, indicio quòd

Olei vires.

Omne mixtū oleo constat.

Oleum adipe substātia tenuius.

Anseris marini oleum.

adeps vetustate in oleum transit, & anseres marini in vesicula oleum continent, quod & ad dolores, & ad coria (vt audiui) mollienda, vtile est, & ceracea omnia oleum mittunt, maximè quæ consenuerunt. Iam liquet igitur, quòd si adeps, consumpto aqueo, & attenuata substantia illius, ac repurgatus à fæce, transit in oleum, quòd oleum est tenuius, purius: & pinguius adipe animalium. Idque fecit naturâ rectè, quòd ob exercitationes, si purum esset pingue animalium, citiùs delassarentur, & adureretur eorum corpus, ob id in piscibus oleum genitum est, vel adeps oleo proximus: quamvis enim exerceantur, nemo tamen gloriari potest, viuum piscem ex fuga ereptum perniciosis vndis sensisse calentem. Purius ergo oleum, tenuiusque adipe, at non calidius, quoniam ex his, quæ motu carent, potissimè fit, vt dixi, seminibus & lignis plantarum: sed etiam ne si adeps purus esset, animalium corpora exurentur. Et ob id cùm vita oleo in plantis, adipe in animalibus constet, longè viuaciores sunt plantæ, vt olea, quercus, vitis, palma elephantis, camelis, serpentibus, & animalibus, quæ in aqua degunt. Et inter animalia quæ plantis vescuntur, elephas, camelus, ceruus, leone, tigride, panthera, & etiam homine. Et nostra ætate Brachmanes Indi, licet gaudeant tenuiore & meliore aëre, plus tamen nobis, & aliis viuunt, quòd neque carnibus, nec piscibus, nec vino vtuntur: Hæc enim omnia violentiam vitæ afferunt. Ergo & inter homines qui fructibus, veluti cum genere, & aqua vescuntur, longioris vitæ multo erunt, cum purius alimentum sumant. Verisimileque est, vt quemadmodum potum optimum vbique terrarum communicauit Deus aquam optimam, pluuiam scilicet, ita & cibum, qui fructibus, arundinibus, melleque constat. Oportet autem assuescere his paulatim, & non serò; qui velit beneficio hoc vti. Sed vt ad oleum reuertamur, dices si oleum non est calidius adipe, quare plus confert ad vitam? & si est purius eodem, cur non calidius? Dico quòd oleum trifariam adipi comparari in caliditate potest, vel vt facilè ardet, & sic est calidius non parum, quia purius, & tenuius, vt stipula, sed stipula densa non est, oleum autem dēsum, cùm serò absumatur: faciliùs itaq; ardet & accenditur oleum adipe, & accensum extinguitur difficiliùs, adeò vt si coneris aqua superinfusa, ad laquearia vsque flamma erūpat, quoniam calidius est. Sumptus etiam in cibo adeps, frigidior est non parum oleo, & pituitam generat, & aquosos humores, quia impurior & aqueo ac terreo refertur elemento. Extrà autem adhibitus calidior est, quia crassior, & magis terreus, exemplo Solis in æstate, quòd adeò calefacit aërem, quamvis Sole à nobis recedente in mense Iulij, & lateres calefacti quantum puluinaria, & laneæ vestes, ac pelliceæ, magis excalefaciunt pedes, quàm hæ vestes, licet multo natura frigidiores sint vestibus, vt qui creta solum & aqua constent. Ergo oleum calidius est adipe in cibis sumptum,

Cur plantæ longè viuaciores sint animalibus.

Cur brachmanes Indi plus vobis viuant.

Obiectio.

Solutio.

Adeps pituitam generat.

ideoque etiam magis vitale: est enim à calore cœlesti, separante crudum & terreum, per longam coctionem condensatum. Vtrum verò terrei quicquam obtineat, cùm mixtum perfectum sit, ad philosophos considerare pertinet: nam medicus cuius opus non videt, perinde transeat ac si non sit. Oleum ergo purum omnis terrei expers est apud medicum, ideò nec adstringit, nec refrigerat, cæteraque continet, quæ aëreo humido ascribuntur. Vinum autem à calore igneo coquitur, ob id vinosa, parum pinguia, & pinguia ac oleosa, parum vini. Vinum autem plurimum aquæ & terræ comparatione olei continet, caputque petit magis oleo. Sal autem fit ex terreo diu excocto, aliud ab igneo, & si celeriter, ob hoc duplex est, dicemus autem de naturali quod fit in terreo, crasso, diu excocto, vnde siccat, astringit, detergit, attenuat, incidit valde, & rectè copulatur pinguibus, atque oleo, fastidiumque tollit, & coctionem iuuat. Quia verò siccum acre, terreumque est omnibus modis humidum absumit, ideoque breui sitim generat. Verùm quia quod igne factum est, non adeò terreum est, sed magis aqueum, ideo hoc statim sitim gignit, aliud seriùs, sed magis contumacem, lapideus ergo qui difficillimè liquatur, & sordibus qui non exactè, neque enim totus sitim difficilem facit, & nisi potu detergeretur, inextinguibilem. Tenue autem terreum plenè siccatum, ac diu coctum, acrem gignit saporem, & cum odore bono, petit enim caput, quia leue, & non impeditur ab humido, quod paucum est, & tenue: ideò ascendit, vt etiam vinum: oleum autem, vt dictum est, non: quod si parum sit siccum, & ab immoderato calore assatum, & ipsum aroma est, si humido multo mixtum acre fit, & malè olet, vt allia, cæpæ, & similia: neque enim concoqui humidum potuit, neque absumi, propterea talia sunt alexipharmaca, piper autem & cinamomum non, nisi caliditate corruperint veneni substantiam. Sed redeo ad sales, vt cibos, nullum salsum vinosum esse potest, neque acre, quinimo si misceantur, confunditur vterque sapor: sed hoc cùm commune sit, vnumquodque tamen proprias habet causas. Salsum in terreo crasso consistit, (cùm dico terreum, non ob id dico crassum, potest enim esse tenuissimum: sed tenue refertur, ac crassum, ad substantiam moli comparatam, terreum ad substantiam, & qualitatem) quare non potest esse vinosum, quòd multo humido sociatur semper: nec acre, quod exiguo & tenui humido, at & ista contradicunt multo humido, & pauco, consistere, igitur acre vinosum & salsum simul nullo modo copulari possunt: nam paucum & tenue humidum à terreo crasso celerrimè absumetur, sed neque salsum pingui, vt declaratum est, nec vinoso pingue, vt diximus: vinosum enim igneo omni calore constat, neque simul pingue, & acre, hoc enim modico constat humido: immixti igitur sunt hi quatuor sapores, acris, salsus, vinosus, & pinguis, atque omnes hi etiam ita, vt præter pinguem cum salso vel acri mixti, se inuicem, ac mutuò corrumpant, non vt salsus, & amarus, dulcis, ac pinguis, aut insipidus, aut acidus.

Sal duplex.

Salis vires.

Cur nullum salsum vinosum sit.

Acria ab immodico calore fieri. Beneolentia & malcolentia quæ.

Porrò cùm acria ab immodico calore omnia fiant, vt etiam Galenus docuit, & à tenui humido (non enim constarent) quæcunque benè concocta sunt, benè olent, quæ non, malè, & quæcunque pauco humido sociata sunt, per se benè olent, quæ autem multo, non per se, vt piper, allium, & ignobilis cassia: impeditur enim tenue à crasso, & paucum, à multo: quare quæ tenuia sunt, & pauco humido iuncta, rarò malè olent: quomodo enim non concoquetur tenue, & paucum? Sed neque sicca valde & tenuia, adeò acria esse poterunt, indicio esse possunt, siliquastrum, rubrum, & euphorbium, & radix napelli, & allium, quæ cùm sint acertima, omnia sunt copulata abundanti humido, & crasso, quare nec alere per se, nec bene possunt, sed confusa, aut deuorata reddunt odorem & minimè iucundum, sed grauem, vt etiam referunt de lepore marino: ascribi solet pro proprio signo.

Sal quomodo ab igneo calore fiat. Sapores non nutrientes & nutrientes qui.

Salsum autem quod ab igneo calore fit, generatur, cùm humidum aduritur ex reflexo calore à terreo super humidum ipsum, propterea sal omne parum admodum nutrit, amara autem pars prorsus nihil: nam capras salices amaræ nutriunt, & Virgilius insinuat: vt tres sint sapores, qui non nutriunt, & parum nutrientibus conferant aliquid in hoc, amarus primùm, pòst acris, inde salsus: nam humilioribus & crassis alimentis moderatus conferre potest. Tres qui nutriunt maximè, dulcis, pinguis, demum insipidus. Tres alij qui nec prohibent nutritionem, nec iuuant, (nam amarum, acre, & salsum efficiunt, vt non adeò quæ nutrire parata erant, id possint, partim quòd transmutationem prohibent, partim quòd iam transmutata consumunt) astringens, sub quo austerus, acidus, & acerbus: ipsi enim per se non nutriunt, nec quæ talia sunt, aliis admixti non impediunt, nec nutriunt.

Præter humida hæc sunt, quæ excipiuntur tria talia, aqua, mucago, & succus, & omphaciorum genera: perfecta autem duo, vinum & oleum. Cùm hæc in ordine sint perfectorũ, mucagoque in seminibus oriatur, vbi & oleũ erit, mucago oleũ imperfectum aquæ admixtum nec etiam perfectè concoctum, & vt ad vina omphacium, & vt plerumque ad vsum sanitatis tuendæ parum accommodata, succi verò aggregatũ ex pluribus humidis, & pro ratione saporum (si modò expediat) explorádi. Mixtorum igitur humida, principalia & salubria duo, pingue & vinosum, seu oleum & vinum, duo sicca, salsum & acre, & vtrunque duplex, vt dictum est, pinguia verè carnes, & lac, alia huiusmodi, amplectuntur. Fit etiam à putredine salsedo alterius generis, vt in phthisicis, laterali morbo laborantibus, & empyicis: habet autem hic sapor, vt ab expuentibus sciscitari potest, alia quibus dignosci potest ex odore, atque colore, sed nil horum perpetuum, at vt in his quibus in ventriculo corruptus est cibus, pro illorum varietate diuersus, ita ab eodemmet

demmet cibo, vel in pluribus vicibus, aut vnâ sumpto, variæ differentiæ, primum à sapore, velut salsus, acris amarus (hocque iure censet Aristoteles) namque nutrire non potest putridum, amarum quoque non nutrit, ideo amarescit, quodcunque putrescit, quod in pomis citra vllum periculum experiri licet. Simile est de odore, alia enim oua putrefacta referunt, alia carnes, alia pisces, alia fructum quempiam, alia herbam, etsi nil tale iam diu ederint, vel etiam penè viderint, simile & in colore, pleraque alia euadunt, alba, fusca, viridia, absque splendore citrea mixta: qualis plerunque mortuorum color, omnibus commune est saporibus, odoribus, coloribus, horror, & abominatio, & permixtio, vix enim purum amarum inuenias putrescentibus in cibis: commune etiam est, vt qui putridis vescantur rebus, breui vel etiam repentè symptomatibus grauibus corripiantur, vomitibus intempestiuis, dolore, febre, mentis perturbatione, cordis palpitatione, conuulsione, & coloris in toto corpore permutatione, siti etiam, & ad quæ mors plerunque sequatur, sit qualiscunque corruptionis natura, seu siccorum, vt lapidum & lignorum, quæ appellatur caries, seu humidorum, quam putredinem vocamus, seu mixta. Verùm putrida ad saporem acrium accedunt ob causam superiùs dictam, vt sint veluti allium, gingiber, aut piper (quanquam venena secus vt napellus, atque ob id quod destillatione pleraque perficiuntur, & putrescentia, vt dictum est, venena sint) sed immanitate abominationis persistunt. Vitanda ergo sunt omnia quæ talia sunt, mali saporis, odoris, coloris fœdi, in quibus permixtio magna, nihil syncerum, & maximè cùm alba naturâ ad prauum colorem declinauerint, cæruleum, fuscum, liuidum, nigrum, pallidum, aut rubrum, vel contrà quæ huiusmodi sunt, in album degenerauerint, perfectè enim putrida sunt.

Putridis vescentes rebus, quibus subiiciuntur.

Signa perfectæ putredinis.

Sal naturale putredini ac veneno resistit.

Porrò sal naturale non solùm omni resistit putredini, sed etiam omni veneno, adeò vt etiam contra canis rabidi morsum in vsu sit, minùs tamen confert humano generi, quàm pinguia, & præcipuè oleum, quamvis in communiore vsu sit quàm oleum. Et multæ nationes, vt audiui, sale priuatæ in calidis regionibus, ad internecionem pereunt amisso sale, aut intercepto: nam & plurimum in aridis illis regionibus vsu eius indigent, non tam ob quotidianum victum, quàm ob conseruanda illa, quibus pro victu opus est, loco autem eius, nil propius aceto acri: & est penè similiter calidum, præsertim à vinis potentibus, attenuat, incidit, appetentiam excitat, putredinem inhibet, siccat, astringit, oculis nocet, vt etiam sal, & cerebro magis sale noxium, velut & neruis, sicut in renum & vesicæ affectibus sal deterior est, generat enim lapidem in vtrisque locis, vrinam exacuit: articulis intra & extra sal bonum est, acetum noxium ventriculo: præterea & vtero sal bonum, acetum aduersatur: acetum corrigit aërem, sal non potest. Omnibus pinguibus sal iucundè copulatur, non adeò acetum. Sal torrefacimus ad siccandas capitis fluxiones, liquescit enim & perspicuum euadit, vt tegula, & crassior, sed recta, & quadrata, superponitur doloribus ventriculi flatuosis, & plurimum confert, item intestinorum: sed oportet cauere, ne iecoris regioni, vel etiam pectoris, applicetur, neque ventriculi alia in causa admoueatur, tutiusque est priùs ac simul fouere ventriculum oleo ex sertula campana, & ex absynthio pingui. Sitim quoque sal mouet, tumque cauendus est modus administrationis. Fit autem sal ex quavis re sicca, & in cinerem redacta, oleo eiusdem proportione respondens: sed melius ex destillatione, & rursus pluribus accommodatur, vt etiam vinum, & acetum, viperinis carnibus ex pulegio, & thymo, atque aliis. Quòd verò aduersus serpentum morsus sal polleat, probat Plinius, dicens, quòd si diligenter admoueatur, venenum omne anteuertit, & enecat: & cùm esculenta per ipsum gustui ac ventriculo iucunda fiant, rationi consentaneum est etiam cordi esse gratissimum, atque hilaritatem inducere, & perinde non modò gratus, sed admodum salutaris erit, atque humano generi necessarius, cùm nulla sit hominum pars in orbe terrarum, quæ salem non valde appetat, summoque studio conquirat: eo enim tanquam instrumento ad concoquendum necessariò vtuntur, quoniam nihil est tam gustui perdifficilè, quin socio, administroque sale perfacilè fiat: imò & quam plurima sale aspersa è mari, aliisque diuersis & longinquis partibus comportantur: talia enim salita diutiùs asseruantur, ac incorrupta transmittuntur: tantaque etiam est vis atque natura salis, vt quibus admiscetur, si mortua sint, à putri corruptione tueatur, si verò viuentia, ab omni ferè morbo vindicet. Et licet per se parum nutriat, est tamen pro summo vitæ discrimine valde commodum, sicuti experimento compertum est, multos qui ardua, deserta, atque longissima subituri erant itinera, solo sale pro tutissimo viatico se esse præmunitos, cognoscentes rerum omnium condimentum, ac veluti antidotum esse pro famis ingeniosa necessitate, vt glandibus, aut herbis, siue earum radicibus, tametsi noxiis, commixto illo, tutiùs posse: sic enim crudum atque minimè stomacho insuetum cibum, sale inspergentes, gustui magis familiarem, atque nutritioni aptum reddunt. Solus etiam, si granum sub lingua contineatur, famem ac sitim compescit, quod & nunc temporis in calidissimis regionibus ferunt, ob nimium æstum vehementer siti affectos, salis modicum sub lingua continere, & triduo, atque eo plus non sitim modò, sed & integram famem depellere, causamque esse reor pituitam, quam lingua à cerebro & à ventriculo attrahit, quæ aërem respiratum humidum reddit, & famem ac sitim subinde cohibet, dummodo in exigua (vt diximus) sit quantitate, sal enim multus sitim ac difficilem facit, paucus verò non, sicuti præclarum extat Cæsaris Caroli Quinti exemplum, qui dum maximum

Salis nocumenta.

Tegula salis doloribus cōfert.

Sed ex quavis re f.

Sal à corruptione tuetur emortua.

Sal famem ac sitim compescit.

Historia Caroli Quinti.

maximum atque potentissimum exercitum ex Hispania in Africam traiiceret, vt Tunetum vrbem florentissimam, à truculentissimo Christiani nominis hoste occupatam, eriperet, Sole tunc temporis in leone existente, & accedente ad solstitialem orbem, cui ferè vrbs illa subest, salus, & læta Cæsari victoria vno die per salem obtigit, nam cùm Cæsar, debellatis primùm hostium præsidiis, vrbem obsessurus accederet, Cæsariani ardore Solis, atque infestissimo puluere, & aquæ penuria grauiùs, ardentiusque sitire cœperunt: quo animaduerso. Cæsar salem omnibus distribuere, ac vnicuique granum salis linguæ supponere iussit, quod milites facientes, non solùm sitim, famemque die integro repressere, verùm multo etiam animosiores eo affecti congiario, hostem cum innumerabilibus copiis occurrentem fugarunt, simulque è vestigio vrbem victores ac ouantes intrarunt: quibus clarè apparet quàm sal pro generali victus ratione vtilis sit, ac humano generi necessarius, & præsertim cùm cibis omnibus condiendis multum iuuamenti adferat, si debita quantitate eis addatur. Cui ignis subsequi videtur, quoniam & ipse non parum ad ea quæ ad generalem victum spectant, conducere apparet, cùm multa reperiantur opsonia, quæ ignis tantùm operam exposcunt, quæ cùm antea acida, aut austera, aut dura, esuique minimè idonea essent, vi ignis dulcia, & gustu iucunda fiunt, nec alia indigent præparatione: quorum equidem non pauca eiusmodi sunt, quæ præ ingenti suauitate, ita cum pane simpliciter comeduntur. Alia autem sunt quæ non solo igne, sed etiam artificio indigent, si præparari debeant, vt humanum genus eis commodè frui possit, quamvis non desint, qui potiùs voluptatis commendatione his intenti sint præparationibus, quàm de sanitatis tutela solliciti: quorum etsi sententiam non comptobamus, nec etiam eorum qui Diogenis more cruda, insuauia, ac penitus ingrata sibi deuoranda proponũt, quemadmodum diuinus ostēdit Hippocrates in libro de Veteri medicina ᶜ quando inquit: [Cibaria quæcunque nobis incommoda sunt, & ingesta, hominem lædunt, horum enim vnumquodque vel amarum est, & meracum, ac intemperatum, vel salsum, vel acidum, vel fortè à quibus maximè turbamur.] Eligenda est ergo ea præcipua, omniumque potissima condiendi ratio, quæ propriam alimenti suauitatem præstet, ne molesta ac ingrata sit sumenti, non vt solùm gustui gratificemur, sed quia etiam vtilia existunt. Talia enim ventriculus cum voluptate amplexatur, & faciliùs concoquit, sicuti illa, quæ displicent, refugit, & si sumantur, nauseam, vel flatus, vel fluctuationes procreant. Et ideo dixit Hippocrates Secunda Aphorismorum: [Parum deterior cibus, aut potus, suauior autem, melioribus quidem, sed minus suauibus, est præferendus.] Dixit, *parum deterior*, ad distinctionem eorum, quæ deterrima sunt, quæ etsi placeant, tamen sunt euitantada: verùm quæ parum deteriora sunt, si cum voluptate sumantur, quandoque melioribus

Ignis commoda.

Præparatio vtilis.

sunt præferenda, quoniam inquit Galenus: [Ea non solùm non deteriora manent, sed plerunque meliora redduntur.] Ignis ergo naturâ admodum efficax est, vt ea quæ insuauia, & naturæ nostræ dissimilia sunt, eadem suauia, totaque nobiscum substantia ad alendum conuenientia reddat, alia attenuando, alia frangendo, atque etiam alia emolliendo, si modus seruatur, non enim solum qualitates immutandi vim habet, sed etiam substantiam attenuandi, rectaque mensura emolliendi, & superuacanea ac inutilia absumendi: videmus enim quam plurima obsonia, quæ prorsus humano generi inutilia essent, nisi opera ignis aptissima fierent, imò inferiùs ostendemus, omnia cruda semper aliquid incommodi in se habere, quod (dummodò diligenter coquantur) ab igne tollitur. Ideo cuncta homines cocta semper comedere deberent, & cruda euitare, cùm facile sit, cibos crudos in alienam qualitatem transmutari, quæ corruptio vocatur, quod multis modis contingere potest. Vel quia cibus haud transmutatus manet, vt sunt cibaria cruda, & malè cocta, quæ tempore putrescunt in loco calido. Vel quia cibus vitiosus ipse est, & promptus vt corrumpatur, vt cæpæ, & olera plurima, & putridi cibi, carnes, frumenta, pisces, &c. Vel quia ex mala præparatione talis redditus est, vt sunt oua frixa, & quæ multis speciebus condiuntur. Vel quia corpora quæ cibum assumunt, vitioso succo sunt repleta, à quo corrumpi potest cibus, licet optimus assumatur, vt in eo patet Aphorismo: [Non pura corpora quantò magis nutries, tantò magis lædes.] Vel quia ventriculus intemperatus est, vt agat quidem in cibos, sed perperàm agat, vt si calidus sit plus iusto, vel frigidus. Vel ex malo ordine ciborum, vt quòd primò adstringentia sumpsit, vel duros cibos, vt antiquum caseum, pòst fructus, aut lac, aut pisces teneros: vel quia intempestiuè, vel quia priore nondum concocto, alium assumpsit, quæ omnia in causa sunt: vel quòd cibus prorsus immutatus permaneat, vel quòd non perfectè mutetur, vel quòd in alienam qualitatem immutetur. Verùm (vt breuiter sermonem perstringam) nihil est, quod cruditatem demere, crassitiem ac duritiem tollere, attenuare, emollire, concoquere, superuacaneaque circumcidere, & frigidiora ac humidiora emendare, & cuncta statim in melius immutare possit, quàm ignis, si rectè excogitemus. Et quamvis sæpenumerò carnes, & pisces, ac multa alia, ita sale macerentur, vt comedi possint, veluti patet de carne suilla, piscibus, & aliis huiusmodi, nisi tamen aliquo pacto vim ignis priùs præsentiant, commode edi nequeunt. Cui & subsequitur aqua, quam constat in omne quod comeditur & bibitur, ingredi, non vt nutriat, sed vt sua subtilitate ac fluxibilitate alimentum faciat penetrare per anfractus corporis, & vt præparet substantiam nutrientis, ad facilè accipiendum concoctionem, & impressionem innati caloris. Et ideo dixit Galenus in libello de Aqua [Non autem

Cibi crudi in alienam qualitatem facilè transmutantur.

Aqua commoda.

tem nutrit aqua, sed solùm est vehiculum alimenti, vt placuit Hippocrati, & Chrysippo, & Erasistrato.] Ad generale ergo victus regimen, aquam multum conferre videmus, quia molle ac fluidum reddit solidum nutriens, & ipsum attenuat, vt leuiter & citò penetrare possit per venas & foramina: nec aliter nutritio ex solido cibo compleri posset, nisi coadiuuante aqua, vel aliquo sibi proportionali liquore, vt vino, vel ceruisia, vel hydromelite, & huiusmodi: quod & affirmat Galenus, in primo de simplicium Med. facultatibus, dum inquit: [Aqua est, qua vtuntur homines omnes communiter, siue sani sint, siue infirmi, & necessitas eius est necessaria ad hoc vt remaneat vita.] Et licet dicat tertio Acutorum [Aquam totam esse tardæ penetrationis, difficilis digestionis, & difficilis descensionis, quamvis sit melior aquarum:] eo tamen loco non loquitur Galenus de aqua, quæ moderatè cibis immiscetur, vt eosdem liquidos & penetratiuos reddat, sed de aqua sola, & ieiuno stomacho sumpta, vt legenti patet. Isthæc ergo veluti condimentorum fastigia efficacissima sunt, & iure optimo pro condimentorum conuenienti vsu principatum tenentia, humano generi non parum vtilia ac necessaria sunt. Et licet quam plurima sint, quæ ad victus generalem rationem facere videantur, quæ tandem ad sex res non naturales reducuntur, ad aërem videlicet, cibum & potum, somnum & vigiliam, motum & quietem, inanitionem, & repletionem, & animi accidentia: cùm tamen de illis regula generalis adscribi non possit, ob diuersa corporum nostrorum temperamenta, iuxta Galeni sententiam quinto de tuenda sanitate, vbi habet: [Si omnes inter se similem corporis statum obtinerent, vtique tum mirandum esset aliquos iuuari, lædique ab iisdem, sed quoniam contrarij inter se sunt, multorum hominum corporis status: ratione non caret, quòd ex contrariis etiam vtilitatem percipiant. Quo magis de medicis omnibus mirari cuipiam licet, quicunque nullo priùs naturarum facto discrimine, de sanitate tuenda scribere sunt aggressi: sicuti enim fieri non potest, vt vnum colopodium ad omnes homine sutor accommodet, ita nec medicus vnam omnibus vitæ speciem, quæ conducat.] Ideo de his omnibus distinctissima faciemus capita, in quibus sigillatim de quantitate, qualitate, ordine, tempore, & ætate agemus: de consuetudine namque satis, superque dictum est, & horum omnium, quantum fieri poterit, hîc breuiter rationem in vniuersum traditam manifestam faciemus, vt declaratis his omnibus circumscriptis, ab vniuersali consideratione, quid postea cuique seiunctim ac sigillatim conueniat, ostendemus. Cuncta ergo à nobis diligenter erunt examinanda, vt præter peculiare vniuscuiusque temperamentum, quod propriam facit naturam quod & soli Æsculapio explorandum relinquimus, ea tradamus quibus diuersa diuersorum temperamenta cognoscere valeamus, & vt eis varia alimenta, provt

Cap. 5.

Nota.

opus esse videbitur, concedere, vel denegare in tempore possimus. Sunt autem alimenta, quorum qualitates adeò manifestæ sunt, vt nulla egeant dubitatione, alia verò quorum qualitates vel experimento comprobamus, vel ratione inquirimus, & horum argumenta ex sapore, odore, colore, substantia, pondere & huiusmodi ducimus, quæ etenim saporis acrimoniam, & odorem paulò vehementem nares ferientem, ruffumque colorem habent, præter alimoniam, caliditatem arguunt, rursus pondus alimenti multitudinem, & sic de reliquis, quæ & substantiæ friabilitatem, viscidatem, crassitiem, & huiusmodi habent, quæ omnia ratione & experimento confirmamus. Pro generali ergo victus regimine, illud in primis à nobis attendendum est, vt prohibeamus homines, eorum nempe humiditates à corruptione, ne calor extraneus, corporis humiditatibus dominetur, vel ab intrinseco, ob obstructiones, sicut ab extrinseco, ob superfluas caliditates, aut ambientis nos aëris humiditates, & vt tueamur humidi substantifici consumptionem, ne citò resoluatur, scilicet ante tempus à natura sibi destinatum, quod erit loco deperditi: purius quoad fieri potest, ac familiarius regimen eligere, quod in conuenientibus cibis, & potibus, quantitate scilicet, qualitate, ordine, & tempore administratis (vt diximus) consistit, pro restauratione eius quod è corpore resolutum est: & in his, quæ prohibent caloris extranei dominium, super corporis humiditates, ideo corpora nostra multis excrementis, redundantia præsertim, cauere debemus, ne æstiuis solaribus, stuphis, balneis immodicè calidis exponamus, necnõ & curis, & vehementibus solicitudinibus, ac superfluis exercitiis, nec sale plurimo vti, sed moderato (vt diximus) sicuti & iis, quæ diu in sale iacuerunt, nec multis aromatibus acutis, nec valde acribus, & calidis, nec vinis admodum potentibus, præsertim maxima in quantitate, nec immoderatis coitibus, & aliis superfluis euacuationibus, nec nimis vigiliis, & huiusmodi aliis, quæ corporis nostri humiditates extraneo calore accendere possunt, & tandem (vt vno verbo dicamus) euitandi sunt omnes excessus in sex rebus non naturalibus, vt Hippocrates docet secunda Aphorismorũ: [Non satietas, non fames, nec quicquam aliud, quod naturæ modum excesserit, bonum.] Cùm enim sanitas moderantia quædam sit, vt inquit Galenus, necesse est, immoderantias omnes, quæ plurimum à modo recesserunt, ægritudines esse, vel easdem futuras fore: quam sententiam, & Princeps Fen: tertia primi corroborauit, dum dixit: [Ars sanitatem custodiens illa est, quæ quasi perducit corpus humanum ad terminum naturalem vitæ suæ, si conuenientia seruet, id est, si præceptis ipsius artis vel artificis obedit, nocitura euitans, & mensuram seruans in quantitate, qualitate, tempore, & ordine sex rerum non naturalium.] Nec absque causa adiunxit Princeps illud, quasi volens nobis significare, quòd licet finis artis custodiendi sanitatem, sit

Corpora excrementis redundantia quæ cauere debeant.

4.
Sanitas quædam est moderantia, Cap. 1.

sit manu tenere hominem in sanitate, sæpè tamen suo frustratur fine, cùm paucissimi illum attingant, vel ob eorum negligentiam, vel medicorum imperitiam, vel ministrorum, vel quia diuertuntur à voluptatibus, aut auaritia, aut ambitione, vel defectu boni aëris, & bonorum nutrientium, quia cùm cibaria quæ assumuntur, non sint corpori nutriendo actu similia, sed alteratione indigeant, vt substantiæ humanæ actu similia fiant, iuxta illud Galeni primo de tuenda sanitate:] Et siquidem possemus tale aliquid introducere, quod simile, effluenti esset, hoc sanissimum & optimum foret, sed quia hoc est impossibile, quoniam id quod fluit ab vnoquoque membrorum, tale est naturâ, quale est membrum ipsum, à quo defluit, & nihil eorum quæ comeduntur, & bibuntur, tale est omninò, quale id quod effluxit, ideo necesse habet natura, concoquere ea, & transmutare, & præparare, & assimilare corpori quod nutritur: quare si bona non sint nutrientia, quæ à natura rectè confici non possunt, nec ea poterit assimilare, & conuertentur in prauum succum, qui exinde omnium malorum est causa.] Ex quibus omnibus, septem colligere possumus, regimine sanitatis potissimùm animaduertenda. Primò, vt naturale temperamentum, cuique indiuiduo debitum, secundum propriam ipsius naturam custodiamus, & si à sua qualitate recesserit, ad melius ipsum reducamus. Secundò, vt cibos & potus cuiusque naturæ familiares, & conuenientissimos, ad restaurationem deperditi eligamus, & sine superfluitatum multiplicatione. Tertiò, vt omnium corporis membrorum superfluitatum, euacuationes procuremus, vt loco & tempore debito fiant, secundum quod cuique conuenit: ventriculi enim splenis, & cystis fellis, per egestionem, & quandoque per vomitus suauiter prouocatos, hepatis per vrinam etiam, & per secessum, cordis, pulmonis & pectoralium per respirationem, & sputum, cerebri, per mucum, rascationem, lachrymas, sternutationes, & aurium sorditiem, venarum & aliorum membrorum per sudorem, & terrestreitates, cum eo transientes ad cutem, & per insensibilem resolutionem. Quartò, custodire membra organica in sua naturali compositione, vt in figura, numero, quantitate, positione, & colligantia. Quintò, rectificare aërem nos ambientem, cuius pars ad cor trahitur, pro ipsius refrigerio, & pars ad cerebrum pro refrigerio, & euacuatione spirituum, in quibus abundat, & etiam delatione odorum, qui per nares cum aëre tracti scandunt ad cerebrum: aër ergo, si nimis crassus & turbidus fuerit igne purificetur, si nimis frigidus, calefiat, si nimis calidus, frigidis irrorationibus refregeretur, secundum quod cuique conuenit. Sextò, custodire corpus à violentis sibi extrinsecus occurrentibus, vt ab æstuationibus aëris & Solis, à niuium, geluum, & grandinum frigoribus, ab impetu Boreæ, à malitia Austri, & tandem ab omni eo quod pungit, contundit, frangit, atque excoriat. Septimò, exercitia tam humano corpori necessaria, conuenientia, & opportuno tempore facta procurare: animi passiones contemperare, vt tristitiam, iram, gaudium, timorem, delectationem, & huiusmodi: somnus verò, & vigilia, quia sunt animæ & corpori communes, iuxta Aristotelis mentem primo de sensu & sensato, ideo inter corporeas & animales motiones connumerari possunt: debet ergo somnus proportione respondere corporis & animæ sensitiuæ quieti, vigiliæ verò motionibus corporis & animæ: quare dixit Hippocrates secunda Aphorismorum: [Somnus atque vigilia, vtraque si modum excesserit, malum.] Septem ergo hæc ad vnguem quisque seruare debet, si sanitatem conseruare cupit, præsertim cùm corpora nostra sint in continua mutatione posita, & semper ad senectutem tendant, quæ etsi euitari non possit, differri tamen poterit.

Cap 3.

Septem colligenda in regimine sanitatis.

Aër purificetur.

Exercitia humano corpori necessaria.

Cap. 1.

3. Senectus differri potest, sed non euitari.

CAPVT VI.

De emolumentis materiæ salubris.

SÆpè carnem habemus, quam, vel ob diem ieiunij, vel ob multitudinem, edere non licet. Seruari solet sale, aut non tutò tamen, aut non integro sapore, pipere, & aceto, nescio quid habet. Elixatur putrescit, aut inanis euadit, melle condiunt æstiuo tempore, non satis placet orientalium inuentum: Diuidatur in tenues bracteas, sale inspergitur modico, siccatur, vsui est in pace, & bello. Editur enim cruda quibusdam in locis, integra animalia sic præparant, à cuniculo ad bouem, modico sale inspergunt, inde in furno siccant. Ita lepores & apros seruant ad Pascha captos quadragenariæ diebus. Secundus modus est, vt in veru assetur perfectè, nec siccetur, sed assiduè pingui humido torreatur: seruatur loco frigido inter frondes myrti, aut lauri, quanto magis ergo ad paucos dies sufficiet.

Vt caro diu seruetur incorrupta. Petri Bellon par. 2. 6. & 8.

Alia seruantur in aceto, quæcunque solida compage, & licet acria, meliora tamen fiunt, quale Helenium, quod mirum in modum ventriculi vim exeitat, fœniculus, cretanus marinus, rapula etiam tenella. Alia in aqua, & sale, vt oliuæ propriè colymbades. Alia in muria, vt haleculæ, scombri in garo, quod optimum cōficitur ex illis, est autem muria, garo ignobilior. Alia in oleo, vt farcimina: quædam vncta, melius, vt casei. Omnium inditum est, diu seruari odore & gustu meliora, extraneum enim, aduentitiúmque calorem, quo maximè res corruptione periclitantes tentantur, densa, ac glutinosa eius substantia, intromitti non permittit internúmque vnà cum humore suo natiuo conseruatum retinet, non secus, ac succorum genera penè omnia. Scimus enim oleo iis superiniecto, eorum naturam custodiri integram, & ab extrinsecis illæsam. Alia in tritici farina reposita diu vendicantur, sicuti Bononienses quotidie experiuntur, qui mittunt hinc inde auiculas, quas ortolanos vulgariter appellant depilatas, vasis farina repletis reconditas. Alia etiam inter pannos lineos ab humidi substantifici resolutione tuentur, vt manna. Alia solùm appensa, vt pediculo feruefacto vuæ. Alia condita, sed priùs siccata, vt ficus: crudo melle seruantur punica.

Nota varios conseruandi modos.

Succus oleo conseruantur.

punica. Alia in palea maturescunt, velut mespila, & sorba, coquuntur in sacharo, meliusque melle, insipida, cucurbitæ, mala medica, zinziber, bellirici, chebuli, radices insipidæ, vt lactucæ, & boraginis. Iris etiam, & acriora sic præparantur, rapæ aceto, melleque, hi duo sapores sibi inuicem conueniunt, & diu seruantur, & sunt temperati. Quæcunque glutinosa sunt, vt pisces, & pedes animalium, diu cocta, & frigori exposita, mittunt, gelu, atque concrescere faciunt ius, cui addi solent ad gratiam, & salubritatem, acetum, piper, & crocus ob odorem præcipuè. Pisces frixi, sed non perfectè, pauco sale addito seruantur inter myrti folia. Piper additum piscibus frixis seruat saporem, & in acidum permutat. Gelu solum multa tuetur, & fumus, quanto magis ergo ignis sine odore malo? Oua dura diu seruantur stophis, quasi lapidescit, qui non cum concreuerit frigore, vbi humidum dissolui non potest, quomodo putrescit?

Quæ cruda edi possunt, non perfectè cocta, parum obsunt.

Quæcunque cruda edi solent, & possunt commodè, si non perfectè coquantur, parum obsunt: Vel etiam si sicca edantur, vt pruna, persica, poma pleraque, pyra non pauca, ostrea, cichorium, endiuia, lactuca, borrago, cardui, & fœniculi sine cortice non integri, pisces saliti, oua, lac, & quæ ex eo seruantur, carnes coctæ in olla, absque aqua, sed melius est inspergere salem, non exactè torrere. Alij exponunt nocte subdio, in die reponunt loco frigido, & concluso, ac sicco, corrumpuntur enim ab humido aqueo, pingue seruatur, indicio est in crure suillo: vltimum quod corrumpitur, est adeps, primum, musculi caro.

Tricuspis.

Ex hoc genere etiam est tricuspis, seu triculter, & est gladius è tribus gladiis proximis compaginatus, latis ad modum, & in speciem oblongi quadrilateri, inuicem iunctis, qui vno tractu, carnem diuidunt minutim, velut Tyrocnesti: hoc commodum, & vtile præcipuè senibus. Est autem aliud commodum, aliaque animaduersio, in conditis cum sacharo ligneis, vt coriando, cassia, quam cinamomum vocant, seminibus etiam plerisque, veluti anisi, & fœniculi, (inest enim omni semini cortex, & medulla, velut & mali medici, & aranciorum, licet non adeò in aliis tam manifestè) vt perinde sit ac si purum saccharum edatur: nam minùs esui sic condita apta fiunt, quàm antea, cùm siccata fuerint, dum conficiuntur. Vnde non sic sunt præparanda, sed antea siccanda, non nisi, vt tenuissimum in puluerem redigi possint, inde cum saccharo fiat solidum in forma coriandrorum, aut milij: ars nota nostris temporibus, non antiquo, vt reor, percipitur sapor, odor, vires integræ manent. Idem de ligno aloës, de zinzibere, & similibus, tametsi zinziber tenerum inueniatur integrum, & saccharo conditum. Eadem arte myrobalani condientur, cuiuscunque generis, deducto cortice, & ossibus, siccato modicè residuo, & in puluerê tenuissimum redacto. Et quanquam ex his teneri conditi inueniri soleant: tamen si ritè conditi essent, his viribus forent inferiores. In vniuersum etiam pomana loco frigido, & sicco, tabulis tegere oportet, cuius fenestræ ad Septentrionem patere debent, nulloque modo ad austrum: paleis quoque, aut stramentis substernuntur, raraque componuntur, ne si vnû corrumpatur, alia inficiat, Debentque colligi tempestiuè, sereno que tempore, alioqui celerius vitiantur, & aliqui sunt, qui affirmant mala & pyra millio optimè asseruari, sicut quoque optimè asseruatur rhabarbarum à seplasiariis.

Conditorum animaduersio.

Nota.

Vt pomana trueniur.

CAPVT VII.

An eadem sint auxilia salubritatis corporis & longitudinis vitæ? Et an aër sit causa consumptionis humidi innati? An maior resolutio in somno, an in vigilia?

Tres quæstiones.

CÆterùm supererant tres quæstiones, ad hoc propositum pertinentes, modò eas determinandi, quàm ipsa determinatione vtiliores, quarum Prima est: an in somno, an in vigilia maior fiat resolutio humidi innati? Secunda, an ab aëre humidum innatum resoluatur? Tertia an eadem sint auxilia salubritatis corporis & producendi vitam? Ergo secundam priùs determinemus. Aëris ingressus atque egressus cum motu est, & motus calefacit, & exsiccat: ideo aër corpora nostra exsiccat. Præterea vbi est positiuum in mortalibus, ibi etiam inuenitur comparatiuum, & superlatiuum, igitur erit aër melior, & peior, & pessimus, & optimus, quod ad vitæ spacia attinet, aut decurtanda, aut producenda. Et rursus, quod præter naturam inuenitur in his, & in eisdem etiam secundum naturam ex, erit ergo optimus & pessimus aër in hoc genere, iuxta regionum naturam. Accedit experimentum, subscribens rationi, dum videmus Garamantas vix attingere quadragesimum annum, ex confessio Indorum, plurimas regiones ad CXX. & vltra peruenire. Quod si contrà aëri rei fortuitæ consumptio tribuatur, iam in temperatis regionibus plus viuunt homines, quàm in intemperatis, quod falsum est, nam vt dictum est, in Indiæ partibus plus viuere homines constat, & omninò nostris temporibus verum est, vt nuper diximus. Et in hyperboreis etiam ad fabularum exemplum, cùm dicant apud illos, homines ad mille annorum spatium protrahi, & sanè, si non modò tantùm, adeò constante fama, saltem ad longissimam peruenire vitam. Et si vita in aëris esset potestate, sæpe, aut aliquando, homines in prima pueritia senescerent: mori quidem videntur, senescere pueros in pueritia, neque visum, neque proditum, nisi de Pigmæis fabulam admittamus, de qua in tot seculis, & nunc etiam tot penè orbe detecto, nullum testimonium habetur. Essent quoque duo principia consumptionis humidi in nobis, calor proprius, & ambiens: aut si ambiens solùm ponatur, frustrà indicemus Galeno litem, vt nihil sit minùs æstimandum. In huiusmodi igitur contradictionibus, eatenus satisfaciendum, quò ad finem intentum perducatur, aut ea quæ ad finem assequendum pertinent,

Garamantæ vix quadragesimum attingunt annũ. In Indiæ partibus diu viuunt homines.

Aër multum ad vitæ longitudinem aut breuitatem facit.

pertinent, iuuari possunt. Igitur cùm constet, aërem multum ad breuitatem aut longitudinem vitæ facere, hoc pro principio constituemus, cum rationibus auxiliantibus. Veluti quòd aër calidus valde, aut frigidus, si purus sit, eadem ratione, imò contrariis, efficit vitam longissimam. Eadem quidem, quæ est caloris innati robur, & humidi puritas, ac densitas. In frigido enim per antiperistasim coactus, optimè concoquit, penetrat, nutrit, propellit excrementa, attenuat, & condensat humidum. In calidissimo autem materia præparata, & colliquata tenuiùs, & proprio calore qui maior est, cùm substantia sit humido, idem & purum, & densum, perficitur nutritio, & restitutio. At velut in his extremis omnia optima sunt in puro aëre, ita in impuro omnia se habent pessimè, vt lupones, & (vt dictum est) Garamantes, quorum vita breuissima est. Solum inter tot difficultates, si quis clarè intueatur, restat, vt modus vnus discutiatur. Nam ex dictis manifestè patet, aërem posse consumere humidum, & tamen producere vitam, quoniam humidum perficit, is est, an homo, & quando ex consumptione humidi, acceleret senium, veluti cùm videmus longa fame tabefactos, tamen longiùs ætate progredi. Quale enim est humidum quod tunc est consumptum, quo vita integra remanet contabuit corpus, ita in Venere, in effluuio sanguinis copioso, & diuturno, in morbo, in tristitia, in carceribus: ergo humores in sanguinem, & quicquid mutatum iam est, in causa esse non dicimus: substantia ipsa planè patiatur, tum verò senescunt, nec reparari possunt, consumuntur autem omnia ante, & membrorum etiam aliquod ignobiliorum, atque patientes læsi, & siderati manent, & calor quidem innatus propius est magis consumptioni, aër autem corruptioni, & ne quid huiusmodi absurdum videatur, in calida, & frigida valde regione, eadem, aut eisdem causis crescunt immoderatè homines, & viri ingenio præstantes oriuntur, magis rariùs tamen, sed ciuiles, & prudentes nequaquam, aut saltem hi, qui immoderati mole, & (vt ita dicam) vitæ spatiis sunt. Generaliter autem in frigidis ex caloris magnitudine, & cum illæ ideo & fortes, & robusti, in calida, puro corpore, & valetudine incolumi degunt, iuxta quæ sequitur solutio tertiæ quæstionis. Ergo non esse eadem auxilia salubritatis, & longitudinis vitæ, hæc ostendunt, quoniam cùm quis laboret febre vehementi, refrigerantia valida calorem temperant, ergo si ventriculi vim deiiciant, vitæ obsunt, id primum. Secundum etiam si non deiiciant, dum restaurant corpus intemperatum, saluti prosunt, vitam decurtant: si sensim velis occurrere, non sanabis, vt de frigidæ potu Galenus inquit, idem de sectione venæ vsque ad animi deliquium, ex qua febris iugulatur, vt ille ait. Tertium est in fontibus, qui spontè nascuntur in corpore: nam dum pars vna ægrotat, reliquum totum valet, vnde illud de venis sanguifluis Hippocratis. Quartum est de his qui à podagra senescunt, medicamentorum vi, vt & ob morbum, & ob medicamentum, vitam decurtent manifestè: idem in surditate, oculorum morbis, atque aliis. Quintum est in morbis per circuitum, hœmorrhoidarum, diarrhœæ, vomitus matutini, præsertim cùm eiusmodi natura, aut consuetudine plus recipiant cibi, inde eructent, aut euomant, quemadmodum onocrotali. Commodum quod ex consuetudine non est, vt doceam, ex natura autem, cùm in eo quod reiicitur, pars vtilis, ac singularis vtilitatis fuerit, velut in ossibus medulla: alter modus est, cùm incerta est quantitas, membrum verò vehementer læditur ab immodico. Omnia præterea auxilia, quæ non sanant, sed seu casu, seu natura irritata, æger curatur, vitam abbreuiant: cùm non tollant morbum, & naturam vexent. At verò quæ vitæ diuturnitati prosunt, etiam valetudini sunt commodiora, quoniam seu statum immutando, efficiant vitam longiorem, seu confirmando. Alteruter illorum, cùm faciat ad diuturnitatem, in illo statu meliùs degit, quia diutiùs viuere potest. Igitur ille status altero, & eo in quo est, salubrior erit Ex his ergo quæstio insurgit, à quibus incipere debeamus, an ab his quæ diuturnam efficiunt vitam, talia magis incerta sunt, quàm salubria: si à salubribus, incertum est, an ea (vt diximus) vitam efficiant longiorem. Bonum est igitur à salubribus, si vitæ aliquo modo non obsint, vel si vitæ periculum ingruat: si non ingruat, in vitam producentibus est insistendum.

Quæstio.

Solutio.

Similiter & de resolutione in somno, videmus senes qui se quieti & somno mancipauerint, diutiùs viuere, contrà vigiles fiunt robustiores, melioris habitus, & coloris, atque alacriores ab illo. In somno etiam pulsus & respirationes sunt rariores, & tardiores, & in initio, atque in fine minores atque longiores. Igitur & resolutio minor: attamen Hippocrates inquit, [In somno partes interiores, calidiores exteriores, frigidiores:] & Galenus in tractatione illa de pulsibus ait: [Contractionem in pulsu, cui respondet in anhelitu expiratio, esse celeriorem in somno, quàm in vigilia.] Igitur maior fit resolutio. Redeo demum ad primam conclusionem, cùm non est magnum, neque euidens discrimen, debemus sequi experimentum, & in experimento iudicium commune: constat quod in somno magis humedatur virtus, concoctio confirmatur, vires reparantur, homo hilarior eo resurgit. At dices causam vellem, reddatur, ea est Galeni: [Homo in somno cessat ab omnibus operationibus animalibus, non videt, non audit, non cogitat, non intelligit, non loquitur, non ratione vtitur, iacet vt mortuus:] Ideò cùm vitalis solùm & naturalis facultas agant, constat multò minorem fieri resolutionem in homine, & ideo præparari ad longiorem vitam, atque hæc per se primum: at ex accidentibus, vigilia multa adducit grauia, quibus senescit homo, magis in vna hora quàm in decem dierum somnis, velut curæ, dolores, metus, tristitia, & eo magis corrumpendo, quàm resoluendo. At dices, nonne & per somnum pauores, & fletus, & mœror lugubris: ideo & his quæstione dignum, an tales affectus idem possint in somno, quod & in vigilia? Dico idem posse, si sint pares. Sed cùm per somnum omnia videantur

In somno pulsus & respiratio rariores. 3. de causis pul. cap. 9.

Nota.

Nota.

Somni effectus.

Vigilia multa adducit grauia.

Quæstio.
Solutio.

deantur maiora, detrimenta erunt tantò minora, quantò res sub imagine visa, maior quàm verè sit, apparet. Sopiti enim omnes alij sensus, omnia repræsentant maiora, quàm sint: solùm maiora videntur in vigilia, quæ per somnum mitescunt, veluti iniuriarum, aut periculi instantis memoria, sitis. De pulsuum contractione, & expiratione, dico quòd est velociter, propter excrementa quæ superabundant in coctionibus, & ideo illa fiunt plura, ob maiorem & diuturniorem coctionem, sicut in febre feruente, vnde etiam secretio maior, & expulsio vehementior: sed quia hæc omnia fiunt in humore crudo, & ad perfectionem nihil obsunt, imò iuuant, & si dicas, interim concalescunt solida, & spiritus, & ideo fiet etiam resolutio in membris humidi innati? Dico quòd interim non resoluitur quicquam effatu dignum, & valde paruum pro nihilo computabitur. Cùm enim sal additur oleo in lucerna, oleum manifestè tardiùs consumitur, & tamen oleum consumitur, & à sale, & ab igne, & sine sale, ab igne tantùm, & vt dixi, vbi non est euidens ratio magnitudinis differentiæ, coniecturis & experimento stare debemus potiùs quàm inuoluere, quæ auxilio indigent potiùs quàm altercationibus.

Valde paruum pro nihilo cõputatur. Nota.

CAPVT VIII.

De causis mortis, De varia animantium vitæ longitudine. De ætatum hominis numero, ac diuisione, De morbis, quòd possint sanari, exemplo exteriorum, Quomodo statui oporteat ætatum diuisionem à custodia.

Quod ad tempus accepimus tempore etiã suo reddimus.

Corpora nostra fluoribus semper obnoxia.

Senectus mortis prænuncia.

CVm summi Opificis prouidentia constitutum sit, vt quod ad tempus accepimus, tempore etiam suo reddamus, & dum ex hac parte corrumpimur, semper iterum generationi alicui materiam præbeamus, (quod sic præstat rerum ordo integer) donec tandem elementum vnumquodque, liti ac discordiæ exemptum, alieno de loco in proprium migrat, & ibi tanquam in natiua sede manebit, donec in alterius proximi simplicioris elementi generationem cedat. Cùm autem nullum, vt à nobis superiùs demonstratum est, reperiatur corpus, quantumlibet optima constitutione præditum, quin vt primum in lucem editum est, fluoribus semper quibusdam obnoxium sit: quamprimum enim calor cœlitus nobis instillatus agere incipit, exiccamur ipsi, donec absumpta omni materia, nos in sicco destitutos relinquat, quæ senectus est, & mortis iam vicinæ prænuntia, & hæc est illa mortalitatis nostræ necessitas, quæ nulla ratione euitari potest, tum ob elementorum contrarietatem, ex quibus est homo, quorum quædam oportet alia superare, alioquin non fierent operationes, quæ caloris dominium exigunt, iuxta Galeni sententiam primo ad Glauconem: [Si omnia diligenter animaduertas, mundum ipsum ex quo sumus, & viuimus, ex contrariis sibi elementis firma ac perpetua compaginatione scias constare, quæ inuicem semper bellant, & corrumpunt, quibus tanquam rerum principiis corruptis, necesse est & res ipsas corrumpi.] Iterum & sexto de tuenda sanitate dixit. [Mortale est omne genitum corpus, cùm tale igitur sit corpus nostrum, non est possibile aliquo medicorũ consilio, aut medicaminum beneficio, posse mortem naturalem omninò euadere: Tum propter maleficæ priuationis contrarietatem, ad formam, quæ facit hominem tendere ad non esse, iuxta illud Aristotelis primo Physicorum, subiecta quidem materia cum forma causa est eorum quæ fiunt, sicuti mater res.] Igitur nobis haud difficile erit, naturalis mortis causas adinuenire, quoniam natiuus calor, qui primitus, radicitusque semini inest, nos semper quo ad extremum vsque spiritum trahimus comitatur, & est instrumentum quo alimur, fouemurque, ac omnibus fungimur operationibus, dum vitali suo spiritu cunctas corporis nostri particulas assiduè irrigat, & ob id meruit, vt anima eo omnium primo ac potissimo edendis in corpore, peragendisque operibus suis vteretur. Verùm quia necesse erat, quòd calor iste aliquid haberet, quo sustentari, indeque nutriri posset, & sine quo neutiquam esse valeret, ideo primitus ac radicitus inditum atque ei inhibitum fuit solidioribus partibus humidum, quod totum breui, vi sua absumpturus esset, nisi noua subinde affusione semper suppeditaretur quod depasceret, vnde necessaria fuit alimenti ingestio, vt primum sanguis generaretur, cuius pars venarum oscula egressa, ceu ros quidam, nutriendis mox partibus adspergitur, iisdem affixa, & assimilata substantia vna fit, & hæc est nutritio: cætera autem quæcunque hanc præcedunt, pro præparatione materiæ huic muneri ita futuræ aptæ habenda sunt, cuius assidua subministratione primigenium humidum sustentatũ alitur, quod viscidũ, oleaceumque, & tanquã glutino compactum, sortitus est, ne facilè vi caloris (vt diximus) dissolueretur, si recta præsertim & idonea viuendi per omnia cura, ratioque accesserit: qua non solùm morborum incommodis omnibus, antequam illis tentemur, occurramus, tentatique euadamus, verum etiam vt insiti nobis caloris moderatione, ac arte adhibita, vitam ad multum temporis, quo ad eius commodè fieri potest, traducamus. Hoc enim calore informamur, procreamur, parimur, alimur, augemur, viuimus, eodemque mollia antè membra, ac propè cerea, paulatim, sensimque exsiccantur, producuntur, ac solida firmantur, huius argumentum est ætas iuuentutis, in qua plus cæteris potentia perficiendi omnes operationes, & maximè voluntarij motus, & fortitudinis corporis viget: propterea quòd in ea consumptæ sunt humiditates, quæ organa sensuum occupabant, neruos, musculos, iuncturas, & ligamenta, quæ sunt organa motuum, relaxabant, nec calorem liberè diffundi permittebant, sed veluti sepultus sub eis manebat: ideo mediocris illa siccitas, vsque ad id tempus, vtiliter creuit, quoniam si humiditatem illam tunc temporis calor innatus

Elementorum contrarietas necessaria. Cap. 1.

Mortale est omne genitum corpus.

Mortis naturalis causa.

Calor natiuus omnium operationum est instrumentũ.

Humidum caloris nutrimentum.

Nutritio quæ.

Calor insitus omnes perficit corporis operationes.

tus non superaret, ab eadem extingueretur, Ideo eam paulatim resoluit,& hinc est,quòd ab ortu nostro,vsque ad iuuentutem, continuò robustiores simus, & ad statum secundùm naturam perfectum accedimus ob hanc moderatam siccitatem, quo tempore calor in suo vigore existit, permanetque, donec senectutis ætas subsequatur,in qua siccitas, non eiusdem quantitatis, vel mensuræ gradualis, consequitur,sicuti priùs erat,tum quia humidum radicale, quod est veluti materia caloris innati, continuè minor fit, nec æqualiter per nutritionem reparatur, sicuti in iuuentute reparabatur, eo quia membra corporis non sunt apta, recipere materiā nutrimentalem sufficientem, pro restauratione deperditi, quia arida facta sunt,nec nutrimentum eis adhæret, tum etiam calor innatus diminutus est, quare non potest tantum apponere & assimilare nutriens nutrito, quātum prius,& sic continuò siccitas augetur,donec consumpserit humiditates radicales, quæ sunt vehiculum innati caloris, & principium vitæ: quibus consumptis,ipse quoque extinguitur, nec tamen fuimet ipsius interitus est causa per se, vt infrà ostendemus: licet per accidens,dum operibus,quæ necessariò edit,consequenter moliatur:& si multis modis extingui possit,nam sicuti ignea flamma duas potest habere humiditates,alteram aqueam,qua extinguitur,alteram oleaginosam, qua consistit ac fouetur: ita & calor innatus corporum nostrorum,duas similiter habere potest humiditates, naturalem nempe pinguem & aëream, qua persistit ac fouetur,alteram,extraneam,prouenientem ex debilitate concoctionis, qua extinguitur,& est phlegma crudum & aqueum, quod humidum radicale vt plurimum in amurcam conuertit, atque in causa est, vt à putredine accendatur & extinguatur.Coadiuuant etiam non parum caloris innati extinctionem,immoderati calores extranei,qui vel ex violentis exercitiis, aut ex aëre nos ambiente fieri solent.Dicebat namque Princeps: [Sciendum præterea, quòd caliditas post tempus consistendi, minui incipit: propterea quòd aër circundans materiam eius, quæ est humiditas, exsiccat, calor quoque qui est intus ad hoc adiuuat, & labor proueniens ex motionibus corporis,& animalibus,quæ sunt necessariæ in vita, & defectu naturæ ad resistendum illi toti semper: Omnes enim virtutes corporeæ sunt finitæ,& sic patet mortis naturalis causa.Quod verò ad secundam partem attinet, in qua quæritur,cur tam variæ sint animantium vitæ productiones? dicimus, hanc varietatem oriri, quoniam animantium corpora in robore & fortitudine humidi radicalis, innatique caloris non sunt æqualia. Quædam etenim reperiuntur corpora humidum radicale admodum pingue ac purum habentia, quod præ pinguedine & quantitate facilè resistit resolutionibus, & calorem innatum tuetur ac conseruat,& talia longissimam ducunt vitam,si conuenienti tamen vtantur victus regimine,nec sibi ipsis exitium afferant:vt plurimum enim immoderatis laboribus se exponunt, quibus exiccatur humidum substantificum,& nimia Venere vtuntur, & otio, & crapula superexcedenti, & ebrietate, quibus suffocatur calor innatus, & vita quæ longissima esse deberet,breuissima fit.Quædam alia sunt corpora, quæ licet exquisitè optimo vtantur victus regimine, cùm tamen principia vitæ debilia habeant,non in longum admodum vitam producere possunt,velut melancholici,& alij huiusmodi, qui cùm minùs participent de vitalibus principiis, ideo secundum communem naturæ cursum, cæteris sanguineis,ac temperatis,breuioris sunt vitæ, vt & illi, qui etsi multum de humido radicali possideant, illud tamen impurum, & fæcale, & terreo & aqueo humore plenum habent:qui breuioris sunt vitæ,quia facilè calor in eis superatur,& extinguitur, & humidum etiam absumitur: quod contrarium euenit eis(vt diximus)qui ipsum pingue & syncerum habent, & ideo dixit Aristoteles quarto de Generatione animalium, quòd maiora perfectioraque sanguinei generis animalia, plus temporis viuunt,sed non omnia maiora sunt viuaciora:homo enim plus temporis, quàm quodvis animal viuit, præter Elephantem, qui diuturnam admodum vitam ducit, sicuti & ipsemet Aristoteles refert,nono de Historia animalium, vbi inquit: [Quod in animalium genere solus est Elephas, qui centesimum vitæ annum transcendat, atque ad ducentos,velut alij ad trecentos perueniat.]Homo uerò præter illum, ita superare videtur centesimum annum, vt non præstet sic viuere: totus fœdus,deformis,atque inutilis, sed quàm paulò viuit,raroque.Verùm plantæ (vt superiùs diximus) longè viuaciores sunt animalibus, causamque opinor esse, quòd animalia vt sentirent, calida oportuit actu esse, nulla verò planta actu calida est:vbi verò caliditas,ibi motus,& vbi motus, ibi tenuitas humidi,quod tametsi pinguissimum sit,tanto tempore seruari non potest, quin plurimum amurcæ concipiat,quia necessariò sæpius humidum absumitur, ob id etiam inter plantas fructiferæ valde breuioris sunt vitæ, & inter animalia, quæ plurimo vtuntur cibo, & ita inter homines qui cibis copiosè nutrientibus plurimum & sæpè aluntur,quique rebus Venereis plurimum incumbunt, vt & qui multum exercentur & generaliter, vbi sæpius pius reponere est necessarium, vbi etiam fæcem crescere celeriùs contingit. Vt iam quæstionis propositæ, solutio appareat, scilicet quòd melius est ad vitæ longitudinem, moderato vti cibo,nullaque exercitatione,quàm plurima exercitatione, ciboque illi exercitationi conueniente:sed quoniam in otio periculum est valetudinis,propterea de ipsa exercitatione,quanta esse debeat,suo loco referemus. Vnum satis est,omnem exercitationem, medicamentum, atque generaliter omne id quod cibi necessitatem iniungit, vitæ diuturnitati per se esse incommodum. Duos igitur scopos ad vitæ diturnitatem per se inuenio, sed horum alterum primò etiam, reliquum non primò,tertius verò necessarius erit, nec tamen per se,multo minus primò.Per se igitur primò est, vt pristini humidi quàm minima fiat resolutio,nam sic & minima fæx erit, & ipsum purissimum manebit. Per se autem non primò,vt optimum restauretur loco eius quod

Cur siccitas in senectute maior fiat quam alio ætatis tempore.

Calor innatus à quibus extingui possit.

l. 1. Doc. 5. cap. de Ætatum compl.

Corporeæ virtutes omnes sunt finitæ.

Cur variæ sint animantium vitæ productiones.

Melancholici breuioris sunt vitæ.

Cap. 10

Elephas diu viuit. Cap. 46.

Cur plantæ animalibus viuaciores.

Scopi ad vitæ diuturnitatem.

quod consumitur: optimum autem humidum est, quod pinguissimum sic in candelis, atque lucernis: tamen verò pueros, & adolescentes, tale seuum comparatione habere inspicimus. Pinguissimũ humidum quod nõ solùm terreo, sed etiam aqueo vacat excremento, densissimumque est. Densum verò, maximè omne quod tenuissimum est, ac perfectè concoctum: terreum enim excrementum (vt dixi) fæx est, certamque habet noxam, mortem accelerandi, vt humidum quavis possit repurgari, cum aqueum est, terreo: tamen si non repurgetur, longè deterius est, nam prohibet (caloris naturalis substantiam, & quod pingue est, rarum reddens; & dissipari celerius cogens, atque consumi) vitam diutius proferri, sic in lucernis, ac candelis, permixta aqua sæpè extinguit lumen: dissipatque alioquin humidum pingue. Sed in animali tertium addit incommodum, quòd humidum pingue, putredini obnoxium reddit, quo detrimento nihil fermè deterius est. Tertium verò, quòd neque per se, nec primò, sed tamen necessariò spectare oportet, est, vt integra seruetur valetudo, non solùm, quòd hic sic alter principalis huius tractationis scopus, sed quòd (vt dixi) morbi ipsi multis modis vitam ipsam decurrent. Igitur, vt omnia iam colligamus, duos habemus principales scopos, alterum vitæ quoad licet producendæ, reliquum tuendæ pro nostra facultate valetudinis, hunc secundum in primum reducemus, si scopos quibus primum assequi licet, in tres distinxerimus: Primum, vt minima humidi naturalis fiat resolutio. Secundum, vt restauratio fiat humidi purissimi ab excremento aqueo, terreoque, & maximè concocti, tale verò desiderabimus etiam esse tenuissimum: Tertium vt minimè ægrotet homo. Ex his iam liquidò patet, totam hanc considerationem esse ad naturalia conseruanda. Porrò naturalia maximè quatuor sunt, humores, temperamentum, membra, & spiritus. Horum omnium sunt virtutes & operationes, quas integras habebit, qui quatuor illa integra habuerit & illæsa. Ergo scopus est, ne humores nimis multiplicentur, vitientúrue vllo vitij genere; vt naturalis temperies, aut seruetur, aut in melius vertatur, vt solida nullo modo consumantur, lædantúrve, vt spiritus plurimi clari generentur & incolumes, diffundanturque per totum corpus moderatè. Nam non aliter vires membrorum, & operationes seruabuntur. Hæc omnia rebus non naturalibus assequemur: hæ sunt, aër cum quo vestes continentur. Præstabant sunt, Galenum, omissis tot inutilibus disputationibus, ostendere, quisnam aër, an calidus, an frigidus, tenuisne an crassus, vitæ producendæ commodior esset, neque enim verisimile est, omnem aërem eandem vim habere ad vitæ diuturnitatem, vt nec reliqua, cibus atque potus: in his quantitas, numerus, ordo, qualitas, tempus & modus præparandi requitur. At Galenus præter qualitatem, omnia omisse videtur. Quod si de præparatione locutus est non in eodem loco sermonem habuit, vbi de tuenda sanitate disputauit. Inania quoque reddere vasa, ad hoc genus pertinet, aut moderatè replere.

Quatuor naturalia quæ conseruanda sunt.

Notatur Galenus.

Inde fæces, vrinæ, sudores, muci, sputa, semenque. Hæc quomodo, quandove, docere opus. Subsequuntur cum vigiliis somni, quando, vbi, quantum, quomodo, lecti, cubicula. Pòst cum quiete motus, qualis, quantus, quomodo, quando, quoties, vsque quo, apotherapia, frictiones, balneaque. Vltimo loco animi affectus, nam lætitia, & ἀπάθεια seu indolentia, omnibus bona: Dolor, & timor, mala omnibus: tristitia, iraque, quibusdam conuenire videntur. Fratres duo erant mihi cogniti Venetiis, amboque patritij Mauroceni Michaël, & Hieronymus: Hieronymus sanguinea temperie, lætus admodum, cùm curis angebatur, languebat, cùm hilaris esset, maximè valebat. At Michaël macilentus, & tristis natura, inter curas & animi tormenta impinguabatur, recteque se habebat: solutus curis ægrotabat, & extenuabatur, causam horum suo loco referemus. Cæterùm debemus quatuor illa quæsita denuò in memoriam reuocare. Horum primum est an exercitatio ad vitæ diuturnitatem plus afferat commodi, an incommodi? Secuncundum (de quo dixi) inferiùs agemus, an fæx humidi innati vlla ex parte minui possit? Tertium, de quo in contradicentibus egimus, an humidum hoc quod naturale est, vocamus autem radicale, à calore naturali consumatur, vt Galeno placet, an etiam ab ipso aëre, vel Sole, vt Auicenna sentire videtur? Quartum, an vita nostra his centum annis definiat, aut paulò pluribus, vt philosophi, medicique docent, an potiùs, vt historici volunt, in plura sæcula duret? Nam Fulgosius, & temporum, annaliumque scriptores, quendam Ioannem de temporibus ccccxx. annis vixisse referunt, argumento sumpto ab anno quo mortuus est, qui cccc. fermè fuit, à Caroli Magni principatu, sub quo ipse Ioannes fertur militasse. Referunt & eodem fermè æuo alium ccc. annis vixisse. Hoc autem, vt mihi videtur, necessarium est determinare. Nam si tandiu vita hominis proferri potest, lectores, atque humanum genus, cum illis, magno commodo fraudabimus, si pro cccc. annis, centum solùm viuere posse, vel etiam minùs, doceamus. At si è conuerso id fabulosum sit, nos autem polliceamur vitam annorum cccc. atque ccc. ipsis qui nostra præcepta seruauerint, vix octogesimum, atque etiam attingentibus ægrè, quis non meritò, non solùm huic libro abroget, sed etiam iustissimè nos irrideat? Ædepol nollem dicere, mentitos eos fuisse qui talia scripserunt, sed si modò vera sunt, monstra fuisse dicendum est: nam & quidam alij sine cibo vixerunt, alij sine potu. Nec tamen pluribus, nedum omnibus, concessum est viuere vlla arte diu, sine cibo, absque potu. Ita fit, vt mortalium vita ni monstrosa sit, minor sit annis CL. Sed & hoc rarissimum, adeò vt maior pars, etiam si Æsculapium medicæ artis peritissimum adhibueris curantem, non tamen octogesimum attingat annum. Nec antiquos, post prima illa sæcula, ante diluuium, viuaces magis fuisse existimo, cùm Dauid, in Psalmis dicat: [Dies nostri septuaginta anni, & si felicissimè, octoginta, vltra autem, nil nisi labor & dolor.] Et Dauid ipse rex, cùm

Historia.

Ioannes de temporibus.

Dauid Rex.

cùm ſeptuaginta vix annos attigiſſet,naturali morte obiit,prius adeò ſenio confectus, vt inter puellas decumbere cogeretur, quòd ob ſenectam corpus illius non caleſieret. Ergo (vt dixi) vel qui malè natura præditi ſunt ab initio, vel qui ſerò ad regimen hoc acceſſerint, vel quibus opportuna defuerint, vel quos caſus oppreſſerit, hi tametſi fructum percipient ex hoc libro, non tamen talem, vt admirati oñi cæteris eſſe poſſint: adeò etiam in his var ij caſus domimantur, nam ſi in aliquem à natura iam conſtitutum, felicemque ab initio, obſeruatio hæc incidat, nec prauus caſus aliquis aduenerit, ſimile miraculo aliquid, & in ſeruanda valetudine, & vita producenda contingerit. Omnibus tamen hic liber profuturus eſt, velut & cultura agris: nam omnes agri, etiam ſi arena fuerit culta, manſueſcunt, aliquidque reddunt. Verùm quidam adeò natura ſunt infelices, vt etiam diligentiſſimè culti,minus producant agreſtibus & incultis, ſed natura fœcundis. Ita multi homines qui hæc obſeruabunt, breuiorem, & minus incolumem degent vitam,quibuſdam aliis, quos natura fouendos ſuſcepit. Adde quòd pauci hæc obſeruare ſedulò, perſeuerantiaque haud infracta volent,niſi vel natura, vel ætate, vel caſu iam debilitati. At his (vt dixi) etſi plurimum profuerint hæc præcepta, eo minus tamen profuiſſe videbuntur, quo illorum iam vires magis fractæ ſunt, naturaque haud capax auxilij. Ob id rectè dictum vt bene ſeneſcas, citò ſeneſce, id eſt, qui diuturnam cupit & validam ſortiri ſenectam, is iam à iuuentute, quemadmodum ſenex, aſſueſcat moderatè, temperateque, ac ſecundum medicinæ præcepta vitam ducere. Vides nonne in dentibus, quàm facilè ſit eos ſeruare ne commoueantur,aures ne ſurdeſcant, oculi ne cæcutiant:at poſtquam oculi cæcutierint,aures obſurdeſcunt, denteſque fuerint commoti, quibus hæc artibus, etiam ſi reſurgat Hippocrates, ad integrum robur reſtituentur?exiſtimo illud prudenter dictum,

Omnibus liber hic profuturus eſt velut cultura agris.

Vt bene ſeneſcas, citò ſeneſce.

Principiis obſta,ſerò medicina paratur,
Cùm mala per longas conualuêre moras.

Satis ergo ſit cuique tandiu viuere,ac tam robuſta vita, huius libri præceptis adiutus, quantum fas eſt, natura atque priore vita. At dices quomodo iſtud agnoſcam? prioris vitæ ratione. Cùm enim ſponte noſter habitus, ſaltem in ſenecta,labatur in deterius in dies, videaſque reſtitui, haud dubium eſt hoc totum in hæc eſſe præcepta referendum:ſimiliter & ex vtilitate quam ſenſus ipſi,vel iam parum debilitati,percipient. Quamobrem(vt dixi etiam ſuperiùs) liber hic omnibus non tam vtilis eſt quàm neceſſarius, ſed tamen omnium minimè ſentient illius vſum,atque commodum, qui caſu aliquo mouentur. Mors enim quatuor modis homini aduenit, vel puro caſu, vt quibus caput amputatur, aut è monte præcipites ruunt:nec his conſuli poteſt, ſed ſi quid eſt, quod iuuare poſſit, hoc totum ad Dei curam & prouidentiam referendum eſt. Alius eſt modus,cùm naturaliter purè pereunt: id fit (vt dixi) humido iam toto in amurcam mutato:atque proferri hic docetur,atque in longum produci. Tertius eſt, in quo etiam plus valet ars noſtra, & eſt cùm per continuam mutationem cibi, iam debilitatis viribus, deterius, efficitur nutrimentum, atque humidum,atque hic modus interitus naturalis non eſt, ſed naturali ſimillimus. Quartus verò mixtus, qui ex morbo contingit, hocque modo plerique moriuntur: eſt enim communis maximè omnibus fermè hominibus, conſtatque natura, & caſu. Caſu ſiquidem, quoniã excalefactus poſuit ſe in frigido aëre, tum contractus ei morbus lateralis: alij, quòd ampliore vini potu, & caulium eſu, cruditate facta, febris lethifera ſuperuenit. Natura quidem, quòd imbecille corpus iam ab his, ac leuioribus etiam cauſis patitur. Igitur in hoc genere prudentia aduerſus caſum indigemus: huius autem libri auxilio,ad ita præparandum corpus, vt etiam ſi quicquam tale nobis neceſſariò adueniat, etiam valde ſeni, non tamen tantum obeſſe poſſit, vt ægrotet, nedum vt moriatur. Nam quandoque tales etiam prudentibus adueniunt, velut quandoque nobis contigit in hyeme, iter per montes vdos agentibus, dum equus caſu in lapidem impegiſſet,claudicaretque parum,loco periculoſo cogebamur, vel præcipitij ſubire periculum, vel pedibus ambulando onuſti pannis ob frigus ſudare ſub borea, quo nihil eſt exitialius: ſimul & ocreæ per rimam aquam admittebant, vt pedis ambulantibus neceſſe eſſet pedes madeſcere, ac refrigerari. Talia ſæpè contingunt, præſertim ignotis in locis ac difficilibus habentibus iter, per noctemque magis,tum inter riuos. Igitur huic periculo ſic occurri, pedes deſcendi (nam hoc erat neceſſarium) partemque veſtium equo ſuperimpoſui, & lentè ambulans per ſaxa, lutum quantum licuit, & aquam euitabam. Cùm ad cauponam deueni, non, vt alij, de prandio,ſed de igne ſollicitus fui, nec priùs cibum guſtaui, quàm exuctis ocreis lotis pedibus, mutatis pleriſque indumentis, etiam interula ob leuis ſudoris ſuſpicionem, factus ſum totus ſiccus, & moderatè calidus, cibum verò paucum, & fermè panem ſolum, quòd hora iam eſſet tarda,cum amygdalis, & ob laborem. Itaque prudentia, & arte medica ſeruatus ſum, & ſiccatis ocreis, tum conſutis peregi reliquum itineris lætus, mutato equo etiam,vt hilariter quoque cœnauerim, dormierim ſuauiſſimè, tutus ab omni noxa. Alius non ſibi temperans, aut imprudenter ſe gerens, aut ob auaritiam, his tot incommodis in grauem morbum incidiſſet, in quo plus ſatis poſtmodum pecuniarum impendiſſet auarus, quàm ego liberaliter agẽs. Vnde & illud non malè dictum, plus impenſæ facit auarus, quàm liberalis. Forſan & mors ſucceſſiſſet, vbi loco omnium rerum neceſſarium inopi, tantùm vbi nullus eſſet medicus, aut talis qualem melius fuiſſet ob imperitiam non adeſſe, contigiſſet ægrotare. Relinquitur adhuc dubitatio explicanda, an exercitatio ſit vtilis ad vitam producendam, quam in tractatione de exercitatione explanabimus.

Mors quatuor modis homini euenit.

Nota.

CAPVT

CAPVT IX.

Authores qui de vita producenda scripsere.

Authores qui de hoc scripserunt.

NOn par est, vt narrem, qui scripserint de hoc, medicos, sed aut qui non, aut qui de hoc solo scripserunt: ab Hippocrate enim res duxit initium, vt in secundo de Diæta, post eum multi, de quibus Galenus agit, ipse verò plurima, pòst Oribasius partem hanc satis excoluit, Paulus, Ætius, Rasis Princeps, Celsus, Hali abbas, sed admittamus hos, non vt inutiles, absit, sed vt notissimos, qui propriè in hoc argumento scripserunt. Regimen Salernitanum, Ioannes Bruxerius studiosè, Marsilius Ficinus imò superstitiosè, Antonius Gazius vsque adeò, vt etiam Aloysius Cornarius Venetus lingua Italica. Cùm alij habeant in singulis quod damnent, ego quod in singulis laudarem, inueni. Ab Hippocrate, naturam rerum, principia, rationem, & quæ exigantur: à Galeno, ordinem, claritatem, frictionis & exercitationis vires, ac modos, methodum simplicium dignoscendorum: ab Oribasio, præparationes quasdam antiquorum: à Celso, simplicem vitæ rationem, & Italiæ propriam: à Salernitano regimine, vt facilè memoriæ mandentur, leporem, & præcepta vitæ communi accommodata. Duplex enim est medicina, duplex est vitæ custodia, vna vera, atque legitima, quam excoluerunt Hippocrates, atque Galenus, & qui hos secuti sunt, ex omni gentium genere, vt scilicet communis vita ad salutarem accommodaretur: altera notha, fucata, medicorum improborum, & adulatorum perditorum, vt artis præcepta communi vitæ (& cui communi vitæ? luxuriosæ, & plenæ omnis flagitij & nequitiæ) adaptarentur: & nunc adeò perturbata sunt omnia in culmine vitia, vt cùm aliàs peccarent, scirent tamen quid rectum esset, & quid virtus: nunc etiam ipsa vitia colunt, & eò vsque prouecti sunt, vt propter quod etiam ipsis, seu veris, seu nothis: seu fictis poliuntur, vitam scilicet oderint. Et inter opes amplas, & illecebras omnis luxuriæ, rem sanè futuris temporibus incredibilem, desperati viuant. Alias despiciebam Aristotelem dicentem, ob mollitiem homines sibi conscire mortem, nec aliam esse magis causam, aut potiorem se ipsum occidendi, quàm mollitiem: nunc cùm hæc video, cùm contemplor, vix mihi ipsi credens, vt forsan somnium, illum longè me sapientiorem fuisse intelligo. Forsan enim & ipse tale quiddam sua ætate vidit. At ego qui ratione ductus, veram huiusmodi hominibus perditis, nil sperandum boni ab obitu falsò credebam, odisse impensè mortem, amasse vitam. Non igitur ex hac lectione satis sum adiutus, hoc vno deprehenso seruandæ vitæ modo. Vnde cùm illum placere pluribus animaduerterem, in hanc præclaram hominum opinionem dignoscendam, quasi per manum ductus sum. Atque huic è regione opposita est sententia Cornarij ter sapientis, quem sequi proposui. Ab hoc ergo finem huius instituti, exemplumque vitæ, & experimentum operis ipsius desumere non grauabor, aut dedignabor, quamvis ille literas humaniores, aut medicinam non profiteretur. Quid enim indigemus doctrina cùm homo ea præstat absque doctrina, quæ quivis alius etiam valde eruditus præstare posset? Aut quanti faciemus doctrinam illius qui nos cum suis præceptis perdit? seu medicus cum quo ægrotamus, sanitate studenter, aut breui fruimur vita, cùm longam optemus, aut periclitamur ad mortem ex leui morbo? Valeat huiusmodi doctrina, quæ perniciem probantibus salutis loco affert. Dicebat autem ille improbans luxuriam nostrorum temporum, imò stultitiam, cùm nostra ætate & religionis cultum peruertere studeant, & adulationem, ac cæremonias præponere sinceræ vitæ, accessit etiam luxuria maxima, in qua periclitantur, vt tribus his flagitiis tria maxima bona nobis pareant. Primum verò execrabatur impensarum magnitudinem, inde mores corruptos, demum morbos, & vitæ breuitatem, quæ ad crapulam sequebantur. Illud mirabatur primum, quòd ob tam breuem ac leuem voluptatem, tot, tantaque incommoda, ac diuturna subire vellent: etenim, inquit, & rectè, plus posse debent in homine viuente secundum rationem amor vitæ, & salubritas corporis, quàm voluptas ex operatione, quæ plurimum nobis obsit. Sobrietatem inquam robur corporis, ac leuitas comparatur, adeo vt ipsum octogesimum tertium annum agens, non solùm scalas, sed montes absque auxilio ascenderet, sensus etiam, visus, & auditus, incolumes manent, vt non truncus, sed homo viuat, non ludibrio iuuenibus, sed admirationi. Quin quod secunda vitæ pars, contra, media vita dici potest, scilicet somni, & quieti semper, & iucundis imaginibus plena: nitimur quoque quòd cogitationes nostræ lætæ ac hilares sint, & vt minus obnoxiæ sint suspicionibus principum, aut magistratuum, neque negocium nobis facessat, sed cum ciuibus meliùs versari possimus, nec frustrà irascamur, aut timeamus, aut tristemur: moderatione enim victus, humor quilibet suam seruat rationem, nec dominatur, ita mente pura, & corpore ad gaudium præparat, si quid contingat aduersi, sæpiùs læto animo quæ ferri commodè possunt tanquam à Deo missa ad emendationem nostram accipimus: difficillima etiam leniùs ferimus, vt non solùm nobis, sed neque his qui nobiscum versantur, graues simus, aut molesti. Quin quod maius est, vacamus ea in ætate periculo suspicionis insaniæ, quæ grauior est morte. Ipsa verò mors matura & lenis aduenit recordatione præteritorum, & tot visorum memoria, & comparatione eorum qui ante nos obierunt immatura ætate, nos solatur. Quod

Vitia in culmine omnia.

Aristotelis dictum.

Luxuria.

Cogitationes nostræ quales esse debeant.

Mors lenis.

Quod & si incommodis aliquibus, in decursu, corpus afficiatur calore frigore, labore, vigilia, litibus, luctu, casibus, aut rariùs in hæc decidit, si nostræ sit prouidentiæ: aut si casus est, minùs afficit, & morbos leuiores affert, ob corporis puritatem, atque salubritatē: & si alienum factum etiam sit, minus dolore animi nos afficit, vt qui, & sanus sit antè, & ad philosophiæ studia propensus. Palàm enim est, sana quæque & munita aduersus iniurias externas, semper minùs lædi. Nec illud nos mouere debet, quòd aliqui nulla certa regula diu vixerint: nam neque adeò integris omnibus viribus ac sensibus cum valetudine ipsa viuere possunt: & si temperatè vixissent, multo plus vixissent: adeò vt naturæ beneficio perperam vsi sint, glorienturque de eo, quod deflere deberent, scilicet tam pulchræ occasionis amissis. Quod si per morbos obiiciant, sanitatis tempore auxilia consumpta, vt nihil possit addi ad continentiam, ad parcitatem victus: nequaquam id verum est. Sed vnicuique homini, sua est ratio victus per morbum exactior, & exquisita magis, quàm sanitatis tempore, quantumcunque ille continenter ac sobriè viuere sit assuetus. Qui verò vitæ spacium contemnunt, & decem annos nil esse putant, & stolidi sunt, & non eadem dicunt ac faciunt, sed vt redimant vitam, omnia exponunt, quod in vinctis & damnatis quotidie videmus, neque decem annorum iactura semper est, sed nonnunquam viginti, aut triginta. Sed & illud quod viximus, amittimus, alius vertigine, alius podagra, alius lapillo, quidam visus, quidam auditus imbecillitate detinetur. Quod si quæratis interim priuari voluptate: qua? quæ cum suibus communis est? An desunt genera voluptatum, nauigatio, peregrinatio, vita ciuilis, defendere iniustè oppressos, subleuare miseros, eligi ad publica munia obeunda, versari cum ciuibus, cum præclaris artificibus, picturæ, sculpturæ, plasticæ architectis sapientibus, nouas pugnas & casus qui procul acciderant, intelligere, hominum actiones, industriam cognoscere, legere, canere, piscari, venari, aucupari, audire musices instrumentorum concentus, inuisere amœna loca, fontes, lacus, syluas, colles, præsertim curare prædia tua: denique fouere si quos habes descendentes, in illis plurima est spes, atque voluptas, & quod nemini eripi potest, diuina meditari. An ergo desunt voluptates, nisi expleamur cibis, vt canes, vt nauseent, aut onocrotali vt euomant vel vt Gulo, seu Rosomacha sarmatica, vt statim compressa emittat per aluum, quod ingurgitauerit? Verùm nos admonuit vir hic vnius præcepti admodum salutaris, cuius etiam exemplum, cùm nobis etiam conueniat, referre operæ pretium esse duxi, vt non solùm opinione, votisque similes videamur, sed multiplici etiam ratione naturæ. Ille siquidem testatur, à piperis calore non offendi ventriculum, sed cinamomi potiùs, viderique hoc illo sibi calidius, & vinum quod antiquius annuo fuerit, illi nocentius esse recenti: quorum vtrunque ego experior in me esse verissimum. Eadem ventriculi imbecillitas, & circa eandem ætatem, paucitas filiorum, sed aliquanto felicior in nepotibus, lites longæ, & graues, & cum potentibus viris, inde casus è rheda, & vita diuturna, non sperata vtrique omnia, quanquam non prorsus eodem modo: nam & illi studia ad augenda reipublicæ suæ commoda, mihi rei litterariæ: vtrique in Academia habitatio, & conuersatio, illi tamen vt Veneto patritio decora, mihi vt professori honesta. Is igitur consulit, vt suæ quisque sanitatis ac studij eius censor sit, & diligens scrutator: quod nos non solùm in hoc opere probamus, & iubemus, sed etiam in disquirendis interpretationibus somniorum, in actionibus, atque conuersationibus consuluimus esse obseruandum, siquidem hic generalia præcepta tradere licuit. Ignotas rerum proprietates, & ad vnumquemque comparationem, vt solus Deus nouit, ita solus vsus & experientia docere possunt. Mihi exiguum vini albi, leuis, & dilutissimi in prandio obest: aquæ multo plus crudæ, & cum sacchato mixtæ prodest, cùm agam annum septuagesimum quintum: si frigiditas, cur aqua: si calor, cur sacchari, vel etiam mellis copia tanta non obest? Sed redeo vnde digressus sum, à Buxecio copia, & rerum quæ nostra ætate in vsu sunt, adiuti sumus: à Gazio sumpsimus opinionum diuersorum authorum Arabum comparationes: à Ficino prodigiosum illud, ac penè magicum viuendi genus, quòd fermè in omni sua doctrina secutus est, quodque meritò contemni poterat à me, nisi illum nonaginta septem, matrem autem illius centum septem & decem annis vixisse accepissem, vt viri iam de literis benemeriti tam egregia duo exempla prætermitti absque reprehensione non potuerint.

Nota.

Voluptatum genera.

Piperis calorem ventriculum non offendere.

CAPVT X.

De prægnatione.

Perpetuitas hominis finis. Sterilium signa.

Finis hominis perpetuitas est, quæ generatione contingit, hæc à fœcunditate, & coniunctione, vt non sint steriles. Oportet ergo qui sint, & an sint, & qua causa, vt amoueantur, & horum singulum generaliter, ac specialiter: sterilium igitur, & fœcundarum signis, sunt opposita. Sunt autem pleraque signa, & causæ, aut in membris principalibus, vt in sectione venarum, quæ sunt post aures, in phthisicis, aut membris generationis, compositione, aut temperatura, vel materia, vt semine alterutro, aut mensibus. Et omnis magnus excessu, vel res omninò præter naturam impedit, velut delapsus, foramen inclusum: & ex intemperiebus frigida, pòst humida, inde sicca, calida minus aliis: & semen corruptum, aquosum, concretum, & eiusmodi. Docet autem hoc Galenus in arte medica, vide

61.63. Sect. 7. Sect. 91. Multa alia experimenta 1. de Morbis mul sect. 108. Sect. 8. Prægnantis signa. Sect. 94. 5. Aphorismorum 41. 5. Aphorismorũ 51. 5. Aphorismorum 61. 5. Aphorismorũ 44. Signa abortus. Aphor. 37. 38. 53. Aphor. 43. Signa conceptus maris ac fœminæ. Cura morborum prægnantium.

vide Quinta Aphorismorum, & habet exemplum primo de morbis mulierum, in libro de Natura muliebri, in os vteri, alij caput detracto cortice, aut metopium imponito, seu etiam fel scorpij, si os oluerit sequenti die, fœcunda est, si non, non forsan. Metopium à Galbano certè, ad rem nihil aptius fiebat in Ægypto, vt author est Ætius. Iuuat vt à parentibus fœcundis nata sit, & gente: vnde mulieres Taurinæ, & Hebrææ, raro steriles, imò plerunque fœcundæ sunt. Post hoc scire expedit, an prægnans sit.

In libro de Superfœtatione, prægnanti mulieri oculi contrahuntur, & caui fiunt, & candidum fit liuidius. Quod si cum his proximè partui sit, & facies, ac pedes, & crura tumeant, & totum corpus quasi laboret ex pituita alba, & habeat aures albas, & summitatem nasi, labia verò liuida: aut mortuos gestat, aut statim vbi nati fuerint morituros, seu breui, postquam pepererit. Aliud de Natura muliebri: Oculi album, lapide, aut terra rubra tingito, si penetrat, prægnans est, aliter non. Alia experimenta. Si velis noscere an mulier conceperit, mulsam aquam dormituræ bibendam dato: si enim conceperit, alui tormina patietur, si non, non. Et iterum, [Quæ vero gerunt, his vteri os comprimitur, & si mulieri cessent purgationes, neque horror, neque febris superueniat, & fastidia incidant, iudica ipsam in vtero habere.] Ex signis autem abortus futuri, si vehementer gracilis sit, & si aluus plurimum profluat, & si tentio quam tenesmum Galenus appellat, superuenerit etiam, de abortu periculum est, vel si mammæ repentè gracilescant, & si corripiatur morbo acuto, & si sanguis mittatur, periculum est, & eo maius, quo fœtus magis creuerit. Et si ignis sacer ei accidat, lethale est, idem de distentione, ac multis aliis. Non solùm autem hæc, sed multitudo lactis effluentis, indicat fœtus imbecillitatem, sed certum signum est, mensium quoque fluor.

De masculis autem ac fœminis inquit Hippocrates: Mulier si marem conceperit, bene colorata est, si fœminam, malè: & fœtus quidem mares in dextris, fœminæ in sinistris. Mamma ergo quæ magis intumescit, & oculus qui maior & splendidior redditur, declarat sexum de superfœtatione.

Quoniam verò de cura morborum prægnantium mulierum egimus in tertio Promptuarij: ideo hic sufficiet quærere, an medicamentum leniens in prægnante conueniat, & videtur quòd sic: quia quo magis differtur auxilium, eo postmodum periculosius est, nam sine deiectione viuere diu non potest, & per se non sufficit, ergo vel glande, vel enemate, vel leniente medicamento adiuuanda est: Glans autem & enema magis apta sunt ad tetanum inducendum, ergo & ad abortũ, vt suprà visum est, & quod glans sit deterior in hoc leniente, dubium non est, sed quòd etiam clystere, patet, quoniam clysteris opus est, vel intestinorum compressio ferme sola, quam validam esse oportet, aut quæ lenit, & laxat, & tale facit: quæ omnia cùm sint proxima valde fœtui, sunt periculosiora leniente medicamento. Vterus enim incumbit recto intestino, quo repleto, multum affligi fœtum, necesse est. At leniens medicamentum iuuatur ab omnibus intestinis, sicuti dixi de fluxu & refluxu maris, qui fit sensim, per partes post partes: & ita absque dubio minus ex hoc patietur fœtus; ne dum vt affligatur. Plerunque etiam non tantum quæ in crassioribus intestinis hærent, euacuare expedit, scilicet in tenuibus, mesareo, cauo iecoris, ventriculo, exonerando etiam caput, & forsan renes, & lien, & fellis vesica. Igitur lenitio alui non solùm melior est, sed persæpe necessaria. Princeps etiam & Mesue laudant cassiam, dicentes quòd conuenit pueris, & prægnantibus. Datur autem ante cœnam, & manna, & exhibentur ab vnciis duabus ad tres, hoc modo: Sume iuris pulli feruentis, & boni, ac clari, vnc. vj. vsque ad vij. in eo dilue mannæ Calabrensis, perspicuæ, dulcis, ab vnc. ij. ad iij. & vbi dissoluta est, statim effunde in aliam scutellam quicquid clarum est, & permitte residere rursus, & effunde quod clarum est in aliam scutellam mundam facies tertiò, quartò, & quintò, effundendo & abiiciendo quicquid est non solùm fœdi, sed turbulenti, donec prorsus sit perspicuum, vt aqua fermè, & tepidum, quorum vtrumque in idem conuenient, & propina mane per horas quatuor ante cibum, purgat hoc modo bene & copiosè absque vlla molestia, & lenit ventrem. Cassia autem sumitur lambendo. Myxa quoque ex iure, vt sint corpulenta, vua passa cocta: ex oleribus malua tenerior, beta, mater violarum, rumex, siue lapathum, mercuriali non auderem in prægnanti, nisi scirem esse ex specie innoxiæ. Pruna alia magna, quæ ex Genua adueniunt, cocta sunt meliora in hoc casu, & suauissima, sunt autem saccharo condita. Sunt etiam pruna condita cum manna, quæ cocta in iure, sunt valde iucunda & bona. Sunt & Tamarindi. Item Ius caulium duplicium, & coctorum, seu semicoctorum, cum vua passa nigra multa pingui.

Cassia & Manna prægnantibus, possunt exhiberi.

Quæritur, an Hippocrates agnouerit lenientia? & dubium non est, de beta, malua, mercuriali, parum tamen vtebatur: lacte asinino & sero lactis vtebantur, sed modo soluentium medicamentorum, adeò vt exhiberent vltra vnc. c. Mos eo tempore inualuerat vt glandibus, aut clysteribus vterentur. Est etiam alia dubitatio, quid deterius sit in prægnante per se, inedia, sectio venæ, & purgatio, & oportet assumere in minore periculo, vt in inedia, ptisana hordeacea quanta sufficit, confecta cum iure pulli, in detractione sanguinis vnc. vj. ex brachio dextro, in purgatione Rhabarbari vnc. j. cum vnc. j. & ß. mannæ, & decocto fructuũ, & florum cordialium. Mulier sanguinea, boni habitus, annorum XXX. & ita supponatur ascensus in difficultatem, puta, ad duplum in ptisana, dimidium eius quantitatis in Rhabarbaro, drac. ij. decoctum grani gnidij, aut cnitij, in sectione venæ sanguinis vnc. xij. seu libram. Et dico, quòd omissa consuetudine, quòd in morbo acuto minus

An Hippocrates agnouerit lenientia. Dubitatio.

periculum est inedia, quia oportet considerare motum, qui est minor in ea: in detractione sanguinis, defectum alimenti, & hic est minor in purgatione,& vexationem, & hæc est maior in purgatione. Iuxta hæc ergo dico,quòd quanto fœtus erit maior, minus timebit motum,& vexationem, plus defectum alimenti, & ideo septimestris ab inedia, trimestris à medicamento, neuter multum à venæ sectione.

A quibus prægnantes cauere debeant.

Reuertendo ad sanas prægnantes, debent cauere à cæparum vsu, qui facit infantes insanos,à multo potu vini,maximè potentis. Efficit enim obnoxios conuulsioni, ex qua vel mors sequitur, aut nati redduntur inutiles,saltem per longum tempus,& imbecilles cerebro.

Sec. 1051. prope finem. Sec. 101.

Quæ autem ad concipiendum faciunt, plurima enarrantur in libro de natura muliebri: Alia in primo libro de morbis muliebribus:inter cætera Polypi parui, assati, faciunt plurimum ad conceptionem.

§. Par. 45. Vt fœtus conseruetur.

Sed ad conseruandum fœtum, memento illius Aphorismi,Quæcunque verò moderatè se habentes, abortiunt bimestres, & trimestres, sine manifesta causa, his vteri acetabula muco plena sunt,& non possunt, præ grauitate fœtum continere, sed abrumpitur. Nostra ætate vtuntur fœliciter, vt experimento vidi, vnguento Comitissæ super renes. Ego aliâs vsus sum, & nuper:Recipe tragacanthi vnc.j. masticis vnc. j. & ß. gummi arabici drac. iij. acatiæ drac. ß. cum aceto, & oleo myrtino, ceratum quadratum fac. Aliquando ouo integro, cum stupa sericea, & guttis tribus aceti super renes impositis. Ex notis autem antiquo & nostro tempore sunt arthemisiæ,& lauri folia, & vrina tauri collecta, & glandis modo supposita.

Tempus gerendi vterum. Cap. 4.

Cæterùm quod ad tempus gerendi fœtus, seu vterum, quod scire ad multa commodum est, primùm Aristoteles septimo de Historia animalium inquit: [Homini vni multiplex pariendi tempus datum est, nam & septimo, & octauo, & nono mense parere potest, & quod plurimum decimo, nonnullæ autem & vndecimo] modò vt ante septimum nullo modo vitalis sit: octauo autem pauci seruantur in Græcia, sed in Ægypto, & locis fœcundioribus viuunt. Quæ verò quarto, vel octauo mense abortiunt, plerunque cum fœtu moriuntur.

Lib de octimembri partu in fine.

Hippocrates autem vult, quòd mulier non transgrediatur septem quadragenarias, id est, CCLXXX. & tamen seruat mensem, non solum decimum, sed etiam XI. sit vt sub nouilunio: sed Hippocrates statim à plenilunio numerat CCLXXX. dies, velut plenilunium incidat in III. Calendas Ianuarias, in Calendis mulier concipiat, octo menses continebunt CCXXXVI. proinde modum desunt XIIII. dies ad septem Quadragenarias, in quibus & plenilunium contineri poterit, & duo nouilunia, & aliud plenilunium, velut in anno M.D.LXIII. tertio Calendas Ianuarias, celebratur oppositio, & tamen desinant fluere menses: Concipiat in calendis ipsis, numerabit vnus mensis tum, cùm adhuc reliqui mensium supersint, & secundus ea ratione Ianuarij XXVII. in quo plenilunium, & nouilunium tutius XXXVI. Februarij.Iam ergo habes tria plenilunia, & totidem nouilunia, quartus XXV. Aprilis, sextus, Maio mense, septimus, Iunio; octauus Iulio, nonus, Augusto, decimus, Septembri, XI. incipiet Quatto nonas Octobris: numerabuntur ergo dies CCLXXX. Tertio nonas Octobris, qua die pariat mulier, & in his erunt oppositiones X. nouilunia XI. sed in his vnum fictum, & plenilunia X. vera. Inde prudenter adiicit, cùm dies mensium possint etiam duo, vel tres, vel vnus potest variari hoc tempus gestationis vteri per vnum, vel duos dies, quia mulieres computant menses à profluuio, non ab astris. Repræsentari potest partus XI. & XII. & XIII. mensium hoc modo: Mulier in Calendis Ianuarij, concipiat molam, quæ superuiuat ad XXV. diem Martij, X. die eiusdem languescente, & tabescente mola, concipiat puerum, quam pariat tertio Calendas Ianuarij, videbitur gestasse infantem, tresdecim mensibus integris, id est, diebus CCCLXIII. qui sunt menses XIII. dies IX. lunares, hæc est secunda difficultas. Quarta difficultas est, quod hîc agitur de honore matris suspicione adulterij, de successione hæreditatis, & cum hæc pendeant ex tribus prioribus, quæ sunt ambigua: primò propter Aristotelem, qui nullum præfinit tempus gestationi vteri, etiam si nil aliud incidat: secundò propter contradictionem, inter Aristotelem, & Hippocratem: tertiò ob causam de mola, liquet leuis iudicij medicum habendum, qui de his sancire velit firmum aliquid, vbi nulla est firmitas, sed visis rationibus, & benè perpensis,aliena iudicia permittat iurisconsultis, qui multa talia habent iudicanda.

Lib. de sterilibus. Distinctio inter molam & fœtum.

Alia difficultas huic annexa est, vt sciamus distinguere molam à prægnatione, & fœtu, vt dicit Hippocrates, quod prægnans habet determinatum tempus à tertio mense, aut quarto, & post continuatur motus, nisi fœtus pereat. In hoc igitur mola differt, quæ citiùs potest moueri, aut tardiùs, nec postmodum continuatur motus, secundo quia in mola inflantur mammæ, nec tamen generatur lac:in vtero gerente generatur lac, nec adeò effluit:præterea durities molæ est maior, quàm fœtus. Et cùm linteum superponitur fœtui madidum, & frigidum, ex vino rubro,fœtus fugit è loco, & calcitrat, si sit adultus mola non mouetur, aut certè parum, & non omninò calcitrat. Calor etiam prægnantis est viuacior, & lucidior, habentis autem molam, manus, & pedes, extenuantur cum pallore,inflatione,& mollitie. Et generaliter fœtus est,vt res viua cum motu,& læta, mola contra. Et cum mola potest effluere sanguis copiosus,per circuitus cum fœtu,nisi ex ceruice vteri,minor non in trumbis.

Prægnantis victus ratio.

De ratione autem victus in prægnante, si vtatur aqua, est melius, si non, cum vino mali punici si sit imbecillitas ventriculi, & non sit aqua cruda, sed pluuialis cocta, ad consumptionem tertiæ partis, & colata: commendat

commendat bis tantùm in die, & vt pedes frigidi non sint, hora qua sumptura est cibum, & ratio est clara, quia mulieres, quæ repustinant in agris, non sæpiùs edunt, & cibos exigui alimenti, & pariunt fœtus validos, quantò magis ciuilis vita, si consuetudo tamen exigat minus quantum fieri potest, & in hoc, & in aliis sunt vexandæ.

Fœtum confirmantia. Quæ autem iuuant prægnantes, & ne abortiant, & fœtum confirmant, thus, ebur, saccharum rosaceum, borago, oxalis, rubi germina, cotonea, dactyli, cocci semen, tormentillæ radices, margaritæ: malaciam autem tollit succus foliorum, & capreolorum vitis iuuat eas, os monocerotis, ex amuletis, adamas gestatus in brachio sinistro, ætites sed durus, ac ferrugineus, iaspis, dormire, edere carnes lèporum, cuniculorum, testudinum, propriè ceruorum, & capreolorum.

De cibi quãtitate & numero. De cibi quantitate, & numero. Mulier si ab initio prægnationis, fert inædiam, & non appetit, alenda est, vt solùm ferant vires, augeatur cibus pro tempore, & vt pica decrescit in quarto, & ad septimi mensis profectionem, semper augeatur octauo incipiat attenuari, quia fœtus est infirmus: Vnde cum nascitur infans egrè, & oblæsus valdè, & perpetuo, octimestrem esse suspicandum est, à nono mense in posterum, cibus extenuandus, & prægnans exercenda. Ætius octaui mensis, aliam subiicit rationem, existimauit enim, nonum mensem esse partui dedicatum, quod falsum est. Generaliter autem grauida debet cauere à crapula, tristitia, saltatione, multitudine hominum, & maximè in loco arcto, esu multorum fructuum, cinctura arcta, & breuiter ab omni malo per se, ab omni vehementi, ab omni insueto. Auxilia verò ad violentos abortus, scribuntur ab Hippocrate ibi. Triticum torrefactum, & molitum, in libro de sterilibus. Et nil melius est quàm in lecto quiescere per triduum non moueri, non sternutare, non tussire, non irasci, & quæ ibi dicuntur perficere. Lectus sit ex stupa sericea, & si abrumpatur membra prima, id est, exterior, quandoque consolidatur, fœtus enim duabus tunicis continetur, sub interiore sudor, qui fœtum tangit, sub exteriore vrina, quæ interiorem ambit: venæ in his etiam inuolucres disfractæ, consolidari possunt, si vincula, quibus tunica exterior vtero annectitur, frangantur, aut etiam luxentur, abortum faciunt ante tempus, si modico tempore, ante ortum fit partus. Obseruandum est etiam pro harum nulerum custodia, vt cibi, quos appetunt, dentur: nam si non, cibi denegati abortum pariunt, quid cibi? Vulgus tamen, imò Princeps existimat, maculam similem fœtui corporis affigi, non verò abortum: Hippocrates, si edantur, putat maculam gigni, non si denegentur. Ergo si febris lenta sit, sufficiet dare tot vicibus, quot in sanitate, carnea pro carnibus, fercula pro solidis, vinum granatorum, loco vinorum ex vua, lenire sæpè ventres, cibi quantitatem paulo minorem solito, somni tempus augere: Vitellos ouorum pro tostis, & in secundis mensis cotonia, seu cotonia condita, vel nuces saccharo præparatas. Caseus cum pane & vino astringente, plurimum prodest ad fœtum confirmandum. Est enim caseus vltimum, quod est in nobis ad firmitatem, oua testitudinis nemoreæ, inde oua anserum, & caro earum, & semen graminis satiui, quod est simile orizæ, pessarium ad confirmandum fœtum, resina, mel flos æris, inde abluito cum vino decoctionibus myrti. Modus alius, foue locum ex decocta fructuum, & foliorum cupressi atque lauri, inde post, pessarium ex amaraco, & staphisagria, aut lolio, aut leporino coagulo, vel lapide samio, leuis est, durus, quo aurifices aurum polliunt, candidus seruat enim fœtum.

A quibus grauida cauere debeat.

Lib. 16. cap. 11. Sec. 15.

Fœtus duabus tunicis continetur.

Vesalius lib. 5. fig. 30. tabula 3. & 4. & cap. 17.

Nota.

Dubitatio. Est etiam notandum, cur quæ concipiunt (vt dictum est) macilentæ, abortiunt antequam crassescant, nam si crassescendo, periculum abortiendi augetur, igitur dum crassescunt, de abortu periclitantur: si enim crassescunt quæ tenues erant, ob id fit, quod sanguis melior redditur, sed sanguis antea corruptus erat, non enim præter naturam tenues essent, ergo fœtus trahit ob robur paternum, quod ineptum est alimento suo, quare tandem obortient.

Cur lacte mammæ tumeant. Quod autem lacte mammæ tumeant, contingit ab initio, quia cum consensus sit ab illis, ad vterum, ideo attracto sanguine ad vterum, quod residuum est, & dulce ad mammas transmittitur, sunt autem duræ, quia non concoquitur, graciles, quia parum, vt in libro de fœtuum formatione. Cùm autem creuerit, & mammæ magis turgent, minus crescit durities, cùm concoquitur, molliuntur, si magnæ sint: Calor ergo reuocatus ad mammas lac concoquit, & fœtum deserit. Si ergo fluit, aut perfectionem fœtus significat, aut debilitatem. Raro autem si abortiat, calor adeo deficit, vt lac non possit gignere.

CAPVT XI.

De generatione fœtus.

Nota. ET de generatione fœtus, cùm pœnè infinita dici possent, morem non sequar eorum, qui vel dicunt, non dicenda, id est, non necessaria fini intento, velut conseruandi fœtus, ac simul matris, aut omittunt necessaria, scilicet declarationes eorum, quæ dicuntur, ex his fidem dictis facimus, ostendimusque necessitatem agendorum: Et ex declaratione, modus ad singula parata, vt quæ necessaria sint, sciamus, quæ non necessaria sunt, omittamus, quæ verò sint omittenda, aut agenda, qualia, & quanta esse oporteat, non ignoremus. Hoc igitur principium, & auspicabimur ab Hippocrate, quoniam menses, primus, & octauus, seu secunda, & sexta quadragenaria sunt periculosissima, sed & vltimi dies sub partu: nec est spes in huiusmodi, nisi quod quantò facilius abortiunt, eò etiam fœtus facilius seruantur: partus enim omnes, quidam sunt abortus, vt ita dicam, quandoquidem obstetrices non aliud curant, quàm vt sternuant, aut vomant, sed non est violentus, quia patientis natura,

Abortus quādo.

natura, ei motui auxiliatur. Abortus igitur dicitur quando causa præter naturam vrgere incipit, ante motum naturo. Cùm tamen est perfectus, & fuerit causa leuis, poterit viuere, vt aliqui etiam ex septimo mense seruati sint, nedum ex nono, & decimo. Similiter & in prima quadragenaria ab initio sunt periculosissimi, quia sunt debilissimi, in septem primis diebus, & in tribus, & ipsa prima die. Dicebat enim Hippocrates, [Iuniora tertio mense, & seniora veteri oportet.] In octauo autem mense, iam ob labores septimi, & octauum mensem, & sextam quadragenariam infans debilis est, quasi æger, cùm maximè valet, ob id & illum cauere oportet, inde mensem post tertium. Verùm cùm nostri propositi finis sit, seruare viuum, & validum: nam si imbecillis nascatur, primum morietur, aut si non inualidus erit, at nos volumus validum, atque robustum seruare. Cùm verò abortiat mulier, morietur infans, & si moriatur in vtero abortiet. Paria erunt ergo seu abortiat seu pereat, sed non pari modo hæc accidunt, abortit ob matris læsionem, moritur fœtus ob proprium incommodum: si vterque pari modo afficiatur, & abortit, & talem, vt antequam nascatur, obeat, vel in ipso nascendi tempore, vel paulò pòst, & causæ quæ abortum mouent, etiam quod abortu ipso enecent, peculiariter etiam fœtui nocent quoniam si abortum efficiunt, violentæ sunt, & potentes, quantò magis ergò fœtui oberunt. Quæ igitur fœtum occidunt, aut debilitant, aut abortum faciunt, aliæ quidem obsunt matri, aliæ fœtus; (quod de vtrisque & sit necessarium aliunde manifestum existimo) aliæ ipsi coniunctioni, qua fœtus alligatur vtero, & corpora mulierum, & fœtuum, alia sunt sana, & alia ægra, alia robusta, alia imbecillia, & fœtus à sterilibus concepti, plærunque debiles sunt. Causæ enim propter quas non conceperunt, conceptui iam facto obsunt, ac nocent, & quæ hîc nocent: alia quidem per se nocent, vt venena, & medicamenta, alia quoniam necessaria auferunt, vt venæ sectio, & inædia: alia quia valida, velut motus animi, corporis, & vt quantò magis noui, atque insoliti. Propositum est autem, non solùm seruare, vt dixi, fœtum, sed incolumem, & non solùm incolumem, sed firmum viribus, & bene annexum matri, & neque tantummodò id, sed etiam crassum, atque corpulentum, bonique habitus, sed hoc post. Iam omnia ergo, & bona, & moderata, & consueta habere oportet, Quinimò in ipsa generatione, & mulieri, & viro robusta affert edulia, palumbos siquidem, & suillam carnem, & assa omnia, & alicam, & mazam, & panem, & vinum nigrum, & austerum, eadem ratione, & caseus. Abstineat à Venere, & si prius lactauerit, siccetur lac, si fœtui consulere voluerit neque famem patiatur, neque comprimat ventrem, & ob id lenem aluum habeat, & exerceatur quotidie, & læta viuat, nec repentinis mutationibus se exponat, diu in lecto quiescat, & diu dormiat, si aluus non demittat, iuribus salsis vtatur, velut cochlearum, chamarum, & choncarum, & brassicæ, & betæ, & atriplicis, & si necessarium sit medicamentum, manna

Octauus mēsis periculosus.

Cur sterilium fœtus debiles.

Vt fœtus propositum assequatur.

Quæ sua proprietate fœtui prosint.

pinguis exhibeatur, & quædam sunt, quæ fœtui proprietate sua prosunt, margaritæ, coccus, dactyli, eboris scobs, & pyrethrum, & piper longum, & sulphur viuum multum prodest, in his quæ ex casu periclitantur: super omnia enim casus ad abortum facit, & adeò vt persæpè periculosius sit, non cecidisse, quæ cadere iam cœpit, quàm cecidisse: si enim cadat, & fœtus non lædatur, non abortit, at quæ non cadit plerunque, dum retinetur, abortit: si tamen durum sit, solum periculosius est cadere, quàm retineri. Sternutatio quoque, & vomitus sunt inimicissima, & valdè amara in clysteribus, & magis per os, & prouocantia menses, vt sabina, abortum mouent, quamvis Princeps authoritate Rasis, eis vtatur, sericum etiam, & symphyti radix, omnia sunt vtilia, & aqua chalybeata, & caseus pinguis, ac mollis, iuxta ignem siccatus, & carnes leporis, & capreoli, & apri, assæ in veru, vel in patina bonæ sunt, sicut & oua recentia gallinarum, sed testudinum, maximè nemorearum, creduntur propriè, abortum etiam diu consuetum, prohibere: & ætites brachio alligatus, qui prærus est, & splendidus, nec magnus: & chondrum, & oriza meliora sunt ptisana à lacte ob flatum abstinere oportet, ab omnibus acribus, & longè magis amaris, aut vrinam prolicientibus, aut aluum purgantibus, aut flatum mouentibus abstineat, tum à crudelitate: palàm est ergo quod legumina plurifariam obsunt, maximè ciceres rubri, erinacei, seu ericij, boni sunt, caueant accliuia ob laborem, extensionem, & anhelitus magnitudinem: decliuia ob lapsus periculum. Ab ira quoque, & tristitia, & vino plurimo, aut potenti. Prægnantes enim quæ vino plurimo, aut potenti vtuntur, aut cæpis multis, aut quæ multum ieiunant, stultos edere fœtus solent: aliæ etiam oblæsos, aut cæcos, aut surdos: continere etiam se à cibis valde desideratis, valde nocet, vt suprà diximus, adeò vt credant, si membrum à muliere tangatur, eorum vestigium imprimi in consimili membro fœtus, quod videtur frequentibus experimentis confirmari. Causamque esse reor, animæ maternæ, cui infantis anima coniuncta est, tanquam potentia vitæ munere fungens, vt dictum est de fœminino semine, in formatione ad masculinum comparato, tum verò calor, qui est animæ instrumentum, mouet sanguinem atrum, (ob id quod frustrata est desiderio vehementi mater, & adducitur sanguis, etiam si ibi non esset) ad membrum simile, sicut mouemus membra iuxta imperium rationis, & fit macula similis rei desideratæ in membro infantis, & hoc contingit raro, ob multitudinem eorum quæ necessaria sunt.

Quæ prægnātes cauere debeant.

Cur vestigiū cibi desiderati à muliere, membro fœtus imprimatur.

CAPVT XII.

De incremento eius.

IN incremento autem accidit, quod diximus in duodecimo Contradicentium, neque enim tum primum siccari incipit, cùm oritur, sed

ſed ab ipſa die concubitus, verùm tam bene conuenit illi, cum ſanguine menſtruo, & mulieris ſemine, vt augeatur, & melius reddatur, quoniam à loco calido concoquitur, atque ſpiceſcit, licet enim terreum fiat magis indies, attamen melius redditur, quia pinguius, ſi enim operationes omnes fiunt meliores, neceſſe eſt principium melius euadere, aliter non eſſet principium, niſi in alio. Experimentum habes, quod qui naſcuntur ex parentibus iunioribus, robuſtiores ſunt, maioris corporis, ſapientiores, magis ſani, & longioris vitæ, natis iiſdem parentibus adoleſcentibus: neſcio ergo cur velit Galenus, calorem non augeri in iuuenibus, ſed vaſa tamen, vt cùm ſunt optima poſſent illud Maronianum dicere:

Qui fœtus robuſtiores ſint.

Mantua ve miſeræ, nimium vicina Cremonæ.

Tum exponatur iam ſenium ob vaſa terrea facta, & quoniam tum primum incipiunt exinaniri, fieri nequit, vt ab initio generationis, quia ſiccetur perpetuò, vt fiat deterius: nam aliter accideret natis, vt ſemper parentibus eſſent deteriores, quod quidam fabuloſè commenti ſunt. Sed fac vt homo quidem perpetuò fiat deterior, ſemen tamen meliùs ſe ipſo gignere poſſit, illa ſanguinem ex quo fœtus nutritur, fiet ergo & ſemen genitum, vt dixi, deterius in dies, & procreati à parentibus iunioribus, ſemper erunt meliores, ſed experimento ſalſum eſſe deprehenditur: ſin autem dicas, ſemen quidem melius poſſe procreari, quoniam vaſa illa, non cum homine conſeneſcunt, ſed habent diuturnius incrementum, iam nullum incrementum faſſus es, hominem habere, ſed perpetuò, & in dies fieri deteriorem. Oportet igitur vt dicas, vaſa illa contra naturæ curſum fieri meliora, at quid de ſpiritu illo, qui à corde deciditur? Sed fac, vt & ille, in vaſis melior fiat, non vt pariter, & illa vaſa ſicceſcunt? Ratio enim demonſtrat de omnibus, & tamen per ſe meliora fiunt, igitur ſiccitas non obſtabit, quin humidum, & calor, & totum corpus, non melius fiat. Dices forſan, quid ſolum caſu meliora fiunt, quia capaciora, & ideo cum plus ſpiritus trahunt ad ſe, & continent, ſed id non ſatisfacit, nam ſi terreum deterius eſt, quantò plus erit, erit terreum magis, ideóque deterius? Quod ſi dicat multitudinem ſupplere: & ego dicam incrementum etiam humoris innati ſupplere. Præterea poſt trigeſimum quintum annum, in omnibus vis gignendi fieret: at non eſt, fit enim terreum, tamen magis humidum, neque vaſa fiunt maiora, nec calor perfectior. Palàm eſt igitur humidum pingue, quod ex vberanti aqueo abundet fieri coctione, meliùs admiſtione ſicci, tum ob calorem, tum ob ſiccitatem, nec niſi quod minùs ſufficiat, culpari poſſe: ſed neque id quidem, cum oleo ſale adiecto in lucerna plus duret, vt non quælibet terrea admiſtio, hac in parte deterius reddat innatum humidum, ergo ob vaſa ipſa, cum extendi nequeunt, humidum, & calor, deficiunt, & abſumuntur, id eſt, poſt iuuentutis ſtatum. Augetur autem certa ratione, quia oportebat maius eſſe, nec in viro ea multitudine

Incrementum nullum habere hominem.

concoqui poterat, verum diuinitùs annexa vita, & calor in ea continetur, donec poſſit calor conſiſtere, ac vita quæ eſt ab anima, principium autem non deficit, ſed eſt incorporeum, neceſſe igitur fuit, vt augeretur, & æqualiter vt forma ſeruari poſſet. Simile enim à ſimili augetur, & gignitur, quocirca omnes partes extendi oportuit, vt eadem manente ſubſtantia, maius fieret, & ſiccius, & vbi ſiccum cum actionibus auctum, & incrementi finis. Quomodo ergo quælibet pars aucti augeatur, naturæ opus eſt, non artis, velut ſcabellum: hoc autem, quia quælibet pars trahit, velut in flumine aqua, cuius partibus ſingulis appetitus deſcenſus ineſt: non vt in partibus, non diuiſæ, non deſcenderent, nec vt in toto: vaſa enim non diuellerentur, ſed eſt aquæ, vt aquæ non totius, aut partis, ſimiliter & animati ad incrementum, & nutritionem: an eo vſque, finis noſtræ ſapientiæ, nam & illud dubitatione dignum eſt, ſi extenditur, & augetur, an extendatur, quia auctum, aut augeatur, quia extenſum? Hæc igitur alterius ſunt contemplationis. Quæramus igitur potius illud, an exercitatio faciat ad corporis incrementum? Atque id, dum corpus augeri poteſt, nam poſtquam illud, aut non mutet, aut potiùs ſiccet, palàm eſt. Id ergo primùm aſſumamus, in quo labor nullus eſſet, ad demonſtrandum ſcilicet quietem omnimodam incremento inutilem eſſe, ſuperfluum quoque exercitium: moderatū autem, & continuum, augere corpus in militibus, & athletis, conſpicuum eſt: ſed nunquid, ſi auget corpus plus iuſto, acceleret ſenium? Videntur autem creſcere eò vſque, vt reliqua, in maiorem autem molem, quoniam ab initio & in proceſſu magis augentur. Augentur igitur calor, ſanguis, ſpiritus, oſſa: hæc igitur augent proculdubio calorem, non tamen perfectiùs illum efficiunt: ob exercitium ergo calor augetur, & calor auctus multas extendit partes, quæ antea non poterant extendi, quia terreæ, & multò ampliùs, vnde ſuppeditante alimento, corpus euadit maius. Manifeſtum eſt ergo, quod neque deficere oportet alimentum: ſic enim ſiccatur, neque poſt alimentum exercitatio couenit. Corrumpit enim humores, neque ſine exercitatione alimentum copioſum, calorem enim obtundit: neque expedit augere corpora, niſi reipublicæ cauſa. Quibus receptis vt corpus augeatur, & humidis opus eſt, & minimè ſiccantibus: humectant igitur lac, & ſorbitiones magis, quàm ſolida, vel potus: hi enim ſolidas partes non nutriunt, illa ſiccant. Somnus prolixus, balneum, lætitia, & carnes quadrupedum magis faciunt ad incrementum, quàm auium, aut piſcium, & magnorum animalium quàm cuniculi, & leporis, & domeſticorum, liberorum tamen, quàm ſylueſtrium: ſylueſtrium apri, & cerui: domeſticorum ſuis, & caſtrati, inde iuuenes, & iuuenum ex iure potiùs, quàm aſſatorum, & ex piſcibus eorum, qui ſanguine præditi ſunt, & magni corporis, vt tynnorum mareuinorum, & Cyprinorum, ex aquis dulcibus, & ſturionum, & carnes animalium, quæ ſemper creſcunt, dum viuunt, vt polypi, anguillæ, & murenæ, & nemoreæ teſtudines, & oua,

Simile à ſimili augetur, & gignitur.

An exercitatio faciat ad corporis incrementum.

& caseus mollis. Et vt omnia ritè conficiantur, & cœna copiosior prandio, & aqua multò vtilior est vino: Vitare oportet omnia acria, & acida, amara, multitudinem salis, medicamenta purgantia, sudoris copiam. Crescunt corpora quæ calida sunt plurimum, in regionibus frigidis, humida in calidis, in temperatis, nulli fermè viri inueniuntur magnitudinis eximiæ, sed & maritima loca, magna solent efficere corpora, sed vt ne debito incremento corpus defraudetur, procurandum est, ita maius incrementum, quàm pro natura debeatur, cibis, somno, exercitatione comparatum, inutile est, corpora enim siccari, iusto plus necesse est: & vel alimentum, moli non sufficere, vel vires alimento deesse, quæ causa est morborum in quibusdam. Venus prohibet incrementum, & in quibusdam causa, velut & morbi.

CAPVT XIII.

De nutritione, & facultatibus naturalibus.

Quomodo incrementum ac nutritio fiant.

FIt autem nutritione incrementum, nutritio autem concoctione, quamobrem & principalis quædam est vis, sed eam præcedunt attractio, atque retentio, subsequitur autem expulsio: fit autem nutritio, aut ob dissolutionem solam, post ætatem incrementi, dum illa viget, ob vtrumque scilicet, dissolutionem & incrementum, ob id vtrique intercedit similitudo, quod forma manet, materia autem per quam fluit, aut refluit. Differentia quoque est inter nutritionem, atque concoctionem, cum nutritio sit concoctio quædam, & concoctio est pars nutritionis: In nutritionem autem apponitur, in concoctione non apponitur. Septem igitur, cùm sint facultates naturales, attractio, atque retentio, coctioni famulantur, expulsio ipsi membro, coctio nutritioni, nutritio incremento, generatio per se sola est, & res quædam diuina. Quatuor igitur sunt ordines, & duo extra, Extra generatio, & expulsio: ordo autem est attractionis, & retentionis ad coctionem, coctionis ad nutritionem. Hæc autem propter se, aut propter se, atque incrementum. Idcirco optimè augentur, aut restaurantur, quæ optimè nutriuntur: aut non sine optima nutritione fit alterutrum horum, vt neque absque coctione optima, nutritio optima, neque sine retentione, coctio: & quanquam opera quasi se consequantur, atque inuicem coniuncta sint, attamen facultates ipsæ, inter se diuersæ sunt. Interest inter coctionem, & attractionem, atque expulsionem, quod coctio solum à naturali calido adiuuatur, expulsio, & attractio etiam, à præternaturali, vt aëris, atque vini, ac vestium, & exercitationis. Quicquid enim immoderatum est, pro præternaturali habendum est, imò etiam à febrili iuuantur, & retentio à sicco quovis. Quod si siccitas debilitet retentionem: si attractionem, aut expulsionem, febrilis calor id agunt, vel debilitato calore naturali, aut siccato humido, quod solebat expelli: atque sic mortis breuis in acutis, certè, in diuturnis, signa sunt. Palàm autem est, quod concoctio, & retentio, quiete indigent, velut expulsio motu, vnde illud. [Cùm volueris ducere helleborum, moue corpus, cùm verò sistere, fac vt quiescat.] Concoctio ergo plerunque prima deficit, si tamen expulsio antea, id plerunque contingit, ob malam compositionem, & si attractio deficiat, aut retentio, & concoctio vitiata non sit, erit qualitas mala, aut humor malus, sed hoc plerunque. Nutritio prætera debet esse minor, & ratione finis, & ratione causarum, quæ illam efficiunt, vbi incrementum desierit. Incrementum autem autem augetur, & post minuitur, cum desinat aliquando: Verum maximum videtur esse, vsque ad quinque annos in longitudine, nam quilibet infans, cùm peruenit ad dimidium longitudinis, atque ideo ad octauam partem totius molis. Et si æqualiter augerentur dimensiones, esset dimidium incrementi, cum longitudo perueniret ad perfectionem quatuor partium ex quinque, id est, supposito brachio Bononiensi viginti vnciarum, & perueniret ad sexdecim. Verum manifestum est, quod ab initio minus augentur crassities, & latitudo, cuius indicio est carmen illud obscenum Martialis:

Differētia inter concoctionem & nutritionem.

Facultates naturales septem.

Nota.

4. Aphoris. 11. 15.

Ille tamen gracili, cum Ganymede iacet.

Quia crassities magnitudini non respondet: si ergo infans quinque annorum, est minor octaua parte sui ipsius, cum est vir, necesse est vt multo plus augeatur in pueritia, quàm in iuuentute. Cum fermè pro ratione proportionis annorum crescat, scilicet decupla, quæ est triginta ad quinque, vigesimo quinto anno parum crescit, adeò vt multos lateat incrementum illud circa viginti, vnum antem est finis incrementi in longitudine: cum ergo statuerimus duos numeros æquales, quorum vnus fuerit sexcuplus alteri, & crescant à puncto ad maximum terminum, necesse est, vt maximus terminus sit finis vnius, & principium alterius, velut in a. b. c. d. si a. b. d. sit æqualis b. c. d. & terminus incrementi sit b. d. ex quo incipit declinare, erit ad maximum incrementum, vel finis vtriusque, vel infra b. d. Maximum igitur incrementum erit in longitudine b. d. in reliquis erit c. cum finitur incrementum in longitudine, quare in quarto decimo anno erit maximum incrementum: igitur tunc necessaria erit quantitas maior cibi, & semper similis ei qui nutritur, ideoque in dies букcciores, & ob id oua vitam breuiorem efficiunt, & morbos procreant, & illa refugit Hippocrates, in adultis autem sunt etiam peiora. Lac autem, quia partes habet, quæ separantur, ideo vtile est etiam senibus: in infantibus ergo, ob mollitiem substantiæ, & quia carent dentibus, & facultas concoctrix validissima est, conueniunt non aliis, & his qui Venere superflua, nec ad prolem vti volunt, satisfaciunt, sed dubium non leue emergit de incremento carnis, quod fit omni tempore, vt etiam quandoque in ætate decrepita, & dicimus, quod iuxta illud, non debemus instituere



Oua cur breuiorem efficiant vitam.

stituere victus rationem: intra enim debitam mensuram, si non bonum semper, sæpè etiam malum est. Ergo cum corpus maius est, ampliori indiget nutrimento, & cum calor maior est, nec nutriatur, velut & ab igne, corpus absumitur Prima Aphorismorum. Et si crescat, indiget bifariam maiore alimento, & vt restauretur, & vt augeatur. Cumque restauratio præsupponat resolutionem, vbi maior fit resolutio, maior erit necessaria restauratio, & in maiore corpore nutriendo, plus alimenti requiretur. Cum ergo primum senium aduenit, ob ea quæ dicta sunt omnia, præter hanc vltimam causam, minore indigebit alimento, perpetuóque attenuabitur, tunc enim iam vt magnum sit necesse ob caloris, & corporis magnitudinem. At inter annum quartum decimum, & trigesimum quintum, calor, & corpus augentur, incrementum autem, & resolutio minuuntur, quia humidum magis terreum factum est, ideo cum incrementum caloris, & corporis, fermè fit ad duplum, incrementum autem ipsum & resolutio non adeo minuantur, necesse est, vt cibus fermè dimidio augeatur, nam dupli duplum, quadruplum est: minor est autem incrementi, & resolutionis ratio iuncta, tripla absque dubio relinquetur, igitur sesquialtera. Hæc autem non tanquam ita sint, sed vt intelligamus, à quarto decimo anno incrementum cibi, & vsque ad vigesimum quintum, vltra autem fermè stabit ad trigesimum quintum. Est autem duplex incrementum, in quantitate, & qualitate. Qui autem plura deducit in vnum, & declarat, qui vnum in plura, laborem addit, vtrumque autem necessarium est. Est igitur vnum, alij plus, aut minus, seu multum, seu paucum. Ergo qui pauciore vtuntur cibo, dum æqualiter aluntur, minus excrementi pariunt, & ob id minus mali afficiuntur, aut laborant. At quibus maior est ventriculus patens, cibus non adeò bene concoquitur: hæcque ratio habenda est eiusmodi, in his, sicut etiam quod humida, humidis, vt dixi: An verò calida calidis, non equidem, nam frigida, frigidis cùm non conueniant, & temperata, temperatis contra, conueniunt enim frigida calidis, & calida frigidis, non enim necesse est vt similia sint, ab initio. Multum autem refert qualis sit naturæ ventriculus, at nos supponimus, non solum temperatum, sed densum, atque robustum etiam, ex influente sanguine, seu à corde, seu iecore: Et in concoctione quies, & somnus, cùm necessaria sint etiam in nutritione, vtilia erunt. Cùm tamen nutritio perpetua sit, quiescere, neque dormire perpetuò possibile est, sed etiam exerceri est necessarium. Quæ igitur bene nutriunt, Hippocrates non semel docuit, panis, maza, caro, pisces, caseus, vinum: lac quidem bene nutrit, sed non omnes, oua, ac reliqua, & vuæ passæ, suo loco describuntur. Porrò ante ortum omnia hæc, sed sola generatio desinit, reliqua manent.

Corpus maius ampliori indiget nutrimento. 14.

Corpus & calor donec augeantur.

Incrementum duplex.

Qui minus mali afficiantur.

Quæ in concoctione vtilia.

CAPVT XIV.

De ortu infantis.

QVæsitum est à pluribus, de infantis natura, vnde originem ducat, ab ortu-ne, an generatione? Cùm enim infans ali iam præ magnitudine non potest, & quoniam circuitus, & perfectio non patiuntur illum sic nutriri, atque inter reliqua etiam, cælæ cordis maiore indigent refrigeratione, calcitrat, & membranas quibus continetur lacerat: Vnde iam se continere non potest sedens, sed circumuoluitur: vtique dum erectus esset, faciem habebat ad dorsum, ita vbi circumuolutus est, faciem ad ventrem matris vertit, & vbi nascitur, facie ad cœlum conuersa semper oritur, si supina sit mater: At non semper, & si plerunque capite prius, inde corpore reliquo. Agrippæ pauci nascuntur, pedibus, scilicet priùs quem ortum infelicis auspicij esse ducunt, cùm auersis brachiis nasci necesse sit, & quod caput retineatur, vt facilè strangaletur, & imbecillitatis signum est, cùm antea non se conuerterit: propterea pauci seruantur ex his, multo pauciores, atque deteriori modo oriuntur, prælato brachio, aut crure vno, aut curuati, & duplices, omnes enim moriuntur, & pro miraculo censendum, si quis euadat. Difficulter enim, ac cum labore, & periculo matris, ac sui nascitur, nisi obstetrix huic periculo prudenter occurrat, debet itaque manu leniter intromissa per portam, eum intra secundinam ad iustum modum vertere, & caput inferius ad partum disponere, & sic singulis partus impedimentis occurrere debet obstetrix, quæ contingere solent, & obseruare, ne pariens nimis verecunda sit, aut multum timida, vel iracunda, vel nimis gracile corpus, vel pingue habens, nec sit imbecillis, aut orificium habeat angustum, aut contortum, aut vtraque parte clausum, aut in vicinitate hæmorrhoides, aut humorum collectiones, & infans caput grande habeat, aut corpus in quantitate excedens, aut mortuus, aut gibbosus, aut contra naturam positus vt diximus. Porrò vbi statim editi sunt, ore respirant, & suggere necessarium illis est, cùm antea vtrunque vmbilico facerent, constat enim per vmbilicum fœtum nutrimentum in vtero matris recipere, & per eundem lotium emittere, quem cùm primum infans in lucem editus est, obstetrices iuxta ventrem præscindunt, & earum prudentiores, post abscissum, leuiter exurunt, porrò ipsius vrinaculi residuum, cuius alta pars secundæ, intra vterum hæret, parturientis fœmori alligant, sæpè ex eo sanguinem fluere procurantes, quo ad fortè exarescat, vel saltem si modo diu ita manet, altiori in parte scindant: Resecto tandem vmbilico, vel alligato à ventre quatuor digitorum spatio, lana munda, quod melius est, vel filo lanæ vniformiter retorto, id est, sine nodis, ne doleat infans, cùm suauius sit filum lanæ, quàm serici lini, vel canabis, & minùs dolorem commouet, constringunt, ita vt

De infantis natura.

Agrippa pauci nascuntur.

Per vmbilicum fœtus nutrimentum recipit, atque per eundem lotium emittit.

Ab ortu infantis quid agendum.

vt impediatur transitus alimenti, & spirituum, ita vt exsiccetur, ac cadat: cessant enim vtilitates propter quas factus est, vbi ergo ortus est infans, balneo tepido abluendus est. Mollis enim aqua reficit ipsum, & mundum corpus eius reddit, & aëris iniuriam arcet, inde fasciis non strictè colligandus, & strato molli admodum collocandus, temperato, nec tum perflato aëre. Antequam autem balneo tradatur, caput in rotundam formam comprimendum, atque decentem, nasus eleuandus, dirigendusque, & si quid contortum sit, extendendum, & vt omnia sint paria procurandum, dum molle, ac tenerum est corpus. Inspicere oportet etiam, an nares, & anus perforata sint: si enim non fuerint, digito anus minimo, nares candela cerea sunt aperienda, vt de corpore excrementa educi possint, atque necessaria intromitti, & si contingat caput fœtus ab obstetricibus aqua plenum reperiri, quod sæpè euenit, & cognoscitur tempore partus, iuxta os vteri, quæ nil aliud est, quàm lotium intra agninam membranulam contentum, quæ nondum disrupta est, vt autem breui disrumpatur, & pueri caput liberum maneat, micam salis super membranulam illam obstetrices apponere debent, & breui disrumpetur. Aquæ igitur tepore, vel vini foueatur, qui sit interni, maternique caloris illius æmulus, in quo maximè delectatur infans, vt ab vniuersa cute, viscosa sordities detrahatur, & vt ne facilè ab extrinsecùs aduenientibus læderetur infans antiqui tenuissimo conspergebant sale, modicoque, vt à Galeno desumitur. Primo de tuenda sanitate, quamuis Auerroes ex authoritate Auenzoar, potius oleum ex glandibus, loco salis laudare videatur, cum eadem vi, qua & sal præditum esse dicat, & sine mordicatione, pro cuti condensanda. Hallucinatur tamen, quia & si sal exiguam præbeat infanti mordicationem, ab ea tamen minimè læditur, & non modò cutim mediocriter densam reddit, verùm etiam sordidas, cutique imbibitas humiditates, in vtero matris acquisitas, resoluit, quod oleum non facit, ob eius vnctuosam substantiam. Non desunt etiam qui pro condensanda corporum infantium cuti, eos nuper natos, in aquam frigidam immergunt, quod ferè apud omnes Barbaros continuo vsu habetur, quod & ad sanitatem, & ad bellicas actiones maximè proficuum esse existimant, & desumpserunt ab Aristotele Septimo politicorum, vbi inquit: [Confert enim statim à pueritia frigori assuescere, hoc enim & ad sanitatem, & ad bellicas actiones vtile est, quapropter apud multos Barbarorum consuetudo est, vt gelido amne, natos immergere, vel parua veste amicire, vt faciunt Galli. Ad cuncta enim ad quæ possibile est, statim ab initio melius est assuescere: est autem apta puerorum natura ob eorum calorem, ad frigus exerceri. [Cui tamen opinioni, ac Barbarorum consuetudini tacitè se opponere videtur Galenus, dum in Primo de tuenda sanitate inquit: [Pueri cutis non est in superfluum densanda, quia facilè ab ægritudinis internam causam habentibus postea caperetur, ob impeditam corporis transpirationem. Præstat ergo

Vbi fœtus caput aqua plenum reperiatur, quid agẽdum.

Nota. Cap. 7.

Barbarorum vsus damnatur. Cap. 17.

Cap. 10.

vtrumque declinasse excessum, nec adeò densam reddidisse cutim, vt corporis trãspiratio prohibeatur, nec ita raram, vt à qualibet extrinsecùs incidenti lædatur.] Ideo hac ratione animaduertendum, ne dum infantes ad sacros fontes deferuntur, tempore hyemis, nuda eorum capita, frigida aqua perfundantur, sed tepida, & præcipuè si nobiles, & delicati fuerint. Porrò lactationi propria, alia quidem ad infantem referuntur, alia ad nutricem, alia ad vtrumque. Ad infantem quidem, quia cùm mollissimè tractandus est, & in vlnis gestandus, & in cunnis agitandus leuiter, à lectatione vt somnum capiat, & æstate tegendus circum circa tensa, ob muscas, hyeme ob frigus accinendum etiam leui voce, ac suaui, vt dormiat, dum agitatur, mundisque linteis, & ab vrina, & magis à stercore purgandus: atque inuoluendus, neque temerè, aut indiligenter. Ex parua enim compressione, velut & nimis intensa contorquentur quædam membra persæpè, sed à nimia etiam corporis, partes contabescunt, & extenuantur. Et si obliqua sit, aut in inæqualis fasciarum constrictio, & terminus cuius est, ac modus, vt pares sint pedes, ac manus, & vt non ploret infans immoderatè, sed lætus sit. Et vt prius deiiciat aluum, vrinas, inde mundetur, inde lauetur anus, aqua frigidiuscula, post fasciis, postquam parum luxerit, inuoluatur, bene siccis, & hyeme tepidis, æstate temperatis, post lactetur. Et infanti, qui bene crescit, nec vomit, neque ægrotat, & alacer est, & dormit, & aluum & vrinas opportunè demittit, & boni coloris est, terminus lactationis est infantis voluntas: aliis non ita indulgendum, sed plærunque minus. Et ablactatio fit in principio hyemis, cùm corpus est iam refectum ab autumno, & somni sunt longiores, & coctiones sunt meliores. Vnde nato eo tempore sufficiunt duo anni tantum: nato autem sub bruma, menses XXXIIII. aut propè, aut duobus annis peractis, oportuno tempore ablactetur. Tum verò & melius, ac magis appetunt cibum. Et cùm semper tenellus puer, & vsque ad annum quintum sit, ita regendus, vt præter omnia non paueat: nam plærique eo facto, correpti conuulsione anhelosa, quæ propria est infantibus, ipsa die, vel paulò pòst moriuntur, tum etiam à molestia omni, & agitatione, & tristitia sunt arcendi. Degant in cubiculo medio, & ad orientem conuerso, vt etiam serenis temporibus, Sole ipso gaudeant, & ventum orientalem, nisi temporibus admodum frigidis sentiant, & venter imus angustius comprimatur, quàm ab vmbilico suprà, sed minus etiam multo pectus, cauendo ne distorqueatur & in gibbum transeat, lotio verò vt frequens mala, & nulla, sordidos relinquit: ita mediocris confert æstate singulis septenariis, hyeme quolibet mense semel, temporibus mediis bis. Abstineat infans, qui lactat omninò à vino, tanquam veneno, tum quia vinum petit caput, quod infantibus est imbecille, & gignit vt plurimum epilepsiam, ex qua plerunque intereunt, aut syderantur. Et debilitat cerebrum illorum, vt fiant stulti, cœci, strabi, dentibus infirmis. Vinum præterea concoquitur in tribus horis, cum serius lac

Nota.

Lactationi propria.

Lactationis tempus.

Infans qui lactatur, cur à vino se abstinere debeat.

lac in sex, ideo vnum corrumpit alterum: mixtio præterea lactis, & vini, est natura contrariorum, ideo plurimum obest. Aquæ autem malæ, & crudæ, vbi lapides in vesica generantur, modico vino dilutæ, deteriores sunt, quanquam vinum sit periculosius in lactantibus, ea duntaxat causa, tamen maius ex aqua periculum imminet; sorbitiones etiam illis minus malæ, solidis cibis, & ex solidis, caro pessima est, & panis, ob duritiem. Ouorum autem vitelli meliores, & inter sorbitiones coctus panis, nam ptisana nimis exilis est, chondrum nimis graue, seu grauis chondrus, alica post panem coctum: oriza nimis sicca. Cauendum præterea est diligenter in huiusmodi infantibus, ne acus, aut nummos aut glandes, aut auellanas, aut castaneas habere permittamus, suggunt enim & deuorant, vnde strangulantur, aut ex dolore pereunt. Quæ verò ad nutricem pertinent, sunt, vt caueat ne dormiendo infantem suffocet, id verò certè vtile est: cunnis itaque infans degat, aut in lecto solus. Similiter vt ipsa caueat à crapula, ebrietate, ira, timore, cibis corruptioni obnoxiis, vt à fructibus hortariis, & huiusmodi: præterea cùm iam maior, euadit à malis moribus, etenim non solùm corporis, sed etiam animi, vitia contrahunt, non exemplo, cuius non sunt capaces, seu contagio lactis. Et similiter ne deferendo cadat, aut capite illidat in rem duriorem, sed & oscula ad os non infingat, minima enim labes tabefacit infantem, neque puerum in vlnas incognitorum tradat, neque felem prope deuenire, nec sues appropinquare permittat, nec ciconias, aut grues, aut pauones, aut gallos, gallinasve: hæ enim omnes aues infantibus oculos eruere solent, nec ipsum solùm permittere, oportet, ob multas occasiones, quæ contingere solent. Ad vtrosque autem pertinet, vt curet, vt non infantem deterreat, vt non euigilet dormientem, vt ambulantis crura malè flecti, aut distorqueri non sinat, vt propè loca, casus non esse permittat: inspiciat quomodo aluus demittat, & quàm cito, & copiosè vrina perfundatur, est enim bonum signum, vt contra tardè, & vt fæx sit liquidior: & si euomat huiusmodi sit vomitus: & si vigilet, si inquietus sit parua neglecta perdunt infantes, magna præuisa persæpè non lædunt.

Nota.

Quæ ad nutricem pertinent.

CAPVT XV.

De lactatione infantis & eius nutrice.

Lac matris melius est alimentum nuper nato quàm alterius nutricis.

Lac ex sanguine menstruali generari.

QVòd lac matris, pro omnium primo, præbendum sit nuper nato, nulli dubium esse video? maiori enim cum charitate, & impensa magis, diligentia eos nutrient, vt quæ natos ex intimo, & vt dici solet, ex vnguibus ament. Nutrices verò, & alumnæ, vt inquit Plutarchus, suppositam quandam, & ascriptitiam beneuolentiam habent, vt puta mercedis gratia diligentes. Et hoc etiam natura ipsa demonstrat, quæ vnicuique animantium generi, quæ pariunt, lactis alimenta suppeditauit, tum optimum cuique alimentum est, vt probat Galenus, quod singulorum temperamento maximè conuenit, maior equidem alimenti conuenientiam, haud esse poterit, quàm eius, quod de matre suggitur: ex eodem enim sanguine generatur lac, quo antea in vtero nutritus fuerat infans, scilicet sanguine menstruali, qui ad mammillas transiens, parum, vt inquit Princeps, concoctus, & dealbatus, citò lac efficitur: ideo suauius, & magis conueniens redditur infanti, dummodo per mensem ad minus à puerperio lactare non incipiat, quia tunc temporis alterata, & sordida, est mater, & doloribus subiecta, atque ad febrem non parum disposita, & lac alteratum est, quod facilè puerum inficere posset: obseruandum est etiam, num aliquo alio morbo, qui lac corrumpere possit, fuerit affecta: item si prægnans, & coitu dedita, vel nimis iracunda, & malè morigerata, his enim in casibus, eius lac vitiosum esset, nec vllo modo infanti præbendum: verùm si nil horum obstat, nullus conuenientior, & magis proprius infanti cibus esse potest, vt Galenus affirmat, primo de tuenda sanitate. Et si mater infantem lactare nequeat, vel nolit, omni studio, ac diligentia, eligenda est nutrix, quæ mediocris & boni sit habitus, nec nimis iuuenis, nec nimium ætate processerit, annum neque vigesimum infrà agat, neque quadragesimum suprà, quæ non multò ante peperit, & marem, si omnia optanda fuerint, lactis namque melior tunc constitutio accessit, sed quod non abortierit, experimento enim cognitum est, nec ratione carens, lac abortientium insanum reddere infantem, neque tantum temporis nactum est, vt concoqui posset, neque etiam postea, cùm naturæ ordo perturbetur, atque confundatur. Sunt enim tempora quædam, proportione continuata, quæ vbi perturbentur, non manent. Cerebrum autem lacte maximè augetur, & constituitur ab eo, & præcipuè si lactis ætas, infantis ætati respondeat. In primis ergo sana sit nutrix, & boni coloris, ex albo scilicet, & rubeo, viuaci splendido, ac præclaro, & non fucato, qui bonum arguat temperamentum, & ex consequenti optimum lac, non autem sit tabida, nec ex illorum genere, & cauendum ne vnquam lue Indica laborauerit, nec lepra, & similibus, velutque in capite alopecia, aut etiam fœdiore aliquo affectu, pectore sit amplo, & mammis nec magnis, nec paruis, sed mediocribus, & potiùs ad magnitudinem declinantibus, papillis neque conniuentibus, neque auersis, neque reliquum corpus admodum pingue, nec nimium gracile habeat, sitque optimis moribus prædita, mitis, casta, sobria, hilaris, munda, non iracunda, nec gulosa, nec procax, nec tristis, ac mœsta, nec stolida, nec inconsulta, nec venerea, cauere non modò ab vsu venereo debet, sed etiam à cogitationibus luxuriosis, cùm nihil sit ad bonitatem lactis destruendam efficacius. Irritantur enim lunares purgationes in coitu, & propterea lac corrumpitur, & vitiosum, & pauculum redditur, & quod magis refert, vt plurimum concipiunt, quod

Cur per mensem à puerperio mater lactare non debeat.

Cap. 6. Nutricis bona, conditiones quæ.

Lac abortientium insanum reddit infantem.

Venus lactis bonitatem destruit.

quod nihil nocentius fieri potest infanti, qui ex ipsa alitur, vt desumitur à Galeno, primo de tuenda sanitate, dum inquit: [Interim verò non minor modò, verùm etiam deterior, rationabiliter reddetur ipsius grauidæ sanguis, quo fit vt lac ipsum, tum peius, tum verò exiguum, in mammillas colligatur: quare si infantem lactet, vterum gerit. Ego magnopere suaserim, aliam inueniendam nutricem.] Quapropter maximum omnium præceptum istud esto, vt cuncta vitentur, quæ Venerem stimulare creduntur, vt sunt gratia exempli, nuclei, pistachia, acria, & bellaria; atque omnia admodum calida, quæ non solùm Venerem stimulant, verùm etiam lac biliosum reddunt. Itemque odores fœdos, & præter modum suaues, debetque vti optima victus ratione nutrix, vt sanguis bonus generetur, sanguis verò bonus, vt declarat Galenus loco præallegato, is est, qui nec flaua bile abundat, nec atra, nec pituitosus est, nec serosus, nec aquoso liquore permixtus, oriturque huiusmodi sanguis, à moderata exercitatione, & ex cibis tum boni succi, tum iusto tempore, modoque sumptis, ac tempestiua potione. Caueat enim quantum fieri potest, à multitudine vini, & à vinis potentibus, ne qui educantur, membrorum imbecillitate, vel comitiali morbo, aut insania, & huiusmodi capitis affectibus, vt supra corripiantur. Manè ergo ante prandium, & vesperi ante cœnam, moderatè se exerceat, supernis maximè partibus, vt superfluitates resoluantur, calor innatus roboretur, & sanguinis, ac lactis melior fiat concoctio, ideò mollire, texere, ac pinsare, salubria sunt nutricibus, panemque commedat ex tritico mundo, benè fermentatum, ac paratum, carnes pulli, gallinarum, capponum, fasianorum, turturum, hœdi, vituli iuuenis, castrati, columborum, & auium omnium, oua etiam recentia, & non dura, pisces paruos, & teneros, friabiles, carnem albam habentes, sed non admodum pingues, nec in aquis stagnantibus degentes. Lactuca etiam, inter cætera olera probatur, quia lac generat, & desiderium coëundi arcet, & tandem omnia assumere debet, quæ boni sint succi, & facilis concoctionis, atque euitare ea, quæ sunt praui succi, & difficilis coctionis, vt sunt radices, & olera cruda, & allia, cæpæ, porri, eruca, menta, & ozimum, salsamenta, & omnia fœtida, & graueolentia, vt diximus. & carnes antiquæ, bouinæ, ceruinæ, & alia huiusmodi, quæ malum generant sanguinem, ac cruditates, quæ lac noxium reddunt. Inter enim alias conditiones, quas nutrix habere debet, illa potissima est, vt optimum lac habeat, lac verò optimum est, quod spissitudine, copia, colore, odore, & gustu, moderatum existit, quod scilicet inter tenuitatem, & crassitiem, medium obtinet, quod & in vnguem pollicis stillatum, vngue inclinato, neque citò, neque tardè defluit, & gustanti, atque olfacienti planè suaue est, nec amaritudine aliqua, aut acore, aut acrimonia, aut salsed ne, gustum vellicat, nec nares aliqua insueta qualitate feriat, intuenti etiam candidum, ac in omnibus eius particulis æquale sit, nulla nec fuscedine, nec virore, nec linore, maloue colore alio, nec variis, ac diuersis, coloris, & substantiæ discurrentibus lineis sit infectum, tale enim pernitiosissimum est, & significat malitiam incendij, & prauorum humorum abundantiam, in vniuerso corpore. Lac quoque nimis densum, & crassum, ob superabundantiam casei, facillimè in ventriculo coagulatur, & obstructiones facit, ac calculos generat, & abscessus, & furunculos, circa infantis corpus, & sæpè à pituitosis vomitibus molestatur, fitque ægrè mobili, ac difficulter spirans, & vt plurimum appetitum amittit: nimis verò subtile, & fluidum, id est, aquosum, quod optimè concoctum nõ est, nullum nutrimentum, nec robur infanti præbet, sicut & spumosum, & inæquale, quod in flatum partim conuertitur, significatque factam in eo esse à calore superfluo ebullitionem. Quapropter lac illud optimum erit, quod æqualiter, partis serosæ, & caseosæ participabit, & experimento istud cognoscere docet Oribasius, si lac in vas vitreum infundatur, coagulique portio ei admisceatur, & digitis agitetur, atque ita permittatur, donec cogatur, & si minor sit pars, quæ in caseum concreuit, quàm ea quæ in serum abiit, tunc vtile lac erit, sin contrà, erit concoctu difficile: verùm si vtriusque æquam portionem habuerit, id probatissimum, atque præstantissimum erit, & quamuis nimia crassitie, vel tenuitate peccauerit, dummodo mulier alio affectu non corripiatur, illud corrigi poterit, crassius enim extenuanti victus regimine, vtendo iis, quæ attenuandi, atque incidendi vim habent, vt in ferculis origano, hyssopo, petroselino, aniso, fœniculo, caruo, & modico croci: crocus enim partes spirituales calefacit, & lac attenuat, dummodò per adustionem crassum non euaserit, vomitu etiam pituita eliciatur, oxymelite, eosque scillino, nisi vomitum habuerit difficilem, incidit namque oxymel scillinum humores crassos, & viscidos, & incisos educit, & moderatè pectus calefacit: Ante cibum etiam se exerceat, & aliquando aquæ dulcis balneo temperato vtatur, tensas namque, atque duras partes emollit, & putrida excrementa, si quæ intùs sint, ad cutim euocat, calorem innatum roborat, atque vires confirmat. Quod si tenuius lac fuerit, iis vtatur, quæ crassum sanguinem reddere possunt, vt est vsus orizæ, alicæ, & extremarum quadrupedum partium, pedes enim suis, vituli, castrati, agni, hœdi, & eorum carnes, in hoc casu laudantur: potus quoque vini dulcioris conueniet, nisi quid impediatur, veluti & caseus, & præsertim recens, & sapa, & somnus diuturnus, & cætera huiusmodi. Si verò crius iusto lac fuerit, caueat ab omnibus acribus, acidis, & salsis, videmus enim infantes lac acre sugentes, paulatim gracilescere, & circa eorum corpora, plures excretiores, & pustulas, circa supernas, & infernas partes oriri, & appetitum amittere: quare omni studio, temperandum est corpus nutricis, balneis dulcibus, & boni succi alimentis, ac iusculis, & aliis huiusmodi, quæ lactis acrimoniam contemperare possint. At si imminutum fuerit, considerandum, nunquid ab aliqua mala corporis dispositione, vniuersali, vel particulari originem ducat, aliquando enim

Cap. 9.

Sanguis bonus qualis.

Lactuca inter cætera olera probatur.

Lac optimũ.

Lac densum facilè in ventriculo coagulatur.

Lib. 5. c. 3.

Vt lactis vitia corrigantur.

Nota

Si lac imminutum fuerit quid agendũ.

enim à ſiccca totius corporis intemperie prouenit, aliquando à frigida tantùm, vel calida mammillarum, ſicuti & à nimia cacochimia, & aliis huiuſmodi diſpoſitionibus, quæ ſuis ſignis cognoſcuntur, de quibus conſideratio præſentis non eſt negotij: verùm ſi alimenti penuria, vel recenti aliqua etiam intemperie, vel leuiore, & pauca ſucci malitia, id contigat, iuſculorum ſorbitiones ſunt nutrici offerendæ, & victu vberiori vti oportet, pectuſque ac mammillas leuiter perfricare, & brachia exercere, vt alimentum ad eas partes auocetur, & nos experti ſumus, cucurbitam ſub mammillis applicatam, abſque ſcarificatione, multum præſtitiſſe, in applicatione tamen modum ſeruare oportet, ne ob vehementer ſanguinis, vel aliorum humorum, attractionem, pars illa inflammetur: ideo parum ignis ſufficiet, vt tantum adhæreat: multum etiam prodeſt, partes illas ſpongiis, & aqua calida fouere, vſu quoque vini dulcioris, ac multarum rerum, quarum proprium, ac peculiare eſt, lactis copiam ſuggere, reuocabitur, vt ſunt fœniculi ſemina, & radices, & paſtinacæ, & præcipuæ ſi cum hordeo decoquantur, gallinarum quoque, ac caponum iuſcula, cum cinamomo, & macere & luteo oui, anethi quoque, & aniſi ſemina, & caſeus recens, optima ſunt, lumbrici quoque terreſtres ſiccati, & in polinem redacti, ſi de eorum puluere drachma ſumatur, duodecim diebus continuis cum ptiſana, vel cicerum rubeorum iuſculo, plurimum prodeſt, vſus etiam butyri recentis, & braſſicæ, & bene coctæ, & longo pipere aſperſæ, cum iuribus ſumptæ, lactis vbertatem nutricibus præbet, vt & maluæ decoctum, & lactuca in cibis recepta. His ergo præſidiis, dum morboſa aliqua cauſa non ſubſit, lac fermè extinctum prouocari poterit, ſi autem nimia, exuberanſque lactis copia gignantur, quod propter alimenti, ſanguiniſque, eo affatim confluentis abundantiam, idoneam producendi lactis qualitatem habentis, atque ob validas virtutis attractricis, & concoctricis vires contingere ſolet: imminuenda eſt, propterea quod periculum imminet, ne ob compreſſionem, & craſſitiem, in vberibus cogatur, ac retineatur. Ideo ſubtrahendus eſt vſus ciborum multum nutrientium, & eorum loco exhibenda ſunt ea, quæ parum nutriunt, vt olera, fructus, lentes coctæ, auiculæ paruæ, & cætera huiuſmodi, quibus pauca alendi vis ineſt, & extrinſecus imponantur lenticulæ coctæ, ac lintea aceto paulò acriori madefacta, ſæpè reiterata, & multa alia, quæ breuitatis gratia prætermittimus, cùm frequentiùs contingat, nutrices potiùs defectu, & paucitate, quàm abundantia, & multitudine, laborare; imò quod magis refert, ſi hoc euenerit, minus incommodi, ac periculi affert. Et hæc de lactis, ac nutritionis conditionibus, dicta ſufficiant. Quod verò ad lactationis partes attinet, nempe ad modum, tempus, numerum, & horam: quamvis vt quis natus eſt ſtatim, mel lambendo exhibere ſit mos, ego tamen potius ſaccharum, vt minus aſperum dari ſuadeo. Poſt ſex horas, & vltra viginti quatuor, differri primam lactationem conſulo, niſi nimium ſiccus, aut languidus infans videatur. Et lactatio duplex eſt, alia neceſſaria, quæ ter in die adminiſtrari debet, & ſi vel euomat, vel plurimum ſugat, vel parentes gemino cibo contenti ſint, atque pauco, & infans craſſus, gemina lactatione contenti erimus, maximè ſi aluus durior fuerit, contrariis cauſis terna: ſufficit autem ad perfectionem ſecundi anni, non ante primum, neque vltra quartum: quanquam Heſiodus referat, olim conſueuiſſe ad ſeptem vſque extendere. Pro conſtanti habetur, Plotinum, qui ſapientiſſimus fuit tantundem temporis expleuiſſe (lactatio quidem diuturnior auget cerebrum, efficitque moderatiores eos, qui educantur) non multùm tamen ſenex obiit, ſiue propter peſtilentem conſtitutionem, in quam ſenectus ſua incidit, ſeu ob genus vitæ, ſeu ob defectum miniſtri, à quo fricari conſueuerat. Cæterum lactatio pura eſſe debet, niſi vltimò menſe, vel penultimo, cùm iam duos annos exceſſerit, tum verò dormire diutiùs debent, parum exerceri ob mollitiem corporis. Alia eſt ad ſedandum moleſtiam pueri, nam ſeu ſitiat, ſeu iraſcatur, ſeu doleat, ſeu timeat, ſeu fatigatus ſit, omnibus lactatio auxilio eſſe videtur. Et cùm ſolidiori cibo vti opus fuerit petedentim aſſueſacere oportet, ſenſim enim mutatio hæc fieri debet, ſubtrahendo lactis portionem, & ferculum exhibendo pro ratione, & quantitatis, & appetitus illius, veluti noſtrates mulieres paſſim ſeruare ſolent. Primò exhibentes panem in iure decoctum, mox oua ſorbilia, & alia eiuſmodi, quæ puellum ferre, ac concoquere poſſe ſperant, non omiſſa tamen interea lactis exhibitione, donec ſolidiori cibo optimè fuerit aſſuetus: verùm ſi contingat, vel nutricum inopia, vel earundem culpa, vel alterius cuiuſpiam, vt ante id tempus lac vitietur, ita quod haud emendari poſſit, hùc tandem deuenire oportebit, vt pro tunc aliquid ſolidioris cibi, aut alterius, quàm lactis generis concedamus, euitabimus tamen pulmenta ea, quæ ex tritici farina, lacteque in ſartagine parata, & cocta puellis, Germani exhibere ſolent, dum pulte illa digito excepta, os totum circumlinunt, & ipſi manu nutricis adiuti lingunt, donec ad plenum infartiatur: pernitioſum equidem edulium, à quo omnia obſtruuntur viſcera, & ſæpè alui, atque veſicæ excrementa retinentur, lapiſque vt plurimum gignitur, intumeſcit etiam venter, ac inflatur, vnde torpent, ac ſomniculoſi fiunt, prodeunt vrinæ aquoſæ, & vniuerſum corpus cruditatibus redundat, à quibus praui oriuntur affectus, & comitiales præſertim, non ſine maximo eorum vitæ diſcrimine. Idcirco medulla panis capi, vel vituli, vel huiuſmodi iuſculis intincta, vt diximus, eos nutrire longè melius erit, addendo modicum butyri recentis, pro aluo concinnè detergenda, emolliendaue. Eſt etenim humidum eorum naturale temperamentum, humidis huiuſmodi alimentis ab initio conſeruandum, veluti & aliis

Nota.

Vt lactis exuberantia imminuatur.

Nuper natus quomodo regendus ſit.

Lactatio duplex.

Plotini lactatio.

Nota.

Pulmenta infantibus non exhibenda.

Humidum naturale infantium conſeruandum.

aliis ætatibus, quoniam similibus præterquam aëre cuncta gaudent: facilius enim subiguntur, & subacta melius nutriunt, vtpote similia, & familiaria, nam clarum est, quod quæ secundum naturam sunt, confirmanda sunt, & talis confirmatio fit à simili: humidior itaque cum sit infantium natura, vt tradidit Hippocrates prima Aphorismorum. [Victus humidus febricitantibus omnibus conuenit, maximè verò pueris, & qui tali victu vti consueuerunt.] Ideo hac ratione ductus Auenzoar dixit, quod nullo alio cibo debent infantes nutriri, quàm lacte, donec eis exorti fuerint dentes, & si postea solidiori cibo regendi sint, humidior esse debet, & cùm ambulare incœperint, moderato vti debent exercitio, & non violento: eo enim non parum indigent, vt membra tempore quo augentur, dilatentur, & pluris nutrimenti capacia reddantur, & musculi, ac nerui robustiores euadant, eductis omnibus è corpore excrementis, iuxta methodum à nobis in prioribus capitibus traditam, alibique trademus, vbi & omnes singularum corporis partium affectiones præter naturam, & qualibet in ætate curare docebimus, necnon & rectam retinendæ animorum sanitatis, simul atque eiusdem amissæ recuperandæ rationem instituemus, veluti in corporibus, quorum nobis cognita sunt substantia, & natura, id facilè ostendetur, & præsertim in puellis modò natis, quorum totius educationis summa consistit, vt ab irrationalibus irascendi, & concupiscendi partibus, coërceri docentur, vt primis eorum tenerrimæ ætatis diebus, quo tempore, & teneros facilè est componere animos, furiosam vtranque animæ partem à se expellant, & mansuefactam capiant, tanta enim est vis educationis, vt quæ nobiscum creuerunt, difficulter recedant, quare dixit Philosophus, [Multum potest educatio, imò plurimum, imò ferè totum, quamvis quæ secundum naturam sunt, haud omninò euelli, extirparique possint, cùm necesse sit naturæ semina remanere, alioquin dum extinguerentur, & natura quoque simul tota periret, saltem animorum affectuum fundamenta assequi soleant, vt videmus frenum leonibus iniici, ne tam impetuosè ferantur, & gulam apris coarctari, ne tam vastè inhiant & cætera huiusmodi ferocia animalia, quæ omnia si primis annis à nobis tractentur, licet discursu careant, mansueta tamen euadunt.] Oportet ergo à principio generationis, vt à causis quæ iram, & ploratum concitare solent, omni studio ac diligentia detenti, custodiantur, & quandoque flere sint permittendi, leuiter tamen, ad hoc, vt pectoris, & vocalium instrumentorum membra exerceantur & calorem innatum expurgent, attenuent, ac roborent, & corporis partes solidas, robustas reddant, quare ad pectotis amplitudinem, & augmentum, plurimum confert pueris adhuc tenellis, vt ante cibum aliquantulum plorent non diu tamen permittendi sunt effundere lachrymas: incidunt enim ex immodico ploratu in herniam, ideo remouenda est causa, quæ & si maiori ex parte nos lateat, in rerum omnium nescia ætate, diligenter tamen cuncta circumspicienda, indagandaque sunt vt reperiatur, ac admoneatur & si opus fuerit diuinare, Galenũ imitabimur qui cùm plorantis, iactantisque se diu puelli causa ignoraretur, nec mitigari posset, nec proficiente quicquam nutrice, quamvis multa satageret, ipse tamen animaduersa lecti, instratorumque, ac infantis sorditie, cuncta emundari iussit, & confestim quietem, ac somnum placidissimum illi conciliauit: hæc itaque peragenda sunt eo tempore, quo ratione carent, nec iussis parient, vt mox procedente paulatim tempore, indiesque magis, plurimum parere addiscant, & domitis non parum inferioribus animæ partibus, non ita nostra facillimè accipiant, & nutus obseruent, & imperata faciant, & minus intelligant, formidentque, & si ea quæ volumus renuant, faciliora nobis omnia reddantur, & castigationibus, atque obiurgationibus conquiescant, imò corpus proprio temperamento conseruare, atque eodem modo ob temperantem præceptis nostris animum instituere, & reliquis dotibus informatum, ad reliqua vitæ obeunda munia, meliùs suscipere poterimus. Atque hæc de primorum annorum tuenda sanitate, de qua primum, institutus hoc loco nobis sermo fuit, dicta sufficiant.

16. *Exercitia infantium qualia.* *Educatio in mox natis quantum faciat.* *Nota.* *Historia.*

CAPVT XVI.

De differentia quarti, quinti, & sexti, septenij, à tertio, in sex rebus non naturalibus.

Qua in ætate sitis facilius accendatur.

POstquam ad eam ætatem peruenerit, in qua secundum longitudinem augeri desinit, licet ossa, & reliqua crassiora adhuc fiant, iam vehementia appetendi cibos, ac voracitas desinit, sitis faciliùs accenditur, & magis, vrit, non solùm quia desierit manifestè augeri, sed quoniam solida membra siccantur, & flaua bilis cum sanguine augetur, vnde etiam ille impurior redditur, & Veneris stimuli magis exagitant hominem, & amor vrit, & robustior, & agilior, & animo fortior, atque prudentior euadit, reliquæ enim ætates, in hanc, tanquam finem ordinantur, vt homo: vltima si sapiat, vt diuinum quoddam. Crescit autem adhuc per totum quartum septenium crassitie, quoniam pondere, vt longitudo sibi impedimento non est, qua causa etiam plantis omnibus id contingit, neque enim vllius plantæ incrementum, in latitudinem, ac profunditatem, citius, quàm in longitudinem desinit, sed multis contra euenit: in quibusdam discrimen hoc obscurum est, in quibus rarum est, & tenue alimentum, ita & in hominibus, arefacta enim statim, postquam adoleuerint, etiam parùm in latitudinem extenduntur. Quòd autem de latitudine dico, de profunditate intellectum volo, tum quia natura pariter

his

his vtitur, tum quia in his quæ mouentur, vbi circumuertantur, vna extensio, alterius locum obtinet, solemus tamen communi vsu, vt maximam extensionem appellare longitudinem, ita minimam profunditatem, mediam vtrorumque latitudinem, sed hæc, vt dixi, pariter desinunt in plerisque, aut omninò exiguo discrimine ob decubitum temporis distinguuntur, & quod manifestum est ad quartum, quod occultum ad quintum septenium, nostra ætate, ac regione protenditur. Aliàs enim de vitæ nostræ spatiis satis longioribus, sermonem habuimus; tum verò & robur desinit, quoniam corpus originem roboris præbet, nisi qua ratione homo fiat ad labores, & exercitationes aptior, vt in commentariis de Alimentis dictum est. Manifestum est igitur, & ad tuendam sanitatem, & vitam producendam, opus esse alia victus ratione, non solùm ob diuersum temperamentum, sed etiam fines. Hi sunt, vt homo robur seruet, aut parum augeat, prudentia verò magis valeat, & ad negotia, promptitudine. Et quanquam videamus diuersas ætates, diuersa tempora, diuersorumque munium rationem, in vnum coegisse, vt hæc sola, tribus prioribus æqualis sit. Est enim à vigesimo primo anno, ad quadragesimum secundum conduplicato numero, quod ad corpus tamen attinet, & etiã ad animam quanquam minùs discrimina, vt dixi, latent. Aptus fit ad perfectam generationem masculus in initio quarti septenij, vt pueri perfecti nascantur in initio quinti, vt optimi in initio sexti, totóque eo tempore durat, siquidem non solùm robustiores, sed & prudentiores euadunt, antea robustiores, & robusti, & validi, sed non ad disciplinas, & munia artium, & reipublicæ, adeò prompti, & apti, in initio quarti, pulchri, perfecti, & absoluti solùm, antea verò corpore deformes, mente stolidi, valetudine inconstantes, oblæsíquæ, post autem, quartum mente præstantiores, eo corpore infirmiores, demum eo res se trudit, vt sapientissimi cùm videantur, vix viuant, & ob hoc dictum est illud Poëtæ, de huiusmodi infantibus:

...de tempore masculus aptus sit generationi.

Immodicis breuis est ætas, & rara senectus.

Quod & iam transiit in prouerbium: huiusmodi igitur discrimina, cùm magis ratione, quàm oculis comprehendantur, meritò in vnum hæ ætates (si modò plurium nomen merentur,) in vnam collectæ sunt. Cùm etiam sic libris, longitudini, & repetitioni, consuluerimus, quam propter senij historiam, etiam vix effugere licuit. Ergo cùm tres modi sint in hac ipsa ætate, seu vitæ parte, traducendi incolumen vitam, vnus vt homo temperatè, (& vt dici solet) ac ad libellam viuat, qui optimus est, alius quem Galenus magis est, vt liberariore cibo vtatur, sed exercitatione ampliore, qui modus iuuenibus maximè non studiosis, gratior est, & reipublicæ etiam, ob militiam vtilior, tertius est, vt qui sæpius corpus exinaniat medicamentis, vsu acrium, disseccantium, salsorum, amarorum, & si hæc non sufficiant, etiam fontium, vomituum, hæmorrhoidarum, atque similium, hic gratior est ciuibus senioribus & opulentis, minimè tamen studiosis, principibus, magistratibus, & antistibus, ac his qui reipublicæ gubernandæ, & custiendæ, non viribus, sed consilio præsunt. Et quamvis minus vtilis sit, minusqus honestus, sed fœdior, ac deformior, illis tamen magis placet, vt insipida asinis. Cùm enim homo obliuiscitur vtilitatis honesti, munditiei, ac liberæ vitæ ob inertiam, aut mollitiem, aut voluptatem, eo asino deterior est, quæ res vitio facta talis, simili à natura factæ turpior est. Verum cùm ars, bonæ valetudinis tuendæ, contineatur his quibus velimus, nolimusque, corpus nostrum vtitur, & quæ maximè corpus alterare, adeoque iuuare, aut efficere possunt, quæ etsi multipliciter à multis diuidi soleant, eam tamen diuisionem, cœteris præferendam esse existimarim, quam & Galeni tempestate, prælatam fuisse constat, qua salubres causæ quadrifariam diuidebantur: Aut enim in his versantur, quæ corporibus admouentur, aut quæ fiunt, aut quæ extrinsecùs occurrunt: aut quæ euacuantur, quæ si rectè perpendamus, ad sex res non naturales pro conseruatione sanitatis humano generi necessarias reducuntur, sicuti quandoque Galenus docuit. Quæ enim admouentur, in primis sunt cibus, & potus, tum etiam, & medicamenta, quæ commodè in tutela sanitatis exhiberi solent, siue aluum, corpusve aliqui repurgent, siue quomodo etiam immutent, aër etiam, dum eum inspiramus, quamvis rectiùs tertio diuisionis membro contineatur, fiunt autem quæcunque circa corpora moliuntur vt frictiones, curru vehi, nauigare, equitare, ambulare, & innumeris propè modis se exercere, adnumerantur, & huic generi vigiliæ, & somnus, & Venus, cùm & in his aliquid naturaliter fiat, extrinsecùs autem occurrunt, aër nos ambiens, non inspiratus, tum vnguenta ac balnea, ac omnia quæ extrinsecùs cutem tangunt. Quartum quod erat euacuatorum ex corpore, excrementa sunt, & innanitio etiam insensibilis, qua corpora nostra immutantur, quorum singulum, si indigenti corpori adducatur, & in competenti quantitate, & qualitate, salubra fit, nihil verò indigenti omninò oblatum aut non incompetenti mensura, & quantitate, ægrum constituit, vt & Galenus ad literam docet, & Aristoteles XIX. problem. probl. XXXVIII. dicens [Laborantes, & comedentes, ac bibentes ordinatè, saluamus, & augemus naturam, & virtutem, inordinatè autem rumpimus, ac stupefacimus ipsam,] Quapropter opus est medico, qui cuncta ordine peragat, ac vniuscuiusque temperamento, ætati, consuetudini, regioni, & cæteris huiusmodi debita quantitate, & qualitate, accommodet: & qui medicum continuò apud se habere non poterit, hunc habeat librum, quem persæpè legat, & quæcunque legerit, obseruet, si lætus incolumen cupit producere vitam. Primò ergo de aëre agemus, & de eius annexis, deinde de exercitio, postea

Ars tuendæ valetudinis.

Quæ circa corpora moliuntur.

Nota.

Quæ medico necessaria sunt.

Nota.

postea de cibis & potibus, & sic de aliis successiuè, secundùm quod supradictum est, vt vnusquisque intelligat quot, & quanta obseruare debeat in suæ sanitatis custodia. Et harum duæ pertinent ad facultatem animalem, somnus & motus, duæ ad vitalem, aër & animi accidentia, duæ ad naturalem, cibus, & euacuatio. Et dicuntur sex res non naturales, quia possunt variari ad singula momenta, non quod eis carere possimus: sunt enim res naturales septem, elementum, temperies, humor, membrum, ac spiritus, facultas, & operatio, de quibus agit Princeps prima primi: sunt sex hæc præter naturam, & tria contra naturam, morbus, morbi causa, & symptoma, & quæ sunt naturalia, semper bona sunt, quæ contra naturam, semper mala, quæ præter naturam, modò bona, modò mala, quæ cùm possint comparari corpori sano, tunc indicatio illorum sumenda est à corpore & rebus naturalibus, & corpori ægro: & tunc, & à rebus naturalibus & contra naturam sumenda est indicatio istiusmodi. Quapropter res non naturales semper debent esse contrariæ rebus contra naturam, morbo, causæ morbi, & symptomatibus: non semper autem debent esse similes rebus, naturalibus, pro quo vide decimo Contradicentium.

Sex rerum non naturaliũ diuisio. Naturales res septem sunt.

Res contra naturam sunt tres

CAPVT XVII.

De Aëre.

Lec. 64. super per cap. 85. Quod ambiẽs humidum innatum non exiccet.

Equidem cum alibi dicturus sim, iuxta mentem aliorum, quantum possit aër, & secundùm illorum principia, & præcipuè in commentariis super artem medicam Galeni, hîc de aëre solum, ex nostra sententia dicere proposuimus. Et enim neque senescere hominem ob calorem naturalem, qui humidum consumat, neque ob aëris iniuriam, existimamus. Et primùm quidem de aëre, de quo propositum est, agamus, cùm enim in locis calidis iuxta Aristotelis sententiam, tum perflatis, homines diu maximè viuant, & id experimentum etiam attestetur, adeò vt in Goa Indiæ orientalis vrbe, quæ in sinu quodam maris posita est, & ad altitudinem poli borealis, partium propè XVI. vt manifestè sub torrida zona, sic senes CXVI. & CXXXVI. annorum nostris temporibus inuenti sunt, etiam saltantes ad lyram, & vt dixi, ventis ea regio maximè exposita sit, constat ab aëre nullo modo consumi humidum innatum, & si Princeps prima primi oppositum sentire videatur, dum vult aërem nos ambientem humidum exsiccare, sed ipse intelligit de aëre sordido, puluerulento, & intemperato. In huiusmodi ergo regionibus oporteret, homines esse quàm breuissimæ vitæ. Sed etiam alia, ratio, quoniam si ab aëre consummaretur humidum, impossibile esset, vt homines tandiu viuerent, tantam nobis singulo die haurientibus aëris quantitatem, vt non posset, neque diu ferri quin siccaretur, & maximè inæqualiter. Inter regiones etiam quæ flatibus infestantur, & quietas, magnum esset discrimen longitudinis vitarum, cùm non nisi ex vehementia caloris, aut frigoris id contingere cernamus, velut apud Scythas, ac Garamantas, de quibus dicemus, at non ita inter Gallos, Italos, Hispanos, Germanos, Siculos, nisi qui incondito victu vtuntur. Quin etiam cùm videamus cerebrum adhuc humidum manere, etiam in decrepita ætate, & magis quàm ossa, cùm tamen ossa ab aëre tecta sunt, cerebrum palpitet perpetuò, & aëre impleatur, vt ostensum est in disputationibus: liquet aërem non exsiccare nostra corpora, neque per se, neque motu suo, sed potius repurgare, quinimò, cùm potiùs humidus sit, quàm siccus, & propior naturæ aquæ, quàm terræ: potiùs humectabit, quàm exsiccabit animalium corpora. Qui etiam lato pectore mediocriter sunt, & arteriis, diutiùs viuunt, & masculi fœminis, cùm tamen masculorum corpora magis perflentur. Sed neque à calore innato consumitur humidum nostrum, sicut ob id corpus siccesat, veluti in lucerna, & primum quidem id negauit Galenus, in libro de Marcore dicens. [Non enim calor ille noster est, qui nos corrumpit.] deinde si calor noster nos exsiccaret, qui plurimo calore abundarent, breuiori tempore viuerent. At quorsum Galenus laudat ergo exercitium, ob caloris incrementum? Et rectè fecisset, postquam tanta de exercitatione affert, & illius commoda, & rectè recenset, vt docuisset etiam, quomodo non noceret vitæ longitudini, si calor ille corpora siccat, & nos siccando ad mortem deducit. Quinetiam videmus ita esse, quod qui ab initio militiam exercuerunt, inde quieuêre, nec defuerunt alimenta, eos ad immensa, imò quidem incredibilia vitæ spatia peruenisse, adeò vt referunt Ioannem de Temporibus Gallum, militem Caroli magni fuisse, mortuumque anno Domini MCXLVI. cum iam CCCLXI. attigisset vitæ, quod etiam facilè ex supputatione colligi potest, modò fateamur Caroli magni militem fuisse. Guido quoque Bonatus, & Baptista Fulgosius id in suum librum transtulit, refert, Richardum vidisse hominem anno salutis MCCXXIII. qui & ipse cum Carolo magno militauerat quadringentesimum agentem annum. Satis constat experientia, vt dixi, huiusmodi homines, qui plurimum habent calidi innati, quique se à iuuentute præclarè exercuerunt, diu admodum viuere, quod esse non potest, si humidum nostrum à calore proprio consumeretur. Cor etiam tardius senescit, in quo plurimus est calor, plurimusque aër trahitur. Et ostrea, & polypi, & insecta, quæ non respirant, neque calida sunt, nihilominùs biennio finiunt vitam, & tamen polypi in immensum crescunt: plantarum quoque, & arborum magna ex parte, & non minùs quàm hominum vita est breuis, velut lauri, myrti, nec longa ficui, sed mirum immodum persico, adeò vt non longior, quàm suillus. Mirum videtur non cognitum Theophrasto, tam suauis fructus arborem,

12. Contrad.

Cap. 3.

Ioannes de temporibus diu vixit.

Theophrastus persicum non agnouit.

arborem , sed persicum,modò perseam, modò malum Medicam accipit : nec nostram quidem, cùm dicat fructum non edi. & folia portulacæ esse similia : sed hæc alibi potuit referre non vidisse, aut transcribendo totius erratum esse. In vniuersum marcorem patiuntur, & arbores, nec spirant,nec vllum in se calorem,aut motum contineant, & si non sine quodam calore sint , cùm sint animata, non ergo calor noster, neque aër siccat corpora nostra,quandoquidem habeat hic effectus causam suam scilicet nutrimentum,non par est additas fuisse tot causas vnius affectus:

Obiectio. Responsio.

sed dices, cur igitur tum molle semen & humidum, in tam durum corpus euadit,ac siccum ? Dico vnam esse causam generalem, per se, & semper aliam generalem,per se,non tamen semper,tertiam neque generalem, neque per se,neque semper. Prima ergo est nutritio , & mistio,per nutritionem enim necessaria quod additur est deterius, vt sanguis matris,ipso semine paterno,vel etiam materno,vbi concurrat ad generationem. Et hoc quia cùm concesserimus, quod semen sit calidius, humidius, liquidius sanguine , quod concedunt omnes Philosophi medici,& ipsa ratio docet, & experimentum. Igitur mixtum etiam ex sanguine,& semine,erit purius, calidius, & humidius ipso solo sanguine , per regulā Geometricā, & axioma naturale : quare fœtus nutrimentum est impurius, magis frigidum,& siccum,eo quod nutritur, seu fœtus sit,seu infans,seu puer,aut iuuenis,aut senex :

Corpus nostrum ob nutrimentum perpetuò fit durius.

ergo corpus nostrum ob nutritionem fit perpetuò durius,siccius ac magis terreum. Ex nutritione accedit alia causa , quoniam miscetur, & extenditur,& densatur,sicut emplastrum in mortario , & ideò augetur , donec potest augeri, sicut in illis videmus , demum cessat incrementum, sed non cessat bona permisti:sed & illa etiam cessat, vt in decrepitis , & ad hanc mistionem adiuuat exercitium, sed nocet etiam,vt visum est , alia ratione,ergo cùm cessat,iam approperat mors. Causa autem per se,sed non semper est calor vteri,qui siccat corpus,sed aliud est, de calore externo matris , & vrinæ, & ichoris,aliud est de calore proprio,& puro cordis, præcipuè & etiam epatis. Tertia sunt cruditates, morbus,tristitia, ira , exercitatio immodica, vigiliæ, fames, dolor, quæ omnia exsiccant, sed neque per se adsunt corpori, neque semper,ideò dico, quod vita animalium non est breuior quàm plantarum,quia causa senij, & mortis, est eadem,scilicet nutritio:bos,& sus viuunt quantum persicus,pauo quantum punica malus, cuniculus quantum myrtus, camelus quantum prunus , elephas quantum olea, & vitis, homo quantum quercus , quæ omnium notarum notarum plantarum viuacissima est, vt de quercu Abrahæ,detracta tamen repullulatione,nam ea habenda est pro sobole, in animalibus, & hominis vita non habetur, quanta sit ,

Homo præter rationem & ex appetitu viuit.

quia solus homo , cùm ratione præditus sit , præter rationem & ex appetitu viuit:alia animalia cùm ratione careant , ratione viuunt. Ideo vita eorum integra nota est, solius hominis,quanta sit ignota , quoniam ab omnibus causis , quæ sunt præter naturam , breuior redditur. Indicium autem est, causam siccitatis , senij, & mortis, esse nutritionem, quod ea quæ non nutriuntur , quasi perpetua sunt , velut aurum , & adamas, & multa alia quæ manifestè videntur permanere eadem.

Quomodo aër plurimum faciat ad longitudinem & breuitatem vitæ.

Aër tamen plurimum facit ad longitudinem,& breuitatem vitæ ad salutem , & morbos , & trifariam quidem primum, inde etiam aliis modis , nam trahitur, & refrigerat calorem naturalem, & temperat , sed & motu accendit illum : nutrit etiam spiritum animalem ad cerebrum ascendens , & ad cor descendens , expellit & fumum illum collectum ex calore , & attritione nutrimenti,& motu sanguinis, & est causa, vt pectus, ac pulmo,& cor,& arteriæ omnes, & cum his etiam cerebrum totum moueantur motu illo palpitationis , in arteriis autem , & corde pulsationis dicitur , vt sint quinque illius vtilitates , plurimum ergo refert , an sit tenuis, an crassus , hæc enim est propria illius differentia. Et aliis vt sit calidus aut frigidus,humidus, aut siccus , purus aut impurus quibus cum misceatur interest plurimum,nam puluerulentus , aut sordidus breuem efficit vitam , vt habitantibus iuxta paludes,sordidus est,puluerulentus apud Garamantas , ideo vix illi quadragesimum annum superare possunt , ex cœlo etiam proprias acquirit qualitates , quas experimento solo condiscere licet, tum verò ex reptilibus, ac serpentibus permutatur, & fit noxius, aut si concludatur cum rebus inimicis humano generi , & longo tempore, vt de arca illa reclusa contigit , Antoninorum temporibus, dum pestis illa adeò desæuiit per vniuersum orbem,atque hæc quidem primo ab aëre.

Vbi aër malus, aqua bona esse non possunt.

At medio etiam aliorum offendit , fieri enim non potest, vt aër malus sit , & aquæ bonæ sint , & perseuerent , sicut ex gelido aquæ glaciantur , quanto magis à corrupto corrumpuntur : aquis autem corruptis primum per se ob potum ægrotant homines , inde vapores noxij eleuantur , pisces marcidæ naturæ euadunt:sata,herbæ,fructusque vitiantur, & animalium , quæ & aquas bibunt , & herbas comedunt , à quibus omnibus & corpora humana vitiantur,& fœtus in vtero corrumpuntur, & morbi hominibus accidunt, & pigritia, & paupertas , & mali mores, & vita misera, atque breuis. Est etiam aëris quædam media conditio , neque illi prorsus propria,neque etiam prorsus aduentitia scilicet motus : & motus est salubrior quiete.

Motus triplex.

Et triplex est motus , validus & vocatur ventus,& leuis,& vocatur aura , & leuissimus qui tamen percipitur in nubibus, & vertibulis ad hoc paratis,quæ in sublimi suspendūtur,& venti validi,ac frigidi, sereni que aërē purgant, & sanis ac robustis boni sunt , imbecillibus,& impuris non : sed de hoc dicemus.

Aër quietus malus.

Aër autem prorsus quietus inimicus est viuentibus corporibus, exanimat , minus atterit , atque exedit. Iam verò ex his illud liquet, ad vitam conducere optimum aërem, & exiguam nutritionem,atque ideò validam exercitationem non oportunam , nec ob id iuuenta,desides esse opportet:non enim oblitus sum eorum,quæ superiùs dixi, & consultò relicta,vt infinitum illud, quod verbis vix exprimi posset , intelligeretur. Ergo vt ad

rem redeam, & de vtilitate ipsius aëris agam, quod ad sanitatis conseruationem attinet, scire decet, aërem quemcunque cibos, potus contraria expetere, omitto modo ætatem, sexum, anni tempora, nam hæc magis ad contemplationem, quàm custodiam spectant, ergo in frigidis regionibus calida, in siccis humida, atque deinceps contraria ratione, plerunque non tamen adeò generale est hoc præceptum, neque tanti refert, quantum quod in crasso tenuia alimenta vtilia sunt, ac necessaria, in tenui crassa, quod si quis in huiusmodi delinquerit, magnum sentiet detrimentum, si obseruauerit, singularem vtilitatem, vt præcepti minimè pœniteat, crassa enim alimenta in crasso aëre vertigines, surditates, obliuiones, attonitos morbos, insanias, ozenas, dolores colli, lapides renum, & vesicæ, tumores splenis, hydropes, carcinomata, & cum optimè cesserint hæmorrhoidas, & quartanas progignunt. Cibi autem tenues in tenui aëre, breuitatem vitæ, furores, febres pernecantes, peripneumonias, diarrhœas, podagras, erysipelata, phagedenas, vrinæ cruciatus, & cætera huiusmodi efficiunt. Quod si quis medium, vt dixi, tenuerit, vt quantum in aëre crassities abundat, tanto tenuioribus cibis, & potibus vtatur, habita ratione temporum, & constitutionum, dubio procul vel in tenui tanto crassioribus, quanto aër tenuior est, salubrem non solùm, sed etiam bonum, atque robustum habitum nanciscetur, ea igitur ratio perpetuò obseruanda erit, velut & illud, quod neminem latet, bonos cibos, & potus omnibus vtiles esse, vt de his non sit ambigendum: at de calidis, & frigidis, siccis, atque humidis, non tam arcta regula obseruanda sunt, neque detrimenta, atque vtilitates, quæ ex his sequuntur, adeò sunt manifesta, aut magnifacienda: perpetuò igitur hæc in mente habere oportet, vnde Bononiæ, vbi aër crassus est, omnia eiusmodi accidunt, & multitudo quidem, & cruda, & lenta, crassorum rationem subeunt, contraria verò tenuium: vigiliæ autem vtrisque nocent, & intemperato aëre, minus molestè feruntur. Deteriora autem sunt ex omnibus, quæ terreæ sunt, velut legumina, & boum carnes. Sed & illud obseruandum in aëre, quoniam in his, quæ à manifesta qualitate proueniunt, velut grauedinibus, & raucedinibus, ac destillationibus, paucus, & pauco cum impetu parum offendit, ac nocet, malus, & violentus, multum, at in dispositionibus occultis, ac prauis, quæ cum putredine sunt, quandoque à pauco aëre magis læduntur, quàm à libero, quoniam quod impressum est, propagatur, cùm sit contagiosa qualitas, vt medici in hoc decipiantur. Cur autem calidus, aut frigidus pestem potiùs sedat, quàm irritet, cùm tamen qualitates primæ sint actionum omnium, etiam reliquarum instrumenta? causa est, quoniam & si actionem calor adaugeat, principale tamen agens, putredinem scilicet extinguit. Frigus autem omnibus impedimento est, exprimit enim humidum in quo venenum, seu contagium est, opus tollit agentis, & condensat patientis substantiam, ne recipiat: vniuscuiusque ergo regionis, aëris dispositionem, & qualitatem, & quæcunque alia sibi pertinentia, medicus diligenter considerare debet, cum aër, qui nos circundat, purus non sit, sed corpus in sua substantia mixtum ex aëre certo, & partibus aqueis, vaporosis, atque terreis, in fumo, & nubibus surgentibus, & partibus igneis, etiam iuxta Hippocratis sententiam in libro de aëre, aquis, & locis. Aëris igitur, cum medicus temperantiam, temporumque discordiam cognouerit, scientia sua semper vtilis erit ad sanitatis ingenium, & eo magis cum omnes alias materias eligere, ac fugere nobis liceat, eam autem quæ ex continente nos aëre est, fugere non est possibile, cum nullum reperiatur temporis momentum, in quo non illum inspiratu aut necessariò ducamus, aut vnde quaque ambientem nos sentiamus, & nihil est quod æquè prodesse, aut obesse nobis queat, ob eius in corporibus nostris mutationem, quam & syderum ortu, occasuque ac coitionibus quibusdam, quotidie obseruamus, nec non & diuersis terrarum sitibus, locorumque interuallis consideramus, non quidem vt Astronomi, aut Geographi, sed vt tantummodo agnoscamus, quid bonitatis, ac malitiei eo insit: quidve commodi, aut incommodi nostris suboriatur. Et hoc dum calidum, aut frigidum, aut siccum, aut humidum, siue variè ex his mixtum, aut temperatum, aut tranquillum, aut ventis agitatum, aut crassum, aut tenuem, aut serenum, aut huiusmodi experimur, & vt quisque bonum, & laudabilem, à non bono distinguere possit, iuxta modum prædictum.

Crassa alimenta in crasso aëre quæ mala pariãt.

Cibi tenues in tenui aëre quæ mala pariant.

Nota.

Bononiæ crassus est aër.

Nota.

Cur aër valde calidus aut frigidus pestem sedet potiùs quàm irritet.

Aër nos circundans purus non est.

Inspiratus necessitas.

CAPVT XVIII.

De exercitio, an sit vtile.

IGitur quibusdam visum est, exercitationem etiam validam, vitæ longitudini conferre, id primùm est argumentum, quod ea quæ bonæ conferunt valetudini, etiam vitæ producendæ vtilia sunt, at exercitatio seruandæ valetudini vtilis est, igitur etiam vitæ producendæ. Secundum quod quæ augent, confirmantque calorem naturalem, & tollunt excrementa, ea vitam prorogant (ex philosophorum enim sententia animal quo calidius, eò etiam viuacius est) palamque excrementa obesse vitæ diuturnitati, tum quod rarò videamus eos, qui excrementis abundant, diu viuere, tum quod cum abundantia excrementorum senectus quædam fit, erit in senili ætate hæc abundantia, senectus senectutis, quæ mors est. Sunt etiam excrementa ipsa per se non solùm inutilia, sed & mala, obstruunt enim meatus, coctiones impediunt, virtutem aggrauant, membrum praua qualitate inficiunt, in quo resides, malos vapores ad principaliora membra transmittunt, & si diutius manserint, putrescunt, vnde febres accenduntur. Quandoque in partem aliquam nobilem præcipitant, & occidunt, his septem incommodis, cùm afficiant corpus, necesse est vt quàm celerrimè excernantur: at celerius fieri non potest, quàm vt singulis diebus, vt verò singulis diebus excernantur, nullo alio modo

Exercitationem vitæ lõgitudini conferre.

Qui excrementis abundant, rarò diu viuunt.

Excrementa quæ mala pariant.

modo præterquam exercitatione fieri potest, igitur exercitatio omninò necessaria erit. Accedit, quod videmus eos qui exercentur perpetuò, & sospites viuere, & diu, vt etiam apud Galenū Antiochus ille medicus, at cōtra in inerti otio senescere celeriter, & inter morbos parum viuere, atque infelices, podagrici etiam quorum vita tota in summa custodia est, non multum senescunt, quod ab exercitatione prohibeantur. Galenus etiam secundo de tuenda sanitate dum de exercitatione loquitur, hæc habet: [Ex exercitatione tria commoda primò adueniunt, ex membrorum enim attritu, illorum durities, tum verò spiritus fit concitatior, calorque scilicet innatus augetur. Vt verò hæc commoda vnusquisque in proprias species dissecet, è membrorum duritie, robur maius ad labores, & vt minùs ex ipsis afficiantur, ex spiritus impetu concitatiore, vt excrementa expurgentur, corporisque meatus omnes liberentur, ex caloris innati augmento, attractio, concoctio, nutritioque melior fit, adeò vt corporis solidæ partes, quomodo humido vitali perfusæ videantur quorum beneficio solida mollescere, humida attenuari, corporis angustiores meatus laxiores fieri contingit.] Igitur sic à multiplici commodo, exercitatione membra afficiuntur, si solida mollescunt, quid amplius, aut sperare possumus, aut optare, quandoquidem hæc non solùm ad retinendam quam possidemus bonam corporis valitudinem, sed etiam iuuentutem, sed ad in melius commutandam, non solùm salubritatem, sed etiam ætatem? Quandoquidem quid est aliud iuuentus, quàm caloris magnitudo, & ossium mollities, vel ipso Galeno teste, quæ duo cùm ex exercitio, augeantur, palàm est exercitium etiam facere, vt homines reiuuenescant, regrediunturque in ætatibus, & certè hæc magna exercitij laus, quam illi Galenus tribuit, atque vtinam tam secura, neque enim primum videre possum, quomodo simul per exercitium membra duriora reddantur, & molliora, deinde si egredi versus ortum licet, cur vel hanc tantum vtilitatem, vel sibi ipsi, vel aliis non præstiterit? Deinde si quandoque istud fieri potest, præstabat docere, cur non semper? nam semper si fiat, prorsus exercitium immortalem reddet hominem. At nos exercitij vsum, ad salubritatem quidem corporis delicatè viuentibus, non tam vtile, quàm necessarium existimamus, scilicet ob excremento non digestionē: at verò ad vitæ longitudinem, tantùm abest vt prosit, vt etiam vehementer noceat. Moueor verò ad hoc maximè quatuor argumentis: quorum primum est ex Galeni sententia, quod humidum vitæ consumitur à calore naturali. Nam ossa siccantur quotidie, membraque formantur ab eadem virtute, quæ etiam in vtero è sanguine, illa effinxit, ille autem calor est manifestè in spiritu, & sanguine contentus, non aër, nam & secus etiam aër posset membra ipsa fingere, constat humidum vitæ, à calore innato consumi. Præter id videmus quæcunque assiduum patiuntur motum siccari, imò etiam axes rotarum accendi: cùm igitur cor, calor, spiritus, sanguis, in perpetuo sint, ac manifesto motu, haud dubium erit calorem siccare humidum vitæ, quod intus est, quantò igitur calor maior, ac motus concitatior, eò celeriùs absumi humidum vitale necessarium est. Igitur cùm exercitatio calorem augeat, & motum in spiritu reddat concitatiorem, exercitium vitam decurtabit, & senium accelerabit, neque enim alia ratio est, cur multò longior sit senectus ætate florente, scilicet quæ ad XXXV. ad summum extenditur annum, quàm quod in senio, licet humidi dimidium tantùm supersit: attamen à minori calore, à motu sanguinis tardiore, lentiùs consumitur. Exercitatio igitur maximè in senibus, & præcipuè valida, ac celer, vitam abbreuiat manifestè, tametsi valetudini conferat conseruandæ. Quæ verò præter id, est molesta, & longa, hominem breui perimit, nec solùm humidum vitæ absumit, sed adducit morbos graues, atque mortiferos. Secundum argumentum est ab experimento, quod qui ad extremam peruenerunt senectutem, omnes ab exercitatione saltem valida abstinuerunt, in otioque vixerunt, exemplum in his qui in eremo vixerunt valde senes, sed incerto tamen annorum numero. Pachonius Zozimas Malchus cum vxore beati Antonij quoque discipuli, Isydorus duo Micharij, alter Ægyptius alter Alexandrinus, Eraclides atque Paphnutius, quorum etiam Eusebius in Ecclesiastica historia meminit, habitarunt in eremo Lutius, Theodorusque, annis quinquaginta, Sara virgo suprà flumen sexaginta, Onophrius verò septuaginta, ex quo vitæ illorum diuturnitatem coniectari licet, cùm ad solitudinem non accederent, nisi ætate perfecta. Porrò clariùs historia de Apollonio nos admonet, quod septuagesimum quintum annum excesserit, Hilarion attigit octuagin. Pithirion etiam, & Copres presbyter excesserunt. Ioannes quoque Ægyptius, & Hor, Beatus quoque Hieronymus nonagesimum vitæ annum, non paruo excesserunt, Beatus Antonius centesimum quintum attigit, Helyas autem, & Cronius decimum suprà centesimum, Paulus quoque eremita CXIII. Quid ergo in tanto numero, tam paucos commemorem, cùm nec fides in historia, quorsum enim mentiri tam clara in re, ac ab omni miraculo prorsus aliena, nec miraculi suspicio obiici possit, neque enim viuere diu in tanta omnium voluptatum continentia, in tot vigiliis, ieiuniis, orationibus, tanta solitudine ac tam periculosa, ad felicitatem pertinebat. Quinetiam illi macilenti, ac excarnificati erant, ostendam autem ieiunia hominem extenuare, vitæ longitudini minimè obesse. Quare exercitatio vt vitam adimit, ita otium diuturnum, quod in illis fuerat, vitam producit, docebo & quónam pacto animi spes, atque lætitia vitam non parum prolongant, abstinentiaque à cibo, sed priùs quod proposueram, exequar. Dixi quatuor me habere argumenta, quibus ostendere possum, exercitationem vitæ, longitudini obesse, horum duo iam declaraui, nunc tertium aggredior: non est dubium eos exercitantur, & plus edere quàm si quiescant, & cogi etiam ob resolutionem, vt edant, at qui plurimum comedunt duobus modis, aut tribus vitam abbreuiant, primo

Exercitationis tria commoda.

Iuuētus quid.

Quatuor argumentis probatur, exercitium nil ad vita longitunem conferre.

Lætitia à ciboque abstinentia non parum vitam prolongant.

Qui plurimũ comedunt, vitam abbreuiant. Nota.

primo quòd excrementa plurima gignant, quibus expellendis naturâ & fatigatur, & impeditur, & quandoque etiam succumbendo in morbos deuenit, ex quibus mors consequitur, secundo quia alimentum deteriùs concoquitur, præter id enim quòd magis crescit fames ac sitis, quàm naturalis calor, somni communes sunt, quos oporteret, ac tẽporis spatium cum calore augeri, si concoctio æquè bona esse deberet. Nec si concoquatur, etiam perfectissimè nutrire potest tam benè, quod pro multitudine, tempus ad concoctionem in membris desit. Quod etsi nutriat etiam meliùs, non confert ad vitam, vt tanta mutatio in humido fiat: si enim duas lampades accipias, æqualis magnitudinis, eiusdemque naturæ, in vtramque oleum infundas: in alteram quidem plurimum, quod elychnium accensum crassum sit, amplaque flamma, in aliam parum, quod contraria ratione elychnium paruum sit, flammaque pusilla, lampas in qua plus olei, ac sæpiùs infuderis, profectò longè celeriùs fæce implebitur, quàm reliqua, quæ luce exiguo ardet. Ita in corporibus, quæ plurimo restaurantur, ac frequenti alimento, necesse est, vt cordis pars solidior celeriter fæce impleatur, aduematque præcox senectus. Est & aliud, quod pollicitus sum argumentum breuitatis vitæ in exercitatione valida, quod & Galenus ipse confessus est, nam arteriæ plusquam natura ferat, distenduntur ob calorem, vt pulsus magnus euadat, talis enim pulsus sanos exercitatos consequi solet, ac manifestum est, membrum præter naturam extensum, non parum debilitari: vnde in senibus maximè hoc mortis causa, ante tempus est. Sed dices, quid ad ea quæ obiiciuntur? Nunc nunc certè diluam: firmiùs enim hærebunt, quæ scripsimus menti, & nostram opinionem de exercitatione faciliùs quisque percipiet. Neque omne exercitium damnamus, hoc enim perperam fieret, imò ne fieri quidem posset, vt homo semper decumbat in lecto, aut sedeat, sed nec immodicum, aut vehemens nimis. Quis enim nescit hoc genus, non solum ab omnibus damnari, sed solo nomine esse infame? quid ego exercitium illud damno? quo quidam se posse reiuuenescere sperant, quo rubet corpus, fames excitatur, videturque homo in meliùs proficere, cùm tamen non parum se ipsum lædat. Itaque exercitium probamus, quod excrementis sub cute, & in solidis membris expellendis confert, hoc autem vt paruum sit, possitque, hoc postulat corpus paruum nutriri. Ergo sanitatem tueri, & producere vitam, otium potest, si cum abstinentia coniungatur: corpus verò exile erit, si verò exercitium, sine abstinentia iniunxeris, corpus reddetur succosius, ac pinguius, tum robustius, vita verò breuior fiet, si copiosum cibum adhibueris, & otium, corpus quidem pingue, sed inualidum reddetur, morsque approperabit: quod si exercitationem cum inedia coniunxerimus, inualidum, deforme corpus reddemus, vitamque decurtabimus. Ex quatuor igitur quæstionibus propositis, nullam prætermisimus, quam non determinauerimus. Prima quidem humidum vitæ consumetur à calore naturali, an ab aëre, à calore si modò potius dixi: reliquum suo loco docebitur, quod ad ipsam quæstionem pertinet. Secunda, an exercitatio ad vitæ diuturnitatem plus afferat commodi, an incommodi, diximus mediocrem, ad valetudinem tantum, leuem verò, & bonæ valetudini, & vitæ longitudini prodesse. Tertia, quid plus conferat, an cibus cum exercitatione, an otium cum abstinentia: diximus otium cum abstinentia ad vitæ longitudinem, ad robur, ac bonam valetudinem, cibo copiâ cum exercitatione. Quarta, vitam nostram definiti, longioribus quidem terminis, quàm homines assequantur, quandoque prodigiosis ccc. aut cccc. annorum, quoniam sunt in omnibus rebus miracula quædam. Est autem præter miraculum, non minus vitasse tot aduersa, quàm aberrasse inter multa necessaria: Sola igitur illa superest disputatio, an vitale humidum quod in corde est, possit aliqua ratione à fæce purgari. Igitur argumenta iam diluamus, quanquam per se solutio à nobis sit exposita. Docebimus verò priùs causam, cur qui diu valde viuunt, omnes fermè pauperes sunt, & nullius pretij viri, præter sanctos illos, beatosque viros, tum eorum, qui tales sint causamque, ac signa adiiciemus. Igitur qui diu viuunt, serò his humidum cordis, tum pulmonis siccatur, quibus serò id contingit, plurimùm humidum, & benè pingue, primo adesse in cordis substantia necesse est, ipsum verò calidum, quod in sanguine, & spiritu continetur, non multum, nõ tenue, non acutum: nam calor tenuis mouetur celeriter, multus verò, & celeriter, mouetur, & plurimùm ex humido resoluit, acurus verò humidum resoluit. Homines igitur corde frigido, atque humido, ad vitæ munia parum prompti, atque vtiles, tum igitur illos conuenit esse humilis conditionis quod parum, aut nihil valeant, in negotiis ciuilibus, actionibusque humanis, ipsa etiam abstinentia ab his negotiis, & à curis, ad vitæ longitudinem non solùm vtilis est, sed etiam necessaria, propter vtrumque igitur horum, qui ad magnam senectutem perueniunt homines, sunt frigido, & humido corde, nullius ad humana negotia vsus atque ideò etiam in fine sortis, quos nullæ curæ sollicitant, nulli casus aduersi discruciant, atque ideò neque se exercentes, nisi leuiter, & commodè. His igitur duo alia adesse necessarium est commoda vitæ, ne ob penuriam frigore, aut fame moriantur, aut laborare cogantur, aut contristentur, quæ omnia diximus vitæ obesse diuturnitati: hoc autem rarò contingit, vt in humilis sorti, viro præsertim his temporibus, quibus rapto viuitur, atque dolis, vt vitæ commoda habeant. Alterum est, quod cùm non exerceatur nisi leuiter, ob superfluorum abundantiam, citò suffocabitur hydrope, vel difficultate spirandi, vel alio quouis morbo longo. Vt igitur pauca generentur excrementa, necesse est, vt iecur & vẽtriculum habeat robustissima, nam sic, concoquendo benè superflua modica supererunt. Itaque cum quosdam admodum senes vidissem, dixi: Patres, volo vobis quædam prædicere, quamvis vos è facie minimè nouerim, tum illi quid? At ego in quam, primùm mihi respondebitis, quot

Similitudinẽ. nota.

Membrum præter naturam extensum debilitatur.

Nota.

An humidum vitale possit à fæce purgari.

Humidũ cordis diu viuẽtibus quale.

Curæ vitam abbreuiant.

Vt pauca generentur excrementa.

quot vitæ annos superaueritis? Primus respondit, centesimum ago, Patauinus erat, vocabaturque Ioannes de Sartoribus, quòd ipse *Cerdo* fuisset. *Cerdo* verò materna Italorum lingua, sartor vocatur. Alter nonagesimum sextum, erat autem Mediolanensis, panes hîc excoquebat in porta, quæ ad Vercellas ducit, vrbi nostræ toti notissimus, ob longam senectutem. Tertius ex ciuitate Papiæ (ex qua sum & ego oriundus, quòd mater pestem fugiens, in vrbe nostra grassantem, huc ex illa grauida diuerterit, natus igitur in hac, & ad annum vsque quintum in ea educatus) huius ætas ad nonagesimum sextum extendebatur, sed longè, vt mihi videbatur, robustior secundo quod neque nisi pauci dentes excidissent, & rectus incederet, & optimè iuxta ætatem videbat, quorum nullum Mediolanensi aderat, sed ille per bella multa, incommoda, iniurias, dettimentaque passus erat, adeò etiam vt ille referebat, à milite dentes fuerint excussi, non omnes quibus carebat, sed cùm tres, vel quatuor, par erat, cæteros fuisse debilitatos. Tum ego raro inquam, ægrotastis, bonum ventriculum habuistis, beneque dormiuistis, & curis non angebamini, omnes hæc confirmarunt, nisi quod Patauinus, quinquagesimo anno ait, se longo mobo, febre scilicet, laborasset, vt pro deplorato relictus esset à medicis. Adieci, & parum mingebatis in iuuentute, & multum in prandio, parum in cœna edebatis, hoc verùm fuisse affirmabant, & nunc etiam illos obseruare, sed vrinam non paucam, quemadmodum ego dicebam, sed plurimam emittere. Tum ego inquam, ita certè nunc vobis conuenit, & aliquot ante annis, sed illud dixeram in iuuenta: tum illi in iuuenta quantum mingeremus non recordamur. Tum ego certè non mingebatis in nocte? Tum illi vera dicis, imò plerumque totam dormiebamus, nec etiam postquam surrexissemus, meiere consuetum erat nobis, nisi post aliquam exercitationem, quibusdam tamen noctibus etiam, vbi plurimùm potauissemus, meiere contingit, igitur si bene animaduertis, quæ dicta sunt, superiùs comedere plus in prandio, & non conqueri de ventriculi mala coctione, signa erant optimi ventriculi. Non minxisse plurimum, non febricitasse frequenter, robusti & bene temperati iecoris, non curis angi, causa erat diuturnioris vitæ, frigidique, & humidi cordis signum, par ratio etiam prolixioris somni, fermè ne quis me de cerebro accuset. Cæterùm Patauinus dentes satis pulchros, & firmos habebat, acie videndi non plurimùm debilitatus, conquerebatur de alui duritie, pro qua vt tales solent esse obliuiosi senes quoties obuiaret, erat verò id fermè quotidie, consilium petebat, quod ego dabam, nec obiiciebam me iterum dedisse, sciens quod dum rediret, obliuisceretur non solum consilij, sed etiam petitionis: omnes hi admodum macilenti erant, atque excarnificati, inuersis palpebris, curui, præter Papiensem, seu quod esset natura robustior, seu quod meliori vsus regimine vitæ, seu quod non omninò adeò senex esset, vt prædicabat, sed nonagenarius, nam effigiem tot annorũ præ se ferebat, mihi enim hoc fuit priuilegium à natura datum, vt in iudicanda ætate, nunquam plus biennio aberrauerim, atque eo etiam rarissimè, cùm tamen plusquam de tribus millibus virorum iudicium fecerim. Ergo cùm tot tantaque concurrant ad vitæ maximam longitudinem, frigidum, humidumque cor, cum calore naturali modico, obtusoque, atque ob id sors humilis, robur iecoris, & ventriculi, abundantia necessariorum, quæ pugnat cum sorte, ac etiam ætate, cùm soleant plærique tamen senes etiam à filiis negligi, custodia vitæ, quæ cordatis viris tantum curæ esse solet, nil mirum erit, tam raros ad extremam senectam peruenire: cùm etiam ex his paucis, mille alij casus, maiorem partem in tam longo tempore absumant, bella, pestilentiæ, annonæ penuria, lapsus, tegulæ casus, itinera, incommoda, aliaque huiusce generis, quæ numerari nequeunt, ergo qui nam ex sensibus, ad hoc vt diuturnam maximè vitam assequi possint, parati erunt, illud ex sex inditiis, quæ omnia ex dictis, originem ducunt, coniicere licet, primùm quod ex familia sit, quæ ad longam ætatem peruenire soleat ex vtroque parente, aut saltem ex altero, hoc inditium est, posse habere principia omnia valida, & in vnum consentientia, ad vitæ producendæ rationem. Secundum quod sit carnosus, rubicundusque, nam hoc cor adhuc humido plurimo abundare significat, iecurque esse robustum, nam teste Galeno, totius temperatura ab his duobus principiis prodit. Tertium quod pulsus habeat molles, paululumque imbecilles, nam declarant humidum hoc substantiam esse cordis, caloremque innatum benè temperatum, nec multum abundans. Quartum quod curis minimè distorqueatur, nam tales qui sic discrutiantur, longæuam illam vitam assequi impossibile docuimus. Quintum quod benè dormiant, saltem pro ætatis ratione, nã hoc vt causa est, & vt signũ diuturnæ vitæ, signum, quidem quod humidam temperiem cerebri esse significet, quodque excrementa salsa, vel acuta, vel grauitate sua molesta, non abundent: causa quod somnus humectet corpus, & coctiones adiuuet. Signum est etiam quoniam non parum adhuc incommoda senectutis sentire, parumque à iuuentutis statu mutatus. Sextum quod parum ægrotauerit tempore præterito, nam sic benè temperatam fuisse naturam conuenit, item pauca excrementa abundasse: nam excrementorũ abundantia est quidam morbus. Tertiò quod signum sit, quod rectè vitæ custodia vsus est. Accedit quod corpus non est debilitatum ex præcedentibus morbis: itaque si sic erit, adhuc robusti erunt dentes, qui plurimùm ad vitam producendam conducunt: hoc autem optimùm erit, si eam sanitatem, retinuit circa magnam exercitationem, nam si assuetus magnis exercitationibus benè valuit, vel perseuerando in senecta multum ex vita decurtabit, vel dimissis exercitationibus mille incommoda vitæ subibit, tum etiam morbos, ac mortis manifestum periculum. Ad argumenta igitur quæ pro exercitationis vsu adducta sunt, respondemus. Ad primùm distinguendo, quoniam duplex est valetudo robusta, & sana, sed imbecillis,

Signa optimi ventriculi ac iecoris.

Sex indicia diuturnæ vitæ.

Temperatura totius à corde & iecore prodit.

Dentes robusti plurimum ad vitam producendam conducunt.

imbecillis, auxilia quæ ad sanam prosunt, imbecillem tamen valetudinem, id est, quæ labores magnos ferre non potest, prosunt etiam vitæ diuturnitati, sed exercitationes mediocres non vitam sanam, & imbecillem pariunt, verùm habitum illum athleticum, aut fossorum, ac rusticorum, quem damnat manifestè Galenus: & ipse illud fassus incolumen valetudinem non eam esse: quæ cum bono, sed potiùs imbecilli, & extenuatè habitu coniungitur, sin autem intelliges exercitationes, valetudinem robustam parere, fateor: sed tunc non eadem sunt auxilia robustæ valetudinis, & longæuæ vitæ. Ex quo patet alterius ac maximè principalis quæstionis propositæ solutio, scilicet an auxilia ad bonam valetudinem, eadem sint auxiliis producendæ vitæ: nam constat, quod auxilia ad bonam valetudinem, id est, sanam & imbecillem sunt eadem auxiliis vitæ diuturnioris? sed auxilia ad vitam robustam, & bonum habitum, eadem non sunt, his, quæ ad vitæ longitudinem conferunt.

Sanitas duplex. Robusta sanitas diuturnã vitam non admittit.

Duplex igitur sanitas, altera quidem minùs robusta, & cum habitu imbecilli, minimeque laborum patiente, cum corpore non admodum vegeto, & quæ facilè excutiatur, & hæc cum vita longissima esse potest; altera quæ robusta, & cum optimo habitu, quæ diuturnam vitam admodum non admittit, perdiuturnam admodum vitam, aut extremam senectam, vel longissimam, intelligo eos qui octuagesimum primum annum excedunt, & maximè cum nonagesimũ excesserint. At verò dico eorum, qui robustam valetudinem habent, quique plurimum etiam exercentur, neminem octuagesimum primum annum excedere posse, sed paucos etiam septuagesimum, imò etiam sexagesimum. Quod etiam Galenus fatetur, athletas paucos admodum senescere, illos verò etiam qui senescant, adeò debiles esse, atque inualidos, vt prorsus sint inutiles: at ille de primo senio, atque sexagesimo anno intelligit, nos cùm de mediocri exercitatione non valida loquamur, excedere ob id neminem posse octuagesimum primum annum vitæ affirmamus, paucissimos verò septuagesimum, plerunq; nec excedere sexagesimũ. Id ne rectè in adagio dictum, dixi si vix plurimùm senescere, citò senesce id est, celeriter à laboribus, etiam in iuuenta, & curis, & Venere multa & multo cibo, à quibus senes solent abstinere temperatè. At dices si ventriculus, aut iecur sint inualida, quomodo longam vitam illam, atque extremam senectutem consequi potero? Respondeo id tibi negatum esse, vt etiam tabidis, ac aliis, nam si exercitio vtaris, ante octuagesimum primum annum perfectum, obiire necesse est, ob humidi vitalis consumptionem, si ab exercitio abstinueris, morbis innumeris subiicieris, atque ita etiam multò ante illud tempus morieris. Præstat igitur, vt etiam mihi qui tali sum mala temperie vtriusque membri præditus, quod superest quantum possum, incolumius, per exercitia traducere, quàm ipse inani luctatum, longissimæ vitæ malè prospera valetudine interim frui, & multò ante illud excrementorum multitudine oppressum, subitò nec dum primo perfecto senio interire. Itaque constat ex hoc, cur multi senes carnosi, rubicundique celerrimè corruant, & ex tempore, inopinatóque moriantur: id contingit, quod calor innatus robustus est, & iecur validum, vnde illis prospera valetudo, & bonus habitus contigit, seu ob exercitationem, seu citra illam: attamen cùm à plurimo calore, humidum vitale celerrimè consumatur, cum suo illo bono habitu, sunt prope mortem: contraria ratione macilenti, ac etiam pallidi, & minimè viuidi, quod calor in his admodum paruus sit, ad longissimam senectam perueniunt, quales in cœnobiis, sacras aliquot virgines videre adhùc licet, & multò plures paucis ante annis, quæ annum centesimum superauerunt. Igitur dices, non caro in his, non viuidus calor, non robur iecoris adsunt, & tamen adest vita longissima? Respondeo, eos qui sic se habent robustum non habere iecur, sed tamen benè temperatum, nec sunt carnosi: quamvis enim humidam habent cordis substantiam, parcitate tamen victus, seu ob vsum, seu quia à multo grauari se sentiant macilenti euadunt, & similes morbosis, attamen in eo statu vitæ diu perseuerare possunt, quia caput longitudinis vitæ, est otium, cibi parcitas, cum corde humido, & calore paruo, nisi mala aliqua intemperies obstiterit cerebri, iecoris aut ventriculi. Porrò hic non de omnibus agendum est, sed sufficiat de his commodis atque incommodis tractasse quæ ad exercitationem pertinent. Igitur ad secundam rationem transire nunc opportunum, esse censeo, calor plurimus, aut multitudine, aut magnitudine, esse potest. Quicunque calidiores sunt, quoniam calor magnus sit, minimè diu viuere possunt, quod etiam fermè Galenus in quinto de tuenda sanitate docet, dum calidam nimis arguit intemperiem. At si principalem calorem multitudine solùm dixeris, primùm neque illud verum est simpliciter, plærique enim eorum, vel teste Galeno, morbosi sunt, nec si modò sit verum, causam affert, sed solùm signum, cum enim plurimùm fuerit de calore, plurimùm esse pinguis humidi significat, at hoc minimè est idẽ, cùm eo quod calor sit causa vitæ, forsan verò neque plurimùm humidum, causa erit longæ vitæ, sed concoctum. At modo, seu malè temperatos vitæ esse diuturnioris, siue humidos, nequaquã conuinces, caloris copiã vitæ lõgitudini prodesse. Palàm est autem, & apud Galenũ, & apud omnes celebres medicos, humidã, aut tẽperatam naturam, in vitæ diuturnitate probari. Deinde non idem est, calorem ab initio longioris vitæ esse argumentum, & quæ augent calorem, prodesse vitæ longitudini. Itaque cum moderatum exercitium, in magno calore, & minimum, in minimo, ad conseruandum sufficiant, imò in mediocri, palam est, cùm omnis caloris additio potiùs noxia sit, quàm vtilis, exercitatione aut graui, aut molesta, aut magna, vel etiam mediocri, vbi calor immensus non fuerit, opus non esse. Quinimmò velut in paruis ignibus, si vehementer conatus fueris accendere, obruis, & extinguis, ita non est ad corporis salutem, vbi calor paruus fuerit, vel mediocri vti exercitatione. Sed dicta,

Cur senes robusti habitus citò moriuntur.

Obiectio.

Responsio.

Nota.

Iuxta finem.

Humidam, aut temperatam naturam in vita diuturnitate probari.

Nota.

dicta, ad excrementa tollenda, saltem erit necessaria exercitatio, nam hoc videtur esse id, in quo plurimi potuerunt persuaderi, iam omninò exterminata spe augendi caloris, etenim neminem iam tamen aut mente stupidum, aut opinione contumacem esse reor, qui exercitationem ob caloris probet incrementum, quo manente, celerius vitale humidum absumatur, decrescente autem, in deteriora incommoda incidat. Igitur videndum est, an necessariò multa talia excrementa gignantur, deinde si non gigni ea necessarium est an præstet, nec gigni, nec expelli, an gigni, & expelli. Primùm igitur dico, non propter excrementa exercitatorum, inuentam, quandoquidem nemo tam amens fuerit qui plura exercitij iniungant senibus, quàm ætate florentibus, & tamen in senibus, longè plura gignuntur excrementa, atque hoc non minùs, quàm de modò exercitij, constat apud Galenum. Deinde nemo est tam perfrictæ frontis, qui audeat dicere, meliùs esse, vt gignantur, ac protinùs expellantur, quàm quod non expellantur, quia non gignantur. Igitur cùm hoc adeò clarum sit, vt declaratione non indigeat, nam & virtus expellenda laborat, & nimium meatus dilatantur, & excrementa quantumvis parum maneant, corpus malè afficiunt, nec tuti sumus, quod opportunè, quod completè expellantur, reliquum est, vt doceamus, effici posse, vt pauca gignantur, atque huic consulendum proposito, non alio insistendum. Neque satis constat, etiam quod plurima gignãtur, an exercitatione, an alui potiùs deiectione, an vomitu, an quod præstantissimum est, concoctione tolli debeant, importunè enim, neque citra ingens periculum, cruditatem in ventriculo tollere quisquam tentabit, sed nec alui excrementa, nec vrinas, nec sanguinis plenitudinem, nec iecur grauatum, exercitatione, aut tutò, aut rectè euacuabis. At euacuabo tertiæ, concoctionis excrementa? in his neque sola, neque multa exercitatione opus est, si enim pauca fuerint, quotidiana deambulatio sufficiet; si autem plurima, oportebit, vt dixi, aliis vitiis curari accedentem plenitudinem, deinde frictione, atque balneo, & mediocri, imò leui exercitatione vtemur. Quod cùm non vnquam periculosior sit magna, aut multa exercitatio, quàm cùm plura supersunt in corpore excrementa, iam nemini dubium fore arbitror, non esse, ob excrementa euacuanda, necessariam exercitationem. Si igitur quantum quisque concoquere volet, edat, bibatque, minimo opus est exercitio, sed ad experimentum accedamus, videmus eos, qui magno vtuntur exercitio, diu viuere, & sanos, & ex his vnus numeratur, Antiochus, quamvis coniectura assequi licet, ita fore, vt qui plurimo exercitio vtuntur, diu viuant, primùm si exemplo factum est, plus longè vixit Telephus Grammaticus, qui parum, aut nihil exercebatur, centesimum enim fermè attigit annum, Antiochus autem octuagesimum. Idem quoque Galenus in primo de Alimentis refert. [Fossores non senescere, sed mori etiam repentè, ad omnia etiam munia ciuilia esse imbecilles, quos constat maximis, & diuturnis vti exercitiis.] Non igitur ob exercitationem, hæc illis eueniunt, sed ob vitæ temperantiam, aliasve causas Accedit quod qui ferunt exercitia hæc valida robustiores sunt; at qui robustiores sunt plærumque diutiùs viuunt, longè diutiùs viuerunt, si à magnis exercitiis temperarent: quod in multis videre licet, qui nati robusti, & ad ciuilem vitam se tranferentes, ad centesimum annum vsque perueniunt, cùm tamen maiores sui, qui diuitias pararunt, nec septuagesimum attigerint. Ergo meliùs erit omnia ad proprias transferre causas, roburque vitæ, & moderationem, ac victum cupediis vacuum, animumque cutis, dicere causam longioris vitæ, non exercitationem, quandoquidem vt dixi in cœnobiis, vbi vel minima, vel nulla vtuntur exercitatione; ad centum vsque perueniunt annos. Est & illud considerandum, quàm periculosa sit exercitatio, rarò autem commoda, primùm, nec dum concoquitur cibus in ventriculo, nec in iecore, nec si adsint cruditates, nec alui excrementa non fluxerint, nec si vigilauerit, nec si Venere sit exolutus, nec si immodicè vel exinanitus, vel repletus, vt vix tempus commodum inuenias. Porrò quod ad podagricos attinet; iam in his mala concoctio viget, vt suo loco ostendemus, iam vix se à voluptatibus continere possunt; iam omninò ab exercitatione sunt destituti, vt nec leuem, nec leuissimam admittant, ad sunt vigiliæ, & cruciatus, & vt vno verbo dicam, non iam fiunt sani, sed ægri, itaque de his differendum non puto. Vidi etiam correptos podagra, qui ad centesimum fermè annum peruenerunt, an hoc rarum est? Fateor, an frequens, dic mihi eo, vsque eos etiam absque podagra peruenisse? Extremum est, ac robustissimum augmentum, quod à Galeni authoritate sumitur iam illud miraculo simillimum, quanta afferat commoda exercitium, nam solida mollescunt, & densiora redduntur, sic enim interpretari oportet Galenum, vt ipsum à tam manifesta contradictione vindicemus: atque vtinam hæc tam vera essent, quàm ab eo proferuntur, cumulatè. Quod enim exercitio, vt dixi, vires robustiores, & membra densiora non reddantur, alterum non negaui, alterum non negauerim. Nam non ego in hoc Galenum imitabor, qui studio contradicendi, artem tanti momenti, præcepta tantæ vtilitatis, tot contradictionibus inuoluit, tam obscuris præceptis adumbrauit, tam perplexis verbis refersit, vt sæpè Delio (vt dici solet) copiam natatore indigeamus. At ego fateor, solidiora membra reddi exercitatione, sed tamen hæc duplex est: altera quidem immodica, quæ non solùm mala est, sed etiam periculosa, altera moderata, & hæc quidem duplex, vna cuius est finis augere calorem naturalem, quam & ipse fatetur, cibum ampliorem desiderare, & hæc quidem vtilis, ad existimationem medico, & robur ei, qui seruandus, ac custodiendus, datur, plerunque est; at, vt dixi, hæc cùm maiorem faciat resolutionem humidi vitalis, ad vitam producendam, minimè vtilis est, quod si membrum tam imbecille adsit, non puto quin illud ad æqualitatem

Exercitationem non inueniam ob excrementa.

Excrementa exercitatione tutò euacuari non posse.

Quomodo antecedens plenitudo tolli possit.

Robustiores plerunque diutius viuunt.

Exercitationis incommoda.

Galenus notatur.

Exercitatio duplex.

tatem reducatur. Sed hæc disputationis causa dicta sint, illud summum est in omni exercitatione obseruandum, quòd & difficillimum est, nam si paulò violentior, & diuturnior, absumit vtile, sin minor, relinquit inutile, medium hoc seruare, vel semel supra humanam solertiam, est semper prorsus impossibile. Hoc igitur in exercitatione malum, & quòd ad nutritionem nos impellit, & consumptione & caloris magnitudine, nutrimentum autem mors. Quid ergo? in altero meliùs proculdubio est infra subsistere, quòd minor sit iactura, & quia illud natura ipsa consumet, & si non consumat, arte, aut repetita occasione emendabitur, at illud de nutritione, ita interpretandum est, vt homo non fallatur, vt quiescat antequam cibum sumat, vt calor seruetur, non augeatur, tum verò si quod genitum fuerit, meliùs alimentum pensabitur iactura: propterea inclinante ætate, non solùm quantitatem, sed etiam qualitatem, deambulatione mutare oportet.

CAPVT XIX.

De modis exercitationis.

Nota.

Dicendum erit igitur primò, per singulas ætates ordine quodam, vt reliqua etiam similiter dicta intelligantur, nam si vniuersa describere voluero, videbor ad ineptos, hos libros scripsisse, & longitudo libri tædium legentibus pariet, nec tam libenter, ac frequenter cùm legent. Et si voluero in immensum illos excrescere, vtiliorum præceptorum, quorum causa præcipuè hos libros conscripsi, maiorem partem præterire cogor narrationum. Igitur præter ea quæ nos hîc docemus, considerare oportet, differentiam esse inter infantem, & puerum efflorescentem, in exercitatione, cibo, & potu, somno, Venere, animi cogitatione, sed maxima in Venere, vtpote cuius infans minimè sit compos, minima in somno, maior in potu, maior adhuc in cibo, maior in exercitatione, maxima omnium præterquam Venere, in animi operationibus. Hæc igitur si per singula capita vellem distinguere, non tam diu viuam, vt librum explere possim, crescunt enim singula capita in innumerabilem multitudinem, præsertim cùm, vt dixi, primus hîc liber octo ætates contineat, sed nos extremis declaratis, aliqua quæ ex intermediis, vbi necessaria est mutatio manifesta, quæ mediæ sunt, intellectas eas, supponemus. Primùm igitur ab exercitatione auspicantes, vt de ea parte, de qua iam vt vidisti, copiosè disputauimus, illius species distinguemus iuxta robur earum, deinde iuxta propriam naturam, postmodum de tempore, & quantitate illius præcepta trademus, ab illius diffinitione initium sumentes.

Exercitationis definitio.

Exercitatio est Motus proprius, cùm enim aliquis equo, vel naui vehitur, ita vt ipse nihil prorsus agat, tum & si exerceri videatur, non exercetur. Cùm verò ambulat, luctatur, aut stat, exercetur, stando enim musculi crurum tenduntur, non parum adeò, vt mirum in modum homo fatigetur. Quamobrem inter Socratis miracula plurima celebratur, quod perpetua nocte in eodem habitu steterit, referunt autem non semel, sed sæpiùs ita solitum exerceri. Ergo vbi nixus, ibi exercitatio, tamen etsi non videatur moueri. Scio aliter definire Galenum, sed quod iam semel dixi, non est vt repetam, vera dum trado, & manifesta sensibus præcepta, non esse, mihi curæ maximam temporis partem, si aliter voluero facere, consumpturo, quónam pacto aut Galeno contradicam, aut vt illum sequar? Adeò enim hæc præcepta inuoluit, vt qui methodum maximè profiteatur, cerdones sit imitatus infelices, qui cùm aliis calceos nouos faciant, ipsi vetustos, disutos, & fractos ferant. Sunt igitur exercitij septem differentiæ notissimæ. Prima est grauis, ac lenis, tum mediocris. Grauis quidem exemplum, vt lapidem magnum, aut pondus immensum tollere, quanquam enim ne mouearis, totum corpus tamen fatigatur non leuiter. Leue autem est, cùm aquæ situlam paruam è puteo extraxeris, vix moto corpore. Mediocre est discum, aut ferreum palum, non grauem valdè mittere. Differentia altera est velocis, tardi, ac mediocris. Tarda quidem deambulatio, ad tardam pertinet exercitationem, vt cursus ad celerem: cùm enim nihil ferat, est tamen magna hæc exercitatio, mediocris verò, vt deambulatio citata. Commune signum grauis, ac celeris est, respirationem statim continere: nisi enim anhelitum retineas, nec pondus graue eleuabis, nec curres, in leui, vel tarda, non continetur anhelitus, in mediocri autem obscurè. Consequuntur ad magnam (hanc voco, quæ vel est grauis, vel celer, vel ex vtraque constat, de qua nunc dicam) exercitationem defatigatio, & anhelitus mutatio, hæc quidem breui semper, plærumque etiam calor. Nullum horum ad paruam hanc volo intelligi leuem, & tardam, veluti ad mediocrem: hæc omnia mediocriter, iunguntur celer, & grauis, vt in luctu vehementi, & armorum ludo, mediocris, in vtraque ratione est ludus pilæ non paruæ, cum ligneo scabello. Tertia differentia est continuæ, ac interceptæ exercitationis, continua est cursus, intercepta, vt saltare, sed quæ mediocriter intercepta est, exquisita saltatio est, quæ ad tibicines dum choreas agunt, tripudium vocant. Quarta differentia est ratione temporis, quædam enim diuturna, quæ fatigationem attingit, quædam breuis, quæ corpus non alleuiat, quædam mediocris, quæ fatigationis omninò est expers, & tamen corpus ipsum alleuiat. Quinta est, quoniam quædam est totius corporis per se, quædam verò propter partem, quædam partis tantùm, quædam totius corporis propter partes. Totiùs corporis per se, est paruæ pilæ ludus, in quo totum corpus æqualiter exercetur. In quo verò totum corpus propter vnam partem exercetur, est impulsio, & equi agitatio, renes enim soli laborant, id est, pars ea spinæ dorsi, vnde plerique ex his morbis vrinæ, postmodum pereunt, quamuis alia ratio sit equum agitantis, & impellentis, hi enim

Vbi nixus, ibi exercitatio.

Exercitij septem notissimæ differentiæ.

enim verè solùm exercentur, at qui equum agitat, exercetur solis renibus, sed tamen totus præter id agitatur, vtrique tamen exercentur toto corpore, etiam seclusa agitatione: nam si diu perseuerauerint, sudore toto corpore primo quidem madent, inde etiam profluunt. Qui verò texunt, pedibus pensa trahentes, corpus totum exercent, sed non per se, verùm vt singulas exercent partes, at qui gemmas tota scalpunt brachia, & manus solùm, ac oculos exercent. Sexta differentia est, quoniam quædam aguntur in membra, aliæ in sole, æstate aliæ, aliæ hyeme, aliæ à nudis, aliæ ab his qui vestibus, vel etiam pannosis sunt collecti, aliæ in aqua, aliæ in aëre, aliæ in cœno, quæ sunt laboriosissimæ, omitto innumera alia exercitationum discrimina, à famelicis, à cibo oneratis, cum ira, cum metu, quæ non sunt præsentis instituti, sed satis sit quatuor illarum primaram meminisse differentiarum. Septimum discrimen est, quod & maximè proprium à modo sumptum, velut circumuerti, aut pronum cadere, aut deambulando reuerti, quod familiare est mercatoribus, hi enim modi, ad reliquas differentias minimè deduci possunt. Expedit autem, vt (antequam de horum commodis, ac incommodis tractem, vt de agitatione dicam, plerumque enim exercitatio non est sine agitatione. Est agitatio, quotiens corpus mouetur non ex se vllo modo, sed ab alio, vt nauigatio, vehi asturcone, vel gradaria multa, vel etiam quomodocunque alio, seu rheda, essedo, curru ferri, vt olim Romani lectica, & nunc nutrices infantes ferunt. Cunæ etiam dum mouentur, exagitant citra exercitationem corpora. Esset ex hoc genere frictio, sed de illa seorsum agendum erit. Communes differentiæ agitationis tres sunt, prima quidem, vt exercitationi coniuncta sit, velut qui equos agitant, & qui remigant, aut vt omninò sit absque exercitatione, vt gestari: secunda vt vehemens sit, aut leuis: vehemens quidem, vt dum flumine vehimur ad aquæ cursum, cui contraria est leuis, seu tarda, vt gestatio: tertia differentia quæ pluris æstimanda est, in æqualem, & inæqualem distinguitur, ac mediam, inæqualis maximè est mari nauigare, vnde etiam vomitus excitatur: post curru vehi per loca inæqualia, & abrupta, minùs essedum quod duas habeat tantùm rotas agitat: sic & rheda, equo insidente vehementer agitare, inter, magnas inæqualitates connumerari potest, inditio est angariarum cursus, seu cursores, qui dispositis per loca equis, celeriter ferũtur, medio inter cursum & succussum motum, is enim tantùm excalefacit hominem, vt non fossoris maior sit labor: æstuant, sitiunt, sudant, causa est, quod non ephippiis incumbunt, sed breuioribus quam de more sustentaculis, quæ stapedes vulgò vocant, agitantur perpetuò toto corpore, & ad singulos processus capite, collo, pectore, ventre, cruribus flectuntur, vt laboriosè moueantur, laboriosiùs insideant: Propterea mos est his, vt cincti toto ventre, ac pectore, etiam fasciis equitent, nil edant, equitanti, sed delassati panis medullam, aqua madefactam, saccaro inspersam, modico affuso vino sumunt, alij solùm bina lutea ouorum glutiant, cùm tamen adeò diligenti custodia efficere non possint, vt longo vsu viuant, & magnis incommodis valetudinis agitentur capitis præsertim, ventriculi, & renum, quæ membra magis succutiunt. Vehi secundo flumine, ferri lectica, vel inter vlnas, vt infantes, & in cathedra est absque vllo incommodo, & inæquelitate: mediocria in cunis, in asturcone, sed multa gradaria vehi similiùs est potiùs æquali omninò agitatione. Sunt igitur exercitiorum genera magis in vsu discus, alteres, pila tam parua, quàm mediocris, quæ scabellis ligneis mittitur, & magna, quæ pugnis, palus ferreus remigare, fodere, ligna scindere, aquam haurire, malleo laborare, pistillo tundere, panem subigere, equos agitare, paneratio ludere, luctari, armis certare, currere, saltare, tripudiare, deglubere, rotam vertere pro celandis gemmis, natare, circumuerti sphæra, & vocatis ossibus ludere, ludere & trocho, item & nucibus, funi hærere appensum, vel lanceæ, aut per eam scandere, pugnis erectis ac tensis brachiis stare, item cũ alio palmis erectis certare, vicissim quoque si brachiis motis, manibus sub alas concutias latera alternis vicibus, brachia se super equitantibus, qui mos est piscatoribus, dum frigent, ambulare etiã pronum totum, & super mensas saltare, manibus se sustentando arcubus, sagittas eiaculari, prælongas hastas solo nixu eleuare, summis pedibus ambulare, distentis manibus contorqueri retrorsum, surgere humi sedentem absque manuum auxilio, scalas contento spiritu celeriter ascendere, ambulare etiam citato gradu, vel diu, vel contento spiritu, per accliuia etiam vicissim rectum ascendere, atque descendere, multaque alia penè innumera. Sed agitationem exercitium vocari, necesse potest: nam & si toto anno vecteris equo, aut naui, aut cunis agiteris, nec sudabis vnquam, nec incalesces. Sunt & exercitia partibus propria, vt pulmoni, & pectori vox mandibulis comedere, virgæ tendi, oculis videre. Omnia igitur membra quæ sponte mouentur in omnem partem, vt pulmo, oculi, pectus, brachia, manus, pedes, crura, virga, lingua, exerceri debent: & si diu non exerceantur, læduntur. Caput autem nequaquam, quoniam motum non habet, propter vtilitatem à natura intentam, sed vt vitaret incommoda. Dorsi autem spina exerceri debet, & plærumque plusquam volumus, exercetur. Ventriculus, & intestina etiam amica sunt exercitationi, renes, iecur, & quæcunque naturaliter immobilia facta sunt: nec te, vt dixit cerebrum fallat, quod caput mobile creatum sit, ipsum enim nihilominùs si quid aliud exercitationi est inimicissimum. Est & aliud, quod licet ad exercitationem non pertineat, ad ipsam tamen consequitur, & est aëris mutatio, ac occursus

Agitatio quid.

Agitationis tres communes differentiæ.

Equitantium victus.

Exercitiorum genera.

Exercitia partibus propria.

Caput exercitationi inimicissimum.

cursus cœli liberioris, & aspectus pratorum, nemorum, ac locorum. At de his omnibus iam dicere tempus est, nec in aliam hæc sunt transferenda occasionem: verum quanquam verbo de Galeno facere non statuissem, quia tamen authoritas illius plurimùm apud eos potest, qui non res, sed factum sequuntur, commemorando breuiter quæ prius dicta sunt de illo, pauca præfari volo.

CAPVT XX.

De vtilitate & incommodis, cuiusque speciei exercitationis.

In quatuor dissentit author à Galeno de exercitatione.

CVm enim in quatuor præcipuè dissentiamus à Galeno, ea quæ sint totiùs tractationis capita, quæ de exercitatione habentur, illa primùm præponere operæ pretium erit. Primùm quidem est, quod exercitatio ipsa non solùm non necessaria sit valde, imò plerumque inutilis, satis demonstratum est. Cuius rei testimonio, præter reliqua quæ dixi, est quod nec ipse qui tantùm illi studuit, nec quisquam alius, qui multum fuerit exercitatur, diu vixit, Galenus enim vt in expositione super artem illius medicam docuimus, anno LXVII. nec dum expleto, mortuus est. Et Curtius, aliique qui eius præcepta imitati sunt, omnes ante LXX. annum mortui sunt, cùm tamen robustissimum corpus essent ab ortu adepti, at Marsilium Ficinum Florentinum medicum, referunt annis quatuor minùs centum vixisse, matrem verò CXVII. Nunc constat, quamuis plura absurdè miscuerit, & à medica scientia aliena, in tribus libris quos de vitæ custodia scripsit, nullam exercitationis habuisse rationem. Quinimmò in primo libro inquit. [Mala est corporis fatigatio:] Forsan obijce quod alibi in eodem libro dicat, otio mœret, ventriculus gaudet exercitatione? Sed qua exercitatione, declarat alibi: dum vitare pituitam docet, nunquam dicit, laboriosa: Intellexit deambulationes, at deambulationem nec inter exercitia Galenus collocat. Quis igitur est, qui velit, aut videat senem aliàs exercere, quàm deambulando nostra ætate? quod si tentari aggrediatur, quin breui illum occidat. Nullo igitur experimento, opinio Galeni de exercitatione confirmari potest, nam & si concedamus aliquos senes plurimo exercitio nostra ætate vsos fuisse, illud iam apud Galenum non erit exercitatio: quare & liquido constabit, eos qui diu vixerint, inexercitatos vixisse, exercitationem verò, maximè in senibus ipsam vitam celeriter finire existimandum est, etiam arbores ob hoc longè diuturnioris vitæ esse, quàm animalia ipsa, quod arbores ipsi sint immobiles. Exercitatio etiam angustissimos habet temporis, & magnitudinis limites, in qua si non aberres, omninò parum accedit, & instabile emolumentum, cuius inditio est, quod ad eam reuerti quotidie ex illorum præcepto cogeris, at si erraueris, error stabilem, & plærunque inemendabilem noxam adducit. Secundum in quo à Galeno dissidemus, est quod deambulationes vt dixi, inter exercitia modò collocat, quarum vt videbimus, frequentissimus vsus est in tota vita, & vtilitas maxima. Tertium quod agitationem inter exercitia adnumerat, quæ ab eis toto genere differt, aut si neges adnumerasse, saltem non distinguit. Quartum est, quod nixum, & vehementem laborem probat, qui absque loci mutatione fiat, quò nil certè ad vitam, aut deterius si benè cedat, aut periculosius si malè, excogitari potest. Omitto quàm oscitanter totam hanc artem tractet, quam sicco pede transeat, & quàm confusè doceat, caput vt ille vult, totius vitæ. Nec mirum, intentus lucris, & ambitioni nimiæ, in omnibus scribere tamen voluit: euertitque dicta prædecessorum, tamen studio nimio contradicendi, tum ob festinationem. Quis non rideat arguentem Marinum in dissectionibus, aliosque viros celebres, qui homines plurimos per otium dissecuerant, cùm ipse ne vnquam quidem huius negocij causa, humanum cadauer tractasset, aut quis non potius illius inæstimanda est incredibilem audaciam, ac temeritatem admiretur? Homo qui nunquam hominem dissecuit, qui tot egregiorum virorum monumenta euertit: & pro vera historia, fabulosam substituit. Ita periêre Marini optima, mansêre Galeni nugæ, & plena iactantiæ commentaria. Vtinam & sic haberemus Theonis Alexandrini libros, quos de exercitatione conscripserat, longè existimo vtiliores, hac congerie inordinata: quam partim vt dixi festinatione summa, partim studio contradicendi conscripsit, hoc animo, ne vllius veterum monumenta, præterquam sua cogerentur. Tentasset & hoc idem in Hippocrate, si vel vtile sibi hoc duxisset, vel successurum sperasset, sed iam illius libri à multis, ante illum erant expositi. Quid dicam de noua illa Dialectica, aduersus Aristotelem, de qua tantùm gloriatur, benè actum est pro illius existimatione, quod vsque nunc in lucem minimè prodierit. Ille in Mathematicis etiam scribere ausus est, laudetque se plurimùm, hominem certè, Archimede, aut Euclide, vel Ptolemæo dignum, sed non ab his, verùm à quopiam, vel minimè exercitato, qui rideatur affatim. Relinquamus illi medendi methodum, in qua plurimùm ob id solùm valuit, quod exercitatio tractationi conformis erat, & tandiu in illa se exercuerat, vt egregia volumina ediderit. In cæteris quid plus illi multis tribuere, quam ille testetur, se voluisse Hippocrati, tametsi Hippocrates in sola medicina scripserit. Inquit enim ipse Galenus, in eo libello qui titulum inscripsit. Quod animi mores corporis sequantur temperamentum. [Ego Hippocrati credo, non quoniam Hippocrates sit, sed quatenus illius rationibus ad credendum cogor.] Ita igitur, & Galeni ipsius placita tractemus, hominis egregij sanè, sed quem constet summa cùm festinatione omnia scripsisse, nec solùm summa cùm festinatione, sed aliis, atque assiduis, maximisque intentum negotiis

Galenus lxvij mortuus est anno.
Marsilius Ficinus diu vixit.
Cap. 8. in fi. Cap. 11. in fi. Nota. Lib. 1. c. 9. 2. de tuenda valetudine cap. 2.
Exercitatio in senibus mala.
Deambulatio vtilis.
Theonis Alexandrini libri.

negotiis, ac studio contradicendi antiquis adeò magno, vt sæpè sui ipsius obliuiscatur. Quem postmodum constat temerè, & audacter, quæ non vidisset, tanquam non solùm vidisset, sed diligenter examinasset, tractasse. Declinasse etiam in plurimis ab his, quæ experentia ipsa docet, vnde toties pœnitentia ductum, vt errata vel sarciret, vel adumbraret, de eisdem rebus, eademque materia, scripsisse, varias quoque, & à propriis studiis disciplinas amplexum, atque in his tum ambitione, tum vsu, tum facilitate orationis ausum scribere, quas vix à limine, vt dici solet, salutasset, demum, nouo artis conscribendi, tum logicæ genere. Itaque & si errantem illum videam, aut dissidentem à materiis placitis, ne quis amplius speret, me illi contradicturum, cùm satis intelligat quæ me moueant rationes, ne amplius ad illum reprehendendum reuertar, nisi opus inane, simul ob longas reprehensiones, atque repetitas: tum etiam immensum facere voluero. Præstat igitur omninò omissa ipsius mentione, eiusdem placita, vbi minimè aberrat, nos sequi: vbi verò à veritate discedit, quæ experimento, & euidentibus rationibus conuincuntur, illo relicto amplecti. Omnes autem vident, me non tam voluntariè, quam necessariò, in hanc descendisse accusationem, nam aut falsa pro veris hic scribere cogebat, aut tanquam temere scripta, nullam prorsus fidem fuissent habitura: præsertim quod me hæc per errorem scripsisse, plurimi suspicarentur. Igitur his tandem relictis, hîc incipiam. Omnis exercitatio valida, seu ob grauitatem, seu ob celeritatem, inutilis est, & mala perfectè sana, nam spiritus exhaurit, hominem fatigat, & plus iusto edere cogit ac bibere, omnis etiam periculosa exercitatio fugienda est, ne nobis contingat (quod in adagio dici solet) aureo hamo piscari. Cùm enim incerta sit vtilitas, ac breuis, tum parua, exercitij, vt sæpè demonstratum est, quorsum periculo euidenti totiùs salutis, ob tam leue commodum se committere, præsertim cùm tot sint genera exercitationum, quæ tutò possunt subiri, nec minùs habent vtilitatis, præcipua verò exercitationis vtilitas est, moueri ex loco in locum, atque hoc vtile maximè ventriculo, intestinis, vesicæque. Excrementa enim plurima, quæ in his torpent motu, ac deambulatione eijciuntur: vnde prohibetur generatio lapidis in vesica, quæ frequenter contingit sedentariam ob id artem (vt ita dicam) exercentibus. Vtilis etiam est deiectioni fæcum, vnde à coli dolore reddimur tutiores. Vtilis est & expellendis ventriculi sordibus, & saniei, vnde naturalis reddit ciborum appetentia, & qui assumitur cibus, purus manet, & meliùs concoquitur. Sed & his succedentibus multa alia excrementa, quæ in locis sunt contiguis, loco mota ad expulsionem præparantur, & obstructiones tolluntur, & hac causa perturbationis cerebri, tum vertiginis, cerebrumque nitidùs redditur. Confert & hic motus cerebro, mucumque descendere facit, & duriorem colliquat. Tum verò ex aëris mutatione exhilarantur oculi, atque animus, cor etiam hausto puriore aëre refocillatur, & excrementa eijcit, sic & pulmo, exercenturque extrema membra, maximè pedes, & crura, quiescentibus principalibus, quo nil meliùs potest excogitari. Ex quo liquet, fugiendam esse omnem exercitationem, quæ loco non mouet: laborem enim affert absque vtilitate. Sed iam de agitationis commodis agendum est nec non damnis. Diximus eam esse triplicem, magnam, & hæc duplex, inæqualis sed non incommoda, vt in mari vehi, hæc igitur mouet omnes humores, & totum corpus vomitu euacuat, non solùm propter agitationem, sed ob maris odorem, qui nauseam excitat, quibus igitur facilis vomitus est, vtilissima, & iuuentutem instaurat, à multisque morbis liberat. Quod si vomitus difficilior sit, damnum egregium affert, & ad morbos hominem præparat. Igitur vtilis est his, qui pleni sunt humoribus, præcipuè autem prauis, quos cacochimos vocamus. Prodest & aëris assidua mutatione, ideò à diuturnis quandoque morbis liberat, alios autem languidos occidit, sed de his suo loco. Igitur hæc non conuenit, integram habenti sanitatem, sed multò minus quæ incommoda est: vt agitando equum, aut in curru per loca salebrosa vehi, nam præter id, quod humores agitat, lassitudines gignit. Aequalis verò agitatio, sed valida, exhilarat hominem, & appetentiam excitat, & humores ad vias expulsionis præparat, ideoque salubris, vt secundo vehi flumine, mediocris verò, & æqualis, qualis in cunis fit, & mula vehi gradaria, item naui secundo flumine, sed leuiter labente, dolores omninò sedat, excrementa ad exitum præparat, somnum, si quid aliud conciliat, famem excitat, & hominem alacrem reddit. Melior omnibus est, quæ in naui fit secundo flumine, namque aduerso omnis inæqualis, nam ob remos sulcat, aut funium, & equorum inæqualem tractum. Huic succedit quæ per cunas fit, vnde optimè consultum infantibus, inde illa quæ fit tensilibus lectis, quorum inuentor Asclepiades: Vltimaque in mula, quoniam inæqualitatis, & laboris obscurioris est particeps, leuis autem & æqualis somnum prouocat, non tamen excrementa mouet, nec humores, nec famem excitat, nec potest sedare dolorem, aptissima hæc infantibus tamen, quod mollissimi sint, ideò & cunis leuiter illos agitamus, & inter vlnas deferunt nutrices, quod si laborent, aut vigilent, mediocrem adhibemus. Et hoc vnum est indicium, non indigere hominem exercitatione, sed motu leui, atque sola agitatione, omnis autem agitatio inæqualis, qualiscunque sit, perfectè sano noxia, quod obstructionis periculum inferat, & ventriculum perturbet, peior autem quæ incommoda est, cum nemini prosit. Quæ cum motu capitis valida est, omnis mala, siue caput rotetur, seu præceps descendat, exercitatio enim hæc plurimùm offendit cerebrũ, debilitat sensus, aut intellectum, & ad vertiginem præparat.

Exercitatio valida cur inutilis.

Exercitationis commoda.

Nota.

Agitationis commoda atque incommoda

Mare cur vomitũ excitet

Omnis etiam exercitatio membri vnius tantùm, aut quæ inæqualiter corpus, fatigat, nisi sit manuum, aut pedum, mala est, quoniam ad membra illa materias trahit. Vnde Mediolani vidi vndecim medicos, perpetuo cursu vrinæ morbo, vitam finisse, quidam ardore, quidam fluxu, quidam retentione, quidam lapillo, renum inde coorto vrinæ profluuio interierunt: nam assidua equitatio per ciuitatem inæqualem, frequensque ascensus, ac descensus, huius morbi causa erat. Similiter omnis laboriosa exercitatio mala est, seu ob diuturnitatem, seu ob assiduitatem, seu ob genus illius. Commune est autem eius speciebus, vt non solum calorem corroboret, ac membra, quæ duo bona, in moderata exercitatione Galenus expectat, sed etiam debilitet manifestè, & præter id parens est lassitudinis, & hominem ante ætatem senescere facit, debilitat etiam visum, & intellectum, tenuiorem sanguinis partem resoluendo: Omnis etiam exercitatio inæqualis, tum insueta, lassitudinem affert. At verò non exerceri, grauitatem affert, & pigritiam, & tollit appetitum, & nocet multum cerebro, aërem liberum nunquam spectare. Iam vidi hominem, qui vocabatur Ioannes Antonius Vicomercatus, patritius erat, ac diues, cumque morbis crurum vexaretur, ambulabat parum, & cum labore, ob id perpetuis XXIIII. annis, nec exercuit se, nec domum exiuit, nec per domum ipsam deambulabat, excessit LX. annum, genuitque filium in extremo vitæ sibi simillimum, postque attonito morbo, vt erat consentaneum mortuus est. Porrò exercetur oculus salubriter, si circumrotetur, spectetque in aëre libero, prata, syluas, montes, flumina in nocte stellas, in die gemmas: lectitare mediocriter etiam iuuat. Pulmo, ac pectus cantu, qui simul delectat, & animam curis afflictam demulcet, inde exereatum mouet, & purgat spinam, exercet deambulatio, sed & stando eam exercemus, texendo, equitando, semper enim illa laborat, dum non decumbimus. Manus autem omni in arte, tum brachia, sed rotas vertendo, & hauriendo aquam optimè: salubris enim hæc exercitatio, & commoda, sicut & tum torcular typorum trahimus. Inditio plures ex his, qui eam exercent artem, annos nonaginta superasse, est enim exercitatio illa: quæ corpus à superfluis purgat, siccatque, minimè autem excalefacit: habitant & hi sublimibus locis, & semper in calido aëre, lumbi exercentur, si quis flexis genibus stet, nec tamen sedeat, pedes, & crura, dum ambulamus, sed si vehementer nimis exerceantur, aut diuturnius quàm par sit, podagram contrahunt, manus ob id minore periculo quod puto, natura necessitatem in homine præuiderit. Verùm renes multa mala adducunt, si nimis exerceantur, lapillos, & dolores diuturnos, & vrinæ impedimenta, vt dixi, tum etiam profluuia, pectoris nimia exercitatio, & ipsa grauissima affert damna, sed præcipuè herniam, cum in scrotum intestina descendunt, seu omento fracto prominent in ventre, qui morbus propè est insanabilis, tum verò etiam rupturas vasorum pulmonis, aut pectoris, vnde tabes, ac quasi mors certissima, læduntur, & oculi grauiter, & cerebrum, vt penè omnes cantores insani sint, vnde cum cauendum sit ab omni superflua exercitatione, tum maximè pectoris, atque renum. His igitur visis, cuiusque differentiæ vires aggrediamur. Grauis exercitatio tendones, ac cum his musculos, venas atque arterias distendit, vnde plurimis ob id in pulmone vas ruptum, aliis membrana aliqua, ex his quæ intestina continent, inde orta enterocele, hydrocele, epiplocele, seu intestinorum ramex, aut aquosa, vel omenti hernia, vel alterius generis alia. Ergo si benè cedat grauis exercitatio, membrum manifestè reddit robustius. Hi qui memoriam etiam multum exercent, memores redduntur, & qui pondera magna gerunt robusti. Non videtur autem, vt dixi, hæc ad sanitatem vtilis, in qua periculum primò adest, & si benè cedat, non sanitati quicquam adiicitur, sed robori, nec excrementa deducit, nec corpus calefacit. Quod si perseueres, etiam sudorem prouocabis, sed eo maiore periculo, quo fuerit diuturnior, præstat his, qui huic addicti sunt, crassiore victu vti, vt laborem ferre possint. Celer exercitatio corpus calefacit, excrementa digerit, & spiritus accendit, vtilior pituitosis, qui tamen humidam habuerint temperiem: ob id etiam senibus, quamvis multa abundent pituita inutilior, mediocris, vtilis in extremis partibus, vt manuum, & brachiorum, nam quæ pedibus fit, plærunque etiam totum corpus accendit. Illa igitur calorem non accendit, sed tamen à centro ad circumferentiam reuocat, & excrementa digerit, & sanguinem purgat, & neruos, ac partes frigidas moderate excalefacit, & superfluum humidum exsiccat. Tarda, mediocri similis est, verùm debilior. Continua nimis fatigat, & corpus excalefacit nimium, quæ verò magnis interuallis, ac frequentibus, & intercepta inutilis, quæ mediocribus vtilis est, & minimè fatigat. Diuturna qualicunsque sit, siccat corpus, breuis autem humectat, mediocris temperat. Quæ toti corpori per se conuenit, vtilis est, si sit, qualis esse debet, quæ verò toti communis est, propter singulas partes, magis est laboriosa, quæ autem toti ob vnam partem communis est, partem illam minùs vexat: ideo si brachia non sint, conseruandæ optimæ valetudini est inutilis, quæ verò vni tantum membro adhibetur, non est præsentis instituti, sed de ea agetur, cùm debile membrum restaurare docebimur, circumuerti vt diximus, inutile, & vertiginem affert, malum genus prorsus, & periculo plenum, pronum repentè descendere, caput concutit, atque debilitat, & amentiam gignit, deambulatio sub porticibus renes fatigat, & minùs purgat ventriculum, atque intestina, tum verò hominem minimè exhilarat, nec oculis, nec pulmoni adeò confert, vt illa quæ fit per vrbem, multoque minus illa, quæ fit extra pomaria, verùm exercitatio in sole, multum calefacit,

Nota.

Quietis incommoda.

Renes si multum exerceantur, multa mala adducunt.

Hernia trope insanabilis.

Vires, differentia cuiusque exercitationis.

calefacit,& humores mouet,& his qui caput habent repletum, aut debile, aut ventriculum cruditatibus plenum, mortem aliquando, persæpè autem morbos graues affert, sed in assuetis cutem obdurat, & corpora siccat, vitæ producendæ haud quaquam vtilis. In vmbra autem, vt magis trita, in omnia habet debiliora. Sed æstiua exercitatio nisi mollis sit, periculosa: accendit enim febres, deiicit appetentiam, & sitim creat, hyemalis verò lassitudines, & abscessus generat intus, & morbos inter hos laterales. Diuturna igitur & mollis sit hæc, breuis verò etiam æstiua, vtraque citra omnem laboris suspitionem, deterior tamen æstiua est cum labore, & hyemalis cum sudore, tutiores autem exercemur autumno sed longè meliùs vere, fiat autem depositis semper grauioribus vestibus, vt verò quieuerint, iterum assumant. Quæ in cœno fit, laboriosissima est, atque periculosissima, exerceri etiam sub ventis, nisi exercitationem excipiat apotherapia, generat persæpè abscessus interiores, ex quibus homines moriuntur frequenter. In aëre libero pari ratione data, semper melius est exerceri, quàm sub tuguriis, commodius enim valetudini, & magis spiritus recreat, & somnos gignit, & purgat vasa excrementorum, & ventriculum, & cerebrum, & lienem extenuat, & appetentiam excitat. Verùm natatio multa habet præcipua, nunc enim singula, genera exercitationum compositarum ex hac specie aggrediar. Prima quod in tepida aqua, dulcique euocat sudores, & totum corpus extenuat, inutilis hecticis, propter motum, & sanis: nam vires relaxat, inutilis fatigatis, quia fatigat, & his qui caput priuita habent repletum, nam colliquat, & generaliter omnibus neruis, neruosisque partibus, & ventriculo nocet, adeò vt mihi videatur nulli congruere, sed si modò congruit, his tantum conuenit, qui robustissimi sunt, & calore nimio sunt oppressi, tum his quibus frigidæ natationem post consulere propositum est. At natatio in frigida, supra modum corpus corroborat, ac caput, & calorem naturalem confirmat, sedat sitim, & appetitum excitat ciborum, calorem externum tollit, & hominem siquid aliud confirmat, ac exhilarat, commoda est æstiuo tempore tantùm, & in vmbra. Natatio autem in aqua marina, scabiem tollit & lepram iuuat, & quandoque illos qui morsi sunt à cane rabido, antequam formident aquam siccat corpus plusquam natatio in dulci frigida, & robustius reddit, quia denseus, non solùm enim vt frigida condensat, sed & vt salsa, nec vt balneum solùm roborat, sed vt exercitatio nocet his, quibus acres à capite fluxiones solent contingere, Natatio autem in aluminosis, vt sulphureis aquis, corporis superficiem ab vlceribus psora, ac reliquis vestigiis, mundare solet, sed nec æqualiter, nam sulphureæ violentæ sunt, & caput lædunt, ac pectus, mitiores autem aluminosæ. Quæ cùm robustissimis solùm conueniant, ac iam ægrotantibus, satis sit de his vsque nunc pertractasse, admonentes neque marinam, neque aluminosam, & multò minùs sulphuream, nulla ex parte hominem recreare, aut exhilarare, nisi maris frigus & vmbra plus natatione, ac salsedine ipsa iuuent. Porrò in natatione primùm brachia, inde collum, pòst pedes, cum cruribus exercentur: roborant igitur natationes, plus superiora membra, quàm inferiora, atque exercent. Sed & frigida natatio commodissima renibus est, atque vesicæ. Discus, alteres, palus ferreus, optima sunt his, qui debiles habent renes, intestina, vesicam. Consilium est autem exercere membra superiora tantùm, commoda hæc studiosis, si cum deambulatione coniungantur. Pilæ ludus omnis generaliter exercet membra æqualiter, qui tamen agitur pedibus, ac pugnis, is est illis membris grauis, ac luxat membra. Pilæ magnæ ludus grauis est, ac solùm his vtilis, qui robustum corpus efficere cupiunt, remigare brachia exercet vehementissimè, exercitatio quæ non ad salubritatem corporis, sed ad robur solùm est vtilis, vitam abbreuiat, & quoniam plærunque sub dio fit, morbos generat: iuuat appetentiam, & coctiones, quoniam calorem ad superiora reuocat. Fodere autem, exercet etiam renes, ideò excitat appetentiam, coctionibus inutile, quæ in ventriculo celebrantur, quoniam ventriculus exporrigitur. Inutile autem magis est scribendi munus, quod eam, & si exerceat brachium leuiter, nocet tamen ventriculo ob id, & etiam capiti, nam plærunque qui scribunt, prono sunt capite. Fodere etiam iuuat ad Venereæ rei vsum, & prolis generationem, ob hæc omnia, fossores multum generant, ligna scindere, propter motum capitis violentum, malum, & intellectum, ac sensus conturbat, ac corrumpit, in cæteris, simile fossorum labore. Aquam haurire succula optimum, recto enim corpore superiora tantum exercentur, sed studiosi deambulationem adiicere debent, solùm enim exercere superiora his malum, tamen etiam illis, qui imbecilles habent pedes, iuuat igitur coctionem, & appetentiam excitat, confert & his qui plurimum aut mingunt, aut deiiciunt. Mallei labor huic similis, sed findendi ligna officio par, non tamen concutit caput, pastillo tundere, vt aquam haurire, sed hoc simul exercet ambo brachia, illud seorsum, vnde fit, vt haurire aquam salubriùs sit. Differunt autem, quæ alternant ab his, quæ simul exercent, nam quæ alternant, imbecillibus, & diutiùs exercenda, remanetque semper aliqua lassitudo, quæ simul exercent vtramque partem, vt validius, ita salubrius iniunguntur. Panem subigere remissiùs, & eadem facit, quæ ligna scindentes patiuntur. Equos agitare robusta, ac periculosa exercitatio, renes admodum uexat, tum etiam ventriculum, vnde hi in renum lapides, & ob cruditates in coli dolores maximè incidunt, ni salubris prorsus exercitatio, omne inæqualitatis genus subit.

Est in exercitationis genere omni, quod sanitatis causa fit, modus adhibendus, nam neque delassari, neque sudare conuenit, neque spiritum intendere, sed in hoc Galenus dissidet, nos quoque illi concedimus, vt id agat, qui tantùm iuuatur, vt concoquere rectè panem, & olea possit, & nullo alio cibo viuere;

Æstiuæ exercitationis incommoda atque hyemalis.

Natatio in frigida supra modum corpus corroborat.

Natatio in aqua marina.

Natatio in aluminosis aquis.

Scribendi munus ventriculo nocet.

Quæ in exercitatione animaduertenda sint.

viuere: quod si cum ea exercitatione, vel non potest se sustinere, nisi carnes, aut oua caseumve bis in die edat, vel etiam si possit sic viuere: non tamen viuit, ei prorsus ea exercitatio inutilis erit. Est autem exercitatio nostra peculiaris, chartam in tabula premere, atque lenem facere, cum gemma inclusa ligno, aut vitro: fit autem alternatim dextra, ac sinistra manu, atque vltimis viribus in tabula leui, & quoniam non grauis labor est, validiorem, efficiemus, continendo spiritum, ac continuitate, spatium quoque temporis, & quàm facilè feramus, considerantes, si quis enim intentis membris id agat, dimidium horæ sufficere posse videtur, horam excedere non debemus, ita verò agendum, ne multum inclinemus corpus, nec caput agitemus: sed vsus paulatim in huiusmodi nos admonet, quónam pacto rectè tractandum sit huiusmodi exercitium: conandum etiam, vt æqualiter omnia moueantur, dextra, sinistra, superiora, inferioraque. Verum illud occurrit, quod forsan quærere aliis absurdum videbitur: An exercitatio à cibo, mala semper sit? Ego non libris, sed natura ipsa docente profeci, cùm enim videam plures eruditos diu viuere, qui nunquam aliud agunt, quàm quod student, ac nostra ætate inter reliquos Leonicenum, Lasonem, Maynum, ac duos Decios, qui propè centesimum annum peruenerunt: tum verò fabros plures ferrarios ac lignarios, absurdum est, noxiam semper existimare hanc exercitationem, quæ à cibo fit: verùm cùm non grauis fuerit, nec iniucunda, vt studiosorum, aut cum qua totum corpus non transferatur, sed solùm moueatur, siccato cibo in ventriculo sibi adhæreat, optima celebratur concoctio, optima enim illa est, in qua quasi ventriculus, & cibus vnum corpus efficitur: quare ex huiusmodi exercitatione, non solùm noxa non sequitur, sed etiam egregia vtilitas. Oportet autem & exercitationem eiusmodi esse, quæ non transferat, nam saltare, currere, agitare equum, vehi carpento omninò noxium est: & cibum qui editur non esse eum, qui distendat, nec plus potus adesse, quàm vt dilui possit, nec pinguem esse, sed eiusmodi est fossorum, & pauperum fabrorum, etenim panem, & cœpam, aut alleum, aut nasturtium cum sale, inde etiam consuetudinem fauere: his quatuor ditionibus, non solùm exercitium haud nocebit, sed etiam iuuabit, egregiè præsertim, si is homo, cui exactè os ventriculi à cibo concludi soleat, & cuius somnus suo tempore, qualis opportet, subsequatur. Vociferatio autem species exercitij habetur, sub qua continetur musicorum munus, concionantium præcipuè, ac profitentium, de qua dicam, quod dubium non est prodesse scilicet corpori, ad expurganda excrementa, cùm incalescit, præcipuè pectoris, & partium eius: obesse proculdubio capiti, præsertim debili & memoriæ, cùm aër sursum delatus, bombum in eo excitet, sed etiam crudis, & cochimi habitus, & herniosis, declamatio, a& cantus, & inflammatio tibiarum, & cornuum, & huiusmodi, manifestè noxia est. Quæ autem in dubiū vertuntur, tria sunt quorum meminit Oribasius in primo synopseos, & in sexto collectaneorum, scilicet quod efficacissima sit ad salutem, & ad diuturnam bonam valetudinem, hoc vnum est: alterum quod prosit ventriculo debili, quodque adiuuet coctionem, præsertim cùm fateatur, quo ipsum distendat: cuperem igitur ab ipso scire, quonam pacto, hæc simul conueniant, distendi à flatu, & corroborari, præsertim cùm pater meus narraret, se ob profitendi munus etiam in iuuentute ipsa, peruenisse ad imbecillitatem ventriculi, ex qua nunquam postmodum conualuit. Et mihi sanè obfuit id, tametsi magna cum industria quæsierim, id incommodum euitare, & vt breuiter dicam, neque illi rationem vllam adducunt huius rei, neque ego video, ob quam dicere possim, vociferationem prodesse ventriculo, sicut neque illius, quod maximè, & plenè corpus excalefaciat: dubium enim non est, quin multò meliùs, celeriùs, atque efficacius non fiat per ipsas veras corporis exercitationes. Tertium est, quomodo anhelosis, ac etiam tabidis, vt affirmat Aëtius. Eiusdem sententiæ fuisse reor Principem, in tertia primi, neque meminit vel pectoris affecti, vel quod calefaciat egregiè corpus, aut quod singulare ei præbeat auxiliū, multò minùs quod conferat ventriculo imò dicit, dum de his quæ nocent ventriculo loquitur, quod flatus in eo, coctionem impedit, si ergo ex vociferatione ventricus distenditur, necesse est etiam impleri intestina flatu, & accepto cibo, redeunte flatu ad superiora, conturbari coctionem, nisi pendat, quod familiare est multis musicis, ob hoc vt etiam hernia afficit. Dicamus ergo primum, quod professio publica nocet capiti, & ventriculo, quoniam non solùm fit voce magna, sed mentis intentione, quæ caput implet, & ventriculum debilitat, de cætero clara vox laudatur in his, qui tardè concoquunt, à Cor. Celso. Quomodo ergo ventriculo prodesse possit vox clara, adhuc in dubio restat, velut in cantoribus, & tubicinibus? Et nullam inuenio causam, quam quòd ex vehementi illa agitatione pectoris & pulmonis concalescant partes illæ, & maximè in his qui amplam habent asperam arteriam, & ob calorem illum, præsertim si sint iuuenes, vini potores, incalescat etiam ventriculus, qui septo transverso annexus est, mouetur enim illa pars valido motu, atque ita ventriculus meliùs concoquat: iuuat enim trahere auxilium advicinia m, si non licet ad domum. In his ergo, in quibus os ventriculi supernum, nō benè clauditur, & in tēporibus, & regionibus humidis, ac frigidis, studiosis, pauci caloris, pauci exercitij, & multæ cogitationis, aquā bibentibus, totum in contrarium cedit, velut patri meo, & mihi. Et ideò talibus, si hoc contingat vt cogantur, magna voce ac diu vti, primum vincula adhibeant ventri, quibus intestina comprimantur, accipiat cibi aliquid, antequam eo eant, velut panem infusum in prannio vino, & suppositis aromatibus, in fine accipiant syrupi aliquid de succo myrti, curent somnum, cibis coctis, & facilis coctionis in cœna vtantur, exerceant se, antequam quiescant, vitent cruditatem, aquam frigidam, cibos crudos, duros, flatuosos

Exercitatio propria.

An exercitatio à cibo mala sit semper.

Concoctio optima quæ.

Vociferatio exercitij species

Vociferatio quibus obsit.

Oribasius notatur. Cap. 5. Cap. 10.

Lib. 3. c. 3. doct. 2. c. 2. XIII. 3. tract. 1. c. 35. & 36.

Professio publica capiti nocet.

Nota.

tuosos, multitudinemque omnem illorum: non assumant cibum, antequam dormiant modicum, aut saltem in lecto quiescant, & exprimant flatum, velut ex esu anisorum, aut coriandrorum. Et scias quod sunt tres ordines harum exercitationum, vna est non studiosa prorsus, & de hac intellexere veteres, alia in qua adhibetur studium, sed sine timore, vt canere, aut tibias, vel cornu inflare, & hæc non est adeò bona, vt præcedens. Tertia est deterior omnibus, vt profiteri, concionari, sed hoc fit maiore voce, & minore cogitatione, ideò magis nocet capiti, & plus iuuat ventriculum, cùm etiam aliqui sudore proluantur, profiteri autem maximè inexperto, & non multum perito, & tamen gloriam non negligenti, hoc plurimum obest ventriculo, & parum iuuat caput, quâ enim parte, confert ob studium, eadē nocet ob vocem altiorem, & ideò sensus accliuium confert magis ventriculo his, sed sonus recludit spiritum, vox autem efflat magis, & cū vtroque laborent musculi intercostales, & ideò pectus incalescat, tamen sonus magis calefacit interiora, propter contentionem spiritus, & magis nocet herniæ & plus iuuat ventriculum, quàm vox: contra, vox magis expurgat pulmonem, & cor dilatat, & melancholiam dispergit, & ructui acido confert, & est proximior exercitationi. Neutrum tamen conuenit tabificis, aut anhelosis, nisi his qui cùm pectus habeant amplum, occasione tamen externa aut ob defluxionem à capite, his morbis laborant. In hisque semper est obseruandum, an curari queant, plerunque enim euenit, vt auxilia salutaria, & ratione excogitata, cùm morbus est insanabilis adhibita deteriorem patientis conditionē efficiant, & mortem accelerent. Oportet autem eos, qui vocem exercere volunt, vt caueant, vel à nimia attractione spiritus, vel ex sufflatione, aut nimis longa, vt dixit Princeps, sed non docuit causam. Vox etiam tam acuta, quàm grauis, valde periculum affert fracturæ venæ, sed grauis affert maiorem vtilitatem ad calefaciendum corpus: In summa, vox diu protracta, & non magna, nec vehemens omnibus mala est, & nullam vtilitatem affert, vehemens in robustis, & quibus caput est robustum, & concitata sic, vt corpus incalescat, occlusis auribus bona est. Si aures non claudantur, præter id quod cerebrum debilitat, sibillum in auribus gignit: imbecillibus toto corpore, vt senibus aut pectore, aut capite, nulla vocis longa exercitatio, vt in profitentibus, & concionantibus, nec vehemens, nec remissa admitti debet: quoniam non sine magno detrimento, si perseuerare contendat, esse potest, deterior tamen longa, non vehemens, vehementi breui, & quoniam detrimentum est in inspiratione, qua ventriculus, & intestina flatu replentur, non autem in expiratione, ideò expiratio vehemens esse debet, & vox sonora, inspiratio sensim longa, & leuis, & hoc est etiam valde commodum discipulis, qui dictata notis excipiunt, & pro[illegible]entibus ad cogitandum, licet non adeò venustum. Venustissimum, cùm frequenti auditorio plures scribunt, ita profitebatur Andreas Alciatus Iuris consultus, nescio an ob audientiam solùm, an ab aliquo medico etiam edoctus, causam hanc. Sed si nullus dictata notis excipiat, absurdus, & inuenustus redditur huiusmodi profitendi modus. Verùm nisi omninò contemptibilis sit professor, non defuturi sunt subscriptores, inuitante ad id munus, profitendi commodo.

Nota. *Vox & sonus quibus prosint & quibus obsint.* *Nota.* *Andreas Alciatus Iurisconsultus.*

CAPVT XXI.

De frictionum viribus iuxta earum species.

Frictio media est inter exercitationem & omnimodam quietem.

FRictio media est, inter exercitationem, ac omnimodam quietem, cumque dixerit Hippocrates in sexto Epidemiorum: Frictionem, circuitum multum, & famem, esse febriculosis inimica, scilicet quod exinaniant vires, corpus calefaciant, & siccent, quæ omnia etiam facit febris, ideò naturam frictionis ex hoc generaliter intelligimus, non tamen occidit vt lucta, cursus, & fotus, qui vehementer excalefaciunt, & resoluunt valde vires. Cursum autem si perseueret, inter lethalia detrimenta connumerant, breuis si sit, vt semel, & exiguo spatio, quod nos vidimus aliquando præ ira, vel delirio, ægris accidisse. lædit vt frictio. Quantum autem frictio possit, hoc experimento discas, licet quod vel modicè deducta celeriùs super corporis quamvis partem manu, adeò vt pars illa vratur, vbi enim propè summum accesseris, tunc modica intentio multum variat effectum, qui ex ea sequitur, nam si cum hoc compresseris vehementiùs, vix redditam, & reductam manum, vel semel sustinebis: quantò minùs bis, aut ter, aut quater: conduplicantur enim hæc Geometricis, non autem æquaibus, & Arithmeticis incrementis, Corpus autem nostrum frictio mouet extrinsecùs adhibita, atque dum per eam calefiunt arteriæ, & venæ paulatim excitatur calor, & foras euocatur, fit linteolis, manibus, & quandoque oleo intinctis, atque quiescentibus membris, & modò vniuersim, modò singillatim, per partes: & quodcunque membrum volumus, idque duriter, molliter, parum, multum, medioque inter vtrumque horum modo. Et quoniam aliquando contingit, præ nimia, ac vehementi exercitatione, aliquam ex solidioribus partibus disrumpi, conuellive, aut excrementa à calore excitata, ac impetu acta, meatus ipsos obstruere, quod ne contingat, totum corpus emolliendum est, attenuanda extrementa, & laxandi meatus, quod nihil meliùs præstare potest, quàm frictio, qua mediocriter totum corpus linteolo perfrictum, cutis concalescit, & simul obstructi aperiunt meatus, semper enim ex hoc intendimus, siue in longum, siue in obliquum, siue in orbem agantur manus, durandæ, molliendæ, augendæ, extenuandæ, aut mediocris inter hæc seruandæ carnis, propositum assequi: frictio enim mollis, laxas reddit partes, sicuti dura tensas, vim etenim habet frictio soluendi, ligandi, carnem augendi, ac minuendi, iuxta varium manum iniectum, ac circumactum, vt inquit Galenus secundo

Frictionis vires. *Frictionis species.*

secundo de Tuenda sanitate, cuius sex sunt simplices species: quarum tres ad quantitatem, tres ad qualitatem referuntur, vt Auerroës refert. Ad qualitatem quidem aspera, leuis & temperata, siue vt Galenus dura, leuis, & mediocris. Ad quantitatem verò multa, pauca, & media, quarum omnium particulares extant operationes, quas quinque regulis, amplexus est Galenus loco prællegato. Prima est mollis & pauca frictio, quæ carnem aliquantulum remittit, ac facilè contrectabilem, multa verò, & mollis euaporat, & liquat, mediocris, laxa, & fluida carne implet. Secunda est dura, & multa, quæ contrahit, constringitque corpora, & phlegmone quippiam persimile relinquit: dura verò, & mediocris, imminuta implet, & euidenter circumscripta, expressaque carne, & exigua, in summa cute ruborem ad tempus excitat. Tertia est dura & rara, quæ inspissat, & mollis, dura emollit, & spissa dilatat, dura enim colligit, & mollis soluit, & est quarta. Quinta verò est, quod multa subtiliat, & mediocris carnem generat. Vbi ergo præ nimia corporum raritate, constringere opus est: ne tam facilè ab extrinsecùs occurrentibus lædantur, dura vtimur frictione. Dura verò & multa, vbi præ nimia mollitie ad motus sunt inhabiles, imò ad paralysim, & stuporem sunt dispositi. Quæ verò coacta, & densa sunt corpora, hæc molli frictione, ac media, inter multam, & paucam pertractamus, vt fuligines, ac vapores exhalare possint, & obstructiones impediantur, sicuti molli, & temperatæ quantitatis, pro emolliendis duris corporibus. Diuturnos etiam capitis dolores leuat frictio, non in impetu tamen doloris, & eadem membra resoluta confirmat, licet sæpiùs perfricandum sit aliud membrum, & maximè cum è summis, aut à mediis corporis partibus materiam euocare volumus, ideò extremas perfricamur partes: frictio enim tria præcipua commoda affert, & præsertim lenis, dum à partibus superioribus ad partes inferiores trahit, à membris nobilioribus, ad membra ignobilia, & ab intus ad extra. Quantitas autem siue perfricandi numerus, à viribus patientis desumitur: sæpè enim in mulieribus, minùs quàm in viro, & minùs in puero, & sene, quàm in iuuene, manus dimouendæ sunt. Et vbi totius corporis imbecillitas, hanc per totum exigat, breuior esse debet, & lenior, vt summam tantùm cutim emolliat, quò faciliùs capax, ex recenti cibo nouæ materiæ fiat, & inter cæteras vtilitates, quas præstat frictio, somnum etiam conciliat ex Galeni sententia xij. artis curatiuæ. [Frictio enim inquit non solùm corpus purgat, sed etiam somnum prouocat.] A ventris autem frictione quisque caueri debet, cùm quatuor maxima afferat incommoda quæ commemorat Galenus tertio de tuenda sanitate, coctionem enim cibi impedit, humores crudos in corpus transfert, ventriculum subuertit, & caput turbat, ideò maximè cauenda est.

Cap. 3. Frictionis sex simplices species & earum vires.

Frictionis tria præcipua cõmoda.

Frictio somnum conciliat.

Cap. 3. Frictio ventris cauenda. Cap. 3.

CAPVT XXII.

De Balneis.

Balnea quidem benè valentibus non prosunt è calida aqua, ne quispiam cupiat elixari nam admodum refrigeratis, tantùm abest vt calida conueniat leuare, vt neque etiam tepida, neque temperata, siquidem aquam distinguemus in hoc casu, in calidam, tepidam, temperatam, & frigidam. Porrò exemptis ægris, cum sua calida, atque aëre omni balnei, qui naturæ nostræ inimicus est: reliquum est vt de temperata, & tepida, ac frigida loquamur: qualis antiquo tempore, cùm ætate aurea viuerent homines, pauci boni, diu compotes, & hac ciuili, cùm magnorum bonorum participes fiunt, sed paruo tempore, & multis permistis curis, anxietatibusque, cum antea raro in mala inciderent, nam diu viuebant homines, & luctus causa non aderat, neque iudex iniquus, neque magistratus metuendus, neq; penuria annonæ, non doli, non venena timebantur. Itaque huiusmodi hominibus, balnea quidem tepidæ aquæ, maximè ab igne feruefactæ non conueniunt, non tantùm quod tepida exoluant vires, & labefactent corpus, sed quod refrigeratis, & more quasi belluarum viuentibus, haud suauia videantur, sed potiùs iuuabat detergere se frondibus siccis, ac mundioribus se inuoluere: calefactis autem, frigida gratior est. Tum verò, & ahena, & lebetes, & vasa huiusmodi ignota cum esset, haud verisimile est potuisse illos vti aqua qualicunque apud ignem calefacta, imò ne voluisse quidem, & adhuc incerto (vt aiunt) ignis vsu. Sed vtcunque sit, commodior illis fuit frigidæ vsus, sub æstiuis ardoribus, aut in vmbra temperatè: Ciuili autem homini, adeò vsus balneorum arridebat, vt nihil tritius Romæ, & tota Italia thermarum nomine haberetur. Famosæ erant inter cæteras Diocletianæ, & ante illum Antonini Caracallæ, quas aliter fieri potuisse negat Spartianus, dicens [Romæ reliquit thermas sui nominis eximias, quarum cellam solearem, architecti negent posse vlla alia ratione fieri, nisi qua facta est. Nã ex ære, cupro, cancelli suppositi esse dicuntur quibus concameratio tota concredita est: & tantùm spatij, vt id ipsum negent aliter fieri potuisse docti mechanici.] Harum meminerunt Eutropius quoque, atque Lampridius, sed hîc putat ab Antonino, ab alio Antonino inchoatas, & à parte Caracallæ: postea non Caracalla absolutas. Hoc satis esse debet, vsum adeò fuisse frequentem illarum à populo, vt Imperatorum præcipuam curam ad se traxerit, neque solùm publica hæc cura, sed priuata etam: Cicero monet fratrem, quod in Arpinati extruerat balneum. Dicitur balneum neutro genere, in singulari (si quid ad rem hoc intellexisse præstat) in plurali fœminino, vt publicæ balneæ: quoniam inquit Varro, vbi multitudinis nomen increbuit, plurali vtimur, vt fœminino genere, vt scalæ, &

aquæ

Balnea è calida non prosunt aqua.

Tepida vires exoluunt.

Frigida calefactis gratiora.

Thermæ Romæ famosæ.

Balneum differt à thermis.

aquæ calidæ, postquam, aut more Græcorum, etiam ad priuatos vsus peruenit, mos publicus, & maximè vt alibi masculi, alibi fœminæ lauarentur, tunc & Græcorum more, cœpit appellari balneum hoc virorum, illud mulierum, liquet enim ex oratione Grachij, de legibus promulgatis apud Gellium, eousque balneorum vsum vtriusq; sexus in publico fuisse promiscuum. [Dicitur & balineum etiam idem, quod balneum: baneum autem cùm sit nomen à βαλανεῖυ, deductum, differt à thermis, quod in thermis calor sufficit, in balneo etiam lauacrum includitur, quanquam & laconicum balneum, in quo solùm sudabant dicatur: Et βαλανεῖυ, fit à βαλάνυς, ἀνεῖνι, quod est glandes succendere. Dicitur ergo balneum, magis de artificioso calore, & igneo: thermæ de naturalibus. Quanquam & balnea Neroniana dicta sint de aquis spontè nascentibus in Patauino agro, nihil est tam diligenter excogitatum, quod humana malitia non interuertat. Antiquitus miscebantur in balneis publicis, masculi fœminis, vnde dedecora multa fiebant. Diuisæ sunt concamerationes, vt in aliis masculi lauarentur, in aliis fœminæ, protinùs pro dedecore scelera prodierunt, ætatem, ætati, iniuriam facientes, vnde tot probra, institutores Christianæ religionis omnia sustulerunt. Attamen tantùm potuit amor vsus huius, & populi fauor, vt Iustinianus qui iam adulta religione nostra floruit, balneum Zeusippus Constantinopoli, in domo Augusta ædificauerit, cõseruauit & ornauit, Archidianas in eadem vrbe, ad partẽ Oriẽtis, ex Propontide nauigantibus, hoc est, à læua. Nec solùm Constantinopoli, sed Carthagini, Theodorianas construxit, vt author est Procopius, sic vsui publico, vt gloria, & populi fauor cùm pietate pugnaret. Adriano Imperatori obijciebatur, quòd publicè cum amicis lauaretur. Commodo autem, quod sæpiùs in die lauaretur, & in balneis cœnitare. Gordiano autem iuniori, quòd septies in diebus æstiuis, bis in hyemalibus lauaretur, vt retulit B. Martianus in quarto Topographiæ 1. Porrò quidam lauabantur bis in die, (& forsan plerique quibus otium esset) vt à Galeno colligitur octauo artis curandi. Commoda enim plura erant balnei, aperire poros, sudorem facilè prolicere, sitim sedare atque æstum, somnum prouocare, mundare, atque purgare cutim, sordemque omnem ex illa detergere, humectare corpus, adiuuant, & coctionem tertiam balnea: atque corpus impinguat, & infantibus prosunt, atque gracillibus, magis quàm corpulentis, iuuant & non parum vocem, eamque claram efficiunt. Dicebat autem in tertio de Tuenda sanitate. [Dautium aquarum balnea, si calefactarum sint media temperie, calefaciunt, adeò vt ferè etiam mortuos (inquit tertio de his quæ in Medicatrina) & humectant: si minùs calida refrigerant, & humectant: si magis calefaciunt, sed non perinde humectant,] inde subiungit post pauca. [Vires balnei temperati, quod ad tuendam sanitatem pertinet, quàm fieri potest, paucissimis subiiciam dilato in aliud tempus, quem in morbis præstat vsu. Igitur iuuenis exercitatus iam parum, balneo parum indiget, vt qui ex mediocri exercitatione, & Apoterapia omnie, iam sit consecutus: si tamen commodè ipsum adhibeas duras, tensasque partes emollit: excrementum, putreque siquid est intus, ad cutim euocat, at neque hæc in huiusmodi iuuene sunt necessaria. Verùm potiùs elui puluerem, atque sudorem magis postulat, quàm calefieri. Ideò neque in Laconico immorari is debebit, sicut qui citra exercitationem se ipsos elixant, sed tantùm ad solium vsque transire: sed nec morari in piscina huic est opus, imò lotus, vt compræhensum est, ad frigidam transire festinet.] Ex quibus verbis quædam coniectari licet, circa constructionem ipsius balnei, de quibus postmodum agam. Sed vt ad rem redeam, sexto in sextum de Morbis vulgaribus commendat balneum à tribus, quod os siccum humidum reddat, & sitim extinguat, & corpus calidum, & arefactum temperet. Alia quoque infrà commemorat auxilia, sed de his suo loco. Nunc iam quibus obsit, dicere tempestiuum reor. Primùm quidem insuetis balneum persæpè grauiter nocet, & vt in fluxionibus ad ventrem vtilissimum est ita sanguinis fluxum grauiter irritat. Nocet præterea plurimum plethoricis, ac crudis: propterea in incremento morbi, & in accessionibus antè declinationem, & in obstructionibus, obest quoque vtero gerentibus, velut vndecimo de vsu partium. Quod verò præter spem quasi est, est quod balnea post cibum prosunt gracilibus id sanè ita interpretor, quod adhibita iuxta rationem traditam, tertio de Facultatibus naturalibus. Cùm coctio in membris iam incipit celebrari: hæc inquam quarto decimo Methodi, secus autem quotidianas procreat: Dissoluit præterea balneum vires, & effœminat hominem, nocetque plurimùm, si à balneo, vino quis vtatur. Nocet præterea inflammationi, & erysipelati, neque lauari debent, qui destillatione, aut grauedine, aut capitis dolore ex ardore, neque syncope ex cruditatibus laborant: quin etiam balneum, omnibus morbis materiam procreandis subministrat. Vt etiam si superfluum febres quas secus extinguere posset, accendat. Præcipuè autem balneum putredini nocet, eamque gignit & auget. Vlceribus præterea etiam obest quod vlcera sanatione indigent, sanatio autem ex exiccatione procedit.

Lib. 1. & 6. de ædificiis Iustiniani.

Cap. 7.

Cap. 1. post principium.

Balnei vires.

Cap. 4. in initio.

Cont. 1.

Balneum quibus obsit.

Cap. 10.

Cap. 13.

Cap. 16.

CAPVT XXIIII.

De Balneorum præparatione.

BAlneorum præparatio, alia quidem instrumentorum, alia lotionum, ante enim quàm lauarentur, plerique inungi solebant, ac etiam à lotione ipsa: Inde sunt instrumenta, & vasa velut dictum est labra aluei, rotæ, pelues, labra à similitudine dicuntur vasa, quæ exporrecta illa habent, veluti margines, aut fines quasdam, vocant tinacia huiusmodi, sed & vas quodcunque amplum aut

Balneorum præparatio.

marmo


marmoreum, in quo homines lauare solent, & fossa etiam lapidea, ad hunc vsum parata, omnia enim ad balnea referuntur. Vt Cicero Terentiæ labrum, si in balneo non est, vt sit, sed alueus, huius etiam vsus est, ac magis proprius, cum in vna sede situs est. At quandoque pro carina, aut nauiculis in formibus excauarit, ex arborum truncis. Salustius quoque, & alij, (vt cùm dixit, alueos quoque nauium inuersos pro tuguriis habuêre. Pelues à peluendo dictæ, sic Cæcilius ex Nonio:

Dec. 3. lib. 2.

Amore cecidi, tanquam blatta in peluim.

Alij pedibus dictum volunt, vt sit vas, in quo sub fine balnei sordes pedum abluuntur, alij à Græco deductum volunt, in vnum tandem conueniunt, cùm sit multi vsus in balneis. Rotæ autem qualem vsum balneis præbeant, non est vt dicam: verum existimandum est, fuisse instrumenta, olim rotunda, caua, ampla, per quæ super axem monubrio conuerso, aqua ex canalibus hauriebatur: nam tamen in publicis maximè balneis, necessaria eius multa copia erat, quam non facilè erat transfundere in cirneas, & vasa alia, nisi huiusmodi machinis: strigilibus autem vtebantur, ad detergendum sordes, forma erat quasi similis his, quibus nunc ad equos vtimur, sed non erant dentatæ, & aderat cauitas in eo qua sudor colligeretur, quinto de locis: liquet autem ex libro de Facile parabilibus ad Solonem, in strigili concauitatem illam, adeò esse magnam, vt per eam in hos lac posset infundi. Ergo strigili deradebat cutim, & caua illius parte colligebant illum, vt in decimo de simplicibus medicamentis. Apuleius in floridis: magno in cœptu prædicauit, fabricatum semet sibi ampullam quoque olearìam, quam gestabat lenticulari forma, tereti ambitu, præslula retunditate: iuxtaque honestam strigileculam, recta fastigatione clausulæ, flexa tabulatione lingulæ, vt & ipsa in manu capulo moraretur, & sudor ex ea riuulo laberetur. Figuram strigilis bellè depinxit Gulielmus Choul Lugdunensis, Præses montium Allobrogum in sua castramentatione, Romanorum olim. Erant autem è cupro, aut argento inaurato, nonnunquam ex auro: at Indi, vt refert Strabo, ex ebeno

Rotæ qualem vsum habeãt in balneis.
Strigilium forma.
Cap. 7. in fi.
Cap. de sudore.



factis vtebantur. Postmodum cœpere Romani spongiis, loco strigilium vti. Aliàs vidi figuram satis dissimilem huic, vt in secundo icone vides. Gutti verò, seu ampullæ, quam lecythum vocabant Græci, forma quidem descripta, & quasi vulgaris, olei autem non vnus modus, neque vngendi mos, nam primùm erant olea, inde etiam vnguenta. Et aliorum quædam odorata, alia non vt etiam vulgare, quod ex oliuis conficitur, erat roseum, hiliaceum, irinum, crocinum, ex vnguentis myrthinum, gleucinum, plurimum refert quale sit, (omissis modò odoribus) nam è populi floribus fit, ac oleo sabino, aut quocunque, quod citra astrictionem tenuissimum sit, ac digerat, vt quarto de tuenda sanitate docet Galenus, quod acopum sit, & in duplici vase etiam melius, & in sole: si tempus non vrgeat è solis floribus, velut Camæmelinum, ad omnes lassitudines. Spicatum autem vnguentum, ad luxuriam potiùs, quàm vtilitatem, nam apud Imperatorum curatores, magna cura de his erat: velut etiam quod guttũ ex osse monocerotis esset, cum alij esset è vitro, aut bubali cornu. Hos etiã nardinũ vocare solebãt omnium forsan potentissimum apud nos, & nunc erit amaracinum ea præcipuè arte conditum, sed ad certos vsus. Porrò vnguentorum ab oleis discrimen est, mistio multorum in vnguentis, simplex autem est oleum, aut penè nullis aliis admistum. Erant & Diapasmata, sicci pulueres, qui deterso sudore iniiciebantur, cùm recedebant à turricula, vt non ampliùs sudarent, sed cum ad medicinam parùm sint necessaria, omitto: hodie putat Chouilla fieri ex cyprio puluere, vt violis: è santalis etiam, aut rosis, non incommodè. Cæterùm balnea præcipuè militibus, ac luctatoribus, viatoribus, sapientibus quoque, ac studiosis, sed his minùs sunt vtilia, delicatis autem, & his qui munditiem amant, quasi necessaria. Nulla maior magnificentia, quàm horum Romæ sub Imperatoribus, quod & reliquiæ ostendunt. In formam turris ex ædificari solebant, tres partes præcipuè erant, vt dixi, tepidarium, caldarium, frigidarium. Inde addita commoditatis causa, apodyterium, escola, id est, receptaculum, in quod ingrediuntur, seu se recipiunt, qui balneum ter operiuntur, aderant & sphæristeria, in quibus alij pila exercebantur ante balneum, vt incalescerent, atque sudarent, & palæstræ in qua luctarentur: præterea cisthi, nemora, deambulationes multiplices, porticus: Elæothesium, vbi inungebantur, at hoc non separatũ fuit in Græcis balneis, vt neque palæstra pars fuit Italici balnei, sed Græci: non defuit & quisdam stadium, quo si exercerent athletæ, tanta fuit cura, & amplitudo horum ædificiorum. Laconicum verò, & partes quæ ad sudationem pertinent, miro modo à Philandro explicantur, vbi de Clipeo plura: lauabantur quadrante numerato: Agrippa autem CLXX. balnea publica gratuita præbuit, quæ postea, in immensum aucta numero sunt: Inter quas ex antiquis nobiliores Platinæ, Neronianæ, & Agrippinæ, & quas suprà commemorauimus.

Cap. 8.

Iam vocat me tempus, varietasque intingendi: vngebantur enim etiam tempore Homeri, & hospites ad leuandum laborem, & lassitudinem recreandam, & vt mollirentur densatæ partes, siccatæ restaurarentur, tepefacerent alios à frigore vexatos, denique vt vegetiores, firmioresque illos redderent. Sed hæc

Comment. in Vitru. lib. 5. cap. 10.
Agrippa balnea.
Vnctionis vires.
Cap. 6. pag. 5.

hæc parerga, videamus sententiam medicorum. Dicebat Galenus septimo Methodi. Vngendum oleo post lauationem est, ne videlicet (quod intumuit corpus) plus iusto digeratur, sed obstruantur exigua cutis spiramenta: Idem protinùs, & siccitatis remedium fuerit, & aduersus incommodum, quod ab aëre ambiente contingit, veluti monumentum.] Et parum antè inquit: [Et confert inunctio ad renutritionem, velut & frictio.] De inunctione autem balneum antecedente loquitur manifestè, in sexto de Tuenda sanitate cùm dixit: [Sed sunt qui protinus oleo perfusi, ne dum vlla adhibita frictione, balneum ingrediuntur.] Idem quoque satis diffusè, ac luculenter explicauit quæcunque dici possent circa hoc, complexus secundò de simplicibus medicamentis, cùm dixit: [Ex genere quoque eorum, quæ nos excalefaciunt, oleum est, cui eiusdem quoque à viscositate, ac quod difficulter, item defluat, tum quòd meatus infartiat, obstruatque duplici ratione, vt augere caliditatem videatur, euenit: tum idem adeò quod instar vestimenti, aut munimenti, illinatur, tum quòd meatus infartiat, prohibeatque foras effluere magnam vaporosi intùs caloris partem, eadem ratione, nec vt resiccentur corpora nostra, permittit, nisi sanè applicetur calidum, idque plusculo tempore. Has itaque vires eius, vt homines omnes experientia compertas habeant, quos largiùs sudare volunt, siue à balneo, siue balnei expertes: iis non protinus ab initio oleum admouent, verùm iis qui morbo laborarunt, vbi sudare incœperint, tum excalefactum perfundunt. In iis verò qui etiamnum laborant, vbi abundè iam satis sudarint. Porrò in sanis, siquidem ex longo itinere, aut exercitatione, aliòve quovis pacto, corpus ipsis exhaustum est, eis inungi & ante sudorem permittunt, verùm quibus cruditas est, aut corpus habent plenum, quod πληθωρικὸν vocant, iis neque in balneo inungi concedunt.] Sed & oleum aquæ misceri consulit, cùm humectare multum scopus fuerit, & in olei defectum cum butyro, vt in tertio de alimentorum facultatibus. Iam verò post balnei sudorem, & lauationes calidas, de frigido balneo sermonem habeamus, memores quorundam præceptorum, primùm vt fenestræ constituantur à parte naturæ balnei congruenti, ad austrum pro calore, ad orientem pro recreatione, ad boream pro frigida lauatione, quodque bonum non est, ex sicco balneo, in frigidam quemque mergere; Paconicum quoque aliud simplex, in quo cum voluptate studebant Græci: aliud barbarum, cum æstu immenso, non tam sudorem, quàm vitam è corpore extrudere velle videntur: quod in Anglia sum expertus. Demùm quòd in balneis celebrioribus, locus erat aqua plenus, quem Piscinam vocabant, qui tam amplus erat, vt brachia extendere pro arbitrio sine impedimento liceret, teste Cicerone.

Cap. 5. in fine. *Cap. 14.* *Nota.* *Cap. 15.* *A balneo sicco bonum non est quenquam in frigidam immergere.*

CAPVT XXIV.

De Frigido Balneo.

Diximus superiùs natationem in frigida, corpus corroborare, & caput, & calorem, natutalem confirmare, sitim sedare, ciborum appetitum excitare, calorem externum tollere, atque si quid aliud hominem confirmare ac exhilarare, & renibus quoque ac vesicæ conferre, æstiuo tantùm tempore, & in vmbra commodum esse, vlteriùs frigidum balneum, per se primò refrigerat, insimulque aut substantia, aut facultate humectat: Ex accidenti verò calefacit, calorem intro repulso, in vnumque coacto, ac propterea vehementiore facto, cutim quippè astringit, ac densat, & sic periclitantem nimia exhalatione innati caloris substantiam reprimit, & vires adauget, nec ab extrinsecus aduenientibus, tam facilè læditur. Verùm antequam quis toto corpore aqua frigida lauari, aut balneari, incipiat: priùs cauere debet, ne corpus pletoricum, aut cacochimum sit, in pletorico enim, humores crudos intus premit, ac conculcat, in cacochimo verò fuliginosos vapores includit, qui cùm permeare non possint, accenduntur & febrium acutarum sunt in causa. Iuuenis quoque, & corpore robusto esse debet, nec destillationibus obnoxius, qui benè dormiat, nec curis angatur, imò nec balneum ingrediatur pleno ventriculo, & priusquam aluus non dimiserit, nec post Veneris vsum. Post calidam, balneum frigidum mirum in modum iuuat, vt etiam Galenus probare videtur, dum calorem intus euocat, & partes corroborat, sit tamen aqua temperatè frigida, & non vt nix, quam dicebat Hippocrates 5. Aphorismorum, pectori inimicam esse, tusses mouere, sanguinem, & destillationes. Ego autem tempore æstatis, post capitis ablutionem, ex lixiuio calido, vt mos est frigidam immediatè affundere soleo. Præparetur quoque corpus, antequam balneum ingrediatur, temperato exercitio, vel frictionibus, vt meliùs recipere possit qui tamen frigido balneo assuetus non fuerit, in eo statim se immergere non debet, sed sensim, priùs crura intromittens, dein brachia, & sic prima die parùm in eo moretur, secunda vice paulò plus, & ita dum assuetus fuerit, gradatim procedat, nec sit balneum in loco ventis, & præcipuè borealibus exposito, ne nimia fiat penetratio, ac lædat: huiusmodi ergò dotes præstat balneum frigidæ, si rectè adhibeatur: sin secùs noxa non vacat, vt Galenus docet quinta Aphorismorum vbi colligitur, qui frigida vti debent, oportet vt sint iuuenes, benè carnosi, & tempore æstatis, ac hoc vt caloris reuocatio tuto effici possit. Quapropter manifestè liquet, natationem in aqua frigida, non omnibus conuenire ætatibus, atque omnium minimè infantibus, ac fœmellis gracilibus, & imbecillibus, sicuti & senibus, atque qui frigidæ sunt naturæ.

Natatio in frigida quæ commoda afferat. *Frigidum balneum calefacit. Nota.* *10. Method. Cap. 10. 23.* *Nota.* *21.*

CAPVT

CAPVT XXV.

De Potu aquarum spontè nascentium, vt ad conseruandam sanitatem, seu ad curandos malos affectus faciunt.

Lib. 5. Cont. & 18. & lib. 6. Cont. 30. Thermæ quibus prosint corporibus. Quæ naturæ nostræ sunt inimica.

51. Pag. 6. in fine, & 7. in principio. Thermæ cordi & cerebro inimicæ.

VTrum ne aquæ Thermarum, in vsum veniat medicinæ, in Contradicentibus declaratum est, sed & in libro de experimentis, quibus conueniant, vt laborantibus præcipuè. At hic dicendum est, non solùm cui vsui sint in sanitatis regimine, sed quibus prosint corporibus, seu secundùm naturam, seu aliter malè dispositis, nam benè illud dicam, quòd omnes sunt violentæ, & simplices, & terreæ, & ideò humani generi inimicissimæ: Omne enim violentum est naturæ inimicum, secunda Aphorismorum, & rursus omne simplex, quia natura nostra gaudet victis, & mistis, ac moderatis, libro de Veteri medicina. Vt verò terrea sunt inimica naturæ nostræ, quæ calida est, & humida, & ideò subuertunt naturam, & corrumpunt eam totam, inimica omnibus membris naturalibus, nisi vt educunt materiam superfluam, & corrigunt intemperiem membrorum naturalium: cordi autem & cerebro, sunt per se inimica, & plærunq; calidæ replent caput, & cor debilitant. Frigidorũ autem, aliquæ sunt venenosæ, & sunt quæ super argentum viuunt transeunt, aut quæ super lutum putridum, & loca serpentum, & exhalationes terræ corruptas. Et sunt aquæ calidæ omnes ab igneo calore, aut si vis etiam à putrido, qui deterior est corruptæ. Si ergo solaris calor aquam vitiat, quanto magis quæ tanto tempore feruet corrupta erit? Et minùs malæ sunt ex plumbo nigro, & stibio inde ex albo, & gypso, omnes tamen pernitiosæ naturalibus membris, & valde noxiæ. Post has in quinto ordine sunt, quæ præditæ sunt natura chalcitidis, & spumæ argenti, & calcis. Nam quæ imbutæ sunt auri pigmento, etiam venenosæ sunt, imò præsentaneo, atque adurente, & frigidæ sunt huiusmodi, nam auripigmentum ex igne transit in calcem, aut cinerem: à frigore autem fit venenosius, sexto aluminosæ, bituminosæ sulphureæ, nitrosæ, hæ omnes ventriculo sunt inimicissimæ, sub quo genere etiam marina collocari debet: sed sal minùs ventriculo inimicũ, septimò æreæ, vltimò sunt ferreæ, argenteæ, aureæ, quamvis eas reprobauerit Hippocrates: non enim de illis loquitur, quæ viribus sunt tales, sed quæ ibi nascuntur: vnde hæc erui solent. Sunt enim omnes fermè pessimæ, quoniam & sulphur, & hydrargyrium, ibidem abundat. Constat igitur, quod neque temperatis hominibus, neque his qui ex ætate in temperiem deciderunt, neque imbecillibus, neque in leuibus morbis, nec habentibus debile iecur, aut ventriculum, nec his quibus meatus non patent: nunquam aqua medicata: imò nulla prorsus conueuit, non febricitantibus, non hydropicis, non habentibus obstructas venas: cùm enim retinetur plerunquæ ob multitudinem, & prauitatem, interficit. Calidæ verò calidis, & debilia habentibus capita plurimum obsunt, vt etiam antea dixi, & earum vsus vitiat vesicam, & renes, & sanguinem, & est medicina rusticorum, nam si corpus euacuent plurimùm, & homo robustus sit, magnas vtilitates afferunt. Iuuant in intemperiebus etiam humidis, maximè & in calidis, atque etiam frigidis, sed longè minùs: tutiùs enim refrigeratur homo, quod frigus sit priuatio quædam, quam incalescat medicamentis, & si exhibeantur imbecille habentibus iecur, & cum angustis venis, generat in illo morbos insanabiles, nam calor earum est infidus, & impurus, & cùm non prosunt, nocent valdè: & si iuuant, etiam nocent. Et aquæ suaues, & quæ bibuntur ex fonte proprio, & habentur in vsu, nec sumitur magna quantitas, vitam producunt. Omnis autem aquæ Thermarum, aut turbidarum vsus, generat lapides in renibus vesica, præparat ad hydropem, & morbum regium. Et qui incoquunt cibos, in illis multipliciter peccant, corrumpunt enim cibos, & aquam simul, & aquæ hæ propriè conferunt magnis cauitatibus, vt ventriculo primùm, inde colo, demum vtero. Vesicæ non propter periculum lapidis, & vriginis, & quando permeant, per vrinam magis refrigerant, aut calefaciunt. Liquet enim vt in Promptuario declarauimus, tria esse genera auxiliorum, quæ assumuntur perniciosorum, aut sub terra natorum: neque enim vllum tutum, nec aurum ipsum, nec gemmæ, nec scio quicquam, quod tutò edi possit: sola tubera excipi solent, Deus nouit. Ita thermarum aquæ semper pernitiosum, aut omninò contumax afferunt naturæ humanæ damnum, nihil enim eorum subigitur.

Thermæ quibus noceant.

Thermarum vsus malus.

Cap. 72.

CAPVT XXVI.

De Irrigationibus.

Irrigatio longè efficacior lotione. Irrigatio frigida renes confirmat.

IRrigationum vis longè maior est ad calefaciendum, vel refrigerandum, lotione ipsa. Debet autem aër esse simillimus humori, seu calidus, seu frigidus: quoniam in irrigatione adest motus, & aëris interceptio, & aër quidem cum motu penetrat poros, & qualitatem imprimit intùs, vnde frigida irrigamus renes, ad illos confirmandos: incredibile est quantum præstet, procul magnum deducere ad refrigerandum, & eò magis ad calefaciendum. Vnde exponere renes in aqua currente, plurimùm conducit ad illos confirmandos, & lapidem prohibendum. Et quomodo hæc ex aëris ingressu fiant, satis manifestum est: quid autem ictus præstet, supposito quod ad intima penetrauerit, hoc non adeò compertum est: an quoniam ictus diuellat, substantia autem diuulsa, qualitati patet ingressus, & ideò propinquitas, & actionis robur, & de calore, ac frigore dubium non est, tum ad illa consequentibus. Verùm humidum motu, an humectet, an siccet, dubitatione dignum

Dubitatio.

gnum est. Vlcera enim superflua, aqua siccantur non solùm quod sanies, & putredo, & ichores abluuntur, sed quoniam à calida quidem materia absumitur humidum omne, à frigida dum constringitur, humidum vi exprimitur, à temperata etiam colliquatur, & ab initio quidam humescit, in fine tamen, & ipsum siccatur. Nullum igitur humectatione ex irrigatione perfugium: Sed ex subtepidis, & modicè frigidiusculis, non confertim immissis, neque valdè diu, & cum substantia densiore fuerint, contingit humectatio, velut ex oleis florum violarum purpurearum, nymphææ, albis spissatis, humectatio contingit. Aqua ergo in irrigatione parum admodum humectat, in balneo magis.

CAPVT XXVII.

De Quiete.

Quies quid. 48.

FAcile ex eis quæ de exercitio diximus, qualis esse debeat, & quantum vtilis sit ad producendam vitam, quisque colligere poterit, cùm nil aliud sit quies, quàm vacatio ab exercitatione, eique opposita. Dicebat namque Hippocrates quarta Aphorismorum. [In omni corporis motu, vbi laborare quis cœperit, quies statim lassitudinem auffert, & nemo est: qui non agnoscat, quod ab exercitatione quiescendum sit.] Immodica tamen quies, & ipsa non parum nocumenti corpori affert. Sicuti enim videmus ex magno, ac vehementi motu calorem natiuum in debili, ac imbecilli discussum perire, vel in præternaturalem conuersum acriorem multò, ac mordaciorem fieri, & corpora siccare, ita à paruo tanquam flabello ventilatum, modicéque exercitatum, conseruari etiam percipimus. His ergo de causis, necessaria erit quies, quam quidem modici, temperatique motus intelligimus, & non illam omninò otiosam vitam, quæ diu absque noxa stare non potest. Videmus quandoquidem carceribus inclusos, qui compedibus vincti, se commouere nequeunt, licet aliquando incolumes degant, nocumenti tamen inde, & affectionis aliquid accipiunt: refrigeratur enim corpus, dum ob superfluas humiditates, calor liberè ad membra diffundi non possit, quæ paulatim aggregantur, ac poros obstruunt, & alimenti atque caloris transitum impediunt, vnde membra exsiccantur, extenuantúrque, & vires debilitantur. Temperatus verò motus superflua excutit, & vias aperit, vt calor liberè diffundi possit. Et ideò Hippocrates in Epidemiis suadere videtur, pituitosis, ac natura frigidis, & humidis, vtilem maximè esse exercitationem, non tamen vehementem, ac superfluam, calidis verò & biliosis, quietem commodiorem esse, quia corpora humectat, sicuti exercitium exsiccat. Et hæc de exercitio ac quiete dicta sufficiant.

Quies immodica mala.

Nota.

CAPVT XXVIII.

De Cibo, & eius quantitate.

Vita duplex genus.

DIco quòd duplex est genus vitæ, liberum quod sanitati tantùm vacat, & longitudini vitæ: seruile seu negociis mancipatum, quod vitæ longitudini inseruire non potest, saluti etiam non adeò, vt oporteret. Dicam ergo de libero viuendi genere, quia de his tractamus nunc, estque locus. Igitur cùm homo nutriatur tantùm pingui humido, & illud sit triplex, tenue, mediocre, & corpulentum, seu crassum: tenue sufficit ad nutriendos spiritus, & humores reparat: mediocre verò facit ad generationem humidi membrorum, sed omninò solidi: Crassum ad generationem, & præparationem substantiæ membrorum, & istud est optimum. Vt verò tenuius fuerit tale humidum, ita impurius, & eò facilius excipitur. Quod ergo solidum est, & plurimùm facit ad vitam, id longiore mora indiget, & vt paucus sit cibus: est & alius modus vitæ voluptuosæ, cùm assumunt cibum, & potum copiosum, sed habent aluum lubricam, & singulo die bis, aut ter deiiciunt, vnde Auenzoar, concordati sunt sapientes, quod in habendo ventrem mollem, conseruatur sanitas nutu Dei. Verùm, vt dixi, non est mens tractare de hac sanitate fucata, quæ non est cùm vitæ longitudine, nec etiam secura, nam & si vētriculo hæc, & intestinis non facessant negocium, iecur tamen in dies debilitatur: Ideò hac via dimissa, de qua nolo tractare, quòd esset prodere genus humanum, dicam de ratione viuendi, & norma secundùm veritatem optima, de qua etiam locutus sum in secundo Theonoston. Dico ergo quòd nutrimentum debet esse tale, quale optimum est, de quo dicam inferiùs, pro ratione alimenti, paucum, si multum nutrit, plus verò cùm modicè. Oportet autem vt meta sit, quam descripsimus in consilio Germani, his verbis: Ergo meta sit, vt homo à cibo ambulare, scribereque sine incommodo, ac lætus possit, quodque post septem horas à cibo, sentiat inanem ventriculum, quod neque eructationes, neque odorem, neque grauitatem, nec aliquid prorsus in ventriculo percipiat: quod somnos non videat tumultuosos, nec vigilet, nec cum sol ortus est, graue caput habere videatur, quod decumbere non desideret, sed ad negotia peragenda promptus surgat, neque alices, neque saporem in ore, neque pandiculationes sentiat, quodque lætus sit, viuax, promptus in Venerem, vrina fluat non multa, & sine sedimento, aut fermè nullo, aluus nec astricta, nec fluida: sputum penè nullum, impiger, & alacris, & quod vires in dies augeantur, ingenium, solertia, memoria, hæc mensura cibi, & potus ea est, quæ illi conuenit. Cùm verò multis non satis sit, rem ipsam docuisse, rationem adiecisse, ni etiam authoritati innitatur: accipe quæ dicat Hippocrates Epidemiorum

Humidum pingue triplex.

Nota.

In procœmio & ad Regem.

Germani consilium.

Pagina 3. tex. 28.
Tres orationis sensus.

miorum sexto. [Cibus paucus non delassari, non sitire] Aliter vertit alius [Cibi paucitas lassitudinem non faciens, nec sitim accendens.] Tres sensus, & omnes veros habet hæc oratio. Primus omnium optimus, vt sanus degas, optiméque viuas, scilicet diu, & integris sensibus, vtere pauco cibo, non labora adeò vt delasseris, neque sitias. Tertius ea cibi paucitas, conuenit, quæ neque lassitudinem affert, neque sitim: Galenus primum solùm sensum affert, qui interpretatione cuiusdam, scilicet prima, non autem secunda affert, nam secunda hæc interpretatio tripliciter peccat, iuxta Galeni sententiam, & quod definiat modum in paucitatis cibi & quod auferat cautionem ab aliis causis lassitudinis, & rursus ab aliis causis sitis: adeò vt non prohibeat sitim, neque lassitudinem, modo non ex fame procedant. Verùm iam expedit horum trium sensuum veritatem ostendere. Vt ergo quis sanus & optimè degat, & longissimo tempore viuat, nam sunt tria, Galenus autem more suo, quamvis tria proponat, non tamen eadem, nec vt debet omnium æqualem habet rationem, sed loco eius quod est optimè degere, proponit bonum habitum, quo maximè ea tempestate delectabantur, id est, quadratum, at neque huiusmodi postmodum, neque longæuæ vitæ, vt par erat curam habuit, existimans forsan vt reor, eandem esse rationem tuendæ sanitatis, & producendæ vitæ, scilicet excrementorum debitam expulsionem, & caloris innati incrementum, & quoad fieri potest conseruationem: similiter neque de bono habitu verba fecit: quoniam si per bonum habitum athleticum, & summè pingue, & corpulentum intelligit, non eum putat esse bonum, nedum hominibus necessarium: sin autem moderatum hunc, ad perfectam sanitatem sequi haud dubium est, cum ergo præcepta sanitatis prodidisse se abundè putaret, non curauit, de habitu bono plura subtexere. At quàm rectè inquit Philosophus: Vno absurdo admisso, plura succedunt, & minimus error in principio, maximus est in fine. Ergo oportet declarare fines huius artis: hi erunt, qui optimi sunt, quod ergo diu præstet viuere, quis est qui ignoret? quandoquidem viuere viuentibus sit esse: Quamdiu viuimus, operamur, & nostros custodimus, & lætamur. Et ipsum esse per se bonum est, vnde Philosophus secundo de Generatione & corruptione, melius natura eligit: est autem melius esse, quàm non esse. Porrò de senum fœlicitate, & quod optima quæque huic ætati conueniat, non est vt dicam, nisi sperem Ciceronem facundia superare: similiter & quod cuique expediat sanum fore, quis est qui dubitet. Dubitabunt autem in hoc quod dixi, optimè se habere, reclamabuntque isti, qui se Galenici, nimium iactant, dicentes idem esse & sanum esse perfectè & optimè se habere. At mihi plurimum differre videntur: nam vt ex sententia Hippocratis liquet, delassari non conuenit, & cibo pauco vti: at noster Galenus, tam graues iniungit exercitationes, vt & delassari necesse sit quotidie, & multo cibo repleri non solùm quod immodicus ille labor famem magnam excitet, sed quod etiam si non des, lædetur grauiter homo. Vide quod dicat in secundo de Tuenda sanitate: Quoniam vehementior motus exercitatio est, quæ in Gymnasiis fieri solet, disco lucta, pancratio, pugillatu, cursu, donec anhelitus permutetur. Eo enim motu duriora membra efficiuntur, calor innatus augetur, & spiritus citatior redditur. Duritiæ siquidem membrorum, robustiora eadem fiunt, & minùs ex labore læduntur. Ex caloris incremento, omnes operationes naturalis facultatis fœlicius procedunt, funditurque (vt ita dicam) in membris humidum: cuius fusionis beneficio, solida mollescunt, humida tenuantur, & angusti corporis meatus laxiores redduntur: Ex quo cùm vehementiore spiritus concitatione, excrementa meliùs expurgantur, itaque obscurum non est Galenum cum sua sapientia non ciuis, aut studiosi, sed militis, aut athletæ, vitam instituisse, cum qua nemo sana mente, neque integris sensibus, nec diu viuere possit: nam (vt dixi) tales exercitationes cerebrum sæpè collidunt, vt ante senectam surdi, aut cœci plerunque fiant, amentes quasi omnes, & immemores: Si dicas ad reipublicæ defensionem hos vtiles futuros, non negabo, si prudentes, si ad gubernationem idoneos, si sui compotes, atque beatos, ac longæuos, longè illis prætulerim fossorum vitam. Ea verò consuetudo, & victus ratio, quæ ab exercitatione abstinet, ciboque & potu parcissimè vtitur, fœlix est, prudensque, ac sola beata, non turbulenta, non tristis, non tamen ad labores (quis ambigit) adeò idonea. Nos autem vitam instituimus, sibi viuentium, & ad commodum proprium, & ad contemplationem, quæ finis est humanæ vitæ, & optima pars in ea accommodatam. Sanitas ergo, & optima vita, non idem sunt: finge militem robustum, plurimo vtentem cibo, potuque atque quotidiana exercitatione, pinguem, quadrati habitus, sanguine etiam bono abundantem, sine vllo corporis vitio, ac robustum. Alium verò pauco cibo, atque potu vtentem macilentum potiùs, quàm pinguem, solis deambulationibus per viridaria manè se oblectantem: videbis in vtroque duo gonera sanitatis, sed tam diuersa, vt neminem differentia eorum lateat. Vnus enim alacer, robustus, quadrato corpore, impiger ad labores, sanguinei habitus, cibo vtens multo, verum consilij nullius, aluum sæpè deiiciens, vrinam multam, sudoremque effundens, somno graui, & aliquando vigil, sæpè lapsus ob labores, nonnunquam tristis, inæquali habitu vndique: Alter sensibus claris, mente valens, laborum impatiens, somni quieti & leuis, pauco cibo, potuque vtens, lætus semper: vita æquali moderatus, qui difficillimè ægrotet, excrementorum paucorum, non emungit nares, non sputat, & vt vno verbo dicam, quædam sanitatis idea, atque incolumitatis. Non ergo idem sunt optimus habitus, & sanitas. Alterius sensus reddamus rationem,

Minimus error in principio, maximus in fine. Nota.
Te. 59.
Natura melius eligit.
Delassari non conuenit.
Cap. 2. &c.
Contemplatio finis est humanæ vitæ. Nota.

rationem, tum magis quod ea etiam, primæ interpretationi non ſit inutilis.

Vſus pauci cibi quàm victu.

Si vtaris pauco cibo, concoquetur optimè, nihil aut penè erit excrementi, aut ſuperflui, ſi ergò delaſſeris, calor accendetur, ſiccabitur corpus, atque humidum vtile, cum nullum aliud ſit, vires reſoluentur: non eſt ergo opus hac delaſſatione, quæ mala cùm ſit, eſt etiam periculoſiſſima, ſimiliter ſitis corpus ſiccat, non indiget hac conſumptione corpus moderatum: vbi delinquendum ſit, minùs malum eſt, atque periculum, in paulo pleniore, quàm tenuiore victu.

Sitis cauſa.

Accedamus ad tertium, qui proximus eſt rationi, de victus parcitate, iam à nobis conſcriptæ ſuperiùs. Ea ſit cibi parcitas, quæ neque delaſſet hominem, ſcilicet, vt vires reſoluat, neque ſitim generet: Fit enim ſitis, aut accenſa bile, aut ſiccato corpore, cùm huiuſmodi ſemper mala ſint ex inedia ſi proueniant, ſunt etiam peſſima. Inedia ergo meta ea ſit, vt non delaſſeris, vt non ſitias. Sed rurſus audi illum, in eodem libro.

Par. 4. tex. 12.

Exercitatio ſanitatis eſt veſci, citra ſaturitatem, non refugere laborem, Græcè ἄσκησις ὑγιεὶς, ἀκορὶη τροφῆς ἀοκνὶη πόνων. Vbi Galenus per πόνων exponit γυμνάζεσθαι ſatis perperàm. Neque enim hoc nomen ignorauit Hippocrates prima Aphoriſmorum cum dixit ἐν τοῖσι γυμνασικοῖσιν aliud ergo eſt labor, aliud exercitatio. Verbum ἄσκησις ſignificat ſtudium, ſeu potùs cuſtodiam, vt ſit ſenſus cuſtodia ſanitatis, inuictus parcitate, & vt labore vtatur, non enim ne laborem fugiat, ſic eſt intelligendum, vt nunquam à labore ceſſet, quod fieri non poteſt, vel vt nullum refugiat laborem, cùm multi labores noxij ſint, & lethiferi: velut fodere ſub terra, & in alueis ſtagnorum: igitur intelligendum eſt, vt etiam exerceatur.

Labores multi noxij.

Cùm ergo parcitas victus ſit adeò neceſſaria, & qualis eſſe debeat, ſuperius ſit demonſtratum: reliquum eſt, vt oſtendamus, cur & quomodo ad vitæ longitudinem admodum faciat.

Tria ad vitæ longitudinem neceſſaria. Lib. de longitudine & breuit. vitæ.

Tria ſunt neceſſaria, vt humidum optimum reſtauretur: humidum autem optimum dico, quod pinguiſſimum eſt, denſum, & purum. Pinguiſſimum dico, quod eſt calidiſſimum, hoc enim cauſa eſt longitudinis vitæ, vt Ariſtoteles author eſt. At huiuſmodi ſi purum ſit, minimè poterit homo ægrotare. Vnde enim morbi cauſa? Sin autem denſum, tardius multò conſumetur, inditio eſt oleum ſali admiſtum, quod multò tardius abſumitur, quanquam ſit impurius: quantò magis ergo duraret, ſi purum eſſet?

Oleum ſali admixtum tardius abſumitur.

Sed & arma quæ contundendo, & purgato ferro fiunt, & reſiſtunt ictibus igneorum tormentorum, vt appareat maiorem vim eſſe ex denſitate, quàm quadruplam.

4. Met. 18. Alex. 1. problem. 43.

Ex pauco ergò cibo, omnia hæc fieri neceſſe eſt: longo enim tempore ſubactus, incaleſcit concoquendo, hoc enim Ariſtoteles nos docuit. Idem purius efficitur, non ſolùm concocta parte, quæ cruda ſupererat, ſed etiam ſecreto quod inutile eſt: conceſſum enim eſt etiam à philoſophis, ſecerni, & ſeparari viuum à mortuo, & illud reiici. Eſt autem mortuum omne excrementum, & impurum, & crudum cùm ad concoctum comparatur: condenſat autem calor humidum, cùm diutiùs concoquit, non ſolùm reſolutis tenuioribus partibus, ſed meliùs permiſtis: aqua enim & cinis, vt diutiùs miſta manent, eò meliùs conſidunt & grauiorã fiunt, quantò magis ſi naturali calore partes ipſæ permiſceãtur. Concoquitur ergò meliùs quod paucum eſt, quàm quod multũ, nõ vnã ob causã, ſed quoniã primùm meliùs applicatur & minus reſiſtit: omne enim patiens diſſimile ei quòd agit, repugnat: cùm ergò minùs repugnat magis obſequitur, atque immutatur.

Omne patiens diſſimile ei quod agit, repugnat.

Nota alimenti ordinem.

Deinde ob moram, cogitur enim ex hoc paruo, reſtaurare, quod facturus eſſet ex magno. Demum quia cùm paucum eſt, ſeparatur quod intimum eſt: id autem concoctum magis, quoniam ſubſtantia eſt membri, ſeu ſimilis partis in inſtrumento, veluti caro, & germen. Neque enim quenquam latet, in horum vtroque eſſe humidum multiplex, in vena humor ſcilicet, qui & ſi ſanguis purus ſit, crudus tamen eſt. Et quod iam effuſum in cauitatem partis, idque magis concoctum, & quod in fine venæ eſt, & iam incipit mutari, & hoc concoctum magis eſt, & quod iam applicatum eſt parti, & illud adhuc concoctius: & quod agglutinatum, atque id etiam concoctum priore magis, inde verò quod aſſimilatum eſt. Idque iam in primo ordine eſt optimi alimenti, atque concocti; & quod iam permixtum eſt, vnum factum cum humido antiquo membri, idque perfectiſſimum, & abſolutiſſimum, hoc quidem non ſeparatur, & ægrè etiam præcedens primùm in alimentis non proprijs, vt lignis, & non conſuetis, vt carne Elephantis, vel cameli: Vel ſi non ſit ſubactum multa aqua, & igne: vel ſi non diu, & optimè manſum dentibus: vel ſi non exactè concoctum in ventriculo, vel ſi non perfectè immutatum in iecore. Demum niſi calor cordis, & iecoris, ac particulæ, quæ nutritur robuſtus fuerit, ac denſus, moraque acceſſerit, & moderatum ſit, quod debat immutari, quam ob cauſam, neque ex oleribus fieri poteſt reſtauratio, quoniam chylum denſum efficere nequeunt, neque ex multa carne, quia in iecore perfectè ſanguis abſolui non poteſt.

Olera reſtaurare non poſſunt.

Optimus cibus qui.

Optimus ergo cibus, eſt modica caro, vitelli ouorum vnus, aut duo ad ſummum, panis & fructus, è nucum genere piſtacia, amygdalæ, pineæ, auellanæ, nuces etiam ponticæ, glandes præcociorum, ſeu armeni mali, perſicorum recentes parum amaræ, tamen oliuæ his ſunt multò inferiores lac optimum eſt, ſed non adeò adultis: laudarem quod pinguiſſimum eſt, atque dulciſſimam igne detractum, quod Veneti appellant caput lactis.

Caput lactis.

Longè enim meliùs nutrit, quippe pingue magis, & dulcius: & neque in eo ſeroſum quicquam, parumque admodum caſeoli, quò fit, vt faciliùs ſubigatur, & minùs obſtruat: quod maximè detrimentum veremur in lacte. Ergo hoc ipſum optimùm eſt, velut etiam in fructibus, quod ſint exactiſſimè contriti, vix enim aliter, à dentibus ſubigi poſſunt, cum ſaccharoque cocti, ita enim optimum præſtant alimentum, facileque concoquuntur, & ſuauiſſimi ſunt.

Hippocrates de exercitatione.

Restat vt dicamus, quomodo exercitationem in vno loco Hippocrates probare videatur, in altero damnare. Cùm dixit, non delassari, non refugere laborem. Itaque vt dixi, cùm vtrobique suadeat cibi parcitatem, existimandum est, sic debere intelligi, vt non refugiat omnem laborem, siccit Sybariticus ille Smendirides, qui perpetuo in vmbra desidebat, non tamen expedit delassari, aut ita laborare, vt fatigetur, vt incalescat: multò minùs vt sudet. Alia euidentior in dictis his Galeni, paucissimis adeò verbis comprehensa est contradictio, cùm primùm dixit, membra solida durescere, & inde mollescere. Quod si quis diligenter consideret, non vnam continet difficultatem. Prima enim est, quomodo ex exercitatione possint duo contrarij effectus procedere, scilicet vt membra mollescant, ac durescant, neque enim par est causam vnam, & eandem duos contrarios effectus producere in idem subiectum. Deinde quomodo subiectum ipsum, hæc duo simul recipere poterit contraria ad vnguem, vt simul durescat atque mollescat? Demum quomodo, cum hæc vtilitatis ratione proferat, vtilia poterunt esse contraria, mollities solidorum, atque durities, talia tam multa videmus apud hunc virum, licet non tamen intra decem lineas comprehensa, vt hoc in loco. Videtur autem Græca lectio τὴν τε σκληρότητου τῶν ὀργάνων ἀλλόλοις παρατριβομένων γίνεσθαι. Et inde τὰ μὲν στερεὰ μαλάττεσθαι. Vt liqueat per σκληρότητα duriora, per στερεὰ solida intelligi, vt nulla sit ex interpretatione ambiguitas. Quid ergo durities, alia ex condensatione, quæ vtilis est, & optima, alia à siccitate, quæ inutilis est, & mala: hanc igitur tollendam censuit, illam procurandam, & augendam, quod si ipse reuiuiscat, incertum est, an euasurus sit, tam parum consideratas sententias. Sed de his hactenus.

Galeni contradictio.

Durities duplex.

CAPVT XXIX.

De Considerandis in vnoquoque Cibo.

Quæ in cibis consideranda sint.
Cibus qui boni sint alimenti.
Nota.

QVæ in vnoquoque cibo considerare oportet, hæc sunt, (neque enim nos simplicem faciendo tractationem, ad hoc cogimus lectorem, vt idem cogatur, multis in locis quærere) primùm an boni sit alimenti, aut mali. Dico autem boni alimenti cibum, qui sanguinem generat optimum, substantia mediocrem, colore rubrum, æqualem, & maximè nutritioni corporis, & restaurationi aptum, tum etiam virium. Inde quærendum est temperamentum, si calidum sit, aut frigidum, humidum, aut siccum illius alimentum: post quónam pacto vtile sit, ventriculo, & quomodo facilè concoquatur, alat ne plurimum, an parum? & vt id quo alit facilè, aut difficulter corrumpatur: excrementosum ne sit, an non & qualè sit hoc excrementi genus, quod abundat, docere oportet, similiter vt capiti, iecori vtilis sit huiusmodi, aut noxius, & quàm gratus odore saporéue. Vtrum verò aluum moueat, leniat, sistatúe: & cui membro, aut morbo salutaris sit, adiiciendum est: etiam qua ratione vtendum sit eo, & qualis sit electio, tum præparatio? His quindecim rationibus, ciborum naturam, ac vires describere oportet, sed illud forsan occurret videri eadem, quæ plurimùm nutriunt, habere etiam excrementorum parum atque id verum est, sed non tamen quæ parum nutriunt, multum habent excrementi: ac forsan quæ multum nutriunt, etiam excrementosa sunt, vt caro suilla, & bouis, quæ pura est. Similiter etiam, quæ boni sunt alimenti, non videntur corruptioni facilè obnoxia. Ergo primùm sic distinguere oportet, quæcunque grauiora sunt, & parum nutriunt, excrementosa sunt, & quæcunque leuia, multum nutriunt, vt lutea ouorum, paucis excrementis redundant, atque grauia sunt, & multum nutriunt, pauci sunt excrementi, si mollia sint, & facilè concoquantur: facilè enim digeruntur, vt alæ auium, quæ verò non sic, etiam excrementis abundare possunt, quandoquidem eorum substantia vtrisque sufficere possit. Quæ verò leuia, parum nutriunt, si lenta sint, habent excrementi satis, sin autem non, sed friabilia, parum. Multum ergo excrementi habent, quæcunque grauia sunt, parum nutriunt, & difficilè suppurantur: leuia autem cùm facilè suppurentur, & multum nutriant, excrementi parum habent,

Quæ multum ac parum excrementosa sint.

Quæcunque verò facilè concoquuntur, parum ea ratione nutriunt, & leuiora sunt, quæ autem grauia, si multum nutriunt, difficilè subiguntur, ob transmutationem, si parum, ob separationem. Ouorum vitelli, non simpliciter facilè concoquuntur quia plurimum nutriunt, in prima autem coctione, facilè transmutantur. Quædam autem leuia sunt, & parum nutriunt, & difficilè concoquuntur, vt cassia, quam cinamomum vocamus, & quæcunque alia, quoniam natura illorum à nostra substantia, atque omnibus his quæ propè nostram substantiam sunt, plurimum abest: sic & fungi, quamvis leuissimi sint. Durissimi ergo cibi, qui graues, sunt, & aut plurimùm nutriunt, aut quorum natura plurimùm à natura sanguinis abest, non videntur autem quod plurimum nutrit, à nostra substantia plurimum abesse, neque vllum graue, quod parum nutriat, facilè subiici posse: plurimum enim abest à natura sanguinis. Quæ ergo facilè concoquuntur, sunt mediocris alimenti, temperamentum propè, coctione multa subacta, minimè lenta, paucorum excrementorum, & consueta: quæ verò ab his vna, aut duabus, aut etiam pluribus conditionibus, accedunt, eo difficilius subiguntur, quo plures illæ fuerint. Maxima tamen causa difficultatis concoctionis, est durities substantiæ: post dissueta, & quæ valdè excellunt aliqua qualitate.

Quæ facilè concoquuntur, parū nutriūt.

Durissimi cibi plurimum nutriunt.

Quæ facilè concoquuntur.
Causa difficultatis concoctionis.
Quæ facilè corrumpuntur.

Quæ verò facilè subiguntur, & quæ non benè alunt, facilè omnia corrumpuntur, vt horarij fructus: mollia enim facilè corrumpuntur, & quæ tenuis substantiæ, magis quàm quæ crassæ, & quæ prauum ex se,

Quæ corruptioni minùs sunt obnoxia. Quæ corruptioni resistunt.

maximéque aqueum generant sanguinem. Frigida autem omnia, & sicca corruptioni minùs sunt obnoxia. Resistunt corruptioni acetum, lymonij succus, sal omnia benè olentia, ligna aloës, cassia, cyperi radix, santhalum, myristica nux, macer, garyophili, cardamomum, præterea mel, & oleum, crassum alimentum & prauum, vt certiùs, eò seriùs corrumpitur, vt quod ex cucumeribus crudis, & fungis etiam coctis sumitur. Quocirca corrumpuntur facilè, quæ calida parum & humida multum sunt, & omninò humida, & cruda, & tenuis substantiæ, maximéque serosa, quæ facile ab externo calore feruent: quædam verò dum obstruunt, causam putredinis præbent.

Cibi qui boni simpliciter dicantur. Nota.

Optimi ergo alimenti, quæ & temperata sunt, non tamen temperata omnia boni sunt alimenti, quæ facilè concoquuntur, & plurimum alunt, nec facilè mutantur in prauam qualitatem, & paucorum sunt excrementorum, simpliciter boni cibi dicuntur: quoniam commodi multum, incommodi parum afferunt. Etenim quæ optimum generant sanguinem (hoc enim est in alimentis præcipuum) corpus, & vires, ex æquo restaurant, vnde & sani degunt homines, & diutiùs viuunt, & facilè generant alios, & ad labores promptiores, & incommoda meliùs ferunt: suntque meliùs colorati, & meliùs dormiunt: contraria verò ex contrariis fiunt. Et quamvis Galenus hanc sanguinis praui generationem in duo tantùm diuidat, scilicet serosum, & crassum, nihilominus tot sunt illius species, quot fermè æduliorum genera. Præstiterit ergo, vel à ratione discere, quinam sit sanguis bonus, scilicet ruber, splendens, mediocris substantiæ, æqualis, & calidus, sed non vt feruens aqua, in quo non est quod possit distinguere, sed vnius substantiæ, vt oleum, & aqua, dulcis, fluens, qui serò & lætus concrescit. Ex operationibus autem, corpus robustius, carnosius, color floridus operationes bonæ, & mens lætior. Eadem verò ratio, & in lacte, si pro rubro album, pro nutrice infantem substituas: quanquam & benè constitutam nutricem, verisimile sit bonum etiam lac efficere. A non temperatis autem cibis, non solùm sanguis non bonus generatur, sed & bonus iam qui aderat vitiatur, quemadmodum à cibis praui alimenti: cùm enim omnia commiscentur, à multo quidem bono exiguum vitiosum emendatur, à mediocri autem quantitate, praui multùm boni, vel à pauca mediocris corrumpitur. Qui verò difficilè subiguntur, inflammant totum corpus: & recrudescere faciunt morbos: ob id in abscessibus internis lethales sunt, in externis vt podagris, ac bubonibus maximè noxij, tum etiam magis si calidi sint, hi cibi caput grauant, & lædunt, & somnos impediunt, & aluum sistunt, aut intempestiuè eiiciuntur: faciles autem nimis efficiunt, vt alij postmodum, qui secùs rectè concoquerentur, ægrè possint concoqui: corpore igitur beneualente, & mundo, ab humoribus prauis, cibis paucis, qui difficulter concoquantur, assuescendum est, vt hos ob consuetudinem, alios ob robur meliùs concoquant. Nihil autem deterius est, quàm si talium ciborum esui, vigilia subsequatur, tùm verò vnicum præsidium in vomitu reponendum est, quem omni ingenio excitare oportet: namque inædia, & si minùs mala sit, nihilominus tanto malo serò succurrit, nec probè: corrumpitur enim, diutiùs manens in ventriculo, non minùs fermè, quàm concoquatur, & corpus absumitur. Ergo vbi tales occurrant cibi paucitate, sed coctione multa, priùs subactis occurres: tum demum quiete, ac somno miscebis, & acetum multum, & madefactos edes, & diutiùs, ac exquisitius mandes, & bono vino vteris. Deteriores sunt qui genere, quàm specie, vt legumina, carnibus bubulis, & specie quàm arte, & præparatione, vt bubulæ carnes, ouis duris: talia enim interualla, vt breuiora faciliùs superat natura. Quæ autem parum alunt, vires, corpus, & florem ætatis extenuant: quæ tamen plurimùm alunt, vt dixi, rarò perfectè à natura in omnibus coctionibus superantur, aut ergo parum ex plurimum alentibus cibis sumendum est, aut vti multa exercitatione, vel euacuatione, vel per interualla abstinendum: cæterùm vbi quis pane vtatur triticeo, & vino non videtur posse vti cibis parum alentibus, qui illi obsint, sed erunt voluptatis causa, velut Persæ, qui nasturtium cum pane edebant, huiusmodi hominibus panis est cibus, multi nutrimenti, vt etiam remigibus, aliter ferre non possent, his verò qui carne vtuntur, & caseo, mediocris. Ergo cibi multi alimenti consuetudine, & mistione alimentorum aliorum multum nutrientium euadunt cibi mediocris alimenti, atque hæc Galenum docuisse oportet, quæ ad rem plurimùm referunt. Ideò si insuetum oleribus, & pane nutrias, in imbecillitatem cerebri deueniet, nec valebit regere corpus, quoniam ventriculus, & iecur, neque quantum oportet alimenti extrudunt è pane: nec quod extrudunt, ita attenuant, vt ex eo spiritus conficere cor queat, & cerebrum temperare. Quæ verò facilè putrescunt, & se ipsis, & alterius sanguinis corruptione lædunt, itaque & febribus aptos plurimùm offendunt: & eos qui rarò se purgant, & qui à cibis se exercent, maximè autem deambulando, currendo, equitando: & generaliter motibus omnibus, quibus totum corpus agitatur. Multiplicem autem esse corruptionem, cum esse ostenderim, hîc de prima, & secunda coctione intelligo, vt mororum, & mugilum qui iuxta cloacas viuere solent. Qui verò cibi multa excrementa relinquunt, si non admodum difficilè concoquantur, impediunt tamen vias, coguntque naturam ad eorum expulsionem, eamque impediunt à muneribus magis salutaribus. Reliquæ etiam conditiones, non sunt minùs animaduertendæ, quàm hæ, vt præcipuè quæ ad confirmandum ventriculum, & iecur, nam ex horum robore, non solùm boni cibi meliùs concoquuntur, sed etiam mali benè. Omnia enim in vi naturali reposita sunt, sturni à cicuta iuuantur, aluntur que citra incommodum: carnes putridas corui edunt, & ab his cùm nutrian

Sanguis bonus qui.

Cibi intemperati malum generant sanguinem.

Vomitus.

Nota.

Cibi multorum excrementorum naturam impediunt à muneribus salutaribus.

nutriantur, diu etiam viuunt. Struthiocameli autem ferrum conficiunt, quamobrem non parum refert, ea esitare perpetuò, quæ robur ventriculi, & iecoris augeant, & ad illa calorem retrahant, & eum attenuent, ac quasi inflamment, vt contra studia literarum, & otium, & scribendi munus, à cibo maximè nocent. Confirmatus enim calor ventriculi, & iecoris, & cordis etiam, omnia conficit, vnde & viri fortes, & armis exercitati parum à durioribus cibis offenduntur: vna ergo ratio est, vt ad ea, quæ dixi de exercitatione redeam, conficiendorum probè ciborum est caloris vis quædam ignea, illos colliquans, qua præcipuè exercitio paratur: nam neque in solis remigibus hoc apparet, sed etiam rusticis, qui pane, nec triticeo ipso, sed à saligine vel milio, vel etiam quod deterius est loba facto, cum allio, & sale solùm, plerunque sine vino, bonum corporis habitum retinent. Demiror autem, Galenum negasse bonum in illis habitum, quod multum exerceantur, & intempestiuè, adesse neget, morbisque grauissimis conflictari, ac facilè interire affirmet: cùm id non ea causa contingat, nec verùm sit generaliter, de eo genere hominum, sed tantùm hìc rusticis, qui nec triticeo pane vti possunt, nec bono vino, sed corruptum coguntur bibere prauasque aquas, panemque edere ex lobo, milio, lolioque, ac castaneis, furfureque confectum: cæteri qui bono pane, vinoque vtuntur, optimi sunt habitus, nec nisi his causis ægrotare solent, quibus longè minoribus cæteri homines, & ipsi ægrotarent, & faciliùs interirent. Cùm ergo rustici bonum habitum retineant, pane, vino, & alleo, vel cæpis, vt & olim plærique milites Romani, in castris etiam sine vino, sed sola posca contenti, cuius autem si eo cibo vtatur, intra tres dies ad imbecillitatem perueniet, manifestum hoc discrimen solùm contingere posse, quod calor ille exercitatione igneus, & siccior, & tenuior, & magis ardens factus colliquat cibos, vt metalla fulguris scintillæ: non solùm ergo exercitatio, & quies à cibo, scilicet à curis, & à motione totius corporis, & potus paucitas, & corroborantia ventriculum, & iecur ad præsentem cibum meliùs concoquendum, ac vt ex melo, bonus efficiatur, iuuant: sed ex perseuerantia horum, habitus acquiritur optimus quidem, ad corporis salubritatem, vitæque longitudinem, vt contra ex oppositis, contrariisque morborum seges procreatur, vitaque redditur breuior. Qui autem capiti noxij cibi sunt, prægrauant oculos, & surditatem, ac caliginem generant, & syderationem, atque his præcipuè, quibus os ventriculi superius non perfectè clauditur. Horum vnum præsidium est, caro citoniorum saccharo condita, cum rhoë, aut barberis granis nuper siccatis, vel etiam tota cum substantia mistis. Sunt qui ea cum saccharo condiant, vt in Britania ad multiplices vsus, sed ad hunc præcipuè, saporis quoque gratia, atque odoris concilianda, non solùm simpliciter, sed pro cuiusque natura, ac consuetudine. Inquit enim Hippocrates, [Parum deterior cibus aut potus, suauior autem, melioribus quidem, sed minùs suauibus est præferendus.] Id autem arte, & electione veluti si testudines quis libenter edat, eas eligimus, addemusque odorata, & quæ ad saporem iuuant: sunt autem hæc acetum, sal, succus limonij, mel hispanicum, & saccharum, sinapis, oxalis, & quæcunque bene, & iucundè olent sine saporis incommodo. Qui etiam cibi aluum mouent, aut leniunt, vt pruna, aut molliunt, oleum, aut purgant, vt mercurialis, horum nullus in sanis perfectè vsus est, reliquorum etiam rarus: nam non conuenit simul, & retineri vt concoquatur, & deiici vt aluum moueat. Galenus tamen senibus multum reformidans alui astrictionem in huiusmodi exhibet: at ego præsidiis aliis mallim vti, quod si modò vsus postulat, optima est vua passa, pinguis, recens, dulcis, tenui cortice: post sal lapideum, aut napticum, cum oleo, & mel etiam crudum, beatam aliqui probant, vt Oribasius, & caulium ius, tum galli, mihi autem nullum ius probatur, quod ventriculum laxet. Qui verò imbecillem habent partem, his vti assiduè debent, quæ eam corroborent: vtimur autem assiduè, certo tamen interuallo trium, quatuor, aut quinque dierum, nam nimis cousueta nihil prosunt, veluti cordi crocus, & margaritæ conferunt, possuntque cibis addi. Iecori autem eupatorium, iecur lupi, si edatur, vt vituli, cochleæ vt decet præparatæ, pullorum quoque, & auium rapacium iecur quodcunque, optimum est: oculis fœniculus prodest, euphrasiaque, & longum piper: cerebro, & neruis, cerebra gallinarum, palumbes, caro castrati assata, garyophyli ambra, amarici semen, cardamomum: somnus diuturnus adhiberi debet præsidiis, exercitatio in aëre libero, lucido, & sicco. Renibus ouillum lac, caseusque ex eo recens, caro, ericij, præcipueque renes, vesicæ inula, & ericij caro, & quæ neruis conferunt, ventriculo menta, absinthium, ventriculorum auium caro, petroselinum, ruta quandoque in flatu, vel pituita dura piper. Exercitatio cum inedia plurimum iuuat, nam ventricus densatur, & agglutinat sibi cibos, ob hoc qui imbecilli sunt ventriculo, parum bibere debent, & sit vinum astringens, austerumve: aqua quoque in qua chalyps sæpiùs extinctus sit, plurimum prodest. Quòd si quis obiiciat, exercitationem à nobis esse damnatam, hìc tamen vtilem esse prædicem, nollem vt quis in tanta re aberret. Exercitatio valida, & diuturna, parcitati ciborum iuncta, eousque vt illius tum inediæ beneficio, eò deueniat homo, vt perfectè concoquat, optima est, & salutaris, quia & optimè concoquitur cibus, & parum ex eo cogitur homo assumere, quibus rationibus nihil meliùs est: ea autem fit non motu totiùs corporis, sed superiorum tantùm partium, toto corpore comitante. Qui verò exercentur, vt Galenus iubet, lucta, vel huiusmodi, velut & parua pila, vel etiam si rectè, vtuntur autem multitudine ciborum, aut contra, cibis quæ non nutriunt, seu multis, seu paucis, omisso pane, hi omnes grauiter peccant. Similiter ergo, qui tussi erit obnoxius, vtetur melle, & auellanis, qui renum lapidi, limoniorum succo, saxifragia, vrtica, troglodytide auicula, luciorum quoque ossa mandet,

Galenus notatur.

Cibi noxij capiti qui.

Quæ ad saporem iuuant. Cibi aluum mouentes sanis non prorsus conueniunt.

Ius ventriculum laxat. Nimis consueta nihil prosunt.

Nota.

mandet, & leporis sanguinem, & qui flatibus allea decocta, tum etiam cruda, rutam, fœniculi semen, qui neruorum doloribus, & capitis frigidis, tum cordis palpitationi, inula, sed & palpitationi, & tristitiæ borago non parum prodest. Electionis etiam inter multas species meminisse oportet.

Palpitationi cordis buglossa non parum prodest.

CAPVT XXX.

De alimentorum differentiis.

VIrtus est vitium fugere, & sapientia summa -----stultitia caruisse. Dicebat ille, Galenus vt sibi inuenta antiquorum vindicaret, adeò hanc rationem ciborum, multipliciter diuisit, vt in secunda classe apparet, vt vix neque ab ipso, qui quæ natura coniunxit, separauit neque ab aliis qui non rectè, quæ diuiserat, colligere potuerunt, accipere possit. At ille copia dicendi flore, ordine, iudicióque valuit: qui eum secuti sunt, nihil horum habentes, solùm illius vitia retinent, furta manifesta alienorum librorum, maledicentiam, iactantiam, prolixitatem, & Grammaticas quæstiones, vbi ad nodum peruenerint, subterlabuntur: aliena tanquam sua, suppresso prorsus nomine sibi vindicant, & disputant in his, quæ ad Pholosophos pertinent sine Philosophia, & Dialectica, cùm ille saltem Dialecticæ non esset imperitus. Itaque non tam ipse peccauit, qui multa commoda attulerit, velut ornatum ordinem, collectionem, (cum secùs, dispersa forsan peritura magna ex parte fuissent) iudiciumque, sed vt dixi, factus est nebulonum hac ætate omnium coriphæus. Id verò peccatum Oribasius, & Aetius corrigere nixi sunt, multaque intulerunt ex Antyllo, Herodoto, Philotimo, Diocle, Philagrio, Dioscoride, Rufo Athenæ, Mnesitheo, Sabino, Lyco, Xenocrate, Appollonio, Zopyro, Sorano, Marino, Agathino, Praxagora, Adamanto, Sophilla, Critone, Archigene notissimo, velut & Asclepiade, & Erasistrato seuero, Philumeno Aræteo, Eudemo, Andrea, aliisque pluribus: quorum non pauci præstantiores in ea parte medicinæ qua tractauerunt, non parum fuêre. Idque ex hoc condisce, si opus Dioscoridis de simplicibus, quod solùm superest operi Galeni in eodem argumento contuleris, aut Hippocratis opera, Galeni operibus, & tamen, & his, & illi molitus est, pernitiem maiora facturus si sperasset. Hæc vt prædixi de Galeno dicta non putent, sed in futurum aliis sit satis, de illo, vt studiosorum, & de humano genere benemeritorum, infeliciter cesserunt omnibus in finem accipiant. Ergo differentiæ ciborum, aliæ à re, aliæ à qualitate sumendæ sunt, à qualitate quidem, facilis, aut difficilis coctionis, lenti, alimenti crassi, tenuis, boni, mali, pluris, pauci, excrementosi, non excrementosi. Neque est quod prima specie videtur excrementosum, confundas cum pauco alimento, sed potiùs excrementosum, dices quod malum, non excrementosum, quod bonum. Inquit enim in tertio de Alimentis, extremæ prauitatis secundum consistentiam sanguis, est tamen crassus vt pix liquida tum serosus, adeò vt postquam è vena effusas concreuerit: plurimum habeat aquei humidi superuacantis. Ergo aliud excrementosum alimentum, aliud quod parum nutrit, hoc enim multas reliquit fæces, aut vrinam, aut sudorem irritat, aut omninò difflatur, si omninò tenue fuerit. Sed excrementosum multum gignit sanguinem, sed prauum, adeò vt ad prauum, non ad parum nutriens alimentum pertineat, vt de mente Galeni visum est, & rectè. Quod verò facilè corrumpitur, à prauo etiam alimento differt, siquidem hoc mediocre etiam esse potest, & est humidum nondum corruptum, & comparatiuè dicitur, & putredini obnoxium, non solùm malum: malum autem iam malum est, & non putridum, sed vt dictum est, vel nimis crassum, vel tenue. Quæ verò difficulter concoquuntur, alia densitate substantiæ, vt peponum semina hæc multa contritione subigi debent, & in sorbitiones verti, alia quidem multum alunt, vt carnes, ex his paucam quantitatem sumere oportet: alia quia remota à natura humana, vt radices, & olera, quæ diu coquenda sunt, & in iure, & mulcto, aut aqua oleo admista: alia quia naturæ contraria, vt serpentum carnes, ab his prorsus abstinendum, alia quia pinguia, & supernatant, vt oleum, ex his modicum rursus accipere oportet, alia quia humidiora, vt piscium multa, quæ siccanda fumo, aut in furno, aut frigore, aut salita, mandere oportet: alia quia calida, vel frigida nimis, & ob qualitatem non solùm nimis à nostri natura corporis distant, sed etiam vim membrorum concoctricem minuunt, ac contrariis temperanda, horribilia etiam odoratis admiscenda, quæ verò proprietate talia sunt, mora, & paucitate, & coctione, & contritione, & mistione sunt superanda. A re ipsa, quia duplicia sunt quæ eduntur, vel à terra nata, vel ab illis nutrita, à terra nata, plantarum omne genus, vt etiam alga, & muscus, huiusmodi aut partes plantarum radices, surculi, folia, aut producta ex his flores, semina, fructus. Quæ verò his vescuntur animalia, quorum nullum edimus, è terra natum, nam ranæ è limo nascuntur, rubetæ non. Qui nascuntur carne, omnes sunt ferini, & qui multa feri moribus, assimilanturque lupis. Ob idque Plutarchus, & Porphyrius, duo disertissimi philosophi, opera scripsisse de non edendis animalibus, præterea breuioris vitæ, nullum enim animal quod carne vescitur est longæ vitæ: qualis est Elephas, & Camelus, sed & corpora eorum malè olent, & spiritus, & excrementa, nihilque tam vitiat iecur, & ad paucos morbos præparat, vt caro. Vbi enim aliquod vitium contraxerit, statim iecur difficili morbo corripitur, ob sympathiam, nam videmus ex morbis boum, non infici oues, aut capras, quanquam imbecilliores, sed boues, neque ex morbis equorum asinos, nec canum cuniculos aut feles, sed eiusdem generis animalia, ita à vitioso nullo cibo, adeò vitiatur iecur, aut ab animalium esu, & affinium, vt ouorum, & lactis: Cùm ergo neque animalium vsus salubris sit, nec olerum, aut fructuum horreo

Nota.

Cap. 16.

Quod facilè corrumpitur, à prauo alimento differt. Quæ difficulter concoquuntur.

Quæ eduntur duplicia sunt.

Ranæ è limo nascuntur.

Nullum animal quod carne vescitur, lõga est vita. Caro iecur vitiat, & ad prauos morbos præparat. Cibaria imbecillia breuem efficiunt vitam.

horreorum, dicit enim Hippocrates, imbecillia cibaria, breuem vitam efficere: Relinquitur vt vita optima constet fructibus, & ἀκροδρύοις & seminibus, & surculis, talibus enim vt viuunt Elephantes, cameli, ceruique, quorum vitam constat esse omnium diuturniorem, atque salubriorem, moresque simul concinnos.

CAPVT XXXI.

De speciebus mali alimenti.

Alimentum malum quid.

PORRÒ, vt dixi, Galenus malum alimentum putat, quod vel crassissimum est, vel serosum, atque ita medicorum animos multis erroribus exitialibus implenit. Putat solùm alimentum, vel crassum, vel serosum esse. Quid si biliosum sit? Nunquid id bonum erit? Videmus ex vinis potentibus, & aromatibus, tum venenis multam generari flauam bilem in venis: vnde morbus regius illicò oritur, qui hunc succum gignit, ac boni alimenti est? si sic hoc bonum ne quidem illi si viueret, imprecaret, sed sanitatem mentis, sin malum, ad quod horum generum reducetur? Flauam ne bilem crassam dixero, vel appellauero? Reliquum est, vt serosum dicamus, at ipse non patitur, qui vult in seroso sanguine, quod verissimum solùm est inter tot falsa, aquam supernatare: an verò aqua erit bilis flaua? hæc enim humor est, illa serosum tantùm excrementum: aqua frigida est, & vrina, & quicquid ei simile est, bilis flaua autem omnium eorum, quæ sunt in corpore, calidissima, quapropter mittamus hoc, & iam ad lentam pituitam, seu humorem illum crudum veniamus. An cucumeres serosum generant alimentum, cur ergo tandiu retinetur donec febres faciat? An crassum illud pici simile, at hoc non est necessarium, nec verum, nec verisimile, vt ex pituitoso alimento, ex molli medulla fructus, herbacei, nec vt poma insana, fusci coloris, tam ater generetur humor, qui sit qualis est pix liquida Quamobrem iam quartum genus habemus, quod si quis carnes, aut oua putrefacta, aut medullas marcidas edat, ex quibus confestim pestilentes morbi sequuntur, alij verò statim, vt à præsentissimo veneno intereunt, nunquid hæc generabunt bonum alimentum? si hoc huiusmodi est, quale erit malum, si malum, sub quo genere collocabitur? possem illum conuincere ex verbis propriis, sed non vacat, res adeò nota est, vt non indigeat interprete. Erunt ergo quinque saltem genera mali alimenti, & singula singulis opposita, sed diuersa ratione biliosum, quod lento & pituitoso opponitur, serosum quod terreo, & putridum, quod optimo sanguini, omninò contrarium est. Cùm verò quinque sint simplicia corrupti alimenti genera, erunt decem coniugationes geminæ, id est, veluti alimenti picei & biliosi, vel putridi, à quibus si duas exemeris, quæ iungi non possunt, siquidem piceum cum seroso, in eadem parte, conuenire non potest, nec cùm pituitoso biliosum, relinquentur octo.

Cucumeres serosum generant alimentum.

Alimenti mali quinque genera.

At trium, quatuor coniugationes vt sint omnia alimentorum decem, & septem. Apparet igitur quàm oscitanter Galenus in explicando specierum alimenti praui se gesserit: sed quid docet in hoc, nunquid quomodo generetur, vlla harum explicauit?

Piceum
Serosum
Biliosum,
Pituitosum
Putridum

Sed mittamus hæc vtilius enim est docere, quàm accusare, & monere, quàm reprehendere. Itaque non solùm hæc alimenta praua euadunt, occasione sumpta à cibis, sed ex peruersione ipsius facultatis concoctricis, vt contra, cibi mali bonum possunt exhibere alimentum, ob robur facultatis concoquentis. Sed neque hoc quomodo accidat explicauit, dixit tamen id & in primo de alimentis, & de cibis boni & mali succi: sed causam non est ausus adducere. At qualem ingenerat scientiam, qui sic audit, causam vllam intelligitur, solùm id affert, quod athletis labor commodus est ad concoquendos humores crudos, rusticis autem somnus: ac de somno abunde fateor, sed quomodo illi plus dormiant nobilibus, nescio qua ratione persuadebit. At de exercitatione, oppositum prorsus dixit alibi, tum verò exercitationem aduersari cruditati, quod nec Horatius ignorauit: dicens:

Vtilius est docere quàm accusare. Cap. 1. dum de rusticis loquitur. Cap. 10.

Nec pila ludere crudis.

Itaque de qua cruditate loquatur etiam non dixit: adeò astrictè loquitur hîc noster Pergamenus, vt ne verbum in rebus difficilibus excidat. Qui fieri enim potest, si exercitatio adeò inimica est cruditati, quod rustici adeò sani sint, vt nisi aliis incommodis omninò grauibus postmodum laborarent, velut cum tota nocte currum in vrbem ducunt, cum immodicè calidi coguntur perpeti ventos frigidissimos, parum muniti vestibus, quæ pestis est agrestium horum miserorum, vel cum tota die madent pluuia inter labores magnos: cùm piscantur sub sole, cùm triturant frumentum sub sole ardenti tota die, & cum cibis omninò aggrestibus, vtuntur deficiente pane, vt ex lolio, furfure, loba, conficere panes cogantur, nec benè coctos sani, & ad annos centum propè peruenturi sint: cui indicio est, quod quicunque ex his dicantur, ante mediam ætatem, solent ad extremam senectam deuenire. Ergo motus ille violentus, & assiduus, calorem membra densat: ipsum verò calorem repurgat, & exacuit, vt meliùs concoquat, quæcunque dura sunt, segregat etiam omnia excrementa, maior autem pars impedimenti coctionis perfectæ est multitudo excrementorum. Ideò labor nouus coctionem impedit, quia excrementa non solùm non minuit, sed colliquando etiam adauget, & dum cibos agitat, bifariam impedit coctionem. At assiduus, & antiquus excrementa repurgat, & densat membra, & coctiones meliores facit. Quod verò hi si somno priuentur illicò ægrotent, malè cognouit rem rusticorum: imò nulli meliùs vigilias ferunt, vt etiam reliqua incommoda, vt qui assueti sint, sæpéque vidi rusticum aduigilasse ægro, qui solus non ægrotauit, cùm tota familia morbis detineretur. Nec Romani aliam artem putauerunt adeò commodam militiæ,

Exercitatio inimica est cruditatibus.

militiæ, quàm agriculturam. Consulo igitur vt homines vel laborent assiduè, vel omninò à repentinis laboribus abstineant. Hæc autem fuerunt, quæ Galenum deceperunt, vt cùm videret homines otio assuetos, & statim, sæpe, & grauiter ægrotare, existimauit laborem à cibo omnibus esse incommodum. At natura neque hominibus, neque animalibus cæteris rectè consuluisset, si à cibo assumpto illa coëgisset inertia iacere, quinimò omnibus cauit, vt ex assiduo labore vtilitas accederet. Et quicunque ad tempora illa incredibilis senectæ peruenerunt, fuerunt aut rustici, aut milites, aut venatores: vt etiam ferunt de illo Ioanne de Temporibus. Quid nobis præcipit noster Hippocrates cùm dixit: [Non repleri cibis, & impigrum esse ad labores.] & cùm dixit [Cibi labores sequantur,] non rusticis, aut venatoribus præcepta dat, aut fabris, sed ciuilibus & mollibus viris, & his qui contemplationi se dedunt. Sed iam videamus, an hæc prauitas alimenti alia ratione corrigi possit? Nam putridos cibos corui concoquunt, & diu etiam viuere feruntur, vt rosomachi, & alia animalia, quid igitur prohibet, ne sint homines etiam his persimiles, sed rarissimi sunt: & ideò aliqui vinum, aliqui caseum, alij alleum, alij lac, oderunt. Eadem ratione quibusdam quæ noxia sunt & lethalia, conferunt, velut quibusdam manna, seu mel cœleste, venenum est, aliis cassia nigra, aliis rhabarbarum. Et hoc non intelligens quidam medicus, cùm manna diligeret contradicente patre, leuiter ægro filio cum iam illiùs frater ex ea periisset, propinauit, & iugulauit. Atque is erat Princeps Galenistarum: qui obiit Florentinus, secus quod putridum generat alimentum, alimentum est venenosum, nec corrigi potest. At quæ calida sunt, aut frigida, in calidis aut frigidis naturis, ætatibus, regionibus, temporibus, constitutionibus, habitibus, corriguntur, quoniam dum à causa contraria vincuntur, reducuntur ad temperamentum. Et similiter quæ lęta sunt, & cruda, ab igneo calore cum vtilitate ægri, aut sani, supperantur, nam cibus mitior fit, & calor ipse retunditur, vnde bubula caro, ab aliquibus meliùs ouis conficiatur, in calidioribus ventriculis, & magnis assuetis exercitiis.

Nota.

Quæ cruda sunt, ab igneo calore superantur.

Supersunt duæ dubitationes, quarum vna est, quoniam cibus non dicitur boni alimenti, nisi solidas possit restaurare partes, ideò videbitur crassus, ac lentus, optimus, sed hoc Galenus non intellexit, quia inter crassum, & densum distinguere nesciuit. Ex luteo quidem oui densior fiet substantia, quàm ex bubula carne, & alimentum ex lacte in pueris admodum densum est. Ideò pinguè densum esse potest, crassum esse non potest: quia crassum necessariò terreum est: conditiones igitur boni alimenti sunt, quod sit primò temperatum, aut temperato proximum, ne sit bilis, aut pituita, & quod sit refractum per mistionem elementorum, maximè remotum à natura, anima carentium, præcipuè proximum humanæ substantiæ, vnde videbimus sanguinem rubrum, maximè, & mediocri substantia, & tamen oritur ex febre quoniam natura eius est, sicut natura sanguinis suilli. Et in quo differt vnus, ab altero visu? & tamen si fiat ὑπάλλαγμα in iuuene viuet, si cum sue, statim morietur: Deinde quod sit densum: nam in vnaquaque specie, est huiusmodi rarum, & densum, densior enim est sanguis canis, quàm hominis, & tamen vt dixi minùs elaboratus: est enim in secundo ordine scilicet sanguineorum; vt in tertio eorum quæ pariunt oua, in terra, & in quarto in aqua, & in quinto serpentum, & in sexto genitorum è putrida materia, & in septimo plantarum, quæ propagantur, & in octauo fortuitarum, & in nono viuentium lapidum, & in decimo metallicorum, & in vndecimo luti, & similium, & in duodecimo elementorum: dico autem densum tenue, non crassum, & ideò habet duas partes tenue rarum, & tenue densum, & ex hoc sequitur secunda dubitatio, an quod facilè putrescit, & non est in via ad putredinem, sit collocandum in alio genere, & videtur quod sic, cùm enim fuerit humidum, rarum, tenue, facilè putrescet: & tamen erit bonum alimentum. Nescio ergo quomodo Galenus cochleas, si subigantur benè nutrire, dicat, cùm sint terreæ substantiæ, propterea fieri nequit, vt huiusmodi cibi, bonum exhibeant alimentum, nisi forsan ægris maioris emolumenti gratia. Quæ ergo facilè putrescunt, sunt, quæ humida sunt, rara, & tenuis substantiæ, velut alimentum ex piscibus.

Dubitationes duæ.

Alimenti boni conditiones quæ.

Sanguis canis densior est quàm hominis.

Galenus notatur.

CAPVT XXXII.

De singulorum alimentorum facultatibus.

Alimenta in tria genera ab Hippocrate, & sanè rectè distinguuntur, cibos, sorbitiones, ac potus. Porrò cùm hic de omnibus quæ qualitatem mutare alimenti possunt, agatur, condimenta etiam addiscere licebit: seu seorsum edantur, seu permista cibis, aut potibus: similiter ciborum quidam crudi sunt, quidam cocti, coctorum rursus, quidam duri, quidam molles, ob id sex genera illorum esse conueniet. Non tamen cruda à coctis, aut dura à mollibus, alio tanquam genere differunt, imò neque sorbitiones à cibis aliis, cùm sola præparatione destinguantur, propterea ratio omnis alimentorum, in tria distinguetur capita, cibos, potus, & condimenta: omnia enim hæc substantia inter se differunt. Demiror autem de Galeno, quod in libris de Alimentis, primùm multa omiserit necessaria, velut serim, oleum atque huiusmodi, apposuit autem alia multa magis aliena, velut dracuntium. Ad quem enim pertinebat tractatio condimentorum, quàm ad libros de alimentis? Ea etiam quæ tanquam agrestia relinquit, cùm sint multò vtiliora his, quæ connumerat, cur relinquit? Tum verò cum omnibus scribat, nam paucissimi sunt homines omninò perfectè sani, tum inculpatæ valetudinis, libri illi paucis, aut nullis conuenient. Vinum etiam proculdubio est alimentum, vel ipso teste:

Lib. de Arte. Alimenta in tria genera ab Hippocrate distinguuntur.

Galenus notatur.

Vinum alimentum est. 3. de temper.

cur

cur ergo reiicit in librum de cibis boni & mali succi, & quintum de tuenda sanitate? Præterea rationem condiendi, credo in alium librum reiecerit: nimium morosus ac superstitiosus, vt cùm vita nostra breuis sit, perpetuò in legendis libris illius teratur. Atque vtinam vel sic nobis satisfieret, modo in tanta varietate, aliquos libros temporum iniuria eripuit: alia confusa sunt: alia imminuta, & deprauata, & in sufficientia: in omnibus deest ille vigor, vt moderatius loquar, ille neruus, qui huic tractationi maximè esset necessarius: & certè si quis sine liuore, atque affectu diiudicare de his velit, videbit hac in parte magis congessisse in vnum alienos labores, quàm construxisse. Itaque nimium sibi placuisse liquet, & ei methodo quam de resolutione scripsit, incubuisse. At præstat & certis rationibus cuncta tractare, & naturam imitantem omnia conuenientia coniungere, ac copulari. At quis dicet me maledicum? non imò potiùs veridicum, nam quod in illo præcipuum est, quodque nulli hac in parte animaduertunt, quod nec æquare, ne dum superare sperauimus, atque ideò relinquimus, suademusque eius libros in huiusmodi materia, vt vtiles admodum legendos detegimus, scilicet subtilissimam quandam inquisitionem rationum simplicium, ac distinctionis, per quam est non solùm incomparabilis, sed imitabilis, neque vlla in parte magis excelluit.

CAPVT XXXIII.

De Ciborum, potuum, & condimentorum ratione atque distinctione.

Quæ in cuiuslibet alimenti ratione inesse debeât.

EST in omnis alimenti ratione, vt sine noxa sit, non vt colchicon, vt mandi possit, non vt lignum, vt absque sapore malo, vel odore, non vt stercus, aut gentiana, tria hæc igitur, omnibus his, quæ nomine alimenti veniunt intelligenda, conueniunt, scilicet cibo, potui, condimento. Cibo præterea inest hoc, vt prorsus non sit liquidum, & vt nutriendi, causa sumatur: & ob id magna quantitate: potui vt liquidissimum sit, & vt nutriendi, aut distribuendi causa, vel vtriusque sumatur, & ob id magna quantitate. Condimento vt non nutriendi, sed odoris, aut gustus iucundi causa, aut sanitatis sumatur: & ob id non sub magna quantitate. Condimentorum alia simplicia, alia composita, & vtraque vel per se sumantur, vel cibis immixta: singula quoque horum liquida, vel vt puluetes, vt sint octo modi in vniuersum. Condimenta saporis gratia, vt sal, mel, odoris garyophyli, moschus: vtriusque æqualiter, vt cinamomum: odoris magis grauia vt crocus, saporis autem vt piper, & zinziber, bonæ valetudinis vt oleum. Omnes præterea sapores grati, opus est vt sint moderati, vel vt fiant admistione tales, iucundiores, dulces post pingues, inde austeri, post salsi, & acres, inde acidi. Insipidus quasi in medio est, non suauis, astringens, acerbus, & amarus, iniucundi.

Condimentorum diuisiones.

CAPVT XXXIV.

De Coctione ciborum, & potuum, tum generibus, tum speciebus.

Coctio quid.

COctio est transmutatio cibi ab igne, vt commodiùs edatur, & plus alat, hæc duo fiunt, vt sapor, & odor sint grati, & iucundi, calor etiam plerunque dealbatur, nam si sanguineus sit, resoluto sanguine, fit candidus, si candidus, fit candidissimus. Idé dico de aliis coloribus. Verùm sapor, & odor, ablato humido aqueo, & bene misto pingui, fit melior: faciliùs etiam manditur attenuato glutinoso, & duro, ideoque terrestri, vt etiam cartilagineis patet. Porrò quæ coquuntur, alia concrescunt, alia fiunt molliora, nam liquida, quia humida nimis, velut lac, & oua non tam facilè diuiduntur, & atteruntur, vt mollia, quàm cùm sunt coacta quædam concrescunt simul, & molliora redduntur, vel vt iecur, & cerebrum, quæ cùm coquuntur, fiunt media: partes enim aquæ congelatæ, & terreæ mollescunt, alia aliæ, quæ aqueo dilutæ sunt, eo resoluto, fiunt duriores, ideò terrea esse necesse est. Quæ ergo sanguine plena sunt, aut simili humore, frigida, & aquea, ab initio sunt meliora, & magis cocta, quàm ante, in processu verò, magis cocta sunt minùs mollia, & succi minùs iucundi. Quodcunque autem horum generum diuiditur, nam alia solo igne, alia igne & aqua multa coquuntur, alia modico humido, aut multo, sed pingui. Assata prima, elixa secunda, concreta tertia, frixa quarta, coacta quæ à solo igne coacta sunt, vt lac, vel oua. Assatorum igitur plures sunt species, in veru, in craticula, super prunas, in clibano, & suffocata: concreta in patinis, vt tortæ omnis generis, alia in patina composita, vt pisces cum intinctibus: intinctus enim & liquida concrescût, pisces molliores fiunt, duplici ratione, & ab igne dissoluente, & ab humido permisto. Oua ergo super cineres cum prunis coquuntur, & duriora redduntur, sed franguntur, si vel ferro tangantur, vel si se inuicem tangant, aut etiam si sicca in ignem ponantur. Ideò seorsum madefacta, priùs in aqua imponi debent, atque digitis circunuerti. Manifestum est igitur ex his, quædam esse nunquam coquuntur, dura, putrida, venenosa, & prorsus à natura humana aliena, vt serpentes, & pumex. Quod si exigua sit putredo, igne quandoque mitiora fiunt. Et sunt tot odores, & sapores iucundi, quot sunt eduliorum genera. Et quæ non possunt coqui, nunquam acquirunt saporem bonum, neque odorem. Et quædam non perueniunt ad perfectam coctionem, vt mala insana, allia, & inter optima, caro citri, cum cortice, nisi certa arte. Est ergo coctum, magis coctum, perfectissimè coctum est, vt in aliis qualitatibus. Odores præterea boni à cibo deduci debent, non enim xiloaloes, vel rosarum, aut violarum bonus appellari debet, si spontè, non ex permistione talium peruenerit. Inest autem

Coctionum differentia.

Assatorum plures sunt species. Pisces duplici ratione molliores fiût. Quæ coqui nô possunt, nunquam acquirunt, neque saporem, neque odorem bonum.

autem coctioni, vt perturbetur, & peruertatur, vel cruditas, aut exustio. Porrò cum (vt dixi) coctionum sex sint genera: assatum, purum, elixum: purum scilicet quod mollescit, quod concrescit, quod frigitur in humido pingui, & hi sunt modi simplices, quod mollescit, ex parte concrescit, vt piscis cum intinctu, & in pasta in patina: piscis enim mollescit, intinctus concrescit, pasta durescit, seu loco piscis, caro capreoli, vel vituli, vel suillæ. Sextum genus est eorum, quæ primò mollescunt, inde indurantur, vt dixi de cerebro, iecore, sanguine, lacte, ouis, quamquam horum nullum adeò manifestè, vt iecora, maximè auium: ideò huic coctioni modus imponendus est, ne scilicet parum cocta sint, aut nimis, aut peruersa coctio, aut exusta, vel etiam, vt dictum est, solùm cocta sint, non perfectè, & si perfectè, non perfectissimè. Itidem vbi voluerimus imbuere ius medicatum viribus absyncthij, vel sapore moderatè, vel sapore oxalidis, vel simili, vt astringente: iecur quidem sufficiet filo suspendere, & sæpiùs, ac sæpiùs eximere, quoniam rubet cum pallore, & quasi maculosum euadit: & fuscum fit, tenerum, & benè olet: in cæteris verò debent in linteolo raro, & tenui conclusa suspendi, fit enim res mira, absynthiatum ius suaue, sed aberrare, vel minimè non oportet, paulò ante inefficax, paulò pòst abominandum, aut saltem amarum, & insuaue. Vires igitur elixorum inferiùs explicabuntur: minùs nutriunt quàm iurulenta autem sicca, vt caro capreoli, plus nutriunt assis: humida verò vt suilla, & pisces minùs, à superfluo enim humido coctio impeditur: & non solùm impeditur, verùm etiam sæpè peruertitur, imò quod maius est, supinat ventriculum, vel etiam omninò non concoquitur: verùm in cruditatem transit cibus. Assata verò in veru, non possunt coqui, sed vruntur, nisi liquore perfundantur, neque enim intus coqui possunt, maximè perfectè, nisi exteriùs vrantur: ergò per se minùs nutriunt ob crassitiem, & molem, iis quæ in craticula, at perfusa pingui humido plus nutriunt assatis super prunas, & in craticula, & suffocatis. Suffocata autem duorum sunt generum, alia cùm modica aqua, velut carnes non admodum humidæ, suilla ergo meliùs suffocatur in olla sicca, sed longè meliùs caro cyprinorum magnorum præcipuè, ea tamen tantò meliùs nutriunt, quantò suauiora fuerint: per se enim non benè, quoniam humidum retinetur, atque fuliginosum, id autem nocentius, vt aliàs visum est, ergo frixum magis omnibus nutrit, quia neque humido proprio destituitur, & alieno superabundat: verùm difficilè est collimare, quia pinguia facilè ardent, vel si paulò plus coquuntur, aut minùs, ea de causa etiam, si à coctione contesta maneant, veneni vim quandam contrahere solent. Propositis igitur rectè duobus tanquam extremis, elixo, & frixo, quorum vnum maximè & optimè & nutrit, quamquam facilè sit in ipso aberrare, & si non aberres, patientem pectoris angustiam lædas, quoniam omnè humidum pinque, dum nimium incalescit, necesse est vt in fuliginem vertatur ex eo pars aliqua, quæ pectoris angustiam efficit, & atram bilem in omnibus generat: propterea neque sanis, sic cibus conuenit, nisi parte exteriore prorsus abiecta, caroque relinquitur, prorsus fit candidissima: tum enim si cocta est, optimum est alimentum. Altera verò elixa, quæ minimum nutrit, & difficulter concoquitur, ob humidum aqueum, quod ei permixtum est, & alimentum etiam quod gignitur, prauum, & semper serosum, ideò melior caro est, quæ iam ius odoratum efficit, scilicet in frustula diuisa, talis enim cùm in se ipsa coquitur, repinguescit & fit odorata: sic enim Florentini pauperes, (gens parcissima) coquere eam solent olla parua, & in frustula diuisa. Commune autem omnibus quæ coquuntur, dissolutionis causa, tam assis quàm elixis, frixis, aliisque omnibus præterquam suffocatis, vt quàm celerrimè possint, coquantur: sic enim magis humida, & mollia redduntur, minusque differentiæ est inter partes interiores, & exteriores, meliùs olent, & sunt suauiora, suffocata autem quæ humida non sunt, multum ex iam dictis magis aduruntur, & minùs siccantur, ob id deteriora sunt: meliora igitur sunt iurulenta elixis, quia pinguiora, & alieno humido redundantia. In omnibus præterea obseruandus est color, vt ad candorem perueniant, nam si rubra cruda, si fusca atra, & exusta, si liuida pallentia, crocea, flaua, mista, colore cerulea, viridia, non solum cruda, sed etiam forsan virulenta, vitanda ergò prorsus maximè in iam suspectis, velut fungis, ranis, anguillis, cochleis, conchis, vt differunt genere crustacea canceris, æstacis, horum enim quædam in sordidissimis locis nascuntur, sed herbis quoque maximè æstatis tempore, vbi vipera, & aspides, & deteriores etiam serpentes habitare solent. Similiter obseruare etiam decet saporem, vt dixi, & odorem, & vt facti sint leuiores, mutatio tamen coloris quibusdam est familiaris, & in iis citra periculum, quia naturæ comparata, velut malis insanis, & mullis, & sargis, est istiusmodi præcipuè qui lineares sunt. Ergo optimi, quibus hæc omnia conueniuut, & quæ naturæ, velut frixa, si delinquant, vel paulum senibus maximè, & decrepitis, magis sunt incommoda, vix concoquuntur, crassum generant alimentum, & pectus lædunt, quod maximè in senibus, & primùm exsiccatur, teste Aristotele, adeò vt pro mortis causa, principale ab illo censeatur. Quæ ergo medio natura sunt inter hæc mediam etiam, & mediorum temperatura hominum excessus, & ætatis conditionem exigunt, eisdemque conueniunt. Vt ergo leuiora sunt molliora, odoratiora, media, suauiora, candidiora, his sex proprietatibus, tum verò vt celerius cocta, natura præstantiora, & etiam conuenienti, tum sexu calida & sicca, humidiora, iuniora, fœminea, item nutrita, vel terra soli exposita, & ventis aquis limpidis, & vt vnicuique conuenit præparatio, atque coctio, similiter etiam diu, vt pauones, vel paulò antè mortua, vt perdices, vel priùs agitata, & similia considerari debent, velut & in his qualitas, ex carbonibus lignis salicis, quercus, iliee, pessima

Coctionum sex genera.

Coctio à superfluo humido impeditur.

Assata in veru qualia.

Suffocata duorum sunt generum.

Pinguia facillimè ardēt ac vim veneni contrahūt.

Nota.

Iurulenta meliora sunt elixis.

Quæ prorsus vitanda.

pessima ex nuce, buxo, & his quæ plurimum fumum emittunt, & ideò etiam ex viridibus lignis: porrò compositiones, & eiusmodi media, ex his quæ nunc aut alibi dicta, dicenturve, velut natura generum, & specierum, manifestæ erunt.

CAPVT XXXV.

De coctionum tribus differentiis, de saporum comparatione, & de quadruplici gradu medicinæ.

Artis medicæ inuentio ab experimento ortum habuit.

PRima inuentio artis medicinæ ab experientia ortum habuit, necessitatis causa, ob casus scilicet, vulnera, & contusiones, quod morbos spontè natos, quasi à Deo immissos: ac ob id etiam sponte sanandos, aut omninò non sanandos negligerent. Eos verò qui casibus prouenissent, arte & industria indigere persuadentes, ob multiformes plantarum species, ac formas, ab illis petendum auxilium existimarunt. Hippocrates à chirurgia methodica, quamplurimum auxerunt Podalyrius, atque Machaon, ad bellum Troianum profecti, vt testatur Homerus (filij Æsculapij) deduxit ad methodum propriam, & partem morborum interiorum maximè adauxit: cumque primùm ab Heraclide filio artis nomen promeruit, cùm antea sententiis tradita esset, vt ille præcipuè testatur, & docet in libro de Victu in acutis. Sic in libro de Vulneribus capitis, de Vlceribus, Fistulis Fracturis, atque Articulis, & Prognosticis. Isti sunt maximè libri rationales medicinæ: sed præstantissimus de victu in acutis, ob idque à nobis diligenter expositus: Galenus verò artem ad gradum tertium perduxit, singula quoque ad methodum simplicem, & ob id clarissimam, ac maximè generalem perducens. Idque primum fuit emolumentum, nam in hoc differt methodus sua, ab ea quæ Hippocratis, quod in Hippocratica licet transire ad similia, vt empyrici, & cognita causa, sed non per causas, principia, & elementa, quia eo non peruenit, velut quod cura fit per contraria, sed non docet quæ sint illa, & tamen attigit illa in libro de Humana natura, legitima parte, & de Fœtuum formatione. Ideo Galenus fatetur Hippocratem iecisse fundamenta artis. Galenus illa tradidit generaliter, & modo demonstratiuo, non naturaliter, sed Dialecticè tantùm, & quasi ex supposito, & sine ordine, & est quasi doctrina Mathematica, quæ præcipuè attigit in libro de Constitutione artis medicæ, & artis medicinalis, speciatim autem in cæteris passim. Secundum vt sparsa antiquorum scripta, velut Anthillidis, Archigenis, Asclepiadis, Erasistrati Philosini Dieuchi, Mnetithei, Dioclis, Herodoti, & Neræ, in vnum collegit, multis etiam confutatis aliis perperam, & maximè Marini, & Herophili. Tertium fuit iudicium in compositione medicamentorum tam per locos, quàm per genera, sed vt in actione, & tractatione, methodus illa fuit clarior, atque facilior, ita profunditate, & vsu inferior, ea quæ composita est: Polytaxis à nobis appellatur: à qua methodo liber hic noster initiū accepit.

Iliade, in princ.

Differentia inter Hippocraticam atque Galeni methodum. Hippocrates artis fundamenta iecit.

Exemplum.

Cùm ergo cibi gratia exempli, & potus etiam in duplici sint differentia, crudi, coctique: cocti verò crudis, & probè his, qui minùs diligenter, quod plus, meliùs, & faciliùs alant, & ob id incolumiores, & suauiores: præstabat scire quid ex coctione, & quomodo adiiceretur, mutantur enim edulia in coctione temporis diuturnitate, aut breuitate, modo, ac adiectione, adiectio fit insuauium, velut pingui amarum maximè repugnat, aut dulci salsum, contra salsum pingui conuenit, minùs amaro dulce: post insipido repugnat, rursus amarum, non ita conuenit. Acre verò, & salsum, maximè conueniunt amaro, quod illius dissoluat sensum, vt optimè pingui, si non exuperent: ab eo enim vis illorum mitescit: non ita ab insipido, quod sit imbecillius. Et multum refert scire quid principali, quid adiecto eueniat, velut ex coctione longa, in elixatione, aliud siquidem carni, aliud iuri. Et ius si nil salsi admistum sit, ex diuturna coctione non fit salsum, si adsit, fit salsum, quia humidum decrescit, & salis substantia manet. Cur verò demum si sal admistum sit, etiam amarescat, caro autem quæ adest non fit amara, quia sal crassius factum, penetrari non potest. Quocirca neque talium definitā, & perfectam doctrinam tradere expedit, sed sufficit non vt Galenus difficilia omittere, attingere omnibus nota, quod in Hippocrate prætermissum laudauit. Ergo ex adiectis, vt lacte, vim liquoris expendere oportet, & quomodo immutetur. Modus, lebes, id est, vas angustum, & altum, vt patina contra, & detectum vt sartago, & expositum vt in veru, crate super prunas. In vase autem sine liquore, vel cum munimine, vel liquore vt fiant octo modi, tres absque vase, totidem cum vase, & liquore. Elixatio, patina frixum, vnus in vase sine liquore, & vnus in patina crustaceus, quem vocant pastitium. At nunc de singulis agendum, vt fiat doctrina absoluta, breuis, ordinata, & clara. Primum igitur considerandum, quid intersit inter contraria, vtpote vas, & non vas contectum, vt patina, & detectum vt sartago, & cur quod spargit aut colligit. Et vt quàm paucissimis exemplis omnia explicemus, velut propositis ABCD generibus, & sub DEFG. speciebus: secundum genera quidem fient XV. comparationes, & species septem: generum autem cum speciebus LXIII. quæ omnes collectæ, præter tres specierum ad proprium genus fient LXXXV. sufficiet ergo sex exempli gratia generum simplices differentias explicasse, vnam compositam, vnam specierum ad alienum genus, & vnam specierum inter se, & ita IX. plenè, vt ita dicam: LXXXV. modis satisfactum erit, atque hæc pars penè perfecta methodi nostri compositi. Sumamus igitur initium vt dixi hoc modo, (nam reliquæ sunt vidisse plura, & maximè artium subiecta, atque illa reduxisse ad hanc methodum, seu regulas, & quàm breuissimè, inde vti, ac coaptare inter se & ad vnum.) Quæ non

A B C D
EFG

Edulia in coctione mutantur.

Nota.

Nota.

IX.

non in vase coquuntur, nil recipiunt à partibus suis, maiore vi ignis afficiuntur, nullo externo humectantur liquore, quinimò motu aeris vehementiore siccantur: propterea his quæ in veru addimus liquamen, & cum multo igne assamus, quoniam simplicia vt penetret vis ignis, & nulla interposita mora siccetur. Ergo oportet vt caro illa sit humida pingui humido, atque perfecto, propior tamen hominum temperamento, atque in calido, & sicco, qualis esse debet. Cibus igitur coctus assumitur, trifariam considerandus, vt à modo condiendi, temporis spacio, & vsu, nec licet plura inuenire membra, cùm hæc tamen omnia ad illum pertineant. Idque Galenus vocat demonstrationem, & principium ad quod refertur maximè simile, maximè ex perfectis humidis, & ex similibus maximè, atque purum humidum in hoc, atque ex his exemplum assumere, quod seruiat omnibus speciebus comparationum, & genera tamen singula complectatur, id est, in vno quoque genere exemplum. Reliquorum sit conseruatio, velut in quodam penu, ex quo depromere liceat membra singula, cùm suis ad principia assumpta vsibus. Eadem omnia inuenire, & exequi in adhærentibus per singulas regulas. Demum omnia ad vnum redigere, atque vtilitatem finis, tum executionem illius, horum quidem actu, illorum potestate: neque enim idem homo capi poterit omnibus morbis, sed tamen medicina erit de omnibus corporibus, & singulorum affectuum custodia, & defensione incommodorum, ad hoc autem spectabat ratio exempli. Igitur vt ad institutum exemplum redeam, dictum est quod patina distat à sartagine, sed non in quot, & quibus: sartago enim est in continuo motu, & detecta, & humidum illius pingue, patina contecta, quiescens, & aqueo humido plerunque referta. Verum ante omnia, principia quædam attingere oportet, velut quod quadruplex sit humidum, aqueum quod est inelaboratum, igneum quod exustum, crudum quod est elabuatum, sed mistum, & pingue quod purum est elaboratum, quo omnis calor gaudet. (igitur naturalis) putrido excepto, nec tamen consumitur nisi serò: nam cùm supernatet in lebete, & feruente illo, aqua in imo adhuc frigida sit, nec habeat quicquam suprà quod impediat, celeriùs tamen difflantur x. libræ subiectæ aquæ, aut vini, vel succorum, quàm olei, aut adipis supernatantis, (nec huius est locus, vt rationem reddamus hic,) constat difficillimè consumi humidum, pingue accendi facillimè; contra reliqua, præter igneum: hoc enim celeriùs absumitur pingui, sed non benè nutrit calorem innatum. Quæcunque verò motus auxilium consequuntur, celeriùs operantur, atque absumunt. Diximus & elementa esse impermutabilia. Rursus motus in materia impedit caloris motum. Et pingue humidum densius cùm sit calefactum, exprimit aqueum, quod circundat. At vero cùm dictum sit superiùs, humidum pingue esse alimentum calori igneo, & naturali, aqueum, & crudum vtrique inimicum, eo fit, vt aliàs demonstratum est, vt cum vtile vnum quodque trahat, abigat contrarium, vt flamma trahat ad se humidum pingue, vt videmus manifestè in lucernis, abigat aqueũ. Vnde si oleo aqua immista sit, stridet lucerna, nam cùm trahat quod pingue est, pellat crudum, & aqueum, fit separatio, & cùm duplici motu: ergo sonus tenuis, & abruptus, ob inæqualitatem, vnde stridor. Ex his colligitur, quod cum quæ in sartagine coquuntur, in pingui humido feruent, & in libero aëre, vnde motus in calore: quare cum pingue humidum facilè ardeat, ne accendatur, mouent sartaginem, & quanto plùs est humidum quodcunque, eo magis resistit ignibus: ideò plurimum oleum inijciunt, & priùs torrefaciunt, antequam inijciant pisces, ac mouent leuiter & mediocriter coquunt, vt Augustus Strabus Binasci, quo nullus hac in arte peritior caupo: nam si plus iusto vritur, & fit mali saporis, & deterioris alimenti, si minùs, idem, sed crudum generat humorem, & odore non probatur, sed minùs malum est. Exustam enim bilem atram gignit, sitim facit, inflammat iecur, debilitat ventriculum, amarescit, habitum corporis corrumpit: vnde mirum est de nebulonibus, qui panem torrefactum cùm saccharo, & vino exhibent ægris, vt si tres in duobus verbis errores admittant. Meta est, vt humidi pinguis quantum fieri potes, combibat, crudum, & aqueum resoluatur totum. Dignoscitur ex colore, & odore: sed si degustare liceat, optimi saporis est, ob id & causas dictas, frixa optimè nutriunt, & ventriculo sunt amicissima. Quæ verò plus humidi continent, quàm euascere possit, non sunt frigenda, vt pisces magni. Quæ in patina coquuntur, non tam vehementem motum patiuntur, & colligunt prætenuem partem, ideoque meliora: vt quæ etiam mistum vtrunque humidum habeant, nam elixa, cum pingue remittant intus, prorsus sunt inutilia, nisi ex febre calefactis, aut qui iure non carnibus vti velint. Assata super prunas tanto magis alunt, quanto celerius excoquuntur.

Quæ farina, aut pasta integuntur, & in furno coquuntur, quasi in patina cocta dici possunt, sed sicca. Quædam in humida coquuntur, & vim habent contusi, sed suauiore gustu prædita sunt. Assatur caro in veru omni industria vitulina tenera, aut capi: inde diuisa in tenuia frusta virgis, aut dorso gladiorum diu tunditur in plana tabula, vt tota eneruetur, post imponunt cum adipe vuas passas benè lotas, petroselinum, croci modicum, & salis minimum, cinamomum, fœniculum, vitellum oui si placet, inuoluitur, ac filo ligatur, vel etiam inter folia rorismarini incoquitur patinæ in iure pingui, & odorato, ac si cruda fuisset, & cùm editur suauis, est admodum, odore iucundo, tenera, friabilis, boni & plurimi alimenti, non crassi, nec admodum tenuis, nec putredini obnoxij, salubris ventriculo, iecori, renibus, vesicæ, pulmoni, cordi, & cerebro. Sunt quibus placeat saccharum, & vuam immaturam addere, quanto mollior, tantò melior, modò non exucta. Nec tamen quæ optima concoctu esse debent, mollesce-

Cibus coctus trifariam assumitur.

Humidum quadruplex.

Nota.

Lucerna cur stridet.

Vsta deterrima sunt.

Elixa prorsus sunt inutilia.

Condimentũ optimum.

Quæ igni admota durescant.

re oportet, sed quæ admodum mollia sunt durescere, sed ad metam. Mollia enim iusto magis sunt cerebrum, & medullæ, iecur pullorum, præcipuè oua, sanguis, & lac igni admota durescunt: hæc igitur rectè coquere non paruæ industriæ est, nam vbi processerit, & maximè indurantur, & maximè terrei alimenti euadunt, minùs tamen cerebrum, iuuat etiam in huiusmodi patinis piper nigrum, & ex aceto, quibusdam etiam coriandri odor arridet.

Quæ autem in olla sicca coquuntur, meliùs colligunt humidum, quàm quæ quæ in libero aëre, ideò & mollia, & humida esse debent, nec externo humore indigere, velut plurimi piscium caro castrati, ideòque piper his conuenit, & coriandrum, est enim odoris cibalis, vt aromata: Sed quæ in patina meliùs colligunt, ac remittunt, ideò suauiora sunt, quàm quæ olla, non tamen ad siccam coctionem aquæ apta.

CAPVT XXXVI.

De Elixatione, eaque dissoluente, atque cogente, & quomodo cocta dignoscantur.

HÆc igitur dicta sunt generaliter de coctione, seu quæ dissoluat, seu cogat, velut enim dissoluenda, quando celeriùs dissoluuntur, eò meliùs est, itaque concrescunt lentis, & paruis ignibus indigent, naturam ipsam imitando, nam quæ seriùs proueniunt mista, eò meliora sunt, atque præstantiora, temporis enim longitudo, meliùs miscet simplicia inter se, & non corrumpit partes, vnde non solùm substantiæ, sed & qualitates in vnum coëunt, neque fieri potest vt humidum inutile absumatur, benè à calore magno, quin vel vrat, aut non absumat. Porrò cognoscere quando vnumquodque coctum est (eo enim dirigitur tota intentio) non contingit ex odore, aut sapore, adeò euidenter, vt in aliis coctionibus, ob imbecillitatem elixatorum: assata enim optimè, (& præcipuè in veru) odorem suum produnt, quæ pinguiora sunt, & calida. Atque hoc inditium est, sic cocta esse meliora, coctis super prunas, suffocatis, & in craticula. Ergo de qualitate coloris coiecturam facere licet. Alia ergo inditia sunt expendendi si ius sit optimum, suaue benè olens, impossibile est carnes non esse coctas, coctio præterea quæ dissoluit prius emollit, vnde experti coqui cuspide, gladio eas tentant, si coctæ sint, transit absque impedimento vllo, secus hærent, alij carnes extra ius extrahunt, & duobus digitis apprehendunt, si cocta sit, cedit, si non, retinet. Hæc duo experimenta, licet consuetudine discantur, nihilominus ratio etiam propiùs ad illa per se accedit. Aliud, & redditur ad idem, filamenta exime, & trahe, si facilè frangantur antequam distendantur, cocta sunt, secus non, & hoc habet rationem manifestam, aliud, si caro cocta fuerit, nam glandulis, aut ligamentis, aut carnibus, quæ sunt in capite albis, aut pedibus illorum aliquod vix coctum sit, cocta non est: si valde, cocta, quoniam prius coquuntur, spes est & musculosam coctam esse. Septimum, si caro diuisa, gladio æqualiter diuidatur, cocta prorsus est: si non cùm inæqualis sit, nondum cocta dici meretur. Aliud si ius rubet, vbi despumatum est, aut non est suaue, caro cocta non est, si sit purum à rubedine, & aliquo modo pingue, inditium est coctionis. Pisces elixati fiunt statim molliores, quàm caro, si friabiles sint, & breui dissoluantur, vnde terminus finis coctionis, est initium dissolutionis: olera cocta sunt cùm æqualiter, aut paulò minus diuiduntur, distracta in longitudinem perinde, ac latitudinem, oua sunt cocta cùm sudant, hicque primus coctionis terminus, & vocatur apala: cùm verò luteum oui non concreuit, album autem sic, sunt cocta perfectè, cùm dura sunt in parte candida, concreto vitello, sunt plenè cocta, media manduntur cum frustis panis longis. Mulieres experiuntur, cùm facilè circumaguntur in plano, & æqualiter: nam si ouum coctum non est, partes fluidæ locis in vacuis, ac tortuosis sunt, quæ motu decidentes, illud in obliquum ducunt, ac motum efficiunt inæqualem, quod etiam in crudis sed recentibus, non autem adeò facilè accidere potest. Quæ autem concretione coquuntur, tunc cocta sunt, cùm coacta vndique sunt: ideò contingit simul esse cocta & cruda, iuxta diuersas partes, tum autem melius cocta sunt, cùm quæ concreueruut, plus iusto dura euaserint, quæ nondum concreuerunt, parùm ab ea distant. Ptisanæ autem hordaceæ coctio, per concretionem quandam fit, & peculiari etiam ratione non farina in aqua cogitur. Primum an sit viscida, quare contento spiritu intumescit, & feruet, cùm ergo cocta non est primum, quia difficilis concoctionis, insuauis etiam, tertio hærens, quarto non lubricat, si hæret, quia hæret, ideò etiam obstruit, sexto non benè nutriet. Rectè inquam à Vesalio proditum est, Galenum subterfugisse omnia difficilia, vt quasi nunquam vidisset ptisanam plenè coctam. Causa cur cocta non amplius ebulliat, præterit, si enim ignis ex humido vaporem gignit, necesse est vt prodeat, & vt eleuetur. At mihi res noua non est, cum quæstio naturalis sit, non medica: hæc enim tria dereliquit Galenus, physicas quæstiones, & earum causas, & contemplationes, anatomiam, & simplicium medicamentorum historiam, & vbi conatus est aggredi, deliquit, & lapsus est, par tamen erat vt saltem admoneret nos dubitationis. Accipe ergo rem à fine, quoniam ab illo initium est in artibus inuentionum, certum est quod cocta non ebullit, sed cogitur, nisi subtraxeris eam ignibus, inde adurantur partes fumosæ, & malè olet etiam, si tum miscueris, antea ergo miscenda perpetuò, vt ne contrahat odorem adusto vapore, vapor igitur ex lento humore gignitur, sed miscendo prodit, quia leuis est, & aqueus: pingue autem farina hordei dissoluitur, & transit in aquam. Ergo vt lenta sit ptisana, cùm cocta est, necesse est,

Elixa vt cocta dignoscantur.

Terminus finis coctionis est initiũ dissolutionis.

Ouorum diuersa coctio.

Vesalij dict. contra Galenum.

Ptisana cocta cur non amplius ebulliat.

Vt in lib. de inuentione.

Vapor ex lento humore gignitur.

est, verùm non aduritur, non fumum redolet, quia prodierunt vapores, non attollitur autem, quia pingue illud humidum concrescit, & adeò tenue est, in medio autem motus, prodeant vapores, ergo ptisana probè cocta, non salsa est, quia initio caruit, neque enim sale miscere oportet, dum feruet: non olet fumum, quia vapores omnes prodierunt: alba ergo etiam est eadem causa, non crassa, quia terreum per vapores exhalauit, pinguis est, nam in semine omni, oleum esse docuimus: tenuis ergo etiam, & inæqualis, vt ergo rem perfectè assequaris, depingere illam decreui: quicunque enim docere volunt, quæ norunt, id possunt: erroris causa est velle docere, quod tu nescias. Vnde manifestum est, cur Galenus abstinuerit à difficilibus quæstionibus: non enim ausus est corrumpere benè scripta in arte medica, permistis quæstionibus, falsis, & alienæ disciplinæ, cùm multum contulerit in illa boni: id verò aggredi & si fuisset pulcherrimum, ei tamen erat impossibile, tum quia vtebantur methodo crassiore, tum quia deerant principia, coactúsque assequi tradita à Peripatheticis, magis autem aberrans hac tempestate, qui velut canes in ponte delati sinunt carnem, quam habent antequam imaginem apprehendant, & ita delusi vtraque carent. Nostra enim ætate, plurimi id agunt, vt peruertant philosophiam Peripateticam, quoniam ex generalibus constat, licet propriis destituatur, quæ nos inuenimus non vniuersa, hæc enim solis immortalibus nota sunt, sed quatenus mortali licet. Verùm exordium longè maius factum est narratione: opus est ergo vt ad rem regrediar, neque tamen tam opportuno loco occasionem præmittere poteram, ne ob pauca verba silentio tradita, homines in illas infinitas fabulas, & commenta magna iactura temporis ignorantia, fraude, & spe inani, impingerent. Res ipsa quatuor verbis constat, farina hordei iam decocti abiectis sordibus pingue humidum continet, crassum mediocriter, & terreo mistum, cùm nihil ob aquæ permistionem, & coactionem, quæ ab initio habuit, vt sato semine posset aliud hordeum, si terræ mandaretur, generare: prima ergo coctione solùm partes crassæ quantitate diuiduntur, pòst contusione, & cribro tenui etiam loco separantur, sordésque abiiciuntur, iam hæc tria manda memoriæ, adde quartum in qualibet minima farinæ parte, duæ sunt substantiæ, terra sicca, & humida, quæ duplex est, pinguis, & aquea: in secunda coctione, propter calorem, qui dissimilia separat: primùm fiunt tres substantiæ, terrea, aquea, pinguis, & aquea, cruda tum verò ptisana pessima est, mali saporis, & odoris, ac tenax: tenax enim fit à terreo tenui, secundum quantitatem cum aqueo valde permisto, nil mirum ergo si dum secundò coquitur igne impellente, & motu adiuuante, quicquid est terrei, ob impetum extruditur, quid enim mirum si ferreæ pilæ aliquot, millibus passuum differuntur eodem tempore, aqueum humidum, & in vaporem conuersum abit, & absumitur eadem actione, & feruore, quod humidum relinquitur pingue, aqueo attenuato, quod simile est æri, permiscetur similiter pingue illud humidum, attenuatur, & colliquescit, non potest autem aduri, tum quia exhalat, tum quia aqueo cohibetur, neque etiam ob motum adhæret vasi: igitur in secundo tempore in quo subsilit, ptisana eleuatur ob terreum, quod adhuc mistum superat, cum humido pingui (atque hunc motum valde manifestum oculis, appellamus ebullitione) exhalante paulatim terreo, & aqueo humido concrescit reliquum, remanétque tantum terrei, vt possit cohibere, & continere coniunctionem vtrorúmque humidorum, nam & in adipe, & in oleo purissimis aliquid est terrei (non enim posset esse mistum perfectum) ita illo abeunte, ebullitio cessat: licet enim partes paulatim adhuc eleuentur in superficie non erumpunt tamen, sed in vnum coëunt, odore & sapore optimo imbutæ: fitque edulium suauissimum, particeps lentoris, sed non lentum, lubricum vt oleum, & tenue quale sabinum, inditio est autem, solidum præbere alimentum substantia, tenuissimum autem quantitate partium, mediocre multitudine, quòd non multum ex ea deperierit, quamuis longa ebullitione: inquit enim Galenus ptisana plurimum cocta sit, haud flatuosa est. Quapropter hoc est summum elixationis liquantis, & per concretionem exemplum, in quo & dissolutio, & concretio sine corruptione apparent. Reliquum igitur est, vt modò de elixationis vitiis agamus, ea sunt frustratio, liquefactio, vstio, & fumi odor. Frustratio igitur bifariam fit, vel cùm substantia dura remanet, aut qualitas non tollitur, gustui incongrua, vel si quis absynthium, vel tota die coqueret, & maximè in eadem aqua, idem dico de odore, seu simplici malo, seu esui inepto, velut citrio, seu malo medico, hoc enim cubiculo exornet suo aspectu iucundo, & odore suaui, nihilominus incoctum iuri, vel aquæ quasi nauseam excitat, nausea enim ingrata mouent, tribus modis, alia quidem natura, & substantia velut anethum, quòd boni gustus est, & odoris, mouet tamen vomitum, alia odore, vt res putridæ & corruptæ, alia sapore, velut aloës, quædam verò sapore & natura, vt elleborus albus, & colocynthis, mouetur & nausea, dum solùm imaginamur res fœtidas, vnde videntes aliquem euomentem, facilè ob vomitum inclinamur, aut saltem ad nauseam, cruda igitur sunt, quæ vel dura manent, vel insuauia, vel olida: insuauia autem sunt, vel quæ nimis excellentem habent saporem, vt adstringentem, vel acrem, vel salsum: alia natura talem velut putridum: manifestum est autem, quod putredinis duo sunt genera seu cariosum, seu marcor, quod siccum est. Et humidum, quòd etiam magis abominandum: hæc igitur malæ coctionis species sunt, durum, abominabile, insuaue, corruptum humidum, & corruptum siccum, simplices quidem adde quòd quantitate tale est

In semine omni oleum est.

1. de Vict. in acut. Com. 18. in fine.

Elixationis vitia.

Putredinis duo genera.

est in saporibus, & odoribus, vel natura. Igitur septem in hoc genere simplices cruditatis species, ergo cxx. compositæ, omnesque simul cxxvii. quemadmodum de planetarum habitibus dici solet, sunt enim & ij septem, & coniunctiones cxx. & habitus omnes cxxvii. Qui sic non rideat arithmeticam Galeni, in libris de Typis, similem itineri matronæ nostræ ad amœna Varisij, & sacra lora, quæ ccc. propè aberant stadiis, cùm adhuc esset in suburbiis, sedens, & anhelando rogauit: an adhuc multum superesset itineris ad montem vsque, ita in expertis axiomata maxima videntur ridiculæ interrogationes, ac irriti labores, in publicum prodeunt. Sed redeo ad vires declarandas vitiorum coctionis: prius tamen vnius præcepti valde vtilis certiorem lectorem reddere volo, scilicet quod omnis coctio diuturna, seu suauis, seu insuauis, seu vtilis, seu inutilis in eodem iure semper auget, & saporem, & odorem, & his quæ ad ea consequuntur, nisi peruertatur ab eis, quæ naturam illius corrumpunt, velut amarum, & salsum, aut fumosum, hæc enim tria cùm ab igne (postquam initium acceperunt) semper augentur: pingue enim secus pinguius fit, acre acrius, dulce dulcius, astringens astringentius, in elixatione dico, non aliis coctionibus. Permutata autem aqua, omnia mitiora redduntur, aut minora nitrosa minùs aluum mouent, dulcia minùs dulcia, amara minùs amara, atque ita de aliis, remanet solùm quæstio de sicco, & humido, calido, & frigido, nam de humido vtroque modo redditur siccius, seu mutato iure, seu eodem manente, sed tum triplicem sortitur differentiam: primum enim siccatur res, quæ elixatur humido pingui, deinde medio quodam tempore alia plus, alia minus impinguantur, tum resolutis partibus terreis, tum colliquato humido pingui, tum contracto quod priùs colliquatum erat, & dissolutum ad principium naturale: hoc autem ostendit odor, & sapor, inde vbi etiam à perfecta coctione diutiùs coxeris, iterum remittitur humidum illud vi ignis manifestè separatum ab eo, & corruptum. At de frigido permutata aqua, & fiat frigidius, certum est quod per priuationem frigidius euadet, nisi adeò potens fuerit vis ignis, vt non solum vincat aquæ vim, vt plærumque solet, sed vaporem mutet in igneam substantiam, tunc enim contrarium quoddam accidit. At in priuatione caloris naturalis, quantò plus coxeris, seu permutanda aquam, incrementum frigoris augebitur à calore, extraneus enim, vt inquit Aristoteles, & benè, illum corrumpit.

Nota.

Calor extraneus naturalem corrūpit.

4 Meth. c. 1.

Redeamus igitur ad vires, cruda quæ ob putredinem talia sunt, omnia pessima sunt, & maximè à putredine humida, talia enim sunt venena pessima, si tamen diutius in igne manserint, minus noxia fiunt: ignis enim duo habet tempora, vnum in quo dissoluit, & tunc magis adauget actionem veneni, quàm illius vim remittat: cùm verò incœperit humidum resoluere, si magis resoluat, quàm colliquet, minuit putredinem, sin contrà, auget. Est autem & in hoc supremus status, scilicet cùm adeò resoluit, vt superet, maximè multiplicatum in putredinis gradum, aliud quodcunque productum, exempli causa: sit colliquatio partium decem, consumptio autem vnius, & fiet nouem, decem igitur in nouem efficit nonaginta, at verò sit colliquatio, ad vndecim peruenerit, consumptio ad octo, octo in vndecim efficit LXXXVIII. & hæc sunt minora xc. non est autem necesse, vt per æqualia incrementa, & decrementa procedant, imò nihil minùs, sed crassa plus colliquantur, tenuia magis consumuntur: hæc volui dixisse, vt concludentem nihil esse tutiùs longa, & vehementi per potentem ignem coctioni, & maximè aquam permutando, & adhuc magis aliquid in coquendo, quod venenis aduersetur, & non sit incoœundum, neque sapore, neque odore. Sume exemplum, allium, & cæpa, & laurus cruda, odoris, & saporis ingrata sunt, magis quàm citria mala, cocta tamen contrario modo se habent: iniiciemus ergo vnum è tribus illis prioribus, nam omnia reddunt insuauius: permistio enim prauorum magis abominanda est, quàm simplicitas. Ergo si deuitare corrupta non possumus, velut in castris sæpè accidit, talibus occurremus: nec insulsè Romani in castra cæpas, & acetum deferebant: vnum vt calidum, alterum vt refrigerans, vtrumque quod maximè corruptioni resistat, acetum cibi, cæpa potus, & gustui commodum.

Cruda ob putredinem pessima sunt.

Ignis duo tẽpora.

Coctio longa per vehementem ignem optima est.

Romani cæpas & acetum in castra deferebant.

Quod ad aliarum specierum cruditatum damna attinet, suo loco specialiter dicemus: nunc satis sit commemorasse contraria perfectæ coctionis, scilicet commoda optimæ, atque perfectæ vno exemplo ptisanæ, à Galeno commemoratæ: par enim est contrarium causatum, atque substantiarum, contrarios esse effectus, de ea loquens. Illius enim viscidum (inquit) leue, & concinnum, & blandum, & lubricum, & humidum, moderatè, sitimque arcet, & ad abluendum si quid opus est idoneum, neque astrictionem habet, neque illam dum in ventriculo coquitur perturbationem facit, denique non exturgescit: siquidem in coctione intumuit, quantum plurimum intumescere poterat. Vtilitates igitur ptisanæ hordaceæ, probè confectæ, sunt decem, si quis rectè enumeret, & quod maius est, omnes ex Hippocrate sumptæ, atque vno spiritu vt liquet quasi prolatæ, cùm verò dixit non perturbare in coctione ventriculum, palàm est quòd quinque præcipuè intelligit, vt non sit dura, huiusmodi enim ventriculum perturbant, cum natura conetur concoquere, non possit ob duritiem, nec supernatantia, fluctuant enim atque concoquuntur in imo ventriculi, necesse est concoqui: ideòque descendere, tertium genus perturbationis sit ab his quæ aluum mouent, hoc nimis est notum omnibus medicis, vnde inter cætera scamonium, & cucumer asininus, & colocynthis, & helleborus maximè perturbant ventriculum: quia maximè purgant. Quarta est, cùm exuperat in cibo vehemens qualitas calidi, frigidi, sicci, humidi superabundantis, lenti, acerbi, astrin

Ptisana commoda.

Lib. de Ptisana, cap. 5.

astringentis,vel si aliquo modo , & est quinta causa , abominationem excitet , velut flatum, aut nauseam,aut morsum, aut dolorem, aut sit venenosus, horũ causa exponam in figura,singulas particulas iam connumeratas à Galeno. Pòst hæc addit quod extergit,nõ solùm corporis superficiem (intellige sed etiã interiora , & è vẽtriculo pituitã expurgat, & est in summa talis in omnibus substãtiæ, & qualitatis,vt refrigerando , humectãdo , facilè nutriendo , sitim sedando , aluum leniendo, vtilis sit omnibus febribus, & maximè acutis. Et quod humores corruptos educendo, sanis etiam conueniat, & semiputridos reducit, vt boni succi fiant : in hoc vires adauget : post quòd facillimè concoquatur ventriculo vtilissima, quod bonum præbeat alimentum, & breui distribuatur, his sex principalioribus priuilegiis dotata est.

Ptisana omnibus febribus & maximè acutis vtilis.

Leuis	*Lauat*
Continua	*Non astringit*
Blanda	*Non perturbat.*
Lubrica	*Non turget*
Humida	*Sitim extinguit*
Suauis	*Extergens*
Pituitam è ventriculo educens.	*Æqualis tam substantiam quàm viribus*
Viscida non tamen adhærens	*Facilis coctionis*
Facilis distributionis	*Humores semiputridos reducit ad bonum*
Refrigerans	*Non inflans.*
Media inter omnes excessus,& ideò parum cuiusque qualitatis particeps.	

Detrimenta malæ elixationis.

Ex hoc ad detrimenta malæ elixationis, cùm ergo non fuerit perfectè cocta, flatuosa , & tùm ob cruditatem , tùm modum coctionis, eadem cruda & difficilis coctionis, quare ventriculus in concoquendo grauiter laborabit , sed neque ius ipsum vtile erit celeriùs etiam corrumpetur , quoniam humidum aqueum corruptioni obnoxium sanguis tamen , & ichores faciliùs corrumpuntur. Indicio est quod volentes seruare carnes , si non possunt coquere eas , perfectè paulum coquunt eas , & ita seruantur , minùs ergo seruatur cruda caro, inde semicocta, post cocta in aqua scilicet , inde magis semiassata, inde perfectè assata , adeò vt per mensem nonnunquam vt de pauone, B. Augustini referunt ad annum vsque. Ergo caro elixata, non perfectè ventriculum immoderatè fatigat, non concoquitur, semicorruptos humores perfectè corrumpit, non descendit è ventriculo , flatum gignit , obstruit : præterea multò magis, quàm assata, & deteriùs etiam dentibus conficitur , quoniam in filamenta resoluitur. Cruditas igitur in elixatione, maximum malum est, quoniam per se est, & elixatione minùs iuuatur , quàm aliis coquendi modis,sed cur bis elixata,malè oleant? Non quia non cocta primùm : nam idem accidit etiam si perfectè cocta sint, inde denuò coquantur , pars ergo fuliginosa restincta, velut in carbonibus, malè olet, non enim ignis è lignis suffocat, sed è carbonibus , vt experimentum ostendit , propterea ne vlteriùs progrediendum ad vltimas causas scilicet primas , hoc enim ad naturalem philosophum pertinet, eousque consideratio extendẽda est,donec vel ad principium , vel ad demonstratum in priore scientia, vel ad sensum, ventum fuerit, quale est hoc : declarata enim absque deceptione ex notis , nota esse dicuntur. At quæ elixantur, quoniam aqua dissoluuntur, & reluctante, tardiùs coquuntur, celerrimè frixa ? post super crate ob tenuitatem frustorum. At quæ in patina sicca , vel suffocata celeriùs , quàm in veru : compendium igitur coquendi multum oleum, flamma in ambitu, ligna solida, vnde carbones scotici, inde craticula : Verùm liquidorum quibus elixantur aqua, nihil reddunt, nisi frigiditatem , & quod humectant lac, vt Apicius est author, salsuginem tollit, ius autem suauitatem addit , & efficit melioris alimenti, Galenus contendit, lac coctione dulcessere; si coit, serosum separatur, magis ergo obstruit cum defœcatum fuerit. Porrò iuris nutrimentum , si cùm pane sit, salubrius est , sed minùs tamen quàm lactis decocti , maius quàm crudi, sed paulò differt : absque pane minùs, atque minùs , ac minùs solidum , quod ex comparatione dignoscitur. Adiposum præterea ius minùs etiam nutrit, & tædium cibi affert: & cibi caninam appetentiam tollit. Afri quibus patria solùm oleo abundat multis in locis, edulia sua in oleo quod est frigere eleganter, sed & celeriter. At nobis non minùs est commodum , vinum feruenti oleo (alij aquam) immiscendo, neque oleum tam facilè accenditur , & minor fit sumptus, & celeriùs cibus excoquitur , nisi compares ad oleum solùm, nec adeò aduritur caro , sed tamen minùs suauis est , & ius, ac intinctus meliora redduntur. In vniuersum , in coctione quæ cum oleo fit, summa industria niti debemus, vt oleum prorsus non aduratur : quod aquæ permistione fit : secundum est vt defecetur, tertium sed leue, vt destilletur. Porrò vinum impositum aquæ loco, dum difflatur, efficit, vt minùs quæ oleo incoquuntur, adurantur, & non adeò trahit vinum, vt aqua, nam saporem , & odorem addit, si paucum fuerit, modico oleo comparatione aquæ , celerius coquuntur cibi , & euadunt suauiores, præsertim herbæ, & ego vtor. Differt ergo naturalis elixatio , ab ea quæ arte fit, quoniam elixatio naturalis fit à calore cœlesti , artificiosa ab igne naturalis à modico humido, artificiosa à plurimo, naturalis fit permiscendo crassa tenuibus, est enim via ad nutritionem, nutritio ex genere generationis , artificiosa extrahit, & separat, vt Aristoteles inquit. Naturalis etiam fit concretione, artificiosa dissolutione. Et si cui videatur, quod naturalis etiam fit dissolutione, exemplum dedimus de ptisana : hoc autem videtur absurdum his , qui confundunt densitatem cum crassitie : attenuat enim elixatum, similitudo verò est quod vtraque fit in humido , & à calore extra , & ad iucundius, & ad copiosius alimentum comparando ad totum , non ad id quod elixatur,sed quid euenit, si elixatum non distribuitur in naturali ? (nam in artificiosa fit fumosum, aut salsum, & vtroque

Cur bis elixata malè oleãt.

Quæ elixantur, cur tardiùs coquantur.

Lac salsuginẽ tollit: ius suauitatem addit.

Nota.

Differentia inter elixationem naturalem & artificiosam.

quæ modo diſſolutum, aut nimis concretum) dico quod in obſtructione pylori chylus euomitur, ſi meliùs procedat, aliter corrumpitur. Cognoui ego Aromatarium propè Broliti veteris portam, qui iam XXIII. annis quotidie cibum euomebat, & plerunque bis in die, & duxit vxorem, & genuerat filios: hoc tamen diſcriminis intercedit, quod omne quod facilè coquitur coctione naturali boni alimenti eſt, non autem in elixatione artificioſa, velut ſpinachia, quæ celerrimè elixantur, & friguntur, non tamen boni ſunt alimenti, ceraſa, & fructus multi horni, cùm autem dico boni alimenti, non abſolutè intelligo, nam quæ naturali coctione celeriter coquuntur, ſi etiam perfectè omnia talia, proculdubiò boni ſunt alimenti: Sed ſi non perfectè vt olera omnia, Galeno teſte non ſunt: boni enim alimenti ſunt quæ facilè coquuntur, quæ perfectam aſſequuntur coctionem, & quæ ventriculum confirmant Quæ ergo coquuntur à naturali elixatione, alia confirmant ventriculum, & ſunt ſub genere boni alimenti, velut oliuæ benè conditæ. Secundus modus eſt, vt ſint tenuium

Hiſtoria.

Quænam boni ſint alimenti.

partium, ſed denſarum vt luteum oui durum, & hoc eſt ſecundi generis, non tamen neceſſe eſt vt ſit boni alimenti, vt perfectam aſſequatur coctionem. Caro autem hœdina, & lumbi vituli, & alæ pullorum, ſunt boni alimenti propter perfectionem, & facilis ob tenuitatem ſubſtantiæ. Caro autem apri, id eſt, lumbi, & capi ſunt craſſi alimenti, ſed perfecti, ideò præbent optimum alimentum, ſed ſeriùs, & in homine robuſto: ſi ergo alimentum ſit craſſum, & paucum, vt melangenæ, & vaccæ veteris, erit paucum & malum alimentum. Difficilè ergo concoquetur melangena, & paucum præbebit alimentum, & non perfectum, nec ventriculo gratum, vel vtile, ergo hoc peſſimum: ſunt ergo exactæ coctionis vt viſum eſt, duo tantùm modi, & artificioſè varij imperfectæ, perfectæ vnus, aut duo, ſed longè plures imperfectæ: fiunt ergo eiuſmodi abſque ebullitione, ſed cùm in artibus præcepta ordinari debeant non ſolùm vt ad vnguem iacent, ſed vt à ſenſibus deprehenduntur: Et vt minimus error minùs impedimenti affert, quàm ſollicitudinis, ſi diligenter proſequi velimus: & quoniam

Denſum Rarum
Tenue, craſ. Tenue, craſ.
Perfectū, Imperfect.
Gratum, Ingratum.

Perfectiſſimus cibus ſeu primi ordinis.	*Denſus, tenuis, perfectus, gratus.* *Denſus, craſſus, perfectus, gratus.*	
Secūdus ordo.	*Denſus, tenuis, perfectus, ingratus.* *Denſus, craſſus, perfectus, ingrat.*	*Sec. Rarus Ten. perfect. grat.*
Tertius ordo.	*Denſus, tenuis, gratus, imperfectus.* *Denſus, craſſus, gratus, imperfectus.*	*Tert. Rarus, craſſ. perfect. Grat.* *Rarus Tenuis Imperfect. Grat.*
Quartus ordo.	*Denſus, tenuis, Ingratus, imperfectus.* *Denſus, craſſus, ingratus, imperfect.*	*Quar. Rarus, tenuis, perf. Ingr.*
		Quin. Rarus, craſſus, Imper. Ingra.
		Sex. Rarus, Craſſus, Imperf. gratus.
		Sep. Rarus, craſſus, Imperf. Ingrat.

attendere oportet comparationem ad finem, quæ enim impediunt negligenda non ſunt, quæ autem nonnulli impedimento eſſe debent. Demum in qua vel faciliùs impingamus, vel operi magis obſunt: dicemus non fieri coctionem abſque ebullitione, quoniam ad interiora non penetrat, & ſi penetret non diſſoluit; nec ſi vtrunque accidat, illud fit plerunque, ſed aliquando: & ſi frequenter accideret, non tamen abſque ratione, & vſu, cui accommodari debent, quæ ex arte ſunt, citra cogitationem omnem deprehenduntur. Ergo & ſi aliqua poſſent coqui abſque ebullitione, meliùs tamen eſt ſic ſtatuere: nam in his quæ ſolùm caleſiunt, deprehendi poteſt, vt de lacte, & ouis patet. Sunt ergo media aliqua vbi extrema ſunt, velut mollia, & dura, in quibus contingit, aut non, ſed vt dixi ſecuriùs eſt ſic ſtatuiſſe, vtenti autem ratione iuxta illum, eadem ratione, mutatio quantò maior, eò magis potentior repentina maior eſt ſenſili, ideò conijcere in ebullientem aquam, aut oleum, ad alacrem facit coctionem, minùs etiam fumi concipit, retinetur enim diutiùs ſi non ferueat, & ſi hæreat vaſi, & ſi non diſſoluatur: quamobrem prudentes coqui mutant, diuidunt ignem, &

flammam accumulant, exuflant, quæ omnia ſunt auxilia contra nidorem. Nidor ille autem non ſolùm moleſtus eſt, ſed ſaporem amarum efficit: fumus enim exuſtio quædam eſt, exuſtio inſipidum, & dulce reſoluit, pinguéque corrumpit: fumoſa igitur amara ſunt. Quæ autem nimis excoquuntur, ſalſa euadunt ſi non hæreant, aut intercludantur. Ergo liquorum vitia quæ fiunt ex imminuta coctione, inſipidus & ſub acidus, ex coctione retenta mediùs inter fumidum, & olentem, ex ſuperflua ſola, ſalſus, ex ſimplici humida, adipoſus, & oleoſus, ex corrupta horridus, fœtidus, amarus, ex terreo exuſto acris, ſed magis ex tenui, nam ex illo acris amarus, ſi non coquatur, omninò natiui ſapores retinentur. Ex vaſis aurum, vitrum, cuprum, nil remittunt effatu dignum, argentum, plumbum album, lapis comenſis parum, plumbum nigrum, & æs, & ligna multum remittunt, ſed plumbum ventriculo nocet, æs amarum efficit. Vaſa figulina è terra nigra ex qua conficiuntur, crucibula ad liquandum, metalla parum valdè remittunt, communia non multum, debent autem prius aqua imbiberi, aliter ſiccant liquorem, & corrumpunt cibos. Quæ autem bis elixari

Nota. Nidoris effectus.

Liquorum vitia.

Vaſorum effectus.

Cur quædam bis aut ter elixari debeant.

xari debent, aut ter alia quidem ad tollendum odorem atrum, aut saporem, aut vim aliquam non cibo conuenientem, velut caules, & lentes, & rapitia, & porros etiam ob odorem molestum, aut salsuginem, plura ob duritiem coctionis, velut rapas, & cochleas etiam, ter inquit Galenus, quædam ob vtrunque, velut limosas testudines, quædam infunduntur aquæ, citra ebullitionem, vt aranciorum cortices, aselli siccati, quædam tunduntur ob duritiem, vt stofis: considerare autem in his oportet, quæ sicca sunt, quoniam plus nutriunt, non solùm meliùs, si sæpiùs coquantur, licet enim pingue abscedat, parum tamen deperit, substantia verò crassa dissoluitur, & multò magis nutrit, quæ autem dissoluuntur in prima coctione, minùs nutriunt bis cocta. Arenosa autem vt chamæ, conchæ marinæ, & magis cœnosæ, & paludosæ, debent non solùm his coqui, sed coctæ lauari diligenter, & secerni, & si corrupta sint, abijci, aliter periculum imminet, ne lapidem in renibus, vel etiam in vesica gignant, aut etiam detrimentum maius, ob id etiam fungi ex eodem sunt ordine.

CAPVT XXXVII.

De modo coquendi edulia.

Coctio cur fiat

Coctio cùm fiat, primùm ob duritiem cibi ad concoquendum, & propter naturam nimis siccam, vt farina: vel humidam vt pisces molles, aut ob saporem, vel odorem prauum. Manifestum est autem, quòd cocta ob id plerunque meliùs & plus nutriunt, ob hæc in coctione partes plerunque mollescunt, aut friabiliores redduntur: aliæ exhalante humido meliores fiunt. Est autem quadruplex coctio, vt & ex dictis colligi potest. Sicca vt in veru super prunas craticulam, in vnco, quæ debetur humidis, & fit absque vase, alia vase humido cogente quæ frigendo fit, vas enim continet humidum pingue, adipem, oleumue, alia quæ fit in vase humido, aqueo referto, elixatioque vocatur, alia quæ in vase sicco differt ab assatione, quoniam humidum colligitur, in alia difflatur, hæc proportione respondet ei, quæ sub cineribus. Sunt præterea duo modi, vnus qui ex diuisione prouenit, nam elixatio, alia diuidit corpulenta, alia cogit trita, velut cum fit ptisana, aut puls, Hæc sicca, & trita coquuntur, illa humida & crassa, vt frusta carnium. Alia est composita seu mista in patina, mistò pingui, & aqueo humido, Commune est his quæ concupiscimus, iucunda gustu efficere, antea humida multò igne, & alacri subigere, seu assando, seu elixando, seu frigendo: quæ autem volumus siccare, aut lentò. Poma sub cineribus, & in igne terrentur priùs: sed nos tertio in igne excoquimus, donec crustam crassam contraxerit, hæc enim suauia, & optimi alimenti. Quæ sicca sunt, elixantur, humida admodum assantur. Quæ verò superfluo abundant humido, velut rapæ, & quæ sapore, aut odore prauo sunt, vt porri, primum elixantur, inde in iure coquuntur. Cocta in pingui vase, velut frixa, aut sicco, omnibus aliis magis ac meliùs nutriunt, inde in patina. Post assata, & concreta demum elixa simpliciter, ea parum, & non benè nutriunt: coguntur assata ex animalibus iecur, cerebrum, oua, lac, & sanguis: soluuntur post longam coctionem ligamenta, & membranæ, & duræ carnes. Omnia fermè ad mediocritatem augent dotes suas, plus, meliùs, faciliusque nutriunt: vbi transgressi fuerint cibi metam, fiunt deteriora: propter hæc multa dum coquentur, suspenduntur filo, vt explorare liceat qualia euaserint. Vitia sunt coctionis cruditas, odor, fumi, exustio. Facilem efficiunt coctionem vt aiunt sinapis, quæ etiam conducit ad tollendum lentorem, & frigus vrtica, peponis frusta, frustum aiunt vitri, aqua frigida feruenti carni irrigata, inde iterum cocta: coquuntur sub prunis quæcunque ob plurimum humidum aqueum, ac terreum concoctu sunt difficilia. Poma, pyra, castaneæ, cæpæ, pastinacæ, allia, tubera, carotæ, napi, insipidæ, & parui odoris, aut saporis, donec exuant fastidium, elixantur, inde ex iure condiuntur, & similiter quæ praui succi sunt, vt cucumeres, cochleæque. Quæ tenui sunt substantia, nec concrescunt, assari non debent: quæ vitioso fugi. Quæ plurimo succo bono, crasso, ac lentò prædita sunt suilla, castrati, & talium, assari superfusa aqua si salita sint: aliter adipe, multaque flamma velociter versari. Indicium coctionis in omnibus odor bonus, & sapor, & mollities, si verò non salita, præter id candor, tam in piscibus quàm carnibus, & radicibus, quæ tales natura sunt. Quæ pauco abundant pingui humido, veluti pisces recentes, si multo aqueo, meliùs super crate: si mediocri frixa. Quæ liquida, aut valde dura, his liquoris plus addes in patina igne supposito, & superposito. At dura, & multa aquea substantia prædita, vt carnes apri, cerui, pauonis, circundata farina, aut polenta, iureque immisso in patinis, eodem modo confici debent. Duræ radices cichorij, petrosilij, napi, carotarum, farina intectæ, aut cocta madida vt non siccentur, in patina excoqui debent. Dura si parum coquantur in sartagine non mollescunt, si multum resoluto humido tenui, nec crasso imbuto, fiunt duriora. Quæ seruata sunt diutiùs quàm conueniat, semiputridaque euasere, febres putridas, & pestiferas gignunt, minùs tamen assata. Sed si cum aceto, & sale atros humores. Ideò etiam meliùs in niue, vel glacie seruantur. Quæcunque sunt tenuis alimenti, & pinguis, aut calida, frixa, fiunt fumosa, & corrumpuntur: ideoque nec dulce aliquod, minùs tamen mel, inde saccharum post lac, quod tamen & ipsum fit nidorosum.

Coctio quadruplex.

Nota.

Vitia coctionis.

Coctionis inditium.

Coctio ad tria respicere debet.

Coctio præterea ad tria respicere debet, vt facilè concoquatur, plurimùm nutriat, & benè: quod ad mollitiem ergo attinet, salitæ & siccæ, multa aqua elixari debent, pingues inspersa aqua frigi carnes molles in olla sicca mirum in modum proficiunt. Cardui in olla humida, cum modico salis, adipis, ac pipere. Elixatum auium columbi, & quæcun-

que ius non suaue remittunt, meliores euadunt. Trita præterea, & diuisa in minuta frustra faciliùs, & meliùs coquuntur, & nutriunt. Elixa præterea iuculentis celeriùs putrescunt. Et frixa calida suauiora, & meliora: refrigerata enim obsunt, & nonnunquam si lico concluso, & tecta iacuerint, veneni symptomata excitant.

Nota.

Oportet etiam scire quid sit coctio hæc ab igne: quædam enim nunquam coquuntur, imò pleraque antequam bullierint, quoniam non antea coquuntur, quàm diuisa sit substantia, hoc accidit ex motu, quem cum calore coniunctum appellamus ebullitionem: diuisa ergo substantia, calor intima penetrat, & rarescunt partes, & liquor vndequaque tumet, & ob id etiam effunditur. Feruet autem vas plenum aqua, & si multa sit celeriùs, quoniam etiam ob antiperistasim, & ob grauitatem impeditur, & inardescit, vt in machinis bellicis. Signa ergo ebullientis humoris sunt calor exurens, motus vehemens, strepitus, magna inæqualitas in superficie, & fumi multitudo. Coctæ autem substantiæ mollitie, candor, sapor, & odor iucundus, & in elixis ius valde suaue. Quod ergo coquitur quo mollius fuerit, & gladiis tusum, meliùs eo, & celerius coquitur.

Signa ebullientis humoris.

Verùm cum in coctione fiat separatio, quomodo cocta plus nutriunt? An ob id quod additur, vt ius, oleum, pinguedo, an quia quod verius est separatur terreum, & & aqueum non concoctum, quod autem relinquitur, mistum nihilominùs est, & meliùs est, quod non corrumpitur, vt pinguedo, & oleum, atque ob id nutritio fiet ex misto? An quoniam talia non in omnibus, sed duntaxat in imbecillibus magis nutriunt, in validis autem cruda, viuunt enim elephanti plus, qui crudis vescuntur cibis, quàm homines? An quoniam plus est substantiæ mollis, ideò plus concoquitur, & ob id plus nutrit? An ob hæc omnia, aut plura in quibusdam.

Quomodo cocta plus nutriant.

Sed si pinguia aduruntur igne, quomodo meliùs nutrient? An quoniam tantisper aquei adesse necesse sit, vt non aduratur: cùm enim aduritur, deteriùs euadit. Ob hoc frixa deteriora euadunt, quoniam pingue est quo friguntur, & in carbones transit, vt speciem veneni retineat: Vnde nisi pars ea facilè posset separari, minùs malum foret, edere non exactè cocta, quàm exusta.

Nota.

Quæ autem bis coquuntur, omnia malum odorem contrahunt, & ingrata ob id gustui redduntur, panis, caro, olera, & oua etiam. Sed de pane minùs mirum, exuritur enim vt coctio, cocto iam perfectè superueniat, at de carne quæ nondum cocta est, vlteriori verò coctione absoluitur, cur hæc malè oleat, denuò cocta vsque quò debet, & non vltra malum odorem contrahit, prauique reddatur saporis, obscurius est, palàm enim est deterioris eam fieri alimenti, siquidem dixit Hippocrates. [Parum deterior cibus aut potus, suauior quidem melioribus, sed minùs suauibus est præferendus.] Ergo videamus qualem odorem acquirat, certè dum primùm coquitur, partes tenues aquosæ dissoluuntur, hæ refrigeratæ olent, ac etiam putrescunt, siquidem aqueum humidum ad corruptionem semper tendit, ac semiputrescit, contracta verò mala qualitate in substantia, tametsi dissoluatur, resoluaturque humidum, caro malè affecta, seu, olus, aut ouum, maiorem ex sebunda coctione qualitatem prauam contrahit: adeò vt priùs perfectè coqui desinat, quàm teter odor absoluatur. Quod & si vlteriùs coquatur, licet priorem exuat noxam, aliam contrahit: assata enim seu frixa aduritur, elixata autem fit ex succa, & salsa aut insipida nimis, ac insuauis. Etenim illa quæ plus iusto coquuntur, tantò deteriora fiunt, quò fuerint in bracteas tenuiores dissecta, & assata, ac frixa, plusquam elixata, frixa autem plusquam assata. Et ex assatis super prunas, & craticulam plusquam in veru, vel vnco. Hæc igitur ita se habent.

Aphorismorũ. Bis cocta qualem odorem acquirant.

Porrò quæ elixantur, amittunt quasdam vires, alias recipiunt, idque bifariam, vel vt humore, aut alio quod simul incoctum est, combibuntur. Velut exemplum dat, si legumen in iure elixetur, ipsum quidem ab eo quod erat facultate olfactu, & gustu mutatur ad iuris naturam, contra ius ad leguminis, atque id in elixatione sola contingit, aut certè propriè, vel maximè. Sic ego bis cocta, eadem brassica in diuersa aqua, nulloque addito alio, fit astringens: contrà in eadem aqua, aut iure his, brassicis ius illud ventrem soluit: Ita dicit scillam, licet multis aquis, ac sæpiùs elixatam, rustici esculentam reddidere. Et quod de elixatione testatur, fatetur etiam de frixis, & assatis, non tamen assata transfundunt, cùm nullum circa se humorem habeant. Quod ad qualitatem autem attinet, elixa omnium sunt humidissima: assata siccissima, aliquanto minùs frixa in sartagine, media inter hæc, in patinis cocta. Inest autem frixis, vt flatum deponant, sed aluum sistant, & crassum alimentum præbeant, difficiliùsque concoquantur quàm elixa. Ex hac elixandi ratione vt reor, decocta sunt orta, cùm quod est in illis transfunditur, in ambientem humorem, maximè amarus, dulcisque sapor, post salsus, & acris, nam sunt & ipsi potentes, sed vnus profundior, & in substantia siccior, alter minùs potens prædictis, inde acerbus, & acidus, sed & austerus. Insipidus, atque pinguis, tantò minùs remittunt. Accidit autem vt dura omnia, longa elixatione fiant falsa. Sed hoc inuenit dictum à Praxagora: sed cur non idem si assentur, cùm multò fiant licciora? an ideò quia insipido humido, hæc præsertim si irrigentur non ita spoliantur.

Quæ elixantur vires amittunt.
1. de Alimen. cap. 1.
Brassica bis cocta.
Cap. 65.
Cap. 64.
2. de Alimen. cap. 2.
3. de Alimen. 32.

In vniuersum autem calidis atque siccis, & duræ alui hominibus, & humidis naturaliter, & quos humectare expedit, elixis potiùs, quàm assis vti expedit. Vnde æstate, & autumno, & febricitantibus, atque consumptis, & pueris, contra aliis, quæ his opponuntur, assis, & frixis. His enim qui pulchritudini consulunt, & qui plurimo vtuntur cibo, & mulieribus, & conualescentibus elixa caro vtilis ita est, vt assam, & frixam refugias: Cùm etiam in melancholicis magis. Ad generationem autem contra, frixa, aut assata.

Qui humidis naturaliter vti debeant alimentis & qui assis ac frixis.

Facit etiam ad hoc modus coquendi con-

4. de Vict. in

Acut. Tex. 112. Coquendi modus.

tecto vase, despumato iure, in lebete lapideo, fictilis æreo, sed plumbo albo diluto, leui igne, quibusve lignis, & flamma, aut pruna tantum. Et si permisceri perpetuò debeat, velut ptisana baculo, ne cohærens retineat fumum, aut adhæreat margini, ingrataque odore, atque sapore reddatur. Quæ ergo lenta sunt, aut vt cohæreant, coquuntur, misceri ob dictas causas perpetuò debent. Quæ in ære, nisi diligenter plumbo albo oblito, amarum saporem contrahunt, quæ in lapideo lebete sunt frigidiora, quæ in figulino vase vitro obducto mundiora, cum tamen manifestè exuccent aquam, aliquid trahere ad se videntur. Quæ conteguntur elixata, media fermè sunt inter cocta in patina, & elixata. Caro cocta cum flamma minùs siccà redditur, & ius ac ipsa suauior, cocta super prunas vbi prius bullierit, & cum bulliat suauior, & melioris odoris efficitur detecta, vim, & odorem amittit, despumata mundior, sed crassius ius efficitur. Cocta donec exuerit partem sanguineam in lebete, inde diuisa in bracteas, & gladiis ex dorso tunsa, post pipere, sale, croco, aniso, petrosilio, vuis passis, rosmarino, adipe additis ac in globi formam rejuncta, & in veru assata, aut in patina cum iure elixata, friabilis, iucunda, facilis concoctu, & boni alimenti euadit. Adiuuat & ad facilem coctionem, quod æstate animal mane iuguletur, vesperi edatur: hyeme pridie, vel etiam perendie, si autem agreste, tertio die ante in æstate, hyeme quatuor interpositis diebus.

Nota.

Cocta præterea lignis grauibus magis siccantur, vt quercu, aut robore magis quàm salice, aut populo. Et similiter refrigerata in aëre libero meliora sunt, quàm contecta, & si transmutentur rejecta ferè. Et inspersa succo arantiorum redduntur puriora, fumus enim dum coquitur vt vtilis est, cùm optima pars humoris seruetur, & redeat ita retentus à coctione fumosum ius, sed aquam magis reddere consueuit. Quæ autem assata sunt supra modum porcellorum carnes, hoc habent peculiare, vt ob acrimoniam, choleram morbum generent: cùm enim quòd humido redundat, aëre etiam fit, & mordet ora vasorum quæ ad ventrem perueniunt, vnde fluxionem humorum ad illum excitant, ex qua affectus ille progignitur. Exemplum non aliud accipe quàm ab allio, si recens (præcipuè) edatur, nec coquatur, qualis corruptionis odorem remittat. Facit & ad corruptionem nidor etiam in assatis, vt docuit in libro de Cura comitialis morbi in puero, testaturque ibi se clibanum construxisse, qui sine nidore carnes assare possit, sed modum non docet.

4. de vict. in Acut. Com. 101.

Cap. 5.

In elixatione superiora feruent. Com. 49. Spumæ duæ causæ. Nota.

Quod autem in elixatione superiore ferueant, & ob id spuma magna indicium sit maximi caloris; docuit Galenus secunda Aphorismorum, vbi voluit duas esse causas spumæ, materiam humidam, & formam aërem illi intrusum: duas itidem efficientes, motum, & calorem, sed vt dixi supra, calor spumæ causa non est, nisi quatenus motum cit. At verò quod in imo lebetis etiam partibus, suprà efferuescentibus frigeant, non dixit: volui autem te monere, vt ne persuasus quod iam diu bulliant, credas cocta esse, quæ enim ob pondus descendunt, rarò & valde coquuntur, præterea talia præstiterit concidere, atque filò suspendere, vt eò qui possint. Sed cur auctor libri de cura Regij morbi, præponit carnes syluestres domesticis, & elixas assis, nam si siccæ, sunt præferendæ, assas præponere oportuit: si humidæ, cur syluestres prætulit. Respondeo quod meliores non sicciores, & naturam arti præponit, ideò syluestres elixas, pòst assas, inde domesticas assas, demùm elixas.

CAPVT XXXVIII.

De Præparatione.

Præparatio ex albo iure. Album ius quibus constet.

PRimum est solennis illa præparatio ex albo iure, cuius toties meminit Galenus, & maximè in piscibus condiendis, constat aqua, oleo, sale, porro, & anetho: nec laborabo (vt quorundam more) vt multas horum descriptiones adducens, eas in contradictionem Galenum arguere. Satis est vt rationem singulorum scribam: quisque sibi enim pro necessitate fabricet modos. Aqua materia omnium est: sal corruptionem vetat, appetitum excitat, ventriculum roborat: porri incidunt, & attenuant, & sanguinem ad exitum procliuem educunt: oleum duorum præcedentium siccitatem obtundit, benè nutrit, mollem efficit ventrem, anethum flatus discutit, membra naturalia confirmat, calorem naturalem fouet, si quid aliud, non immutat cibi naturam, velut petrosilium, & anisum, quæ nimiùm prouocat, tametsi calidiora sint, & odoratiora. Quocirca non anetho vtendum est vulgari, sed odorato: namque Dioscorides dicit vomitum cohibere, etiamsi cumino Æthiopico adiunctum sit. Virgilius:

> *Narcissum & florem iungit benè olentis anethi.*
> *Tum cassia: atque aliis intexens suauibus herbis.*

Anethi consideratio.

Ergò aut noster hic non is fuit antiquorum, vel mutata est ratio speciei, temporum circuitu: vel non est idem sensus, qui olim ac iudicium, quòd etiam in multis aliis videmus: sed alio transeamus: piscibus recentibus confestim vtendum esse docet, at carnibus non ita sentit, sed vt sint friabiles, moram inter ponendam docet, vnde conijcimus longè duriorem concoctu piscibus esse carnem; pisces enim facillimè putrescunt: natura autem ac compositio embammatum, & intinctuum, ex his quæ dicta sunt, constat. Ius omne labefactat ventriculum, vt pingue, & vt aqueum putredini obnoxium.

Carnem piscibus longè concoctu duriorem. Embammatum materia.

Embammatum materia ius non quodcunque, sed ex carne iam priùs semiassata, qualitas, sapor acidus, & acris, vterque substantia olei materia, nuces quæcunque ponticæ, auellanæ, amygdalæ, & similia: cum acribus conueniunt, oleaginosa, pinguia, dulcia. Odoratorum basis ozimum, aut petrosilium, velut & acidorum succus oxalidis, sunt ergo duo genera intinctuum acre, & acidum. Odorata

Odorata gratiam saporibus addunt.

Odorata gratiam addunt ſaporibus, ijdem etiam ſapores aliis: vt acido quidem dulce, non ſalſum, aut amarum, aut pingue: acri dulcia non ſalſa. Communia ergo non ſalſum, aut amarum, vel acerbum.

Embamma ex pedibus animalium, vt piſcibus diu coctis, colatis, addito aceto, & pipere: non ſale concreſcit vt lac, perſpicuum vt vitrum, reponitur loco frigidiſſimo, humectat, refrigerat, ſedat ſitim, facilis coctionis, appetitum cibi excitat boni alimenti ſed exigui, antè alia edi debet. Aliud commune, facilè, multi vſus, parui ſumptus, baſim conſtitue cuiuſuis rei, radicis mollis, aut toruli vel germinis, aut foliorum crudorum, aut ſeminis tuſorum ſuccum, ſic & pomorum: ſi duræ radices coctarum ſub cineribus, ſi ſemina ſicca, puluerem adde alteri eorum, ſeu ſucco, ſeu pulueri ius, & ſi acre ſit, adde acetū, piper, ſi amarum ſal cum pipere, inde mentam, petroſilium, ozimum, ac meliſſam, ſed valde odorata, velut & ſerpyllum: ſi amara valde omitte ius: ſi mediocriter acria, ſolùm iuri adde mel, aut ſaccharum, vinum ſireum, aut coctum, quod eſt ſpiſſatum. Acribus & amaris communia, crocus, gariophyli, zinziber, caſſa odorata, quam vocant cinamomum. Amaris iuris loco oleum. Dulcia nunquam amaris; ideò dulcibus neque garyophyllos, ſed limonij medullam. Allia affricata ſaporem, & cùm retinent, odorem non remittunt. Radicula ad obſtructiones, & purgandos renes, & veſicam, & lapathi maioris cauliculi, nuces in his omnes duplicem retinent vſum, in amaris olei loco, in aliis ne oleum remittant, quòd ex ſola contundendi arte contingit, vt in mazapanis, ſi oleum ſepararetur, irritus fieret labor.

Sapores affines.

Omnis horum ratio conſtat. vt bonus ſapor ſeruetur, ſi dura ergo ſub cineribus madefacta molleſcant: aut addatur, velut inſipidis atque prauum habentibus ſaporem, quod fit elixando, & abiecta prima aqua: inde addantur ſapores affines, & mitiores. Inſipidum dulci, pingui ſalſo, non acri, acre dulci & acido, muria, & garum pingui. Aſtringentibus dulcia, non acria, neque odorata, amarum nulli: ſuccus limonij refrigerat valdè, muria calefacit, ſin horum medio acetum. Diuturnam coctionem admittant, ſolùm inſipida pinguia, & dulcia aquea, velut lac. Coriandrum in embammatibus multis refrigerat, & gratiam addit.

Embamma album nutriens multum ſuaue, oriza cocta benè cùm amygdalis, alæ pullorum, ſaccharum, ſuccus limonij, tunde ſimul, dulce, pingue, acidum, ſuaue refrigerat: obſtructiones tamen parit, & ventriculo nocet. Coctum tamen benè, nam ab aliquibus denuò excoquitur, ſecuriùs eſt.

CAPVT XXXIX.

De Odorum, & ſaporum miſtione.

Odores boni ſemper boni. Miſtionis proprium.

ODores boni ſemper boni, & rectè miſcentur in cibis, potibus, condimentis: At vt dixi proprium miſtionis eſt condimentum, ſola enim aqua quandoque neceſſario miſcetur cibo, vt elixari queat, reliqua non tam neceſſariò, quàm voluptatis, vel ſalutis cauſa, aut vtriuſque, at de ſaporibus, non ita: ſed dulcis malè iungitur amaro, vt etiam ſuperius declarauimus, nec etiam benè ſalſo, nec aſtringenti, ſed nec pinguis amaro, aut aſtringēti, mediocriter aut ſalſo: contra ſalſus commodiſſimè amaro, & aſtringenti: ſed nec acido ſalſus bellè congruit, nec acri. Iungitur acris dulci commodè, tum amaro, quia exſuperat ipſum, conuenit dulcis valde acido, amaro, ſalſo, aſtringenti, acerbo non ita: eadem quaſi ratione, amari enim omnes ſunt, contraria autem non benè miſcentur. Auſterus autem dulci conuenit, amaro nec ſalſo, non aſtringenti, tamen ob affinitatem ſalſus amaro ob id conuenit, quod eum mitigat, eadem ratione aſtringenti, ſed non adeò, vtrique tamen eò quòd acuitate vincat eos, auſterum autem ſalſus vitiat, ideò non congruit. Inſipido omnis ſapor bonus conuenit ipſe omnibus malis: his enim mitigat, illos autem excipit, minùs tamen ſalſo conuenit, Maximè ergo illi conueniunt dulcis, pinguis, auſterus, acris & acidus.

CAPVT XL.

De ſaporum natura, ac viribus.

Sapores decem eſſe.

DIximus decem eſſe ſapores, extremoſque dulcem, & amarum, hunc inſenſiſſimum, illum iucundiſſimum. At quænam ſit dulcis ſaporis natura minimè intelligere licet, niſi prius quæ pinguis intelligatur, hîc enim præſtantiſſimus eſt ſaporum, quo omnia nutriuntur, non autem pingui, nam ſaccharum, & mel, quamuis dulciſſima, minimè tamen nutriunt vel ipſo Galeno teſte, ſed Galenus ſaccharum non videtur planè agnouiſſe, de hoc non eſt locus diſputationi. Præterea tot fructuum velut fragorum, ceraſorum, ficuum, vuarum, perſicorum, nullus abundè nutrit, ſed nec manna, ſeu ros concretus multum nutrit. Quid ergo perſuaſit Galeno dulce eſſe quod nutritur, non niſi lac, quod dulciſſimum eſt, & cuius tanta eſt copia, quodque commune eſt omnibus animalibus quadrupedibus, imò etiam piſcibus. Hoc ipſum, hoc inquam decepit Galenum, nam lac non vt dulce nutrit, ſed vt pingue. Ex quinque partibus quibus conſtat, vna eſt parum dulcis, & aquea, quæ ſerum ab aliquibus dicitur, parum aut nihil nutriens. Duarum verò quæ dulces ſunt abundè, ſpuma ſcilicet, atque cœleſtia, neutra nutrit multum, imò valde parum, & minùs quæ eſt dulcior inter illas ſcilicet ſpuma. At caſeus, & butyrum, quæ pinguia ſunt, hæ plurimùm nutriunt, atque id ratione: nam pinguis ſapor in ſubſtantia craſſior, & temperata conſiſtit, nutrimentum autem ex terreo, & aqueo concocto, vt ſecundo de Generatione habetur, ideò quod nutrit ſapore eſt pingui, non dulci. Quinimò dulcis ſapor in aëre ſubſtantia concocta conſtat, ob id etiam dulcia omnia calida: & ſicca leuiter ſunt, quare dulcia non

3. de Alimentis.

Lac quomodo nutriat. Lac quinque partibus conſtat.

Com. 14.

non nutriunt: forsan dices, ex quinto super sextum Epidemiorum, per dulce intelligi debere, non solùm quod dulci sapore praeditum est, sed quodque gratum est naturaliter se habenti, atque iucundum, quale est pingue, vt sub dulci, dulce, atque pingue contineatur. Videtur etiam quarto de simplicibus medicamentis hanc attigisse leuiter dubitationem: an scilicet pingue sub dulci contineatur, at non satisfacit, impar enim est dubitatio illa, atque solutio toties affirmanti, omnia nutriri ex dulcibus, & quatenus dulcia sunt, tum verò ratio quam inferre videtur, nam quibus restauramur, tolliturque dolor exinanitione, id iucundissimum sit, necesse est: quippe defectum supplenti, at dulce iucundissimum est, hoc sensus dijudicat: dulce igitur sarcit inanitionem propriè, & maximè: dulce igitur propriè, & maximè nutrit. Hoc argumento praecipuè, atque lactis experimento persuasus est Galenus, vt crederet dulce etiam quod nutrit: dulcique nutriri hominnm corpora: & quod maximè dulce esset, maximè nutrire: quamuis refragrante experimento. Motus etiam videtur authoritate Philosophi, in libro de sensu & sensili dicentis: dulci succo nos ali, & quae dulcia sunt admodum alere, & maximè, sed pingue dicit, sub dulci contineri. Verùm quod ad lactis experimentum attinet, satis declaratum est. Quod verò ex ratione concluditur, omitto quòd in secunda figura concludere ex affirmantibus nitatur, nolo enim captiosus esse contra Galenum, quamuis ille contra benemeritos de humano genere quacunque via nitatur: perspicuum est repleri cum voluptate, hisque quae grata sunt, iuxta sensum materiarum: at dulcia iucunda sunt per speciem sensilem, vt etiam in odore. Est enim omnis sensus materiarius etiam proprij obiecti, quod dulce est, non pingue: pingue autem magis nos satiat, & conducit cibum appetentibus: indicio est quòd pinguibus nunquam nisi in fame delectamur, dulcibus autem semper: quae si considerasset Galenus, non in hoc argumento deceptus esset simili lapsu, circa sententiam Aristotelis concidit: nam Aristoteles hos duos, sensus, duoque obiecta comprehendens dulce, sensus vt ita dicam proprij, & pingue materiarij, sub vno nomine complexus est dulcis. Itaque quod maximè dulce est, vere vt maximè oblectat gustum, ita quod maximè dulce est, in secundo genere, id est, pingue, id maximè nutrit, atque id verissimum est. Humidiora igitur sunt pinguia, & crassiora dulcibus, pariter autem calida. Ob id dulcia exsiccant, parum nutriunt, facilius conficiuntur pinguibus: obstruunt non per se, sed crassis iuncta, in bilem autem per se vertuntur, vermes trahunt ad superiora, sitim excitant, ciborum appetitum haud efficiunt, alimentum tenue exhibent, calidis & siccis magis etiam incommoda, vires minuunt, mentem acuunt, pauca gignunt excrementa, aërea, atque ignea sunt, nec satiant, nisi immodicè sumpta. Dulcia praeterea omnibus sunt amica membris principalibus: nam cùm ventriculo placeant, per quem transeunt nerui sexti paris, etiam iecori, cordi, pulmonique iucunda erunt, ad quae ijdem perueniunt, nec non cerebro à quo delegantur: at non tantundem vtilia, namque ventriculo, & iecori nocent, iuuant pulmones, & cerebrum, ac cor: sed neque eadem ratione obsunt ventriculo, & iecori, sed diuersa; ventriculo, quia non nutriunt, & nutrimentum exhibent inane, cùm ventriculus solidò indigeat, quare frustratur: iecori autem quia ante tempus quo concocta sint, in ventriculo trahuntur. Aliis autem membris dictis, vtilia sunt, quia nullam noxae causam cùm habeant, iucunda illis sunt, naturalis autem appetitus rerum existit vtilium. Dulcia quoque iuxta Poëtam bilem se vertunt, quòd vlterius cocta amarescunt, quae verò insipidae parti iuncta sunt, vt dulciora igne euadunt, ita optimè nutriunt, veluti lac, sed lac lapidem generat, magis quàm caseus, magisque obstruit duabus ex causis, & quod celeriùs ob dulcedinem trahatur, & quod in intima magis penetret, ob aqueam, serosamque partem. Visum tamen est vuas passas, nec magnas vt creticas, nec paruas obstruere, nec in bilem verti, sed potiùs dissecant ob acidum coniunctum saporem, nec in bilem eadem ratione vertuntur: acida enim pars frigida est, & omninò bilem extinguit & cohibet: auxilium igitur dulcium ex acidis ipsis petemus, sed vtraque iecoris vim dissoluunt: at in passis vuis est quòd astringant, vt non solùm iecur debilitent, sed etiam vehementer iuuent, nam astringunt quantum satis est, dissecant cruda, ac nutriunt, nec siccant, sed calorem augent innatum: ob id etiam astringentia tenuis substantiae dulcibus, & acidis, si miscueris, omne vt dici solet, feres punctum. Dulce igitur omne calidum, & tenue, sed non omne siccum. Pinguia autem calida omnia crassiora, & humida replent, & benè nutriunt, quapropter in illorum tam vitio, quàm excessu, vt Hippocrates dicebat, iactura non leuis, ac maior, quàm in dulcibus, aut amaris, neque obstruunt, neque aperiunt, sed nutriunt. Hoc enim prorsus suum est peculiare munus, plurimùm, facilè, ac benè nutrire, moderatus vsus toti confert pori, & appetentiam excitat, immoderatus, aut corruptorum vsus, deijcit omninò appetitum, ex horum marcidorum vsu, pestilentes morbi generanrur, Pessima semper optimis opponuntur. Quid aliud est pingue, quàm benè concoctum humidum, & ad symmetriam redactum, atque densatum? ob id etiam substantiae nostri corporis familiare. Primùm ergo in ordine multum nutrientium est pingue, inde dulce. At forsan dubitabis si pinguia nutriunt affatim: cur adeps minimè nutrit, parumque oleum, hocque est quod persuasit dulcia, non pinguia plurimum nutrire, cùm tamen in secundo ordine sint. At non intelligunt propter substantiae similitudinem oportere, quae nutriunt esse in terreo pinguia: at oleum, & adeps non subiguntur, sunt enim immoderatè pinguia, ideò & sic parum nutriunt, non ergo pingue, aut dulce nutrit, sed substantia pinguis, & substantia dulcis. Carnes igitur primùm omnes, & praecipuè percorum annuorum, tum etiam aprorum, inde pullorum, phasianorum

Cap. 14.

Cap. 10.

Omnis sensus materiarius.

Dulcium vires.

Dulcia in bilem vertuntur

Lac lapidem generat & obstruit.

Dulce omne calidum & tenue, sed non omne siccum. Lib. de affection. pag. 3.

Pinguium vsus.

Nota.

sianorum, atque perdicum, castrati annui, hœdorum, auiumque omnium, ac piscium saxatilium, tum etiam testudinum, abundè nutriunt, & benè, sunt enim pingues ex terreo molli, nam durum terreum, nutritioni ineptum est.

Proxima pinguibus, & dulcibus sunt iucundi saporis misti, ac ita temperati, vt nullam excedentem qualitatem ostendant, velut panis, castaneæ coctæ, & oriza, & multa huiusmodi substantia terrea, molli tamen suaui, atque friabili: talia plurimùm nutriunt, & meliùs quàm dulcia, ac copiosiùs, non tamen pinguibus. Dulcium tamen tenuius est alimentum, hæc omninò vtilia sunt facultatibus permistis. Post quæ sunt, quæ nullum habent saporem insipida vocata, atque hæc etiam neque dissecant, neque obstruunt, nec astringunt, nec molliunt aluum, nec aperiunt, neque excedentem vllam habent qualitatem, vel quia carent, vel quia obtusam habent, vel omninò ac si non esset, vt dulcium & pinguium.

Amara nil prorsus nutriunt. *Amarorum facultates.* *Salsorum facultates.* *Astringentiũ facultates.* *Austera & eorum facultates.*

Contra amara nil prorsus nutriunt, detergunt, aperiunt, attenuant, exsiccant plurimum, & etiam omnia calefaciunt. Occidunt vermes, vt etiam vestibus interposita prohibeant blactas: nocent membris naturalibus, & præcipuè ventriculo, abominationem generant.

Salsa verò attenuant, astringunt, propter morsum detergunt, stimulant, sitim generant, siccant, aluum mouent, putredini resistunt, nutriunt valde parum: continent enim humidum pingue.

Astringentia obstruunt, roborant, refrigerant, siccant, appetitum mouent, magis quàm salsa densant, aluum retinent, morantur in ventriculo: & ideo plus salsis nutriunt, alimentum autem exhibent terreum, crassumque omnibus nocent sensibus, præcipuè visui, & auditui.

Austera astringunt magis linguam, quia tenuiora cum sint, magis etiam penetrant: sed non adeò roborant, astringunt, aluumque retinent, nec adeò obstruunt, amica tamen sunt magis naturæ, exsiccant, in actiuis qualitatibus, parum à temperamento obsunt. Multa etiam ex his sunt benè odorata, parum nutriunt, & minùs crassum astringentibus, minusque solidum præbent alimentum, appetitum cibi excitant.

Acrium vires.

Acria excalefaciunt vehementer, linguam lædunt, vrunt, terebrant, incidunt, resoluunt, putrefaciunt, attenuant: ob ea etiam obstructiones aperiunt, minùs nutriunt, etiam quàm austera, flatus discutiunt. Quæ humida sunt, oculis nocent.

Acidorum vires.

Acida autem refrigerant, exsiccant, incidunt, attenuant, omnibus minùs quàm amaris nutriunt. Debilitant omnia membra, neruos, oculos, iecur, ventriculum: vehementem cibi tamen excitant appetitum, sitim extinguunt, febribus maximè conferunt, & putredini resistunt.

Acerborum vires. Nota.

Acerba obsunt ventriculo, intestinis, vtero, iecori, neruis & sensibus omnibus, manifestè etiam dentibus.

Dulcibus amara, & salsa inutiliter copulantur. Insipida omnibus saporibus copulata grata redduntur. Amarum coniunctum salso, aut astringenti, vt in oliua salsa, & absynthio, si amarum vincat gratum, & iucundum efficitur, si vincatur fit horribile, aut fœdum. Nil autem tetrius quàm si malus odor eis adiungatur. Amarum etiam pingui malè sociatur, salsum non ita. Acria humida rectè salsis iunguntur: sicca autem non rectè salsis iunguntur: sicca autem non rectè, fiunt enim odiosa.

Præterea in saporibus hoc est admiratione dignum, quod plura quæ austera sunt, vt mustum, ex labruscis, & vuis acerbis in modica quantitate degustatum dulce videtur. Et glycirizza dulcis est in paruis frustris: amara in magnis, vt rectè animaduertit Franciscus Caburatius ex foro Cornelij amicus noster: sic & farcimina tenuissimè diuisa, non solùm concoctu sunt faciliora, sed gustu suauiora, & faciliùs manduntur, quæ regula in omnibus duris eduliis, & potentis saporis, seruari debet. Est autem sapor omnium potentissimus acris: adeò vt cum omnibus vescantur, aliqua animalia amaro, capellæ vt ibi.

Farcimina tenuissimè diuisa. *Sapor omnium potentissimus acris est.*

Salices carpetis amaras,

Salso, pisces marini, acido vt oxalide, pleraque quæ herbis vescuntur alia, cæpas, porros, piper, cinamomum, gingiber, nullum animal attingit: nam sanguinea cum calida sint, abhorrent à tam calido alimento, præterea sapor etiam feruidus, & potens, vt nimium penetret: aqueis vt piscibus, venenum quasi est, assuetis aquæ. Iure merito ergo sola acria, & maximè animalia cuncta perfecta refugiunt. Sed cur sapores hi potentes, cùm exigua in particula sint, dulcedinem referant, causa est, quoniam ob paucitatem moderati sunt, ideoque moderato sapori qui est dulcis similes: at in musto etiam aliquid dulcis verè inest, alius ob paucitatem non lædit, sed solùm sentitur: tum verò ob moderationem dulce iuuatur ab eo: omnes enim sapores moderati, præter amarum, dulcis sensum adaugent.

CAPVT XLI.

De succis, & coctione.

Succi omnes mali sunt alimenti. *Succorum septem genera.* *Succus crudus ab aqueo differt.*

OB hæc igitur omnes succi mali sunt alimenti, quoniam solida substantia destituuntur: sunt autem septem generum, pinguis, dulcis, aqueus, muccosus, vinosus, salsus, & crudus: hicque solus non solùm omninò malus est, sed etiam quæcunque cum illo eduntur, mala efficit. Crudus differt ab aqueo: nam aqua, vt aliàs dixi, neque calida, neque frigida, neque salsa, aut acris, aut putredini obnoxia, sed omninò media quædam substantia est. Pinguem succum diximus parum per se nutrire, cum ipsa substantia probè: dulcis succus minùs dulci substantia nutrit, quæ autem sicca est, etiam parum nutrit: Dulcis succus concoctus est, & per se solus melius omni alio, siquidem etiam pingui nutrit. In vuis passis, crudus humor resolutus facit, vt dulce illud bonum

sit

sit alimentum. Muccosus succus nullo est in vsu pro alimento, neque per se, neque cum ipso cuius est succus, neque enim noui qui edat semina cotonei aut psyllij, aut altheæ, vel lini, aliorum. Vinosus receptus est, & ob vsum, & ob odoris gratiam iucundus ventriculo atque salubris. Salsus autem & nitri speciem referens, neque in coctis, neque in crudis pro alimento recipitur, verùm aluum deijcit vt Galenus testatur primo, & secundo, & tertio de Alimentis, dum de lentibus, brassica, limacibus, & testa intectis loquitur. Verùm cum studium nostrum sit eò dirigere sermonem, vt doceamus cruda maximè aduersari naturæ nostræ, quod & Hippocrates docuit talia, quæ humorem continent salsum, nitrosumque vix mandi cruda solent præter ostrea, ac solenes, seu dactylos, itaque hic succus vt ingreditur, etiam exit: sola de crudo contentio existit. Is relinquitur in omni olerum, seminum, fructuum, radicumque genere, cum cruda eduntur. Nam cum humorem contineant partim coctum, partim semicoctum, eiusdemque generis crudum esse oportet, ac serosum, & acrem, & contumacem, qui nondum coctionem assecutus est, multum igitur ab aqua differt hic, & aqueo humore. Et qui dulces fructus sunt, eatenus pernitiosi sunt, quatenus cum dulci copiam huius continent humoris. Plurimùm autem cerasa habent, & persica, & armeniaca, seu chrysomela vocata, & pruna, & acerba nil aliud habent. Et ob id suspensæ vuæ maturæ, & ficus in vmbra siccatæ, expertia sunt omnis prauitatis, & omninò innoxia. At contra, si quis carduos, fœniculi germina, vel asparagos, lactucas, mentam, pipinellam radices, boraginem, intubum, cichorium, mentam, aut aliud huiusmodi edat, lædetur egregiè. Pariunt enim hæc omnia, vbi minùs malè cedat res, scabiem, leprámque, ac cutis morbos. In aliis erysipelata, carbunculos, aliis febres acutas, diuturnásque, vriginem vrinæ, demum malum habitum, atque hydropem. Quod si quis obiiciat de iuuene illo Alexandriæ, qui crudis vescebatur etiam phasellis, atque huiusmodi, per quadriennium sine noxa. Dicimus primum omnia pati exceptionem, contingeréque monstra in medicina, velut in naturalibus, quinimmò hoc inditium esse rei præter naturam, quod Galenus eius meminerit, tanquam rei, casusque admiratione dignæ. Itaque monstrosum hoc fuit, neque nos monstra, sed naturæ cursum sequi debemus, sed fac vt omninò monstrum non fuerit, non ægrotauit eo toto quadriennio, non malum contraxit habitum. Quid hoc? nónne potuit, imò verisimile est post decem, quindecimve annos in insanabile malum deuenisse, quod ratione demonstrare facilè fuerit. Generabatur assiduè multus humor serosus, crudus, semiputridus: igitur necesse erat paulatim corrumpi vim, substantiámque, tum ventriculi, tum iecoris, ac humores. Primum quod membrum agendo patitur: secundum quod ventriculus non benè nutritur, vt tertio de facultatibus naturalibus: tertium quod non totam poterat expelli: neque enim ob multitudinem, nec

Cap. 18.
Cap. 44.
Cap. 5 cap. 13.
Cruda maximè aduersari naturæ nostræ.

Quæ aqueo humore prædita sunt, perniciosa sunt.

Monstra contingunt in medicina.

1. de Alimen. cap. 25.

Cap. 13.

quia pars est necessaria vsui, & ipsa etiam corrupta) ad amussim, nec (quia in omni operatione, separatione, concoctione, expulsione,) potest totum ad vnguem expelli, nec protinus: qualiscunque autem mora, vitium, lapsus, temporis successu fit magnum, & damnum egregium affert. Nónne Galenus refert de Agricolarum habitu, quamuis bonus sit, dormiunt, edunt benè, sunt colorati, robusti sunt, diu sine morbo manent, ac longè pluribus quàm quatuor annis degunt, & tamen sola ratione docente negat securam esse illorum bonam valetudinem, nec verè præditos esse bono habitu, quantò minùs ergo hunc iuuenem, qui vnus tantum fuit, agricolæ plures, incomperti experimenti quatuor annos tantum, cum illi fermè ad senectutem eo modo eueniant, causa euidentiore, male in iuuene quàm in rusticis, vt qui assiduè crudis vesceretur, boni fuisse habitus verè dicemus? Quin potius quòd omnibus accidere solet, illum ante senectutem, aut moriturum, aut in grauem morbum incisurum, vt præter spem debilitatum in posterum euadat, aut cæcum, aut surdum, aut resolutis neruis syderatum, aut lapide vesicæ, vel vrigine meiendi in perpetuum laboraturum, aut aqua intercute, aut alba pituita splenis, aut diarrhœa quadam graui per circuitus, aut phagedena, aut lepra, scabiéque mala laboraturum dicemus. Hæc enim omnia, & similia, serosus ille humor semiputridus creare potest, & vt vnum, aut plura ex his malis præuertat, nisi vt dicemus alia ratione prohibente necesse est: corrumpitur enim velut in his qui malè curati, ex Indica lue omnis humor in quali, non vlla particula, proprium enim morbum crearet, & vnum membrum occuparet. At in his latentius malum, & fallax sanitas, & bonus habitus morbum pariturus tenet, sanguine nullo corrupto, aut integro, vt contra multis pallor in facie, macies in toto corpore, quod humores sint pauci, & sanguis, sed bonus, ac densus, incolumem ad vltimam vsque senectam exhibet vitam. Valida, & non, falsa enim ratio pluribus nedum vni, & constantibus, experimentis non imperfectis solùm præponi debet. Potuit & in iuuene illo esse proprietas qualis in anu, cui cicuta erat alimentum, ita vt conficeret, quod confici non potest, aut etiam virium immensum robur, quod transmutaret, subigeret, emendaret. Si enim elephas ad ducentos vitæ annos peruenit, aut etiam amplius, plantas solum, & quæ ex his cruda odoris: quid obstat, ne non aliquis elephantino habitu, nihil horum passus, cum hoc vitæ genere, ad extremam vsque senectam perueniat? sextum est consuetudo, quæ omnia emollit, quanquam praua consuetudo non efficere possit ne tandem non noceat, sed vt non citò noceat. Non adducam in causa quod Galenus maximum esse putat, scilicet præparationem, admisto oleo, garo, vino interdum, aceto, aut sale, atque similibus, nam huiusmodi noxam minuere, & tardare possunt, vt alimentum bonum præbeant, vt commutetur, efficere non pos-

Cap. 11.

Nota.

Consuetudo omnia emollit.

Mistio naturam mutare non potest, sed damna corrigere.

sunt. Neque enim mistio mutare potest naturam, sed damna corrigere, atque minuere. Magis ad hoc facit quantitas, nam siquis valdè pauco obsonio tali vtatur, bonum quidem ex pane, & vino nutrimentum excipiet, quòd verò ex plantis signetur, natura pro excremento ad exonerandam aluum, vesicam, habitum corporis vtetur: secernendo per fœces vrinam, aut sudorem. Atque hic solus modus verè est innoxius, quo Persæ vtebantur, nasturtium cum sale, & pane edentes, & aquam bibentes, vt perpetuò sani viuerent. Octauum locum, nam placet numero hæc ista comprehendere, vt memoriter magis, ac distinctè habeantur, cùm per sudores, aut vrinas totum corpus repurgatur, aut aluus, huiusmodi enim medicamentosa cum vim habeant, non solùm tota prodent è corpore, sed quicquid vitiatum fuerit aliud secum trahunt, incolumemque reddunt hominem, præsertim si latis vlceribus scateat, vndique manent sanies, & pus, ac serosa excrementa. Nonum etiam medicamenti loco habetur, cum corpus crassis, crudisque humoribus, præsertim frigidis, ac pituitosis scatet: tum his qui creant podagram, arthritimque: nam immoderato horum vsu dissecti, è natura euacuantur, liberantque totum corpus. Vltimo loco est cùm deliquendum est multitudine, plurimi enim in hoc decepti, malum repleri carnibus, ouisque, & caseo, quorum vt refert Hippocrates in libro de Affectionibus, noxa maxima est, horum autem eduliorum herbaceorum, si ad illa comparentur minima: quapropter meliùs est in minimis peccare, quàm in maximis. Ideò meliùs est talibus vti, quàm illis. Et quanquam bona non sint, non sunt tamen neque adeò mala. In huiusmodi ergo ciborum vsu, meliùs est emendare prauitatem, quàm tam manifesto periculo se exponere, siquidem expresso succo edas, certè non officient, sed nihil prorsus nutrient priuata pinguiore parte, reliqua non subacta. Quod si dulcia sint vt ficus, & vuæ maturæ, præstat in vmbra siccatis vesci, vt putrida sanie exhalante, dulce solùm relinquatur. Vtile est igitur in omnibus quæ coqui possunt, non vt punicis, nam hæc siccari præstat, aut peponibus, ea coquere multa aqua, & plurimo igne, vt Hippocrates docebat, iusculumque abiicere, nam sic nihil habent mali, nisi quod parum nutriunt: putredinem enim coctio detraxit, cum aqua substantia molliuit, itaque huiusmodi edulia si sic præparaueris omninò innoxia reddideris. Verùm cum in huiusmodi eduliis maximè persæpè vires sint, si quis medicamenti loco vti velit, crudis vescatur, seu paucis, seu ob vtilitatem iacturam paruipendendo, inde peccatum emendando: quædam enim vrinam ciunt, alia illius molliunt acredinem, alia sanant vesicæ vlcera, quædam sudorem, quædam aluum prouocant: alia aduersus venena alia, lapidem frangunt, plura discutiunt flatus, quædam abscessibus

Pag. 13.

Melius est in minimis peccare quàm in maximis.

In lib. de veteri med.

Nota.

prosunt. Ob id crudis citra necessitatem vesci non licet, vbi peccare oporteat, aut morbos curare non recusamus: tum verò vix quicquam alimenti exhibent cum cruda manduntur. Et certè vt Elephanto vita ex crudis plantis, seminibusque earum, ita homini ex pane coctisque plantarum asparagis, fructibus, foliis, radicibus, solis floribus vesci impunè licet ob substantiæ tenuitatem, dum crudi sunt, nam cocti prorsus neque substantiam vllam habent, neque vires.

Ignis opera.

Ignis ergo opera in humidis coquendis vtilia sunt, velut pomis, ac persicis, cotoneisque, cum etiam diu resistant: nam folia vruntur, sic & lac, & mustum optimum igne euadit: humida enim omnia hæc sunt, ignemque sustinent, & meliora sapore cocta euadunt, & odorem bonum recipiunt. Quæcunque verò sicca nimis vt legumina, aut tenuia, vt folia, aut quæ salsa euadunt, aut amara, aut iniucundi odoris, elixari in aqua debent. Quæcunque tamen ardent vt vinum, & oleum, igni admoueri non debent, siccat neque mel quod amarum fiat. Ignis sicciores omnes res reddit, calidiores non ita: quæ iuncta sunt separat, atque ideò tenuiora ex parte, ex parte crassiora efficit. Separata autem permiscet, & iungit, quæ autem elixantur, mollia fieri debent, semperque saporis qualitas, atque odoris consideranda est, vt iucundi sint: sin verò succi causa elixentur, aut medicamenti, eum ipsum quod incoquitur ius recipuerit, odore, atque gustu: si cibi vt odorem, atque saporem induat, consumptis omnibus reliquiis horribilis succi, nam succum vsque ad hanc diem non horribilem nullum noui. Cùm salsum sit ius, iam corrumpitur, terminus ante esto. Quæ assantur tenuiora esse debent, & multo igne circundari scilicet flamma, sed non diu, aliter torrebis, non coques. Quæ mollire expedit, aquæ mergenda sub cineribus multo cum igne, breui pòst cinere calido sunt excoquenda: & si vrantur denuò madefacere, & circunuestire charta madefacta. Quæ volumus alere elixanda non sunt, sed assanda, vel in iure sunt coquenda cũ operculo. Assata meliùs & plus nutriunt elixis: elixa humidius præbent alimentum, & faciliùs separantur. Ex iure autem plus etiam assis nutriunt, sed non meliùs, meliùs tamen aqua elixa, faciliùs assis, difficiliùs elixis subiguntur. Olea quæcunque incoquuntur, aquam (ne corrumpatur) admistam habere debent: sic & quæ vino, vel melli. Acetum igne acriùs euadit. Quæ vruntur si crassa sint, erodunt, si tenuia, fiunt minùs acria, exusta scilicet ignea parte. Æs ab igne deteriùs euadit, & amarescit: ferrum non ita, aqua melior ac tenuior fit. Allium elixum delinit fauces, & porrum detergit illas, dicebat Philosophus: acria enim fiunt meliora, quod aqua prohibeat ne exurantur. Quæcunque humida sunt, igne fixo indigent, scilicet craticula, vt pisces, quæ sicca humido scilicet elixatione, quæ mediocria vt carnes mobili, vt in veru.

Nota.

20. Probl. 5. & 30.

Multum igitur aberrant homines in ordine constituendo victus, nam qui vltimus est, & minimus, eum secundo loco ponunt,

maximum

maximum autem vltimo. Siquidem nihil est deterius, quam plurimis atque vltimis cibis repleri, velut carnibus, ouis, caseo, piscibus. Minus malum repleri pessimis, id est, radicibus, oleribus, cauliculis, fructibus.

	Falso	*Bonis cibis.*	*Moder. vere.*
vj.	*Bonis*	*Cibis rep.*	*Malis moder. vti.*
ij	*Malis*	*Moder. vti.*	*Malis repleri.*
x.	*Malis*	*Repleri.*	*Bonis cibis repl.*

Minimum autem eisdem coctis moderatè, interdum autem crudis, & in copia medicamenti loco, velut fœniculus, aut cardui fructu. Et maximè cùm homo se exercet, aut sudore, vrina, scabie, vlceribus, aut hæmorrhoidibus præpurgatur. At si cum exercitio semel in die pane solo, & leuibus cibis vtatur, ac modice, quales sunt mel, saccharum, vuæ passæ, fructus amygdalarum, pistaciorum, pinearum, sed aqua prius humectari, tum oliuis, palmulis, nucibus, aut quod meliùs est his omnibus, vuis passis. Quibusdam etiam conferunt ficus siccæ, mala punica, & huiusmodi: sed optimus est cibus ex amygdalis cum saccharo coctis: cœnet autem modica cum carne, aut piscibus bonis, præsertim assatis, sanè vitam incolumem, ac sensus ad vltimum deducit æuum, quem modum vt optimum omnes probarunt. At dissentio est de aliis vt dixi, sanè cibus qui crudus medicamenti vicem obtinet, aut etiam si coquatur, est fœniculus, asparagus, petroselinum vulgare, ruta, absynthium, borago, carduus, & cichorium. Innoxia cocta beta, attriplex, borago, rursus buglossum, & malua.

Vt vitam incolumem ducas.

Cibus medicamenti vicē obtinens.

Quæcunque modice nocent si cruda edantur, ea in exercitatis sudore discutiuntur, sed si non, pariunt scabiem, pruritum, lepram, vlcera, hæmorrhoidas, lenem podagram. Quæ autem magis noxia, deiiciunt cibi appetitum, & infirmum reddunt corpus. Peiora autem sunt, quæ febres acutas, aut diuturnas generant, & abscessus, his longè peiora, quæ vitiant iecur ac ventriculum, generantque malum habitum totius corporis, morbum regium, aquam intercutem, carcinomata, elephantiasim, resolutionem, syderationem, cæcitates, & surditates ac vesicæ lapides. Quæ verò his deteriora sunt, iam non sunt cibi nominandi, sed venena, à quibus omninò abstinendum est.

Cibaria pessima quæ.

CAPVT XLII.

De odoribus, & condimentis.

Quæ malè olent pessimi sunt alimenti

Malè olentia medicamentosum exhibēt alimentum.

Qvæcunque igitur male olent pessimi sunt alimenti, & ex venenorum genere. Quæ autem benè olent, per se nil nutriunt, aut omninò fermè nihil. Optima autem sunt quæ coctione bonum odorem recipiunt, velut carnes, pyra, & cotonea, & pisces assati, ac panis, & ipse enim benè olet coctus, iam & recens. Quæcunque autem malè olent, postquam quis illa deuorauerit vt allea, porri, cæpæ, & medicamentosum exhibent alimentum, & viridia non perfectè subiguntur, siccata autem incidunt humores, & flatum discutiunt, & cocta leniunt arteriam, maximè porri, tum verò & alimentum referunt: sed odoris grauitatem exuunt. Quæ verò per se benè olent, aut iucundum per se, aut aliis addita retinent saporem, ea condimenta appellamus.

Oleū omphacinum.

Cuiusmodi sal quòd aqueum est,& rubrum melius est,lapideum nimis acre:oleum oliuarum, & ex eoquod est ab vuis immaturis expressum, omphacium appellatum, ex acerbis autem vuis omphacium, sapa, acetum, mel, saccharum, piper, gingiber, nux myristica, macer, vtrumque cardamomum, crocus maximè orientalis, cassiam quam cinamomum vocamus, xiloaloes, moschus, amomum, succi mali medici, limoniorum arantiorum, oxalidis, mentæ ozimi, siliqua rubra, coriandrum, anisum, fœniculus, aqua rosacea, vuæ passæ maximè sine arillis, petroselinum vulgare, saluia, sinapis, myrtus, santhali, garum, ius, adeps, butyrum, lac, aliaque aliis gentibus. Ex compositis autem præcipua alliatum, acetarium, botanon & ius nigrum, singula enim ex his, quatuor ex rebus constant, reliqua sunt infinita. Alliatum allio, sale, nucibus, & pane. Acetharium olere quouis crudo ad mandendum grato, sale, oleo, & aceto. Botanon, gingibere, sale, aceto, succo oxalidis, vel mentæ, vel petrosilij noti aut ozimi. Ius autem nigrum ex Cælio Rhodygino, vt etiam ab Athenæo accepit, plura accipit. Sanguini enim adiicitur laserpitium, sapa, vel mel, vel lac, & caseus cùm odoratis foliis, & aceto: sed quidam plura ex his nam frustrà. Pinguem enim saporem præstat sanguis hœdi, vel leporis, odorem laser, vt aliis, foliis non indigeat, sapa dulcedinem: acetum saporem acrem, & acidum, si caseum addas, fit vnum substantia, & sapore. Vincit enim simul caseus, odores atque sapores hoc cogendo, illos retundendo: cibi enim absque caseo misti dico, & non solidi sunt, velut potus, vt qui è lingua diffluant. Hoc ius laconicum, & hypposphagma, & hyppocrimma dicitur apud veteres, Galenus autem album ius dixit, quarto de Tuenda] sanitate, quòd constat sale, oleo, anetho, porri modico, vt ad eundem numerum redeat res. At de viribus singulorum dicemus, nunc sufficiat admonuisse proprium condimentorum esse, vt sint suauia, è facilè parabilibus, & commoda, tam in aduersa, quàm prospera valetudine, cuiusmodi est quod describemus inferiùs, dum de victu senum agemus.

Alliatum & acetarium quibus constent.

Lib. 13. cap. 15.

Lib. 7. cap. 36.

Cap. 10.

CAPVT XLIII.

De Alimentis, quod ex tribus sumantur.

Alimenta omnia è tribus sumuntur.

Sed alimenta omnia, seu potus, seu cibi, è tribus sumuntur, terra, aqua, semine. Terra plantæ omnes, tubera, & fungi. Potus autem vinum, quòd ex succis fructuum confici

conficitur. Aqua ostrea, conchæ, cæteráque id genus, tum potus est, ipsamet: è semine constant omnia alia animalia, potus autem lac. Manifestum est igitur tria tantùm esse genera potuum secundùm naturam: aquam, vinum, & lac. Eorum quæ ex terrea oriuntur, tres sunt omnes differentiæ iuxta genus, agreste, & domesticum: iuxta species caulis, aut asparagus, & iuxta partes quæ quinque præcipuè sunt, semina sicciora, duriora, pinguiora, quæ sub cerealium nomine à Galeno comprehenduntur. Quorum cùm sit frequentior vsus, Galenus suo more integrum volumen illis dedicauit. Fructus, radices, folia, & cauliculi seu germina, vel asparagi, aut turiones. In his quæ ab aqua proueniunt, cùm omnia sint agrestia, totáque edantur, vna relinquetur differentia ex speciebus. At ex animalibus eædem generis agrestium, & domesticorum: dico etiam in eadem specie, & specierum inter se, demum & partium. Et velut in plantis succi, ita in animalibus, lac quidem animal parientibus, oua cæteris piscibus, & auibus sanguis communiter omnibus: sed de condimentis priùs agendum erit.

CAPVT XLIV.

De sapore dulci.

Dulcis sapor & pinguis natura sunt amica.

DVlcis autem sapor, & pinguis, solùm sunt in substantia ventriculo amica, vt diximus, & omnibus membris naturalibus, quia solùm ex huiusmodi substantia ea membra ali possunt. Sunt autem omnia membra naturalia, vt aluntur, sed omnium tamen primùm iecur, pòst ventriculus, & intestina, inde venæ, & sanguis, pòst lien, renes, & vesica vtraque, nam quæ vrinam continet, magis patitur, at bilis generatio frequentior est. Causa ergo horum est substantiæ bonitas: pinguis enim sapor, & dulcis ab humido puro, concocto semper fiunt, & ideò soli in optima substantia repositi sunt. Sed pinguis in crassa, dulcis in tenui semper, ob id etiam meliùs cocta substantia dulcis, quàm pinguis, minùs tamen benè nutrit, quoniam tenuis est. At in melle & saccharo hoc perspicuum est omnibus modis, tum ex generatione, tum quia celeriter nutriunt, tum quia parum & admodum: eò etiam fit vt dulcia coctione omnia fiant deteriora, pinguia ad certam vsque metam meliora: tenuis enim substantia iam concocta, & pura ad ignem posita melior fieri non potest. At dum humido insipido iungitur, melior redditur inutili absumpta parte. Sic saccharum igne meliùs efficitur, perficitúrque in fornacibus, secus si solùm coquatur deterius efficitur, vt etiam mel, ob id saccharum vt cùm aliis humidis coquatur, postquam concreuerit, non minus melle postulat. Vnde etiam ex musto, & melle coctis, fit mellicratum, absumpta humida parte inutili. In lacte quoque idem accidit, nam aquea parte consumpta, sapor minus diffunditur, quamobrem lac coctione vt etiam saccharum dulcius euadit, & ob id etiam melioris alimenti. Et qui oua, lac & saccharum coquunt, cibum efficiunt maximè iucundum gustui, & optimi nutrimenti. Sed & in lacte dulcedinem in tenui substantia contineri hoc argumento deprehenditur, quod neque aqua eius, neque caseus, nec butyrum dulce euidenter est, sed solùm ea pars quæ spumosa est, quam vocant Mediolani lactis mel, id est, dulcis pars lactis, quæ adeò tenuis est, vt minimum illius pondus cadum magnum impleat: si igitur dulce, & pingue, in substantia pura, & concocta posita sunt, benè quidem ambo nutriunt, sed quod dulce est, adeò parum, vt malè Galenus dixerit, omne quod nutrit dulce esse: nam pinguia proprie benè, & affatim nutriunt, at natura multis dulcedinem miscuit, vt animalia deciperet ad proprium commodum, crassius ergo & humidius cum sit pingue, dulci: hinc fit vt pingue coctione temperetur, & mollius euadat, ideóque etiam suauius, & melius, pingue eatenus deterius: pinguia autem, & dulcia, obstructiones in epate, ac splene generant cùm à natura ob delectationem antequam sint concocta attrahantur, iuxta illud Hippocratis tertio Acutorum: [Dulcis potus viscera inflat:] splenem videlicet & epar.

Saccharum igne melius efficitur.

Mellicratum.

Mel lactis.

Pinguia & dulcia obstructiones generant.

CAPVT XLV.

De his quæ sunt amica, & inimica ventriculo.

EX his igitur non arduum erit generalem docere regulam, qua omnia cognoscamus, quonam pacto se habeant ad ventriculum, dico valentem pro sua natura. Nam cùm tribus indigeat ventriculus, vt nutriatur, vt roboretur, & vt calor naturalis in ipsum copiosus deriuetur, ac conseruetur: tria sunt, quæ id præstare possunt: primum saporis pinguis substantia, postquam est dulcis, nam ex his commodè nutritur, accedit vt ex hac suauitate, illum amplectatur, diutiùs retineat atque ob id etiam duplici emolumento meliùs concoquatur, secundum contingit ex sapore astringente, cùm à sicco illius authore, seu frigori coniungatur, vt in punicis malis, seu moderato calori, vt in croco (nam magno calori astrictio iungi non potest, cùm calor distendat) ventriculi substantia in vnum cogatur, & robustior ob id euadat. Tertium fit ex odore bono, qui præter id quod auocat à corde spiritus, à iecore sanguinem naturali familiaritate, tenui terrea substantia ignita conseruat illum. Hæc igitur omnia sunt, quæ maximè prodesse possunt ventriculo, atque ob id vt dictum est proderunt ad generationem boni sanguinis, & nutritionem totius corporis, benefacient autem propriè iecori, lieni, intestinis, renibus, & vtrique vesicæ, ne-

Ventriculus quibus indigeat.

Tria maximè prodesse possunt ventriculo.

que enim alia esse possunt; cùm robur ventriculi constet propria substantia, facultatis modo, quo aptè ad frictionem dirigitur, vt aduentu caloris à membris principalibus. Sunt præter hæc duo alia genera auxiliorum scilicet secundorum, velut exercitatio ieiuna, occursus aëris liberi, somnus, fomentum, & ea quæ actu similia sunt, velut præcipuè coralius, & orientalis iaspis in tertio genere, cum dolore laborauerit, acopa cum obstructione, aperientia cum materia discutiatur his quæ illam euacuant, cum cruditate, vomitu, inædia, quiete, vino, somno longiore, cum intemperie contrariis, at hæc vt dixi languenti ventriculo solùm debentur, illa externa sunt, aut secundaria, de quibus in quarto libro dicendum erit: collectis igitur rationibus, non solùm tria sunt tantùm genera eorum, quæ vtilia sunt ventriculo per modum cibi, familiaritatéque sua, sed etiam tres tantum species dulce, seu pingue, ob alimentum astringens, ob facultatem odoratum, ob calorem aduentitium, quæ omnia eodem modo omnibus aliis membris, præsertim naturalibus erunt necessaria, quamobrem natura prudentissimè consuluit, vt cùm eiusmodi ab aliis membris percipi non possent, hoc ipsum omnium vice perciperet, atque ea lege, vt quæ illi prodessent, prodessent & omnibus aliis, & quæ illi nocerent, aliis quoque nocerent. Sed scio quid dicturus sis, capparis iuuat lienem, obest ventriculo, eupatorium, & iecur lupi iecori conferunt, ventriculo nemo dixit, imò vt vera fatear iecur lupi ventriculo potiùs obest. At nos hic de his disputare non instituimus, sed solùm veritatem docere, ea est quod non sunt nisi tres illi modi generaliter iuuandi ventriculum, & per se primò seu quodvis aliud membrum, & quod ea quæ vni conferunt, vna ex his rationibus, cæteris etiam eadem ratione conferunt, seu iecori, seu renibus, nam capparis non iuuat lienem in primo genere, sed tertio, sicut neque iecur lupi. Id tamen detegit non leue arcanum, iecur lupi si quis edat, non iuuabitur, forsan etiam lædetur, si quis vtatur eo medicamenti vice iuuabitur, quanquam sanum sit iecur, hócque idem in multis experimur, velut in passare trogloditico, in carne ericij, quæ siccata multum possunt, cibi loco accepta infinitam exigunt quantitatem, & tempus. De eupatorio alia est ratio, ipsum enim ventriculo non parum vtile est, neque excusatione indiget rationibus dictis. In ventriculo autem admodum debili adeò, vt in animi deliquio ob humidum superfluum Galenus mirum in modum laudat hæc tria, oua sorbilia scilicet apala, bulbos scilicet crudos, & cochleas coctas.

Nota.

Capparis iuuat lienem, ventriculo obest.

2. de compos. Medic. secundum locos, cap. 4. in fin. sec. prima.

Sed iam caput aliud aggrediamur, scilicet eorum, quæ nocent ventriculo, atque ob id omnibus membris naturalibus: atque ea sunt duorum generum, alia quidem quæ his quæ iuuant maximè opponuntur, alia quæ noxam illi inferunt, ergo primum omnia fœtida ventriculo, sunt inimica, deinde omnia arida, cuiusmodi sunt ligna, & lapides, quorum pulueres & si alioquin vtilissima sint, vomitum excitant, sic margaritarum, & smaragdorum, & santhalorum, & ligni aloës, quanquam omnia hæc mansa, vel in decoctis sumpta, illum iuuent, & similiter quæcunque valdè amara sunt, velut aloës, gentiana, colocynthis, & cucumeris anguini radix, quæcunque etiam immoderatam habent qualitatem calidam, velut allea, cæpæ, frigidam vt portulaca: quæcunque nimium distendunt, vt potus maximè succedente exercitatione, & flatuosa omnia, quæ etiam purgant, id ipso quod humorem prauum ad locum trahunt, vt aloës, & rhabarbarum, quæ detergunt valde vt nitrum. Negligentissimè igitur se gessit Galenus, qui huiusmodi tam necessaria prætermisit, tot nugas de aliis minùs necessariis agens: pessimè verò cùm dixerit aloën esse amicissimam ventriculo, quo errore infinitos homines sperantes hoc auxilio se ad senectutem peruenturos, hoc ipso consilio ante maturam ætatem interfecit, quod etiam rationi consentaneum est, nam & amarissima est aloës, & abominanda, nec vlla in parte laudem meretur, præterquam quod ad ventriculum parum aut nihil humoris, qua ratione solùm melior est colocynthida, & cucumere asinino, & scamonia: ea enim multum humoris ad ventriculum dum purgant trahere solent. At dicet forsan quispiam, hiera tamen valdè vtilis ventriculo? posséque corrigi odoratorum adiectione noxam abominationis? hæc partim vera sunt, partim falsa, nam quod vtilis sit hiera, sæpè contingit, quoniam vt dixi odoratorum adiectione tollitur maxima pars abominationis; quia verò non trahit ex remotis, hoc ipso minùs nocet, quàm scamonium, vel colocynthis, quod purgat, iuuat: itaque non vtilis est aloës ventriculo, sed hiera aliquando non inutilis: verumtamen & illa obest illi, & vitæ: obest & cassia nigra, quia multum excitat flatum per totum ventrem. Cùm verò tria sint genera medicamentorum purgantium, quæ ventriculo obsunt, alia quidem quia longiùs trahunt, & vehementer, alia quoniam è genere sunt lacticiniorum, alia quia putrida velut agaricus, scamonium autem longiùs trahit, & violenter, & è lacticiniorum genere est scilicet, volubilis planta, neque aloës, neque cassia nigra ex horum genere sunt, propterea agaricus peculiariter vomitum excitat, quoniam è putridorum genere est, aloës verò vt dixi obest ventriculo, maximè ob amaritudinem, si enim dulcissimum est naturæ ventriculi iucundissimum, odiosissimum erit amarissimum, & inimicissimum, cassia verò nigra ob flatum vt dixi: quamobrem, neque hiera vtilis est ventriculo, cur enim inimicissimum quoduis muneribus adornatum mittes, vt illi prosis, sic bonus Mesues dum nimium Galeno se credidit, non solùm, non ad decrepitam peruenit ætatem, sed in ipso flore iuuentutis cum sua aloë extinctus est: tum maximè quod eò deuenit erroris, vt suaderet quotidie sumendam esse: ergo cùm offertur medicamentum, aut

Quæ ventriculo nocent duorum sunt generum.

Galenus notatur.

Aloës ventriculo inimica.

Hiera vētriculo amica.

Cassia nigra ventriculo obest.

Tria medicamentorum genera, quæ vētriculo obsūt.

Ob aloës vsū Mesues in iuuenta perijt.

aut cibus, velisque scire quod inter omnia scitu maximè sit necessarium, an vtile sit ventriculo, cæterisque membris naturalibus explora saporem, nam scis tres esse sapores ventriculo amicos, dulcem, pinguem, astringentem, sub quo austerum quoque intelliges: nam austerus sapor præter id quod plerunque astringentis particeps est, naturæ plerunque etiam beneuolentium est ergo si huiusmodi fuerit, vtilis est ventriculo, atque aliis, sin autem fuerit acidus vehementer, aut amarus valde, aut malè olens, pessimus etiam, si putridum oleat, & si omnia in oppositum concurrant, inimicum ventriculo esse scito. Præterea acris sapor si sine odore bono fuerit, semper est eorum, quæ sunt inimica ventriculo, vehementer etiam salsus, sed non adeò est odiosus, ventriculo, reliqui sapores scilicet acidus, amarus, & salsus etiam si leues sint, præterea insipidus, invtiles sunt ventriculo, si tamen coniungantur cum bonis odoribus, velut & acris moderatus, vel cum sapore bono, austero scilicet, astringente, dulci pingui, omnes vtiles sunt (præterquam quod vt dixi acrem oportet semper ex aromatum esse genere) vtiles erunt. Quæcunque etiam valde duræ coctionis sunt, inimica ventriculo habentur, quoniam non nutriunt, & laborem illi magnum præstant, vt pontices nuces, quas appellamus auellanas, & amygdalæ, quæ non etiam astrictionis sunt participes: sed huiusmodi trita subacta, coctaque mutantur. Oliuæ igitur obsunt, & prosunt ventriculo, magis etiam absynthium, nam præter id odoratum est: quamobrem præstantissimum ponticum quod sit odoratissimum, & in vnaquaque specie eius præstat, quod ex oriente advehitur, sicut & plurium aliorum medicamentorum. Cùm ergo materiam medicamenti purgantis ex ventriculo eligere volueris, vt illud iuuet, primum explora humorem quem ducere vis, & vt illi conueniat, deinde ne longius trahat, propterea oppoponacem non diligimus, quamuis vitreum humorem educat, quia non minus ad ipsum trahit aliunde, quàm ex ipso trahat ad intestina. Tertio vt sit intra canzelos contentum saporis, atque adoris, tum verò iuuabis ventriculum, & expurgabis quod necesse est, quod si nullum tibi sit in manibus medicamentum eiusmodi, tunc eliges quod vitio caret, vt tamen humorem educit, velut rhabarbarum astringentem habet facultatem, amaritudinem non vehementem, odorem non probo, non tamen vitupero: quæ igitur vitia sunt in huiusmodi communia, sunt quatuor. Primum est, vt non educat eum humorem, vtpote, pro vitreo tenuem pituitam, secundo vt debilitet, atque parum, tertio vt non ex profundo scilicet ex tunicis, quarto vt alium etiam humorem educat quàm velimus, & tribus sanè primis, si tempus non desit, præparatione occurrimus, incidendo, & attenuando, permiscendo cum bono alimento, fouendo calorem, excitando, inædia præterea: at si tempus desit, cum aromaticis, & astringentibus, & incidentibus illud componemus, selectum forma, regione, ætate, quæ verò astringunt

Quæ valde duræ sunt coctionis, inimica sunt ventriculo.

Absynthium ventriculo amicum. Nota.

Rhabarbarum.

& odorata sunt, & amica ventriculo velut nux myristica, non adeò amicum gariophyllum, sed magis astringit, & est odoratum, piper autem longum incidit, & attenuat, cui fermè simile est, gingiber, & macer, & crocus, his sex, quæ familiaria sunt, iuxta opportunitatem vtemur: cauere autem oportet, quæ putridum habent saporem, licet latentem, quamuis dulcia sint, nam & ephemeris radix dulcis est, & tamen occidit, sed & odor putridus etiam si bono cum odore alio, aut sapore, fit coniunctus, malus est. Ex his ergo agaricus vt dixi esse videtur, sed vbi coctione & maturitate candidissimus factus fuerit, & expers prorsus abominationis, summum est præsidium in omnibus humoribus educendis, educit autem illum solùm, vel qui peccat, vel qui superabundat, cum præparatione ipsum similem effecerimus, velut si pituitam voluerimus educere gelidam, & muccosam, multo zinzibere, & melle præparabimus, sin autem bilem, syrupo violaceo, absinthio pontico, quæ macerabimus, ac iungemus, absynthium enim pituitam cohibet, bilem berberis, probata igitur medicamenta seligere oportet, si simplicia non habeas velut pro pituita muccosa, & vrticæ semen, iridis radix, terebinthi, resinam, thymum, & mel anacardum, ast ego resinam prætulero. Quod si quis dicat, nónne si amarus sapor inimicus est ventriculo vtilius est quod dulce esset, & astringens absynthio, velut cotoneum & sorba? respondemus cotonea esse ob hanc causam cibi ratione vtiliora, non tamen vt medicamentum, quoniam absynthium modica illa amaritudine bilem purgat, obstructionésque aperit, quæ facultates cum astrictione iunctæ, plurimum attenuant, laborantem ventriculum, calefacit etiam moderatè, plerique autem homines potiùs laborant ventriculi frigiditate, quàm caliditate, sorba autem mala sunt, quoniam frigidissima, & muccosum humorem, & vitreum generant: nec sunt dulcia à natura facta, sed putredine ipsa, quam ventriculo inimicissimam esse dixi.

Nux myristica ventriculo amica.

Agaricus.

Medicamenta probata seligere oportet.

Obiectio. Responsio.

Sorba ventriculo inimica.

CAPVT XLVI.

De cruditate.

CRuditas maximum malum est: & in ventriculo manifestior, sed leuior, at quæ si parua sit, corrigi potest à secunda coctione, deinde fotu præcordiorum, & cibo calidiore, aut inedia, & somno: sed si grauior vomitu, aut medicamento, at si iecur deliquerit, tunc articulares morbi, hydropes, morbi regij, febres, calculi, vlcera, abscessus, obstructiones semper, & in tertia hectica, & leucophlegmatia, vnde sæpè in vnum coëunt, siue ratione comitantibus, altero alterum morbum, sed & lepræ, elephantiasis, impetigines, & vitiligines: cùm verò ex cerebro, destillationes omnium generum, comitiales, syderationes multiplices, quæ omnia adeò nota sunt, vt iam de eis sermonem facere superfluum sit: sed de his quæ restant, suo loco loquemur.

Cruditas maximum malum.

Cruditas quomodo corrigenda.

loquemur. Quæ nunc tractanda sunt, ea sunt: quænam, cum corpus occupauerit cruditas alio cibo superinducto, mistio subsequatur, neque enim non solùm æqualiter læduntur, sed neque omnes: quinimò etiam Princeps laudat ea quæ aluum subducunt, verùm ei qui longa vita frui cupit, omninò hæc mistio cauenda est: cum enim concoctum sit ex parte quod iam est in ventriculo, aliusque cibus superinducatur, primus aut secundus perfectè concoqui non poterit, aut prior nimis excoquetur, deinde dissimile alimentum erit amborum, etiamsi probè conficiantur. Vnde nescio quæ maiora damna futura sint, aut eius qui optimè sic concoxerit, aut illius qui cruditatem, & morbos ex cruditate nasci solitos patitur, hi quidem manifestiores, illi magis insanabiles, & diuturnitati vitæ inimici. Ob id optimè sibi suis consulunt, qui cruditates in domum non admittunt: velut nec fures, nec serpentes, nec hostes suos. At cruditatem illam voco quæ ex mistione ciborum accidit, vel multitudine, vel pinguedine, non illam ridiculam, quam fingit Galenus in rusticis: quorum magnam partem videmus benè valere, & aliquos etiam ad extremam senectutem peruenire, quod nec ignorauit Galenus. Atque vtinam non magis interirent immodica exercitatione: & postquam incaluerint dum ventis se exponunt, & vigilia, & madore, & ciborum prauitate, cum pane vtantur pauci triticeo, plures furfuraceo, deterioreque, tum fungis, & agrestibus oleribus, adeò vt etiam totæ villæ aquis stantibus vtantur, nam cruditatem aliam rustici non patiuntur. Sed vt ad propositum redeamus: cùm tres sint coctiones, aut plures (neque enim his disputandi locus est, sed docendi: neque hoc scire hic propositum est) quotquot proponantur, quod de prima dictum erit, de omnibus intellectum esse oportet. Cùm ergo cruditas adest, seu in ventriculo, seu in venis quæ sunt ad iecur (nam de aliis vt iam dixi eadem est habenda ratio iuxta proportionem illius) cibumque superinduxeris, quibusdam sanè quibus res felicissimè cedit, vomitus excitatur, vt & hoc, & illud euomat: consulitque Galenus hoc faciendum dulci vino, quod si facere præstet, mihi non meliùs fieri posse videtur: nam neque ventriculum lædit, neque qualitatem habet excellentem, & suaue est, & in vomendo ventriculum non lædit. Aliis maluæ, & betæ, in vsu sunt quibus vomitus quem etiam in canibus abhorremus, displicet, subluunt enim aluum, & minimè nutriunt quæ ambo quisquis delinquat, minùs certè mala sunt, quàm si in vno eorum delinquatur: sed parum nutrire meliùs est quàm aluum subducere. Qui verò more mulierum exiguum, sed nutriens alimentum exhibent, quemadmodum oua, seu duo, seu etiam vnum, tales plurimùm delinquunt, sed multo magis qui copiosum, & abundè nutriens exhibetur, nam in senibus mors nonnunquam eadem nocte sequitur, in aliis morbi læthales. Vidi adolescentem, qui huiusmodi incontinentia, statim in abscessum iecoris incidit, quem ego magna illius fortuna ægrè sanaui. Alij verò quibus hæc non statim contingunt, verisimile est ingentia mala superuenire, quibusdam paulò pòst, quibusdam multo, quibusdam sero: mistus enim cibus trahitur ad iecur, quod concoctum est, transit in sanguinem, reliquum hæres, & obstruit, inde post aliquod tempus febres, aut morbus regius, aut abscessus fiunt, vel hydropes: si autem transierit, quandoque propellitur ad renes, si non ex nutrientibus maximè fuerit, & calculos generat: sed si tenuior sit, atque dilutior, transit ad articulos, generatque podagram, quod si in contermino coctionis fuerit vt possit ad membra transire, hoc peius est, nam solida ipsa debilitate, præsertim cerebrum, & attonitum morbum, ac syderationes gignit, ita fallitur etiam ventriculus, & pulmo, sed & iecur licet rarius, & quandoque cor: hæc est miseria indulgentium gulæ, in qua optimum est quod pessimum illi putant, nunquam fallente euentu. Verùm quibusdam ex longa consuetudine hoc factum est, vt prandentes, deinde nondum cocto prandio, leuem sumunt cœnam, velut solùm panem ex vino, multisque annis ita degunt, eisque videtur quod bellè se habeant, quia interim non ægrotent. De quibus non habeo quod dicam, cùm in hac consuetudine consenuerint: ante enim proculdubio mutanda foret, nam neque mutare iam inclinante ætate consuetudinem tutum est: neque omninò abstinere à cibo suaserim, quoniam ventriculus à maxima repletione ad indigentiam quotidie peruenit: neque tardare cœnam donec concoxerit, vespertilionis vitam agentem, atque in omnibus his cum manifestè deteriùs sit habiturus, seruata consuetudine occultè magis lædatur, propter id quod dicam non habeo, sed velut qui claudi nati sunt, aut cæci, aut in iuuentam perituri, ita illos infelices dixero, quibus tales consultores contigerunt.

Nota.

Bonum est cruditates non admittere.

Coctiones tres.

Mistus enim cibus trahitur ad iecur.

Nota.

CAPVT XLVII.

Quod ordo necessarius sit.

ORdinem autem in cibis esse necessarium, imò non necessarium si simplici vtamur cibo manifestiùs quàm vt dicam: cum enim simplex fuerit cibus, ordinem nullum requirit ad alium comparatus, exigit tamen primum horæ ordinem, vt sumatur consueta hora: adeò vt si immutetur multum obesse, hoc solùm & omnia bona irrita facere docuerit Hippocrates in secundo de Victu in acutis, sed est & alius ordo, scilicet vt eisdem vtantur cibis, consuetisque vtantur quod meliùs concoquant, & si deteriores quàm meliores, sed non consuetos, hoc enim ibidem etiam docet. Tertiò vt sit ordo ad potum, nam cùm bibere sit necessarium, oportet & in potu seruare ordinem. Et si potus cibo præmittatur, concoctio impeditur, & si semel assuetus, bis, terúe bibat, nec tamen plus offendetur. Et si pluries, semel tantum bibat, & tantundem, haud concoquet, sed cibus innatare videbitur in ventriculo, vt ipsemet noxam erroris sentiat. Porrò quantum conferat ordo cum multitudo ciborum assumitur,

Ordo in cibis quomodo necessarius & quomodo non. à Tex. 24 ad 28. Tex. 32.

Si potus cibo præmittatur, impeditur coctio.

Nota.

mitur, eorumque varia genera sæpe meo malo didici, nam vuæ Creticæ à cibo assumptæ, & longè magis ficus, mihi euertunt adeò ventriculum, vt sentiam nil probe concoqui, & si hunc errorem in cœna admisero, non dormio nocte, si in prandio, cogor abstinere à cœna omninò, hæc tamen ante cibum assumpta iuuant, cùm nihil noceant, at vuæ passæ Creticæ etiam plurimum conferunt mihi, adeò vt sine illis esse non possim. Quantum etiam abstinentia simplicitasque ciborum conferat, & delectus, ostendit vita Hebræorum, quibus cùm nihil sit, quod ad vitam producendam faciat præter abstinentiam, nam in perpetuis curis viuunt, tot modis apud omnes gentes oppressi, & sæpiùs coguntur irasci, & tristari ob iniurias quas quotidie & à prauis iudicibus, & ab improbis Christianis, Maumethique cultoribus patiuntur, neque exercentur, habitantque in locis parum commodis, humilibus, aëre suffocato, humidioreque, & impuro, & multa eis desunt necessaria ad corporis salutem: hoc tamen solo freti abstinentiæ auxilio, quam vt credo inopia, ac defectus pecuniæ illis parit, nam semel in die contenti sunt solo pane, & iusculo, in cœna autem plerunque modicum carnis assumunt: nunquam varietate ciborum gaudent, nunquam carnium multitudine, sed vt dici solent, mensæ eam ostendunt, nunquam ebrietate: nec memini me vidisse vnquam ebrium Hebræum, nec audisse qui viderit, cumque hoc modo etiam educent filios, quanquam multa in victu admittant errata ciborum malorum, cum deest caro, panis sine fermento, provt lex eorum iubet, lauari mulieres summa etiam hyeme frigida, & in ea degere, multi ad nonagesimum perueniunt annum. Veniat modo aliquis seu sub æquo, seu sub iniquo iudice, nam neminem tam fore impudentem spero, qui nuges balnei de tot exercitationibus, totiesque repetitis, tum frictionum generibus (quarum historiam si modo recensere debuerat, opportunior sanè fuisset, vbi de curandis morbis agit, quàm ad conseruandam valetudinem, cum multi ad extremam senectam peruenerint prorsus infricati) cùm tot apotherapiis, vnctionibus, balneis his monitis, atque præceptis conferat, ac iudicet. Dico igitur cibos ipsos, ac potus alimentum sibi simile generare, quocirca ex diuersis, diuersum chylum, ex chylo diuerso, sanguinem diuersum, è diuerso sanguine, diuersam substantiam solidiorum: & vt in primis coctionibus diuersitas non obscura: ita quod obscurum est in tertia, magnam habere ac correspondentem vim ei, quæ in prioribus: non secùs ac quæ ex circumferentia tendunt, in circuli sectionibus, quæ æqualiter ab ea in centrum terminantur. Diuersa ergo in eodem tempore, atque in diuersis alimenta genere, aut specie, aut qualitate, (non quemadmodum lac lactantibus, vitelli ouorum puetulis, agnina caro pueris, viris suilla, quæ sibi qualitatibus, & substantia respondent, solùm sicco & humidio differunt, mollitie, atque duritie: vt quantum ex alimenti natura variatur, quod nuper assumptum est, ab eo quod olim tantum iam nutritæ parti ex ætatis decursu, itidem & ad eandem partem declinent) diuersum generant alimentum in membris. Quocirca necesse est, vt quæ assumuntur, eandem naturam semper habeant, aut solùm diuersis temporibus proportione respondentem, aut similem, sed æqualiter semper commistam: aut diuerso tempore semper dissimilem (quod vocant abrumpere consuetudinem) inter se autem similem, velut si quis vt nos pane vtatur, & vuis passis, cum antea dum in venis esset carnibus, atque ouis vteretur, vel alternando, vt mane vuis passis, vesperi carnibus, vel vt singulis cibationibus quæ assumitur, sibi inuicem respondeant ordine dissimilia dissimilibus, qui modus omnium qui admittuntur, pessimus est, vt sint in vniuersum quinque modi primo omisso, nam fieri non potest, quod in illo exigitur vt homo, perpetuò lacte præcipuo solo materno alatur, loco eius quintus est, cum homo vel rarissimè à consueto deflectit, nihilominùs ex hac varietate ciborum, potuumque, tum etiam multitudine, ac aliis necassariis similiter mutatis, aëre, somno, motu, curis, necesse est partes in solidis varias generari: neque inde proprietates affectus tam corporis, quàm animi debilitates, symptomata quædam, morbosque deinceps, & ad circuitus, & pro occasionibus tum circuitibus coërcitos, tum perpetuò se augentes, atque alios consistens, ac demum præproperam mortem succedere se, habereque huiusmodi hominis partes inuicem, velut malam coalitam plebem in vrbe, quod ob tranquillitatem attinet, atque concordiam, & vt in vnum maneant ad vnum solùm hominem sibi constantem. At ergo huiusmodi homo perfectus non esse poteri, nisi cùm ab initio teltitutionis, & ante ortam multitudinem, atque ciuiles ordinationes natus fuerit, vocant autem eam ætatem auream.

Cibos & potus alimentũ sibi simile generare.

Alimenta eadem naturam semper habere debent.

Vide lib. de Proportio. Pro. 183.

CAPVT XLVIII.

De variis modis aluum deiiciendi in cibis.

Et aluus quidem deiicit multifariam. Primùm quidem ob humectationem fœcum, vnde iura plurimum, & cibi liquidi aluum deiicere solent: Alio modo interposita substantia leui inter intestina, & fœces vt labantur, nec possint contineri, quemadmodum ab oleis aluus moueri solet, in quo genere etiam mixta sunt, & cassia nigra, & mucilaginosi omnes succi. Tertij generis sunt omnia quæ mordent, & irritant, non solùm superiùs sumpta, sed etiam inferiùs immissæ glandes ex sapone, vel bilitis radice, salis grana, coriandrum sacchato inspersio circumdatum, mel, stercus muris, & infinita alia. Superiùs ius leguminum, cochlearum, chamarum, caulium, spinachia, multorúmque aliorum tum iura, tum substantia. Quarti quæ astringendo deijciunt, inter quæ præcipui mirabolani, meminit huiusmodi etiam Galenus. Quintum est notissimum purgantium natura, velut scammonium, lathyris, rhabarbarum, & huiusmodi.

Vt aluus deijcit.

1. de Aliment. cap. 22.

Quos

Quos omnes modos præter tertium adeò Galeno familiarem, attigisse Mesuen haud dubium cum sit, illud certè omissum ab illo, tanto magis mirandum est: sed non est præsentis hoc instituti, nec nunquam fuit ista persequi, id potiùs in dubium reuocemus, quod ab Aristotele tangitur, scilicet cur pleraque quæ purgant malè olentia sint? Rectè ille inquam vt solet, quia talia subigi nequeunt. Quæ ergo purgare debent, oportet vt non sint prorsus naturæ familiaria, nam in alimentum transeunt, aliena igitur necessariò sunt, quæ aliena aut omninò inimica, atque hæc venena sunt, aut vinci possunt, aut etiam amica: amica retinentur, tametsi in alimentum transeant, & ob id pauca odorata purgant tandem, tamen postulant educi, cùm sint naturæ aliena: ideóque ob id vrinas mouent. De quo est problema illud rursus philosophi. Cur ex medicamentis, alia aluum soluunt, vesicam autem minimè. Grata enim omnia, & odorata trahuntur ad venas, ideò aluum soluere nequeunt. Quæ ergo purgare debent, non possunt ex altero horum generum esse. Superabundant igitur, vt ita dicam, vel vt terrea, vel vt oleosa, muccosáve, aut liquida, & aquea, vel acuta, & acria, ac salsa, demùm substantia tota similia humoribus quos trahunt, neque enim modus alius esse videtur, vbi tria illa prima dempseris, scilicet cibos, venena, aromatica. Et cibi quidem non indigent vt subducantur, cùm in alimentum transeant: Venena vincunt naturam, non vincuntur: Aromata transeunt vlterius. Nisi ergo materia reliquorum nimis alimento admista sit, aut lenta, aut astringens, aut crassa aluum mouet. Cùm ergo medicamentum, aut cibum præ manibus habueris, nec odoratum valdè, nec veneni è genere, nec prorsus pingue, aut dulce: considera si lentum nimis sit, vt caseus recens, aut crassum vt vetus, caro salita, aut astringentis facultatis, vt pyra, mespila, tunc specta an nitrosam, aut muccosam, aut amaram, aut aqueam habeat facultatem, vel etiam admodum astringentem, è genere erit purgantium medicamentorum, vnde multorum decocta aluum stringunt, quorum substantia ob id quòd mutari nequeat, aluum mouet, vt scobus ligni sancti, contra caulium cremor aluum mouet, substantia ipsa quia alit, sistit. Quæ ergo sunt valdè amara, nisi immodicè calida sint, mouent aluum, & præcipuè purgant bilem. Et quò magis horribilia fuerint, & si alba potius nec admodum amara, sed abominanda pituitam, vt agaricus, & cnicus, si modicè acria, & amara satis, vt elleborus nigram bilem. Epithymum verò magis, quia nigrior est, similiter quæ dulcia cum sapore acri, & iniucundo vt polypodium. Sed si ingrata non sint muccosa, astringentia, nitrosa, & humida valdè, mouent aluum, nec propriè purgant, si quis nunquam vidisset cassiam nigram, illius tamen odiosam dulcedinem primum gustaret, nónne illicò suspicabitur illam aluum debere purgare? ita odorata omnia vrinam ciunt, non ob excellentem caliditatem tantum. Præcipua autem duo esse videntur ad deiiciendam aluum, vnum inter clysmata, fistula palmi longi magnitudine ex albo plumbo teres, & superiùs aliquando arctior, rotunda, crassitudine, pollicis, impletur butyro, cui sexta pars salis, vt cùm acrior, aut duodecima cùm leuior, & imponitur. Superiùs verò succum cassiæ nigræ orientalis, est autem tenuis corticis, rubra, teres non adeò magna, ponderosa, dulcis gustu, & suauis ex vnc. ij. cui admisceantur olei amygdalini dulcis recentis drac. x. combibit enim optimè origani orientalis, aut thymi, aut pulegij, & ipsorum orientalium in pollinem redactorum drac. j. vsque ad drac. ij. sumat autem ante cœnam primum drac. iv. inde iij. & si operetur drac. ij. tertia die, inde bis drac. ij. inde perseueret cum drac. j. si operetur ita in XVIII. diebus, aut paulò minus consumet illam quantitatem, ab vtroque horum aluus mollis redditur. In delicatioribus optima manna vtemur, ac simplicis, & duplum assumemus ponderis. Tertium auxilium aliàs est relatum, oleum mastichinum, sed id ieiunis conuenit, quantitas drac. ij. quandoque drac. j. sufficit maximum pondus vnc. v. Ab his omnibus lenitur venter imposterum. Porrò in senibus non solum indigemus vt fæces educantur, & cruda aquosa, qui sunt duo primi scopi, sed & atra bilis, & humor quidam crudus illis proprius, inter nigram bilem, & pituitam crudam medius terreus, frigidus, durus, non adeò lentus, vt qui ex eduliis eiusmodi generatur, carne suilla, pane absque fermento, ouis duris, piscibus magnis, non squammosis. Ad fæces tantum vuæ passæ coctæ in iure ex vnc. iv. Quæ ex Aëtio coprotica, styrax, mastiche ex vnc. v. cùm aqua terebenthinæ cochlearium, aloës drac. j. sinapis, allium cum oleo, & garo, ficus cum nitro, cnici medulla. Medicamen nostrum succi rosarum ℔. j. ß. succi mercurialis, & maluæ, & caulium, ac betæ an. ℔. j. colentur, inde coquantur suspendendo in linteo raro vnc. ij. masticis recentis & mollis, donec veniat ad mellis maiorem spissitudinem, & abiectio mastiche seruet quantitas à drac. ß. ad drac. j. in bolo catapotiorum forma, Regium catropicum: Manna dissoluta in aqua borraginis, sic vt fit clara aqua inde destillata ex vitro aqua per Mariæ balneum, relinquitur purissima, & candidissima pro vsu quantitas ad vnc. j. ad vnc. ij. ante cœnam statim, aut per vj. horas ante prandium mane.

[Marginal notes: Lib. 1. Theor. cap. 2. — 1. Probl. 48. Purgātia cur malè oleant. — Par. 1. 41. Medicamenta cur alia aluū moueant, alia vrinam. — Nota. — Valdè amara quæ aluum moueant. — Odorata omnia vrinam cient. — Fistula ex albo plumbo. — Cassia nigra quæ optima. — Senes quid in purgatione indigeant. — Lib. 1. c. 156. — Medicamentū proprium. — Catropicum Regium.]

CAPVT XLIX.

De differentia medicamentorum vtilium ventriculo, & reliquis membris naturalibus.

Porrò obiicies forsan, non eadem esse amica ventriculo, & iecori, ac renibus, quemadmodum laurus nocet ventriculo, & confert iecori, ac renibus, lapidémque illorum frangit. Verùm vt dixi alia est ratio ægrarum partium, alia sanarum: laurus obest iecori, ac renibus: hos tamen à lapide, hos à regio morbo liberat. Accidit præcipuè hoc in duabus causis, prima cùm medicamentum

[Marginal notes: An eadem amica vētriculo sint iecori ac renibus. — Dioscor. lib. 1. cap. 87.]

camentum obstructiones aperit, nam si cum hoc ventriculo fuerit inimicum, videbitur prodesse iecori, quod sæpè obstructione corripitur, & tamen ventriculo inimicissimum esse poterit, vt gentiana: nam ventriculus aperientibus non indiget, quòd in obstructiones incidere non soleat, regula tamen nihilominùs vera erit: nam à gentiana, & zedoria, & similibus offenditur, nam illius vires exsoluunt, & calefaciunt immodicè, siccántque, secunda causa quasi huic contraria est, scilicet cùm cibus, aut medicamentum expurgat cruda, ac detergit, licet enim inutile sit iecori, ventriculo tamen prodesse creditur, velut spinachia, ostrea, atque huiusmodi. Sed si vacuo ventriculo tum his, tum iure chamarum, & concularum vtatur assiduè, manifestum etiam in ventriculo, & euidentiùs quàm in iecore, detrimentum sentiet. Itaque à cichorio multi circa ventriculum offenduntur, qui tamen melius se habere circa iecur putant, nam (vt dixi) vt aperiendi cichorij parum ventriculus indiget.

Gentiana.

CAPVT L.

De cibi, ac medicamenti differentia.

Cibus qui venenum, quid ac medicamentum.

CIbus est qui corpus nutrit: Venenum autem quod corrumpit: Medicamentum quod non nutrit, sed corpus mutat. Liquet igitur manifestè, quòd medicamentum medium est inter venenum & cibum: non enim corrumpit vt venenum, nec nutrit vt cibus, sed mutat. Cibus igitur non mutat corpus, quamobrem huic lactuca, alteri fœniculus, aliis caro cibus erit. Oportet enim simpliciter cibum voratum nutrire corpus, & nulla noua qualitate afficere illud, vt nec calefacere, nec infrigidare, nec siccare, nec humidius qualitate reddere, non erodere, non astringere, non purgare aluum, nec etiam laxare, nec irritare: quodcunque enim horum aut similium fecerit, præterquam nutrire, non erit cibus. Atque eadem ratio de potu erit, sed nunc alimentum quod cibo, ac potui est commune, voretur. Quod autem alimentum dentium eget, opere vt cibus dicatur: quod non indiget potus appelletur. Quod igitur nutrit, & immutat corpus, postquam nutrierit, quia non ex toto qualitas euincitur, vocatur cibus medicinalis, seu medicamentosus, vt lactuca. Tria verò oportet vt habeat hic cibus medicinalis, quod nutriat, & quod facilè euincatur à natura, & quod suæ qualitatis vestigia postquam nutrierit, relinquat. At verò si priùs excalefaciat, aut refrigeret, demum vix nutriat, euictum tandem à natura alimentum medicinale dicetur, vt nasturtium, tale autem semper parum & ægrè nutrit, nec nisi postquam corpus aliena qualitate affecerit. Horum verò alimentorum quæ vel medicamenta cibaria vocantur, aut cibi medicinales, duplex est genus: quoddam quod sua qualitate agit excalefaciendo, vel refrigerando, aut siccando, aut humectando, & huic quandoque contingit maximè alimento medicinali, vt sit purus cibus, vt lactuca in puero pituitoso, & fœniculus in calidiore iuuene, & minus humido. Quoddam verò genus non adeò frequenter est alimentum purum, vt quòd aluum laxat, aut irritat, aut erodit, si tamen cuiquam horum contingat, cibus erit. Est autem triplex discrimen inter cibum medicinalem, medicinámque cibalem, nam cibus medicinalis omnis nutrit non parum, nisi sit ligneus, nec permutat multum à temperamento, nec celeriter: at medicina cibalis, & celeriter, & multum permutat, & omnis parum nutrit, quoniam plurimum est remota à temperamento illius hominis. Constat inquam quòd omnis cibus consimilis est illi, cui est cibus, & quod lactuca frigidæ & humidæ temperaturæ erit cibus, & temperato cibus medicinalis, & arido, ac sicco medicina cibalis: cùm igitur duo sint scopi in vnaquaque temperie non æquali, conseruare eam quæ est, & permutare in melius, horum primam à consimilibus atque æqualibus fit, reliquum ab æqualiter contrariis, aut minore potentia. Constat biliosis vtpote in duobus gradibus cibos omnes contineri à frigidis, atque humidis in secundo gradu vsque ad calidum & siccum in secundo gradu. Itaque à calidis & siccis in secundo gradu, conseruabitur ab omni cibo frigidiore illo, atque humidiore, ad meliorem statum traducetur, donec ad secundum gradum frigiditatis, atque humidæ qualitatis peruenerit: à calidis verò, aut siccis in tertio, vel quarto gradu lædetur, sed à frigidis & humidis in tertio gradu, non nutrietur penitùs & ægrotabit: possibile est etiam vt à frigidis, & humidis in secundo gradu non nutriatur. Quamobrem intemperies magna ad æqualitatem reduci non potest. Nam medicamenta violenter permutant, & non possunt esse perpetua, quam ob causam malefaciunt medici, qui malam temperiem confestim medicamentis reducere conantur. Cibus enim familiaris naturæ est, & longa consuetudine, omnem malam dispositionem eandem euincit: At in grauissima intemperie, cibus non potest esse, qui contrariam illi obtineat facultatem, ob hoc senes humectari non possunt multum, nam nec ab humidis valde nutriuntur, nec citra periculum aquæ interius tales cibos assumere possunt. Dico autem cibum potentia humidum, nam substantia omnis cibus humidus est, omnísque humectat, quia quod nutrit vt docui, totum pingue est, atque ideò calidum & humidum. His igitur visis, qui benè se habent, cibis solis indigent, qui autem minus, medicinalibus cibis: qui verò deterius, medicinis cibalibus: qui etiam ægrotant, medicamentis. At quorum salus propè est desperata, nonnunquam etiam venenis. Humectat etiam cibus omnis, quia sanguinem adauget, & calefacit etiam: præcipuè autem si tales natura sint, & homines eiusdem temperamenti. Triplex autem est cibi differentia, alia à qualitate vt calidus, aut frigidus, alia à substantia, vt cera, quæ temperata cùm sit, cibus tamen non est ob substan

Ciborum medicinaliū duplex genus.

Cibus medicinalis in quo differat à medicina cibali.

Cibis omnis consimilis est illi cui est cibus.

Scopi duo in temperie non æquali.

Medicamenta violenter permutant. Medicorum error.

Cibus quilibet humidus est.

Nota.

Cibus omnis humectat.

Cibi triplex differentia.

ſubſtantiam. Ergo vitellus oui, glyciriza, & cera temperamento ſunt ſimilia, primum tamen cibus eſt ſecundum medicina cibalis, admodum parum nutriens, tertium neutro modo. Verùm dices ptiſanam, non ergo conuenire in morbis magnis, cùm ſit cibus medicinalis, dicemus ſi vires ſuſtinerent multò meliora eſſe alia quædam, vt ſeminum peponum lac, quod in ardentibus dubio procul eſſet meliùs ptiſana, & mercurialis folia in iecoris inflammatione. Quæ Galenus proponit illi in hoc morbo: ſunt & alia quæ proprietate dicuntur conferre, iecur lupinum iecori, & cochleæ: videbitur autem Galenus differentias horum enumeraſſe generibus omiſſis. In tertio igitur genere venena etiam connumerantur. Eſt autem cibo magis proprium vt nutriat, atque illius prima differentia nutrire, aut non nutrire: tamen præſtant nutrimentum tenue, aut craſſum, ſolidum, aut inane plura habere excrementa, vel non facilè, vel difficilè confici obnoxium eſſe corruptioni, aut vix poſſe corrumpi. Hæc igitur omnia ad primam, & maximè propriam differentiam ciborum, & potuum pertinent: calefacere autem, aut refrigerare, vel ſiccare, illius ſunt vt medicamentum, laxare ventrem, aut confirmare membra, ad totam pertinet eſſentiam. Quapropter ſuis locis etiam dicemus de omnibus his, non tanquam cibo propriis, ſed vt neceſſariis ſcitu, ſicut enim cognitio auricalchi neceſſaria eſt ad cognitionem auri, non quia ſit aurum, aut auri pars: ita ſcire non poſſumus in quo differat alimentum puro cibo, niſi ſciamus quæ ſunt illi propria, ſecundum temperamentum, aut formam.


Quæ à proprietate conferunt.



DE SANITATE TVENDA LIBER SECVNDVS.

CAPVT PRIMVM.

De nouem hominum ſtatibus, ac eorundem diuerſis conditionibus iuxta ſanitatis conſeruationem.



HOMINVM ſtatus nouem ſunt. Primus eſt valentium iuuenum cum optimo habitu, calore vehementi, corpore admodum temperato, & æquali in omnibus ſuis partibus, cute denſa, latis venis, nuſquam læſo, & aſſueto laboribus, frigori, & calori, à neutro multum patiens, & vt dici ſolet Polycleti ſtatua. Secundus eſt qui huic proximus eſt, & de his ambobus eſt ars tuendæ ſanitatis, conſeruandæ per planè ſimilia. Tertius eſt eorum qui mediocriter ab hoc recedunt, vt poſſint ſi velint, velut priores, in eodem permanere, ſimilibus vtendo: præterquam quod caueant ne vlterius labantur: Et in his moderatè contraria adhibere oportet, & magis in aëre, poſt in potu, inde in cibo, & magis omnibus in exercitatione. Quod ſi ſtatum mutare propoſitum eſt, hic medius erit inter ſecundum & quartum, & fiet ſenſim, & per moderatè contraria, & otij tempore. Et in humido & ſicco maior diligentia adhibenda eſt: pingui & humido ſemper ad humidius, in qualitate ad contrarium, quod cùm Galenus non animaduerterit, viuendi regulam maximè in ſenibus perturbauit: ſi enim humidis rebus paueris, efficies dydropicos: ſi ſimilibus, duplo celeriùs ſeneſcent, quàm ſi humidioribus, & quare mellis vſum etiam decrepitis conſulit, ne dum permittit? Et vnde Pollio, interius mulſo, exterius melle? Quintus ſtatus eſt eorum qui ſani ſunt toto corpore, ſed vno membro malè formato, vt lapide in veſica, vel immodicè calido, vel frigido, vel imbecilli, quibus duplex ſimul cura debetur conſeruandi totum, & eſt per ſimilia, & cuſtodia per contraria illi membro. Et manifeſtum quod differt à tertio in hoc, quod ei poteſt adhiberi alterum regimen: ſed non ambo ſimul, in hoc ambo ſimul neceſſario: quia vnum tantum non ſufficit, & hoc præcipuè in nobilioribus membris, quæ ſunt cerebrum, cor, pulmo, iecur, & ventriculus. Poſt quæ ſunt veſica, renes, & inteſtina, vbi ſi magnus ſit lapſus, ibi maximus in quocunque alio. Sextus ſtatus eſt eorum qui ſenes ſunt, aut morbo inſanabili detinentur: velut lapide paruo, & leui viſicæ, nec patiuntur exſcindi, carcinomate paruo in membro ignobili, ſed confirmato, enterocele, elephantiaſi etiam ab initio. Idem autem eſt ſi recuſent ſanationis modum, vt ſi ipſa morbi magnitudine ſint inſanabiles: Et ſi vlcus habuerint in pectore, & ſi capitis dolores per circuitus patiuntur, qui tamen ſanari non queunt vitiatis oſſium interioribus, vt idem de comitiali morbo laborantibus, de oculorum imbecillitate, qui ad cæcitatem tendunt: Horum eſt vera cura, ſed tamen ſola procraſtinatio finis, veluti ſenilis hecticæ. Septimus eſt morborum, velut à calculo renum, podagra, deſtillationibus,

Iuuenũ optimus ſtatus.

Conſeruatio ſanitatis per ſimilia quibus.

Quibus per moderatè contraria.

Quibus per ſimilia & contraria inſimul.

Membra nobiliora quæ.

Morbi vix curam admittentes.

lationibus, inæqualibus intemperiebus, præcipuè ventriculi, cum iecore, & cerebro: renum cum iecore in quibus prohibere nitimur aduentum morborum. Octauus eſt in his, qui morbis inſanabilibus detinentur, velut phthiſici, hydropici, damnati à magno, & rupto carcinomate, vt medici ſolùm blandientibus vtantur: hi minimè ad præſentem locum pertinent, ſunt enim extra aleã, vt etiam qui ſub nono ſtatu ſunt ægrorum phrænetici, hæmoptoici, dyſinterici, ardenti febre laborantes: horum enim eſt curandi ratio obſeruanda, vt ex nouem partibus totius artis tuendæ ſanitatis: ſcopus vnum tantum ei parti, quæ eſt extra limites relinquatur: alterum quod curandi rationem proſequitur. Atque etiam in hoc plurimum negoci habet cuſtodia hæc.

Quæ pro cuſtodia adminiſtrãda ſunt.

Cuſtodia hæc multis contingit, abſtinendo ab omnibus noxiis, ſed etiam non neceſſariis, & in illis adhibere temperamentum: vt non ſolùm quale ſit, eligamus, ſed quantum, & quando, & ordinem, ac præparationem etiam adhibeamus. Neceſſarium dico quod plus habet commodi, vel tum, vel ex vſu, atque conſuetudine. Alio modo cuſtodiam adminiſtramus medicamentis, aut auxiliis validis, vt exercitationi etiam immodicæ, purgationibus, clyſteribus, euacuationibus, aſtringentibus, frictionibus, fontibus, balneis calorificis, vſtionibus propè manus, aut pedes, & etiam caput, ventrem pectus, irrigationibus, ſuffitibus. Cætera autem vt ſani degunt edentes, ac bibentes, & dormientes, ac exercentes. *Nota.* Tertius modus eſt, vt vtamur ſolitis in victus ratione, velut dictum eſt, ſed præparatis, velut iure albo cum piſcibus, in pituitoſis muria, ſinapi, raphano, in his qui non concoquunt pipere longo, aut albo, in cruditatibus gingibere cõdito, in frigido ventriculo diacitonite ex ſaccharo, ſi nihil eſt detergẽdum cum pipere, ſi detergendũ ex melle cum eodem, inde embammata, iura, vina, & talia. Quartus eſt per propria, quæ excitant calorẽ innatũ, vt in quibus ingreditur, ambra, crocus, enyceus, & nectar ſtillatitium. *Calorẽ innatũ excitantia.* Quoniam verò iſta inuicem permiſceri poſſunt, & per ſe eſſe ex quatuor modis erunt xv. quos vtiles eſſe dico, ſed rarò contingit vt ſimplicis ſolùm ſit vſus: vt ſi ob paupertatem, aut aliam cauſam cogamur inſeruire, homines etiam ciuiles non adeò poſſunt toti vacare cuſtodiæ. Item ſi membrum aliquod multum ſit læſum, & propriè cuius vſus, ac operatio ſit neceſſaria. Item quoties homo cogitur laborare, aut ſi non poteſt habere neceſſaria, velut columbos, iecora gallinarum. Item cùm eſt aliquod neceſſariorum vitiatum vt aër, aqua, habitatio vbi exercitij vſu deſtituatur. Cùm etiam membrorum naturale iam contraxit noxam ex materia, aut ex noxa materiam præcipuum ventriculi os, poſt fundus: inde iecur, poſt renes, demum veſica, vbi ſalutem ex abſtinentia expectare volueris, plus augebitur morbus ex mora, quàm ex continentia minuatur: quamobrem adiuuare cogimur torpentem naturam. Item per quædam interualla, licet rarò, & valdè propriis, aut prannio cogimur, modico & ſuaui, ac ſpatium concedere naturæ, nonnunquam occluſis etiam inteſtinis, ne colica ſuperueniat priùs expectando. Et ideò magnum malum eſt paupertas, quia ipſa adducit morbos, & mortem, & luctus, ac triſtitiam, contemptum neque ob id deſiſtit, & ob id quaſi peſſimum ſaltem noſtra ætate: reliqua mala non adducunt adeò alia, neque paupertatem, imò plerunque vno adueniente, reliqua non adueniunt, & ſi iam acceperint, ceſſant. *Paupertas quantum malum.* Quoniam homini vt paupertas eſt impedimento omnibus incommodis, ita iam inchoata adauget, vel nondum cœpta irritat: at aliis in malis, cum non deſunt neceſſaria homini, reliqua commoda non ſubtrahuntur: Et parcitate, ordine, amicorum auxilio, & bonorum, domeſticorum, ac proprio conſilio potius auget rem, quàm minuat, & ita commoda alia augendo ſolatium in calamitate. Et maximè quia paupertas tollit amicos, defenſores, famam, inde contemptum adauget (ſic enim vſu apud mortales comparatum eſt) & hic eſt alter miſeriarum ortus. Redeundo ad rem, hi etiam qui oris ventriculi imbecillitate laborant, vix poſſunt eo primo modo eſſe contenti, nam imbecillitas oris ventriculi parere ſolet vertiginem, comitialem morbum, cordis defectum, inappetentiam, capitis dolorem, & nonnunquam materia ad cerebrum ex illo tranſit, & præcipuè in febribus, item inſaniam, & timores valdè moleſta, propria mortui καρδιώττεις dolori ſpiritus paruus, & denſus, eſt etiam illius propria quædam affectio ſingularis. *Incommoda imbecillitatis oris ventriculi.* Et alia quaſi ei contraria laxitas, ſeu quam vocant relaxationem, item roſio, ac alia quæ propriè accidit, cùm non poteſt concoquere cibos duros, & graues: Propria quoque fames, nimia ſitis, ſupinitas, ſubuerſio, faſtidium, nauſea, vomitus, eructuatio, ſaliuæ abundantia, oris quædam ſiccitas, ſyncopis etiam quandoque interficit. Accidit etiam illi diſtenſio, qua os latè hiſcit. Vnde non concoquit cibos, & dentes etiam halitu corrumpuntur. *5. de locis, cap. 1. & 2.* Item oculis impedimentum ex hoc ſuffuſioni propriè ſimile, ſed & tinnitus in auribus: cum ergo tot contingant, & tanta mala ex hac parte imbecilli, & ſi nutrias magis læditur, quia ſi ventriculus fuit imbecillis antea, quantò magis nunc, cùm materia acceſſit, & quicquid accidit incocto, tranſit in ſimile, & aliquanto deteriùs, ſi bilioſum, bilioſius, ſi craſſum, craſſius, ſi putridum, putridius: Si non nutrias, ventriculus fit imbecillior, quia illius tunica quæ communicat gulæ, ſolùm nutritur à cibo, & potu, ideò talibus non ſufficit abſtinentia. *Nota.* Ideò habere os ventriculi validum, multum facit ad robur valetudinis, ob abſtinentiam quam poſſunt perferre cibi, ſicut è diuerſo os ventriculi imbecille, facit ad vitæ longitudinem, & ſanitatem longam, & maximè ſi facilè euomant, aut eructent: nam omnem minimam noxam errorum ſtatim ſentiunt, & coguntur abſtinere, quod in imbecillitate iecoris plurimum nocet dum minus ſentiunt, & magis tamen afficiuntur. *Cõmoda oris ventriculi robuſti.* Ergo habentibus os ventriculi imbecille, aut aliud membrum è nobilioribus valdè vitiatum, his conuenit aliquod auxilium innocens proprium, valde rarò, potens tamen, & in pauca quantitate. *Quomodo oris ventriculi imbecillitas faciat ad vitæ longitudinem.*

Quo

Quo viso, dico quod ex his xv. modis, primus omnium est optimus præcipuè in sene; & quantò senior, tum quia his est generalissimus omnibus magis ex æquo conueniens, velut circunferentiæ partes omnes minùs distant è centro, quàm inter se. Est etiam facillimus, quia paucissimis indiget, & quoniam naturam habet sui operis ministram, quæ toti simul satisfacit æqualiter, aut propè. Etenim vix contingit in tanta multitudine membrorum, ac contraria etiam in sanissimo corpore, quicquam administrare egregij auxilij, quod nullũ ex illis offendat. In his etiam magis mutatur consuetudo, & magis repentè quàm in continentia, nec quod multum refert cogitur natura, nec assuescit in noxa externum auxilium expectare, ex quo tempore morbus semper fit deterior, & aliquando euadit in lethalem, nec si aberres tam magnum periculum incurris. Auxilium petatur ex consuetis, iucundis, & patriis ratione duce vtilibus experimentis, inde confirmaberis in proposito. Exemplum in frigido, & humido, & laxo, qui os superiùs hians habet, dabimus lenticulam bis coctam, secunda vice cum iure leporis, & si refrigerat, addemus pilegium, aut anethum, aut croci orientalis, sed rariùs aut in magno frigore, piper album.

Auxilium ex consuetis.

Porrò singulis horum xv. modorum, commune est vt optimis auxiliis curentur, vt optimè curari queant, optimè autem curari palàm est quod conuenit, stultúmque esset secus aut nefandum: optimum igitur quot modis dicatur est intelligendum, optimum simpliciter est quod maximè propinquum humanæ naturæ, vt somnus, panis silligineus, cuius proprium est vt pluribus conferat, & paucioribus nocet. Et detrimenta quæ parit in pluribus sunt minora, & vt optimè habitis plus emolumenti afferat. Dicitur & optimum, quod ratione optima conuenit omnibus, subiecto autem non est vnum: veluti simile temperatis, & simillimum est optimi caput: & contrarium intemperato, & magis æquale, & in substantia simile: Et hoc dicitur per analogiam iuxta consuetudinem, nam re distinguitur per genera plurifariam: simile contrarium, & substantia conuenies, cui Galenus nomen proprium non adinuenit, sed veluti in tenebris cæcutienti dixit, modo simile, modo semper humidum, & specie etiam veluti calida frigidis, frigida calidis: non sunt autem eadem calida frigidis, quamuis conueniant in hoc quod sint contraria, sed contrariis inter se, & similia alia magis, alia minùs, vnde piper non est idem cum absynthio, etsi vtrumque calidum. Est & quartum genus optimi simile in genere pro conseruando in intemperie, & hoc habet suas species, simile magis, ac minùs, hoc igitur ita optimum est, vt in vlla re subsistat, sed in sola comparatione. Sic & quintum genus quod non est neque simile, neque contrarium, sed habet comparationem: velut vitellus oui ventriculo, qui nil aliud perfectè concoquere potest, omnibus his modis, & aliis velut proprietate dicitur optimum, quod maximè ratione conuenit. Tertium optimi significatum est quod homini

Optimũ quot modis dicatur.

Nota.

habenti temperaturam ventriculi admodum frigidam, & ventriculum magnum, cum amplo ore, & iecur calidum cum angustis venis, cibus aut medicamentum quod ei conuenire deberet iuxta omnes conditiones pariter acceptas, seu illud esset simplex, seu compositum, conditiones hæ sunt in primis, & secundis, & tertiis qualitatibus, in similitudine substantiæ, in densitate, in eo quod sit sine noxa, & multitudine, mediocre vincat in his quæ opportuna sunt, & vincatur remotum, & contrarium corruptioni familiare, quod etiam facilè eligi, & haberi possit medium in crassitie, aut tenuitate, aut quale esse debet (quod de omnibus conditionibus intelligi debet, scilicet alternatim) suaue quod flatum potiùs discutiet, quod admittat præparationes optimas, & plures, & non valde operosas, & quod præter reliqua facillimè concoquatur. Sed de hoc mox, & diffusè. Quartum optimi significatum est, quod non ad morbum, & ægrotantem in specie refertur: sed omninò ad eum qui curari debet, vtimur eo cùm res est in arduo, vires labant, aut morbi socij cum illo ruinam minitantur, velut coctio, vtemur vice versa cum celeritas facti vrget, & morbus minùs periculosus est. In vniuersum ergo intelligo per optimum. Quarto modo quod ex ratione omni citra tamen experimentum conueniret illi homini ad vitæ longitudinem, ad corporis incolumitatem, quatenus posset illi conuenire ad robur, & decentem habitum. Quatuor enim hæc spectanda sunt, sed quinto modo etiam addita experientia omni, illis rationibus & præparatione, & etiam permutatione aëris si necessaria sit, vt addat hic modus si necesse est tres obseruationes supra quartum, & ideo hic modus in opere est perfectissimus solùm. Primus autem consideratione, & consistit in hoc, quod ex tali ratione victus conseruentur illa quatuor nuper dicta, & hoc medio generationis sanguinis omninò mediocris, qui neque sit serosus, neque crassus, nec lentus, nec siccus, nec frigidus, nec nimis calidus, boni coloris, & qui benè fluat, & sufficiens in quantitate, & vt benè nutriat corpus, nec facilè corrumpatur, vt sit boni habitus, pinguis potiùs, quàm macer, robustus, toleret labores, benè dormiat, cum somnis paucis, ac lætis, cum animæ operationibus, memoria, sensibus, cogitatione, bonis nec impeditis, corpore leui, & desiderio exercitationis, appetitu congruo cibi, & rerum bonarum, saliua dulci, & mediocri absque pruritu, pediculis, oris sapore malo, & odore quouis malo, deiectione alui, & vrinarum, & hic est modus dignoscendi primum, & quintum modum. Primum qui perfectus est ratione, & est optimum in deligendo materiam medicam. Quintus in opere, & fine. Cùm verò omnes res mortales sint in continuo fluxu, illud optimum primi modi variatur regione, & tempore, vt vinum quod est aliquando optimum, permutatur in acetum, vel quod deterius est, corrumpitur. In quinto autem modo etiam fit peruerso, & mutatio, sed non tanta quia non hoc vinum optimum est quo semper vtimur, sed optimum

Optimũ quid.

Signa optimi habitus ac temperamenti.

mum singulo tempore eligimus, experimur, probamus, & vtimur. Tria genera media secundum, tertium, & quartum, optimi sunt ad coniecturam, quod optimè ratione conuenire potest in secundo genere, vt est in suo genere non contractum ad aliquam speciem, velut quod optimum est, quod conseruat vnumquodque in suo statu, aut reducit, vel quod neutrum plenè, & exquisitè facit, sed conseruat per similia paulatim, & sensim per leuia, contraria contrahendo quasi freno indito, ne vlteriùs possit augeri. In tertio significato præsupponimus laborantem cum suis dispositionibus propriis, tam naturalibus, quàm præter naturam, quibus occurrere debemus. Quartum differt à tertio, quia decernit hominem cum suis præsentibus conditionibus, vtpotè ætate, consuetudine, moribus, vt quidam qui nolunt à vino abstinere, nec ieiunare, vel cauere à Venere. Et in vniuersum quartus modus est specialis desumptus in operando à morbis generalibus, id est, ratione vt dictum est. Tertius autem à speciebus rerum, & conditionum præter naturam, sed non à propriis hominis, velut secundus generaliter solùm considerat curandi rationem, non determinando, sed ad proprium, vtpote si debeat curari conseruando per similia, aut reducendo per contraria. Est & sextus modus per comparationem nil simpliciter affirmans, velut quod lens bis cocta est optima, addito croco, aut pipere, & pulegio cum carne léporis. In hoc non dicimus quod nullò modo quod lens optimus sit cibus simpliciter, sed quod inter legumina vtimur, hoc in inopia bonorum ciborum vel obtemperando necessitati ægrotantis, vel illius mollitiei, vel ob singularem quam secum habet proprietatem, vt in phthisicis, velut Hippocrates, est enim suauis cibus, odoris boni, facilis concoctionis.

Lenticula phthisicis bona.

Postquam autem incidimus in sermonem de facili concoctione, dico quod facilis concoctio in cibis obtinet plusquam dimidium conditionum omnium boni cibi: nam reliquæ sunt, vt bonum exhibent alimentum non facilè corruptioni obnoxium, plurimum, solidum, consuetus sit, suauis, innoxius, & non multorum excrementorum in prima, vel secunda coctione, vt eius sit copia: & vt possit benè præparari, nam hæc conditio deesse videtur inter cætera, cerasiis & ficubus siccis. Dico ergo quod cibus qui facilè concoquitur, erit suauis, nec supernatabit, & si consuetus, facilè concoquitur, qui facilè concoquitur, erit consuetus, nam consuetus meliùs concoquetur perfacilè, intelligo enim simpliciter. Quocirca nec flatus gignet, tum quia non benè concoqueretur, non enim gigneret, & supernataret, non ergo facilè concoqueretur, & si facilè concoquitur, bonum celeriter præbet alimentum, nec corruptioni obnoxium, in eo calor naturalis aliter esset excrementitium, ideò non multum nutriret solidum: concoctio enim condensat, authore Aristotele, in prima vel secunda coctione, si plura excrementa gigneret, non facilè concoqueretur. Est etiam innoxium, quod facilè

Facilis coctio in cibis quid præstet.

concoquitur, à noxa enim coctio etiam externa impeditur. Præparatio in cerasis fit coquendo, in saccharo, dum decerpta sunt, & amisso etiam aqueo humido maturantur. Propterea ficus sicci non debent edi, nisi plenè decorticati, sic enim facilè concoquuntur, vtiles sunt ventriculo, & aluum molliunt, & iuncto aceto, & piperi, vel rutæ vtilissimæ iecori.

Cerasorum præparatio.

Ficus sicci.

Quòd verò facilè concoquitur est, primum si nullum ventriculo infert negotium, si corpus citò reficit, si vrinam paulò post & calidam cit, si substantia similis, vt caro suis annui benè exercitati, si friabilis manu, & in ore, si aqua breui dissoluitur, igne, pistillo, si præparatus, consuetus, si leuis, nec tamen siccus, si albus & coctione etiam multò candidior factus, in candidissima enim rara, si naturâ calidus & humidus, non superfluè, si genere vt sanguineum specie, vt castrati cibo, vt aues, quæ granis vescuntur partibus, vt tale iecur lactes pulmo sanguis cerebrum: præterea odor, sapor, & hora descensus. Famis enim aduentus paulò antè bonum signum multa cruditatis ex aduentitiis, seu superuenientibus, somnus præcipuè profundus & longus, aut saltem quies. Præparatio autem, quæ magnam vim habet, est resolutione excedentium, & emollitione substantiæ, & permistione partium tenuium cum crassis & humidi distributione. Et emollitio fit vel tundendo, vel madefaciendo, vel liquando, in partibus autem ipsis, & potestate ab acribus salsis, & acidis.

Facilis coctionis signa.

XVII.

Præparatio qua.

Emollitio quo.

CAPVT II.

De particularibus alimentis pro diuersa hominum natura.

CVm necesse sit nutrimentum in nutriti, aut nutriendi substantiam conuerti, illud in primis notandum, non vnum esse, idémque omnium particularium ciborum temperamentum: atque in hac diuersitate, vnum quoddam non dari toti humanæ naturæ commune, cùm neminem latère excogitemus, nonnullos nostra tempestate arenam, aut pannos lineos pro cibo deuorasse, alios panem vnquam appetiuisse, solis carnibus, ouis, piscibus, & huiusmodi vescentes. Et cùm temperamentum hoc loco dicimus, formam illam, quæ ex tota nititur substantia, intelligimus, cui haud dubiè qualitatum quatuor mixturam quandam inesse declarauimus. Ideoque calidúmne, an frigidum, humidum an siccum, aut huiusmodi tandem habendum, existimandúmque sit, ignoramus: proprietatem autem quandam sæpenumerò particularem in multis experimur, qua alij caseum, vtputa, auersantur, alij absthemij sunt, nonnulli poma, cucurbitam alij, alij aliud odio habent, ac euitant. Memini enim me cognouisse quendam, qui nedum cùm cucurbitam comederet, sed etiam condimenta, in quibus parum cucurbitæ ingrederetur, eius lingua intumescebat: huiusque rationem adduximus in sexto

Vt quid nutriat.

Ciborum diuersa temperamenta.

Temperamentum quid.

Proprietas particularis.

sexto Contradicentium, sicuti & multorum aliorum, quorum obseruatione tantùm, atque experientia, & nulla alia ratione adhuc cognitio habita est: nunc enim temporis vnà cum Galeno ad eam, quam occultam vocant, proprietatem omnes subterfugiunt. Sed hæc missa faciamus, cùm præsentis non sit instituti, de his namque egimus satis in libris Contradicentium. Nunc verò à nobis potissimum consideranda est ciborum substantia, an videlicet crassi, an tenues, an calidi, an frigidi, & huiusmodi naturæ sint, vt quilibet conuenientem sibi ad sanitatis conseruationem eligere possit. Aliis enim crassus conuenit cibus, aliis tenuis, aliis calidus, aliis minus calidus, & sic de reliquis, nec hoc pauci est momenti: sicuti enim videmus animal exuriens quandoque præ nimia edendi auiditate, limum, lutum, & multa alia praua comedere: sic & membra cùm proprium atque sibi conuenientem cibum non habeant, attrahunt naturali quadam necessitate humores prauos, qui in eis putrefiunt, secundum temporis spatium quousque adaceuntur, ac super calefiant, & calidas generant ægritudines, & febres acutas, & alias huiusmodi. Quare Princeps tertia primi inquit: [Ille in quo mala digeruntur nutrientia, ob hoc non decipiatur, quoniam post dies non multos, mali in eo generabuntur humores, ægritudines, & pernecantes facientes.] Quod & sensit Galenus tertio de Alimentorum facultatibus dum dixit: [Non igitur oportet nos in purgandis seminibus, quæ ad esum comparantur, esse negligentes, persuasos etiam si noxam, quæ quotidie fit ob exiguitatem, sensu non percipimus, quod tamen longo tempore ex ipsa aceruatur, tandem erupturum:] Necnon & in secundo loquens de cucumeribus, addidit: [Ob eam igitur causam, ab omnibus praui succi edulis censeo abstinendum, etiamsi ea aliquibus concoctu sint facilia. Nobis enim non aduertentibus, prauus succus ex ipsis post longum tempus in venis colligitur, qui postea exiguam ad putrendum occasionem nactus, febres malignas accendit.] Et ideò dici solet, ne gaudeant malis cibis vtentes, quoniam si in præsenti nocumentum non sentiant, futurum tamen periculum non euadent. Constat igitur cibaria in generali nec absolutè tenuia, nec crassa pro sanitatis conseruatione commendari. Tenuia enim & mollia, & si facilis sint coctionis, & in sanguinem conuertantur, & membris assimilentur facillimè tamen corrumpuntur, nec solidum præbent alimentum, sed imbecille, & exiguum, nec danda sunt ventriculum habentibus calidum, & multam bilem generantem: quia corrumpuntur, & in bilem vertuntur, ideò tales crassos melius concoquunt cibos, quàm tenues, & melius carnem bouinam, quàm hœdinam, & pullorum, & hoc ob vehementiam caloris agentis in chylum cibos tenues superassantis, crassos verò optimè concoquentis. Conuenient ergo tenuia cibaria generantia sanguinem purum & subtilem, corporibus non multum se exercentibus, & debilem calorem innatum habentibus, & illis præcipuè, quæ epatis, obstructionibus, aut alienis, & renum, ac cerebri, & aliarum corporis partium superfluitatibus subiecta sunt. Crassa autem cibaria, veluti sunt lenticulæ, lepores, castaneæ, fungi, fabæ, oua dura, & frixa, caro ceruina, vrsina, bouina, rapæ, crudæ præsertim, phaseoli, pisces duri, & magni, caseus & huiusmodi similia: etsi nullis conuenire videantur, eò quia crassum generent succum, & concoctu sunt difficilia, atque obstructiones faciunt, & corpus aggrauant, & membra, venásque crassis, ac lentis humoribus replent, & chronicis, atque curatu difficillimis affectionibus, corpus disponunt: nihilominùs aliqua reperiuntur corpora, quæ coacta sunt, huiusmodi crassis nutriri cibis, vel consuetudine iam multis annis contracta, vel quia sunt admodum caldia, quæ & multo vtuntur exercitio, somnóque. Ideo solido indigent nutrimento, quòd præstant cibaria crassa, si tamen conficiantur, vt fuit sententia Galeni in libro de cibis boni, & mali succi. Inquit enim: [Quicunque plurimum exercere se possunt, somnúmque pro eo, ac lubet producere, vitámque delegerunt à ciuilibus negotiis procul, possunt sanè hi crassi, glutinosique succi cibus capere: præsertim: si cui post longum horum esum, nullus nunquam in dextero hypochondrio, aut ponderis, aut tensionis sensus oboriatur. In pauca tamen quantitate assumi debent, vt concoqui possint, ne quis sibi persuadeat, dum solido indiget alimento, si plus de eo assumat, eo maiorem sentire debeat corporis restaurationem, imò si plus, quàm par sit assumpserit, vt ea concoquere non possit, tantùm abest vt corroboretur, quod maiorem etiam sentiet corporis molestiam.] Cibaria ergo quæ generaliter laudantur, sunt ea, quæ optimum præbent alimentum corpori nostro, quæ neque crassi, nec glutinosi sunt succi, ex quibus sanguis generatur status mediocris, cum valdè tenuia (vt diximus) vitiosa sint, & quæ ex eis nutriuntur imbecilla, atque macilenta corpora reddantur, ob exiguum quod dant alimentum, qualia ex dicendis colligi poterunt. Eadem ratione dicendum erit de calidis, frigidis, humidis, & siccis. Calida enim valdè, cùm calorem nostrum accendant, ac corporis naturales humiditates exsiccent, atque absumant, vt Galenus primo de Temperamentis, ideò euitanda sunt, nisi fortè corpora valdè frigida forent, & tempore hyemis, ac regione Boreali, quæ tamen pauca esse debent, atque rarò assumi: quicquid dicat Galenus, & ea non solùm quæ virtute, & potentia nimis calida sunt, verùm etiam ea, quæ licet temperatissima sint, actualiter tamen multum calida percipiuntur. Valdè etiam frigida actu, vel potentia euitari debent: frigida enim omnia naturæ sunt inimica, quæ & si aliquando à iuuenibus superari videantur, cùm tamen ætate consistunt, in multos & diuersos morbos incidunt chronicos, & articulares præcipuè, iuxta illud Hippocratis quinta Aphorismorum: [Frigidum est inimicum neruis, ossibus, dentibus, cerebro, spinali medullæ, &c.] vt & Galenus tertio Acutorum, licet in corporibus calidis, tempore æstiuo, ac

Consideranda in cibis quæ.

Nota.

Cap. 7. Mala nutriētur cur euitanda.

Cap. vlt.

Cap. 6.

Tenuia cibaria quæ, & quibus conueniant.

Crassa cibaria quæ, & quibus conueniant.

Cibaria crassa solidam præstant alimentum. Cap. 3.

Cibaria laudabilia quæ.

Valdè calida cur euitanda.

Cap. 2.

Frigida valdè cur vitanda.

18.

Com. 48.

ac regione calida temperatè administrari possint, veluti & sicca, vbi dominatur humiditas. Pro sanis autem & optimè temperatis corporibus, eligi debent cibaria, ad humiditatem temperatam declinantia, quæ non modo vtilia sunt vitæ, sed etiam necessaria, cum calido & humido nutriamur, vt author fuit Philophus primo Metaphysicæ: eorum tamen superfluitates cauere debemus, cùm facilis sint corruptionis. Omnis autem repletio qualiscunque fuerit, semper mala, iuxta illud Principis: [Omnis vehemens satietas, & crapula calorem suffocat, & extinguit, quemadmodum excedens olei quantitas extinguit flammam lampadis, ideò nulla est deterior commestio, ea quæ stomachi grauitatem facit.] Quare qui natura frigidi sunt ventriculi, cauere debent, cùm maior longè eis insit cibi appetentia, quàm concoquendi facultas: & si quis, exempli gratia, plus de cibo præassumpserit, & grauitatem sentiat, à cibo die sequenti abstineat, & longo vtatur somno, varietatémque ciborum euitet, cùm maximam inducat ventriculo inquietudinem, vt Galenus tertio Acutorum, & primo de vsu partium, cùm nihil deterius sit, quàm diuersa nutrientia simul adiungere: velocioris enim sunt corruptionis, & non minus, quàm si quis cibaria crassa, & difficilis concoctionis anteponeret lubricis, & citò penetrabilibus, ac facilis coctionis. Visis tandem vniuersalibus, quæ ad victus rationem pertinent, reliquum est, vt ad particularia descendamus, ac de singulis cibariis in specie, quæ nostris temporibus in vsu habentur, sermonem habeamus, & à pane prius initium faciemus, velut omnium ciborum fundamentum, quem optimum esse, quantum referat, docet Galenus, & Princeps, vt infrà videbimus.

Repletio semper mala.
In canticis.
Qui plus appetunt quàm concoquant, quid agere debet, & cur.
Com. 37.
Cap. 4.

CAPVT III.

De Pane, & eius differentijs.

Panis tria sunt discrimina, à grano, à parte, & à præparatione. Granorum è quibus panis conficitur plura sunt genera. Triticum, Siligo, Millium, & hæc maximè in vsu, præter hæc sorgum, & hordeum fieri potest, & est zea, ac rizo, atque aliis multis. Omne enim granum, seu legumen quod edi potest, dum molitur, ac pinsatur, & coquitur transit in panem. Olim siligini gratia maxima, nunc frumentum omnibus præponitur. Sed ex siligine siligineus, verùm ex flore fiebat tritici. Circa hanc disputationem multa in Auicennæ Commentariis, quæ publicè sum interpretatus, docui. Optimus igitur è tritico, & qui ex similagine, alij præferunt florem farinæ, & qui optimè præparatur, leuissimus his est: flos farinæ tritici aqua decoctionis radicum lupullorum excipitur, optimè pinsatur, fit mollissima pasta, adeò, vt vix in panes formari possit, additur sal, multum fouetur, ac diutiùs reliquo, fermentum est moderatum, coquitur igne leuiore. Hunc vocant Germanicum, quo ego vtor etiam pro ægris. Quod si farinæ zeæ pars tertia addatur, curabit etiam hydropicos, nihil in concoctione prima prorsus negotij exhibens. Partes farinæ etiam olim quatuor, vt Celsus ait, erat flos, quem putant nomine siliginis significari, & vt purior, ita faciliùs concoquitur, & plus alit, sed magis obstruit. Post ex simila, inde quod αὐτόπυρον Græci vocant, & ex polline infirmissimus panis. Præponendus est optimè fermentatus, optimè subactus, sed & mediocriter molli pasta, & mediocriter coctus. Nam hic etiam satis spongiosus est, & satis leuis ponderis, cùm leuissimus haud bonus sit. Sed & ratio habenda est eorum, qui vtuntur: Fossor enim duriore, & magis nutriente, & ponderosiore egebit, qui ventriculi imbecillitate laborat, quique scirrhis iecur paratum habet, leuissimo, spongiosóque indigebit. Aphtopyros indicat naturam suam cùm totum frumentum contineat, & furfuraceus sit. Verum & panis totidem partes erunt, crusta prima, quæ parum alit, dentibus incommoda, maximè imbecillibus, praui, & biliosi alimenti, adeò vt facilè amarescat: medulla, quæ nisi bene paratus sit panis, admodum mala est, obstruitque, quoniam lentum præbet alimentum, & obstruit, crusta tenuis, quæ duriori subiacet in omnibus penè panis speciebus optima, & media crusta, quæ duas crassas interiacet, qua in panibus vti præstat, qui malè conditi sunt, & hac ego assiduè vtor. Est enim boni, & mediocris alimenti, omni ratione dentibus, & ventriculo commoda.

Panis tria discrimina.
Ex quibus panis confici possit.
Panis optimus, ac Germanicus.
Nota.
Lib. 1. c. 17.
Procem. Alim. cap. 1.
Nota.
Panis partes quæ.
Medulla panis mala.
Panis pars melior.

Optimum panem ex conficiendi modo describit Princeps: & dicit illum esse in tanor seu tanur coctum. Est autem tanor figulinum vas, ouali quasi figura oblonga, atque



rotunda, sed non in acutum tendens, crassitie digiti, longitudinis trium cubitorum, latitudinis duorum, altitudinis vnius, aut circa, & in summo tendit in rotundum, habétque foramen angustum, per quod exit fumus: iacet autem clibanus super lateres: circum circa, extruitur laterum strues, cui ignis supponitur, & sub eo etiam, quibus accensis pars intus ponitur, vt totum vas incalescat, inde pasta in placentæ formam digiti crassitudine imposita, exteriùs, atque interiùs æquali ratione coquitur, vt panis fiat incomparabilis, occluditur autem superiùs foramen.

Tanor quid.

Panem præterea optimum esse ait Auenzoar, qui sit eiusdem diei; facilè enim siccatur, & durus fit: pessimus calidus: si non apertè refrigeratur, longè deterior euadit: ergo cùm in aperto debeat refrigerari, oportet vt eius vsus

In procemio sui libri.
Panis [illegible]

vſus ſit ab hora, in qua extractus eſt à clibano quarta, ad XXIV. ſecus ſicceſſit nimis, cruſta autem craſſior debet elidi, medulla intima rarò eſt exactè cocta, optimæ ſunt partes, cruſta media, quæ ſub craſſa, & exuſta latet, & alia quæ duas extremas vngit, vocatur à Mediolanenſibus *l'orlo*, Latinè limbus, ſeu laterarius, & medulla quæ alterutri proximè ſubiacet.

Panis ex mora ſiccus malus.

Cùm autem mora reddat illum ſiccum reſoluto humido aqueo, etiam difficilem reddit ad concoquendum, & ingrati quoque ſaporis, & qui difficulter manditur: peſſimus autem qui ex mora muccoſus euadit. Cùm ergo & durus, & ſiccus ex mora, itidemque muccoſus efficiatur (hic malè olet, & prauus admodum eſt,) neceſſe eſt muccum ſiccitate oriri. Quomodo ergo quod etiam in panibus obſeruaui, contra id quod veriſimile eſt, ex ſicco faciliùs putredo oritur: an quia non in ſicco, ſed in humido, vt par eſt muccus oritur: ſed humido extracto, aut extruſo à calore vicino putreſcit. Indicio etiam eſt ita fore, quoniam ſolum exterius, & intus in ciuitatibus muceſcit. Et qui maximas habet cauitates, tum velut biſcoctus, ſed integer, celerius perſæpè muceſcit ob eandem cauſam. Et ita ſeruatur loco calidiore: ſiccum enim conſeruat, & calor vt ſiccat etiam: ſed vbi plurimus humor fuerit, & craſſus, tunc maximè muceſcit. Oportet igitur calorem ſiccitate eſſe potentiorem: vnde etiam in aëre, & conſtitutione peſtilenti muceſcit aëri expoſitus in paucis horis. Et ſi primum refrigeretur, facilè etiam muceſcit, & loco clauſo, ob id quod nec poteſt vehementes ſiccari, nec refrigerari. Humido igitur externo, & ſicco interiore muceſcit. At qui brumalibus diebus fit, in multos annos ſiccatus ſeruatur, nec muceſcit: cùm non antea caleſcat, quàm exſiccetur. Et ob id mollior panis non facilè muceſcit, niſi in aëre validè humido. Eſt ergo mucor vbique contigerit expreſſo humido, ac à calore externo putrefacto, interiùs autem ſiccato. Qui vult panis artoxyri confectionem intelligere, videat Romæ, quomodo componantur, ac conficiantur Zambellæ ex flore farinæ pinſito, eſt tamen denſior alio communi, licet leuior, ſuauior, candidior, etiam ſi ſaccharum addatur: alij addunt butyrum, tùmque craſſius efficitur. Ex optimo tamen confici debet tritico, non enim ex quouis genere, nec ex quouis loco, nec agro, nec ex quouis aceruo, nec quocunque tempore indifferenter capere nobis fas erit: non ſanè paruo diſtare inter ſe diſcrimine videmus fruges, atque alias aliis antecellere. Italicum namque triticum Siculo, Siculum Germano, Gallicoque, atque etiam hæc eadem inter ſe bonitate certare animaduertimus, pro locorum differentia. Montanum ſemper aliis eiuſdem regionibus præſtat, tanquam magis perflatum, & minus excrementitium: & quod ex agro ſicco, ei quod ex vliginoſo metas: differt enim quod in ſiccis & non pinguibus regionibus natum eſt, ab eo quod in fertilibus, & pinguibus oritur, illud enim tenuiorum partium eſt, & facilè conficitur, mutatúrque, ſed minus nutrit, veluti ſunt ea, quæ in locis exuſtis oriuntur, quæ cum pinguedine careant: & nutritione, triticum album, & laxum efficitur, an quod in pinguibus & fertilibus locis naſcitur, copioſa & ſolida materia educatur, ideò denſum & graue eſt, atque multum alit, ſicuti quod in locis calidis oritur, quod enim in frigidis tenuium eſt partium, & exigui alimenti. Et quod paluſtre eſt, alimento vacat: eſtque leuius, & vitioſum ſanguinem facit, etiam cuiuſnam ponderis, caloris, conſtitutionis, guſtus, atque odoris ſit inquirendum. Pondere enim cunctæ commendantur fruges, ponderoſúmque probatur triticum, & in colore ruſeſcens, cum nitore. Denſum conſtitutione, ac firmum ſit granum, compactúmque, & minimè rugoſum, quod ſi teratur dentibus, facilè deprehendetur, guſtus quoque naturam deteget, ſicuti & odor. Quod enim graueolens eſt, & guſtui iniucunditatem affert, perſpicuum eſt id mali ſucci eſſe, & difficulter concoqui, ſitque medium in ætate, nouum non laudatur, nec antiquum, nouum enim præ nimia humiditate, ac viſciditate, difficilè concoquitur, & flatus, ac ventris rugitus generat. Antiquum verò ſiccum eſt, & minimè nutrit. Mundum etiam ſit à granis aliis illaudabilibus, vt lolio, cicerculis, & huiuſmodi, nec aliqua mala qualitate ſit affectum, & eius farina, pro pane conficiendo optimè ſit emolita, & non adeò tenuiſſimè, vtplurimum furfuris habeat, illa enim nigrior redditur, & ſanitati obnoxia, ob ſubtilis furfuris quantitatem ei admixtam, ex qua furfuraceus fit panis, quem parum alere experimur, ventrémque multis excrementis implere, & facilè ſubſidere, propterea quod furfur leuem habet deterſoriam facultatem, qua inteſtina irritantur, & celerius fit deiectio, eius namque natura calida eſt, & ſicca, & mundificatiua magis, quàm farina, & pauciſſimum præbet nutrimentum, quinimò peſſimum, cum panis furfuraceus melancholiam generet, teſte Principe. Quantò ergo panis purior, & à furfure magis immunis fuerit, tantò meliorem generabit humorem, tardioris tamen erit deſcenſus. Quapropter farina ſufficienter & non ſuperfluè molita eſſe debet, vt craſſi remaneant cortices, nec poſſint cribrari: ex huiuſmodi enim fit panis in primo gradu excalefaciens, qui tamen copioſiore indiget fermento, non tamen ſuperfluo, multáque ſubactione, alioquin illius maſſa lenta admodum fuerit, & ponderoſum reddet, qui tardè deiicietur, & difficulter concoquetur, atque panis azimo ſimilis fiet, qui grauiſſimus eſt, & athletis tantum conueniens, de quo loquitur Galenus primo de facultatibus alimentorum. Et quamuis aliæ ſint panis ſimplicioris ex materia differentiæ, vt ſuperiùs diximus, quia tamen ferè in vſu non veniunt, niſi in maxima tritici inopia, ac inſigni annonæ charitate. Ideò ſufficiet nobis de omnibus egiſſe in Auicennæ commentariis: quæ breui, fauente Deo, in lucem trademus, cætera verò proſequemur, atque de aliis frugibus, fructibus, & plantis, ſuis locis agemus.

Panis quomodo muceſcat.

Quid mucor.

Triticum bonum & malum.

Farina qualis.

Furfur vires.

Panis azimus. Cap. 2.

CAPVT IV.

De Chondro, & Alica.

Chondrus.

CHondrus nostris temporibus non inueniri existimo, cùm ex zea olim fieret dicoco, id est, duo grana habente, vt author est Oribasius in duodecimo collectaneorum. Vnde vno principio incognito tot accidunt errores, vt nunquam postea possint explicari. Id autem est cum à Galeno accipiamus vires alimentorum, non disputandum quid illæ voces apud alios nisi deficiat authoritas, tum verò ad proximos & eius linguæ scriptores, & qui diligenter cuncta prosecuti sint veniendum. Fieri enim potest vt gratia exempli chondrus Galeni non sit Hippocratis chondrus, nec Plinij chondrus, Galeni, & sic deinceps. Quod si in vnum consenserint, dubio procul & nobis ipsis, & aliis satisfactum erit studiosis magis auræ popularis, quàm veritatis ipsius, si non idem tamen momentum habebit sola Galeni authoritas, quod omnium aliorum adiuncta: sufficiet ergo docuisse chondrum fieri ex dicoco, id est, zea duo grana habente, vnius loco nota Dioscoridi, non nota Plinio, cum in Græcia nasceretur, ideò etiam Hippocratis tempore notum chondrum fuit, zea est quam speltam vocamus, proximior naturæ frumenti, & similior hordeo, vnde etiam granum quasi per excellentiam appellabatur: Et inde etiam in Etruria dicocum habetur, & quamuis omnes fermè medicorum Græcorum interpretes, alicam Romanam cum chondro eandem esse existiment, & chondrum alicam interpretentur. Paulus tamen aliam à chondro alicam facit, dum inquit. [Chondrus inter frumentacea valenter alit, succúmque lentum parit: elotus verò nociuus est: quoniam promptè crassescens incoctus permanet.] Succus autem integro chondro salubriter erit, si vti ptisana probè, exactéque coquatur. Alica verò chondro quidem similis, sed magis aluum cohibet, sed alij sunt qui diuersimodè chondrum, & alicam parant, & etiam diuersimodè appellat, quidam enim medicorum triticeam ptisanam chondrum vocitant, alij ptisanæ confectionem, nonnulli ex chondro ptisanam. Ex chondro etiam diuersæ solent fieri sorbitiones, quas omnes vitandas esse consulimus, eò quia succus eius aquæ cùm sit commistus, plurimam postulat coctionem, quæ vix nisi temporis processu, maximámque cum diligentia assequi potest, si tamen exactè coctus fuerit, boni quidem succi erit vt diximus, sed crassi & lenti & valenter nutriet. Verùm qui iecoris obstructionibus obnoxij sunt, & ad calculos renum gignendos apti, eius vsum euitare debent. Alica tamen in vsu est, quia zea vnius grani copiosa nascitur in Italia, cum sit antiqua, & Plinio nota, chondrum non, quoniam diococum non: ob id chondri nomine & alica, & chondrum vt genus significatur, quandoque chondrum solum, vt ab alica distinguitur. Nutrit chondrum vtrunque melius hordeo, & plus, & ventriculo salubrius, si vt ptisana præparetur, magis tamen astringit ventrem, & imbecillius est tritico, neque igitur chondrum far est, sed far quo vtimur, & ex zea fit, & ex hordeo, & ex frumenti quodam genere. Ob præparationem igitur malum est far. Alica autem vt testatur Galenus diutius in ventriculo manet, & bilem ipsam comprimit, nec ab illa corrumpitur, vt duodecimo Methodi, dum de febre agit quæ syncopem excitat ex tenuitate humorum, & exhalatione, nam inquit: Non ptisanæ cremorem dabis, sed alicam, cum astringentibus, seu austeris, quæ non facilè corrumpuntur. Consulit etiam adiicienda esse alicæ, non solum anethum, & porrum, sed calaminthum, & pulegium, & hyssopum, ac piper, libro de Attenuitate victus ratione. In vniuersum multum, & bene, & tardè, nutrit alica, crassúmque, & lentum, frigidum & humidum, præbet alimentum.

Iuxta finem. *Lib. 2. c. 80.* *Zea quid.* *Alica Roman. Lib. 1.* *Ex chondro sorbitiones malæ.* *Alica vsus.* *Lib. 18. c. 11.* *Cap. 6.* *Cap. 6. Alica alimentum.*

CAPVT V.

De Pulmentis, ac Placentis, quæ ex farina triticea fiunt.

Pulmentum quid. Lib. 22. c. 25.

PVlmentum esse antiquissimi cibi genus, ex farina maximè triticea, & nobilior ex simila & aqua constans, ex Plinio manifestè colligitur, additis interdum ouis, melle, vel caseo: quo longo tempore panis loco Romanos vixisse, ipsemet affirmat, & Paulus etiam obiter testatur. Estque multi alimenti, & edulium potens, si rectè in robusto ventriculo conficiatur, sed crassum generat succum, & cum diutiùs hæreat, ægréque descendat, nec crassitiem euincere possit calor innatus, certam crudioris humoris materiam admittet, eodémque sæpenumerò cunctas corporis partes replebit, & vias, maximè natura paulò adstrictiores infarciet, ita vt modo iecinori grauitatis cuiusdam sensum inferat, modo lienem, imbecillum adaugeat, & turgidum reddat, atque modo calculi renibus gignendi materiam præbeat, quòd & si crassitiei visciditas adiuncta fuerit, geminatum fiet malum, non solum enim præ crassitie obstructiones fiunt, verùm etiam præ visciditate, adeò tenaciter adhærent, vt omnis alimenti distributionem, vniuersique nutritionem impediant, & pessimorum semper affectuum sunt in causa: quare nihil nocentius excogitari potest eis, qui renum calculis laborant, cùm crassities sola haud in lapidem facilè conuertatur, facillimè verò coalitur, si ei visciditas associetur. Placentarum etiam varia, & multa extant discrimina, vt Athenæus recitat, tum à ratione coquendi recipiuntur, tum à materia, ex qua finguntur, tum à patria, tum à figura: vt quæ ex oleo solo in sartagine parantur, & farina triticea aqua imbuta, quarum multæ habentur species, quas cùm rustici, tum vrbani pauperes ex tempore parant. Aliàs etiam in clibano assant, deinde extrahunt, & statim mel super inijciunt, & huiusmodi

Lib. 7. Pulmenti vires. *Obstructiones.* *Placentarum differentia. Lib. 14.*

Bononiæ

Bononiæ venduntur. Ex lacte etiam, caseo, ouis, butyro, melle aut, saccharo subactis cõflantur. Ex fructibus quoque arboreis, cerasis, prunis, malis, pyris, atque id genus, & ex oleribus finguntur: possuntque toto ferè anno in vsu haberi, sunt namque placentæ vernæ, æstiuæ, autumnales, atque hyemales. Alias etiam pistores forma oblonga fingunt, alias sphærica, orbiculari, alias triangulari, aliasque varias figuras ad libitum repræsentant. Atque harum quædam sunt vni ciuitati peculiares, quædam alteri, & sic de singulis. Quæ autem ex farina triticea, atque oleo in sartagine parantur, crassi sunt succi, atque aluum astringunt, ideò si mel, vel sal, aut saccharum eis admisceatur, vel fermentum addatur, vitia quibus maximè præditæ sunt, minora reddentur, vires etenim obtinent crassos, & lentos attenuandi, dissecandique humores: adsunt & multa alia huiusmodi composita, vt lagana, foliata, & foliatula, & crustula, & cætera ex diuersis obsoniis conflata, quæ omnia habenda esse crassi, glutinosique succi, ex quorum vsu humores semper crudi copia, obstructionumque frequentia vniuersum corpus scatebit, earum maximè partium, quæ meatibus paulò angustioribus natura constant, vt iecur, renes, atque lien; & ideò qui eis aliquando dum sani degunt vti volunt, attenuantium vi succurrant, mel enim additum, vel saccharum, sal, & huiusmodi multum noxæ adiment, & si probe concoquantur, atque in sanguinem vertantur, valenter alunt.

Placentarum vires.

Nota.

CAPVT VI.

De Hordeo.

Hordei facultates.

AD varios, præclarosque medicinæ vsus, ab antiquis hordeum vsurpatum fuisse constat, ita vt à multis nobilissimum frumentum appellatur, cùm sæpè ac sæpius agricolarum, pauperumque famem solatur in egenis rebus, atque annonæ æstu: satis constat corticem habere externum crassum, siccum, valdè aspersum, & furfuraceum colore, qui tamen substantia est crassior, intus est farina, in medio palearis: forsan ob colorem sed ob substantiam tenuis, & minus siccus, externo frigidus fermè æqualiter. Farina ergo est frigida & humida, & totum ob id manifestè est frigidum, sed declinat ob cortices ad siccitatem non magnam, ob quos etiam detergit, cùm etiam ipsa farina, sed minus omnibus: vt exterior cortex plus aliis partibus, medius medio modo, ipsum etiam, & præcipuè farina illius flatum excitat. Elige ergo medium inter nouum, & vetustum, quod tamen ad vetustatem declinat, longè deterius est, id verò minimè rugosum esse debet, & sit ponderosum, & quod inter coquendum magnam in molem attollatur, tale enim humidum habet lentum, mixtum benè, ac tenue, plurimumque: & ideò dùm benè feruet, attollitur. Brasauolus addit quod sit candidum, sicuti & Galenus tradit, laudatissimum esse hordeum, quod vbi fractum, & pinsitum sit, candorem repræsentet, quodque densum, ac ponderosum, (quantum hordei natura poscit) item quod plenum & exteriùs tensum, idque vel in panificiis, vel polenta, vel ptisana, vel farina, aut quovis alio vsu cibario, atque medicamento paretur: vim quandam refrigerandi obtinere cernes, sed pro apparatus modo, variè tùm humectabit, tùm exiccabit, tenuemque parit succum, & detergentem, sed non malum, ob id omnes ptisanam, ex hordeo, boni esse succi prædicant, si aptè concinentur, licet tenue, & exiguum alimentum præbeat, vt infra.

Qualis hordei farina.

Hordei electio.

CAPVT VII.

De ptisana, ac polenta.

Ptisana melior.

CVm de ptisana sermo simpliciter fit, mos apud omnes authores est, vt de hordeacea intelligatur, quæ omnes alias perfectione & bonitate excedit: multiplex enim legitur, & cruda, & ex aliis granis constans, tùm & multa alia sunt ei similia, vt pulmentum, polenta, maza, cyceon, alica, chondrum, & huiusmodi cætera. Verùm eius condiendi ratio incerta esse videtur, cùm ab authoribus rem notissimam esse putantibus, id neglectum sit, vt ex Plinio colligitur, qui libro 18. inquit: Ptisanæ conficiendæ vulgata ratio est, quare eam describere neglexit: apud nos verò non solùm non vulgata est, sed adeò ignota, vt non pauci committantur errores in ea conficienda. Et quamvis Galenus primo de Alimentorum facultatibus, de cruda ptisana mentionem faciat, quia verò nostro tempore in vsu minimè venit, curam non adhibemus, sed de cocta tantùm sermonem habebimus, quæ ex tribus constare patet: ex aqua nempè, hordeo, & coctione, vt ex Hippocrate desumitur, qui solius hordei, aquæ, & coctionis meminit, & non alterius rei. Etsi aliud ei necessarium fuisset, id silentio non præteriisset, imò inquit: Hanc esse solam, quæ in morbis acutis, qui cum febre vehementissima sunt, conuenit. Ptisana autem Galeni recipit postquam intumuerit, acetum, cum verò cocta fuerit, salem, addit autem & oleum ab initio, nec id vnquam reiicit, existimans ad coctionem prodesse, admittit nonnunquam anethum, & porrum. In quinto autem de Tuenda sanitate, præparat ptisanam pro senibus cum pipere. Dicebat in lib. de Attenuante victus ratione. Piper ptisanæ adiici debet, quia deterget validiùs. Collaudat autem vt ptisanæ hordeaceæ in regimine sanorum pedes suilli coquantur, vt tam pedes, quàm ptisana meliores reddantur. Oribasius verò in quarto synopseos ea babet, quæ à Galeno scripta sunt in primo de Alimentis, & in lib. de Ptisana. Addit autem quantitatem aquæ decuplum in primo capite, in vltimo quindecuplum. Dicendum ergo videtur hordeum, quod apud Græcos erat, faciliùs esse coctu, tùm aquas leuiores. Prò conficienda tandem ptisana cocta, accipiendum est hordeum integrum, glumis, & corticibus liberum, & aquam optimam, quæ

Cap. 7.

Ptisana ex quibus.

Cap. 1.

Cap. 14.

Cap. 11. in init.

Cap. 35. & 37.

Ptisanæ præparatio.

lucida, ac diaphana sit, omnis odoris, & saporis expers. De quantitate verò aquæ, & hordei, nihil certi nunc temporis habetur: alij enim pro qualibet parte hordei, quindecim accipiunt aquæ, ad perfectam cocturam, vt Paulus. Oribasius verò pro vna parte hordei, decẽ aquæ assumit. Brasauolus autem triginta & triginta quinque partes aquæ pro vna hordei: imò fatetur se experiẽtia cõprobasse alitar nõ posse, si perfectè coqui debet, & optimè intumescere, & lento igne coquatur, donec, succi fluant, diutiùs agitando. Nunc verò temporis hoc modo communiter parant, accipiendo hordeum egregiè purgatum, atque à corticibus mundatum, & in aquam absque pondere bulliendum ponunt, donec grana optimè dehiscant, & aqua sit probè rubra, deinceps in mortario pensant, vt per cibrum setaceum, quod liquidius est, trãsmittatur, quod iterum in aqua, vel iure percoquunt, & zucharo addito concedunt, quæ pluribus sapit, pro ratione temperaturarum, & vsus, & hæc vtilis est deiectioni appetitus, & languido ventriculo, & febribus non violentis, dum benè cocta fuerit, & partem flatuosam penitùs dimiserit. Quæ siue integra, siue percolata, siue cuiusmodi nunc vsus est, iusculenta sumatur omnes illas habebit dotes, ab Hippocrate in libris de Victu in Acutis enumeratas, quas hîc recensere non attinet. Nec crudi, incoctique succi collectionem, ex crassitie, quam nullam habet veriri oportet, neque meatuum infractum ex glutinositate, quam habet, sed innocuam, leuem quippè continuam, mitem, lubricam, minimeque hærentem, & ad succi bonitatem nihil illa præstantius. Succum tamen tenuem, abstergentemque gignit, & ob id omnibus acutis morbis vtilissima est, sed sanis corporibus, malus est ptisanæ vsus ad vitæ longitudinem. Vnde Brasauolus in hoc errauit pro semetipso, qui cum fermè continuò ptisana vteretur, primum senium adimplere non potuit. Dicebat enim Hippocrates: [Cibaria imbecillia breuem efficiunt vitam.] Ptisana autem cùm imbecillis sit, tùm quia non multum nutrit, tùm quia frigida. Imbecilli enim victus frigidi, validi verò calidi. Ideò sanis corporibus minimè conducere videtur, cùm vix nutriat, refrigerat tamen, & humectet, & sitim sedat, & æstum, ac pectori amica est. Sed in ventriculo frigido facilè accessit. Superest modò vt de Polenta agamus ob similitudinem, quam habet cum ptisana, fit enim ex hordeo (vt Galenus inquit) recenti mediocriter frixo, pluribusque aliis modis fieri potest, vt docet Plinius lib. decimooctauo. Suaueolentissima verò est, & boni odoris (inquit Galenus) si rectè facta fuerit, quæ ex optimo ac recenti hordeo, quòd aristam non admodum habet siccam, confecta est, parùm & ipsa nutrit, cui verò si liquor aspergatur, mala appellatur, & cum hoc, quòd parùm nutrit, ægrè etiam conficitur, & flatuosa est, & praui, ac crassi succi, quæ & si melle condita malitiam ex parte amittat, omninò tamen bonitatem ex toto nunquam conciliabit, ideò malus est eius vsus.

Ptisanæ vires.

Brasauoli error.

6. Epi. par. 5. Tex. 2. 1.

Polenta quæ.

Polentæ vires.

CAPVT VIII.

De Aqua hordei.

QVomodo conficiatur aqua hordei, quæ modò in communi est vsu, apud Hippocratem, & Galenum, non videtur aliqua mentio. Apud Arabes verò multi de ipsius confectione, atque diuersi inueniuntur modi. Nam alij pro vna parte hordei, decem aquæ accipiunt, alij quinque tantùm, alij viginti, vt Princeps, & Mesues, & hoc partim euenit ob diuersas eorum intentiones, quando enim multa obluitione, & humectatione, ac refrigeratione indigent, multam aquam apponunt, & parùm decoquunt. Vbi verò potiùs abstersione, & nutritione contrarium agunt: plus enim hordei accipiunt, & minorem aquæ quantitatem, & plus decoquunt. In conficienda ergo hordei aqua, cæteris posthabitis, Principem ac Mesuen sequi debemus, Princeps enim Auicenna prima quarti libram vnam hordei optimi, depilati, & fricati cum panno aspero, fricatione vehementi, vsque ad excussionem corticum tenuium, & aquæ optimæ libras xx. & infusum in ea permaneat per quatuor horas, dein bulliat lento igne vsque ad consumptionem medietatis aquæ, vel donec aqua reducatur ad octo libras. Vel ex Auerroë, & Auenzoar donec rubedinem adipiscatur, vel quousque hordeum crepuerit, quæ coctio in communi vsu habetur: huiusmodi ergò aqua hordei refrigerat, humectat, sitim sedat, somnum prouocat, vires ob hæc febricitantium restituit, temperat enim corpus, sudorem prouocat, lenit pectus, nihilominus hypochondria inflat, & ventriculum labefactat, iecur debilitat, humores crassos reddit, ac lentos, sacharo, atque melle, & cassia, lignea vitia illius emendantur, cumque flatus gignat, flore fœniculi emendatur, qui etiam adiuuat ad sudores, velut & flos, & semina lupulorum.

Multis modis aquã hordei parari poss.

Tra. 2. c. 9.

Aqua hordei vires.

Correctio.

CAPVT IX.

De Olyris & typhis.

OLyra est semen, quod in orientalibus præcipuè partibus nascitur, ab Italisque *Segala* appellatur, à Plinio verò farrago. Gratissimus est eius vsus in panificiis rusticis, & infimæ, mediæque plebi potentiorum, ac procerum mensis abdicatur, licet quandoque consilio medicorum tritico misceatur ad aluum emolliendam. Quæ verò ex sola ipsius farina fiunt panificia, atra & ponderosa sunt & ventriculo ingratissima, concoctuque difficillima, & insignem grauitatem afferunt, atque viscera obstructionibus implicant, quin & mali sunt succi, crassi, lenti, & melancholici, & in renibus calculos gignunt, estque frigida, argumento quod flatus multos procreat, inde etiam panis acorem citò contrahit, coloreque nigra est, inopia

Olyra quæ.

Panificia ex olyra.

Olyra vires.

pia caloris arbitror,& quãuis Oribasius olyrinos panes post triticeos cũctis aliis præferat:de ea tamẽ,quæ in Oriẽtalibus partibus, & Septentrionalibus oritur,olyra intelligit, quæ dubio procul candida est, & bona, ex qua & panes optimi conficiuntur, quibus nobiles etiam Septentrionales cum butyro aluntur, à quibus tiphini panes, à tipha sic dicti parum differunt,qui,referente Galeno, calidi adhuc furni caliditatem retinentes,minimè verò duri, trium, quatuorve dierum edendi sunt. Est enim tipha semen in Asia frequens, parum à zea differens tritico per quam similis,& Asiani sua voce *Brizam* vocant,ex eáque panes conficiuntur, qui si calentes non sint ventriculo eximium pondus procreant,ac si lutum concretum illic resideret,valenter tamen nutriunt,sed succum melancholicum pariunt, quemadmodum & ij, qui ex vitiosis, ac improbis seminibus fiunt, quæ non magnopere exquirenda reor,cùm melioribus, & salubrioribus abundemus.

Tipha quæ. Panes ex tipha.

CAPVT X.

De auena, milio, panico, & farre.

VVlgatissimum granum est auena, iumentorum potiùs, quàm hominum cibo deseruiens, ex cuius farina Germanorum nonnulli pulticulam parant, eamque non minùs ægrotis, quàm sanis edendam apponunt. Calidam Galenus primo de alimentorum facultatibus facit:sexto verò eiusdem frigidam,quod nisi de ægylope dictum accipiatur,calore tamen tiphæ similem fecit,quæ si cum zea æstimari in hoc debeat, quæ tritico frigidior habetur,iam non multùm à temperamento abscesserit auena,nec eam humidam,nec siccam affirmare possumus,cùm nec aluum emolliat:nec adstringat,etsi ab hominibus minimè edatur, nisi ingens meliorum frugum penuria premat: panes enim ex ea confecti, ingratissimi omninò sunt, & corpus parum alunt,& mali sunt succi. Lituaniæ gentes ceruisias ex ea conficiunt, velut & ex aliis frugibus, & Moschouitas ipsam sublimare audio, & aquam eiusmodi elicere, qualem ex vino sublimato ardentem, quam aquam vitæ vocant, adeò nihil intentatum relinquit homo,vt ebrietatem sentiat. Panicum verò,milium, & orizam sicca sine controuersia statuimus, & panicum, ac milium, frigida dicemus, orizam ex Arabibus, calidam alij faciunt, temperatam alij dixere, quocunque modo sumptam, diligentique à me animaduersione obseruatam excalefecisse ventriculum, effatu dignum non sensi, nec alios sensisse audiui, cùm quærerem temperatam in hoc crediderim. Milij ergo, & panici similis penè natura, facilè enim vtrumque granum concoquitur,quod leue sit,molle,& parum alat. Cùm verò cibi laudentur, hoc ipso quod suaues sint, multùm alant, & bonum præbeant alimentum, facilè concoquantur, & celeriter distribuantur, mollemque efficiant aluum,in omnibus his milium Asiaticum panico præponitur. Italicum autem non ita:quinimò præstantius est, panicum siquidem propinguius temperamento, milium enim frigidius est, & ventriculo minùs inimicum, si in iure coquatur: panis tamen ex panico vbique deterior est. In ferculis suauia redduntur hæc grana,si condiantur cum iure pingui, lacte, oleo amygdalino dulci, & aqua cum furfure cocta.Panis è milio minùs nutrit, quàm ex siligine, sed cum illa quasi temperatum in humido & sicco præbet alimentum. Appello siliginem segalam Italicam, id est, frumentum oblongum & leue.Parum nutrit & ventriculo nocet milium,tardè concoquitur panis è milio.Fercula(vt dixi) è milio satis celeriter, sed faciliùs panicum: tardè distribuitur vtrumque, sed miliũ tardiùs, & magis flatus gignit.E milio nouo & frumento panis fit candidus, quem multi libenter edunt, non tamen boni alimenti,nec suauis prorsus. In vniuersum milium mali est alimenti, quovis modo sumptum:panicum autem in pane deterius, in ferculo melius,vtrumque conditum maximè cum carne suilla,milium cum lacte,panicum efficitur temperamento proximum. Milium nomine multa grana circumferuntur, velut loba, & quicquid insuaue est, & copiosiùs prouenit. Bruyerinus affirmat ex musto & milij farina fermentum fieri quod in annum perdurat. Qui nunc scribunt dum alios sequuntur,tria simul faciunt, cum errantibus errant,si benè dicunt, in aliquo semper deficiunt,& nihil addunt velut hîc in famem panici in ferculis vsum reddunt, ptisanam nesciunt aut exhibere non nisi magno tædio possunt. Panicum & orizam damnant quàm facilè,& vtiliter præbere possent:præferunt far,putantes esse alicam deteriùs his,in omnia confundunt,nam febrientibus, & imbecilli ventriculo cum iure pingui meliora sunt. Quod autem far, vulgare non sit alica, sed per se tritici genus,licet ex zea & hordeo fieri possit,vt suprà diximus: id sanè ex plurium probatissimorum auctorum scriptis apertissimè constat,& ex Galeno septimo de compositione Med.secundùm locos,nec non & ex Aëtio,qui & ipsum facere docet, dum inquit: Frumentum modico tempore aqua madefacito, indeque extractum, ac in pilam coniectum, veluti ptisanam à cortice repurgato. Vbi verò corticem exuerit,tollito, atq; in sole siccato: deinde manibus tritum, donec penitus à cortice fuerit mũdatum, crassissimè mollito, ita vt granum vnum in quatuor,aut quinque partes redigatur, & siccum asseruato. Vsus autem tempore, alicæ modo coquitur, & à sanis in cibo sumitur. Pro ægris verò variè apparatur, & epithematis quoque admiscetur.Quidam spicas frumenti adhuc virides tollunt,ex ipsisque far concinnant, quo modo & suauiùs (& iucundiùs redditur,& hæc Aetius. Quibus patet far alicam non esse, & ipsum boni esse succi scribit Galenus quarto de Tuenda sanitate,& tale quod vitiosum humorem in ventriculo contentum emendare possit. Lentorem verò eius (vt ipse scribit) corrigi debere adiectis aceto, & porri modico, aliter obstructiones parere,estque multi nutrimenti, qua crassum generat succum,sed difficilè concoquitur.

Auenæ temperamentum. Cap. 14.

Panes ex auena.

Panici & milij vires.

Nota.

Panis ex milio & frumento.

Nota.

Far quid.

Lib. 9 cap. 45.

Farris facultas.

CAPVT XI.

De Oriza.

Nota.

QVi post Galenum scribunt, quasi de rebus, quas nunquam viderint, scribunt, adeò vt ne verbum addentes: & si quid longiùs ipse tractauit, imperfectè doctrinam tradunt, si concisè ille, ipsi minimè supplent. De ea igitur tractans quatuor in rebus comparat alicæ, quòd difficiliùs concoquatur, quòd minùs nutriat, quòd sistat aluum, & quòd minùs suauis sit. At verò vel sic mediocriter nutrire potest, cùm iam dixisset alicam multum nutrire. Dictum est, quæ concoctu difficilia sunt, debere multum, ac bene coqui, id declarat Hippocrates, vt multa aqua, & magno igne, & diu coquatur. Præterea si excoletur, velut de alica dicit, faciliùs cremor ille concoquitur: admistio autem melle, aut saccharo, suauius edulium est. Qui verò addunt amygdalas contusas, plus addunt ad concoctionis difficultatem, quàm ad suauitatem. Difficillimum est cognoscere quando exactè cocta: sed vnus è meis discipulus Rodulphus Syluestrius rectè animaduertit, & mouit me, quod cùm coctum est, longiùs euadit ex besse fermè, fit etiam candidius multò, mollius, atque suauius: sed antequam coquatur calida, ipsam abluere sæpiùs præstat: nam puluerulenti secum multum habet, quod omninò noxium est, seu ex propria substãtiæ carie, seu aduentitium. Coquitur autem cum iure ob siccitatem, & vt melius fiat, & gratius, cibus est præterea fermè totius Orientis, & oritur in paludibus, & aquis, vbi alia segetum genera non proueniunt, cum cortice datur gallinis, & fœcundas ouorum efficit. Conficiunt etiam qui vinum non bibunt ob legem ex ea potum suauem, ac parum vino inferiorem, sed addere oportet aromata, & mel, saccharúmve. Destillatum autem etiam inebriat communi ratione omnis segetis, vnde magis longè vitia granum illud paruum, nigrum, quod plusquam vellemus, abundat in frumento. Princeps laudat vt condiatur cum lacte, & oleo amygdalarum dulce, & sacchero: si consuetudo ferat, admitti possunt, secus forsan melius est ius carnium, vt dixi: calida est in initio secundi ordinis, aut in fine primi, & parum astringit. Difficiliùs autem est cognoscere de farre cùm coctum est, sed fit candidum, & ipsum valde, ac molle admodum, & intumescit primum, inde dissoluitur. Et ideò dissolutio est generale, & certum signum horum, & suauitas in gustu: & oriza auget semen, & purgat humidum ventriculum, si sola edatur. Fermè imputrescibilis est, impinguat humida corpora ob temperamentum, & sicca, ob id quod ea bene nutrit, seu cum lacte, seu cum iure: panis tamen ex ea confectus vix subiicitur, & grauior est, quamuis nihil sit, quod non possit præparatio. Creditur ex India deluta: certè magnus est vsus in Oriente, vt dixi, sed iam diu Italiæ cognita, cuius meminit Theophrastus. Fit ex oriza cibus ille Hispanorum, adeò commendatus ab illius, quem vocant album. Constat ex farina ipsa orizæ, & carne capi, amygdalarum lacte, succo limonij, & saccharo plurimo, est candidus, & suauis, sed ægris non exhibendus, paucis immutatis, etiam ægris vtilis erit loco enim farinæ orizæ, ipsius orizæ exactè in iure coctæ substantiam apponam, omittam amygdalarum lac magis curiosè, quàm necessario, vel vtiliter adiectum, aut etiam ad gratiam vllam, alas capit benè elixatas magis, quàm assatas, & diu contusas cum saccharo, & limonij succo: sic enim vtilis erit si paululum cum modico iuris coquatur, habet enim partes & ad salubritatem, & ad gratiam inter se conuenientes: nam & benè nutrit ob alas capi, & orizam, & multum, & facilè, & friabile exhibet nutrimentum, & ob succum illum temperatus est, & minimè obstruit, & putredini minimè obnoxius, & eius noxam ad ventriculum emendant renouata coctio oriza, saccharum, & quicquid iuris admistum est, præterea etiam capi caro, & sanis etiam multò magis confert.

Cap. 7. Inter orizam & alicam discrimen.

Cap. 6.

Rodulphus Syluestrius.

Coctio orizæ bona.

Potus ex oriza.

Orizæ temperamentum.

Panis ex oriza.

Lib. 4. de hist. plant. cap. 5.

Cibus albus Hispanorum qui.

CAPVT XII.

De Fabis, ac lentibus.

QVa de causa fabam nostram ab antiquorum faba diuersam crediderim, in Commentariis super libros de victu in Acutis, satis diffusè declaraui, eiusque naturam ostendi, quod & partim ex Galeno elici potest in primo de facultatibus alimentorum: est enim amplior nostra, humidior, excrementosiórque. Multiplex ergo fabarum est vsus, ex his enim tentatur panis, frumentaceisque apud quosdam populos miscentur, & liquida plus in ollis conficitur, & spissa in patinis, fit etiam cum ptisana, & viridis etiam, ac recens, à nostris in re escaria commendatur, & ex iis iuscula parantur, hocque edulio vtuntur quotidie gladiatores, & quia substantiam non habent fabæ densam, nec grauem, sed fungosam, ac leuem, corpora eorum carne densa, ac constricta (veluti caro suilla) implent. Et nostrates eas priùs mola frangunt, deinde percoquunt, ac delibrant, & in crassumen quoddam album reformant, quod in vrbe diebus Quadragesimalibus emitur, atque in patinis ex oleo, aut butyro etiam lento igne paratur, & plebs peculiariter edit: nec ingratum est edulium, quamuis perpetuò sua ei insit flatulentia, quam nunquam ex toto admittunt fabæ, licet ad summum elixentur, minor tamen in fractis reperitur, & hoc habent commune cum cæteris seminibus, & leguminibus, exactam maturitatem haudquaquam adeptis, crudos, crassos, pituitosósque succos generare, & humidum alimentum vescentibus præstare, & excrementosius, & proinde virides leuius, alunt, quàm siccæ. Nocent omnibus dolorem capitis patientibus, & difficilis sunt coctionis, & tardi descensus, & obstructiones generant: & quia frigidæ & siccæ,

Faba antiquorum à faba nostra.

Cap. 36.

Fabarum vsus.

Fabarum vit.

siccæ, ideò alui fluores sistunt, & crassum procreant succum, & crudum, & flatus in superioribus ventris partibus faciunt, ideò mirùm videri minimè debet, si frequentiùs cholico dolore conflictentur, & ructibus concrepent, qui eis assiduè vtuntur, indigestionem patiuntur, & inflationem. Quapropter calefacientibus, & attenuantibus corrigi debent, quemadmodum corriguntur alia cibaria flatulenta.

Lens. In lente autem nihil statuimus in vniuersum, ob diuersarum facultatum mixtionem, est enim legumen vulgò notum, quod comeditur, & in cibi vsum hominibus venit, & si præter rationem operentur: cùm Galenus primo de ratione victus inter medicamenta *Sect. 18.* lentes reponat, & non cibaria, corticem namque astringentem habent: quæ verò ipsarum est, veluti caro, crassi succi est, & terrei, licet earum succus astringenti sit contrarius: si *Lentis vires.* quis enim eas in aqua coxerit, dein iusculum illud sale, aut garo, aut cum oleo condierit, atque ipsum assumpserit, haud dubiè illi venter soluetur, verùm si bis cocta edatur, aluum sistit, & ventriculum, ac intestina mirè corroborat, quod etiam brassicæ peculiare inesse certum est, & si à cortice expolietur, vim astringendi deponit, sed crassum, improbumque succum parit, atque descendit tardè. In vniuersum enim edulium hoc mali, atque improbi est succi, & melancholici: nec satis *Medicorum error.* mirari possum eorum tam stupidam Medicorum ignauiam, qui lentes ægrotis exhibent, & maximo (vt dicunt) iuuamento, cùm sæua secum adferunt symptomata, conenturque non solùm in morbis chronicis quàm pluribus, vt quartana, scotomia, vertigine, cæphalea, sed etiam & in acutis, vt pleuritide, & variolis, ac morbilis lentes tanquam præstan-*Nota.*tissimus, ac boni succi in victus ratione dare, quod quàm malè agant, Galenus in primo Acutorũ ostendit, & nos quoq; in Cõmentariis super eosdem Acutorum libros, nec nullum medicum rationis participem esse existimamus, qui lentibus ægrotantes pleuritide affectos alat, & si quis tam irrationalis reperiatur, qui declinante iam morbo eas ægrotanti dederit, & sequenti die obierit, talem medicum mortis fuisse censendum, nec immeritò hæc prodita sunt, cùm lentes omninò pessimi sint nutrimenti, & multarum affectionum causæ primariæ, vt Dioscorides recenset: Aciem enim oculorum hebetat multus eius vsus, & ægrè concoquitur, ventriculo nocet, ipsumque, & intestina inflat, & aluum sistit, si cum suo cortice sumatur, grauia, & tumultuosa insomnia facit, neruis, pulmonibus, & capiti sunt inimicissimæ, & cùm frigidæ, & siccæ sint, sanguinem melancholicum generant, & corpus dissecant, & sperma quoque destruunt. Ergo earum vsus procul dubio reprobus iudicandus est, nam etsi illarum præcipuum iuuamentum sit sanguinem condensare, fluxuique menstruorum, & vrinæ subuenire, nihilominus nocumenta tot, & talia sunt, vt quandoque ægrotos ad vitæ periculum trahant: & si quis tamen aliquando dum sanè degit, eis vti voluerit, *Correctio lentium.* oleo, garo, satureia, pulegio, allio, fœniculo, & huiusmodi illas præparare debet, & eo magis si albæ, & latæ fuerint, & in aqua benè maceratæ antequàm coquantur.

CAPVT XIII.

De Pisis, & cicercula.

Pisorum vsus ac præstantia. PIsa multipliciter parantur, gustuique gratissima sunt, & in re cibaria ab antiquis gratiam habuisse haud dubium est: Reges namque, & proceres etiam gratissimè mandunt, cum suilla præsertim incocta, viridia *Pisorum vires.* etiam cum siliquis coquuntur, nec expectare oportet vt adoleuerint, quia tum duriora, & ingratiora euadunt. Et vt reliqua propemodum eiusdem generis, vt eruilia, cicercula, aracus, & similia, siccæ omnia naturæ cùm sint, & frigidæ, non nihil ex præparatione humiditatis acquirent, sed semper frigiditatem suam seruabunt: ob id in æstate, ac regionibus calidis libenter comeduntur, parum tamen nutriunt, & malum generant sanguinem, neruisque impedimentum præstant, & tardioris sunt concoctionis, quàm fabæ, licet Galenus tota substantia cum fabis quandam similitudinem habere, atque eodem modo cum fabis assumi testetur: in hoc tamen differunt, vt & ipsemet affirmat, quod non perinde ac fabæ flatus gignunt, si bene ac valenter elixæ fuerint, nec vim detersoriam habent, & ob id seriùs per aluum excernuntur. De cicercularum autem viribus, ac *Cicercularum vires.* natura in re alimentaria, eadem ferè pronunciamus, quæ de pisis, atque de phaseolis: ex eis enim varia conficiuntur cibaria, quæ plu-*Nota.*rimo in vsu fuisse testatus est Columella: nec iniucunda, neque etiam hominibus inutilia affirmauit, & facillimè vermes gignunt, priusquam resiccata fuerint. Araci etiam facultati admodum similia sunt, licet Galenus aracos longè eis duriores affirmet, & difficiliùs elixari, ac concoctu difficiliores esse.

CAPVT XIV.

De Ciceribus.

Cicerum differentia. PLures cicerum differentias tradiderunt antiqui, nempè magnitudine, figura, colore, & sapore, hodiè verò tria reperiuntur eorum genera, alba, rubra, & nigra. Et alba in victus vsu cæteris meliora sunt, nigra, & rubra, rei medicæ expetuntur, præsertim arietina, quæ nigra, & parua sunt, dicunturque *Cap. proprie.* arietina, quia arietis caput figura referunt: sicut alba columbina, estque cicer omne iuxta Galeni sententiam sexto de simpl. Med. facultatibus legumen flatuosum, copiosi nutrimenti, aluo mouendæ habile, ciendæ vrinæ idoneum, lacti, & semini generando aptum: *Cicerum vires.* Venerem enim stimulant cicera, & prouiciunt menses, & quod arietinum dicitur, *Ius cicerum rubr. quale.* vrinam cæteris longè efficaciùs prouocat, cuius decoctum renum calculos etiam frangit, *Cicerum temperamentum.* & elegantium coloris vtentibus præstare testatur Dioscorides, & pulmonibus si quid

aliud

aliud conferre, ac vocem præclarissimè fouere adinuenimus. Suntque calida & sicca in primo gradu, licet nigra, & rubra aliis sint calidiora & syluestria domesticis, atque debent multum decoqui, & malefaciunt qui non percoctis vtuntur, & paulò durioribus delectantur, sic enim longè deterius alimentum præbent, difficiliusque concoquuntur, ideò in aquam vna nocte madescere sinantur, postea coquantur, & quidam sunt, qui iam madescentibus cinerem linteolo inuolutam addunt, vt faciliùs coquantur, verùm illa tribus, vel quatuor aquis eluenda erunt, ne cineris saporem referant. Vulgata tamen nunc temporis & ferè passim recepta est opinio, iure tantummodò & non ciceribus vti, cùm omnes, quas eis tribuit Galenus dotes habeat, & nocumentum vllum, dum discutit, incidit & abstergit, iecur, lienem, ac renes expurgat, & quandoque ventrem subducit. Viridia etiam ab effrænatis pueris, atque hominibus gulosis vbique hodie comeduntur cicera, quæ & excrementosum, atque humidum præbent alimentum, non minùs frixa sale, quæ licet flatum deponant, concoctu tamen sunt difficilia, & succi crassi alimentum corpori exhibent, & ideò omninò sunt euitanda.

Nota.

Viridia cicera.

CAPVT XV.

De lupinis, & fœnugræco.

Lupinorum vsus.

LVpinos equidem, aliquos in medicina vsus potiùs habere compertum habemus, quam vt aliqui eis vescerentur, nostra enim hac ætate, & regionibus rarus, atque haud scio an vllus prorsus sit vsus, nec me latet, quin per annonæ charitatem famem mortalibus propulsare possent, cùm & alia pleraque tùm amariora, tùm deteriora, atque insalubria, vis famis intolerãda deuorare cogat, quo tempore prius bene macerari debent vt amarorem omnem, natiuamque illam suam insuauitatem exuant: & nihilominùs dura eorum, terrestrisque substantia adhuc remanet, quæ & concoctionem difficilem reddit, & crassum, atque siccum generat succum, tardi, impeditique per corpus, nec facilè extricabilis progressus, atque in venis non probè confectos, succus propriè crudus appellatus aceruatur, aluum tamen neque adstrictam magnopere ciebunt, neque fluentem astringent, licet eorum succus tardè permeat, hærensque moretur, hoc namque crassitie, illud siccitate, atque duritie euenit, quare si fluentem aluum sistere debet, vis quædam astringendi eis commisceri debet, sicuti & lubricitas, si emollire opus sit. In pluribus tamen corporis effectibus tanquam medicamen conueniunt, & præcipuè si ita amari antequam tetigerint, comedantur, occident vermes, qui sunt in vermes, qui sunt in ventriculo, & in intestinis, & vrinã prouocabunt, ac orificia hæmorrhoidarum aperient, sunt enim calidi & sicci in secundo gradu, licet nonnulli ad tertium vsque protrahant, & eius farina in officinis parata habetur, quæ exteriùs vmbilico admota, aliis admistis rebus puerorum vermes interficit. Fœnugræcum autem eundem in cibo vsum habere tradit Galenus, quem & lupini, sed vtiliter aliis cibis admiscetur, ob lubricandi facultatem, qua fungitur, quin etiam & herbam ipsam priusquam semen produxerit garo, vel aceto, atque oleo intincta, aliqui comedunt, & succus eius addito pauco melle, contentos in intestinis humores noxios educet, detergendi enim vim habet, ac flatum discutiendi, quia calidum est in secundo gradu, & siccum in primo, & potiùs iumentorum pabulis conscribendum est, quàm quod inter hominum cibaria connumeretur.

Lupinorum facultas.

Nota.

Temperamentum. Fœnugræci vires.

Temperamentum.

CAPVT XVI.

De Phasiolis.

PHasioli inter legumina maximè grata, & in vsu hominum ab authoribus ponuntur, licet certum de eis nos proferre possumus, insigniter ventriculum degrauari, quocumque modo elixi sumantur, reperiunturque albi, & rubei calidi, & humidi in primo gradu, licet potiùs ego iudicem siccos esse substantia, cum superflua tamen humiditate, & rubei albis calidiores sunt. Humeres verò crassos generant, & flatus plurimos, à quibus sæpè coli dolores oriri conspeximus, caputque mirum in modum replent, tumultuosa, ac terrifica faciunt somnia, perinde ac lentes: difficilis ideò meritò habentur concoctionis, & eorum promptissima crudi humoris in venis fit generatio, qui & ipse quoque cum pituita numeratur, fitque ex insigni illorum crassitie, & quamvis ad calidum declinent, crudi tamen pituitosique succi causa sunt, & semen generãt, ac Venerem sollicitant: præsertim vbi longo pipere, galanga, cinamomo, & saccharo aspergantur: atque in cibis innocentiores redduntur, si elixi prima aqua abiiciatur, & sale, pipere, & origano, & etiam cimini modico comedantur. Cornicula etiam dum tenerrima sunt, elixantur, & in acetariis deuorantur, addito pipere, gustu non ingrata expetuntur. Italis quoque in cibum eadem prius elixa, & farina circumlita, & deinde in oleo feruenti, aut butyro frixa, addito pipere, & omphacij succo, quæ tamen aliis phasiolis longè deteriora sunt, quamvis rusticis, & multum se exercentibus conuenire videantur, ratione qua superiùs adduximus. Rubeorum autem ius cum oleo præsertim sesamino, menses, & vrinam maximè prouocat. Sunt alia multa legumina, vt aracus, erua, sesami semen, & papaueris, & vitia, atque alia huiusmodi, quæ cùm nullius sint vsus, ob eorum illaudatum succum, nisi maxima in annonæ charitate, quo tempore vrgente fame, deteriora comeduntur, quæ nec facilè apponi nutriendis, nec apposita adglutinari, nec adglutinata vniri queunt ob duritiem, & fastidium quod adferunt, nec solùm difficulter concoquuntur, sed etiam aluum adstringunt, improbum, & crassum succum pariunt, atræque bili generandæ accommodum. Quare merito

Nota.

Corniculorum vsus.

merito horum sermonem prætermittere decreuimus, atque olera aggredi.

CAPVT XVII.

De herbarum esculentarum natura, ac diuersitate, atque de plantis quæ crudæ edi solent, & earum partibus.

CVm iucundas maximè, atque mortalium vitæ salutares epulas, ex hortis quotidiè colligi videamus, ideò de oleribus, oleraceis, quæ & hortensi vbertate, arborumque fructibus omnibus diuersi generis, ac conditionis, nempè quæ boni, rectique alimenti paucissima sint, mali autem, & medicamentosi multa, malitiæ verò, & vitiosissimi succi plurima: quippe vt in toto hoc cẽsu nihil omninò repertum sit, quod omni ex parte commendari de alimenti, succique bonitate meritò debeat, quamvis aliqui ex arboreis fructibus sint, qui si rectè in vẽtriculo cõficiantur, succi malitia nulla, alimenti verò tantummodò crassitie damnentur, & ex oleribus vna inuenta est lactuca, ex qua sanguis gigni probus existimetur, & is tamen interea frigidior iusto, vt neque in hac, non aliquid extrea alimenti iustam, probatamque naturam omninò vitiosi iure notetur, imò in fructuum vsu sæpenumerò corruptela procedere solet, vt non multùm sanè à veneni natura absit, imò veneni iam iam naturam ingressura meritò existimari queat, nec huiusmodi intra sanitatis latitudinem continentur nostra nutriendi corpora, verùm his potiùs medicamentoso aliquo vsu subueniendi, quoties aut refrigerare, aut etiam excalefacere, aut exsiccare, aut humectum facere, squaloremque corpori demere, aut duratum mollire aluum, aut nimis emollitam durare, aut quicquid tale peragere propositum nobis fuerit. Nullum ergo olus in cibis perfectè vtile est, cùm sub nullo ex quinque generibus contineatur. Cùm verò eorum vsus sit, non nisi duplici ratione commendari potest, aut vt minùs malus cibus, quo in genere constat solam esse lactucam, habet enim pingue folium, mollem caulem, & subdulcis est, ac propè temperata. Nam quæ caulem habent durum, è lignorum genere sunt: quæ folium tenue, non alimentum, sed medicamentum appellari debent, quæ non sunt subdulces, aut pingues, non nutriunt: fieri autem potest, vt aliqua sint folia, quæ succum habeant pinguem, & huiusmodi herba cibus bonus esse poterit, at quæ sapore agresti, ac vehementi, medicamenta sunt, non iam cibi: ex harum ergo genere conueniunt vna quæque suo contrario: aliæ enim ventriculo, aliæ iecori salubres. In vniuersum, vt sint gustui gratæ procurandum est, velut menta, melissa, caulis omne genus, sed hæc non nisi cocta edi debet, borago, buglossum endiuia, cichorium, seris, ruta tenerior, cardines vterque, & radix eius, qui in cultis amplo folio nascitur: senetiones seu crassones acres,

Nota.

In fructuum vsu corruptela quæ.

Olus vllum perfectè vtile.

folio oliuæ, sed molli in aquis, & paludibus orti, quorum nigros masculos esse aiunt, chloros autem fœminas, & humidiores, & minùs calidas. Cauliculi prætærea molles, fœniculi, & asparagorum, & palmularum, quos vocant palmites: lauer etiam & apij genera, quæ latum habent folium, velut Alexandrinum, & quod iuxta aquas nascitur, & quod petroselinum vocamus, & quodcunque angusto folio, velut, & pimpinella, aliaque huiusmodi, vel dura vt folia rorismarini, omninò mala sunt, nec cibi nomen subeunt, nec concoquuntur, multò minus alimentum exhibent, vt neque malè odoratæ, velut eruca, & coronopodion quorundam, seu stellaria: vt nec basilicum, cuius odor cibi rationem non habet, quamvis alioquin non improbandus, in qua lege etiam amaracus continetur. Admittitur gingidium, nasturtium, pulegium tenelium, saluiam non admitto, nimis enim ventriculo aspera est. Et generaliter quæ odore dum manditur non antea quàm attrita sit, dentibus probatur, & sapore, & mediocrem habet crassitudinem, neque dura est, sed mollior, si nihil incommodi afferat, probatur. Vnde etiam oxalis editur tenera, & longè meliores rumicis cauliculi, drachonium, absynthium talia velle prosequi, superuacuum esse arbitror, cùm specialiter de illis sermonem habituri sumus, & tempus, & regiones, & cultus, & vsus noua semper afferat.

Eadem ratio & in aliis fructibus, & radicibus, atque germinibus, tum floribus, quorum magna pars præter spem operatur. Rosarum enim flores, quorum planta astringit, & persicorum, quæ nec ipsa soluunt ventrem, purgant in modum medicamenti violenti: at contra flores lupulorum, & sambuci ciunt vrinam, quorum plantæ aluum mouent, & sambuci quidem egregiè, sed (vt dixi) nullus vsus radicum, vel florum, si paruus olerum, vel asparagorum. Inter flores tamen, buglossi, & boraginis elegantissimi sunt oculosque delectant, cùm etiam cordi conferant, præponuntur & flores rorismarini: fructuum autem, pessimi cucumeres, & mala insana, innocentissima fraga, vtiles cappares, sed iam conditi. Radicum, cæpæ, allia, porri, & bulbi esculenti, quoniam acres, & minimè lignosæ, aliæ verò coctæ diu, vix concoquuntur. Præstat autem cruda seu herbas, seu fructus, seu germina edantur, calidiora esse, in eis enim minùs peccatur calore concoctionem adiuuante, cocta contrà.

Flores optimi.

His ergo expositis, vna habenda est considerationis differentia, quoniam ad medicamenta validioribus, ad cibos commodioribus vtendum est, veluti in medicamentis, radicibus grandioribus, foliis plenioribus, & crassioribus: ad cibos contra radicibus paruis, & numerosioribus, iucundis gustu, non sine sapore, in foliis autem valdè viridibus, recentibus, & suauibus, ostendit autem ac determinat sensus, vt in iuribus, & odor, & sapor, & gratia, & color, & claritas, & cætera istiusmodi.

Nota.

Coctionis differentia.

Ergo coctio sicca omnibus duris, & crassis melior, humida tenuibus, exigua vbi arida sit substantia, vel sapor, aut odor pereunt. Quæcunque verò circumuestiuntur tunicis, vt toruli, fœniculi, atque similium excoriari debent, & folia siccarum plantarum vix sunt vsui, velut arborum, etiamsi coquantur, quoniam humidum parum coctum, multo terreo coniunctum est: coctio autem vt iuris necessaria est, ita humidis vtilis. Quapropter quæ multam habent carnem, velut poma, & rapæ, & persica, rectè coquuntur, sed & pruna, quæ autem sicca, aut nimis cruda, multa aqua incoqui debent, velut & citonea sine aqua.

8. De comp. medic. Nota.

Verùm quoniam Galenus diuersa sentire videtur, adeò vt serim præponat aliis omnibus oleribus, in libro de cibis boni & mali succi prorsus reiicit, vt cibos. At scio solere dici ad hæc, quod vt medicamentum vtile, vt cibus prauus, ad hæc confugere solent: Sed hoc ego quæro, aliquis vescitur assiduè sunchis iecorarius, quid ei futurum erit? an fiet magis, an liberabitur, an expedit, an non expedit, quomodo proprietate prodesse poterit, quod adeò alienum ab alimenti natura. Præterea quod referunt se singulis diebus edere multam serim, imò & cichorium, syluarum, & palustre, & pinguescunt, demum quid agendum, vtendum, aut non vtendum, etsi in decoctis, quid prodetit substantia? At videmus multorum olerum vsum fermè esse perniciosum. Præterea id animaduertendum, quòd omnia olera parum nutriunt, igitur parum etiam lædunt, atque id pro solutione haberi potest, quoniam licet ipsa vincant, facultatibus, quibus abundè prosunt, vincuntur à cæteris multum alimento, ob id etiam in iuribus meliora sunt, quàm in intinctibus, & intinctibus meliora, quàm decocta, & decocta, quàm cruda, & aliis iuncta quàm per se: sed nunquid alimentum illud malum erit, an bonum? ergo malum in bono, in malo iecore bonum: quantitas enim illa exigui alimenti tot causis grata, licet efficiat substantiam raram, & inualidam, toti tamen plus proderit, vnde nutritione peracta, totum fiet melius. Aduertendum etiam, quòd omnia semina difficilis sunt alimenti, & magis quæ sunt amara, id verò contingit, quoniam oleum continent, etsi dura sint, substantia magis adhuc, etsi sicca vt ciceres, vnde ex esu leguminum, & quæ putrescunt faciliùs duriora sunt, vel pisa fabis nostris, quia plus olei continent. Radices quoque valdè grauiter coquuntur. Mnesitheus verò secundo de alimentis demonstrationem de hoc reddit, dicens: Radices continent multum humidi: demiror autem de Galeno, nam quamvis aliquæ acres sint, non tamen facilè concoquuntur, manent enim substantiæ bifariam durities, & eædem malè subiguntur etiam ad folia sua comparatæ, nec est, vt quis obiiciat de bubonibus, quorum magnum auxilium est ad concoquendum, radix lilij, cæpa iris, & similes: hoc enim ex eisdem contingit, crassitie, & humido multo fit quod in farina, nam & illa concoquit bubones. Sunt ergo radices concoctu difficiles, sed etiam flatuosæ, & parum naturæ humanæ vtiles, cùm etiam beluis aduersentur, nisi si quæ è profundo edere soleantur vt sues. Pars autem interior cum lignea fuerit, palàm quod durissima, in aculeatis autem, velut carduis agrestibus maximè, si in agris cultis oriantur valdè suauis est, & mollis, & candida, qua libenter vescor, superior similiter inferiore, quæ sub terra latet, quamobrem vt superior ad inferiorem, ita exterior ad inferiorem, non tamen ligneum illud prorsus expers iurium, quidam putant an tantò magis ad medicinam, quantò vtilior ad cibum, medulla ergo illa tanta suauior, & melior surculis, seu cauliculis, quantò illi reliqua radice: sunt autem gustu optimi asparagi, inde caulium vsque ad delitias, post lapathi, maluarum, sed longè meliores qui Romæ.

Semina difficilis alimenti.

Radices difficilè coquuntur.

Olera parum nutriunt.

Nota.

Hoc quidem genus folio integitur proprio, & super prunas coquitur, fungis fermè simile gustu, prauitate longè inferiùs, imò innocens, habent & lupuli cauliculos. Ficus fructus cum semine permistus est, chrysomela meliora sunt persicis nucleo, sunt enim sicciores persicorum propterea nucleorum, plerunque vis calida & sicca, maximè qui ad amarorem tendunt. Peponem autem semina quod in plerisque aliis tantò humidiora, quantò caro carne, vt ergo parum recesserint à mediocritate in qualitate, aut substantia, ita meliùs alunt, faciliùs etiam si pondere leuiora sint, mora etiam quibusdam fructibus conducit, aliis obest, velut his qui facilè putrescunt, vt cerasa, & chrysomela: quæ verò non putrescunt, & tamen valdè humida sunt, hæc fiunt meliora, vt ficus, & vuæ, & poma dulcia, & omnes fructus acerbi diuturnas generant febres, & quantò magis maturi facilè putrescunt.

Fructus acerbi.

CAPVT XVIII.

De Lactuca.

Lactuca lau.

Ex omnibus oleribus maxima in admiratione lactucam, posuere omnes fermè Medici, & ab omnibus generibus diligentissimè excolitur, non solùm enim ex ea vis aliqua medicata, sed plusculum etiam semper alimenti elicitur, & si non laudato prorsus eius succo, at nec improbo, quod cæteris denegatum est oleribus, vt quæ paucissimum alimentum contineant, nec semper admodum laudatum, frigidaque est in primo ordine, & humida, sed humidior quàm frigida, ob id dulces prouocat somnos, dum repressa calida, siccaque exhalatione petente caput, immissoque eo loci sanguine frigidiore, atque humidiore, placidoque & leni appulsa cerebrum humectante, dissipatosque spiritus colligente. Ventriculum tamen debilitat ob qualitates has, & quod neque dulcis est, nec odorata, nec astringens, licet æstuanti ventriculo ex bile accommoda sit, omnium enim humorum acrimoniam cohibet: inter olera tamen facillima concoctu, pluris, & melioris alimenti. Cùm verò cruda

Vires.

cruda mandi soleat, cocta benè nutrit: hæc enim regula est generalis, quod quæ cruda bona sunt, coctáque gratiam non amittunt, longè sunt meliora. Et non periculum intercedit, vt malè cocta noceant, iam nobis assuetis cruda edere: huiusmodi sunt hæ, & persica, & pruna, & amygdalæ, & fabæ nostræ recentes & cucumeres, & oua, & ostrea, & dactyli. Ex harum etiam genere sunt thridacia, exigua herba, & quasi lactuca parua, & chondrilla maior quæ lac parit: cæterùm ambæ amariores, & minùs ob id frigidæ. Quod si verum est lactucam lac multiplicare, minimè erit in generando sanguinem contemnenda, aut solùm biliosis conueniet. Feruenti aquæ iam immitti debet, & breui tempore coquitur, lac emittunt caules omnium lactucæ specierum cum senescunt, sed non acre, vt sunt hyemali, rum insipidum, & subamarum, ideoque innoxium, nec dubium est intemperatis libidinibus lactucam refragari, præcipuè iis, quæ per somnos contingunt. Sunt qui dum ea in acetariis vtuntur, erucam adiungunt, vel cæpas, vel allia, & huiusmodi, pro contemperanda nimia eius frigiditate: nec desunt, qui claritati oculorum officere affirmant multum eius vsum, ac homines in obeundis negotiis pigros, ac torpidos reddere.

Nota.

Thridacia ex chondrilla vires.

CAPVT XIX.

De Cichorio, Endiuia, Seri, & Soncho.

Cichorium alij cichoream appellant. Endiuiam barbari vocant minùs amaram, magísque insipidam. Plura habet genera, spinosum quod vocatur sonchus, tenue quod chondrilla & aliud latius, cassiúsque, nec spinosum quod cichorium propriè vocatur. Condrilla folio caule, flore & semine angustiore est. Cuiusque generis sunt plures species cichorij, quod minus amarum est, vocant endiuiam, atque illius etiam plures sunt species: amarior autem species apud nos vocatur cichorea, seu cichorium. Assimilantur inter se gustu, odore, frondibus serratis, flore, tum propter formam, tum colorem qui plerumque cæruleus est. Generaliter herbarum innumeræ fermè sunt species, vna autem regula sic distinguenda sunt quæcunque transmutantur plantatione aut statione diuersorum locorum, aut si eodem modo proueniant, nec multum partibus differant, nec odore, sapore facultate multum discrepent, omnes sub eodem genere sunt collocandæ. Nimis oscitanter de his egit Galenus, & generaliter, & specialiter, primum quidem cùm dicat eam esse vtilem iecori, omittitque ventriculum, cui non minus vtilis etiam est: & Dioscorides ventriculi meminit, non iecoris. Deinde cur vtilis sit iecori haud docuit: erat autem admodum necessarium, nam si ob frigiditatem, soli calido iecori vtilis erit, si ob astrictionem omnibus membris imbecillibus conueniet, non tamen iecori obstructione laboranti: sin autem ob proprietatem omni iecori, non tamen omni membro. Neque videtur omnis herba terrea, & aqueæ substantiæ vtilis iecori: nec videtur omne cichorium frigidum & siccum in secundo ordine: imò species candidior & pinguidior humectat, & quæ vehementer amara est, etiam calefacit. Ipse enim in quarto de simpl. Medic. docet quod amara sunt calida, si igitur cichorium vehementer amarum sit, non erit frigidum in secundo ordine, propterea illo dimisso dicamus cichorij omnia genera conuenire in hoc, quod habeant saporem insipidum, astringentem & amarum, sed aqueum illum omnia manifestè possident astringentem obscurè, amarum inæqualiter: nam aliquæ species vehementer amaræ sunt, vt agrestis longis foliis, aridis locis nata, aliquæ prorsus expertes fermè vt satiua candida pingui folio, quæ terra defossa diu mansit, & hæc frigidior est. Cichorij quoque radiculæ, in cellariis ad hyemen seruantur, quo tempore remissionis multò amaritudinis sunt: ideoque & natura frigidiores, vsúque accommodatiores: amaritudinis enim aliquid etiam retinent, cuius gratia agrestem ad salubritatem meritò præferimus in temperato quidem ventriculo, nam in calido ac æstuanti endiuia melior, dum tamen redundantia humoris non adsit, quia vim exsiccandi nullam vel exiguam habet. Syluestris verò iecoris vitiis ex bile optima est, facilè enim dum eo perueniens prius decocta, & magis etiam eius decoctum detergit, atque inde robur visceri addit. Sonchum verò vulgò cicerbitam vocat, dictáque est herba sonchus quia salubrem fundit succum, qui ebibitus ventriculi rosiones lenit, ac nutricibus lactis abundantiam subministrat, & multa alia commoda præstat, & dum tenera, & parua est, inter herbas acetarium adornantes connumeratur, imò nos solam sæpiùs per se in acetario assumimus: grandior verò spinosa euadit, & minimè esculenta, ac syluestri respondens, & vtraque leuiter frigida ex aquea, terreáque essentia constans.

Cichorij genera & species.

Nota.

Cichorij diuersum temperamentum.

Cap. 19. Vires.

Endiuia vires.

Sonchi vires.

CAPVT XX.

De Malua, beta, attriplice, bliso, & ramice.

Malua à molliendo dicta, quod aluum emolliat, & vbique familiaris est, & plura eius sunt genera, quamuis ob culturam diuersa fiat, imò & à sua natura recedat, attollens se in altum, atque in arborem transiens. Vulgaris tamen malua ad multas vtilis est affectiones, sed hîc recensendi non est locus: nec immeritò maluam antiqui omnimorbiam appellauêre. In actiuis equidem qualitatibus à manifesta refrigerandi facultate abest, & si non ab omni cùm moderatè eam refrigerare cernamus, quamuis modicum, & quasi tepidum quendam calorem obtineat, humida verò est multum: præterea

Malua plura genera vnde.

Vires.

terea adiunctam secum habet glutinositatem, qua extrinsecus admota longiori adhæsione, cùm humectare, tum etiam refrigerare melius possit, & ob id intrò assumpta promptè aluum subducit. Alimoniam exiguam per se præbet, imò si frequentior assumatur, fastidium parit ob lento rem non mediocrem, & ventriculo aduersatur, vt testatur Dioscorides. Nostri cymas & cauliculos asparagorum more ex oleo, sale & aceto prima mensa vorant, sed ne ventriculo fastidiunt sentiant, piperis, vel cinamomi parum addunt. Renibus calculo tentatis mirificè conferre exploratum habemus, & vtraque tum satiua, tum syluestris in magnis laudibus habetur. Nec betæ ingratæ sunt, quarum tria nostri nouerunt discrimina albæ, nigræ, & rufæ: alba verò & nigra frequentissima in Italiæ hortis nascitur. Rufa autem in Germania non modo foliis, sed & radicibus habetur, háncque Germani hyeme sub cineribus calentibus decoquunt, & more carotarum in acetariis asperso pipere comedunt, illis dulcior est, atque gustui gratior cum aceto etiam recondunt in vase fictili. At huiusmodi olerum cibo potius obsoniis ac medicamentis contribuendos esse quàm alimentis, sed frequentissimus est albæ betæ vsus: elixæ, & iurulenta comeduntur, & vis abstersoria non exigua inest, cùm calida, siccáque sit, ac nitrosa facultate prædita, ideò clisteribus indita ventrem ad excernendum proritat, sed interdum mansa ventriculum mordicat, si paulò frequentior sit eius vsus, iecoris tamen, ac lienis obstructiones tollit, & alimentum exiguum præbet, vt cætera olera. Idem de Attriplice dicendum, qui leue admodum præstat vescenti alimentum, & coctum edi tantum inuenio, nec pro alimento, sed potius ex ratione vbi refrigerationem cum humectatione quærimus, aut astrictam aluum modicè elicere cupimus, quia sola humectatione, ac visciditate lubrica, & non nitrosa facultate, sicuti in betis hoc præstat, & flatus parit: eius verò semen non sine aliqua molestia aluum subducit, crebrósque vomitus in simul prouocat: sicuti & Blitum, quod aliquando aluum turbare vidimus, & choleram morbum aliquibus excitare, olus quidem iners, & sine sapore, & acrimonia vlla, naturámque consimilem attriplici obtinet: proinde oleum, acetum & piperis, vel cinamomi modicum, ne ventriculo inutile fiat, addendum est, licet exiguum præbeat alimentum, estque frigidum & humidum, sed nullius aut certè exigui est medicina vsus, atque momenti: sicuti & rumex, siue lapathum, nullum quod sciam in sanitate vsum habet, censétque Galenus syluestrem betam à quouis appellari posse, cùm nec solùm gustu, verùm etiam facultate hortensi betæ persimilis sit, & quia beta longè rumice iucundior est, idcirco ea magis homines vescuntur: est enim herba rumex insipida, & gustui ingrata, cuius decoctum pruritum lenit.

Alimentum. *Betæ species.* *Vires.* *Attriplicis vires.* *Rumicis vires.*

CAPVT XXI.

De Brassica, & Spinachijs.

CONstat equidem plures esse brassicæ species, quas persequi velle, præsentis non est instituti. Verùm duo sunt eius prima genera, alterum expansis foliis, alterum verò compressioribus, in orbémque mutuò se superuenientibus, quod vulgò Capucci dicuntur, cuius generis maximus est in Germania vsus, atque recens variis conditur modis, & palato gratissima multis: habéntque omnes species eandem fermè facultatem, sed pauci sunt nutrimenti, & difficilis concoctionis, & ventriculo non admodum conuenientes, & mali sunt odoris, & ex vtraque expectanda est per totum corpus copia atrabiliarij succi, generatióque sanguinis melancholici, atque crassi, ex quo facilè fuliginosi vapores caput petere, mentémque perturbare, ac somnia turbulenta facere possunt, & tenebricosos quoque reddere oculos, & videndi facultatem offendere: verùm si nimio humore videndi sensorium laboret, etiam quandoque prodesse possint, eorum siccandi potentia. Certum est tandem brassicæ decoctum humi affusum fœtere, in hortisque putrefactam, intolerabilem odorem exhalare, & in cibo crebriori animæ grauitatem facere, contrariásque in se habet partes, nam dum brassicæ decoctum soluere cupimus, parùm decoqui permittimus transit enim in eo primo decocto excretoria facultas, manente in substantia virtute constringente: sin secus primum abiicimus decoctum, ac iterum percoquimus, & hoc dum densiore tantum substantia participat, aluum sistit. In actiuis autem qualitatibus, alij brassicam calidam esse affirmant, alij frigidam, nos verò calidam esse dicimus, quod & sensu experti sumus: necnon & ratione confirmari potest, cum in succo acrimonia, ac amaritudo percipiantur. Siccáque est, quare discutiendi, abstergendique facultate prædita est, & ob id eius vsus tempore æstatis à medicis prohibetur, & si cum carnibus pinguibus decoquuntur, meliores euadunt, abiecta tamen prima aqua, quibus altera quæ superinfundi debet, oportet vt sit calida: aliter si frigida fuerit, etiam quod diutissimè bulliant, potiùs planè tabescent, quàm perfectè decoquantur, quod & cæteris contingit oleribus, quæ bis decoqui debent. Tenera etiam profert cymata brassica, quæ non ingrato gustu in acetariis comeduntur: & agrestis calidior, sicciórque est satiua, sicuti alia omnia sui generis agrestia, domesticis in suis facultatibus valentiora sunt. Spinachia autem non dubito primum natura syluestria fecisse: verùm cura mortalium, quæ nihil ventris causa inexpertum, aut intentatum relinquit, effecit vt nullum frequentius, diligentiúsque nostro æuo seratur olus, quod antiquitati incognitum, aut saltem neglectum fuit: nunc verò inter hortensa, solertissima cura excolitur,

Brassicæ species plures. *Vires earum.* *Decocti vires.* *Nota de vsu.* *Cymata.* *Spinachiorum natura.*

excolitur, & varia atque diuersa iis inest apparandi ratio, & sine aqua decoquuntur, cum multum humoris inter coquendum emittant: frigida enim & humida sunt ordine primo emolliunt, & flatus pariunt, & multus eorum vsus ventriculum subuertit, nisi cinamomo, aut pipere, aut acrimonia aliqua, vel sale condiantur, nec mali licet exigui, vt cætera, olera nutrimenti sunt.

Vires.

CAPVT XXII.

De Portulaca, oxalide, ac solano.

Portulacæ genera & vires.

DVo sunt portulacæ genera omnibus nota, frigida atque humida, & proinde exiguum corpori nutrimentum frigidum, humidum, atque lentoris refertum, nec prauitate vacans suggerunt, proinde æstatis feruoribus non minùs ex acetariis cruda portulaca, quàm cocta, in iusculisque elixa edi solet, ventriculi namque, atque intestinorum æstuationem mulcet, nec non omnibus calidis fluxionibus succurrit, & Venerem inhibet, ac dentium stuporem tollit, sed ventriculo nocet immodicus eius vsus, & appetentiam debilitat, oculos etiam nonnulli hebetare tradiderunt. Acetosa verò siue oxalis, altera longioribus est foliis, altera rotundioribus, & acidioribus, ex quarum succo in æstiuis quidem caloribus carnes, pisces, ouaque eduntur, omnes enim escas gratiores reddit, & cibi auiditatem auget, vicemque omphacij, & aranciorum succi gerit, & tam in secunda, quàm aduersa valetudine egregiè placet, & frequens inter acetaria habetur, frigidiore temperamento, sed partium tenuitate vtraque constat, & nullius, vel parquàm exigui est alimenti, nec nisi pro condimento ad vsum venit. Multi etiam referunt grassante pestilentia, ex vtriusque vsu, tùm per se, tùm cum aliis, tùm expressi in primis succi commendatione salutem accepisse. Solanum autem quod olim in cibum veniebat, & in hortis inter herbas esui aptas serebatur, vnde solanum hortense, siue esculentum appellabatur? hodiè verò sub nulla olitoris lege nascitur, & cùm maximam astrictionem habeat, ideò raro, vt alimento: vt medicamento autem assiduè vtimur, in quibus adstrictionis ac refrigerantis vsus incidit, minimi autem est alimenti.

Acetosæ species.

Vires.

Solani vsus ac vires.

CAPVT XXIII.

De Buglossa, boragine, & melissa.

Borago vnde dicta.

BOraginem quasi bouaginem vulgus dixisse putatur, versa, & deinde peruersa, è buglossa voce, quod tam verum videbitur, quàm quòd nulli in dubium iam vertitur, nostram boraginem esse genuinum Dioscoridis buglossum, cuius ætas recentior nomen confudit, & commune fecit iuribus, & nonnulla ducta similitudine: & ideò eiusdem speciei habentur, cum in figura, forma, & virtute ad inuicem assimilentur: vtraque enim calida & humida est, & nostro temperamento maximè affinis, idcircò procreatis ex buglosso conuenientibus nobis spiritibus, hilaritatem facere creditur, & in maximum ciborum vsum receptum est: quare vino aliquandiu maceratum, easdem conciliat facultates, veluti & coctum. Flosculi vbique gratiam, habent, & iisdem roborandi cor facultas inest; & aduersus animi tristitiam maximè valent, & multus est huius herbæ pro sanitate conseruanda, atque etiam recuperanda vsus. Radices quoque saccharo diligentissimè condiuntur, vt & cichorij, & aliquot præterea ad eosdem vsus adhibentur: sedandæ quoque siti Hispania tota, imò & Italia hoc victu vtitur in morbis: parata enim semper ex olere eo ægrotantibus esca in vniuersum absque omni ferè discrimine, quamvis immoderatus eius vsus quodammodo cauendus sit, quia olus est, & parum alimenti præstat, soletque lactucæ admisceri pro contemperanda eius frigiditate, & folia decocta, atque in cibis sumpta, aluum subducere compertum habemus, & flatus aggenerare. Et ego cùm aliquando duriora aluo essem, à buglosso deceptus fui, quippè eius frequentiore, & copiosiore vsu, in alui profluuium incidi. Melissa autem citrago dicta, eò quia citri odorem referat, calida & sicca ordine secundo, cordi gratissima est, vt testatur Princeps: animam enim lætificat, dùm cor exhilarat, & eius imbecillitati succurrit, & cardiacam affectionem curat, non minùs quàm omnes alios similes animi affectus, à melancholia, & atra bile originem ducentes, nullius fermè est alimenti, sed ieiuno ventriculo comesta, eius frigiditatem ac humiditatem tollit, atque virtutem concoctricem roborat, & singultum sedat, quia & cerebri obstructiones aperit, & pituitam elicit, & tandem omnibus phlegmaticis, & melancholicis passionibus confert, & ipse in meis aduersis fœlici cum successu, experimento comprobaui.

Vires.

Flosculi vires.

Nota.
Melissa vires.

CAPVT XXIV.

De Apio, petroselino, smyrnio, & lauere.

Multa apij genera.

ET si multa sint apij genera, omnium tamen frequentissimum, in cibisque gratissimum, est domesticum, quod quibusdam potiùs coniecturis, quàm vlla certa figura meritò verum antiquorum esse putatur, vulgareque nostrum petroselinum, vt alibi diffusiùs declarauimus: Nunc verò sat nobis sit dixisse, omnes apij tum Alexandrini, tum Macedonici species, ac differentiæ easdem habere facultates, nec differre, nisi secundùm magis & minùs. Atque hic potiùs pro escarum condimentis, ac opsoniis, quàm pro cibis de apio domestico, siue petroselino nostro sermonem habemus, cùm constet peculiarem in condimentis gratiam habere, quod quotidie ita esse percipimus, nec parum

Vires.

refert hoc cognouisse, cùm superiùs declarauimus, quantum referat nutrimentum gratum, vel ingratum esse. Suauitas enim ciborum etiamsi minùs salubres sint facit vt ventriculo faciliores sint, & concoctu minùs contumaces. Contra si insuaues fuerint, etsi salubriores, non æquè tamen conficiuntur.

Suauitas in cibis eos salubriores reddit.

Calidumque est apium domesticum & siccum in fine secundi gradus, ob id vrinam, tùm menses, atque sudorem prouocat, flatum discutit, obstructiones iecoris, & splenis aperit, gratum ventriculo, & iecori, aduersatur venenis: & tussi, ac pectori medetur, Venerem excitat, & lac comminuit: ob id nutricibus minimè conuenire videtur, frequensque per iuscula nostra innatat, iucundo sapore: & Galenus stomacho gratum, & suaue prodidit, & carnes tum elixas, tùm assas, mirè commendat: quin etiam pisces, atque oua in sartagine cocta, aliaque aliter parata, & renum calculos pellit. A nimio tamen eius præcipuè crudi vsu cauendum, quia aggrauat, & caput vaporibus replet: & quamvis multi referant motum epilepticum excitare, & aciei obesse, istud potiùs de paludapio censendum, quàm de nostro satiuo apio.

Nota.

Palustre enim ingrati est, tum saporis, tum odoris, atque valde efficax. Non auderem tamen affirmare, quin & continuus, & copiosus crudi nostri satiui vsus hoc accidens excitare posset processu temporis, dùm caput tentare constet.

Apij palustris vires.

Smyrnium autem Galeno cognitum fuit, vulgarique appellatione olus atrum dicebatur, nunc Macerone, apio acrius calidiusque est, aromaticum quidpiam obtinens, idcirco validior est eius facultas, & minoris nutrimenti. Atque huius tota planta, tùm cruda, tùm cocta edi potest, oleo, sale, & aceto condita, & Romæ maxima copia venditur, atque cinaræ modò pipere, & sale comeditur: veluti & lauer seu sium, quod crudum aceto mulieres, & pueri ineunte Vere comedunt: estque per quàm simile apio, sed eo insuauius, & coctum gratiam in cibis habet: & ideo potiùs opsonij loco poni solet, quàm cibi, estque ventriculo admodum gratum & vrinam procat, & vesicæ calculos excernit, vt ex Galeno colligi potest octauo Simpl. Medicamentorũ, vbi inquit: Quantùm sium gustu odoratum est, tãtùm etiam excalefaciẽtis facultatis est particeps, sed & digerit, & vrinã mouet, & calculos renum frangit, & menses euocat.

Smyrnij vires.

Laueris vsus & vires.

Sunt & alia quæ meritò inter opsonia tantummodò, aut condimenta connumerantur, & sunt ea, quæ à medio discedunt, & quantò magis vlterius tetenderint, sic minùs semper, minusque nutriendi viribus prædita erunt, vti iam quæ tertium in gradibus ordinem attigere, præsertim verò calefaciendi, aut frigefaciendi, talia nullatenus pro alimento censeri debent, vt quibus solummodò medicata substantia insit, exuperantibus tam insigniter facultatibus, & ab alendi facultate longè alienis: vt Nasturtium, exempli gratia, olim opsonium Persarum celebre, sisymbrium, seu cressones, scandix, & cætera: nam hoc dictum commune, de omnibus aliis huiusmodi, intelligi debet.

Nota.

CAPVT XXV.

De eruca, & gingidio.

NOtissima est herba eruca, tam domestica, quàm syluestris, quæ plerunque in acetariis venit, datque illis saporem gratum: manifestè excalefacit, & proindè in primis Venerem stimulat, semenque, & genituram parit, & in prælia robur addit, & conuenientior temporibus frigidis, quàm calidis, & vbi plusculum pituitæ in corpore erit, quàm bilis, nec solam edere salutare est: præter alia enim caput tentat. Ob id Galenus, & Plinius lactucis iungi oportere docent, sic & portulacæ, vel acetosæ, aut aliis huiusmodi, quibus nimius illius calor fractus mitescat. Cit quoque vrinam, & lacti copiam addit.

Erucæ species & vires.

Gingidium verò, cerefolium à vulgo appellatum, diligenter olitores excolunt, seruntque & magnam in acetariis gratiam obtinet, ventriculo admodum gratum, siue crudum, siue coctum, & aceto conditum appetentiam facit, & fastidium discutit, sed exigui admodum est alimenti, & astrictoria, atque amara facultate præditum, nec diuturnam tolerat coctionem, atque radices, & folia in vsum veniunt.

Gingidij vires.

CAPVT XXVI.

De ocimo, menta, & pimpinella.

NOn solùm in hortis ocimum satum videtur, sed & passim ad fenestras figulinis vasis repositum, quod mulieres ob fragrantissimum odorem, quem habet, fouent: atq; gariophyllatum reperitur minutis foliis ornatum, suauioris odoris, sicq; dictum, quòd nescio quid gariophylli redoleat, quod quamvis aliqui grauiter increpent, ac multis probris proscindant. Nos tamen gariophyllatum id experimento comprobauimus, melancholicis, & cordis palpitationi mirificè succurrere, tristitiam, animique solicitudinem abigere, nec ventriculo frigiditate laboranti inimicum, capiti quoque amicum, quod eius obstructos meatus aperire, collectamque pituitam discutere, atque per nares elicere vidimus: & licet Arabes, ac Græci ipsum damnent, quòd capitis dolorem, ac insaniam faciat, oculos hebetet, lactis, seminisque copiam minuat, & flatibus repleat, ac ventriculo aduersetur, & concoqui difficilè, atque improbi succi: & ideò fugiendum, nec intus assumendum censent, propter excrementitiam humiditatem: nos tamen contrarium in gariophyllato adinuenimus, & modò si quid illorum vitiorum ocimo inest, communi, & lata folia habenti inesse putamus: aliàs enim gariophyllatum alacriter ab huiusmodi calumniis defendimus, ob maximas, & præclaras virtutes, in eo repertas: & ego quàm diu habere possum,

Ocimum duplex.

Ocimi Gariophyllati vires.

Nota.

quotidie

quotidie vtor. Pro opſonio interea potiùs, quàm pro alimento omnes concorditer habent, & iuſculis ſalubriter addunt, quod & ſomnum conciliat. Menta autem & ipſa vbique familiariſſima eſt, quam Romanam, ſeu hortulanam vocant, folio betonicæ, maiori tamen, ſed tenuiori, & multùm odorato, & à noſtris diligenter ſeritur, & ad multa condimentaria in re cibaria vtilis eſt: & ſicut odor ipſius animum excitat, ita & ſapor auiditatem in cibis, & tenella peculiarem habet gratiam in acetariis, & ad Veneris opera, non inter poſtrema commendatur. Eſt enim guſtu acris, & tertio ordine calida, & exigui nutrimenti, ſed ventriculi imbecillitatem adiuuat, humorum craſſitiem incidit, ac nauſeabundo ex pituita ventriculo mirum in modum ſubuenit, & faſtidia demit, atque ſingultum inde ortum ſedat, nec lac in ventriculo, nec in mammis coire permittit. Ideò qui lacte gaudent, lactis potionibus addant. Pimpinella etiam in pratis copioſiſſimè prouenit, calida & ſicca eſt, & in acetariis quotidie editur, ſed perexigui eſt alimenti, & difficillimè concoquitur: iecoris tamen obſtructiones aperit, ſtranguriam leuat, & vrinam prouocat, quin & renum calculos terit, ac comminuit, & aliquandò tabidis vtiliſſima.

Menta. *Vires.* *Pimpinellæ vires.*

CAPVT XXVII.

De fœniculo, aniſo, & anetho.

SEritur paſſim in Italiæ hortis fœniculum, & ad varios vſus noſtra ſæcula vſurpant, recens enim coma, atque nuper nata acetariis additur, nec non & ad comendandum oris halitum, ſicuti & ſemen, nondum maturitatem adeptum. Maxima equidem eſt fœniculi dulcis copia, & Bononiæ, & Florentiis, ac multis aliis Italiæ partibus, viride toto anno habetur, modumque alias edocuimus, à ciboque vtuntur, nullum tamen aut minimum alimenti per ſe præbet, ſed pro condimenti aut opſonij, aut intinctus alicuius vſu aſſeruatur. Calidumque eſt ordine tertio, ſiccum verò primo: licet erraticum hortenſi validius, quod calculos potenter comminuit, & vtrumque lactis abundantiam facit: ſed quia Venerem ſtimulat, ob id lactantibus interdici ſolet. Menſes quoque & vrinam prouocat, fœminaſque à partu, & renes expurgat, ſtranguriæ, ac renum doloribus medetur, & oculorum claritati tota planta mirificè confert, & ſemen hyemis tempore malis, pyris, & cotoneis, in ſecunda menſa aſpergitur, atque ſalutariter ſumitur, coërcet enim flatus, & oris ſuauitatem facit, & ſic oculorum vis eo conſeruatur, & caligo diſcutitur. Aniſum quoque ſatis notum tum herba, tum ſemen, calidumque ordine tertio, atque ſiccum, acre enim atque ſubamarum exiſtit, & in præclaris condimentis laudatur, ſiue crudum, ſiue coctum, imò in omnibus quæ condiuntur, quæque intinguntur viride, aridumve deſideratur: in panificiis etiam vt plurimùm mulierculæ noſtræ ſemẽ aniſi adiiciunt, quod gratiam non leuem affert, & multis medetur morbis à flatu originem ducentibus, & vrinam prouocat, atque alba fœminarum profluuia ſiſtit. Semen quoque ſaccharo incruſtatum artifices vendunt, quo multi à cibo, & vini potu ad commendandum oris anhelitum vtuntur: alij vt vapores caput petentes reprimat, & flatum diſcutiat, moderatus tamen eius vſus. Anethum etiam herba ſatis nota eſt, quæ & calida, & ſicca habetur, cuius tamen vſum ad condimenta, non opſonia à Galeno commendari video, nuſquàm quòd ſciam à noſtris in cibos admittitur, licet nonnulli eius radicem paſtinacæ modo coctam in cibis laudarint, vt quæ lac augere, & abundare teſtentur: multus tamen eius vſus noxam ventriculo infert, atque viſum debilitat.

Fœniculi vſus. *Vires.* *Nota.* *Aniſi vires.* *Anethi vires.*

CAPVT XXVIII.

De origano, hyſſopo, & pulegio.

VAria habentur origani genera, & ſylueſtre præſtantius eſt, quod paſſim in Hiſpania reperitur, quod verò communi in vſu Italia habetur, manducari pro opſonio author eſt Galenus, & incidendi, & extenuandi, ac calefaciendi, & ſiccandi in tertio exceſſu facultatem obtinet, & contra frigida venena præclarè facit, & eius flores ſicci ſuper ferculis calidis poſiti, gratiam eius addunt, atque vt virides fiunt, & nos experti ſumus ventriculi flatum diſcutere, coctionem adiuuare, & ventriculo frigido non parùm prodeſſe, atque atrum humorem expurgare: quod forſan eis ſolis, ac pulegio peculiare exiſtit. Hyſſopum autem vulgarem excalefacere, & deſiccare ordine tertio, atque tenuium eſſe partium nemini dubium eſſe duco, quòd & Galenus octauo de ſimpl. Med. facultatibus affirmat. Illud verò collectum in manuales faſciculos matresfamilias ſiccant, ſeruantque ad hyberna opſonia, & condimenta, gratiam enim iuſculis affert, ſi moderatè eis addatur, mirificè detergit, & pectus à craſſis, & viſcidis expurgat, mundificatque. Pulegium quoque à Galeno inter condimenta aſſcribitur, & quia acre, & amarum, ideò valdè extenuat, etiam calefacit, eo igitur parcè, ac moderatè vtendum: flatum enim diſſipat, & ventriculum abſtergit, atque atrum humorem ducit, quin etiam craſſa, & lenta ex thorace, & pulmone excreatu facilia facit, & menſes mouet, atque calculos in renibus nobis ipſis comminuit.

Origani varia genera. *Italici vires.* *Hyſſopi vulgaris vires.* *Pulegij vires.*

CAPVT XXIX.

De ſinapi, & cymino.

ESt ſinapis ſemen calidum & ſiccum ordine quarto, ſuaque vi ignea ſinapiſmus ad exulcera

Synapi vires. *Nota.*

exulcerationem paratur, acerrima enim atque omnium exurens est eis natura, cui tamen inter condimenta præcipuam, nobilitatem sæcula nostra tribuunt: dulcibus tamen semper iungi debet, pro contemperanda eius acrimonia, quamobrem mulierculæ nostræ per vindemias musto diluunt, ae temperant, & conditum parant, quod ex musto, & ardore nomen retinuit, mustarda vulgariter dicta, quæ & dulcior, & acrior ad libitum confici potest, nec scio an aliud tam frequens, per omnes fermè gentes condimentum tota hyeme, magnaque reliqui anni parte habeatur, quibus temporibus commodissimè ad sanitatis rationes vsurpatur, atque vtiliter omnibus frigidioris, humidiorisque naturæ, crassæ etiam atque glutinosæ substantiæ epulis, esculentisque apponitur, dum sua calefaciendi, siccandique facultate, illa attemperat, extenuat, atque detergit, frigidis, namque ventriculi, aliorumque viscerum affectibus succurrit, & cibi fastidia inde oborta auffert, & appetentiam excitat: frequens tamen & copiosus eius vsus, capitis dolorem facit, ac oculorum claritati officit, concitatis eo turbulentis exhalationibus: sæpè enim videmus eius odorem naribus raptum, sternutationem confestim excitare, & sensim vellicans lachrymas elidere, imò si quis citra aliud opsonium mandere tentauerit, rosionem protinus, & molestiam palato, ac ventriculo sentiet: verùm si moderatè vtatur, ad capitis eliciendam pituitam admodum efficax erit, & ad emendandas veteres lienis durities, ac tensiones. Atque idem de similibus natura sinapi herbulis, ac seminibus, quibus vis ignea inest, & ex eisdem condimenta, intinctusque aliquando parari solent, intelligi volumus. Cymini autem præcipuus est in semine vsus & Germani in condimentorum laudibus habent, eoque assiduè vtuntur. Itali verò rarò, & satiuo tantum, calefacit ordine tertio, atque omnibus affectibus, à pituita, & inflationibus ortis præsentaneum est remedium, & vrinam mouet.

Mustarda vires.

Cymini vsus ac vires.

CAPVT XXX.

De papauere, & coriandro.

TRia habentur papaueris genera, sed hîc tantùm de satiuo albo, nigro præstantiore sermonem habebimus: quod & si vt reliqua frigidum, ac somni ferum sit, moderatè tamen hodie in victus vsu habent, eduliisque suis miscent: & Genuenses continuò à cibo vtuntur loco conditorum, quæ communi in vsu apud alias gentes sunt, absque aliqua noxa, & tempore Galeni in panificiis ipsum, ceu condimentum inspergebant, ac etiam melle maceratum esitabant. Tussim vitio pulmonum, & thoracis concitatam compescit, & acutas à capite fluxiones arcet, & nullum commemorabile corpori præbet alimentum. Coriandrum autem herba est optimi odoris, ac saporis, ventriculo grata, & capiti, atque inter medicamenta cordialia digna est adnumerari: nec mirum si vniuersa Hispania ea tam sæpè in iusculis, ac conditis vtitur, quicquid dicant tot alij, qui coriandri esum maximè vituperant, ac inter venena reponunt, vt Dioscorides, & multi alij, quos potiùs intellexisse de herbula quadam cicutaria dicta, folia coriandro similia habente, quàm de nostro domestico, verisimile est, vt aliàs demonstrauimus, & præterea ipsum frigidum prodiderunt, cùm constet calidum esse, & tenuium partium: plurimum enim amaræ substantiæ habet & Hippocrates secundo de diæta ipsum calidum esse affirmat, & Galenus etiam septimo de simpl. Med. facult. Ab immoderato tamen eius vsu cauendum, quia nullum alimentum præbet, imò multi constanter affirmant, immodicè sumptum mentem perturbare. Ideò nostrates prius aceto præparant, inde saccharo inuoluunt, & condiunt, quo commodior est vsus à cibo, ad reprimendos vapores caput petentes, vi illa styptica, qua plurimum valet.

Papaueris tria genera. Satiui papaueris vires.

Coriandrum.

Quorundam lapsus.

Vires. Nota.

CAPVT XXXI.

De serpillo, satureia, & sampsuco.

HOrtense reperitur serpillum, quod minùs agrestis acre sentitur, suauiorisque est odoris, quod in condimentis maximam gratiam habet, adeoque omnes delectat, vt hoc vno bono vbique sese commendat. Modicè quoque in acetariis miscetur, orisque fœtori adeò resistit, vt alliorum, cæparum, & porrorum tædium aboleat, atque ita calefacit, vt vrinam, & menses præclarè moueat. Ita & hortensis satureia viridis pro opsonio suauiter editur, atque leguminibus additur, ad eorum inflationes compescendas. Siccata etiam, & in polinem redacta, ad eosdem vsus asseruatur, aliis etiam non sine gratia ferculis admiscetur: in exigua tamen quantitate: calida enim & sicca in tertio ordine, & eius decoctum menses ciit, atque fœtum extrahit. Sampsucus autem herba, hodiè amaracus, seu maiorana odorifera dicta, calefacit & siccat ordine tertio, & odorem acutiorem vibrat, ac vehementem saporis acrimoniam repræsentat, quàm cibi ferre possint: ob id rarò esculentis admiscetur, & fermè vt medicamentum solum habetur, quòd discutiendi, & attenuandi vim habet, & ex eo oleum conficitur, ad calefaciendos, & emolliendos neruos, quod manibus ad motum, viscosos ac glutinosos humores à capite elicit, & eius dolores sedat, ac menses trahit.

Serpilli hortensis vsus.

Vires. Satureiæ vsus.

Vires. Sampsuci vires.

Eius oleum.

CAPVT XXXII.

De mercuriali, & lupulo.

VTramque mercurialem calidam & siccã esse primo gradu, atque oleribus mandi, testatur

Vtriusque mercurialis vires.

testatur Dioscorides, ad aluum ciendam, quod etiam hodie pari certum est, & si plusculum detur, bilem putgat, sed ventriculum offendit. Et Hippocrates in libro de Morbis mulierum miris laudibus in vsum mulierum commendauit, ad menses, & secundas, si ori matricis admoueatur, & frequenti in vsu clysteriorum venit. Seritur & herba lupulus ab Italis dicta, (eò quia salices, & arbusta omnia scandit) in vniuersa Germania, Anglia, Flandria, Boëmia & aliis locis, in maximaque apud illas gentes est authoritate: ex eo enim potus suos concinnant, & ceruisiam parant, ex hordeo, & tritico lupulorum adiectis floribus in aqua maceratis, potus quidem qui plurimos flatus gignit, & ingentes interdum obstructiones facere solet, nec praui succi suspicione caret, vt alibi luce clariùs demonstrauimus; & si nonnulli optimum potum, imò & febrientibus conuenientissimum proferant. Ad mensas sæpè accessit lupulus, & frequentissimus est inter acetaria eius vsus, calidusque aliquantulum est. Coquuntur eius cauliculi tenelli asparagorum more, atque ex oleo, acetoque comeduntur, quin & aliis modis parantur: pinguiore etiam iusculo, alimenti tamen per se nulla laus: sed bilem educit lupulus, sanguinemque mundificat, ac clarificat. Et syrupus ex eo confici solet, qui biliosis febribus mirum in modum confert.

Lupulorum vsus.

Ceruisia potus.

Vires.

CAPVT XXXIII.

De Saluia, roremarino, & betonica.

Saluia vires.

ADeò frequens est vbique saluia, vt nullus extet hortulus, qui ea non ornetur, & multis in condimentis vsum habet, calida & sicca est, & leuiter subastringit: sed demiror quomodo, nunc temporis adeò salutaris censeatur cùm apud antiquos paruam, aut nullam in sanitate tuenda authoritatem habuerit. Verùm in capitis affectionibus à frigida materia originem ducentibus admodum valet, adeò vt non pauci vertigine, aut hemicrania, aut epilepsia, aut paralysi laborantes, ex continuo saluiæ vsu præseruati, imò & curati fuerunt, ante cibum à quatuor ad sex folia recentia, ac tenera comedentes, & alij eius decocto vinum diluentes sanitatem recuperarunt. Omitto modò illa quæ apud Aetium de saluia prodidit Agrippa, qui eam sacram appellat, quasi quòd ad fœcunditatem mirè faciat. Plerique etiam ea intus, forisque vtuntur potionibus addentes, atque lauacris & hyemis præsertim tempore iura sua condiunt. Dentibus quoque illita, aut in vino decocta prodest, & vrinas, ac menses mouet, & albos siccat. Cauendum tamen quod serpentes, ac bufones, præcipuè eius vmbra mirum in modum gaudent, & cognationem quandam cum serpentibus, & venenatis animalibus habere videtur: sedat decoctum eius genitalium pruritum. De roremarino autem dicebat Galenus septimo de simplicium Medicamentorum facultatibus, libanotides tres existunt, vna sterilis, & duæ fructum ferentes, eandem omnes facultatem habent molliendi, discutiendi, abstergendi, & incidendi, &c. Rem tamen cibariam parum adiuuare inuenimus: apud nos verò eius ramuli triticea farina saccharo aspersi vestiuntur, qui parum in sartagine tosti, non insuauem habent gratiam, sicuti & cum carnibus in veru assatis, ac multis aliis in condimentis. Calefaciunt & ob id hebetudines oculorum prouenientes à crassis humoribus emendant, & decoctum potum regio morbo auxiliatur. Cor atque corroborant roremarini flores, qui in acetariis condiuntur, ad voluptatem, & salubritatem: ventriculum enim calefaciunt, fluxiones tollunt, & asthmaticis prosunt, quin & ex eis, & saccharo conditum paratur dianthos appellatum ad eadem. Ignes quoque ex roremarini frondibus, iunipero & lauro, tempore pestilentiæ accensi præclarè auxiliantur. Betonica verò vulgaris, atque nota est, vt prouerbium vsurpetur, dum rem omnibus manifestam indicare volumns dicendo: Betonica est notior: innumerisque prædita est viribus, quas Antonius Musa in suo libello, quem de Betonicæ viribus inscripsit, miro ordine recitauit, quæ cùm ad partem curatiuam spectent, recensendi hîc non erit locus: verùm inter cæteras, inquit quòd hominum animas, atque corpora à maleficiis custodit, ac periculis, & viatoribus longo itinere defatigatis vires ex aceto mulso myrificè reficit, & fastidia abstergit, ac ventriculo affectos recreat, aduersaturque venenis: & serpentum, & venenosorum, rabidorumque quorumcumque animalium morsibus, non solùm intus sumpta, sed etiam extrà, emplastri modo imposita. Et ex vino hausta menses prouocat, calida enim & sicca est secundo gradu, vimque incidendi habet, & calculos in renibus frangit, & capiti valdè amica est, imò ex ipsa syrupus paratur, qui in omnibus frigidis ægritudinibus, & præcipuè capitis primatum obtinet, non minùs quàm vnguentum, ac ceratum, quibus Chirurgici maximè vtuntur.

Nota.

Roremarini species & vires.

Nota. Roremarini ignes.

Betonica vires.

CAPVT XXXIV.

De Ruta, absynthio, & carduo hortensi.

Ruta duplex.

Ruta vires.

RVta & ipsa notissima est herba, & satiua non adeò gustui ingrata est, vt syluestris, imò eam inter alias herbas acetarium componentes vniuersa Italia miscet: & si aliqui reperiantur, qui adeò ipsam odio habent ne vix attingere possint. Ego equidé oleo, & sale solam libentissimè comedo, & mihi gratissima est gustui, licet amara, & astringentis saporis, & subacris sit, sed facillimè vermes contrahit: ob id eam diligenter quisque inspicere debet. Calida & sicca est hortensis in tertio ordine, (syluestris verò in quarto,) & ventriculum à cruditatibus, inflationibus, & antiquis doloribus liberat, crassos & lentos incidit humores, & comesta visum exacuit, adeò vt pictores ea in

in cibis vtebantur, teste Plinio propter visus claritatem. Potensque est contra venena, ac pestilentiam, pararique solet vulgaris ille bolus, nec inutiliter, ex ea, allio, nuce, & sale tempore suspicionis pestilentiæ. Vrinas quoque mouet, & vermes enecat, atque omnibus atrabilariis affectibus, ac malis cogitationibus confert: & quia flatum compescit, ideò Veneris appetentiam inhibet, Ab ea verò prorsus abstineant vtero gerentes. Referebat etiam Caburatius ex Foro Cornelij, Philosophus egregius, & Græcæ linguæ peritus illam conseruare cadauera, cùm nec salsa sit, nec abundè amara. Absynthij verò multa sunt genera, sed quod ponticum siue Romanum vocitant, cæteris multò præstantius est, & primo gradu excalefacit, & tertio siccat, licet succus herba longè calidior sit. In cibariis nullius est vsus: aliquibus tamen adeò est gustui gratum, vt solum, & sine pane ita comedant, alij in acetariis eo vtuntur. Et ego soleo tenellis eius comis oleo, & sale, manè vesci cum pane. Optimumque ac verè. Romanum odore mentæ Romanæ redolens sæpissimè collegi in horto Pontificio super muros, quod astrictionis non vulgaris particeps est, nec non abstergit, & roborat, ac valenter exsiccat: quare biliosos ventriculi humores deiicit, ac per vrinas euocat, & præsertim eius decoctum, vel infusum, quo multi in vino vtuntur: verum vbi pituitosus humor ventri fuerit affixus, inimicum potiùs, cum vi sua adstrictoria humorem magis cogat, ac inhærere faciat, quàm abstergat, quia leuis est eius abstersoria facultas, qua solummodò humorem biliosum detergere valet. Quapropter non semper æquè benè faciunt, qui vinum absynthitem dictum, singulo manè bibunt pro corroborando ventriculo, sed potius omnimodam ventriculi detersionem (si opus fuerit) atque mundificationem quærere debent: dein tutiùs pro tollenda frigida eius intemperie vti poterũt, nisi hepatis caliditas obstet, biliosum tamen humorem, etiam quod intra venas fuerit, à toto expurgat. Vnde in morbo regio, eius infusum, vel decoctum salubriter bibitur: confert quoque hydropi ac lienosis, & malo habitu affectis. Carduorum autem & si varia sint genera, de eo tamen qui hybernis mensibus terra obruitur, & albus, ac delicatissimus redditur, scolimonque Græci vocant, & in vsum victus venit, ac post alios cibos assumitur, pro corroborando, sigillandoque ventriculo: mirum enim candorem contrahit, & adeò tener euadit, vt solo sale à nonnullis crudus atque etiam pipere asparagi more coctus editur, & lautioribus mensis apponitur à cinaraque differt. Calefacit & siccat ordine secundo, & carnium iusculis decoqui solet, ita vt crudus, & coctus gustui gratissimus sit, nec ventriculo aduersatur, imò illi robur potiùs, & appetentiam addit: pauci nihilominus est alimenti, & difficilis concoctionis, nec succi præsertim crudus prauitate caret: non etenim effugere potuit, & ille, communem oleribus fermè omnibus culpam, moderatè tamen sumptus, tuto pro ventriculo corroborando comedi potest. Venerem stimulat, & sæpè vrinæ copiam educit. Et easdemmet facultates cinaria habet, sed prauum succum gignit, præsertim vbi induruerit: duram enim habet substantiam, & succum melancholicum parit: ideo nisi cocta mandi debet.

Bolus contra pestem. — *Nota.* — *Absynthij genera.* — *Absinthij Romani vires.* — *Nota.* — *Carduorum vsus.* — *Vires.* — *Nota.* — *Cinara vires.*

CAPVT XXXV.

De Capparibus & asparagis.

NOtissima est capparis planta, cuius surculi, fructusque aceto, atque sale etiam adseruati aliunde ad nos importantur: in Arabia enim proueniunt, & tenuibus partibus constant, calidoque sunt temperamento, atque sicco ad secundum vsque gradum, & salis, vel aceti conditura à putredine vindicat, alioquin putrescerent, parum alimenti exhibent, & vt Galenus refert, huius plantæ fructu, vt medicamento magis, quàm alimento vtimur: propterea quod vbi elotus salsuginem deposuerit, vtilissimum est opsonium, & medicamentum, ad cibi appetentiam recreandam, & excitandam, & pituitam in ventre contentam detergendam, ac deiiciendam, ad lienis item, ac iecoris obstructiones leuandas, etiam si oximellite conditi prima mensa sumantur, ventrem leniunt, verum quia difficilis sunt coctionis, ideò bene mandere oportet, & sale dempto, quod facilè ex aquæ maceratione assequitur, plusculum alere possunt, magisque etiam recentes, menses ciunt, & leui quadam amaritudine vermes interficiunt: pugnantibus enim inter se facultatibus constant, vt author est Galenus septimo de simp. Med. facultatibus: dum inquit: [Extergit enim radix eius, & probè purgat, incidit, discutitque tum amaritudine, tum acrimonia: at acerbitate contrahit, stringit, & densat, quapropter &c.] Ob id quoties deobturandi, aperiendique vires quærimus, vt in ieccioris, lienisque obstructionibus, aut mensium prouocatione, aceto vel oximellite conditis vtimur, atque prima mensa. Et qui sale confecti sunt, si sal relinquatur, ventrem sine dubio meliùs irritabunt, pituitamque in ventriculo incident, abstergent, ac tandem subducent, nec lienis doloribus, nec neruorum resolutione periclitabitur, qui capparibus quotidie in pauca tamen quantitate, vtetu. Asparagos autem præter campestres sua sponte nascentes, quoque hortenses habemus, cibo gratissimos, qui & apud antiquos summo in prætio erant, & Rauenates præsertim, nec calefacere, nec refrigerare manifesto asseuerant Galenus, Paulus, & Aetius, iusculis pinguibus incoquuntur, nec longam ferunt cocturam, & à plerisque ex aceto, oleo, sale & piperis modico aqua cocti eduntur, parum, leuiterque nutriunt. Prima mensa salutariter apponuntur ad renum calculos, vrinamque mouendam, & hepatis, aliorumque viscerum obstructiones apperiendas. Atque ideo inter diruetica adnumerãtur, vt inter ea primatum obtineant, si quis enim asparagos comedat, mox illius vrina maximè

Capparum vires. — *Nota.* — *Eorundem diuersa facultates.* — *Asparagorum vires.* — *Nota.*

maximè fœtet. Ventriculum etiam non parum iuuant, & oculis claritatem afferunt, ventrem quoque emolliunt, teste Plinio, ac Venerem stimulant, & multis in locis ad miram magnitudinem adolescunt.

CAPVT XXXVI.

De Cauliculis, atque germinibus.

Notatur Galenus.

DEmiror, imò ægrè fero Galenum omnia tractasse, nihil dixisse: nam quis vsus frequentior, aut suauior huiusmodi oleribus, ac partibus plantarum, cauliculos tamen herbarum, & quorum sunt rotundi, & pulchri, asparagos vocant, germania arborum, aut arbustorum. Quid verò in his scire deceat, nunc docebimus. Et quidem quod medicamenti potiùs, quàm cibi vsum præbeant, admittatur: namque vt docuimus, dulcia solùm, & pinguià nutriunt: attamen cum edi soleant, sintque frequenter in vsu, quæ austera, sapientia, imò scientiæ inopia adegit hunc virum, vt omnia sicco pede prætereat. Quod si adamussim ista seruasset, forsan meliùs excusari poterat: at nunc cum modò legem seruet, modò violet, venia prorsus indignus est. An hoc didicit ab Hippocrate, qui in secundo de Diæta de omnibus, & copiosè eduliis agit. Quis laudet Architectum, vel etiã admittat qui roganti sutori, vt ædiculam illi ædificet, respondeat se non nisi domũ Neronis scire ædificare. Denique non contendo quibus debeam vti, sed cum plerique homines variis vtantur cibis, vt illorum vires me doceat. Primum vt sciam quid in inopia præferre debeam, neque enim magis interesse putem vt sciam, an caro vituli melior sit hœdina, & an caulibus sint deteriores fungi, quando altero eorum vti cogar? cum verò id non scire præstat, vt etiam nouerim cui incommodo occurrere debeam. Demum vt sciam quid miscendum, quomodo præparandus sit cibus, multaque alia eiusmodi, vt de ætatibus, temporibus, singulorum propria natura, nam vnicuique vitanda sunt, quæ nocent, imbecillioribus partibus podagrosis, vina potentia, calculosis, ex farina cibi confecti, dysentericis acria, debilem habentibus ventriculum horei fructus, atque talia. Vt si seruare noluit tam exactè regulam, sufficiebat de lacte triticeo, pane, carnibus, piscibus saxatilibus, ouis, lacte, & quæ ex his fiunt, tum vino agere, hæc erat summa rerum, nescio quorsum reliqua attigerit. Sed si de omnibus, vt rectè sentiendi expediebat, tractandum fuit, cur multa omisit? atque ea quæ tractauit, tam frigidè prosecutus est? Sed illum mittamus, illud primum doceamus germina quæque, & cauliculos vires habere foliorũ plantarũ suarũ. Cæterùm tãtò esse salubriores, quantò etiã gustu iucundiores. Ideò verò iucundiores, quanto crassiores, atq; teneriores hæc si simul iungi possint, euadet surculus ille melior, & sanè in arboribus surculi temperatiores sunt foliis, atque in omnibus herbis, quæ tenue & exiguum habent folium. Quæ verò tenuia & sicca habent folia, cauliculum autem nullum præter eum ex quo folia exeunt, in omnibus his cauliculus inutilis est, folia edi possunt, vt rutæ, & eius quam vocant draconem. Rursus quia folia sunt pinguia, vt lactucæ, his surculus est siccior, ac frigidior folio. Humidior autem in plantis siccioribus veluti caulæ, & omnibus fermè acribus, & generaliter antequam semen edatur, & in pluribus quorum natura est temperatior etiam edito, sed non profectò semine, velut fœniculo, qui sanè optimus: Carduo autem communi qui instar fructus est, dum mollis est optimus & quibuscunque herbis lignosis. Albo autem carduo in hyeme non parua gratia est, sed & maluæ cauliculi foliis sunt minùs lenti, & ideò suauiores, & melioris alimenti. Etenim si Philosopho credendum est in initio libri de sensu, sensilique gustus, & sapor dati sunt animali ad dignoscendum cibum vtilem ab inutili. Omnium ergo summa est ratio, vt sint molles, crassi, & ab omni plantæ excessu alieni, acrium, minùs acres, amarorum, minùs amari. Horum omnium triplex est vsus, coctorum, qui & antiquis crudorum, quem videtur ignorasse Galenus, & præparatorum quem non ignorauit. Et sanè coctu omnia huiusmodi faciliùs concoquuntur, plus & meliùs alunt, nisi saporem amittant. Quod enim faciliùs concoquantur haud dubium, ex generali Hippocratis præcepto: quod autem meliùs alunt detracto succo crudo, seu assati, seu elixati dubium non est, nisi genuinum saporem amittant coctione, veluti syphilium, & cauliculi fœniculi, & cardui tenerrimi. Quod verò plùs alunt, ideò contingit, quia meliùs concoquuntur, ideò partes duriores, quæ in crudis coctionem subterfugiunt, etiam nutriunt coctæ. In omnibus his tum etiam crudis ac magnis detrahere oportet partem lignosam, quo facto suauissimi redduntur trunci fœniculi, ac etiam ob id salutares admodum, & ventriculo grati. Coqui autem aut cum iure, aut cum oleo debent, crudi edi cum oleo sale, pipere, vel aceto, prout natura germinis, aut asparagi, & hominis, & temporis tulerit. Ergo singula horum totius plantæ vim retinent, veluti fœniculi, asparagi cum semine ipso nondum absoluto (atque omnia vt minùs alunt cruda, ita sunt efficaciora, vt verò cocta plus alunt suis viribus imbecilliora) alimentum calidum, tenue attamen ab actæ bilis natura non prorsus alienum exhibent, ventriculo amici sunt, & sanguinem proliciunt mensium, & hæmorrhoidarum, & vrinas atque ob id etiam venenis serpentum aduersantur, cibi appetitum excitant: conferunt etiam ventriculi ardoribus, lac generant, aperiunt iecoris obstructiones, regio morbo laborantes iuuant, sed tamen somnum minuit. Qui verò conditi sunt, aperiunt, incidunt, prouocant, siccant, & putredini aduersantur, atque appetitum cibi egregiè iuuant. Condiuntur autem talia omnia prius in vmbra siccata, inde in olla condita superfuso aceto potenti, in quo sal sit dissolutum, & in

Nota. *Adnotanda in ciborum vsu. Quæ quisque euitare debet.* *Germinorum & cauliculorum vires.* *Cauliculi inutiles qui.* *Cur animali gustus & sapor dati sint. Triplex coctorum vsus.* *Nota.*

in vmbra contecta ponantur, post octo dies effuso aceto, vel etiam antè siccentur in vmbra, atque denuò aliud acetum purum cum sale excalefactum addatur, atque id tam sæpè donec acetum purum, & cauliculi nitidi remaneant, demum addantur frusta limoniorum recentium: addunt enim ad gratiam odoris, atque saporis, & eorum caliditatem temperant.

CAPVT XXXVII.

De Cucurbitarum generibus.

Cur cucurbita inter oleracea ponatur.

Galenus notatur.

POst oleracea, de Cucurbita scribere decreuimus: nam & si Galenus, Paulusque inter horeos fructus contribuant: nos tamen inter oleracea describimus, cùm non indiligententer ipsa in hortis excolatur, sed qui mihi succensent, quod Galenum accusare videar, audiant eum eodem in loco hæc verba dicentem. [In fructibus huiusmodi sola est cucurbita, quæ culpa vacet, eiusdem tamen succus, si in ventre corrumpatur, valdè malus est, quod in mortis quoque euenit.] Rogo sine venia, aut respectu authoritatis illius, vt mihi dicant, quis sensus horum verborum, quæ locutio? Nam ego verè fateor, nunquam me potuisse intelligere quid sibi velit? Nisi forsan ætate sua cucurbitas crudas edere solerent, aut alterius generis? Siquidem easdem, sed crudas edebat, fieri non potest quovis etiam experimento, quin cucurbita non longè deterior sit, vt quæ statim, & in omnibus grauiora afferat detrimenta, & nauseam, & dolores, vt sit cibus vix porcorum, nec gallinæ sustineant, nisi furfure admisto? Quid laboro de hoc, quod ipse clariùs exposuit in secundo de Alimentis quàm vellem, quinimò negans prorsus cucurbitam crudam (atque ita est) cibum esse humanum, sed nondum sedata prima dubitatione, de qua mox dicturus sum, aliam difficiliorem ibi subiicit, licet non minoris momenti: inquit enim. [Hanc igitur, & alia fugacium pleraque, postquam elixa fuerint, aut statim certè, aut in sartagine frixa, aut assa, omnes homines edere consueuerunt.] Quis non videt horum verborum tot penè esse sensus, quàm verba, neque vllum verum? Primus enim sensus est, vt pleraque fugacium elixentur, inde frigantur, aut assentur, quod vt in cucurbita fieri sæpiùs consueuit, ita præter mala insana nescio quod fructuum genus sic parari soleat: non cerasa, non mora, non pepones, aut etiam poma, vel pyra, vel fraga, vix enim vnam sustinent coctionem: sin autem sic legatur vt elixentur, alia frigantur, alia assentur: tum etiam nullum noui fructum, quem primum in patella frixum edere soleamus. At si legamus sic vt elixentur, inde frigantur, alia assentur, hoc verum erit de pyris, pomis, & cotoneis: sed quænam postquã elixata friguntur præter cucurbitas, nisi mala insana, quæ non nouisse etiam visus est, certè non ibi eorum meminit: Sed mittamus hæc ænigmata, istis, suis sectatoribus, ad principale reuertamur, an parui momenti rem tractare se existimauit, cum oraculo hoc perplexo vsus est in cucurbita, quam omnes tam sani quàm ægri auidè appetunt, cui tam frequens est vsus apud homines, tam suauis gustus, mitis natura, tanta copia, tam multiplex genus, tam diuersum, vt nullius alterius rei. Quid ergo? An solam coctam cæteris omnibus crudis comparat? quis abusus loquendi? Sed videtur hoc ipse negare ex sermonis forma: an coctis aliis, ergo etiam cucumeribus, nam nullum fructum elixari noui præter cucumerem, & pruna, qui edi sic soleat: quomodo ergo existimandum est vel aliquid excidisse, dum codex transcriberetur, vel ipsum putasse aliud scripsisse, quam scripserit, nam errasse in tam manifestis, qui in longè magis difficilibus non errauit, minimè crediderim. Quin ergo cucumerem non deteriorem puto coctum cucurbita, quandoquidem crudus cruda melior est, in eodem autem genere ratio tenet. Ergo cucurbita satis boni succi est cocta, cucumere tamẽ inferior: nam cucumer faciliùs concoquitur, & est frigidior, & humidior, & magis, prouocat vrinã, prodestque febricitantibus, & difficiliùs corrumpitur: sanis tamen cucurbita magis conuenit, cùm sit alimenti temperatioris. Verùm optima est cum elixa, sed antea siccata, in sartagine frixa etiamsi fuerit antea ptisana ordeacea, aut pasta molli circundata, sed fermentata: non pura farina, sic difficilius ouis, vel etiam carne corrumpitur, frigidum humidum in secundo ordine, paucum facilis coctionis alimentum præbet, elixa cum croco in iure melior, sed inferior frixa. Galenus probat garo, aut pontico salsamento mixtam, sed tamen salsum gignit succum cum dulci dulcem, cum acri acrem, origano, sed orientali maximè gaudet, idque Galeni præceptum verum admodum est: dolorem colli proprietate sua gignit, & tamen quod mirum est, dolori auriũ cõfert. Seruantur in muria toto anno, atq in melle etiam, diu etiã siccatæ in fumo, inde repositæ. De immensa earum magnitudine alibi satis dictum est. Et quomodo vasa è cortice fiant, sunt candidæ plerumque tenuiores, & adeò oblongæ, vt hominum duorum magnitudinem æquent, virides aliæ, vel citrij colore, vttæque autem & rotundæ, leues, & striatæ, ambæque tantò diutiùs ac facilius seruantur, quantò præ longis suauitate cedunt. Suscipiunt etiam formã vasis, cui dum crescunt, introducuntur, pessima est quæ fructibus horariis miscetur, folia earum abigũt, muscas etiam ab equis, & propriè succus. Varia quoque est apparandi ratio, quoniam insipida sunt, & promptè in eam transit conditio habentium aliquam notabilem qualitatem, ex quibus gratiam acquirit, veluti omnia alia huiusmodi, quæ cum sapore omni careant, facilè aliorum qualitates induuntur, solent & quandoque adeò variis admisceri condimentimentis, vt praui succi edulium fiat, & nos quendam periclitantem vidisse meminimus, qui cum cucurbitæ edulium, quod torta vulgariter vocari solet, comedisset, in tantam vomendi vehementiam incidit, vt conuelli videretur, multisque ac variis præsidiis fuit curatus, nec sine labore.

Cap. 3.

Cucurbitæ vires & cucumeris.

Parandi modus diuersus.

Forma.

CAPVT

CAPVT XXXVIII.

De Peponibus, melopeponibus, & cucumeribus.

1. de Alimen. cap. 4. 5. & 6.
Melo pepon quid.

IVre merito accusandus venit Galenus, qui tot verba frustra effudiens: quid sit pepon, aut melopepon omninò incertum reliquit. Propterea non quod ille senserit, indignus enim est in tanta vecordia, & ambitione, vt illius mentio (etiam si sciremus) fiat: atque eo magis quod ea nomina per abusum irrepserunt: nam pepon nil aliud quàm maturum significat, & melos à melan, quod est nigrum. Dicamus ergo de nostris, qui in vsum veniunt, fructus est maior capite humano, cucurbitæ rotundæ simile, leue tamen, distinctum à vertice, qui rotundus est, & coloris cinerei in Zonas, intus flauus, immodicè frigidus, dulcis, ex quo solum succum suggerere consuetum est: nam caro durior est, & insuauis, bilem flauam extinguit, ventriculo triplici argumento inimicus, & ob temperamentum, quod frigidissimus & humidissimus sit, & quod horæus, & quia valde detergit, nutrit quàm minimum. Alius qui melo vocatur, minor est, & plerunque striatus in Zonas, multò suauior priore, cuius caro editur, partes calidas habet, ideò vrinam cit: corrumpitur facilè, parum alit, & serosum præbet alimentum, cortex non adeò niger, vt prioris: Neuter horum coqui solet. Cucumis autem multò minor est hoc iam dicto, & longior quàm crassus, nec striatus, nec diuisus in Zonas, crudos humores gignit, frigidior priore, & expers omninò calidarum partium, ob idque minus ciet vrinas, coctus tamen non inutilis biliosis, & in æstate. Crudus autem & si subigatur in ventriculo, eum generat succum in venis crudum, qui sæpè exitium pariat. Commune autem est omnibus his (vt Galenus dicebat in libro de cibis boni & mali succi) vt nisi aluum statim subeant, ibi corrumpuntur, humorémque ex ea corruptela gignant, qui non longè à mortiferis venenis absit. Oriuntur enim omnes hi non ex arbore, sed exiguo olere, modica radice, breui tempore, marcido solo. At cucumeribus & melonibus inest semen vtile, melonibus etiam iucundum, quod contusum, & cum aqua destillata mixtum, febrientibus est commodissimum, leuis coctionis, cit vrinas, parùm alit, putredini minimè obnoxium, suaue, & somnum prouocans. Thomas Philologus refert Paulum secundum eius nominis Pontificem Maximum, deuoratis duobus melonibus statim concidisse ex attonito morbo, & extinctum. Id vt facilè credam, recordanti mihi quod Paulus Canobius cùm esitasset lactucas, & cucumeres (erat autem sexagenario maior) in morbum attonito similem incidit: sed ego causam cùm quæsissem, & illi retulissent calido in loco moderatè continens, absque cibo per biduum sanaui: quem alius vel medicamento, vel sectione venæ volens aliquid videri facere, argumentis speciosis innixus peremisset: nec deessent exempla si referre opus esset, qui in manifestum periculum adducti sunt solo horum esu, orta statim in ventriculo corruptela, corruptisque inde insimul eodem modo humoribus aliis. In summa melones propriè generant febres pernitiosas cùm ex anthematibus, & alios exitiales morbos, maximè si carnibus, aut ouis, aut vino generoso, aut piscibus, aut farciminibus, aut lacti, vel his, quæ lacte constant, socientur. At si cum panis modico quis eos sumat, sitque panis leuis, potus aqua vino leui conspersa, maximè albo, vicem persæpè medicamenti subeunt, sicuti etiam si post eorum assumptionem aliquod melioris succi edulium ingeratur: vt puta iusculum, quo malitia peponum retundatur, attemperatúrque, nam qui aluum lubricam habent, iis deorsum promptiores feruntur, nec in bilem, aliúmve prauum succum, tam facilè vertuntur, qui verò duram, ac difficilem, eos prorsus dimittere debent: nam si citò non transmittantur, in ventre corrumpuntur, & præsertim nisi ratione assumantur. Nec consuetudo illa nobis arridet eorum, qui cùm pepones commederint, vinum meracum statim superbibunt, dum enim vomitum coërceri putant, aliud longè deterius periculum subeunt, dum scilicet prauus illorum succus faciliùs, ac citiùs in venas deferatur, ad córque deuehetur, quicquid dicant contrarium sentientes, adducentésque asperitatem leniri, & obtundi pernitiales succos, atque concoqui à vino, quod nisi copia, & quantitate vini fieri potest. At quàm toto cœlo aberrant, suo loco vbi de vino sermonem habebimus, atque de incommodis ex nimia vini potentis assumptione prouenientibus, demonstrabimus.

Vires.
Quid cucumis.
Vires.
Cap. 8.
Nota.
Cucumerum, Melonum seminis vires.
Nota.
Febres pernitiosæ ex melonibus.
Tutior melonum vsus.
Mala consuetudo.

CAPVT XXXIX.

De Plantis in generali.

Plantæ cur parùm alant.

DE plantis quæ in vsum ciborum veniũt, (nam de his solùm egimus) satis supra à nobis dictum est, quarum alimentum generaliter paucum esse demonstrauimus, ob maximam quam habent cum natura nostra differentiam. Et eadem ratione difficilè concoquuntur, omnis siquidem concoctio est assimilatio: cùm ergo plurimum differant, & valdè alienæ sint à natura humana plusquam pisces, & animalia terrestria, vel aues, vel quæ ex his, necessarium est, vt in prima coctione difficulter subigantur. In secunda verò, & tertia non ita: quoniam cùm paucum exhibuerint alimentum, facilè id à iecore, & faciliùs sanguis in membris transmutatur. Vnde quibus ventriculus validus est, iecur imbecille, vel membra vt in carnosa hydrope plantæ vtiliores sunt, carnibus, ouis, caseo, piscibus: quibus verò ventriculus est imbecillis, hi quantum licet, à plantarum esu abstinere debent. Quæ verò pinguia sunt ex plantis, & grauia,

Quibus plantarum vsus conuenit, & quibus non.

ac succosa, tantò difficilius subiguntur, quantò plus nutriunt, vnde triticum multum nutrit. sed subactum mola, inde pinsitum, coctúmque diu: & si bis coquatur, vt diximus, adhuc faciliùs concoquetur, & magis nutriet quàm si semel. Omne enim edulium coctum plus nutrit, quàm crudum, & faciliùs concoquitur, nisi vel coquendo exarescat, vt in assatione sicca, vel aliquid vtilis amittat, vt in elixatione, cùm pars melior in ius transit, vel si assando colliquetur pars pinguior: subiguntur autem ex plantis quædam facilè, non propter earum propriam naturam, sed ob teneritudinem, tenuitatem, & quia friabilia sunt, & cum sapore nullo, aut exiguo prædita fuerint. Quapropter germina, & cauliculi, & maximè lactucarum, facilè inter reliqua concoquuntur: insunt enim hæc omnia. At fructus quidam facilè prodeunt ex ventriculo, vt cerasa, & mora, quia ob aqueam substantiam facilè corrumpuntur, ideo non facilè magis concocta dici possunt, quam corrupta, in quibus verò diu continentur, nec saporem prauum in ructibus referunt, in his spes est posse concoqui, sed serò tamen. Ficus & vuæ paululum in vmbra siccatæ, ob mollitiem substantiæ, & quoniam grata sunt ventriculo, mediocriter nutriunt, & bene subiguntur: causæ enim facilè coctionis sunt similitudo, teneritas, gratia, consuetudo, & paucitas alimenti, temperamentumque, nec enim pigebit sæpiùs repetere necessaria maximè. Ideò ex plantis, arbores difficiliores coctionis sunt herbis, & maiores plerunque minoribus, & magis adultæ iuuenibus, & agrestes satiuis, & cultis, & natæ aridis in locis, natis in humentibus, & lignosæ teneris, & contumaces friabilibus, & calidæ, aut frigidæ, vel siccæ, vel humidæ temperatis, & crudæ coctis, & acres amaræ, his quæ sunt boni saporis, & insuetæ consuetis, & quæ parui sunt odoris, aut etiam vehementis, quamuis boni, à natura tamen eduliorum alieni, his quæ nullum, aut pinguem retinent odorem, & omninò quæ excedentem habent aliquem saporem, etiam dulcem, & pinguem, his quæ habent moderatum. Quæcunque autem difficulter nutriunt, in imbecilli ventriculo parùm nutriunt, non tamen quæ parùm nutriunt, difficulter subiguntur, vt saccharum, mel, & omnia non pinguia, vehementer tamen dulcia & aquea, vt vinum aquosum, sunt autem in eduliis, vt aliàs dixi, consideranda facilitas coctionis, aut difficultas, multitudo nutrimenti, aut paucitas, crassities, aut tenuitas, prauitas, aut bonitas, & quod facilè, aut difficulter corrumpatur: non posse autem hæc esse plura sic demonstratur, nam ad actionem comparatum alimentum facilè, vel difficulter subigitur, quod verò excipitur, aut exactè assimilatum est, & dicitur bonum alimentum, aut non, & est malum, & si plurima pars euincitur, dicitur multùm nutrire, & si pauca, parùm. Quod verò multùm nutrit, pauca necessariò habet excrementa: quod verò parùm, multa, aut corpulenta, aut vaporosa. Quia tamen multùm nutrire simpliciter intelligi potest, non comparatione ad pondus: quæ crassa sunt, & grauia, & poterunt multùm nutrire, & multùm relinquere excrementi, alia parum nutrire, & parùm excrementi relinquere: igitur meliùs est, vt & ad molem, & pondus, multùm & parùm nutrire referantur: sic enim regula generalis erit etiam excrementorum. Vt verò ad substantiæ naturam, prout ex elementis constat, referuntur alimenta, crassum aut tenue efficiunt nutrimentum. Crassum quidem facilè obstruit, & difficulter resoluitur, tenue contrà: vt verò ipsam compositionem partium respicimus, fit densum, & rarum. Densum non facilè euincitur, ideò nec corrumpitur rarum alimentum, & si bonum sit, facilè vitiatur. Fieri autem potest, vt densum sit, ac tenue, vt crassum ac rarum, quod pessimum est velut si ex tenuissimis partibus in vnum, bene coactis fiat alimentum, vel si ex crassis, ac laxis contraria ratione. Sed dices forsan, si densum difficulter euincitur, quæ difficulter corrumpentur, difficulter concoquentur, nam contraria comparatio non tenet: quæ enim difficulter concoquuntur, palam est non necesse esse vt difficulter corrumpantur, poterunt enim esse multa crassa, sicca, dura abominanda. Ergo dicimus ea, quæ densa sunt, non necessariò exegisse difficilem coctionem, tùm quia pauca, tenuiáve, tùm quia antea talia non erant, & natura proxima, ac temperamento humani corporis quod alitur, cuiusmodi multa sunt, & maximè caro alarum auium, & maximè perdicum: iuuat etiam siccitas leuis, ne facilè corrumpantur, quæ tamen concoctionis impedimentum non affert. Quocirca plantæ spinosæ, si concoquantur, minùs earum alimentum putredini obnoxium est.

Cocta plus nutriunt quàm cruda. *Fructuum cõctio.* *Concoctionis causæ.* *Nota concoctionum comparationem.* *Nota.* *Consideranda in eduliis* *Nutrientia qualia.* *Nota.*

CAPVT XL.

De Radicibus.

DEmiror hac in parte, tam confuse à Galeno explicatam esse radicum naturam, dum magnum fructum fecisse se existimet, si solùm antiquos coarguat, propositi autem obliuiscatur. Dico autem primùm illud radicibus debere considerari comparationem ad reliquas partes: sunt autem grauiores, quoniam non prodeunt, & sicciores, quia minùs emittunt succi: & ideò terreæ ob id foliis plus alunt, & eadem ratione difficilius etiam conficiuntur. Sunt & calidiores cùm toti plantæ concoquant, & sapores habeant euidentiores, præterquàm semine, & in paucis caule, aut foliis. Quocirca earum vsus est medicinæ potiùs quàm cibi loco. Deinde si ad rerum naturam vniuersam comparentur, omnes ob id mali succi, & cõtumaces ad concoquendum: non tamen simpliciter, quoniam vt dixi tales sunt plantæ comparatione: veluti radix lactucæ, humidũ præbet alimentum, & facilius concoquitur carne, maximè in ventriculo calidiore, ac sicciore. Post odorem, saporẽ, atque colorẽ, tũ substantiã spectabimus.

In radicibus consideratio. Radicum vires in genere.

Iuxta

Nota.

Iuxta enim ea quæ aliàs diximus candidæ, & ad aquæ colorem vergentes, perspicuæ scilicet frigidissimæ: natura enim niuis, & aquæ constant: non perspicuæ, & candidæ calidissimæ, velut calx, & arsenicum. Quæ luce carent, frigidæ sunt, & terteæ, saporum pingues (vt dixi) nutriunt, dulces minùs, sed magis iucundi sunt: parùm admodum nutriunt salsa, insipida, austera, astringentia, acida, acria, nihil amara. Quocirca cibi causa eas vitare oportet. Quæ etiam magno odore præditæ sunt, qualiscunque sit, parum nutriunt: nam siccas esse admodum necesse est, & siccum non nutrit. At fragiles faciliùs concoquuntur: aqueo enim humore gelato constant: contumaces ligneæ sunt, neque nutriunt, & etiam parum gratæ sunt gustui. Porrò vt meliùs alant, & vberiùs, efficit in duris coctio, in insuauibus conditura: omnes autem radices licet simpliciter alant, & multorum sint excrementorum, non tamen omnes difficulter concoquuntur, neque malum exhibent alimentum. Securiùs autem eduntur quæcunque sunt domesticarum plantarum, & in vsu, & molles, & iuniorum plantarum, & nuper euulsæ: sunt præterea in radicibus ipsis plerumque duæ partes, iuxta rationem corporis, scilicet cortex, & lignosa pars. Et in quibusdam cortex melior est, vt in cichorio, & aliis quod medium est, vt in radicula. Pars quidem exterior calidior, interior contrà: ob id exterior melior in frigidis radicibus, in calidis autem interior, præcipuè si non lignosa sit. Iuxta autem longitudinem media pars melior est in plerisque, nisi in illi, quæ medullam iuxta germen habent prædulcem, & iucundi saporis, velut in carduis verè omnes vsui sunt, quæ nec lignosæ sunt, nec saporem habent iniucundum, valdè maximè amarum, nec sunt maleficæ.

Radicum duæ partes. Nota.

CAPVT XLI.

De Radicula raparia, rapa, napo, radicula, raphano.

Radicula raparia quæ.

OMnium quas sciam præstantissima radicum est radicula raparia, quam vocant rauanellũ. Prælonga est radix candida, cortice tenui, & pellucido, sapore insipido, mediocriter acri, & aliqualiter subdulci. Eligatur tenuissimo cortice, candidissimo, fragillima, & suauis, medioceris crassitiei. Præstat autem quatuor in rebus, primum quod cum Vere apparere incipiat, toto anno inuenitur esui vtilis, quod fermè nulli alij radici conuenit: secundum quod etiam fermè sola prorsus est expers lignosæ partis, sed tota quasi medulla est. Tertium quod præstantissimi sit saporis, ex acri, & insipido subdulci. Quartum quod nulla sit aptior, maximè cruda ad vsum humanum: sapores enim declarant eam esse proximam temperamento, facillimè concoquitur: ructus non mouet, neque ante cibos, neque post, sumpta ventriculo grauis, bene nutrit ob hæc, & multum, cum sic dico in ordine radicum, cùm omnes vt dixi malè alant, & perexiguum præbeant alimentum. Cit vrinam, purgat renes, & illos confirmat, mirum enim in modum sanguinem ex eis fluentem sistit: nam Galenus, & Bruyerinus ignorasse videntur, miror cùm notissima sit vbique, nisi illam sub rapi syluestris nomine significauit. Nam Plinius dicit raparium genus tertium syluestre esse, oblongum, & acre, vt videatur hanc depinxisse. Qualiscunque sit hæc talis est, vt insigni socordia taxari merentur, qui solùm tradita ab antiquis referre norunt. Nec cuique tamen suaserim assiduum, & copiosum huius radicis vsum, sed moderatum, & parcum. Nam præter rationem adductam, vidi homines qui eo vsu in tantam ventriculi imbecillitatem deuenere, vt solùm succum ciborum deuorarent. Editur communi ratione omnium scilicet condita oleo, & sale, frustrà additur acetum, nisi sit insipida, sed & si gingiber addatur per se, vel cum aceto melius erit, rectè cichorio, vel endiuiæ additur: Rapiam aliqui dixêre.

Vires.

Lib. 18. Cap. 13. Nota.

Radicula verò longè alia est acrior, durior, siccior, excrescit in immensam magnitudinem, adeò vt puerulum binum non nunquam æquet, lignosa est valdè, & corticem habet crassum, adulta amarescit, ructus mouet, spiritum malè olentem reddit, penè nihil nutrit, cocta tamen in napi saporem transit, sed non perfectè. Incidit, & detergit, sed parum fœliciter, vt quæ omnis odoris boni, tamen iucundi saporis sit expers. Quo crassiore cortice, est amarior. Quò fragilior, suauior. Quò frigidiore orta cœlo, eò plus excrescit in magnitudinem. Nòn est ex eius genere raparia, lignosa enim non est, & tenui est cortice. Cauliculis excellit rapariam, si coquantur namque oleo, garo, & aceto conditi, sunt suauissimi. Et tamen parum admodum nutriunt, semina eius aduersus venena prosunt, & cum siliquis decocta cum pipere, sale, & oleo grata sunt, & coctioni idonea, solebant antiquo tempore edi caules, & folia, cum garo, deiiciendi aluum causa. Radix dentibus inimica est, & eo amarior, quo cortex eius crassior. Nitro & sale aqua solutis si irrigentur, suauiores multò euadunt: Armoraciam Plinius vocat radiculam. Differunt propriè radiculæ rapariæ ab his, quæ longiores sunt, rectéque sine cortice, sine ramo, & modo lenes, fragiles, dulces sine neruo.

Radicula quæ. Vires. Nota.

Raphanus autem syluestris radicula, lutei coloris, longior, tenuior, ac multò acrior foliis valdè magnis, acris saporis: Radix ipsa insignibus prædita viribus, quippè primum succus eius lapidem vesicæ in balneo calidus epotus ex vnciis duabus frangere creditur. Certè eum qui in renibus est, educit: in vesica verò fragilẽ tantùm atterit, sæpiùs si sumatur.

Raphanus quis. Vires.

Plinius præterea adducere saniem è pectore eundem succum affirmat, opinor melle conditus. Aduersatur præterea plerisque venenis. Ipsa verò radix comesta educit pulueres, & scobes, ac schidias, quæ erodunt intestina, estque excellens præsidium. Rursus Raphanus vomitibus aptissimus est, & omnibus morbis frigidis, adeò vt etiam hydropicorum aquam educat; extenuátque splenem

Lib. 4. Cap. 20.

splenem: odit Raphanus vitem, vt idem testatur. Ex eius semine oleum conficitur admodum tenue, & acre quod in omnibus aduersatur venenis: cæterùm herba ipsa, cùm cauliculi edendo sunt (dum teneri sunt) crudi, cocti non ita, quoniam substantia adeò tenui sunt, vt in oleris agrestis vicem transeant. Non est præsentis instituti cùm sint Raphanorum tria genera, vt singula distinguam, quandoquidem minùs hæc differant, quàm fructus multi, quos sub eodem genere reponunt, cauliculi, & folia solùm esui apta cum sale, & oleo, attenuant, dissecant, digerunt, cibi appetentiam excitant, flatus discutiunt, vermes occidunt, aluum in plerisque mouent, lapillos atterunt, vrinam prouocant, & sudorem, iniucundi admodum gustui sunt.

Lib.5.cap.19. *Olei vires.* *Tria raphanorũ genera.*

Rapæ semen habent, ex quo oleum plurimum excipitur, ipsa omni fermè in terra quantumuis arida proueniunt, & toto anno seruantur, nec scio cur earum esus in Autummum in Italia differatur, fideiussor est pro tritico, cum castanea illa in campis, hæc in montibus mortalium generi aduersus famem, crescit multum.

Rapæ semen. *Vires.*

Plinius testatur se vidisse XL. pondo. Non estur cruda coquitur in aqua, & facilè concoquitur, nisi in frigido ventre, parum tamen alit, & sub cineribus melior: melior etiam quæ in iure pingui, optima quæ bis coquitur in aqua, & post in iure, alit multùm, suauis est, & bonum exhibet alimentum. Aduersus quartanas maximè in iure castrati, & cæteros morbos melancholicos vtilis valdè, sed & Venerem auget, & visum acuit non parùm, in quo vsu fœniculum addere oportet. Princeps Tertia Tertij vocat segiem, Rapa non tam prouocat, & si id agat, quam gignit vrinam multam, velut & semina melonum.

Tract.4.c.3.

Verùm quia dictum est coqui eas sub cineribus, scire decet hunc esse vsum omnium radicum, quæ comedi possunt, lauantur aqua, inde circumponitur charta madida, post in pauimento calido collocantur, & superposito cinere multo calido admisto prunis coquuntur. Quæcunque verò radices aridiores sunt, mutatione chartæ indigent: quæ autem humidiores, vt rapæ sine charta, & inter prunas, ac diu excoqui debent, ita vt multò fiant minores, nam hîc modus coctionis vires seruat, & odorem, & saporem magna ex parte retinet: sic napi de quibus nunc dicemus, cocti sale, oleo, piperéque condiuntur.

Modus coquendi radices.

Naporum discrimen in forma primum est in longitudine, rotundiora enim sunt rapa, sunt etiam lutei coloris maximè in lubrica, cum rapo sint candidi. Magis etiam terrei, & saporis præstantioris, minùs flatuosi, plùs nutriunt, plùs mouent vrinam, sed non plùs augent, appetentiam cibi excitant, semen eorum aduersus venena potens. Ad quartanas, & oculos inferior napo: rapum magnum ex locorum diuersitate varietatem recipit,

Naporum discrimen. *Vires.*

CAPVT XLII.

De Bulbis, cæpis, porris, allio, scalongijs, seu ascatonijs, & cæpula.

BVlborum, velut & fungorum fallax vsus, cum pleráque ex eo genere non solùm noxia sint, sed etiam lethalia, atque in hoc mira desidia distinguendi, velut in cæteris necessariis & in inutilibus, verborum copia inanis. Ergo bulborum exculentorum genus nostra tempestate ignotum est, inter tot, quæ bulbosam habent radicem, velut scylla, lilium, aphodillus, crocus, narcissus, ephemerum, colchicum, satyrion, & quæ plantæ quasi testiculos habent omnes, hyacinthus, ampeloprassum, dragontea, moli. Nullius tamen horum nec congeneris bulbus radix est, omnis bulbus osculentus durior est cæpa, quod rarò crudus esset in vsu, coitum mirum in modum excitabat, ventriculo vtilis, & visum hebetabat. De Bulbo Pythagoras fertur integum scripsisse volumen, quod adeò in gustu gratus esset à carnibus abstinentibus, vt Moschion de Raphano. Esculentam Amatus putat nostram esse ascaloniam, sed ea est è cæparum genere, non res alia quæpiam. Flos syluestris bulbi etiam anemon vocatur, rubræ sunt radices, tum candidæ, esculenti folia bulbini parùm re vt nomine à bulbo differentis, porracea sunt, radix rubra. Vomitorius etiam porracea habet, sed longiora, & nigra, flos bulbi violæ similis, estque radix è scyllæ genere prorsus, sed mitior, foliis angustioribus, & leuioribus, Epimenidium vocata. Bulbi nomine intelligimus generaliter omnem radicem rotundam, tunicatam, mollem, leuem, cui alia adnascitur, aut etiam plures, crassi omnes sunt alimenti, & eò magis si bis coquantur, sed meliùs tunc, ac magis nutriunt.

Bulborũ fallax vsus. *Vires.* *Nota.* *Plin. lib.19. cap.5. & lib.20. cap.9.* *Flos.* *Bulbus quid.*

Cæpula vero ab Apicis vocata, à Theophrasto sterilis cæpa, de qua Tragius agit Gallicynas Plinius Gethion iucundior est cæpa, sed acrior minùs cæpis, somnum conciliat, magis dissecat crassos humores, & biliosos excitat, offendit oculos, & sitim facit, appetentiam quoque cibi excitat. Differunt cæpæ, cæpulæque à bulborum genere, quod amaritudine carent, cum bulbi non tam acres sint, quàm etiam amari, præparari debent contrariis rationibus, malum odorem oris faciunt, & cocti parum attenuant, aromatibus ergo maximè vulgari: sed tamen optimè condiendi sunt bulbi, & cæparum genere, eadémque ratione longo pipere, & fœniculo, ne oculis noceant, parùm nutriunt: ideò carnibus iunguntur, aut ouis, sitim faciunt, acetum admiscere exasperant, exulcerántque interiora, pinguia iunge oleum, ius adipem. Quærendum meritò esset inter tot aliorum nugas, cur bis cocta huiusmodi gratiam admittant rapæ ineant. Causam esse reor, quod rapis præter aqueum succum, nihil fermè est aliud certè, nisi quod saporem habeant, atque ideò imbuta pingui,

Lib.20.c.6. *Cæpula vires.* *Nota.*

pingui, & bene olente iure, solùm nimiam illius pinguedinem diluant: at in illis remanet sapor ingratus, quem acris ille exuberans obscurabat, atque tegebat, excalefaciunt omnia hæc acria valdè, immodicè dico cæpæ, cæpulæ ascaloniæ, allia, porri imò exurunt. Cæpæ tamen præcipuè, & cæpulæ, & ascaloniæ lachrymas tractatæ, ex oculis eliciunt. Cæparum plura genera, omnium natura est vt corticibus pluribus vna alteri superinducto constent, & in immensum quædam crescunt, non tamen quantum rapæ, aut radiculæ ob nimiam caliditatem, aliæ rubræ, & calidiores, aliæ albæ Bononiæ, & Ferrariæ rubræ, & maiores quàm Mediolani, omnes eliciunt vrinam multam, adeò vt ad eos in quibus vrina retinetur succus earum pro medicamento egregio sit: eligi tamen debent acres, nam quædam sunt Bononiæ prorsus dulces, & insipidæ, vt mireris. Fiunt etiam acris saporis magis expertes in qua frigida diu infusæ, atque id maximè expressæ, & permutata aqua harum præcipuæ, sed etiam omnium, & magis bis elixatarum vsus earum lethargum generare solet, propterea senibus inutilis, & si vtantur, cardamomum maius adiiciemus. Acetum quoque addi debet iuxta ea, quæ dicta sunt, calidæ sunt, vix in initio secundi ordinis, si ad gustum, aut effectum respicimus, siue noxam, nam libram cæparum deuorare licet, piperis verò neque semunciam, sine noxa. Quocirca valdè demiror Galenum in quarto ordine eas collocasse, credo ob hoc solùm quod lachrymas creant. Sed mirum est quod egregius hic naturæ iudex, non ausus est pronunciare, an sicci sit, an humidi temperamenti. Me autem non latet humidiorem esse, quàm calidam, quod insipida sit, & dulcis: & ob hoc etiam latet caliditatis noxa, quæ à superfluo humido obtunditur. Est ergo calida in initio secundi ordinis, humida in fine: partes tamen habet tenuissimas, excalefactas, quibus oculos ferit, & lachrymas prouocat. Dissecando & stimulando, aluum mouet cæpa, hæmorrhoidas cit, nec segniter: similiter & menses curant, & surditatem, & tinnitus, ac si liberaliùs edantur capitis dolores graues cæpæ crudæ.

Cæparum plura genera.
Vires.
Vsus cæparum malus.
Obiectio.

Ascalonias non immeritò quis, vt Lusitanus existimet, è bulbi genere, cùm plures nucleos habeat, velut allium, non vnam radicem vt cæpa. Differt & ab allio quod nucleos non habet prorsus coniunctos, habetque molles, & leues, & cortex mollior, ac tenuior: amara etiam, est non vt allium, neque cæpa, quæ solùm acria sunt. Verùm hoc solo persuadeor non esse bulbos, quod omnes bulbos coctos plerumque edi affirment raro crudos: ascaloniæ verò adeò crudæ præferuntur, vt coctæ gratiam omnem amittant: vtiliores sunt ventriculo ascaloniæ, & iecori cæpis, & allio, & appetitum magis excitant, nec odorem tam fœdum oris faciunt, quoniam ob nuclei paruitatem melius concoquuntur à natura. Proprium earum est, vt semine potius, quàm radice satæ proueniant, inde transplantatæ augeantur celeriter, antea seriùs auulsis foliis melius à raidce crescunt, cùm à seminis incremento non distrahantur, facilis ad putredinem transitus, & dum satæ sunt, & dum auulsæ, albæ sunt, ac rubræ, & misto colore vtraque, pleræque ciunt vrinas plus cæpis, magis incidunt, & attenuant: Estque quadantenus media illarum natura inter allium, & cæpas, cùm tamen opere ipsæ cæpæ mediæ potius sint inter allium, & ascolonias. Quocirca, vt vera fatear crassioris substantiæ est ascalonia, quàm cæpa, magis terrea, & siccior, minusque calida.

Ascalonias non à bulbi genere.
Vires.
Nota.

Allium enim calidiùs longè, crassius, siccius, ideò flatus discutit, & terreum maximè fœtet, exacuit sanguinem, multos præseruat à coli dolore, pestem arcet, & aquarum corruptarum damna emendat: sed non adeò vt cæpa: nocet oculis, capiti, dentibus, vt etiam cæpa, sed magis, faciem efficit rubram admodum, ac quasi assatam, cum sale multo editur, & ob id sitim excitat: sine sale verò patientes efficit, vini, non tamen bibaces: Notissimus est iocus Horatij:

Allij vires.

> *Parentis olim si quis impia manu,*
> *Senile guttur fregerit,*
> *Alat cicutis allium nocentius*
> *O dura messorum ilia?*

Horruit hoc serio, vt scriptum inueni, Iacobus Foroliuiensis, qui ad eius odorem exanimabatur, allio, nucibus, sale, pane fit intinctus, quem vocant alliatam, satis suauis. In vniuersum caput est allium acrium, & bulbosarum radicum, quod olim copulari solebat bene olentibus herbis Virgilianum illud:

Alliata.

> *Allia serpillum, atque herbas contundit olentes.*

Inde etiam Moreti experientia non ingrata eiusdem authoris: sed vt ad rem redeam, multùm prodest his, qui solent expurgari pruritibus, & qui fontes habent, nam prauum humorem natura faciliùs expellit, vt noxa non appareat, vtilitate autem fungitur, veluti discutere flatus, incidere, mouere, vrinas, calefacere, nec siccare, venena omnia propellere, vermes occidere, attenuare, concoquere, tum bonos, tum etiam noxios humores, somnum prouocare. At in bene habito corpore quod nusquam, nisi solitis omnibus hominibus viis expurgari, malus profectò est allij vsus, vt quod epar incendat, nedum accendat. Demonstratum est autem alibi, epar esse principale fundamentum sanitatis in animalibus, tum etiam morborum. Coctum meliùs est, quàm crudum: non tamen adeò vtile est, sed magis innoxium. Quod rubrum est, & exiguum, dico de cortice, nam raro alij substantia rubra est, acriùs est, magno, & albo. Cum germinat, acriùs fit, & deteriùs olet. Est enim germinatio corruptio quædam, transit odor violæ, commesto allio ad vrinam, id fit probè concocto illius humido. His qui ventriculo non sunt admodum robusto, odor eius magis infestat, perendie nonnunquam, quàm ipsa die. Allium & cæpa frixa in oleo durissima euadunt ad concoctionem, velut etiam & alia sui generis. Sunt allia quædam adeò acria, vt vix ferri possint. Ea enim est illius natura, vt quo plures habuerit nucleos, eo sit

Nota.
Epar fundamentum principale sanitatis.
Quid germinatio.
Nota.

Somnia mala quæ generent. Plin. lib. 19. cap. 6. in fine.

sit acrius, atque feruidius, & bulbosa omnia mouent mala somnia, sed cæpæ magis, quàm alia.

Porrum etiam multiplicis est generis, vt allia, nam alliorum præter magnitudinis differentiam, alia etiam sunt genere varia, alum scilicet, & vrsinum seu syluestre, scorodon Græci vocant, capite paruo, foliis grandioribus. Alum autem acerrimum est. Porrorum igitur genera quatuor, capitatum, sectile, ampelloprassum, atque hæc omnia antiquis nota, & primarium quod tenue est, exileque vocat vulgus: purisellum; id est, intactum hoc certè magis incitat, cibi appetitum, minúsque nocet dentibus, & vterum purgat, adeò vt credatur, quoniam id quandoque contingit, molam expellere, fœtum tamen non lædit. Bruxerinus hos non agnouit: commune omni generi porrorum est ventriculum purgare à pituita, si cum sale edantur, adeò vt etiam Thadeus Florentinus his vteretur: omnia etiam genera porrorum mala somnia valdè mouent, omnia rursus genera commendant vocem, adeò vt sectiles ex eleo condit, quibus certis diebus Nero singulo mense vtebatur, nullo alio cibo adiecto, ne pane quidem mirum in modum iuuent canentes: minimè tamen primarij, post ampellopraßum quod porrum est rusticorum. Idem est porrum syluestre, quod spontè & iuxta vites nascitur, ab his nomen ducens, vires eius acriores quàm reliquorum omnium: præterea porrorum succus ex vnciis duabus ebibitus ducit hæmorrhoidas, cùm Plinius referat trium argentorum pondere interficere hominem absque dolore, quod puto casu accidisse, vt multa alia in hominum vita miracula, huiusmodi porrum incidit plurimum, capitatum est quod caput habet, & est simile allio: ob id propterea regulam supponebat, ne in longitudinem cresceret: sed rotundum euaderet. At scissile quod eius folia sæpiùs præciderentur, vt tota radice crassius, ac longius euaderet, hoc melius existimabant vt capitatum pulchrius: omnia genera præterea, quæ hoc capite connumerantur, & cibi, & condimenti vicem subeunt, non ita quæ ex raparum genere sunt, nam illa solum inter cibos numerantur. Singula etiam horum & cruda, & cocta eduntur, at illorum alia cruda, vt raparia, radicula, & raphanus, alia cocta, vt napi, & rapæ: omnia etiam huiusmodi si bis coquantur gratiora redduntur: sed porrum adeò ad incidendum humores commendabat Galenus, vt ptisanæ incoqui iuberet. In vniuersum omnia hæc bulbosa proximiora sunt naturæ humanæ, quàm radicularum genera, & ob id nocentiora.

Porrorum genera quatuor. Vires eorum.

Nota.

CAPVT XLIII.

De Tuberibus, & fungis.

PRoxima laus est tuberibus, & quòd ad gulam attinet etiam fungis, quanquam fungi inter radices nullo modo sint, imò radicibus careant, & à multis ganeonibus præferantur. Res est tuber siue fibris, seu capillamentis, caulæ, folio, flore, semine sub terra condita, cum cortice tamen, nec terræ annexa, nec vbi subest terra, finditur: nix tamen liquatur, si non admodum alta sit, colore nigro, aut rubro, fusco exteriùs, intùs albo, si admodum bonum sit: plerumque albo, fusco cineris, imò potius buxi colorem referente, id est, ligni eius forma ad rotunditatem declinante, sed varia vt magnitudine, nonnunquam enim ad magnitudinem cotonei accedit, ita vt pondere libram excedat, nec leue, nec omninò graue, sæpè excessum intus carie, qua ex albo in ferrugineum transit calorem: ex buxeo verò in nigrum, sapore simplici, ac fermè insipido, cum gratia tamen quadam, & eleganti. Vnde & crudum ego, & plerique alij comedere solent, multi coctum etiam iure pingui, aut in aqua, butyro, vel oleo, additis semper sale, & pipere: sed si crudum sit, etiam oleo, vt ego facio. Inuenitur terra sabulosa, sicca, fruticosa, quam aliquando abluat flumen, annóque toto durare creditur. Inuenitur sue quæ consueuerit eo pasci (est enim illarum præcipuus cibus) alligato rostro ænea cauea, vt eruere possit, inuenta non edere aliter, & si in superficie terræ sit, fortuito tamen inueniri solet, nisi niuis tempore, vt diximus, quod à terra integatur. Meritò etiam inde quæsitum est, an totum simul oriatur, indéque paulatim absoluatur, vt gratia exempli, ex subluteo fiat album, aut vt plerumque plantæ ab initio exiguum sit, & paulatim crescat. Namque color ille buxeus accidere potest, aut natura terræ, vel quia antiquius, vel quia nondum maturauerit, vel quia computrescat, quod ad idem cum in toto fuerit, cum senio reincidit. Vitia enim tria patitur, cariem quæ proculdubio ex putredine contingit, sabulum vt sub dentibus strideat, quod natus omninò est, & buxeum colorem maximè pressum, de quo ambigitur an sit natura, vel senio, vel acerbitate: existimandum est autem sensim augeri, quod corticem habeant, sintque semper à terra separata, nam si incrementum esset iuxta qualitatem, vt in metallis acerba essent terræ coniuncta, & sine cortice, maturatio enim esset disiunctio & absolutio partium. Præterea non orirentur eo modo quò omnes aliæ radices, nulla enim illarum non quantitate crescit perfecta secundùm qualitatem. Neque essent ergo ex plantarum genere, sed potiùs metallorum aliquod, aut metallicorum: essent etiam sine semine, & videtur naturâ nihil sine semine à planta deciso, aut ex terra genito generare. Essent etiam partes fermè æqualiter absolutæ: aut non ita est, sed candidiora sunt intima, cortex nunquam candidus. Et cùm senescit cariem priùs in intimis partibus contrahit. Quare signum iuuenescentis est vt sit mollius, candidius, densius in interioribus partibus, quàm exterioribus: contra verò quod consenuit intus cariosum est, & flauum magis, quàm exterius. Quod si contingat exteriùs cariosa esse, hoc vitium est soli, non vllius ætatis. Nam iuuenile tuber nullibi cariosum

Tuber quid.

Vires.

Dubitatio.

Vitia.

Nota signa boni tuberis.

cariosum esse debet: senile aut potiùs intùs, quàm extrà. In aliquibus etiam regionibus veluti Mytilenis seritur, & irrigatur, vt non dubium sit illa augeri. Terra etiam extuberat, & scinditur, non vt quidam dicunt: obiicies quod cortice, neruo, & vena careat ex Theophrasto: quomodo ergo nutrietur? dico quis venas conspicuas in radice cichorij inueniat, aut in fungis, quos tamen sensim crescere conspicuum sit: similiter corticem quem habent coniunctum corpori reliquo esse haud dubium est, corticem tamen terreum magis gustus ipse docet, atque à medulla distinguit. Quod si quis rursus dicat, quod maximè obiici potest, tubera si crescerent omnia vbi loco ab hominibus frequentato colligerentur, maximè ferè omnia debere inueniri, vt etiam in arboribus nemorum magnorum, & quæ securis homnum non violat. Respondemus non arboribus, sed herbis comparanda esse, quarum vita vt dixi non vltra annum est. Dicet alius, si tubera sensim orirentur, diuersi essent saporis, ac duritiei, at non sunt, non ergo augentur, sed teneriora apparent esse quæ parua sunt, & non adeò exacti saporis. Ab hoc nomine deriuantur plura, velut extuberari, & tubercula à similitudine venenatæ qualitatis expertis sunt, cum à serpentibus incubari non possent. Cæterùm grauis sunt alimenti, atque obstruunt, melancholicaque sunt, & atrum humorem, & crudum augent. Nihil tamen habent peculiare malum. Excitant Venerem, velut & bulbi, non solùm quia in tertia concoctione superari nequeant, sed quia flatuosa sunt, & lenta, bis cocta meliora sunt, condita aromatibus, & pingui iure. Partem habent calidam, atque suauem, per quam non solùm culinæ commendantur, sed etiam Venerem augent, cordis vi, ac spiritu intento.

Lib. 1. de Hist. plan. cap. 2.
An tubera crescant.
Vires.

Fungi verò deteriore sunt conditione, quorum ortus celer, ex putrefacto humore breui cogitur, adeò vt vna nocte crescat, ac quasi ephemerum, est radice nulla prorsus aut perquam exigua: neque enim carere potest. Serpentibus, & bufonibus tensa, & cibus ob id persæpè adeò venenati, vt statim perimunt. Quin etiam solo olfactu aliquando ipso momento occidunt, aliàs comitialem morbum mouent. Genus est fungus vt metallum, metallicum, lapis planta, non species vt lactuca, aut beta: sed quia pauciores habent partes, ideo & pauciores habent species, & minùs varietate conspicuas, indicio est differentia inter illos, ortus facultas. Sunt enim lutei vt boleti, candidi, ferruginei, crispati, claui, rotundi, lati, tenues: omnes tamen latiores sunt in vertice, quàm trunco, vt tota defenderetur planta, si plantam fungum licet appellare. Voluit docere nos summus opifex, eandem esse curam tàm caducæ rei, vt etiam ephemeri, quod ad æternitatis comparationem mille anni non plus sunt diecula, neque ob longitudinem vitæ dignior elephas ephemero. Nascuntur vbique pratis, quos innocentissimos putant: terra arida, cœno, fimo, hudo, & vmbra, & sub terra in cauernis, ac speluncis, nemoribus, ac syluis, maximè Plinius putat omnes fungos ex arborum nasci putredine, tum etiam boletas, ita vt vel in arbore ipsa, vel radicibus adnascantur. Vnde difficillima illa tota narratio de fungorum diuersitate: sed quia in limo, fimoque, & pratis nascuntur, præcipuè cum ex arboribus potiùs quàm herbis nasci illos indicet. Iuuat autem ex illo prius boletos describere. [Inter ea quæ temerè manduntur, boletos meritò posuerim, optimi quidem hos cibi, sed immenso exemplo in crimen adductos veneno, Tiberio Claudio Principi per hanc occasionem à coniuge Agrippina dato, quo facto illa terris venenum alterum, sibique ante omnes Neronem suum dedit. Quorundam ex his facilè noscuntur venena, di luto rubore, rancido, aspectu liuido intus colore, rimosa, stria, pallido per ambitum labro. Non sunt hæc in quibusdam, siccique & nitri similes, veluti guttas in vertice albas, ex tunica sua gerunt. Voluam enim terra ob hoc prius gignit ipsum, postea in volua, ceu in ouo est luteum. Nec tunicæ minor gratia in cibo infantis boleti. Rumpitur hæc primo nascente, mox in pediculo corpus absumitur, raroque vnquam geminis ex vno pede, origo prima, causaque e limo, & accrescente succo madentis terræ, aut radicis ferri glandiferæ, initioque spuma lentior, dein corpus membranæ simile, mox partus: vt diximus illa pernicialis prorsus improbanda. Si enim caligaris claus, ferrive aliqua rubigo, aut pani marcor adfuerit nascenti, omnem illico succum alienum, saporemque in venenum decoquit: deprehendisseque nisi agrestes possunt, atque qui colligunt. Ducunt ipsi alia vitia, nunc quidem si serpentis cauerna iuxta fuerit, si patescentes primò adhalauerit capaci venenorum cognatione, ad virus accipiendum.] Itaque caueri conueniet prius quàm se condant serpentes: signa erunt tot herbæ, tot arbores, fruticesque ab emersu earum, ad latebram vsque vernantes, & vel fraxini tantum folia, nec postea nascentia, necante decidentia, & boletis quidem ortus, occasúsque omnis intra dies septem est: sed vt ad rem reuertar, postquam de boletis adeò clarè actum est, vt non liceat ambigere, quinam sint, liceat dubitare, quod omninò fertur an verum sit prorsus, à veneno tutos esse: videtur Plinius velle fungos omnes ab arboribus proficisci, postquam iuxta illarum genera periculosos à securis distinguit, maximè tutos vult esse sub quercu, & castanea etiam magis natos. At constat eodem teste etiam nasci in pratis, vbi non sunt arbores: sed & in fimo equino docet experientia, vbi nulla herba, ne dum arbor est. Quin etiam natos in arboribus crediderim veneno prorsus vacare, quod nec gustari, nec afflari possint à serpentibus. Difficile enim est credere serpentes pedum expertes posse eo ascendere: quanquam vt aliàs dixi, viderim viperam, nec modum imaginari possum prunum ascendisse in horto Stachinorum Gallarate, vtue sit res rara, est & mira hæc, vulgus etiam pro securis habet fungos in arboribus natos. Hanc quæstionem enatam puto ex verbis Theophrasti, qui fungum ex radice arboris nasci, aut iuxta affirmat, vt non

Fungorum incommoda.
Differentia.
Ortus. Lib 22. c. 22. & 23.
Boleti.
Veneni nota.
Nota.
3. de Histor. plant. c. 9.

non in arbore, sed ex arbore oriri dicatur. Itaque de his Plinius verba habet. Pratensium aliud iudicium affert, scilicet quod sint securiores arboreis. Arboreorum, id est, in arbore natorum, mentionem non fecit: existimauit enim è terra nasci oportere: qui verò secus nascantur, ad escam ignis conficiendam tantum fore vtiles. Sunt in fungorum genere Pezicæ à Græcis dicti, & laserpitium, de quo infrà dicemus, post quæ boleti, post pratenses, inde rubri, minus diluto rubore boletis: post candidi, demum suilli sunt, & qui ex lapide oriuntur, lyncurnicum aliqui dixêre, de quo alibi plura: est enim fertilis hic, ortúsque securus ferunt, & de pratensibus iuxta Horatij dictum:

Fungorum alia differentia.

Pratensibus optima fungis
Conditio est, reliquis malè creditur.

Sed Antistes Bouromeus ex eorum esu cum duobus aliis è familia mortuus est annis ab hinc propemodum vigintiquinque sunt, & subfusci, ampliique, & horridi, quos quidam vocant lupi crepitum. Pessimi & à veneno non alieni luridi, liuidi, nigri, virides, quique cùm diuiduntur, colorem mutant, ceruleique, & amethysti colore, & qui dum coquuntur, durescunt. Princeps paucis docuit exitiales dignoscere, dicens: Si hument in superficie humido tenaci, ac putrescente, negat autem boletos veneno affici, frigidi & humidi temperamenti in tertio esse ait. Mesue negat frigidum posse humidius quàm in secundo ordine, sed qualitate vera affirmat, crassitie tamen materiæ in tertio ordine refrigerabit. Materia enim densior, & magis, & diutiùs agere potest, non minùs intensa qualitate vt videmus in ferro calido, longè minus quàm ignis, sulphur tamen accedente, & quanquam adeò mali sint, nemo tamen inuentus est ad hanc diem, qui ex salitorum esu læsus sit: ob id magna copia Mediolani tum alibi sale conditur, quod euadant innoxij. Nil mirum quod etiam salitæ serpentum carnes non noceant: soli boleti ventriculo prodesse creduntur. Omnes fungi, præter veneni periculum, mali sunt alimenti, & difficulter coquuntur: adeò vt plerique ex his, vt deuorantur, ita non mutati vlla ex parte prodeant, ex aluo cæterùm solent difficultatem spirandi efficere. Alij morbum choleram vocatum excitare solent. Dignoscuntur autem venenosi colore, & vt dixi coctione: præterea ortu si super aut iuxta ferrum rubiginosum, aut lintea putrida, aut corruptum serpentem, aut illius latebram, tum etiam si humido quodam, atque vligine contegantur, & si collecti breui molles fiant, atque putrescant. Sed nil tutiùs, quàm coctos in iure pingui, aut pinguedine aspersos, canibus & gallinis obiicere, si edant, aut non, nam si non, abstinendum est. Inde si edant canes statim si reuomant, aut gallinis crista impalescat, & demittant alas, & pennæ hirtæ fiunt, venenati sunt: at si alacres perseuerant in edendo, tum illa, tum alia tutò edi possunt, corriguntur suspecti decoquendo illos cum ferro, corticibus pyrorum, & alleo, ac sale, inde abiiciendo decoctum, aliámque aquam, salem, pyrorum cortices, allium, ferrum si idem addas, haud refert adiiciendo. Frigidi & humidi sunt in tertio ordine, & proximi naturæ cucumerum, & nil sanguinis generant. Sunt & fungi arborei in montibus Anatricæ, vallis, vt refert Matthiolus, ponderis nonnunquam librarum vigintiquinque, admodum suaues gustu, & valdè rubri, in quibus nullum est periculum, ne ferro æruginoso innascantur, ne panno corrupto, ne serpenti putrefacto, ne serpens eo vescatur, ne sub eo morentur, ne cauernæ illius: immineat, ideóque tutissimi sunt qui rubis innascantur exigui, & expertes veneni, ac valdè iucundi saporis, quibus Clemens VII. Pontifex Maximus assiduè vescebatur, sed non absque iactura tandem vitæ graui. Est enim hoc ferculi genus ex humido pingui putrido, ideoque per antipathiam inimicum homini. Imò omni animali in se vincuntur, velut & borago homini. Hi igitur alimentum exhibent crudum admodum, & etiam citra venenum, venenosum. Nocent autem omnes magis inconditi, & habentibus ventriculum frigidum, & pulmonem calidum, & debilem, & præassumpta theriaca multò minùs frigidi sunt, & parum nutriunt; sed tamen plus cæteris, quia ficciores sunt, & calidiores.

Historia.

Praui qui.

Temperamentum.

Saliti tutiores.

Documentū.

Fungi arborei.

Alimentum prauum.

CAPVT XLIV.

De Aculeatorum radice.

HActenus de acribus, quas in duo genera opposita distinximus bulbosum, & asperum: tum verò de venenatis quanquam fungi radices non sint: Nunc de salutaribus, quæ venenis aduersantur, quod cùm animalibus venenosis in qualitate conueniant sicca, dissideant autem in substantia, vt sensile ab insensili, vel vt vulgus vocat animatum ab inanimato. Huiusmodi est medulla carduorum agrestium, saporis elegantissimi, candida, & tenera, quæ iuxta germen inuenitur optima Vere, & earum plantarum, quæ in cultis natæ sunt, crescit ad oui parui magnitudinem. Estur cruda cum oleo, sale, pipere: cocta verò cum ipso germine, & cauliculis condita eodem modo. Ventriculo & aduersus venena vtilis. Multæ sunt in eodem genere plantæ, atque omnes educunt vrinam multam, ac turbidam etiam, renésque purgant, arenam, & lapillos ducentes. Reliqua vt in generalibus dictum est.

Cardui agrestis vires.

CAPVT XLV.

De Radice ari, & vtriusque dracunculi.

DRacunculorum radices acres valdè sunt minùs tamen minoris, & ea quæ est ari, adeò vt cruda mandatur, non solùm cocta, maioris autem dracunculi non nisi siccata prius. Omnia enim quæ siccantur, saporem minuunt, nisi eum quem siccitas peperit.

Radicis dracunculorum vires.

peperit. Pinguia, dulcia, acria. Minuunt & coctu, & condimenta & si tenerior sit planta, & Vere collecta, vt in aculeatis diximus: expectorant omnes hæc crudos humores in pectore, & vehementer diſſecant: ſed cur non in iecore potiùs, renibus, ac magis ventriculo, & inteſtinis, ſi in pectore poſſunt? Galenus dicit in viſceribus non ſpecialiter, ſed ſi in pectore tanquam difficillimo loco, etiam reliquis in locis, leuiter etiam aſtringunt, vt ille refert. Dignoſcitur arum à dracunculo, quod ferat piſtillum denſum, ſemine croceo, atque rubicundo, antea verò cuculum quo ſemen velatur, ſeu inuolucrum. Comperitur etiam hodie in vniuerſa Italia herba quædam, quam Draconem appellant, naſciturque ex ſemine lini, in cæpa incluſo, folio oblongo hyſſopi modo, ſed ampliori, ſapore feruido, acetum, & ſalem referente, acetariis expetita.

Nota. *De Dracone.*

CAPVT XLVI.

De Radice cichorij.

Cichorij radix. Dubium.

Cichorij radix eſtur, creſcitque in cultis locis maximè Mediolani, adeò vt carotas æquet. Verùm pars exterior manditur, ſcilicet cortex, quod eſt intus, durum eſt, ac lignoſum, & abiicitur. Quo circa dubitationi dignum eſt, cur in aculeatis, vt diximus, quod in medio eſt, molle eſt, & eſtur, cortex exterior non eſt, ſed admodum durus, in his autem contra, in radicula autem parum differunt? An quia in aculeatis, cùm radices ſint adeò ſiccæ per ſe, oportuit eſſe, aliquid molle, ex quo ſurculi, germinaque fundarentur, idque in medio, at in cæteris pars media durior eſt, quia per corticem nutriuntur. Amara ergo eſt radix cichorij, & tenera, vix edi cruda poteſt, ne dum adulta. Cocta autem ſub cineribus cum garo, oleo, & aceto, tum gingibere vtilis ventriculo, iecorique: ideoque ſalutaris, & corpori toti commoda, aperit obſtructiones, calida, ſed temperatè, & moderatè humida, excitat appetitum cibi. Parum tamen nutrit, & non facilè concoquitur. In prima ſcilicet coctione. Cæterùm ne dignatus quidem eſt Galenus cichorium inter alimenta numerare. Quinimò ſecundo de Alimentis etiam germina ipſa numerat inter ea ſolùm, quæ fame adducti homines edunt. Et in libro de cibis boni ac mali ſucci mirabile dictu hæc habet: [Succi ſummè omninò mali ſunt, olera omnia aggreſtia, quæ vocant, lactucæ id genus chondrilla, ſcandix, gingidium, ſeris, cichorium, ſtirpium radices, quæ ſunt oleraceæ, ſi quæ acres ſunt, vt cæparum, porri, allij, radiculæ, dauci, malæ omnes: boni malique in confinio ſunt radices ari, raporum, quæ θυνίδας vocant, eiuſque quod caron.] Idem exiſtimat hanc plantam frigidam eſſe ſiccam in ſecundo, quòd infrà explicabitur. Verùm octauo de compoſitione Medicamentorum ſecundùm locos, vbi diffusè agit de cichorij natura, hæc habet: [Cichoria itaque, & ſeris cibarij generis exiſtunt. Apud nos namque rurales, ambo hæc edunt, & cruda, & cocta. Inde paulò pòſt facultas horum olerum, ſubfrigida eſt, & ſubamara, ac moderatè aſtringens. Et propter has qualitates optima pharmaca calidis intemperaturis ipſius iecoris exiſtunt. Vltra hoc enim quod moderatè refrigerant, ampliùs & robur viſceri addunt, per aſtrictoriam facultatem, inſuperque commiſſuras oſculorum venarum in ima viſceri parte ad eas, quæ in gibba ſunt, extergent.] Et ſuperiùs ſtomachicis cõtemnit cichoria cruda. Præparatur autem ab Eraſiſtrato, vt Galenus narrat libro de ſectione venæ aduerſus Eraſiſtratios, infuſo faſciculo, primùm in aceto non valdè acri, inde biſcocta, non diu in aqua feruente ſcilicet vt dulceſcat, ac molliatur, ſed vires non admittat, inde cum oleo, & ſale exhibita aduerſus alui fluxiones. Quis ergo ferat æquo animo, aut patiatur eximi eam ex alimentorum genere? At dicet quis, eſt medicamentum, non cibus: Reſpondeo, quid magis medicamentoſum eſt dracunculi radice, quam tamen inter alimenta connumerat? Vna fuga eſt, vt dicat nihil nutrire, ideò non connumerandam inter alimenta, ignotum fuiſſe vſum radicis, cùm olus ipſum non nutriat, ſed piper, neque ipſum nutrit: ob multa tamen commoda adnumeratur inter cibos, deinde cùm vſus eius ſit adeò vtilis, vt cibus etiamſi non nutriat: connumeranda fuit in ea tractatione, nam vt medicamentum ob imbecillitatem parum vtilis eſt. Deinde videmus homines pingueſcere Vere, ex vſu geminum eius. Quòd ſi dicat contingere id ob ſanationem viſceris, dico quod experimentum docet, quod nutrit, & non parum. Primum quia comeſta cum eadem quantitate panis plus homo nutritur, quàm cum pane ſolo: Deinde quia cocta ſi edatur, in multa quantitate alit hominem. De temperamento etiam actum eſt in quinto Contradicentium. Propterea dico in Galeni partibus cichorium eſſe magis durum, & ſiccum, quam apud nos, certè apud nos vtiles ſunt illius radices, & herba cocta, cruda verò etiam germina, alereque, ſed non multum maximè radicem. Idem erit iudicium reliquarum radicum amararum, leuiter maximè modicè aſtringentium, aut parum acrium.

Vires. *Cap. 39.* *Cap. 8.* *8. De ſimpl.* *Cap. 8.* *Cap. 4.* *Nota.* *34.*

CAPVT XLVII.

De Glycyrrhiza.

Nutrimentum vnde.

Quærerem libenter à Galeno cur cum dulci affirmet homines nutriri, glycyrrhiza autem quod ipſo nomine docet dulciſſima ſit radicum, quas nouimus: nullibi tamen eam inter alimenta connumeret, cùm etiam ſit maximè ſalutaris, & ad multos vſus commoda? In eundem laqueum incidit de melle cùm ſit dulciſſimum ipſum tamen exiguum præbere alimentum dicat: nos autem non dulci, ſed pingui nos nutriri oſtendimus, imò nullum valde dulce, vel mediocriter nutrit præter lac, quod pingue eſt. Sed redeamus ad dulcem radicem. Dicet quiſpiam glycyrrhicam eſſe ligneam, & ob id inter

medicamenta, non alimenta connumerari, & ob id etiam non nutrire, sed siccata cùm non nutriat, quia lignosa est, tamen dulcis: igitur dulcis proprium non est nutrire, sed quod lignosum non sit, nam pingue humidum in nullo lignoso est, sed fac vt aliquod lignum pingue sit, vt de ligno sancto dicunt, saltem eius decoctum nutriret: at dulcis radicis decoctum non nutrit, quamvis abundè dulce sit. Demiror autem quod de potibus Galenus non sit locutus in libris de Alimentis: cum enim non minùs potus, quàm cibus sit homini necessarius, & nec minùs ab eo, quàm à cibo homo immutetur, cur non ibi de potu egit: Nimis superstitiosa est hæc obseruatio, & dura, tractat de potibus in libris de tuenda sanitate satis intempestiuè, tùm in libro de cibis boni & mali succi. Ergo glycyrrhiza confert ventriculo iecori, omnibus, purgatque eos, lenit pulmonis asperitatem, purgat per os pectus, & arenas educit per vrinam, sedat si im, famemque. Venditur decoctum illius æstate in foro. Bononiæ ad leuandam sitim, corporaque refrigeranda. Aliarum plantarum radicem dulcem huc vsque non noui, præterquàm polipodij, sed hæc est prorsus medicamentum.

Glycyrrhiza vires.

CAPVT XLVIII.

De Lasero, sisaro, dauco, smirnio, petrosilio, fœniculo, seselli, pastinaca, carota, caro, & barbula hirci.

Laser incognitus. Nota.

LAser inter plantas odoratas prima sanè, sed nostra ætate incognita oriebatur fortuitò vt fungi. Neronis ætate fermè iam defierat, quo magis demiror Platinam virum nostræ ætatis lasere omnia sua cibaria condire: sed existimo vt nos illius authoritate, tum Vertemani seductos existimasse, credidisse dulcem assam, seu Belzoi esse laser, vului tamen illius meminisse, vt intelligerent homines cur hanc tractationem adeò distulerimus, cùm non sit perpetua. In immortalibus enim simplicia, & coniugationes perpetuæ sunt, in his inferioribus autem solum coniugationes. Propterea cùm ego æterna diligerem, illa malui præponere, hanc enim tractationem aliquando parum vtilem, futuram scio, cùm nec panis ex tritico, nec vinum ex vua fiet, cuius indicio est desiisse: laser paulò pòst Neronem, ætate autem nostra balsamum odoratissima radicum, post laser est garyophilata, sed ad cibos, vel potus nullo vsui. Quapropter neque de huius, nec illius viribus dicendum esset. Deprehenduntur autem generalibus rationibus superiùs declaratis, vbi de condimentis actum est per genera saporum, atque odorum. Erat enim laser, vt Dioscorides narrat, iucundi saporis, iucundissimi verò odoris, cyrenaicum hoc priuilegio fuisse constat, vt gustatum statim sudorem excitaret. Durauit vsque ad Galeni tempora paulò seriùs, quàm Neronis: sed incertum est an ne succus iam collectus, an esset etiam plantarum copia. Hoc argumento præcipuo defecisse creditur, quod dicat Plinius: Multis iam annis non inuenitur: quoniam publicandi qui pascua conducunt, maius ita lucrum sentientes depopulantur pecorum pabulo. Vnus omninò caulis nostra repertus memoria Neroni principi missus est. Dixit præterea etiam venisse argenti pondere succum, quando vilissimus fuit ætate Cæsaris dictatoris. Sed tamen Belzoi si credamus esse laser, atque idem assam dulcem, non tamen vt dixi cyrenaicum erit, vis eius in cibis est vt vocem claram efficiat, & colorem bonum: tussi, regio morbo, hydropique confert. Vnde necessario ex regula Dialectica salutaris iecori, ideo toti vitæ, ac sanitati vtilis. Comitialibus, atque distentis auxiliatur, menses & hæmorrhoidas cit, & ventriculi fluxum contra cohibet, ramicem sanat, venenis omnibus aduersatur. Ea tamen calidissima est non adeò sicca, imò humida potiùs: aëris, atque ignis fermè ex æquo particeps. Quo fit vt sudorem prouocet. Nostrum haud est cyrenaicum, quod sudorem non statim moueat. Quidam etiam existimant assam fœtidam speciem esse laserpitij ex Media, aut Assyria, sagapeno atque aliis fœtidioribus rebus permistam. Petrosilij radices in acetariis Principum ægrorum in vsu sunt, comestæ sub cineribus cum oleo, aceto, & sale manduntur. Est petrosilium apium hortense, calidum in fine secundi gradus, tùm siccum atque vrinam, tùm menses, ac sudorem prouocat, flatum discutit, obstructiones aperit, gratum ventriculo, & iecori: aduersatur venenis, tussi, & doloribus medetur. Quod verò circa aquas nascitur, & humidius est, & frigidius. Porrò de Alexandrino apio inter herbas dictum est. Illius folia copiosè sumpta, mala, & tristia somnia mouere solent, atrumque humorem gignunt.

Laseris nota.

Cyrenaici proprietas. Lib. 19. c. 3.

Vires.

Petrosilij radicis vsus & vires.

Quando frigidius & humidius.

Radicum fœniculi vsus ac vires.

Fœniculi quoque radices eodem modo parari solent in febribus, in principum mensis, quo petrosilij facilè concoquuntur, vt priores, obstructiones aperiunt, sudorem, vrinam prouocant, flatus discutiunt, sed & febribus maximè, quæ cum typo sunt, auxiliantur: menses educunt, venenis aduersantur, purgant vesicam, & renes, vomitum sedant, & ventriculo gratæ sunt, lac generant, morbo regio conferunt, visum acuunt.

Radix hirci barbulæ. Vires.

Hirci barbula, seu τραγοπόγων, radicem habet longam, atque suauem admodum, vt nulla melior nomen ducit à calice, in quo semen continetur, qui cùm clausus est, in acutum finitur, pilis quibusdam prominentibus, excalescit moderatè boni alimenti, & ventriculo non solùm, sed etiam pectori salutaris.

Rad. pastinacæ vires.

Pastinacæ radices excalefaciunt in fine primi ordinis, magis tamen agrestis aperiunt, prouocant vrinam, menses, Venerem excitat, pectori auxiliatur, vesicam, renesque purgat, hydropicis auxiliatur, & præsumpta venenis aduersatur serpentium. Agrestis validiorem, sed longè vincitur suauitate à domestica, quæ tamen difficiliùs concoquitur petrosilio, & fœniculo. Vtuntur pauperes Quadragenariæ tempore, piscium loco,

loco, non tamen alit vt pisces, coqui multum debet.

Carotæ vires. Carota similis est fermè pastinacæ, sed radix rubra est, & adeò vt vehementer tingat, sub cineribus cocta mirū in modum mollescit, adeò vt fiat velut puls: tuncque est optima, editur in acetariis temperamento valdè proxima, sed pingui humido destituta, parùm admodum nutrit, iucundi saporis est, sed quasi incerti. Est enim ex dulci insipido, salsoque quasi mistus: quo fit ventriculo parum conferat, renes tamen, sed non adeò vt pastinaca purgat. Videtur ob condimentum vtilis ventriculo.

Siser quid. Siser seu sisarum à carota plurimùm differt, non est carota, neque forma, neque gustu, nec facultate ei similis, quin potiùs napo, est enim radix crassa, longa palmo, lutei coloris, neruum habens in medio subamara, iucundi saporis, quæ omnia adeò napo conueniunt nostro, vt nisi Plinius vtriusque seorsum fecisset mentionem, existimari posset eandem esse radicem, verum affirmat sisarum ex Germania deferri, Tiberiumque adeò illius vsu delectatum, vt iusserit asportari. Et nunc etiam ibi inuenitur iuxta Rhenum,

Vires. ventriculo grata, facilè inter radices concoquitur, appetitum excitat. Est enim subastringens.

Dauci vires. Dauci radix, & planta vndequaque similis est pastinacæ: sed tamen acutior, & calidior: magisque odorata, magis & Venerem excitat. Easdem quas pastinaca vires habet, peculiariter confert tussi antiquæ, partum, menses, vrinas educit, reliqua vt diximus, in Italia in montibus inuenitur.

Smyrnij vires. Smirnij radix & ipsa estur calefacit, pectori vtilis, ac tussi, & spirandi difficultati, vrinam prouocat, & serpentium morsui medetur: Dauci proxima naturæ, sed efficacior, omnes concoctu difficiles: hæc tamen minùs.

Seselis vires. Sesellis autem radix & ipsa odorata, calefacit, desuriæ vtilis, hystericis, asthmaticis, comitialibus, interiorum morbis generaliter: nam noxios humores segregat, & educit, quemadmodum & menses, & fœtum exorientem, aut mortuum, tussi, hepiatis febribus confert. Caput confirmat, doloribus viscerum opitulatur, concoctionem iuuat, flatus discutiendo, frigus depellit, præstat omninò Massiliense.

Cari vires. Cari verò radix etiam in vsu est, cocta tamen calefacit, vrinam prouocat, ventriculo, & concoctioni vndequaque vtilis, commendat etiam odore anhelitum, & os, calida est & sicca in secundo ordine, & ob id difficilis concoctu.

CAPVT XLIX.

De geniculo, & ornithogalo.

Geniculi radicis vires. RAdix est candida admodum & parua, nodis plena, fragilis odoris nullius, gustu subdulcis, & insipida, cruda manditur in acetariis, herba quoque exigua est, refrigerat & humectat, parum nutrit. Porrò radicum insipidarum nullus est vsus in tanta copia acrium, & odoratarum, tum misti saporis, atque iucundi. Hæc autem Vere prouenit, vrinam auget, vt omnia talia, & ob id etiam vrinarum meatus pondere purgat. Ornithogalon autem vtilissima si quæ est alia radix, cuius vtinam vsus copia esset, sed placet Ruelij, & sunt ornithogalon, quòd à rusticis in Suessionum agro eruitur, radice est bulbaceam speciem præ se ferente, cuius medio cauliculus exit, tribus aut quatuor adnatis in cacumine foliis, in capillamenta quædam extenuatis, floribus exiguis foris herbaceis, intus lacteo candore candicantibus, qui simul coaceruati, velut paniculo quodam compactili callo squammanti coëuntes, in pilulam extuberant, nucamentum pineæ nucis repræsentantem, radix in orbem ferè collecta est, cortice pullo candidissima, intus carne pulpave, perquàm odorata, Vere vel æstate cum fronde viret, hyeme vel autumno cum exarantur, agri radicitus velluntur, diu seruari potest, & vbi annonæ premit inopia plebis rusticæ famem, & ieiunia castanearum more satiant, nec aliud humo genitum promptiùs in cibos cedit, cum frugum penuria gliscit. Mirè suibus expetitur, rura ex agris spontè natum grauiorem cibum non norunt, lautiores, etiam mensas ditiorum non reformidat. Pueris non incognitæ radices, qui propter astantes cum aratro terra proscinditur, aut in latiores porcas sulcatur, erutos vomere, colligunt multos castaneis suauiores, quibus & crudis in cineribus incoctis vescuntur, Suessionensis ager christos vocare consueuit, vbique inuenitur in campis, etiam in Italia, sed non adeò odoratum, nec tam frequens: industria posset in melius traduci, sed vix prorsus simile.

Ornithogalon quid. Lib. 2. cap. 15.

Vsus.

CAPVT L.

De Fructibus arborum.

Horarij fructus cur incommodi. HOrarij fructus, & qui celerrimè putrescunt velut cerasa, & chrysomela omnia febribus excitandis sunt paratissima, quoniam humidum illud aqueum, dum in venis excipitur, feruet, & humores calore corrumpit, prohibendoque motum eorum, dum venæ nimis implentur. Obiiciat forsan his,

Obiectio. aliisque, quæ in capite de præparatione dicta sunt, quoniam si tam exiguus aqueus qualis in carne est, ac fructibus, adeò putredini obnoxius est, adeoque nocet, quod ipsa aqua efficiet? Et tamen aquæ potus, vsusque adeò salubris est, vt visum est, nec nocet, sed iuuat plurimum, febresque arcet. Dicimus ergo

Solutio. aqueum succum, ab aqua plurimum differre: nam aqueus succus, qui in carne, & fructibus continetur, non aqua est, sed humidum corruptum, & putrescens: nam omnis generatio fit per quandam putredinis viam, ob id cùm nondum assecuta est formam pinguis humidi, corruptionem in se continet. In fructibus verò horariis, cum humidum pingue nunquam perficiatur, absolutionem eorum excipiente putredine: quantò enim maturio-

ces,

res, tantò putredini magis obnoxij. Ideò talium fructuum maximè acerborum esus insalubris est: in carne verò processus est ad humidum pingue, quod salubre est, ideò quò recentior, eò melior. Summa igitur prouidentia cauendum est, ne corpus humido illo aqueo, semiputridoque repleamus: nam cùm in se contineat, quod nutriat, trahitur à venis, retineturque: at aqua aut non trahitur, sed reiicitur per vrinam, quod visum est sentire Galenus, aut si trahitur, confestim eiicitur per sudores. Quod si neq; hoc contingat, non tamen putrefacit sanguinē, cùm nec ferueat, nec corruptionis sit particeps. At succus ille cum pingui humido, corruptóque natura sit immixtus, trahitur primum à venis, nec potest se explicare, feruetque, obstruit, ac denique sanguinem, & qui intus sunt humores putrefacit. Non contingit hoc adeò cum fructus aluum mouent, vt cerasa dulcia, & pruna, in plerisque & pepones, vrinam copiosam, aliter verò plus nocent aliis: Ideo fugacia hæc paulò ante alias escas mandi debent, vt citiùs dilabi possint, deiicianturque, vt author fuit Galenus, alioquin vitiantur in ventriculo, si sequantur alios cibos. Cerasa ergo, mora, pruna, persica, præcocia, & id genus reliqua, quæ promptè putrescunt, & humida, ac frigida sunt primo cibo apponi debent, sic enim calidorum viscerum temperaturas tollunt, vicemque medicamenti habent, & aluo molliendæ idonea sunt, ea præcipuè si post eorum esum non impleatur, venter cibis crassis, ac difficilis concoctionis. In vniuersum autem acida cerasa ob id deteriora sunt dulcibus, longeque magis. Parum etiam nocent in corporibus, quæ vehementi exercitatione multum sudoris eiiciunt quotidie: nam simul cum illo maxima pars aquei humidi excernitur. Hi tamen longo post tempore in grauissimos morbos incidere solent, retenta parte propinquiore, semiputridaque, aquei humoris: senes ideò & otio torpescentes, citiùs noxam sentiunt. Qui verò minùs nocent, sunt, qui maturi sunt, atque eo dum in vmbra, & sub aura boreali siccati, nam in his maior pars humidi imperfectioris absumpta est. Optimi omnium qui sub prunis assantur, nam igneus ille calor, vt dictum est, siccat, primum inde etiam omnem prohibet putredinem. Qui verò hoc genus præparationis non admittunt, in melle, aut sacharo coquantur. Ergo vt ad primam dubitationem reuertar. Quorum finis est perfectus, generatio omnis putredinis est particeps, velut fructus, caro, fœtus. Fœtus enim infans, seu catulus finis est, fructus & carnis humidum pingue: at vituli caro non ob id putredinis particeps, aut vitulus dici debet, quia ex vitulo iuuencus, ac bos fiat, nam bos & senium perfectiores non sunt fines, quàm vitulus. In oliua igitur, & vua, eadem ratio erit: fines enim absoluti sunt.

Fugacia prius mandenda. Vires.

Meliores.

Bellarij qui, & eorum vires.

Fructus autem qui non faciliter putrescunt, sunt bellarij, qui cùm vires astringentes obtineant, non ita prompti corrumpuntur, atque tardè permaneant, præsertim si consistentia duri fuerint, qui soli ventris fluxui, aut ventriculo imbecilli conferunt, vt latiùs infrà videbimus, quorum multi sunt, qui in hyeme asseruari possunt. Quin enim astringentes & acidi sunt, succum quidem frigidum ac terreum habent, & ob id astringunt, dulces verò mediæ sunt temperaturæ, imò ad calidius vergunt: at qui planè qualitatis sunt expertes, & insipidi, ad frigidius inclinant. Et sicuti perspicuum est, quod astringentes aluum cohibent, sic acidi quem crassum succum in ventriculo inuenerunt, incidunt, ac deorsum subducunt, & propterea deiectiones humectant: cùm verò purum ventrem inueniunt, eum magis sistunt. Huiusmodi statim à cibo dandi sunt, & quandoque ventriculi roborandi gratia iis, quibus prostratus appetitus, quique tardè concoquunt, & vomitu, fluore alui, ac terminibus vexantur, ad quem vsum acerba sunt accommodata, vt patet de cydoniis, pyris, pomis, & huiusmodi aliis.

CAPVT LI.

De Cerasis.

Diuersa cerasorum genera.

CVm inter fructus horeos nostris in regionibus cera prius maturescant, ab eis ideò initium sumpsimus. Et quia diuersorum sunt generum, diuersa etiam sortiuntur nomina, quæ nedum saporibus, sed figura etiam, atque colore non parum differunt, & tot sunt eorum genera, vt vix enumerari queant, etsi Plinius octo tantùm prodiderit. Alia etenim dulcia, alia acria, alia austera, alia vinosa, & illa quandoque nigra, vt plurimùm verò rubra. Dulcia equidem leniendæ alui facultatem habent, si recentia comedantur, ob humiditatem redundantem, quam adhuc obtinent: siccata verò è contrario eadem ratione astringunt, & si dulcia non facilè Sole, aut furno siccitatem accipiant, ventriculo non sunt amica, teste Galeno, quod tamen vniuersaliter verum esse non affirmamus, nos enim sæpè in mane prima mensa, imò vt plurimum eis solis cum pane, absque alio edulio contenti fuimus, nec vllam vnquam percipimus noxam, sed illa quæ Hetruscis vulgò marchiana, siue duracina appellantur, & bene matura, ac dulcia quærebamus, nec aliud quod difficilis esset concoctionis, super assumebamus, alioquin facillimè (cùm aluum statim non subeant) corruptionem sentiunt, & putres humores, ac lumbricos in ventre gignunt, & sæpenumerò febres putridas pariunt. Austera verò atque acida, hodie principatum in mensis obtinent, nec ita celeriter maturitatem adipiscuntur, quorum & varia extant genera, omnia tamen aptissima sunt, vt insolentur, & saccharo condiantur, & vbique pro sedanda siti, extinguendaque bile, sanis, ægrisque conceduntur, addanturque ad intinctus, & multipliciter dapibus ex eis paratur sapor, haud dubiè gulæ in primis irritandæ, & exacuendo palato, sed interdum etiam salubriter pro reprimendo bilis feruore. Ventriculis etiam pituitosis, atque excrementosis conuenire testatur Galenus, cùm discent, ac incidant, eorum tamen copiosus

Vires.

Austerarum genera. Vires.

copiosus vsus euitandus est, cum succi in vniuersum maxima ex parte vitiosi, corruptionique proximi sint, & præcipuè cum mora in ventriculo ducant, aluumque astringant. Æstatis tamen tempore pro contemperando ventriculi æstu, atque squalore, appetituque excitando, eis bene maturis vti possumus: Ex aqua verò & saccharo decoqui solent, quo innocentiora sunt, tutiusque ægris conceduntur.

CAPVT LII.

De Moris, Sicomoris, & Rubis.

Mororum vsus.

VBique scatet tum alba, tum nigra mora, & præsertim in Italia ad alendos bombices sericeos, nec germinare solet nisi exacto frigore, ideoque prudentissima appellatur, estque illi cum serpentibus familiaritas non parua, nam & in vmbra eius degunt, & si vetustate, vel alia causa admittat, cauernum in illa glomerantur cuius fructus mora, & sycamina dicuntur, quæ alba mensis non inferuntur, cùm sint tantùm puerorum esca animi causa, nigra verò frequenter, quæ cùm nondum maturitatem fuerint adepta, refrigerãdi magis vi pollent, matura verò ad temperiem accedunt, quo tempore ventrem quoque magis emolliunt, ac putrefactioni magis sunt obnoxia. Alimentum tamen ex eis exiguum est, & valdè vitiosum, non solùm vt prauitatem succi faciat, nec vulgatam, sed qualis corruptorum cucumerum, aut cucurbitarum, aut peponum est, quam pessimam habendam esse pronunciamus. Idque moris accidit, propterea quod qualitas quædam paulò magis acris inesse sentitur, quæ ad excretionem irritare possit, verum si corrumpantur, malitiam addunt. Quare procurandum est, vt citò descendant antequam corrumpantur, & insimul, vt corrupta tubeant: humido enim suo naturali quem paucum planè non obtinent, atque lentore quodam id faciunt. Ideò mandi debent vt cerasa, paulò ante alias escas, oportetque ventriculum vescentis excrementis liberum esse, vt ocyssimè per intestina transmitti possint, alioqui promptissimè vitiantur immundo ventriculo, aliquoque noxo succo obsesso, dum diutiùs in eo morantur: corrupta enim reliqua corrumpunt, atque omnia facilè in eorum vitij consortium trahunt. Vsus tamen ex his in sanitate erit pro refrigerando, humectandoque (vt de cerasis diximus) ventriculo, vicinisque partibus, cum opus fuerit in maximis æstatis caloribus, vt fuit sententia Galeni, qui etiam secundo de Alimentorum facultatibus, de sycaminibus loquens vt alimentum, breuibus perstrinxit his verbis. [Quod quidem celeriter subducantur dictum nobis priùs fuit: quod eis accidit fortè propter solam substantiæ humiditatem, ac lubricitatem: fortè etiam propter admistam qualitatem quandam acriorem, quæ deiectioni excitaudæ satis esse possit. Quandoquidem qualitas astringens non modò ad subductionem nihil confert, verum etiam suapte natura ventrem constipat. Didicisti autem ex commentariis de simplicium medicamentorum facultate, pleraque esse corpora, quæ facultates habent contrarias, Coniector igitur, mora exiguam in se ipsis habere facultatem eiusmodi, qualis magna medicamentis purgantibus inest, cuius beneficio non modò facilè secedunt, sed corrumpuntur etiam, si diu in ventre manserint. Quod si corrupta (vt dixi) non fuerint, omninò quidem humectant, non tamen omninò refrigerant, nisi sumpta fuerint frigida. Alimentum autem corpori præbent minimum, quo pepones, non tamen vt ij vomitum excitant, neque stomachum lædunt.] hæc Galenus. Vrinam etiam ciunt potiùs serositatis causa, quàm quòd multam de suo succo iam paratam exhibeant, atque sanguinem impurum expurgare multi contendunt. Sycomorus autem arbor est Aegyptia, atque in India etiam multum crescere ferunt, qui ex Alexandria, & India ad nos sunt reuersi, & moro admodum similis est, fructumque parit magnitudine ficus, & visu proximum, illum quidem dulcem, & semine interiori carentem, & vt esui aptus fiat, atque ab arbore colligatur, ferreo vncino opus est, sic enim intra tres vel quatuor dies maturescit, si vento aliquo superueniente perfletur, & Zephyro præcipuè, & in eo loco à quo collectus fuit fructus alius repullulat, ita vt in anno, ter & quater arbor hæc fructum pariat, cuius meminit Galenus secundo de Alimentorum facultatibus, quam in Alexandriam se vidisse fatetur: Eiusque fructum nullam acrimoniam habet, exiguæ tamen dulcedinis particeps est, & facultate est, vt mora, humidior quodammodo, & frigidior: gratum habet odorem, & cibis idoneus est, sed nullum præbet alimentum. Rubus quoque in omnibus ferè sepibus videtur, fructus non mora, sed moris similes ferens, ex quibus immaturis Diamoron parari solet à pharmacopolis, maioris semper sunt qualitatis adstrictoriæ, quàm mora celsi, siue immatura, siue matura illis conferantur: nunquam etenim hæc aluum emollierint, viribus siquidem tantùm suis, cùm eam humiditatem non obtineant, qua id præstare valeant, neque lubricitatem ex lentitia, neque quicquam purgantis facultatis. Atque abluenda hæc quoque sunt si edi debent, ne astringendi facultate tam diu in ventriculo morentur, vel succi vitio, capitis dolorem faciant, aliquibus etiam ventriculum lædent, rarò tamen manduntur, nisi à voracibus pueris, atque rusticis: fragrantissimus verò est eorum odor, vt sæpissimè moschum redoleant. Ex germinibus quoque rubi, ac eius immaturis fructibus stillatitia aqua paratur pro conseruanda oculorum acie, qua nunc temporis singulo manè non sine maximo iuuamento multi vtuntur. Est & aliud rubi genus à prædicto differens, quia spinis careat, diciturque rubus Idæus, quòd in Ida monte

Vires. *Nota.* *Cap. 11.* *Sycomorus quis.* *Cap. 35.* *Vires.* *Rubi vires.* *Nota.* *Aqua rubi.* *Rubus Idæus.*

monte multus nascatur, cuius mora plerunque rubra sunt, quandoque verò alba, & odorata, nonnunquam autem nigra, quæ paucioribus granis constant, gustui perquam grata, quorum ius subacida, & refrigeratrix est, & si nimia sumantur humescere inde ventriculus solet, quare sitim aliquando arcere possunt, feruidamque bilem restinguere. Reperitur quoque & rubus canis, cuius fructus non segniter astringit, folia verò mediocriter, nec particularis eius vsus ignoratus est, sed alimenti facultas aut nulla, aut paucissima, & illa quidem agrestibus tantùm quibusdam, aut puerili ætati voraciori, aut corruptæ appetentiæ quæsita.

Vires.

Rubi canis vires.

CAPVT LIII.

De Fragis.

Fraga.

EXtant fraga in Italia benignitate naturæ, sed potissimùm in Gallia, passim in syluis, & semitis, æstate inchoante, quæ rusticulæ puellæ legunt, in vrbesque corticibus arborum inclusa comportant. Hæc maximè in fœminarum delitiis sunt, atque diuersimodè comedunt. Frigida sunt primo gradu, & sicca secundo, ideo calidiori ventriculo, atque biliosiori sunt amica, sitimque simul leniunt, ac appetentiam deiectam incitant, atque saccharo inspersa gustui admodum grata sunt, & primo cibo sumi debent vt cerasa, mora, & reliqua fugacia, & non secundo, vt multi perperàm faciunt: tenuiter enim alunt, ac facillimè in ventriculo corrumpuntur, licet nullum virus à serpentibus, bufonibus, & id genus venenatis animalibus accipiant, à quibus sæpè, cùm tamen parum à terra distent, calcantur. Muliebres fluxus, ac dysenterias cohibent, atque vrinam prouocant, & lieni conferunt, quin herbæ, ac radicum decoctum potum iecinoris inflammationibus auxiliatur, ac renes, & vesicam mundat: stillatitia etiam aqua elicitur, quæ felici cum successu sanguinem vndequaque manantem supprimit, vt nos sæpè experimento comprobauimus.

Vires.

Nota.

Stillatitia aqua.

CAPVT LIV.

De Prunis, mixis, ac ziziphis.

Prunorum genera.

NOta est vbique prunus arbor, sed varios adeò fructus parit, vt innumera propè sint eorum genera, distinguuntur etenim colore, magnitudine, figura, & sapore, nam alia sunt alba, alia viridia, alia lutea, alia rubra, nonnulla herbacea, & alia nigra, & horum quædam magna, alia parua, alia mediocria, & quibusdam sapor prædulcis est, quibusdam dulcacidus, aliis austerus, & acerbus: præterea quædam rotundiora, quædam oblongiora, variaque forma insignita sunt. Et inter hæc Damascena, sic ab vrbe Damasco denominata, in primis celebrantur, quæ ab Hispanis Syracusana appellantur, quorum aliqua nigra sunt, alia rubra, & alia violacea: sed quæ modicè astringentia, & maiora, laxioraque sunt, illa probantur. Parua verò dura, & acerba non sunt edenda, cùm aluum etiam non subducant. Pruna autem omnia frigida & humida sunt, dulcia verò minùs frigidæ naturæ possident, contrà verò acida, & acerba, & omnibus aquosus succus inest: ob id exiguum corpori præbent alimentum, tùm etiam frigidum, crudumque succum gignunt, vt cæteri fructus horei. Quapropter primis mensis deuorari debent, & non nisi optimè matura. Sic enim saporis gratia commendatissima sunt, & aluum emolliunt, peculiari quodam humore, lentoreque, atque ventriculum æstu, ac squalore liberant. Sed quæ ad exactam maturitatem nondum peruenêre, & acerba, acidaque sunt, nec gustui grata sunt, nec aluum leniunt, nisi iusculo, saccharoque, aut mellicrato incoquantur. Sed dulcia ac recentia bilem etiam leniunt, eiusque acrimoniam mitigant, & obtundunt, ac ventriculo sunt vtiliora, iis præsertim, quibus propositum est ventrem mediocriter humectare, ac refrigerare. Siccata etiam ventrem leniunt humiditate, ac glutinositate quadam, quæ esse etiam in siccatis potest, & si Dioscorides Damascenas siccas aluum cohibere affirmauerit, quod comparatione tantùm ad Hispaniæ pruna dixisse patet, vt & clarè ex verbis Galeni secundo de Alimentorum facultatibus elici potest, quæ tamen saccharo, cocta, vel mellicrato sumpta, aut iusculo stypticitatem amittunt, & aluum optimè deiiciunt. Et nos non sine optimo successu aliquando recentia, atque bene matura febricitantibus concedimus, nam sitim arcent, & bili aduersantur, ac corpus refrigerant, & humectant, imò & Bononiæ nonnullæ matresfamilias succum prunorum decoquunt, seruantque ad sitim febricitantium leuandam, & appetitum conciliandum. Ex his etiam parantur decocta, serapia, nec non & electuaria quotidiè in officinis, & cum scamonio, & sine. Mixa verò, seu sebesten arbor est, pruno non admodum dissimilis, ei tamen magnitudine cedens, cuius fructus minor quidem prunis est, facultate verò consimilis: ideò aluum laxat, ac bilem depellit, & sitim extinguit, ac linguæ ariditatem, & asperitatem remouet, atque vrinæ ardorem à bile ortum, ac pituita salsa refringit, renesque expurgat, & maturitatem adeptus, prædulcis est, & pectori, ac tussi opitulatur, quin & in iure maceratus, decoctusque, & prima mensa deuoratus aluum commodissimè citat, atque Sebestena ea præstantissima, quæ pinguia, & carnosa, & ex quibus electuarium Diasebesten dictum paratur. Zizipha etiam quam officinis iuiubam appellant, nota est arbor, fructus fert primum virides, deinde subalbicantes, posthac aureo colore, & cum ad vltimam venerint maturitatem rufescentes, qui tunc sapore dulces euadunt, & gustui non ingrati. Ideò in humiditate, ac caliditate zizipha temperata habentur, & vt Galenus inquit exiguum præbent alimentum, difficilè

Vires.

Siccata.

Cap. 31.

Nota.

Mixa qu.

Vires.

Zizipha.

difficilè concoquuntur, nec ventriculo sint vtilia,imò tantum ab insolentibus, ac effrænatis pueris,& mulieribus cibo duntaxat expetuntur, nec quid ad tuendam sanitatem, morbosve profligandos valeant,attulit.Princeps verò ea ad pectoris atque pulmonis vitia conferre, renumque, ac vesicæ affectibus prodesse addidit: feruntque multi sanguinis acrimoniam retundere, ac bilis, biliosique sanguinis feruorem lenire: verùm cùm concoctu sint difficilia,corticesque habeant,quæ dum manduntur,palato ità adhæreant,vt vix euelli possint: sic & dum deuorata fuerint, idem ventriculi tunicis euenire credendum est,ideò à ciborum censu abdicanda sunt. Ex ipsis autem syrupus conficitur, maximè laudatus in pectoris affectibus, atque in pectorali decocto ingrediuntur.

Vires.

CAPVT LV.

De Persicis, præcocibus atque armeniacis.

Persicorum genera.

QVamvis varia sint persicorum genera, duo tamen præcipua habentur, duracinum, & præmolle, nec illa sunt,quæ in Perside venenosa habentur, quorum aut natura,aut arte, siue insito ingenio immensæ exortæ sunt species, quæ non modò magnitudine distinguuntur, sed colore atque sapore, cum quædam nubeo, quædam aureo colore fulgeant, alia virescant, alia candida sint, nonnulla sanguinem referant, & alia duracina, alia cotonea vocantur. Idem quædam dulcia,alia acida, alia vinosa, & alia austera sunt. Duracina autem dicuntur, quia eorum nuclei carni adeò tenaciter adhærent, vt vix auelli possint. Alia verò dissecta liberum statim emittunt nucleum. Frigida sunt & humida omnia,sed plus duracina,eò quia succi magis plena noxij, & corrumpi facilis, nec sanè alimentosi valdè, & si vulgò omnes fermè in hanc deuenerint sententiam, vt mala persica cibis salutaria atque innoxia existimentur,ob dictum credo Plinij,qui persicum pomum innocuum esse scripsit, nescio qua ratione ductus. Succi enim praui sunt persica,atque facilè acescunt,quo nihil deterius in cibis esse potest,liquore enim immodico luxuriant, qui pariter cum carne promptissimè putrescere solet: ob id alias præcedere debent escas, nam aluum protinùs subeunt, & breuissimam in ventriculo moram faciunt,& sic minùs officiunt, imò quandoque calidiorem ventriculum adiuuant. Sed copiosè comesta ipsum relaxant valdè sua nimia humiditate. Verùm si post alios cibos comedantur, nimia sua humiditate innatant, & corrumpantur vnà cum aliis cibis, & quadam proprietate ascitem generant. Vnde aliqui credentes, noxam ab eis demere,decorticata in vino madefaciunt, sed longè deteriorem committunt errorem: quandoquidem in venas succus ille noxius celeriùs diducitur, & maius nocumentum infert, cocta verò sub cineribus delicatissimus cibus est, & ægris per quàm gratus: ideo cardiacis subueniunt,

Vires.

Nota.

Cocta melitus.

atque odore suo oris fœtorem vitio ventriculi factum corrigunt, animumque exhilarant: siccata etiam vbique asseruantur,conditaque ex ipsis parantur,& nusquam clariora, ac gustui gratiora animaduerti, quàm Genuæ, ventriculi quidem subuersionibus vtilia, ac cibum fastidienti: aluum etiam cohibent, ac fluxiones sistunt: quare post alios cibos siccata offerenda sunt, quæ licet nihil nutriant, oris tamen ventriculi sigilla habentur. Sunt & alia, quæ nuci persica vocantur, eò quia osse intus quale persicorum, carnis sapore medio inter nucem & persicum, figura verò fructum iuglandis referunt, minusque nocua hæc censentur, cùm pauciorem humiditatem contineant, sub amari enim saporis quid habeat, qui & sicciorem naturam declarat, & proindè minùs noxia sunt, quin & multis sæpè gustus iucunditate magis placent. Persicorum verò nuclei deuorati, ventris tormina curant, & mansi vermes interficiunt,flatum discutiunt, ventriculum mundificant, ac hepatis obstructiones aperiunt, ipsumque iuuant, renum calculos comminuunt: eosdem ac vesicam à pituitosis excrementis liberant,& vt summatim dicam pro tuenda valetudine admodum sunt præstantes, si octo, vel decem singulo mane,mandendo deuorentur: sed quibus hepar calidius est, sufficient duo vel tres. Præcocia verò & si non desint qui cum armeniacis confundunt, nec sine maximo errore, cùm constet maximè inter se differre, vt & optimè adnotauit Galenus secundo de Alimentorum facultatibus:colore enim,carne,& nucleo distant. In armeniacis namque color ex luteo rufescens est, caroque mollior, ac humidior,& nucleis dulcis,ac officulum glabrum. In præcocibus autem scabrum,colorque virescens, ac pallidus caro solidior, & nucleus subamarus. Præcocia ergo longè sunt persicis minora,& si arte insita,tum ampliora,tum suauiora nascantur,tempestiuiusque maturescunt, ac eisdem minùs noxia sunt,gustuique admodum grata, ita vt quandoque ægris concedantur pro appetitu conciliando,ac sedando ventriculi fastidio, nec tam facilè acescunt vt persica, nec adeò promptè corrumpuntur, sed ante alios cibos edi debent,præferunturque armeniacis, sicut armeniaca persicis: omnia tamen exigui sunt nutrimenti, & illaudati,vt in fructibus propè omnibus,& refrigerandi, humectandique vi pollent, minùs tamen præcocia, vt diximus, quàm armeniaca, & armeniaca minùs quàm persica, quæ si post alios cibos edantur priores venas humore pituitoso replent, qui si malitiam acquirat, malignæ vt plurimum suboriuntur febres, & ne plurimum morbum choleram, quo homines assiduè simul & vomunt, & deiiciunt aluum. Et oleum quod nucleis persicorum, ac chrysomelorum fit faciei maculas omnes delet.

Siccatarum vires.

Nuci persica.

Nucleorum vires.

Præcocia.

Cap. 20.

Vires.

CAPVT LVI.

De Malis.

Malorum vires.

MAla quidem à malo dicta, quod obsint, penè nihil nutriunt, debilitant omnia membra naturalia: flatum gignunt in omnibus coctionibus. Præcipuè obsunt pulmoni, adeò vt Auerroës dicat, illa phthisim inducere: exurunt enim sanguinem illius; nocent etiam neruis, & faciunt paralysim, nocent ventriculo & intestinis, & coli dolores excitant, nocent præterea capiti, & inducunt febres mali moris. Galenus vt solet in eiusmodi multa scribit, pauca docet, idque quoniam alimenti vice non habeat, quod in eis laudaret. Sunt autem crassæ, & raræ, & frigidæ substantiæ, & ideo pyris, & cotoneis inferiora, quoniam illa densioris sunt substantiæ, inferiora punicis: illa enim tenuis sunt substantiæ, inferiora etiam ob id oleribus omnibus: nullum enim olus adeò crassam, & crudam habet substantiam. Distinguit autem illa iuxta sapores, quædam enim dulcia, at hæc vix inuenias exquisitè, alia acida quæ magis ventriculo, & intestinis, & neruis sunt inimica, & acerba, atque austera: quædam enim vinosa sunt: at illa deteriora sunt, & caput lædunt, & neruos. Vinum autem eorum in Italia vix remanent toto mense, nisi in maximis frigoribus incorruptum forsan diutiùs apud Neustrios conueniunt solum vbi ex calida, & sicca temperie abominantur omnes alios cibos, aut exhibere prohibemus, & tamen optant, nam si malus humor in ventriculo sit, non tutum est dare etiamsi biliosus fuerit, nisi spes sit vomitus, at tum vel venena dare possemus, itaque tum arantiis tutiùs vtemur. Meliùs differentia ab odoribus sumitur, velut in Appianis, hæc enim cordi prosunt, & cerebro odorata, & suffitus corticum eorum. Et inter omnia minus praui succi sunt si sint præmatura. Et coqui debent in furno, & cum cinamomo edi, iuuant etiam ad prouocandum somnum. Conseruantur in tritici palea, vt non se tangant, & in horreis à ventis borealibus perflata: omnia enim seruantur aut nullo admisso aëre, aut plenè, & frigido, & sicco tuta à sole & humo. Cùm verò inutilia adeò sint sanis, & non sine periculo, in vsum ciborum non admittenda censeo, cocta enim aliqua cum saccharo, vel condito aniso comedi possunt, sed à continuo, & copioso eorum vsu cauendum, quia cùm pituitosa, flatuosaque sint, maximéque astringentia, præcipuè si acida fuerint, obstructiones pariunt: verum pro roborando ventriculo, vnum sub cineribus assatum concedi potest, deiectam enim appetentiam incitat, & coctionem adiuuat, imò & qui diarrhœa, aut dysenteria, vomitúve infestati sunt, eo maximè iuuantur, præsertim si acerbum fuerit. Pro medicamentis etiam non reiicio, & præcipuè cum ex eis conficiatur syrupus de pomis nuncupatus, quo contra cordis palpitationem, & syncopem, veluti contra cardiacam, & luctuosa suspiria, aliasque atrabilarias ægritudines vtimur.

2. de Alim. facul. c. 21.

Differentia.

Nota.

Appianiorum vires.

CAPVT LVII.

De Pyris.

Pyrorum genera.

QVanquam vulgatissima sint vbique pyra, innumera tamen habentur eorum genera, quæ diuersa sortita sunt nomina: aliter enim in aliis, atque aliis locis, veluti & mala appellantur, ex quibus alia austera, seu acerba, alia acida, alia denique dulcia sunt, & quædam ex horum mistione composita, tum verò etiam aquei nonnulla, sapidæque qualitatis alicuius experientia, quæ ignaua prorsus, atque abiectissima habentur. De pyrorum verò natura eadem fermè tradidit Galenus, quæ de malorum viribus, ventriculo tamen grata sunt, sitimque arcent. At eorum vsus longè acceptior est, quàm malorum, magisque mentis expetitus, ob succi suauitatem, licet inæquale habeant temperamentum; nam & si omnibus vis adstringendi quædam insit, in illis verò quæ perfectè maturuêre, nihil aut quid minimum huius restare deprehendimus. Ideò dulcia, & si ad temperamentum accedant, austera verò, & acerba quid terrestrij satis, cuius ratione astringunt, & corroborant, possideant. In vniuersum tamen omnia frigidæ & humidæ temperiei sunt adscribenda, & aliquantulum nutriunt: verùm si post alios cibos assumantur, aliquibus aluum subducunt, præassumpta verò semper astringunt, ob id à cibo assumi debent, vt ventriculi os claudant, sigillentque: sed nec illa succi malignitate effugere potuerunt, cruda præcipuè cum crebro vsu cholicos dolores adferant, & si in ventriculo paulò magis corrumpantur, choleram morbum faciunt. Acida etiam neruosis ventriculi partibus noxam inferunt, intestinisque omnibus, sed omnia coctione corriguntur, atque ita aliquando ægrotantibus concedantur. Assantur, elixanturque, ac diuersis modis ex melle, saccharoque, ac sapa præparantur, furno quoque siccantur, atque omnem humorem abiiciunt, & siccitatem retinent, augentque. Idcirco adstringendi, tum roborandi vi pollent. Notandum tamen quod quædam sunt pyra Muschatula dicta, quæ à multis saporis suauitate commendantur, quæ cùm dulcia sint, atque multa humiditate prædita, calida atque humida censentur, & corruptioni valdè obnoxia: idcirco, ante alias escas comedi debent, alioqui in ventriculo corrupta febres acutas gignunt? imò non semel obseruauimus, ex nimio illorum, atque importuno esu, non solùm febres, sed & choleram, morbum, diarrhœam, atque dysenteriam contigisse, dum nocuum illum humorem calor naturalis euincere non potuerit. Potum etiam ex pyris nonnulli concinnant, velut & ex malis, atque mirabili remedio contra fungorum incommoda experiuntur, dum succo

Vires.

Nota.

Muschatulorum vires.

succo, pondereque pellunt. De quodam etiam optimo pyrorum genere, mentionem facit. Princeps vbi inquit. In patria nostra est genus pyrorum appellatum Senabrum valdè magnum,& rotundum, bene coloratum, & tenuis corticis, adeò vt propter hoc, & substantiam quæ est similis ferè aquæ sacchari congelatæ, vt sit fermè perspicuum, & est optimi odoris, quæ cùm cadunt ab arbore, scinduntur. Hæc sola sunt humida,& temperata, atq; innoxia, vtinam essent apud nos.

Potus ex pyris. Nota. 2. Can. cap. 558.

CAPVT LVIII.

De Cotoneis malis.

Cydoniorum genera.

COtonea mala à Græcis Cydonia dicta satis sunt nota, eorumque plura antiqui fecerunt genera, nos tantùm mala, pyraque nouimus. Mala quidem nuces pineas grandes magnitudine æquant, rotunditate insigne, odoreque suaui,& colore virescenti, corioque lanuginoso. Altera etiam satis magna, sed oblongiora, & ad aurum colorem inclinantia, atque odoratiùs vibrantia, quæ Hetrusci pyra cotonea vocant, Strutheaque esse Dioscoridis,& Galeni aliquibus placuit, strutheo pro maioribus accipiunt, cydonia pro minoribus, habentur & alia parua, syluestria, odoratissima, in sepibus nascentia. Omnia tùm frigida, tùm sicca sunt; licet plus quæ magis austera,& acida sunt: pyra enim plus dulcedinis præ se ferre solent, ideò minorem astringendi, refrigerandique vim habent, vtrunque vindemiis colligitur, & rarò cruda in cibis veniunt: inflant enim ac tumidiorem ventriculum efficiunt, decocta verò hyeme summam in secundis mensis authoritatem meritò obtinent, magnamque ventriculum roborandi vim habent,& si à cibo sumantur illius os sigillant, coctionem adiuuant, vaporesque caput petere prohibent, atque aluum deiiciunt, si auidiùs sumantur: quod tamen non laudatur, cùm eorum maxima copia potiretur ventriculus,& sæpè nondum perfectè concocta cibaria, tanquam ambabus manibus supernè ventriculi oris adstrictione, impulsuque reiecta, protruduntur: vnde cholici interdum cruciatus sunt in causa: si verò ante cibum assumantur, constringunt aluum, impediuntque ne inferiùs ante tempus labatur cibus: ob id cæliacis, lientericis, dysentericis, cholera morbo laborantibus conferunt, bilem etiam coërcent, atque cor exhilarant, eiusque imbecillitati subueniunt, ac venena omnia retundunt. Totque hodie sunt eorum conditurae, vt numerare non facilè sit, nec solùm succum melle ac saccharo conseruant matresfamilias, sed carnem ipsam atque integra plerunque. Variè etiam officinæ condiunt cinamomo, & coriophyllis confixa, imò & pistores, dulciarij, atque medicamentum ex his multipliciter fit, quod nunc temporis ad gulæ, ventrisque delitias iam transiit, vt myua cytoniorum, Diacitonites cum speciebus,& sine,& alia huiusmodi plura.

Vires.

Nota.

Cydoniorum condita.

CAPVT LIX.

De Mespilis, Sorbis, Arbuto, atque Corno.

Mespilorum genera.

Azarola vires.

DVo mespili genera Dioscorides fecit, Theophrastus verò, & Plinius tria: sed prima Dioscoridis mespilus (vt multis placuit) poma fert, quæ in Italia Azarola nuncupantur, fructus quidem rubri, & tria habentia ossicula, sapore subacidi, & ventriculo grati, maturescunt Autumno, mense Septembri: quorum arbor apud Neapolitanos felicissimè crescit. Matura autem Azarola, admodum gustui grata sunt, quò fit vt pro deltiis non solùm in cibis cruda expetantur, sed variis modis sacchato, & melle condita asseruentur, ventriculum æstantem adiuuant, & appetentiam conciliant, solentque prægnantibus gratissima esse. Easdem verò habent qualitates, sed imbecilliores, quas nostra Mespila vulgata, quæ intra se quinque continent grana, quod secundùm mespili genus apimelis à Dioscoride dicitur, quod siue sit fructus à Galeno vnedo dictus, sexto de Simplicium medicamentorum facultatibus, siue non, ad propositum nostrum minimè facit: alibi enim declarauimus in libris quinque Contradicentium medicorum. Mespila autem frigida, & sicca sunt, acerba vix degustari possunt, & ventrem strenuè coërcent, atque excrementa exhibent, imò ante cibum assumpta, dissolutum valdè ventriculum astringunt, & matura siue potiùs mitia tantùm eduntur, quæ talia ex arbore non decerpuntur, sed decerpta paleis conduntur, & tempore mitem illam maturitatem acquirunt: exiguum tamen corpori præbent alimentum, & potius eis vt medicamentis, quàm cibis indigemus, omnes enim fluxiones sistunt, & ad compescendas vomitiones cataplasma conficitur, ori ventriculi admouendum, eorum quoque ossicula in puluerem contrita, calculos è renibus pellunt. Sorbum verò communissimus est fructus, qui ante maturitatem, malorum colorem repræsentat, atque vt mespila decerpuntur immatura sorba, & vt maturescant paleis reponuntur, vel in manipulos colligata suspenduntur, & immatura valentissimè astringunt, matura verò longè minùs, & tandem quæ de mespilis diximus, eadem de sorbis dicta intelligi volumus, nisi quod cuncta in sorbis minora tamen qualitate, ac natura sunt. In cibo etiam mespilis sunt suauiora, licet rara in mensis apportentur, mala autem sunt, quoniam frigidissima, & mucosum humorem, & vitreum generant, nec sunt dulcia à natura facta, sed putredine ipsa, quàm ventriculo inimicissimum esse superiùs dixi, sed ad sistendas alui fluxiones, vt lienterias, dysenterias, diarrhœas, atque etiam mensium fluxiones, eis vtplurimum & siccis rustici vtuntur, feliciqúe cum successu, vt sæpè vidi dum ruri essem. Arbutus autem in Italia frequentissima nascitur, fructus fert rotundos, sorborum

Mespilorum vires.

Sorbum quid.

Vires.

fere magnitudine, & primum virides apparent, dein flauescunt, & cum exactam adepti sunt maturitatem rubri fiunt, aspero tactu, nullo intus officulo, quorum sapor insipidus, simul atque austerus, turdis, sturnis, merulisve admodum gratus, ventriculum tamen lædunt, atque capitis dolorem commouent, & adeò noxius est eius vsus, vt vnum edisse sufficiat. Multi præterea in arte Medica periti affirmant, se experimento comprobasse ex huius fructicis foliis, atque floribus, stillatitiam aquam contra pestem, ac venena, sacratissimum esse antidotum, & præcipuè si os cornu cerui præparati, vel forsan quod melius erit subtilissimè rasi, ei admisceatur. Nota quoque est cornus arbor, ex qua fructus siue baccæ oriuntur, oliuarum magnitudine, atque figura, duro intus officulo: qui cùm ad maturitatem peruenerint, rubri fiunt, suntque sapore acetosi, atque austeri, mirumque in modum constringunt, nullo autem in ciborum honore nisi apud vulgus, & rusticos esse nouimus, & si ob acidulum eorum saporem, aliis eduliis succus adiici possit, qua de causa Plinius adeò ea commendauit. Parum alunt corna, & difficillimè concoquuntur, sed fluxionibus alui, & dysenteriis mirè auxiliantur, pro quibus meritò seplasiarij ex eis, & saccharo conditum parant, quod etiam mulieribus profluuio mensium laborantibus vtiliter datur, folia quoque, & germina valenter deficcant.

Arbutus qui. *Vires.* *Cornus.* *Vires.*

CAPVT LX.

De Malo punico.

Granati genera. *Vires.*

OMnibus notum est malum punicum, pomum granatum dictum in Italia, cuius multa extant genera. Dioscorides autem ad dulce, acidum, & vinosum, siue medium reduxit, quæ omnia astringendi facultatem habere, atque ob id refrigerare, & exficcare multi contendunt. Et quamvis dulcia caliditatem contineant, quod & Dioscorides affirmat, dum suadet, ne in febribus exhibeantur, quia calidum gignunt. Item & Hippocrates secundo de Diæta, inquit, [succum mali punici dulcis aluum mouere, quia habet quid æstuosi,] cui sententiæ omnes fermè Arabes astipulari videntur: præterea omnia dulcia calida censentur, ideò etiam dulcia poma granata. At Paulus oppositum sentit, inquit enim: [Malum punicum omne, astringendi vires eximias possidet, quibus refrigerat, siccatque, verum dulce aliis minùs.] Idem etiam Princeps secundo canone affirmat, quam contradictionem in nostris Medicorum Contradicentibus explicauimus, & in rei veritate credendum est Paulum punica dulcia non nouisse, ob rationem in Contradicentibus adductam, sed vinosa, id est, media pro dulcibus assumpsisse: constat enim dulcia nullam austeritatem, nec aciditatem habere, sed media aciditate, vnà cum dulcedine prædita sunt, qua de re omnia frigida esse existimauit. Omnia ergo frigida, & sicca esse constat, præter dulcia, imò ea quantò magis ad dulcedinem tenderint, tantò minùs frigida erunt, paucissimum aut nullum potiùs alimentum præstant, nec admodum mensis inferuntur, nec cruda, nec vllo modo præparata, ideò potiùs vt medicamentis, quàm alimentis indigemus, auxiliantur enim acida, atque austera æstuanti ventriculo, & quia astringendi vim habent, ipsum corroborant, sed paulò liberaliorem eorum esum euitare debent, ventriculum præsertim habentes imbecillem, innata enim frigiditate, atque aqueo humore exundare solet ventriculus, atque languidus efficitur. Quapropter eorum succus solus assumi non debet, sed alteri cibo aspersus pro conditura: bilem quoque reprimunt, cohibentque, qua de causa febricitantibus exhiberi solent, quoniam etiam putredini resistunt, eamque inhibent, imò tempore pestilentiæ, valdè opportunus est eorum vsus, moderatus tamen, ne ventriculum atque intestina, partesque omnes neruosas lædant. Dulcia etiam pectus leniunt, atque cordi palpitanti sunt amica, ventriculo etiam, ob astringentem vim, quam habent ratione acinorum: sed quia facillimè inflammantur, ob id febrientibus non conueniunt. A cibo autem tutius acida assumi possunt, si saccharo, vel sale attemperentur: sic enim reprimunt vapores caput petentes. Asseruatur succus extractus, quem vinum granatorum appellant, ex eoque & saccharo paratur oxyzaccara, atque syrupus, & eo astringentiores, atque exficcatiores sunt acini. Cortices quoque, atque flores siccati seruantur in officinis ad multos vsus.

Nota. *Nota.*

CAPVT LXI.

De Glandibus, & castaneis.

Glandis significata.

GLans, βάλανος à Græcis propriè dicta. Illignea autem seu Phellodryos, ἄκυλος apud Theophrastum. Sunt autem propriè quercus roboris, æsculi, fagi, cerri, ilicis, & suberis: sed & castanea hoc nomine comprehenditur. Sunt enim apud Latinos quatuor glandi significata, velut apud Græcos ἀκρόδρυα hoc enim omnem significat arborem, propriè tamen quæ in ambitu lignosum putamen habent, ita glans propriè fructum cortice ligneo notat, sed calice hispido comprehensum, quod generi quercino adnascitur, de quo pulchrè scripsit Ioannes Choul Gallus nobilis, huiusque præstantissima est fagina. Et quædam vt audio in Hispania suauis, ac dulcis, pleræque etiam cùm maturæ fuerint (acerbæ enim sunt amarissimæ) sub cineribus coctæ eduntur, secundo sub significato tres continet species, vt Galenus refert, secundo de Alimentis μεμαίκυλον quem fert comarus arbos, hæcque omnium glandium pessima, vt ille ait, & castaneam quæ optima, mediam propriè glandem vocatam. Tertio significat etiam nuces, & quicquid præduro seu ligneo cortice comprehenditur, ita nuces omnis generis, pistacia etiam, & pineæ,

Cap. 38.

pineæ, & eiuſmodi. Vnde etiam nux pontica iuglans dicta eſt, qua Iouis glans quod optima ſit, non eo modo quo caſtanea, quæ in ſecundo ſignificato comprehenſa eſt: ſed quarta in ſignificatione venit nomine glandis quilibet fructus, vt Caius Iuriſconſultus refert. In ſecundo igitur ſignificato glandis naturam, hîc explicare cum ſit propoſitum, eiúſque ſint tres, vt dixi, ſpecies, imò potiùs genera. Caſtanea & propriè vocata glans, tam fructus, quàm arbores notiſſima ſunt omnibus. Comarus idem eſt quod arbutus apud Plinium, ſeu Vnedo, dicitque appellari duobus nominibus apud Græcos, ſcilicet dictis comaro, & memecylo, ſed de Vnedone alibi dictum eſt: quem fructum ſi agnouit Galenus, neſcio quomodo glandibus potuerit adnumerare, ſunt enim arboreorum fructuum quatuor præcipuè genera: Poma quæ intùs, & extra mollia ſunt: nuces quæ intus molles ſunt, duræ exteriùs: baccæ quæ exteriùs molles, intùs duræ, vt oliuæ, perſica, & ſimilia. At Plinius, cæterique Latini cùm maiorem curam in armis, atque ambitione poſuiſſent, quàm in proprietate linguæ, ſex fecère genera fructuum, poma quæcunque haberent, quod edendo eſſet molle exteris, vt etiam perſica: & nuces quæ ligneo cortice integerentur, & ſi adeſſet calix, glandes appellauêre: ſi verò quod extra eſſet, duriùs eſſet, eſui tamen aptum, ita vt medium eſſet inter nucem, & pomum, vocarunt baccam, vt oliuæ, lauri, myrti, iuniperi. Acinum autem cùm valde paruus eſſet fructus, vt berberis, hederæ, ſambuci. At te non lateat triuariam dici acinum, aliàs vt in vuis quod intus eſt, aliàs vt in berberis fructus ipſe, aliàs vt in punico, quod cùm pomum ſit ex acinis, atque his eſui aptis componitur, velut in myrto, & lentiſco, & hedera biuariam dicitur, & de fructu ipſo, & de nucleo exiguo qui in eo continetur, & ob paruitatem glutitur, licet eſui alioquin ineptus. Ita verſa vice pomum de omnibus dicitur fructibus, ſaltem qui molliores ſint exteriùs, vt etiam de oliuis, & cæteris baccis, ſed baccæ ipſæ cùm teneriores ſunt intùs, atque extra, mora dicuntur, vt rubi etiam: & ideò fraga etiam, velut & muſæ, & ficus ſub pomis, quamuis vndique molles collocantur ob magnitudinem. Conueniunt fraga cùm muſis, diſſidéntque à moris, quod herbacei, non arborei, nec arbuſti ſint fructus: quamuis muſa planta biennio viuat, & multo procerior ſit fragi planta. Hæc tot volui adiecille (vt non ſolùm oſtenderem. Vnedonem potiùs cuiuis generi fructuum adnumerari poſſe; quàm glandis: nam & ſi caſtanea ligneo cortice, & calice careat, quibus glandium genus præditum, ſubſtantiam tamen habet ſimilem glandi, id eſt, duram, ſcilicet magnam, non diuiſam, & neque ſuppoſitam parti meliori: nam niſi hoc addas, & perſicorum nucleos glandes appellare licebit. Sunt ligneo ſi quid aliud cortice, ſubſtantia intùs contenta non diuiſa, atque dura, & magna, ſed habet exteriùs pomum, quod neque caſtaneis, neque glãdibus eſt) ſed vt vniuerſas differentias pomorum, ſeu fructuum, quaſi ſub vna imagine poſitas, quod ad formam, & magnitudinem ſuis generibus redderem: genera nominibus vt conſpicua, & clara doctrina fieret.

Lib. 15. cap. 14.

Acinum triuariam dici.

Nota.

Genus ergo glandium maximè nutrit, quod etiam ab Vnedone, quæ penè nullum exhibet alimentum, plurimum abeſt, eiúſque ſuccus admodum craſſus eſt, ac terreus, minùs tamen caſtanearum: & ſunt ex his magnæ, & ſuauiores, quas putant è maſcula arbore naſci, quæ ſecundis Principum, ac magnatum menſis gratiſſimæ apponuntur igni retoſtæ, quin & Romæ magno ſunt ſolatio, plebeculæ etiam, vbi paſſim in viis torrentur inſigne alimentum præſtant, quod & ſi improbi, ac vitioſi non ſit ſucci, vt Galenus refert, eſt tamen admodum craſſi, quare flatus generant caſtaneæ multos, atque caput tentant, & ſomnia vana faciunt, nocéntque ſenſibus ac menti: & ex longo earum vſu, in melancholiam adducunt. Inde etiam affines generantur morbi gulæ, hemiæ, inſaniæ, quartanæ, carcinomata, lapilli, atque huiuſmodi. Nihil tamen proximus pani, adeò vt illis fungerentur pro pane antiqui vt aliàs docuimus. Siccare enim inde mola ſubactæ, tum fermento aqua & ſale ſubactæ, & coctæ, in panem tranſeunt, abundè tamen grauem, ſed qui nutriat non parum, & cuius alimentum ſolidum ſit. Iuuat ergo molere primum tenuiter, atque ſubactam farinam aqua, ac ſalis modico (ſit autem cineris aqua) ſiccare, ac denuò tenuiſſimè molere, ac ſubigere, ſed abſque fermento, ſemper donec excoquere volueris: cum enim enim fermentum addendum, ita bonam farinam, ſed nigriorem, & ſi non optimam tranſibit. Demum paſta fiat mollis, diúque ſubigatur, multo fermento addito, & benè coquatur: ſiccantur etiam in furno, inde coquuntur in aqua diu, & ſic panis vicem etiam ſubeunt: recentes verò, & crudæ, & cum cortice elixæ, & aſſatæ. Modus alius filo inſertæ exponuntur fumo. De his Virgilius:

Caſtaneæque molles.

Tametſi Seruius maturas exponat, ſenſum Poëtæ profundum haud intellexit: incredibile enim eſt quantum interſit inter molles caſtaneas, & duras, quouis modò duræ euaſerint, ſeu arte, vt in fumo, ſeu mora vt cùm ſpontè ſiccantur: ſeu cùm præmaturæ fuerint, & illas primitiuas, quæ bononiæ apparent ſub initio Octobris: nam hæ etiam in aqua coctæ ſuperaddito ſale minùs flatuoſæ ſunt, & ad concoquendum contumaces, neque caput grauant, ſed ventriculo conferunt, ſomnúmque ac Venerem cieunt, ſuntque ſuauiſſimæ, indicio eſt tales eſſe, quod quàm breui tempore coquuntur, vt ſolet dici momento, & vix admotæ igni. Debent autem edi cum modico ſalis. Ego cœpi à cœna edere duas, admonitus à Franciſco Daineſio amico noſtro, admiratúſque ſum diſcrimen, cauſam eſſe reor, abundantiam humidi tenuis, quo temperatur fructus ille: qui poſtmodum quauis cauſa reſolutus, longè deteriorem reddit. Vnde ex his coniector in varietate loci ac regionis plurimum eſſe repoſitum diſcriminis, velut etiam in vua, atque

Glandium vires.

Nota.

Seruij error.

atque ex hoc in cultura & arte: hic ergò fructus magnam habet naturæ latitudinem, cum ab egregio malo, ad euidenter vtilitatem transeat, vt multum intersit quomodo colatur: neque enim expers est plurimæ aëreæ substantiæ, vnde etiam sic dulcescit manifestè. Vtilior autem à cœna ob somnum, & quoniam exactiùs concoquitur. Incredibilis est etiam differentia siccarum in fumo: nam aliæ omninò molles, & saluberrimæ, aliæ duriores, à quibus abstinere oportet. Notandum tamen, quod copiosus eius vsus prandio & cœna pessimus, quia tunc capiti nocent: regula ea generali, quæ dicta est, quia diu morantur in ventriculo, & caput tentant. Glandibus in tanta copia ciborum nullus relictus est locus, nisi in Hispania, vbi magis dulcescunt, & molliores euadunt: in cineribus torrentur castanearum instar. Hæ etiam ab Aëtio glandes appellantur, Sardianæ quod primum ibi innotuerint. Vt verò flatum deponant castaneæ sub cineribus decoqui debent, longéque meliores fiunt his, quæ in sartagine torrentur: quoniam à caliginoso fumo nescio quid mali contrahunt, nec ad sacietatem sunt edendæ, vt diximus: & præsertim qui renum calculis, aut viscerum infractibus sunt subiecti, cholicóque dolori obnoxij, crudæ etiam deterrimæ sunt.

Coctio.

CAPVT LXII.

De Nucibus iuglandibus, atque Auellanis.

Nuces iuglandes.

OMnibus notissimæ sunt nuces, iuglandes à Latinis dictæ, quasi Iouis glandes, ob saporis excellentiam, Græci verò κάρυα appellarunt, quòd maximè capiti infensæ esse creduntur, imò & Grammatici quoque in vniuersum, nuces à nocendo dictas autumant: quod verum est, cùm non solùm capiti, sed spiritualibus etiam partibus maximam afferant noxam, imò & ventriculo biliosioris præsertim temperamenti, cùm calidæ, siccæque omninò sint: quare iuuenibus, & præsertim æstatis tempore, in primis damnantur: in bilem enim conuertuntur, senibus etiam & si ratione temperamenti conuenire videantur: quia tamen vt plurimùm grauedini, ac raucedini, spirandíque difficultatibus obnoxij sunt, ideò nec eis commendabiles. Alimentum minùs quàm auellanæ præbent, sed ipsis concoctu sunt faciliores ob laxiorem substantiam: multiuariàm tamen in hominum cibos veniunt, nam & immaturæ, & nato nuper nucleo gustui gratissimæ sunt, humidæ etiam, nec astringentis qualitatis, nec oleosæ conspicuè sunt participes, sed potiùs sunt qualitatis expertes, quod genus saporis, vt Galenus inquit, aqueum est, atque ventriculo sunt innocentiores. Vetustiores verò oleosæ sunt, dum enim pars illa aquea, & humida resoluitur, succo quodam oleaginoso replentur, sæpéque rancidiore, qui vehementer linguam vellicat, & pustulas excitat, quæ dolorem inferunt: ideò huiusmodi mensis non inferuntur, nisi medicamenti loco post esum piscium, non modo pro contemperando eorum succo aquoso, atque pituitoso, verùm etiam quia vim, ac sympathiam quandam habere videntur, contra piscium malignitatem, si quæ insit, imò inoleuit vsus, pro contemperando calore, introducendáque aliquali humiditate, quod prius in aquam calidam madescere sinunt aliquot horas, mox membrana exuunt, inde vino, atque sale macerant, sic enim recentibus ferè æquari videntur. Paratur autem ex nucibus bolus ille contra pestilentiam, atque venena, vt in capite de Ruta docuimus. Fit etiam ex allio & nucibus condimentum quoddam, alliatum dictum, quod pro condimento piscium, vt plurimum Itali parare solent. Ieiuno etiam ventriculo comestæ nuces lumbricos latos pellunt, recentes quoque ac nuper natæ, garyophillis, vel cinamomo infixæ, sacchato, aut melle condiuntur, atque in multos annos seruantur, quæ frigido ventriculo, imbecillique, & visceribus aliis frigidioribus vtilissimæ sunt, veluti senibus, ac pituitosis, Venerem etiam stimulant. Communes quoque sunt ponticæ nuces, id est, auellanæ, & genere numerosæ: quædam enim domesticæ, & quædam syluestres, atque horum aliæ oblongæ, aliæ rotundæ, quibus horti ornantur, & gustui sunt iucundissimæ, & præcipuè recentes, nondúmque exactam maturitatem adeptæ. Plus alunt auellanæ, quàm iuglandes, quia solidior est earum substantia, nec adeò oleaginosa, sed difficiliùs conficiuntur, imò largiùs in cibis esitatæ in ventriculo superinnatant, ac caput feriunt, dolorémque excitant, ob id virides innocentiores aridis censentur. Et quia non semel vidimus, bilem eruginosam vomitus reiecisse, qui paulò pòst auellanas largiore esu assumpserant, ideò calidioris potiùs naturæ, quàm frigidæ, atque siccioris meritò habendas eas esse iudicamus, & syluestres præcipuè, & si aliqua parte terrestri non careant, qua iuglandibus minùs calidæ sunt: seplasiarij sacchato incrustant, & præsertim ampliores, & rotundæ, quæ gustui satis gratiores sunt.

Vires.

Bolus contra pestem.

Recentes condita.

Auellanæ. Vires.

CAPVT LXIII.

De Amygdalis, Pistacijs, & Pineis.

Amygdalarum vires.

AMygdalarum (quæ tum dulces, tum amaræ satis notæ sunt) substantia attenuandi vim habet, ac detergendi, prorsus autem caret vi astringente: quæ autem amaræ sunt, mirum in modum incidunt crassos, ac lentos humores: attamen iudicio meo tenuitate substantiæ inferiores sunt persicorum nucleis: hi tenuitatis, & incidendi, extremum possident, & minùs quoque amygdalis nutriunt. Nutrimentum autem amygdalarum non amararum, recentium, & maximè cum sacchato, ventriculo, iecori, renibus, lieni, pulmoni, cerebro, vtile est, & minimè putredini obnoxium. Dolores pectoris sedat, & materias in eo contentas educit,

sed

ſed hoc etiam ſomnum conciliat. Eſt tamen, vt dixi, paucum, & ad calidum declinat, paululum ad ſiccum. Æſtuoſa eſt amygdala, quoniam multum olei continet, minùs tamen quàm nux eius oleum ſuauiſſimum eſt, & maximè lenit pectus ex quauis cauſa, anhelosis ſubuenit, atque emaciatis, non ſolùm ob alimentum quod exhibent non contemnendum, ſed quod alieno etiam viam præſtruant, deferendo in partes: ſed perinde ac lac mulctum ſtatim corrumpitur, ideò ante ſex horas vſus eius eſſe debet, & tectum conſeruari oportet. Idem ſi articuli inungantur tabeſcentium, & loca exſiccata humefacit eos, & aliis frigidis paſſionibus confert, virides etiam amygdalæ in fœminarum delitiis, gulæque hodie eſſe conſtat, ſaccharo etiam condiuntur. Piſtatia verò minùs nutriunt, & magis roborant iecur, quoniam aſtringunt non leuiter: incidunt præterea & ipſa humores craſſos, ac lentos, ſed non adeò, vt amygdalæ, ventriculo neque obſunt, neque nocent, in quo demiror de Galeno, qui illa commendauit vt aromatica, cum nil eiuſmodi videantur habere, forſan quod in Syria talia ſunt, velut & pruna quædam, quæ recentia, & ſtatim ab arbore decerpta, planè talia ſunt cum tamen per vnam diem collecta manſerint, eam gratiam amittunt: ſed vt dixi, ſi aromatica ſunt, cur ventriculo non conferunt, quinimò illi grauia ſunt, non tamen adeò vt amygdalæ. Corrumpitur eorum ſubſtantia longè celeriùs, quàm amygdalarum, nec nutrimentum eſt adeò humanæ naturæ accommodatum: habet enim neſcio quid potiùs medicamentoſi, neque conciliant ſomnum: ſed tamen viridia præſtantiora ſunt amygdalis, & guſtui apprimè grata. Quæcunque enim lapſu modici temporis longè deteriora fiunt, ſi valdè recentia edantur, egregiam aliquam vtilitatem afferre ſolent, non ita quæ ſerò inueterant. Optima igitur ſunt recentia, benè mundata, benè tuſa, & cum ſaccharo confecta in mazapani formam: renes enim ac veſicam repurgant, pulmones, ac omnes partes ſpirituales adiuuant, ob aliqualem vim calefaciendi, & ſiccandi quam obtinent, nec non & Venerem incitant. Verum pineæ craſſi, & multi, & boni alimenti ſunt, ſed difficulter in ventriculo ſubiguntur, cerebro, iecori, renibus, neruis, viſui, auditui vtiliſſimæ: creduntur enim, vt Auenzoar dixit, conſeruare pingue humidum, quò vita conſtat, aqueum abſumere, recentes eſſe debent, neque vllus fructus ſubſtantia durior celerius corrumpitur pinea: adeò vt poſtquam ex calice detracta medulla fuerit, vix duobus diebus intacta maneat, propterea ablui, & fricari diligentiùs debet, antequam edatur, incredibile dictu quantum ſorditiei excidat, & ſi in aquam maneat, diutiùs melior redditur, & præſertim roſacea, vt noſtri delicatiores: melior redditur, guſtu ſuauior, primùm viſu candidior, concoctu facilior, amittit etiam quicquid reſinoſum eſt, quod & plurimum eſt, & iniucundum, & ventriculum vellicat: corrumpuntur in medio pineæ, & cariem quaſi perforatæ ſentiunt, amygdalæ ebrietati conſtare creduntur, toſtæ faciliùs concoquuntur. Ex his fit cibus ſatis iucundus, qui taliter parari debet. Amygdalarum mundatarum inſignis candoris, eo enim meliores ſunt, libram mediam Orizæ vnc.iij. carnis alarum cappi vnc.iiij. ſucci limonis vnc.ij. ſacchari vnc.iij. Aſſentur amygdalæ ſeu torreantur, oriza autem coquatur in iure cappi, inde omnia tundantur, & miſceantur. Fit enim albus intinctus, & ſi robuſtior ſit ventriculus, humores verò craſſiores, aut tenaciores, aut calidiores: augeatur limonij ſuccus. Hic cibus bene nutrit, & ſatis ſalubris eſt, fitque facilior concoctu iute pulli adaucto. Porrò ſi purgare arenam velis, & calculos, pineas multas recentes, & illotas ſume cum pane, & vino odorato, inde aut ſuperdormias, aut poſt quintam horam deambulato. Proprium eſt huic arbori inter cæteras, vt lætiſſima fructificet ſalſo ſolo, & mari propinquo, vt etiam eadem aura aſpergatur, ſaccharo etiam condiuntur pineæ, quæ Venerem excitant.

Oleum amygdalarum. *Lac.* *Virides.* *Piſtatiorum vires.* *Viridia.* *Pinearum vires.* *Noxa.* *Iucundus cibus.*

CAPVT LXIV.

De Medico malo, arantio, malo adami, limunio, limuniata, & eorum floribus.

OLim hæc arbos in Melia ſolùm habebatur, nunc in Italia copioſa eſt, Palladium induſtria, id obtinuiſſe ferunt, cùm antea non proueniret. Vt autem demonſtratum eſt in libris de ſubtilitate, vnius ſunt ſpeciei quæcunque eaſdem habent vires, & figura parum differunt. Sunt autem hæc citrium, ſeu malum medicum, ſeu cedrium. Citrangulum rectius, arantium latius, malum adami, limunium, & limuniata. Communia omnibus ſunt quæcunque ibi ſunt expoſita, ſed quod ad Medicinam pertinet, omnibus cortex amarus, & ſemina, medulla acida, inſipida, corticis interioris candidi ſubſtantia, odor iucundus, venenis aduerſari, occidere vermes, cor, & cerebrum confirmare, & grata guſtui eſſe, ac omnem prohibere corruptionem: ſed medica malus præſtantior eſt, reliquis omnibus ſpeciebus in arcendo venena, quæ ex morſu ſerpentum inferuntur, adeò vt referat Athenæus, damnatum à Ptolomæo ad mortem antequam ab aſpide morderetur, citrio comeſto euaſiſſe, magna cum Regis admiratione. Et Theopompus XXXVIII. hiſtoriarum libro, ſcripſit Clearchum Pontæ tyrannum dum ſæuiret in ſubditos, ſæpiùs ex mali medici auxilio fruſtratum. Igitur ſemine, & cortice, & medulla ad venena, ad occidendos vermes, ad prohibendam putredinem, ad carroboranda membra principalia ex æquo fermè vtilis eſt, ſed cortex reliquas citri partes odore præcellit, & conditus peſtis contagia arcere eſt aptus. Porrò cùm ſub hoc nomine citriorum, omnia mala comprehendi poſſe videantur, quæ cortice quodam aureo veſtiuntur: ideò ei breuiter eorundem natura ſic deſcribi poterit. Succus namque acidus propemodum omnibus ineſt, frigidus ac ſic-

Mala medica vnius ſpeciei. *Vires.* *Hiſt.* *Corticis vires.* *Succi vires.*

cus

cus inest ordini tertio: cortex verò cùm insigniter redoleat, gustúque aroma referat, calidus ac siccus est circa ordinem secundum. Caro & ipsa pituitosa, & frigida est, crassique succi, quæ & cholicos dolores parere, mirásque inflationes solet. Acida tandem medulla, frigida, siccáque in tertio gradu est, inter quam nucleus, siue semen habetur calefaciendi, siccandique in secundo ordine vim possidet, de quo dubium adhùc extant an solùm veneno resistat, vt Dioscorides fateri videtur, an totum pomum, quod in libris Contradicentium diluimus, nec ad propositum nostrum facit: sufficit enim scire, totum pomum venenis aduersari, vt ibi luce clarius demonstrauimus. Aurantia autem, viribus inter se distinguuntur medio saporum, alia enim qualitas est acidi, alia austeri, alia dulcioris, & continuo in mensis media descissa succum manu comprimant conuiuæ, affundúntque super assatis carnibus, piscibúsve, ac aliis opsoniis, quæ longè suauiora, gustuíque iucundiora fiunt. In limuniis verò multa est succi copia, caro verò est pauca atque succus acidissimus, tenuissimúsque est, & nullum corporibus præbet alimentum, sicuti & reliqua vitiorum citriorum genera, imò & omnia concoctu sunt difficilia, crassúmque præbent succum, nec ventriculo amicum: ob hoc vesci iis melle aut saccharo conditis, satiùs est quod ventriculum commodè calefaciant, ac roborent. Ideò libentiùs ad medicatos vsus vtimur potiùs aduersus putredinosas, malignásque, & acutas maximè febres, aërísque infectiones, necnon & laborantis cordis affectus, sæpè etiam pro condimentis parantur intinctus cum aromate aliquo vel saccharo, qui ad maximam æstatis partem perdurant, ad appetentiam excitandam, & fastidia abigenda, caloresque temperandos, & cunctis gratissima: sicci quoque cortices saccharo condiuntur ad commendandum sæpè oris halitum: & diuersa in officinis parantur condita, vt & syrupus de corticibus citri ad cordis frigidas affectiones. Et ex acetositate citri ad omnes morbos à bile ortos, ac patredines prauas, & omnes æstuantes ægritudines, vt ex limunij succo ad eadem paratur syrupus longè validior, qui & calculos in renibus comminuit, nec adeò ventriculum lædit. Ex eiusdem etiam succo stillacidium paratur, quod vesicæ calculum frangit, quantumuis durissimum, quod & vtendi modum insimul in quarto de secretis edocuimus. Et nos quandoque in cæna loco salatitij limunium melle, aceto, & aqua parare solemus, gustui gratissimum, & è renibus calculos eiiciens, sed moderatè tamen, cùm difficulter concoquatur. Omnium autem harum specierum arbores albos emittunt flores summæ fragrantiæ, ex quibus aqua peculiariter destillatur, tantæ suauitatis, & redolentiæ, vt cæteras odoriferas aquas superare certum sit: appellatúrque aqua narrantij, alij Namphæ aquam vocitant: & hanc contra aëris vitiosam qualitatem, ac pestilentiam, contráque pestilentes febres, quæ cum exanthematibus sunt, plurimum valere experimento comprobatum est: cordi enim admodum amica est, & sudorem valenter prouocat, ac leuiter vomitum proritat. Ad eadem quoque destillatur aqua ex toto citrio, quæ vi ignis elicitur, gustui suauis admodum, & cordi, ac cerebro plurimum succurrit, & nos in febrib. putridis, ac mali moris cum conserua acredinis citri, vel in eadem aqua dissoluta, vel immediatè assumpta, ad libitum ægrotantib. exhibemus, nec sine magno iuuamento, ac eorundem applausu: sitim enim cohibet, ac febrem coërcet, resistit putredini mirum, in modum, ac humorum coctionem adiuuat.

Corticis. *Carnis.* *Seminis.* *Dubitatur.* *Aurantiarum variæ vires.* *Limunij vires.* *Condimentorum vires.* *Stillacidij vires.* *Stillatitia ex floribus.* *Vires.* *Stillatitia citri vires.*

CAPVT LXV.

De Dactylis.

SVnt dyctali fructus palmulæ cuiusd am arboris, cuius in Africa, Iudæa, & Ægypto varia extant genera, multísque (vt audio) orientis populis hi fructus cibos, potúsque suppeditant: ex illis enim vina conficiunt, qui pingui acuberrimo succo sunt repleti, alios verò sicciores, ac magis astringentes pro cibo assumunt. Ad nos solùm sicci importantur, calidi sunt dulciores, austeri verò frigidi, sed omnes concoctu valdè contumaces: difficillimè enim in ventriculo conficiuntur, quin & si liberaliùs edantur, capita grauiter feriunt, vt Galenus affirmat, ac dolorem cum grauedine inferunt, quoniam diutiùs in ventriculo morantur, & præcipuè recentes, quia inflationes pariunt, & nocentiores habentur, & vt plurimum erosiones in ventriculo excitant. Præterea eorum succus, qui in corpus deducitur, crassus est, ac lentus, & præcipuè cùm pinguiores fuerint fructus, quibus si dulcedo aliqua coniungatur, multarum, mugnarúmque obstructionum in iecore, liene, ac reliquis visceribus erunt in causa, præ dulcedine enim auidiùs à iecore, ac liene attrahentur, atque promptiùs infarcient viscera, præ crassitie ac lentore, tótque possunt humoribus crudis replere corpus, vt etiam prauas generent febres. Et eò magis cùm dulciores in bilem vertantur, austeri verò in pituitam: dentibus, gingiuísque obesse creduntur. Alimentum corpori non exiguum præbent, minimè autem laudatum: idcirco rarò mandi debent, quamuis prædulci blandiuntur sapore. Conditum tamen in officinis paratur Diaphœnicon dictum, quo frequentissimè medici vtuntur. Quod verò dentes corrumpant dactyli, experimento comprobatur, quia omnibus in regionib. Africæ vbi abundant, dentes citò, ac facillimè decidunt ante senectutem. Morbo verò Gallico plurimum conferunt, ita vt si qui eo morbo tenentur, in regiones vbi abundant, se contulerint, breui spontè sanantur. Forsan vel quia calidior regio ac siccior, vel quia aër odore palmarum conspersus hoc potest, faciunt etiã ad vitæ longitudinem, quia & si difficilis sint coctionis, indigenæ tamen, & qui eis assueti sunt, ac vescuntur, longissima vita fruuntur.

Dactylorum varia genera. *Vires.* *Diaphœnicõ.* *Nota.*

CAPVT

CAPVT LXVI.

De Iuniperi, ac lauri fructibus.

Iuniperi baccarum vires. FErt vulgata iuniperi arbor baccas myrti magnitudine, primò virides, postea nigricantes, quæ cùm acres, & aromaticæ sint, ideò calidæ in tertio gradu, siccæ verò in primo, hæque medicamenti potiùs quàm nutrimenti rationem habent: & præsertim maturæ cum acerbæ vix degustari possint: renes enim expurgant, ventriculum, etiam & iecur à pituitosis materiis liberant, vrinam prouocant, ac robur virtuti, concoctrici addunt, maximúsque est eorum vsus aduersus morbos contagiosos: si itaque ore mandentur, tempore pestilentiæ, & contagio mandentem securum reddunt, quod & *Patris experimentum.* Pater meus experimento comprobauit, vt in nostro Memoriali declarauimus, atque ibi rationem adduximus, cur quàmplurimos, hoc solo præsidio à peste intactos fuisse. Sunt quoque earum fumi in cubiculis grati, qui veris nocui iniurias emendant, dūmodò moderati fuerint. Immoderati enim vt plurimum grauitatem capiti, atque dolorem faciunt, eodem modo etiam si largiùs deuorentur, statim morsum in ventriculo excitant. Possunt & varia ex baccis parari decocta, contra omnium serpentum ictus, atque venena: dentium etiam dolores, ac podagricos cruciatus demulcent. Et nos continuò, præterquàm temporibus æstiuis, duos vel tres in mane mandere solemus, flatum enim discutiunt, viscera omnia & caput corroborant, atque corpus à putredine vendicant, dummodò matura in vmbráque, & non violenter siccata fuerint. Ex iunipero etiam extrahitur gummi, quod cùm recēs est, album, lucidum, atque transparens conspicitur: cùm verò veterascit, ad rubedinem declinat, cuius frequens est in medicamentis vsus.

Laurus. Laurus autem omnibus est nota, quâ triumphantes in coronis vtebantur, parum verò differunt inter se domesticum, ac syluestre, baccásque ferunt, quæ potiùs vt medicamenta, quàm alimenta in vsum veniunt, nec vnquam mensis apportantur: *Vires.* calefaciendi ac siccandi vires habent, atque in officinis adseruantur, quibus & oleum, & electuarium concinnantur, quæ ab eis denominationem trahunt, & omnibus morbosis affectibus frigidis conueniunt: iecori prosunt, ac calculos confringunt, imò & parituris opem præstant, referunt etiam laurum occulta, ac innata quâdam facultate, à fulminis impetu *Nota.* tueri, & habetur historia Tiberij Cæsaris, qui fulmine perterritus tonante cœlo, lauro se coronauit.

CAPVT LXVII.

De Oliuis.

Oliuarum genera. VAria sunt oliuarum genera, in vsúque frequentissimo, vbique habentur conditæ, quas colymbades appellant, assumuntque diuites prima mensa, vt appetentiam excitant. *Vires.* Virides & absque conditura, crassum & pessimum præbent nutrimentum, cùm verò muria condiuntur, & si nec multum corpori præbeant alimentum, efficaces tamen sunt. Maturæ sunt temperatè calidæ, immaturæ autem & acerbæ frigidæ, & astringentes. Verùm conditæ ex condimentorum varietate, diuersas acquirunt qualitates. Sale enim vt plurimum condiuntur, diúque virides muria conseruantur sua, alij prius ad nucleum vsque incidunt, vt meliùs muriam accipiant, citiúsque austeritatem amittant, alij integras, virentésque per biduum aut triduum calce ex aqua maceratas apponunt, alij ex aceto non minùs commodè præparant, & alij aliis modis. Quæ autem ex sale condiuntur, acrimoniam acquirunt, & siccitatem, sed parùm astringunt, ex aceto tenuitatem, & quæ ex calce, & si aliquid videantur habere, quod prorsus naturæ nostræ aduersatur, eluitur tamen vis illa praua aquæ affusione, licet non nihil intùs recipi necesse sit: meliores itaque sunt quæ aceto condiuntur: gustui enim sunt gratæ, & faciliùs concoquuntur, sed tamen omnes crassi sunt succi, & difficillimè concoquuntur: verùm si astringente succo fuerint præditæ, ventriculum roborant, atque deiectam appetentiam conciliant, & prima mensa assumptæ aluum deiiciēt ob pinguem, ac oleaginosam partem, nec non atque eorum ponderositatem, quamuis non desint, qui secundis mensis astringentiores adhiberi velint: *Nota.* roborato enim ventriculi ore, reliqua cibaria deorsum pelluntur: sed nunc ferè omnes primo & medio, atque postremo etiam cibo carnibus, piscibus, atque ouis intermittentes mandunt eas, nec sine magno errore, cùm in ciborum assumptione seruandus sit ordo, vt suprà declarauimus. Oliuæ autē sunt optimæ in Italia habētur, & præcipuè Bononiæ, sed ex Hispaniis etiam importari curamus, quæ & si Italicas bonitate, ac sapore non superent, illas tamen magnitudine, atque crassitie vincunt.

CAPVT LXVIII.

De Ficubus recentibus, & passis.

Ficuū vires. FIcus inter horeos fructus meliùs ac plùs nutriunt, & facile è ventriculo descendunt, & etiam permeant intestina: quo fit, vt etsi flatus gignant, non tamen dolores excitant: quin etiam adeò detergunt, vt arenas educant: ideò ante alios cibos comedi debent, licet ob maximam quam habent penetrandi facultatem, statim ad imum ventriculi descendant, ita vt si quis post esum aliorum ciborum ficus comedat, & post horam euomat, prius totus cibus præassumptus exibit, quàm ficus euomat, & sic facillimè percipit, ipsos ad infimam partem ventriculi iam descendisse. Caro verò quàm generant, similis est leucophlegmatiæ, mollis nimis, ac sublaxa. Cúmque maturitas omnibus vtilis sit fructibus, ficus innoxias etiam

penè

Cur potius aqua melior. 2 de Diata pag. 9.

penè reddit, non etenim & ipsi aliqua succi improbitate omninò carere potuerunt. Aqua melior est vino, tùm quia efficit vt celeriùs ventrìculum subeat, tùm quia calorem illorum mitigat. Inquit enim Hippocrates ficus viridis humectat, & aluum mouet, ac calefacit: humectat, quia succo plena est, calefacit propter succum itidem, aluum mouet propter succi dulcedinem. Primæ ficus optimæ sunt, quia succulentissimæ, optimæ autem sunt, postremæ. Ficus aridæ (quas caricas vocant) æstuosæ sunt, sed aluo secedunt. Probat hoc Galenus dicens, quod etiam incidunt, & ipsæ quoque vrinas educunt: iecori tamen, & lieni inflammationem obsessis obsunt generali ratione, quod dulcia cùm sint, obstruunt: sed & creditum est, non bonum illas progignere sanguinem, quod multos pediculos procreent. In eo tamen nobiscum conuenit, quod medicamentis attenuantibus, detergentibus, & incidentibus mistæ conferunt non parùm iisdem membris, sicut quod crassis alimentis non parùm noceant: hæc igitur in confesso sunt. Probat autem alibi summoperè, vt cùm nucibus edatur. Quid ergo agendum, an ne hic inde omnia prosequemur, velut toto mari pisces, aut relinquemus aliqua necessaria, hoc quidem imperfectum, illud stultum: quamobrem sic instituere oportet huius libri constructionem, vt ad lectionem accomodetur. Porrò ita legendus liber, vt propria sub communibus contineantur, nec omittantur, nec repetere sit necessarium: à me autem quæ methodo constant, & propria sunt, docenda erunt. Quæ verò solo experimento inuenta sunt, ea ad methodum reducenda erunt, si fuerint alicuius egregiæ vtilitatis, aut iacturæ: leuia præteribimus, cùm etiam falsa esse possint: quæ autem magni momenti sunt, sed dubia, cuiusmodi an ficus siccæ boni sint, aut mali alimenti per se? an scyrrhis iecoris conueniant (hæc quantum intersint quisque videt) determinare oportet. Quæ enim recepta sunt, absque controuersia sunt, quod ventrem molliant, quod humores extra pellant, quod in attonito morbo, & resolutione sint optimum alimentum, & fermè vnicum, sed & scyrrhos iecoris, & membrorum naturalium tollunt, aut nihil aliud confert. Vnde etiam cibus senum dici potest. De his omnibus dubium non est, sicut neque quod rutæ optimè associentur, ipsa enim attenuat, incidit, ac detergit, sed & de sale dubium non est, approbante Galeno, vt neque an boni, an mali succi sit, cum constet non eas esse valdè mali, boni etiam esse non posse: inter fructus debere, inter bonos comparari, ad carnes, aut panem collatas mali. Quid ergo an noceant iecori, an prosint? an cum pineis vtiles sint: postquam inuentum est certo experimento quantum senibus prosint pineæ: etiam videre oportet, an rectè illis possint copulari? Perutiles enim erunt si iungi possint, nam duritiem omnem egregiè cùm molliant, atque detergant, quid vtilius scyrrhis esse poterit, aut iam genitis, aut iam solùm inchoantibus? Dices quid obstat quod pineæ sunt multi, crassi succi, & difficilè coquuntur: ergo impedient auxilium caricarum. Considerare igitur oportet hominis robur, & vt cum solo pane, & pineis quantum facilè subigantur, sumat, & bene mansis, & quæ in aqua diu manserint, panis quoque leuis sit, potus aquæ modicum, aut nullus: nam vt diutiùs manserint, ita meliùs emollient: per se prosunt mirum in modum pectori, & raucedini, & dentium doloribus, & venenis, sudorem adiuuant: tot sunt generum, quot colores, neque enim illum refugiunt: sunt serotinæ, quæ Decembri maturescunt, & quæ nunquam. Et magnæ quæ meliores si sint pingues: etenim optimæ quæ suaues, dulces, pingues, magnæ. Meridianas ficus damnat Athenæus, intellige ea hora collectas, non si edantur: quapropter præstat vel eas vesperi, vel matutino collegisse, conclusæ vasis, non sine fastidio edi possunt, quod vermes generent impositæ duris tumoribus emolliant, & concoquunt. Et lac Plantæ eius purgat, & vrit. Et ideò folia eius aperiunt hæmorrhoides. Multis quoque modis confert puncturis animalium venenosorum. Et albæ plerunque faciliùs subiguntur: nigræ autem sunt dulciores. Oportet tamen obseruare regiones. Vinum ex eis elicitur, quemadmodum & ex vuis, sed haud vinosum. Plantarum quoque discrimen maximum: quædam patulæ magnæ, altæ, aliæ humiles, ac pumilæ. Commune est illi, quod plerisque plantis, sed adeò euidenter vt proprium dici possit, in vmbra satum citiùs exurgere, meliùs pullulare, nec vermibus (supple fructum) affici. Debilitant igitur ficus iecur, quia præhumidæ, nisi siccis & astringentibus copulentur, velut si postridie vinum absynthiacum bibat, aut mastichem deuoret, aut rosei aliquid.

Caricarum vires. 2. de Al. cap. 8.

Nota. Lib. de cibis boni & mali succi. c. 8.

Nota.

2. de Al. cap. 17.

Lib. 3. cap. 3.

Albæ & nigræ.

Nota.

Viride.

CAPVT LXIX.

De Vuis recentibus, & passis.

Vitarum vires.

VVæ & ficus optimi fructus omnium confessione habentur, sed vuæ subducunt aluum magis quàm ficus, recentes tamen ad voluptatem potiùs, quàm vtiles bonæ valetudini: inflant enim, & fungosam carnem generant. Et si non coquantur probè, in ventriculo, & iecore crudos generant humores, & semper pro ratione minùs ficubus nutriunt: & innumeræ earum habentur differentiæ, quæ à calore, sapore, figura, amplitudine acini, mollitie, ac duritia desumuntur. Cùm verò vterque fructus quatuor ex substantiis componatur, semen in vtroque prorsus immutatum permeat, quod in vna minimè mirum est ob duritiem, mirum in ficu sanè. Sed & cortex in vtroque parum admodum mutatur. Quæcunque igitur ex vuis sine cortice, & seminibus glutiuntur, magis subducunt aluum, & si succus, vt in musto, solus adhuc magis, caro autem nutrit plùs, & minùs subducit. Seruari autem nullo auxilio externo adhibito trifariam solet, appensa, quam pensilem vocant aëre non admisso, sed cum candela præcisis arinis, qui

putrescere

putrescere incipiunt. In hac triplex periculum, vel vt acerba sit, nam sic colligunt, vt facilius eam seruent, vt putridi aliquid contraxerit, vt siccata sit: quapropter ad delitias, & ambitionem commodior est, quàm ad valetudinem. Quæ verò in musto seruatur, caput ferit, & aluum subducit, si mustum dulce sit, nam id non parum, vt etiam aluum lac mouet. Oportet autem in his sapores inspicere. Dulces caput tentant, aluum mouent, benè nutriunt & ventriculo gratæ: austeræ astringunt, parum nutriunt: acidæ neque vrinas neque aluum mouent, sed nec sistunt: incidunt tamen humores lentos, & tamen ipsæ crassos generant. Quæ verò in vasis nouis è terrea odorata & perfectè assata condiuntur, operculo pice olla coniuncto, inde vase in vinaceis sepulto: hæ optimæ sunt, resoluta enim cruda parte, noxa carent, si tamen largiùs sumantur, & ipsæ caput lædunt, nec tamen vlla harum passa vua dicitur. Sed quod mirum videtur, & quod sæpiùs adnotaui vini potores eximij, vuarum tum recentium, ac siccharum abhorrere esum, abstemios verò ipsarum auidissimos esse. Adest & vua quædam Moschatula dicta ab odore moschi, sapore dulcis, quæ cum calida, ac multo humore, eoque haud aquoso prædita sit, facillimè putrescit, nimiùm vescentibus vt plurimum febres accendit putridas, eadem ratione qua de pyris moschatulis, moderatè igitur & ante alios cibos hanc, & omne vuarum genus assumere oportet, cùm per aluum citò descendant, nec diu moram in ventriculo trahant, quoniam si post alias escas edantur, flatum pariunt, nec probè concoquuntur, & crudum succum progignunt, qui nec facilè in sanguinem conuertetur, veluti contingit illis, qui eas acidas, & austeras comedunt. Dulcibus ergo, & pensilibus, minus nocuæ vti licet ex parte capitis, cui infensæ non sunt. Passæ autem vuæ sunt, quæ in Sole siccantur, donec à putredine sint immunes redditæ, nec tamen contrahuntur. Eius duo sunt genera, nigra aut fusca, parua, tenui cortice, absque semine, seu vinaceis: sed nunc per vinacea durum semen, non corticem intelligi volo. Alterum prægrandis aut mediocris, fuluæ seu flauæ, cum vinaceis cortice crassiore. Atq; ex his est Hispanica, sed Cretica omnibus melior, nã Illyrica deterior multò Hispanica, quàm Hispanica Cretica. Galenus ex solo sapore diiudicat harũ facultatẽ, sed est aliquid maiore consideratione dignum: nam parua nigra licet dulcissima, mala, est, flatum gignens, concoctu difficilis, ructus acidos, & acres mouet, atram bilem gignit: omnis enim cibus niger atram bilem auget, vt etiam liuidi ac fusci, plerunque mali succi sunt, sed & integra, aut qualis deuorata est, exire solet, nunquam tamen potest esse bona: nam cùm adeò parua sit, si diutiùs maneat, in Sole siccatur, & cortex solus manet, nec quicquam nutrit, si parum putrescit. Vnde etiam rarò vermibus caret, nisi compressa valdè, & cùm immunda est, nam si vel granum corrumpatur, tota massa subputret, colligunt & simul terram, & lapides, & alias sordes. Quod si etiam in exsiccando adamussim modus seruetur, facilè per mare delata putrescit, quoniam non habet vinacea, à quibus refrigeretur, & exsiccetur. Ob hæc etiam dolores ventriculi mouet, & tardè concoquitur. At maior seu Cretica, seu Hispanica, aliud habet vtilius, quàm à sapore contraxerit: aliter cur carnes edimus, quæ neque dulces sunt, neque austere, neq; acidæ, vel vinosæ: in cibis enim magis substantia, quàm sapor desideratur. Ergo mirum in modum iecori natura conferunt, & ideò in illius affectibus & Galenus ipse, & Princeps, dum de illius scyrrho loquitur, tantum eas commendat, quantum carnes damnat. Inde nata & illa compositio ex vuis passis Cyphoides appellata, de qua octauo de compositione Med. secundùm locos Galenus agit. Vuæ ergo passæ etiam vtilitatem videmus in lue Indica, in elephantiasi: omnia membra naturalia confirmat, alimentum minimè putredini obnoxium exhibet, pectus demulcet, vtilis pulmoni, sensibus ventriculo autem maximè amica, vitam producit, aperit obstructiones, & tamen astringit. Eligi debet crassa admodum plena, perspicua, aurei coloris, integra, cuius vinacea non admodum magna sunt, recens, quæ eousque compressa cum alia manserit, plurimam dulcedinis habens, parum acidi vel astringentis. Si autem austera sit, & vinosa, commodior erit iecori, tenuis corticis, & omninò tam visu, quàm gustu admodum grata, & cum solo pane edi, nullo vel pauco potu, vel si sitiat, cum aquæ modico: nam vinum plerunque illi parum commodè miscetur, prohibens eam in ventriculo concoqui: quam regulam nos multis ab hinc annis seruamus, dum in prandio vt plurimum solis his vuis Creticis cum pane contenti simus. Sunt qui cum aluum astrictam habeant passas Corinthij, hoc modo præparant, eas enim apprimè vino abluunt, atque à sorditie expurgant, inde optimo vino per xxiv. horas macerant, atque infusioni foliculorum senæ cum cinamomo factæ, eas à vino extractas addunt, permittuntque leui ebullitione feruescere, atque colatis vtuntur ante cibum immediatè ad quantitatem cochlearis, & aluum lubricam reddunt, sed ventriculo obsunt, ac capiti ob vinum ac senam: Ideo nos alio modo eas præparamus. In aqua enim aliqua calente magis subiecto conuenienti, vt de betonica, &c. & quandoque iure optimè lotas maceramus vt suprà, inde vel melle rosaceo solutiuo, vel rosarũ infusione, secundùm quod nobis magis expediens videtur, leuiter ebulimus, ac vt suprà exhibemus, aluum enim leniunt sine molestia vlla, carentque omni noxa: eodémmet modo possunt præparari infusione longa rhabarbari, & præstantissimæ: aliis quoque diuersis modis ex eis condimenta parari possunt, pro vt opus fuerit.

Nota. | Differentia. | Obseruatio. | Moschatulæ vires. | Passularum genera duo. | Nigra vires. | Creticæ vires | Cap. 7. | Electio. | Nota.



DE SANITATE TVENDA LIBER TERTIVS.

PRÆFATIO.



Propositum.

ABITO iam de plantis, frugibus, atque fructibus, quæ in hominum cibos nostro in orbe admittũtur sermone, explicatáque eorum natura: Reliquũ est vt de alimentis ex animalibus petitis tradamus, tam terrestribus, quàm aquatilibus, ac volatilibus, vt naturæ ordinem sequamur, quæ humano generi in omnibus fermè plurimum, atque diuturnum alimentum præbent, si cum superioribus conferatur. Diximus enim nutrimentum ex totius propriæ substantiæ, ac familiaritas ratione constare: hæc autem familiaritas nullibi, quàm in animalium genere reperitur propinquitate materiæ. Qua de causa longè maius nutrimentum in eis est, quàm in stirpibus, aut quicquid ex stirpibus exit, nec tanta ad alendum nos transmutatione indiget, cum sanguinis naturam habeat: quantò enim alimentum corpori alendo magis est simile, tantò minùs natura in assimilando laborat, licet ex parte repugnet. Verum quid dicemus de animalibus ex putredine ortis, quæ cùm ex plantis alantur, & propiora longè sint naturæ humanæ: nihilominus minùs apta esui videntur, quinimò etiam & abominanda prorsus, & veneno propiora, quàm cibis, non de his dico quæ in aqua maximè marina nascuntur: ranæ enim in paludibus pro cibo nobis sunt, & quæcunque etiam ex limo natæ, & ostrea, & conchæ, & chamæ, & multa eiusmodi, sed muscas, scarabeos, vermes, quis sine horrore imaginetur, nec dum edere substineat? Vnde ergo causa? forsan id dicemus ex putredine, quàm magna oriri: plantæ enim & ipsæ ex putredine oriuntur, & quæ dixi animalia in aquis, sed aquea ac tenui: ideò neque fœtida, neque praui saporis, & sine fastidio eduntur, & nutriunt, at illa non, vt diffusiùs in medicorum Contradicentibus declarauimus. At verò animalia sanguinea, quæ omnia propagatione generantur, & vt alimentum optimum sunt hominibus, ita ipsa ex animalibus viuunt sanguinis expertibus. Hirundines enim præpurgant aërem à culicibus, papilionibúsque tùm crabronibus, vespis, locustis, muscis. Gallinæ verò vermibus terrenis libenter aluntur: quis ergo non videt ordinem hunc seruari, vt vel ex proximo, aut vno solo interposito nutriãtur. Verùm dices quid de canibus, leonibus, tigribus, accipitribus, aquilísque, quæ sanguineis aluntur animalibus, ideóque proximiora hæc deberent esse homini: tamen insuauia, & neglecta, solis catulis antiquo tempore vescebantur, credo potiùs medicamenti vice, quàm alimenti, vt suo loco dicemus. Vulpes quoque & lupi omninò praui sunt succi, & tamen medij, hac ratione inter humanam naturam, & vitulos, & capreolos, ceruos, atque sues: vt ratio in his concludere non videatur. Verùm dicemus huiusmodi animalia non substantia, sed qualitate facta homini inutilia. Cùm enim immodicè exerceantur, & assiduè, breuísque sint vitæ, siccescunt nimis, & ob id esui non sunt, sicut neque caro asinorum, ceruorúmque senum: indicio est quod omnium horum animalium pupilli, vt ita dicam, seu catuli præpingues maximè edi possunt, & suaues sunt, sed & feles, præsertim castrati: at præpingues à pluribus comeduntur. Omnia igitur animalia, quæ ordine suo propinquiora sunt, naturæ humanæ, plurimum afferunt nutrimenti humano generi, modò non immodicè sicca: verùm propter cognationem dum videmus tam fœdè lupos, & canes vesci visceribus animalium, carnibúsque putridis, ac rebus fœtidis, illorum consuetudinem abominamur, & meritò. Soli enim ex his sues, atque hi humido temperamento maximè cum sint, & magis plantis, & è terra natis vescantur, quàm animalibus vsui hominum cessere: etenim apri parum admodum animalibus cæteris infesti sunt, edunt glandes, vuas, fruges, segetes depascuntur, radices edunt plantarum, parum molesti animalibus cæteris, præterquam limacibus, atque similibus: sed neque sues vsu, omnibus sunt vt Iudæis, & Mahumetanis, quanquam id potiùs lege prohibeantur, quàm natura. Ergo nutrimentum maximè ex propinguis desumitur, & in vniuersum similia similibus, & ex propinquo ordine plurimũ conferre videntur, exemplo desumpto à iecore lupino: quod quidem manifestissimè humano iecori vtilissimum est, vt aliàs demonstrauimus, robustissimum enim est viscus illud, vt quod animal cogatur vesci crudis, putridis immoderata quantitate, peruigil, in frigore multis agitatum modis: simile igitur à simili, & potentia tale, & ordine proximo, & robustũ imbecilli: cur ergo pronuntiare de causa dubitamus, cur iuuet etiam si nullo edocti experimento, illud potiùs mirum esset, si non iuuaret, non ergo refugiendum est semper ad proprietatem illam occultam, cùm inquam pluribus huiusmodi ratio pateat, sicuti est videre in nostris Contradicentibus. Item & feris si iecur iuuat (quanquam id referant in id

Nutrimentum quid. *Nota.* *Dubium.* *Solutio.* *Lupinum & cur cur vtilissimum.* *Nota.*

id quod amara sit, ideóque aperiat obstructiones, & astringens, ob idque confirmat iecur: mihi sanè videtur non hæc solùm esse in causa, cùm eiusmodi euidentiùs sint in aliis: multó minùs qui dicunt causam esse frigidam temperiem, cùm etiam frigido iecori conueniat: alij quia alimentum neque ob id solùm, sed omnibus vna coniunctis vtrunque sit) verisimilius est illam fore substantiam quidem iecori similem. Sed dices, quomodo herba iecoris carni similis esse potest? seu parenchymati? deinde quonam pacto cum herba frigida sit, & iecur calidum, natura scilicet, carneum sanguine abundans, & sanguinis origo? Ergo triplicem intelligere oportet similitudinem, vnam quidem à qua longè abest substantiæ, seu ordinis cum seris herba sit, illa caro. Alteram temperamenti cui neque specie, neque ratione, neque casu conuenire potest: casu enim fortuitum est ratione minùs: quoniam variatur, specie nullo modo, vt nec raritate, vel densitate: sed nec quia similiter elaboratum nusquam, nec hoc enim pertinet ad ordinem. Ergo relinquitur vt modo mistionis elementorum, scilicet vt tantundem salis, olei, terræ, & aquæ sint in proportione in seri, vt in humano iecore. At dices id fieri non potest, cùm sint alterius temperamenti: dicimus temperamentum in viuente planta eiusmodi esse: cùm verò subigitur in corpore fit frigidius, & humidius, non resolutis partibus calidioribus, & minus humidis: sic enim ordo perturbaretur, sed vt ita dicam extinctis, ac hebetatis. Sed ex his ad alia transeamus, & priusquam de singulis animalibus particulatim agamus, expedire videtur, in genere de animalium carnibus primùm disserere, déque eorum partibus & visceribus: quo breuiter absoluto sigillatim singulorum in alendo vires exactiùs paulò discutiemus.

Similitudo triplex.

Nota.

CAPVT I.

De Carnibus, earúmque differentiis.

Caro quæ & quomodo fiat.

CArnium nomine substantiam omnem, quæ ciuitates ossium replet intelligi volumus: sic enim Aristoteles carnem esse inquit, quæ omnibus inter cutem, & ossa, diuisibilisque vndique est, nec venarum, aut neruorum more in longum secari tantum idonea: præterea aboletur, & in fibras transit, quoties animal extenuatur, & gracilescit, vertitur item in pingue, quoties pabuli copia suppetit, quæ calidam moderatè humiditatem in se continet à sanguine, veluti etiam dicendum est de piscium carne: nam & pisces primùm nonnulli respirant, & sanguinem habent, & pulmones, & in aëre viuunt. Et piscibus omnibus sua caro est, & sanguis: ex sanguine enim concreto caro fit. Sic ergo diuiduntur multifariam carnes genere, vt piscium, quadrupedum, auium. Specie, vt gallinæ, attagenis, galli, paui: sexu, galli, cappi, gallinæ, ætate, gallinæ, aut pulli. Educatione, nutritæ in paludibus, in cauea, in corte, in monte, in pratis, in nemoribus, granis, vermibus, & sordibus. partibus, iecur, alæ, ventriculus. Præparatione, elixæ, assatæ in veru, super prunas, in sartagine. Mortis genere, iugulatæ suffocatæ, paulò antè, multò ante, & quæ suspensa diu fuerint. Ergo primùm incipiamus ab interitu, carnes senum animalium diu suspensæ manere debent: iuuenum autem pinguium eadem die, imò post sex horas edi debent: propterea neque si diu suspensæ fuerint, quoniam corrumpuntur, neque si parum temporis intercesserit, bonæ sunt ob duritiem: ideò malæ sunt omnes carnes seniorum animalium, præsertim siccæ naturæ, velut agrestium, & quantò maiora sunt. Duræ sunt quæcunque in fila diuiduntur, tam animalium differentia, quàm partium, ob id glandosæ carnes omnes bonæ, & iecora auium, ventriculi abiecta interiore tunica. Nihil autem deterius, quàm eiusmodi carnes edere, in quibus manifesta sunt fila, & fibræ. Sed vt ad senectutem animalium reuertar, malæ etiam sunt carnes eorum, quoniam parum nutriunt, & malum exhibent alimentum. Vnum auxilium est ergo, vt caro mactati animalis statim coquatur, sed in frustula diuisa, multóque igne, & aqua subigatur, ac diu vt soluatur: sic enim minus mala est, quàm si diu suspensa fuerit: & ius quod exinde colligitur, suaue est. Credendum autem est Zoari magis quàm alij, quem refert Auerroës CXXXV. annis vixisse. Quod si anseres quam coquantur sub fimo equino, linteo crasso circumuolutæ sepeliantur, facillimè coquuntur. De mortis genere satis sit celeriter accidisse, velut abscisso capite, ne crudelitate aliena, salutem nobis quæramus. Genera faciliùs pisces concoquuntur auibus, aues quadrupedibus. Ex piscibus, lati, squamosi, tenues, leues pondere, in aquis claris degentes, quique herbis vescuntur, post qui pisciculis, carne candida admodum: caudæ pars propior ob motum, iecur, & venter saluberrima: in paruis, & teneribus deorsum, omnium lactes boni alimenti est, sed tenacio: quàm in auibus, vel quadrupedibus. Caput deterrimum, & dorsum grandiorum piscium, & venter tenuiorum. Oua præterea quæ parua sunt, vt esse solent parum vtilia. Laudantur saxatiles percæ, quæ etiam fluuiales, iuliæ, scari, merulæ, turdi, fucæ, nec gobij inferiores illis sunt, quanquam nec squamosi, nec lati, nec tenues. Optimi etiam sunt aselli. Ex auibus optimus est galli pauus, inde gallina, & phasianus, post sunt perdices, coturnices, qualeæ, turdi olim in pretio habiti: sed de his suis locis, optima pulpa alarum, testiculi, iecur, adeò vt etiam probetur anserum, & ventriculi (vt dixi) caro interior. Quadrupedum autem glandosæ partes, & suilla, apri scilicet, quia minimè fibrosa: atque in his caro pura post glandosam, & armos. Sexus non idem: nam in humidis masculi meliores, vt in piscibus, & agni masculi fœminis, & cùm pingues fuerint, vt in suibus etiam, cuniculi masculi præferuntur, in macilentis fœminæ: sed pingues præferri macilentis (etiam si sexu inferiores sint) debent. Educatione fiunt meliores, adeò vt anserum

Caro ex quo fiat.

Carnis differentia.

Nota.

Carnes seniorum animalium mala.

Pisces qui meliores.

Aues quæ meliores.

Quadrupedum partes.

anserum iecora in pretio sint, lacte, & farina, vel ficubus nutritarum. Et quæ in montibus humida natura sunt, in agris media, in paludibus sicca, contraria contrariis temperando. In vniuersum optima sunt quæ his nutriuntur, quibus etiam homo vesci solet, fructibus, & herbis, contra quæ serpentibus, cœno, lignis omnia mala sunt, sed & quæ carne vescuntur, quoniam ad extremum cùm peruenerint, necesse est vt humanam superent. Porrò de condimentis peculiaris tractatio à nobis instituta est. Omnes ergo cibi ab vtroque extremo recedere debent: verùm magis à senio, ita olera, & fructus, & animalia, statim enim nata muccosa sunt, sed prouecta ætate praua, & concoctu difficilia. Quæcunque alienum saporem, aut odorem contraxerunt, quæve cariam omninò fugere oportet, salita omnia, nam si bona corrupta sunt, si mala adhuc mala erunt. Præterea in oleosis vetustas maximè obest, & quantò magis oleo abundauerint, vt oliuæ, nuces auellanæ, pistachia, amygdalæ, pineæ, & huiusmodi. Præterea nuper nata animalia carnem madidam, muccosamque habent excrementis redundantem, & præsertim si humentiora natura fuerint, vt sues, ouésque quæ minimè salubres existunt, vt etiam carnes animalium non se exercentium, humida, ac excrementitia sunt animalibus multo exercitio vtentibus: & ideo dicimus quadrupedum carnem volucrium humidiorem esse, vt etiam ex eorum genere alia aliis calidiora, frigidiora, humidiora, & sicciora sunt: vt inferiùs demonstrabimus. Castratarum quoque victimarum caro (vt inquit Galenus) non solùm suauior est non castratarum, verùm etiam qualitas ipsa carnium, nec paruam in eis facit differentiam coquendi, parandíque modus, vt diximus. Nam quæ elixantur, vescentibus humidius præbent alimentum, siccius verò quæ assantur. Idcircò quæ natura humores sunt, ac præpingue, assæ meliores, ac vtiliores eduntur, sed tam variis modis parari solent, vt vix enumerare possibile esset, & præsertim cùm in horas, ne dùm in dies portentosa coquorum ingenia noua suppeditent condimenta, quibus hodie ampliora stipendia eis soluuntur, quàm medicis. Desinant ergo homines illius ingenium admirari, qui totum orbem reuolutum finxit, postquam qui nobis sanitatem conseruare, aut restituere student, vix vllam eis agimus gratiam. At qui perniti[illegible]m, manifestúmque exitium procurant, eos amplectimur, stipendiísque magnis prosequimur: atque hanc esse causam reor, quod longè peritiores in arte coquinaria reperiantur homines, quàm in medica facultate: ad quid frustra niti? Quis etenim nostrûm exercitationem vllam corporis, nedum animi suscepit laboriosam, nisi vt aliquid ex ea commodi consequatur. Sed hæc missa faciamus, atque ad propositum nostrum reuertamur, cum tribus de causis ciborum compositio nobis quoque necessaria videatur, vt infrà edocebimus. Quæ autem in sartagine friguntur carnes, & plerunque prunis apponuntur, siccius quoque nutrimentum suggerunt, accipitrum commoditate inuentum, qui dum aues captas prunis imponentes torrent, vix pene semicoctas vorant. Furnis etiam decoquuntur carnes, nec non & à pistoribus incrustantur, quas homini salubritatem corporis desideranti inutilissimas esse censemus. Et cùm in vniuersum iuniorum animalium caro præstantior sit, quàm vetustorum, ac declinantium, & valdè nouellorum etiam admodum praua sit: ideò media inter vtramque ætatem quæratur, quæ florida dicitur.

Nota. *Castratorum caro melior.* *Nota.*

CAPVT II.

De Differentia partium in quadrupedibus.

Animalium partes quadrupedum maximè vitulorum, præcipuè septem sunt, tùm gustui, tùm ad valetudinem accomodatæ: Cerebrum, lingua, lactes, pedes, mammillæ, pulmo, lumbique cum renibus. Porrò lumbi sunt in eo genere, in quo cæteræ musculorum partes: sed non nisi optimi sint, non adeò suaues sunt. Debet enim esse vitulus pinguis, & lactens, & nuper occisus, veru assatus, magna flamma, & calidus, cum rene, & pinguedine edi, plurimùm nutriunt, & suauissimi sunt, & minimè excrementosi, facillimæ concoctionis, & optimè alunt. Ego duntaxat semel edi apud cauponem oppidi B. Petri, in via, quæ ducit ex Bononia ad Forum Cornelij. Neque probari possunt singulæ partes ab omnibus, neque etiam eodem modo. Primum pedes lentum minùs afferunt alimentum cæteris neruosis partibus, quod magis exerceantur, parum verò nutriunt, cùm sint exangues: faciliùs ergo concoquuntur, quatenus etiam minùs lenti sunt, ideóque etiam plus alunt. Sed & alimentum frigidius est temperato, & minus quàm carnium sanguinearum. At sic mediocriter alunt, cùm bene cocti fuerint, incredibile est quantum suauitatis, & facilitatis ad coctionem in ventriculo ex coctione longa adipiscantur. Vnde etiam ius illud concrescit in gula, & addito aceto cibum efficiunt febricitantibus vtilem, atque iucundum. Pulmo autem suauis & ipse in patella coctus cum iure, & aromatibus, odoratísque herbis paulò plus nutrit pedibus, facilè concoquitur: eiúsque enim caro laxissima, & leuissima, & paulò minùs alba, alimentum leue, paucum, humidúmque præstat, & vitam producit: humectat enim pulmonem, à quo primum mors naturalis oboritur, quantò ergo iecinore, splenéque rarior est, tantò facilius vtróque perficitur, vt in nutriendo iecinore inferior est. At pecudum pulmones, sicuti & lienes, ac hepata cùm vt plurimum vitiis macerata sint: ob id ab vsu hominum abdicanda sunt, cùm non sine periculo edi possint. Lactium præstantissimi, in auibus sunt testiculi, quia intus reconduntur: in quadrupedibus non ita, sed sunt difficilis coctionis, & mali succi: sed carnes, aliæ glandosæ minùs alunt, musculosæ & optimum, ac concoctu facile præbent alimen

Quadrupedum partes. *Lumbi.* *Pedes.* *Pulmo.* *Nota.* *Lactes.*

alimentum. Indicio est suauitas, & quod leues pondere sunt, atque friabiles, alimentum tamen frigidius est, quàm musculosæ carnis. Friguntur in sartagine pro sanis, ægris elixantur, neque enim ius reddunt, in iure autem cum aromatibus sunt meliores. Mammæ autem suillæ, & lactantium dulces sunt, & à gulosis maximè expetuntur, suntque optimi alimenti: omnes autem mammillæ etiam vitulorum ob id bonæ sunt: Et vt minùs nutriunt, ita facilioris coctionis. Ob id etiam lingua & gustu, & alimenti bonitate præstat, quare tota ea pars, & suauis, & optimi est alimenti. Vt etiam quæ adiacet linguæ pars non sit contemnenda, non sic pars quæ exeritur, durior enim longè, ac deterioris est alimenti: Bubulæ quoque, bubalinæque sale condiuntur, deinde pensiles seruantur in annuos vsus, his vini potores ad excitandam sitim vtuntur, nihilque præstantius reperêre, vt vinum iucundioris saporis gustent. Cerebrum autem pituitosum, & crassum gignit succum, tardéque ac difficulter permeat. Tardè quoque concoqui existimat Galenus, tum etiam nocere ventriculo, ego quomodo præparatum elitauerit non intelligo: nam elixum indéque in sartagine frixum, non parum iucundum experior, & mei quidem domestici probant, elixum non ita, vel etiam suillum, aut bouillum. Quomodo verò subuertat ventriculum, & excitare appetitum, quod in ægris quotidie percipimus, possit non video, imò quorundam animalium cerebrum inter præcipuas epulas hodie poni video, vt hœdorum, vitulorum, quin & auium multarum, atque piscium. Hæ igitur sunt partes animalium iucundiores atque vtiliores valetudini, quæ cùm hoc etiam facilè mandûtur, & permeat, nec vllam molestiam afferunt. Cætera verò quæ supersunt vt iecora, lienes, cor, ventres, atque sanguis longè sunt concoctu difficiliora, crassumque exhibent succum. Iecur etenim & si suillum accipiamus, quod inter cætera (de quadrupedibus intelligendo) præclarius est: facilius enim concoquitur & minùs crassum nutrimentum præbet, si sus iuuenis bonæ habitudinis, bonæque temperaturæ fuerit: interea tamen crassi id alimenti erit, concoctúque difficile, quoniam hoc commune est omnibus iecinoribus, & si alteri magis. Gallinaceorum autem, gallinarúmque, & anserum, atque aliorum volatilium iecora sapore, & salubritate commendantur, vt infrà dicemus, variísque modis parantur. Vt verò hepar ex rubro, crassoque sanguine alitur, ita lien ex subtili simul, atque melancholico, ipsius enim corpus rarum admodum est, atque laxum ad instar spongiæ, vt succos crassiores facilè attrahat, atque excipiat: ad hoc namque natura in corpore constituit, vt corpus à fœculenti, atque melancholico succo expurgaret, eodémque se nutriret: non ergo immeritò improbi succi esse pronunciamus, species enim carnis ad portionem alentis succi se habet: quapropter à cibo abdicandus est lien, & si aliquibus suauitatem gustui præstare videatur. Cor autem rarò homines in cibos admittunt, eius quidem caro dura, fibrosáque est, ad concoquendum etiam difficilior, & ægrè permeat, nec admodum gustui grata est: verùm si rectè conficiatur non exiguum, nec prauum, nec fluxum corpori præbet alimentum. Ventres quoque animalium (quæ in cibos hominum veniunt) nec magnitudine, nec specie inter se sunt similes, vt in Arte medica declarauimus, atque hi vt ventres etiam, & intestina, membranosáque omnia, durioris sunt substantiæ, frigidiorisque, ac siccioris naturæ, imò licet probè concoquantur, frigidum tamen succum gignunt, nec non & crudum. Sanguinem etiam tantummodò suillum, hœdorum, atque agnorum in hominum cibis vsurpari nouimus, cæterorum verò animalium rarò, & si contingat etiam sæpè vitulinum, atque leporinum apud aliquos in pretio esse. Sanguis tamen omnis difficulter concoquitur, & eò magis si crassus, atque melancholicus fuerit, & quocumque modo paratur, aut coquitur, semper excrementosus, atque concoctioni contumax experitur.

Mammæ. *Lingua.* *Cerebrum.* *Iecur.* *Lien.* *Cor.* *Venter.* *Sanguis.*

CAPVT III.

De Sue, & apro.

INter cœteras carnes humidiorem esse suillam, omnes conueniunt antiqui, calida quoque est, & si nonnulli, de antiqua loquentes, ipsam frigidam esse dixerint, hancque vnam nostro simillimam esse temperamento statuere licet. Ex historiis etenim habemus, nonnullos scelere cauponum deceptos fuisse, qui dum hospitio suscepti, ignari primo appositis vescerentur humanis carnibus: detecta deinde fraude, saporem retulerunt qualis suillæ. Hos natura fœcundos genuit, imò pauci reperiuntur, qui fundos, aut villas habeant, qui sues non alant, & hodie matresfamilias quot annis alunt, quibus in primis familia sustentetur, & vt cætera cibaria eorum carne suauiter condiantur, multos námque in re cibaria, atque præclaros vsus præbet. Cæterùm non exiguam differentiam in eis desumere cernimus ab ætate, sexu, locis, alimonia, habitudine, partibus, atque aliis id genus. Caro enim iuuenis porci, id est, lactantis ac recenter nati, non est comedenda, quia nimis humida, mucosa, atque excrementitia existit, facilliméque putrefit, & in prauum humorem conuertitur, & eò magis si ventriculum malis humoribus refertum adinuenerit: pituitam etiam generat, & cholicos, iliacósque dolores, & in renibus lapides, ac in iecore obstructiones parit. Probatissima verò est adulti, ac mediæ ætatis, & boni habitus, valdéque se exercentis: masculus etiam melior est, quàm fœmina, & præcipuè si scropha fuerit: senes verò ac decrepiti fugiendi sunt, quoniam eorum carnes duræ, ac lignosæ, & humore melancholico præditæ sunt. Verùm quia ad quoduis pabulum sues facillimè assuescunt: ideo hordeo, milio, ficu, glande, pyro, cucumere, vua, & huiusmodi atque otio pinguescunt, tubera etiam iis,

Suilla vires. *Differentia.* *Caro lactantis mala.*

atque apris gratissima sunt. Et qui in montibus degunt, cæteris præferunt, qui si in media, ac florenti ætate consistant, eorum caro boni est succi, & omnium escarum potentissimè, nutrit, si benè concoquatur. Indico sunt fossores, aut messores, atque alij huiusmodi, qui solidiori indigent cibo, ea vtuntur, ne imbecilliores præ labore reddantur. Crassum quin etiam, atque insimul lentum succum parit: vnde qui hanc frequenter comedunt, celerrimè excrementorum copia abundant, nisi laboribus haud leuibus, dissipet, atque discutiant excrementa illa inutilia, imò qui diutiùs ea victitant, iecoris, & renum obstructionibus corripiuntur: ideò sufficit illa ex interuallis vti. Quapropter bene animaduertere debent litterarum studiosi, & qui domi sedent, otióque torpescunt, vt senatores, causidici, & sacerdotes, ne eam comedant: & si comedere velint, aliquo exercitio vel frictionibus à cibo, ordine præscripto vtantur, per frigora tantùm iugulantur, saléque inuoluuntur, quo tempore sal commodiùs liquescit, carnémque subit, quæ maximam suauitatis gratiam acquirit, primáque mensa ad auiditatem, sitimque inuitandam exhibetur. Caro suilla recens in veru cocta, siue assa, & sub crate longè gustui iucundior est, quàm elixa, nec tantam superfluam humiditatem habet. Eius verò pinguedo nimis obest, villos enim ventriculi laxat, appetendique facultatem aufert, atque nauseam inducit, quin & facilè in bilem vertitur, vtilissima tamen est ad aliarum escarum præparationem. Apri autem adeò apud nos in pretio sunt, vt nobiles fermè omnes, non sine vitæ periculo studiosissimè eos venantur, tanta est gulæ insania, & nobilissimus hodie cibus habetur. Eorum caro assa vt plurimum manditur. Distinguitur præterea eius alimentum ratione pabuli, loci, cœli, atque huiusmodi vt supra, gratam & ipsi, ac iucundam carnem habent, magísque salubrem, qui liberè vagantur quàm domestici: leuior enim est, & facilioris concoctionis, ac plurimi alimenti, nec parum interest an in montibus, aut in planis, aut in palustribus, aut in siccis pascantur. Asseruantur & hi sale, vt domestici sues.

Nota.

Apri caro.

Vires.

CAPVT IV.

De Vitulo, tauro, & boue.

Boum differentia.
Vituli vires.

PRæcipua boum differentia quantum ad alimenti vsum attinet ex ætate desumitur. Quatuor enim ætatis gradus reperiuntur. Prima est vitulorum, secunda iuuencorum, tertia boum nouellorum, quarta vetulorum. Cæterùm non parum interest, lactens ne vitulus, sit, an non: lactens enim succi bonitate copia, atque carnosæ substantiæ teneritudine, alios qui iam herbas, vel alios pabulos degustarunt, longè præcellunt, suauiores etiam pretiosiores, & salubriores habentur, atque facilè inter grandiorum animalium carnes, siue elixetur, siue assetur, primatum tenet, celebratúrque vbique eius saporis suauitas, atque odoris fragrantia, probi, temperatíque est alimenti, ad aliqualem tamen declinat caliditatem, atque humiditatem: facilè concoquitur, & bonum generat sanguinem, ac bene nutrit. Elixa etiam optimum ius facit suaue, atque humanæ naturæ valdè accommodum: nutrit enim, aluum lenit, humores æquat, obstructiones aperit: immoderatum tamen eius vsum cauere oportet, quia aliquando ventriculum laxat: nec etiam recenter nata comedenda est vitulina, quoniam plurimum lentoris, ac acidi humoris obtinet: ideò duorum vel trium sit mensium ad minus, & pinguis, variis modis paratur: verùm si diligenter assetur, iucunda est, vt superiùs diximus, & plurimum nutrit. Iuuencorum autem caro durior, ac siccior est vitulina, eadémque bonitate inferior, laudabiliores sunt montani. Itali etiam Romanos extollunt, multi sunt nutrimenti, sed non admodum boni succi: facilioris tamen sunt concoctionis quàm boues. Adulti autem tauri sunt nouelli boues, nondum castrati, quorum caro concoctu difficilior est: verum si concoquatur, plurimum alimentum præstat, idque ad melancholicum tendens, & ideo ab omnibus ferè gentibus damnatum eorum vsum esse video, hancque esse causam reor, cur tam raro mactentur. Sunt tamen fœminæ quædam quas vulgari nomine *manzinas* Bononienses appellant, quæ meliores, ac salubriores sunt, si nondum marem admisere: fœturæ verò deterrimæ sunt. Boues autem quantò vetustiores, eò quoque par est vt in comparatione deteriores habeantur, frigidiores enim ac sicciores fiunt, & fœminæ multò magis ratione sexus. Difficillimè ergo concoquitur bubula caro, & crassum, turbidum, ac melancholicum succum generat, quod & affirmauit Galenus tertio de facultatibus Alimentorum, dum dixit: [Carnes quidem bouinæ, & ipsæ non paucum dant corpori alimentum, neque facilè euaporabile, sanguinem tamen generant crassiorem quàm conueniat. Et si quis naturâ fuerit melancholicus, ex vsu earum, facilè aliqua capietur melancholica passione.] Quamobrem vescentes ea largiùs, crebriúsque, si alicui melancholico affectu obnoxij fuerint, eò facilè tentabuntur, in quartanámque febrem, aut lepram, aut scabiem, aut cancrum, aut elephantiasim, vel melancholiam, aut splenis duritiem, vel cachesiam, siue malum corporis habitum, vel aquam inter cutem, & huiusmodi incident, maximè si otiosi fuerint: qui enim multo ac vehementi vtuntur exercitio, non tam facilè læduntur. Mediolanenses integros sale condiunt boues, quod & multis aliis in locis à magnis familiis in vsu habetur, ad annua famulorum cibaria: sed ij admodum non pinguescunt, quoniam dura est coctu caro illa, & nullam ferè gustui suauitatem refert, moram longam in ventriculo ducit, & difficilè concoquitur, & confecta pessimum succum præbet, longéque deteriorem, si morbosi fuerint boues, vitiata námque caro, vitiatos humores & spiritus generat, & aliquando pestilentiæ causam præbet. Vaccæ & ipsæ deterrimæ sunt,

Iuris vires.

Iuuenci carnis vis.
Tauri caro.

Bouis vires.

Cap. 1.

Nota.

sunt, vt ex verbis Rasis vigesimo tertio continentis colligitur: caro namque omninò insalubris est, nec minùs atræ bilis fœcunda, & crassi sanguinis quàm vetulorum boum. Et si quis bouinam carnem aliquando comedere voluerit, minùs mala est hyemis, aut autumni tempore, quo calor innatus robustior existit. Notandum etiam, quod illa, quæ de carne bouina diximus, eadem de bubalina, siue buffalina intelligi volumus: imò & illam et longè deteriora in ea pronunciamus, cùm tenacissimæ sit carnis, atque etiam deterioris succi, nec fermè nisi apud Hebræos in vsu habetur.

Vacca caro mala.

Bubalina praua.

CAPVT V.

De Agnina, veruecina, arietina, & ouilla.

Mvltos in re cibaria habet vsus ouillum pecus, nec solùm lanificio corporis tutela debetur, sed carni, lacti, & caseo. Agni autem carnem, & præcipuè lactantis, humidissimam esse, atque pituitosam ab omnibus censetur: imò quanto agni natiuitati propinquiores fuerint, tanto humidiorem, & magis lentam, ac mucosam habebunt, quod quotidiè experimur. Quapropter meliorem partem paulò prouectiores tempore assequentur in regionibus frigidis & humidis, nimirum anniculi, dummodò fœminas nondum inierint. At in regionibus calidioribus, ficcioribusque, multò ante id tempus commodè, ac salubriter vesci possunt. Pabula quoque herbarum odoratissimarum sapidiores, & solida, compactaque magis substantia reddunt. Ideò huiusmodi laudabiles sunt, & concoctu faciles, bonumque chimum generantes: minoris enim sunt humiditatis, ac superfluitatis, quod idem met affirmat Princeps secunda primi Doc. secunda. Sic inquit: [Caro annualis agni multi est nutrimenti, & spissi, & boni chimi: qui si etiam binis ouibus diutiùs alatur, nec herbarum pabula nouerit, suauior quidem, ac salubrior haud dubiè erit, & maximam habebit nobilitatem.] Veruecina autem caro est arietum, quibus exempti sunt testes, ab Italisque castrones appellantur, caro ad temperamentum tendens, & si aliquo modo frigida dici posset: frigescunt enim animalia omnia omnia cùm primùm testes amiserint, ex sententia Galeni, eò quia priuata sunt innati caloris origine, totumque corporis robur his collabitur, perinde ac si senes fuerint, coarctantur venæ, nec sanguis floridus existit, arteriæ quoque parum, ac imbecilliter, sicut senibus pulsant. Testes enim robur animalibus exhibent, atque totum corpus caliditate multa perfunpunt: quapropter quæ eis priuantur, nulla Venereorum libidine afficiuntur. Obesi autem, ac pingues vervcces euadunt, carnisque suauitatem non exiguam acquirunt, quæ satis tenuis, & boni est succi, & concoctu teneritudine substantiæ minimè contumax, nisi veteres, & antiqui fuerint, quorum carnes pessimæ sunt, tùm ad concoquendum, tùm ad nutriendum: crassum enim generant sanguinem. Iuuenes ergo & vnius anni, boni sunt, & ad sanitatem conuenientes, ad moderatam caliditatem, atque humiditatem declinantes, frequentissimè in vsu hominum veniunt, mensasque onerant. Etiam Turcarum natio his libentissimè vescitur, tùm assis, tùm elixis. Ius etiam eorum optimum est, quod vnà cum carne contra humorem melancholicum admodùm præstat, proceriores atque nostris vulgaribus ampliores, ac obesiores in Gallia, Belgica, multisque aliis in locis nascuntur. Arietum autem carnes tam iuuenum, quàm senum, mali sunt succi, concoctu difficiles, ac insuaues: fœdum enim odorem, ac virosum saporem referunt. Ideo ex vsu ciborum homines sustulerunt, & si nonnulli reperiantur, qui non sine delectatione eorum carnes atque hircorum etiam comedant, comestasque præter molestiam concoquant. Verum quam plurimi sunt, qui nec earum odorem ferre possunt, idcirco ab eis abstinere debent: quæ enim gustui ingrata sunt, fugere, atque abhorrere oportet, tanquam ea, quæ concoqui nequeunt. Ouilla quoque deterrima est, tum temperamenti vitio, & sexus, tum & partuum frequentia: mali enim sunt succi, & concoctu difficilis, mucoso etiam, lentoque ac viscido humore abundat, quo nihil deterius: sæpè tamen pauperes comedunt, eisque non infimam ob consuetudinem, gratiam habent. Iuuenes ergo si fuerint minùs malæ, nec adeò excrementosæ experiuntur: senes verò adeò durioris sunt carnis, & illaudati in totum succi, vt ex malitia nutrimenti febribus vescentes præparant. Interdum etiam ex corruptela concitatur aluus ad intestinorum vsque difficultatem. Quamobrem illud in commune de vniuersis animantium partibus meminisse conuenit, duras, siccasque euadere, ac concoctioni rebelles, ætate confectorum, humidas contra, ac molles, eoque concoctibiles magis iuniorum, nisi ab edito statim partu edantur: atque muccosæ omnes sint, præsertim animalium, quæ carne humidiore natura prædita sunt, cuiusinodi caro agnorum est, ac porcellorum.

Ouilli pecudis vsus quot.
Agni vires.

Cap. 15.

Veruecina vires.
Frigescunt animalia per testium extractionem.
Nota.

Iuris vires.

Arietum caro mala.

Ouilla caro.

Documentum.

CAPVT VI.

De Hœdina, caprilla, & hircina.

Et si Arabes de hœdina carne malè scribentes, senserint eam naturæ frigidioris esse: nos tamen in libris Contradicentium, eorum opinionem confutauimus, atque euidenter demonstrauimus, eam in actiuis qualitatibus temperatam esse, imò potiùs ad aliqualem declinare: in passiuis verò etsi siccitate natura prædita sit, ætatis tamen humiditate contemperari, cùm lactantes à primo mense ad secundum vsque comedi soleant, quo tempore tenelli sunt, atque humiditate referti. Ideo inter cæteras quadrupedum carnes hœdina semper, salubritate primatum obtinuit. Galenus etiam dixit quod sola hœdina innoxiè vti licet, quicquid dicant graues

Antiquorum error.
Hœdina vires.

illi viri, innuentes capras nunquam sine febre adinueniri, & per consequens fœtus à morbida parente vitiatum temperamentum contrahere, nec vllam adducunt rationem: constant sanè capras pinguiores fieri, ineunte ac etiam media æstate, quo tempore arborum surculos comedunt. Otio ergo deditis, nec vllo modo laborantibus conuenientissima est caro hœdina, non tam verò illis qui grauiter se exercent, moderatum enim alimentum præbent, quod facilè in illis dissipatur, atque euanescit. Sed studiosi nec se exercentes optimum atque conueniens nutrimentum accipiunt, ex ea, quæ tum elixa pariter, atque assata mandi potest, toto vere ex succo malorum arantiorum: facillimè enim concoquitur, & bonum ac mediocrem inter crassum, & tenuem generat sanguinem.

Nota. Sunt autem qui diutiùs lactantes à quarto mense vsque ad septimum lactando protrahunt, nullo prorsus herbarum pastu, quorum caro duritie non caret, & nescio quid saporis virosi, atque graueolentis acquirit. Romæ etiam passim recenter nati duorum vel trium dierum venundantur, quos pro habendis pelliculis occidunt, qui tamen mali sunt succi, quia muccosi, ac nimis humidi.

Caprina vires. Caprina autem caro calida & sicca est, & præter prauum, quem generat succum, etiam acrimoniam habet, atque adeò concoctu difficilis est, vt vix confici possit: flatus, & eructuationes excitat si non concoquatur, & choleram morbum parit.

Sec.100. Estque vt Hippocrates testatur quarto de victu in Acutis, longè bouina deterior. Princeps quoque & ipse affirmat secundo canone, caprinam carnem siccam, atque concoctu valdè difficilem esse.

Castrati caro laudabilior. Nihilominus, si castrati animalis, atque iuuenis fuerit, laudabilior fiet. Castrati enim caro, acumen deponit, & virosum ac graueolentem illum saporem remittit, pinguescit animal, & caro, humidior, ac gustui gratior euadit, quæ cùm non adeò sit concoctu difficilis, laudabiliorem generat sanguinem, licet

Nota. in vniuersum succi prauitate haud carere possit: imò qui comitiali morbo proni sunt, illam prorsus effugere debent, inter enim cætera animalia, sæpè eo affectu corripiuntur, vt earum custodes affirmant, qui & eandemmet affectionem facillimè subeunt, atque quamplurimi illa concomitante pereunt.

Hircina vires. Hircina quoque, tùm ad concoquendum, tùm ad bonum generandum sanguinem deterrima est? fœdissima enim inter omnia animalia est, atque in cibis damnata, licet non desint nationes castratos hircos comedentes, nec gustui ingratos esse asserentes. Calida nimis & sicca est, nec non & flatuosa quæ si antiquioris fuerit hirci, longè etiam erit deterrima, cùm sanguine melancholicum pariat.

Caprearum ferarum vis. Est & aliud caprearum ferarum genus, nec à nostris absimile: hæ quidem tantummodò montium incolæ sunt, nec vnquam in plana descendunt, imò præaltis sæpè rupibus insident, quarum caro durior, magisque siccescens est, quæ & atrum (vt cætera syluestria) succum generat, & concoctu

Dama. difficilem, atque saporis, odoris graueolentiam quandan refert. Damæ autem non eiusdem sunt speciei, ac naturæ, quia earum caro pinguis est, saporemque veruecis gratum habet, vt referunt qui eam comederunt, sed & ipsa, nec effugere potuit, quin crassiorem, ac melancholicum generaret sanguinem, cum syluestris sit.

CAPVT VII.

De Capreolo, ceruo, lepore, ac cuniculo.

Capreoli vires. INter cæteras syluestrium carnes, maximè capreoli approbata est: ex veloci enim & assiduo motu à superfluis humiditatibus exoneratur, teneriorque, & concoctu facilior efficitur, nec illam saporis, odorisque graueolentiam habet, quoniam ex motu attenuatur sanguis, rarescit corpus, aperiuntur meatus, & humores, qui sunt causa prauitatis odoris, resoluuntur. Optimè nutrit, & actiuis qualitatibus temperata censetur: in passiuis verò ad succum declinat. Eligatur iuuenis, quia vno propè scribentium consensu syluestribus omnibus vt diximus prælata est, saporis, alimentique bonitate, constitutionis tenuitate, concoctionis facilitate, excrementorum paucitate, licet nec prorsus nulla generandi atrabiliarij humoris culpa carere potuerit, cùm ad siccitatem inclinet: ob id

Mala. antiqua mala est, qui tota in melancholicum sanguinem conuertitur. Temperatur verò

Nota. siccitas, si solo oleo incoquatur, aut alij id genus humentioribus. Caro tùm elixa, tum assa etiam salubrior existit, & Romæ præcipuè nobiliorum mensas ornat, persæpe variis modis parata, ac condita, sed inassata potiùs, quàm elixa, & panificio incrustata.

Cerui vires. Ceruus autem diutissimè viuit, cuius caro cùm dura, ac sicca sit, ob id asininæ proxima, eoque ab hominum vsu abdicanda censetur, concoctu enim difficilis est, atque melancholica, & vescentium corpora ad acutas febres, aliasque prauas affectiones præparat. Rarò ergo degustare oportet, fitque iuuenis cerui, qui nondum iustam sui temperamenti siccitatem acceperit, quia tunc adminiculo teneriori s, humidiorisque ætatis, minùs mali succi, palatoque acceptior erit: consistente verò ætate, crescente semper siccitate, & duritie carnis, deterior euadit, & quartanas, nec non & alias atrabiliarias passiones procreat. Tempore quoque libidinis caro fœtet, perinde atque hircorum, & pessima est.

Nota. Nec boni sunt succi nondum nati, sed de ventre matris euulsi, quos potentes Principes maximis in delitiis habere solent, mucoris enim pleni sunt, & succi crudioris: sæpè eosdem etiam degustasse vidi cornua mollia nuper exorta, lanugine quadam obducta, & nondum siccata, atque tanta est nostri temporis gulæ libido, quod in vsum mensarum vertterunt, in quibus tamen nullus est sapor, nullaque salubritas, imò glutinosa, crassa, & terrestria sunt.

Os cordis. In ceruorum etiam corde ossicula quædam reperiri solent, quæ multis morbis opem salutarem adferunt, & maximè venenis aduersantur, vt & cornua, & præcipuè si à mense Augusti per totum vsque Septembrem

tembrem fuerint detruncata, quo tempore maximè vigent, suasque vires in summo tenent. Adhuc quoque magna est de léporis temperamento controuersia, cùm alij carnem leporinam calidam esse affirment, vt Arabes ferè omnes, alij verò frigidam & siccam. Nos tamen vt disputationes effugiamus, illam frigidam & siccam esse censemus, quod idem sensisse videtur Galenus, qui in libro de Attenuante victus ratione dixit, eam sanguinem vehementer crassum gignere, bubulla tamen, & ouilla meliorem. Præterea cùm sit caro dura, ad gignendam atram bilem idonea atque animalis timidissimi, quæ omnia sunt signa frigidi atque sicci temperamenti, minùs tamen iuuenculorum, quos lepusculos vocamus, & illos non tam nocuos esse experimur, gustui etiam iucundiores sunt, imò bimestres & trimestres longè octimestribus, & anniculis preciosiores, & suauiores existunt, léporibus tota Italia scatet, ipsorumque venatio nobilissimis ferè omnibus iuuenibus peculiaris est, & capiuntur omni fermè tempore, vnde nisi fœcundi admodum essent, genus equidem iam desiisset. Variis modis conditur léporum caro, & vt plurimum ex aqua & vino elixatur, postea in assatu, vel panificio incrustatur, & sic multos perdurat dies, & præcipuè hyberno tempore. Inter autem cætera animalia syluestria, crassiorem quidem generat sanguinem, & difficilè concoquitur, ac aluum stringit, vigilias inducit, necnon & somnia varia, ac tumultuosa; eius quoque sanguis varios habet in re medica vsus. Ferunt alpium incolæ lépores hyberno frigore exalbescere, ac totos candidos fieri, atque hoc niuis pabulo fieri aiunt, nescio qua ratione ducti, cùm nix nullum aut exiguum præbeat alimentum. Adde, quod in præaltis etiam niuibus, nunquam deest aliquid, quod degustare, aut delibrare possint, quod immenso potiùs frigore, quo calor innatus retrahitur fieri existimandum, nam parum nutrimenti extimæ partes sentiunt, idque pituitosius, ex quo pilorum candor oriri solet, quo tempore caro minùs suauis est, quia frigore indurata, atque humore expressa. Cuniculus quoque lépori valdè simillimum est animal facie atq; forma, magnitudine verò inferiùs, ac colore diuerso: versicolores enim sæpè spectantur cuniculi, & aliquando toti candidi, aut nigri, aut cæsij, atque huiusmodi, suntque carne albidiores, nec tam sicca, quàm léporina: & ideò meliùs nutrit, & faciliùs concoquit, sed & ipsa humorem melancholicum parit. In cæteris, quæ de léporum bonitate, ac vitio diximus, eadem de cuniculis pronunciamus, cùm parùm à natura eorum absint. Iuuenes enim & tenelli meliores sunt, reliqui verò vetustiores abdicandi, cùm nulla nec saporis iucunditas, nec salubritas eis insit, & carne prædura sint præditi. Inassantur omnes, & raro apud nos elixantur.

Léporis vires. — *Cap. 8.* — *Nota.* — *Nota.* — *Cuniculi vires.*

CAPVT VIII.

De Erinaceis, histrice, sciuris, atque gliribus.

MVlta erinaceorum, siue ericiorum habentur, teste Aristotele: sed hîc de terrestribus tantùm agimus, qui & si aliàs solummodò in arte medica locum habuerint: nunc verò adeò gulæ intenti sumus, vt etiam in ciborum vsum traduxerimus, quamvis exiguum admodum carnis in se contineant, quam ad sanitatem non laudamus, sed quia maximam habet digerendi atque exsiccandi facultatem. Idcirco Galenus dixit eam siccatam, & in polinem redactam, potuique exhibitam, elephanto obnoxiis, & iis qui mali sunt habitus, tum conuulsionem sæpè patientibus, & nephriticis, atque iis, qui aqua inter cutem laborant, quam anasarcam appellant, conferre. Histrix quoque animal est ericio valdè simile, quod nostrates porcum spinosum vocant, in India, Africa, atque Italia etiam oritur, & aliqui in cibatu assumunt, alimentum tamen improbum parit, vixque concoquitur, nec saporem gratum habet. Sciuri autem frequentes sunt Sabi syluæ, ac nemora abundant, & montanæ gentes eos venantur, nec sine voluptate, quoniam cursu, recursuque ex vna arbore in aliam transiliunt, & colore albo, & nigro distinguuntur, à nonnullis comeduntur cùm præpingues fuerint, alimentum tamen exiguum, aridum, & atrabiliarium exhibent, & cùm mansuescunt in deliciis maximis habentur. Glires verò animalia sunt muribus valdè similia, quæ ferunt maiori anni tempore dormire, atque somno mirum in modum pinguescere hyemis tempore. Æstate verò glandes, nuces iuglandes, atque castaneas comedunt, & præpingues meliores sunt. Atque in epulis Romanorum non exiguam habuerunt gratiam, quia gustui satis iucundi sunt. Assati quidem, aut in sartagine frixi siccius corpori dant alimentum, in patinis verò conditi humidius, & paralyticis vtilissimi censentur.

Ericiorum vires. — *Histricis vires.* — *Sciurorum vires.* — *Glirium vires.*

CAPVT IX.

De Reliquis id genus animalibus ab vsu ciborum damnatis.

IAm hûcusque de animalium carnibus, quæ continuo apud omnes in vsu esse solent, egimus: nunc reliquum esset de cæteris sermonem habere, quæ nullo apud nos in ciborum vsu existunt, & si quandoque ab aliquibus assuetis, aut meliorum inopia degustentur, quæ tamen cùm potissimum naturæ nostræ sint obnoxia, atque tanquam de directo opposita. Idcirco ea prætermittere decreuimus, veluti & ab aliis incremento prætermissa, atque reprobata fuerint. Quid enim de vrsi, ac vulpecularum carnibus pro vsu humano

humano dicere possumus? quibus etsi Alpini quidam populi vescantur, iniquum tamen, atque atrabiliarium succum creant, nec desunt etiam qui asinorum domesticorum, & syluestrium carnes mandunt, quæ pessimi sunt succi, concoctu difficillimæ, atque ventriculum lædunt. Prætereà egendo omninò sunt insuaues, quemadmodum equorum, camelorum, leonum, pardalium siue pantherarum, earum præpinguium maximè, atque aliorum huiusmodi carnes, quæ valdè ventriculi substantiæ aduersantur, ac concoctu contumacissimæ sunt quia in natura sua, sunt duræ, siccæ viscidæ, lentæ multarumque superfluitatum, & abominabilis saporis, imò humanæ naturali temperiei contrariæ, quæ nec sanguinem purum, mundum, aut clarum generant, sed aliæ in phlegma, aliæ in bilem, aliæ in atrum humorem addunt. Quapropter non nisi bonum est huiusmodi dimittere, non talia cibaria, quæ prauum generant alimentum, aut humorem crudum in ventriculo, aut bilem, aut serosum humorem, aut humorem nigrum, aut humorem putridum, aut in flatum conuertuntur, & permeant ad iecur, & implent venas, & vasa similibus, & quandoque generant bonum chylum, & postmodum per iecoris vitium, in vnum, aut plura ex his transeunt, & hoc est deterius, præsertim quia non facilè dignoscitur, & difficilius occurritur. Læditur autem ventriculi coctio, si non vacuus sit, & maximè si redundet alio, quàm simplici mediocri pituita, à vigilia, à motu post cibum, à qualitate, vel quantitate assumptorum, à fæcum retentione, à vitiis aliorum membrorum, præsertim iecoris, & cordis. Hæc igitur de his neglectis sufficiunt, nec vlterius sermonem protrahamus, quoniam non nisi legentium fastidio, aut temporis iactura procedere posset. Sat itaque erit vnius exemplo diligenter, & ad amussim assumpto, cuncta prosequi, quæ de eo non solùm dici possunt, sed etiam excogitari, & sic eadem norma, omnia alia illius generis assequemur, & non vt nobis placeamus, atque fingamus, quæ placere volumus, (vt plurimum enim contingit sordida quotidie damnare & detestari, illis tamen magis oblectari) sed vt recta ratione viuamus.

Nota.

Iecoris vitiũ deterrimum.

CAPVT X.

De Cochleis, atque testudinibus.

Cochlearum descriptio.

MOre solito de cochleis seu limacibus, quæ diuersis inter hæc generibus (quamuis plures testaceas esse affirment) collocantur, sermonem instituti hoc animal quatuor habet cornuum mollia, duo maiora satis, reliqua exigua: omnia quæ exerit, ac contrahit suo arbitrio, Bruerius adeò oscitanter historiam eorum tractat, vt solùm duo cornua dicat habere (quod & Plinius) quasi nunquam viderit animal omnibus regionibus familiare. Vnde fit vt testimonio illius non ausim fidere. Et maximè quod plures quasi earum historiam attigerint quàm vellim. Cutem habet præduram, cristatam, orbiculatam, & in acutum desinentem, ideo etiam turbinatæ appellantur quoniam in anfractum intorquentur à dextra in sinistram partem, inflectitur si caput in sublimi colloces, & ex dorso ad caudam lustres, caput exiguum valdè, sed collum amplissimum iuxta os, quod vix videtur cornicula exigua, supra in capite tamen maiora. Et in tam paruo ore denticuli, quos cernere vix licet. Ex plantis maximè asphodelum insectatur, qui & contra venena valet. Abdunt se hærentes lapidibus, & arboribus, atque etiam herbis, & sub terra apparent vt vidi, & Plinius etiam testatur: à magnis imbribus, & corrupto aëre prodeunt: si genitæ statim, quomodo tam grandes? si exerunt se vbi latuerunt? Capita & effigiem equorum, alij boum referre putant. Sunt genera præcipua quatuor, contestæ, quæ sub terra latent: sine testa, quæ lapidem in capite candidum ferunt, & verè limaces sine terrorio, marinæque. Est in illis intestinum, quod ab ore per vtranque partem tendit ad ventrem, antea papauere genito: post quasi nudum, & exile ad anum fertur, (vt inquit Aristoteles) vbi etiam docet idem inesse fermè testaceis omnibus, velut purpuris, & ostreis, sed non eodem modo, & dentes cochlearum esse tenues, ac duros. In parte autem media est lucidum, ac quasi perspicuum, quod vice iecoris fungitur. Quæ paruæ, & quasi albæ, & contectæ sunt, sæpè vomitum prouocare solent. Sunt Africanæ solitanæ vocatæ (cum aliæ eiusdem regionis mediocres sint) quarum testæ capiunt aliquando libras xx. humoris. Sunt ergo hæ (vt Scribonius refert) præcipuè ventriculi doloribus sedandis amicitiæ munere vtiles valde: quamvis omne illarum genus ei morbo conferant, vt expertus sum, ac magis salubres, quàm hieræ Galeni species. Velut & iecori caro earum saluberrima: substantiæ similitudine, seu proprietate, vt Galenus testatur. Aqua verò quæ ex eis destillatur duplici vase pulmoni. Nil illis vtilius lauri foliis, & paucis, & vt vase mundo, & in dies aqua lustrato emolliantur, purgentur, atque pinguescant etiam magis. Ius tamen illarum melius est quàm caro, quæ prædura est: nec illa trina coctio admodum conducere videntur, cùm sint insipidæ, & nihilominùs duræ, & minùs nutriant: cum ignea enim parte etiam ocrea obducitur, coquuntur cum lauri foliis, despumatur, additur salis purum, oleo satis ad diuturnam coctionem. Ius earum sic præparatum si non ingratum sit, aperit obstructiones iecoris, & pulmonis, ac ipsum lenit: impinguat iecur, & ventriculum roborat, & dolorem eius aufert: tollit lienem etiam, non tamen in hoc multum præstat, nisi quantum ex lauro habetur: arenas & lapillos vtraque causa comminuit, & educit, tabidis vtile est. Et partes quæ teneræ sunt, scilicet papauer, & quod ad in visceribus ab inedia, & dicta purgatione continetur. Similiter & corneæ partes, maximè inferior, quæ mollior est, & minor conducunt illis, & boni censentur alimenti. Tunicæ cutis tota, & quicquid sub dentibus crepat esui ineptæ sunt.

Asphodelus contra venenum.

Cochlearum quatuor genera.

4. de Partibus animal. cap. 5. pag. 2.

Nota.

Cochlea ventriculi doloribus vtiles & iecori.

8. de Med. secundum locos.

Stillatitia facultas.

Iuris vires.

sunt. Quæ pane & sapa impinguatæ sunt, meliores habentur: sunt autem cochleæ Africanæ etiam minores aliæ, nam sunt fœcundæ, vt inquit Plinius: sicut Reatino agro albæ. Illyricas magnitudine præfert, sicut solitanas nobilitate. Sunt autem solitanæ etiam ex Africa, dicente Varrone, à quo accepit Plinius (quanquam ex Africa quæ vocantur solitanæ) eas vult esse adeò capaces. Sed iam propius eò accedamus, & quæ ad propositum maximè sunt necessaria, doceamus. Cochleæ igitur paucum, & crassum exhibent alimentum, ideò generant sanguinem etiam atrum: & vt breuiter dicam melancholicum, ideoque etiam obstructiones pariunt. Omnia crassa, & lenta, & quæ multum nutriunt, obstructiones parere consueuerunt, quo circa senibus incommoda. Manifestum est etiam quod omnia, quæ dura sunt, aut crassa, ægrè conficiuntur, ideoque serò etiam: multiplici ergo ratione senibus obsunt. Octauo tamen de compositione Pharmacorum connumerat eas inter illa, quæ vires reficere solent, cum ouis sorbilibus & bulbis. Rursus easdem connumerat ibidem vt stomacho salubres, cum bulbis dicit, quia excrementum humidum ventriculi siccant. Paulò inferiùs, vt valdè vtiles iecori, & proprias illi laudat. Siccant igitur valdè humidum superfluum, & astringunt, solidumque exhibent alimentum: ob hæc omnia ventriculo sunt vtilissimæ. Prohibent enim quicquam inutile illi influi. Et si timeatur ex eis obstructio modicè siccata, & minimè salita, iubet Galenus edere senes. Declarauimus enim sæpè salem nil aliud esse, quàm quod igneum est in mixtis omnibus, oleum autem aërem: sed omne ius cochleæ præcipuè Africanæ aluum mouet, & marinæ etiam magis. Quid mirum cùm eas exhibeat Galenus etiam, cùm ita nono de Compositione secundùm locos. At dices grauis est ad concoquendum, nil minùs si omnes tunicas exceperis. Abstine ergo ab illis ab externa parte, in qua caput, & collum à nigro illo fœculento, à cornea parte, quæ dura est, non quæ mollior, seu ex iuuenta animalis, seu ex cibo, quo depasta est, seu quia in imo ventris ea optima est, & papauer cum fuerit expurgatione factum flaui coloris, hæc omnia cùm mollia sint, celeriter, & facilè concoquuntur: conuertuntur enim haud dubiè facilè, & celeriter concoqui, sed & contenta in visceribus omnia cùm flauescunt. Idem enim est flauum in cochlea, quod in hœdis, vitulis, & piscibus album, & exquisitè candidum in iuuenculis, papauer, & corneum, & illud quod à læua est instar farciminis etiam candidissima sunt. Videtur autem intestinum regredi ab imo ad partem superiorem, quòd natura nullum in cauda habeat exitum. At omnis pinguedo in puro animali, & circa collum extra, & vbique intus candida est, & suauis. Cùm ergo quicquid in cochleis continetur præter membranas molle sit, & coctum in ventre animalis, verisimile est quod sint concoctu facillima. Quod enim in visceribus concretum est, formam, & naturam sanguinis habet. Cæterùm accipiemus limaces (dicuntur autem à limo, quod ex eo generentur, & alantur) ex cultis locis, contectas, aut pingues, & iuuenculas, quod dignoscitur, quoniam non possunt facilè à sua concha eximi: repurgabimus cum lauro per tres dies adiecto salis modico, & lacte, aut sapa, inde diligenter ablutos, cum aliis lauri ramis coquemus despumando, donec molles videantur, exutis à domibus præcidemus, quod solet ex arca prominere, & eis per medium diuisis abiiciemus intestinum totum reuolutum à capite ad locum caudæ supremum, & totum diligenter lauabimus: post ex residuo faciemus partes quatuor, membranaceam, candidam, corneam, & flauam, cutem totam abiiciemus. Flaua à cornea differt, quod splendida non est, corneam edemus diligenter attritam dentibus, aut pistillo, concreto sanguini similem, frixam in sartagine. Membraneam subigemus pistillo, inde addemus passum crocum, adipem, at oleum, petroselinum, aut cæpas, & cum alba parte benè contrita efficiemus offas, quas coctas edemus, nec mireris diligentiam, aut refugias laborem. Est enim illius conditio veluti tritici: Galenus ter illas coqui iubet, vt teneriores euadant, licet pleræque ex his sint, quæ quantò diutiùs coquuntur, eò duriores fiant. In vniuersum autem pamphaga hæc velut Gallinæ, astaci, cochleæque cautè comedenda sunt. Nec periculo vacant, quæ vnum habent ventriculum, velut pisces omnes, quorum ventrem qui edat non solùm suilli moris est, & immundus: sed graue periculum subit: periêre quidam piscium intestinis deuoratis, audio etiam comesta limace: ea enim hæret fœdis, & corruptis rebus, tum etiam veneno præditis plantis, vt non mirum sit, si diecula extinctus sit. Quàm stultum est tanto periculo se exponere, hærent fungis, serpentibus, tabescentibus, napello. Periclitaremur etiam à gallinis, sed illas defendit ingluuies, vbi venenum retunditur, & mors animalis ipsius: propterea spontè mortua edere prohibuit Moses. Vbi ergo limacem edere cogimur, alatur in olla quindecim saltem diebus, & sæpiùs locus mutetur, ac mundetur, aut foliis lauri virentibus purgetur, aut ex his sint, quæ adhuc in cortice latent: in omnibus autem quæ non ex certo genere alimenti viuunt, venter, ventriculusque abiiciantur, velut etiam testudinibus lutosis, ac astasis, & piscibus: nam quadrupedum viscera antequam edantur, expurgari solent. Testudinum autem tria sunt genera, palustres, marinæ, & terrestres. Palustres deteriores sunt terrestribus, quòd in cœno latitent, eoque & limosa vligine alantur: terrestres Africanæ maximæ, & aduersus lepras, elephantiasim, sanguinisque corruptionem, commodissimus vsus: omnibus commune est difficulter concoqui crassum, & non multum præbere alimentum, & multum ouorum, multumque iecoris habere, cætera parùm ad conceptum naturæ similitudine aduersus abortum: his quibus infantes, vbi statim nati fuerint pereunt, vtiles sunt. Crura etiam & partes interiores marenarum, quæ maximæ sunt, suauem habent carnem, & bonum præbent alimentum, hecticis quoque conferunt, sed terrestres cæteris sunt vtiliores, caro earum candida est, & pulli

Lib. 9. cap. 56. Lib. 3. cap. 14. — *Cochlearum vires.* — *Lib. de atra bile, c. 4. in princ. & de Tuenda sanitate cap. 6.* — *Cap. 4.* — *Cap. 8.* — *Cap. 4.*

Limaces vnde dictæ. — *Meliores.* — *Praparandi modus.* — *Pamphaga cautè comedenda.* — *Nota.* — *Vt tutò limacem edas.* — *Testudinum tria genera. Vires.*

pulli carni simillima parùm inter carnes nutriunt, plus tamen piscibus diu viuere creduntur. Ius earum optimum est, & bene nutrit, & sanguinem contra venena præclarè auxiliari omnes vno ore prædicant.

CAPVT XI.

De Lacte.

Lactis laudes. POstquam de Quadrupedum carnibus quæ mortalium cibos adiuuant, pertractauimus: consequens est, vt de his disseramus, quæ præter carnes, alimenta quoque adaugent, & primùm de lacte, cuius memoria cùm mecum reuoluo, nihil non posse hac in arte mihi video: nam quid lacte antiquius? sine quo nullus ad iuuentam peruenire potest, neque ab infantia ali: nam & si barbarorum filij polenta ex aqua & farina, vt superiùs diximus, nutriantur, non tamen ante quadragesimum diem, paucis ante trimestre spacium. Quid dulcius, quid iucundius, quid notius, quid vtilius, cùm vnum hoc sit quod stat loco cibi, ac potus? Vnde laudatur pietas filiæ, quæ senem patrem in carceribus ad mortem ex inædia damnatum, lactauit. Et tamen in hoc antiqui adeò negligentes fuerunt, vt ex sex partibus, duas tantum agnouerint, caseum & serum. Nam quod Hippocrates in quarto de Morbis butyri meminerit, & extrahere docuerit: non est ideò existimandum butyrum Hippocrati notum fuisse, quod neque Aristoteli notum fuerit? sed ex hoc deprehenditur authorem quarti de Morbis non solum Hippocratem magnum non fuisse, sed neque filij, vel generi, aut nepotis alterius: quandoquidem hi omnes ante Aristotelis ætatem mortui essent. Aristoteles autem nihil ignorauit eorum, quæ sua ætate nota fuerunt. Demiror postmodum Galenum, cuius cum ætate butyrum notum esset, tamen neque eius naturam in alendo docuit, & Dioscoridi refragatur, dicenti ex ouibus, & capris haberi quod & experimento cognitum est, vt etiam Bruyerinus affirmat, cuius est hoc inuentum, dicens, tantùm ex bouino lacte butyrum excipi. In quo non potest excusari quod paucum intelligat: nam nec hoc Dioscorides prætermisit, quin & vsum eius in cibis qualemcunque à Dioscoride traditum volens, ac sciens prætermittit. Sed neque quenquam inueni, qui omnes illius partes perfectè intellexerit, multò minùs, vt quale præberet alimentum, eadem edocuerit. Idem tamen Bruyerinus propiùs accessit. Ergo in lacte partes simplicis sunt sex, compositæ autem seu à natura alienæ quatuor, vt in vniuersum sint decem: lactis quidem vires aliæ sunt, aliæ pro diuersorum animalium natura: at de ascititiis sermo non erit, vtpote, quod obscurum non sit, optimum esse recens à partu inueteratum pessimum sanè animalis ac iuuenis, quod neque fame laborauerit, neque cibis prauis nutritum sit, nec labore fatigatum, nec timore oppressum, non macilentum, sed lac omne animalis herbas comedentis in regionibus nostris vtile est, dico vaccæ, capræ, ouis, asinæ, equæ, capreoli autem ac cerui, & cuniculi, & leporis paucum: sed omne vtile non ita carnis, aut lupi, quanquam fabulentur Romulum & Remum à lupa educatos: deteriùs est leoninum. Camelinum suprema medicina Ascitis, & in vsu frequenti Afris: de Elephantino nil comperti habeo, forsan crassius est, quàm vt homini conueniat: sex igitur generum est, humanoque addito septem. Conueniunt omnia genera lactis, quod bene nutriunt, aluum leniunt, sitim sedant, venenis aduersantur, nullum aliud genus cibi misceri sibi vtiliter patiuntur, minore iactura panis coctus, & etiam qualis edi solet, & aqua ei sociantur: cætera omnia non sine periculo, sed omnium maximè vinum, & quando potentius, & pisces, & horei fructus, & legumina.

Quartum de morbis non esse Hippocratis.

Notatur Galenus.

Lactis partes.

Lac ex quo animali.

CAPVT XII.

De Lactis partibus simplicibus.

PRima vocatur spuma lactis, in frequenti vsu Mediolani, Galeno Romæ cognita libro de cibis boni & mali succi, Aphrogalam Græco more vocat, fit agitatione lactis perpetua, & vt etiam butyrum, sed spuma paulatim, & perpetuò demitur, quæ cùm pinguem, ac lentam secum materiam habeat, butyri nempe, durat per totam diem. Hæc pars leuis admodum coctionis est, suauissima, boni alimenti, sed pauci, ac minimè solidi, perperàm editur post cibum: sed ante tamen quod pinguis sit, deiicit appetentiam, non obstruit, neque lapides gignit quod tenuissima. Qui saccharum addunt, meliùs non solùm suauius efficiunt. Alimentum hoc cum pane solo innoxium est, nec vino mistum adeò perturbat hominem, vt lac ipsum, secunda pars est aqua, neque enim dubium est, quin sit simplex, cùm post omnia relinquatur, vel ab initio ab omnibus separetur, sicut & de ea parte quæ recocta dicitur: quam constat remanere post caseum, vt dubium non sit, quin hæ tres partes simplices singulæ non sint. Sed iam de aqua lactis dicamus, quæ alimentum non dici potest, sed aut cum alimento mista, aut potus, aut medicamentum: igitur vt cum alimento mista, id est, lacti proprio, efficit vt extinguat sitim, cùm nulla alia pars huiusmodi sit in lacte, imò reliquæ potiùs aut augent aut excitant. Lac ergo cùm sitim sedet, maximè, vt inquit Auenzoar, & melius quàm aqua, longè autem magis quàm vinum, & id ob aquam quæ in eo est, dubium non est quin aqua plurimum sitim non extinguat. Sed & ipsum lac penetrare facit, minuitque pinguedinis fastidium, & temperat illius caliditatem, cùm sit frigida, & humida: & quia serosum aliquid habet, aluum deiicit, quo fit vt totum ipsum lac inter ea numeretur, quæ aluum deiiciunt, cùm singulæ illius partes aliæ potiùs astringat,

Cap. 13. Lactis spuma. Vires.

Aqua lactis.

Vires.

Lac aluum deiicit.

gant, quàm leniant, aut moueant aluum: seorsum igitur aqua lactis hæc omnia abundè potest, scilicet sitim extinguere, penetrare in venas, quod Arabes appellant aperire, refrigerare, humectare, detergere, atque aluum mouere. Antiqui ad hoc vncias circiter quadraginta, id est, qui quinque heminas teste Dioscoride exhibebant. Verum plurimum refert quibus modis detrahatur: Et licet in omnes partes modus ipse separandi aquam emanet, manifestiùs tamen afficitur ipsa aqua. Et separatur quidem lac calefactum, si vas ipsum in aquam frigidam immittatur: nam ob frigiditatem coguntur partes crassiores, vt necessarium sit tenuiores separari, hæc aqua omnium quæ à lacte detrahuntur, purissima est, minus aëris, sed frigida, humida, insipida, ac subdulcis, sedans sitim, aluum mouet. Proxima huic est, cum lacti eo modò calefacto dum refrigeratur oxymel iniicitur: hæc frigidior est, & magis permeat venas, magisque sedat sitim, at aluum pariter mouet, & in reliquis similis priori: sed si loco oxymelis addas mulsum ex vino, scilicet ac melle, minùs erit frigida, minusque humida, magis deterget, aperiet venas, aluum mouebit, & iucundior. Sed si coagulo separata fuerit, erit acris, mordax, magis aperiet venas, magis aluum subducet, medicamentique instar erit, non sedabit sitim, deterget, calidæ & siccæ facultatis videbitur ventriculo minus amica, nisi fuerit frigidior. Quæ gallio cogitur, media natura est inter eam, quæ solo frigore, & coagulo subducta est: confertque membris munitionis, quoniam gallium ipsum iucundi est odoris. Quæ verò pressura vocatur, & ipsa lac coagulat, minùs efficaci aqua, quæ cogitur flore cardui, & ipsa parum distat à temperamento, ac omnium efficacissima & acris, quæ lacte ficus, aut caprifici, valenter enim purgat. In vniuersum multa sunt quæ aquam ex lacte eliciunt, vel quoniam cogunt, vt frigida, vel quia separant, vt acracia, & oxymel, quibus omnibus calor auxiliatur. Itaque & gingibere quidam lac coagularunt: alij etiam superstitiosiùs piscium intestinis quibusdam vt lucij, sed si in aqua illa quæ aliter separata sit, igniti lapides, aut candens chalibs immersus sæpiùs fuerit, post purgationem astringentis ac membris robur addet, siccabitque magis, ac magis refrigerabit: ob id dysentericis fluxionibus non parum confert, maximè qui cum febre fuerint: sed & minus acris reddit absumpta ignea tenuiore, & calidiore parte. Succedit huic recocta, quam constat esse terream partem, ac minimè pinguem, postquam subducto caseo diligenter, & exquisitè relinquitur. Alimentum eius frigidum, & tenax, ad lapides procreandos paratum, obstructiones parit, & flatuosam melancholiam: nihilominùs à cœna sumpta somnum facit, & putredini minimè obnoxia est, omnes sistit fluxiones, aluum, vrinas, sudoresque cohibet, extinguit sitim, cum oxymelite innoxia est, modo ventriculus frigidus non sit: at frigido ventriculo noxia est, cerebro, & neruis, atque oculis, sed magis etiam dentibus, dysenteriis vtilis duplici vsu. Caseus quarta pars est simplex lactis, nam & post butyrum, & ante recoctam extrahitur, & in lacte asinino. Et in asinino plus casei, quàm butyri, quod penè nullum est, in ouillo autem etsi butyri, atque caprillo sit non parum, vt Dioscorides, & Bruyerus rectè affirmant, plus tamen satis in eis, vt experimentum etiam docet casei, quàm butyri: & minus butyri, quàm in vaccino. Temperamenti est humidi qui recens est, ac frigidi in secundi initio si salitus non sit, aluum sistit, ventriculo vtilis non parum, & corpus impinguat, & difficulter concoquitur. Est enim edulium robustum, vt ait Hippocrates: crassum humorem ob id gignit, meliorque est calidam habentibus naturam, & siccam, quàm frigidam aut humidam. Ideo si tenerrimus sit, & eadem die factus, etiam lenire ventrem potest, nondum exutus aquea prorsùs parte secum congenita. Verùm ratio alimenti, & medicamenti diuersa est, optimus enim est quisquis recens est admodum, & sale caret: at habentibus ventriculum frigidum, aut imbecillem, forsan non adeò vtilis, præsertim si non temperatè quis eo vtatur. Eligatur mollis, ac pinguis, leuisque, suauis gustu, odore iucundus, quique facilè frangitur. Ouillus etiam facilioris est coctionis, atque minùs terreus. Et in vniuersum quantò minus vaccino ouillus nutrit, tantò melius præstat alimentum, caprillus autem ambobus deterior est: cauendum est autem ne vel innoxius multitudine, detrimentum afferat, aut mistione eorum, quæ penetrant plurimum, & petroselinum, fœniculus, aromata pleraque, vel quæ citò transeunt, velut vinum, ac dulcia. Vitia casei sunt sal, sapor acidus, vetustas, & quæ ad illam consequuntur salitus multum, materia est lapidis, & sitim generat, difficilisque est concoctionis: acidus ventriculum, & iecur debilitat, vt omnia acida, sed ipsum eo magis, quo grauius est, & hæret, & est naturæ amicum: vetustus cariosus est, corruptus omnium malorum author est. Salitus præterea sanguinem exurit, & atram generat bilem, antiquus vt dixi deterior est salso, & capitis dolorem facit, & valdè sistit ventrem, & vrinas cohibet, & crassiores reddit. Et vetustus tantò magis atram bilem generat, quantò salitus flauam, aut vt plerunque flaua deteriorem. Videtur autem tempus non determinare vetustatem, sed natura: nam saliti celeriùs senescunt, & sicci, & crassi, & minimè pingues: post annum tamen nisi oleo assiduè humectentur, vetusti sunt appellandi. Propterea qui leues sunt spongiosi, pingues, atque friabiles, quæ res quasi inuicem pugnant, caseum (& nouus dici possit) efficiunt, optimus est omnium, qui oleo immersus seruatur, vt odorem, saporemque seruet recentis, mollemque substantiam. Caseus præterea etiam cariosus omnis lentum generat succum, qui grauiter olet, pro veneno habendus est: at qui vnctuosum quiddam præfert, fastidium generat. Equinus quoque deterioris tanto alimenti est, quantò equi

Modus extrahendi aquam lactis.

Nota.

Vt aqua lactis astringat.

Recocta, quæ & eius vires.

Nota. Caseus quis. Lac asininum plus casei quàm butyri habet. Videto contrad. 79. Casei vires.

Ouillus melior.

Casei vitia.

Seruandi modus.

Equini vit.

equi caro carne bouina glutinosior est, atque insuauior, optimus tandem est, qui in ructibus breui odorem omnem exuit casei, in omni genere illius. Butyrum verò postquam & ante caseum est, & longè leuius, ac pinguius lactis spuma, posterius, quintum obtinebit locum simplicium partium: atque ita spuma illa aëri assimilatur, butyrum igni, caseus pituitæ, recocta terræ, aqua autem vrinæ & serosæ parti sanguinis respondebit. Est enim butyrum calidissima pars lactis totius. Sed & pinguissima, quod ob humidi copiam, quod in lacte redundat, nihil patitur simile esse igni: sed aëreum videtur, quod tamen facillimè bilescit, & amarescit celeriùs, quàm spuma, vel caseus. Ergo butyrum calidum est in medio secundi ordinis, cùm in initio eius esse videatur ob humidi copiam: neque enim est definire humidi ordinem, vbi siccitatis nullum apparet indicium. Butyri duplex est vsus, vt cibi borealibus gentibus, vt condimenti calidioribus in regionibus omnes, vt cibum damnant: ego verò vt condimentum deterius esse existimo, attamen suauius est. Namque vt condimentum & coctum in bilem facilè vertitur, quoniam medicamenti vim habet: crudum & vt cibus optimum præbet alimentum: multum, leue temperatum, bonum putredini minimè obnoxium, & quod omnibus membris alendis vtile sit: suaue gustu, & ventriculum etiam bene nutrit, sed tam multis est obnoxium, vt plerique casum pro ratione seu natura ponant, nam si humor corruptus, aut biliosus in ventriculo sit, statim in syluestrem naturam transit, nauseabundum, malè olens, horribile, & vermium, ac bilis gignendæ materia, similiter si circa ipsum quantitate peccetur, plurimum obest, supinumque reddit ventriculum, & nauseam mouet, & appetitum cibi deiicit, sed & si in imbecillem ventriculum incidat, aut iusto humidiorem, memineris autem semper horum duorum, quorum primum superiùs docuimus, id quod est optimi alimenti, proprium esse, vt æqualiter totum corpus bene nutriat: tale autem palam est, substantia forè mediocre, & qualitate temperamento proximum. Quod enim extremis maximè propinquum est, id in medio est, vel propè medium. Deinde vt sit multi alimenti, quod enim proportione sua multum præstat alimentum, idem paucorum est etiam excrementorum. Tertium est vt facilè concoquatur: lutea enim ouorum, & caro apri, cum plurimum nutriant, multò faciliùs concoquuntur rapis, & carocidibus, atque allio, quæ paucum præstant alimentum. Accedit vt nullam noxam præstent, non obstruent, non grauent caput, aut somnos impediant, nec semel sumpta, nec ex longo vsu. Eadem quoque non facilè corrumpantur: nam pisces quidam & mollia edulia tametsi bonum præstent alimentum: facilè tamen peruertuntur, vel naturis, vel casibus, vel societate aliorum. Sed & alimentum, vt sit solidum oportet: hoc enim necessarium est vitæ longitudini, & à densitate cibi prouenit. Quod & si suauis sit cibus is, iam omnia habet quæ optas, hæc autem superiùs edocuimus. Quod autem nunc docere volumus, nouum est, quod cibus alius est bonus simpliciter, alius bonus, qui non facilè peruertitur, alius qui etiam si peruertatur, non magnam affert noxam: contra malus simpliciter, & malus qui facilè peruertitur, aut si qui peruertatur, plurimum lædit, horum primum tertium manifestè differunt à priori distinctione, secundùm non ita, sed videtur cum quinta conditione boni alimenti, seu optimi, si simul reliquæ accedant conuenire, cùm minimè ita sit: nam in prima diuisione diximus alimentum id oportere esse tale, vt postquam alimentum factum est, scilicet sanguis, vt non facilè peruertatur: diuisio enim à alimenti est propriè non cibi, hæc autem contra, cibi, non alimenti. Igitur cùm antequam alat, facilè seducitur, cibus non est bonus, nisi simpliciter, non secundo modo distinctionis vltimæ in tria membra. Porrò hæc necessarium fuerat in memoriam reuocare: nunc facilè butyri, & aliorum naturam explicabimus. Dico ergo butyri alimentum esse optimum butyrum, ipsum tamen non esse bonum cibum. Nam quod butyrum facilè concoquatur quod plurimum nutriat, quod alimentum eius non facilè corrumpatur: sed neque vllam noxam affert, cùm concoctum fuerit, solidum quoque & ad diuturnitatem vir, & ad ferendos labores vtilissimum: suaue etiam est his qui optima diligunt, & quibus incorruptus est gustus, cum sit sapor illius, si recens sit, mistus ex dulci, & pingui: quos solos sapores docuimus esse alimenti, vt alimentum est: nam cæteri sunt potiùs medicamenti, quàm cibi: at quod simpliciter sit optimum, & omnia primum membra æqualiter nutrire possit, edocet illius natura. Nam id solùm fermè est, quo totum corpus alitur ab infantia, & omnium confessione lactis pars præcipua. Temperamentum etiam est: nam quod humidissimum est pueris quidem optimè ob similitudinem conuenit, senibus vt quandiu senectus pertrahatur. At immodicum humidum dici non potes, velut frigidum, aut calidum, aut siccum cùm parcè sumitur, nam qualitate humidum est in primò ordine, substantia in extremo, sed hanc metiri oportet vt dixi multitudine: certum est enim quod ob id si quis butyro repleatur, grauabitur tanquam ab immodico alimento, non humidiore quàm conueniat, calor etiam eius paululùm humanum excedit, atque ad ventriculum comparatum calidum est, sanguis tamen ex eo genitus temperatus est. Attamen non omninò secundo, aut tertio modo cibus bonus appellandus est: primum quia neque omnibus, neque omni modo conuenit: humidam enim aut imbecillem habentibus ventriculi naturam non conuenit, si magna quantitas edatur. Haud vtile est, corrumpitur à vino plurimo, præcipuè potenti, à piscibus, ab ouorum alba parte, à carnibus, & vt simpliciter dicam pueris cum solo pane, virisque senibus autem etiam cum melle dari debet, subsequatur vinum paucum multa

Butyrum. *Vires.* *Butyri vsus duplex.* *Nota.* *Nota.* *Alimentum solidum esse oportet.* *Cibus quot modis bonus* *Butyri alimentum optimum esse, sed non bonum cibum.* *1. Aphor. 16.* *Cur non bonus cibus sit butyrum.*

multa aqua dilutum: ita optimum erit, vt nil præstantius sit alimentum, omni labe carens: quod si ventriculus non ferat, cum menta edere oportet. At coctum semper malum est, quodcunque enim natura sua optimum est, vt lac, butyrum, vuæ passæ, si coquantur, deteriora, redduntur, vt etiam mel. E butyri genere est quod oxygala vocatur, dicente Plinio: dum Butyrum conficitur paulum aquæ additur, vt acescat, quod est maximè coactum in summo, fluitat id exemptum addito sale oxygala appellant, reliqua decoquunt in ollis, ibi quod supernatat butyrum est, oxygala fit & alio modo acido lacte in recens addito quod velis acescere, vtilissimum stomacho: sed prioris ratio habenda est, nam Galenus non ex butyrosa substantia, sed casei speciem esse vult, si rectè obseruemus, quæ in tertio de Alimentis scripsit, eam de qua superiùs egimus, recoctamque appellauimus: inquit enim oxygala etiam si in biliosissimo ventriculo, ac calidissimo sit, nunquam in nidorem transibit, est autem frigida, & crassi succi, difficilis coctionis, & ex qua humor crudus generari soleat, calidissimis ventriculis vtilissima, aduersissima frigidioribus, lapidique generando in calidis renibus apta, eadem stupefacere dentes frigidiore natura solet. Quod verò sit caseus, meminit paulò pòst, & in primo vt aliud fuerit apud Græcos, & Galenum, aliud apud Plinium, & Romanos. Butyrum præterea venenis omnibus, & præsumptum si quid aliud obstat, nam plurima commoda affert etiam meliora lacte: nam primùm suo humido abundāte omnem vim veneni sopit, tum maximè quod vt aliàs declaraui omnia venena sicca sunt potestate: tollit vim erodendi, putrefaciendique immoderatum calorem, frigusque medicamenti hebetat: substantiæ inimicam naturam retundit. Post etiam tenaci illa, ac viscida crassitie prohibet ne in membra agat, præsertim ventriculum, atque iecur: & vomitum facilè commouet, vt expellatur, & ne penetret, remoratur, & vbi læserit, exulcerata lenit, exusta mitigat. Ideò etiam cum aqua sumptum lactis vtilitates præbet, præterquam quod non adeò iucundum sit his tot modis commodum est. Pectoris duritiei si quid aliud & deuoratum, & in ore retentum, & foris illitum conducit cum sacchraro præsertim intus sumptum: lenit etiam omnes dolores, & in clysteribus adiici ob hoc, & quia fæces emollit, plerumque solet. Sed caput lactis vere quidem ex spuma, & butyro compositum, & si eximatur, alterum non potest confici, sicut neque si hoc detrahatur, nec spuma, nec butyrum dulcius multo est, & candidius butyro, ita in vtroque à spuma vincitur, connumeratum est inter partes simplices, quia ex valdè similibus componitur. Meliùs longè alit, quàm butyrum, suauiusque gustu est, sed & optimum alimentum præbet, velut de butyro dictum est, neque peccare oportet aliud aliquid sumendo, neque ex ipso multum: plus tamen quàm ex butyro bonum maximè sanguinem generat, vtile iecori, atque ventriculo mundis & bene valentibus, vt hac in parte Antonio Gazio Paduano credendum non sit, qui ex erroribus indicationem cibi fecit. Neq; ergo ante cibum, neq; post cibum conuenit: quæ ratio in omnibus cibis bonis liquidioribus seruanda est, dico lacte, vitellis ouorum, atque aliis huiusmodi. Inferius tamen in butyro medicamenti ratione. Et ex lactis summa superficie calefacta detrahitur.

Nota. — *Lib. 18. c. 9. Oxygala.* — *Cap. 17. Oxygala vires.* — *Cap. 17. Cap 13. Butyrum contra venenum. Omnia venena sicca potestate sunt.* — *Caput lactis.* — *Vires.* — *In corona florida c. 124.*

CAPVT XIII.

De Lactis partibus compositis.

Lac scissile. — *Lib. 8. cap. 8. 10. de simpl. Medic.* — *Vires.*

Compositæ lactis partes nomen non habent, præter lac scissile. Est enim quæ vocatur Ginocada, in qua omnia præter aquam continentur. Caseus pinguis, & lac concretum, & in puluerem redactum. De scissili ergo primum agendum est. Meminit huius Alexander Trallianus, & Galenus etiam schistum sit infusis candentibus lapillis, seu frustis ex chalybe, scilicet admodum ignitis, vno post alium, dum lac desinit stridere: conuenit enim hoc maximè dysentericis, vlcera mundat, astringit, bilem cohibet: sed in his qui febre carent. Coquitur autem lac antequam chalybis frusta iniiciantur. Videtur autem velle vt non semel, sed quater, aut quinquies iniiciantur. In febrientibus autem lac huiusmodi reformidat, exhibet autem lac cui admistum sit aquæ fontanæ quarta pars, & vt ad dimidium decoctum sit super prunas, aut cineres perpetuò agitando. Illud mirum quod lac, post lac duabus horis det, post lac tribus horis pulticulam, vel etiam panem, tum pulmulas, quod qua ratione faciat, non satis intelligo, concoqui enim in tam paruo tempore omninò impossibile est. Hoc ipsum pro certo habetur scissile quod ita dictum est, quia perpetuò diuidatur cum aqua à caseo, butyro separatur, tum aliis partibus, educere bilem, purgare vlcera, astringere, ac mitigare dolores. Sed Gioncada (vt dixi) ex quatuor partibus, caseo, butyro, aphrogala, & oxygala. In quo illud mirum admodum videtur, quod adempta parte aquea frigida, lacte frigidior euadat: an quod coagulum vi suam partem calidiorem secùm educat: aut quod coactum lac, atque condensatum ampliùs refrigeretur, bene nutrit, non tamen butyro, aut cephalogalacti par. Grauis est ventriculo, quoniam lac cùm concreuerit, vel in nidorem vertitur, aut acidum humorem, vt nunquam benè concoquatur. At caseus pinguis butyro, & lacte constat, optiméque nutrit, medius inter butyrum & caseum, qui si seruari posset. Sed quam parum potest, res perutilis esset, quod in eo non excellat sapor pinguis, quò butyrum plerisque odiosum est. Lac autem concretum militibus solum vtile, in quo etiam omnes lactis partes seruantur: siccatur enim quod concreuit ex lacte in furno diu, palam autem est butyri multo minus seruari quàm casei, exustumque quid habere, redactum

tamen in puluerem, & aquæ incoctum plurium ciborum panes subit, panis potus ferculi, & obsonij. Est etiam genus lactis concreti ex omnibus partibus aquea duntaxat excepta, cuius Galenus meminit Pyriastes seu piriephthon vocatum, cum ouis parit: primum lac calefaciunt, nulloque addito concrescit, ac si coagulo coactum esset, eiusmodi est alimenti crassioris, quod enim à calido facilè concrescit, terreum est, vt docuit Aristoteles: propterea non ob hoc tantùm, sed quia tandiu in mammis asseruatum est, pessimi alimenti est, si ad alia simpliciter comparetur, per se tamen boni, ac iucundi saporis qualis cephalogalacti.

Quod facile à calido concrescit terreum est.

CAPVT XIV.

De Auium differentiis.

Auium differentiæ à quibus.

SIcuti in Quadrupedibus complures reperiuntur differentiæ, vt declarauimus, æquè etiam atque in auium genere conspiciuntur, quæ à tempore, ætate, victu, loco, cœloque, atque etiam in quibusdam à castratione desumuntur, quibus salubriores, aut insalubriores, aut in cibis magis, vel minùs idoneæ redduntur. Tempore enim (exempli gratia) quo libidine agitantur, tum syluestres, tum domesticæ, pro cibis ineptæ sunt, extenuantur enim quia labore, & sollicitudine non comedunt, vt manifestè apparet in domesticis: quis est enim qui libenter edat gallinas incubantes? Pariunt autem omnibus fermè anni temporibus, exceptis brumalibus diebus, quibus maximè pinguescunt, ac teneræ fiunt. Porrò aliæ etiam æstate meliores sunt, vtpote quo frugibus vescuntur, aliæ autumno, quæ vuis, ficubus, pomis, baccis, atque aliis huiusmodi, aliæ tempore hyemis gratiam acquirunt vt merulæ, turdi, anseres syluestres, grues, atque aquaticæ omnes. Sunt & quæ dum frigora fugiunt, vel hyeme latent, vel loca tepidiora petunt, sensum enim illis natura indidit, vt cognoscerent, quò mutationes à frigore, vel à calore facere deberent, locaque permutare. Reperiuntur necnon & aues, quæ cum natura sint imbecilles, nec longum iter peragere possint, hyberno tempore in campos discedunt, vt tepore patiantur, æstiuo verò, vt æstu semper careant, montes repetunt, & hæ autumno pinguiores sunt, quàm æstate, vt de coturnicis patet, atque aliis huiusmodi. A victu autem nec paucæ adnotantur differentiæ: quæ enim vngues aduncos habent, omnes carniuoræ sunt vt aquilæ, accipitres, vultures, & aliæ quæ libenter in cibatum ab hominibus non solent admitti, aliæ vermiculos deuorant, sed complures frugibus viuunt, vt palumbes, columbi, turtures & huiusmodi, sed vt summatim dicam aliæ victum à terra petunt, aliæ à flumine, aliæ à lacu, atque aliæ à mari: nec paucæ etiam sunt, quæ herbis vescuntur. Notandum quoque carnes auium syluestrium semper pabuli saporem gustui referunt, nam quæ formicis vescuntur, formicarum saporem reddunt, vermiculorum verò quæ vermiculis, & sic de singulis. Veluti de his patet, quæ piscibus aluntur, pisces etiam olent, & quæ circa aquas viuunt, lutum, ac cœnam repræsentant. Virus autem illud marinum redolent, quæ circa mare, quod nobis Dioscorides significauit dum dixit, quod auiculæ illæ, quæ baccas deuorant denigrantur, & homines qui eas comedunt, alui profluuio sæpè corripiuntur. Præferuntur quoque montanæ campestribus, vt infrà, veluti & quæ praeabundanti pluuia largiùs bibunt, nec sine detrimento. Non enim mediocris earum est differentia, quæ in stagnis aut paludibus, aut lacustribus locis degunt, cum iis, quæ in montibus, aut locis siccis viuunt. Nam pro locorum natura, aut animalium proportione carnes (vt Galenus refert) siccæ & excrementis vacuæ fiunt, & ad concoquendum faciliores: aut humidæ excrementitiæ, & concoctu difficiliores. Suauius etiam, necnon & vtilius castratione efficitur animal, veluti de gallinaceo genere patet. Aliæ quoque in infantia placent, quæ cùm adoleuerint, homines abhorrent, senectus enim semper improbatur, sicuti & eorum caro, quæ nuperrimè edita sunt, quoniam muccosa, atque humida, eoque excrementis plena, vt superiùs diximus, senum verò dura, sicca, fibrosa, ad concoquendum contumax, atque exigui admodum alimenti. Auium autem volucrium omnium genus, vt Galenus inquit paucissimum alimentum exhibet, si ad gressilium genus conferatur, & potissimùm si ad suillam quæ copiosissimi est nutrimenti: verùm facilius concoctu est volucrium. Auium tandem alimentum in vniuersum tenue est, neque multum, neque diu permanens, aut robustum, sed non malum, nisi quarundam caro quæ dura est, vt cichoniarum, anserum, anatum, pauonum, atque aliorum huiusmodi. Porrò in omnibus volucribus animalibus, vt & in quadrupedibus scire oportet, quod augentium carò multò est præstantior, quàm ætate declinantium, & media in vtranque florentium, sed iam particulatim de omnibus, quæ in vsu ciborum apud nos locum habent, exequamur.

A tempore.

Cur sensus auibus inditus.

A victu.

Pabulum saporis causa.

Aues montanæ campestribus meliores.

Castratio. Ab ætate.

Auium alimentum in genere.

CAPVT XV.

De Gallo, capo, gallina, & pullo.

TRia à Varrone enumerantur gallinarum genera, libro tertio de Re rustica. Villaticæ, Agrestes, & Africanæ. Villaticæ dicuntur vulgatissimæ illæ, quas in villis atque in vrbe etiam ali videmus: Agrestes verò mediæ sunt inter villaticas, & Africanas, quæ raræ tempore Varronis in vrbe erant, hodie verò rarissimæ, oua enim in villis faciunt, & hyemalibus temporibus aliquando conspiciuntur. Africanæ autem sunt, quæ ex Africa in Italiam transferuntur, quas gallinas Indicas vulgus vocat. Galli ergo tenelli caro connumeranda est inter volucrum carnes,

Cap. 9. Gallinarum genera quæ.

Galli caro & eius vires.

carnes, quæ quandam mediam naturam extenuandi, & crassefaciendi præstant, à Galeno adeò laudatas. Facilè enim concoquitur, laudabilem generat sanguinem, & appetitum conciliat, atque omnibus temperamentis conueniens est, & præcipuè si moderatè præpingues fuerint galli, & nondum coierint, & iam canere incœperint: Ius etiam eorum humores æquat, & ventrem aliquando mouet. Verùm si antiqui, ac decrepiti fuerint, dura est eorum caro, nitrosa, salsa, ac concoctu difficilis, & cibo inepta: iusculum verò ad multa in actu practico commendatur, lauat enim, abstergit, aperit, flatus dissipat, prouocat, aluum soluit, atque melancholiam purgat. Gallinam autem soleo ego dicere à natura pronominum commoditate, solummodò fuisse creatam: cùm infinitos mortalibus in re cibaria vsus subministret: ideò fœcundissimâ natura genuit, quasi quod sciret hominum vitæ vtilissimã, atque commodissimam: ob id primas gallinaceo generi in re alimentaria partes tribuimus, non solùm quia alimentum optimi succi, & paucorum excrementorum, insimulque temperati præbeat, verùm etiam quia obuia est semper vbique locorum copia, vt in amicorum, aut hospitum aduentu in expectato, nullus cibus gallinaceo sit paratior. Calida & humida (moderatè tamen) est iuuenum gallinarum caro, eamque Galenus temperatam censet, & quia eius succus, nec in bilem, nec in pituitam conuertitur, nutrimentum multum dat, temperatum, atque optimum, harum etiam ius tam sanis, quàm ægris valdè commodum est, & ideò elixæ potiùs, quàm assatæ comeduntur. Castratio quoque in his bonitati suffragatur: compertum enim est castratas gallinas palato melius respondere: est etiam earum caro candidior, friabilis, & magis tenera. Agrestes verò gallinulæ dictæ, & ipsæ non mali sunt succi, quia caro earum alba est, sed durior, atque natura siccior, & concoctu difficilior, nec gustui adeò grata, & minus alimenti præbet. Africanæ autem magnæ sunt aues, miramque habent formam: rostrum enim carnoso quodam additamento vestiunt, atque inde supernè pendulo eodem sæpe reductili, quoties libuerit, aut pro escæ capiendæ commoditate, alia etiam per collum consperguntur eiusdem coloris rubri, sed cum iracundia tentantur, liuescunt, multosque alios suscipiunt colores: caudam expandunt mares nostratium pauonum more, sed longè breuioribus pennis. Hæ si iuuenes fuerint, nec sapore, nec succi bonitate, nec nutritione villaticis sunt postponendæ, imò earum caro optima est, quia candidissima, & friabilis, & gustu grata, vt dicere audeam alias omnes sapore, ac salubritate superare. Facilius enim est concoctu, boni nutrimenti, paucorum excrementorum, & optimum generans sanguinem, si tamen bene macerata aliqua ratione priùs fuerit, quod omnibus fermè paulò maioribus auibus commune est, alioquin earum caro concoctu contumax esset: bene etiam decoqui debent, vt tenerescant, vt plurimum assari solent, vel in furno decoqui. Capi autem castratione ex gallis gallinaceis fiunt, ob quam ex calore, & siccitate, in contrarium, vel medium potius immutatum eorum temperamentum, quapropter egregiè commendatur: est enim vndique æquabile, igitur inter primas epulas capos hodie reponi videmus, & non solùm lautiorum, sed & rusticorum, plebisque mensas ornare. Castratione enim pinguiores fiunt, quia cucurrire, & canere desinunt, neque Venerem repetunt, atque omnis animi vigor cadit, optimeque ac valenter inter aues alunt, sanguinis multum, indeque & lautissimorum succorum copiam, nec tenium, nec crassorum nimis præbent, & facilè concoquuntur, & si quis dicat tenue, potius quàm crassum esse eorum alimentum, fateor: sed tamen nutrimentum ex æquo durabile est. Et senes non adeò facilè siccescunt vt galli, quorum tamen caro vt omnium antiquorum improbanda venit. Pulli & ipsi bene nutrit, sed non admodum saginati qui nondum coire, aut oua peperere incœperint, optimi sunt alimenti, & eorum caro succi boni plena est, tenerrima, atque saporis iucundissima, nec alius est cibus qui innoxiè tum sanis, tum ægris exhiberi possit, elixantur enim pro ægris cum lactucis, oxalide, endiuia, & cæteris huiusmodi pro refrigerando, alterando, concoquendo, ac somnum conciliando, prout opus fuerit, & bimestres, at trimestres laudantur, & his vt gallinis potiùs elixis vtimur: Assatione enim siccescunt nimis, eorumque ius ad humores contemperandos mirum in modum valet.

Ius antiqui galli & eius vires. — *Gallina vtilitas.* — *Vires.* — *Castratio bonitati suffragatur.* — *Agrestis gallina & eius vires.* — *Africana qua.* — *Vires.* — *Capi qui.* — *Vires.* — *Pulli vires.*

CAPVT XVI.

De Columbis.

COlumborum plura sunt genera, sed quatuor præcipua turriti, domestici, palumbes, & Alfachæ, qui & Alfuachæ: maximi, & pinguiores, ac suauiores domesticis, quorum quidam singulis mensibus pariunt, laudantur ex his etiam plumarios habentes pedes, Galenus commendat omnium carnes, sed parum distinguit ab attagenis, aut gallinis, ne dum inter se, nisi communibus rationibus. At quantum differt attagena auis Asiatica, de qua epigrammaticus:

Inter sapores fertur alitum primus,
Ionicarum gustus Attagenarum.

Suum autem nomen resonare ait Ælianus, idemque refert inimicam esse gallinæ, at quidam vocari apud nos francolinum, sed quis in columbis Attagenarum suauitatem, aut candorem alarum Phagiani, aut capi vidit, multum autem (vt dixi) inter se, ne dum ab aliis differunt optimi censentur Alfachées, vt qui hecticis, & morbo regio, & cacochymia laborantibus magno præsidio sint adeò vt cacoëthicos, vsu soli persanare possint: omnes prosunt tremulis, & resolutis, & cerebro, visui, & auditui, sed non ita intelligendum est, vt singulis diebus eis

Columborum plura genera. — *Lib. 13.* — *De animalibus. 4. lib. c. 42.* — *Alfachium vires.*

eis vtaris, quemadmodum Curtius agendo vitam breuiorem reddidit. Sunt enim longè duriores ad concoquendum pullis gallinaceis, & melancholicum generant succum, suntque excrementitij, licet hoc etiam proprium habeant, vt vtentes eis tutos reddant à pestilenti febre. At ipse iam proprè LXX. annum erat multis grauibus curis afflictus, inter reliquas filij maximè spei cæde, multis studiis maceratus, & quod omnibus maius fuit, vix quinque somni horas explebat. Sed & sanguis qui ab ala viuentis columbæ detrahitur, vbi fieri incipit suffusio ex sanguine, ea viuente instillatus oculis, quibus omnia rubra apparent, & miningibus fracto craneo sanat, aut iuuat. Discissus columbus & ossibus fractis, impositusque dum adhuc viuit, capiti curat phreneticos, in quibus siccitas nondum exactè dominatur. Turriti meliores sunt domesticis, minùs medicamentosi Alfuacheis. At palumbes longè viuaciores columbis sunt, feruntque purgare se lauro, earum caro melancholicum succum magis gignit, & difficilior est, quàm cæterorum columborum, quod & Galenus fatetur ibi, tum in libro de Attenuante victus ratione, vbi etiam excrementitiam esse illam affirmat. Exoluto tamen & nauseabundo ventriculo conferunt palumbes, vt in Sexto de compositione medicamentorum secundùm locos: sicci enim sunt & calidi, ideo eorum frequens vsus iuuat, vt & cæterarum auium, quæ granis vescuntur. Ob id etiam stercus illorum præ cæteris cataplasmate adhibitus capiti, aduocat defluxionem potenter, calefacitque ipsum, ac siccat, tum enim paratum habebatur. Iecur, & alæ, & sanguis, qui circa renes est cruditati, sũt opportuniora, tùm quia molliora, tùm quia toto genere aluum ciunt: vitiosa enim sunt: palumbos referunt Venerẽ hebetare, vnde illud Martialis.

Contra pestẽ.

Sanguis eorum. 10. de Simplic. medic. cap. prop. Turritorum vires. Cap. 8.

Stercoris eorum vires. 5. Meth. cap 13.

> *Inguina torquati tardant, hebetantque palumbi,*
> *Non edat hunc volucrem, qui cupit esse salax.*

Incredibile est quantum referat è nido tollantur, faciles coctu, & suaues, vna dies imò duodecim horæ & vires, & gratiam adimunt: ob id nobiles fermè omnes familiæ apud nos sua habent columbaria, in quibus nidulantur, atque educantur, & inter elegantiores epulas hybernis mensibus collocantur palumbes: parari etiam solent æstate elixi ex omphatio, ne sua caliditate biliosos lædant, estque pituitosis conuenientissimus cibus, sunt enim calidi & sicci, & syluestres plurimum, licet recenter nati, & prædpingues humidiores sint: ob id calidioribus natura sine additione alicuius refrigerantis non debent exhiberi, referuntque eorum copiosus vsus Anginam excitare, credo ob calidiorem succum quem generant, & febres quoque, & alios calidos affectus præter naturam.

Syluestrium vires.

CAPVT XVII.

De Pauone, grue, ciconia, & struthyocamelo.

MVltos Romani proceres domesticos pauones in domibus alebant, vt ex Varrone, atque Athenæo intelligi potest: miraque, & memorabilia pretia apud illos fuisse testantur: & primus Romæ pauonem occidit cibi gratia Hortensius, orator augurali cæna, nec inde defuêre imitatores, imò & nostris etiam temporibus tanta est gulæ luxuria, vt & si eorum caro dura, fibrosa, & concoqui contumax, atque improbi succi sit, nihilominùs sæpissimè comeduntur, atque lautioribus cœnis apponi solent. Caro eorum calida, atque humida est, concoctu tamen difficillima, non temperamenti vitio: sed quia dura atque fibrosa, vt testatur Galenus tertio de Alimentorum facultatibus, modici est alimenti, & crassum, ac melancholicum generat sanguinem, vt cæteræ grauiores aues: ideò ab eorum esu abstinere debent qui otium, & quietem amant, minùs mala est eorum caro multum se exercentibus, & præcipuè si iuuenis fuerit pauonis, quia tenerior est: quapropter vt præstantior etiam fiat, & meliorem succum creet, iugulari oportet per triduum, aut ad minimum biduum, antequam decoquatur, atque hyeme per quatriduum & vltra, simulque pendentibus pedibus onus lapidum appendatur, vt eo pondere carnis durities emolliatur, atque distractione fibræ laxentur, vt meliùs in ventriculo confici possit: & libentiùs garyophillis, aliisque huiusmodi inassantur, quàm elixentur pauones: notandum etiam quod plus damni, quàm vtilitatis affert educatio harum auium, cùm constet maximam hortis esse pestem, & tegulas, culmosve tectorum euertere. Eadem non minùs in grauibus seruanda sunt, cùm longè quidem magis prædura, fibrosaque sit earum caro, temperamentumque frigidius, ac siccius: & si quis calidum malè existimauerit, ob id quovis modo parata, & cocta, tardè, ac difficillimè concoquitur, & atram bilem gignit, plusque improbi succi, atque excrementitij, quàm alimenti præbet: nec olim defuêre qui has garyophillis inaslatas hyemis tempore in cibis commendarunt, veluti & ciconiæ, cùm tamen nullum honorem nostris in mensis hodie habeant: serpentibus enim, aliisque venenatis animalibus (quæ in palustribus locis quærunt) vescuntur, & cum hoc earum caro prædura, & fibrosa, & concoctu difficillima, quæ prauum succum, deterrimumque omnium alimentum adfert, quare pessima in cibis censetur, & si aliquando ex adolescente adhuc pullo optimè, herbulis, & aromatibus conditoque, atque diu prius macerato aliqui comedant: suntque populi qui eas maximo in honore habent, quia serpentes absumunt, enecantque, nec alio cibi genere aluntur.

Pauones domestici.

Vires.

Cap. 19.

Vt tenerior fiat pauonũ caro.

Gruum vires.

Ciconiarum vires.

Struthyo

Struthyocameli vires. Cap. 1.

Struthyocamelus autem nunquid inter aues sit reponendus, nec Galenus explicauit: vastissima tamen omnium est auis si modò pro aui habenda est, cuius caro vt Galenus testatur tertio de Alimentorum facultatibus excrementitia est, multóque ad concoquendum difficilior: dura enim & fibrosa, ac tenax cuiusmodi est caro omnium animalium vastæ molis, imò & alæ malæ, ac concoctu difficiles sunt, quia Galenus ipse inter aliarum auium alas connumerat, quarum substantia fibrosa, ac dura est.

CAPVT XVIII.

De Ansere, & anate.

Anserum duplex genus. Vires.

ANseres maximo in honore apud Romanos fuisse testatur Plutarchus, quarum duplex est genus domesticum, & syluestre, atque hæ multis modis hominibus vtiles existunt, pluma nimirum, carne, adipe, & etiam stercore ipso. Earum caro inter alias auium carnes calidior atque humidior est terra, atque aqua victum sibi quæritant: cohortales tamen, ac domesticæ maiori ex parte victum in terra quærunt: syluestres verò ex aqua dum gregatim circumuolant stagna, lacúsque, quarum caro domesticis salubrior est, præ nimia enim exercitatione minùs excrementitia est, atque concoctu facilior, verùm omnium caro damnata est, quoniam dura, & concoctu difficilis, & valdè excrementitia, atque improbum generat succum, valdéque putredini obnoxia: imò experimento comprobatum est, copiosum eius vsum febres excitasse: ob etenim partium crassitiem, atque duritiem, maximéque nisi valido, robustóque ventriculo concoquatur, obstructiones generantur, quæ & febrium, & aliorum præter naturam affectuum sunt in causa. At si rectè conficiatur, multum alit, licet vitiosum corpori alimentum adferat. Earum iecur in miram, ac memorabilem amplitudinem crescit, quod vt Galenus refert temperatum est (sed reliquum corpus multarum esse superfluitatum affirmat) suauissimum etiam, & facilis coctionis, boni succi, ac multi nutrimenti. Alas præterea inter cæteras partes commendat, dum in libro de cibis boni, & mali succi inquit: [Reliquæ anseris partes duræ sunt, & concoctioni aduersantur, & excrementis redundant præter alas] In Italia pullo anserum bimestres, vel trimestres præpingues autumnali, hyemalíque tempore assatos, vel in furno decoctos frequentissimè comedunt: adultiores verò, & senes fugiunt. In æstate autem morbis valdè conflictantur. Adeps earum apud nos pro instinctu, ac condiendis ferculis celebrantur. Anates quoque & ipsæ inter animalia victum tùm à terra, tùm ab aqua percunctantia connumerantur, calidiores sunt omnibus domesticis volucribus, sed earum caro dura est, & praui succi, ac concoctu difficilis, & valdè excrementosa, veluti est caro aliarum palustrium auium, sed longè deteriores sunt quæ in vrbibus degunt, quia fœdissimos cibos, ac cœnum deuorant: quæ verò libero cœlo, aquísque fluentibus fruuntur, palato iucundiores sunt, & minùs ventriculum aggrauant, & si exquisitè conficiantur, multum alimenti, praui tamen, atque excrementosi tribuunt, quod colorem ac vocem clarificat, vt inquit Princeps: impinguat etiam, & sperma adauget, ac coëundi libidinem accendit: verùm siquis eas comedere cupiat, eligat iuuenes, quarum iecora, & alæ tutiùs comedi possunt, vt de anseribus diximus, quoniam eadem fermè est omnium ratio, & per biduum antequam decoquantur, iugulentur: ab esu autem veterum, ac salitarum omnes abstinere, debent, sed Iudæis relinquere, quibus continuo vescuntur: nec mirum si maiori ex parte melancholici euadant, ac mali sint coloris, & nigri, & plumbei.

Iecoris anserum vires.

Alæ. Cap. 6.

Adeps. Anatum vires.

CAPVT XIX.

De Perdice, ac coturnice.

Perdices qua.

VT omnium bonarum rerum Italia nostra, ita & perdicum, fertilissima est, quæ coturnicibus maiores sunt, carnosiores, atque alimenti bonitate præstantiores, rostrúmque habent rubrum, & inter primas opulentorum escas connumerantur, sed non omnibus terreis, ac regionibus concessæ sunt, tum in quàm plurimis viuere, & propagare nequeant, vt in Anglia, aut Britannia, & has Itali maiori ex parte *starnes* appellant, quæ non parùm inter se pro locorum natura magnitudine, colore, & carnis substantia differunt: referunt enim in Syria earum carnem adeò duram esse, vt vix comedi possit: Theophrastus etiam credidit in Paphlagonia ipsas duo habere corda. Diu vitam ducunt, & vt Aristoteles testatur, ad annos vsque vigintiquinque & adeò sunt calidæ, & astutæ, vt opus sit venatores admodum solertes esse, si eas decipere debeant: libidinosæ quoque inter alias aues sunt, ita vt semen emittant, non solùm si fœminas viderint, verùm si earundem tantùm vocem audiuerint, & numerosiores semper fœtus alunt. Eligantur ergo pro ciborum vsu iuuenes, ac pingues, quas vulgari nomine pernigones appellant, quæ maximo in honore apud nobiles habentur, atque earum caro temperata est, & aliquantulum ad caliditatem declinans, præstantissima quidem tum succi bonitate, tum concoctionis facilitate, parúmque excrementi, & multum nutrimenti in se habet, & si potiùs tenuioris, citóque resolubilis, ac difflabilis: quapropter quanto corpore maiores fuerint, & solidiore, ac densiore carne pleniores, ita & vberioris, ac diuturnioris alimenti copia eis inerit, nec ob hoc caro concoctu difficilis, sed senes, & vetulæ raro & si aliquando hyeme menses subeant, si prius tamen per biduum aut triduum (vt aëri exponi possint, macerarique) iugulatæ fuerint: semper apud nos assantur lardo transfixæ, atque aliis etiam vtuntur intinctibus, liquoribúsque vt palatum magis irritent, ac ventrem lacescant,

Vires.

tanta est nostri temporis ingluuies: candidior verò fit earum caro si ritè decoctæ fuerint, quæ optimum & omni ex parte laudatissimum succum præstat, & quod magis refert ventriculum scatentem excrementis expurgat, & humiditates exugit. Estque optimus morbo Indico laborantium victus, vt dicere audeam, si nullum aliud toto anno integro ferculum comederent, sed singulo die perdicem tantum, vel duas pro ratione consuetudinis, absque alio præsidio à tam pernitiosa lue liberari posse: vt in nostro memoriali diximus. Coturnix autem auis est nec magna, nec multarum virium, sed ponderoso corpore, ideóque terrestris potius quàm sublimis, & nostri qualeam vocant, quæ (vt Aristoteles inquit) locum mutat, vt frigora aufugiat, & pedes scissos habet, nec nidum facit, sed arenam eligit, quàm fructicibus ob accipitres operit, in eáque postea oua incubat: sunt & ipsæ, vt perdices admodum libidinosæ, ita vt desiderio fœminarum, ac coëundi appetitu inter se dimicant, atque dulcia adhuc Romanis afferunt dimicando solatia, extatque etiam Augusti Cæsaris exemplum, qui Erotem ex Ægypto redeuntem submergi iussit, quia audiuit coturnicem omnes alias pugnando superantem, atque inuictam, eámque tandem assatam comedisse. Tanta est etiam maris intemperantia, vt statim, quod fœmina canit, ipse recanit, & tunc ad eam accedit, quare aucupes mutatione cantus fœminarum eos decipiunt, vel multotiens fœminas per totam hyemem nutriunt, alúntque, & ineunte Vere eas probant, vt vnam inter tot venatu optimam ac omnibus maribus canentibus (quod rarò tamen contingit) respondentem comperiant, quam si adinuenerint, innumerabiles profectò rete capiunt, quod sæpè nobis contingit, quo venatu nihil iucundius videri potest. Calida est coturnix atque multa humiditate prædita, & mali nutrimenti censetur, difficilis concoctionis, & facillimæ corruptionis, & tandem omnibus tam sanis, quàm ægris inconueniens cibus; præparat enim corpora ad febres, vel eas adauget, ferunt etiam multos ex frequentiore carnis coturnicum esu in tetanu, ac conuulsiones, & musculorum extensiones incidisse, vt Galenus affirmat sexto Epidimiorum: quod tamen neminem vnquam nobis vidisse contigit, quamuis rationi consonum sit, cum huiusmodi affectibus corripiantur, vt Plinius testatur, quia helleboro vescantur, cuius vis cum in edentium corpora transferatur, vt multis placuit, conuulsiones producit: aliis verò vi quadam, ac proprietate occulta id efficiant, quod tamen si verum esset, non tam pauci profectò hoc morbi genus sentirent, nec tam frequens apud gentes esset earum vsus: ergo potiùs dicendum hoc alimenti vitio provt alimentum est nasci, ex plurimo enim earum vsu pituitosi, crassi, ac viscidi humores generantur, qui comitiales morbi materia sunt, & ideò ob hoc potiùs credendum est suboriri, quàm ob occultam illam proprietatem, ad quam vt plurimum imperiti refugiunt. Damnatur ergo crebrior earum vsus, tum ob malam ac putredinosam intemperiem, qua multiplicantur excrementa, tum ob vitiosum humorem, adiposámque pinguedinem, qua laxantur ventriculi vili, & inappetentia excitatur. Eligantur itaque si quis aliquando comedere cupit iuuenes, & bene carnosæ, sed non admodum præpingues, vt autumno potiùs, quàm alio anni tẽpore existunt, inassentúrque diligenter, nec lardo, sed pinguedine alia, vtpote vituli muniantur, æstiuis verò caloribus omninò euitentur, qui tunc extenuatæ admodum sunt, & fœtus alunt; ideò febres facillimè accendunt, & conualescentibus recidiuas vt plurimum efficiunt.

Morbi Gallici curatio. — *Coturnix quæ.* — *Historia.* — *Vires.* — *Nota. Com. 5.* — *Damnatur crebrior earum vsus.*

CAPVT XX.

De Attagene, Phasiano, & turtura.

Attagen auis est Asiatica, quam Hispani francolinum vocant, perdice paulò maior, atque referunt ipsam dorsum habere colore aliquantulum rubicundo pictum, fœcunda est, multa enim parit oua, delectatúrque puluere vt perdix ob corporis pondus, & alarum breuitatem, & canibus à venatoribus capitur: vocalis est valdè, verùm capta statim obmutescit, ponitúrque inter aues nobilissimas, atque maximè quæ in Ionia nascitur, nec non & inter esculentiores præcipuo sapore, & bonitatis commendatione. Phagianis proxima habetur vt Galenus testatur, laudabilémque succum, ac optimum sanguinem generat, & facillimè concoquitur, multúmque alimenti, & parùm excrementi præbet: eius etenim caro candida est, tenera, minimè fibrosa, quæ bonitatis alimenti sunt signa. Phasianus autem quo ad nutrimentum, & concoctionem gallinæ est similis, voluptate tamen in edendo tam superat, vt Galenus inquit tertio de Alimentorum facultatibus. Ideò quæ de gallinaceo genere diximus, eademmet de phasiano affirmamus, supposita proportione circa ætatem, sexum, pabulum, ac pinguedinem, quamuis raritas prætiosiores reddat phasianos, ac etiam saporis iucunditas, qua ventriculus libentiùs amplexatur, & meliùs conficit, exercitatio quoque, ac cæli libertas plus gratiæ, ac bonitatis in eis conciliat, quàm in gallinaceo genere, quod inter parietes inclusum degit. Ob id Auerroës phasianum cæteris auibus. quantum ad obsonia præponendum censet, nec immeritò quidem cum regum mensas, atque principum tantum subeat, opulentetque, conualescentibus etiam mirificè conuenit, atque extenuatus. Verùm quia temperatum, vel paulò tenuiorem generat sanguinem, vt Galenus velle videtur, & nutrimentum non admodum solidum præbet, ob id minimè opportunum videtur illis, qui plurimum se exercent, somnúmque provt libet producunt, atque vitam à negotiis ciuilibus procul delegerunt: ij enim crassis, glutinosisque cibis potiùs indigent, vt superius demonstrauimus. Turtures equidem & si humiditate quadam superflua atque excrementitia non careant, & præcipuè si præpingues fuerint,

Attagen quæ. — *Vires.* — *Phasiani vires. Cap. 19.* — *Turturum vires.*

tur, strangulantur enim vt plurimum nimio pinguedinis infarctu: sunt tamen calidæ, & siccæ, & vt refert Galenus in libro de Attenuanti victus ratione: [Sicca est potissimum quæ in montibus degit: itaque illa vesci quis potuerit innoxia, recens tamē nō turtur modò nō est mandenda, sed nec perdix, nec alia omnia, quæ carnem habent moderatè siccam, sed vbi vnam diem ad minùs suspenderis, ita demum mandas licet. Porrò palumbes præterquam quod carnem habent columbis, & perdicibus, turturibus duriorem, difficilem etiam ad concoquendum, & excrementitiam habent. Perdices verò, ac turtures neque durissimas habent carnes, neque concoctu difficiles, neque prauo succo, vitiosas, sed & ipsarum durities si mortuæ vno die asseruentur, facilè vincitur, fiuntque friabiles omninò, atque inculpatæ. Alimentum enim corpori dant laudabile, sanguinemque minimùm viscosum generant, & crassi, ac tenuis medium. Proinde quibus salubris cibus curæ est, eos vt arbitror vti his conueniet.] Hæc eadem affirmat Princeps, imò subiungit quòd earum caro mirabili quadam proprietate ingenium acuit, & vsum Venereum irritat, à præpinguibus tamen cauere oportet: noxium enim humorem, ac damnosum dubio procul vescentibus afferūt: ideo mediocriter pingues eligi debent.

Cap. 8.

CAPVT XXI.

De Turdis, Merulis, & Sturnis.

Tria turdorum genera. Cap. 28.

TRia esse turdorum genera, scribit Aristoteles nono de historia animalium, quorum primum & maximum par est picæ, quod etiam Fiscedulam appellant, quia Fiscum edit, & nunc Itali *Gardenam* vocant, secundum genus pilare siue Trichas dicitur, quod acutè sonat etiam magnitudine merulæ æquat, turdique nomen retinuit. Tertium his omnibus minus *Illada* nuncupant, quodque minus maculis distinctum. Calidi & sicci sunt turdi quorum caro durior est, sed sapore gustu admodum grata, & præcipuè si iuniperi baccas vorauerint, maximè enim pinguescunt, & si ita pingues statim quæ capti fuerint, inassentur, intestinis minimè exemptis adeò sunt suaues, vt inter laudatissimos cibos connumerari possint, vt nos sæpè experti sumus, nec de eis immeritò cecinit Martialis, dum dixit:

Vires.

Inter aues turdus si quis me iudice certet.

Non multum copiosum, sed probum corpori alimentum præstant, & minimè excrementitium, nec difficilis sunt coctionis ob carnis leuitatem, quæ multum aëris continet, & si quid insit brodiis, facilè tolli potest, & qui in montibus nascuntur, ac degunt, præstantiores habentur, non modo aëris, sed & alimenti, quod nobis præstant tenuitate, antecedunt omnibus aliis in locis aquosis, ac campestribus degentibus, vt Galenus nobis tradidit in libro de Attenuante victus ratione. Quod de omnibus animalibus eadem ratione censendum est. Quæ enim in stagnis, ac locis aquosis, & campestribus degunt, humidiora sunt, atque excrementosa, quæ verò in montibus viuunt, omnia temperatura sicciora sunt, ac calidiora, atque eorum caro minimè pituitosa & lenta: ob id imbecillioribus ventriculis natura, aut morbo ita redditis, sicuti conualescentibus commedantur, sed euitandi sunt antiqui, & macilenti, quique simul nigricantem carnem habent: non enim atrabiliario humore carent omninò. Merula autem auis est, quæ ex nigra rufescit, æstate canit, hyeme balbutit, circa Solstitium obmutescit, turdis valdè amica est: altera verò (vt Aristoteles inquit) merula est candida, & magnitudine, ac voce vulgari similis, quæ circa Syllenem Arcadiæ nec vsquam vllibi nascitur: calida & sicca est nostræ vulgaris merulæ caro, imò non desunt, qui merulam odio habent, quoniam vermes, & locustas comedat, dura quoque est eius caro, sed nutrimentum à Galeno non improbatur: inter enim illa edulia connumeratur, quæ tenuantium, crassumque facientium in confinio sunt: eligatur iuuenis, & præpinguis, quoniam in omnibus fermè turdo est similis, vt & Galenus sentire videtur. Sturnus quoque merulæ vulgari ferè similis est: niger enim, sed albis maculis distinctus est. Cateruatim ac gregatim volant sturni, calidi & sicci sunt, & ab vsu ferè hominum abdicantur, non solùm quia eorum caro durior sit, & virosum quendam saporem referat: verùm quia cicutam quæ nobis venenum est pernitiosum ipsi innoxiè comedunt, quæ nec modò eos refrigerat, & enecat vt in nos, sed alit, ac etiam calefacit, proinde manifestè patet amicitias quasdam, pugnantiasque qualitatum omnibus rebus inesse, & quod familiare est, expeditè assimilari, quod verò contrarium ad internitionem ducere, quas familiaritates à totius substantiæ proprietate oriri demonstrauimus in decimo Contradicentium medicorum: vbi etiam disputatur an quicquid calidam substantiam ìalat, eius calorem adaugeat, ac tueatur. Mirè vuas sturni appetunt, qua valdè pinguescunt, quapropter eius tempore meliores ac suauiores euadunt pabuli optimi copia, sed statim quod capti fuerint, caput abscindere oportet, nec tamen ob id prorsus insuauiter edi possunt.

Montani præstantiores.

Cap. 8.

Merula quid.

Vires.

Sturnus quid.

Vires.

CAPVT XXII.

De Alauda, Hortulanis, Passeribus, atque alijs minutis auiculis.

Alaudarum genera duo. Cap. 25.

PVsilla auis est Alauda nulli non nota, cuius duo sunt genera, vt Aristoteles in libro de historia Animalium adnotauit. Alterum terrenum, cristatum, galerita à crista appellatum: quia apicem habet, hoc est, plumam claram in capite, ad similitudinem galeri, siue galeæ: alterum gregale, nec singulare, more alterius, verùm colore simile, quamquam magnitudine minus, & galero carens, cibo verò idoneum, & hoc vbique

hyberno

hyberno tempore ob æstum admodum capitur, nisi penuriæ necessitate, quæ plerunque vel ob frigoris vehementiam, vel ob nimium abundantiam, atque diuturnitatem contingere potest, & tunc ne dum hæ, sed & aliæ huiusmodi aues perire solent: vtrunque genus calidum, & siccum est, saluia, lardoque interpositis inassari solet, diuersis etiam condimentis elixatur, facileque concoquuntur alaudæ, si iuuenes pingues, & benè coctæ fuerint, optimumque generant succum, & vt refert Galenus experimento compertum est galeritam in iure elixam, colicis cruciatibus mirè subuenire, nec solùm maximam in præseruando vtilitatem, verùm etiam in curando præstare, ad eosdem quoque vsus eius cinere valere alij prædicant. Hortulani autem quædam auiculæ in Italia admodum pingues alaudarum magnitudine sunt, quarum captura Bononiæ, & Florentiæ largissimà fit, & apud nobiles magno in pretio habentur, suauissimi quidem sunt saporis, boni succi, facillimæ concoctionis, & valdè salubres, atque hyeme altiles fiunt soléntque Romæ & multis aliis in partibus depilatæ, atque farinæ asseruatæ in scatulis recentes, & intactæ transmitti. Passeres & ipsi auiculæ sunt paruæ omnibus notæ, atque apud nos copiosissimæ, quæ omnibus auibus calidiores sunt, malè alunt, difficilis sunt concoctionis, & libidinem mouere creduntur, teste Principe, qui salacissimæ sunt, quarum caro gustui ingrata est nimia siccitate, atque calore, & difficile è ventriculo descendit, æstuosum, atque illaudatum generat succum, biliosum nempe, ac etiam attrabiliarium, & quamuis Galenus passerum carnem maximè laudabile esse affirmet quarto de ratione victus in morbis acutis, atque aliis in locis, quæ verba Conciliator per passeres omnes minutas aues Galenum intelligere interpretatus est, cuius tamen opinionem haud nobis arridet, cùm eo loci de passere, ac ficedula mentionem faciat. Quare dicendum potiùs Galenum passerum carnem in turribus habitantium, aut in montibus degentium laudasse tempore Autumni, vt eius verba sonant, qui vuis, & granis maximè aluntur, & pinguiores fiunt, & iuuenes sunt, nec adeò salaces & succi bonitatem acquirunt, rarò autem nobiles in suis mensis admittunt: feruntque mares ob coitus immoderantiam, ac salacissimam libidinem, annum integrum non videre, ob id Mauritani cibis in totum abdicarunt. Reperitur & ex hoc genere passer solitarius aliquantò maior, ac subnigrior, qui suauitate cantus à multis in eum vsum educatur. Adest & passer ab Aetio troglodytes appellatus, quem refert miram habere à natura contra renum, ac vesicæ calculos facultatem, & multi in furno exsiccant, & totum cum plumis in polinem reducunt, & cum vino, vel iure, vel stillatitiis appropriatis exhibent, quod nos quoque aliquando experti sumus, sed pauca cum vtilitate. Verùm quia magnum est auicularum agmen, atque pœnè infinitum: adsunt enim cardueles, ligurini, ficedulæ, atque huiusmodi aliæ, quas persequi immensi esset laboris, ac difficultatis. Ideo sat erit in vniuersali de omnibus sermonem habere, & eò magis cum voluptatis cantus potius gratia capiantur, alantúrque, quam loco cibi vtantur. Montanæ tamen multò sunt præstantiores iis, quæ in locis planis oriuntur, atque degunt quoniam quæ in stagnis, paludibus, locisque aquosis, atque campestribus degunt, humidiores, & excrementosæ valdè sunt, quæ verò in montibus calidiores, & licciores existunt & minimè excrementosæ. Omnes quidem tenuiorem generant sanguinem, nec multum alunt, & facillimæ sunt concoctionis, quandoquidem ipsarum corporis substantia non parum aëris habet, & parum excrementi adferunt, & si pingues fuerint, laudabilem succum præstant, & conualescentibus ac etiam aliquibus ægrotantibus mirificè conueniunt, & vt Galenus refert passeres, turdos, merulas, perdices, & reliquas id genus aues monticulas mandere licet. Qui verò tenuanti victu vti vult, abstinere debet ab auibus quæ in locis aquosis viuunt, vt anseribus, anatæ & aliis id genus magnis, quæ difficile concoquuntur, & crassum præbent alimentum, carnémque excrementitiam habent, & hæc de auibus dicta sufficiant, ad quarum oua transeamus.

Vires. *Hortulani qui.* *Passerum vires.* *Com 101. Conciliator notatur.* *Nota.* *Passer solitarius. Troglodytis vires.* *Montanæ aues præstantiores. Nota.*

CAPVT XXIII.

De Ouis.

QVorum verò historia tam multiplex, tamque varia est, at longa indigeret enarratione, siquidem variantur & specie, & partibus, & tempore & præparatione, & comparatione ad corpora, verùm omissis speciebus de quibus in singulis locis dicemus, vtpote perdicum, & columborum, & auicularum, & piscium, secundum genus, & vnamquamque speciem, siquid in eis noui, vel ratione ipsa, vel experimento depræhenderim, velut & testudinum, quorum tantùm inter quadrupedia oua edendo sunt, hîc solum de ouis gallinarum, atque phasianorum, sermo erit, hæc enim illis simillima, illa præstantissima, & optima, & numerosissima, dicemus de reliquis differentiis, quanquam & ipsa primum in hypenemia, seu subuentanea, & fœcunda distinguantur, nec sensile discrimen in his vel ratione, vel experimento deprænhendere potui, quæcunque tamen gallinæ gallis assiduè congrediuntur, oua faciliora ad concoctionem, & aliquantulum calidiora edunt. Accipere autem oportet à sensu ipso quod oua longè tardiùs putrescunt carnibus, etenim exposita soli in æstate vix triduo fœtent, carnes spatio quatuor horarum, si teneræ sint, & comminutæ putrescunt, neque tamen credas eas putrescere, aut putruisse cùm apparent vermiculi, nam persæpè ante putredinem à maioribus muscis, quæ illos pariunt dum carnibus incumbunt, natos esse intelligas, & tamen vel sic, vt dixi, longè celeriùs putrent carnes, quam oua, & ex ouorum partibus celerius candidum quàm luteum, hoc enim expertus sum, quod vna vel altera die

Ouorum historia varia. *Oua longè tardius carne putrescunt.*

Putredo oui deterrima.

ra die ex candido oui vermiculi generantur, & quammulti, non ita ex luteo, sed & si putruerit ouum, adeò corrumpitur, vt omnes carnes excedat putridas, neque ferri possit, præclarum ob id auxilium ad prolapsus vteri, si supponatur, magis verò ad illius descensum cum spontaneus fuerit, & robustus, sed & ouum vtraque sui parte maximè viscidum est: albo enim diu agitato, & flore calcis gluten efficitur, quo vitri partes adeò adhærent, vt alibi potiùs quæ in futura si occasio detur rumpi soleat, sed & luteum si trahatur, sequitur, & lentorem magnum ostendit, quin etiam totum ouum è numero eorum quinque est, quæ ex animalibus quo magis coquuntur, eò magis concrescunt, & duriora fiunt: sunt autem reliqua sanguis, & lac, & iecur, & cerebrum, siue elixentur, siue assentur, sed assata tamen longè plus, & celerius coguntur, ambæ etiam partes ouorum coctæ, & in camino positæ, transeunt in lapides durissimos: partes verò eius vt coctum fuerit, medio inter quatuor sunt manifestæ, luteum quod secundo loco concrescit, & pars media candidi, quæ prima omnium & extima, quæ concrescit, & adhæret cortici, & suprema quæ valde pauca est, quam lac vocant, quæ seriùs cogitur, & suauis est, & aqueæ substantiæ. Discrimen verò à tempore est, quod quantò diuturnus fuerit, eo inanius, & deteriùs tum ab aëre, qui intrò continetur (omnia enim ab aëre corrumpuntur) tùm quia resolutæ sunt partes tenuiores, tùm quia putredini paratum natura, omne enim pingue vbi mortuum fuerit, putrescit, & ob id etiam hypenemia aliquantò celeriùs putrescunt. In vniuersum autem refugere oportet iam diu nata, & si fœteant, prorsus, vt veneficio abstinere, non idem tamen est tempus, & terminus omnium, nam æstate & detenta loco calido, post quatriduuum inutilia sunt, optima ea die nata, bona etiam pridie, hyeme verò etiam pridie, & perendie obtima, & bona etiam vsque ad octo dies, si conseruentur frigido loco, non tamen immodicè, ne congelentur, an gelari possint incertum mihi est, id certum aërem intro corticem penetrare dignoscuntur, exposita soli non fallente experimento, quoniam quæ inania sunt, obscura videntur ea parte, & tamen translucent contra recentia: non enim translucent, & rubicundiora videantur, sunt etiam grauiora quæ sunt recentia, & leuiora, & humidiora, ac leuiora, adeò vt quidam dispensato nobilis, singula distingueret, ac seligeret. In coctione etiam multiplex discrimen, elixata in aqua, in lacte quæ suauissima sunt, cocta in cineribus, frixa in sartagine, tùm verò leuissimè cocta, dura, & apala. Omnium commune est, vt nulli alij cibo rectè misceantur, vel quia obstruunt, vel quia cerius concocta relinquunt reliquos cibos crudos, vel quoniam cùm teneræ substantiæ sint, facilè corrumpuntur, pessima quoque sunt his qui ventriculum, aut iecur corruptis humoribus refertum habent ob eam causam, tum etiam quia plurimum nutriunt, hoc enim commune omnibus ouis est, & quouis modo præparatis, durescunt etiam in febrientibus, & ob id etiam dura concoctu laboriosissima, atque vitanda: sed magis alba pars, nam lutea friabilior redditur. Mala sunt generantibus lapides in renibus, aut in vesica lapidem habentibus, & his quorum maiores morbo attonito, aut resolutione correpti sunt, feruntur enim ad cerebrum, & plurimum nutriunt, & viscidum, ac insuperabile præbent alimentum, quod in cerebro nunquam dissoluitur, plurimum etiam nocent podagricis, atque his qui abscessuum generationi sunt subiecti, his quatuor generibus morborum maximè obnoxia sunt oua præter cæteros, sed & quibus in ventriculo peculiari natura in nidore transeunt. In reliquis si parcè sumantur tenue, & multum admodum adhibent alimentum, propriè quæ apala dicuntur, frixa inutilia sunt, non tam peculiari ratione, quàm quod vt diximus, pingue aduritur quo condiuntur, seu adeps. Conueniunt maximè infantibus propter substantiæ cum lacte similitudinem, & senibus propter coctionis facilitatem: si enim rectè cedat, quarta hora traducuntur ad iecur, idque ex fame, & inanitate ventriculi, & leuitate, & alacritate, quæ nutritionem subsequi solet, & ex vomitibus depræhenditur. Conueniunt & releuatis à febre, & consumptis à quauis causa, & ideò hecticis, nisi tamen concrescant. Et quibus multa est effluxio maximè sanguinis facta fuerit. Et ideo etiam nutricibus ob duplicem causam, & imbecillem ventriculũ habentibus, augent semen, & rem veneream, quibusdam etiam, qui cerebro sicco sunt, vtilia sunt, & conciliant somnum, sed & his, parum exercentur, quemadmodum & studiosis, duplici ratione iungi debent soli pani leui, pessimè caseo: gluten enim efficiunt durissimum, inde piscibus, & leguminibus, demum carnibus ob multitudinem alimenti, & concoctionis diuersitate, cocta cum oleribus velut boragine, & blito, ac beta, bona sunt temperata natura pauci excrementi, quod cortici adhæret, omitti debet, Hippocrates in secundo de Diæta inquit: [Oua volucrum robustum quid habent, & alunt, & inflant.] Robustum quid habent, quia generatio est animalis, alunt quia hoc est pulli lac, inflant, quia ex parua mole in multam diffunduntur. Itaque validis, & plenis inutilia, exterius aluum astringit, luteum acopum est, & dolores mitigat, ob id ex eis frixis in sartagine oleum exprimitur, doloribus acutissimis vtilissimum. Teneriora, & cruda etiam magis aluum molliunt, terminus autem coctionis in cineribus est sudor, quæ non sudant, iam diu nata sunt, & vacua, vix autem ouum æqualiter coqui potest, sed partes molles modò habent, aliâs duras, ob id quod exterius coquitur: neque enim aquam admittit, vt caro dum elixatur, neque calorem ignis, vt dum assatur: ob id etiam ouorum vsus damnandus est.

Discrimen à tempore.

Dubitatio.

Experimentũ.

Discrimen à coctione.

Quibus pessima.

Vires.

Cur infantibus ac senibus conueniant.

Conualescentibus

Pag. 7.

CAPVT

CAPVT XXIV.

De Piscibus, ac eorum differentiis.

Piscium tractatio qualis.

PIſcium genera, variáſque eorum differentias, multiformemque naturam tractare volenti, non illud mihi propoſui vt de ſingulis dicerem, cùm hoc infinitum ſit negotium, & à præſenti inſtituto alienum, tum etiam ab aliis tractatum, ſed vt cuncta generaliter, ac veluti per capita compræhenderem, ſigillatimque ac quaſi per exemplum cauſas illorum deſcriberem, nec non & quorundam qui apud nos continuo ſunt in vſu naturam, ac facultates apponerem: illud primum proponens quod piſcis nomen intelligitur: id autem eſt animal omne, quod in aquæ alimento commodius viuit, quàm alibi, vnde fibros, & aues, quæ in aquis viuunt, à piſcium genere ſecludi manifeſtum eſt, teſtudines verò, & cancri, ac talia, piſcium nomine intelliguntur. Piſces autem qui ſub terra viuunt, cum tamen eo viuant, quia in cœno propter aquam viuunt, nomine piſcium eorum intelligemus, qui velut in terra degunt. Piſces tamen propriè dicuntur, quibus branchiæ ſunt, ac pinnæ, & in ventre concauitas vento plena, atque hi omnes fermè ſine pedibus, agiliterque in aquis mouentur, neque tamen omnia in omnibus, nam quoſdam piſces licet paucos conſtat branchiis carere Sunt autem branchiæ oſſa curua carne minuta contecta cum exiguis foraminibus, plerunque autem caro ea rubra eſt, & per has aqua ex ore pelli poteſt, & ingredi, nam pars oris ſunt: teguntur in pleriſque piſcibus maximè ſquamoſi oſſibus alij. Neceſſe autem fuit eas ineſſe piſcibus, quod cùm piſces in aqua viuant maiori ex parte, parum habent ſanguinis, & reſpiratione aëris carent: quamobrem dum comedunt, oportet & cibum deuorari, & aquam excludi, quæ duo in hominibus per aſperam arteriam, adiacentéſque partes, & faucium muſculos fiunt, at in piſcibus neutrum adeſſe poterat. Branchias igitur natura excogitauit, quæ etiam integros cibos in gulam comprimerent, & aquam prohiberent, vno enim & eodem motu dum conſtringuntur, cibum in gulam immittunt, & aquam quæ in ore eſt, expellunt. Tertius vſus earum eſt, vt cor aqua ſenſim attracta non confertim refrigeretur: ſi igitur non eſſent branchiæ, nec cibus poſſet deuorari, quia piſces non mandunt, plerique enim latis dentibus carent, operoſum enim eſſet in ſubſtantia tam craſſa qualis eſt piſcium tot muſculos, & tam tenues fabricare, cùm videamus in terreſtribus carnem eam rubram eſſe maximè. Branchiæ igitur muſculorum oris vice ſunt, ideò eis maximè neceſſariæ, vt diffuſiùs declarauimus in libris de Rerum varietate, in quibus etiam demonſtrauimus an piſces reſpirent, aërem, an aquam, an vtrunque, an neutrum? atque etiam quomodo aërem in ſe, & cur contineant: item quomodo audiant, ſintque omnibus ſenſibus præditi, atque iiſdem hebeti. Oua gignit piſcis, quia animal ſi generaretur in vtero, ex ſanguine generaretur, eſſetque piſcis ſanguineus & calidus, quare pulmone indigeret, & aëre, non igitur eſſet piſcis: ob hoc vitulus marinus cum animal non ouum generet, etiam reſpirat, & cutem piloſam habet propter caliditatem. In elemento etiam iam frigido, difficilè eſſet tantam caliditatem ſeruari, ex qua poſſet animal generari perfectum. Cauſa verò multitudinis piſcium eſt elementi facilitas, aqua enim generationis principium. Et quia eſca ſunt parui piſces maiorum, non enim ibi tot ſunt plantæ, grana, fructus, quibus veſci piſces poſſent, ſicut in terra, ſed idem fermè cibus, & animal. Piſces enim ſunt parui ſenſus & animalia cognitione carentia, vnde fœtus negligi à parentibus neceſſe erat, ob idque maiorem illorum partem perire, quamobrem multa generatione opus fuit. Animalia enim pro ſenſus magnitudine, & prudentiæ fœtum ſuum diligunt, atque cuſtodiunt: ſiquidem cuſtodia fit per delectationem, delectatio à cognitione oritur. Quamobrem quæ imperfecta ſunt, valdè curam fœtus ſolùm gerunt, donec in vtero eos continent, quæ perfectiore, donec in lucem ex ouo prodierint: oua enim cuſtodiunt, natum animal negligunt, quæ verò perfecta donec robuſta ſint, vt aquilæ, canes, & corui, ſed perfectiſſima vt homo, & elephas perpetuò fermè natos ſuos diligunt. Verùm animalia, quæ imperfecta ſunt, animalia vnquam ex ſe generant, nedum vt genita diligere poſſint, & licet parte anteriori piſces omnes animalibus pedeſtribus ſimiles videantur, poſteriore tamen in piſcem deſinunt, vel nullis fermè exceptis: cauſa eſt quod velut in nauis puppi temo illum dirigit, ita cauda piſcis iter ſuum, propterea piſcibus omnibus fermè cauda bifida eſt. Atque ſcriptum reliquit Ariſtoteles piſces Græcis magis fuiſſe cognitos, cum ipſi ferè ad mare omnes poſiti ſint, atque eorum marinorum naturam magis compertam habere mediterraneis. Sed mirum eſt cur rem piſcariam à Romanis fuiſſe adeò prætermiſſam, cùm conſtet ſtatim ab vrbe condita piſces marinos Romæ in vſu fuiſſe, nec non etiam & tot inſtituiſſe piſcinas, in quibus pretioſiſſimos piſces alerent, atque ex eis magnos redditus capiebant, ſi hiſtoriis fides adhibenda eſt, atque aliis antiquis ſcriptoribus, tanta erat ventris, gulæque luxuria, & magnatum, ac Principum in cibis libido, quibus maximis in delitiis fuerunt. Feruntque Alexandrum Regem potentiſſimum piſciculos ad amicos pro ſummo munere miſiſſe, ſed fluuiatilium, & locuſtrium, vt ſunt ciprini, tincæ, anguillæ, & alij huiuſmodi piſces apud eos in nullo fuere vſu. Sed ad rem deueniamus, atque eorum qui apud nos in vſu ſunt, quo ad ſanorum commoditatem facere exiſtimantur, ſermonem in genere habeamus, quorum differentiam partim à magnitudine, conſtitutione, figura, colore, loco, atque accidentibus, partim ab ipſorum cum ſignis cœleſtibus, volatilibus, quadrupedibus, inſectis, ſtirpibus, & diuerſarum artium inſtrumentis, ſimilitu dine reductas eſſe comperimus,

Quid piscis. *Branchiæ quæ. Branchiarum vſus.* *Nota.* *Cur oua gignat piscis.* *Multitudo piscium vnde.* *Nota.* *Piscium differentia à quibus.*

comperimus, vt in libris de rerum varietate declarauimus, est etiam & vltimum discrimen amoribus in piscibus: sunt enim solitarij, gregales, simplices, astuti, feri, mites, vagi, quieti, atque aliæ huiusmodi differentiæ plures. Sed potissimùm à quatuordecim eorum differentiæ desumuntur: A genere vt marini, & aquæ dulcis, atque inter hos discrimina alia: Ab alimento, vnde pelagij, qui in alto mari degunt, & vrbitij qui ex sordibus vescuntur: A specie auratæ, gobij, tincæ: Ab ætate paruuli, senes, mediocres: A sexu masculi, & fœminæ: A tempore vt cum ouis referti sunt, aut exiles, pinguescunt alio tempore, alio macilenti euadunt, recentes vel iam diu capti, aut mortui: A forma crassi, tenues, longi, breues, lati, angusti: A colore candidi, rubri, nigricantes sub branchijs: A cute molli, aut squamosa: A substantia dura, aut densa, aut friabili: A capturæ modo: A proprietatibus, & à partibus. Principaliores autem differentiæ sunt à genere, à tempore anni, à forma. Pelagij ergo melioris, & maioris sunt, atque solidioris alimenti his, qui sunt ex aquis dulcibus, ac littoralibus, tum multò etiam magis vrbicis. Ab anni autem tempore cum ouis repleti sunt meliores plerique, & præcipuè cancri, & astaci, & ciprini: Bulbi autem seu barbati dum florent populi, penè exitiales, vomitum mouent, & choleram morbum.

Principaliores piscium differentia.

Forma autem in eisdem speciebus plurimum refert, nam squamosi plurimum sunt meliores, quàm qui cute teguntur, & squama candida atque splendida: sunt enim ex melioribus aquis, & magis recentes, & si tenues sint, ac lati, & ventre duriore sunt alimenti melioris, & facilioris coctionis, friabiles magis, & magis recentes, quoniam à ventre primùm laxantur, & viui præferuntur mortuis, sed ex mortuis optimi, qui non sunt distenti, sed curui valdè, & obliqui, & duri, non molles, & branchiæ sint rubræ & claræ, ac quasi splendeant: nam si pallidæ sint, corruptionem significant, si obscuræ, cœnosus est piscis, atque lutosus. Et si candida sit caro, ac lactes, optimus est. Piscis bonus est cuius caro est candidissima, est enim recens, & bono ex cibo nutritus, & benè coctus, si aliquod horum desit, valdè candidus esse non potest. In vniuersum squamis pulchris, rubris branchijs, obliquus seu incuruus & durus, ac candidus maximè cum coctus extiterit: eorum autem qui in fluuijs gignuntur, præstantiores sunt (inquit Galenus) qui in iis gignuntur, in quibus aqua rapidè fluit, ac copiosa est, qui verò in stagnibus non boni. Præterea penes alimenta pisces meliores, peioresve euadunt, vt diximus: nam quibusdam herbarum, ac bonarum radicum copia suppetit, ijque eam ob causam sunt præstantiores. Alij herbas pascuntur limosas, & radices mali succi, præterea qui in fluminibus vrbem magnam præterfluentibus, hominum stercoribus, & prauis id genus escis victitant, omnium deterrimi sunt, adeò si paulò diutiùs mortui permanserint, statim putrescant, & pessimè oleant: isti autem cibo sunt prorsus iniucundi, & ad concoquendum difficiles, atque exiguum quidem boni alimenti, excrementi autem plurimum reddunt, quare mirum non est, si prauum succum in eorum corporibus, qui quotidie illis vescuntur, congerant, qui cùm sint deterrimi omnium, è contra præstantissimi erunt, qui in mari purissimo degunt, maximè vbi littora quæ aquam in orbem ambiũt, terra non abundant, nec leuia, sed aut arenosa sunt, aut aspera, & si ad Boream spectent, longè meliores erunt. Piscium autem omnium temperaturam frigidiorem, humidioremque esse cuncti percelebres medici vno ore confirmant.

Signa bonorũ piscium.

Fluuiatilium meliores.

CAPVT XXV.

De Partibus piscium.

QVod ad piscium partes attinet, quæ cæteris animalibus hucusque dicta sunt, huic capitulo inseruire possunt: velut illud delicatiora esse in singulis oua, lactes, & iecora, ita vt in auibus præsertim, sed longè meliora, vt molliora, quanquam minora, inde oculi, os, cerebrum, sed oculi, & os exigua res sunt, verùm mollia, suauia, & optimi alimenti. Hæc enim regula in partibus animalium non in generibus, neque partibus plantarum, sed his duntaxat propria est, quod quantò molliores, eò sunt delicatiores, & quò delicatiores, eò etiam sanitati tuendæ accommodatiores: sed tamen & in his ordo est, nam iecora sunt omnium meliora post lactes, nam oua, & cerebra minùs sunt probata, rostri, limites, & oculorum sedes (vt dixi) exiguæ sunt. Alimentum harum partium, cùm omnium piscium & partium sit, pituitosum etiam eiusmodi est, sed tenuius multò, & sanguinis naturà vicinius, namque vt ob mollitiem faciliùs concoquuntur, tum etiam ob suauitatem, ita etiam tempore debito coctæ hæ partes in meliorem, & exactum sanguinem transeunt. Et sicuti alimentum quod ex piscibus prouenit sanguinem gignit consistentia tenuiorem, quàm quod ex pedestribus animalibus sumitur, adeò vt non affluenter nutriat, & celeriùs discutiatur, ita & eorundem partium seruata proportione, quod omnes cura tuendæ sanitatis operam dantes pro comperto habere debent, veluti & alimenta quæ extenuant, quæ crassi sunt succi, quæ mali, quæ probi, quæ crudi, quæ facilè perficiuntur, quæ difficulter, quæ flatus generant, quæ minimè aluum deijciant, quæ comprimant, quæ vrinam prouocant, atque alia huiusmodi, vt superiùs in primo libro declarauimus.

Piscium partes meliores.

CAPVT XXVI.

De Piscium in alendo permultis differentiis, ac facultatibus.

PIsces ergo cùm à specie, ac genere, à loco, & victu, ab ætateque distinguãtur, tũ magnitudine, ac cæteris differentiis, tum communibus, tum propriis vt diximus. Quicũque enim

Piscium differentia in alendo.

Q

enim parui sunt, eò minùs nutriunt, quo faciliùs concoquuntur, contra magni. At qui parui sunt, & magnorum genere, non solùm parum nutriunt, sed etiam mali sunt alimenti. Vt enim declarabat Galenus: quæ proxima natiuitati sunt, humidiora sunt, si autem iam per se humida sunt, cum parua sunt, sunt humidissima: quantò igitur meliores sunt hœdi porculis, tantò & magis merulæ, & apuæ tincis, & luciis, cum illi natura parui sint, hi magni: ergo magnorũ, vt ille dicebat, breuis est ætas, nã parui nimis humidi, magni duri. Per genera, qui respirant omnes carnis duræ sunt, vt delphini, cetacea, & orcas, ac marsuinus. Calidiores enim sunt necessariò, ac magni, quorum tenerrimæ partes solum vsui esse possunt, velut lactes, & quæ pinguedine concreta constant ac apuphyses. Quæ autem pedes habent duros, vt astaci, cancri, locustæ, deteriora sunt mollibus, polypis scilicet, ac sepiis, & loliginibus. Et parui in mari vt alosæ, scari, mulli in dulcibus aquis, magni velut trottæ, salmones, præstantiores sunt, & meliores: nam cùm pisces marini multò plus alant, & nutrimentum præbeant, solidius, & difficilius concoquantur, difficilius etiam corrumpantur, si minores natura sint, nihilo fermè deteriores sunt, & in his quibus laudari merentur, maioribus certè præferri debent, his qui in fluuiis degunt, & minùs mali sunt in his, in quibus damnari possent. Pingue enim solidum, ac multum est alimentum marinorum piscium, si ad fluuiatiles comparetur, & non paruo discrimine differt. In aqua enim maris salis plurimum: in sale autem oleum continetur. Sed puriores qui alga vescuntur, & meliores vndequaque, reliquorum, vt quisque meliore vtitur alimento, & secundùm speciem, velut qui conficiuntur cancros, & conchas, aut pisces cæteros, & secundum numerum, vt pelagij littoralibus præferri debent, & locus arenosus melius est cœnoso, & saxoso. Et in cœno qui habitant vt tincæ, malæ sunt: ex eo enim nihil boni, deterius si ex eo alantur, vt diximus. Sicciores autem & frigidiores inter lapides habitantes, nam similia suis naturis appetunt: lati quoque ac tenues præstantiores, quoniam dissecant facilè aquas: ideo leues, & magni motus, & vnumquodque ad genus suum referri debet: nam & ex dulcibus aquis idem contingit, non tamen crassi: mali: nam gobij tales sunt, & boni, solidiores tamen sunt omnes tenues, quia non perdurarent, quanquam rhombi molli carne sint: præterea leues, & friabiles etiam grauibus, & lentis, meliores. Et quorum caro candida est, boni saporis, atque iucunda gustui, odorem enim bonum refert, squamosi itidem, ac recentes. Et candor carnis piscium quatuor indicium est præstantium, conditionem, quod sit natura bonus, è bono loco, recens, & benè coctus. Omnis tamen piscis caro hebetat visum, & ipsum obtenebrat.

Marini plus alunt quàm fluuiatiles.

Est etiam magnum in rebus discrimen ex comparatione causarum & coniunctione multorum, velut mihi contigit cum abhorrerem ab esu anguillarum ob alimenti prauitatem, & caupo in via Romana cùm nihil aliud haberet, hortaretur enixè vt ederem appositas, dicens esse ex aqua clara, & flumine, paruas, recentes, benè frixas, animaduerti esse maximè candidas, degustare cœpi, verebar enim quod cùm sint humidiores, tamen paruæ etiam multò magis essent: verùm tam commodas inueni ventriculo, vt pœnituerit non paruisse cauponi, parum enim obsunt vt vidi ab alimento pedum vitulorum: ideò condiri debent sale, pipere, cinamomo, & roremarino, sicut quæ magnæ sunt lauri foliis, facillimè concoquuntur eiusmodi, & valdè suaues sunt. Appello recẽtes à captura, non à morte: tabescunt enim viuæ cum motu hebetantur, vt mortuæ putrescant. Hæ ergo multò meliores sunt tincis, tenuioris alimenti, leuioris, minusque lenti.

Nota historiã quæ mihi contigit.

CAPVT XXVII.

De Mugile, lupo, & mullo.

Plures mugilum species, vel differentiæ ab antiquis constituuntur, vt ex Athenæo colligitur libro septimo, quas tamen nec certis, conspicuisque notis, neque proprio cuiusque vulgari nomine eas distingunt. Nos verò ex Aristotelis, atque aliorum auctoritate, in mugiles, capitones, labeones, myxonas seu mucones distinximus in libro de varietate rerum: sed hîc de capitonibus mentionem facere sufficiet, & quorum exemplo tanquam omnium optimorum, reliqui quoque intelligantur. suauitate namque, ac succi bonitate cæteris præstant capitones: secundo loco sunt, qui mugiles dicuntur mucones inferiores, omnium infimi sunt labeones, hosque omnes Græci Cephalos vocant. Propterea quod magnum habent caput, suntque ex squamatorum piscium genere, & sæpè loca mutant, cum vtrisque aqueis, & marina, & dulci vtantur, è mari abientes aduerso natent amne. Fluuiis enim omnes marini gaudent, nec modo in mari nascuntur, verùm etiam in stagnis, ac fluuiis, & proinde magnum inter se discrimen præstantiæ, & bonitatis, prò locis in quibus degunt diuersitate habent. Mugilum (teste Plinio) natura ridetur, in metu abscondito capite totos se occultari credentium more phasiani, celebratur tamen eorum velocitas, vt interim transuersa nauigia superiactent, atque soli omninò à carne abstinent, nec vllum piscem comedunt, cuius rei argumentum est, quod neque in ventre tale quid vnquam habentes capiuntur, neque esca in eos ex carne: vtimur, vt tradit Aristoteles octauo de historia animalium, sed offa panis vescuntur, quæ alga, & arena, & gulosis, atque insatiabiles sunt. Quocirca ventre distento grauescunt, & nisi ieiuni sint, hærent inertes: limo ergo omnes pascuntur capitones, quo fit vt graues, & sordidi sint, atque per id tempus quo vterum gerunt, laborant, maximè in vere: quapropter fœminæ tunc temporis prægnantes omninò sunt euitandæ. Cùm itaque magnum inter se habeant discrimen

Mugilũ plures species. Cap. 15.

Capitones omnium meliores.

Cephali sæpe loca mutant.

Discrimen in alendo vnde.

Proprietas.

Cap. 2.

Cur fœminæ prægnantes malæ.

discrimen particulares mugiles, ex Galeni sententia tertio de Alimentorū facultatibus, adeò vt pelagici genus diuersum esse videatur, ab eo quod in fluminibus stagnis, lacubus, aut vrbium riuulis, latrinas purgantibus viuit, eorum sanè caro, qui in aquis limosis, ac sordibus degunt, excrementitia, admodumque muccosa erit, optima autem qui in puro mari viuunt, præcipuè cum ventorum procellis agitetur, nam in quieto, nullisque agitato fluctibus, tanto piscium caro deterior fit, quantò minus exercitatur. In stagnis autem maritimis (quæ λιμνοθάλατίας appellant, vbi videlicet fluuius magnus efficit, quod mari coniungitur) adhuc est deterior: & hac adhuc magis in stagnis, quæ si parua sint, nec magnos fluuios recipiant, neque fontes habeant, nec largum effluuium, longè quidem deterior est. Pessima autem sunt stagna, è quibus nihil aquæ omninò effluit, sed stabilis est ac planè immota, qui enim pisces eiusmodi in locis degunt, pessimam habent carnem, vt supradiximus, verum gustu, & olfactu eorum præstantia ac salubritas dijudicabitur, nam vt proditum est à Galeno, continuo gustus mandenti sibi præstantiorem indicabit. Iucundior itaque est caro, & acrior, pinguedinisque expers. Pingues autem contra, & soluti saporis, tum cibo, tum ad concoquendum sunt deteriores. Quapropter boni admodum sunt succi mugiles pelagij, non multi nutrimenti, & excretu faciles, fluuiatiles verò valdè sunt spinosi, & sapore pingui, esu & concoctu ineptiores, ventriculo infesti, mali succi, ac virosi, ideò cum origano parari debent. Qui verò in turbidis aquis, & stagnis, mali sunt odoris, difficillimè distribuuntur, inertemque admodum carnem habent, quia ex fimo pinguiores redditi sunt, & eò magis cum genus quoddam mugilus reperiatur, vt testatur Aristoteles, quod non coitu, sed ex limo, arenave gignitur, summa facta putredine, qui cùm sordidi, atque excrementosi, omniumque muccosi pisces sint, ob id & pessimi valdè sunt succi, & omninò à cibo abdicandi. Eligatur ergo pelagius, qui recens captus comedi debet, nam si paulò diutius mortuus permanserit, statim putrefcit, & pessimè olet. Maiores verò elixari, vel assari solent, & minores in sartagine frigi, meliores sunt mense Septembri, & magni cum carnem duriorem habeant, ideo difficiliùs concoquuntur, sale etiam conditi optimè asseruantur, imò & stagnales sic conditi longè laudabiliores, quàm antè redduntur, omne nempe quod muccosum, ac virosum eis inest, id totum exuit, ac deponit, & recens salitus, iam diu salito melior est, nec parum ventriculo confert. Mugilum quoque oua sale condiuntur, asseruanturve, iucundum sanè edulium, ab Italis vulgari nomine *botarghe* dictum, quod à Proceribus, & Magnatibus, præcipuéque bibacibus magno habetur in pretio, quippe sitim, & vini auiditatem mirè excitare creditur, quemadmodum & cætera salsamenta. Verùm cibi appetentiam iam deiectam recreare, atque etiam restituere senibus præsertim solet: eduntur etiam oua hæc cruda, vel parum tosta, sed de eis modicum comedere sufficit, quia difficulter perficiuntur, sicut & difficulter etiam corrumpuntur. In vniuersum enim omnia piscium oua pertinacis sunt concoctionis, atque etiam non boni succi. Mugilum quoque ventriculus hominum ventriculo vtilis non parum esse, seu in puluerem redactus, seu ex aceto, aut ex vino comestus creditur, illius enim pituitam resiccat, atque humidum superfluum. Lupus autem piscis est edax, ac vorax, solitarius, & carniuorus, vt Aristoteles inquit, qui à Romanis *spigola* à Venetis *varolo* dicitur, & sic diuersa sortitur nomina pro locorum diuersitate. Est etenim squamosus piscis, atque branchiarum tegumenta spinea sunt, horrida, & spiculis aspera, atque in erenas, vt inquit Bellonius, à summo denticulata, vt duplicatas esse dixeris, os illi magnum est, atque amplum, tenuibus denticulis confuso ordine dispositis vndecunque armatum, & carnem in sulmonis modum rubentem, in capite lapides gerit, vt adnotauit Aristoteles. Eiusque duo nonnulli faciunt genera, alterum maculatum, alterum verò maculis carentem: hallucinantur tamen, cùm varietas illa, solà ætate, ac magnitudine fiat, grandiores enim deletis illis nigris notis, sine macula apparent. In fluminibus nunquam nascitur lupus, sed è mari sæpe flumina subit, vt testatur Galenus tertio de Aliment. facul. dum inquit: [Hunc piscem in aquis dulcibus natum non vidimus, sed è mari in flumina, aut stagna, ascendisse conspeximus.] Ideóque paruus rarò quemadmodum mugilis sæpè inuenitur. Et quamquam pelagius sit, stagna tamen maritima non fugit, nec fluminum ostia, Pelagij enim vocantur, in profundum mare secedunt: maximo apud ueteres Romanos in pretio fuisse testatur Martialis, proinde in piscinis studiosè alebutur, quas seminibus marinis replebant, vt lupos, auratas, aliosque pisces marinos procrearent. Plinius laudatissimos in amne Tyberi capi, cæterisque præferri tradidit imò & præcipua authoritas iis tribuebat, qui in Tyberi inter duos pontes capiebantur, nos verò inutilissimos esse in cibis, & insaluberrimos censemus, propter sordidum, & obscœnum victum, vt etiam superiùs ex Galeni authoritate diximus, cùm in monibus piscium generibus pelagij optimi sint, post quos, qui in marinis stagnis, hos illi sequuntur qui circa fluuiorum ostia victitant, postremi omnium fluuiatiles censentur: ergo quantò magis lupi pisces voracissimi, & stercorum, latrinarumque sectatores auidissimi? Pelagij igitur eligantur, qui boni sunt succi, & salubres, licet non multi alimenti, quia leuioris vt probat Galenus loco præallegato. Alimentum enim inquit quod tùm ex lupo, tùm ex aliis piscibus prouenit, sanguinem gignit consistentia tenuiorem, quàm quod ex pedestribus animalibus sumitur. Fluuiatiles verò quia vt plurimum cœnosi muccosique, ac lutum redolent, & citò putrescunt ideò euitandi. Mullus autem piscis haud nobis hodie incognitus, quem Græci

Vires. | *Ex gustu & olfactu cognitio.* | *Mugiles ex limo orti qui.* | *Qui eligendi sint.* | *Botarghe.* | *Vires.* | *Lupus piscis squamosus.* | *Hallucinatio.* | *Lupus flumina subit. Cap. 26.* | *Pelagij qui.* | *Plinij error.* | *Vires.* | *Alimentum ex piscibus.* | *Mullus cur trigla dicatur*

Græci τρίγλαν vocant, quia ter in anno pariat. Veneti verò *barbonem*: diuersæ creduntur à nonnullis mullorum species, quod, & nos quoque septimo de Rerum Varietate tres enumerauimus, scilicet imberbem, barbatum, & asperum, qui & si quodammodò differant, non tamen vera specie, sed potiùs leui quadam differentia ex ciborum, quibus nutriuntur varietate, cùm alij alga, alij ostreis, alij limo, & alij aliorum piscium carne vescantur: ideò potiùs plures verbis posuit eorum differentias Plinius, quàm re ipsa constituerit, & barbati, ac barbatuli à Tullio, & Varrone appellantur peculiari epitheto, quia barbam in inferiore labro geminam habent. Sunt etiam gibbosi, squamosi, rubri, ac purpurei coloris, & maculosi, squamisque teguntur magnis, ac tenuibus, & inter peculiares maris pisces enumerantur. Pelagij enim sunt, licet in stagnis, ac piscinis marinis victitent: apud Romanos maximo in pretio fuerunt veterum testimonio: verum præstantissimi omnium sunt, qui in alto mari vitam ducunt, nequissimi verò qui in cœnosis, obscœnisque littoribus, stagnisve versantur, quod docuit Galenus dum dixit: [Omnium fermè aliorum piscium carnem habet durissimam, & valde friabilem mullus] quod idem significat, ac si dicas nihil in eo esse lentoris, neque pinguidinis. Nutrit certè cum probè fuerit confectus omnibus aliis piscibus copiosius. Diximus autem antea quod cibus durior, ac crassiorum partium, & (vt ita dicam) terrestris magis, alimentum corpori præstat, copiosius, quàm humidior, ac mollior, præsertim quando præter id substantiam habet corpori alendo accommodatam, ac familiarem, quæ voluptate indicatur. Alimenta enim quæ tota substantia, ab alendis animalibus sunt aliena, ea aut non prorsus, aut insuauiter manduntur, ex familiaribus verò quemadmodum humidius minus nutrit, ita coquitur faciliùs, ac distribuitur. Ergo nulli caro iucunda quidem est, vt quæ alimentum est hominum naturæ familiare, & quamuis sit aliis piscibus durior, mandi tamen quotidie potest, propterea quod friabilis est, & pinguedinis expers, cum quadam acrimonia, nã pinguia, & lenta cibaria statim vt sumpta fuerint, celeriter implent, & appetentiam euertunt. Porrò subiungit: [Optimi mulli redduntur vt alij etiam omnes pisces, tum propter mare purum, tum maximè propter alimenta, quoniam qui cancellos vorant, grauiter olent, insuaues sunt, ad conquendum difficiles, & mali succi, quod & olfactu, ac gustu facillimè percipi potest.] Iecur autem & caput à gulosis maximè ob voluptatem expetebantur, nescio qua ratione. Assi super craticulam, atque modico oleo, & aceto, vel arancij succo conspersi libenter à nostris gustus, ac salubritatis gratia comeduntur. Fricti etiam, & succo arancij irrorati edi solent. Contra draconis marini, scorpionis, & aranei morsus impositos plurimum valere experimento compertum est. Maiores minoribus sunt insuauiores, ac concoctu difficiliores, ob eorum duriorem carnem.

Ciborum varietas.

Vires.

Nota.

Partes meliores.

Loco medicamenti.

CAPVT XXVIII.

De Saxatilibus, & eorum alimento.

PEtrosos pisces Latini, Greci verò πετραίους vocant, quod in petris stabulentur, & saxatiles appellant, à locis in quibus versari comperiuntur: non enim in leuibus, aut arenosis, aut terreis littoribus, sed in petrosis, promontoriis, vt inquit Galenus, & vbi saxa sunt, delitescunt ac pariunt, perpetuóque in purissimo mari degentes inter saxa, rupiumque crepedines, vnde ortus illis, victusque versantur, atque suum naturalem locum tantummodò frequentant, nec temerè alienæ si aquæ immiscent. Et ij qui de saluberrimis sunt, quoniam alimentum quod ex his sumitur non modò ad concoquendum est facilè: sed etiam sanguinem consistentia medium generat, qui nempè nec tenuis admodum, nec aquosus, nec vehementer crassus, sed consistentia æquabilissimus, vt declarat Galenus tertio de Alimentorum facultatibus. Eorum enim caro candida, pura, syncera, ac fribilis est, & ob id laudabilem generat sanguinem.

Petrosi qui.

Vires.

Cap. 28.

CAPVT XXIX.

De Scaro, merula, & turdo.

SCarus à Græcis ita nuncupatus piscis est, qui inter saxatiles primatũ obtinet, cautibus, asperis atque herbosis scopulis gaudet, cuius corpus ex liuido rubet vt mullus, squamis contegitur latis, & translucidis, vt in eius descriptione Bellonius refert, dentes habet obtusos, nostris incisoriis persimiles, sargóque non multum absimilis, sed macula in cauda caret. Ipseque solus ruminat, atque ob hoc ruminalis à quibusdam est appellatus. Causam verò cur solus inter pisces ruminet esse reor, quia dentes & ipse solus planos habet, & alga vescitur. Animalia enim quæ ruminant vt boues, & capræ, carent superioribus dentibus, ante omnes autem alios planos, & latos habent, cumque ruminant, iacet, dum enim foris pascuntur, non ruminant, quoniam non durum est alimentum, sed cùm sub tecto sunt, atque ideo solis septem hybernis mensibus fermè. Scari autem caro mollior, ac friabilior est aliorum piscium carne, vt testatur Galenus tertio de Alimentorum facultatibus, nam multi inueniuntur, qui carne quidem sunt molli, sed nullam habent friabilitatem, vt quibus succus quidam lentus, & pinguis innatet. Alij verò nihil lentoris, ac pinguedinis habentes, in eo sunt saxatilibus similes, sed carnis duritie ab eis discrepant, vt pelagici fermè omnes. Valdè etiam suauis, ac gustui grata est scari caro, ad concoquendum etiam, subeundum, atque alendum

Scarus qui.

Cur scarus ruminet.

Vires.

Vires.

Cap. 30.

dum facilis, laudabilemque generat sanguinem. Interiora quoque suauia sunt, atque intestina violam olent. Et epar in tres lobos diuisum habet. In craticula atque sartagine assatur, quin & elixatur. Merula autem quam Itali tincam marinam appellant, piscis est, qui squamis tegitur paulò latioribus quàm turdus, & corporis figura minori turdorum generi simillima est, quàm pro anni temporibus colorem mutare prodidit Aristoteles: tota enim ex ceruleo nigricat, & quamuis Aristoteles dicat, vere ipsam nigrescere, post ver albedinem suam recipere, non ob id intelligendum est illam in totum albescere, sed cum reliquo anni tempore subnigra sit, & verè nigrior fiat, vt experientia ipsa ostendit, ideò subnigredinem illam largo modo appellauit Aristoteles albedinem: saxosis locis maritimis, ac littoribus gaudet, atque inter saxatiles Galeni testimonio merula, atque turdus secundùm obtinent locum. Vescitur alga, musco, pisciculis, cancris, & huiusmodi, cuius caro alba ac friabilis est, ob idque optimi succi, facillimæ concoctionis, & leuis alimenti, atque sanguinem consistentia medium generat, gustui tamen non admodum est grata, nec inter sapidos pisces recensetur, frixa, & in albo iure elixa manditur. Turdorum autē plura sunt genera, quorum species duodecim Rondeletius enumerat, seu quod plerosque depictos huic ascribant generi, seu quod vbi multiplex est color, ibi anceps sit, quasi naturæ, ac multiplicis differentiæ, seu quod cum in leuiore facilè variet, & à varietate differentiæ sumantur, multiplices etiam fiant differentiæ, quæ quales sint verè, eas nemo explicat, aliuum turdi piscis, turdi auis instar varium siue maculosum esse constat, cùm eius color ex rufo in melinum vergat, atque ad viriditatem inclinet, vt Bellonius refert: squamas habet tenues, & frequentes, geminantibus in medio punctis nigris, rubris, & aliis, per totum corpus distinctas cuius caro mollis est, sed friabilis, propterea boni succi, atque concoctu facilis, vti & saxatiles reliqui. Ab antiquis, & si saporis suauitate turdus commendetur, nostris tamen temporibus non æquè gustui iucundus habetur, ob id assato, & frixo, intinctus aranciorum malorum, aut acetum addunt.

Merula qua.

Vires.

Plura turdorum genera, & quæ.

Vires.

CAPVT XXX.

De Vlide, perca, & phycide seu fuca.

Iulis piscis marinus & qui.

PVlcherrimus est Iulis piscis marinus in saxosis locis victitans, quē Veneti domisellā vocāt quique squamis tenuissimis tegitur, nec totus palmi mensuram excedit, si cum longitudine conferatur, longiusculus apparet, colore est admodum vario, ita vt pulchritudine cum pauone pisce contendat, vt ex Bellonij descriptione videre licet, pisciculos, & algam comedit, qui teste Galeno teneram, & friabilem (vt reliqui saxatiles) habet carnem, concoctu facilem, & humanis corporibus saluberrimam, & si non admodum gustui gratam. Notandum tamen quod authores habemus asserentes: iulides dentibus venenum, atque saliua continere, vt alibi etiam declarauimus in libris nempe de Rerum varietate, & sunt adeò venenatæ (vt referunt) quod si quem piscem momordeint, atque eo vescantur homines, cruciatum alui sentiunt, ipsæ verò ad vrinatores cateruatim accurrunt, nec secus ac muscæ illos infestant. Habent enim hi pisces (vt diximus) corpus squamis exiguis, atque tenuibus admodum circundatum, in hisque lineæ virides, cæruleæ, fuscæ, ferrugineæ, rubeæque cernūtur, vt iridem cernere videaris in pisciculo. Itaque vario distincti sunt colore vt serpentes, & ob id maxima siccitas in eis demonstratur: quo fit vt venenati sint, non tamen in fontibus aut fluminibus hæc contingunt, quoniam aqua salsa non est. Quapropter non rectè videtur hos pisces agnouisse Galenus, cùm inter generosos saxatiles communeret, vnde vel dicendum non vnam esse Iulidum speciem: & hanc longè diuersam ab illa Galeni: colore enim euariant, sed semper reuertuntur ad suas notas, (inquit Bellonius) quibus abinuicem discernuntur: vel quod licet vis aliqua veneni eis insit, eam in ore solùm habere, atque eandem facilè euomere, aut in viuente pisciculo tantummodo reperiri, quæ postea inde mortuo euanescat: maneat autem in his, quos momorderit piscibus morsu reposita, atque transfusa: sic enim torpedines edimus, & marinum scorpium, & dracones innocuè, quos viuos vitamus. Non mirum ergo de Iulide videri debet, si piscis edulis sit, atque boni adeò, laudatique succi, abeunte veneno qualicunque, aut morte, aut morsu, cequitur, vt alij saxatiles, & eius iusculum aluum emollit, quod ex multorum aliorum piscium iusculis contingere solet. Perca autem marina non solùm corpore, sed pinnis à fluuiatili maximè differt: squamis paruis marina tegitur, & ex colore veluti sanguineo nigricant, quam Galenus inter pisces saxatiles, qui pelago gaudent, connumerat, qui perpetuò in purissimo mari degunt: ob id alimentum quod ex ea sumitur aliorum saxatilium instar non modò ad concoquendum est facilè, sed hominibus etiam saluberrimum: carnem enim habet perca teneram, atque friabilem, & gustui apprimè gratam. Fluuiatilem verò quæ in dulci duntaxat aqua gignitur, ac degit, longè marina inferiorem iudicamus quod ad salubritatem spectat: Galenus enim semper fluuiatilibus piscibus marinos præfert, nihilominùs neque ipsa insalubris est, cum tenera sit, neque concoctu est difficilis, neque mali succi, & maximè si in saxosis, ac puris fluminibus capta fuerit, & non in lacubus: suauis etiam est, & citra noxam valetudinarij vesci possunt, & quouis modo vtraque condita sapit. Phycis quoque multis modis admirabilis est, nam inter pisces in alga nidificat, colore est candido, sed in vere vario, ita vt aliquando omninò fusci, vel rubentis, vel viridis coloris appa-

Vires.

Iulis venenosus piscis.

Nota.

Perca marina qua.

Vires.

Fluuiatilis perca.

Phycis qui.

reat: posteriore parte tenuis, ideóque soleam anteriore tincam refert, atque multo percæ similior, vnde Romæ phycidem à perca distinguere nescientes, eam quoque percam vocant. Pinis quoque quasi cinta rubescit, è saxatilibus est, & in capite lapides gerit, vesicam felis longam habet, & in ventriculo quindecim appendices vnam ex mento carnis pendentem: nec tamen sola (vt inquiunt) in alga nidificat, nam & hyppocampi, & gobij. & plures alij pisces in alga velut loco molliore, firmiore, ac tutiore oua ponunt, sed omnes fermè quocunque loco ponunt ea ibi custodiunt. Vescitur alga & musco, quin etiam squillas persequitur: proinde in cibis eandem saxatilium obtinebit gratiam, est enim pisciculus tenerrimus, minimè virosus, nec corruptu facilis: teneræ enim (inquit Galenus) ac friabilis est carnis, propterea saluberrimum hominibus alimentum præbet, est tamen insipida, atque elixa, addito oleo & aneto parari solet, alicuius enim semper condimenti accessione indiget, quoquomodo condiatur.

Pisces in alga nidum facientes.

Vires.

CAPVT XXXI.

De Cynedo, anthia, & chamia.

Cynedus quis.
Vires.

SAxatilis est cynedus piscis, cuius color euariat, & squamas in gyrum crenatas gerit, quæ multa scabritie horrent, nec nullus saxatilis firmiores habet dentes, à quibus nomen ei inditum fuisse putatur, de cuius præstantia in re cibaria facilè est iudicare, cùm de genere saxatilium sit, qui semper optimi sunt succi, facilisque coctionis. Assatur, frigitur, atque elixatur: eius verò ius aluum emollit, frixusque ex arancij intinctu editur, qui gustui est admodum gratus. Anthias autem ob id sacras vocant, quod vbi sint, nulla bellua marina esse soleat, tutóque piscatores vrinare possint. Aristoteles negat quicquam esse his præcipuum, sed quod velut vbi limaces sunt, nulli sint sues, quoniam ab his animalibus deuorentur, ita de Anthiis existimandum est. Verùm cum belluæ omnibus fermè piscibus ex æquo infestæ sint, cur de anthiis solis hoc dici solet? deinde cur non vbique belluæ? cùm nec longitudo viarum, aut loca piscibus inaccessa, aut hominnm insidiæ, aut frequentia in mari obstare possint. Verùm anthias aliquid plus habere existimo, quod longius præsentiunt belluas, & vbi aduenerint, diffugiunt: reliqui pisces non tam cauti sunt: aliter oportebat Anthias Aristotelem effingere immobiles penè, & cæcas, velut sunt cochleæ, si comparatio recta esse debuerat. Verùm tantùm abest vt talis sit, quod etiam captum socium anthias conetur adhærendo liberare. Est enim ei aspera spina qualia dissecare solet, ac semetipsam etiam à captura liberare, nec est è planis piscibus licet lata sit, & à capite fermè ad caudam primam in dorso continuam habet: eius quatuor sunt genera, & copia tanta vt Anno M. D. XLV. coacti sint in Narbonensi Gallia terra obruere, quod nec absumi, nec condiri possent, atque hos pisces inter saxatiles nonnulli reponunt: & ob id boni esse succi, & facillimæ coctionis, & præsertim hyemis tempore, quo longè meliores censentur. Chamia piscis est, à Latinis etiam hiatula dictus, quod perpetuò hiet, quia adeò percæ ac phycidi similis est, vt non omnes eam ab illis facilè internoscant, exiguis tegitur squamis, atque ouata est totius corporis figura, colorum tamen varietate ab vtrisque differt: inferior enim maxilla non solùm rubet, sed superior etiam prominentior est, & hinc fit quod perpetuo hiare videtur: tergus etiam illius ex rubro minus quàm illarum nigricat, atque ex piscibus saxatilibus est, cum in saxosis potius littoribus reperiri experientia demonstret. Carniuora est, hiatula, imò & sola carne vescitur, satis boni est succi, nec concoctu difficilis: tenera enim est, sed perca durior, atque insipida, coquitur, præparaturque vt cæteri saxatiles.

Anthia quæ.

Nota.

Chamia piscis.

Vires.

CAPVT XXXII.

De Gobionibus, & Exoceto.

Gobio marinus qui.

ET si diuersa statuantur Gobionum genera, quorum alij marini, alij fluuiatiles sint toto inter se genere distantes, hîc tamen de marinis solùm agere intendimus, cum fluuiatilium apud veteres Græcos nulla habeatur mentio: nam quamuis Aristoteles, atque Galenus, de fluuiatilibus gobionibus pertractent, de his tamen solùm qui è mari ad flumina transierint, loquuntur, & non de illis qui in fluminibus ipsis sunt geniti, qui & Latinis etiam incogniti sunt. Marinorum autem gobionum genus nonnulli in diuersas quasdam species diuidunt, quas tamen si notis ipsis ad vnguem contemplemur, illas potiùs differentias quasdam, quàm specierum diuisiones appellabimus: ob locorum quidem diuersitatem prouenientes, in quibus degunt, alij namque in alto mari, & pelagici appellantur: alij verò circa littora victitant, & littorales dicuntur, quæ littora cùm saxosa, & arenosa sint, in quibus degunt, ob id non verè inter saxatiles connumerantur. Non mirum itaque videri debet, si locorum ratione colorem varient, non secùs quàm anguilliæ, & tineæ, quæ non ob id specie diuersæ dicuntur. Gobionum ergo qui puriorem maris partem incolunt minùs pictorati sunt, & hos albos vocant, non quia absolutè candidi, sed quia minùs colorati: ex albo enim leuiter flauescunt. Qui verò in cœnosis, ac paludosis marinis locis degunt, cùm ex flauo nigricent, nigros appellant: qui verò circa saxosa maris loca victitant, variis depicti sunt coloribus, & eorum partes cùm plurimæ flauescant, flauescentes vocant. Verùm cùm à nemine gobionem marinum vnquam diligenter

Bellony ac Rondelletij error.

diligenter descriptum viderim, hic describere placuit. Bellonium enim in eius descriptione laudare non possum. Rondelletius adeò aberrat, dum (vt reor) obscurè scripta à Bellonio piscem non videns, clarius explicare conatur, vt ego ipse non agnoscerem in historia, quæ in manibus toties habueram. Habet igitur sub branchiarum fine duas breues pinnas, vt pedes esse videantur, sub mento in inferiore labro cirrum vnicum carnosum, in dorso pinnam paruam primùm, pòst aliam longã priori proximam, quæ ad caudam extenditur, caput latum, & depressum, dentes in vtraque mandibula paruos, oculos quasi in capitis superiori parte, linguam fermè solutam, ventrem tumidum, dorsum, & latera flauescunt, cum maculis nigricant, & hoc secundùm magis, & minùs ratione adducta, iecur magnum, molle, suaue, caro vt plurimum fit iecoris naturæ respondens: sed non adeò tamen mollis, ac suauis. *Bottam* vocarunt, quod vtri similis sit. Mediolanenses autem vtrem vocant *bottam*, grandi est capite, & in eo lapillos, quasi dentatos lunari forma gerit: pisces sunt parui, sed caput grandius pro corporis ratione habent: vix enim palmum superant vnquam, & sunt inter nobilissimos pisces connumerandi, tùm saporis iucunditate, tùm quia saluberrimi sunt, licet non omnes, ob locorum, & pabuli diuersitatem, quod de saxatilibus non contigit, qui semper obtimi sunt. Quapropter Galenus huiusmodi constituit differentias tertio de Alimentorum facultatibus: qui ergo in purissimo mari degunt, suorum congenerum sunt præstantissimi, omnium autem pessimi sunt, qui in fluminibus, vrbes expurgantibus vicitant. Cæterum Gobionum caro vt saxatilium carne durior, ita mullorum mollior, multi sunt succi gobiones, corpusque proportione vescentium nutrit: sed quia rarioris sunt substantiæ, ideo non multum nutriunt. Exocetos autem siue adones cum aliis minutis piscibus confundunt, qui plurimum vrticis delectantur, & vt Athenæus inquit, exocetum nonnulli adonium vocant, quod nomen ideò est consecutus, quia extra humidum sæpiùs quiescit. Est hic piscis subflauus, virgamque albam habet continuam, vtrinque per corpus à branchiis vsque ad caudam: est rotundus præterea, ac non etiam latus, cuius magnitudo est quanta boum Lutinorum paruorum littoralium, hi enim octo digitorum longitudinem non excedunt. Simillimus omninò est hic piscis ei pisciculo qui dicitur hircus, præter id quod non habet nigrum sub stomacho, quod hirci barba vocatur. Exocetus autem inter saxatiles pisces numeratur, in locisque saxosis degit vbi tranquillitas adsit, ex vnda exiens multum tempus in sicco quiescit supra saxa séque ipsum sæpiùs ad Solem conuertit: cùm verò satis quieuerit, in aquam deuoluitur, donec vnda rursus ipsum accipiens cum effluxu deferat in mare. Cùm vigilat in sicco aues obseruat, quæ tranquillitatem sectantes dicuntur, inter quas est Cotilus, Trochylus, & Creci similis Elorius. Hæc enim aues vbi fit tranquillitas apud siccum pascuntur, atque in illum sæpè incidunt, quas vbi vidit saltans, ac palpitans fugit; donec in vndam se immergat: hæc Athenæus. Viuax supra modum esse comperitur: triduum enim & quatriduum absque aqua viuit; dentibus anterioribus acutissimis præditus est, & hunc piscem modò ceruam, modò missorem Romani appellant, estque in saxatilium honore reponendus.

Cap. 19. *Vires.* *Exoceti qui.* *Hircus piscis.* *Vires.* *Nota.*

CAPVT XXXIII.

De Piscium molli carne præditorum alimento.

Pisces molli carne præditi qui.

Pisces molli carne præditi, vt aselli, murenæ, buglossæ, passeres, & huiusmodi alij, qui in fluminibus & stagnis degunt, aliqui in mari, & propterea aliquando iucundi & probe nutrientes reperiuntur: aliquando verò vitiosi & mali succi, & horum quidem alij molli sunt carne, sed nullam habent friabilitatem, supernatat enim in his glutinosum quiddam ac pingue: alij nihil glutinis, pinguedinisve habent, atque in eo sunt saxatilibus consimiles: verum ab ijs duritie carnis differunt, & hi pelagici sunt omnes, præter quosdam qui pabulo carnem suam deprauant, ac vitiant, vt mulli qui cancellos deuorant: sunt & saxatiles quorum caro (vt suprà diximus) friabilior, ac mollior, quàm aliorum piscium existit, qui perpetuò inculpati sunt, quoniam nec alimenta mutant, nec loca, nec dulcibus vtuntur aquis. Qui ergo carne molli præditi sunt, vt aselli, & cæteri, bonitate carnis cum saxatili piscium genere contendere possunt, si purissimo mari capti fuerint, & probo, laudatóque alimento vtantur: nam qui alimento prauo vtuntur, in aquisque mixtis versantur, carnis quidem mollitiem non amittunt, sed pinguedinem acquirunt, ob quam non æque vt priùs suaues manent, nec non & alimentum excrementorum plenum corpori præbent, quod & omnibus commune est piscibus vt diximus.

CAPVT XXXIV.

De Asello, murena, & sauro, siue lacerto.

Asellorum quinque species.

Asellus à Romanis Merlutius dictus, piscis est marinus, atque solitarius, ab asinino colore, quem habet ita nuncupatus cuius plures sunt species, & quinque iam notæ, estque coloris cinerei, pilorum asini colori admodum similis, molli est carne, atque friabili dum recens est: adeò vt meo ventriculo nullus concoctu piscis leuior sit, siccatus durior efficitur, lapis qui in capite inueniri solet molaris figuræ esse dicitur: nondum ego illum vidi quod mediocribus vterer, ossa sunt illi duo post linguã, toti-

dem in gula è regione cordis, ne cùm piscis esset vorax aculeis escarum offenderetur, dentes non solùm in maxillis habet, sed in palato, atque in os recuruos: sunt etiam quibusdam eorum appendices carneæ, aut singulæ, aut etiam binæ circa labra, atque his aliæ totidem in superiore labro, totidemque cirri sub mento pendent, videnturque hi alterius generis esse, sed quibus vnicus est cirrus in inferiore labro, his maculæ etiam in corpore nigræ sunt, & circa branchias venæ contractæ lumbricorum instar. Mollis omnes huius generis pisces sunt carnis, quemadmodum buglossi, murenæ, & huiusmodi: notandum tamen (ne quis hallucinetur) quod multum intereſt inter molles pisces, & molli carne præditi: qui enim molles absolutè appellantur sunt ij, qui exangues sunt, nullamque testam, spinas, aut squamas habent, & si carne sint in concoquendo dura, ac contumaci. Molli autem carne præditi pisces sanguinei, & spinosi, & carnem concoctu facilem, ac delicatam habent, veluti asellus, qui si optimo (vt inquit Galenus) atque inculpato alatur nutrimento, in puroque mari versetur, eius caro saxatilium carni comparari poterit, quia boni est succi, concoctu facilis, minimeque glutinosa, imò ex iure albo decocta febrientibus exhiberi poterit. Verùm si vitiosa pabula deuoret, & in aquis mixtis, atque vitiatis versetur, mollitie carnis non caret, & pinguedinem, glutinumque acquirit, & sic insuauis redditur, & alimentum excrementosum procreat: quare constat non semper optimos esse asellos: editur asellus ex butyro elixus, atque frixus, ex aracij succo, salitus quoque, atque siccatus toti Germaniæ importatur, qui diu tunsus, aquâque maceratus demum cocturam subit. Murena autem piscis est longus, angillæ formam referens, quæ marina est, nec flumina subit, neque in stagnis gignitur, squamis caret, lubrica, sed molli obducta cute, tenuissimaque, nec vnicolor, sed varia, subnigra (inquam) auratis distincta notis, capite est rotundo, tenuique os anseris instar latissimò rictu distinctum habet, dentibus quamplurimis acutissimis, atque serratis non in maxillis tantùm, sed in ima quoque faucium parte dispositis munitum Branchias quaternas atque simplices habet, nullæ sunt ei pinnæ, ob id rabie tentatur, atque voracitate cuncta exhaurit, quapropter viuaria earum aliis piscibus repleri non debent, nisi his qui illis pro victu sint. Ferunt nonnulli magnam cum serpentibus inire societatem: ipse tamen vllum vnquam audiui piscatorem asserentem murenam vidisse cum vipera cubantem. Omnibus anni temporibus oua parit, ferox atque mordax est, & dum mordet, noxium aliquid infert: quamobrem dum eam cœperunt piscatores, eius rostrum forficibus apprændunt, baculóque frequentibus ictibus diuerberant, atque atterunt tutò tamen editur, nec vllam noxam affert: eius enim caro candidissima est, fuitque apud Romanos maximo in pretio mollis etiam ac pinguis alit non minùs quàm anguilla, si tamen purissimo mari degat: nam quæ in vitiosis aquis versatur, ac viuit, deterrima est. Saurus & ipse piscis est marinus, à Græcis ita dictus, à Latinis verò lacertus: est enim non solùm capite, & ore, atque reliqua corporis figura terrestri lacerto similis, sed colorum etiam varietate, ventre est subalbido, lateribus luteis, dorso ex viridi nigricante, maculis quamplurimis virentibus rubeis, cœruleis, luteis, atque nigricantibus dorsum, caput nonnullorum serpentum instar, atque latera etiam variè admodum pingentibus: & tandem si pedes exceperis lacerto simillimum conspicies. Huius meminit Galenus tertio de Alimentorum facultatibus, atque inquit lacertum medium quodammodo esse inter pisces mollis ac duræ carnis, succi etiam bonitatem atque mediocrem concoctionis facilitatem habere: assus verò, & frixus edi solet, nec iniucundè.

Nota. *Vires.* *Murena quæ.* *Nota.* *Vires.* *Saurus quis.* *Cap. 30.* *Vires.*

CAPVT XXXV.

De Amia.

Amia quæ.

AMia piscis est marinus, sed fluuios subit, & in iis, stagnisque commodè & delectabiliter viuit. Corporis figura oblongiuscula, in latera compressa & satis lata est, præsertim à capite ad excrementorum vsque orificium, à quo sensim tenuior fit. Corio tegitur minimè squameo, robustos habet dentes, & delphinos atroci odio inuadit, cùm tamen viribus longè sit inferior: verùm multæ amiæ vnum delphinum circundant, & extimulant, non secùs ac formicæ serpentem. Industria & sagacitate præstant, vt si amum deuorent, contra euntes non à linea se trahi permittunt, sed exemplo latronis illius, de quo in technis egimus, amum præcindunt. Dorsum huic pisci cæruleum quòd dum viuit splendet, à dorso ad ventrem lineæ obliquæ, fuscæ, certis spaciis distantes, cauda lunata est: refertque Aristoteles amiam gregalem esse, carnéque tantummodò, atque alga vesci à Philotino apud Galenum in piscium molli carne præditorum genus refertur, probum gignit succum, parcè tamen nutrit, atque ad excernendum est media. Autumno tempore commendatissima, atque ab aliis expetitur piscibus, vt ait Aristoteles. Verùm quia pontum petit pastus gratia, atque ibi æstatem traducit, hinc est quod minùs salubris existimatur reliquis piscibus, qui in puro mari degunt propter dulcium aquarum mixtionem.

Vires.

CAPVT XXXVI.

De Passere, & rhombe.

Passeris differentia.

PLanus est piscis passer, cuius permultæ fiunt apud nos differentiæ, quæ tamen maioris & minoris ratione distinguuntur. Proinde flauis lituris in supina ac cinerea

tergoris

tergoris parte suggilatur, & subtùs vt in reliquis planis albicat, in quod mirum existit, quod cùm paruus sit, & sine dentibus, conchas tamen & cortices duriores edat. Differunt verò passeres à rhombis, quod cùm ita vtrumque piscem collocaueris vt labrum inferius ac mandibula, quæ sola mouetur terram respiciat, in passere prona pars à dextra: supina enim læua erit. In Rhombo verò à læua quidem prona supina, à dextra contraria ratione. Tot quidem ossibus capita plerunque horum planorum piscium, qui spinis non cartilagine prædita sunt, vt affirmant, facilè in eis posse omnia fabrilia instrumenta inueniri, quorum delicatiores passeres ac rhombi esse videntur. Marini sunt passeres, sed stagna, ac flumina subire certum est, nec ob id absque censura est eorum alimentum, marinos namque fluuiatilibus, ac stagnalibus præferri ius est: laudatiores enim sunt, & eorum caro non admodum tenera, sed boni succi, non excrementitij, nec concoctu difficilis, satisque sunt alibiles pro piscium conditione, & frixi vt plurimum ex arancij succo mandun-tur, atque dixi etiam. Rhombus autem ad insignem peruenit magnitudinem: longitudine enim cubitorum quinque latitudine quatuor altitudine pedis vnius, & alij pondere quadraginta quinque librarum visi sunt, quorum ossa medullam gustu suauem continent, proinde oceano gallico amplissimi venantur. Vorax est piscis, & carniuorus, pelle est rugosa, cineritia, notis albidicantibus distincta acutis, & caput multis spinosis ossibus refertum. Est autem planorum piscium duplex genus, quidam enim spinosi sunt, vt rhombi, soleæ, & passeres; quidam verò cartilaginei vt raiæ, squatinæ, torpedo, & huiusmodi. Rhombus ergo fluuiorum ostia, stagnorumque amat, ob id censura non caret, in lautiorum mensis frequentior est, & cùm solidus sit non facilè corrumpitur: difficulter tamen concoquitur si magnus fuerit, ideo per vnum diem asseruatus coqui debet, multum nutrit, de quo Galenus scribens inquit, carnem habere cithari carne molliorem, sed aselli inferiorem, imò & rhombos, & citharos in patinis coctos vehementer damnat, quoniam sint penitus cruditatum causæ.

Differentia inter passerem & rhombum.

Vires.

Rhombus.

Planorum piscium duplex genus.

Vires.

CAPVT XXXVII.

De Buglosso, siue solea, hepato, & citharo.

BVglossum à linguæ bubulæ figura Græci nominant, Latini verò soleam, & Romani linguatam: hæc quidem oblongiori est corpore, quàm, quiuis passer, ac minùs lato capite breuissimo, & pinnis vndequaque circumsecto, sursum subnigra est solea, subtus candida: nullis maculis distincta, cætera verò cum reliquis huius generis piscibus habet consimilia, cuius altera est oculata solea longè priore inferior, maculis in dorsu ad similitudinem oculorum cum iride, ac pupilla, squamis verò adeò firmiter affixis integitur solea prior, vt nisi in aqua diu iacuerit, auelli non queant: duram habet carnem, quæ difficillimè corrumpitur, boni tamen est succi, & facilè excernitur, eamquè longè passere molliorem Galenus pronuntiauit, & cibo suauiorem, principatumque inter lautos pisces tenet: ob id mensas principum sæpè exornat, carnem mirè candidam habet, quæ & si dura, & firma sit, nescio quid tamen glutinis obtinet, quod seruata (longam enim sustinet vecturam) magna ex parte deponit, frixa melior est, & per medium dissecta: sic enim siccam, miniméque viscosam habet carnem, & ex succo arancij manditur. Hepatus autem à colore, & magnitudine hepatis dictus, à Venetis canedula, & etiam sachetus appellatus, piscis est solitarius, carniuorus, dentibus asperis præditus, vt inquit Aristoteles, oculosque maiores habet, quàm sua ipsius poscat, magnitudo, squamis tegitur asperis, & Erythrino, & pagro valde est similis, felléque carere traditur & hunc Galenus inter pisces mollem, ac duram carnem habentes connumerat: saxatilem verò esse Diocles prodidit, atque in cauernis in alto mari victitantem, calculos in capite gerit, boni est succi, non excrementitij, nec concoctu difficilis sed parùm alit, Citharus, & ipse à similitudine citharæ cancellatis lineis quamuis squamosus, cui vni lingua soluta est, inter planos, & ob id ab aliis cantharus dicitur, quod cantare sciat à Romanis zaphile, quia squamis contegitur ex Indico splendentibus, vescitur herbis, carne, pane, & caseo, ex nauibus in mare proiectis, statuendum autem citharum in vniuersum in medio piscium, qui carnem mediam inter duram, & mollem habent, iudicamus, ipsumque boni esse succi, & gustui gratum, facilis concoctionis, nec pauci alimenti. In sartagine frixus, & assatus, aut in patinis conditus, ex albo iure comeditur citharus, qui sacer fuisse Apollinis scribitur.

Buglossum linguatam esse.

Vires.

Hepatus.

Vires.

Citharus.

Vires.

CAPVT XXXVIII.

De Vmbra, seu vmbrina marina.

ROmanorum vulgus piscem hunc vmbrinam nominat, quod dum mouetur ad vmbrantem quendam oculis colorem Iridis in morem rutilet. Marinus est, nec ad flumina vnquam adnatare solet, ad maximam deuenit molem, sexaginta plerunque librarum pondus excedit, cuius figura paulò longior est, quàm sit lata, aut crassa, ventriculum magnum habet, & carnosum, & dum parua est, tota ferè argentea apparet, at maior facta ventre argenteo, dorso verò, & lateribus subliuentibus, ac veluti opacis conspicitur, squamis latioribus, & obliquis tegitur, caput satis magnum, dentesque in oris ambitu raros, firmos acutos, prominentes, rotundos, caninis longiores, graciliresque habet, & caudam veluti in angulos

Vmbrina quæ.

angulos desinentem gerit: lata enim est, & non falcata, lapides in capite prægrandes affert, vt etiam Aristoteles, & plinius testantur, quos aurifices argento inclusos diuendere solent: aiunt enim gestatos, ac collo appensos non solùm cholicum dolorem abigere, sed etiam prohibere ne ampliùs redeat. Piscis est vmbra carniuorus, & potiùs soliuagus, quàm gregalis, qui apud veteres maximo fuit in pretio, & nunc lautiorum, magnatumque mensas subit, sapidissimus enim atque omnium consensu nobilissimus censetur, cuius caput, atque sturionum quoque (vbi ad cubitalem molem excreuerint, nam in minoribus id non obseruatur) trium viris rei Romanæ conseruatoribus tributi nomine dantur. Vmbræ enim caput inter delicatiores cibos reponitur, atque admodum à gulæ proceribus, hæluonibusque, vt manifestum liguritoris, Romani extat exemplum, expetitur. Coquitur rectè atque ad sanitatem apposité cum aqua, & vino, & ex aceto editur, nec eius caro dura est, atque merito inter pisces carnem mollem habentes reponitur, licet non perinde ac saxatiles habeat, sed paulò duriorem: boni equidem est succi, nec admodum excrementitia, mediocriter nutrit, nec difficulter concoquitur, suauisque estquouis modo condiatur: at si garyophillis confixa, & in frusta plana concisa, super craticula assetur accedente frequentiore olei irrigatu, gustui optima erit, nec salubritati incongrua. Elixatur etiam quin & ex iure suo gelu, quemadmodum quoque de rhumbo fit, cui varia ad libitum adduntur aromata, vt gratiam accipiat. Habetur etiam fluuialis vmbra trutarum, ac lauaretorum generis, quæ auro vesci, seu aureis arenis creditur: squamas habet tenues, & ventrem argenteum, dorsum verò tersissimum ex liuido opacum, hæc inter pisces salubres ponitur, saporis enim est delicatissimi, atque peroptimi nutrimenti, & morbo conualescentibus vtilis, miniméque ventriculo est inimica.

Lapidis vmbrinæ vires. *Vmbra caput.* *Vires.* *Gelu.* *Fluuiatilis vmbra.*

CAPVT XXXIX.

De Piscium duræ carnis alimento.

Piscium duræ carnis vires in genere.

NOn solùm in piscibus duræ carnis, sed in aliis etiam omnibus duris cibis apparet quod ægrè conficiuntur, atque succos crassos in corpus præbent, & sicuti ex mollioribus tenuior gignitur succus, sic ex durioribus crassior, qui tamen si ritè conficiatur, concoctus plurimum alimenti præstat: durior siquidem cibus substantiam habet crassiorem, vt mollior tenuiorem. Ideò pisces pura carne præditi vt dracones, cuculi, musteli, atque huiusmodi difficilioris erunt concoctionis, quàm molles. Concoctio enim quæ in ventriculo fit, & ea quæ in iecore, & quæ in venis sanguinis, & quæ in singulis corporis partibus alendis, in mollioribus facilior, in durioribus difficilior efficitur. Quaproter illud omnibus conuenientissimum erit, vt seruatis retinendæ sanitatis legibus, eo pacto præparari, decoquique debeant, vt gratiores fiant, superiùs enim demonstrauimus quod quantò magis cibus auidiùs amplectitur, ventriculus eò facilius, fœliciusque concoquit. Cúm ergo huiusmodi pisces carnis duritie damnentur, qua ægriùs in ventriculo conficiuntur, sic & crassum inde succum in corporibus gigni est necessarium: igitur vt vtrique incommodo consulemus, & coctionem iuuemus, & succi crassitiem imminuamus, incidentibus vtemur, & calorificis facultati concoctrici opitulantibus, proinde acetum in primis allium, cæpa, porrum, cinamomum, piper, gariophilli, anisorum, fœniculorumque semen, origanum, & huiusmodi laudantur: condiuntur etiam in pluribus regionibus vino, vt meliùs perficiatur concoctio, durities tenerior fiat, & crassities attenuetur: hæc itaque sufficiant, cùm de singulis dura carne præditis piscibus, qui frequentiori apud nos sunt in vsu agere debeamus, quorum alimentum otiosis, senibus, imbecillibus, & ægrotis non admodum conueniens est, sed potiùs illis, qui corpus suum exercent vehementer, firmioresque postulant cibos, vt suprà pronunciauimus.

Nota. *Condimentum melius.*

CAPVT XL.

De Dracone, cuculo, lyra & coruo.

Draco.

DRaco qui Romæ tragina vocatur, piscis est littoralis, atque etiam pelagius, quem Diappæ vidimus, oculis viridibus, in dorsi initio, quinque habet aculeos, tenues, nigros, peracutos, tenui, nigráque membrana coniunctos, in quibus venenum multò lethalius est, quàm in branchiarum aculeis: habet enim singulos in pinnis, quæ ad branchias sunt, osseos magnos acutos, quos ego decerptos seruo. Oblongus est, squamasque valdè exiles habet, vt vix percipiantur, caput magnum, atque rotundum, dentes crebros, & tenuissimos, sed breues maculas in tergore ostendit obliquas, fuluas, atque multorum colorum. Vulnus ex aculeo dolores febres, phlegmones, deliria, atque conuulsiones excitat, magis dum viuente pisce quispiam illum acceperit, ob id cùm alioquin piscis sit viuax, qui ad vltionem, non ad necem aliorum videatur natus, piscatores nuper cæpto caput conterunt. Multiplex verò auxilium. Mulli piscis caro per antipathiam, iecur proprium per symphathiam, & pungi sæpius eodem aculeo. Quod per sympathiam detrahitur, sicut æstus in balneo, per sympathiam verò venenum extinguit, velut frigidum à calido extingui solet, atque hæ causæ prorsus sunt manifestæ. Pungi autem sæpius atque curari ab eodem aculeo, ob id contingit, quod stuporem inducit frequens punctio, vnde sedato dolore prohibetur phlegmon, aut quia iam excitato phlegmone attrahitur sanguis ex nouis punctionibus,

Vulnus ex aculeo. *Auxilium.*

vnde

vnde sedatur concoctione facta potius, quàm irritetur, vel quia veneni vis addita mitiore temperatur, vt dolor in titillationem quandam conuertatur, seu ad omnia hæc. Defodere autem foueam draconem fabulosum esse reor, vt qui formam huic operationi minimè congruentem, neque vitæ genus habeat, sed hæc de marino serpente potiùs sunt credenda, serpentum enim proprium est latibula quærere. Draconis itaque caro teste Galeno dura est, quod vescentibus id apertè patet, & si non immodicè dura: ægrè concoquitur, & succos crassos, salsosque in corpus distribuit, sed non vitiosos: quouis enim modo condita, grata est palato, & si conficiatur, multum nutrit. Cuculus autem quem Romani piscem caponem vocant, falsò à nonnullis trigola appellatur, ob similitudinem, cum & corporis forma, & carnis substantia, ac saporis bonitate inuicem discrepent: & si plerisque in rebus valdè similes videantur. Est quidem cuculus semper marinus, quia nunquam ad flumina adnatat, grandibus est pinneis præditus, habetque caput magnum, osseum, cælatum totum, & angulosum, aculeisque nonnullis munitum: os satis magnum, & maxillæ asperiores, quæ dentium vice extant, corpus habet rotundum, totum carnosum, & densum, & capite, dorso, lateribus, ac pinneis rubet, ventre est candido, & aliquibus capitis partibus argenteum æmulatur, & branchias vtrinque quaternas habet, & duplices. Tellinas, chamas, chonculas, cancros, locustas, & id genus crustula edere solet, carnem habet duram, sed candidam, friabilem, ac suauem, nec temerè à plerisque salubris censetur. Et nos sæpè frixos arantij mali succo conspersos edimus, nec non & libentius in aqua elixos. Est & piscis lyra dictus quem Romani à rostro biforcato *pesce forca* vocant, marinus est, atque libentiùs littora quàm pelagum incolit, toto ferè corpore rubet, & cauda, & pinnis, sed ventrem subalbidum habet, ossearum, atque grandium squamarum octonis ordinibus tegitur, vnde totus octangulus, atque asper redditur: caput etiam osseũ, angulosum, aculeis & eminentiis plurimis asperum habet, cuius anterior pars in duo longa, læta, & retusa cornua degenerat. Porrò pauca constat carne, ob id nisi paulò maiorem edi solet, carnem duriusculam habet; raròque in cibis expeti videmus, quia totus fermè osseus, squameusve existit. Coruus & ipse à Romanis *pesce capone* appellatur, marinus est, nec solùm maris littora, sed profundiora etiam pelagi loca frequentat, estque adeò cuculo similis, vt non ab re eiusdem generis esse censeatur. Verum tergus non rubrum habet vt cuculus, sed ex rubro nigricans est. Pinna verò quæ vtrinque lateribus hæret, non subrubra vt cuculi, sed interna parte cærulea, externa verò subalbida conspicitur, atque minor, cæterùm ore, rostro, capite osseo, anguloso, & cælato, totáque demum corporis figura cuculum repræsentat, nec solùm pisciculis, sed cancellis etiam, atque tellinis pascitur, proinde sapore, & carnis bonitate cuculo congener esse videtur: duriusculam quidem carnem habet, sed albam, ac friabilem, quæ frixa, & acido aliquo succo aspersa, sapidior est, quàm alixa.

Vires. *Cuculus.* *Vires.* *Lyra.* *Vires.* *Coruus.* *Vires.*

CAPVT XLI.

De Mustello, & catulo.

Mustelli duplex differentia.

Mvstellus ex galeorum genere est, quem Romæ vulgariter *pesce palombo* appellant. Estque in duplici differentia: alter enim spinax à spina quam habet dictus, alter verò læuis, sed adeò similis, vt vix differentia percipiatur. Rostro enim, branchiis, pinnis, cauda corporis forma, colore, atque interaneis conueniunt, rostro namque sunt acuto, oculis mediocribus, & oblongis, post quos duo sunt insculpata foramina auditui dicata, os habent in parte supina, & spinax magnis, & acutissimis dentibus armatum. Læuis verò edentulus est: (& in hoc differunt) sed dentium vice maxillas asperas habet: branchiæ in lateribus vtrinque quinæ, & detectæ sunt, & spinax à læui non solùm, sed omnibus aliis galeis in hoc differt, quod inter podicem, & caudam, nulla alia pinna hæret, cum aliis singularis pinna commissa conspiciatur: in hoc ergo & à cane, galeo distat, cuius figura mustelli proximè accedit, etsi magnitudine longè differant. Teres est mustelli corpus, à podiceque in extremam vsque caudam sensim gracilescit, corio tegitur, sed altero læuiori, venter albicat, dorsum verò cinereum apparet, eius ventriculus magnus est, & caudam bifidam habet, cuius superior portio maior existit. Marinus est piscis, cœnosis & littori proximis locis degit, oua ad præcordia (vt author est Aristoteles) continent super mammas, quibus vt descenderint iam absolutis fœtus innascitur, vnde postea vt reliqua cartilaginea animalia parit, & fœtus suos timentes vulua recipit, ac intra se recondit; timore verò transacto rursùs foras incolumes emittit. Carniuorus est vt cæteri cartilaginei, & dura ac insuaui carne præditus est, vilisque, ac plebeius vbique piscis habetur; mali enim est succi, grauis odoris, & difficillimæ concoctionis, nec mirum si hominibus solummodò infimæ plebis cibus esse soleat, à quibus elixus cum illo intinctu quem alliatum vocant comeditur. Catulus aut etiam ex numero galeorum est, quem Romæ piscem canem appellant, cuius corpus oblongum, ac rotundum est, aspera tegitur cute, & maximè si manus à cauda caput versus deducatur, dorsum & latera subnigricant, nigerrimisque, atque latissimis maculis insigniuntur, caput rotundum habet, rostrum acuminatum, oculos oblongos, & nigricantes, os in supina parte, & branchias in lateribus vtrinque quinas, & detectas, & ad cubitalem vsque mensuram excrescere solet: marinus atque carniuorus est, vt cæteri cartilaginei, in cœnosisque littoribus vt plurimum degit: ob id non solùm duram, atque viscidam, sed malè olentem, ac virosam carnẽ habet, nec ferè vsquã in cibum (nec

Vires. *Catulus.* *Vires.*

(nec ab infima plebe) admitti solet: mali enim est succi, & difficillimè concoquitur, ob id à cibo abdicandus.

CAPVT XLII.

De Scorpio, Trachuro, & Orpho.

Scorpio. Marinus est scorpio, qui Romæ vulgariter *scorfano* dicitur, pelagius, & saxatilis, à multis censetur, ab aliis etiam & littoralis insimul: nam Aristotelis testimonio, inter pisces qui indifferenter in vtrisque locis degere consueuerunt, connumeratur, nec ob scorpionis terrestris similitudinem, scorpio dicitur, sed quia dum manu tollitur, lædit. Corpore est rotundo crassiore parte anteriore: posteriori verò multo tenuiori facto, caput grande admodum habet, acutis aculeis præmunitum, os magnum exiguis dentibus munitum, oculos in capite exertos, vt bufo, & branchias superiores plurimum spinosas, venter subalbidus est, corpus verò reliquum rubet, squamisque adeò tenuibus tegitur, vt iis carere videatur, in capite lapidē gerit. *Scorpena.* Adest & scorpena solo colore, ac magnitudine à scorpione differens, quæ cum in marinis paludibus: aut in cœnosis maris littoribus victitet colore nigricans est, longéque pelagio, & sapore, & nutrimento inferior. Solitarius autem scorpio est piscis, qui carne, & alga vescitur, nec sapore est ingratus, si hyeme in saxoso littore, aut puro mari capiatur, *Vires.* carne multa, atque solida constat, quæ plurimum nutrit, elixatur, atque assatur, sed assata durior, & ob id concoctu difficilior, quàm elixa quæ ex aceto mandi solet: propterea si in aqua, & oleo bene olentibus herbis, & aromatibus iniectis elixetur non solùm salubrior, sed palato etiam iucundior fiet: feruntque mullum piscem dissectum, atque impositum, scorpij marini ictum sanare, velut & *Auxilium.* sulphur viuum cum aceto infricatum. *Trachurus.* Trachurus autem quem Romani *suarrum* vocant, piscis est marinus: atque circa littora degens, cuius forma nisi paulò longior esset, ouata dici posset, dorsum sub cæruleum est, reliquum corpus squamis carens, læui ac tenui corio tegitur, & ventre, ac lateribus argenteus est, eiusque color purpuram etiam aliquando ementitur, oculos habet magnos, & branchias vtrinque quaternas, os in obliquum scisum est, dentibus paucis, ac valdè minutis munitum vt edentulus videatur, caudam bifurcatam, & oblongam gerit, lineamque obliquam habet à capite ad caudam vtrinque extensam, ossiculis adeò horridam vt serra videatur. Durant habet carnem, ob id concoctu difficilem, crassumque succum *Vires.* gignentem, cui nisi aliquo condimento associetur, est insuauis. Ideò assata ac frixa in acerrimum acetum aromatibus conditum iniici solet, & sic palato gratiosa redditur, & *Orphus.* aliquot diebus incorrupta seruatur. Orphus autem piscis est compessus, qui circa dorsum liuet, ac nigricat, sub ventre albicat, & caput penè rubeum habet, os paruum dentesque scaro persimiles, licet minores: asperis tegitur squamis, adeóque adhærentibus, vt vix desquamari possit, caudam minimè bifurcam, estque percæ quasi similis, sed pulchrior aureo colore in cæruleum vergente, ac splendido insignis vnica tantum pinna, etiam differt à perca in tergore, cum ea duas habeat, & dum natat velut Gobius, & Bota pinnas mouet vniuersas, & quod iuxta brachias aculeum habet vt draco piscis, spineumque branchiarum integumentum spinis crenatum vt in lupo. Marinus est piscis, sed potius litoralis: locis enim terræ vicinis delectatur, atque carniuorus est. Galenus ergo cum Philotimo duram carnem meritò ei tribuit, quæ concoctu difficilis est, & crassum succum, pituitosum, ac glutinosum gignit, ægréque corruptibilem, sed non vitiosum: plurimum nutrit, atque vrinam promouet. Partes tamen circa caput & caudam concoctu sunt faciliores: reliquæ verò carnosæ difficulter conficiuntur, & si apud Grecos siue frixus *Vires.* orphus: siue elixus, aut assatus maximo semper fuerit in pretio, hocque proprium habet vt refert Athenæus, quod genitales meatus ei non inueniuntur: ob id post sectionem per multum temporis spatium viuere potest.

CAPVT XLIII.

De Congro, anguilla, & glauco.

Congrus. Congrus quem Romani *Brongum* appellant, longus ac lubricus est piscis, non squamis, sed læuissima quidem cute obductus, quique tùm corporis forma, tùm colore anguillæ adeò est persimilis, vt à plerisque eadem censeatur: distinguitur tamen, quia oculos ea longè maiores habet, qui etsi cineracei sit coloris, in lateribus tamen & dorso in amplas & magnas degenerat maculas, nigráque per dorsum conspicitur linea, atque duobus breuibus cutaceisque corniculis in extremo rostro existentibus constat, quibus anguilla caret, eamque etiam magnitudine superat, vt ad quinos nonnunquam cubitos accedat, dentes habet, & vt anguilla mouetur, cuius *Duplex congri genus.* duplex est genus, vt testatur Aristoteles, alterum quod nigricat, alterum quod albicat, & quod albicat, pelagium est, quod verò nigricat partim pelagium, partimque littorale: sola cane vescitur, & inter pisces dura carne præditos Galenus congrum connumerat, succosque crassos, atque salsos in corpore generare asseuerat: ob id Albertus magnus credidit, ipsum lepram morbum parere. Improbi enim est succi, atque saporis insuauis, mediocriter nutrit, nec admodum difficilè concoquitur, si purgatus, in frustáque discerptus, vino, oleo, sale, anetho, porro, ac aromatibus excoquatur. In sartagine etiam frictus pipere, ac aranei mali succo conditur. *Anguilla.* Anguillæ sunt non solùm ex dulcibus, atque quasi stagnantibus aquis sed etiam salsis,

Anguilla marina insuauis.

sallis, & aliæ longè à murenis, murenæ enim in maiorem molem crescunt, & minùs suaues sunt anguillis fluminum, vt quæ in mari murenis: nam anguilla marina valdè insuauis est, & deterior murena, crescit tamen nata in dulcibus aquis ad insignem magnitudinem: sunt enim quæ ad libras duodecim, & vltra ascendunt, longitudine hominis, sed parui, crassitudine cruris humani. Piscis autem est longus, & lubricus, qui non squamis, sed tergore tegitur, capite tenui, atque ferè rotundo, dentes habet plurimos, atque exiles, multiplici ordine dispositos, color non omnibus vnus, variatur enim ratione aquarum, in quibus degunt, nam quæ puram ac defluentem aquam incolunt, ventre sunt candido, dorsoque cineraceo, siue subcæruleo: quæ verò in stagnanti, ac impura commorantur, ventre subalbo, dorso verò sub viridi, vel subnigro apparent, nec ex semine, ouisve generantur: hoc enim haud dubium est, vlla enim vnquam capta fuit, quæ aut semen genitale, aut oua haberet, nec recisa meatus, vel semini, vel vuluæ accommodatos ostenderet, sed ex pingui humido quale etiam sub terra inuenitur. Vnde Rondeletius refert in stagno Magalone proiecto equi cadauere innumeras anguillas procreatas. Quemadmodum enim quædam solo semine in proprio loco velut perfecta animalia generantur, quædam absque proprio loco & semine, velut quæ primo ex putredine sola fiunt, ita quædam ex semine, sed non in proprio conceptaculo, cuiusmodi sunt anguillæ. Constat enim quandoque mille simul glomeratas capi. Cur autem tot glomerentur, aut ob timorem contingit, aut ob inopiam caloris vt dictum est, vel quia hoc loco coitus illis sit, nam dum simul sunt, genus earum reparatur. Semen autem est pingue quoddam, quod non ex certa parte deciditur, perficitur tamen certis temporibus, velut Octobri mense, & coniunctione plurium. Ergo primum anguillæ ex sola putredine pinguis humidi generantur, velut & apes, & vespæ, deinde faciliùs multo è succo vnius seu spuma, facillimè autem ex multorum colluuie. Anguillas verò lacustres, carniuoras esse planè constat, pisciculos enim ranásque persequuntur, & quamuis nonnulli affirmare videantur marinas non reperiri, sed solum ex fluminibus in mare descendere, falsum esse in libris de Rerum varietate demonstrauimus. Cæterùm caro mollis quidem & dulcis est, sed glutinosa admodum, & pituitosa: & hinc est quod vitæ periculum adfert, atque subitum si copiosiùs edatur. Falsumque vulgus nostrum credit hoc euenire, qui serpentibus coëant, atque veneficiis impleantur: carnis enim dulcedo vescentes allicit ad largiùs edendum, quo nihil perniciosius: nec mirum si antiqui omnes inter suauissimos pisces connumerent, sed medici tum in cibis sanorum, tum ægrorum eas damnant, quia deprauatis aquis nutriuntur, & quamuis longè salubriores sint, quæ in mari, & aquis puris, ac fluentibus, quàm quæ in lacubus, stagnis, & aquis sordidis, nullæ tamen vnquam prauitatem succi effugere potuerunt, & proinde dixit

Anguillarum ortus.

Vires.

Hallucinatio.

Galenus in libris de cibis boni, & mali succi. [Anguillæ nunquam boni sunt succi, tametsi puro in humore versentur, nedum in eo qui vrbium sordes, & purgamenta in se recipit.] Et alibi [quamuis carnem mollem habeant, cum tamen succo lento, ac pituitoso abundent, iis qui tenuante dieta vti volunt, plurimum sunt noxiæ:] Antequam recentes coquantur, excoriari debent, & exemptis interraneis omnibus, capitéque ac cauda abiectis, in veru torreri, atque sedulò puluere ex saccharo, & candidissimæ farinæ tantundem, & tantillo cinamomi confecto conspergi: exiles etiam frictæ pipere, ac arancij succo comeduntur. Verùm frequens earum vsus, calculos tantùm in renibus, tùm in vesica gignit, qui & podagras, pinguedo verò quæ ex illis dum torrentur destillat, auribus iniecta antiquis earum doloribus mederi creditur. Venduntur etiam fumo conditæ, sed verè potiùs sale, quia priùs saliũtur, quàm suspendantur in fumo. Id accidit quod iam semimarcidæ sint antequam reponantur: ideò plurimo sale condiunt, ac diu antequam suspendant. Vitandæ ergo sunt, multiplici ratione, & quod anguillæ, & quod semiputres, & quod salsæ valdè, demum fumo conditæ, ex quo natura inimicæ, & atræ bilis generationi maximè aptæ. Glaucus autem piscis est pelagius: squamorum colore ita dictus, adeóque vmbræ marinæ similis, vt Romani falsò *vmbrinã* appellẽt: & plerunque alterũ pro altero assumunt: Est enim coloris ex liuido in aureum effulgentis, rostróque obtuso, oculos habet magnos, ac nigros, & dentes in maxillis confusos, atque exiguos, & in capite duos gerit lapillos, caudamque subrotundam, cancellis candidis, siue squillis, & alga vescitur, duræ est carnis, sed non illaudati alimẽti, atq; succi si ritè conficiatur, & eius caput maximo fuit in pretio apud Græcos ob saporis gratiã, & anterior etiam corporis pars, quæ si pinguis, iucundissima est, frixa enim atque elixa commendatur. Feruntque eius iusculum lactis copiam augere.

Cap. 9.

Pinguedinis Vires.

Salsa ac fumo condita mala Glaucus.

Vires.

CAPVT XLIV.

De Libella & lamia.

Piscis est libella pelagius, & non littoralis, quem Romæ Ciambetam & in multis Italiæ locis *pesce martello* vulgariter vocant, cætaceus est, cartilagineus, rotundus, oblongus, horridus, ac planè monstruosus, cuius caput malleo oblongiori, seu libellæ dentium ordines habet, vt Charcharius, oculos in supina capitis parte certa vora citatis, & truculentæ argumenta. Os prægmagnum, sub inferiore parte dentibus validissimis, acutissimis, planis in latusque serræ modo vergentibus, triplicique ordine digestis armatum habet, branchias vtrinque in lateribus quinas, & detectas, nec squamis, sed cirio tegitur, cuius venter albus est, tergus verò cineraceum vt mustelam referat, ad eximiam augetur magnitudinem, nec solùm reliquos pisces magnos, sed homines etiam natantes subuertit,

Libella.

subuertit, atque dilaniat: ob id dicebat Ælianus, cùm sit aspectu infausto, infœlicique non est prospera nauigantibus. Vtilissimus est piscis quo solùm infimæ plebis homines vesci solent: est enim dura, insipida, atque ingrata eius caro, quin & mucco referta, horridi etiam est saporis, atque excrementis abundans, improbique succi, non secùs quàm reliqua cete, quapropter rarò, nisi sale condita in vsu habetur, salitura enim tenuior efficitur, atque concoctu facilior, cùm recens vix à robustis, atque valdè se exercentibus concoqui possit, & vt plurimum in eorum venis magnam succorum crudorum congerit copiam. Lamia autem piscis est maximus marinus, vt mediocris mille pondo excedat, maior ne bigis vehi possit, voracissimus vt Rondelletius refert, in cuius ventre: integros homines cum lorica inuentos esse. Existimantque ob id (si quid tamen ad rem refert) eius generis piscem esse, à quo Ionas deuoratus fuit. Sex quod mirum est, dentium ordines habet, quorum exterior extra prominet, secundus recta, reliqui curui sunt intùs, quos Galli serpentum linguas appellant. Emi aliquando Rothomagi incurui, & quasi penitus vnguibus accipitrum sunt similes, fragiles tamen numerosi, ducentorum aut etiam plurimum numero: sic & sargi piscis molares dentes pro lapidibus in capite bufonis inuentis, quos *crapandinas* vocare solent, diuendunt. Sed vt ad lamiam reuertar ipsa Galeorum est generis, scabráque cute integitur, oculos habet cornea dura anteriùs, atque posteriùs, non vt in quadrupedibus: neruorum quoque opticorum loco substantia cartilaginea, duráque est atque ex dentibus in cinerem deductis dentifricia fiunt. Pisces ex ouis generat, & vt multitudini consuleretur, necessarium fuit oua esse parua: at ex ouis paruis pisces non commodè poterant generari: igitur natura effecit, vt incrementum susciperent extrà, atque citò, ne interim corrumperentur, edita itaque celerrimè augentur, vimque fermenti quasi retinent, & spontè intumescunt atque humidum pingue tum terræ, tum aquæ in se conuertunt. Mas verò exterius semen inspergit, quo abundat plurimum vt fœmina ouis. Crescunt autem oua celerrimè, quia humidum pingue plurimum continent, & quod facilè extenditur, incrementumque in singulos dies dignoscitur. Est ergo lamia, si Galenum sequamur, piscis inter cetacea connumerandus, cuius caro etsi candida sit, dura nihilominus est, & crassum, vitiosumque succum procreat, atque valdè excrementitium, insuauis etiam est, & muccosa, atque vilium hominum, ac infimæ plebis tantummodo esca, & nisi in frusta dissecta, atque salita, optiméque aliquo intinctu condita sit, & bene cocta, vix confici potest. Aldi autem errorem adnotare debemus in verbis Galeni in tertio de alimentorum facultatibus, qui bis, terve loco lamiæ Amiam legit, credo potius lapsu librariorum, ac Typi: patet enim apertè quanta sit differentia, inter lamiam, & amiam, ex prædictis.

Vires. *Lamia.* *Nota.* *Oua lamiæ cur parua.* *Vires.* *Aldus notatur.*

CAPVT XLV.

De Aquila, & pagro,

Aquila quam Romanorũ vulgus Aquilonam vocat, piscis est cartilagineus, littoralis, & in cœnosis maris locis victitans, cuius caput bufonis instar expressum, exertumque est, in quo oculi satis magni, rotundi, atque prominentes conspiciuntur. Os habet mediocre, & valdè denticulatum, latera latiora, & magis acuta sunt, quàm in pastinaca, ita vt expansas aquilæ volantis alas egregiè æmulari videantur, caudámque multò tenuiorem, atque longiorem habet, quàm pastinaca, radio vel aculeo munitam, qui pernitiosus atque pestiferus est non solùm piscibus, sed hominibus quoque, vnde statim capta à piscatoribus cauda abscondi solet, ne eius radio temerè pertractantes, lædantur. Plana est aquila, atque vt dixi cartilaginea, quæ læui, & molli tegitur cute, alba inferiore parte, superiore verò liuida, dura carne non solùm prædita, quæ ventriculo maximum exhibet negotium, sed etiam vitiosum procreat succum, insuauis etenim est, atque palato ingrata, ob tetrum atque grauem odorem quem præ se fert, quamobrem vbique vilis habetur, nec solum nobiles, sed infimæ plebis etiam homines eam in cibis recusare solent, & si qui eam interdum edant, alliatis condimentis intingunt, vt acutissimus allij sapor alterum facilè obtundat. Pagrus autem quem Itali *vnfrago* vocant, piscis est solitarius, atque carniuorus, modo pelagius, modò littoralis in saxorum cauernis degens, qui ad sargi vsque magnitudinem extuberat, caput tamen crassius habet, oculos grandes, pupillam nigram, & iridem, in eius ambitu coloris aurei, atque foramina duo, vtrinque ad oculorum fontes, dentes acutos habet, breues, ac veluti serratos, cæterùm magnitudine, ac crassitie cantharo persimilis est, squamas gerit latas, rotundas, ac tenues, caudam bifurcatam, peculiaris quoque illi litura vtrinque nigra, lata, in lateribus circa ceruicem vbi linea est, quæ piscium corpora intersecat, qua maximè à cæteris distinguitur piscibus: ea nonnihil nigricantis habet coloris, tactúque asperrima persentitur, continuam prætereа, in tergore pineam rubram duodecim aculeis communitam ostendit, dura carne præditus est, difficillimè concoquitur, & ægrè excernitur, crassumque generat succum, & cum carnosus est, minus est pinguis, quia magis terrenus: copiosiùs verò aliti conficiatur, diuersumque est hoc genus piscis à paguro, cum è cancrorum genere sit.

Aquila. *Aquila cauda pernitiosa.* *Vires.* *Pagrus.* *Vires.*

CAPVT

CAPVT XLVI.

De Piscibus à Galeno omissis, qui apud nos quotidie sunt in vsu.

Aurata.

CVm multi sint pisces, quibus singulis anni partibus vescimur, est aurata, sargus, melanurus, scombrus, lampetra, sturio, atque alij huiusmodi, quorum nusquam meminit Galenus ex Philotimo in iis, quæ ex eo in suos libros transtulit: ideo optimum duximus de illis pertractare, nec intactos relinquere, & præsertim de illis sermonem habere, qui olim maximo in honore fuerunt, quique hodie pretiosi maximè habentur, sæpeque nostras exornant mensas. Planè æquidem nefas esset auratam omittere, quæ communi nostræ ætatis consensu nobilissimus censetur piscis, veluti & reliquos quorum historiam prosequimur.

CAPVT XLVII.

De Aurata, sparo, & contharo.

AVrata quam Romæ *Auratam* vocant, piscis est marinus, nec solùm ex eorum numero, qui circa littora victitant, sed in marinis etiam stagnis reperitur, nec non & aquam dulcem tolerat, cuius figura potiùs latiuscula est, quàm longa, rostrum habet breue, & os mediocre, ac labra crassa, dentes albos, anteriores oblongos, & subrotundos, & molares verò latiores, quibus plerique in annulis pro gemmis vtuntur, oculos magnos, & branchias vtrinque quaternas, extrema verò earum operculi pars purpureo partim, partim verò nigro insignita est colore: squamis tegitur latiusculis, ventrem lacteum habet, argenteum colorem latera æmulantur, dorsum ex glauco nigricat, partes verò oculis superiores aureo colore splendent, & præcipuè cùm excreuerit, caudam lunatam habet, & ventriculum amplum, vix tamen vnquam, etsi adoleuerit ad denas peruenit libras. Æstate plurimum temporis latet, & omnium piscium timidissimus est, atque sola vescitur carne, nobilissimúsque apud omnes censetur piscis, suauissimus enim est, orique gratissimus, carnem habet candidam, solidam, & quæ bonum procreat succum, abundéque nutrit, sed cùm dura sit, non facilè concoquitur, excernitúrque: medias tamen in cibis præstantiores esse iudicamus, maioribus atque edulis: ætas enim aliquid discriminis affert, vt minores ætate, & magnitudine, minus duræ, & concoctu faciliores iudicentur, maiores verò duriores, & in medio mediocres, sic & quæ in mari hyemis tempore capiuntur, longè meliores sunt iis, quæ in stagnis marinis, & aliis anni temporibus venantur. Variis condiuntur modis, in aqua enim & oleo elixantur, iniectis olentibus herbis, croco, aromatibus, ac vuis passis, assantur quoque oleo, butyróve irrigantur, atque etiam sale condiuntur, sed non parum gratiæ deperdunt, eo quoque condimenti genere quod vulgo accarpionare, vel ammarinare dicimus parari solet, estque huiusmodi condiendi modus. Pisces enim recentes captos exterius à squamis, interiùs verò ab interraneis repurgant, modicóque sale conspergunt, & cum per aliquot horas, vt puta per sex, vel septem sic permanserint, optimo, & copioso oleo in sartagine frigunt: frixis verò, ac in fictilem patinam dispositis, priusquam refrixerint, acerrimum acetum in quo antea aromata, & crocus bullierint: superinspergunt, & demum post quatuor, vel quinque horas in vase alio absque superiniecto aceto, lauri, aut myrti, aut citri foliis si libeat interpositis cancellatim componunt, & sic sapidiores redduntur, & longiùs per plerasque Italiæ vrbes circumferri possunt, sicque parati in multos dies à corruptione immunes asseruantur. Sparus autem etsi ad paruæ auratæ similitudinem adeò proximè accedat, vt persæpè pro aurata Romæ vendatur, ab ea tamen euidentissimè distinguitur, nam sparus non solùm corpore minori est, sed etiam magis rotundo, atque in altera compressiore, longióríque, & rostro acutiori, atque ore etiam minori: præterea locus oculis superior non aureo colore micat, sed ex viridi flauescit, nec circa branchias vlla purpurea, aut nigra macula apparet, vt in aurata, in cæteris verò valde ei est persimilis. Ad multam magnitudinem non excrescit, nec palmi mensuram excedere solet. Marinus est piscis non pelagius, sed littoralis, & herbosa maximè frequentans littora, atque marina stagna subit, vt aurata, carnéque vescitur, & constat apud veteres maximo fuisse in pretio, carnem inter mollitiem, & duritiem mediam habet, concoctu facilem, & boni succi, ità vt inter salubres pisces meritò reponi possit. At qui in stagnis degit, carnem insuauem habet, mollem, tetrumque ac virosum quendam saporem referentem: idcircò à diuitum mensis abiici solet, & rura solùm, plebeculamque alere, vt in multis etiam aliis piscibus contingere diximus ob locorum diuersitatem. Elixus raro paratur, quia paruus est: maiores enim solummodò elixari solent: in sartagine verò frixus, ac sub craticula assus, vt plurimum paratur, ex malique arancij succo comeditur. Cantharus equidem cum squamis ex Indico splendentibus integatur, ob id à Romani Zaphile dicitur, vt & citharus quoque, & alij quia in cœno degit, scarabeum nominant, marinus est piscis, qui littora potius, quam pelagum incolit, & auratæ, & sargo forma, figuráque corporis valdè proximus est, branchiæ aculei pinnæ non admodum dissimiles, dentes habet breues, & confuso ordine dispositos, oculos cæsios, atque supercilia nigricàtia, estque singulis vtrinque lineis aureis insignis, & lapillos in capite gerit. Moliorem ac humidiorem carnem habet, & proinde insipidam, nec admodum gustui gratam nec concoctu difficilem nec parum nutrientem, sed crassum atque pituitosum humorem generantem, qua de causa dum coquitur addi ei solent quæ humorem illum super-

Vires. — *Modus condiendi quem accarpionare appellant.* — *Sparus.* — *Vires.* — *Cantharus.* — *Vires.*

fluum comminuant, vt piper, crocus, cinamomum, gingiber, cæpæ atque huiusmodi. Frixis quidam in sartagine vescuntur, alij exassant, aut in patinis ex albo iure condiunt, pauperumque mensas frequentius subeunt: asellis enim longè sunt inferiores.

CAPVT XLVIII.

De Mæna, & smaride.

Mæna.

PIscis est Mæna qui herbosis littoribus gaudet, ac *Mænoba* ab Italis dicitur, atque smaridi persimilis, latior tamen ac breuior, nec non rectam lineam in lateribus habet, quæ in smaride est arcoata: lutei est coloris, & si aliquando lituris cyaneis conspersa appareat, breue habet caput, osque minimum, dum clausum tenet, dum verò hiat, magnum ostendit. Iris oculorum subruber est, squamis tenuioribus contegitur, & dum desquamatur, albissima, atque argentea apparet: pinna quæ dorso incumbit, duodecim aculeis riget. Fœcundissimus autem est piscis, atque præstantior, dum vterum gerit, gobionibúsque præfert Hicesius succi bonitate, licet non adeò gustui gratus, nec minùs ventrem subducit: sub craticula assus, vel in sartagine frixus ex arancij succo conditus, vt plurimum comedi solet, parum tamen nutrit, nec multum excrementi præbet. *Vires.* *Smaris.* Smaris quoque littoralis est quem Romani *spigarum* vocant, corpore penè est tereti, & minori quàm mæna, squamis verò ea latioribus tegitur, lineam à capite ad caudam habet arcuatam, & caput longiusculum, atque hoc ei peculiare est, vt cum os aperit, labra exerit, tanquam ex tubo pixidatim infarcto, vt Bellonius refert: eius color ex cyaneo hilari in argenteum micat, tergore obscuriore, & ventre candidiore, caudam bifurcam gerit, atque vnicam in dorso pinnam: Bocæque adeò est persimilis, vt vix fermè distingui possint, carnem habet smaris candidam, boni succi, & facilis coctionis, paucique excrementi, quæ tum frixa, tum elixa ori non ingrata est, cuius iusculum ventrem subducere ferunt, suntque nonnulli qui ea de causa interdum ægrotis exhibent, multa quoque ex ea parantur medicamenta, quæ Dioscorides connumerat capite proprio de smaride: solet etiam sale condiri, qui à bibacibus maximè expenditur, palatum enim atque os stimulat, & sitim lacessit. *Vires.*

CAPVT XLIX.

De Erythrino siue rubellione, boce, & salpa.

Erythrinus.

ERythrinus siue rubellio piscis est marinus, potius littoralis, quàm pelagius, quem Romani *fragolinum* appellant, cuius corporis figura auratæ non est absimilis, squamis tegitur frequentibus, & valdè inter se coniunctis, ventre est subalbido, capite argenteo, corpore vero reliquo rubescente, rostro acuto, & capite vtrinque compresso, ore paruo mediocribus dentibus munito, oculis magnis ac latis, & branchias vtrinque quaternas habet: In dorso vnica pinna longa, & aculeis multis horrida erigitur, alteráque longè minor ventri hæret, caudam bifurcam, atque vt plurimum lapides in capite gerit. Eiúsque magnitudo palmi mensuram perrarò excedit. In quo genere marem non reperiri affirmat Aristoteles, quoniam omnes qui capiuntur oua in vtero ferre comperiuntur. *Nota.* Carniuorus est piscis atque gregalis, & sæpè cancellis, & minutis crustatis pascitur: suauissimus est atque ab omnibus vbique nobilissimus censetur piscis, cuius caro satis tenera, atque friabilis est, propterea boni succi, concoctu facilis, & multi nutrimenti, quæ etsi omni tempore iucunda sit, hyeme tamen præstantior habetur, & frixa potiùs quàm elixa, & præcipuè si arancij mali succo, ac modico pipere condiatur. *Vires.* Ferunt nonnulli Rubellionem Venerem concitare, atque in vino putrefactum iis qui biberint, tædium vini afferre. Boces autem siue Boopes littoralis est piscis, quem Romæ *Bogam* vocant in cuius foro piscario canistra *bocidibres*, trachuris triglis, atque huiusmodi cumulata sæpè conspiciuntur, & vulgus vno nomine fricturam appellat, eo quod ob paruitatem in sartagine feruenti oleo frigi soleant. *Boces.* Est ergo Boces piscis perpetuò paruus, teres, cuius color hilari veluti aureo fulgore nitet, vt tergora colore ad aurum inclinante micare credas, crassiori capite constat pro corporis magnitudine, oculósque grandes habet, squamis contegitur, atque duos oblongos calculos in capite gerit, carnem non admodum duram habet, ob id nec concoctu difficilem, nec mali succi, imò si elixetur ius eius aluum emollit, atque ea de causa ægrotatibus interdum conceditur: elixus enim boces probè conficitur, & parum excrementi generat, ac pinnis coctus mollior, ac sapidior efficitur, & sic moderatè frixus, omninò verè assus aridior redditur, multis modis paratur, & ex gelu conseruatur, ac sale conditur, qui & aureum quoque colorem retinet, qui coctus, atque sale spersus, foliísque laurinis complicatus diu asseruatur. *Vires.* Salpa equidem littoralis est, atque in maritimis etiam lacubus gignitur, sorbáque à Romanis vocatur, nullus verò piscium colore est pulchrior, ventre & lateribus candida est, dorso ex cineraceo nigricat, & à capite in caudam per argentea latera nouem vtrinque aureis, rubentibúsque lineis certis distinctis interuallis egregiè depingitur: caput paruum & rotundum habet, rostrum acutum, os exiguum serratis dentibus munitum, oculi aurei conspiciuntur, atque vnicam in dorso pinnam longiusculam, ac duodecim aculeis horridam habet, altera quæ ventri subest, ad caudam vsque deducitur, branchias vtrinque quaternas, atque eas quidem geminas, caudam bifurcam, squamisque latis & varij coloris contegitur, cuius moles duas rarò excedit libras, stercore & alga, ac aliis fœtidis vescitur cibis, ob id admodum vilis, & plebeus piscis vbique censetur, nec solum ætate nostra, sed à veteribus *Salpa.*

ribus

Vires. ribus etiam obscœnus habitus est carnem habet duram, insipidam, atque ingratam, ob id concoctu difficilem: adeò enim dura est, vt nisi ferula verberetur, vix percoqui potest, vitiosum generat succum, & quouis modo condita insulsa est, atque insalubris, si tamen per dorsi longitudinem dissecetur, atque interaneis exemptis passulis sale, allio, olentibúsque herbis concisis impleueris, atque diligenter assaueris, sapidior reddetur, tetrúmque deponet odorem.

CAPVT L.

De Sphyrena, & Acu.

Sphyrena. SPhyrena circa saxosa, ac arenosa littora victitat, sudum Latini vocant, Romani verò vulgariter *Luccio di mare*, cuius etsi nonnulli duo genera facere videantur, vnum tamen nobis tantùm adnotasse licuit, longus est piscis, atque corpus totum paxillo simillimum habet rostrum cuneatum, & os valdè rescissum, dentibus superioribus quidem maioribus, inferioribus verò minoribus munitum, atque in medio anterioris partis maxillæ inferioris dens vnus omnium longissimus, atque acutissimns extat: oculos latos atque cæsios habet, atque lineam vtrinque ad latera, quæ branchiis recta ad caudam fertur, mira arte paruulis atque duriusculis squamis contexta, branchias vtrinque quatuor habet, & dorsum duabus pinneis præditum, cuius pars linea illa superior subcineracea est: venter verò ac tota pars eadem linea inferior candida apparet. Tergore tegitur squameo, cuius quidem squamæ lente multò sunt minores, nec piscium, sed serpentum instar miro ordine commissæ, caudam bifurcam habet, & magnitudine inter amplissimos rarus videtur, sed tamen non degener. Vires. Duriorem quàm conchrus carnem habet, ob id magis nutrientem, sed concoctu difficiliorem, succum bonitate mediocrem gignit, meliorem verò si circa saxosa littora capiatur. Eius tamen caro insuauis atque ingrata est, nisi aliquo optimo alimento associetur, vilis atque vulgaris piscis Romæ habetur, nec vllum proprium conditurae modum habet. Acus. Acus autem piscis est qui in saxosis, ac arenosis locis vitam degit, qui retibus captus si ex eis euaserit ipsis irascens dum dentibus ea lacerare contendit in laqueos rursus incidit. *Acucella* Romæ dicitur, longus atque tenuis est, qui non squamis, sed læui cute induitur, dorso est cæruleo ad viride inclinante, & ventre argenteo, rostroque acuto, tenui, longo, & duro, cuius pars inferior superiore longior est, & vtraque plurimis exilibus acutis, serratísque dentibus munita: septem etiam pinnulas supernæ, & infernæ, & in cauda propendentes habet, caudamque bifurcam, & rarò digito crassior esse solet, nec pede longior euadere, & Vires. branchiæ vtrinque sunt ei quaternæ. Carnem duriusculam concoctuque difficilem habet, boni tamen est succi, & fricta succo omphacij, aut mali arancij non ingratè manditur, imò maximè in delitiis expetitur, sale etiam condita, cruda cum pane à plerisque edi solet.

CAPVT LI.

De Scombro, & Thymao.

Scombrus. CIrca arenosa littora, atque imos maris scopulos victitat scombrus, quem *Marcharellum* Romæ vocant, estque adeò coliæ persimilis, vt difficillimum sit eos internoscere, vtriusque enim venter albus est, dorsum verò sub plumbeum, sed scombri notis quibusdam cærulæis, atque vndantibus insigniтur, coliæ verò aqtue liuentibus lineis latera notantur, & scombro longè maior fit colias: vterque igitnr caput rotundum habet, rostrum acutum, os valdè hians, paruis dentibus munitum, oculos magnos, & flauos, branchias, vtrinque quaternas, & pinnas etiã vtrinque binas, duas ad branchias, & duas in ventre, propter quas vna in dorso horrida quæ aculeis nonnullis erigitur, & altera post dorsum paulò minor, nullis ferè aculeis munita: post hanc nonnullæ aliæ minores æquis interuallis distinctæ, reliquum dorsum ac ventrem ad caudam vsque vestientes, quæ acutior facta in lunatam pinnam degenerat, squamis prorsus caret scombrus, carnem habet duriusculam, atque exuccam, & Vires. si verno tempore adeò Romæ atque Venetiis pinguescat, vt tenerior fiat, quo tempore inter delicatiores pisces connumeratur, boni enim est succi, & concoctu facilior, & è ventriculo descendit, laudatissimumque olim ex eo parabatur garum, nunc verò fœliciter eo condimenti genere quod *ammarinare* dicitur, vt suprà modum edocuimus, conditur, vt iucundior fiat, & in multos dies incorruptus asseruetur, recens sub craticula assus, atque in sartagine frixus ex arancij succo aut omphacio comeditur, lautiores primis diebus mensas subit, ac ornat: breui enim gratia perit, & frequens eius vsus fastidium parit, sale etiam conditus gratus est valdè, ac Thynnus. verna ieiunia solatur. Thynnus autem quem vbique fermè vulgariter *pesce ton* vocant pelagius est, & nonnunquam flumina subit, qui cum tempore gaudeat, sæpè apud sabulum conspicitur, plurimum crescit, & est ex eorum numero qui nomen pro ætate mutare solent, paruus enim cordyla dicitur, adultus Thynni varia nomina. pelamys post annum thynnus, estque colore externo, ac delineamentis scombro valdè persimilis, licet magnitudine longè ab eo distet (& quamuis à Galeno non omittatur, ac grandior inter cete recenseatur) ob id nobis hîc describere placuit, estque fermè totius figura rotunda, & in caput, ac caudam valde acuitur, & nisi paulò longior esset ouata videri posset. Venter eius subalbidus est, dorsum plumbeum, latera maiorum liuida, minorum verò sub nigris lineis transuersis atque obliquis depicta apparent, caput rotundum habet, rostrum non multum extensum, os satis magnum, & denticulatum, oculos mediocres, branchias vtrinque quaternas,

pinnas etiam vtrinque binas, duas ad branchias, & duas in ventre, præter quas vna magna plurimis aculeis munita erigitur, à qua circa dorsum medium altera paulò minor enascitur, nullis armata aculeis, & ab his pleræque aliæ multò minores pinnulæ æquis interuallis distinctæ, quæ dorsum reliquum ad caudam vsque, ornāt, ac vestiunt, & alia ventri subnascitur grandiuscula. Differtque mas à fœmina (vt inquit Aristoteles) quia fœmina sub vētre pinnulam iunctā habet, quæ mari deest, caudam lunatam gerit, in cuius radice vtrinque à pendice vnum vides, squamis tegitur amplis, exactissimè inter se commissis, atque tenui, leuique corio coopertis, vt squamis carere nonnullis videatur, nec ab Aristotele inter pisces squamosos connumeratur. Carniuorus est, atque glande plurimum gaudet, cuius cibo eximiè pinguescit, nec mirum si nonnulli marinos sues appellauerint Thynnos. Maximus est piscis, & mense Maio copiosissimè capitur in freto Gaditano, quo tempore ex Oceano Atlantico in mare Mediterraneum irrumpit, non paruo Gaditanorum quæstu, qui infinitam eorum multitudinem retibus extrahunt, & membranatim disceptos saliunt, & in cadis asseruatos per omnem Europam diffundunt, atque magni apud Italos est pretij, cuius partes sale conditæ variè nominari solent. Ventris enim pinguiorem adipem *tarantellam*, dorsum autem magis carnosum, ac macilentum, *tonninam* appellant. Dura autem est maioris Thynni caro recens & concoctu difficilis, ingrati saporis, & mali succi. Verum partes imi ventris pinguiores aliis partibus sapidiores existunt, sunt enim teneriores, & ori gratæ si in frusta dissectæ sale priùs, atque coriandro contrito conspersæ veru assentur, continuaque dum assantur aceti & olei inspersione: grauis tamen est cibus, & multum nutriens licet minoris thynni non proinde dura sit caro, nec concoctu ita difficilior: salita autem longè melior euadit, vt Galenus testatur dum inquit: Pellamydes sale conditæ, laudatissimis salsamentis non cedunt, ventrem ducunt, & extenuant. Debet tamen prius antequam caro salita decoquatur octo, aut decem horis aqua macerari, vt salsedinem deponat, dein aqua elixari, quæ sic elixa in parua fistula dissecta, aceto & oleo condiatur, multis tamen eius vsus hæmorrhoidas cit, quia acrior est, & plurimam atram bilem gignit.

Masculum fœmina di[no]*scem.* *Tarantella quæ.* *Tonnina quæ.* *Vires.* *Salita melior.*

CAPVT LII.

De Sturione.

Sturionum diuersæ species.

Diuersarum specierum esse videntur sturiones, communis tamen forma hęc est, tereti & oblongo corpore constat, supina parte planus est, prona rotundus, dorsum, & latera tribus, quasi carinis distincta ostendit: in dorso octo ossa, in lateribus alia octo & viginti, calli duritiem præseferentia, & à branchiis ad caudam exporrecta, rostrum longum mucronis instar habet, exporrectamque frontem, & in pyramidem assurgentem, cirros duos habet oblongos sub mento ad instar barbæ diuisæ, cutem quasi spineam argentei coloris, oculos paruos, dentes nullos, lenia labra, branchias simplices, ventriculum durissimum, dorsoque adeò hærentem, vt affixus dici possit, linguam crassam, & densam, si rectè à Bellonio describitur. Verùm Rondelletius hunc antiquorum Accipenserem esse vult, ego non contendo, quamvis referant authores de Accipensere, alij de elope squamas habuisse conuersas, nunc qui sic habeat squamas haud inuenitur: neque enim sturio talis est, dumque luctatur, & inuoluitur in nominum varietate, ipsius piscis descriptionem prætermittit, & quod vnum ex illa refert, falsum est, scilicet in prona parte os habere, & valdè descissum. Ipse enimmet in libro de piscibus fluminum reprehendens Calcagninum ostendit ex Aristotele per pronam partem superiorem intelligi debere, quod etiam dum de passere, rana, & physsalo loquitur, affirmat. At constat cuique qui hunc piscem viderit, vt etiam Bellonius refert os quasi rotundum esse, & in supina, id est, inferiore parte non discissum, longiùs autem prona. Idem hunc piscem modò hyccam vocat, modò aliud ab hycca esse contendit, sed omittamus sero ædita, & breui compaginata, vescitur hic piscis arena, cœno, hudo, oritur in mari, maiori ex parte ascendit ad flumina, frequens in Eridano, Rheno, Tyberi, Pado, Danubio, atque aliis plerisque magnis Europæ fluminibus, & hodie maximo in mensarum honore vbique habetur, atque multa in æstimatione, sed fluuiatiles marinis præferuntur, nam qui in fluminibus degunt, non solùm dulcium aquarum haustu pinguiores, ac maiores fiunt, sed suauiores etiam: gratiores etiam sunt media æstate, quàm reliquo anni tempore. Duriusculam autem carnem habent, præpinguem, & glutinosam, quæ propterea ægrè concoquitur, & crassum generat succum. In his tamen magnum ex ætate reperitur discrimen, nam tenellos qui iam procelletæ Italis sunt, gustuque sapore suaues, ac iucundos esse, teneros, friabiles, minimè ventriculo aduersos, nec magno ventriculi labore concoqui constat, multum alimenti, non valdè tamen excrementitij hi exhibent, in quibus tamen frigida, atque humida adnotatur intemperies, qua omnes prædíti sunt pisces. At in adultis quos vbique sturiones vocant, plurimum bonitatis deperit, eorum enim caro, quæ iam tenera ac friabilis erat, dura & tenax reddita, nocumenta multa parit, nam nec æquè palato grata est, & difficillimè concoquitur, crassum ac lentum succum, plurimumque præbet, ex quo humores crudi, ac ex his obstructiones, & omnia hæc longè deteriora fiunt in ventriculo natura imbecilliore: robustior enim interdum contemnet, ac euincet: non tamen vitiosum generat succum, sed solummodo crassum, ac glutinosum, od dum elixatur modicum aceti addi solet. Ex sturionum autem ouis salitis, &

Rhondelletius notatur. *Cap. 8.* *Cur fluuiatiles meliores.* *Vires.* *Cauiarij vires.*

& in massam congestis, salsamentum cauiarium dictum conficitur, vbique gratissimum, quippe non solùm quod probè sapiat, sed deiectam etiam ciborum appetentiam subleuet, atque siti mirè lenocinetur. Schinalia quoque ex eorum dorsi spina salsamenta dicuntur, sale, fumoque asseruata.

CAPVT LIII.

De Sargo, Melanuro, & Lato pisce.

Sargus.

SArgus quem non solùm Romæ, sed vbique fermè sargo, vel sargone vulgariter vocant: piscis est littoralis, & circa saxosa, herbosaque littora victitans, non auratis prorsus absimilis, latior tamen, ac rotundior est eius figura, rostro etiam acutiori, oreque minori. Dentes habet latos, humanisque simillimos, & non serratos, oculos magnos, & branchias vtrinque quaternas. In ventre pinnas duas subnigras, & minores, ad branchias verò alias duas maiores, & subrubras. In dorso alia erigitur pinna per totum ferè continua, aculeisque plurimis armata & iuxta anum altera subest, vnico aculeo innixa, caudam lunatam habet, atque in extremo nigram. Ventrem subalbidum, dorsum ex cineraceo flauescens: squamis tenuibus contegitur, imò quo mirum est à dorso ad ventrem lineas habet hic piscis transuersum actas, nigras, certoque ordine, vt quæ impari loco sunt, latiores sint, quæ pari, angustiores: capras vehementissimè amat, earumque odore maximè delectatur, vnde ad cibos in pelle conditos aduolat, quod tamen non hoc solo sensu se capras diligere ostendit, cùm ad illarum etiam vmbram exiliat. Luto libenter vescitur vt Aristoteles testatur, ob id eligendus est qui saxosis littoribus vitam degit: suauior enim est, & succum laudabiliorem parit, non enim carnem adeò duram, nec cōcoctu difficiliorem habet. Autumno ac hyeme melior existit, & auratam succi bonitate æmulari potest, licet carne paulò ficciore, durioreque constet. Paruus in sartagine frigitur, assaturque in craticula aceto addito, calidusque comedi debet, maior etiam elixari solet. Melanurus autem quem Romæ ochiatam vocant, ad differentiam torpidinis oculatæ, quàm *ochiatellam* appellant, circa littora saxosa, & arenosa victitant, variasq; sedes habitare solet, adeoque ad auratæ figuram proximè accedit, vt sæpè pro aurata vendatur, os paruum habet, dentibus robustis munitum, oculos maximos pro ratione suæ magnitudinis, à quibus nomen desumpsit, ventrem subalbidum, dorsumque ex cæruleo nigricans, atque in cauda latam, nigerrimamque notam habet, maximéque in cæteris etiam cum sargo conuenit. Non multum augetur, palmi enim magnitudinem nunquam superasse vidimus. Alga teste Aristotele vescitur, sed libentius limo, ac sordidis pascitur, impura enim ac limosa interdum insequitur loca, & tunc deterior est, melior verò longè, qui in arenosis, ac saxosis locis versatur: caro enim mollior, concoctu facilior, & minùs excrementitia, nec mali succi, insuauis tamen, & nescio quid astringentis facultatis ei inest, nunquam elixari solet, quia paruus, sed auratæ instar in craticula assari, aut in sartagine frigi. Latus verò piscis in mari Adriatico frequens est, quem nonnulli Regium piscem nominant, hoc est, regibus dignum: Vmbræ valdè persimilis fertur, vix tamen hodie cognitus. Adest quoque & Niloticus qui in fluuio Nilo nascitur, & ad ducentarum librarum, vel etiam plurium pondus accedere deprehensus est, vt refert Athenæus. Candidissimus, atque optimus, suauissimus etiam ex quacunque ratione fuerit conditus, à marino amplitudine, carnisque, ac squamarum candore differens, duriusculam enim carnem habet, & concoctu difficilem, boni tamen est succi, & multum nutrit: Elixa potiùs quàm frixa edi solet, additis odoratis herbis, aromatibus, atque aliis huiusmodi.

Sargus capras amat. *Vires.* *Melanurus.* *Vires.* *Latus piscis.* *Vires.*

CAPVT LIV.

De Lampetra.

Lampetram non esse Galeni galexiā.

LAmpetra ab Italis *Lampreda* à lambendis petris dicta, hanc multi Galeni galexiam esse contendunt, quam Romæ cognouit, & ex mustellorum genere esse affirmat, maximoque apud Romanos in pretio, quæ cùm in Græco mari nusquam nasci videatur, ideò ipsam Philotimus ignorauit, atque ex eorum numero esse, qui molli carne constant, & si reliqui mustelli potiùs dura carne sint præditi. Alij verò galexiam non esse asseuerant, cum galexia ex Galeni sententia molli carne constet: lampetra verò dura ac glutinosa sit, ob id non desunt, qui eam Accipenserem esse volunt. Constat tamen lampetram nostram esse veterum Latinorum mustelam, quæ tùm in mari, tùm in fluminibus reperitur. Ineunte enim Vere flumina mari proxima subit, in quibus oua parit, ibique toto verno commoratur: incipiente autem æstate cum suis fœtibus in mare reuertitur. Magnitudine propemodum est anguillarum, os habet hirudini simile, fistulam in capite, velut quæ pulmones habent, quæ ei addita est, vt cum suggendo viuens occupet os, aquam ad branchias trahere posset, quæ cute crassa intectæ, septem rotunda foramina vtrinque habent, duas in dorso pinnas habet, nullas tamen natandi causa in lateribus, aut sub ventre: maculoso est dorso, & ventre candido: gustu non est adeò suauis vt mihi videbatur, vt anguilla: durior enim est tametsi mihi non assueto delicatior videri debuisset: dum per Ligerim fluuium iter ageremus, hærentes proræ sex aut septem grandiores anguillis nautæ ceperunt, sunt autem anguillis aliquanto crassiores, ac breuiores, ossibusque carent. Erat iter nostrum Veris tempore, quo suauior, ac pretiosior censetur. Hæret autem adeò firmiter nauibus pici odoris (vt creditur) causa, vt si clauo temonis affigatur, nauim remoretur,

Lampetram esse veterum Latinorum mustelam.

aut saltem retardet, & præcipuè si multæ fuerint in simul, quo factum est vt multi crediderint hanc veram esse remoram, de qua aliàs multa tradidimus. Longus ergo est lampetra piscis, ac lubricus, non squamis, sed læui cute, & varia contectus, cartilagineusque cùm sit, & carnem duram, atque glutinosam habeat, ob id ingens ventriculo negotium facescit, difficile enim concoquitur, & crassum, glutinosumque succum gignit. Omnium tamen piscium nunc temporis nobilissima à plerisque censetur lampetra, quæ quidem si rectè condiatur egregij, rarique erit saporis, nec nimia duritie, aut crassitie damnanda, lentitiem tamen nunquam deponit, & idcirco non valdè laudatum est à medicis eius alimentum, quia glutinosum, faciléque meatus infarcientem. Ratio autem condiendi hæc habet. Eam in Cretico vino necare solent, osque miristica nuce claudere, & branchiarum foramina garyophillis adimplere, in teganoque conuolutam additis auellanis tritis, medulla panis, oleo, vino Cretico, aromatibusque, ad temperatiores prunas sedulò excoquere, cui condimento & plura alia ad libitum addi possunt. Incrustatur quoque panificio à pistoribus dulciariis. Minores etiam farina circumuolutæ feruenti oleo frigi possunt, dein omphacio, aut arancij succo addito, aromatiue aliquo mandi. Non itaque mirum si cibo plures pereant, quàm gladio.

Error.

Vires.

Condiendi ratio.

CAPVT LV.

De Alosa, Halecula, & Harengo.

Alosa quæ.

ALosa quam Romæ *laceiam*, Venetiis verò, Bononiæ, ac multis Italiæ partibus *chiepam* vocant, piscis est marinus, atque ex eorum numero, qui flumina magna subeunt: dum enim ouis grauida est, vtputa ineunte Vere ad flumina adnatat, in quibus toto verno tempore commorata, æstate incipiente rursus in maria reuertitur, in quibus parit, atque noctu magis ambulat, quàm interdiu, estque Harengo valdè similis, etsi magnitudine ab eo longè discrepet. caput enim valdè in latera compressum habet, rostrum acutum, os cum vehementer hiat admodum patulum, edentulum, atque omnis asperitatis expers, branchias vtrinque quaternas, & iuxta eas pinnas binas, vtrinque vnam, aliasque duas in ventre atque in dorso vnam, & aliam quæ ab ano per imum vetrem ad caudam ferè vsque excurrit, & cauda in lunatam pinnam desinit, squamis ipsa tegitur magnis, tenuibus, & facilè decidiuis, ventre & lateribus argentum æmulatur. Dorso verò & capitis vertice, ex albo flauescit, oblongiuscula apparet, atque in latera compressa, & eius caro spinis innumeris exilibus, longiusculisque intersecatur. Marina cum squalida sit, & pinguedine careat, duram carnem habet, atque insipidam. Fluuiatilis verò quia in aqua mirificè (vel paucorum dierum mora) pinguescit, atque tenerior fit, ideo gustui grata est, & tyberina omnibus aliis præfertur, posseque inter nobilissimos pisces connumerari, nisi plurimæ illæ spinæ vescentibus molestæ impedirentur: carnem namque & si non friabilem ob multam pinguedinem, duritie tamen, & mollitie mediocrem, nec concoctu difficilem babet, copiosiùs tamen eius esus succum aliquanto crassum, frigidum, atque crudum generat, & quantò magis aduerso amne conscenderit, tantò salubrior, & melior erit: eius hepar valdè suaue est, & apud multos maximis in delitiis habetur. In aqua elixa aceto, & sale iniecto comeditur, atque assa etiam & dum assatur, ne nimium exsiccetur aceto & oleo crebro roranda est. Aleculæ autem quas Romani sardas vocant, pisces sunt minuti, qui in salsuris cæteris omnibus meliores euadunt, vt earum muria garo haud sit inferior, squamis prorsus carere videntur, & branchias exteriores latas gerunt, & lineam argenteam quæ sanguinem continet, & pinnam in summo tergore paruam habent, & caudam bifurcam, teretique potiùs corpore præditæ sunt, quàm lato, cœnosis, atque arenosis locis vescuntur, captæ eniam arenis, & spurcitiis exaturatæ comperiuntur, circa littora victitant, & vt refer Aristoteles quinto de Historia animalium, saltatione, & cantu adeò gaudent, vt cum audiuerint, vel extra mare transiliant: suaues sunt, & facilis coctionis, ac boni succi, si recentes frixæ in sartagine oleo, vel butyro, vel in craticula assatæ comedantur, sicut ipse soleo sæpè comedere: salitæ præstantissimæ sunt, & ventriculo gratæ, adeò vt deiectam appetentiam sæpè conciliant, quod & testatus est Galenus tertio de Alimentorum Facultatibus, vbi inquit: [Præstantissima autem omnium quæ mihi experientia cognoscere licuit, sunt quæ à veteribus medicis Sardica salsamenta nuncupantur, hodie Sardas vocant, quæ absque capitibus in doliolis conditæ nobis deferuntur.] Harengum diximus valdè Alosæ esse consimillimum, compresso tamen magis corpore, cuius branchiæ variæ annullos describunt, & argenteis squamis vestitur, & tanta est etiam illius cum sardino affinitas, vt ex pictura vix possint discerni, sunt enim hi & sardoni ac celerini ex eodem genere, nam forma & magnitudine cum parum differant, triginta quinte aristas sub ventre habent: Harengi tamen sapore cæteris præstant, horumque piscium copia in Oceano incredibilis est, vt ad cc. millia coronatorum in singulos annos capturæ pretium ascendat: sæpè etiam multò amplius. Huius obseruationis numerum aliàs memini. Nobilissimi verò, suauissimi, atque sapidissimi sunt pisces, quorum caro candida atque longè friabilis est quàm in sardinis, nequaquam tenax, succumque optimum, nec æquè crassum ac glutinosum minus etiam excrementitium, concoctuque faciliorem exhibet, nec minus nutrientum, plus tamen iusto frigidum atque humidum communis aquatilium propè omnium noxa.

Vires Marinæ ac fluuiatilis.

Condimentũ.

Alecula quæ.

Vires.

Salitarum vires.

Cap. 41.

Harengus quæ.

Vires.

CAPVT

CAPVT LVI.

De Testaceis, atque eorum alimento.

Integumentorum plurima genera.

IAm multiplex est piscium discrimen, quod ab integumento desumitur vt plurima genera nobis obstendat. Alij enim molli cute teguntur, vt polypi, alij mediocri vt cetacea, alij aspera vt raia, alij cartilagine vt torpedo, alij spinis vt echini, alij squamis vt lucij, & mulli, alij corio vt manati, quod etiam propria pinguedine paratur ad calceos: alij pilo vt vituli, alij crusta vt locustæ, & astaci: alij concha vt tellinæ: alij duriore testa, vt ostrea, alij durissima vt purpuræ, alij osse vt holothuri, testaceorum etiam quædam vnica testa, alia duplici integuntur. Quæ vnica testa integantur duorum sunt generum, alia enim adhærent saxis vt lapades, quibus pro altera testa lapides sunt, quibus hærent: quodque magis mirum est, os, & cornua (nam & illa aculeorum vice illis sunt) versus lapidem posita sunt: atque id iure merito: cum enim consenuerint vagantur, quare cornua, & os decuit esse ex aduerso testæ, vt cornibus iter prætentarent, testa verò integerent. At verò cur hæc operculo indigeant, opere pretium est intelligere, si quis enim animaduertat quæcunque nascuntur etiam erucas tegmine vndequaque muniri, admirari desinet: tum præcipuè quod etiam enata nullis armis prædita sunt ob id testa cum operculo se tuentur. Purpuris verò quarum curam maiorem natura habuisse videtur, promuscidem ex cauata testa dedit, vt latere simul, & vesci possent, dura verò facta est, & vt penetrare posset, & vt à minutis animalibus, quorum maxima vbique copia est, tuta esset. Cæterùm reliqua quæ promuscide carent, vt cochleæ vescuntur, trahentes per operculum, humido terræ, quamobrem adhærere omnes quamdiu operculo obducuntur constat. Est igitur tunc horum vita similis fœtibus quadrupedum, dum in vtero sunt. Exugunt igitur tenuius humidum quod per rimam operculi ingreditur atque sic augentur: quamobrem talia tunc meliora, & minus duræ concoctionis. Cùm verò humidum copiosius, ac solidius fuerit, necessarium soluitur operculum, tuncque è loco ad locum migrant. Et quia ex tam crassa substantia, & cuius situs capitis pronus erat, oculi non poterant fieri, cornua natura addit. Et quoniam vna testa concludebantur, non facilè alligari poterant: ne igitur dum se traherent testam amitterent, turbinata facta sunt, ob id nautillus, & quæ mari vehuntur non fuere turbinata. Quæ autem duplici testa integuntur, in duo prima genera diuiduntur, alia enim dura, & crassa, vt ostrea, alia tenui & fragili conchas nominamus, implentur omnia hæc tum, & quæ crusta, aut vna testa integuntur. Sed hoc minùs quod duriore sint carne, & varietatem etiam maximam à locis, in quibus oriuntur, recipiunt. Verum cur non solùm conchylia, sed exanguium quæ in aqua degunt, omne fermè genus lunæ lumine impleatur, causa reddere difficilè non est: non enim ob incrementum, non enim pinguiora, sed humidiora euaderent: pinguescunt ergo, quoniam dum quæ & limus, quibus vescuntur attenuantur, exconcoquuntur: ideò melius nutriunt, calor quoque qui in cunctis animantibus augetur, in his ob propriam imbecillitatem euidenter augetur: quo fit vt duplici causa pinguescant. Verùm in polypis, & his qui vrne vescuntur, non adeò manifesta, & certa est hæc differentia: quoniam quandoque contingit vt incrementi lunæ tempore cibis opportunis destituantur, aliis abundent. Concharum ergo plura sunt genera vt ex Plinio facilè colligitur, & Chama, Pectines, Balatri, Solenes, Mytuli, tellinæ, ostrea, & huiusmodi quæ numerosas inter se differentias habere Aristoteles tradidit, tùm testæ, tum carnis ratione, quibus omnibus commune est, vt salsum in carne contineant succum, qui aluum soluit, secundum magis & minus: siquidem ostrea inter testata carne mollissima constant, chamulæ autem purpuræ, buccinæ atque huiusmodi talia carnem obtinent duram, proinde ostrea aluum quidem magis emolliunt, sed leuiùs alunt, carnemquem suauissimam quæque in ambitu purpureum crinem habent nobilissimaque censentur, & à loco Britannica præferuntur. Maiora in alto mari capiuntur, sed in fluminum ostiis pinguiora. Cætera verò quæ duriora sunt, valenter nutriunt, sed difficiliùs conficiuntur, & præcipuè si non coquantur, talia enim vt plurimum citra coctionem manduntur, & sic crudum, ac pituitosum generant succum. Quidam verò imbecillioris ventriculi, reclusas ostreas aliquando salis momento addito prunis imponunt, parumque concalefactas vorant, alij in ollis elixant, pipere, cinamomo, garyophillis, & arancij succo, quæ esca multis non parùm arridet ad Venerem stimulandam, variisque aliis modis condiunt. His itaque succedunt crustacea, quæ tenuibus intecta sunt crustis, partemque solidam foris, mollem autem, & carnosam intùs continent authore Aristotele, quæ pedes habere oportuit, atque pamphaga esse, nam si nutriri debuerant solidiore alimento, & non omninò terra, vt echini, sed meliore, motu indiguere, & in crustaceis pinnæ adiici non poterant, propter latitudinem: tenues enim frangerentur, crassæ ineptæ motui, quare pedes habere necessarium fuit. Verùm id maximum nec ab vllo fermè animaduersum, quomodo perfecta cùm sint intus, oua rursus sub cauda adhæreant, quæ latior est, ob hoc in fœminis idque præcipuum signum sexus latitudo caudæ in astacorum genere, cumque natura nihil frustrà agat, forma verò in vtero dederit, necesse est vt integra pariat, quod & de locustis fatetur Aristoteles: laxatis igitur membranis illis parit, quæ proprio humore sub cauda statim colligit, fibrisque annectit: ibi fouentur, quoniam frigida sunt simpliciter, & animalis comparatione, quædam enim simpliciter tantum vt piscium, quæ fotu non indigent, quædam sola fœtus comparatione

vt

Testaceorum genera.

Quomodo nutriantur.

Quæ duplici testa integuntur

Cur conchylia lunæ lumine impleantur.

Concharum plura genera.

Ostrea.

Vires earum.

Crustacea quæ.

Nota.

vt auium. Gammarum autem vtroque modo, ideo fotu indigent. Nascuntur igitur annexis adhuc ouis animalia, nam cortices caudæ postquam gammari exiuerint, anexi conspiciuntur: quam ob causam in cauda pinnas quinque etiam gammari habent, vt eundo oua non atterant, aut excutiantur: sex quoque tabellis cauda constat vt faciliùs moueantur, nam ea parte robustissimi sunt gammari. Constant autem dura omninò carne, & proinde ægrè concoquuntur, nec leuiter alunt, quin & difficulter corrumpuntur, & sanguine carent.

Vires.

CAPVT LVII.

De Astacis, & gammaris.

Astacus quis.

Ex piscibus molli crusta intectis astacus est, qui ex rubro, fuluove colore liuescit, pedesque extentos, ac forcipibus dentatos, superioremque partem mouentes astringendo ad inferiorem, & cornua ante oculos gemina habet, sub quibus alia duo minora latent, ac tenuiora, super quæ oculi constituti sunt crassiusculi: leuem costam sine aculeis anteriore tamen parte rostratam ostendit. Quatuor pedes vtrinque habet, quorum duo priores in extremo bifidi sunt ad incessum, alij duo natatui magis inseruiunt, quàm apprehensioni, tabellas in cauda vides, & à bruma oua ferre incipiunt axaci, quo tempore optimi sunt. Gammarum autem quem Romani gammarallem siue gammarum appellant, nonnulli pusillum astacum fluuialem vocauerunt, nam cum de locustratio genere sit, totaque facie astacum referat, & cancri magnitudinem non excedat, ideò meritò concluditur ipsum fluuiatilem astacum pusillum esse. Eius enim bifurca brachia duabus tantum articulationibus intercipiuntur, quæ duo pedes vtrinque forficulis in extremo denticulati subsequuntur: reliqui quaterni non diffinduntur, ad pedem sinistrum dextro crassiorem habet, & caudam quinis tabellis loricatam, pinnulasque in extrema pinnas, atque iisdem ambo cornibus, dentibus, rostris, mucronibus, tibiis, & externis partibus, internisque præditi sunt, frigidi atque humidi ambo sunt, multum nutriunt, ventrem cohibent, duræ sunt carnis, vt vix decoqui possint, & præsertim si magni fuerint (parui enim meliùs) ob id aliquo indigent condimento, quo eorum crassities emendari possit. Ego autem astacorum fluuialium vsu oblector, atque innoxiè, credo ob sympathiam, quod mater dum essem in aluo, tam auidè comederit, salsarum verò aquarum fugio, quia carne dura nimis sunt. Et illos acerrimo aceto, & pipere comedere soleo. Decoctum ex chelis & caudis crudis è cortice exutis in qua hordei: empyemati cum febre valida addito saccharo plurimum confert. Cortices verò illi cum pectore, & reliquo corpore, in furno siccati curant vrinæ profluuium.

Gammarus quis.

Vires.

CAPVT LVIII.

De Locusta, & Squilla.

Locusta quis.

Piscis est locusta ex crustatorum genere, cornua ante oculos bina, longa, & aspera habet, dictus à similitudine terrestris, estque in eo genere quod sanguine caret, atque hirto corpore, cuius tota pars anterior aculeis riget, vescitur pisciculis, qui circa sua cubilia, quæ in alto locis asperis, & cauernosis construunt, oberrare solent. Dentes primores binos, magnos, & concauos habent, locustæ in quibus humor continetur, & in stomacho etiam dentes conspiciuntur, mox à ventre intestinum rectam ad caudam finit: Meatus quoque à pectore dependens, ad excrementi ostium pertinet, qui fœminis pro vulua, maribus pro genitalis seminis est receptaculo. Latent mensibus quinis, & Veris principio senectutem exuunt, anguium more renouatione tergorũ. In aquis natant, ac reptantium modo fluitant, si nullus ingruat metus recto meatu, cornibusque sunt rotunditate præpilata ad latera porrectis, in pauore, in latera procedunt, spectaturque admirandũ naturæ ingenium in locustarum fabrica, quibus cornua insunt ad prætẽtandum iter, simul ad pugnam idonea. Præterea aculei, & in toto dorso asperitas, ipsoque capite, & tabellarum ordo, ac connexus, & articulorum vincula à quibus exemplaria suarum loricarum militantes accepisse videntur. Carniuoræ sunt, vt diximus, nec solum pisciculos venantur, sed & maiores superant, verum ipsæ à polypis vincuntur, imò viso solummodò polypo emoriuntur metu, oua tribus mensibus gerunt, Maio. Iunio, Iulio, quo tempore in cibis sunt gratissimæ, mensisque magnatum apponuntur. Autumno & Vere pinguescunt, & plenilunio magis: Galenus inter solidæ carnis pisces enumerat: ideo difficulter concoquuntur, admodum nutriunt, & salsi, ficcique humoris sunt participes, qui si iterata sæpiùs elixatione proliciatur, carnem ventrem moraturam relinquit, & nisi viuæ feruenti aqua incoquantur, gustui sint ingratæ, & caro adeò dura fit, vt vix mandi possit, ferunt etiam nonnulli earum testæ combustæ, atque in polinem redactæ, si cum vino meraco bibantur, quod è renibus calculos expurgant, atque multam arenulam educunt, quod tamen nunquam expertus sum, crediderim tamen earum iusculum in quo decoctæ fuerint, hoc longè meliùs præstare posse: squillæ autem locustrij sunt generis, quarum & si multæ reperiantur species, minores tamen quæ gibbæ sunt magis commendantur, & has vulgari nomine gambarellas Romani vocant, à gambis siue tibiis, quod iis multiplicibus constent: paruus est piscis, cuius frontispicia acutissimis rostris prædita sunt, caudam contractam habet, in cuius extremo pinnæ sunt quinæ, inter pedes duo priores, quibus manuum vice vtitur forcipati sunt. Atque fluuiatiles

Nota.

Vires.

Nota.

Squilla quis.

fluuiatiles squillæ à marinis sola magnitudine differre conspiciuntur, subfuluæ sunt, coctæ verò ruffescunt. Carne sunt dura, sed non iniucundi saporis, nec improbi alimenti, concoctu tamen difficiles, & ventriculo aduersæ, eiusque temperamentum cum humidiùs nec aliquali calida qualitate carnes habeant, ob id Veneris desiderium mouere creduntur. Efficaces quoque peculiari quodam munere ad mulierum conceptus traduntur. Elixantur, & ex aceto eduntur, friguntur quoque cum crusta, & pedibus paruæ præsertim. Hecticis & à morbo extenuantis eximiè prosunt, si aqua hordei ablutæ in carnium iusculo coquantur.

Vires.

CAPVT LIX.

De Cancro, & Paguro.

Cancri qui. Cap. 2.

Cancros visus est Aristoteles appellasse, quibus corpus rotundum est, & cauda deest, vt quarto de Natura animalium desumitur. Hos tam fluuiatiles, quàm marinos Romani *grancios* appellant, suntque adeò similes, vt vtrique simul mixti, vix discerni possint. At fluuiatiles duriure, rotundioreque, & crassiore testa conteguntur, & suauiores sunt marinis. Præterea tibiis asperioribus, & branchiis rugasioribus præditi sunt, & ambob. forcipes multum sunt crenati, & marinus liuidum corticis colorem refert: fluuiatilis verò ex rufo nigricat, & ambo in obliquum feruntur. Verum fluuiatiles in sexu distinguuntur per operculum, reflexum subtus, quod latiusculum ferunt fœminæ, sub eo enim oua excludunt: mares vero angustum. Fluuiatiles quolibet anni tempore eduntur, sed æstate longè meliores sunt, & vberiores plena luna, humidum ac modicè refrigerans alimentum præbent, ob id extenuatis conferre tradit Princeps. Marini eadem præstant, licet longè inferior, & vterque difficillimæ est concoctionis, solida enim est eorum caro, nec sine ventriculi labore concoqui potest, concocta tamen multum nutrit. Pagurus & ipse in cancrorum genere annumeratur, imò à plerisque vocatur carcer, læui ac robusta integitur crusta, quæ nouem in gyrum crenis imbricis modo incisa est, crura blæsa vtrinque quatuor habet, villis hirta, ternis articulationibus geniculata, in quibus vngues acuti, oblongique sunt minimè bifidi, brachia bifulca parte anteriori binis articulis intercepta, forcipib. crenatis munita, in extremo nigra, quibus quæ constringit vt edat, etiam dura confringere potest, sunt enim penè ossea, color admodum viuidior est, imò tergora præ nimia rosei exhalatione, veluti subnigra apparent: coctus colorem mutat, caudam sub thorace reflexam gerit, crustam exuit, vt reliqui cancri. Estque inter lautissimos cibos connumeratus, cum palato admodum sit gratus, sed duræ carnis vt cætera crustacea, quod Galenus affirmat, & ob id difficilis concoctionis, & grassum generat succum. In furno assari solet ore, & ano occlusis, ne liquor qui est intus, exeat, quia siccus remanet, & nullius fermè saporis. Notandum quod cancri in furno siccati morsis à carne rabido per quadraginta dies sumpti auxiliantur, sed exurere prius candenti ferro velim locum, & cynorrodi radicē cum aqua, vel lacte exhibere. Ius tandem omnium crustaceorum assumptus aluum mediocriter subducit, exterius sedat pruritus, confertque omnibus vlceribus prauis, & carcinomatibus ruptis. Et eorum cinis vlcera pulmonibus noua, & parua curare potest.

Vires. Pagurus qui. Vires. Nota.

CAPVT LX.

De Mæa, & Echino.

Mæa quæ.

Maxima est omnium cancrorum Mæa, quam Romanorum vulgus *grancitellam* vocat. Pelagia est, & valde paguro persimilis, sed rotundior, & parte anteriore magis eo coarctatur, & angustior fit & in parte posteriore in latitudinem se diffundit, crura habet quaternis articulis intercepta, alta, & exilia forcipibus imbecillis dentata, grauis est corporis, & ad incessum ferè ineptissima, sed in aquis velocissima est: pedes vnguibus munitos habet, & tibias multa scabritie exasperatas, quatuor vtrinque semicirculis vtitur in natando. Cocta rubet vt reliquum crustatium genus, viua verò aut liuet, aut virescit, aut rubore phœniceo aspersa est, & dorso spinoso. Quæ cùm carne dura sit prædita, idcirco idemmet alimentum præbet, quod alij crustacei: difficilis enim est coctionis, & crassum generat succum. Echinum autem ex crancrorum genere esse scribit Plinius, quibus spinæ pro pedibus insunt, & quia vndique aculeis circundatur echinus, vt erinaceus, ob id Itali riccium marinum nominarunt, cuius & si plura sint genera teste Aristotele, de eo tamen quod cibo idoneum est agimus, in quo oua ita appellata magna semper atquē esculenta sunt, siue in maiore, siue in minore sint corpore. Pelagij sunt echini, prona parte plani, supina autem rotundi, paruis aculeis prædití, breuibus, & obtulis speculis intercepti, colore ad extrema albicantibus, ad radices liuentibus, & ex purpureo virentibus. Horum autem testa cinerea est, & oui anserini magnitudinem excedunt, vnde cum reliquis maiores sint, ideo aliis anteponuntur, quæ fœtida, amara, & nigra carne sunt præditi, nec esculenti. Optimi ergo sunt illi, qui dum raduntur, lacteum quiddam emittunt, & fermè semper inter saxa capiuntur, vbi se continent, ne fluctibus iactentur. Teneri sunt, bonumque generant succum, sed facilè corrumpuntur, & si cum oximellite, apio, & mentha comedantur, ventriculo sunt vtiles, & quò maiores, eò delicatiores existimantur. Alimentum verò imbecille corpori præbent tenuitate, & crassitie medium, verum deiectam appetentiam excitare possunt, & vrinam repurgare, eosque crudos mandi mos est.

Vires. Echinus qui. Optimi qui. Vires.

CAPVT

CAPVT LXI.

De Mollibus piscibus, & eorum alimento.

Molles pisces, qui.

VT institutum ordinem sequamur, reliquum est vt de mollibus piscibus agamus, qui sanguine carent, nec alicui mirum videatur exanguia animalia viuere, cum animalium partes sanguine nutriri videantur. Inquit enim Aristoteles: [Humorem genus quodque animalium continet, quo sit aut per vim, aut per naturam ipsam priuetur, in perniciem agatur necesse est. Habent etiam id diuersum, in quo humor ille & fiat, & contineatur: sunt hæc in aliis sanguis, & vena, in aliis quod iis proportione respondeat, quæ quidem imperfecta sunt, atque alterum fibra, alterum sanies dicitur.] Quamborem exanguia cum sanguine careant, humorem siue saniem sanguini proportione respondentem ex quo nutriuntur, habent, & sic patet multis pro sanguine alium adesse humorem ex quo nutriuntur, vt sepiæ in mari sanguinis vicem atramentum obtinent. Molles ergo dicuntur qui neque squamas, neque asperam, neque testaceam cutem habent, sed mollem proinde ac in hominibus habetur, veluti sunt polypi, sepiæ, loligenes, & huiusmodi, quæ & si tangentibus molles videantur, carnem tamen duram habent concoctu difficilem, succumque salsum, atque exiguum in se continent, qui si tamen concoquantur non parum nutriunt, sed crudum semper generant succum, flatuosique sunt: & elixi meliores, ac vtiliores fiunt, quoniam humores, quos prauos obtinent, eluuntur: quod si assentur siccantur, & caro durior efficitur. In elixatione autem si libet potest addi salis modicum, aut roremarinum, coriandrum, piper, crocus & huiusmodi: sunt qui immergunt melli, aut saliunt temporibus calidis, & ij non satisfaciunt, acetum etiam nimis immutat eorum gratiam, atque naturam, melius est cum aqua & sale bene coquere, & aceto addito loco frigido reponere, vt gellicidium fiat. Qui verò frigunt in patella, perperam agunt: bene frixi enim, nimis siccantur, & duriores euadunt, nec vsui sunt cum refrigerantur: non frixi perfectè corrumpuntur, nisi magna arte seruentur, vt inter folia lauri, myrtique: elixa ergo cum iure albo meliora sunt, quorum etiam interiora præcipua existunt, dico iecur, lactes, propagines, & oua. Oua enim sunt velut semina, quæ in eis sunt licciora.

Molliũ vires.

Nota.

CAPVT LXII.

De Polypo, sepia, ac loligine.

Polypus quis.

Cap. 1.

POlypus quem Romæ *polpo* vocant, marinum est animal, cuius plurima atque varia reperiuntur genera, quæ ab Aristotele optimè distinguũtur, atq; declarantur, quarto de Historia animalium, quorum vnum valdè notum est, atque ipsorum maximum de quo nunc sermo est. Alij enim parui atque varij sunt, qui non comeduntur. Polypus ergo qui in egregiam magnitudinem crescit, valdè robustus est, & forma araneorum si maxima minimis comparare licet, octonis pedibus, vt mollibus plerisque, quibus tamen nullus sensus deesset videtur: os corneum non absimile psitaci rostro, in quo & magnum robur habet, eo enim cuncta durissima comminuit, & excrementi locus propè os ipsum. Pedes verò seu cirri duplici acetabulorum ordine muniti pelle conteguntur varia, vnde colorem mutare videtur, dum eam contrahit, atque remittit, vt nunc album videas, mox rufum, postea liuidum, variisq; tandem coloribus distinctum, oculi iuxta cirros. Idem disceptus in centum partes, animam viliorem tamen diu retinet. Masculus à coitu adeò debilitatur vt in arena postmodum iaceat, aliis piscibus præda, fœmina à partu cum racematim oua pariat, atque ita vterque bimatum non excedit: omnia postquam arroserit, congerere solet. Delectatur olea, & ficu, sed hac ob fructum, cum cancro sæpè polypus decertare conspicitur, humoremque non nigrum vt in sepiis, sed subrufum in se continet, quem in metu per aquam spargit, & tabi obnoxius est. Dura carne omnes polypi sunt præditi, ne cum molli essent cute, à fluctibus soluerentur. Escis adeò firmiter hærent, vt truncari potiùs se patiuntur, quàm auelli. Dura coqui contumacia est eorum caro teste Galeno, salsumque in se atque exiguum succum continet, quæ si tamen concoquatur non parum nutrit, sed plurimum succi crudi gignit. Quæ omnia & si mollibus piscibus communia sint, in polypis tamen efficaciora existunt. Insuaues præterea adeò sunt, vt pauperculis solum, ac hominibus infimæ plebis edules sint, & potius elixi quàm assi comedi debent, & piscatores à quibus frequentius comeduntur, antequam elixent, ferè per horam ligno eos contundunt, aut ad lapidem atterunt, sic enim fibrosæ carnis duritie confracta multò facilius coquuntur. Elixatio fit in aqua, oleo, olentibus herbis, atq; pipere additis. Aiunt Venerem proritare vt flatuosa cætera. Sepia quoque à Romanis ita dicta marinum est animal, atque potius littorale quàm pelagium, cui vt cæteris mollibus octoni sunt pedes, binis acetabulorum ordinibus ductu perpetuo, quorum duo inferiores maximi sunt, habet etiam duos dentes, hunc superiorẽ, illum inferiorem, atq; in nare illius atramentum est, quæ apud os collocata est ad instar vesicæ: crura breuia ob id maiorem vim natandi habet, corporis alueum polypo longè maiorem, binasque promuscides prælongas, inter quas os habet, & oculos quibus veluti ancoris innitatur, seque stabiliat modo nauigij vrgente tempestate, ne saxis exturbetur: procul etiam venatur, orique è longinquo admouet, rostrum aduncum habet, ac veluti corneum, inter cirros litum, quo dura quæque conficit, & si quis eam insectetur, illa atramentum infundit, ac in eo occultatur, vlteriùs aufugere simulans. De qua etiam illud dicitur vt refert

Proprietates.

Vires.

Sepia quæ.

refert Athenæus, quod si fœmina tridente feriatur, mares auxiliantur hanc detrahentes; sin autem capiantur mares, fœminæ diffugiũt. Non explet secundum annum sepia, sicut neque polypus, subalbida est, sed tergus eius quibusdam latis atque liuentibus maculis insignitur. Dura est eius caro, atque insipida, ob id qui gulæ libenter indulgent, eam aspernunt, & à pauperculis edendam derelinquũt, grauida tamen præfertur ab Aristotele, ad concoquendum est difficilis, exiguumque in se succum salsum continet: verum si concoquatur teste Galeno alimentum corpori exhibet, cæterùm succi crudi plurimum gignit, & elixa potius quàm assata comedi debet, & acrioribus condimentis condiri, tenerior enim efficitur, ori magis grata, concoctu facilior, & aluum leuiter subducit ob salsuginosam succi facultatem, & in medicinis multos habet vsus vt testatum reliquerunt Dioscorides, Plinius, Galenus, & alij antiqui. Loligo autem quam Romani ac tota ferè Italia piscem *calamarem* vocant, & sola inter molles pelagica, atque è mari flumina subire cõspicitur, estq; valdè cum lolio consimilis, non solùm corporis figura, sed natura etiam, atque actionibus: habetque loligo reliquorum mollium instar caput inter pedes, & ventrem, quod Aristoteles affirmat dum inquit: Euenit in mollibus sanè omnibus, vt caput inter pedes, & ventrem habeant, in quo oculi duo grandiusculi adsunt, os verò in inferiore positum est, in quo dentes duo extant, cartilaginei, nigri, & incurui, vnus superior, alter inferior, rostrum porrò illi est psittaceo simillimum, quo cuncta atterit, corporis alueum habet magnum, & sepia longiorem, arctiorem, ac rotundiorem qui pinnula circundatur, qua quidem non solùm à polypo & sepia, sed à lolio etiam facilè internoscitur, & aluei postrema pars valdè acutitur. Ei sunt octo pedes, qui sepiæ pedibus prorsus sunt similes, eorum enim crura breuia sunt: polypi verò prælonga. Atramentum in se continet, cuius locum, naturam, & vsum manifestè explicat Aristoteles quarto de Historia animalium: subalbidæ sunt, & longiores, quarum tergus plerunque ex albo leuiter purpurascit, coëunt ora applicantes, & brachia inter se complectentes, pariuntque in alto, bimatum non explent, camæ vescuntur non secus quàm mollia reliqua, mandunt enim cancellos, squillas, & pisciculos, duram habent carnem, vt cætera mollia, & si teneriores censeantur (authore Galeno) concoctu difficilem, crudumque succum gignentem. Minores tamen quæ satis teneræ sunt, & ori admodum gratæ in delitiis habentur, & præstantiores si vterum gerunt: variis autem modis apparantur. In sartagine friguntur, atque ex mali arancij succo manduntur: sed multò meliùs alij in aqua & vino partibus æqualibus eas elixant, atque oleo, pipere, & bene olentibus herbis condiunt, ac cum suo atramento decoquunt: sine eo enim minùs suaues esse solent.

Vires. — *Loligo quæ.* — *Cap. 2.* — *Vires.*

CAPVT LXIII.

De Cartilagineis planis, & eorum alimento.

DE longis cartilagineis iam superiùs egimus, nunc de planis differere propositum est, qui tanquam plana atque expansa manu in æquore natant, & non erecti, nec spinosi sunt vt rhombi, passeres, & soleæ, sed cartilaginei vt raia, squatina, torpedo, & consimilia, quæ Vere pariunt, & ferunt vterum sex mensibus, Hyeme latent frigidissimis diebus: cùm enim frigus est minimè capiuntur. Carniuora sunt, flatus procreant, difficulter concoquuntur, & assiduus, diuturnusque eorum vsus, visum hebetiorem facit.

Cartilaginei pisces plani qui. — *Vires in genere.*

CAPVT LXIV.

De Pastinaca, & Torpedine.

PAstinaca Romæ *Brucho* dicta pelagius est piscis, nec longè etiam à littore, in locis arenosis vitam degens, in cuius superiore corporis parte anterius aliquod capitis vestigium cernitur, non absimile capiti palustris ranæ: in quo tamen non nisi oculi oblongi, & grandiusculi existunt, pars oculis anterior extenuatur, atque in rostrum carnosum acuitur, os habet paruum & edentulum, maxillasq; asperiores dentium vice, & ante os foramina olfactui inseruientia, branchiasque vtrinque quinas, in medio ventre anum paulò infrà circa caudæ exortum, quæ posteriori parte annectitur, rigida, & longa, super quam aculeus osseus palmo etiam longior, acutissimus, atque vtrinque serratus eminet, quem radium appellat Plinius. Totius corporis figura non orbicularis, sed quatuor laterum est, leui, & molli cute tegitur, ventre albicat, dorso verò liuet, nec denas excedit libras. Carniuora est, sed quia grauis, & pigra, nec pisces quibus vescitur assequi potest, ideò se ipsam occultat, & radio transeuntes percutit, atque lacerat: est enim pastinacæ radius non solum piscibus, sed hominibus, animalibusque reliquis, ac etiam arboribus perniciosus, ob id piscatores statim captis caudam abscindunt: non enim à ciborum censu abdicata est, nam abscissa cauda à nonnullis in cibos admittitur, imò Galenus de ea scribens illam carnem habere mollem inquit, iucundam, & mediocriter per ventrem subeuntem, nec concoctu difficilem & nonnunquam in saxatilium penuria iis vti laudatur, atque iure albo, ac piperis momento præparari docet, ad crassos, glutinososque succos dissecandos, nec quidem haud mirari possum huiusmodi venenatos pisces à tanto viro sic commendari, cùm constet, apud nos hunc piscem non modo insuauem, mollemque carnem habere, sed ferinum, ac tetrum quid resipientem, malique prorsus succi, cuius argumentũ est quod vilis

Pastinaca. — *Galeni opinio reprobata.* — *Vires.*

S atque

atque plebeia vbique existimatur, & solùm nautarum, & piscatorum cibus esse solet, & non vitæ nitidioris hominum, nec indignè Antonius eam lethalem dixit, vilemque existimauit: Dioscorides etiam scribit Pastinacæ ictum comitantur dolores inextricabiles, neruorum distensiones, molestiæ, languores, mentis alienatio, & multa alia symptomata. Quorum omnium cura igne fit, aut cucurbitula: exugit enim venenum, & etiam absumit. Torpedo autem à torpore sua frigiditate, quem tangentibus infert, ita dicta, marinus est piscis, littoralis ac cœnosus, fluuiatilemque etiam esse Athenæus asseuerat, cuius corpus planum & valdè depressum, ac orbiculare est, capitis nullum vestigium apparet, in superiore tamen parte oculos duos exiguos habet anterius, ac alia duo foramina paulò pòst oculos. Parte verò inferiore, os purum tenuibus dentibus munitum, branchias quinas vtrinque detectas habet, atque in vtroque ventris latere quina branchiarum orificia parua, semicircularia, tenui cuticula ferè contecta conspiciuntur, caudam habet carnosam, & breuem, in latiusculam pinnam desinentem, atque circa eandem caudam pinnæ nonnullæ eriguntur. Molli, & lubrica cute contegitur, venter subalbidus est, dorsum verò subflauum in quo aliquando quinæ maculæ, vel plures rotundæ nigricātes, oculosque representantes depictæ sunt, & ob id à Romanis *occhiatella* dicitur, quæ solo tactu omnia congelat, latitat in arena mortuæ similis, vt pisces prætereuntes decipiat, cum aliter pigrum animal assequi non possit, ipsi enim mortuam credentes vellicant, cùm & capientes capiuntur, nec solùm pisces, sed & homines quoque ab ea torpidos fieri certum est, licet procul atque è longinquo maneant, vt sufficiat solus tactus hastæ, vel virgæ. Dicebat enim Athenæus, si quis rete in qua capta fuerit torpedo, attigerit, torpescit, dum viuit: mortua enim omninò illa facultate priuatur, quod Galenus explicat vndecimo de simplicium medicamentorum facultate. Eandem etiam in cibis eximiè commendat, imò (quod magis refert) saxatilibus posse substitui piscibus oscitanter affirmat, carnem enim inquit mollem habere, concoctu facilem, ori iucundam, mediocriter alentem, ac per ventrem subeuntem: nescio equidem qua ratione ductus, cum manifestè constet eam venenatam esse, insuauem, concoctu difficilem, nec insigni fœtore carentem, qui nisi aliqua præparandi, aut condiendi ratione auferatur, vix degustari potest. Quapropter eam improbi admodum succi esse censemus, atque à cibis abdicandam. Refert autem Aphrodiseus eius veneno triglam obscuriore quædam causa aduersari.

Torpedo quæ.

Vires.

CAPVT LXV.

De Raia, Læuiraia, Squatina, ac cæteris cartilagineis.

Raia species.

E Cartilagineorum genere sunt raiæ, quarum plurimæ sunt species, læuis, vndulata, rostrata cum aculeis, & sine: aculeata, læuis, & aspera: austera similiter duplex, læuis, & aspera, spinosa, clauata, & sine spinis, & cum spinis, fullonica, aspera, & asperrima vt in vniuersum sint quatuordecim iam notæ. Rostrata cum aculeis licet aculeos passim habeat, in cauda tamen seorsum tres ordines habet, quorum medius impari loco maiores habet, quàm cæteros: qui verò circa caudæ pinnulas sunt ad latera vtrinque conuertuntur: qui autem in caudæ extremo versus caput respiciunt, iuxta oculos quatuor sunt aculei, & sub mento alij in os recurui ad pisces capiendos, ac retinendos. Clauata verò pinnas expansas alarum instar, nigra in curuis aculeis vnguium instar, vt aquila meritò à similitudine dici possit, cuius hepar in cibo suaue est, soluiturque in oleum hepatis, scirrhis vtile, spinosa lanifico instrumento fermè similis est, adeò frequentibus aculeis, & aduncis munita est. Raiæ duo foramina vuluæ habēt, quod rarum est miraculi instar, commune etiam omnibus illarum speciebus nebulam quandam oculis auium more obducere: habent & foramina iuxta oculos patentia, quæ interiore parte operculum habent, oréque aperto dilatantur, occluso occluduntur, sed non perfectè: horum vsus est vt branchiarum, quoniam caput tenuius est, ideo natura suppleuit. Ponunt oua more gallinarum singula, aut bina tantùm cum corticibus, reliqua verò absque corticibus, magno numero in suprema parte vteri manenti cum absoluenda sunt, descendunt ad imum, sed imperfecta, velut etiam in gallinis, vitellum ostendunt, cùm in vitellum candidum etiam contineatur: nam vt Rondelletius affirmat se expertum esse, si igni hæc vitella exponantur, candidum exprimunt, etenim ab initio videntur ambæ hæ partes esse concretæ, sed colore lutei vincente, latet candidum: quod postmodum vi ignis (vt dictum est) quæ cuncta separat album extrudente, apparet vtraque pars. Ipse verò cortex haud rotundus est, quemadmodum in ouis auium, quod molli loco reponere, nec stabili ob maris motum non liceat, sed quadratus est: cum appendicibus altera parte longioribus, ac tenuioribus, reliqua latioribus, sed breuioribus. Asperrima autem raia dicitur, quæ etiam in ventre aculeos habet: quæ igitur grandiores sunt, aculeos habent ex ossibus: cartilago enim cùm durescit (vt aliàs docuimus) in os transit. Has autem omnes raiarum species ad duo genera reduxerunt Aristoteles, & Galenus, cùm omnes aut aspera cute tegantur, aut læui. Quæ aspera *oraia* dicuntur, quas Romani *Peresas* siue *Petrosas*, ob lapideos aculeos appellant.

Nota.

Asperrima raia quæ.

appellant. Quæ verò læui, *leuiraia*, & à Romanis *Muccosæ* siue *Bauosæ* dicuntur. Quæ autem dorsum notis quibusdam depictum habent, stellares Raiæ, & à Romanis *Archilla*, vocantur. Hisque generibus affine est, quod squatina dicitur ob cutis squalorem, hoc est, asperitate, à Romanis verò *squadro di mare*: cuius pars anterior lata circularis, atque retusa adeò est, vt rostro prorsus careat, osque plurimis validiorum dentium ordinibus munitam, oculos paruos habet, atque in superiore capitis parte sitos, & branchias in lateribus, & caudam longiusculam. Et licet ex cartilagineorum planorum numero sit, longior tamen, atque magis contracto corpore est, quæ reliqua plana, & cartilaginea sunt. Pars supina cute tegitur alba, & læui, prona verò cineracea atque aspera, qua artifices ad polienda ligna vtuntur magnitudine insigni: visa enim est quæ centum sexaginta, vt Rondelletius refert, superaret: & hæc genera simul misceri, ac generare inter tam multiplices formas piscium memoriæ proditum est. Nascitur autem ῥινόβατος, quasi ῥίνη squatina, βάτος raia, seu squatina iaia: anteriore enim parte raiam, postrema autem squantinam refert. Et cùm hæc omnia cartilagineorum genera in cœnosis maris locis victitent, insuauia, duriora, concoctu difficiliora, insignique fœtore prædita, atque improbi admodum succi existunt, ideo non solùm nostris, sed antiquis etiam temporibus vilia habita sunt, quare vel plebeis hominibus, multumque se exercentibus derelinquenda, vel in totum à cibis abdicanda. Notandum tamen raiam stellarum inter hæc minùs duram, & minùs mali succi carnem habere, suauemque Hepar solùm omnes tenerum, atque sapidum habent, hyeme minus insuaues sunt, & maioribus elixis alliato condimento, minoribus verò frixis, atque arancij mali succo, & pipere conspersis fossores, messores, nautæ, & homines infimæ plebis vesci solent.

Squatina quæ.

Cartilagineorum vires.

CAPVT LXVI.

De Cetaceis, & eorum alimento.

Cetus quis.

NOmen est Cetus maioribus omnibus marinis piscibus commune, iis præsertim, qui animal pariunt, non ouum cuiusmodi sunt balenæ, delphini, vituli, & similes, vt testatur Aristoteles in libris de Animalibus, qui ea ex aquatilibus cete appellasse videtur, quæ foras animal perfectum edunt ex semine non ex ouo genitum: taliaque animalia sanguinea sunt, ac respirant. Omnia igitur quæ animal pariunt, magna sunt, & sanguine multo abundant, & ossibus, ac carne prædita sunt. Quæ enim animalia absque ouo pariunt, ex sanguine generari necesse est, & multum esse sanguinem, ob id & calidum: cogeretur enim multus ac frigidus, quod verò plurimum calidioris sanguinis habet, magnum esse necesse est: quod igitur animal parit, & sanguineũ est, & carneum, & osseum, & magnũ, & respiratione præditum, velut delphini: hoc enim velut etsi non magnitudine, sensu tamen præstare. Cetacea etiam membra iuxta genus proprium habent constituta, & inter se valdè diuersa, nam balenæ, vituli, delphini, genitale prominens habent, testes tamen intus reconditos, ne natationi obessent, habent quoque mammas. Meminit Rondelletius in littore Aquitanico duos lactis cados è balenæ mammis esse detractos, sic orcas, & Physeter, aliaque eiusmodi, quoniam fistulam habent, & calida sunt, & sanguinea, & animal perfectum generant, semine intus indiguerunt, quare & vulua, & genitali quemadmodum quadrupeda. Dentes habent obtusos, & quasi conuerso ordine latos anteriores, posteriores verò acutos, quod factum esse crediderim, quoniam si anteriores acuti essent, hæreret cibus: nam in minoribus acuti sunt, quoniam imbecilliores sunt, ne præda effugiat: ac cetacea adeò robusta sunt, vt hoc periculo careant: posteriores verò acuti sunt, vt carnes promptiùs diuidant, quoniam magnis, atque ideo duris piscibus vescuntur. Cetaceum ergo genus non solùm in mollem eximiam crescit, sed pinguedine, & obesitate solet cæcum fermè, ac surdũ euad ere, tum etiã iners. Eius pinguedo, quod mirum est, haud concrescit vt reliquorum, sed velut oleum manet: ob id in lucernis ea vtuntur: non concrescit autem quia nimis diluta est ob multitudinem, & alimentum, locumque in quo animal degit. Porrò Galenus omnes hos cetaceos pisces duram, atque praui succi, plenamque excrementis carnem obtinere constanter affirmat, quæ crudi succi multam copiam in venis gignit, nisi exquisitè in ventriculo conficiatur: ob id sale eos condiri oportet: ea enim conditura facit vt alimentum quod ex ipsis prouenit promptius, faciliusque in corpus distribuatur, ac concoquatur, & sanguini procreando vtilius, aptiusque reddatur.

Quæ animalia absq; ouo pariunt magna, & sanguinea sunt.

Cetacea prominens genitale habere.

Nota.

Cur pinguedo non concrescat.

Cetaceorum vires.

CAPVT LVII.

De Balena, Phoca & Delphino.

Balena quæ.

VAstissima est maris bellica, Balena vulgò dicta: audiui enim à familiari quodam meo iam duobus annis exactis Genuæ, caput balenæ extractum è mari in littore diu iacuisse, quod adeò prægrande fuit, vt à faucium, imò ad os decem nouem passus numerarentur. Imò & inter piscium miracula reponi potest eiusdem copia pellucidi adipis: cum ex vno oculo vndecim lagenas quos totidem viri vix ferre potuissent, effluxisse, vt Albertus affirmat. Viuiparus est piscis, rostratus, pulmone præditus, branchiarum loco prægrandem fistulam in fronte gerens, per quam humorem, quem ore exceperat, magno impetu effundit, ac reiicit, vt eo vel onerarias interdum naues submergere dicatur. Pinnam vtrinque habet, & aliam in dorso, caudam lunatam corio glabro, ac spisso integitur, nigro, duro, firmo, ac solido, squamis carente, quo lora ad pondera eleuanda aptissima fieri referunt: linguam habet magnam, ac multarum [illegible]rarum, quæ

Fistula.

quæ salita nobis maximis in delitiis haberi solet, & præcipuè diebus quadragenarij Ieiunij, coquitur cum pisis & vicem suillæ supplet, alij in veru torrent: recens admodum noxia, salita innocentior: pertinaciter concoquitur, & qui cholico dolori obnoxij sunt, eam effugere debent, iis verò qui graues subeunt labores, vehementerque exercitantur, non tam inutilis erit. Balenæ autem caro recens durissima est, excrementitia, & praui succi, & vilissima censetur: nonnulli tamen eam sale condire solent, quia minus noxia redditur, & gustui magis grata. Phoca autem quem vitulum Latini appellant, cetaceum est, aquatilis genus, littorale potius quàm pelagium, viuiparum, quadrupedes, pilosum, qui dum paruus est, hœdorum more ballat, cum magnus fuerit, rugit vt leo, per sicca littora sæpè diuagatur, & more terrestrium vitulorum depascit: constat enim extra aquam ipsum viuere, vt patet de illo qui educatus in Lerini insulæ xenobio, & de alio in Scotia tribus annis, sed ita vt aditus ad aquas eis non prohibeatur: ascendit etiam cicuris scalas, dumque somno grauissimo tentatur, stertit more hominum dormientium, cui collum breue, & crassum, vel columella excidit, cum destillatione tentatur, fructus libentissimè comedit, fœtus extra aquam parit: dein transacto duodecimo, vel tertiodecimo die in mare deducit. Caput vitulino simile habet, absque tamen auriculis, sed auditoriis meatibus præditum: Dentes acutos, serratosque, linguam bifulcam, & crura, veluti imperfecta gerit, ac manus ferè vrsinis similes, quinque digitis membranis intertextis. Genitale maribus oblongum est, fœminis ad terrestria accedens. Refert Rondelletius Borealibus flatis subsidere, Austrinis erigi: alij erigi in tempestate, subsidere dum mare quiescit, affirmant. Pellem podagricorum pedibus superpositam doloribus conferre existimant. Eius autem caro veluti & omnium cetaciorum in primis dura est, insuauis, muccosa, concoctu contumax alimenti, succique crassi, atque mali, & vt plurimum horridi saporis cùm recens est, salita verò aliquantulum melior euadit: nonnulli enim ex vulgaribus hominibus eam salitam, & in partes sectam comedunt, & quia ingrati est saporis, ac muccosa, ideò cum sinapi, aceto, atque id genus acribus condimentis eam mandunt, refertque Galenus eius coagulum castorei vires obtinere. Delphinus autem piscis est littoralis, longus, & crassus, glaber, & sine squamis liuente tergo, & ventre albicante, pinna illi vtrinque ad latera vnica est, alia in dorso ossea, cartilagineaque, absque oculeis, quod celeritate, & dentibus satis munitus esse: habet enim rostrum prælongum adeò, vt quadraginta dentes in vtraque mandibula ex alterutra parte contineat, qui sibi inuicem pectinatim occurrunt, coëuntque: rostrum ipsum anserino simile, planum, latum, humile, rectum: neque enim crassum habere potuit, quoniam capite magno fuisset, atque ideò pigrum in natando, si autem strictum imbecille necessariò fuisset linguam habet solutam, & carnosam, mobilem, in ambitumque parum serratam, quibus fit vt vocem emittat, oculos habet magnos, sed cute adeò contectos vt solo appareat pupilla, & post oculos meatus qui vix cerni possunt, his audit, dorso est gibboso, sed non adeò deformi, & incuruo, vt depingi solet. In capitis summo fistulam habet C. litteræ forma, gemina tamen intus caro nigricat, cutis spissa, firma, sub qua pinguedo velut in suibus, felle caret. Decem mensibus catulum, aut catulos gerit, æstate parit. Verum hunc non esse delphinum, Aristoteli, & Plinio cognitum satis constat, cum Aristoteles delphino linguam non solutam tribuat, negétque meatus habere auditorios: os insuper non rectum, sed in supina capitis parte, vt non nisi auersus pisces capere possit, quemadmodum & pingi solet: aculeos quoque Plinius ei tribuit, quibus noster carere cernitur. Quamobrem antiquos multa ex auditu potiùs, quàm visa conscripsisse necesse est. Sed mirum de Aristotele, qui cum in littore maris tandiu habitauerit, támque diligenter omnia sit perscrutatus, in hos errores tam absurdos incidisse: quo fit vt potius existimem aliud genus fuisse delphinorum tunc cognitum. Multa autem atque maxima ostendit delphinus humanitatis, ac disciplinæ argumenta, inter quæ breuitatis causa vnum tantum hic subiicere volui, vt naturam horum piscium intelligeres. Cùm fœmina duos parere soleat, educátque secum: si hamo, retive, aut tridente alter eorum captus, aut percussus fuerit, mater alterum cauda verberat, & morsu abigit, dein misera captiuum filium sequitur, vsque ad mortem. Curam quoque mortuorum gerere creditur, infirmos etiam gestare, concumbere humano more, & filios lactare, & vna vni tantum adhærere. Triginta prope annos viuere ferunt. Asili delectamentis infestatur, à quo laterali pinnæ inhærenti tantopere cruciatur, vt magno interdum impetu ex mari in siccum exiliat, illicque plerumque vitam finire cogatur, qui in cibos quoque venit, estque in pretio, & si raro nec ab infima etiam plebe non attingatur, nedum edatur: ferinum enim habet odorem, & carnem duram, concoctuque difficilem, ac vitiosam, succumque similem aliorum cetaceorum succo, vt Galenus scripsit, quæ cùm pinguis sit nauseam excitat, & ventriculum relaxat, ob id libentiùs assatur, ac succo arancij comeditur, quàm elixetur. Salita longè melior euadit, & lingua, ac hepar multum commendantur.

Vires recentis. *Salita.* *Vitulus qui.* *Vitulum extra aquam viuere.* *Vituli pellis.* *Vires.* *Delphinus qui.* *Delphinum nostrum non esse Aristotelis & Plinij delphinum.* *Delphini proprietas.* *Vires.*

CAPVT LXVIII.

De Cyprinis, Tincis, & Lucis.

QVinque videntur præcipuè propter hominem facta. Ex arboribus vitis, ex herbis brassica, è quadrupedibus equus, ex auibus gallina, è piscibus aquarum dulcium

Quinque præcipuè propter hominem facta.

dulcium cyprinus,omnibus; enim his omnia insunt commoda humano generi, nec vllum inest eis magnum, quod ad humanum vsum non pertineat: neque quicquam homini videtur necessarium, quod ab eo genere expectari possit,illique desit, nam cyprinus,quem *Rainam* Bononienses vocant, primum spontè nascitur, adeò vt si piscinam claram, & ex aqua currente, piscibus tamen vacuam fabrices, post tres aut quatuor annos hanc piscium specie plenam inuenies. Genitus autem mirum in modum propagatur, ex ouis ac fœtura, paritque ter in anno. Vili alimento vescitur, etiam saluberrimus est. Est enim squamosus, albus, leuis, latus, mollis carnis atque suauis. Crescit præterea in immensum, adeò vt pondus, nonnunquam triginta librarum superet, viuitque quàmdiu, scilicet ad annos xxx. vsque peruenit, & omnibus in regionibus, nec luciis adeò obnoxior est vt alij pisces: propterea meritò magnas negociationes ab eo faciunt, nobiles præcipuè in Germania, atque longiùs à mari, adeò vt quidam xv. talentorum summam excedant. Hoc habet præcipuum vt lactem habeat maximum, pro corporis magnitudine, mollem admodum, & suauissimum, & iecur maximè prægrande, quod elixum, frixum, assum, patinisque coctum cum iure aut embamatibus suauiter comeditur. Cum oleo etiam conditur cæpis, sale, atque pipere, tum petrosilio, & roremarino. Acida quoque conueniunt, & ad commendationem saporis, & suauitatem. Eligantur masculi & recentes, vt viui proiiciantur in patinam rubri: hoc enim signo præstant non minores LX. vnciis, non maiores quantum licet, verum cùm CXX. libras excesserint, non nisi molliores partes in vsu sunt. Sint viuaces, & ex aqua clara, currenteque & si ad orientem respiciat fluuij ortus est melius, aut decursus ex ea parte fiat: solidiore sint carne ac candida, sanguinemque plurimum habeant, & gustu suaues. Præstant vt in cæteris magis piscibus lactes, venter, iecur, tum cauda si recentes sint: si obsoleti & iam molles, ac distensi dorsum, caput in vtroque casu parum bonum est. fel eximi debet, & intestina. Calidi edi debent pisces omnes, sed præcipuè cyprini, quod sint temperamento frigido valdè & humido: vnde si frigidi deuorentur, antequam incalescant in ventriculo, immodicè ventriculum refrigerabunt, & humectabunt. Oua eorum frixa sola, & sic comesta, Venerem mirum in modum, etiam in decrepitis excitant, & ad generationem faciunt propter naturam animalis: plurimum enim generat, & viuaces & magnos, nec eius generatio facilè impeditur. De hoc autem dictum est suprà. Alimentum eorum est humidissimum, & ob id ex aqua sola possunt generari, velut etiam ranæ ex limo, & ideo non simpliciter describi eorum temperamentum debet, sed in comparatione ad cæteros pisces, velut marinos quibus sunt longè humidiores ac frigidiores: sunt etiam humidiores tincis, sed melioris alimenti, cùm inter cætera sint multò candidiores, minùs lenti, & multò minus etiam solidi

Cyprini aequi.

Vires.

Electio.

Partes meliores.

Oua eorum Venerem excitare.

luciis, sed tamen pinguiores, & facilioris coctionis si par sit moles. Quia tamen immodicè humectant, meliùs est vt siccentur, siccantur autem primum ex condimentis garo, & quod familiarius est nobis synapi diluta cum melle, & pipere, & aromatibus, frixi etiam, sed antea diuisi, aut in patella conditi, eligantur ad hoc condiendi genus minores scilicet ab vna libra ad duas, provt integri coquantur: Dorsum si coquatur, & cauda meliora sunt ventre. Lactes autem & iecur vtrisque habentibus ventriculum humidiorem, & ob id languidum: manifestum est etiam quod multis misti cibis, aut variis, aut si aqua, aut vinum valdè dilutum, aut multus quivis potus assumatur: si exercitentur à cibo aut vigilauerint, facilè corrumpuntur, non tamen adeò facilè, vt multi alij cibi, qui difficiliùs concoquuntur, velut anguillæ, tincæ, ranæ, fungi: neque illorum corruptio adeò mala est, quin succedente inædia, quiete, somno, maximè etiam assumptione diatrion pipereon, aut gingiberis conditi, non iterum restituantur, & alimentum præbeant: bonum est enim eorum alimentum humidum, tenue, aquosum, frigidum, non facilè corruptioni obnoxium, nisi iam corruptæ rei misceatur, lactes vtilissimus est hecticis, accedit enim magis ad temperamentum. Et iecur confert iecori, maximè calore, & siccitate laboranti: crediderim & ascíticis ab initio maximè vtile fore. Immodicus vsus huius piscis languidum, & supinum efficit ventriculum, maximè confert si cumino Æthiopico, aut odorato, aut origano orientali misceatur, aut sale & pipere, & semine iuniperi cum aceto frixus seruetur. Manifestum est autem ex his quæ dicta sunt, paruorum cyprinorum esum prorsus inutilem esse lapide laborantibus, aut non nocent, aut admodum parum. Estque cyprinus tyncæ valdè similis, cui & si recta ferè linea per ventrem videatur, nihilominus curuum adeò habent dorsum, vt piscis totus, si cum longitudine sua conferatur, latus manifestè apparet: squamis subrufis tegitur maximis, ac duriusculis, & præter binas quas habet vtrinque pinnas, vna est in medio dorso, aculeo robusto innixa, quæ ad caudam vsque extenditur, & altera in imo ventre prope caudam]: Ad insignem magnitudinem deuenit, vt crebro viginti librarum pondere reperiatur. Carnosum habet palatum, (quod plerique linguam putant) quod communi consensu saporis excellentia, commendatur. Tinca autem; (quam quidam Pholim esse Græcorum putant, quod in suo lentore reuoluatur, & veterescat, & olida sit, nihilominus pholis inter marinos recensetur: nisi forsan vt parua sit duplicis naturæ, vt aliàs declarauimus) est lacustris solum, ac fluuiatilis, nec vnquam in mari reperitur, nam quæ vulgò Romæ vocatur *tenca marina*, ab hac longè differt, vt suprà demonstratum est, & hanc nemo non nouit, quoniam, & si ex diuersitate locorum varios acquirant colores, aliquæ enim subalbidæ, plurimæ ex albo flauescentes, nonnullæ virides,

Cur siccentur.

Tinca quæ.

S 3 pali

palustrium verò subnigræ sint, habent easdemmet notas, quibus facillimè cognosci possunt, rostrum enim breue ac retusum, os ferè rotundum ad ventrem inclinans, dentes habent iuxta fauces, quod Rondelletius negat, excusari potest, quod in ore esse negauerit sed hoc est fallere, non docere: cum enim dentes in ore habere negamus, aut linguam, de partibus oris omnibus intelligendum est. Appendicem quoque habent cyprini instar, oculos magnos, & aureos, branchias vtrinque quaternas: pinnæ etiam vtrinque binæ sunt ad branchias vna nigricans in ventre, altera subrubra. Et præter has alia est etiam in medio dorso nullis horrescens aculeis: & alia à podice in ventrem, squamis minutis ac valdè connexis teguntur, suntque muco adeò viscido exteriùs præditæ, vt recenter captæ vix manibus detineri queant, lapillos exiguos in capite gerunt, qui colore sunt vario, ac quasi inter viridem, & croceum, & valdè pinguescunt, absque semine, & ex semine generantur, nam pisces hi in piscinis non sati inueniuntur. Diximus autem aliàs, non esse absurdum eundem piscem ex semine & spontè procreari. Constat enim cœnosis locis, & limosis spontè prouenire, putrescentique limi, sordibus libentiùs quàm carne vesci, & hinc est quod sæpissimè lutum redolent, nec gustu, nec alimenti, aut succi bonitate probantur, nec solùm ægrè concoquuntur, sed praui etiam sunt succi, & facilis corruptionis, nimiaque sua glutinositate propter quam cum concoctionem, atq; distributionem per corpus tardare faciant, angustiorum meatuum adhæsione, atque infarctu febres sæpè gignunt. Et sicuti eis crebro vesci non debemus, sic nec diebus canicularibus quo tempore maximè noxiè sunt. Minus tamen mali timendum erit, si ex optimis, laudatisque aquis, atque locis fuerint. Earum enim malitia, tum melioris alimenti, tum aquarum puriorum commendatione emendatur, & præcipuè etiam si præparatio ritè eis adhibeatur. Elixantur enim quæ magnæ sunt, additis allio, cæpa, passulis, menpetrofilio, sale, oleo, atque aromatibus prius exemptis interaneis. Paruæ verò plebei oleo in sartagine frigunt, & arancij mali succo comedunt. Tincæ decoctum maculas omnes tollere multi existimant, quoniam lentum sit, ac viscidum, vnde materia maculæ ad se trahat. Lucius & ipse omnibus ferè lacubus, ac stagnis reperitur, in mari nusquam præterea, & in fluminibus nonnullis reperitur, ac degit, qui tereti ac oblongo est corpore, capite in acutum protenso: macro, & osseo, ore amplo, & maximè denticulato, & inferiore maxilla longiore, oculis magnis, magnaque & ossei branchiarum operculi scissura, quatuor sub ventre pinnas habet quarum vnam in dorso, alteram è regione in ventre satis proprè caudam quàm bifurcam gerit. Venter albicat, dorsum verò ex subflauo nigrescit, à quibus lineæ plurimæ non rectæ, sed inflexæ, & conspicuæ deducuntur, ad insignem deuenit amplitudinem, carniuorus est & voracissimus, suique generis piscibus libentissimè vescitur, & ob id ab aliquibus perperam lupus fuit appellatus, atque illum è tinearum semine generari creditum est, amicitiamque inter illos intercedere: certum est vere in piscinis ex alieno semine generari, quod neque soli lucij, neque sati sponte procreentur in eis. Prœceriores maximè commendantur, & qui in fluuiis rapidis aluntur, nec mirum si Galli inter nobiles fluuiatiles pisces recensent, venditantque omni tempore viuos, atque ventrem illis aperiunt ad ostendendam eorum pinguedinem. Itali verò eos duros atque insipidos experiuntur, quia vt plurimum ex stagnis ac lacubus impuris, illaudatisque captos comedunt: lacustres enim ac palustres dicebat Galenus deteriores sunt. At qui ex laudatis aquis capiuntur, & si duriore aliquantulum carne constent, minimè tamen glutinosa: imò si magni non admodum fuerint, egregia illis friabilitas conspicitur, qui haud quaquam laboriosè concoquuntur, distribuuntur expeditè, promptè descendunt, neque multum excrementi edunt, & mediocriter alunt. Maiores elixantur, minores verò craticula torrentur, friguntur que, & ex mali arancij succo comeduntur, præterea & ex aceto.

Rhondellitij error. *Vires.* *Nota.* *Decocti vires.* *Lucius qui.* *Præstantiores.* *Nota.*

CAPVT LXIX.

De Squalis, siue Lauedinibus, & Barbis.

EST piscis Padiaccola, quem *cauedenum* Padi, Bononienses vocant, squamosus, capite paruo valdè pro corporis ratione, strictoque: pinnam vnicam super dorsum satis oblongam habens, alteram paruam propè caudam in infima parte, duas è regione, eiusque in dorso sub ventre, & duas alias propè branchias, etiam in inferiore parte, sed quasi à lateribus vt non sit, qui describitur à Bellonio: nam ei tribuit duas propè caudam: squamæ tenues, & latæ adeò vt totus lucere videatur, & ad ordinem lineis per longitudinem deductis distinctus. Tenuis piscis est, & latus, & formam rhomboidis refert, cauda vna, sed in medio dehiscente, non tamen ita vt bifidam appellare possis: oculi grandes, & inde lucida, pupilla nigra: os sine dentibus, iecur bifidum cum vesica fellis, & iecori multæ apophyses adiunctæ, imò earum lobus iecoris substantiæ non absimilis, totus spinis plenus, ac tenuissimis, cubiti longitudinem vix attingit. Caro illius candida, tenera, non lenta, neque friabilis, facilis concoctionis, bonique alimenti, sed non plurimi, nec admodum solidi, suauis gustu, sed insipidus, suauior est qui ex Rheno Bononiæ habetur, quidam squalos hos vocant, sed & discrimen est inter hos, ac priores non leue: forma enim sunt magis tereti, & non adeò ventricosi, viuuntque in puteos demissi, & purgant aquas, vnius speciei tamen esse ambos haud dubium est, sed in hoc color est purè argenteus, & oculi iris magis candida, & pinna sub cauda maior, & caput latius, ac etiam maius, & labia maiora. Atque hi etiam salubriores sunt,

Squalis qui. *Vires.*

sunt, vtpote ex purioribus aquis, & frixi ex arancij succo vt plurimum comeduntur: elixi verò rarissimè. *Barbus qui.* Barbus autem piscis est squalo magis quàm cuivis piscium similis, fluuiatilis, & perrarò lacustris, longiusculo est corpore, rotundo, & in latera modicè compresso, os habet infra rostrum in inferiore parte, & labra crassiora, dentibus caret, & loco linguæ carnosam habet inferiorem, & internam oris partem, & quatuor appendices in mento, barbamque appellamus, à qua barbus dicitur, branchias vtrinque quaternas, & pinnas vtrinque etiam binas, præter quas aliæ duæ conspiciuntur, vna in dorso, alia in imo ventre, & licet ventre sit lacteo, & lateribus argenteis, æquè atque squalus, dorsum tamen eius ex albo flauescens, nigris quibusdam, ac paruulis conspergitur maculis. Ineunte æstate prope littora parit. *Vires.* Durus atque insipidus est, ac vilis, extat enim adagium. [Barbum neque frigidum, neque calidum, neque elixum, neque assatum esse bonum.] Verùm si in saxosis, ac puris fluminibus capiantur barbi, vti meliùs sapiunt, sic teneriores, & concoctu faciliores sunt, & probiorem generant succum. Oua mense Maij illorum si edantur, afferunt tormina, & bilis vomitum, existimatur id contingere, quod eo tempore floribus populi alantur, aluum etiam vehementer irritant, vt aliquando, non nisi magno negotio sisti possit, adultiores elixantur cum vino, & aqua, addito omphacio tempore æstatis, quo meliores existunt, atque eo modo etiam condiuntur, quo squali.

CAPVT LXX.

De Salmone, Trutta, & Carpione.

Salmo qui. SAlmo ab Italis *salmone* dictus clarior est piscis, quem nos sæpius in Scotia edimus, cuius historiam ex Hectore Boëthio, quod hîc in Scotia scilicet sit frequentior, (quanquam in Aquitania, & multis aliis in locis notus sit) subiungere libuit, sub hac sententia. Autumno riuulis plerunque, aut locis vadosis coëuntes salmones iunctis ventribus oua pariunt, sabuloque contegunt, quo tempore masculus adeò lactibus, fœmina ouis exhausti sunt, vt macilenti euadant, nec quicquam præter ossa, ac spinas, pellemque supersit, exuique inepti sint. Referũt eam maciem contagij loco haberi, cùm obusos quoscunque sui generis inficiant, qui sic affecti sunt, cuius rei hoc est indicium, quod persæpè capiuntur vno latere extenuati, reliquo non ita. Cæterùm ex ouis illis, arena obrutis pisciculi ineunte Vere nascuntur adeò molles, vt donec digiti magnitudinem non excesserint, manu compressi, velut humor concretus diffluant: tum primum natura duce ad mare pergunt, vigintique dierum spatio, aut paulo maiore, incredibile dictu qualem in magnitudinem excrescant. Inde reuertentes aduersis vndis fluminis in quo orti sunt, mirabile spectaculum de se præbent; flumina enim hinc atque illinc angustis pressa rupibus, ac proinde veloci demisso cursu, vbi prærupto casu descendant, nec per canalem statim prodeunt, sed incuruatæ vndæ, impetu paululum per aëra feruntur antequam cedant, salmones verò contra tendentes maiore nixu aquas superare tentant, & qui euaserint, in flumen ascendunt debiliores, aut hærent in imo fluminis, aut etiam ex alto iam euecti præcipitantur in aquas, atque tamen procul excidunt, quidam vt à subiectis lebetibus, qui valdè propriè aquam feruent, excipiantur, accolarum in hoc euentu non leui voluptate. Rectè quoque ac diligenter à regibus cautum est, ne autumno capiantur, nam vel soboles multum detrimenti acciperet, vel inutilis fermè captura esset: hoc autem tempus à sexto idus Septembris, Calendisque Decembris intercluditur. Quònam verò cibo vescatur hic piscis, & an vllo prorsus, adhûc incertum est, cùm in ventriculo exenteratus nihil ostendat, præter spissum quendam humorem. Hæc ille. At nos de his quod esse possint, non dubitamus, an omninò omnia vera parum refert. Nam constat salmoni quatuor in palato dentium ordines esse: linguamque dentatam: inuenitur enim & in Sequana, ac Ligeri, velut & Alosæ, sed mira magnitudine, adeò vt cruris crassitudinem, & plurium cubitorum longitudinem æquet: sex illi pinnæ præter eam, quæ in cauda est, vna in dorso parua, duæ sub ventre illi è regione, oppositæ duæ sub branchiis, vna ab ano ad caudam, carnea, pinguisque: dentes in inferiore maxilla exerti, pluresque quàm in superiore, è mari eum ascendere dicunt, non omni, sed oceano: atque ideo Græcis qui oceani pisces non nouerunt, incognitus. Cæruleo est dorso, nigricantéque, ventre verò subalbido, oculis magnis, mandibula in inferiore magis protensa, vt in lucio diximus, ventriculus paruus, oblongus, cum multis appendicibus, squamis tegitur exiguis, quæ maculis ita notatæ sunt, vt piscis ferè totus subrufis, & luteis notis insignis videatur. *Nota.* Carniuorus est, & quamvis omnibus anteponatur à Plinio, cùm nulli piscium nobilissimorum in sapore, & gustu cedat, parcè tamen degustandus est, largiùs namque comestus, appetentiam deiicit, & qui in fluuiis capitur, longè melior est marinis: & hinc est quod fluminum ratione præstantia differunt. *Vires.* Carnem habet salmo teneram, dulcem & valdè pinguem, & præsertim in abdomine, & ideo lentam: totoque cœlo (vt aiunt) aberrant qui friabilem eam fecêre: non enim ob pinguedinem friabilis est, sed mollis, minimè tamen glutinosa: vnde ægrè coquitur, & crassum, lentumque succum gignit, & quandoque cholicum dolorem. Parcè ergo & rarò eo vesci debent, quibus vlla de tuenda valetudine cordi cura est. In aqua recens elixatur, nec non & in vini duabus partibus, & vna aceti, iniecto sale, additisque garyophyllis, pipere, cinamomo, quin & in teganis coquitur. Craticula item torretur in assulas dissectus, & garyophyllis confixas. Sale quoque vt cæteri pisces grandiores conditur, & seruatur, deportatúrque per omnes, vel longinquas

S 4

ginquas à mari mediterraneas ciuitates copiosus, qui in aqua elixus, oleo, atque aceto conspersus comeditur, & eximiè gratus est, auiditatem enim cibi, viníque auget, & lautioribus mensis adhibetur. Truttæ autem parum à salmone mihi differre videntur, nisi quod è mari non ascendant, sed procul etiam in initiis fluminum nascuntur, habentque caudam breuem, latam, non diuisam, salmo longam, gracilem, bifidam, rostro quoque non adeò sunt acuto, & appendices iuxta ventriculum plures habent, sunt & plura alia earum genera. Carpij, lauareti, vmblæ, eperlani: hi splendido colore sunt, & violas redolent: in capite lapillos gerunt, carne translucida: linguam habent quasi geminam, & quæ posterius in radice collocata est: plures etiam dentes. Hi tamen etiam è mari prodeunt, sunt quoque sariores, & vmbræ, & themali forsan, & alia sub truttæ nomine contenta. Commune verò est omnibus truttis aduersus fluminum cursum ferri, vnde caro non solùm suauior, & salubrior, & forma, & quod sex dentes in lingua habeant, & certo ordine dispositos, scilicet duos antè, totidem in medio ad latera positos, reliquos iuxta radicem. Vescuntur enim phrygariis, & vermibus, tum locustis palustribus: quamobrem his dentibus, multiplicique ordine in palato truttæ indiguerunt, ne esca diffugeret: nam pisces neque manus habent, quas ori admoueant, aut pedes cùm vnguibus, quibus aut aues loco manuum vtantur, neque mandibulas circumuertere queunt, vt quadrupeda: quoniam (vt aliàs dictum est) musculis validis, & sanguine indigerent longè copiosiore. Natura quoque huic operi reluctatur, nam & si mandere possent, aperto ore, aqua in ventriculum delaberet, coctionemque impediret. Propterea dentibus, & aduncis indiguerunt hi pisces. Cumque nanatura calidiore, ac mobiliore essent, tum vt magis occurrerent prædæ aduerso amne feruntur. Itaque & frigidiorem, & puriorem aquam inueniunt, & animalia illa parua, quibus vesci solent: sunt verò non solùm adunci, sed etiam in quibusdam velut vmbilicis ferrati, quos etiam exerit, nam inferiori labro quidam ex his infixi sunt. Aduncis autem dentibus vel etiam serratis, illis quidem quasi per transuersum secantibus in plura cibis diuiditur. Sed & sic quia mandere nequeunt, non concoquunt, celeriterque excernunt, ideóque voraces sunt, binas vtrinque tum ad branchias, tum in ventre habent pinnas, aliasque duas in dorso, & aliam paruam in imo ventre. Totusque piscis ex albo flauescit, maculis modò purpureis, modò nigricantibus, dorsum ac latera speciose pingentibus, squamis tegitur paruis, estque nobilissimus piscis trutta, & præcipuè si in frigidioribus saxosis, & purioribus amnibus procreata fuerit, atque recenter capta comedi debet, nam mortua paucissimis horis summam illam saporis gratiam amittit: cito enim putrescit ob pinguedinem, propter quam tenera, & mollis est eius caro, quæ nimio esu ventriculum degrauat, appetendíque facultatem facilè deiicit: viscíditate enim obstruit, pinguedine laxat, & frigida ac humida intemperie, succum prauum facilè procreare potest, & ob id ægrotantibus euidentissimè nocet. Maior valde excrementitia est, minor verò quæ trotulla dicitur, purpureis guttis distincta, nullam nec pinguedinem, nec glutinositatem habet, sed friabilior, ac salubrior existit, concoctu facilior, citiùs descendit, ac distribuitur, & minus excrementitia est, simplicem ex aqua & sale cocturam amat, & si acetum addatur, salubrior fiet, demendo pinguedinem ac lentorem, maximè æstatis tempore, nec alia pariter condimenta, suo enim sapore satis grata est. Eiigitur præterea in oleo minor, eiusque frigiditas ac humiditas, & si quid lentoris insit, imminuitur: sic etiam limunij mali, & arancij succo gaudet, sale conditur, à pistoribusque dulciariis incrustatur, nec non & eo modo conditur, quem vulgariter acarpionar dicunt (vt suprà) non solùm vt iucundissimè capiat, sed vt in multos etiam dies seruari possit. Carpio autem lacustris est piscis, qui & si ad truttæ similitudinem proximè accedat, prominentiori tamen rostro, maioribus oculis, candidiori & turgidiori ventre, & subnigriori dorso est, quod dorsum non modò nigricantibus, ac purpureis (truttæ instar) maculis pingitur, verum nigris, atque rufis, aureisque simul conspergitur, os oblongis dentibus, non in maxillis modo, sed & in palato, & super ipsa lingua præditum est. Vnicam & breuem pinnam in vltimo dorso propè caudam, crassam, carnosam siue cutaceam habet: squamis tenuibus tegitur, velut & trutta, cum qua in reliquis aliis notis ad vnguem conuenit, licet magnitudine longè differant, cùm capio vix libras ternas excedat, Pisciculis vescitur, & non auro vt Fracastorius alludit, ouáque ineunte æstate parit, Nobilissimus ab omnibus censetur hic piscis, tanta enim est eius saporis gratia, vt nulli piscium secundus existimari debeat. Carnem teneram, ac friabilem habet, idcirco meritò inter salubres pisces connumerandus est. Et quocunque modo conditus, siue frixus, siue assus, siue elixus semper suauissimus est, & sæpissimè solet, eo condimenti genere, quod *acorpionar*, vel *amarinar* dicitur condiri, non solum vt & ipse sapidior reddatur, sed vt longiùs per plerasque Italiæ vrbes circunferri possit, vt plurimum enim lautioribus Italorum mensis expeti solet.

Trutta quæ. *Truttarum plura genera, & quæ.* *Commune omnibus.* *Nota.* *Vires.* *Carpio quid.* *Vires ac præstantia.*

CAPVT LXXI.

De Salmerino, & Agone.

Salmerinus qui.

PAucis notus est piscis iste, quem Tridenti vulgariter *Salmarino*, & *Salamandrino* vocant. Pluuiatilis est, & paucis quibusdam locis reperitur, frigidissimisque ac saxosis fluminibus, & non omnibus nascitur, qui figura rotunda, & oblogiuscula est, eiúsque venter, & latera ex albo rubescunt. Dorsum verò ex rubro, flauescit, ac luteis quibusdam maculis notatur, squamis mediocribus, & non facilè decidiuis tegitur. Caput rotundum

dum habet, rostrum breue, ac retusum, os mediocre, robustis dentibus munitum, oculos medios, & orbiculatos, branchias vtrinque quaternas, & pinnas etiam vtrinque geminas, duas ad branchias, & duas circa medium ventrem, præter quas duas alias in dorso habet, quarum maior in medio est, minor verò propè caudam, & è directo huius alia parua imò ventri hæret. Caudam latam & lunatam habet, quæ rubra est, sicuti sunt & pinnæ omnes, duas libras magnitudine non excedit, pisciculis vescitur, & nobilissimum piscem inter omnes pisces Tridentini esse contendunt, atque maximo in pretio tenent. Qui etsi carnem teneram, ac præpinguem habeat, non attamen viscidam, ac glutinosam, sed friabilem satis. Quapropter boni est succi, concoctu facilis, atque omnes illas, quæ saxatilibus aliis tribuuntur, obtinet laudes, imò quouis modo condiatur semper ori gratus, ac iucundus est. Agonus autem piscis est non marinus, nec fluuiatilis, sed lacustris, nec in omnibus lacubus nascitur, ac degit, sed in nonnullis & tam copiose in Mediolanensibus lacubus prouenit, ac capiatur, quod non solùm piscatores toto anno recentes vendunt, sed etiam magnam partem salire coguntur, est que adeò alosæ, & sardæ nostræ similis, vt non nisi magnitudine differre videantur: minor enim est alosa, sarda verò maior. Corpus eius argenteo colore nitet, sed in dorso, ex cæruleo nigricat: squamis tenuibus latis, & transparentibus, læuique contactu decidentibus tegitur: caput & totius figura in latera compressa est, oris rictum grandiusculum habet, sine dentibus, oculos grandes profert. Pinnam in tergore simplicem paruam, duas in lateribus sub branchiis, & aliam sub ventre serratam ad anum desinentem, quam si digito aduersum confrices, acutam senties. Branchias habet vtrinque quaternas, iuxta quas nota semirotunda & nigra apparet, & caudam lunatam, & tandem in reliquis, alosæ valdè persimilis est, nec palmi magnitudinem excedit, vel raro. Timidus est piscis, simplex, & omni astutia carens, gregatim viuit, atque adnatat, quem truttæ magno impetu sectantur, quo tempore non solùm piscatores innumeros agonos perterritos, sed aliquas etiam truttas magnas capiunt. Suauis est piscis, & nobilis: sed quia carnem præpinguem ac teneram habet, ideò non facilè concoquitur, sed crassum generat succum, licet non vitiosum, & mediocriter nutrit, & quocunque modo condiatur, semper suauissimus est. Minores agoni in sartagine oleo friguntur, & arancij succo, vel aceto, vel omphacio, vel aromatibus comeduntur. Parum grandiores in aqua oleo, olentibus herbis, atque aromatibus iniectis elixantur. Verum eorum præstantior condiendi ratio ea est, quæ *acarpionare*, vel *amarinare* vulgariter (vt suprà) dicitur. Saliti quoque seruantur in minoribus doliis, muria conditi, qui adeò gustui sunt grati, vt deiectam appetentiam conciliare queant, vt nos sæpè experti sumus.

Vires. *Agonus qui.* *Vires.*

CAPVT LXXII.

De Ranis.

Ranæ vsus & genera.

RAnæ antiquis in vsu non fuère, credo reformidantibus, ne non essent ex genere bufonum, seu terrestrium, sunt maximè trium generum: palustres, quæ solæ aptæ sunt esui: arbores scandunt: minores & paruæ, quæ etiam auellunt dentes, & vocales sunt: terrestres prorsus sunt venenatæ, quæ colore sunt fusco, nigro ac cireneo, sub terra & in sterquiliniis, ac in paludibus, & stagnis, imò quandoque in lapidibus inueniuntur. Palustres virides sunt, sub ventre candidæ, maiores arboreis. Adsunt & ranæ marinæ deformes, fœdæ, atque aspectu horridæ, quæ pedes sub ventre geminos habent ad ranæ palustris similitudinem, membrana inter textos, quæ planæ, cartilagineæ, ac fuscæ sunt, capite rotundo, plano & maximo ore, in prona parte amplo, magnis & acutis dentibus munito: & has cùm Diapeæ essem, suspensas vidi, nec edules sunt. Viuunt diu extra aquam inter herbas, & ad duos dies quandoque. Etenim narrat Rōdelletius, ranam vulpeculæ per noctem in littore vagantis pedem corripuisse, ac retinuisse vsque ad auroram. Quod vt verum esse credam, viri authoritas facit: Secùs demiror quomodo illa à vulpe, quæ validissimis est dentibus demorsa vicissim non eam reliquerit, sed quædam profectò supra fidem accidunt. Exenterata, inductáque candela accensa transflucet, horrendumque spectaculum exhibere fertur: sed ad palustrem ranam reuertamur, quæ solùm inter omnes edulis est, quæ non multis ante hâc annis in cibis apud nos expetita est, os prægrande habet, nullis dentibus præditum, quod foràs ex aqua testinis modo emttit, vt auram excipiat, & primùm bipedes videntur, inde cauda in duos posteriores pedes diuisa, fiunt quadrupedes, linguam habent contrario more cæteris animalibus, solutam iuxta fauces, & annexam anteriore parte, & iuxta maxillam: satis perfectum est animal visceribus omnibus, sed valdè monstruosum. Ex ouis & concubitu generantur ranæ, ac in aquis degunt, & virides sunt (vt diximus) Rubetæ verò ex terra generantur, & ex limo in aqua. At veræ ranæ, veneni sunt expertes, ac siccatis paludibus in terram conuertuntur, ex eáque adueniente aqua rursus generantur. Vulgus existimat eas cum bufonis coire, quod falsum esse puto. Illos tamen haud laudare possum, qui adeò illas extollunt, constat enim vt plurimum in palustribus, & cœnosis, stantibusque aquis nasci: quamobrem viscidum alimentum præbent & frigidum, imò humidius quàm frigidum, atque exiguum, non tamen minùs quàm quod ex leuibus piscibus: sed quæ ex fontibus, aut riuulis, aut fluuiis, aut quo quomodo pro fluentibus aquis capiuntur, longè meliores sunt, & à multis frequentissimè in delitiis habentur. Cæterùm earum caro duriuscula est, fibrosa, nec concoctu facilis, sed bene cocta eius

Rodelletius notatur. *Notat.* *Vires.* *Earum iecora.*

eius nutrimentum diu hæret, atque perdurat, ob id hecticis conuenire creditur, sanguinemque meliorem gignit, quàm cochlearum caro, eduntur & ex eis iecora, quæ optima sunt, & saginantur pro eorum magnitudine: crura etiam & intestina pinguedine prædita gustui grata sunt, reliqua verò inutilia existunt. Detracta enim pelle tota die in aqua macerantur, dein elixantur, tandem in sartagine friguntur, aspersa farina. Deinde apio aut aromatibus, aut fœniculo, aut salsa viridi mensis inferuntur. Retinere vrinam creduntur, maximè quæ in locis calidioribus gignuntur, atque aquis corruptis, & multi ob id earum vsum fugiunt. Cinis rubetarum sistit sanguinem, & alopetias sanat, & caro earum imposita emplastris, multum confert omnibus affectibus neruorum, & iuncturarum.

CAPVT LXXIII.

De Piscibus salitis.

Cur sale condiantur pisces.

SAle condiri solent pisces non solùm vt vsui diutiùs seruari possint, sed & etiam sæpè, si quid vitij eis insit, vt corrigatur, tollaturque, & vt eorum vsus melior, tutiorque euadat. Et primò quidem crassities eorum vi salis, attenuatis partibus inciditur, atque superfluus humor aufertur. Vnde absumpta putredinis materia, astrictisque seu solidatis aduersus putrefactionis iniurias carnibus, incorruptæ diu maneant. Ob id mos est solummodò ea quæ excrementis redundant sale condire, nam quæ natura sicca sunt, vi salis longè sicciora redduntur, atque esui inepta consumpto naturali humore: magis enim neruosa fiunt, cutisque ac corij instar. Quapropter eademmet ratione crassiores partes attenuat salitura, nam sicuti pituitosior humiditas euanescens diflatur, ita simul absumendæ huic salis iam viribus ex parte debilitatis, crassiores partes attenuantur, nec dissoluuntur, duriores tenerescunt, nec exarescunt, sed nunc temporis cuncta indifferenter sale condiuntur, siue duræ sint carnis, siue suapte natura humidæ compagis, siue teneræ, siue inter hos mediæ, siue carnosa, vel pinguedine constent, vel vetusta, vel media, vel recentia sint. Atque hæc vt plurimum ori gratæ sunt, & appetentiam excitant, aluumque emolliunt: ex fluuiatilibus etiam ac palustribus sale condiuntur pisces, qui ad spinam dissecti sunt, vt lucij, truttæ, salmerini, agoni, sardenæ, & alij id genns pisces. Muti quoque fumo durantur, ad Solem etiam siccantur. Et communiter mali sunt succi, & concoctu difficiles. In aliquibus tamen potiùs salsura iuuat, quàm secus. Quæ etenim nimis excrementitia sunt, salis conditura superfluam illam humiditatem absumit, nam siccandi vim, concoquendique excrementum omne pituitosum, nec non & glutinosos, crassosque humores attenuandi, atque hærentes ventriculi, viscerumque tunicis dissecandi, atque detergendi. Ad Veneris etiam stimulum commendantur, necnon & ad deiectam, sopitamque (vt diximus) appetentiam excitandam, quadam salsamenti calorifica facultate: sitim verò afferunt, & ob id vini potores eis libenter vescuntur. At ori ventriculi inflammationem addunt, sanguinem exassant, & vsus eorum copiosus ad aucta succorum malorum prauitate plurimum humoris attrabiliarij suggerit. Quare potiùs in prima mensa vtenda sunt pro conciliando appetitu, quàm vt loco ciborum sint, assumenda ab eis, quæ omninò caueri debet æstatis tempore, & præsertim ab immoderato eorum vsu. Atque omnia potissimùm hanc exigunt præparationem, nempè vt antequam decoquantur in aqua, diu macerentur, vt salsilaginem deponant, vel bona ex parte exuant, tum albuta, emundatáque, nil aliud quam simplici aquæ incoquenda tradantur, dein oleo & aceto imposita commendantur. Notandum tamen quod salsus piscis aquæ infusus cum sapore amittit gratiam. Retulit mihi Diophœbus Drudelus è Cæsenatibus senatoribus vnus, & scholaris meus, detersum piscem linteo, ac compressum, sic vt materiæ nil retineat, inde soli benè sicco immersum per horas duodecim, aut ampliùs, post rursus detersum fieri vsui commodum exuta salsedine: fieri enim potest vt ob sympathiam salsugo à sale ad extima trahatur, experimentum non feci. Qui calida lauant, sanè celerius reddunt insulsum, & ideo melior relinquitur. Caro quoque immodicè salsa in aqua calida diu tenenda est: alia in duabus aquis coquuntur. Atque hæc de piscibus dicta sufficiant, non enim de omnibus ac singulis tractare proposui, cum hoc infinitum esset negotium, & à præsenti instituto alienum, sed vt solummodò & veluti per exemplum illos per capita comprehenderem, atque describerem qui apud nos frequentiori, vel aliquo sunt in vsu. Nec quoque alios deesse pisces arbitrandum durioris, aut mollioris, aut mediæ carnis. Verum hi horum generum à nobis potissimè sunt enumerati, ad quorum exemplum deduci reliqui haud ita difficulter possint, gustus, odoratúsque suauitate, aut secùs teneritate, duritia, crassitie, tenuitate, ac similibus qualitatibus explorandi, atque de omnibus sic rectè iudicium ferre licebit.

Siccatorum de salitorum vires.

Nota.

CAPVT LXXIV.

De Ratione compositionis ciborum, ac præparationis.

Compositionis vtilitas.

QVamuis ciborum compositio, vt aliàs dixi, valetudini sit inimica, tres tamen ob causas de ea sermonem facere cogimur, vna quidem ob necessitatem, cùm cibus cuius copia est, non bonus est, aut omninò insuauis, neque sufficit præparatio vt in alio, vnde Moretum illud Virgilianum: Ita siliginis farinam seu segalæ componunt Germani, vt pani, triticeo assimiletur. Et castaneas, & orizam, cùm pani faciendo parum apta sint, coquimus, cum aliisque miscentes efficimus,

cimus, vt edi commodè poſſint: ſæpiùs enim diximus cibos eò eſſe vtiliores, quò ſuauiores: Et farcimina componimus, vt caro ſuis rancida non euadat. Et etiam quoniam altilis ſuis immodicè cum ſit humida, & cruda, & pinguis, & ob id flatuoſa, & difficilis coctionis, & excrementoſa corrigatur miſtione, & tempore cum alioquin conſeruari non poſſit. Secunda eſt ob gratiam in conuiuiis, & vſum in delicatis, & maximè potentibus viris, iam conſuetudine naturam imitante, imò vincẽte, de vt his affatim Apicius tractat. Tertia eſt vt cum in omni malo deceat, vt minùs mala ſint, vt maiore cum tria obſeruare decore fiat, & vt omninò facere id norimus, nempè optimum eſt, nil mali facere, huic proximum eſt minus mali facere, & ritè ſcire facere, & cum decore facere: peſſimum velle, nec ſcire minus malè, minus indecore: maius tamen eſt peccatum velle, nec omninò ſcire.

Nota.

Ergo huius tertiæ cauſæ, quæ omnibus aliis commoda eſt rationem inire oportet, ſumitur ea à fine, vt cibus ſit vtilior, & ſuauior, vt id Poëticum in eiuſmodi obſeruemus:

Et prodeſſe volunt, & delectare Poëtæ.

Hoc autem ea ratione fiet, vt temperatior euadat cibus, & compoſitione melior, ſcilicet vt minima minimis exquiſitè miſceantur: idque contingit tum trituratione ſubtili, coctione, & agitatione. Ad ſuauitatem autem vt cùm illa odoribus, & ſaporibus conſtet, vt quæ conueniunt inuicem miſceantur, idque trifariam ſapores ſaporibus, odores odoribus, tum verò odores ſaporibus: & odores quidem bonos eligere ſufficit, ac temperare illos decenti quantitate, vt ne exuperent, ſimiliter & cum ſaporibus odores conueniunt: quidam tamen mali odores gratiam addunt, velut alij: idque fermè peculiare eſt, ſeu in ſaporibus non ſolùm boni bonis conueniunt, ſed & mali quidam velut ſalſus. Et in bonis ipſis etiam magnum diſcrimen comparationis eſt: velut ſalſus ſi inter malos cenſeatur, maximè tamen congruit inſipido, & etiam amaro, ſi inter bonos non conuenit, dulci conuenit, tamen admodum pingui, acris autem dulci minus quàm pingui, & inſipido magis quàm dulci, minùs autem quàm pingui. Igitur in ſociandis cibis habenda eſt ratio prima ſalubritatis, & ſi non ob aliud hoc in loco, vbi argumentum libri id poſtulat poſt ſuauitatis. Differt autem compoſitio à præparatione, nam præparationis duæ ſunt partes, actio, & res quæ miſcetur: res quæ miſcetur ſemper pauca eſt mole, vi autem perſæpè multa, vt aroma, acetum, mel pauca vt petroſilium ſapa, omphacium: Actio vt frixa, aſſa, elixa, iurulenta, in patella, in crate, aëri expoſita macerata, multa aqua ſub cineribus, tuſaque, aut propè odorata, copoſita, ſalubres igitur cibi, neque tenuia, neque dulcia, lentis, aut craſſis, admiſta habere debent: nam quæ leuia ſunt, facilè, & celeriter concoquuntur, & ideò vel trahunt ſecùm incocta, craſſa, & lenta, & cauſam omnium malorum præbent: aut ipſa diutiùs retinent, vt de ouis dixi, corrũpuntur, & corrũpũt, atq; in hoc differt miſtio à præparatione, quod ſubſtãtia in miſtione plurima ſit, quæ retenta nocet, aut trãſlata: in præparatione non eſt neceſſariũ, ſiue pauca ſit, & retineatur parum obeſt, ſeu tranſeat ad iecur, idem contingit: ſi ſola qualitas perſæpè retunditur in ventriculo, & ideò deterior eſt miſtio condimento, & præparatione. In dulcibus autem minus eſt diſcrimen præparationis, & condimentorum à miſtione: trahit enim iecur dulcia, ſeu talia ſint natura, ſeu qualitate eã affecta. Atque vtinam noſtri medici qui tanta de rebus claris ſcripſere, hoc ipſum declaraſſent, quomodo iecur, quod animali ſenſu caret dulcibus adeò oblectetur, vt illa ante concoctionem trahat? præſertim cùm ventriculus, qui animali ſenſu præditus eſt, non percipiat, tamen nec amarum, nec dulce, ſed ſola lingua, palatumque, & ſuprema gula, ac vix. Et ſi percipit, cur ergo non retinet? Et cur vua paſſa quamvis dulcis ab hoc malo excipitur? An forſan quod dulcia plerunque tenui ſubſtantia ſunt: ideo cum etiam calida ſint, & celeriter concoquantur, breui trãſeunt ad iecur, & in bilem vertuntur. Acida autem frigida, & pinguia craſſa, & acria difficilè concoquuntur, & ideò diutiùs in ventriculo manent: hæc igitur veriſimiliora. Vnde concocta breui eandem quàm tenuia ſubeunt rationem, & eiſdem noxis communuia ſunt. Quod ſi miſtio non ſit bene contritorum, eadem accident detrimenta, aſſociata enim contritis trahuntur, quia adhærent magis ſi lenta ſint, aut cum lentis mixta: Et ſemper chylus lentus eſt, vel propter mucum, qui à capite deſcendere ſolet, vel quoniam reliquiis prioris alimenti, vnde ſedimen in vrina miſcetur, aut quoniam concoctione ipſa condenſatur. Sin autem tenuia ſint miſta, neceſſe eſt fieri chylum, & ſanguinem, & alimentum non vnius formæ, quoniam ab eodem, atque diuerſis neceſſe eſt diuerſa fieri: ſimilia enim fiunt aut ex omnibus ſimilibus, aut ambobus diſſimilibus. Vt fratres ſimiles ex eiſdem parentibus maximè eodem tẽpore geniti, aut prorſus diuerſis ambobus, vt duobus Gallis, & duobus Aſianis. Oportet igitur in temperie miſcere calida frigidis, ſicca humidis: omnia autem boni alimenti, atque ſucci. In ſaporibus autem dulcia, acida, & inſipida bene ſociantur, amara cùm exuperant nullis moderata, non niſi ſalſis, & acribus, acidis, non ita. Aſtringentia dulcibus, & omnibus quæ iucunda ſunt guſtui, diu enim retinent ſuauitatem. Propterea ſimilia ſunt collo gruis, quod optabat Philoxenus Siculus, vt diutiùs edendo ſentiret voluptatem eorum, quæ deuoraret: inſuauibus adiuncta augent abominationem. Amarum tribus ſaporibus (vt aliàs diximus) inimicum eſt, dulci quod nauſeam moueat, aſtringenti quod affligatur, inſipido quod nulla ex parte retundatur. In abſynthio non adeò inſuaue eſt, vt in acerba glande, quoniam nimis aſtringit, & grauis eſt ſubſtantiæ, & inodora ſit: gaudet enim amarum odore bono, & miteſcit, vt in myriſtica nuce, garyophilis, & garyophilata. Auſterum cum aſtringentis & acidi particeps ſit, & odoratum, commodè dulci miſcetur, ſunt præterea

Compoſitionis & præparationis differentia.

Dulcia quomodo noxia iecori.

Nota.

præterea odores cibarij, vt aromatum, quæ rectè cibis miscentur, alij licet boni non cibarij, vt moschi, Zibethi, ambræ, & florum qui non rectè miscentur, aut parcissimè. Alij autem prauus odor simpliciter, vnde deterrimus ab his, qui id ipsum deuorarunt, contra iucundus in cibis, quia cibarius, ludente in extremis natura.

CAPVT LXXV.

De Sale.

Salis vires.

SAl omne siccat, detergit etiam maximè, quod subamarnm est, cuiusmodi quod è nitri specie est, adeò vt abradat maximè tenui substantiæ iunctum, nam per se crassæ est, modicéque excalefacit. Humidis ac obesis optimè copulatur, vt piscibus, & porcinæ carni, contra malè siccis, vt leporinæ carni, animalium enim corpora senum, & siccorum, si saliantur, euadunt vt coria, & cibos inutilia, ac atri alimenti Eadem ratio ventriculorum humidis aptissimum est, siccis noxius est. Dubitandum cur cum aqua multa substantia constet, immodicè tamen exsiccet? causam esse reor, quod exustum sit, atque ob id operatur etiam aqua retusum: ea enim est natura vstorum, vt etiam ab aqua irritentur, aut saltem non obtundantur: non enim aquam in suo statu relinquunt. Depopulatur humida sal, & dispergit, digeritque, cogit, astringit, extenuat, condensat quæ solida sunt: exulcerata erodit, prohibet putredinem sitim excitat si quid aliud, & appetitum ciborum exacuit, oculis nocet, & visui, vrit enim humores, quo circa dysenteriam, & tinesmonem gignit, pruriginem, scabiem, genituram minuit, condit omnia amara pinguia, & insipida, dulcibus non conuenit, acria hebetat: reliqui eo non indigent sapore, vitam producit multum eo argumento quod immixtum oleo in lampade ignem longè diutius alit. Antiquæ carnes dum non admodum siccæ vtilius sale iuuenibus condiuntur. Ipso per se veteres pro condimento vtebantur, meliùs verò cum olere quouis, maximè acri in ore retentum, dentes prohibet ne erodantur, & gingiuis vtilis persæpè, non tamen semper ieiuni sub lingua vt liquescat, continent, nil omninò fermè alit, & tamen alit, pingue enim est, vt in quibusdam regionibus Indiæ viuere sine sale non possunt, ita & temperaturæ quædam. Impositum atramento scriptorio prohibet ne à frigore congeletur. Iuuat etiam corpora aduersus frigora, atram bilem auget. Torretur, & nigrescit, inde dealbatur, quod siccissimum est, exterius admotum resoluit flatum. Dissoluitur aqua & excolatur, inde fiunt panes candidi, cuni forma, in mensarum vsum. Aquam peruadit, oleo miscere non leue negotium est. Rubrum & in glebas magnas coactum efficacius est, & ad rem domesticam vtilis. Seruantur plura eo, velut cappares, radices solidæ, oliuæ, sed cum aqua fungi, piscium plerique, sed non incorrupta substantia, ob hoc salire res leuissima, bene salire res industriæ plena. Vnde dicti sales scitè prolata: loco humido per se dissoluitur, vt multis merx perierit. Immodicè salsis multi commodè vtuntur diu affusa aqua, & mutata, sed calida longè celerius. Aduersari venenis salem hoc argumento depræhensum est, quod nemo à salitis, quos tamen crudos, & sine delectu condiunt, læsus inueniatur. Hyeme magis quàm Vere, & Vere quàm autumno, & æstate magis conuenit. Extennat sal corpus, ideo etiam conficitur viperinum sal ad extenuandum immodicè pingues: viperæ enim viuaces absciſſo capite, & cauda, in ollam noua vitro non obductam, cum sale mittuntur, & tandiu manent, donec corpora viperarum in cineres redigantur. Siccat in secundo ordine, calefacit in primo. Quo circa dubium est cùm crassæ sit substantiæ, cur erodat cùm multa licciora, & calidiora, & tenuia id non agant? causam superiùs adduximus. Sal igitur moderatè sumptum confirmat membra, prohibet putredinem, vitam producit, quod terreum est, obstruit, & lapides gignit, & nocet habentibus humores acres, & vrinæ vriginem, vlceráque exedentia, & scabiem intus assumptum generat (vt dixi) quam curat extra adhibitum.

Quæ sale inutilia fiant.

Cur sal vitam producere existimetur.

atramentum non congeletur.

Vtilitas.

Nota.

Viperinum sal.

Vires.

CAPVT LXXVI.

De Oleo, & eius speciebus, & singulorum facultate.

Oleum & sal omnibus mistis communia esse. Olei vires.

OLeum & sal communia sunt omnibus mistis. Et oleum quidem vicem aëris, sal ignis gerit. Et olei facultas, vt ad cibos pertinet, est calida, humida, concoctu leuis, supernatans aliis cibis, sed magis potibus: idque animaduertendum, sedat dolores, & ventrem lenit, ventriculum laxat, & ob hæc fastidium parit, & alimentum eius est incorruptum, & quoniam supernatat, & est densum, difficile est ad concoquendum. Neque igitur oleum, neque sal sunt species, sed eduliorum genera, vt non solùm ab aliis speciebus differant, sed generibus veluti plantis, carnibus, piscibus: sed etiam inter se, vt non quemadmodum oleum amygdalarum & oliuarum, inter se differunt, ita sal oliuarum, & amygdalarum. Ideoque primum de hac differentia dicendum est: neque enim vt oleum à piscibus differt, quoniam genus est commune, pisces autem certum, ita sal differt ab oleo, eum & ipsum sit commune, sed non eodem modo: verum vt dixi & terra, & aqua communia sunt. Verùm in hoc magno errore labitur Galenus, existimans salsum saporem conuerti posse, vt ex pomo in carnem, quod ex vlteriori coctione, salsa, amara euadant. At non plus salsedo commutari potest in amatorem, quàm albities in nigritiem, frigiditas in caliditatem, sed Galeno sufficit, vt salsa possint euadere amara, quod verum est tenui resoluta parte, secus nulla qualitas in aliam qualitatem permutari potest, neque generis eiusdem, neque alterius. Quod etiam si fieri posset, esset vterque sapor substantia. Dicimus enim transmu

4. De simpl. Med. cap. 16. Notatur Galenus.

Quid transmutatio. transmutari quod subiecto eodem manente mutatur. At salsum cum sit amarum, tantundem deperit ex tenui priore substantia. At si fieret cum ad summum deuenerit, essent contermini, sed non sui est: nihil enim est immodice salsum, simul & amarum, quinimò salsedo crescit, donec interficiat. Omnis *Sapor venenosus.* enim sapor qui ad extremum peruenit salsus, amarus, acris, astringens, acidus, est venenum, & venenosorum, vt in napello, sed dulcis pinguis, & insipidus in extremo esse non possunt, cum vnus consistat in simplici aliorum priuatione, reliqui duo consistant circa medium: indicio est etiam quod magna quantitas salis (quantitas enim immodica qualitatem adauget, & experimentum, & ratio, & medicorum consensus ostendit) nullum habet saporis amari vestigium: sed non tam procul à proposito degressi sumus alterius gratia, quàm vt ostenderemus etiam ex Galeni suppositis quod sal esset, & quid posset. *Sal quomodo fiat.* Ergo cum sal fiat ignea vi in materiam terream agente, ita vt attenuet, si totum patiens terreum esset, ex huiusmodi vstione, iam non salsum, sed amarum fieret. At nos diximus salsum iam factum esse: ergo oportuit tantum humidi sociari, vt amarum euadere non posset: Ex manifestis ergo inchoëmus rursus. *Saporum diuersitas vnde.* Ex actione calidi temperari in humidum crassum absque dubio fit pinguis sapor: in tenue dulcis, in aqueum parum non terræ admistum insipidum, seu vt calor non tantus sit vt attingat actio ad terreum. Ex actione sicci in terreum, & modicum aquei fit astringens: ex sicco & frigido vehementi in aqueum acidus. Ex actione caloris adurentis fiunt tres sapores: in terreum per se amarus si sit crassum: in tenue terreum, seu humido mistum, seu per se (semper autem & in his, & in salso cùm sit calor igneus est, & siccus) acris. Ex actione autem caloris ignei in aqueum terreo admistum fit salsum, vnde duo priores sapores ad venenum pertinent cum salso, sed hic minus. Sal ergo non misti qualitatem adeò vt oleum, quoniam illius author est calor immodicus, & siccus, quem verò vocant ammoniacum, veneni naturam sapit. *Cuiuslibet salis vires.* Omni salis species ergo vrit, siccat, astringit, dissecat, putredinem arcet. Eius natura est quasi media inter acidum & acre: non quemadmodum acetum quod medium est, quasi particeps vtriusque. Magis siccat sal, quam acidum, quia aqueo associat terreum tenue: magis quàm amarum, quia magis penetrat ob tenuitatem: magis quàm acre, quoniam acris est magis calidus quàm siccus: contra salsus. Sunt autem duo salsorum genera, vt Aristoteles inquit, *4. Meth. cap 7.* quod coit in duritiem, aliud quod duntaxat igne crassescit, velut aqua maris, donec aquæ nomen retinet, non salis. Quo circa ex subamaro superaddito humido fit salsum, vt cineri addita aqua lixiuium, non quod amarum quicquam commune habeat cum salso, nam ex aloë, colocynthida, & anguino cucumere, ac gentiana fieret salsior sapor, quàm ex cinere. Verùm non fit ex amaro, sed tenui parte salsa, quæ cum cinere, ac similibus permista est. Vnde patet causa cur sal nitrum nostrum

adeò (si præparetur) celeriter vratur. Vtraque enim pars terrea & aquæ tenuis est, & calida ac sicca, nec ignibus in lignis deperire potest, vt nec terra, nec aqua: sed hæc exhalat, sed hæc extra limites. *Olei vires.* Oleum autem fermè sali aduersatur, in quibusdam tamen simile est, resistit enim putredini mirum in modum, & vitam producit, sed humectat plurimum, & copia illius subuertitt non solum ventriculum vt diximus, sed illum labefactat: omne oleum laxat, & ad lapsum iuuat, & occidit vermes, & serpentes: plurimus vsus eius generat herniam, ac ramices laxando omentum, vnde etiam procidit, atque disrumpitur, & etiam erythroidam tunicam emollit, & efficit vt flatus, & intestina per eam descendant super pubem, & deinde etiam inserotum vsque, auxilium eius est à sale, & melle, ideo hæc tria rectè copulantur, sed mel quod ad gustum attinet, neque his, neque amaro vlli commodè iungitur, vt nec saccharum, aut aliud dulce. Dulce enim pingui, nec amaro non conuenit: vni nimis simile alteri contrarium. *Semina omnia olei continere.* Olei duplex natura, alia vt oleum est, alia vt alicuius oleum, velut oliuarum, aut amygdalarum oleum continet semina omnia, vt aliàs demonstraui, quæ tamen copiosum effundunt, sunt oliuæ, amygdalæ, lini, & rapæ semen, & nuces, est & glans vnguentaria quæ oleum mittit, quod non fit rancidum. *Oleorum differentiæ quæ, & vires.* Differentiæ etiam huius plures à modo: fiunt enim olea ex immaturis oliuis, ac seminibus, alia ex maturis, sed nuper decerptis, quæ optima sunt, alia ex maceratis, quoniam plus excipitur, sed eò deterius. Quamprimum à fæce purgandum est, aliter corrumpitur. Optimum clarum, leue, inter viridem, aureumque colorem, quod quasi dulcescit, & expers odoris primo gustu videtur, oleum oliuarum humidum est, & in vltimo eius quod esse potest, in primo autem ordine calefacientium, oleum autem balsami non propriè oleum est, sed lachryma, & est tenuissimæ substantiæ, adò vt lapillos etiam vesicæ epotum si quid aliud exterat, & putredini omni intus & extra resistit. *Balsamum vesicæ lapillos exterit.* Cæterùm oleum è semine radiculæ, quam vocant raphanum, siccas partes habet immistas, estque tenue & calidius: oleum mediocriter nutrit: amygdalinum confert tussi, & lieni, sed ventriculo obest: omphacinum quod ex immaturis vuis elicitur dysenteriæ vtilissimum est, ac quasi refrigerat, tuendæ sanitati, & maximè ventriculo confirmando præstantissimum habetur. Ponitur frigidum & siccum in primo ordine, quod mirum videtur, cum toto genere sit adeò calidum & humidum: oleum omne humores crassos reddit, corrumpitur oleum cum solum coquitur, ob id aquæ parum immisceri debet: olea è semine vrticæ, Cnici, & Gnidij, & Heliotropij purgãt ventrem, ex amygdalis autem amaris, & nucleis persicorũ etiam vrinam prouocant, præter id oleum è fabis, & lentibus, & semine pilosellæ maioris, mirum in modũ herniæ confert: atque ea ratione in aliis seminibus. Flores omnes in sole positi in oleũ vertuntur, præcipuè sambuci: potentia enim sunt ad semen. Sed & balsaminæ fructus. Oleum

ſic è floribus verbaſci ad herniam, & hæmorrhoidas vtile, alimentum ex oleo craſſiuſculum eſt, & tardè conficitur: oleum non tamen contumax eſt, in bilioſis, ad bilis naturam facilè tranſit. Non corrumpitur, nec corrumpi ſinit humores. Caſeus & farcimina non ſolùm in oleo incorrupta ſeruantur, ſed multò efficiuntur meliora, oleum quoque ſuperimpoſitum, ſuccos ſeruare ſolet.

Nota.

CAPVT LXXVII.

De Aceto.

Aceti vires.

Acetum autem inter temperata in calore refertur, exiccat in ſecundo ordine, ſed potiùs calidas, & frigidas partes habere videtur. Eſt enim acidum ſimul, & acre non vt limunij ſuccus, aut oxalidis acidum tantum, vel vt piper acre tantum: communicat cum tribus aliis in hoc, quod putredini magis etiam in corpore humano reſiſtit, non tamen ſeruat vt alia quæ imponuntur: nam vt ea à putredine tuetur, ita corrumpit exedendo illa. Immodicus eius vſus peſtilentibus febribus ſolum vtilis eſt, etiam extra ſi lauetur homo, ſi igni ſuperaſpergatur, & loco aquæ cubiculi ſolium, ita oculis, neruis, ventriculo, cerebro, ipſum magnæ peſtis loco eſt. Moderatus tamen vſus eius excitat cibi appetentiam, ex eo melle & aqua fit oximel omnibus notum: res corporibus pituitoſis, craſſis, obſtructis, robuſto ventriculo, & iecore, tam vtilis, quàm aliis noxia: adeò enim iecori nocet, vt illius aſſiduo vſu hydrops gignatur. Eſt autem potius medicamentum quàm cibus, non magis quod nihil, aut propemodum nutriat. Cur verò acetum ſi vas, vel minimum aquæ tetigerit, ſaporem acrem amittat, atque corrumpatur, in libris de Rerum varietate declarauimus, in quibus etiam modum quo acetum fiat, ac vinum in ipſum tranſeat, edocuimus.

Oximel.

CAPVT LXXVIII.

De Melle, & Saccharo.

Mellis vires. Quibus noceat.

Mel cum calidum ſit & ſiccum, neſcio cur Galenus non prohibuerit ſenibus, quib. vult omnia eiuſmodi obeſſe, cùm tamen nihil illis ſit ſalubrius: nutrit parum, calidum eſt atque ſiccum in fine primi ordinis, bilioſis inutile, & his qui calido, & puro ſunt ventriculo, aluum cit: ſed ſi cum aqua coquatur, & deſpumetur, omiſſa acredine melius alit, nec citat aluum, nec ventriculum lædit. Optimum Hiſpanicum, lentum vt laricis lachryma denſum, admodum album, & dulciſſimum, poſt quod eſt quod ex Græcia vehitur: maximè Cephalonia Inſula: ſi plus edatur ex illo ſolet vomitum ciere. Optimum vernale, inde æſtiuum, peius hyemale. Adeò reſiſtit putredini vt fructus horarij, & carnes, etiam in loco frigido media æſtate diu in eo ſeruentur, ſi impoſitis illis tamen coquatur, aliter diluitur, inde putreſcit, nec eſt quod minus inficiat quæ in eo ſeruantur. Nihilominus quatenus dulce admodum obſtructiones parit, & maxime miſtum cibis craſſi alimenti ideo ſolum cum pane, & oleribus acribus edi debet, inflammat etiam iecur, nec videtur iuuenibus vtile: cum piſcibus autem optimè ſociatur, qui tamen facilè concoquantur, vt gobione, & ſaxatilibus vocatis. Vlceribus omnibus internis ſi edatur vtile eſt, & externis appoſitum. Tantum vtile pectori & pulmoni ſemper, quantum ſolet iecori obeſſe, generat vermes, alitque ſaltem eos ad ſuperiora, trahens in periculum non leue vitæ, adducit illis obnoxios: propterea arceri ab infantibus omninò debet, coctum per ſe corrumpitur, & minùs nutrit, ſitque amarum, bilioſum. Improbi ſeplaſiarij vt candidius videatur, & denſius, ac dulcius, miſcent millij farinam, quo nihil nocentius: eſt enim fomes morborum, cum farina illa nunquam concoquatur. Et iecur ob mellis dulcedinem illam ad ſe rapiat. Omnia enim membra naturalia, lingua, os ventriculi, & imum iecur, inteſtina, nares, & lien dulcibus mirum in modum delectantur. Ex melle quatuor eliciuntur partes deſtillatione, quarum vna tabidis eſt vtiliſſima, habentibus ventriculum imbecillem, & iecur, mel parum conducit, vrinam mel prouocat cum aqua coctum, crudum ventrem per ſe coctum neutrum, ſed nutrit vberius. Quocirca cum nec ponatur excrementitium, & tamen parum nutriat, dubitatio ſubit, quomodo aliquid poſſit parum nutrire, & non eſſe excrementitium: neceſſe eſt enim plurimum ſupereſſe excrementi, ſi parum tranſit in alimentum, aut ſi multum alterius ſubſtantiæ, vtpote carnis in alimentum tranſeat non eſſe excrementitium: modò non videtur Galenus ipſum dicere excrementitium: quinimò laudat ipſum, commendatque pro ſenibus, quibus nihil excrementitium conducit. Verum ſi in hoc animaduertamus, Galenus nulla ex parte deliquit, cùm non excrementitium vocet, quod plurimum fæcum gignit, ſed quod verſum in ſanguinem plurimum, poſtmodum in eo relinquit inutilis, vel ob tenuitatem, vel ob craſſitiem, vnde dum de ouis frixis agit, inquit: [Prauum ſuccum gignunt atque excrementitium, adeò vt excrementitium non ad rem, ſed ad ſuccum referri debeat,] & infrà: [Extremæ autem prauitatis ſecundum conſiſtentiam ſanguis eſt, tum craſſus vt pix liquida, tum ſeroſus adeò vt poſtquam è vena effluxerit, atque concreuerit, plurimum relinquat aquoſus ſuſtantiæ ſupernatantis. Iuxta hæc ergo quatuor differentiæ alimentorum reliquuntur, quæ plurimum nutriunt, & non excrementitium ſuccum gignunt, vt oua apala, ac tenera quæ plurimùm nutriant, & excrementitium ſuccum gignunt, vt oua frixa maximè dura, caro porci ſenis, & inter piſces cetacea, & mollia, vt polypi, & mugiles fluminum ora nutriri tranſeuntium per magnas vrbes: parum autem nutriunt,

Nota.

Quæ membra dulcibus delectentur.

Dubitatio.

Lib. 3. de Alimen. fac. Cap. 16.

Nota. nutriunt, & excrementitium succum gignunt radices omnes, mala insana, fructus horæi, & acria omnia velut porri, & cæpæ: paucum, & parum, id est, non excrementitium velut mel, & saccharum in quibus concoquuntur, nam vt dixi quod nimis tenuis substantiæ præbeant alimentum, & calidum, ac siccum, ob id in bilem facilè vertuntur, si vel calidus sit ventriculus, aut iecur: aut bilis ibi adsit, aut febris, non quia dulcia. Sunt & pauci alimenti, & non excrementitij, pisces saxatiles, & gobij & passeres, & asini: de paruulis omnibus duo: neque dubium est tales huiusmodi esse. Accidit præterea his alimentis, veluti melli vt flatum excitet in tertia coctione, ideo veneni vtile est, quædam non excitant velut caro solida, & iecur gallinarum. Et aliorum succus est tenuis, velut mellis, ideò facile dissoluitur: ita hiatulæ, purpuræ, buccinæ, vngues, vertebræ piscium genere. Et porcina inter carnes solidum exhibent alimentum. Mel ergo paucum, calidumque, & tenue, & purum præbet alimentum: probatúrque magis quod oritur vbi flores odorati proueniunt, velut thymi quo maximè gaudent apes, vnde illud Virgilianum:

Dumque thymo pascentur apes, dum rore cicadæ.

7. De simp. Med. Mel omnium medicamentorum materia. Calidi est, & sicci temperamenti in secundo ordine, detersoriæ facultatis, vnde etiam vlcera mordet. Materia fermè omnium medicamentorum, quæ intus sumuntur, ob gratiam, & innocentiam, & quod illa à putredine seruat vt dixi, miscetur etiam multis emplastris extrà, quod repurget, siccetque vlcera, & calefaciat moderate. Ergo vt ad rem redeam non est excrementitium, licet parum nutriat: quoniam tametsi plurimum gigneret fæcis, aut vrinæ, nihilominus excrementitij nomen non promeretur, quod id ad succum non rem referri debeat. Quædam etiam sunt quæ etsi parum nutriant, neque tamen plurimum fæcis, aut vrinæ procreant pro ratione assumpti: (semper enim eo referenda est oratio) quoniam exhalant in vapores, atque ea noxia sunt capiti, plura verò ex his, quæ parum nutriunt, in vrinas vertuntur, vt peponum semina, & olera: quædam mollem efficiunt aluum, quæ deteriora sunt, velut cerasa, quoniam humor ille iecori parum gratus est, & crudior est. Habes igitur excrementitij, & parum nutrientis discrimen. Mellis autem non vnum videtur esse genus, quanquam omne ab apibus conficiatur, præstantissimum enim omnium ex Cephalonia insula aduenitur: sunt & mella vesparum, & crabronum, quæ adeò hoc ipso apum inferiora sunt suauitate & paucitate, vt inter mella referri non mereantur. Alia etiam ex apibus ob regionum varietatem, multò infirmiora, diluta, insipida, nec amoris expertia. Fitque mel omne ex rore: nam apes ex floribus fauos efficiunt, & arborum lachrima cera, ex rore autem mel. Ros igitur aut cogitur ab animalibus, fitque mel, vel cogitur spontè, fitque mel quod manna sicca vocatur, vel non cogitur, fitqu t manna liquida, ea est vt ros congelatus, viscida, & gustui maximè iucunda. Ex eo genere etiam est quæ cedria vocatur, cuius meminit Hippocrates libro de vulneribus, nam manna fermè tota colligitur in conniferis arboribus, velut cedro, & larice, colligitur & in salice sed pauca, multóque minus in aliis arboribus, neque in tota arbore vlla, sed solum in cacuminibus & (vt dixi) maximè conniferarum, causa est aër qui vndique circumambit propter foliorum exilitatem, nam in foliis latioribus spargitur. Ex notis autem mel optimum nunc dignoscere licet, dulcissimum enim & acerrimum optimum est, hoc idem luteo colore est, substantia verò tenax admodum, ac velut viscum, lentum, neque crassum admodum, neque tenue perspicuum, atque purum, & odore suaui. Mel liquidum purum se ipsum reddit, expurgatque, reiiciens quod impurum est supra, vt expertus sum, quo fit vt aberrare non possis, si in vase seruaueris: sed durum manet, impurum, interim verò senescit. Saccharum autem nostrum etsi non desint, qui dubio procul existiment, vnum & idem esse cum eo, quod ab antiquis inter mellis genera describitur, ex eademqme planta prouenire, nihilominus constat maximam inter ea esse differentiam, vt nos in sexto Contradicentium demonstrauimus, non enim super arundinum folia ex rore in modum mannæ concrescit, vt illud antiquorum, quod est genus mellis super cannas concreti, vt testantur Dioscorides, & Plinius, sed ex cannarum expressione fit, deestque materia cœlestis, roscidáque illa, ab exhalatione per sudum, ex qua mel, & proinde acrimoniæ minus in saccharo, nec caliditas tanta: solis enim feruoribus ex arundine succus exprimitur, gummíque modo duratur, hæretque aperto cortice, quod voce Arabica *tabarzt* dicitur, quod & Plinius libro duodecimo affirmat, inquiens: [Saccharum & Arabia fert, sed laudatius India] Est autem mel in arundinibus collectum, gummium modo candidum, dentibus fragile amplissimum, nucis auellanæ magnitudine, ideò non ex rore vt manna euenit. Ideò cum primum ab hominibus deprehensum fuerit in tota planta succum subesse suauissimum, ducente ingenij sagacitate, excogitare cœperunt, hoc idem arte & longè pulchrius facturos posse, neque id incassum. Nunc enim temporis sacchari integros calamos assumunt, minutimque inciduut, atque ignis calore tandiu decoquunt, donec vniuersus liquor (absumpta omni aqua) diu efferuescens in saccharum salis modo in vasis fundo concreuerit, & quod tertio decoctum est, summi est candoris, & densitatis, quod secundo vilius, omnium verò vilissimum, quod primo tantùm rubrumque vocatur, quo in eneumatibus vtimur: quod secunda fit coctura *demedera* vocatur, quod sinum, ac perfectissimum, quod tertia, hocque pro lautioribus persæpè seruatur, vt quæ in mensas veniunt eo condiantur. Nec tamen omnibus planè conuenit, nec omni tempore, nec omnium est condimentum. Assa enim ac frixa, elixáve ritè, eo potiùs deteriora fiunt: paulò etiam calidioribus naturis, aut temperamento, aut ætate, aut vtroque semper nocet

Mel ex rore quomodo.

Nota optimi mellis.

Saccharum quid.

Cap 8.

facili conuersione in bilem, atque eadem ratione æstiuis temporibus. Temperatum autem est, & minus melle calidum, impurius tamen, & rude, id est, primæ cocturæ calidius est, nec acrimonia expers, abstersioneque candidius verò, quod quarta vel quinta fit coctura minus calidum est, coctionem enim acrimoniam deperdit, & potestate qua pollet extenuandi, ac detergendi, nec obstruit, nec glutinositate moram trahit. Quod verò sponte fluit cum nullam admistam aquam habeat, vocatúrque à Principe Sulimentum, hoc nulla ex parte melle est inferius in abstergendo: reliquum quod nobis in vsu est propter admistam aquam, cùm palàm sit melle dulcius minus abstergit: frigidis autem atque siccis obsoniis adhibitum ad temperamentum reuocat, nec calidis & humidis aliquod detrimentum affert, sed omnia lenit, ac mitescit: eóque dulciarij pistores in panificiorum genera vtuntur, & seplasiarij multas, variásque figuras, ac formas ei tribuunt, ad hominis delitias, nec non etiam in medicamentis, abominandisque potionibus delitiæ locum habet, nam vbi aluus non demittat, paratur saccharum roseum huiusmodi: libram vnam sacchari cum libra vna roris, dissolue, purga, vt solet cum oui candido, inde vnciam vnam rosarum Persicarum immitte, cùm iam feruet saccharum, & vbi paulum coxeris, extrahe: aliamque vnciam simili modo indito, atque ita vsque ad duodecimam vnciam: præstat autem rosas cum rore esse collectas: demum coquito ad perfectam rationem, additoque vncias quatuor rosarum rubearum: & in sole exponito: hoc non differt ab alio saccharo, & innoxiè purgat, cum voluptatéque deuoratur.

Vires.

Saccharum roseum purgans.

CAPVT LXXIX.

De Muria, Garo, Sapa, & Omphacio.

Muria quomodo fiat & garum. Lib. 31. c. 7. in fin. & 8.

PRoxima sali Muria ex eo nata, & ab antiquis celebrata. Fit sanè ex illo dum condiuntur pisces, sicut & garum. Plinius inquit, Aliud etiam num liquoris exquisiti genus, quod garon vocauere, intestinis piscium, cæterisque quæ obiicienda essent sale maceratis, vt sit illa putrescentium sanies, olim conficiebatur ex pisce, quem garon vocabant, nunc è scombro pisce laudatissimum in Carthaginis Spartariæ cetariis: sociorum id appellatur, singulis millibus nummûm permutantibus, congios penè binos, nec liquor vllus penè præter vnguenta maiore in pretio esse cœpit: nobilitatis etiam gentibus: Alexander prima problematum: Garum quia tenue & calidum est, idcirco minus perriget: esse autem diuersa garum, & muriam, quanquam garum seu garon Græca vox sit, cui alia non respondet Latina, & Muria Latina, quæ Græcam non habet, aliam in eodem significato ostendunt Plinij verba, paulò post: Laudantur, & Clazomenæ garo, leptisque Pompei, sicut Muria Antipolis, ac Thurij: iam verò & Dalmatia, vitium huius est alex imperfecta, nec colata fex: cœpit tamen & priuatim ex inutili pisciculo, minimoque confici, Aquam nostri Aphytis Græci vocant, quoniam his pisciculus è pluuia nascitur. Foroiulienses piscem ex quo faciunt lupum appellant. Transit deinde in luxuriam, creueruntque genera in infinitum. Idem quod muriam sponte emitti ex mulo pisce, dum coquitur, si harundine diuidatur, aliorum sententia refert. Constat ergo & garum esse piscem, vnde nomen sumptum, & liquamen muria nobilius, vt quod ex garo pisce vnde nomen sumpsit, inde ex intestinis nobiliorum piscium, & scombro, ac mulo fieret: Muria autem ex lupo, alex ex apuis, hæc est rei veritas, atque sententia authoris, quanquam parum inuoluta. Quod ergo habemus nunc ex apuis Genua transmissis: alex est muria inferiùs multò magis garo. Massarius in Plinium addit Spartariam fuisse insulam è regione Chartaginis, & salsuginem piscium vocari alme potius quàm alecem, quæ est fex gari, garum confici ex scombrorum visceribus, & etiam carne: addit Rondelletius causam, carnis mollitiem, & suauitatem, spinarumque defectum: fit & oxalme ex aceto, & garo maximè tenue, velut & scorodalme ex allio & garo, incidens quasi medicamentum. Porrò garum vt summatim repetam γάρον dictum, id est, piscatum liquamen, quod in piccatis vasis pisces condirentur, ita vt sit sanies quædam ex intestinis gari piscis smaridis è genere, vel scombri, sale conditis in piccatis vasis appetentiam admodum excitans, gustui iucunda, & cruda dissecans, attenuans, ac deiiciens. Sapa autem quam nostrates vinum coctum appellant, ingenij est, non naturæ opus, decocto vsque ad tertiam musto, quæ nec melli qualitatibus suis dissimilis est, calido enim atque sicco est temperamento, euaporatis aquosis omnibus partibus, ideò rectè admiscetur opsoniis natura frigidis, atque humidis, & præcipuè si pectus ac pulmones purgare postulent, à Galeno enim pro conficiendo eclegmate Diacodion pro tenuibus ad pectus destillationibus defrutum melli præponit, quia longè magis crassum facit: fit enim defrutum cum mustum ad dimidiæ partis consumptionem decoquitur. Præclaros quoque Sapa præstat intinctus, vt multa opsonia ritè parentur, condiantúrque, & sæpè poma, pyráque in ea incoquuntur. A renibus etiam atque vesica sordities detrahit flatus autem parit, tardè concoquitur, & viscera obstructionibus implet: in eo vel ea moderatè vti, vel acetum, aut aliud tenuantium ei admiscere oportet, vt innocentior fiat, & pulmonibus vtilior. Omphacium ex omni vuarum immaturarum genere in Italia paratur, ipsumque veteres ad medicinæ vsum solummodò conficiebant, nunc verò ab ciborum etiam condimentum, & si pluribus diebus sub sole dimittatur vt fex subsideat, & inclarescat succus: non tamen cogitur vt illud antiquorum. Exprimitur enim succus ex vuis nondum maturescentibus, priùs contusis, deinde insolatur, aut leuiter excoquitur, salemque nonnulli adiiciunt, quod nobis non placet. Miras mortalibus vtilitates præbet, & præsertim in magnis æstatis feruoribus: succurrit enim ventriculo siti affecto, cibumque

Libro 31. cap. 10.

Cap. 17.

Vires. Sapa quid.

Nota. Defrutum.

Vires.

Omphacium.

Vires.

cibumque fastidienti, acidum est, ob id refrigerat, vt Galenus multis in locis memoriæ prodidit atque siccat, sed omni acrimonia caret, ideò non penetrat vt acetum, crassarum enim est partium, imò læui quædam astrictione, ventriculum, iecurque corroborat, & sæpè dissolutam appetendi facultatem reuocat, atque biliosos humores absumit. Eius etiam grana detractis acinis, in carnium elixandarum iusculis decoqui solent, vicemque condimenti præstat, atque aliorum esculentorum caliditatem attemperat. Multos etiam in arte medica vsus habet, vt Dioscorides testatur, contra oculorum nebulas, ac scabrities, non læui iuuamento paratur, sed cauendum est à salito, quod febres etiam plerumque acuit, & corpora plus iusto sicca reddit.

CAPVT LXXX.

De Cinamomo, & gariophylis.

Cinamomum quid.

Cinamomum putat Græcia ab Horto, Medicus Lusitanus vt refert Carolus Clusius Attrebatensis, qui illius librum in compendium redegit dici, quasi Cinæ amomum: sed Galenus scribit Cinnamomum, neque credo illum Cinam Regionem agnouisse, tum præcipuè quod & Chinam alij scribunt. Sed quid opus est verbis, nonne hæc est illa regio, quæ à Ptolomæo Sina vocatur CLXXX. partibus à Fortunatis distans, & iuxta Tropicum Cancri. Si igitur Ptolomæi ætate Sina vocabatur, & Ptolemæus ætate Galeni floruit, & Galenus cinamomum vocauit, oportuit Sinamomum dici. Hic ergo vir falsò existimat hoc nostrum cinamomum etiam esse antiquorum cinamomum, cum non sit, sed proculdubio aliud erat cinamomum antiquorum, cuius etiam inopia tum erat apud Romanos Imperatores, sed est cinamomum nostrum cassia antiquorum atque Galeni, cuius vires sunt cinamomi nostræ ætatis. Estque partim Mescilitæ cassia, quod tenue appellamus, & magis mordet, & odoratius est: estque Zeilandicum cinamomum, ignauis verò Malauarense. Cortex est medius arboris oleæ similis, foliis ac fructu penè lauri, sed flore candido. Est autem quod optimum est, seu cassia Mescilitæ, cortice flauo, odore acuto, & iucundo sapore, acri, & subdulci, astringentique modicè, & est leuis. At cinamomum Galeni geniculatum erat, id est, frequentibus nodis distinctum, ex virgulto (non arbore) simili helleboro, quod vires suas triginta annis seruabat, cùm alij frustrà ob tantas vires crederent esse incorruptibile vt ille ait, odorémque inexplicabilem bonum effundere, & calidum quidem gustantibus videri: veruntamen non ita mordere, vt palato tristitiam afferat. Ergo aliud prorsus fuit cinamomum antiquorum quàm hoc, & longè etiam ab eo differens: nec mirum sit amissam plantam, cùm & laser, & balsamum amiserimus, & moschum, & Zibethum, & ambram ignora antiquis habeamus. Nostrum igitur cinamomum calidum est & siccum in tertio ordine, incidit, digerit, astringentis facultatis non omninò expers, & bibitum cum aqua, & vino singularem habet vim ad pulmonis, & pectoris vulnera, vlceráque: confert etiam proliciendis mensibus. Hæc est cassia Galeni, quam aliquando fistulam à similitudine, quandóque nigram quod nigricet, appellat, & id adieci commodè, quoniam Arabes fistulam cassiam silique genus vocant, quod nunc valde est in vsu, ventrem leniens. Actuarius verò hanc nigræ nomine intelligit, cum Galenus eiusmodi cassiam, quæ aluum lenit, prorsus ignorauerit, sed cinamomo nostro duo hæc epitheta sæpè adiunxit. Garyophyllum verò scribitur à Plinio, per G. à Paulo verò Ægineta per C. in reliquis concordant, nam vtroque Y & ph per l geminatum scribitur: aliudque Plinius intellexisse quàm Paulus videtur, cuius verba sunt hæc. Caryophyllon, quasi dicas nuci folium non eam habet substantiam, quæ nomine prætenditur, sed ex India veluti flores cuiusdam arboris festucacei, & nigri sunt, longitudine ferè digitali, odorati, acres, subamari, calidi & sicci in tertio propemodum ordine, qui multiplicis vsus sunt, tum ad obsonia, tum ad alia multa medicamenta. At Plinij Garyophyllon rotundum, & maius pipere describitur, odore solùm commendatum, cum Græcorum seu Pauli sit, claui, exigui, forma longitudine digiti transuersi, parùm crassus acu superiore capitulo, denticulis quatuor in aduersum exertis, & sese stellatim decussantibus, pro minulo apice quadrati alueoli, sinu prædio vmbilicatim prodeunte, liquet duo describi genera, quorum quod Græcum est vtilius, & medicinæ, & cibis gratius, & odoratius, & contusum quidem odoratissimum est, & in vsu Myropolarum, atque id etiam duarum specierum tenue, & paruum, quod longè odoratius est, & in pretio, aliud crassius, atque tantò hebetius, idemque longius ex Molucchis insulis deferri certum est, & Zeilam, locisque propinquis, sed admodum paucis. Planta lauri magnitudine, & foliis, sed angustiorib. flore copiosa primum candido, deinde virescente, postremum rufo, qui induratus efficit: garyophyllum prouenit in extremis ramulis more myrti: est autem ramosa arbor, cuius flos adeò dum viret, odoratus est, vt nihil magis crassiores sunt qui non decidunt, flagellati sub planta ipsa, nulla herba oritur, pediculi ex quibus pendent, sunt garyophylli ignobiles, & magni, redolent & folia, sed non adeò vt flores, propagatur ex floribus vetustis sponte decidentibus: octonis annis adolescit, durat in centesimum arbor, rotundum illud quod Plinius agnouit, collectio est florum antequam prodeant, atque in melius est. Aliquando etiam fructus est arboris quæ in Insula D. Laurentij oriri consueuit, magnitudine auellanæ, odorati cuius potaminibus vtuntur pro garyophyllis veris, cùm sint infirmiores, namque forma verorum eiusmodi est, vires eximiæ sunt in confirmando os ventriculi, & cor, ac cerebrum, si frigida intemperie laborent: est autem medicina

Cinamomum nostrum non esse antiquorum cinamomum.

Primo de Antid. cap. 13.

Vires nostri cinamomi.

Garyophillum. Lib. 12. c. 7. Lib. 7. c. 3. littera C.

Duæ Garyophyllorum species.

medicina potiùsquàm cibus, neque enim in cibum admittitur ex nigris quod sciam, præter hoc ipsum est piper, quæ medicamenta potius sunt, quàm cibi, singulare hoc ipsius est vt coctum in vino sistat men-

Vires.



ses,& si ebibatur calidum, ventriculum mirum in modum laxatum, & non concoquentem iuuat, cibo verò iucunditatem non paruam ex odore elicit: verùm exsiccat immoderatè, & calefacit iecur, sparsum autem super caput, & maximè ex aceto conditum sistit destillationes, atque omnibus visceribus ab humorum frigiditate tentatis subuenit, oculorum caliginem demit,& ante omnia oris halitum egregiè commendat, Venerique sopitæ succorum frigiditate stimulos addit.

CAPVT LXXXI.

De Piperis generibus.

Piperis genera quæ. *Vires.*

Piperis genera sunt quinque, è quibus tria tantùm nota sunt, longum, siliquastrum seu croceum, & nigrum: Ignota sunt pediculatum, & album, sed album olim fuit cognitum, non autem pediculatum, omnia genera calefaciunt,siccant, & acria sunt omnia etiam genera croceo excepto sunt astringentia,& ventriculo conferunt præter croceum, quod in rubris siliquis nascitur, delatum ex Hispaniola insula Indiæ occidentalis: omnia enim genera ex arboribus suis hoc excepto nascuntur. Album & nigrum eiusdem sunt plantæ, cætera diuersis nascuntur ex plantis. Candidum enim est quod sole non torretur, atque ideò humidius inter omnia piperis genera. Et nunc inter grana nigri seliguntur grana albi. Pediculatum seu caudatum in Orientalis Indiæ regione maritima Bonin regno, quod est positum circa Insulam Sancti Thomæ nascitur, acrius sexcuplo reliquo pipere, seu nigro: figuram habet cubebarum, & cum sit acerrimum gustu,ideo etiam calidissimum ac siccissimum, hoc sequitur siliquastrum, post nigrum, inde album, vltimo longum. Vidimus & Diepæ piperis genus quoddam ex India allatum, muccosum, & pingue valdè, in vaginulis contentum, quæ nigræ erant: cum ipsum piper, colore esset ferrugineo, & maius nostro, quod ex Oriente defertur.Itaque cùm plurimum habeat humidi concocti,gratius est ventriculo, iecorique: & maximè quod saporis sit mitioris,& longo piperi simile. Piper cócoctionem adiuuat succorum frigiditate, atque humiditate impeditam, quare dum volumus aut ventriculum, aut primas venas, aut partes circumiectas calefacere, debet crassiusculè contundi, sicque deuorari, vt diutiùs ob crassitiem tardet, meliusque actionem suam edat. Sin verò habitus totius corporis conciliandus sit, tunc minutissimè contundi debet, vt celerius per vniuersum corpus deferri possit. Et tandem omnes viscerum frigidas intemperies corrigit, cruditates auffert, vrinam prouocat, Venerem stimulat, ventris dolores lenit, flatulentiam reprimit, abstergit, soluit, atque discutit, perquam igitur commodè in multos condiendi vsus venit.

Nota.

CAPVT LXXXII.

De Croco, zinzibere.

Croci vires.

Crocus calidus est in secundo ordine, siccus in primo, astrictoriæ facultatis particeps odoratus,quocirca ventriculo vtilis, & concoctioni, discutit,& putredini resistit, vtilis cordi, Coryrium celebrabatur saltem sit orientialis, probatur maximè flauus, fulgens, redolens, & qui diutissimè seruat odorem, ideò emi & seruari debet in sacculo strictè ligatum exigua portione aëri exposita ad experimentum, concoquit etiam collectiones, & dolores leuat. Præcellit myrrham astrictione, & in discutiendo thus. Eius odor Galeno capitis dolorem inducebat, nos nunquam capite doluimus, vel minimum etiam per febres continuas vexati: ob id pronunciauit illum caput lædere, & mentem turbare,quod verum non est,nisi corpus immundum sit,si tum largius sumatur. Confert iecoris inflammationibus, & vesicæ ac vteri vlceribus,somnum conciliat, & lætitiam plurimùm auget,cùm in grauissimo dolore filij bibissem scrop. I. cum vino somniaui memori, & sensi exhalari ex corde calorem, quasi animam, & in posterum quieuit tristitia magna ex parte, adeò vt sim maximè alleuiatus hoc auxilio,tùm verò expertus sum. Conseruat humores in statu suo, nisi quod putredinem amouet, & seruat omnia membra naturalia, & est mansuetissimus ventriculo, & ideò etiam bonum colorem efficit. Confert plurimum pectori, & pulmoni, & facilem efficit spirationem.Et ego curaui laborantes ad mortem vsu eius paulatim, cùm à funere reuocauerim, sed quantitas fuit incredibilis: tollit etiam acidos ructus, & ideo obstat generationi melancholiæ,aufertque superfluum cibi appetitum,excitat Venerem,prouocat vrinam,scyrrhos interiores mollit,vlcera quoque maligna curat, adiuuatque partum. Et est cibus vitæ vbi sis securus ab attonito morbo, & vertigine, ideo debet misceri rutæ. Gingiber seu zinziber calidum est in tertio: dumque viret, parum siccat, siccum peruenit ad siccitatis ordinem secundum, cum ficubus sumptum, præsertim siccis,iecur, & lienem ab obstructionibus liberat,attenuat crassa,dissecat lenta,extenuat scyrrhos,& emollit, cum pipere albo & aceto miscetur medicamento ex cydoniis, & melle ad appetitum cibi excitandum,

Primo de Antid. cap. 14. *2. De Compos. Med. secundù locos cap. 1. sect. 9.* *Nota.*

Zinziberis vires.

dum,& est singulare. Confert etiam plurimum coctioni, atque hæc ex secundo de Alimentis, resoluit flatum, & Venerem excitat. Estque radix quæ ex Æthiopia defertur, quæ humiditate excrementitia non caret, eius proinde caliditatem diu manifestam profert, retinetque. Hodie ad nos importatur zinziber recens saccharo conditum, quod virens appellant officinæ, quod & ad antidota additur, de quo aliàs sermonem habuimus optimum est in quo amaritudo nulla percipitur.

CAPVT LXXXIII.

De Nuce moschata, & Macere.

Nux myristica qua.

NVx myristica solida medulla est, sed dura, odorata, & pinguis, cuius oleum dum exprimitur, inunctum plurimum confert ventriculo. probatur ponderosa, eiusque cortex ei adhærens macis dicitur, & ipse odoratus ac magis, quàm nux eius, circundat cortex alius durior & continuus, non valdè crassus velut nucis Ponticæ, & ipsæ odoratus, tam nucem quàm macim qui sub hora maturitatis aperitur,& decidit, ideoque alterius generis est quàm Pontica, tum maximè quod arbos eius Persici nostri non sit absimilis, quanquam illa procerior, ac breuioribus foliis sit. Vbi magis etiam maturuerit, cadit & macis. Calida sunt ambo in initio secundi ordinis, sed macis est etiam magis siccus, quàm calidus,& tenuis substantiæ: nux autem crassa & minus sicca quàm calida, & astrictoriæ facultatis particeps sunt ambo, sed macis in initio: nux autem diutius & in fine, oritur in Banda Indiæ insula, ignotaque Galeno: & macis est terreus, & est similis rosæ, & minus calefacit nuce. Et ambo confirmant omnia membra naturalia, & caput,& ideo etiam os ventriculi, & prouocant vrinam, sed macis magis, & conferunt vtero, & dysenteriæ, & visui. Et macis aliud est à macere Græcorum. In ore contenta solent conferre vertiginem, & his qui animo delinquunt. Et easdem fermè facultates habet, quas garyophyllon, ad condimentaque non inutilis, & matrici valdè amica.

Vires.

CAPVT LXXXIV.

De Potu.

Præcipui potus sunt aqua & vinum.

PEracta iam ciborum omnium (pro vt à nobis institutum fuit) tractatione, reliquum est vt de potu differamus, quem non minus cibo homini necessarium esse, à nobis superiùs satis indicatum est, atque in eo vt in cibis quoque modus constituendus est. Potuum ergo præcipui sunt aqua, & vinum: maior quoque contingit error in potu quàm in cibo, quod plus in eo peccemus, nullo enim labore potus transmittitur, neque omnium est eadem ratio, plurimum refert temperamenti, ætatis, consuetudinisque varietas. Proprium vini est adiuuare coctionem, & excrementa per vrinas, sudoresque subducere. Verum iuuenes priore auxilio non indigent. Vinum autem nigrum cum vrinas non subducat, senibus parum vtile est, iuuenibus prorsus inutile est, ob id meritò dicebat Dioscorides, vinum album tam sanis quàm ægris esse vtilius. Vini ergo nigri seu rubri, nam hoc sub illo comprehenditur, nullus erit vsus. Reliquorum duplex genus album, & flauum. Album proprium, neque dulce, neque calidum, flauum calidissimum. Porrò aqua omnium animalium naturalis potus est, neque calefacit, neque refrigerat, neque ducit vrinas, nec prouocat sudores, multò minus sistit. Verum inter aquas maximum discrimen. Aqua vtilior est ventriculo quæ bona est, quàm vinum, à simili enim vnumquodque alitur, ac confirmatur: ventriculi temperamentum frigidius est aqua, quanto magis vino. Quocirca pueris, & adolescentibus vini vsus noxius est. Quid enim habet quod educat fuliginis in ea ætate, aut quid opus est ad confirmandum robur? labores, calor innatus abundè sufficiunt. Iuuenibus paucum album vinum multa aqua dilutum optimum est, calorem ipsum superfluum extinguit, humectat, ventriculo commodius: satis est ad educendum excrementa, nulla mala consuetudo inducitur, sed vt in iuuenibus vinum accendit bilem, & febres, ita in senibus apoplexiam, & paralesim, & stuporem, & tremorem, & calculos excitare solet. Octo sunt excrementa quæ in corpore nostro generaliter procreantur, fæces, pituita, humor crudus, melancholia, bilis atra, flaua, humor serosus,& putridus. A putrido quidem humore febres fiunt, à seroso hydrops, à crudo podagra, à fæcibus, & humore crudo coli dolores, ab vtraque melancholia insaniam, à pituita tremor membrorum & resolutio. At rogo cui horum magis competit vinum, aut potens, aut multum, aut syncerum. Atra bilis exuritur, melancholia magis acescit, vtraque fertur à vino ad caput, & insaniam gignit. Multum vinum aut potens exurit iecur, quo malo nihil est dirius, quod enim semel vstum est, nunquã magis restituitur quàm caro, quàm panis, quàm ligna. Humores crudos deducit in intima,& ex his etiam lapides generat, seu in vesica seu in renibus: Iam si vinum potens bibas, aut multum, si non metetur, vrit ventriculum, & iecur, si mutetur, aut cerebrum petit, & furorem gignit, atque incontinentiam, aut patitur & acescit, debilitatque non solùm ventriculum, sed & iecur. At fæces aqua magis mollinntur, quàm vino, pituitam deducit ad neruos, & ex ventriculo ad cerebrum, vnde ex confesso conuulsionibus nihil nocentius: bilem flauam exacuit,& morbum regium excitat: sed si educere opus sit, quid non facit vinum dilutum, & modicum, si vino vtaris plurimo, aut potenti, contingatque languescere ventriculum, quo illum auxilio restitues? si febris incidat quid dabis, aquam non concoquet: vinum, nonne illum interficies, eoque celerius si phlegmone laborauerit, aut pestilens sit febris? Quod inde incommoda sequuntur: vini vsum quod

Vinum iuuenibus inutile.

Aqua naturalis potus.

Vinum cur pueris inutile.

Vinum qua mala pariat.

Humores quos pariant affectus.

Nota. habes, relinquis, finitur, acescit, turbatur, odorem mucidum contrahit, vappa fit, tempori anni non cōgruit, siquidem & hoc malū accedit, vt cum temporibus vina mutanda sint. Deniq; si ægrotus: mutandū est: vbi mutandū est periculū præsens morbi imminet. Vnde Epidaurij hac sola necessitate magnum detrimentum accipiunt. Vinum infantes occidit, pueros impudentes facit, adolescentes petulantes, iuuenibus habitum bonum corrumpit, senes reddit deliros. Quis vino deditus bonum finem habuit? Antonius Philippus Rex Macedoniæ, Alexander, Catonem obiicies, qua parte solum vituperatur. Quid dicam de Tiberio, Claudio, Commodo, cæterisque monstris? His conferas Cæsarem qui continentiæ, & sobrietatis fuit, quem interdiu bibisse haud temerè authores percelebres tradunt. Et si premeretur siti, proportione sumebat perfusum aqua panem, aut cucumeris fructum, aut lactucæ tyrsum, aut recens, aridúmve pomum succi vinosioris. Si tandem bono alicui fuisset vinum, natura non commisisset tantùm facinus, vt aquam vini viribus non imbuisset. Vinum non vitupero, non excludo, sed ita ago, vt mihi plus debeat Bacchus, quàm ebriis, nam in illis vituperatur, propter me nunquam non nisi benè audiet. Prima ergo ratio à iuuenta est vini exigui vsus, cum multa aqua, sed leuis, corpora enim maiora & firmiora, ac dentiora redduntur, valetudo integra, robur maius, mens vegetior. Post vsum leuis admittitur flauum, sed paucius, atque dilutius. Tertio loco est vinum modicum, leue, syncerum, ac eò vsque nihil incommodi timendum est, quæ sequuntur vitio non carent, sed alia maiore, alia minore. Minimè peccant adeò vt etiam laudentur qui meracum, & potens vinum parcè bibunt, inter quos Hippocrates illud eis conuenire affirmet, qui generationi filiorum operam daturi sunt. Ego verò an Hippocratis sit liber ille addubito: sed vt modo sit, alia ad finem vnum laudantur, quæ secùs vituperatione digna sunt, sicut lac in tabidis, & his à quibus copia sanguinis effluxit. Post vini flaui potentis meri, sed pauci vsum est aqua pura, sed optima. Ita vides me non vituperare vinum, qui aquæ puræ vsum etiam optimæ quinto loco reponam, sexto loco est vini leuis, sed multi, ac synceri copia, quandoquidem nec diluti probauerim: sed hoc interest, quod vinum album dilutum multum, deterius est quàm pauci, non tamen è malorum genere est, vt in calefactis aut consuetis, multum verò vinum leue malum est, tam in consuetis, quàm non consuetis. Deterius autem est in consuetis omne malum, quod maiore damno mutari necesse fit: minus tamen afficit, quod consuetum est, quàm quod non est consuetum, sicut quæ non consueta sunt, minus multò afficiunt, quàm quæ sunt contra consuetudinem. Consuetudinem frangere dicimus cum aduersus longum vsum agimus: id siue bonum, siue malum semper cum magno periculo fit: sed ad insueta transire non est adeò difficile, neque periculosum: propterea vinum album, leue etiam, multum tamen & syncerum morbum procreat contra consuetudinem sumptum: præter consuetudinem autem etiam non parum nocet. Neque me latet aquam bonam sumptam vini loco, & in calido aëre omnium esse primam, quod ad longitudinem vitæ attinet, & salubritatem, ac robur virium, & sensuum, cerebrum enim à quouis vino, & quantocunque læditur, maximè si à potu contingat hominem, quouis modo moueri, aut exercere se. At in his qui studiosi sunt, cùm non vacent exercitationi, ventriculus tùm propter id, tum propter studia imbecillior ad coctiones redditur: nec excernuntur, excrementa, quare studiosis omnius, vini aliquid albi, aut flaui bene diluti, dare cōuenit, ad coctionē primam seruandam, & educenda excrementa: succedit copia vini flaui, melior quàm aquæ malæ, & quàm nigri vini. Inter vinum autem multum nigrum, aut rubrum, & aquam malam multam, hoc interest, quod aqua si valdè mala sit, vino huiusmodi etiam deterior est: sin autem non valdè mala, tunc iuuenibus melior est, senibus deteriot, vt contra aqua in senibus deterior est quàm in iuuenibus: sed de his hactenus. De singulorum nunc bonitate, ac vitio nunc agamus: illud primum tamen velim scias, vbi corpus agitandum sit, vinum esse deterius, quod & petat caput, & acescat in ventriculo, quæ duo mala sunt, sed omnium pessima.

Laus Cæsaris. — *Vini vsus qualis.* — *Consuetudinem frangere.* — *Nota.*

CAPVT LXXXV.

De Aqua.

Aquarum optimæ sunt, quæ à cœlo descendunt, & maximè cum tonitru, & fulgure: quæque fontanæ sunt, velut Mutinæ è profundo terræ scaturientes, nam quæ ex montibus deteriores sunt, & crudæ: Et quæ ex cisternis colliguntur è fluminibus deteriores sunt, saltem in nostris regionibus, quod neque à calore terræ cùm sint in superficie, neque solis ob frigiditatem aëris concoqui possunt. In Ægypto autem Nili aquā ferunt esse optimam, tum alibi. Omnes aquæ fluminum nisi resideant, calculum generant, quia cœnosæ sunt, aut lutulentæ, vel arenosæ. Quæ autem velociter currunt, præter id etiam crudæ sunt, quia omninò expertes sunt actionis solis. Quæ lacuum sunt, & stagnorum, & paludosæ, etiam lethiferæ sunt, & morbos longos, & malum habitum generant, sed de his hactenus, nisi quod omnis aqua eiusmodi destillata corrigitur. Et cocta melior redditur. At trium primarum, quæ solæ bonæ sunt, optimæ sunt in regionibus calidis & siccis, & orientalibus: pessimæ quæ in contrariis locis, sed quæ è cœlo descendit, impura est, & aliquando breui putrescit, quæ coquitur, optima efficitur. Quæ autem è cisterna melior est generaliter, quàm fontana, vel è pluuia, optima tamen è cœlo ac defæcata, vel ex optimo fonte, cisterna melior est, & longè præcipuè in regionibus calidis: signa optimarum aquarum est hominum longa vita, fœcunditas, color

Aquarū quæ meliores. — *Aqua fluminū generant calculos.*

color viuidus, robur, dentes firmi, rara podagra, & calculus, atque hydrops, vel morbus regius. Quæ autem ab essentia illius sumuntur, quod sit expers saporis, odoris, pura, & valdè clara, ponderis, paruum est discrimẽ, inter optimã ac pessimã sed pota cito descendit ex hypochondriis: superficiem illius inspice, nihil vdum habet, aut pingue, vel turbidum, aut nubilosum. Effusa stridet, & epota palatum non astringit, legumina in ea breui coquuntur, breui calescit, & breui refrigeratur: alueus purus, & è lapillis, aut sabulo, non creta, non cœnum, aut lutum, lapidesve. Quadrupedum iecora rubra, pura, pinguedo alba, renes absque lapillis: saporis si inficiatur, statim vertitur in spumam. Animal nullum præter pisces, eosque argenteos gignit, & capriculas quæ aquæ supernatant. In ripa herbæ virent si sit fons, hæque è genere graminis, aut etiam benè odoratæ: sed vna est optima aqua, bonarum autem multæ differentiæ his modis, nam primum alterius est saporis, odoris, ac virium, Igitur aliquo modo mutatur, & si in ea extinguatur plumbum, multò deterior est pura, & efficit difficultatem spirandi, & vrinæ, & malum habitum, ænea aliud. De Chalcantho, ærugine, stibio, alumine, sale, & similibus, & auripygmento, quæ interficit: ergo aliqua etiam iuuat. Dubium est de auro, & argento, sed verisimile est, nisi concedamus idem esse æternum, & nouũ, & quod omnia debeant conuerti in aurum, velut de Mida, quod aliquid depereat: igitur vires aliquas recipiet. Debet ergo sæpiùs extingui in ea aurum, efficacior ab argento, inde percolari. De substantiæ mutatione intelligendo densum, & tenue itidem liquet. Et similiter de vaporibus: ita tamen ne fallamur, scientes eos esse aquam veram, non autem aërem. Dubium maius est, an recipiat impressionem cum delabatur, & in vapores vertatur, quo circa in medio, quasi itinere feruefacta tenuior erit, leuior ac calidior, habet & aliud commodum, quod attenuata substantia, quæ in ea sunt, subsident, vnde purior multò redditur: quæ igitur externa sunt in aqua cocta, & multò magis destillata bifariam abeunt, alia quidem tenuia euaporant, alia crassa subsident, ita vtroque modo expurgatur aqua ab igne, nec periculum est vt vlteriore caliditate transiens in vapores impura reddatur, cùm non tunc sint aliena qualitate infecti aquei vapores, sed simplices, non vt hi qui abierunt, Ergo ad hæc plurimum conducet percolatio, de aqua ab Hippocrate dictum est, in cocta longè vtilior: in omni autem necessaria. Quærat autem quis forsan, quare aquæ vsus adeò sit vtilis, & exosus? Tria sunt in causa: nam exosus est, quoniam quod in acutorum vsu de ea dixit Hippocrates, ad sanorum viuendi rationem perperam traduxerunt. Et quod regio nostra aquas bonas ob frigiditatem non admittit: neque in Thaseo, neque in Abderi, nec Larissa, aut Cranone, quæ omnes vrbes sunt partim in Thessalia, partim Thracia, aut Arcadia, bonæ erant aquæ, quoniam loca montuosa sunt, nec præparabãt aquam, vt diximus, velut vtendo pluuia. Ob hæc igitur aqua iniustè damnatur. Cæterùm aqua longè vtilior est vino, nisi vsus obstet potentium vinorum, vt hi quomodocunque cedat res in discrimine sint, seu consuetudinem abrogent, seu in ea perseuerare decreuerint: atque ob id propter quod ab Hippocrate damnata est maximè vtilis, facit enim hærere cibum in præcordiis, & humores crudos, qui si frigidi sunt, & humidi concoquuntur, & in alimentum transeunt, declaratum enim est, quod ab humoribus coctis nulla noxa, nullusque morbus creari potest. Sin autem calidi & succi, vel etiam frigidi & sicci præparantur ibidem, & inde expelluntur per sudores, vrinas, scabiem, aluum: nam neque hi generare possunt (cùm iam subacti fuerint) neque podagras, neque lapillos, neque hydropes, nec laterales morbos non febres aut phrenitidem. At vinum dum in vapores soluit humores, dum penetrare eos cogit in venas, omnium malorum causa est: præsertim inflammationum, insaniæ, delirij, febrium. Quamvis ergo aqua cruditate augeat, & magis cruditatem intendat quàm vinum, neque tamen multitudinem illorum adauget, neque prauitatem. Non enim tantum obesse possunt cum loco, in quo concoquuntur, nec nocere possunt, detineantur: contrà à vino eò penetrant, vbi ob caloris inopiam non possunt coqui, & plurimum obsunt, atque hoc clarum. At neque multitudine angentur, quoniam singulis circuitibus mutant formam, atque ita in alimentum transeunt, aut paulatim expelluntur, & non augentur. Contra illi à vino, nec possunt expelli, nec nutriunt, sed collecti simul graues generant morbos, & per se lethales. Non oportet tamen cibos edere graues, & duros, & frigidos: quanquam & in hoc vinum plus noceat, nisi quod noxa obscurior est: neque enim ita vomunt illos, aut leuitate intestinorum, aut diarrhæa corripiuntur à vino, sicut aqua. Sed postmodum incidunt in dysenterias, dyarrhæarum loco, ex quibus plerique intereunt. Itaque ratione ego vsus sum aqua in mane: vel quod post minus malum vino valdè tenui, valde diluto albo, vt ad vrinam cruda transirent, quæ tamdiu seruari nequibant, donec concoquerentur. In vniuersum si quid vrgeat potus aquæ & bonæ, & non multæ cum cibis bonis, & benè coctis, quique pauciores sint, velut si semel tantum cibo in die vtaris, plurimùm iuuant ad sistendos morbos, & maximè qui ex fluxione consistunt. Præcipuè autem cum corpus pro inædia etiam exercueris: nam vbi fames laborandum non est. Et ventriculi, ac somni rationem habueris. Aliam quandam rationem adducunt quidam dicentes, quod vinum cogit cibum in ventriculo, aqua dissoluit, idque apparere experimento in his, quæ in vtroque elixantur, huiusque benè, quamvis non addant rationem, sed quod aiunt, vinum cogere multum cibum, moderatum autem concoquere, huius non reddunt rationem, neque an sit verum quod proponitur, constat: & habet magnam dubitationem. Dicemus ergo verisimiliora, suntque quod in modi-

Optimarum aquarum signa.

Percolatio vtilis.

Vini potio omnium malorũ causa.

Nota.

co, & leui cibo cum concoquatur, non apparet noxa illius: si ergo gratum sit, videtur meliùs se habere, sin minùs non offendit, vt pœniteat: cogit tamen semper, quia igneum est, & adimit partes tenuiores cibi; ipsum enim aut concrescit, velut dum è musto sapa fit, vel si vetustius in aceti naturam transit. Vnde multis inacescit: ob id ergo astringit, acetum enim id facere sua natura potest: vtroque igitur modo cogit quod incoquitur, nec ingreditur partes carnis, aut piscis qui incoquitur adeò vt aqua quamvis illa tenuius sit, dum cogit, indurat, tametsi parum aceti, sed multæ aquæ admisti ingrediatur, & ad celeriorem in lebete coctionem faciat.

CAPVT LXXXVI.

De Vino, ac eius differentiis.

Vinum cur ventriculo amicum censeatur.

VInum ventriculo amicum ob id plerique existimarunt, quod aqua illi primum sit inutilis, deinde quod eo vires non parum foueantur: nam ab assumpto vino hilares, & robusti redduntur viri, & qui labore defessi sunt reparant animos, & ad labores promptè redeunt. Sunt etiam in illo sapores ventriculo vtiles, astringens, austerusque tum odor iucundus, quem omnibus nostri corporis principalioribus partibus vtilem esse constat. Grauior etiam potus melior est, & concoctiones magis iuuat, suaque caliditate, intemperiem frigidam, & cruditates ventriculo familiares emendat, sed tamen non sic se res habet, sed velut immoderata quæcunque vtiliora videntur, breui tempore in successu satiant, ostenduntque ita vsus vini potentis hæc omnia habet, quæ diximus, longorum vsu ventriculum eneruat, ac ex toto destruitur longè illi aqua etiam cruda deterior existens. Primum quod iecur ex calefaciendo cogit cibum crudum trahere, & ipsum inflammando sitim exacuit, & obstructiones parat: deinde quod crudos humores, qui in ventriculo sunt celerius quàm oporteat, faciat penetrare. Quodque omnium est pessimum, cum ventriculus natura frigidus sit, ab his confirmatur, quæ nutriendo, similia sunt, velut aqua à contrariis substantia illius extenuatur. Vnde qui potenti iuuentur vino, omnes breui, nisi præpinguem habeant ventriculum, tabescunt. Accedit incommodum non leue, quod si quando deficiant similia vina, ventriculus illis assuetus ex toto euertitur. Pessimus igitur potentium vinorum vsus, optimus eadem ratione aquæ, si ab initio ipse assuetus illi statim fuerit, parentibusque sit ortus, qui aqua longo tempore vsi sint. Alioquin vina candida, & austera omnium videntur esse præstantissima. Quod si quia potentibus vinis iuuari videntur, hoc non ob aliud contingit, nisi vel ob consuetudinem quæ cum antiqua fuerit, etiamsi mala sit, obseruanda est, vel quia humor crudus ad venas promptius digeritur, malumque cum fœnore commutatur, non extinguitur: vel quia frigida & humida intemperies ventriculum obtinet: sed ad eam efficaciora ex piperibus, & alleis sunt auxilia: vini enim impressio, ac vis non videtur vtilis, nisi cum ventriculus nauseabundus alia auersatur, hoc vnum amplectitur. Inter vina autem alba, & fulua præcipua sunt, rubra plerumque astringunt, ob id ventriculo commodiora, sed hoc illis falsò asscriptum, nisi quantum attinet ad longam consuetudinem: neque enim tam sunt laudabilia natura sua, quàm necessaria quibusdam ob longum vsum, vt relicta noceant, non prosint si eis vtamur. Differentiæ ergo omnes, à sapore, à claritate, tenuitateque seu crassitie, & obscuritate, ab imbecillitate, & robore, à tempore atque loco. Color nihil facit, neque prodest, neque obest, sed indicat de rei natura. Gustus indicat de vini saporibus, dulci, amaro, austero, acerbo, astringente, insipido, & vinoso, reliqui non sunt vino naturales, acidus pinguis, & salsus. Amarus duplex est à natura, quem plurimi putant esse salutarem, ego non habeo quod dicam, cùm rationem afferant, sed si ætate amarescat, vt iuxta vindemiam prorsus malum est: neque enim in vino fit amaritudo, nisi ob putredinem: nam ob caliditatem velut mel non amarescit, sed acescit. Amarum igitur vinum ætate malum est, inimicum iecori, & magis ventriculo cùm non habeat in eo quod aperiendo mutet in melius, sed huiusmodi mutatione haud indigemus. Dulcia vina omnia crassa sunt, ideò duplici ratione obstruunt, generant etiam bilem, ob id noxia præterquam pituitosis, & melancholicis, latas habentibus venas, & his qui crasso humore & lento in pulmone laborant. Ex his quæ crassa sunt, aluum magis mouent, & impinguant, quæ autem tenuia, vrinas ciunt. Galenus mirum in modum loca distinxit, vt οἰνόδοφος potius, quàm medicum repræsentauerit. Quare mihi cùm non eadem cura fuerit, nec doctrina hæc consistat, de his tantum agam, quæ sempiterna ratione distinguuntur, velut vina Græca, non quia Græca, sed quia è calida regione locis aspersis oriuntur, potentiaque sunt & amara, piccata etiam aperiunt obstructiones, pituitam & humores crassos dissoluuntur, flatusque discutiunt, nec solùm hæc, sed quæcunque eiusmodi erunt in perpetuum. Et tamen solis senibus, & his qui multò vtuntur cibo, & pauco exercitio, commoda sunt, reliquis non ita nisi longa, & praua consuetudine firmatis. Mombasium autem è Creta flauum, potens, odoratum, iucundum gustu, appetitum recreat, concoctionem à frigiditate læsam iuuat, exhilaratque hominem. Amabile Ianuæ natum, ex vua fit in collibus vt aiunt Mombasio potentius; Græco suauius, ventriculo amicum magis est Mombasio, Græcoque. Vinaciola iuxta Benacum optima fit, omnibus suauissima, & clarissima substantia, sed omnibus infirmior est vinis, quæ recensuimus, exhilarat hominem, nec adeò exurit iecur, sed neque humores frigidos adeò attenuat. Trebianum à flumine dictum, eiusdem nominis Florentinis peculiare, dulcius vinaciola,

Incommoda vsus vini.

Vinum quibus iuuet.

Vini differentiæ à quibus desumantur.

Cur vina dulcia obstruant.

Vina Græca vnde. Cretici vini.

Mombasij vini.

Vinaciola.

Trebianum.

vinaciola, sed non adeò vinosum, neque corpori tam vtile est, nec tam iucundum gustu. Denique vina ex vuis natis in montibus potentiora sunt, calidiora, & tenuiora, contra natis humili loco, aut frigido, aut aquoso. Refert plurimum quomodo conficiantur, nam vina alba ex vuis nigris non compressis extracta, qualia fieri in Patauino agro, potentiora sunt admodum, & cruda, ob id visceribus omnibus, & capiti inimicissima: mentiuntur enim vionaciolam gustu, sed viribus plurimum distant ab illa. Quæ autem ex vuis non recentibus fiunt, sed tamen sanis vt Bononiæ, iucunda gustui, ac dulcia, & clara, diutiùs quoque seruant dulcedinem, magis acescunt quàm perturbentur, vt contra quæ è marcidis, in cumulos dispositis, velut Mediolani frequentiùs perturbantur, quàm acescant. Hæc igitur mansueta sunt, & facilius corrupta in ventriculo febres gignunt, vt reliqua, cæcitates, & surditates. Lora qualis apud Mutinenses commoda capiti, suauis, sed facilè putrescit, ventriculo haud commoda. At quæ cum vino veteri iuncta est quibusdam grata, mihi sanè nulla ratione commendari potest: præsertim si ex veteri vino, vt plerumque solet, corrupto fiat: Inimica ventriculo, iecori, & quod optimum est in omni vino vt Melancholiam edulcoret, non habet: est enim ipsum amarum omne autem vinum etiam natura amarum, tantùm officit ventriculo, quantùm vtile est iecori, sed renibus tamen purgandis optimum, hoc tamen etiam renibus inutile est. Sed iam de vinis, quasi ex integro repetentes historiam specialiter agamus. Præcipua sunt Græca, & Italica. Græcorum quatuor genera. Maronium potentia seu robore eminens, cuius meminit Homerus, in Thraciæ maritima parte genitum, quod vigintuplum aquæ admittit, octuplo sanè soli admisto etiam ebriosis satisfacit. Suauitate autem Aristeum nomine ipso clarum, quale fuerit coniectura discere licet, cuius comparatione sordebat, quod nunc primum habetur Prannium. Hoc in Smyrna nascitur. Athenæus in Icaro insula, in monte magno iuxta saxum Prannium appellatum. Nostrum palàm est ex Creta aduehi, & abundare ibi. Quartum Mendæum de quo Athenæus:

Mendæum mingunt cælestia regna tenentes.
Mollibus in stratis.

His quatuor Italica è regione respondent Maronio phalernum: est enim potentissimum Aristæo, Albanum suauitate summa Prannio quasi medio, quod Setinum vocabatur, erat enim celeberrimum, demum Surrentinum minus famosum, & ipsum ignobilius Mendæo, seruabantur in centum annos, sed & aliquando in ducentos: sed hoc minus refert, illud potiùs quæramus, cur aliud crassescat in mellis modum. De Græcis Plinij verba sentire videntur, cum Italicis, & tempus, & crassities certè conueniat, forsan & illis, vel conditura ratione: quod ego vidi seruatum in montibus per xxx. annos tenuissimum erat, & ardenti aquæ simile: causa est calor vehemens, hic enim separat, proprius magis miscet, & conseruat, vnde crassiora redduntur. Potentiora ergo, & quæ magis mixta sunt, talia redduntur infirmiora, & tenuiora, destillantur ipsa vetustate, perinde ac ignibus. Tria sunt in vino, odor ille iucundus velut in prannio Cretensi, & vinaciola, & sapor vinosus, qui communis est fructuum succis plerisque, vt aliàs dictum est. Ergo sapor ille licet ventriculo gratus, nihil habet præcipuum, cum tamen pronus etiam sit, vt vertatur in acetum, & in ventriculo imbecilli, & calido, vt plurimum illi noceat, neque ab ore illius arceat humores prauos. Calor autem odoris suauitatem sequitur, vnde conuersa ratione calida, & potentia vina existimarunt confirmare ventriculum, cùm nil magis proprium exhauriat calorem, quàm externum, teste Aristotele. Non esse autem vina potentia omnia bene odorata ostendunt Græca nostræ ætatis, maximè insuauia, tum rubra omnia, ac nigra, suauem spirant odorem, cùm tamen ex his plurima sint potentissima. Porrò duplex est odor, iucundus simpliciter, & cibalis, nam flores iucundè plerique olent, non tamen odor eorum cibis satis conuenit, contra vini quantumcunque suauis solum in potu iucundus est, extra minimè: quo fit vt qui ructant etiam prannium, seu creticum, aut vinaciolam, horum odor grauis sit, cum tamen bibenti fuerit suauis, non idem de moscho, rosa, vel garyophyllo. Vinum ergo odoratum non vt vini sapore præstat, neque vt calidum membris principalibus vtilissimum est, cordi primum, inde iecori, cerebro, atque ventriculo. Odor enim ille spiritus confirmat, & astringit membrum, & ad ipsum naturalem colorem reuocat: ob id vtilissima talia vina sunt, non vt calida, tantum enim abest, vt multa aqua diluere sæpè illa oporteat, vel ob febrem, vel ætatem, vel temperiem, vel exercitationem, aut quia homo illis insuetus sit, nihilominus sic tamen os ventriculi præcipuè roborant, vnde concoctionem iuuant, & appetentiam, & cor, atque ita exhilarant hominem, & sudores prouocant: & iecur vnde vrinas, qualis enim vrina iecori, talis sudor cordi, & cerebrum, vnde intelligentiam, & memoriam, & proptitudinem adaugent, & vigilias puras cum sensibus reddunt, ac somnum conciliant, ex his frustrà transeunt ad alia vina non odorata: in quorum vsu nihil vtile, nihil honestum inuenio. Tamen quidam sua oligophora abundè celebrant, ignari mentis veterum, & magis naturæ rerum: cùm nihil illis insit boni præter prauam consuetudinem. Et ideo ebriosis carere illo non solum graue est, sed etiam damnosum. Vinum ergo potens illis tantùm conuenire videtur ob consuetudinem, sed reliquum est vt propositam aliàs dubitationem soluamus, videlicet an vinum optimum sit tenue, subdulce, & rubrum? quod est facilis coctionis admodum, & boni alimenti. Probant alba potiùs vt Dioscorides, & præferunt giluis, & nigris, vt ille vertit,

Vina potentiora quæ.

Lora.

Vinorum Græcorum genera quatuor. Plin. lib. 14 cap. 4 Lib. 1. c. 18. Cap. 26.

Nota.

1. Metheo. c. 2.

Vini odorati vires.

Dubitationis solutio. *Lib. 5. cap. 7. De Attenua. vic cap. 12.* *Cap 40.* *Cap. 11.* *Galenus.* *In 1. & 2. libro.*

tit. Galenus prætulit Ariusium, Phalernum, Leserum, & Tmolite quodcunque horum fuerit medium natura, quoniam sanguinem bonum generent. In tertio de Alimentis rubra, & crassa videtur præponere. In libro de cibis boni, & mali succi videtur probare primam sententiam. Verùm quod de rubris (hæc enim media, si quod medium est optimum esse vult) prætulit. Et ideo dico quod Galenus malè fecit, qui tot & tanta de exercitio, & frictione locutus est: neque ciborum vbi erat proprius locus, neque potuum mentionem fecit, præcipuè de colore. Inde ortum est vt Oribasius illum quasi volens excusare, dixerit, colorem nihil facere ad naturam vini, sed saporem substantiam, & ætatem: odoris etiam parum meminerunt. Ego autem dico quod in Græcia vbi sunt vina tincta à vetustate, & in agro Patauino vbi sunt alba ex modo conficiendi, forsan non multum errant, quod & nos supra intelligere volumus. Verùm in regione nostra vbi vtrunque genus fit, & habetur ex vuis sibi similibus, & eodem modo confectio, licet in vtrisque magna similitudo intercedat, dulcis, austeri, insipidi, amari, atque item potentis, & imbecillis, ac rursus crassi, & tenuis, odorati, & inodoris, tamen dulcedo à dulcedine, & astrictio ab astrictione, & ita de aliis in vinis albis, rubris, ac nigris manifestè diligenter implorant, specie differt. Princeps suo more videns tot difficultates dixit, quod vinum temperatum debet esse album ad rubrum declinans: sed eo omisso, cui in nulla parte minor authoritas, quàm in hac haberi debet. Dico quod vinum debet esse subrubrum, quia in medio extremorum, vt sæpiùs repetit, sed vina alba sunt frigidissima, flaua calidissima, fulua etiam calida valdè in quorum medio colorem rubrum collocat, quod ad caliditatem attinet: igitur talia sunt optima, sed quia maius periculum ab ætate erat in calidis, quàm frigidis, & obstructionis, quàm imbecillis nutritionis, ideo ex rubris laudauit subrubra potiùs, & loco eius declinationis suppofuit, non paucis, neque leuibus rationibus subdulcia. Alia ratio est, quia Galenus fatetur, quod vina fulua sunt calida, & tenuia: illa alba neque sufficiunt, neque vtilia sunt, sed quasi vina non vina, & acutis laborantibus raroque concedenda, ideò intendebat vt rubra exhiberentur. In cæteris debemus obseruare oppositionem, velut in calido, crasso substantia, in regione, tempore anni, & cibis. De quibus partim diximus, sed longiori indigeret contentione, de qua abundè in libris Contradicentium: ideo hæc de vino sufficiant.

1. & 2. de Tuend. San.

Tertio de Victu in Acut. 9.

CAPVT LXXXVII.

Quibus modis aquæ vitia corrigi possint.

Aquæ quæ corrumpũtur.

CORRUMPUNTUR aquæ maximè in puteis, atque cisternis (quæ verò in stagnis, lacubus, cauernis, atque huiusmodi locis semper corruptæ sunt, maxima cum difficultate corrigi possunt, & ab eis prorsus homines abstineant, nec nisi maxima vrgente necessitate illis vtantur, & correctis vt infrà) earumque noxa, quia non adeò detegitur, deterior est: quædam enim generant hydropem, crudæ & putridæ: quædam regium morbum, feruidæ scilicet, terreæ, & crassæ lapides tum in renibus, tum in vesica: aliæ stranguriam, aliæ dysenteriam, quæ acri metallica materia participant, magis putridæ febres: quædam gulæ herniam, lutosæ non absque tenuitate, aliæ somnolentes & pigros, aliæ attonitos, aliæ podagrosos, quædam vlcera in tibiis, & cruribus. Omnium communis est vna ratio vt parum sumatur ex illis: cibi assentur, aut frigantur, non elixentur: & vt aqua ipsa corrigatur destillando, post coquendo, maximè cum odoratis, & dicunt cæpas corrigere aquas corruptas, demum vt saltem coletur in arena bis aut ter, quo auxilio vtuntur in castris, laurus etiam, & iuniperus, & malum medicum emendant aquas, Et exercitium corrigit potum aquarum non valdè malarum: Et aqua ex pluuia collecta bona est, & cisternæ repurgant aquam, & fodere puteos profundos sub priore aqua vt Mutinæ, & efficere vt aquæ decurrant ad humidiora, quandoque mutat illas. Et quandoque etiam siccatis aquis aër emendatur. Et haurire aquam è puteis sæpius corrigit illas, & pisces squamosi, qui tamen viuunt ex sorditie aquæ, meliores eas efficiunt, verum si ibi moriantur, illas corrumpunt, ob id diligenter animaduertendum est. Et calx, & sabulum emendant aquas puteorum cum lapillis mixta, sed potissimùm iuuat destillatio, & coctio, vt aliàs edocuimus, corrupta enim aqua magno igne destillari debet, vt quod corruptum est, pereat, & altius, quia aliter colligi non posset: verùm si totam expurgare libeat, limum, & reliqua subducito, vt clara reddatur, inde frequenti haustu nouam efficito, nam è venis perpetuò confluit, immittito deinde in puteum vas figulinum sale, aut aceto, aut hydrargyrio plenum, & calce oleo subacta obturatum impone, ac diutiùs permitte. Difficile autem videtur absque motu aquam posse seruari, nisi ab ignea quadam vi foueatur, ob id destillatæ dum calor inest seruantur, qui cum exhalauerit, corrumpuntur. Corruptionis autem celerioris causa, etiam in stagnis est terra: miscetur enim ob id turbidæ aquæ, celerius corrumpuntur: & quæ sunt claræ, antequam corrumpantur, conturbantur: igitur corruptio aquæ quædam est permixtio. Aqua autem si moueatur, expurgat se, & peregrina omnia reiicit, vt in fontibus liquidis apparet: quod enim graue est, subsidet: quod leue propellit è superficie ad latera: quod verò immixtum vehementer, vt sal in mari, non potest, quoniam non habet quo reiiciat. Si tamen longiùs procedat expurgatur, quoniam sensim quod immixtum est à tenuiore substantia præoccurrente, relinquitur: igitur quæ velociter fertur, omninò pura est. Omnium ergo doctissimorum consensu, præstantissimum atque

Noxa aquæ corruptæ.

Quomodo corrigi debeant vitia aquæ.

Nota.

Motus aquam purgat.

Decoctio aquae.

atque nobilissimum aquarum remedium est decoctio, non solum cœnosarum siue turbidarum, atque alieno sapore, odoreue infectarum, verùm etiam liquidissimarum, atque splendidissimarum: nam pleræque ipso blandiuntur aspectu, quæ haustæ magnas turbas in corpore concitant: ventriculum enim flatibus vehementer agitant, mordent, ac vellicant, pariterque grauant, quin & in ipso, hypochondriisque diutissimè hęrent ac commorantur, atque insimul aliis perniciosis affectibus afficiunt.

CAPVT LXXXVIII.

De Ceruisia & aliis potibus artificialibus, atque eorum nocumentis.

Hala quae. Ceruisia quae & eius vires.

CVm iam innumerabiles penè reperiantur factitiæ potiones, & toti Septentrionali plagæ consuetus cùm sit ceruisiæ potus, atque etiam gentibus vltra oceanum, cessante vitium cultura ob frigora, ideò de ea potissimum hìc tractare proposui, quæ ab hala, lupi salictarij additione distat. Cõstat enim ceruisia lupi salictarij additione, quę additio, aliã naturam facit, aliamque formam inuehit, inebriat hæc, vinumque ita potissima sui in parte æmulatur, quod hala non facit. In ea enim conficienda macerantur primò aut hordeum, aut triticum, vsque dum propè iam putria germinent, atque ex illa putrefactione, quasi ex fermento acrimoniam acquirunt, tum ex eodem decocto, quo macerata prius fuerant, quod lupi salictarij est ex flore, seminéque coquunt, magis minusve, ac vini omninò vim æmulantia accipiunt macerατione, fermentatione, coctura, pro quarum euariatione mirum quàm variet ceruisia, acris, amara, subdulcis, dilutior, fortis, vehemens, imbecillis, clara, turbidior, recens, atque vetusta. Hanc autem si rectè conficiendi modum perpendamus, temperamenti calidi esse iudicabimus: nam ex longa, ac diligenti lupulorum maceratione, quorum tota vis ab aqua accipitur, calidi enim sunt per se, quantò magis accedente acrimonia, quàm ex putri materia macerationis acquirunt: sic quoque ab hordeo frigiditas aufertur, introduciturque caliditas, quare aqua non contemnendam concipit caliditatem, quàm sapores dulcis, acer, amarusve declarant, quos modicæ, aut vehementioris esse caliditatis nemo nescit. Austerum verò, aut acerbum, acidumve saporem nunquam adipiscitur, nisi vel cum corrupta est, vel non recto modo præparata, ac confecta. Inebriat autem quod non paruum est caliditatis argumentum, dum vapores caput ferientes replent, & commotam mentem agitant: & quoniam crassior est eius substantia, quàm vini, peiorisque succi, hinc etiam longè deterior est illius ebrietas, quàm quæ vini causa fit: spuma quoque quæ superinnatat, caliditatem declarat. Multum alit, atque impinguat, sed plurimum flatus gignit, atque ingentes interdum facit obstructiones, & præsertim ob negligentiam conficiendi, præparandique incuriam, nec succi praui suspicione caret, elephantiasim enim vt plurimum facere vidimus, aliosque prauos affectus. Est & hala quæ fit in Anglia, & Scotia admodum suauior, adeò vt meminerim bibisse in ingressu Scotiæ, quæ musto dulci albo comparari posset: nec in aliquo differret, nisi quod in fine amarorem, ac odorem insuauem retineret. Hordeum XXXVI. horis aquæ iam infusum, siccatur in cumulis in vmbra, vbi calefactum germinat, spargitur: vbi desinit, rursum colligitur, ita alternatim curant per dies XV. donec totum germinauerit: inde per sex horas siccatur super prunas, impositum cratibus vinceis: post vbi perfectè siccatum fuerit, molitur: superfunditur aqua multa, si debilem efficere velis potum, pauca, si validum. Post horas XII. percolatur, & excoquitur multum, si validum, parum, si debilem: inde vbi in vase efferbuerit, transfunditur in aliud vas, & vt seruetur, additur spuma alterius halæ iam veteris, atque consumptæ, sapore est austero, acido, dulcique mixtis refrigerat, nec ingratus potus his, qui ei assueuerint. Quæ verò amariores, minùs sunt salubres, nam vel plus iusto coctæ vel putredine, aut vetustate hordei, tales euaserunt. Sunt qui ex eadem farina halam secundam efficiant, insipidiorem, frigidiorem, grauiorem, putredini magis obnoxiam, nam ex priore est, quæ in multos annos seruatur. Coctionis modus horæ tres, aut quatuor, dignoscitur cum tenax esse desierit, contrarium enim ei accidit quod melli, & sacharo, quæ coctione lentiora fiunt. Incidit quia acida: astringit quia austera, nutrit, cùm è dulcium genere sit, modicè tamen: differt à zetho, deficientibus lupulis. Feruet diebus duobus sponte, ad summum tribus. Post musti imaginem non retinet: mirabile tamen colore, substantia, viribus, odore, ac sapore, vini albi substantiam referre. Ex pyris quoque, ac pomis in Neustria, vina fiunt, quod solùm ob frigiditatem vites non ferat. Siccatis ergo iam paulùlum fructibus, vinum extrahitur, exhalat enim aqueum humidum, inde dum feruet, excoquitur, atque ita seruatur. Est autem astringens quia è fructibus haud exquisitè maturis extrahitur, & subamarum: tale enim est quod vehemẽter astringit, ibi verò etiam vltra annum seruatur: dulcius & suauius est zetho, inferius vino vuarum. Fit vinum ex omnibus fructibus, qui non tam facilè putrescunt, & plurimum succi habent velut pomis, pyris, cotonicis ponticis, moris, berberis, fragis, myrtis, ac prunis syluestribus, & marenis, è cerasis autem aliis non fit, quia statim putrescunt, non ex amygdalis, nucibus auellanis pineis, ac talibus, oleum enim continent. Faciliùs ergo è granis maximè oriza, nam media illorum sustantia est inter horarios fructus, & oleagina. Et ex quibus vinum expressione habetur, ex eisdem fit & lora, admixta aqua. Huiusmodi ergo vina factitia non apprimè laudantur, & præsertim in non assuetis, quia difficilè concoquuntur, & difficiliùs distribuuntur, obstructiones pariunt, flatus

Hala quae.

Ceruisia differentia.

Ceruisia inebriat.

Vires.

Vinum ex quibus fructibus.

Vina factitia.

flatus procreant, & in prauos humores facilè conuertuntur, quare sat erit degustasse.

CAPVT LXXXIX.

De Somno, & de his, quæ ipsum conciliant.

Quid somnus. SOmnus est quies naturalis penè perfecta, omnium sensuum exteriorum, nam si perfecta esset, quomodo euigilari posset? & si non esset maioris partis, vigilantes dormiremus, si verò non omnium non sit vinculum, sed stupor, quoniam non ab interiore, si non naturalis erit cataphora, aut eiusmodi, at scire expedit motu excitari sensum, qui cùm viget dormire non potest: non enim quiesceret, ideo euigilatur. Motus autem non tollitur, neque respirationis ob finem vt viuamus. Et quoniam à leuissimo sensu, & origine illius pendet: suffocatur enim cessante: ideò sentitur, & mouet. Et neque membro exteriorum, ideò reuoluuntur, & imaginantur: imò etiam vident, & audiunt, falluntur enim qui putant somnia esse eadem imaginatis, nam aliter vtuntur sensibus quàm vigilantes, & tamen vtuntur, non vt qui imaginantur: manent ergo sensuum origo in dormientibus, & actus eorum, sed quasi in initio. *Nota. Expergefactio vnde.* Expergiscimur autem maximè à materiariis sensibus, scilicet tactu, & auditu, ob propinquitatem cerebri, & quia operculo caret, inde à gustu, à visu, si oculi non perfectè tegantur, demum etiam ab odoribus.

Somni vtilitates. Confert autem maximè coctionibus, & vires etiam restituit, vnde bifariam coctionibus auxiliatur, vnico autem modo sine cibo. Et eius causa est quies spiritus animalis, vel ob frigiditatem, vel humidum suaue, aut voluntatis imperium, aut imbecillitatem, aut à labore resolutis, & causæ quidem huius quietis, aliæ quæ efficiunt, aliæ sine quibus esse non potest. Itidem auxilia alia quidem quæ humectant, alia refrigerant, alia verò tollunt quod impedit, velut curarum remissio, atque lætitia. *Somnum conciliantia.* Speciatim autem ab omni sensu, interiore quidem, gaudio repentino, & mœrore quieto, sed haud huic confidendum, tranquillitate animi, atque remissione curarum, cogitatione lætarum rerum, insularum, vmbrarum, fluuiorum quiescentium, pratorum ac peregrinationis, solitudinis, syluarum, montium, & omnium actionum somniferarum, velut pulsantium, ac sonorum, & dormientium, tum etiam fixa intentione: siquidem figitur spiritus in eiusmodi: est autem requies illius somnus. Post hæc memoria fœlicis ante actæ vitæ. Visio quoque imaginaria cùm fixa fuerit, easdem ob causas somnum inducit. Et obscuritas quædam vtilis est. Et memoria præsertim carminibus, velut Nasonis somni declarata, vt illa:

Methamorphosis lib. 11.

Est prope Cimmerios longo spelunca recessu
Mons cauus ignaui domus, & penetralia somni:
Quo nunquam radiis oriens, mediusve, cadensve,
Phœbus adire potest, nebulæ caligine mistæ
Exhalantur humo, dubiæque crepuscula lucis.
Non vigil ales ibi cristati cantibus oris:
Euocat auroram: nec voce silentia rumpunt,
Muta quies habitat, saxo tamen exit ab imo
Riuus aquæ lethes, per quem cum murmure labens,
Inuitat somnos crepitantibus nuda lapillis,
Ante fores antri fœcunda papauera florent,
Innumeræque herbæ, quarum de lacte saporem
Nox legit, & spargit per opacas humida Hiras
Ianuane verso stridorem cardine reddat,
Nulla domo tota est: custos in limine nullus,
At medio torus est hebeno sublimis in antro
Plumeus, vnicolor, nullo velamine, tectus,
Quo cubat ipse Deus, membris languore solutis.

Tempe. Lib. 9. In hoc genere est Tempe in Thessalia prope Peneum, abrupta à Peleo, & ossa mente regio fœlicissima vt inquit Strabo. *Lib. 4. cap. 8.* Estque paruus ager quem solum Peneus fluuius non alluit, sed quid Plinius? In eo cursu Tempe vocantur V.M. passus longitudine, & ferme sex, qui iugeri latitudine, vltra visum hominis se attollentibus dextra, leuaque leniter connexis iugis: *1. De Hyperboreis.* Intus sua luce viridante allabitur Peneus viridis, calculo amœnus, circa ripas gramine, canorus auium concentu. Plura quoque de his aliàs.

Picturæ ac viridaria. Tertium auxilium est à picturis, & viridariis, & locis amœnis maximè opacis, cum virore obscuro, plantisque eiusmodi, qui lucis, & syluis sunt familiares: densitate, pratis quoque ac florentibus herbis colore purpureo qualis violæ. In pictura solitarij homines, dormientesque prope aquas: tempestas & maris inundatio, riuuli, & stagna maximè ex auditu Euripi cadentes, guttæque auium concentus, silentium, cantilena solitaria, & si cum lyra ex acuta repentè desinat in grauissimam, longa etiam delectatio, & narratio fabulosa solet somnum parere.

Sed & ab odoribus non parum iuuantur croci, anthemidis, papaueris, violarum nymphææ, mandragoræ, hyosehyami, stiracis, animæ albæ, liliorum alborum, solani somniferi. Eadem quoque & similia naribus indita.

In ore quoque detenta eiusmodi ad somnos faciunt, & in aures instillata, velut olema ex nympheœ floribus, aut papauere, aut populeonis, aut chamemeli, aut Parthenij, vel ordei, aut mandragoræ.

Lactuca. Alia quoque sumpta in cœnæ fine, lactuca cum semine viticis, aut croci, aut amomi, vt

vt referunt recocta, poma sub prunis cocta, peponum semina, flores nymphææ cum saccharo conditi, lac etiam plurimum, & præter reliqua vinum dulce non potentes, aut cruditate potens.

Talia quoque in glandibus subiecta, seu pro clysteribus, & cum meconio etiam mista, somnos & graues etiam proliciunt:

Expertum est. Ex experimentis tactus si quis à vigilia surgat, & ambulet, paululum inde lectum redeat soluitur in somnum.

Embroca. Embroca capitis, Principis hordeum, chamemelon, parthenium, coquantur in aqua & aspergatur, imò irrigetur caput. Et est propria senibus. *Nostrum.* Nostrum chamemeli, violarum, maluæ, florum nymphææ, capitum papaueris, lactucæ, anethi, sing. M. I. caput castrati, coquantur in libr. x. L. aquæ ad consumptionem medietatis, & eousque quod caput decoctum bene sit, ex hoc percolato lauetur optimè caput ad horam mediam saltem, inde expressa aqua circumponatur linteum dudum ex ea aqua, & expressum mediocriter: huic aliud tepidum, & siccum, & occlusis fenestris procuretur somnus.

Balneum aquæ dulcis. Balneum quoque aquæ dulcis tepidum, aut puræ, aut cũ dictis rebus, atquæ similibus coctæ. Maneat in eo donec sitis cesset, aut ariditas, aut sapor prægrauet, aut lassitudo, ac sinat vel decumbere velit: vel pedes tepescant, & si bibat aliquantulum vini.

Irrigatio. Irrigare quoque caput oleo dulci, aut ex amygdalis, aut è nymphææ flore, somnum allicit, sed & lotio pedum ante cœnam, vel à pauco cibo post cœnam, & in brachiis absque agitatione locus quoque frigidior, & humidior prodest: & cubile orienti expositum, & vomitus in prægrauatis sunt valde vtilia.

Lætus quoque nuncius post tristitiam, & blanda verba, & in prurientibus, ac turgentibus Venus, imò in quibusdam superflua exoluendo vires somnum conciliat, sicut & lassitudo ex labore, & sudor, & alui deiectio.

Nota. Et quidam proprietate ipsa dicunt de agrimonia, de pede anteriore vituli marini, dextro sub capite positis, inungere corpus pinguedine muris alpini, vel gliris, aut muris auellanei, & est minor rustico, vel vrsi, tum verò etiam inungere loca pulsuum, & sunt in hoc casu iu iugularibus, & tactus eas declarat arterias, & quæ sunt à lateribus ossis pubis, & quæ sunt in temporibus, & è regione cordis, inde iecoris, & super verticem pedum, & in carpis manuum.

Et hiacynthus verus & quem vocant chrysopacium. Et sunt quidam lapides qui plus possunt. Et inuentio ex sanguine quorundam animalium, & piscium. Et cerebro illorum, & vsus longus quarundam rerum, velut fabarum somnolentos efficit. Et si sint celebri imbecillioris facit ventuosos. Et aquę modicæ potus, aut oris collutio est ex somnum reducentibus.

Et mutatio magna, aut nulla, est causa reparandi somnum, & quantò plus homo dormit, aut vigilat, eò fit somnolentior, aut vigilantior: sequuntur enim consuetudinem. Et propria causa somni est remotio impedimenti eius. Ideo diuersis vario modo occurritur. Itaque mutatio magna in omnibus est causa plerunque recuperandi somnum. Et vbi homo si iuuenis, & corpus non cacochynum, vigilia longa, & violenta grauissimum somnum reducere solet, somnus igitur à somno & vigilia. Et vigilia similiter à vigilia, & somno: & eductio sanguinis per hæmorrhoidas in plenitudine, & sanguine feruens aut acri, vel salso vtilis quandoque necessaria est. Et oua etiam conciliant somnum. Et pillulæ ex cinoglossa sunt potentes valde: sed animaduertendum, imò quantitas plerunque sufficit scrupulus ex his, & cum quærimus somnum cum huiusmodi, & non impetramur, si caput non sit valde robustum, accidit veternum. Et idem contingit ex Theriaca noua, & philoniis, sed hæc sunt tutiora catapotiis, & minus secura quam theriaca, vel mithridatum.

Cur vigilia senibus familiaris. Et vigilia est familiaris senibus non solùm ob siccitatem, sed meatuum lassitudinem, & abundantia cruditatum, & humorum acrium, & serosorum. Et est causa vicissim senij, & ideo fit circulus qui debet abrumpi paucitate cibi, facilè concoctilis. Et moderata in illis est, ob id signum bonum. Et etiam non noxia, cùm præsertim somnus matutinus subsequitur, & incommoda perducit ad febres, attonitos, resolutiones, dolores, grauedines, imbecillitatem ventriculi, tristitiam. *Nota.* Et ideo pro somno quiete matutina diuturna vti debent. Et pœoniæ semina nigra, si purgent caput, liberando optimum conciliant somnum, & errhina maximè, anæmones, brassicæ, cyclaminis, origani, serpylli, atque spondilij succo.

Et scias quod omnia quæ caput conturbant, & vaporem multum gignunt si facilè corrumpantur, vt allia, cæpæ, porri, gingiber, & generaliter humido excrementitio abundantia, vt viticis semen, crocus, & macropiper, præsertim humidis cibis mista somnos conciliant præcipuè turbulentos, vt de styrace constat. Et mutatio lecti vigilantibus persæpè plurimum confert, bene dormientibus mala. Et ouum bibere à cœna leui, senibus autem si rectè viuant, confert, si sit vltra cœnam, ad attonitum morbum præparat. *Crepuscula mala.* Crepuscula autem ambo deuitare valde necesse est, nam vespertinum impedit somnum: matutinum nocet quietem: tollendo quæ est præs somni, & vades, & vigiliæ detrimenta auget, ac confirmat: comprimunt enim capitis meatus ambos.

Senibus ergò nihil melius longa pedum lotione intepida: & lotione capitis: & cassia nigra humectat, edulcorat vapores eos, retrahit, purgat atram bilem ei ætati familiarem, & maximè molestam.

Corpus in somno refrigeratur exterius. In somno corpus exteriùs refrigeratur, intus incalescit, contra in vigilia inquit Hippocrates. Et somnus confert maximè cerebro, post ventriculo, inde patientibus dolores, & euacuationes omnes, (velut & debilitatis à Venere) præter sudorem, nam ipsum adauget. Propterea etiam procurandum est vt operimentis multis ea hora corpus tegatur, qua exteriùs solet refrigerari, conopæis circumdetur

circumdetur, pannis pluribus non siccis contegatur, ver frigidus purus, & obscurus. Vtor ego lecto ex serica materia: ab ea linum sub capite palea sicca mollior est alga plumei ceruicalia, sed ad ventrem tantum gossypium pellis agninæ, setosa amphimala, culcitre loco.

Nota.

Dormire prope humum humidum, sub sole, & noctu sub luna, & regione rimæ cubiculum ad orientem spectans, & maximè brumalem, sed æstiuum & inter duo solaria positus locus, si non aliter purus, non in loco nouo, nec dealbato gipso, multo minus calce, aut carbonibus accensis, constat vna nocte plures periisse. Nec prope vias publicas ob strepitum. Vndecim horæ decubitus senibus, septem iuuenibus, consistentibus nouem, ab his si detrahas binas singulis relinquentur horæ somni: prima pars ventriculo maximè fauet: secunda etiam, tamen iecori: sed vltima cordi, ac cerebro suauis, & amœna in qua purum ab impuro segregatur, & quod dulcissimum est. Est illa hora studiosorum, si non seruiat cibus labor, curæ minuantur, lethali morbo laborantes destituuntur eo magno medio: paruo aut curis detenti prima solum parte: furiosi, & pestilentes perpetua vigilia destinentur, morituri aut somno omninò destituuntur, aut caphora corripiuntur, aut à somno peius habent.

Plures vna nocte ex carbonibus accēsis periisse.

Non posse dormire à cœna ob cibos aduenit, si succedat somnus, dulcescit vapor, robur coctionis ventriculi, & iecoris, tota peruigilia, vt dixi, est illa quam Princeps vocat Sahare. Dormire contra ab initio, & post quinque horas, aut etiam minus præter consuetudinem, & curas, prauam coctionem significat: acres enim sunt humores, sicut prior vigilia siccitatem cerebri, contingit etiam ex siccitate iecoris, aut pulmonis incendio, purgandum est.

In vniuersum cum sint octo modi, duo per se noti, dormire quamtum oportet, & nihil tamen vigilare iuxta tres partes, aut dormire melius est, vt somnus vigiliæ succedat quàm contrà. Et si accidat, parata sint syrupus è nympheæ floribus, quem in ore teneat, & vnguentum populeon recens, & surgere, & cogitatio blanda: Et odores papaueris, mandragoræ, violarum, id est florum recentium, & si locus sit soli expositus, aqua, folia vitis, & salicis, & lactucæ, & flores chamemeli, & anethi, & papaueris, ac nympheæ, & permutare etiam bis in die, ac verrere, somnia autem horribilia, & cum timore, & tristitia, affectum, & periculum ostendunt, si perseuerent effectus malos: morbos, impedimenta, insaniam, detrimenta, & casus, auxilium, purgatio, recta ratio.

Tremere ante somnum malum.

Tremere ante somnum effusionem sanguinis, aut conuulsionis periculum, aut morbum. Tremere malum in somno, clamare deterius, surgere pessimum, idque multis malè cessit. Quibus prodest adamas sinistro brachio adalligatum. Mingentibus in lecto pisciculus marinus, equi forma eritij, testudinis, apri vesica, renes animalium, & sicæ ceruorum, & hæc medicinæ causa, & vnguentum comitissæ.

Dormientibus ore aperto.

Dormientibus ore aperto cùm noxium sit & periculosum, & indecens, & stertum, purgare caput, non cubare supinum, vincire inferiorem mandibulam, stertor accidit dormientibus supinè, magnamque respirationē, ac tardam, & raram habentibus, quibus amplum pectus, & angustæ fauces. Somnus pręterea in quibusdam auget affectus, dolores, timores, & tristitiam qui sunt fortuiti, & incipiunt: nihil mirum cum etiam fingat prorsus, alios minuit: nec id cum etiam tollat, somnus enim est sensuum vinculum, vt in podagra, contingit etiā quod sensus exilis minus percipit, aliàs meliùs, ac magis vt noctu, & in silentio magis, quàm in vigilia, & stripitu.

Somnus diurnus sæpè necessarius.

Somnus præterea diurnus, & si dissoluat appetitum, & vires, & inflammationes excitet, ac obstructiones pariat, tamen fit sæpè necessarius, aut ob nimiam lassitudinem, aut cibum, & potum vberiorem, vel propter noctis vigiliam, aut dolores, aut ventriculi imbecillitatem, vel longam consuetudinem, & frigidæ modicæ haustus, solet dulces prouocare somnos in vmbra præsertim, & cenopæa è filiis arcent muscas, licet & ob curas: dormire in die, & ob dormitationem vehementem. Et ideò vel ab antecedente necessitate, vel à succedente vtilitate, vt etiam in febrientibus si noctu longa accessio immineat, & superdormire siti bonum est: tum tamen si bibat, dissoluitur coctio, nec somnus succedet.

Dormire cum infectis malū.

Et dormire cū infectis quauis lue, vel morbo contagio, vt lepra, scabie, psora, impetigine, phthiriasi, vel febre pestilenti: vel morbis pectoris, qualescunque sint præter dolores à flatu, aut morbo laterali, valdè malum est, & magna infelicitate, cum felibus etiam præsertim pueris, ad phthisim præparat. Canes autem vsque ad annum secundum præsertim pingues, & albi super ventriculum detenti prosunt coctioni, non solùm tunc, sed in posterum confirmato calore, & ventriculo renutrito, spiritus autem equorum valde vtilis est, pestis tempore, sed stabulum debet seruari mundum & quibus rara est cutis, & cerebrum valdè humidum debet dormire vsque ad tertiam diei horam, maximè æstate, autumno, & hyeme. Vere verò ad primam saltem.

Canes super ventriculum.

Somnus qui melior.

Et somnus super latus sinistrum, & dextrum, & decliue melior est omnibus elatis ceruice, & pedibus, atque illis bene contectis, ac capite etiam bene sicco, sed non graui. Et cubiculum ad horam quartam diei apertis fenestris teneri debet, reliquis partibus, vsque ad XI. horam admittatur: lux sola, aër non minùs solis radiis, post perfectè occludatur. Et carnes apri cum croco plurimo præparatæ efficiunt somnos stabiles, dulces, profundos, & qui stato tempore redeunt, & recreant, sed si non sequantur, abstinendum est ab illis.

Extremis senibus vigilia infestissima.

Extremis præterea senibus vigilia infestissima est: vocamus hos decrepitos. Exinde infantibus, atque in primis senibus fermè ex æquo cæteris ætatibus adolescentię, scilicet iuuentuti etiam consistenti pari quantitate, deterior propioribus senectuti, nam sicciores. Pari autem proportione adolescentibus, & pueris, quoniam magis illorum naturæ

contraria.

contraria. At in vltimo libro diffusiùs pertractabimus de somno senum, & de his quæ ipsum conciliant, demonstrabimusque etiam incommoda, quæ vigilias sequuntur.

CAPVT XC.

De his, quæ à somno fieri debent, & totius diei diuisione.

Nota.

PLurimum autem refert quomodo lectus paretur ad somnum, & vt quietus sit, etiamsi non dormiat, scilicet vt lintea sint munda, & promineant supra, & infra, mollis sit lectus, & longitudo sit trium brachiorum, aut parum excedat, si quis magnus sit, nam vbi nullum excesserit etiam incommodus, est latitudo duorum brachiorum, cum dimidio, id est, vnicarum 50. sed minus malum est, vt sit longior, aut latior, quàm arctior, aut breuior, hoc enim maximè obest somno, & tranquillitati magis etiam æstate, & longè magis hyeme puluinaria, ac ceruical saltem altitudinis semipedis, id est, vnciarum, seu pollicum sex vel circa: nodi admodum tensum, neque enim caput insidere firmiter potest, neque nimis molle: subsidet enim, & caput, ac faciem obruit, Debet singulo die agitari, ac concuti pugnis, ac exornari diligēter, ita vt lintea hinciude à lateribus, & à capite, ac pedibus promineant: culcitræ neque plures æstate quàm vna, inæqualiter enim tegunt, & hyeme vix vna sufficere potest. Heteromala, aut amphirmala mollia, pilosa, plena, densa, curare oportet diligenter, ne æstate pulices, hyeméve madeat quicquam, sed igne omnia siccanda: vtroque tempore à cimicibus & pediculis tum vestes etiam purgandæ sunt. Inspicere etiam oportet ne serpentes adsint, aut scorpij, aut araneæ. Conosæis textilibus muscæ non solùm, sed & culices arceantur, verùm culices etiam sono, & strepitu interturbant somnum: ideò concludere cubile huic pesti obnoxium oportet, antequam lumen intromittatur. An verò siccum lectum calefacere hyeme oporteat, dubium est, Quatuor ergo oporter obseruare, naturam hyemis si immoderatè frigida sit: si qui dormiturus sit, frigidior natura sit, vt pueri & magis infantes, & senes maximè decrepiti, & exangues, & conualescentes, & rara cute, mollique carne: Et si offendantur, nec dormire queant, aut non incalescant, velut de Dauide Iudæorum Rege sacra scriptura refert. Demum vbi consuetus sit huic, vt nobiliores, & fœminæ: secùs calor sine hac mollitie, & blandimentis magis confirmatur. Vbi primum ergo surgere cœperit, paululum crura fricentur, & brachia, inde surgat, & beneficium alui procuret, vrinam deijciat, ac nares emungat, & si saliua abundet, expuat illam, rursus si commodum est, paululum fricentur crura, & brachia: demum se vestiat, pectatur caput eburneis pectinibus, & post lauet vultum, & manus, & si dentes bene se habent, nil agat circa illos: si nutant, labant, dolent, aut eroduntur, colluat os aqua marina bene percolata, etiam illos fricando, & gingiuas intùs extrat palatum: si ergo sit firmis viribus, deambulatione in vmbra salubrium arborum, cuiusmodi quercus, salix, pyrus, malus, cerasus, populus, & etiam circa fontes pellucidos, vtatur, sed si non adeò valet, aut non bene dormiuit, curru aut equo non furioso, vel lectica suum peragat exercitium: Et si ambulet non ad sudorem, sed ad calorem moderatum, tum ad fatigationem, sed ad animi alacritatem, non ad mutationem anhelitus, sed ad liberiorem respirationem, cordisque refrigerationem. A prandio non exeat domum vnquam pedes: si cogatur, quanto serius, modò ante crepusculum per mediam horam saltem tantò melius, panis integatur semper lenibus, & cum domum reuertitur grauioribus vtatur, sint tamen vestes quæ frigus omninò arceant, & aures conclusæ si fieri potest, cum domo exire licet propter niues, ventos, imbrem, aliamve causam partim sub portiCu longè deambulet, partim polliat aliquid alterius manibus vehementer comprimendo per spatium mediæ horæ, sicut vna hora totum absoluatur, modus est vt summis nitatur viribus, & tam diu donec cum voluptate id agat, nec tædio afficiatur, aut quasi laboret contra voluntatem. Soleo ego etiam brachia alterius manibus fricare ambulare sub tecto contensis brachiis, strictis pugnis, eundo, redeundóque vt absoluam mille passus hæc metam certam non habet, modus habetur ex somno, nam diuturnus, & interruptus longiorem, & firmiorem postulat exercitationem, plus cibi, inde & potus. Contra omnia, si somnus sit breuis, grauis, horridus, turbatus: longitudo enim somni horæ nouem, septem saltem, quinque sunt necessariæ: A cibo ergo non se exerceat, nec deambulando. De curis animi, tristes omnes contabefaciunt corpus, sed magis post prandium, & magis etiam post cœnam, & quando est in lecto. Quiescat igitur, & nil molestum agitat, aut audiat, vel vbi corpus, aut mens laboret, & præsertim tribus primis horis, secundis parum, tertiis negociis non tristibus, & si laboriosis se exercere potest: Dormire qua hora à prandio (si iam diu consueuit) potest. A cibo bibere non expedit, nam vinum bibere coctionem corrumpit, exurit iecur, vitiat habitum, caput conturbat, & oculorum aciem obtundit. In cœna verò per eadem habita consuetudinis ratione, nisi parum in vltima parte cœnæ: potest assumere poma bis cocta, electuarium aliquod cum se lecto concredit, ex his quæ scripta sunt. A cibo non studeat, nec mentem defatiget, coctionem enim impedit, caput replet, & nullum fructum affert, hora, namque matutina est hora studij, licet vespertina etiam per quinque, vel sex horas à prandio non incommoda sit.

Quid à somno fieri debeat.

Curæ tristes contabefaciūt corpus.

Potio vini à cibo.

CAPVT XCI.

De Vigilia.

Somnus quãdo noceat.

ET si ex eis quæ de somno diximus facilè vigiliarum incommoda cõpræhendi possint: Hîc tamen etiam, & nonnullas earundem vtilitates adijcere non grauabimur, vt cuncta, recta methodo prosequamur. Cùm etenim humores sint in corpore qui eijci postulent, vt in laborantibus tussi, & grauedine, nocebit somnus, & debilitabitur calor à materia retenta, ideo dicebant Hippocrates, & Galenenus secundo de victu in Acutis, inopportunum sumnum esse causam resolutionis corporis, excoctionis, & grauitatis capitis, secundò si cibus desit: vbi enim calor robustior factus, alimento destituitur, corpus absumitur, quod apertè colligitur prima Aphorismorum: Comparatis enim inuicem duobus aphorismis, cùm in vno dicat, nisi dentur plura alimenta corpus absumi, cùm calor validior factus est, in altero per somnos longiores calorem fieri validiorem sequitur è diuerso, vt non exhibito alimento, calor imbecillior in somno reddatur, nisi pristini alimenti reliquiæ superfuerint in ventriculo, aut mesaræo, vel iecore. Tertium est cùm adhibetur intẽpestiuè, vt in media die à prandio, & maximè in debilibus, vnde Princeps de conualescentibus loquens: & cùm somnus non conuenit, fortasse excitabit febrem, propterea quod facit cruditatem, & frangit robur caloris innati. Et cum est timor syncopis, vt tertia Primi. Et quandoque necessaria est vigilia ob timorem syncopis, & casus vitium. Sed hoc est cum humores sunt praui, & venenosi in corpore vt in febre pestilenti, sudorifica Britannica, & in morsu araneæ illius, quam appellant tarantullam. Et ideo res reducitur vel ad defectum cibi, vel crudorum humorum abundantiam, in locis vbi excerni non concoqui postulant: aut ad humorem venenosum, qui petit loca principalia, aut quando fit hora non opportuna, maximè in imbecillibus, & adhuc membra excalefacta habentibus. Per se tamen semper concoquit, & bonus est somnus. Et etiam cùm à copia sanguinis qui exierit somnus nocet, vt Quarta Primi, seu naturalis fuerit vt in mensibus, & hæmorrhoidibus, seu voluntaria vt in venæ sectione. Causa cuius est quod in talibus sanguis incalescit intrò delatus, & propterea effluit denuò, & maximè si super latus affectum decubuerit: solet estiam moueri tum tremor cordis, & perterrentur. Cùm enim sanguis est in motu vehementi tutius est vt vigilet, quàm vt dormiat: tum quia partes interiores maius afferunt periculum, si inflammentur exterioribus: tum quia est magis locus auxilio in vigilia quàm in somno.

Tex. & Com. vlt.

14. 15.

Secund. 1. Tract. pri. cap. 101. Doc. 2. c. 91. Nota.

Cap. 101.

CAPVT XCII.

De Excessibus.

Excessusquid.

EXcessus intelligo non solum superabundantiam, sed defectum, velut ieiunium, demirorque satis non solùm de Galeno, sed etiam de aliis maximè Arabibus, qui eum secuti sunt, quod tam multa de absurdis quibusdam rebus verba habuerint, & longas disputationes, easque non parum collaudarint, cùm etiam essent turpia, fœda, & factu magis difficilia, vt ebrietate, vomitúque, de quibus satis ambigo, an etiam si adeò prodessent valetudini, homo honestæ vitæ, atque ciuilis tum maximè semel, aut bis in mense, vt quidam laudarunt eis operam dare posset: at de ieiunio adeò facili, commodo, honesto, ne verbum quidem habuerint. Solus Hippocrates iuxta consuetudinem suam hoc attigit, sed admodum concisè dicens: [Senes facillimè ieiunium ferunt, secundo loco consistentes, minùs adolescentes, omnium minimè pueri, & maximè qui eis viuidiores fuerint.] Hoc quoniam omni ieiunij generi conuenit, de quo intelligit haud perspicuum fecit. Nam ieiunare dicimus illum, qui tota die abstinet à cibo, & qui semel in die edit, neque tam conuenit interpretari, quid hac voce ieiunium significetur ad habendam mentem Græcorum, quàm quid per νηστεύειν: habetur sanè apud authorem quarto de victu in Acutis quod ieiunium obest dolori capitis, & crapulæ: Galenus contempsit vt ab aliis addita. Cùm verò dicat ieiunium aduersus capitis dolorem, crapulamque malum est. Qui semel tantum in die cibum assumunt, imbecilli fiunt: palàm est per ieiunium intelligere omnimodam à cibo abstinentiam: quare rursus de duplici ieiunio nos agere oportet, scilicet abstinentia à cibo prorsus tota die, ac semel, aut vt sumat prandium, ieiunet in posterum: aut vt ieiunet ad cœnam vsque, vel vt cibum solùm meridie accipiat: In secundo de victu in Acutis recenset mala, quæ eueniunt assuetis bis in die comedere, & omittentibus prandium, sed de his dubium non est, quod parum proficiunt, etiamsi proficiant: nam neque per diem distribuere natura quod superfluum est, neque concoquere ob id quod non dormit, ob motus negotia, & curas. Vnde huiusmodi hominibus præsidium inutile redditur, quod obtimum est, est vt si quando contingat, requiescant in lecto, & dormiant: nam sic etiam à curis, atque negotiis interquiescit: idem dico de parcissimo prãdio, parum enim & nihil fermè æquiparantur: secùs ea abstinentia non solum reddetur inutilis, sed ventriculum lædet. Hippocrates autem de abstinentia à cœna sermonem non habuit: quod si habuisset, non laboraremus: credo quod omnibus cœna in vsu esset, quoniam qui semel in die tantùm edebant, prandium vt rem magis impeditam omittebant. Galenus in libro de salubri Diæta, dicit, quod his quibus aggregabatur pituita lenta, & crassa

Prima Aphorism. 13.

Ieiunii quid.

Tex. 88.

Tex. 14.

Nota.

Com 11.

crassa in ventriculo, tria præsidia in vsu fuerunt, medicamentum singulo mense, aut vomitus semel, aut bis in mense, at de his alibi dictum est: ieiunium vnius diei singulo mense, hoc palam est significari integram abstinentiam à cibo. Ergo de abstinentia à prandio, quando, & quomodo, & quibus conueniat dictum est. Nunc de ea quæ per totum diem fit, quoniam ventriculus cibo nuper assumpto nutriri consueuit dicere necesse, quod ventriculum habentibus debilem noceat, etiamsi in ventriculo copia crudi humoris adsit, quoniam refrigeratus, sine auxilioque relictus, neque humorem concoquet, neque nutrietur: sed zinzibere condito cum melle vel saccaro, aut oximellite cum aromatibus assumpto restituetur, sed præstat, & quiescere, & dormire magis etiam, quàm in his, qui à solo prandio abstinuerunt. Fouere etiam præcordia his vtile erit. At verò qui à cœna abstinent, aut modicum quid assumunt, melius hi id agunt: fitque consuetudo insueta, velut si singulo mense, vel etiam singulis septem diebus, sed aliquid assumentes (non laudo autem panem cum vino, sed potius cum iure coctum) aut quod experimento contulerit sæpius, aut quod ratione conueniat, vt zinziber conditum, aut vua passa, vel cum panis modico; aut alexipharmacum quoddam, vt raphani radices cum sale, & oximellite: aut quod vehementer appetitur, vt in vnum illud ventriculi desiderium incubat: aut æstate quidem circuitibus longioribus, hyeme breuioribus, mediis temporibus, mediis. Cùm verò tot religiosi huiusmodi auxilio assueuerint, non est contemnendum. Et debilis quidem ventriculi viris, aut reliqua ratione consumptis, ieiunium exquisitum tentandum non est. De numero verò & hora ciborum, consuetudo primum plurimum potest, inde ipsa res spectanda, vt abundè superiùs in primo libro demostrauimus.

3. de facul. nat. c. 13.

Ieiunium exquisitum quibus noceat.

CAPVT XCIII.

De repletione.

Sicuti duplex euacuatio, vna quæ ad medicamenta vel venæ sectionem pertinet, & hæc medicationis pars est, alia quæ sensim, & hæc est vna ex sex rebus non naturalibus, quæ adeò sunt contiguæ, vt vnam sine alia explicare sit difficillimum, idem etiam contingit de repletione, quæ & ipsa duplex est, sed alio modo. Est enim repletio propria vt in cauo vlcere dum carnem generamus tertio Methodi: alia autem generalis, qua totum corpus repletur, quæ vna pars est principalis vnius ex sex rebus non naturalibus, cùm alia sit curatiua, quæ etiam per manuum fit opus: cùm ergo sint duo quæ sumuntur ex aduerso posita, cibus, vel potus, & medicamentum purgans: vnum ad repletionem scilicet cibus, & potus pertinet, alterum ad euacuationem. Propterea ille Arabs Tacuinus bene coniunxit has duas res non naturales inuicem. Commune est vtrique, scilicet repletioni, & euacuationi, vt non fiat plurima, & repentè secunda Aphorismorum. Dicitur ergo repletio fieri plurima repentè, non sicut euacuatio, sed per homonymiam: nam quod euacuatur, & repentè, & plurimum euacuari potest Vere: at repleri Vere non sic potest: sed aut in aliquot diebus, aut dicetur infra: at hæc non est repletio corporis, aut vasorum, sed solum ventriculi & intestinorum, quanquam potus etiam quandoque vasa repleat: vnde rursus alia distinctio: facilius est repleri potu quàm cibo. Ideo dicebat Hippocrates in libro de veteri Medecina, repletur homo celerius potu, dein sorditionibus, demum cibis solidis, qui etiam eodem ordine in concoctione se habent, nam cibus solidus difficilius concoquitur. Propria autem signa repletionis immodicæ, quæ euacuationem promptè postulat, scribuntur in libro de Plenitudine. Compediosè autem nono Artis curandi, obstructio, distentio, tumor, & rubor. Repletio autem partis vt dixi aliquando fit per ea quæ restaurant carnem in vlcere, aliquando per ea, quæ membrum carne replent, velut Galenus docet per piccatum ceratu, quartodecimo Artis curandi: Tertio per sanguinem qui ad locum influat, qui ibi retineatur, vt quinto in sextum Epidemiorum. Dicebat ergo Hippocrates in libro de veteri Medicina, postquam locutus est de repletione, quæ fit ex malis cibis: Non minora fiunt ex euacuatione, quàm repletione mala, & magis varia. Ideo potentissima sunt hæc tria, aër, somnus & vigilia, inanitio & repletio: repliqua non adeò celeriter occidunt, nam venena non sunt cibi.

Repletio duplex. Cap. 4.

2. Aphor. 11. Pag. 3.

Cap. 5.

Cap. 16. Com. 12. Pag. 4.

CAPVT XCIV.

De Vasorum euacuatione.

CVm igitur neque cibum assumere ante exercitationem his, qui exerceri debent, nec exerceri ante vasorum euacuationem conueniat, vt aliàs demonstratum est, necesse est scire quid, & vnde, quantumque, ac quomodo, quandoque sit euacuandum. Concessum est ab omnibus, si cruditates in ventriculo sint, neque exercendum nisi (vt ante dictum est) deambulationem, quoniam illæ vt in totum corpus dispargentur, obstruentque meatus, & putredines ac cum putredine febres, & phlegmones excitabunt, similiter neque comedendum, nam excrementa & crudi humores, rugitus, flatum, nauseamque, ac grauitatem excitabunt, prohibebuntque concoqui cibum, præsertim cùm tales fuerint humores crudi, vt concoqui nequeant, nam quod putrido, vel corrupto miscetur, putridum redditur, atque corruptum. Quod si non omninò sit superfluum, forsan pauco admixto calidiore, & cibo concoctu facili concoqui poterit, sed nos de corrupto, & superfluo, & excremento, non crudo humore sermonem habemus: quod igitur id non possit concoqui, iam satis manifestum est, sed quónam

Euacuatio quando fieri debeat.

pacto reliqua non concoquantur, impediat, iam declarare oportet. Primum igitur quod ventriculus mala qualitate afficitur, vt mala qualitas omnis concoctioni ciborum aduersatur, nam si vlla prodesse posset, caliditas esset, at febrientes, quibus maximè ventriculus calet, pessimè concoquun, quantò deterius humidi, siccique, ac pessimè frigidi, cũ etiã naturalis frigiditas coctioni aduersetur. Itaque cum superflua semper prauam retineant qualitatem, manifestum est ab his in ventriculo coctionem impedire. Impediunt etiam quod calorem in cibum penetrare non permittunt, cùm enim hæreant ventriculo prius calorem ventriculi in prauam qualitatem immutant, quàm ad cibos perueniant. Agens enim contactu agit, aut medio optimè disposito, cùm verò hîc nec ventriculus cibum tangat, nec quod in medio est, calorem naturalem retineat, necesse est coctionem ipsam impediri: tum præsertim quod cùm omnia naturalia sibi quærant proxima similia reddere, superfluum verò cibo proximius, sit quàm ventriculus, plus aget superfluum corrumpendo, quàm ventriculus concoquendo. Accedit quod & si concoquantur cibi, necessariò cum superfluis ad loca nutritionis tranferentur, vnde obstructiones, atque hydropes, vt nihil iam deterius possit excogitari. Manifestum est igitur tunc pessimè agi, cùm omnia secunda, & ad votum euenerint, vbi cibus superfluis adhuc in ventriculo existentibus exhibeatur. Iam verò non sit in ventriculo excrementum, sed vel iecore, vel cerebro, vel vesica, aut pulmone, nonne eædem rationes prohibunt ne alimentum ad ea transferatur membra. At assumpto cibo tandem alimentum in vniuersa membra transferri necesse est, igitur non expurgatis superfluis, cibus dandus non est. At quænam sunt superflua in ventriculo excrementum cibi, in intestinis fæx. Assumpto igitur cibo grauedo, nausea persæpè, quandoque dolor, & maximè coli, & ad caput exhalationes. In pulmone solet difficultas spirandi, & tussis assidua excitari. In cerebro muci si fuerint grauedines, raucedines, ac tusses cum tubercula, glandulæ, auriumque dolores, destilationes ad oculos procreari solent. In renibus, & vesica grauedines, dissuriæ, fluxus vrinæ, dolores earum partium, ærenulæ, lapides. In vniuerso autem corpore atrophia, anasarcaque, nec vlla pars suo vacat incommodo, neque admirari decet, aut lætari eos, qui talia non sentiunt, cùm grauitatem supplicij cum tarditate compensent, has enim noxas, neque effugere, neque euitare licet, nisi cum alui profluuiis, leuitatibusque intestinorum choleris, vrinæ fluxibus, cum homorragiis, ac sudoribus expurgantur. In aliis tubercula fiunt: quæ & si minora sint mala, multum tamen debilitant vires & deterius humidum restaurari pro puriore cogunt. Iam ergo superfluorum euacuationem non necessariam esse docuimus & cur, nunc quænam sint illa explicare tempus est. Duplex est illorum diuisio, alia quidem penes ea, quæ sumuntur, alia penes membra. Quæ assumuntur tria sunt, cibus vnde fæx, & potus vnde vrina, & aër vnde exhalationes, & cum concoquuntur sudores. Crassiores enim exhalationem factam, atque humidiorem, materiam esse sudoris perspicuum est. Non tamen in sudore, nec exhalatione solus exit aër, sed cum eo educitur humida, ac fumo similis pars. Vrina tanta esse debet, quantus est potus, nisi in æstate vbi pars potus in sudorem transit. Diminuitur vrina vel quoties excrementa humectantur, vel sudor parumper, vel aqua intercus paratur, aut scabies auget: nam non parua pars vrinæ ad cutim transit: minuitur etiam spontè in siccis corporibus. Augetur verò vel ob frigiditatẽ ventriculi, vel ob corporis consumptionem, quæ cum siti est, vel ob fæcum siccitatem, cùm etiam aquea cibi pars tota cum vrina transit, vel ob renum caliditatem, ac siccitatem, vel quia totum corpus humidius est. Fæces semper cibo pauciores sunt. Indicium sufficienter expurgari ab excrementis corporis, est quantitas eius quod eijcitur, leuitas membri, & appetentia. Cæteris excrementis homo carere potest, quæ sunt secundum membra, vt muco è cerebro, saliua è ventriculo, semine in vasis, sudoribus in toto. Xenophon refert Persis turpe fuisse olim vel spuere, vel nasum emungere. Quibus igitur hæc sponte proueniũt, & quando, & quantum oportet nullam curam adhibere est necessarium: quibus verò non necessaria sunt præsidia, sed in temperato corpore vix generantur talia, nedum vt genita retineantur, sed si retineantur, iam ægra sunt corpora, at generari possunt citra morbum, vel ob regimen, vel ob ætatem, vel quia non exactè sint temperata. Nam & si hîc temperatissima tractare corpora proposuerimus, in his tamen & quæ multum à temperamento non recesserunt, compræhendi volumus. Iam verò esse omnia hæc quæ diximus excrementa, palàm est præter semen, nam de semine ipso est dubitatio. Sed semen esse excrementum, ostendit quod in omnibus generetur, & excerni desideretur, & cum voluptate eijcitur, & iactura retinetur. Sed intempestiuè emissum, aut si nõdum sit excrementum, sed loco alimenti ad vasa deductum seminis illius euacuatio, cùm iam non sit amplius excrementum nocet. At de tempore & modo inferiùs dicemus, nunc ad magis fœda excrementa reuertamur, diximus horum esse duo genera, fæcem, & vrinam, ac exhalationẽ, quæ omnibus sunt necessaria, & ex assumptis deciduntur, muccum, saliuam, sudorem, ac semen quæ ex membris & non necessario. Nam sudor duplex, alius leuissimus, & est mador quidam, ac quasi leuis ros, & hic naturalis est, nilque aliud quàm coacta exhalatio. Alius qui copiosus effluit, nec habet naturam exhalationis, atque eo carere aliquis optimè dispositus potest: subsequi enim solet vehementes exercitationes. Tertium genus est eorum excrementorum, quæ omninò sunt præter naturam, vt cruditas, & aqua, quæ in ventriculo per potum copiosiorem, vel per aquæ haustum intempestiuum, aut prauam coctionem generari solet. Hæc si non euacuentur, semper similem sibi humorem generabunt, & adijcient, vnde nunquam finis cruditati

Mala qualitatis incommoda.

Quibus cibus dandus nõ sit.

Nota.

Euacuationis diuisio.

Quæ assumuntur, tria sunt.

Nota.

Excrementorum duo genera.

Sudor duplex.

ditati superuenire posse existimabitur, & tamen superueniet: quoniam non iam vitiata virtus est membri, sed solùm impeditum opus, commune igitur omnibus talibus est simile excrementum gignere, nec finiri. Duplex autem cum sit hoc frigidum, & hoc vel crudum, vel aquosum, aut calidum, & biliosum, vtrũque sibi simile generare aptũ est. Ergo ante cibum, & ante exercitationem omnẽ excrementorum genus singulũ eijciatur. Primum ergo fex, inde vrina, inde exhalationes hæ autem vt dictum est, frictione euacuantur: fæx verò in talibus, & vrina promptè expelluntur, de sanis enim habitibus, & minimè vitiatis ætate, vel alia causa sermo nobis his est. Quod si impedimento aliquo prohibeamur, ad alterius libri præsidia transeundum, vt enim obscuram vitamus breuitatem, sic & inanem repetitionem. Post hæc tria ad muci expulsionem transeundum, similiter oculi, & aures à suis sordibus purgandæ sunt, & sic inde ordine supra descripto procedendum est.

Nota.

CAPVT XCV.

De Re Venerea.

Venus quibus vtilis.

VEnereorum vero vsus maximè temperatis, firmis, ac præcipuè iuuenibus, atque adolescentibus vtilis est: peculiariter autem quibus prodest, cùm ex eo se sentiunt leuiores, ac lætiores, meliusque appetunt, nec quicquam incommodi patiuntur. Præcipuè enim Veneris vsus nocet podagricis, habentibus lapidem in vesica, herniam patientibus omenti, aut intestinorum, cochexiam, vertiginẽ, atque ei affines morbos, ventriculi imbecillitatem, & siccum habitum, tum si cor inualidum sit, vt duabus his causis maximè senibus noxius est. Est verò quadruplex eius differentia quibusdam enim si non vtuntur, malè habent, si vtuntur, bene, quibusdam malè si vtantur, & si non vtantur etiam malè, sed alia ratione vigilant, mœrent, nec appetunt, quidam melius habent cùm non vtuntur, his expedit cauere vt plerisque senibus maximè qui multum processerũt, quidam bene habent cum vtantur, & si abstineant, firmiores sunt, his solis vti expedit, aliis qui melius habent, haud expedit, sed necesse est aliis, neque expedit, nec necesse est, pessimè agitur cùm malè habent, non vtentes, deterius si vtantur: non igitur omnibus senibus damnosus est, sed multus omninò aliis iuxta differentiam datam, interdum necessarius, perrarò etiam vtilis, nihil enim inutile prorsus creauit natura, nisi cùm iam etiam prorsus deficit.

Quibus nocuat.

CAPVT XCVI.

De Animi accidentibus, & an omnes animi affectiones exsiccent.

Animi accidentia qua & quid possint.

POrrò animi qualitates plurimum possunt ad vitam decurtandam, non solùm timor, ira, tristitia, sed etiam lætitia legimus plures, lætitia exanimatos, vt apud Valerium Maximum de inusitatis mortis generibus: sed quãquam huiusmodi mortes repentinæ sint, sunt tamen rariores: nec letitia occîdit, nisi à vehementi tristitia mutata, tunc enim exilis iam factus animus repentina commutatione exhalat, & euolat. At omnium affectuum lethalissimus est timor, atque citò perimit post quem ira citò perimere potest, at rarò perimit dolor, & tristitia perimunt quam frequentissime, & longè sæpius quàm putent homines, non tamen celeriter. Propterea à metu semper si magnus sit, sanguinem mittere expedit, postquam in tepido balneo fuerit, cuius tamen aër modicè frigidus sit, atque ibi diù fricatus, & cucurbitulis magnis affixis. In aliis affectibus hoc necessarium non est, Ira vehemens minùs nocet, cùm homo clamat, excandescit, pugnat, aut vlciscitur: sed iam tempus est vt iræ admirabilem effectum pro exemplo referam. Thomas Girardelus Ciuis Bononiensis annorum circiter triginta, dentis dolorem passus est aliquod diebus, tandem suasu quorundam curauit auelli: fluxit sanguis ex gingiua duobus frequentibus diebus, in quibus contigit vt ira percitus vehementi, malè affectus sit, itaque paulò pòst ad vomitum bilis multæ peruenit per tres dies continuos: inde correptus febre hora noctis nona, quæ secuta est diem secundam Octobris, tumque Mars Mercurio iunctus circa initium Scorpij propè caput Draconis (si quid ad rem facit spuebat modicum sanguinis, vrinæ turbatæ, febris acuta, difficultas spirandi maxima, dolor secundum longitudinem pectoris non à lateribus: vocatus in sextæ diei initio, cum viderem anhelitum breuem, & frequentem, cum saltu cordis, & vestigia rubra circa spinam dorsi, atque vrinas præter id tenues, & crudas, dixi non victurum viginti quatuor horis, atque ita post horas viginti duas interijt, in initio septimæ diei, adieceram in Prognostico ostensurum, si placaret abscessum in διαφράττοντες, neque delirauit vnquam. Cùm verò hæc prædicerem, dixi, me intelligere omnia, sed vix posse causam inuenire, quod neque vomitus cum dentis auulsione, & sanguinis fluxu conueniret: neque febris, & abscessus cum vomitu. Respondit eius agnatus fieri hoc potuisse ex ira: at ego mirabar, nec de ira quicquam intellexeram: verùm vbi cogitare cœpi, cognoui hanc fuisse causam, cùm enim in Pannonia fuisset in castris, multa passus incommoda, repletus prauis humoribus, erat autem secundum naturam habitus prorsus melancholici, macilentus, niger admodum vt Afer,

Timor & modus curandi.

Historia.

Afer, nigerrimis passis, effusis humoribus, corruptis, & sanguine conuerso in bilem flauam & nigram, vt ex potentia ad actum peruenit ob ætatis robur, quod fuit in membris naturalibus reiectum ad ventriculum, atque effusum est per vomitum: at quod in membranam diuidentem pectus, cum exitum non haberet, acuta atque maligna febre excitata ipsum interimit, celerrimè autem cùm nihil penè expueret, abscessusque esset magnus: nam dum circumuolueretur, sentiebat quasi pendulum pondus quod decidebat. Itaque, & quantum possit ira, ex hoc exemplo intelligis: & quàm multis mors succedit ex importuna dentis auulsione, præcipuè in valde senibus. Habitabat autem hic æger in via Marscharellæ Bononiæ.

Omnes præterea affectus animi augent morbos in habentibus illos: dico affectus magligni, vt sunt tristitia, & curæ, & timor, & ira. Et timor est vt dixi pessimus, inde tristitia, & deterior est quæ mixta est timori, & curis: curæ enim cum timore sunt, cum metum, & retrahunt calorem intus. Et tristitia retinet illum, ideò prorsus subtrahunt somnum, & ex eo perducunt ad febres, aut capitis dolorem, & ex eo ad phrenitidem insanabilem, ex qua breui intereunt: Et etiamsi euadant, aduruntur humores, & augetur atra bilis, & perueniunt ad insaniam, & ad cæcitates, surditates, & paralyses. Et augentur omnes morbi ob naturæ imbecillitatem, motum, & deprauationem humorum. Et in enterocele, & epiplocele, in quibus est minus verisimile, fluunt excrementa humida ad locùm, & vires debiles non continent, & intestina, & omentum descendunt. Aluus astringitur multis ex causis, quæ notissimæ sunt, & omnia peruertuntur. Siccant, calefaciunt calore præter naturam, vrunt, commouent, & agitant, trudunt etiam in interiora, laxant, retinent, expellenda, vigilias faciunt, & canos accellerant, vt aliquando in vna nocte, sed & caluitiem. Reliquum est modo vt videamus nunquid omnes animi affectiones exsiccent? Solū enim non afficiunt animo humectat, & hoc appellant Hippocrates, contrarium: lætitia igitur siccat corpus, & gaudium. Videtur autem difficilè, atque durum, vt à duobus contrariis maximè per se idem proueniat, atque in his admodum fuit Galenus auarus cùm tantam mutationem in corpore humano pariant declarandis: si enim gaudium siccat proculdubio nec senibus lętari cōueniet. Ergo Princeps in libro de viribus cordis docet, quod lætitia fit à multitudine spiritus tēperati, & splendidi, & quod lætitia gignit spiritum temperatum, multum, & splendidum, & hoc est verum, & corpus humectatur. Ideo dicis senes parum lætantur, & conualescentes: sic etiam irati, quia spiritus est calidior. Idem primo canticæ: [Magnum & multum gaudium impinguat corpus, ideò lædit crassum, & pinguem.] Ibi Auerroes malè exponit, volens quod impinguetur corpus à calore: imò vt vult Galenus secundo de Temperamentis, pinguedo fit ab humido & frigido, sicut caro ab humido, & calido. Respondeo ergo quod debemus sequi veritatem, & non vt stulti faciunt, vt Galeni literam tueamur, docere absurdam doctrinam, nocere humano generi, & ipsum Galenum deinfamare: rei veritas enim est, quod intelligit per affectiones animi perturbationes. Quod si dicas calor augetur, ergò non refrigeratur corpus, dico quod Princeps dicit ibi, quod calor rarescit in lætitia, & ita corpus refrigeratur, & hæc responsio cum Galeno est, quia idem est de motibus corporeis, animalibus vt suprà visum est, & corporei lenti impinguant & humectant, lætitia autem est motus lentus animi, & vbi esset repentina, & valida exsiccaret. Constat autem quod facta repræsentatione ad cor horroris, aut timoris, aut iræ, cor mouet humores trahendo, pellendo, agitando, vt manifestè videmus in palpitatione ob timorem, & multiplici etiam motu, adeò vt incalescant humores agitatione, vt in ira, aut refrigerentur contracti suffocatore calore, vt in tristitia, aut conculcentur, & moueantur vt in timore: ideo homo est in periculo mortis ob hoc, aut vt simul contrahantur, & expandantur, & fit inæqualitas, vt in verecundia.

Dubium.

Tract. 1. cap. 4. & 6.

157. Cap. 4.

Nota.

CAPVT XCVII.

De Molestia paruorum animalium euitanda.

Dictum est aliàs de serpentibus, sub quibus bufones, & scorpiones, & areneas, compræhendi diximus, sed & horum, & illorum cura vna esse generalis videtur, vt dicam, afficiunt autem hæc non parum molestia quadam, vt vigilare cogamur, vnde omnia mala proueniunt: sunt ergo hæc valde noxia, quin etiam fœda possunt, ingratos cibos, ac potus adeò, reddunt, vt homo abstinere cogatur, aut nauseabundus illos deuorare magna certe calamitas: inquietat præterea hominem perpetuò, sed & ob aduenas hoc parum decorum est. Omitto autem quod ad sequentia pertinet de nautis, ac remigibus, vbi vermes in pane, & aqua passim, quamuis panis bis coctus sit, generantur: nam & illud dictum est aliàs, quod, & cur magis panis decoctus celerius semel duntaxat cocto, sed bene muccescit, & putrescat. Itaque vt rem ad compendium redigam definiunt plerumque molestiæ, istæ, scilicet & speciebus, ac prouidentia: quamuis enim omnia sub vno genere, ac nomine Græcè comprehendantur, τὰ ἔντομα vt Latinè fœda, sordida, putredine genita, tamen vulgares illorum species immutabiles sunt vt dixi quinque, pulex, pediculus, musca, cimex, & anonymon, quod est multiplex, & varium, polypedum, eiusmodi sunt plerumque aselli, qui sub hydriis solent inueniri: variantur autem pro annorum constitutionibus hæc, & persæpè non adsunt, imò raro eadem redeunt, neque vidi quod duobus annis continuis perseuerauerint, nam & aliàs depræhendimus erucas, muris hærentes, alias limaces, sed sine cortice, atque ita diuersis temporibus. Horum autem & quæ

Vigilia omnium malorum causa.

Paruorum animalium quinque species.

quæ ἀμετάβολα esse diximus, vna est cura in sex partes distincta, scilicet mundities, perspiratio, contrarium, sedes, custodia, seu occasio, & proprietas. Et mundities quidem in tribus constat aqua, igne, motu. Ergo loca eiusmodi purgare oportet igne, aqua, & detergendo, fricandóque. Ignis quidem talia animalia non solùm delet, sed etiam illuuiem, & oua ex quibus progignuntur. Et etiam prohibet ne viuant, calefacto, & siccato nido. Est enim solis calori contrarius, quanquam nullum ex his sex generibus animalium ex ouis generetur: fit tamen colluuies, apta similium generationi, cum aliud progignant ex illius natura, vocantque ea lendes, præcipuè in pediculis, cùm enim quatuor sint animalium exanguium genera: mollia dico eiusmodi vt sepia, & crustacea vt astaci, & testacea vt conchæ, & ostrea, & insecta illa voco quæ in plures diuisa viuunt, & omnia sunt multipeda vt ita dicam, adeò vt quædam sint XLIIII. pedum, omnia hæc ex colluuie non ouis generantur. Quæ enim exanguia sunt vt sepia, ex ouis generantur, sed non est insectum, verùm vt dixi molle. Insectum est igitur species non solùm exanguis, sed aliud à genito à putredine, formicæ enim ex ouis generantur, & tamen multos pedes habent, & plures quàm quatuor. Eiusmodi ergo quæ diximus exanguia sunt, & ex putri materia genita, & insecta, non enim illa tria ita disiuncta sunt, distinguuntur inuicem velut bipes, apes, quadrupes, & polypes, nam hæc contrariis distinguuntur ad vnguem differentiis. Ergo cum de his dictum sit alibi atque aliunde, hic solum attingemus quod necessarium est ad præsens institutum. Negat enim ex coitu illa animalia generari, sed lendes, cur ergo est quod vbi multa ex his, multa etiam generantur, vbi pauca, pauca? Numquid errauit, an rectè potiùs intelligendus est? Ex eorum igitur coitu duplex fit generatio, atque vna quidem ex se ipsis: atque sic ob imperfectionem non simile, sed aliud generatur. Ex materia autem propria ex qua illa genita sunt, id est, ex sudore, aut retrimento animalium insectum eiusdem generis: quoniam à Sole magis aut Luna præparatur quàm in ipso animali. Hæc igitur est causa quod excindere hoc animalium genus, eorum prohibet generationem, non vt materiam, sed vt agens ac generans. Hoc igitur est quod à Sole, ab ignéque melius consumitur, ab aqua autem eluitur, à frictione perturbatur, & permiscetur, atque corrumpitur. Ita cubicula principum sic mundari solent.

Vt tollatur noxa.

5. De Nat. Animal. c. 31.

Nota.

4. De par. Animal. c. 6.

Insectũ quid.

9. de subst. Et in 4. de secretis & in lib. de Rerum variet.

De sede autem illorum corrumpenda, cum in culicibus sit aqua stagnans, puluicum puluis ex animalium humido madefactus, in pediculis subcutaneum quiddam: in cimicibus (nam de muscis constat, quod ex vermiculis fimi generantur, qui ab initio rubri nascuntur) putat esse sordes humanas (& sanè sunt sanguineæ, corpulentæque) sed videmus quotidie ex libris nasci, seu tum incerta ratione hac, chartæ: vel quoniam ex linteorum fragmentis charta nostra fiat tandiu seruato viru. Ergo excindere, atque corrumpere illas sedes, & cubila acribus, inter quæ staphisagria optima est: aut odoratis, inter quæ eminet crocus: aut amaris admodum vel pluribus horum, vt in cucumere anguino, & helleboro albo, alia frigore, velut hydrargirium, sed non tutum reos, aut vtile cingulum, eo perpetuo ferre. Atque hæc etiam ad contraria pertinent, velut & fumus eorundem, aut hirundinum, aut eorum, quæ optimo odore domum suffitibus replent, velut styrax, thus, belzoi. Respiratio quoque loci multum facit, adeò vt in sublimibus turribus loca aperta, & maximè Boreæ exposita non admittunt muscas, raró pulices, aut culices, vel eiusmodi etiam cimices: frigus enim corrumpit, alia obæcat, & debilitat, alia reddit immobilia cum etiam in serpentibus adeò magnitudine exuperantibus id possit. Continua ergo cura in huiusmodi plurimum potest. Custodia autem sẽper & occasio per opportuna fuit, vt in culicibus, iuuat ante lumen introductum fenestras occludere: antea enim exeunt cubiculum cum aduesperascit, sequentes lumen clarius. Tum verò si quæ remansit, flabello discutiatur. In cimicibus igitur quoniam molestissimi hi sunt morsu, & odore fœdissimi, ac multitudine abundare solent, duplici argumento vtimur ad tutelam, quanquam vnum ad sedem potiùs pertineat, scilicet primum, atque id est vt storea ex arundine texta sub ceruicali posita excipiant illos, & manè excutiant collectos, vesperi etiam antequam se ad dormiendum conferant: sic enim quoscunque occident, à molestia auferent alios, vt collectos iam plures à clade nocturna, storea ipsa vt vetustior euadit, melior est: nam societate odoris alliciũtur: semper autem, licet secundo præsidio vti, vt dormitum te paulò tempestiuius conferas, inde ablato lumine senties, paulò pòst spicula vbi iam plures esse cœperint, statim illato lumine flagella virgulis tenuibus, nullum hoc malum, nisi quod lintea fœdantur, propterea si nolis hoc, pluribus illos digitis capientibus, & in locij matula mersis, quietus dormies. Bonum est sic pluribus simul vti venatoribus. Quod ad proprietatem attinet, cum de his alibi dictum sit, antiqui sæpè balneo aut saltem semel in die vtebantur, & oleo se inungebant, vt non solùm sordes eluerent, sed etiam arcerent omnia hæc: oderunt enim animalia huiusmodi, omnia olei odorem, & eius substantia genua illorum implicat, & proprietate etiam eos occîdit. Non sum expertus, sed existimarem si hirudinum aqua destillata corpus liniretur cimices non accessuros: simili ratione imbuerem & olea odoribus, quæ illa effugiunt, atque id tutissimum vt croco, myrrha, thure, belzoi, spica, ari, anguini cucumeris, forsan sale, aceti fæce, sambuci floribus, aut cinere, bitumine, rutâ, facilè est in huiusmodi breui, ac certo experiri, nec quicquam peccatum in huiusmodi nisi ex ignauia. Inde minus mirum est quod ferunt animalium quorundam pelles eiusmodi parere, alias prohibere. Eadem quoque diligentia in vestibus præsertim lineis, & interioribus vti bonum fore arbitror: sed & ratio bona

Sedes quibus tollatur.

Vt cimices tollantur.

Nota.

bona victus, & exercitatio & purgatio iuuant, præsertim in phthiriasi, deinde in cimicibus etiam aliquid.

CAPVT XCVIII.

Confirmantia cerebrum, & ei noxia.

ET de hoc quanquam locutum aliàs me meminerim: nihilominùs cùm hîc proprius sit locus, de eo disserere decreui: tum quia de noxiis ibi minimè locutus sim, & tractatio hæc etiam morbis illius curandis inseruiet. Diligenter quoque agendum in ea, quæ difficillima est, nam de cor & iecur, & ventriculum confirmantibus, tum membra alia referti sunt libri: De cerebro robur addentibus nemo verbum habet: & tamen nulla difficilior res in tota medicina nulla magis necessaria, nulla frequentior ob tot sensus interiores, exteriores motus: Et quoniam primum fermè senescit, & senectute læditur, indicio sunt cani: & qui egregios, ac potentes viros maximè aggreditur hæc noxa. Præcipuà ergo quæ iuuant, sunt quatuor, bona coctio, somnus, lætitia, aër liber, atque orientalis. His ad confirmandum caput additur irrigatio ex frigida aqua post lixij ablutionem. Contraria verò his totidem, & per aëre regio, vt de specu Ansancti in Italia mortifero, & aër nocturnus, atque crepusculorum. Pro lotione frigidæ caput tenere madefactum, hoc enim multum debilitat, corrumpitque cerebri temperiem. Præter hæc quinque sunt alia quatuor cibi acres, & malè olentes, & alia, cæpæ, caules, inde Venus immodica, sed & ebrietas præsertim ex vino potenti. Tum verò concussio capitis, vertigo, vulnera, ictus. Propriè autem obsunt capiti mora omnia, & vuæ in doliis asseruatæ. Et vina facta ex vinaceis, & aqua, quibus vtuntur Bononienses, vocantque media, & alia mista, & sunt ex speciebus loræ, quæ illi putant capiti esse saluberrima, sed & fulua deteriora longè nigris, vt in quarto Synopseos Oribasius refert, tum lac præter cætera. Inuenire autem quæ nocent, & quomodo noceant, scire pronum est, cauere difficile, quæ iuuant adhibere facilè, modum cognoscere operandi difficilius. In vniuersum tamen in hoc vt in alias summum præsidium est cauere à noxiis. Nota etiam sunt quæ purgant per aluum, & quæ auertunt iam coacta: & errhina, & apophlegmatismata, & helleborus niger est præcipuum, inde agaricum. Ea verò quæ confirmant ex cibis, odoribus, irrigationibus, suffitibus, otalgiis, & emplastris, ac inunctionibus, & his quæ manduntur, indicium est in vertiginosis, quorum plerique nuce myristica, vel zedoaria mansa cohibentur à symptomate, spica Inda destillationes prohibet. Ex cibis igitur cerebrum leporis, & gallinæ, & mazapanus, vel amygdalæ saccharo oblitæ plurimum confirmant cerebrum teste Auenzoar. Sed amygdalæ sic præparatæ etiam somnum conciliant. Vitella ouorum à moderato cibo, & ficciore, prosunt præcipuè in cœna. Ex odoratis moschus, ambra, zibethum, xiloaloes, garyophylli, chamamelon, & cinamomum nostrum, quod verum est antiquorum cassia. Ex frigidioribus rosa, violæ, santhali, sed nux myristica, & spica dicta astringunt, cohibentque, ascendentia. Post laudantur verbena, betonica, matersylua, rosmarinus, pæonia, sampsuchus. Quæ auocant exterius illita sal torrefactum, spuma maris, helleborus, alumen condusi, xiloales. Excipiuntur aceto aut vino acri. Adde euphorbium, crocus & huiusmodi vehementer odorata partim iuuant, partim nocent deducendo ad caput. Cardamomum cum non multum sit odoratum confert capiti. Galenus in febribus delegit rosaceum ab initio cum aceto ad repellendum, quibus vbi paululùm defluxio constiterit, admiscet sphondilij, & serpilli modicum, cui paulò pòst castoreum, addit, quod maximè laudat. Ex his rursus quæ purgant illud, sunt calocynthis, & sena, in copia veratri nigri, & agarici tanta, non video quis locutus sit his violentis, aut malignis. Vt ergo si atra bilis vrget helleborus, ita si leuior pituita, agaricum, si densa colochynthis præparata diu cum castoreo, & gingibere, ac melle, in catapositiáque redacta vtilissima erit. Myrrham autem singulis addere oportet, cum & per se plurimum educat, & prosit. Et ex errhinis anagalis, aut si caridius placet aristolochia cum pipere. Ex his autem quæ augent cerebri substantiam, secundum Principem, est auis quæ vocatur Francolinus, & auellanæ cum saccharo, sed auis præter id etiam mentem acuit. Obstructionibus autem eius confert propriè melissophyllon, ozimum, narcissus, sed priora duo seu edâtur, seu odorêtur, hoc autē odore propriè vtile est aduersus attonitum morbum ne adueniat, cùm aperiat obstructiones ex atra bile, & pituita: Anemon autem & pro caput purgio, & pro apophlegmatismate adhibita, eodem teste multum confert, non tam violentia, quàm natura, cerebrum expurgans. Ex compositis autem cerebrum purgat Hiera Faneligoris. Confirmat autem Anacardina confectio, si frigidis cerebrum humoribus quod plerunque accidit, opprimatur, cauenda tamen est illius immodica caliditas, siccitasque etiam magis: aduerte somnum qui si augetur, aut manet, & quietior redditur, bonum est, sin secùs desiste. In melancholicis autem temperatum medicamentum est confectio ex hyacyntho. Et hæ omnes ab illo descriptæ sunt, sed nulla melior in melancholicis morbis, aut facilior ad seruandum purgandumque confectione ex lapide cæruleo. Purgatur etiam cerebrum per lachrymas, vt idem testatur, vnde pueris fletus non admodum grauis, & ad cerebrum, & ad mentem, ac mores confert.

Cerebri confirmatio, difficilis.

Iuuantia.

Nocentia cerebro.

Cap. 19.

Nota.

11. Met. c. 18.

2. Can. Cap. de Dura.

Cerebri instructionibus iuuant.

In 5. lib. in Antid.

Lachryma bona.

De His

CAPVT XCIX.

De his qui custodia indigent.

Custodia duplex intentio.

DVplex est custodiæ intentio, altera quæ non conuenit multitudini & est mutatio, altera quæ generalis est, & est euacuatio, multitudini quidem per se conueniens, per consequentia autem etiam aliis. Mutationis autem tot sunt genera, quot etiam defectuum, & vitiorum modi. Meminit autem præcipuè trium Galenus in Arte Medica, consequentium quæ debentur materiæ putridæ, & alexipharmacorum, quæ venenis ebibitis, aut alexiteriorũ, quæ morsibus, & ictibus venenatorum animalium aduersantur. Et his quæ attenuant crassa, seu dissecant lenta, aut edulcant acria, vel calefaciunt frigida, aut refrigerant calida: atque hæc omnia per se sunt manifesta, præsertim quod declaratum supra sit: quia attenuatio duplex sit crassorum, ac lentorum, vt incidere etiam dici mereatur attenuare. Verùm quod oportuit docere, fuit illud de aqueo humore, quomodo præparandus sit: hic autem in senibus, & quibusdam laborantibus difficultate spirandi abundat, tum propè omnibus, in insanabilibus morbis, aut omninò nimis concretus, & coactus scio coctionem vtilem esse, sed non vt generetur, non vt genitus iam possit concoqui. Et in destillationibus quidem concrescit, atque concoquitur, non tamen omnibus: qui enim difficiles patiuntur destillationes, & per circuitus recurrentes, materiam tenuem expuunt, atque sic à periodo liberantur, nam materiam lentam, crassam, vitream, mucilagini, seu mucco similem incidit, & attenuat, veluti diatrion pipereon: sed aqueam illam materiam non est quod concoquat. Qui litigant, & non intelligunt, obstinatè tueri pergent coctionem deberi, nec pudet quod experimentum secùs doceat, nec piget quod ægri suæ fidei commissi pereant. Ergo talis humor, non nisi congelatus frigore, inde diuisus concoquitur: atque ita duabus indiget mutationibus, quod efficit oximel scillíticum cum syrupo violaceo. Cedit & is humor incoctus educentibus aquam, nec indiget alia mutatione, vt neque lapis, vel arena cùm sit præter naturam. Alter verò modus generalis tollendi detrimenta malorum humorum est euacuatio, quam quintuplicem esse docuit Galenus loco præallegato. Euacuantur autem satis calidis medicamentis, ex quibus fiunt purgationes, & clysteribus, hæc sequela quadam totum purgant, non tamen à toto, sed reuellunt: quin & experimento cognitum est plurimum posse in coxendicis morbo diuturno, præcipuè quæ sanguinem ducunt, vt cum centaurio minore Si corpus plenum sit, caput conturbant: semper tamen iecur debilitant. Vomitus etiam per se capiti nocent, & oculis, & pectori: purgant tamen totum corpus, sed violenter. Antiquis in vsu cum albo helleboro, vnde helleborismus sudores quoque euacuant omne genus humoris, sed non omnes humores, quoniam non crassos. Et hæ communes euacuationes partim exempli causa adductæ ob vrinam, partim humorum non sanguinis ob venæ sectionem: & ob idipsam, & cucurbitulas, & hirudines prætermisit: & quæ non per se aut leuiter, velut frictionem, exercitationem, balneum quod vt cit sudorem, & inædiam non commemorat. Custodia autem propriè indigent conualescentes. Longè enim deterior est recidiua sua radice, dicebat Hippocrates in Aphorismis, senes quoque quorum custodia est, vt minimè siccentur, aut refrigerentur: siquidem per hæc duo homo consenescit, & per eadem ad opera inutilis redditur: siccatur autem ac refrigeratur, vel siccato humido, calido, vel non reparato, aut corrupto. Siccant ergo vigiliæ, vehementes motus, inædia, cibi praui, duri, excrementosi, venus, curæ, nec non euacuationes à medicamentis fontes quos vocant cauteria, refrigerat superflua quies. Neque idem est siccare corpus cibo, & vesci cibis substantia siccis, velut saccharo, & melle, quibus nihil melius est senibus.

Iuxta finem Mutationis tria genera.

Attenuatio duplex.

Aqueus humor quomodo concoquatur.

Conualescentes custodia indigent.

Quæ senes siccant.

CAPVT C.

Vinctorum, seruorum, atque aliorum victus ratio.

Vinctorũ victus.

VIncti in ergastulis paucissimo vti debent cibo, & somno indulgere, & læta cogitare, memores dicti Socratis: Vos me (inquit) morte damnastis, vos natura, tum reliqua de quibus in Theonosto & sanctorum vita: Serui verò & famuli pluri cibo vti debent, ob labores, nec his licet tamdiu dormire, ob id à media refectione magni labores, à ieiunis mediocres sunt feredi, à repletione nulli, & maximè itinerũ pedestrium, aut equorũ, qui subsultim, & incommodè gradiuntur, cibi solidiores, potus paucus, & nutrimentum si multum sit, pauci multi si paucum. Iuuat in festis (nam & Afri deterrima colluuies hominum hos dant captiuis, etiam Christianis) somno indulgere, paucis vesci cibis & bene nutrientibus. Quibus etiam conuenit purgatio, aut venæ sectio, si valdè malam vitam perferãt, frequentiùs quàm magna. Addicti verò negociis ciuilibus, hi etiam honesti viri habentur atque potẽtes, vt non omnes seruili conditioni sint adnumerandi. Galenus autem de his omnibus in sexto de Tuenda sanitate sermonem habet, ideo lõgum esset singula recensere, superfluum etiam transferre. Propterea vna regula communis huiusmodi sit omnibus vt cibum, & potum tantò magis minuant, quò somnus impeditur, & horas motus etiã vitent in assumendo ipsum. Et cibi sint molles, & putredini minimè obnoxij: & propter hoc plerísque eorum vuæ passæ conueniunt, saccharum, & mel: sed huiusmodi sunt inimica carnibus, & magis etiam vino: & carnium esus,

Seruorum.

Nota.

Carnium esus malus.

esus, cum vigilandum est aut laborandum, efficit schirrhum in iecore. Cùm verò quinque alia sint ex rebus non nobis propriis præter cibum: cibus ita accommodandus est, vt quieti, somno, lætitiæ, atque euacuato corpori tribuatur, cum calidis pedibus: malè verò pedes incalescere possunt, quibus humidi fuerint.



DE SANITATE TVENDA LIBER QVARTVS.

CAPVT PRIMVM.

De Senectute.

Senescere quid.



PERACTA totius increscentis ætatis historia, reliquũ est vt de his qui integra sanitate ab initio fruuntur, vitiatam nunc solùm ætatis causa vitæ partem attingamus. Illud primo nobis proponentes, quod homini necessarium sit senescere: sed quid sit ipsum sine vitio senescere primum definiamus: constat enim quod calore imminuto spiritibus, sanguineque reddito impuriore, tum etiam temperatura totius ad frigidius ac siccius tendente, necesse est tandem actiones, viresque membrorum vitiari. Sed cùm sensim, & quasi æqualiter vitiantur, tunc senescere homo citra omne vitium dicitur. Nam neque vllam noxam sentit, & sensim ac æqualiter imminutis eodem tempore viribus non satis manifestè deprehendit, an vllum sit contractum vitium in suis operationibus. Senescensque iuuenem adhuc, & meritò se esse putant, quoniam comparatione ipsa sola nisi admodum defecerint vires membrorum, vitia earum deprehenduntur. Totus igitur scopus videtur in senibus circa hæc duo versari, vt scilicet sensim, & tardè quantum fieri potest, tùm etiam æqualiter vires membrorum declinent, ac minuantur. Porrò hæc etiam tribus his mediis, de quibus dictum est suprà, assequi licebit, vt humor ille serius, quàm potest, contrahat fæcem, aut consumatur, vt optimum deperditi loco, atque purissimum restauretur, vt minimè ægrotet homo: hinc illa dubitatio supra proposita, an humidum hoc à fæce vlla industria possit repurgari, quàm Deo dante aggrediemur. Nunc illud demonstrandum quonam pacto membra omnia æqualiter senescant. Id commodè fiet si illis membris, quæ faciliùs vitiantur, auxilia ita accommodauerimus, vt ipsa iuuentur, reliqua minimè lædantur. Faciliùs ac promptiùs læduntur membra tribus modis (de his enim solum loquor, qui integra sanitate fruuntur, & custodia optima vtuntur) vel quia membrum est imbecillius natura, vel quia spontè frigidius, ac siccius, vel quia nimis aut parum exercemur. Primo modo exanguia membra facilè senescunt, vt vesica. Secundò quæcunque talia sunt, vt iuncturæ, articulique. Tertiò quæcunque nimis exercentur, vt cerebrum: quæcunque parum, necesse est exercere ob corporis salutem, velut membrum generationi aptum in masculis. Nam si moderatè id exerceamus, non facilè senescit, sed corpus nimis absumitur: vt ergo corporis vires maneant, abstinemus à Venere, atque ea causa celeriter virtus illa languescit. Igitur cerebrum & ventriculus duplici, imò triplici causa celerius senescunt, tum vesica omnibus aliis membris, nam & exanguia sunt omnia hæc valdè, & in continua functione, aut saltem assidua, & frigida omnia, duo etiam ex illis sicca, ventriculus, atque vesica, sed ventriculus atque imò tantum functionis genere vexantur, at cerebrum non vno prorsus, sed multiplici namque & sensibus exhauritur, dum oculo, & auri, aliisque sensibus spiritus subministrat, & sponte dum recordatur, & cogitat, imaginatur: dumque tot motibus satisfacit, nam neruis spiritus suppeditat, affligitur & doloribus, & vigiliis: itaque omnium membrorum celeberrimè cerebrum senescit, post vesica, inde ventriculus. Primum igitur canities, tum caluities aduenit: secundum est memoriæ debilitas: tertium vigiliæ immodicæ, quæ senescentes vexare solent: quartum rugæ: quintum destillationes tum ad ventrem, tum ad pectus, tum ad nasum, vnde Poëta:

Tribus modis facilè membra læduntur.

Quæ senescentibus contingere solent.

> *Tam grauis es, nobis sicco venit altera naso.*

De sene loquitur vxore, ac moribus improbis ætatis illius, cùm diuortium admitteretur: sextum est dentium nigredo, erosio, debilitas, inconstantia, dolor, casus, gingiuarum diminutio: septimum oris fœtor: octauũ tusses, & in ventriculo cruditates: nonum est lapis tum renum, tum vesicæ, decimum vrinæ

vrinæ copia maxima: vndecimum renum debilitas: duodecimum impotentia ad Venerem: tertiumdecimum tremor membrorum: quartumdecimum est alui duritiess: quintumdecimum hebetudo visus, lachryma, inuersio palpebrarum: sextum decimum surditas, tinnitusque.

CAPVT II.

Scopum in senibus esse ad producendam vitam, in iuuenibus ad sanitatem.

Senis conditio.

SI quis rectè consideret, senis conditio persimilis est oppido rebelli, quod cum pauca annona à Rege potentissimo vndequaque & obsidetur, & expugnatur. Primum quod neque induciæ, nec salutis spes vlla impetrari potest. Secundum quod certum imminet exitium, nec diu ob inopiam proferri potest. Tertium quod conditio obsessorum in dies deterior redditur, melior nunquam. Quartum quod duplex imminet vtriusque periculum, nec seditiosus intus perdat arcem, & ne externus hostis vi irruat. Quintum quod vterque inter Syllam & Charybdim nauigat, nam si defensores intus non excipiamus, externus hostis vacuam arcem, & viribus inanem occupabit? sin auxilia quærantur cibis & potibus, in oppido autem externo milite proditionis, ac seditionis periculum imminet. Sextum accidit quod vndique vtrisque timendum est, nam debiliorem partem semper hostis occupat. Quibus igitur cerebrum debilitatur, pereunt hi attonito morbo, inquit Galenus, aut resolutione. Quibus cor fit imbecillius hos febres perimunt. Quibus iecur his ascites mors est. Si pectus sit natura, & ætate confectum moriuntur ex laterali morbo. Si intestina sint debilia, hos fluxus ventris, aut diarrhœa perimit. Si vesica profluuium, & ardor vrinæ necat. Ventriculus rarò causa est mortis propter quatuor causas, quod facilius illi succurratur, quod senes non sint edaces, quod celerrimè noxam suam sentiat, & quod illi omnia fermè membra calore proprio suppetias ferant, si tamen contingat causas præbere mortis, leuitatem affert intestinorum. Renes quoque nisi angusti nimium sint, tunc enim suppressa vrina mortis causam præbent, aut nimis calidi generando calculum, aliàs ob pinguedinem, & multitudinem sanguinis, & magnitudinem, rarò mortis causam præbent. Multò rariùs pulmo nisi in vltima senecta cùm exaruerit. Sed nec lien, non septum transuersum, oculi, auresve. Sed si coneris aliquod membrum firmare, illud protinus occupata tyrannide reiicit in aliud excrementa, atque occidit. Non igitur præter cor, & cerebrum adeò tutò membra robustiora reddere curæ fuerit: sed moderatè à cibo abstinendo non robori, sed vitæ solum producendæ intenti erimus. Quo fit vt nec copia cibi, nec alimenta maximè nutrientia, non vinum potens, non exercitatio, non denique aliquod officium vtile sit senibus. Hæc enim iuuenum opera. Vltimum illud solum eorum, qui vel necessitate coguntur, vel ambitione, aut auaritia inexplebili detinentur. Sed qualis deambulatio corpori, talis amœna lectio animo, somnus autem vtrique prolixus vtiles erunt. Generaliter autem prius cerebrum in sobriis, quod frigidus sit, & plus sustineat laborum debilitatur. Inditio est visus, & auditus hebetudo, & canities, sed in his, qui ventri inseruiunt iecur: vt vesica in his, qui iusto plus exercentur. Cauendum est igitur longè diligentiùs, ne vllum membrum lædamus, non tamen cura adhibenda est, vt confirmemus ipsa.

Membra debilia quibus morbis subiecta sint.

Ventriculus rarò causa est mortis.

Nota.

CAPVT III.

De Vitæ longitudine, & an optimum sit statim custodia vti, exempla, & modi.

Quid mors.

QVia vita est omnium, quæ homini aduenire possunt fundamentum, qui vitæ diuturnitatem procurat, aut adipisci decet, maximum mortalibus beneficium præstat, tametsi neque viuere bonum esset, certè summum non est. Mors autem est separatio animæ à corpore ob extinctionem caloris innati, neque huc pertinet ob verbum separatio, quæstio illa de animæ essentia, sed solum per separationem intelligimus, quod desinat operari, & corpus perficere: communi enim omninò sensu, & animalibus cæteris, & plantis mortis diffinitio congruere debet. Porrò mortis causæ simpliciter quatuor, corruptio caloris ob humidi innati consumptionem, aut corruptionem, vel propter causam internam citra humidi vitium, aut externam. Causæ ergo compositæ erunt, sex trina quatuor: quaternæ vna, vt sint omnes cum simplicibus quindecim. Est autem calor innatus, vt instrumentum in spiritibus, vt fundamentum in membris. Intelligo modos compositos, non vt duæ sint causæ simul: hoc enim est fortuitum, & rarum, vt de hermaphrodito cecinit Ausonius, sed cum seni acuta febris superuenit, quæ nec iuuenem potuisset occidere, neque senex ille ætate obiturus erat: hoc enim in medicina concausarum meritò accidisse affirmant, & est frequens. Est autem modus ex humidi consumptione, aut corruptione, velut in lampade vterque notus. Humidi autem sedes principaliter in corde, & primo in Principalibus morbis, & omninò in toto corpore, sed à corde conseruatur iam genitum, & quod indies gignitur, perficitur, & reparatur illius virtute. Quomodo verò citra iacturam humidi calor extingui possit, apertè videmus in eadem lampade cum flamma suffocatur, aut frigore, vel motu violento extinguitur. Nec necessarium nunc est ad vtiliora properantibus causam per se horum inquirere? sed solùm scire quæ id possunt, & quæ sint causæ causarum: vt quæ calorem motu violento extinguuntur, vt lætitia. Propterea vt claritatem dictis addamus, exemplo primum à pulmone

Mortis causa.

Humidi innati sedes.

pulmone sumpto, ille non solùm citius præter naturam corde senescere, & siccari potest, sed etiam natura: quod sensit Aristoteles cum dixit: Naturalem mortem aduenire prius siccato pulmone, vt cordi munus follis exhibere non queat: quod contingit, quoniam cor est substantia densius, calidius, & spiritu multo repletum, & frequentiore motu quàm pulmo agit, ideò tardiùs siccatur illo: at in causis fortuitis quoniam contingere potest, vt nutrimentum illius sit minus bene elaboratum, aër qui occurrit frigidior: vel vlcere laboret, at destillationibus opprimatur, vt plerisque maximè senibus. At dices si materia tota fluit, ac refluit etiam in corde, quomodo & Galenus, & experimentum docent, corpus tamen fit perpetuò siccius? bona fortuna agitur, quoniam experimentum, quo indigemus, perspicuum est, vnde hic de causa non est necessarium agere. Tum verò & huic alibi satisfactum est.

Contrad.

Verum & id potius considerandum, quod etiamsi non siccaretur per se, tamen quod mutatur post constantiæ tempus, deterius indies efficitur: quare tamen interim augeatur viribus, & mole corporali aliàs attigimus, at nunc exactè docere propositum.

Alimentum diuersificari iuxta ætates.

Per alimentum fieri ibi docueramus accessionem corpori in dies, tam virium, quàm molis, verum in consistenti ætate æqualem dissolutioni: in adolescentia, & pueritia maiorem ea, in senio autem dissolutionem, contra accessione maiorem, tam in viribus, quàm mole, atque id perspicuum est.

Tex. Com. 63.

Attende modo quod dicturus sum causæ incrementi tam in mole, quàm robore (nam eadem est ratio vt vtriusque in vno, ac altero, licet vt Hippocrates dixit non semper simul augeantur, ac minuantur) sunt humidi puri abundantia, caloris magnitudo, moles prior, maior (nam iuxta proportionem eandem si augeantur, palam est, quod plerumque contingit, aut saltem supponitur) maius futurum in corpore mole maiore, ac viribus, quàm in minore: & minorem pariter in vtroque resolutionem.

Resolutio in quibus maior.

In pueris igitur, atque magis in infantibus maior certè est resolutio quàm in adultis, ac longè etiam magis quàm in senibus. Quod non solùm Hippocrates prima Aphorismorum testatur, & ratio apertè ostendit, sed Galenus XI. Methodi luculenter docet, & robur, corporisque moles minor, & calor itidem (non dicam minor qui sit maximus) sed hebetior. Tribus igitur ex causis minùs crescunt infantes pueris, & pueri adolescentibus, & quo etiam duo considerare oportet, cùm præter rationem plus iusto crescant infantes, & qua magis ætate, velut ego & nepos meus Facius à XIII. ann ad XVI. adeò creuimus, vt gigantes euasuros nos existimarent: cumque antea parum, in posterum nihil incrementi accepissemus infra mediocritatem, & robur, & magnitudo substitit. Sed quoniam hæc ad contemplationem magis pertinent, quàm ad opus, nunc de his scribere super sedebo, non tamen vadimonium prorsus inchoatum deseram. Ergo nihil prætermittendum, ne omnia in dubium reuocem: si omnia perfectè attigeto, delassabo sine fructu lectorem? Capita ergo singula recipere oportet: ea solum tractanda, quæ ad finem consequendum attinent, atque ea breuiter: de reliquis id solum ostendere, quod ad præsens negotium non attinent.

Humidum innatum quomodo corrumpatur.

Primum igitur illud videndum quomodo humidum innatum corrumpatur, certè per malam restaurationem, quam tamen Galenus prætermisit: nam consumptionem humidi, & excrementorum abundantiam duas causas mortis esse præsupponit: tametsi enim euacuentur ita excrementa, vt vllum paritura sint morbum, & nondum sit finis vitæ naturalis corrupto humido innato mors accelerabitur. Quod si dicat ob id quod humidum sit impurius celerius absumi? non negabo, sed id in paruis detrimentis, & longo post tempore. At hic lapsus non tantam moram patitur. Et sicut omnia quæ natura mortali constant corrupto humido suo intereunt plantæ, metalla, lapides ex dissidio elementorum naturali, quod Philosophi animaduerterunt, quantò magis homines: in quorum humido necesse est calorem, & magnum naturalem, & cum vehementi motu pabulari. Vnde quibus ille calor deest, hi adeò diu manent, vt perpetua à quibusdam existimentur, velut aurum, & adamas: mas: quæ si possent esse perpetua, cùm alia eiusdem speciei in dies generentur, iam omnia essent adamantes, & aurum: hoc igitur præter rationem, & euidentem, planè ostendunt omnia mista corrumpi.

Quomodo motus sit causa breuitatis vitæ.

At (vt diximus) cùm in homine hic calor manifestè causa sit breuioris vitæ ob motum acrem, vnde plantæ, quod exiguum retineant motum in suo calore, cum voluntario, & vitali careant, sed solum trahant, atque expellant, comparatione animalium longam sortiuntur generaliter vitam: hac ratione metalla plus omnibus durant, inde lapides, post plantæ, deinde animalia: maiore enim motu aguntur. Motum nunc dico quo calor quidam humidum depascitur, non localí vt nuper adnumerauimus: longa enim problemata hîc præter propositum annectere non est vtile. Intelligis ergo aliam esse humidi corruptionem, à consumptione, & excrementorum copia, & in hominibus omissa mistionis necessitate actionem caloris in humidum considerandam. Reliqua de violentis morbis, aut casibus externis sub vno capite depræhendentur, ne curandi rationem hoc in negotio immisceamus, aut prorsus necessariorum proposito nostro aliquid relinquamus, duntaxat duabus quæstionibus adiectis. Si igitur caloris motus per breuem efficit vitam: nam præstiterit calorem in iuuenta auxisse, studiosè, siquidem conducet ad salutem vitæ longitudini oberit. Verùm Galenus hac in causa huic negotio plurimum studet. Et cum mors adueniat, vel defectu humidi, vel illius corruptione aut excrementorum abundantia, quibus omnibus caloris robur obstat, dubium non est oportere calorem naturalem seruari, augere non conducit, quod celerius absumet humidum, & maiore motu accelera

Calor qualis & quantus esse debeat ad vitæ longitudinem.

accelerabit mortem. Densus ergo, & tenuis calor, ac purus potius paruus, quàm magnus, & quasi fixus, conducit ad vitæ longitudinem, non augendus, nam præter naturam erit, & motum ciet alienum. Verùm ad seruandum iam inuenta exercitatione, non leui indiget, & hoc putant conducere, aut etiam necessarium esse ad illius magnitudinem, vitæque diuturnitatem, sed falluntur. Quin quod experimento res constat, id vero simile dictis. Et vt dicam ab illo, vt videbimus, sumenda ratio erit. Altera quæstio est an statim inchoanda sit viuendi ratio, & quo septennio (si modo diuidenda est nostra vita eo annorum numero) & mihi sanè non ardua videtur quæstio, cùm iuueni conueniat exercitatio & caloris densatio, ac concoctio proba, atque abstinentia à noxiis, primum variatur pro ætatis ratione reliqua manent, sed ita vt mediis diuersis pro virium magnitudine, ac reliquorum comparatione quærantur. Ergo quantò citiùs, tantò meliùs, sed & quandocunque melius est aliquid habere quàm nihil. At quoniam in incertum vagari causam sæpè præbet, vt à scopo aberremus, vel omittendo quæ haberi possunt, aut quærendo quæ non possunt, aut occasionem præbendo calumniæ si non succedant, dicamus de ipsius scopi terminis. Scripsere Lucianus de Macrobiis, & Phlegon Trallianus Adriani Imperatoris libertus hic meminit. Faustum Cæsaris seruum è Sabinis, à Prætorio Pallantino se vidisse annos natum CXXXVI. atque Adriano Cæsari exhibitum. Cùm Lucius Tertius è Bononia CXXXV. vixisset. Cum Plinius referat, de Tito Fallonio Bononiensi, quod CL. annis censuum Cæsaris obseruatione vixerit, & erat illius ætati Phlegonte proximior. Sed certis historiis constat de Gorgia Leontino & Democrito Philosopho, quorum vnus CVII. alter CVIII. annis vixit, amboque satis firmis viribus. Senecam qui putant CXIIII. annis vixisse aberrant namque ei qui controuersiarum scripsit libros fuère filij duo, Nonatus, & Mela, ad quos libros illos scripsit: tot sunt huius rei argumenta, tot testes vt demirer potuisse quenquam dubitare non credere. Vnus Philosophus trunca adulterio manu, plena exoletis domo, cum apparatu regio absque filiis vt ex testamento dignoscitur. Neronis magister, fœnerator maximus pomis in agro, & aqua, metu discipuli diu victitasse, aspirasse ad Imperium tum senem, & metum incussisse Neroni, tam diu colluctatum incisis venis cum morte. Præterea constat illi fuisse fratres Gallionem, & Melam Lucani patrem: ita constat hoc fratres, filios fuisse Annei Senecæ, qui controuersias scripsit, & Grammaticus, & orator tantum fuit, & pater Senecæ Philosophi vitæ coinquinatæ flagitiis, adeò vt Romani sperarent posse eligi in Imperatorem Cui bono Imperator, qui iam CX. annum attigisse, si obiit CXIIII. cum pater inculpatè fuisse legatur. Quare ex hoc numero & ea ætate indignum hunc pseudophilosophum, locoque illius inseramus Xenophilum Musicum, qui vixit annis CVII. sine vllo vitæ incommodo: potior Gorgia & Democrito artis vt reor beneficio, cum læta vita multum apta sit producendis spaciis. Refert Guido Benatus Astrologus anno salutis M. C.XXIII. vidisse hominem nomine Richardum, qui CCCLXI. annis vixit hoc longæuior anno M. CC.XLVI. Sunt & alij multi annorum CXXX. testimonio quorundam & nostræ ætati proximi, de quibus agere non decreui: minùs constanti authoritate fidem facientium, & etiam quoniam incomperta illorum vita nihil plus habemus, quàm si etiam non vixissent. Paulini sacerdotes commemorant in India Orientali veteri (sic enim nominabo quæ aureæ Chersoneso proxima est, & illam amplectitur) vidisse Brachmanum Philosophum, siue mauis sacerdotem, qui conuersus ad Christum anno ætatis suæ CXXXVI. cum celebraret festum, quo fonte salutis seuatus erat die duxisse choream more pompam agentium, vt non solùm viueret, sed ei muneri etiam sufficeret: reuocat hoc exemplum multa ad propositum necessaria in memoriam, si prius attigero sententiam Galeotti Narnij, qui putat hoc esse rarum, ob id & tamen verum, quod in natalitiis accidat, cum Chronocratores Persæ, & alioquin validi cuipiam stellæ inerranti beneficæ admodum, & salutari adhæserint. Atque hæc vt scire an vera sint, pulchrum est, ita proposito nostro inutilia, imò quasi è directo, cum illa pugnare videntur. Constat enim Herodicum apud Platonem ad longam etiam valetudinarium beneficio parci victus peruenisse senectam, & Rogatianum senatorem podagra consumptum conualuisse: Redeamus ad propositum. Duo attigimus necessaria ad longitudinem vitæ ratione consequendam, scire scopum, id est, quantum homini viuere licet? idque bifariam & generaliter, & vt cuique singillatim concessum est, & modum, causasque mortis, ac vitæ: neutrumque diffinire licuit, tum ob multitudinem partium, tum difficultatem principiorum vtriusque, tum ob varietatem opinionum erroremque veterum, ac præcipuè Galeni non satis ab illo commodè, ac sufficienter qualiscunque sit explicatum. Ergo primum vt illius sententiam absoluam, quæ in secundo de Tuenda sanitate ascripsit. [Postquam perbreue est contra illius consuetudinem vt iacent adiiciant. Nam quoniam vehementior motus exercitatio est, necesse quidem hæc tria est ab ea in corpore perficere ex illa: membrorum duritiem ex mutuo ipsorum attritu, genuini caloris augmentum, & spiritus citatiorem motum. Sequi verò hæc reliqua omnia priuatim commoda, quæ corpus exercitiis accepta refert: Vtique ex membrorum duritia, tum vt minus ex labore afficiantur, tum ad actiones robur. Ex calore autem deducendorum in corpus validum attractatum, & immutationem magis expeditam, tum nutritionem magis felicem, tum vt singulæ partes sint (vt ita dicam) perfusæ. Cuius fusionis beneficio & solida mollescere, & humida tenuare, & exiguos corporis meatus laxiores fieri accidit. At ex spiritus valentiore impetu, & purgari omnes hos meatus

Nota.

Cap. 2.

Alij legunt latos pro laxiores, sed parum refert Galenus notatur.

meatus necesse est, & excrementa expelli.] Hîc omitto quod membra velit duriora simul, & molliora fieri, (nam cauellus est, talem virum etiamsi aberraret absque euidenti fructu, insectari videtur) ipsius duritiei, id est, membri densitatis obliuisci, & praetermittere maiorem vtilitatem, atque ad propositum spectantem, & est longè tardior eius humidi resolutio, atque ob id tardior mors, seu totius & communis, seu membro propria, quam vocamus syderationem: aliam insuper, quam ab initio minimè retulit, affert causam diuturnitatis ac breuitatis vitae, & est perfusio ipsa: Et praecipuè aequalis membrorum, ab humido innato. Vt in vniuersum causae longitudinis vitae quinque sint: humidum quod tardè resoluatur, quod non corrumpatur perfusio aequalis, & colliquatio, humidi in membris, excrementorum defectus, & securitas ab externa iniuria. Verùm non est vt solicitemur in disputando de causis, & vtilitate illarum, cùm concesserimus quod vtilitatem aliquam praestent, nec noceant (constat enim quod bona sunt) an tres (gratia exempli vtilitates, an quatuor, vel quinque) postquam de fine conuenit: exempli causa diximus, quod calor expellit, excrementa concoquit, alimentum ad similitudinem innati, si densus purum reddit humidum: an modo colliquet illud humidum, & perfundat eo membra solida, postquam omnia haec ad vtilitatem pertinent, quaerere non est necessarium, vt neque an extendat ipsa membra, & corpus adaugeat. Reducamus rem ad propositum: Exercitatio incrementi tempore densat humidum, & purius reddit, vnde tardior fit illius resolutio, quod si etiam membra denset vt ait Galenus, & hoc conducit ad vitam producendam. Illa eadem calorem adauget, & motum cit velociorem: quorum primo meliùs concoquitur, alimentum fit purius, & similius innato, & hoc ipso producetur vita, & à corruptione tutius humidum erit, & vniuersum corpus, & melius resistet causis externis, atque contrariis, ob motum verò superadditum, & caloris magnitudinem, excrementa propellet, & ita securior reddetur à secunda mortis causa, seu vt verius dixi tertia, sed cum calor tenuior etiam reddatur, penetrabit in humidum, & illud repugnabit, & sincerum reddet, & licet post aliquot annos ab exercitatione cesset (scimus quantum in natura nostra consuetudo possit) non cessabit etiam in decrepita aetate calor id munus praestare: vnde ad mortem verè naturalem deueniet, quae fit propriè ex humidi innati resolutione, non autem corruptione, vt tandem concludamus vitam militarem in iuuenta, si minoribus incommodis agatur, plurimum conferre ad illam producendam. Cum elephanto Aristoteles cc. aut vt inquit, alij ccc. annos vitae condonet. In libro etiam de longitudine vitae. Et in libro de Generatione animalium, elephanto, & homini longissimam vitam tribuit, quamvis hoc secundo loco maiorem elephanto concedat. Et in nono de Historia tantum cxx. aut ad summum rem retraxerit ad cc. cumque foeminas LX. florere dixerit, innuit potiùs haerendum esse primae opinioni cc. quàm secundae cxx. vt satis si contraxisse ex ccc. ad cc. non quod ccc. viuere non possint, sed id sit monstrosum, ac si homo ad cxx. pertingat: pertingit sanè, sed id monstruosum quasi est, maximè cum fiant omnium prorsus adeò immemores, vt sint etiam fermè elingues: sunt enim oblaesi, lachrymosi, & tristes, non tam vitio vitae longitudinis, quàm generis. Quid quod referant etiam nunc in Aden orientali India, duo insignes viri, longéque diuersi, tum fama celebris confirmat illorum fidem, & testantur ad illum Reges plurimos, inter quos & Carolum Quintum & Philippum eius filium, atque alios his authoritate, & potentia minores misisse cum muneribus miraculi causa salutatum asseruntque quod ccc. annos habentem viuere, ita vt ensem mordicus ex summa acie è terra eleuet. Non negarim aliquid additum ob loci longinquitatem.

Quinque sunt causae longitudinis vitae.

Nota exercitij vtilitates.

1. De victu in Acut.
Mors naturalis.
Vita militaris ad vitam producendam confert.
Lib. 8. de Hist. Animal. cap. 9.
Cap. 10.
Cap. 46.
Nota.
Historia.

Fama bonum, quo non velocius vllum.
Mobilitate viget: viresque acquirit eundo.

Tamen constans adeò de hoc rumor increbuit, & nemine in tot annis contradicente, vt turpiùs videatur nolle decipi, quàm sic decipi. Sed videamus causas veresimilitudinis tanti miraculi: forsan enim non solùm desinemus admirari, sed condiscimus argumenta, & fidei, & euentus. Est Adem seu Aden emporium foelicis Arabiae, propè littus Arabici sinus, imò potius rubri maris, quod pro faucibus est Arabici Sinus à Fortunatis distans partibus LXXVI. aut circa ab Aequinoctij circulo versus nos, partibus circiter XIIII. regio qua nulla melior Orientalis Indica pars prouinciae nuncupatae foelicis, perflata tota, vt in maris penè littore. Vigent ibi homines, vel sponte viuentes supra centum annos, & ad CL. nonnunquam, quod ex duabus Philosophi sententiis colligitur. Hic vir praeterea Brachmanus professione abstinens à carnibus, atque vino. Porrò docuimus nullum animal quod carne vescatur longaeuum esse, maxima enim vita carniuororum terrestrium est triginta annorum, si modo vlla tam longa est, vt bessem hoc solo auferas: viuunt ex instituto saccharo, & fructibus qui optimi sunt, ac bibunt aquas bonas, & concoctas, vt Niliea velut apud Persarum Reges posthabeatur: abstinent plerique à Veneris studio. Mercator est vt audio, imò monopolium obtinet ambrae, quam scimus quantum vitae conferat, adeò vt decrepitus propria manu scripserit Princeps, depellens omnem sorditiam à corde, & cerebro, eaque confirmans: ille idem reddit rationem locupletem dum inquit: Caliditatem habet tenuem, cumque oleosa sit, imò tota oleum concretum, quod dignoscitur admoto candenti ferro: quare repurgat (vt verisimile est) humidum illud innatum, & vitam in immensum producit: referunt medici, earum regionum incolae Indos eo medicamento familiariter ob egregias illius dotes inter dapes, & fercula vti. Ergo etiam verisimile est non solùm huiusmodi

Aden.

Ambra virt.

huiusmodi (quanquam hoc ipsum prætulerim) sed in tanta penuria licere oleoso quopiam alio medicamemto vti, quod easdem vires obtineat, cuiusmodi xilo aloës. Multum enim cum hoc conuenit, liquescit totum si bonum sit, quamuis lignum: suauiter olet, confirmat caput, tenuis est substantiæ, pingue: Et quamuis Insulas, & moles in mari Indico Ambaris esse glorientur, ad fabulas vt reor vsque: certum tamen est magis deesse rem, quàm vsus rationem. Natat in aqua optima, cinerei coloris est, alij aliter distinguunt, & nos horum mentionem fecimus. Ergo vt ad institutum redeam, hæc potest dici secunda causa longitudinis vitæ, in qua includitur pars primæ, nam prima proculdubio est ex causis generalibus, & sunt ætas, vt ante, & diluuij tempore, cùm mundus esset quasi adolescens. Item regio, parentes, consuetudo, & ortus ipse. Propriarum igitur, nam communes parum sunt in potestate nostra. Secunda fuit ratio Aloisij Cornarij, qui ventriculo laborans, cùm circa annum ætatis XXXVI. pro deplorato haberetur, sibi rationem vitæ pondere præscripsit cibi duodecim vnciarum indies, potus quatuordecim, nec ab illa discedens magnam consecutus est fœlicitatem, sanus corpore, victis litibus, quibus ditatus est, suscepto filio, & ex eo octo nepotibus, cùm esset nobilis Venetus, ac prudens, magnum attulit temperantiæ suæ exemplum, & emolumentum. Quin excussus è carpento etiam rursus præter spem medicorum euasit. Hoc exemplum sequuti sunt non pauci. Dominicus Saulus, Gabriel Panigarola, ac Leonicenus, qui omnes morbis inexpugnabilibus laborantes ad longam senectam peruenere, & incolumi etiam corpore: Cornarius ad XCVII. Saulus excessit XCIV. etiam multis curis agitatus, & oppressus. Panigarola ad octuaginta quatuor, Leonicenus inter litterarum studia ad CXI. vt audio certè centesimum attigit: laborauerat autem circa finem adolescentiæ sine graui resolutione. Saulus coxendicis doloribus, Panigarola vertigine. Alia fuit Marsilij Ficini medici inuentio, quam accepit à Zoar Arabe, quem ferunt vixisse annis CXXX. vt illustrior haberetur, nec defuit occasio perniciosa carceris etiam iniusti, & in manibus proprij inimici Hali Reguli, à quo biennio detentus est, multa in eo passus incommoda, Marsilius inter assidua literarum studia ad XCV. peruenit annum, Matrem vt audiui ad CXVII. perduxit acri cura. Hæc ratio viuendi tradita est ab illo partim, partim ab ipso Zoar. Et consistit in debita quantitate, & qualitate, & electione præparationis, & horarum, & somni, sed præcipuè panem, & carens vnius diei in hyeme, in ætate autem non nisi sex horarum spatio ante mactatas, non tamen panem calidum. Et bibebat aquam cum saccharo, & fundamentum est in duobus, in carne columborum turritorium, vel etiam agrestium, non palumborum, neque glandiphagorum, quæ expurgat ventriculum, & confitmat cor, & debent sumi antequam perficiant plumam. Et hi resistunt etiam febribus pestilentibus. Alterum est in pineis quæ consumunt humidum præter naturam, & repurgant innatum, ideò optimæ sunt, nam etiam purgant iecur, & lienem ab infarctis, & renes, & vesicam à rebus præter naturam. Et quoniam præceptum est ad senes, qui non valent dentibus, & etiam sunt duræ coctionis, & malæ ventriculo: ideò ob hæc omnia eligantur primum vt infundantur in aqua rosacea, vel alia iucunda ventriculo maximè destillata, & contundantur bene, & cum saccharo sumantur.

Aloisius Cornarius.

Marsilij Ficini inuentio.

Nota.

Primarum vis.

Quarta via fuit per quintam essentiam, quæ fit ex circulatione aquæ vitæ, donec acquirat odorem violarum, & exuat saporem omnem acrem. Et hac Federicus Imperator Maximiliani pater, & Leonardus Lauredanus Venetiarum Dux, quamuis vitam ducerent parum conuenientem, peruenerunt ad XCVI. annum ambo, & cùm hæc & prima per se id agere possint. Itemque secunda & tertia per se proferunt, prima, & quarta commisceri secundæ vel tertiæ, & ita conduplicabitur effectus, quod erat à nobis propositum. Pari ratione Galenus attigit viam vnam, sed imperfectam, cum vsu mellis de Antiocho medico, qui superabat LXXX. annum, & Telepho Grammatico, qui XC. eodem modo, & de rustico qui ex vsu lactis peruenit propè ad centesimum, & adducit pericula ex lacte: est enim periculosius caseo, quia ob aqueam partem, & ob dulcedinem magis penetrat: illud tamen auxilium si non lædat, non est negligendum. Altera tamen de melle alludit ad illud Pollionis, qui cùm vixisset centum annis, interroganti Augusto, fertur, respondisse, intùs mulso, exteriùs oleo.

Quinta essentia qua.

Lactis incommodum.

Nostra demum vita est præcisis incommodis, & est magna ex parte sumpta à Principe. Quies XII. horarum singulo die: & si possum somnus saltem septem horarum. Et quietis pars sit à prandio etiam. Ignis in hac ætate: & maximè si sim madidus, aut frigeam, & cubiculum occlusum dum adsum: molle stratum ex sericea stuppa cum multiplici culcitra, vt tepor sit æqualis: vsus plurimi olei, modici aceti, & salis, ob lapidis timorem, quem hucúsque deuitaui: tametsi iam LVI. annis arena nunquam in vrina, & valdè copiosa, & alba defuerit. Motus diuturnus in aprico, sed leuis, & mollis, omnia enim magna dissoluunt vires. Oleum anethinum quatuor commoda præstat, concoctionis auxilium: sedat dolores, somnum conciliat illitum, & ebibitum vomitum lenem prouocat. Sed debet esse factum modo, quo Sethi docent. Pulegium item, & origanum, & mel, & saccharum, nunquam deesse debent. Pineas etiam, sed cum pinguibus, non neglexi, neque columbos. Zibibo frequenter vtor. Manifestum est quod hæc, & præcedens etiam sociari possunt cum prima, & quarta: & commiscentur cum secunda, & tertia, imò retinent partem illarum: non tamen possunt reliquæ quatuor inuicem sociari. Vtor verò ego cæpis coctis sæpè in initio cœnæ, ne videar despicere Asclepiadem: & eligo acres, & coquo sub prunis, & satis feliciter. Madefacio etiam ob dicta, & vt robustior sim, lumbos singulo die aqua frigida,

Propria viuendi ratio.

Olei anethini commoda.

Nota.

frigida, & inungo violaceo, & rosaceo.

CAPVT IV.

De signis longæuæ vitæ, & bonæ valetudinis, & temperamenti.

SÆpè quæstus sum de hominum prauorum improbitate: neque enim improbum appello & si sit, maximè qui aliena possidere vult, tantundem deterius occupans, quantum ab illo eripit, sed eum deteriorem longè maximè improbum duco, qui vt paucis gaudeat, alium omnibus operibus euertit, quemadmodum si quis domum incendat vt cinerem potiatur, aut aliquid ex tanta iactura furto subripiat: deterrimus est inquam, qui nihil sibi lucri faciens, alium omnibus spoliat. Eiusmodi sunt qui disciplinas scire se simulantes, atque in eas accessionem scriptis facere se profitentes, studium, & gloriam ab his, qui vtile aliquid in illas conferre possunt, auferre conantur, impediuntque bonarum artium incrementa. Ergo persimilis est in hac quæstione, & quærela. Proponitur scientia longæuæ vitæ, integræ valetudinis, corporis bene compositi, at quid sit vnumquodque horum, nondum definitum est, adeò vt etiam succurrat, non agnoueris, persimilis quæstio de seruo fugitiuo, quam Dominus non agnoscit: & ne plura simul capita misceam, quandoquidem in vno plurimum sit difficultatis, atpue ambiguitatis: quænam vita primò longa dicenda sit, incertum est. Dices septuaginta, aut octuaginta annorum, certè adolescenti ac puero ita videbitur: mihi autem non ita qui LXXIII. At dices quid iam postulat vsus: Dies nostri septuaginta anni, inquit Dauid in psalmo (vt suprà) & cum maximè LXXX. vltra autem nisi labor & dolor. Iam ergo definiuimus illud, circa quod Græci tot & tanta fabulantur, & quidam etiam nostræ ætatis scriptores, dicentes olim fuisse vitam hominum multò longiorem quàm ætate nostra, cùm constet Mosem præcessisse Troianum bellum CCCXXII. annis, siquidem bellum Troianum ante Christum natum fuit annis MCLXXXVII. Moses autem dux creatus fuit annis ante Christum M.D.IX. Quid ergo est quod de Nestore fabuletur Homerus, quod tertium iam ingressus seculum pugnaret in castris, sapienter consuleret inter Principes, milites longa oratione adhortaretur ad pugnam, aut Hesiodus iactet antiquos tam diu vixisse: omnia enim hæc constat esse vanitatis Poëtarum, & Græcæ leuitatis figmenta: at verò de LXX. vel LXXX. annis constat multos esse viridi senecta, & nos inter reliquos sanguinem misimus, Sormano nobili vt bis nostræ cum Andrea charissimo socio XCIII. agenti annum, dum tertiana nota laboraret, euasitque. Arconum ducem militiæ vidimus anno M.D. XXIII. faciem geminam Gallorum, nam fuerat & inter illos qui eos è regno Neapolitano depulerant LXXX. annis, maiorem nulla in parte, nec consilij, nec animi, nec corporis deteriorem se ipso. Verùm si quis centum annis victurus sit, nunquid simpliciter dicemus eum futurum longæ vitæ, at qui XXX. illi vltimi anni magnam partem vitæ præcipuam obtinebunt: siquidem inquit, Seneca in epistolis, ætatem esse melli persimilem, cuius extrema pars sit suauissima. At qui constant veris relationibus nostra ætate in orientali India, & maximè in Goa ciuitate Lusitanis notissima, & temperie celebri, quosdam saltasse annos natos supra CXXX. alios CL. attigisse. Definiamus ergo primum eam nunc esse vitam longam appellandam, quæ in Italia non aliis gentibus adeò firma sit: at si neque error, neque casus obstaret, propè centesimum deducere hominem posset circa LXXX. adhuc integris sensibus, viribus autem eiusmodi, quæ homini graui exercendo essent necessariæ, veluti deambulationi, itineri, ad forum breui orationi, atque similibus. Illud quoque indefinitum & à prioribus prætermissum est, quænam dicatur vita longa, an in qua homo peruenturus sit ad senium, an in qua possit ad senium peruenire. Plurimum enim differunt inter se, namque qui dicit victurum longo tempore, omnes casus includit, qui posse, nullos. Cùm enim mors quadrifariam adueniat, aut prorsus naturalis ex senio, quæ paucis contingit, aut manifestè violenta, velut ferrum, casus, venenum, aut violenta, sed non adeò manifestè, vt qui se à Venere, cibis, potibus, desidia, vigiliis, importunisque, ac repentinis laboribus conficiunt: aut occulta, violenta tamen, sed naturali persimili, velut qui cum rectè viuant, tamen morbo concepto interiùs paulatim postmodum certo tempore deducunt ad mortem. Ergo primùm scire oportet, quænam mortis genera excludere debeamus, scilicet secundum, & tertium, vt per longæuos intelligamus eos, qui non nisi sera ætate, aut senio, aut lento morbo interituri sint: hoc igitur ad actum pertinet harum causarum ratione: ad potestatem autem habita comparatione ad fortuitos casus, atque errores, vt nihil si in nobis longior vita, atque signa illius, quàm carere signis breuioris, ita fert humana conditio: siquidem etiam Epicurus dicebat felicitatem nostram, nihil aliud esse, quàm indolentiam, & medici ipsi signa salutis in ægrotantibus nulla habent, nisi vt careant lethalibus, adeò in angusto humana bona sunt. Dicemus ergo signa longæuæ vitæ, ea esse, quæ non significant impedimentum secundum naturam, & ob id in titulo non frustra adiectum constat, signa boni temperamenti, vt intelligeremus nulla esse certa signa, neque longæ vitæ, neque firmæ valetudinis, nisi carere mala corporis compositione, nam de cæteris quæ extra sunt, velut genesi, Physionomia, ad alias spectat disciplinas, quanquam illud non negauerim depræhensum esse longo experimento, nec sine ratione eos qui oriuntur oriente Sole, vel etiam paulò ante, veluti ad horam medium vsque, longa & firma valetudine frui. Sed & est aliud consideratione dignum, quoniam signorum tria sunt genera, vnum quidem quod firmissimum est, quod ad eas pertinet, velut dentium multitudo, & bona compago, nam præter

Longa vita quæ.

Mortis genera.

Signum longæua vitæ.

Signorum tria genera.

ter id quod signum sit roboris virium, plurimum confert ad benè mandendum, id verò ad vitæ longitudinem, & incolumitatem. Alterum est quod ab eadem causa proficiscitur, causa nullo modo est, velut tres lineæ in manu oblongæ, æquales, & firmæ, æqualem significant, rectéque compositam manum, quæ cùm sit duorum, membrorum præcipuorum vnum, atque homini propriorum (homo enim ab omnibus belluis differt lingua, & manu) namque etsi alia animalia velut simiæ manum habere videantur, alia linguam sermoni aptam, vt psittaci, dicit tamen Galenus & rectè. Et manum in simiis, & linguam in psittaco solo nomine tales esse, re autem minimè, quandoquidem neque manus simiæ ad artes exercendas comparata sit, neque lingua psittaci ad exprimendam mentis sententiam. Vitæ longæuæ & incolumitatis certam significationem præbet, ad effectum tamen iuuandum nihil prorsus confert. Tertium genus valdè leue est, quod ex puris qualitatibus habetur, vel quædam signa in fronte, & in manu, de quibus haud pertinet ad præsentem disputationem, vt quæ non solùm extra artem sint, sed etiam leuem habent significationem, & incertam: vt de quibus nullam possis reddere rationem, turpe autem est, tùm verò turpius in rebus magnis, velut turpissimum in agendis, ea dicere quæ rationibus euidentibus ostendere non possis. Tot igitur & tanta fuere impedimenta, tum etiam alia plura (sed hæc maxima) de quibus dicere supersedeo, vt aliud agendo, aliud non agendo in vtroque peccem. Quæ igitur vitæ longæuæ signa sunt, & eadem incolumitatis, & boni temperamenti, si eadem sint, faciliùs erit inuenire, atque docere, sin diuersa difficiliùs videntur, namque quidam cum nunquam ægrotauerint in iuuentute, spontè mori. Alij cùm sæpè ægrotent, ad senectutẽ perueniunt: horum igitur causam priùs discere expedit, nam ea non intellecta, neque licebit omninò propositum assequi. Tres igitur causæ sunt, quibus alterna illa vicissitudo accidit. Prima est confidentia in his qui sani degunt, dum perlicita omnia, & illicita ruunt: sibique mortem approperant, contra, ægri dum cautè viuant, diutiùs viuunt, velut de Aloysio Cornario sæpè dictum est. Alia causa est cùm morbus eiusmodi est, vt vitam producat, natura se exonerante, tum etiam quæ passa est ob errores in ignobilia membra, talia præsertim sunt morbi podagrici præcipuè, inde vlcera praua, & hæmorrhoides, tum scabies, & lepræ, sed hæ potius, vt Hippocrates dicebat, fœditates, quàm morbi appellantur. Tertia demum causa est cùm ætas succedens temperiei immodicæ persimilis fuerit, velut si quis frigida, & sicca intemperie valde fuerit, vsque ad senectam quidem sanus deget: quoniam frigidum & siccum maximè resistunt putredini, & ætatum præcedentium calorem, & humidum temperans, adueniente senio, quod à quadragesimo anno incipit, paruo post tempore moriuntur: huiusmodi stirpem, vidi, & familiam vicecomitum in regione seu agro Mediolanensi, quæ nunquam quadragesimum quintum annum excedat. Regulus Vasti Alphonsus Dauolus, idem de sua familia mihi narrabat, constat sanè neminem multò excessisse, quinquagesimum annum, neque id necesse est vitium esse in toto corpore, sed in vno ex quinque membris, dicebat Galenus corde, iecore, cerebro ventriculo, pulmone, atque id de pulmone maximè contendit Aristoteles, atque præcipuè illud quoque considerandum, duplicem quidem in nobis esse rationem compositionis, vnam quidem ex similaribus, quam plerique magnifaciunt, vocantque temperamentum: atque ego eam minimam esse duco. Alteram membrorum ipsorum, quam compositionem propriè vocant, atque ea est maximi momenti, atque præcipua, tum ad longitudinem vitæ, tum ad firmitatem valetudinis, & robur sensuum, atque operationum, sed & id animaduertendum, licet cor & cerebrum digniora videantur attamen ad vitam conseruandam, & valetudinem, præcipuas sibi partes, imò fermè totam authoritatem sibi vendicat iecur, atque ab illo sumenda sunt omnia signa, reliqua parum aut nihil conferunt, nisi quod robur cerebri ad sensuum integritatem plurimum facit, imò dominat illis: cor verò tam diu obseruandum est, quantum ad iecoris conseruationem facit. Propterea sic rem velut ex integro aggredientes definiemus. Manifestum est autem quod quæ dicenda erunt in posterum, iuxta ea, quæ dicta sunt, singula erunt, & distinguenda, & diffinienda, vt perfecta doctrina habeatur. Dicamus ergo quod iecoris bene dispositi signa sunt, raro incurrere in febres, citòque alleuari, benè appetere, sed non vltra quàm concoquere potest, color bonus in facie, scilicet roseus & clarus, si non cutis obstiterit, vrina cum bono sedimento, plurima potius quàm pauca, ac valdè splendida, cuius inditio quod hoc potissimum sit, quod homines quantò magis senescunt, eò minùs viuidi splendoris emittunt, fæces præterea potius duræ, quàm molles, saltem figuratæ, & bene coloratæ, parum olentes, & omninò nil peregrinum, neque tamen soliti odoris expertes: tum verò ex plurimo cibo, & potu non lædi, sed in somnum grauem incidere, & præsertim à carnibus, sed solum non appetere, nec moueri aluum, & plurimum mingere. Cerebri autem, dormire somno profundo, & continuo, nec occupari multis destillationibus, aut si occupetur, parum lædi etiam à ventis, & magnitudinem esse moderatam, concinnámque formam, cùm verò operationes principales validas esse memoriam, cogitationem, imaginandi vim, tum præter cætera iudicium, Galenus addit videndi acumen, & procul. Ventriculi autem maximum est posse conficere duriora, & plura, & non permutari pulsum ad magnitudinem, velocitatem, & frequentiam. Sunt etiam anomala signa longitudinis vitæ, præter duo dicta scilicet dentium, & linearum in manu septem, quæ ratione, & experimento constant, sera eurythmia in omnibus: præcipuè autem in pulsu, quoniam id pertinet ad cor, siquidem si iuuenis adhuc, mollitie pulsus adolescentis participet, tum verò plenitudine, & celeritate, & frequentia (non me latet Galenum negare posse percipi plenitudinem,

Homo in quibus differat ab aliis animalibus.

Nota.

Membra principalia.

Compositionis duplex ratio.

Signa boni iecoris.

Signa boni cerebri.

Ventriculi boni signa.

Cordis signa.

dinem, & errare, sed quid toties confodere) indubium est signum longæuæ vitæ, neque quicquam ex his medius plenitudine cognoscitur: si etenim cor adhuc adolescit, necesse est & iecur purpureum, vt ille dicebat, sanguinem subministrare, & cerebrum bene se habere, & commodè perpurgari spiritum à pulmone, & ventriculum rectè præparare: tandem in sera canitie dentium ortu maxillarum, atque eiusmodi cum ætates sibi certa proportione seruata succedere consueuerint, curuitas etiam quædam in humeris, magnum signum est longæuæ vitæ, fit enim non ex flexione spinæ, sed crassitie ortorum ossium à dorsi spina, & cerebro, quin etiam iuuat ad meliorem perspirationem. Sed & spiritus ieiunis, & non crudis, bene olens, magnum signum est longæuæ vitæ, quoniam, iuxta Aristotelem, primum quod senescit, est pulmo, quod autem senescit sordidum, quod olet etiam citra omnem cruditatem, propterea dixi sine cruditate. Quartum est splendor oculi eximius, nam spiritus animalis adhuc puri, & non obtusi vigoris indicium est. Quintum est magnitudo membrorum seminalium, nasi labiorum, & aurium, decens robur enim indicat facultatis genitricis, ab ea autem vita proficiscitur. Sextum non paruifaciendum est volarum manus, color pulcher, atque æqualis, tamen vnguium splendor, roseúsque color, hoc quidem multis modis demonstrari potest, tum primum quoniam Medici aiunt esse manibus cum iecore maximam affinitatem, videamusque in his, qui Indica lue afficiuntur, quibusque iecur peruritur, Scabram fieri partem illam volæ: Sed & in his qui venenum assumpserunt, nullum est certius signum, quam vnguium liuor, imò neque efficacius, neque subtilius in deprehendendis temporaneis, quam vngues & lingua, sed vngues primum inficiuntur, lingua etiam naturam veneni ostendit. Dictum est autem de his in secundo de Venenis. Quin etiam addunt eos qui vmbilicum habent inferius, longioris esse vitæ, qui in superiori parte breuioris, quod obseruatione dignum est: causa est quoniam amplius spatium ventriculo relinquitur: at si supremus sit vmbilicus, magna intestina esse necesse est, comprimique præcordia. Diximus & alibi signa alia sub sex comprehensa generibus, vt quemadmodum consuluimus, discant studiosi ex natura ipsa, quæ nihil syncerum nobis ostendit, vt neque in cœlestibus conuersionibus, quasi ex mutua attritione elidere veritatem, arcanaque eius cognoscere. Vt ergo ad rem redeam, de digitis longis quod breuitatem vitæ significant ab Aristotele ita accipienda sunt, vt breuior minus sit. Verumtamen ipsius breuis vitæ aliqua sunt signa, & certiora, quam longæ, quoniam ipsa signa sunt res, ipsa priuatio longa vita res est, signa autem in priuatione consistunt: sensu enim signa deprehenduntur, ratione quod significatur. Priuatio ergo essentia notior est, veluti vulneratum esse oculum, deprehenditur sensu, quia res est, inde certa ratione collegimus non videre, vtrumque

Pulmo primò senescit.

enim manifestum est: si enim oculus vulneratus est grauiter, aut affectus videre non potest, sin autem integer sensus, id non deprehendit: an læsio aliqua sit, vel non minus ratio id concludere potest, quoniam etsi læsa non sit substantia, potest tamen multis modis non videre: longè certiora ergo sint iudicia breuis quam longæ vitæ. Ex his igitur quædam certissima, quædam coniecturalia, quædam media: si ergo in infantia, vel pueritia ex difficultate spirandi quibus fiat, iuuentutem non attinget. Dicebat enim Hippocrates, qui gibbi ex Asthmate fiunt, ante pubertatem moriuntur. Et si spatium quod est ab vmbilico vsque ad superiorem furculam seu iugulum breuis sit, seu id accidat propter paruitatem distantiæ furculæ inferioris ab vmbilico, seu à superiore furcula, breuis vitæ erit. Aliud similiter, si totus candidus sit, & pili valde nigri, spissi & rassi, præsertim si ante tempus oriantur, breuis vitæ erit, & si carnosus, cum hoc destillationibus subiicietur. Si exilis melancholicus, rarò autem tales bene vident, aut non procul, aut subtiliter. Medium verò si pectus angustum & humeri alati & collum longum, & subtile, & similiter facies macilenta, & totus habitus, & genarum rotunda pars, & summa rubescat eiusmodi etiam in difficultatem spirandi facilè incidunt, in eodem genere est, si quis habeat membra seminis, quæ circa caput sunt breuia, & tenuia, velut labia, aures, & præcipuè nasum, quasi decurtata, tum etiam dentes, atque eos infirmos breuis vitæ erit, atque eo magis si sit iracundus: erit enim vigil, & si subobscuri coloris melancholicus. Et quicunque à pueritia nihil perferre possunt, sed ab omnibus contristantur, illico si prohibeantur, tales cum difficultate adolescentiæ tempus excedunt, ægrius iuuentutis, & hoc immoderatus effectus sit: secus incontinentiæ, aut mollitiei, aut stultitiæ signum est. Secundum naturam etiam incrementa corporis magna, & velocia velut etiam in arboribus persico, & salice breuem vitam ostendunt, sera vt in cupresso longam, non solum quoniam ætates sibi respondere debeant, sed quia nutritio magna est, nutritio autem multa mortis causa, & senij celeritatis. Contra naturam autem ac quasi corrupti habitus, spiritus male olens à pueritia ac iuuentute, si neque propter oris, neque nasi vitium fuerit, neque ob cruditates, his mors continget, plerumque ante quinquagesimum annum, pulmonis enim aut pectoris vitium est, & præcipuè id signum efficacius est aquam bibentis hoc enim vnicum præsidium est, si affectus non cesset. Et si homo liber sæpè in grauissimos morbos incidat, breuis vitæ, & signum & causa est: certius verò si moderatè viuat, breuioris si intemperanter: rursus si exigui sit somni, & multi cibi, aut multi potus, aut exercitationis, aut immodicæ veneris, semper enim erit non longæ senectæ. Exsiccant enim omnia hæc, aut cruditatibus obruunt hominem. Et si egestiones valde fœtidæ perpetuò perseuerant, & præcipuè in moderato homine quodcunque fuerit

malum:

malum: aliud signum breuis vitæ erit, & si quis animo linquatur sæpè, ac vehementer, morietur non longo post tempore, & repentè, atque hoc dixit Hippocrates, licet breuitate non expresserit. Et quibus circa mutationem ætatis quæ per septenarios fit mali habitus, scilicet morbi regij, aut leucophlegmatiæ accidunt, cum antea florerent, si non diuturnæ vitæ sunt, nisi per ætatem succedentem, aut medicamenta restituantur; tectorium est, sicut & duo illa quæ sequuntur: si cui venter & præcordia aut valde dura, aut pulsantia valde perseuerent, breuem vitam nunciant: hoc enim consumptionis, aut obstructionis indicium est, illud atræ bilis atque breuioris vitæ, aut melancholiæ indicium est. Quicunque flatuosi valde sunt, & non ob enterocelem breuis vitæ sunt, & diuturno morbo pereunt, & malum colorem habent in facie. Quicunque epiplocele detinentur, & cum reddit omentum, adhuc ventriculo afficiuntur, & molestè habent, aut grauitatem sentiunt ventris in imo, hi breuis vitę sunt, & fermè insanabilis morbi. Omentum enim creuit, & ventriculum trahit, rara est res, sed certa. Interficit autem multò celeriùs, quam lapis in vesica. (Quibuscunque tormina, & circa vmbilicum dolores, & lumborum dolor, qui nec medicamento, nec aliter curatur, his breuis vita adest, & moriuntur ex hydrope sicca dicebat Hippocrates.) Quibus pulsus intermittunt, & cor cessare videtur, nihil tamen pati videntur his, nihil difficilè, si nihil aliud eueniat: os enim ventriculi solum laborat. Quibus sitiet perpetua adest, & marcescit homo, & color faciei fit prauus, nec medicina vlla iuuat, his breui maximus morbus imminet, ex quo morientur, aut prior dispositio soluetur, & si non soluatur, & euadant, breuis vitæ erunt. Audiui à Patre meo, quòd cum studeret Papiæ, quidam prædicebat de singulis morituris eo anno, prędixitque fermè de quadraginta, nec in vllo aberrauit, cogitaui quomodo id fieri posset, idque ratione inueni, perspicacis visus erat, & si cui signa, & lineæ, vel in manibus, vel in fronte delitescant, vnum autem signum appareat enorme, euidens ac rubrum, ille morietur intra duorum aut trium mensium spatium: nam si in ægris illo dicimus ea die, morituros, in quibus signa imbecillitati, virium & magnitudinis morbi ad extremum simul perueniunt, ita in sanis dicemus illum breui interiturum, in quo signa naturalis facultatis euanuerint, hostilis autem euidentissima. At ergo cum delitescant signa illa, quæ à naturali facultate sunt, eam penè extinctam intelligere oportet: cum verò simul enorme signum aduenerit, id à natura propria accidere non potest, tum quia enorme est, & contra morem, tum quia si natura id posset, cætera non delituissent. Quare necesse est vt à præternaturali causa illud oriatur. Cum ergo inimica corpori causa præualuerit, natura ipsa euersa sit, breui omninò interiturum significant, id est intra duos aut tres menses, ille aut pronunciabat non de anno, sed de breui tēpore: Verum cum de multis per successionem vnius per alterum, id agere visum his qui audiebant, quod anni spatium præscriberet, sed longè minus erat, talia enim signa obseruatum aliquando non ante octo, aut quindecim dies apparere. Sunt & quædam signa, quæ cum succedunt, breuem futuram vitam nunciant, velut si cui bene habito mandibulæ è directo dentium contrahantur, adeò vt foueæ hinc inde appareant, maximè non ex dentium defectu, & pellis arida, & tenuis super malas, id est poma genarum rubra, & splendida seu nitida, ita vt musculus infra illam partem defecisse prorsus videatur, & tempora caua talis, paruo tēpore suppeterit. Mutatio quoque vocis absque manifesta causa ad asperitatem raucitatem, & inæqualitatem sensuum facta, breuis vitæ indicium est. Porro in senibus magnum est signum vitæ diuturnæ adhuc restantis erectio virgæ firma, & veneris innoxius vsus, à quo tamen cauendum est, vt superius diximus. Aliud est pulsus æqualis, ac mollis: si enim hæc duo adsint eiusmodi senes, vita nihil habet inferius iuuene, nisi numerum annorum, & quod in aduersis, aut erroribus perpetiendis nullo modo iuueni est comparandus. Tertium est à cerebro, estque caluities, inquit enim Oribasius illam fieri deficiente cerebro. Ex Hippocratis etiam sententia. At contra si bene capillatus, & capilli boni coloris multò melius, præterea spiratio magna, velox & frequenter valde, etiam naturalis, est causa & signum non breuis admodum vitæ: sed tamen vt non possit esse longa, sed si fit cum pallore corporis, erit breui vitæ. In vniuersum raro posse affectibus animi imperare, magnum est signum, & auxilium ad vitæ longitudinem, siquidem pleraque mala signa ex his à recta victus ratione superant. Sed si vincatur ab affectibus, non solùm breuis vitæ secundum naturam signum est, sed etiam violentæ & contra. Atque de his, & in his accepisse sufficiat.

CAPVT V.

Senes non ferre valida auxilia, & de causis difficultatis conseruandi illos, & de quatuor falsis præsidiis.

CVm verò, vt dictum est, triplex sit causa mortis in senibus, consumptio humidi innati, cū qua extinguitur calor naturalis, quę sera est, non tamen in nostra potestate. Alia est imbecillitas membri alicuius vitæ necessarij, ex qua homo multò ante naturalem finem peruenit ad mortem, in qua plurimum potest & custodia & error. Alia quæ celerius etiam solet interficere, & peculiaris senibus retentio excrementorum, habent enim senes multo plura & crassiora, & vires imbecilles, & venas angustas, ideoque ex his facillimè pereunt, sed hæc non sine mala ratione victus eis aduenīūt, sed in membris vitæ necessariis, quædam licet non per se adnumerentur omentum excrescens, ventriculum cui adhæret infra trahendo interficit. Enteroceles, fæces retinendo, dolores coli efficit, &

& flatum prohibendo ne exeat, coctionem vitiat, lapis in vesica frequentem efficit mictum, & dolorem, & ex vtroque somnum prohibet: vnde coctionem vitiat, tremor quiuis in pedibus, dum putrescit humor iecur vitiat, aut à dextra primùm, aut per lienem à sinistra, vt tandem perducat in hydropem. Morbi ergo qui in senibus magis frequentes, & lethales sum hi, retentio vrinæ, abundant enim ea, & crassa est & sanguis crassus, & venæ angustæ, cæterique meatus, & ascites: & lapis in vesica, & Asthma, & post tympanites, & attonitus morbus, & coli dolor, & cholera, inde febres acutæ, vt sint præsertim hæc nouem ex quibus moriuntur, contingunt & profluuia vrinæ, & illius difficultas, & dolores articulorum, & resolutiones, sed hæc minus lethalia. Morbi autem in capite & pectore ex inflammationibus, & difficultates intestinorum accidunt his & occidunt, sed non his qui multum processerunt: sed inter quadraginta quinque & quinquaginta sex aut prope. Verum diuturna profluuia serò occidunt: plurimi ex diarrhæis cum leui febre moriuntur breui, vt obseruaui. Sed hic morbus compositus dici potest, ex neutro enim sigillatim obeunt, nisi tardè & plerumque ob errorem. Quod autem in illis tuendis est, difficillimum (omitto quod neque custodiendo, neque curando valida ferunt auxilia) est, quoniam neque in pessimis, neque in optimis sunt tuti. Et de pessimis quidem notum est omnibus, quis enim seni valdè assiduè velit dare anguillas, fungos, porcinam carnem, cucumeres, panem sine frumento, aquam solam, eandémque crudam, & malam? At in quo decipiuntur etiam non prodest vinum potens, mel, solas auiculas, & vitellos ouorum, panem leuem, & vt ita dicam siligineum: nam cum hic si deterius se habeat aut ægrotet, in quo spem restituendi illum ponere licebit? Quapropter id in eis maximè obseruandum vt in quantitate nunquam delinquat, in eaque mutatio nulla fiat. In qualitate aliquando permutet: hoc est quod dixit Hippocrates. Oportet igitur ad insueta permutari, & ex cibis non subtilissimi alimenti, sed boni eligere oportet: tum verò mediocris & crassi, sed cum dissecantibus, aut bene coctis, aut quod omnibus melius est etiam modicè: ita, ergo in qualitate mutare, & ad subtilia declinare, in quantitate mediocritatem seruare, sed non mutare consuetudinem, similiter & illud difficile est vt seruemus hominem, vel in optimo regimine perseuerando, estque optimum, sed si decidat, nulla relinquitur spes, vel vt alternet, id verò periculosum, & natura non ferret: Quare habita ratione ætatis alternare melius est aliquando, sed ita vt caueamus, ne non posset restitui. Tria tamen semper retinere oportet, somnum, deambulationem, animi lætitiam, in his minimè conuenit alternare. Modo ergo vinum optimum bibat, sed cum laborat frigore, modo aquam, quamdiu non nocet, vt habeat multa quæ prodesse sperare possit, plerumque vinum leue, dilutum, quamdiu fert, quæ autem non solum obtundunt, sed corrumpunt ea prorsus relinquere oportet, vt vinum quod acessit in ventriculo, legumina cruda, pisces sordidos, fungos, cucumeres, non coctos cibos ex farina, etiamsi iuuare videantur nimis euidenti ratione, quod obesse debeant. Et à cibo exercitatio, & huiusmodi. Iam ergo cum duplex sit ratio custodiæ, aut vt semper valeat optimè, aut vt non semper, sed aliquando melius, aliquando minus bene, sed parum, id verò emendes: specie melior est prima conditio, sed primum factu difficilior: in omnibus enim mortalibus rebus æqualitas imaginaria est, nec seruari potest. Et etiam quæ percelluntur suis temporibus, modò moderatè robustiora sunt, teste Hippocrate: Et quæ nunquam æstum, aut frigus patiuntur, multo sunt imbecilliora, & quasi in vmbra educata, & etiam coguntur sic perpetuò effugere liberiorem aërem, quippe in illo semper est aliquid aut caloris, aut frigoris, aut venti, aut pluuiæ, hic tamen saluberrimus est: & si contingat vt dixi, cogi, periclitatur homo, & illud idem videmus in rebus publicis. Ciuitates enim quæ leges antiquas ad vnguem seruare voluerunt, breui omnes periere: & quæ magnas mutationes subierunt, sed non adeo omnes, velut Roma ex regibus in Rempublicam, Athenæ ex Regibus in multitudinis dominationem, Sparta adiectis Ephoris sex: sed quæ moderatè multa innouauerunt, quædam mutarunt, plura emendarunt in melius, fuere diuturniores, veluti Venetiæ. Itidem in corporibus humanis sunt & alia exempla, sed ad diuinitatem pertinent. Cum verò vt dixi in quantitate, & qualitate mutatio hæc fieri possit. In qualitate vtilis etiam est: in quantitate autem genere quidem vtilis est, specie verò commodior si seruetur, quoniam mutatio eiusmodi non est adeo necessaria, neque enim corpus si inclinet ad calidum, aut frigidum, quicquam commodi affert quantitatis mutatio, sed si fiat, vtilis etiam erit, & commodi aliquid præbebit, sed postquam per se quotidie fit: propterea in eodem statu quantitas permanere debet. Quatuor verò sunt, præcipuè in quibus dum maximam spem senes habeant, periclitantur, atque ideo illa maximè effugere debent. Inedia propterea quod scriptum sit, senes facillimè ferunt ieiunium: intelligitur non de vltimis senibus, sed primis, & ad breue tempus cum enim imbecilles habeant vires, si cum hoc, pauco cibo vtantur minusque qui nutriat, in aliquam incidunt debilitatem, præsertim visus, aut motus, aut neruorum: quod si mollis sit, eneruatur ventriculus, si crassus, non concoquitur, si tenuis, non sustinet corpus, & similiter qui plurimo aut multi alimenti: cum enim sint debiles existimant oportere illos multum, & sæpe refici: celerius autem multò extinguuntur à copia excrementorum, quàm deficiant ob inopiam alimenti, & similiter à multa, aut valida exercitatione, soluuntur enim vasa, & membra cum distendi nequeant, à distentione respirationis, & pulsus, & vnde summum

præsi

præsidium sperabant, causam mortis ante tempus inueniant: sicque cùm gaudentes moriuntur alij in fontibus spem habent, qui primum debilitant corpus, cogunt plus concoquere & attrahere, minusque perfectè alimentum attrahere, deinde cum meatus ille à natura non sit, nec apertus, sed mistum bonum malo per occasiones intercipitur, atque sic repentè moriuntur, maximè si quod effluere antea solebat, humor sit aqueus plurimus & è cerebro. Itaque ex omnibus his modis causa mortis habetur, vnde longioris vitæ causa sperabatur.

CAPVT VI.

De victu senum, & incommodis quæ ad illum sequuntur.

Senes sunt frigidiores & sicciores per exhalationem calidi atque humidi innati: ob id ergo imbecilles viribus ac facultatibus præcipuè his quæ validissimæ esse solent in præcedentibus ætatibus: sunt enim quatuor facultates, quas non appellabo inseruientes: sed magis accommodato nomine ministras, concoctricem & expultricem, quæ maiores sunt in iuuenibus quam sit necesse, vt succedenti ætati postmodum sufficiant; & interim erroribus qui admittuntur: attractricem quæ æqualis est, & tanta, quanta illi vtilis est: vnde cùm reliquæ duæ imminuuntur, & ipsa proportione seruata tantumdem decrescit, vt semper quantum opus est attrahat: nam errores qui committuntur in bene temperatis, non illius vitio, sed voluntatis imperio fiunt. Retentrix autem (vt ita dicam) mesuram non habet: quoniam idem affectus sequitur ex illa, seu aliquid retineatur, seu expultrix intereat, seu non operetur, & membrum ipsum retineat. Propterea hæc est vltima facultatum, quæ cùm debilitatur, id accidit quoties sine impetu vllo, quod ingeritur, effluit, certum est mortis indicium. Inde sonus ille potum transmittentium, & defluxio liquidorum statim vbi ingesta sunt, summam arguit imbecillitatem, & non solùm certam, sed etiam proximam: contra si cum impetu profluant. At in senibus ergo primæ duæ debilitantur, & tertia minùs, quia minor, & pro ratione fit diminutio: vltima extremè victis tantùm. Cùm ergo ita sit, vt frigidi ac sicci calido atque humido alimento, sed magis calido quàm humido indigent, vt opposita non solùm temperentur, sed esse, quia idem est contrarium, & vitæ principium, quod in cæteris intemperiebus non adeò frequens est. At de calido maximè verùm est: humidis autem non adeò consentiunt, quia nutritio fit à similibus, & à dissimilibus longiore tempore indiget, & maiorem habet difficultatem: ideo sicca quidam magis collaudarunt. Galenus autem hac in parte dubius fuit. Verum hic non est locus disputationi, sed tantùm docere instituimus. Est ergo humidus cibus, vtpote vitellus oui melior, sed tantò facilior concoctu, & minore quantitate præferendus, sic enim mutationis labor auferetur, & præsertim consuetus, & somni hora, idque optimum cum tum ad humidum, ideoque ad calidum corpus senile retrahat. Quæcunque enim ad humidum retrahunt, eadem si humidum sit pingue, seu coctum, calefaciunt simul: vt olea, carnes, lac, & similia. Quapropter nihil nocentius humido non pingui, sed aqueo, cuiusmodi fructuum non oleosorum, seu horæroum, herbarũ, germinum, surculorum, atque radicum omnium, talia enim omnia senibus inimica. Quia enim humida difficilè superantur, & nisi superentur eum morbum creant, quem Græci leucophlegmatiam, seu albam pituitam, vt à Latinis verbo pro verbo reddito, in quem maximè prona est tota senum turba: & cum hoc etiam si superentur, neque verum humidum augent, neque calorem, quia pinguia non sunt, nisi vis tantilli corporis, qualis est ventriculus, iecur, & propriũ cui delegatur membrum, vim solis, & syderum, & caloris proprij illius animalis suppleat. Alter modus est vt non sic, cum quidem sumat alimentum: sed inter humida sic cius, veluti si ex carne agni, ad suis carnem transeat ex ea in carnem hœdi: ex illa rursus in carnes auium montanarum, quæ granis vescuntur, vt phasianorum & perdicum, & pullorum, neque enim necesse est vt temperamentum alimenti ab alimento tantum distet in sicco, quantum eius quod alit ab eo quod alitur. Quod autem alitur, potentius est alimento, superat enim ipsum: igitur minus discrimen necesse est esse in alimentis, quàm in corporibus quæ nutriunt, quod si tantumdem esset, malum esset. Ponamus enim corpus iuuenis esse, vt duodecim humidum, senile vt decem, alimentum iuuenis humidum vt sex, ad quod corpus iuuenile duplam habeat rationem: erit senilis corporis alimentum humidum vt quinque, itidem sub dupla proportione. Discrimen inter corpora igitur erit duorum inter alimenta vnius tantum, & manifestè minus. Quod si alimentum exhiberes seni vt quatuor humidum, vt æqualiter distaret ab alimento iuuenis, quantum temperamentum senis à iuuenis temperamento, manifestè senex læderetur, tanquam à nimium siccis, nec iuxta consuetudinem sibi respondentibus: habes igitur rationem calidi, frigidi, humidi, atque sicci.

Humidum aqueum senibus inimicũ.

Nota. Quod alitur potentius alimento esse debet.

Reliquum est vt dicamus de concoctionis facilitate, cùm calor vt dixi senilis minor sit, oportet pauciora & faciliora concoctu offerre. Est autem ratio eadem non solum in hoc, sed etiam in præcedentibus ventriculi, iecoris, & reliquorum membrorum, quamuis temperamento diuersa sint, cum vnaquæque pars similia trahat, vt ventriculus frigidiora, sicciora, tenuiora, iecur calidiora, humidiora, crassiora: reliqua verò ex residuis sibi præparata iuxta proportionẽ: cùm enim totum toti respondet, diuisis vtrisque secũdum eandem proportionem, demonstrat Euclides partes ad partes eandem habere rationem. At neque faciliora solùm concoctu adhibenda sunt, quia nutrimentum aut maius esset sub eadem quantitate, quàm pro resolutione corporis, atque ita homo læderetur grauiter, aut si æquale esset, vel tenuioris substantiæ, seu rationis, atque ita non simile corpori, sed illud ad imbecillitatem perduceret, aut excrementosum, ideoque laboriosum, & damnosum.

Pauciora & concoctu faciliora senibus conueniunt.

15. sup. 5. El.

Vide 7. contrad. 4.

Humidus cibus pro nutrimento melior est.

nosum. Non ergo vt facilius tantum nutriat oportet eligere, sed neque vt minori mole tantum, nam plus imminutum, & senile corpus robore, quàm mole, igitur non sufficienter nutrietur. Reliquum est ergo vt tantò facilius concoquatur, & tantò minus sit, vt ambobus his iunctis eandem quam prius seruet rationem, & in concoctionis facilitate, & in alimenti multitudine. Difficile dices hoc inuentu, verum est, vt verbo tradamus: sed experientia ipsa docebit, quoniam ventriculus, & iecur quæ membra pro scopo habenda sunt, vbi sibi satisfacerint, omnibus reliquis satisfactum putato. Illud solum restat dubium, quod cum leuioribus vtamur, & paucioribus, ne ventriculus assuescat, tanquam puer cui indulgeatur, reiicere primum reliqua, inde hæc eadem quæ præoptabat, donec veluti timidus pugnator ad lineam arenæ se retrahat, inde non habens, quò vlterius diffugiat, breui succumbat. At non est ita: recta enim proportione & leuitatis, & mollis alimenti adhibita, potiùs vt experimentum docet, (non solùm consistit) maiora, & difficiliora habere exoptat, quàm vt ad leuiora, & pauciora conuertatur: quod enim infra vires est illorum membrorum, & satis corpori nostro, non solùm retinet vim quam habet, sed in iuuenibus ad auget manifestè, in senibus primis occultè, in vltimis tuetur, vt semper maiori operi sufficiant. Ne ergo timidè eo se quis retrahat, aut vt retrahat se alium consulat, vbi tutum profugium est: & vires se reparare valent. Maior tamen metus est in quantitate si multò minor sit, & in qualitate, cum debito non multò minor fuerit. Ideo ne te ad extrema conuertas, & vt summum malum est nimia, & incondita varietas, ciborum qua se vulgus perimere solet, vt etiam Horatius ait, ita valdè mala est nimia raritas, ita vt ad vnum, aut duo genera dico, vna in mensa te redigas, qua Galenus & multi alij medici nostra ætate, seu illius, seu proprio consilio se peremerunt. Vt pote in prandio non præstat solo pane vesci vllo modo, sed etiam passis, aut torta ex amygdalis, & sacchKaro, vel etiam ferculum ex oriza, sed paucum sumere: in cœna autem multò plura, vt tamen cum pane non sint plura, quàm quinque, velut panis, ferculum, vitellus oui, caro, & acetarij modicum, sit autem omnino vtile vt medicamentum, quod vt cibus probari non potest. Atque vbi rationem inueneris rectam, caue ne eam subuertas, tum vt æqualitatem, quàm difficile forsan aliquando est inuenire, serues: tum vt consuetudinem quæ senibus est vtilissima, retineas. Ideóque si mutationem inire velit senex, non quod plurimi faciunt, in vna re tantum ibit, existimans minus esse delinquere in vna, quàm in pluribus, sed in duobus tantum, neque pluribus, quoniam in reliquis retinebit consuetudinem, qua maximè gaudet ventriculus, inde iecur: & maximè senum quæ in illis sunt imbecillia. O quàm benè dixit Hippocrates: [Qui consueti solitos labores ferre, & si fuerint imbecilles, aut senes, qui non consueti sunt iuuenibus, ac validis faciliùs ferunt.] In duobus autem illis proportionem seruabit eandem. Velut si fructus pro acetario edere velit: hi quidem corruptioni sunt magis obnoxij, pro oui luteo auiculis vtetur, & carnẽ reliquam emittet, ita tria cõmutabit, sed tamen duo tantùm assumet præter vsum.

Dubium.

Ciborum varietas mala.

Panis solus in prandio malus.

Senibus consuetudo vtilissima.

2. Aphorismorum 49.

Reliquum est vt dicamus de vltimo, scilicet prorsus incommodo senum, qui cum malè concoquant, plurimum excrementi in singulis coctionibus coaceruant, fæcum in prima, vrinæ in secunda, & inutilis halitus in tertia, qui si concrescat, solet albam, vt dixi, pituitam creare, præterea particulatim in ventriculo cruditates, in cerebro muccos, & pituitam in pulmonibus etiam & renibus propria excrementa iuxta naturam vniuscuiusque propriam. Ergo in hoc rursus Galenus çespitat, multáque molitur aduersus hæc incommoda, non frustrà, sed noxia, nam dum conatur eruere huiusmodi vina flaua, & potentia suadet, quibus ventriculus atteritur, iecur exuritur, & excrementa ad vrinæ membra magis impelluntur, inde aliqui renum lapidem, alij in difficultatem vrinæ, alij in vriginem, alij in inuoluntarium profluuium, iam prona ad hos morbos ætate perueniunt. Quod ipse immemor suorum præceptorum adeò refugere debuerat, cùm in eodem libro hæc scribat. [Quomodo autem ne turpè sit, ac detestandum articulari morbo pressum suis ipsius manibus vti non valentem, alienis egere, quibus ori cibos admoueatur, & eo qui in deiectionibus sedem abluat: satius enim sit si cui vllum omnino pectus est, sexcenties mori malle, quàm tali vita viuere.] Quod si quis tam impudens, delicatusque est, vt turpitudinem suam negligat, ac dolores quos noctes, diesque ex vitiis suis sustinet, non aliter quàm qui à carnificibus torquentur certè contemnendi non sunt, eo tamen illos suos miseros consultores protrudit per inscitiam. Neque enim dubium est senem recta victus ratione vtentem pauciora excrementa habiturum, quàm iuuenem: quod ratione perinde ac mathematica demonstrare licet. Nam si tantò facilius concoquitur cibus senis, quantò leuior, & paucior, tantundem resecabitur excrementorum ab illo, quantum à iuuene, atque eo minus quo cibus paucior est: minora igitur sunt excrementa senis rectè viuentis, quàm iuuenis. Sed Galenum duo deceperunt, quæ non animaduertit, vnum quod plerique senes populari ratione viuentes, plus bibunt quàm iuuenes, tantundémque comedunt, & malè mandunt: alterum in quo magis deceptus est, quoniam suum iuuenem exercet, adeò vt per halitus, & sudores eum tantũ effuderit, multò minùs per reliquas partes reddit, senẽ solum deambulantem pluribus excrementis abundaturum vult, sed non est par comparatio. Non ergo in sene abundant plurima excrementa, quàm in iuuene, senex solum quod satis est edat. Sed difficultas est vbi senex fuerit imbecillis aliqua in parte, cætera sanus, velut si capite, & cerebro imbecillis, reliquo toto corpore sanus quid acturus est, nã si tantũ edat vt corpus reliquũ sanum degat, abundabit caput, & cerebrum fluxionibus, si tantum solum vt etiam caput quamuis imbecille, nihil præter naturam gignat excrementi, multò

Senes plurimum excrementi generare.
Notatur.

Galenus.
Vini flaui incommoda.

5 de Tuend. san. c. 1. in fine.

Nota.

Difficultas circa victum senum.

Cap. 13.

multò minus assumet, quàm par sit pro toto corpore, atque ita contabescet. Neque enim verum est quod in sexto de Tuenda sanitate ait, scilicet, eum qui recto regimine vtatur non ægrotaturum membro imbecilli, hoc argumento quo malè concludit, quamuis author multis libris operis, vt iactat se de Demonstratione. Qui lapsum habet membrum, interdum per multos menses non ægrotat, quoniam illo tempore excrementa non gignuntur ob rectam victus rationem, igitur si perpetuò sic viueret, perpetuò sanus degeret: at ego ex vngue oppositum ostendo, non fallaci demonstratione vt ille, sed certa: siquidem qui recta victus ratione viuunt, & sani sunt, & qui etiam sic viuunt, sed partes habent sanas, solùm tantum excrementi gignunt, quantum naturaliter debet, & pro assumptorum, & euacuandorum ratione, sed qui membro ægrotant, illo plus excrementi generant, quàm in aliis sanis membris, vel quàm sani: ergo qui recta & exquisita victus ratione vtitur, & membrum habet imbecille, is eo membro ægrotabit. Ecce quod ille errat: tantam verò rem crassa Minerua vt solet maximè vtilia pertractat circa nugas intentus, & admodum prolixus. Fallacia ergo consistit in medio quod assumit, qui recta victus ratione vtitur, membro debili longo tempore bene valet verum est, & experimentum frequens, quamuis non semper ostendat id: hoc verò contingit, quoniam non plus gignitur excrementi, quàm par sit, falsum est: sed quoniam non tantùm aggregat excrementi, vt statim morbum efficiat, sed tempus exigitur, vt paulatim collectum efficiat morbum, post aliquot exempli gratia menses, at id verissimum: ideò etiam quod recta ratione vtatur, victus certo sub circuitu ægrotabit, quisque vnus post duos menses, alius post quatuor, quidam post annum vnum, alij etiam post plures.

Membri imbecillitas causa est collectionis excrementorum.

Animaduersiones circa membrorum debilitatem.

Igitur re generaliter intellecta, primum modos morborum ex lapsu membri intelligere oportet, quoniam aliquis habebit membrum imbecille, & non ægrotabit, vtpote si quis parum videat, vel ob malam compositionem oculi à natiuitate, vel ob malam intemperiem innatam, vel quia spiritus sint crassiores, quàm qui visui inseruire possint, ac debeant, nihilominus si naturalem facultatem integram habuerit, & si malè videat semper, nunquam tamen oculis ægrotabit contraria ratione, alius optimè videbit, sed sæpè ac sæpè oculis ægrotabit: Alterum est quod lapsus membri in naturalibus facultatibus, vel modicus, & is est cum sustinet minimos errores sine morbo, vel si non aberret in victu, non nisi post longum tempus ægrotabit. Qui verò ex minima quauis causa ægrotat, vel etiamsi rectè viuat per breues circuitus vnius, aut duorum mensium recurrit ad morbos, is laborat magno lapsu mediocri, si mediocriter se habet ad vtrumque. Tertio id scire expedit quod morbi quandoque fiunt in parte quæ laborat, quandoque in ea, in quam materia influit, nonnunquam cum grauiores sunt in vtraque. Et quibusdam pars quæ recipit etiam est imbecillis, quibusdam solum defluxus fit ob situs naturam cum rectus fuerit, aut circumscriptus, & ad superiorem partē pro materiebus leuibus, atque vaporibus: ad inferiorem autem pro grauibus humoribus. Est etiam morbus aliquando in intemperie, quandoque in ipsa compositione, quandoque in substantia ipsa qui est deterior omnibus, adeò vt in huiusmodi nulla victus ratio sufficiat. Quandoque etiam membrum quod recipit debile est, & ob situm læditur etiam, si quod transmittit incolume sit. Oportet autem viam esse tum naturali faciliorem. Natura præterea vt supra dixi, eam membris vim indidit, vt citra victus debiti quantitatem, & membri robur, & substantia stare possit, & si non augeatur. Id exemplo declarare cogor: scio enim quod reconditum est à paucis, secùs intellectum iri, sit gratia exempli victus ratio optima & vltima, quam omninò ob quantitatem exuperantem sustinere possit, vt nunquam ægrotet homo, & augeatur corpus, & pinguescat, & vires ad vltimum robur deducantur alimenti superati libræ duæ: sit autem optima simpliciter, & media non in limite, sed cum qua vires, & corpus augeantur ad id, vsque quo peruenire possint alimenti, & libra vna, & vnciæ decem: sit rursus quantitas alimenti, cum qua viuere possit sanus perfectè absque tabitudine vlla, vel decremento virium, alimenti libra vna & vnciæ sex. In libra vna ergo & vnciis decem erit excrementi, quantum secundum naturam esse debet, in duabus libris aliquanto plus, sed citra offensam in libra vna, & semis tanto minus, sed citra extenuationem corporis, aut virium: si ergo alicui caput sit imbecille facultate naturali, nam de hac, vt dixi, tantum est sermo, non magis vt cum libra & dimidia alimenti, vel etiam quod melius multo, & tutius est cum libra vna & vnciis octo non plus aggreget excrementi, quàm sanus cum libra vna & vnciis decem, viuet ille capite incolumi, nec læditur in corpore, sed optimè deget. Viuet etiam sanus eo vsque si aggreget, quantum sanus ex duabus libris alimenti, viuere etiam poterit sanus, si cum libra & dimidia alimenti non plus aggregabit, quàm ille sanus alius cum duabus alimenti libris. In cæteris autem si per libram vnam cum dimidia contabescat, aut plus generet excrementi, quàm sanus cum duabus libris, quantum ad hanc rationem attinet, necessè est senem illum, imò etiam quemuis alium ægrotare, quare ad capita curationum intemperierum relegandus erit, vides facilè Galenum fuisse his rationibus imparem, nihilominus tantò plures habiturus est defensores titulo vetustatis, & antiquitatis, ac nominis, quantò etiam plures cupiunt doctrinam facilem, quàm difficilem. Si quis ergo experimento deprehendat sub ea mensura non tabescere vires, cum qua se tuetur à morbo membri imbecillis nactus est, quod ei est vtilissimum, aliter ad propriam tractationem refugere oportet.

Morborum differentia.

Nota.

CAPVT VII.

De Victu Antiquorum.

Cur antiquorum victus incognitus sit.

QValis fuerit vita antiquorum, scire difficile videtur non solùm ob inconstantem diuersorum hominum historiam, sed etiam quod variis gentibus varia fuerint viuendi instituta. Quapropter & à verisimilibus, & à fide dignis authoribus, & quatenus ad præsentem tractationem pertinet, fidem accipere conuenit. Refert C. Cæsar Germanos vino caruisse, nec importari. Tacitus vsos pomis, & fera recenti, concretóque lacte segetem corruptam, qui mos est etiam nunc pro vino habitam, inebriarique solitos; hoc volui dixisse quod apud Barbaras gentes id in vsu esse existimem, quod antiquo tempore apud cultiores homines.

Habuerunt aliqui & ientaculum, & aristum, deinde prandium, quod dipnon vocabant, & cænam seu vespertinas epulas, aliter aristum, dorpistum, dipnum, epidorpida aristo vtebantur sub aurora, ientaculum tertia diei hora, quo & nunc gulones vtuntur, dipnum meridie cœnam vesperi. Piscium vsus tardior fuit ob retia, habitationes in speluncis montium, & maximè in promontoriis, & iuxta lacus ob potum, & vt se lauarent, inde planitiei dulcedine allecti, tuguria ex terra, & casas conficere didicerunt, nutibus actum fabulosum est, & Diodoro Siculo dignum, namque Adam loqui nouit, & omnes posteri, & non magis muta gens quam mare non salsum, huiusmodi ergo ratio victus robustissimis ad vitæ longitudinem, & incolumitatem, & ἀπαθείαν vtilis imbecillibus ad breuem vitam: ita enim rusticorum victus, si non immodicis laboribus exhaurirentur, atque hæc proportione regionum, tardior enim vsus ciborum, qui arte parantur in extremis mundi partibus simplicis antiquior, nam vt Aristoteles in primo Metheororum declarat, altiores esse Boreales partes, hanc ætatem curis solutam auream vocauêre, existimat Plutarchus Theseum primum fuisse, qui congregauerit Athenienses Hesiodi vt Poëtæ lactationem septem annorum, & vitam centum quinquaginta, & vt Græci fabulosam esse haud dubium est.

Nota.

CAPVT VIII.

De Victu eorum qui dentibus carent

Dentes anteriores & mādibulares.

DEntes anteriores magis faciunt ad decorem, & ad sermonem, sed magni & mandibulares ad salutem, & vitam vnde elephantes quia illos habent robustos, licet careant anterioribus omnium consensu ducentos viuunt annos, sunt qui referunt trecentos: molere enim cibum exquisitè ad vitæ longitudinem plurimum refert: sed neque eadem est ratio, si inconditi sint, aut vna ex parte tantùm deficiant, inconditos habere paulò minùs est, quàm nullos habere: quod si vno tantùm latere supra, & infra habeat, ex illa parte mandat, verum vbi vsus illorum valde læsus est, vel quia desint plures, vel quia molares vltimi, qui maximè molunt, aut quia inconditi sint, aut quia dolori, aut mobiles, aut stupidi, aut imbecilles, aut inæquales, vt aliqui erosi sint, alij sint iustò longiores, perinde fermè est (imò forsan deterius ob fiduciam) ac si quis omninò careat. Non esse autem vitæ necessarios compertum est multorum experimentis, qui propè centesimum annum vixerunt, cum in iuuenta carere dentibus cœpissent, velut Iacob Hebræus Papiæ, & pater meus, aliique multi, de quibus in primo de Dentibus diximus. Verum vt dentes non necessarij vitæ sunt, ita si quis dentibus carens viuere velit, vt qui dentes bonos habet, multum è vita adimet, & in morbos graues decidet, maximè cruditates, ventriculi imbecillitatem, obstructionem, & renum lapidem. Cibus enim non bene mansus, hæc præcipuè incommoda affert, vna ergo est ratio vitæ eorum, vt liquidis, aut sorbitionibus vtantur. Hic igitur maximè conuenit panis coctus, est enim optimi alimenti, sin minus in iure diu madefactus. Ius autem & piscium, & oleum etiam, sed minus. Sub piscium genere comprehenduntur chamæ, & conchæ, & intestinorum, & pedum quadrupedum. Et aqua cocta cum butyro, & etiam cum oleo ius facit. Secundum præsidium est à vitellis ouorum, aut lacte, quibus lac noxiam nō affert. Tertiū est, vt panis quàm læuissimus, & mollis, sed bene coctus, & fermentatus crusta sicciore purgatus, diù mādatur, sed & mollia fercula ex oleribus, sed non adeò bona vt ptisana, quæ tamen inferior est longè alica, & hæc chondro, & oriza. Videntur enim hæc duo, & panis ex iure optima. Ptisana enim tenuiter nutrit, & similiter amygdala pro ferculo sumpta, Melior est cum saccharo mista, & cocta pro torta vt sit suauis cibus. Vltimum è melioribus est vua passa Cretica recens. Carnes non nisi dissolutas, & quæ filis carent, edere expedit: ideóque glandosæ conferunt, & iecora omnia parientium oua, modò non adeò exigua sint: Sed ex auibus, ac piscibus, tum ventriculis etiam auium, nam omnia talia facillimè cōcoquuntur. Quantò ergo præstat sorbitionibus vti, tantò magis vtile erit à potu abstinere. Itaque potus sit exiguus, atque non simul sumptus, sit autem in plures partes diuisus, & cùm cibum liquidum esse necesse sit, tantò magis abstinere à potu atque agitatione, tum etiam labore conuenit. Porrò de dentium cura sex libros conscripsimus locupletes, & propter hæc de his dicendum non est. Ius autem suaue sit, ex piscibus, aut omni pingui, & cum oleo, sale addito. & petroselinō communi, tum porris aut cæpis, sed quoniam hæc nocent dentibus, & malum oris odorem pariunt, cùm alioquin senum spiritus rarò bene oleat, contrario quippe puerorum, roremarinum cum petrosilio, oleo passis, vuis, salis modico, & aceti guttula, commendari debere censeo, siquidem rosmarinus incidit, mollit, detergit, sudoremque prouocat, sed &

Molere cibum exquisitè oportet.

Dentes non esse necessarios vitæ.

Cibi non bene mansi incommoda. Eorum viuendi ratio.

Potus exiguus.

Ius suaue quid.

& radix illius, quæ iuxta germen vomitum cit, ventremque soluit inferior pars.

CAPVT IX.

De Quantitate, & numero cibationis senum.

Notatur Galenus.

PORRÒ quantum aberrauerit Galenus in quantitate, & numero cibationis senum, quibusdam paucis adductus exemplis cuiusdam Antiochi medici, Telephique Grammatici, non est vt referam. Et quanquam eum hac in parte laudem, quod maluerit vera referre, quàm falsis exemplis sententiam suam confirmare, vituperatione tamen eum non leui dignum iudico, quod in tam graui causa postquam illorum consuetudinem enarrauerat, non adiecerit qua in parte peccarent: neque enim prorsus necesse est, si res feliciter successerit, illos rectè egisse, neque etiam si rectè agant bene cedere: vt neque in re militari, quod si peruicatia materiæ, natura nonnunquam aberrat, quid de arte dicendum est, sæpius tamen aberrant artifices, quàm ars. Etenim hæc dicta sint ad eos, qui rem vt vulgus ex euentu comprobant, nam ars est eorum, quæ vt plurimum contingunt, vt etiam scientia naturalis. Quamobrem necesse est omnes artium regulas, quibusdam detrimento esse, ita vt ars non singulis, sed humano generi vtilis sit: quædam contra artis præcepta melius, quàm iuxta illa succedunt, quamuis rarissimè hoc contingat, & in paucissimis. Igitur senes sæpiùs cibandi sunt, scilicet, qui L X. excedant annum, si exerceri cogantur: aliter autem vt reliqui bis tantùm in viginti quatuor horis: cùm enim calor senilis paruus sit, diuidere conuenit cibum, vt diuisum concoqui possit, quod integrum non poterat. Sed si labor omnis adsit ad LXXX. præsertim annum, sufficiet gemina in die cibatio, labor enim cùm resoluat vires, cogit vt maiore quantitate cibi vtamur, quæ cùm non possit à sene concoqui, diuidere illam necesse est. Hoc autem ratione declarari potest, sit exempli gratia aliquis, qui libra cibi ad L X. vsque annum contentus feliciter vixerit, palam est autem illum posse vti deambulatione prolixa, hæc autem vt infrà dicemus post L X. annum minuatur ad dimidium, eo igitur minus resoluetur: minor igitur quantitas tantò necessaria est, quantò resolutio ob dimissum exercitium minor fuerit. Quid igitur prohibet cibo diminuto, ne ille in duabus vicibus seu bifariam diuisus concoquatur. Itaque hunc errorem adeò grauem admittit Galenus, quoniam non animaduertit exercitium proportione ea ætate minuendum esse. Vbi autem peragatur, vel sola deambulatio, quoniam in senili corpore animalis virtus (vt vocant) debilior primo, & maximè ante alias euadit: ideò cibum aliquem capere vtile est. Debilitatur autem animalis virtus prima, & magis, vt est in languentibus, tum ob vigilias, tùm verò hæc debilitas manifestiores noxias parit: si enim cor vel paululum debilitetur, vel iecur damna affert, sed quæ cum exigua sint non sentiuntur, & si sentiuntur, non sunt tamen euidentia. At si virtus ac animalis, cerebrique facultas obumbretur, tum maximè in quibus multa in ventriculo redundat pituita, velut in senibus, vaporem ad cerebrum delato, in vertiginem dilabuntur, ac concidant facilè, quo casu aut periclitantur, aut quasi infamantur: certè vt par est, multum perterrentur: Quibus ergo deambulatio longa, & procul maximè necessaria non est, & præcipuè si non redundet pituita, aut crudus humor circa ventriculum, & eo magis si os illius firmum fuerit, si bene dormierint, ille primus cibus non est vlla ratione necessarius, multò verò minus vtilis: nam frequentius necessarius, quàm vtilis esse potest in his casibus, sed iam ipsius Galeni sententiam pro exemplo referamus, quam supra etiam attulimus & post examinabimus. Inquit enim ille: Antiochus Medicus annos plusquam LXXX. natus quotidie in forum manè à quo tribus aberat stadiis ventitabat pedibus, infirmósque si quos propè habebat eo modo etiam inuisebat, si longiùs eundum erat, cella, aut vehiculo vtebatur hora tertia, aut quarta diei ad summum, in ipso foro panem cum melle sumebat, plerumque mel ipsum coctum erat, nunquam crudum. Post sextam horam in publico balneo fricabatur, & exercebatur exercitiis ætati conuenientibus. Mox lotus prandebat mediocriter, primum sumptis his quæ aluum deiiciunt, inde piscibus saxatilibus, in cœna autem sumebat aut chondrum cum mulso, aut auem ex iure simplici, cibos scilicet qui bene nutrirent, ac non facilè putrescerent: manè surgens deiecta primo aluo fricabatur: erat autem ei domuncula quæ hyeme calebat ob ignem, æstate, citra ignem erat temperata. Telephus autem Grammaticus ad centum fermè vixit annos: æstate quater lauans se, hyeme bis in mense, reliquis autem temporibus ter. Quibus verò diebus non lauabatur, fricari solitus erat, & vngi hora diei tertia, inde mel sumebat, alicæ decoctæ mixtum, sed mel crudum erat, septima hora, aut aliquando paulò citiùs sumptis prius oleribus, quæ aluum deiicerent, edebat pisces, aut aues, demum vesperi panem ex limphato vino assumebat. Hic cùm adeò verbosus sit in rebus exigui momenti, cum per se claris, in parte adeò vtili, & in qua vt admittebantur errores, quasi ex euentu probaret, quæ illi egissent omnia, ne verbum quidem subiicere ad examen dignatus est. Nos autem breuiter singula attingamus. Quod hora illa assumeret cibum optimum factu erat, quodque mel cum pane, cæterùm non tam modicum, si non se exercuisset, sed sufficiebat (vt dixi) in cœnam, sed maiori quantitate. Fingamus modò quod exercitium illud ei necessarium fuerit (neque enim hæc solùm diuitibus, sed magis etiam pauperibus, quales nos nati sumus, scribimus) quid attinebat fricari, & multò minùs exerceri, cùm iam tria stadia superasset. De lotione infrugifera, & operosa, sed sufficit manus lauare ante cibum, pedes tepida, & caput calida bis, hoc quater, illos

Nota.

Sæpius senes cibandi sunt.

Virtus animalis in senibus debilior existit.

Antiochus Medicus.

Telephus Grammaticus.

Galenus notatur.

Nota examen.

illos in mense, post quatuor autem horas sumere cibum non conueniebat, nisi valdè exiguum panem prius assumpsisset. Apparet autem panem, si modicus sit, primo de Tuenda sanitate, tum etiam sexto breui tempore, & paucis horis confici. Sit autem exigua quantitas valde, & tum si reliquiæ quædam remaneant modo potu non vtatur, tam mellis, quàm panis non corrumpuntur. Quo verò superesset tempus ad cœnam vsque non dico, nam constat illum nec caseo, nec carnibus, nec ouis vsum, sed oleribus, ac piscibus, quæ cito concoquuntur ob raritatem substantiæ, distribuuntur ob alimenti paucitatem. Cæterùm Thelephus ille quod sæpè obiecimus Galeni normam de prandio & cœna non seruauit cùm fuerit viuacissimus, sed hac in parte laude potiùs vt dixi, quàm vituperatione Galenus dignus videtur.

Cap. 10. & cap. 70.

CAPVT X.

De propria victus institutione, dum sexagesimum sextum annum agebam.

CVm plurima tentassem, demum hoc anno qui est sexagesimus sextus ætatis meæ, salutis autem nostræ M.D.LXVI. XVI. Calendas Decembris Bononiæ profitens medicinam supraordinariam hora tertiarum, id est, inter quartam & quintam diei ex inæqualibus, cùm à sinistro latere deessent infrà quatuor vltimi dentes, superius duo vltimi, à dextro latere supra solum penultimus, infrà duo secundus & quartus ab extremo mandibulæ numerando, qui reliqui erant (fuerunt autem XXIII.) robusti, & firmi ob custodiam, quam adhibui, laborans præterea henterocelle in latere dextro, sed quæ me parum ob vinculum ferreum afficeret molestia: insuper verò & naturalia imbecillitate, ventriculi maximè ex defluxu pituitæ valdè copiosæ à cerebro: quod verò plurimum me affligebat, erat vigilia, vt vix sex horis singulis diebus dormire, id tamen per interualla: neque enim perpetua erat hæc, vt neque podagra, cui tamen fermè singulis annis obnoxius eram, quanquam peculiari auxilio me tuear: sed in familiaribus negotiis admodum liber sum, præter munus scribendi, ac scripta corrigendi: quatuor enim habeo amanuenses, hoc igitur in statu cùm res meæ essent, constituto demum hanc viuendi rationem vt stabilem, ac quam sperarem mihi magis profuturam: & si aliquid immutabo, ex illa subscribam. Manè antequam profiterer, sex nucleos persiccorum edebam, quod plurimum conferebat & ventriculo, & flatui, & ad recitandam lectionem, aliquando sumebam sacchari quartam vnciæ partem loco nucleorum, ne adeò siccarem ventriculum. Manè edebam panis vncias quatuor in iure carnis, aut piscium, & sine potu: interdum siccum, & cum passis vuis, modò paruis, modò Creticis, & cum modico vini diluti. Vesperi dierum Lunæ, & Mercurij carnis parum, aut piscis, & panis vncias quinque aut sex, erat autem tostus, & crusta excussa. Reliquis diebus sumebam vesperi carnes assatas, aut oua, vel pisces satis copiosè, panem tamen moderatè, vinumque dilutum satis liberaliter. Vtebar sæpiùs pane cocto in iure mane quidem absque potu, & denso, vesperi diluciore, & cum potu: caro autem columborum tenellorum, iecora gallinarum, & ventriculi lactes, & pulmones, tum pedes scilicet cum parum nutriri cupiebam. Ergo panis decoquendi causa lebetem cupreum paruum mihi ipsi emi, nam non remittit vt ærea, neque frangitur vt figulina, & lapidea, & tamen diligenter detergi potest. Cùm autem cogor ambulare à cibo, minus assumo cibi, de potu autem quàm minimum. Vtebar autem ob vigiliam & curas interdum, imò sæpiùs buglossi specie aliqua, ruta, atque melissa. Vigilabam maximè vel cum ante cœnam pedibus per vrbem irem, præcipuè autem cum noctu: de causa aliàs dicam, sed primum collutione oris ex frigida, post potum aquæ cum saccharo, somnum restituere solitus eram, sed noxium quid sensibus esse existimaui: demum non iuuabat, profuit ergo deambulare paululum quasi, nuper lecto me applicarem. Et si noctu deambulassem, linteo calido caput perfricuisse ante cœnam leuiter, & vbi statim domum rediissem, profuit. Præterea quæ ego ab hac die, scilicet XII. Calendas Aprilis M.D.LXVII. obseruare cœpi, nunc adiiciam ad aliorum vtilitatem, scilicet vt ante cibum si omninò cibum sumere vellem, grana sex aut octo vuæ Creticæ pinguis, aut Illyricæ à XII. ad XXI. deuorarem absque arillis, & cortice ad ventriculi imbecillis tutelam. Deinde vt in actionib. à Plotino monitus confiderem non incusare Deum, paruifaciens vitam vbi necesse sit. Demum vt cogitarem mundum hunc fabulam esse, & præsentia mala, quia adeò breui dilabuntur, non posse nos reddere infœlices, & Deum venerarer, amarem, colerem, in illóque confiderem, sciens certò animos nostros esse immortales: sed redeo ad institutum, anno LXVII. cum essem penè in eodem statu, rem victus ad trutinam deduxi, ne quid deficeret, ne quid adiiceretur. Primum ergo panem ad pondus vnciarum nouem cum dimidia, cuius trientem, vel propè sumebam in mane, bessem vesperi & recentem, ac bene præparatum, scilicet fermentatum, coctum, ac leuem ac, huius causa XIX. pro duobus diebus, & erat pretij sex quadrantum alternis diebus emebam: ita consulebam quantitati, ne in ea peccarem, & vt esset quàm recens: Ius vt paratum haberem ex aquæ libris duabus, olei vnciis totidem, aut paulò plus: addebam aliquando tusum rosmarinum, & salis modicum, si melius efficere cuperem, vuas passas, petroselinum, si adhuc paratius piperis grana v. vsque ad vij. aut ascalongias, dissecant enim, & apperiunt, quod si vellem, melius incoquebam testudinem, aut limacias in frusta diuisas, aut piscem aliquem lucium, tincam, ciprinum, sturionem paruum, aut pinguem alium piscem. Optimus enim est piscis pinguis, & adeps illius, sed si caro ex vsu esset, vis illius simplex sufficiebat, atque id manè

Debilitas ventriculi ob pituitam descendentem.

Propria victus ratio.

Nota.

De prouidentia 1. cap. 8. Mundum fabulam esse. Animos nostros immortales esse.

manè si passæ in iure essent, nil præter panem ibi madefactum sumebam: si non, nec esset ius carnis, edebam modicum in cocti piscis, aut limacis, aut zibibi, aut vuæ passæ, aut pistaciorum, aut piscium salitorum: vesperi autem cum ferculo piscem, aut carnem glandosam, vel iecora gallinarum aut apri lumbos assatos, edebam & tum acetarium. Dormire statui quacumque hora, die, tempore occasio somni obreperet: reddita enim coctione imbecilliore ob caloris inopiam, existimaui iuremeritò somnum vberiorem adhibendum, & qui mansus bene non poterat deglutiri, auxilio emollientium virium meritò indiguit. Potus autem in mane nullus, sed quandoque oris collutio è vino valdè diluto, non nunquam absque illo etiam.

Somnus senũ quacunque hora bonus est.

Duo authoris singularia.

Inter reliqua autem quæ mihi circa hæc contigerunt, duo enarrabo singularia: primum quod cùm irata esset mihi ancilla, nec auderem committere salutem meam illi, quippe vt coqueret panem & madefactum aqua non existimabam vtilem, nimis enim crudus erat, & inflasset: ob id ergo consilium cœpi, vt panem infunderem in aquam more solito, inde cum hora adueniret (neque ob legendi munus, & curarum negotium coquendi panem coram me tempus suppetebat (expressum more communi infundebam iuri carnium feruenti, quod paratum erat pro omnibus, vt nulli periculo me exponerem, versansque illum paululum tria compendia faciebam, iuris feruorem temperabam, panem ipsum pene coquebam, suauem reddebam, indebam & saccharum: hoc ipso inuento bellè profeci. Aliud fuit quod à Principe Corregij Fabritio Austriaco viro Illustrissimo, vt quæ ex agnatione Cæsaris, & Regis Philippi Maximi esset didici; scilicet coquere carnes in olla munda maximè noua, superposito vase, aut lance aqua pleno vt torreatur, mirum dictu tanquam assata in veru, exprimatque succum suauissimum, licebitque addere rosemarinum, ac saluiam, salis modicum, tum & aromata, atque is cibus factus est mihi familiaris, atque hic cibus optimus est ad valetudinem, sub fine anni LXX. cùm iam XII. dentes amisissent partim nondum inuento arcano dilapsos, partim ita corruptos restitui non potuerint, maximè autem gingiuæ molarium inferiorum ab vtraque parte nudæ erant: cogitaui vt manè pane recenti molli vterer, aut aqua madefacto. Vesperi autem in iure carnis: aut si non licebat olerum. Verum cùm non arrideret, ancilla enim inepta erat, excogitaui in diebus in quibus carnium esui interdicitur, vt testudinum palustrium iure vterer, aliquando autem cyprinorum, aut aliorum piscium, sed testudinum maximè visum est mihi salutare. Est enim animal sanguine præditum, & à venenorum consortio remotum, itemque à putredine in quibus differt à ranis, astacis, & limacibus, piscibusque: viuax etiam & optimi iecoris, & cui natura in nullo præterquam in vitæ tutela consuluit. Oua præterea illius optima sunt: quamobrem nihil hoc animali aut commodius, aut salubrius: seruabam autem illas in nitida, & pura aqua, vt essent mundiores. Cætera tamen crassa summo studio euitabam, abstinebamque ab omnibus valdè lentis, vel senilibus, vel duris, aut grauibus.

Fabritius Corrigius Austriacus.

CAPVT XI.

De Aëre, vestitu, balneo, & somno senum.

SEnes natura frigidi & sicci atque imbecelles sunt, quapropter & regio & anni tempus ad contraria, sed neque multum declinare debent, & si errare contingat in frigido magis quàm calido accidit, seu tempore, seu regione, aut vestitu, aut balneo, vel somno. Itaque vt à pedibus incipiam, cùm illos conueniat seruare calidos, & siccos, si sicci præstat calefacere motu, non igne, magis etiam quàm linteis, maximè enim naturalis est calor, qui motu moderato excitatur: tum præcipuè quod non solùm accenditur, sed spiritus cordis, & sanguinis eo descendit: & nerui exercentur, emolliunturque quæ congelata sunt, & quæ laxata confirmantur: Secernitur etiam quod deterius est, ac crassior pars sanginis attenuatur. Post exercitium fotus est, aut balneum: sed siccus fotus ex linteis melior est, præsertim adiecta frictione, modò nil crudum sit in ventriculo. At si pedes frigidi sint à prandio, & humidiusculi, lauandi sunt frigida moderatè: confert enim ad coctionem: & vbi linteis siccati fuerint, incalescunt, Frigiditas enim pedum duo maxima mala effert; retropellit enim quicquid noxium est, aut calidum, & ideo videas cum pedes frigent, faciem, & caput vri, nec solum malum est hoc, sed & mali signum, & maximè in febribus acutis, in hominibus sanguineis, in biliosis viris iratis, quique cibum ingesserunt, & plurimum, & calidum. Si verò humidi sint pedes, & crura abluere oportet calida, ea enim detergit multò magis, quàm frigida. Et vbi mediocriter siccaueris gladio, minimè acutæ aciei, ne pedes lædas deterges sorditiem, quæ solet plurima hærere, & prohibere ne siccentur pedes, ne incalescant. A frigidæ etiam lotione detergere bonum est, non tamen facilè fuerit bene detergere: siccare licet linteis pedes aqua, cœnoque madefactos sponte, non nisi aqua sudore violento licet, spontaneo nequaquam, sed vt dixi abluere oportet, si pedes frigidi simul sint, & humidi, abluendi sunt calida, aut igne calefaciendi, siccandique. Exercitium ne adhibueris, spongiosa enim cutis, ac caro implebuntur humore illo non solum frigido, & humido, sed pingui, quod pessimum est. Et si humescant plurimum, nullo modo à balneo abstinere oportet: si occasio non detur, linteis siccis detergendi sunt, nam ignis plus intus transmittit, quàm vrat, plus vrit, quàm siccet. Frigidi verò ita pedes laxant etiam magis neruosa, & ventriculi coctionem debilitant, semper autem frigus pedem, aut ventrem astringit, aut laxat nunquam mediocritate seruata. Vt ergo humidis pedibus, ac cruribus parum conuenit motus, plurimum

Senes naturâ frigidi & sicci.

Moderati motus vtilitates.

Pedum frigiditas quæ mala pariat.

rimum ignis, ita frigidis plurimum motus minimum ignis. Neque verò hyeme, his quibus humescunt pedes caligæ purpureæ conueniunt, cum ex deambulatione humectentur, nec humectatæ siccentur, sed potius lana vratur, ita ego deceptus sum, decreuique in posterum caligis simplicibus ex lana vti crassa magnitudine, sed densa & tenui substātia: Aliud melius, crura caliga purpurea, vel ex lino denso loco calceamenti fascia subiecta pedi ne recurrat, calceamenta linea densa, aut tenuia, laneis, aut gossypinis superpositis, vel etiam ex stuppa sericea: mutare autem in dies singulos linea crassiora, alternis diebus, aut quarto, tum etiam facilius siccabuntur, siccatis interioribus: hic mos nobilium Bononiensium, hoc solum habet incommodi, quod inæqualem sensum efficit in pede ob fasciam multis molestum futurum, forsan consuetudo tollet, sanè molliet. Quibus verò duntaxat frigidi iuuat duplex caliga lanea præter lineam, quæ subtus haberi solet. Verum si humidi sint, sæpiùs linea mutari debet, vel quotidie lana siccanda: compendiosa enim res est. Eadem ratio in toto corpore, vt leues sint, paucæque vestes, ac calidæ, vt ex pedibus siccæ sunt lupinæ, & lyricei, & leporis. Vulpinæ & agnimæ humidæ, sed ita agendum vt mundæ sint, & aër arceatur: propterea corio tenui thoracem muniebam. Omnia tamen vt dixi calidiora, & ficciora quàm in iuuenibus. Abluere manus, & faciem frigida iuuat, non solùm ad munditiem, sed calefaciendum corpus, & vt densetur. At caput calidis indiget siccis non minus: est enim calidum valde, sed natura exangue, & in eo vigent sensus omnes, qui calore conseruantur. Et ideò confert aures gossypio conclusas habere perpetuò, quod obseruat Senator Elephanthutius, & ego, sed non æstate: Integumenta capitis sicca hoc anno mihi paraui è pelle viuerræ, aut potiùs syluestris mustellæ: at ita vt pelles hæ crudæ sint, non calce præparatæ, ostendit odor, nam quæ maceratæ sunt, olent calcem, & marcidum, & humidum habent corium, detondere capillos præstat ad cutim, aut siccare furfure: quibus consueta fuit lotio capitis his bonum est lauare, vitare expedit diei, & noctis quatuor extrema, originem vtriusque, & fines etiam æstate, qua in re differt ratio victus eorum, differt à cæteris ætatibus, cum in aliis ætatibus tempore æstatis crepuscula aut bona sint, si purus sit aër, aut ferri possint si non impura: namque senibus capita sunt frigidiora, & sicciora natura: ob excrementa autem humidiora, & imbecillia, & plena: indicio sunt canicies, caluities, obliuio, & grauedines frequentes. Vnde crepuscula vtraque, & prima, & vltima pars diei plurimum lædunt. Cerebrum quod imbecille est: nam in calidis temperant, in robustis calorem innatum cogunt, ob id alij æstatis tempore salutaria: Mirumque est quod Pio quarto Pontifici Max. suaserint medici vt æstate sub diluculo equitaret, cum iam esset annorum LXVII. & vltra, vt non obierit, sed occisus dici possit: cum secus etiam corpus haberet infirmum pro ratione extremi senij: more talium qui multa, & grauia perferunt, parua & leuia agunt, tanti est habere præstantem medicum, & obsequi illi, ac doctrinam esse traditam, quæ ad vitam faciat. At Galenus circa leuia & rara versatur, grauiora, & quæ in vsu quotidiano sunt, & in quibus vita periclitatur, omittit. Ventrem præterea magis contegere decet, quàm pectus, pectus autem ab aëre magis tueri, magis necessarium est: nam calor pectoris minus occupatus est, & maior longè, & locus neruosior, & ossibus plenum: at venter contra, venter concoctioni vacat, & moderato calore præditus: si tamen feriatur à vento, cùm omnia sint vnguinosa non læditur. Balneum autem senibus ex vsu est consuetis, & maximè vbi ventriculus sit robustior, & homo vigiliis obnoxius: vt verò tepida aqua auocat detergit, humectatque corpus, ac calefacit, ita calida exoluit, & commouet humores, sed aër calidus longè deterior est: balnea autem aquarum calidarum omnia minus conueniunt senibus, & quantò seniores: moræ metu in omnibus fermè cum sit voluptas, tum maximè in huiusmodi: verum æstate totius & Vere, minus syncerum autumno, atque etiam hyeme, sed & balneum frigidæ vtile est in primo senio. Et in brachiis frigida vtilior est, & minùs periculosa, quàm alibi, post in cruribus. Illis quoque aër maritimus est magis necessarius, & cubicula ad orientem æstiuum, aut vernalem exporrecta. Et aër humidus ac calidus illis magis necessarius, & minus periculosus, quàm aliis ætatibus: vt contra pueris & infantibus: nam humido minùs siccantur, & minus ipsos putredini obnoxios esse constat. Membra naturalia fouere licet pellibus vrsorum, atque fibrorum enim siccant, & plurimum calefaciunt. Post brachia sunt fæmora, & coxæ, quæ parum à frigore tentantur: sed omnibus minus collum, quod, nudum semper maneat ob longam consuetudinem, & ex partibus corporis posteriora capitis os dorsi magis contegi debent, quàm anteriora. Sed renum locus minus quod ille calori obnoxius sit spina dorsi, vtrique malo pronior, siquidem medulla à frigidis læditur: arteria & vena, quæ ei subiacet à calidis: propterea à motu distinctionē sumere debemus: vbi enim laborādū sit, periculosior est calor, præsertim circa lumbos, plurimum enim fatigantur: vbi quiescendum frigus, maximè circa sumen. Oculis similiter calida, auribus frigida: naribus extra frigida, neruosæ enim sunt, ac membranosæ, cartilaginosæque tenui cute, calida intus ob cerebrum atque hæc potestate, illa actu sunt magis inimica. Purpura senibus vtilis: nostra enim maleficè siccat sumini melior: Cygnorum & vulturum pelles siccitate plus obsunt, quàm caliditate prosint: lintea sine calce: linum cannabe longè siccius: lana gossypio melior: sericum inutile: lino igitur interiora velanda. Somnus autem vita est senum, recreat enim ille vires, lassos erigit, dolores sedat, coctiones adiuuat, quietem reddit, hilaritatem, & gaudium præstat, corpus impinguat, colorem exacuit, malorum obliuionem inducit: contra si desit accelerat mortem, attonitum morbum gignit, & resolutionem membrorum, tinnitus, vertigines, surditatesque procreat. Vnde dicebat

Nota.

Confert aures gossypio occlusas habere.

Vitanda sunt diei ac noctis extrema à senibus.

Nota.

Balneum senibus vtile.

Aër maritimus.

Nota.

Somnus senum vita.

cebat Princeps: cumque sacchara sit in ex nitroso humido in senibus, eius cura ex praua (quantò magis in decrepitis, vt antea dixerat, intellige) verum si succedat, est melior: namque somnus longus & propriè profundus in decrepito cum adueniat ob frigiditatem significat malum, & periculum apoplexiæ: vigilia verò est causa omnium malorum: igitur somnus emptus solus inter bona senum melior est, quàm naturalis, non facilè tamen ad insaniam deducit, cùm eorum natura frigida, non vt iuuenum calida. Quæramus igitur in hoc quinque. Primum quid sit somnus: vera diffinitio est, quod est quies spiritus animalis. Et fieri posset vt spiritus huiusmodi superesset in mortuo, mortuus verè dormiret. Et esset vt dicunt.

Somnus quid sit.

> *Stulte quid est somnus, gelidæ nisi mortis imago,*
> *Longa quiescendi tempora fata dabunt.*

Licet in cataphora, & comate, & attonitis, videantur quiescere, non quiescit, sed in solo somno: sed est vt dicitur de febre pestilenti à Rasi. Hæc febris est quieta exteriùs, interiùs conturbans: Indicio est finis, & oculi, & motus. Alterum erat quid paritura esset vigilia si perseueraret? sed hoc dictum est in senibus, de quibus sermo est: nam de iuuenibus aliàs locuti sumus in Promptuario: Tertium de illius causis: & dico quod vt somni est vna causa, ita vigiliæ plures. Propriè autem quicquid exagitat nimis spiritum animalem. Quare ira maximè somnum prohibet, non ita tristitia, quia non est cùm magno motu, secùs ipsa aduersatur somno veluti ira: & ita corporis dolores vehementes. Tertia magna caliditas, aut siccitas cerebri. Quarta magna confluxio, & cum vehementi motu atque citato vaporum, reliquæ ad has reducuntur. Quartò dicendum est de his, quæ valdè nocent, aut exacerbantur cum vigilia, & sunt decrepita ætas, indiget enim vt visum est maximè beneficio somni, & destituitur illo. Secundum est ebrietas, adeò vt si constet, occidat. Tertium est Venus immodica. Quartum magna cruditas. Et scias quod non conuertitur, nam grauedines in senibus, solent parere vigilias, nil mali parientes, nec significantes: nec mihi certius signum imminentis grauedinis, tantum potest ordinis inuersio. Quintum febris ardens cum dolore capitis, sunt enim ex hoc parati ad delirium: ex ilio ad conuulsionem, ex quibus mors sequitur. Sextum atra bilis, qua cum vigilia & senio conuertitur, affinitate, magna, & cum simul fuerint, vna curatur, alia sanata, aliter non. Dicendum est vltimò de auxiliis per genera, deinde per species. Genera igitur sunt XXI. A visu, auditu, olfactu, gustu, tactu, vi imaginandi, cogitatione exercitatione, & ex eo quod ex visu, & exercitatione colligitur, ex euacuatione, ex ipsis somno atque vigilia ab aëre, à cibo, & potu, à capitis lotionibus, à balneis, à pedum & cruriũ lotione, ab vnctionibus, à clysteribus à suppositoriis, ab eo quod est contra naturam, & parit contrarium, à medicamentis, & tota congerie auxiliorum, & ab his quæ proprietate id agunt, velut vitulus marinus, pes dexter, & pinguedo. Et mures auellanei, & alpini, qui dormiunt tota hyeme, horum vsus erit vt explicabo mox: dicamus ergo per species.

Cap. 57. Somni vna est causa, vigiliæ verò plures sunt.

Auxilia quæ.

A visu, tenebræ somnum conciliant perfectæ propriè, vmbra etiam, & picta somnum inducit, videre quoque imagines dormientium, & visio aquarum maris, lacuum, & fluminum, solitudo, & maximè montium excelsorum, & imagines depictæ solitudinis nemorum cum aquis, & prata, & ripas cum violis, & purpureis floribus: purpureus enim color congregat, & iucundus est ob cœli consuetudinem, nec vllus alius hæc amb[illegible] præstat: ideò melior est nigro. Solitudo verò cit sumnum, quoniam laxat omnes cogitationes, & est priuatio curarum, vt quies laborum, & etiam quia oculos solatur maximè iuncta vmbris. Idem enim refert visa quod imaginat: & illa eadem, quæ natura potest. Aquarum præterea in vrceis clarioribus diuersorum colorum, dum alleuant, animum somnum proliciunt, & pisciculi læti discurrant, somnum conciliare solent. Nec minor est vis conciliando somnum sonis, & in prohibendo, quàm coloribus, & luci: quod indicant strepitus in expergefaciendo iam etiam dormientes. Et non est hic locus quæstioni, sed somnus magis mutat membrum, lux plus agitat spiritus. Flebiles ergo cantilenæ, & toni miserabiles, & voces dulces, & submissæ, & ex alio in profundum cadentes, & amplæ (vt ita dicam) & graues non tamen vehementes conciliant somnum, & lenes dulces, & in hoc lyra obtinet principatum, & sonus aquarum cadentium guttatim, & euripi, ac riuuli ad hoc sunt valdè commodi. inde in vigilia febricitantium tracta consuetudo appendendi situlas guttatim aquam in peluim demittentes. Vnde scitè Maro, ac quasi per transennam, tantóque inscitius explanatores.

Auxilium à visu.

Ab auditu.

> *Nam neque me tantum venientis sibilus Austri,*
> *Nec percussa iuuant fluctu tam littora, nec quæ*
> *Saxosas, inter decurrunt flumina valles.*

Reliqui sensus, & si per se tantum ad somnum conciliandum minimè possint, propter annexa tamen olfactus multum virium obtinet: hic est virga Mercurij ad impediendum tamen omnes, & maximè qui minùs potest tactus. Ergo perfundit cerebum, opij, mandragoræ, nympheæ florum vtrorumque, styracis agnimen croci, violarum, papaueris, ex his pomum conficietur mandragoræ dotibus: non tamen omittemus chamæmelon, anethum, melilotum, ac populi flores, candidorum etiam liliorum recentium flores, & sclarea frigidis mita, quæ estiam lætos reddit astãtes. In tactu præsidiũ à strato, aculcitris, à munditie, à loco perflato subfrigido ab aura. *Virtus est vitium fugere.* Quid dicas de gustu cùm neglexeris, & tamen plurimum potest retenta in ore, vt etiam diacodion. In vniuersum & suffitus in odoribus, sed ob igneam vim non adeò, velut poma somniferi, & lecti primum ex stuppa sericea ex lino pectito, tum verò gossypio ob mollitiem, inde pluma,

Ab olfactu.

A tactu.
A gustu.

ma, demum lana: hæc consueta sunt, tamen qui melius in tabulis ob consuetudinem decumbant, mirum dictu, cum nouitas etiam aduersa somnum reuocet, nihil tamen melius lius renouata consuetudine: nam somnus & ex consuetudine, & nouitate reddit, medio non ita. Insueta vt rusticis palea tomentum ex pilis, rariùs frondes, sed hæ humescunt quãuis causa, & madefactæ difficilè siccantur. Frondes salicis, alga & quæcunque molles fuerint, sed nil melius typha, quæ in arundinetis aquarum inuenitur. Post seu sub, seu supra pelles vitulorum marinorum, & vrsorum, & murium auellaneorum, & alpinorum glirium, & mustellarum agrestium, nam vrbicæ ac quasi domesticæ hyeme non dormiunt, neque enim eiusdem sunt generis alpini, quos marmotas vocamus magnitudine, moribus (erigunt enim se) & multò maiores illis, & dormiunt hyeme: auellanei similiter, sed minores omnibus, & victu, & forma differunt à cæteris: & glirium prorsus alia ratio: qui si modo in aliquo genere collocandi esset, magis sciuros pertineret. Mustellarum vtrumque genus inimicum muribus (sed hæc extra aleam, omninò sinamus antiquos quorum monumenta quæ obtima erunt periêre, quæ supersunt Grammatica curiositate, non ad res respiciendo, scripta sunt) sufficiat de his qui dormiunt mustellarum (sed nondum planè compertum habetur) vtrumque genus: Montani potiùs, & auellanei, ac glires huic negotio sunt vtiles, cum verò superfuturis hyeme animalibus (ne muscas, & culices, ac cimices, forsan & lacertos in hoc numero includamus, natura prouiderit viribus, vt auibus plerisque, & sanguineis terrestribus alia congregent, velut glires, & formicæ, alia somno se sustentant, velut dictum est, vrsi serpentium generi toti superfuturo, hoc solum auxilij genus relinquebatur, vnde etiam illorum senectæ pelles, ac adeps huic negotio vtiles erunt. At in imaginando, ac cogitando maior vis cùm intus sit, & tota in nostra potestate: vt ergo iucunda sint, ac firma, ad conciliandum enim somnum idonea sunt, iucunda sunt, quæ amamus, quæ sensu ipso nos delectant: quæque potius ad fabulas, quàm historiam pertinent, vt Hyperborei, & orochilia, ex veris etiam diuina, si quis propè accedere possit, tum retroactæ vitæ felicis recordatio, nam futurorum est spes, & metus. Ad hoc iuuant Poëtæ cum suis Chimeris. Exercitatio tum ob coctionem, tum descensum crudorum, & resolutionem spirituum, & caloris, vt in rusticis maximè in sole peracta vbi adumbrante contulerit. Tum quæ visu adiuuatur, & auditu, velut nauigatio, equitatio per loca vmbrosa inter colles, iuxta flumina, & loca amœna ex vacuatione autem tum crudorum, tum fæcum, tum molestiæ, vt quæ à doloribus liberat: & in hoc cassia nigra, & aloes: aut quæ exoluit vt venus. Sed præter reliqua nil commodius à cibo, vel cruditate quàm vomitus, aut ructus, qui supernatantem cibum educat. Innatum est præterea cunctis simile sibi generare, vigilia vigiliam, motus motum, calor calorem, putredo putredinem: propterea videndum est quando vigilia somnum gignat, quando vigiliam. Diuturna ergo vigilia vigiliam, & somnus somnum gignit: hic enim humectat, illa exsiccat, sed vigilia vnius aut duorum dierum, quæ spiritum dissoluat, non tamen cerebrum exsiccet, præsertim succedente cibo, atque potu conuenienti somnum procreat, atque altum & profundum. Aër verò humidius sit, qui soluat intemperiem, vnde qui circa fontes habitant Euripos visu, & susurru ac aëre sibi ad impetrandum somnum blandiuntur, secùs frigidiusculus, sit orientalis quidem melior: & suaues venti, velut Zephyri qui propè aquas spirant. Et qui ab herbis præcipuè à papauere, & violis purpureis, ac chamæmelo, atque mandragora. Cibus pisces, lactuca parū cocta, papaueris semina, poma, & persica cocta dulcia, recocta ex lacte: vinum dulce copiosum aqua permistum, sclarea etiam lætos reddit inter cibos, aût potus sumpta, & quasi temulentos, vt etiam lolium, sed hoc deterius: poma vel radix mandragoræ, atque hæc vehementior & vigilias, & mentem tollunt. Persica quoque sicca à cibo, & semina peponum in ferculis simpliciter prosunt: caro murium alpinorum, cerebra fermè omnia, sed præcipuè vituli marini, tum caro, amygdalæ sub mazapani forma bonæ sunt. Oua quoque recentia modico cibo, & ante, cepulæ teneræ coctæ vaporem enim transmittunt. Capitis lotiones, & balnea totius corporis, & pedum, & inunctiones ex eisdem fiunt, sed priora tria etiam cum sola aqua tepida, & exactè pura somnum conciliant ante cœnam, & à cœna, sed cauere oportet omnem motum: vnguentum igitur tale esse debet, quo tempora capitis, & vertex etiam, & sub naribus, & si opus est osea furcula pectoris, & cordis regio, ac epatis si oportuerit: semper autem duo carpi manuum, & vertices pedum vbi arteria manifestè manum repellit, & à lateribus inguinis, vbi arteria digito maior percipitur. Descriptio eiusmodi duplex est.

Nota.

Vomitus vtilitas.

Consideratio circa vigiliam.

Nota de Aëre senum.

A cibo.

A potu.

A capitis lotionibus & reliquis.

℞. Olei Anethini ℔. j. Anethi, chamæmeli, meliloti, florum populi. an. vnc. j. ß. croci, panis croceæ, florum liliorum alborum, qui eadem nocte floruerint an. vnc. ß. hæc duo non statim apponantur, sed quatuor priora cum ℔. iij. aqua violaceæ redolentis, & in balneo Mariæ coquantur cum oleo, vt ferè consumatur aqua, inde remoueatur ignis à balneo, & reliqua duo addantur, & permittatur donec bullierit, & ponatur in eo dum adhuc feruet pinguedo vituli marini, aut muris montani drac. x. & post antequam refrigeretur, exprimatur ad vltimum, & seruetur, & hoc est mite, & si vis efficere, validius adde succi radicum mandragoræ condensati vnc. j. Aliud potentius quod est aliquanto frigidus. ℞. olei anethini ℔. j. Chamæmeli, anethi, meliloti, florum populi, capitum papaueris albi, sem. lactucæ, florum vtrorumque nymphæ, radicum iridis valde odoratæ, radicum mandragoræ, styracis calamitæ & radicum, & fructuum halicacabi an. drac. vj. Aquæ violaceæ redolentis ℔. iiij. coquantur vt supra, & in fine eodem ordine addantur croci orientalis integri, & interiorum florum liliorum alborum

Olei descriptio.

Alterius descriptio.

rum an. drac. v. ambræ orientalis drac. ß. vsque ad i. confice vt suprà. Clysteria autem ad hæc sunt valdè potentia, sumatur oleum confectum cum quatuor primis medicamentis drac. vi. Iuris castrati pinguis propriè capitis, & viscerum vnc. iv. medullæ cruris vituli, pinguedinis vituli marini, aut muris marini anno vnc. ß. croci, styracis calamitæ aut agnimen anno drac. ß. Possunt etiam loco illius olei compositi pro clysteri oleum de lino, aut de semine lactucæ, aut papaueris, aut loco pinguedinum, & medullarum pinguedo vrsi, aut pinguedo muris auellanei se extracta, coquendo in olla obturata cum pasta hordei, aut triticea tota substantia in pinguedinem transeat. Et similiter vt olea fiant ex expressione cum torculari non incoquendo. In vniuersum etiam ouum recens triduo vel quatriduo fotum etiam plurimum adiuuat. Suppositoria quoque ex eisdem pinguedinibus, medullis, styracè optima, croco, mandragoræ aut papaueris succo coacto. In omnibus autem lotionibus præsertim capitis, & in febribus hordeum vtile est. A contrario autem velut dolore est euidens, quoniam assatio tutior est à nimia resolutione, & securius expectanda est vtilas, quæ promittitur: Ergo si licèt, & magis si dolor capitis cum vigilia affuerit, tormenta & cruciatus illo volente adhibebis, præcipuè pedibus, & cruribus: & si podagræ obnoxius est, illam prouocabis, vix enim continget vt voto, & egregiè non perfruaris. Et vt magnum ad magnum, & totum ad totum, ita partes ad partes, & pusillum ad pusillum, vt in homauigilia, brachij morsus, & vellicatio, & contorsio articulorum. Ab auxiliorum ordinata congerie: tutius enim ac certius est quod paulatim, & per plura impetramus, manifestum est autem quod & ordinata esse oportet, quæ administrantur, idque præcipue trifariam, à lenioribus inchoando: & ne præposterè vt alui eductio ante rectum: & vt vnum alteri non sit impedimento, nam xix. generum species iam connumerauimus, solùm enim superest quod à proprietate agit. Dicunt pedem anteriorem vituli marini dextrum (nam ei dum in littore dormit, capite incumbit) capiti suppositum, profundum ciere somnum, similiter agrimoniam hoc idem facere. Referunt quod satis verum esse puto chrysoprassum, & est hyacinthi genus conferre ad somnum, sed & magis proprium vtrunque.

A clysteribus. *A suppositoriis.* *A contrario.* *A congerie auxiliorum.* *Quæ à proprietate agunt.*

Est verò aduertendum diligenter triplicem esse vigiliam, primam seu cœnaricam, secundam nocturnam, & tertiam antelucanam. Prima ventriculi molestiam, aut acres cibos, vel potus ostendit: estque aliis duabus minor, & leuior: secunda fit à cruditatibus ab imbecillitate ventriculi, mesarei, & iecoris, propriè cauæ partis. Tertia pessima est, & pertinet ad vltimum alimentum, & cor, ac curas graues. Et est persæpè, maximè cùm fuerit repentina, & cum pauore, nec somnus successerit magnorum malorum præsaga, & lethi, aut etiam deteriorum, nisi paulatim inualescens facta fuerit consueta, & significat atram bilem. Et huic tertiæ si citra molestiam fuerit, secùs sæpè succurrit lenis cogitatio, aut vellicatio brachij, aut circuire lectum, inde redire, vel frigida etiam semel tantùm colluere os. Et si adsit, causam habet manifestam, & quiete vigilia curatur.

Vigiliam triplicem.

CAP. XII.

De Exercitio senum, & an amplius offendantur illius prætermissione, quàm iuuenes.

An senibus exercitium conueniat.

CÆterùm non parua est quæstio de senum exercitatione vtrum conueniat, & qualis nam conueniat. Dictum est autem de hoc in libro de Aqua & Æthere. Verùm (vt inquit Galenus) semper nisi res adamussim tractetur, calumniandi ansa maledicis relinquitur: ideò illud primum considerandum, an cum exercitato calorem ipsum augeat, aut saltem confirmet, & excrementa resoluat, idque etiam quod maius his est efficiat, vt quando nos multis necessitatibus obnoxij simus, reddat consuetudine tutiores ingruentia incommoda iuxta illud:

Consueti consuetos labores ferre:

Et si fuerint imbecilles, expediat homini iam senescenti exerceri, cum ob exercitium corpus exsiccetur amplius, & etiam soluantur membra, quæ extendi vitio ætatis nequeunt, musculi, tendones, venæ, arteriæque præter solitum? Itaque non parua de hoc hucusque fuit quæstio, tum maximè quod experimentum primis subscribere videatur. At si quis immodicis excrementis vrgeatur, aut morbo aliquo peculiari ea ætate qui aliter solui nequeat, quid agendum. Neque etiam constat an exercitium conueniat, aut cui conueniat ætati, aut non. Ob hoc igitur magna, accuratáque inquisitione opus est. Verum illud primum dicam eos senes, qui vel peculiari morbo veluti podagra, aut renum dolore, aut alio morbo vexantur, aut multitudine grauantur excrementorum, necessario ante tempus constitutum, & exactam senectutem interire, aut cogi infelicem ferre vitam. Hi ergo secũ existiment, quod nam ex his illis præstet, aut diutius cũ morbo viuere, aut sine illo maturius interire: quibusdã enim hoc aliis aliud præstat, vtpote diuitibus, quíque studiis intenti sunt absque filiorum tædio, quibusque non grauis admodum morbus est, nec in deterius facilè lapsurus, nec qui optimas hominis operationes lædat, præstat cum morbo diu viuere, quàm sanum eripi ante tempus, contrariis causis, contrà. Ætatis verò ratio sic distinguenda est, quidã primi senes dicuntur à quadragesimo ad sexagesimum annum vsque, vel circa, hoc enim aliàs docuimus: sequentium sunt duæ species, vna ad septuagesimum vsque, vel septuagesimum quintum, quæ media dicitur senectus ob primam, vltima πέμπελον quæ ad manes ducit. Primæ igitur longa deambulatio conuenit, secundæ breuis, & repetita, tertiæ vix vlla, sed excrementa

Nota. *Distinctio ætatis senum.* *Quibus longa conueniat exercitatio, quibus breuis.*

Exercitium cur senibus noxium. Cap 13. Cap. 3. iuxta finem.

excrementa aliter sunt deiicienda, atque expellenda. Ratio horum satis clara est: nam exercitium magnum pulsum efficit, vt Galenus author est tertio de causis pulsuum. Pulsus autem magnus fit, cum arteria non citra offensam distenditur, vt secundo de dignoscendis pulsibus idem docet: quamobrem cum arteria etiam sicca sit, alioqui vt ibi fatetur, & maximè in senibus, necesse est senes ex quocunque exercitio grauiter offendi, tum resolutione virium, tum etiam membra, & substantiam solidorum laxando. Itaque cauendum est ne exerceantur, at in primis senibus longa deambulatio citra laborem, exercitij nomine digna non est: in mediis breuis, & repetita, in vltimis quælibet fermè, quoniam ob virium imbecillitatem pulsus mutantur.

CAP. XIII.

De Venere senum, & de ætate generandi.

An venus senibus conueniat.

QVidam videntur negare prorsus conuenire seni Venerem, quod euacuet quod pinguissimum est, & cuius senex maximam penuriam habet: alij omnino suadent. Quidam medicus Parmensis vir eruditus, cum iam propè octuagesimum annum sit constitutus certè supra septuagesimum, concubitu frequenti se vti gloriatur, quod etiam ostendunt coniecturæ, nam ob pellicem in carcerem coniectus fuit. Sed ego ista non curarem, nisi demonstratio me cogeret ad id: ob duas causas coitus inimicissimus est ætati senili, vna quoniam dum tenditur virga, tenditur ob spiritum à corde transmissum, qui etiam effunditur in Venere: altera quoniam corpus concutitur in motu, & incalescit. Ob id ergo studendum vt Venus senilis sit admodum breuis, sinéque labore vllo, & vt expleto actu virga tensa remaneat: quoniam pluribus ante diebus tenderetur: hæc tria si obseruentur, proculdubio senex à Venere potius melius se habebit, quàm deterius, modo simplici victu vsus fuerit, non veluti ouorum luteis, bulbis, atque tuberibus, iisque quæ Venerem excitare solent: at potius contrariis, quæ possunt extinguere. Inditio autem est Venerem non obesse senilibus si rectè ea vtantur admissarij equi, & elephantum genus, & viri virginibus viuaciores, & quod natura nihil non rectè facit, plus autum huic vel illi obest, velut etiam stomaticis, tabidis, herniosis, & neruorum imbecillitate laborantibus, tum podagrosis: sed hæc vitia sunt hominum, non ætatis.

Nota.

CAPVT XIV.

De senum tristitia.

Tristitia senibus familiaris.

FAmiliaris est senibus tristitia ob temperamenti naturam, siquidem frigidi & sicci ob vigilias: Et quod negociis non sint apti, tum verò ob mortis tanquam propinquæ expectationem (habent etenim magnam inter se non solum affinitatem, sed & vicissitudinem vigiliæ, tristitiáque.) Multa præterea adsunt, plerisque illorum morbi sontici, contemptus, & si adsit paupertas defectus necessariorum: si diuitiæ, expectatio mortis. Si dederis, optant mortem tuam, vt non debeant quicquam, si non dederis, odio prosequuntur, demum illud perpetuò versatur in oculis.

Fulsêre quondam candidi tibi soles.

Cùm ergo morbus hîc triplex è re natus, è ratione, & opinione (sed maxima hæc pars) ideò illi per hæc eadem, sed præcipuè etiam per opinionem obuiam ire debemus, nam de reliquis in libro de Carcere actum est. Igitur de temperatura non erit sermo, sed vino dulci, croco, vua passa, boragine, vtemur assiduè, ozimóque quàm odorato, & si cogamur etiam styrace, mandragora, atque opio, nam somnum etiam conciliant, sed insaniam mouent, ideo partiùs. Sena debilitat ventriculum & siccat, non laudo, malim helleborum iuribus pinguibus infusum. Non negligas curam, nam debilitat & exsiccat maximè. Ex compositis lætificans Almansoris, & Alchermes seu ex lapide lazuli, seu cæruleo, & ex Moscho nostrum. ℞. croci drac. 1. ozimi odorati valde drac. 4. Moschi g. 15. Hyacinthorum g. 45. fiat puluis tenuissimus quantitas drac. ß. si non sufficit, adde mandragoræ pomum, aut radices, & opium sic vt non moueant insaniam. Et habitatio cum dilectis, sed non pueris ne discedant, nam sua natura instabiles sunt, & oderunt eruditionem, & in aliorum sunt potestate, & facilè persuadentur, & ob tam multiplices causas excusant se vicissim, & ita fit error peior priore. Paupertatem, morbos deuitare oportet, aut culpa tua factum est, vel in fortunam referenda. Sed & si haberes, aliorum essent, amicos plures habere malum est: vnum habeas alumnum, cui possis imperare, sed si non habes amicum, non deciperis. Vt habeas des pauca, pollicearis plurima, sed non sub mortis expectatione: denique qui vult quietè viuere, aut habitet vbi Princeps sit, & illi deuinctus aliqua necessitudine, aut hypomochlio. Quod verò ad opinionem attinet, illa diuiditur in rationem, & auxilium: Ratio quod ad mortis propinquitatem attinet, vide passeres quàm læti discurrunt, ac volant, quorum vita non est longior biennio: at nullus est tam senex, qui adhuc biennio superesse non possit. Deinde quot iuuenes, qui ante sunt morituri. Inde etiam quot viri stipendio trium coronatorum in singulos menses, ad bellum eunt manifestissimo periculo vitæ? imò exitio quasi præsenti. Quot postmodum diuites, & ætate florentes, inanis cuiusdam honoris causa ad naualem pugnam eunt, vt quando è centum vix sex, aut septem reuertantur: cogita post hæc quod si ad æternitatem comparatur, quælibet vita est instar puncti: si per se quod satis longum tempus videretur, se fœlicitatem loco, exitij expectares. Animaduerte quod eius quod superest, quantumcunque superest, maximam partem

Tristitiam corrigentia.

Plures habere amicos malum est. Nota.

tam vel alea, vel iocis absumimus, quærentes sæpiùs quod dies, aut noctes sint longiores. Vide Corellium, & Silium Italicum apud Cæcilium, Plinium, & Atticum, qui ob dolores quos etiam ferre non difficile fuisset, inædia vitam obrupere. Cogita quàm sit præterea res necessaria, ne frustrà torquearis, circumspice quot mulieres pueri, atque etiam animalia moriuntur. Qui sit, quale futurum sit eius genus: sed & spem futuri seculi. Vbi in mortis aduentu malum nullum esse posuetis, quid est quod pro malo haberi possit: vbi vita contemni potest, omnia reliqua in tuto sunt. Non sunt negociis apti non grauibus, imò magis quàm reliqui, siquidem omnia maxima in manibus eorum sunt, œconomica distributio inter suos: ciuitatum, & regnorum, & bellorum, & ceremoniarum in manibus senum sunt. Quæ verò gaudia præterierunt, alij in bonam partem trahunt memoriam illorum: vt siquid in eis reliquum boni sit, iam in tuto est quod amittere non potes: si mali euasisti. Despiciuntur senes à suis; ita lurco, ebrius, delirus, fatuus: at sunt mundi senes, modesti, moderati, prudentes, nitidi, & compti, quis hos irrideat? maximè si cum prole egregia fuerint. Quod ad exercitia attinet, dictum est satis de illorum laboribus, atque studiis. Quinimò illud adest boni quod à muneribus militiæ, atque laborum sunt absoluti. Ego quod ad me attinet lætior viuo, quàm in iuuenta: moriar, & deseram hos, sed inueniam alios: & eos qui hîc sunt, certè venturos scio. *Vita impij.* Vita impij certè efficit senectutem miseram. Sunt prætera auxilia ludi latrunculorum, musica, & vt ita tuos diligas, vt voluptates tuorum, tuas, & proprias esse ducas. *Senum blandimenta quæ.* Senum propria blandimenta, pictura, odores, adolescentes, adolescentulæ, mimi, & moriones: Piscationes, aucupia, deambulationes, hortorum cura maximè verno tempore, gemmæ, ædificatio, & structura, in diuitibus lectiones audire librorum iucundorum: epistolæ è longinquis regionibus missæ, quæ nos nouarum rerum admonent, sed verè transmutationes. Ex libris in vniuersum Arriani commentaria, sed valdè intento animo Theognoston. Ex facilè parabilibus poma odorata cocta, helenij radix, pariter cum croco, & ozimo, ac sanguis equi militaris rectè administratus.

CAPVT XV.

De Canitie, & Caluitie.

Canities pluribus animalibus communis. CAnities fit in plurib. animalibus, vt homine, equo, mure, canibusque. Homo maximè canescit capite, cætera animalia toto fermè corpore æqualiter canes, ac lupos canos, tum etiam totos mures vidi, equos non ita. Homini maximè caput canescit, quod ratione copiosi humidi, minus caloris ea pars obtineat. Cùm autem plurimum fuerit humidum, inquit, Aristoteles, vt in syncipite, aut nullum, vt in occipite non facilè canescit: quia non facilè putrescit: nam canities quædam putredo est: fit enim capillus quasi cariosus. Quæ autem cariosa redduntur, dealbantur. Tempora igitur prius canescunt, quoniam humidum habent mediocre, quod faciliùs putrescit, quæ etiam tanguntur, faciliùs putrescunt, nam perflata serius vitiantur, ideòque serius canescunt. Non esse autem canitiem morbum omninò incurabilem ostendit experimentum, quod quibusdam conualescentibus canis ob morbum factis, pristinus color reddit. Ergo canities *Quid canities.* quædam putredo est, quam, vt Aristoteles refert, retardat inunctiò ex oleo, & aqua quod oleum prohibeat ne siccetur, & aqua refrigeret, naturalemque calorem difflari non permittat. Quod enim putrescit, siccum necessariò est, id est, priuatum humido pingui. Canitiem curæ maximè vt experimentum docet, accelerant, lætitia, & iucunda vita canitiem tardant: leuibus etiam *Dubium.* aut nullis valore caput capitiis canitiem tardat. Sed cur barba cùm non tegatur, celerius canescit tamen capillis? an quia pars illa magis à fonte caloris remota est. Cur etiam sanis atque integris sensibus canescunt homines, si canities fit ob innati caloris pauperiem? Quoniam prius natura deserit ea, quæ sunt minus necessaria. Minus autem necessaria sunt exteriora, & cutis. Dum verò canes- *Solutio.* cunt pili, etiam cutis dealbatur, sed cur recuperatis viribus, & calore naturali instaurato homini canities non aufertur? Hoc ideò contingit, quod cutis membrum est debilissimum: membra autem debilia cùm vitiantur, vix vnquam possunt restaurari. Cutim verò esse membrum natura debilissimum Galenus testatus est. Verum cur accidit, vt inter multos pilos aut capillos, vnus aut alter canescat omnibus aliis proprium obtinentibus calorem? Qnia velut in ligno caries, ac blateæ vno, aut altero loco proueniunt, estque id potius materiæ, quàm agentis vitium, ita contingit in pilis: cùm pars alimenti ob humidum aqueum abundans concoqui nequit: cum verò lignum totum redditur cariosum, tunc necessario etiam redditur imbecille: igitur paucorum pilorum canities, vel ob aëris mutationem, vel ob victus regimen emendatum, vel ob purgationem, præcipuè poterit emendari: sed generalis canities vix corrigitur, nisi ex morbo contigerit, vel fuco quodam vt infra docebimus. Sed cur pili reliqui corporis serius canescunt, quàm capitis? nam & illos canescere vidi, qui sunt in hominis corpore, vt in manibus, sed barba, & capillis serius. Causa est quoniam reliquis in locis rari, & breues cùm sint pauca constant materia, porrò quod modicum est, facilè concoquitur, ob eam causam etiam spissis capillis, ac barba celerius canescunt. Ergo ad canitiem iam *Ad canitiem.* contractam medicamentum generale est: Mense Septembri virentis nucis, & proceræ radicem cruris crassitudine sub terra latentem per transuersum secabis, sublataque parte inferiore illius loco vas vitreum, aut figulinum vitreatum oleo oliuarum plenum submittito ita vt vas ipsum radicis truncum ex quo reliquum præcidisti, recipiat intus, immergaturque oleo. Deinde vasis os cera ita obline,

obline, vt cera radicis caudicem cum vasis summis labris coniungat, ne terra intus possit penetrare, inde linteo circumducto terram sensim superimpone, vt vuas radicis quam præcidisti loco sub terra sepultum iaceat, donec nux ipsa flores emittat, tunc vas diligenter, ne terra in eum cadat, cauendo detrahito, oleum inuenies nigrum, succo nucis in illum defluente perpetuis nouem iam mensibus. Ex hoc scrotum diligenter postquam homo in balneo sudare cœperit, inungito, atque assiduè in ipsum testes immissos foueto, nam ad omnes pilos, & capillos denigrandos optimè facere existimatur. Sufficeréque aiunt, si semel in anno quis hoc præsidio vtatur. Nam vim testium transferri in totum corpus, pilorumque causam esse inditio est, quod qui castrati sunt, nec calui fiunt, nec barbam emittunt. Aliud experimentum apud nos quod non fallit, quo quidam totus canus Patritius Ianuensis amicus noster nulla ex parte, ne vel vllo pilo, aut capillo canus videtur, lotis capillis, & barba dum adhuc mandent lixiuio aquam capitelli, ex qua sapo Ianuæ fieri solet cum lithargirio, & calce viua, ita immisceto, vt formam luti mollis, aut ptisanæ recipiat. Inde capillos diligenter, & barbam ex hoc medicamento calido illines, vt vndequaque capilli, & pili inficiantur, cutis autem non tangatur, nam vrit hoc medicamentum, & præcipuè barbam, & vesicas excitat. Ergo postquam illineris, siccari medicamentum permittito, celeriter enim siccatur: inde postquam siccatum fuerit, abluito lixiuio, & relinquentur pili nigerrimi, ac etiam splendentes, vt sunt cornua bubalorum tersa, & polita. Sufficit autem in quindecim diebus semel renouare fucum. Sunt & alia quæ tingunt, sed vt hæc æstu illa eodem modo nimio frigore pericula, vt in nostro Promptuario edocuimus. Calui autem inter omnia animalia viri propriè (non tamen omnes) fiunt, sicut nec omnibus arboribus, sed quibusdam folia defluunt, sic & aues nidificantes plumam eiiciunt, sed folia quidem arboribus, & plumæ auibus redeunt: pili verò decaluatis non redeunt, quia caluities accidit propter mutationem ætatis, quæ est irreuocabilis, casus autem foliorum, & plumarum propter mutationem temporum, quæ est circularis, & ratio cur cætera animalia calui non fiant, & in homine sic est, quia cerebrum eorum est parum aqueum, & humidum, & ideo non debilitatur calor in eius decoctione. In homine verò accidit caluities, propter diminutionem humoris calidi, & pinguis. Et ideò dicebat Philosophus, capilli rarescunt vbi calor excedit naturam, & cadunt propter cibi abstinentiam, vel propter infectionem humoris, vt in leprosis. Et sæpè quidem in viris, sed nunquam in mulieribus, nec in nullo ante vsum Veneris, sic antequam vti possit Venere, & hoc ob frigiditatem naturæ. Et medicinæ conseruantes capillos, illæ sunt in quib. est caliditas subtilis attractiui, & virtus stiptica, vt grana myrti, & myrrha, & galla, & similia, canitiem quoque retardat euacuatio phlegmatici humoris, deinde administratio eorum, ex quibus generatur sanguis spissus, ac laudabilis. Prohibent etiam canitiem omnia olea confortantia, & consimilia, quæ conseruant eorum temperamentum, vt si cum pice liniantur, & dimittantur quatuor horis, deinde ingrediatur balneum, oleum etiam de costo, de nigella, de sinapa, & de oliuis syluestribus idem præstant.

Nota. *Aliud.* *Caluities cur accidat. Cur solus homo caluus fiat.* *Conseruantia capillos.*

CAPVT XVI.

De Vita studiosorum, professorum, magistrorum ludi litterarij, scribentium & varietate artium.

VT summum felicitatis apicem probitas, eruditio ipsa, & studia sapientiæ præstant, ita vita eorum, qui his vacant plena est impedimentis, atque difficultatibus. Videtur nostro generi certè esse difficilis: Deo propria, & naturalis: nobis infinita afferunt impedimenta: omitto quod vulgus irridere ea soleat, potentiores, & quibus per scelus ad opes fuit via, aut maiorum criminibus, hi omnes inuideant, ipsa res per se difficultates sine numero parit. Breue nostrum est hoc æuum, vita fragilis, conditio multis indigens, multæ ex natura necessitates, casus innumeri, coniunctorum importunitas maxima, timor plurium, omnia destinent, auocant, retrahunt, impediunt, & si nihil horum obsit, ingratam tamen efficiunt, voluptatem, quæ ex illis percipi debet. Quia tamen, vt Prometheus ille natura nostra hincinde apensa mortalibus, atque immortalibus distrahitur, nunquam perfectè studiis sapientiæ incumbere homini licet. O quot studiosis obfuere studia ad parandas opes: nec fieri omninò potest, vt verè studiosus si non benignitate Principis, aut hæreditate, aut inuentione noua, artis cuiuspiam diues efficiatur, diuitias sibi comparet. Necesse est facere iacturam, aut valetudinis, aut existimationis, certè & opum bene cesserit si hoc vno contenta sit sors. Galeno qui hac in parte felicissimus fuit, dum tempus somni studiis impendit, famæ, & gloriæ, & lucro nihil periisse volens, plurimum, ex vitæ cursu deperit: & in scribendo monumentis suis fraude fecit: neque enim polita, aut emendata, aut perfecta emisit. Confirmata tamen est illius authoritas. Nobis quibus summa ob virium imbecillitatem cura valetudinis fuit, dum nihil somno detrahere volumus, & opes, & gloria, & fama perierunt. Cicero videtur vnus fuisse totus ferreus, lucribrationibns, meridiationibus, studiis, laboribus, solicitudinibus, cura rei familiaris, Reipub. conscribendis multis libris, epistolis autem sine numero. Die tota amicis operam dabat, perorabat aliquando quotidie à mane ad decimam vsque horam, noctè scribebat epistolas, ante lucano semper surgebat. Iam ergo præcipua studiosorum impedimenta sunt, neglectus opum rei familiaris, gloriæ, amicitiarum, omissio exercitationis, & mala coctio. Verum de quatuor primis cum non sit præsentis instituti, sed in libris de vtilitate capienda ex aduersis actum sit, propterea hîc de duobus vltimis tantùm agere

Nota. *Verè studiosi raro diues efficitur.*

agere decreui. Mirum dictu est, neminem in tam necessariis rebus mentem adhibuisse, aut eos qui adhibuerunt, velut Marsilium Ficinum, nihil omninò dixisse quod ad rem esset, sed eorum loco vana, ridicula, ac quasi somnia, præterea etiam damnosa commemorasse. Sed ignoscendum his, qui quod potuerunt, præstiterunt, & quorum animus saltem bonus fuit: hæc tamen tot impedimenta sanè consuluerim, vt postquam res ipsa per se plane impeditissima est, vt omnia alia impedimenta quantum licet, qui studiis sapientiæ incumbere velint, abdicent. Vnde non malè videntur plerique Philosophi, (tametsi nec id bonum esse putem) nec admodum eis bene cesserit à re vxoria, & procreandis filiis abstinuisse, certè qui studiis his vacare volet, habeat si fieri potest necessaria, & gloriæ, ac famæ cupidus non sit, cætera autem vt administrationem ciuilem, aulam, principum amicitiam, voluptates longiores, curam rei familiaris quàm fieri potest meliùs ablegat. Idem verò postquam difficultas tanta est in discendo, atque intelligendo, tum rectè atque emendatè scribendo, methodum habeat aliquam, qua in omnibus scientiis atque artibus proficere sine impedimento possit: cuiusmodi est Dialectica nostra, eique se tradat studio, in quo maximè & facillimè proficere se sentiat, cognoscat & naturam suam, tempora, consuetudines, loci, & hominum qui regunt mores, ac leges.

Nota.

Quæ studiosus habere debeat.

Habeat studiosus horologium, & speculum semper parata: horologium, quoniam in tanta rerum confusione, ac mole necesse est, vt horas digerere sciat, eòque magis professor sit, aut doceat pueros, aut scribat. Speculum vt dignoscat habitum corporis, vt ante morbos occurrere malo corporis habitui possit.

Diuisio diei studentis.

Ergo studiosus ita diuidat diem, quem ab ortu Solis commodius numerabit, Romanorum more, & ceresscitè illud laboriosum diem, & noctem in horas inæquales diuidere, tam & si illis ad negotia commodum, & vtile videretur. Sed de his hactenus: nos dies ac noctes ab ortu Solis in viginti æquales horas partiemur: nec ante Solis ortum surget studiosus, ne caput crepusculo matutino lædatur, nec post primam horam differet, studebit ad tertiam diei horam: sed antequam studeat, aluum, & vesicam exonerabit, deambulabitque parùm, pectet caput, frigida, manus, & vultum lauabit: forsan & bonum erit differre, donec è domo sit exiturus. Post tertiam horam exactam exercebit se in aëre libero pro conditione temporis, loci, ætatis, ac reliquorum. Vbi redierit, panem ex iure leuem, aut cum passis, aut astringente fructu edet: nec displicent mihi cotonea, aut pyra ex saccharo condita, vel berberis, aut mali punici grana dulcia ad sexaginta: quandoque si ventriculus sit imbecillis, iecur pulli, solùm cum pane, inde per duas, vel tres horas seu ad septimam fermè vsque, iocis, negociis domesticis operam dabit sine labore, tædio, curave vlla, à septima ad vndecimam studiis vacabit, conscribètque, tum maximè decima, & vndecima hora. Duodecima exeat si dies æstiua sit, modicéque exerceatur locis amœnis: Tertia decima cœnet, & à fine cœnæ cubitum se conferat, atque hæc est summa generalis vitæ studiosi, nunc autem sigillatim omnia distinguenda sunt.

Distinctio particularis diei.

Principio quisque sibi pro ratione loci, & temporis distinguat subtilius diem, ita tamen vt tempus inter prandium, & cœnam sit nouem horarum, tempus quo cibus prandij possit concoqui, seu potius cibi qualitas, & quantitas horarum sex, tempus à cœna ad diluculum in lecto iacendi horarum vndecim, tempus somni si fieri potest non minus nouem horis dum prandetur, ac dum cœnatur, sit qui legat aliquid, nec fabulosum, nec plane serium: tria enim commoda ex hoc sequuntur, voluptas, eruditio, & quæ lentius homo mandit cibos: vnde & minus deuoratu, & exquisitiùs atteruntur: nec obfuere huiusmodi vitæ: nam Attico cum is esset mos, vixit ad annum vsque septuagesimum septimũ, quamuis grauissimis curis oppressus. Qui non habeat anagnostem, habeat librum, eadem parsimonia vtatur, dum discumbit aluum exonerando: nam cogitare inter eundem parum ciuile, & commodum est. Dum quis vestes exuit, & induit, etiam hoc vtile erit. Rectè, dicebat Seneca, si tibi quis pauculos nummos eripiat, irasceris, magnam temporis partem, cuius nobis maxima est inopia, sponte prodigimus, si non dormierit homo, si delassatus fuerit, tardius cubet, serius surgat.

Quæ vicem exercitij gerunt.

At verò si non commodum sit se exercere ob pluuias, aut quia iam arripuerit te podagra, aut aliud sit impedimentum, polire chartam aggredieris gemma corneolo, vt ego soleo, aut vitro, si ea non adsit, ligno incluso, sed non videtur hoc tam vtile, cùm solum partes superiores exerceantur? Ergo licebit totum id agendo vt fabri lignarij dolando commouere, & agitare corpus, hæc exercitatio vtilior est, & magis compta, quàm securi ligna Galeni exemplo diuidere, aut pila ludere, quod à grauitate viri eruditi magis est alienum: præsertim quod cerebrum concutitur ea exercitatione, & homo nonnunquam labitur periculo iacturæ corporis. Sed & ne quicquam tum temporis interim depereat, prælegat aliquid tibi puer: & quod intelligi possit: & quod didicisse non pœniteat. Atque vtinam ego olim hæc sciuissem, non profectò morbosus adeo euasissem; sed aliis ad vtilitatem natus videor, pòtius quàm mihi. Quæ enim Galenus circa exercitationes scripsit, adeò operosa sunt, vt nemo ab illius ætate vsque nunc illum sit imitatus, Videturque tota illa ratio similis Reipub. Platonis scripta homini quatenus homo est, non autem hominibus, nam neque Rempub. Platonis vlla ciuitas vnquam amplexa est, nec præcepta Galeni de exercitatione.

Historia fabri.

Et tamen audiuimus in montibus Illyricis fabrum fuisse lignariũ, qui cum simplici huiusmodi exercitatione ad CXL. annum peruenerit, filius autem prope CXX. non sunt adeò ardua quæ vtilia sunt, & quæ egregium commodum afferunt: quando plus iuuet vsus, & assiduitas ex facultate parabiles, quàm tam exquisita diligentia, cum difficultate. Galenus vt rectè illa tradidit, ita horum obliuisci non debuit. Exercitatio igitur corpori toti

toti communis, & æqualis, tuta ac facilis omnium eſt præſtantiſſima. Nec deſperandum eſt exemplo auditoris illius Plotini, tametſi difficilius ſit reuocata viuendi ratione redimi poſſe hominem, qui iam à morbis ſit occupatus: præſertim ſi temperamentum illorum auxilio fuerit, ætas non obſtiterit, nam parcitate victus, ſomno, exercitatione, animique lætitia tota vita humana conſtat, cætera ſunt quædam additamenta & parum efficiunt. Scripſimus de huiuſmodi in libro de Aqua & Æthere: tum verò de qualitatibus exercitiorum, ac eorum differentiis, frictionibus, aliiſque auxiliis ſupra: vt repetere ſuperuacuum ſit.

Profeſſorum vita.

At profeſſoribus, magiſtriſque ludi literarij noua cura ſuperadditur, neque ſibi, & Muſis, vt ille dicebat, ſed aliis etiam vacare coguntur, adeò verò miſera eſt vita horum, imò omnium ſtudioſorum, quod ad ſanitatem, & vitæ diuturnitatem attinet, vt niſi lætitia animi quæ ex bonarum artium ſcientia oritur obſtaret, pauci admodum ad perfectam ætatem peruenire poſſent. At ſic plurimi Iſocrates, Gorgias, Leontinus, Thelephus Grammaticus, Democritus, aliique plures ſtudioſiſſimi, & profeſſores, & ludi litterarij magiſtri ad c. annum peruenerint, ac quidam etiam ex his exceſſerint, vt plus profuerit dulcedo ſtudiorum, quàm labor. Et nunc etiam viuit Medioiani Aron, qui pueros docuit nonagenario natu maior. Hoc non obiter adieci, ſed etiam vt hortarer eos, qui muneri docendi addicti ſunt, id explere, debere munus, vt iucunde exerceant, & abſque triſtitia, ac animi dolore. Vbi verò munus hoc ſubierunt, danda eſt opera vt aliquibus diebus interquieſcant, quod & apud omnes leges inſtitutum eſt. Maumethani quidem die Veneris, Iudæi Sabbati, Chriſtiani Dominico quieſcunt, quieſcunt & à cœna: his verò prandium, aut tempeſtiuum, & opiparum, aut ſerius & tenue ſumendum erit.

Nota.

Exercitiorum ratio eadem erit omnibus, præterea ſtudioſis magna ventriculi, & capitis cura habenda eſt, hoc quidem quoniam laborat plurimum, illi verò quoniam præſidia in ſtudioſis ab eo deducuntur, debilitatur etiam priuata ratione in docentibus, ac profitentibus attractione aëris aſſidua dum vacuus eſt: aër enim ingreditur, & refrigerat illum, qui longè calidior eſt, calidiſſimæ æſtatis meridiano aëre: quamobrem & nocte puluinari, & die charta, vel leporis Scythicæ pelle, ſeu Sarmaticæ quæ candida eſt, aſſiduè foueri debet, eſúque malorum punicorum, vuæ paſſæ pinguis, menta, berberis, cotoneis, myrthyde, abſynthióque, tum vino flauo, quale Mombaſium eſt, & carne ventriculorum auium reſtaurari per interualla debet: his autem ob hæc neceſſaria eſt magis exercitatio: fugere oportet potum plurimum, tum maximè cum inanis eſt, & aquam quæ ſolum id habet, vt laxet: conuenit tamen ſi acris humor in ipſum è plene euomatur.

Potus plurimus fugiendus.

Oportet autem non plurimum trahere in profitendo aërem, ſed quemadmodum in alterationibus parum, & ſæpe vocem eleuando non copioſum aërem attrahendo: vocis illa magnitudo ſit potius muſculorum pectoris exercitatio, & aſperæ arteriæ, quàm ex multitudine aëris: porrò ad hæc proficimus, vt ad pleraque alia vſu ſenſim aſcendendo.

Scribentium vita.

Qui verò ſcribunt, & exercitatione interim priuantur, & pronum ventriculum agunt, vt maximè ex hoc lædatur, ieiuni hoc exercere debent, & ventriculo maximè conſulere cibis omnibus: quæ illi aduerſantur, multitudinéque potus præter cætera vitant. Tum verò ſitus multum prodeſt, vt ex hoc ſitu erectus ſcribat, & accliuis ſit, ante ab acus, & pectus leuiter tabulæ incumbat, & ex hoc ſitu, erectus ſtare cogatur, protenſis aut ſaltem productis cruribus, nam quod à genu infra eſt, parum refert quomodo ſe habeat. In omnibus autem huiuſmodi laboribus, ſed præcipuè in hoc vno, id obſeruans dum eſt, vt cùm ſegnities, aut torpor, aut tedium inuadit, illicò deſiſtat, atque inambulet, aut extentus in lecto recumbat, & recreetur, aliter in magna mala ne incidat homo in talibus periculum eſt: multum autem in his poteſt, ac fermè totum conſuetudo, quæ ſi à pueritia contracta fuerit, & innoxia facilè ferent talia, aliter non quamobrem ſenſim ad hoc opus præcipuè eſt aſſueſcendum. Atque hæc omnia, ſi quis bene animaduertat cæteris alias artes exercentib. accommodari poſſunt, quod ſingillatim explicare velle penè infinitum eſſet.

CAPVT XVII.

Ad Raucedines, & deſtillationes in genere.

Deſtillationis cauſa & incommoda.

VIdetur diſpoſitio hæc quidem in genere deſtillatio, raucedo autem cum ad fauces cauſa deſtillationis, imbecillitas concoctricis, ac retentricis cerebri, ſolet autem pituita deſtillare, vel ad nares vt fiat coriza, vel ad oculos vnde lachrymæ, vel ad fauces vnde raucedo, vel ad pulmones vnde tuſſis, aut difficultas ſpirandi: vel ad ventriculum vnde cruditates, faſtidia, nauſeæ, leuitates inteſtinorum, fluxus vrinæ, hydropes, dolores ventriculi ſecundum varietatem materiæ defluentis, & membri recipientis, tum iecoris naturam: inde calculi, & obſtructiones.

Defluxus ad ventriculum in ſenibus malus.

In iuuenibus periculoſior ad pulmones.

Intentiones curandi deſtillationem ſunt quinque.

Sæuior in ſenibus ad ventriculum defluxus paratis ætate in cruditates, hydropem, & inteſtinorum leuitatem: mitior ad pulmones quod durior ſit caro tunc pulmonis, & fractu contumacior, tum quod minùs ſentiant moleſtiam, & ob id minùs iuuenibus tuſſiant. Et ſanguis ſenum frigidior, craſſior, & paucior, vnde minus fracturæ vaſis periculo iuuenibus ſubiiciuntur. At in iuuenibus diuerſa ratione periculoſior ad pulmones, minus ad ventriculum defluxio. Ad reliqua loca non valdè periculoſa videtur deſtillatio, niſi admodum exceſſerit. Intentiones curandi ſunt quinque, ne generetur materia, vt genita euacuetur, vt diuertatur aliò, vt membrorum recipiens robuſtius redditum non recipiat, vt quod iam receptum eſt, eiiciatur. In eductione iam genitæ materiæ è capite per pillulas deſcriptas quin-

to Artis curatiuæ multum confidit Galenus, sed illud est cum materia praua est, & semel defluxit, & periculum fracturę vasis imminet: Aliter talibus medicamentis perpetuò vtendum esset, à quibus corpus consumeretur: nec refert quali morte quis pereat: seu tardius absque medicamento, seu cum illo celerius, imò hoc deterius est, euacuatio tamen si necessaria sit, vt materia nimis abundante, catapotia ex Agarico, & assairet plerumque conueniunt quod siccent, nec excalefaciant, eadem materiam iam defluxam educant. Porrò materiam quæ iam defluxit Galenus vomitu educit, sed quotidiano vomitu vti nimis molestum est: vbi igitur multa nimis sit euacuanda sic est. At aliàs comparanda est vtilitas detrimento, si igitur quod defluit putridum est, aut paruum valde acutum, salsum, & ventriculus facilè euomat, educenda est sic pituita, quæ defluxit. Dixi enim aliàs me nouisse hominem qui iam annis ab hinc x x v. singulis diebus cibum vomit toties, quoties assumpserit. In facili igitur vomitu eiectio excrementi praui diutiùs tolerari poterit: Aliter autem vbi mucus tantum frigidus est, aquæ potui, vel portulacæ perpetuo vsui assimilabitur. Sic igitur vtemur incidentibus, & excalefacientibus: procurandum est igitur diligenter ne generetur, & vt genita aliò diuertatur: & vt ventriculus aut pulmo non recipiant. Quæ igitur prohibent ne recipiant hæc membra, parum prosunt ob situm: grauia enim è sublimi ad imum facilè descendunt: conari autem multum in re minimæ vtilitatis absurdum est. Prohibentia autem generationem, si sicca, in discrimen vigiliarum hominem traducunt: quod grauius plerumque est distillatione: & persæpè morbus additur morbo, non tollitur. Totum igitur præsidium est in coctione optima, atque diuersione. Coctio autem bona fit exercitatione, ieiunio, cibis facilis coctionis, & siccis, & auium carnibus, pane ex spelta: lotione oris à cibo ex aqua frigida, quæ etiam prohibet ascensum vaporum ad cerebrum, vino pauco, & odorato. Et ne quis scribat aut studeat à cibo: omnis enim, vt Celsus dicebat, mentis intentio caput implet: similiter motus à cibo noxius, at multis tegi pannis optimum noctis tempore vt sudor prouocetur, ac aër frigidus arceatur: oportet autem non solùm in ventre, sed in cerebro optimam fieri coctionem. Somnus etiam ad hoc diuturnus vtilis est. Sed diuertere hunc defluxum conuenit tribus modis, primus vt hora somni cum materia defluit, contineatur. Id fiet adhuc trifariam, primo vt cœna leuis sit, nam pauci vapores ascendunt, si modicus cibus, & minimè humidus assumatur. Secundo si astringatur quod iam cogitur: id fit vel cum frigidis vehementer, optimum est autem hoc in genere Diacodion, vel cum siccis, & in hoc præstantissima est spica Inda. Tertio vt quod conceptum est, potius ad nares defluat, quàm ad palatum. Id contingit prono decubitu qui optimus est, vt supinus pessimus: vt assuescat emungere per nares, minimè excrare: vt narium meatus apertos teneat. Alter modus fit ante somnum: & est vt aqua in ore continuatur: vapores enim & quicquid concretum est, excernuntur per vigiliam, atque ita ad ventriculum minimè descendunt: iuuat & sic emungere nares etiam violenter: nam quæ fert ad nares, via eadem est, quæ ad palatum. Tertius est vt ipsa vigilia cerebrum optimè expurgetur. Neque probo quæ masticantur, trahunt enim ea via, quæ postmodum per somnum noxia est. Iuuat igitur alteram narem reliqua occlusa excutere, frigidam attrahere, atque in vniuersum vbi trahi non possit etiam per os in magna multitudine materiæ, illam expurgare. Exercitatione ad sudorem vti, nam per somnum siccatum cerebrum dum vapores retinet profundè, & diu dormiunt. Et destillatio tollitur.

Vomitus tolerabilis.

Nota.

Coctio vt bona fiat.

Diuersio de fluxus tribus modis.

CAPVT XVIII.

Ad Corizas.

Corioza.

EAdem ratio est corizæ, sed minùs periculum, minus detrimentum: fœdum tamen videtur stillare nares: Et vt Poëta Satyricus dicebat;

> *Iam grauis es nobis: sicco venit altera naso.*

Pessimum est quod frequens coriza ac diuturna odoratum intercipit primo: inde etiam causa est destillationis, sublata purgandi per nares mucum facultate: demum ad oris fœtorem perducit, qui communis est his, quibus nares nihil admittunt. Solutio morbi fit his præsidiis, quæ diximus in destillatione, vt etiam ablutione capitis cum aqua frigida post lixiuium: commune enim hoc omnibus est destillationibus, vt aliàs diximus: velut & illud omnia fugere repentina, vt calorem, ac frigus. Proprium verò est nihil tentare: educere per nares ante concoctionem. Vnde in hac etiam aquæ thermarum cerebrum refrigerando iuuant: tum inædia, & patientia sitis.

Solutio corizæ.

CAPVT XIX.

Ad visus hebetudinem.

Triplex visus hebetudo. Auxilia.

Experimentum optimum.

POrrò in visus hebetudine cum sit triplex, alia ex spiritus visui crassitie, frigiditate, & quod luce innata careat, tum imbecillitate: alia ex viarum obstructione: atque his succurrant rutha, chelidonia, fœniculus, euphragia, lignum sanctum, cortexque eius, cum vino, & melle, & panis cum iisdem conditus, descriptio bona & experta in Iudæo. ℞. ligni sancti rasi electi ℔. j. corticis eiusdem vnc. iiij. aquæ ℔. x x. vini ℔. x. mellis optimi ℔. ij. ruthæ, cinamomi an. vnc. j. euphragiæ, chelidoniæ, an. vnc. j. ß. santalorum citrinorum vnc. j. ß. foliorum senæ orientalis vnc. j. infundatur simul per horas xxiiij. inde bulliant ad consumptionem mediæ partis pro syrupo: inde cum eisdem rebus fiat infusio in tantundem aquæ & vini, & eodem modo, & bulliant ad consumptionem tertiæ partis pro potu, & cibus sit panis bisco

biscoctus cum chelidonia, rutha, cinamomo, amaraco, euphragia, fœniculo, atque roremarino.

Tertia est craſſities corneæ, & hanc ſolent ocularij medici ſeta equina exterere, & prodeſt non parum: cornea enim è regione pupillæ libera eſt: circum autem tegitur à membrana alba, ibique exteri non poteſt.

Suffuſionis cura.

Sunt præter hæc morbi vt ſuffuſio præcipuè: ea eſt inter corneam, & araneam, tunica quædam ſuperfuſa humore aqueo: verum medicamentis tenuiſſimis exteritur: vt tamen non ſint mordacia, qualia eſt fellibus, & maximè viperæ, & animalium rapatium, & deſtillatione mellis, imò mellicrati, & poſt per circuitum longum fit innoxia, & attenuatur, & balſamum per ſe eſt optimum, & ſampſuchi oleum, id eſt, è ſemine eius eſt ſuccidaneum. Et purgationes, & victus tenuis, & ſiccus, & dignoſcitur à gutta ſerena, id eſt, obſtructione nerui optici, quia videtur, & fit ſenſim, & oculo vno compreſſo, alterius pupilla dilatatur: quia vbi nerui conueniuntur, ſpiritus qui ad oculum læſum diffundebatur, compreſſus reddit ad ſanum. Et in ſuffuſione ſemper aliquid videtur, lumen, & ſplendores, & vmbra quædam rerum: ſi autem non videtur quicquam, adeſt aliud præter ſuffuſionem. Et cum remanet veſtigium viſus, nec curatur medicamentis, acu deprimitur ab angulo externo, perforata tunica craſſa, & ſit matura (non nigra, nec viridis, nec crocea, nec rubra, nec fuſca, nec liuida valdè, nec turbida) quæ facili ex compreſſione oculi diuiditur (nam dura admodum, & in qua non ſunt reliquiæ videndi non curatur) per acum, & artificem peritum ſanatur. Deſcriptio bona. ℞. lapidis murichinis, qui eſt ſimilis lapidi magnetis, aluminis albi, chamæmillæ, calamenti, ſucci condyſi. ß. canapis, alij interpretantur ß. granati ſylueſtris ana partem vnam: fellis viperæ, fellis aquillæ, ana partem mediam fiat Sief. Et ſimiliter ſemen Alchannæ, alij dicunt vſneæ eſt mirabile. Et ſemen rapæ ſeu elixum, ſeu aſſum, & caro viperæ comeſta ſunt valde laudata à Principe, à quo ſupradicta ſumpſimus.

Dilatatio pupillæ. Lib. 3. Tract. 4 cap. 38.

Sed contingit imbecillitas viſus etiam propter pupillæ dilatationem: quæ ſi non ſanetur deducit ad nebulam, vt dicebat Nicolaus Florentinus, & res minores in hoc morbo apparent, quàm ſint. Et ſi peruenerit dilatatio ad finem corneæ, nihil tum videbit. Et fit reſoluta vuea, & contingit repentè: & contracta, & fit ſenſim, & eſt inſanabilis. Et accidit decrepitis: lora enim & à ſiccitate, & ab humore contrahuntur. Et contractio vueæ eſt cauſa dilatationis pupillæ. Et fit ex cauſis externis, vt ictu, à nixu, vt in patientibus, & à fletu vt in pueris, & à cauſis internis.

Cura.

Curam ergo eius quæ poteſt ſanari (debet enim ſenex diligenter reſpicere oculorum ſuorum pupillas ſi dilatantur, aut obfuſcentur: ſunt enim affines inter ſe hi duo morbi: & ex operatione, ſi viſio debilitetur: ſi obuerſentur ante oculos ſplendores, aut imagines muſcharum, aut quarumcunque rerum ante oculos appareant) in primo Promptuarij exactè tradidimus. Quare hic tantum ſufficiet egregiam hic deſcribere conſeruam, ſiue electuarium ad viſus imbecillitatem, tum pupillæ dilatationem. ℞. conſeruæ prunorum lib. ß. florum betonicæ, roremarini, ſaluiæ ana ℥. j. croci, garyophyllorum, xilo aloës ana ſene. j. macis, cinamomi, aniſi, fœniculi. ß. raparum ana ℥. j. ß. Fiat electuarium cum ſyrupo roſaceo q. ß. Capiat ℥. ß. pro vice, expertum, ſed vtebatur potu aquæ.

CAPVT XX.

Ad dentium eroſionem, atque debilitatem, gingiuarumque eroſionem.

Nota.

ALiàs diximus in libro huic titulo dicato, & in libris de experimentis, & de ſale Theriaco, aqua ſeparationis, oleo ſulphuris, coralio albo, nunc de conſeruatione agimus, & facilioribus auxiliis, & ſunt ſal, & acetum. Dicebat Plutarchus in libro de Tuenda ſanitate: Habitantibus, iuxta mare non ſunt commemoranda dentium auxilia: quaſi dicat ſupremum auxilium eſſe aquam marinam.

Quæ dentes conſeruent.

Et ſal quidem ipſum videtur eſſe optimum: præſeruat enim à putredine, gingiuas aſtringit, & erodit, vt vtraque vi cogat aquam exire, & exprimat eam, quod experimento conſtat, vnde dolores etiam ſedat. Et dolorem leuat, & ſiccat. Et in vniuerſum eo præſtantius eſt auxilium, quò quantitas auxilij certius depræhenditur. Sunt autem modi in ſalis acutie, & quantitate, ac mora: hora cum ſurrexerit à ſomno, laueritque ſe, deinceps deambulaturus. Aqua verò cum ſale tam indigentibus auxilio, quàm non indigentibus communis eſt. Myrrha quoque eſt optima dentibus, & ori, confirmat valde etiam motos, cum ouo, & vino adhiberi debet: reſtaurat gingiuas, & odorem oris commendat, remouet putredines ſi quid aliud.

Lib. 5. De Med. comp. ſecundum locos vltimo. Aurelij Stagni experimentum.

Expertumque eſt & aliud ab Aurelio Stagno Mutinenſi medico inſigni, viro doctiſſimo, atque nunquam ſatis laudato amico noſtro. Tragorigani, eſt autem folio ſerpylli guſtu pulegij frequens in Foroliuienſi agro ℥. ij. hyſopi ℥. iiij. perdicias, & eſt parietariæ ſpecies, melle, & ſale tenui ſubactæ, & in olla donec in prunas redigatur quadrantem, id eſt, vncias tres. Ego intelligam antequam exuratur, ſic enim redibit parum differens à reliquis medicamentis, piperis vnc. iiij. tundito, & cribrato: tollit omnia vitia, & ſplendidos efficit dentes, & os odoratum. Et gingiuas abſque vitio vllo ſubdit, quoſdam addere ſalſamenta exuſta in olla, aut cylium, & eſt ſalſamentum Pelamidum (apud Plinium) iuniorũ ſcilicet thynnorum (quidam thunorum ſcribunt) ſi quis eorum cinere dentibus adhibito vtatur eorum dolorem non paſſurum, vel ſolo.

Hieronymi Guerrini experimentum.

Cæterum conſtat experimento certo in Hieronymo Guerrimo amico noſtro, ex vſu oportuno aquæ ſeparationis ad dentes corruptos, & commotos anno ætatis LXX. aut valde prope duos dentes molares inferiores contiguos in mandibula inferiori natos, atque ad perfectam magnitudinem creuiſſe candidos, ac firmos: ſed modum non me docuit. Scis etiam

quæ

quæ de salis lapideis in aquam conuersis aliàs commemoraui.

CAPVT XXI.

De præseruatione à rumice, seu ab hernia.


Herniæ curatio.

ET de curationibus horum alibi dictum est: verùm maior vis est in vinculis. Et quæ fiunt sub vmbilico cum fascia lata sursum comprimentia omentum, non solùm prohibent omenti, & intestinorum descensum, sed causam quasi abscindunt, & à descensu partes illas auertunt, & coctioni conferunt, & flatum discutiunt, & calefaciunt ventrem, ventriculumque ipsum. Proximum huic est vinculum quod ab humero pendet, ex quo tamen dilabuntur intestina magis, & inæqualem sensum corpori affert. Tertium est quod fit è regione pubis, cum circulo ferreo ligno comprimente intùs, quod est inter os pubis, & femur, hocque sanè omnibus est leuius, & expeditius, nihilominus cum in enterocele patiatur vsque didymum intestina descendere, causam augeri sinit, & vi magna retinet quod iam confertim descendit, & in casibus obnoxium reddit patientem rupturæ omenti, quod sanè pessimum est. Sicut in epiplocele ad morbum aliquid confert, sed illius descensum, atque incrementum nequaquam prohibet, quæ mala deteriora sunt longè morbo ipso, & ex quibus breui pereunt ægrotantes. Primum autem ventriculum, hoc habet incommodi quod renes calefacit, & molestum est, nec prohibet prorsus herniam. Sed huic malo succurremus leuissimo vinculo ferreo: quod verò ad molestiam pertinet vsus cuncta (imò huius rei facilis) emollit. Renibus autem vinculum tenue & ex lino applicabimus, vt cum in ilia extenditur latiùs, & tenuius fiat: renes autem ipsos aqua fontis sæpiùs madefaciemus. Et quantò addemus magis ex hoc præsidio, tantò dememus ex vestibus. Quid enim agunt qui loricam perpetuò gerunt? Et qui pelliceas vestes, & qui caligas grauiores, vt nunc moris est: adeò voluptati leuiùs inseruire videturquàm securati, ac bonæ valetudini, adde quod ex his duobus vinculis facilè quis in spem salutis deduci, vel minimo alio præsidio poterit.

Vinculum ferreum.

Propter tamen duritiem feri in senibus præcipuè, & quod incalescit valdè, æstiuo præsertim tempore, cùm illud vinculum ab humero etiam impeditum esset, excogitaui, ego genus aliud expeditius è corio quod firmum esset, vt ferreum, & leue, ac commodum, vt simplex & commune, pòteràtque referri ad librum de nodis: sed ob magnam vtilitatem hùc transtuli. Fascia coriacea sit longa a b, vt lumbos circumcingere possit ex a lingula propendeat, qua foraminibus iuxta c, alterum extremum vinciri queat b puluinar, quod ramicem comprimat d fibula linea, per quam transit vinculum e f, coriaceum, quod comprimit puluinar super os pubis, ne intestinum effluat, & dilabatur: in communibus vinculis f sursum deducebatur versus b, hoc autem eleuabat partem c humiliorem puluinaris, vt laberentur intestina, aut omentum: propterea ego retraho f deorsum, & retrò vincio ligula g, hoc est expeditum, & valdè comprimit c, vt vinculum ferreum supra hos pubis quod est intentum.

Fascia coriacea.



Altera obseruatio diligens esse debet cùm deiicienda est aluus, tunc enim locum vincire arctè oportet: atque dum deiicitur rursus considerandum, præcipuè si vel circa vmbilicum dolor affuerit: imò ventriculi deorsum attracto, aut si omninò deiicere aluum nequeas. Idem dum ambulandum est, aut equitandum quod pessimum, & post si pedibus iter agere debeas, hoc minùs malum ieiunis, pessimum repletis maximè potu multò, mediocriter à pauco cibo, nullòque potu, optimum & securissimum carpento vehi. Sed nihil melius quàm naui vehi: hæc enim sola loci mutatio fit corpore nostro prorsus immoto, sed & circa fines cum quiescendum est, præsertim dum motus fuerit vehementior. Sed & à cantu, dumque quis inflat tibias, hæc eadem & ab initio, & in medio consideranda sunt, tum in fine. At in cibo quoque sumendo eadem obseruare oportet in tribus temporibus, vel etiam cum capere oportet somnum: similis enim est ramex tribulo tyrannorum: vbi enim imposuerint semel, nunquam retrò se retrahunt, sed semper vlteriùs feruntur: quapropter studendum est diligentius in his maximè occasionibus, atque temporibus vt nihil agas, aut inchoes, nisi obsignato diligenter inguine. Deterius etiam est si iam descenderit, nec reuocaueris: pessimum si vinculo interclusum, ne redire possit.

Nota obseruationem.

Obseruandum est huiusmodi patientibus, vt duram non habeant aluum, deueniunt enim in colli dolores, aut ilei. Obseruatumque est quod vbi suppressa est aluus in talibus per quinque dies, etiamsi post deiiciant, pereunt vbi doluerint. Et Venus quoque maximè in repletis auget morbum valdè, quia etiam & ira, & tristitia, vt in Promptuario exactè demonstrauimus.

Obseruatio alia.

CAPVT XXII.

De Præseruatione à doloribus iuncturarum.

Episcopi campegij podagro si victus ratio.

IOan. Baptista Campegius Episcopus olim Balearicæ Insulæ maioris, annum agens LX. maioribus ortus qui podagra laborarent, adeò grauiter illa conflictatus est, vt nec è lecto surgere posset, nedum ambulare, & grauissimis torqueretur doloribus. Itaque vi morbi cogente talem instituit victus rationem. Et manè quidem assumptis duobus ouis & ferculo, aut loco ouorum carne, & aliquo alio cibo, demum bibit aquæ ligni Indi valde dilutæ (id est, quæ vnam tantùm vnciam recipit in iiij. ß. libris aquæ) vncias quinque aut ad summum sex: vesperi autem minùs longè edit, nil autem bibit hyeme in cœna: tempestiuè autem se ad lectum confert, manè valde diluculo surgit: atque eiusmodi vitam ducens iam duobus annis non torquetur à podagra, & ambulat, sed cum scipione. In vniuersum, cib. est modicus, simplex, coctus. Sumit autem in cœna alternatim acetarium sine ferculo, vel ferculum sine acetario, & vuas passas, & pyrum coctum, aut cotoneum ex saccharo conditum. Verùm post biennium in oculi sinistri cæcitatem incidit, ex nerui optici vitio existimant quod vasta sit corpore spiritum defecisse, & obstructionem in causa esse.

Modus noster est vt capias mellis optimi libras duas, aquæ vncias quatuor, coquantur simul in balneo mariæ perpetuo despumando, donec aqua consumetur, inde colatum misceatur cum libra vna rosarum purpurearum collectarum cum rore, & bulliant per sex horas in balneo Mariæ, & post obturato vase exponatur Soli per XII. dies, & agitetur quotidie, inde coletur, & abiecta corpulenta parte addantur rosarum similium prioribus, & similiter foliorum collectorum vnc. iiij. & sint folia sola, & concluso vase ponatur in in Sole per XL. dies perpetuo mouendo, vt situm non contrahat. Inde seruetur loco sicco, & cùm initium podagræ sentitur, vel ex satietate dignoscitur, capiat vnc. ij. aut tres huius mellis mane, tantundemque sero hora prandij & cœnæ, & nil aliud pro cibo, vel potu donec senserit se securum ab omni periculo, & tunc omisso melle transeat ad cibos coctos, & moderatos, vt panem, aut orixam, aut chondrum. Et si deiecerit aluum, tutus erit ab ea: si autem non, tunc cum eodem regimine transeat ad præsidium scriptum in primo de dentibus. Et hoc est optimum, & facillimum.

Quæ podagrosus euitare debeat.

Ergo ad custodiam podagræ deuitare oportet cruditatem, & ob id vigiliam maximè, Venerem, vina potentia. Quid si duo ex his iungantur, res erit in promptu. Vsus præterea fructuum, præsertim peponum, plurimum facit ad podagram procurandam: non solùm quia humor ille serosus decurrat facilè ad articulos, sed quod prouehat humores secum per spatia arcta, vt podagræ causam afferant. Cibi quoque plurimi alimenti, velut vinum crassum, aut plurimum, oua & carnes progignunt podagram: vt in vniuersum sint sex. Quibus si addatur motus intempestiuus à plenitudine cibi, & calefaciens articulos, & omnimoda inertia, habebis absolutam enumerationem causarum. Cibus quoque valdè varius nocet multis de causis.

Quæ podagram iuuant.

Iuuat autem ad tutelam (Paulo teste) si per totum vitæ tempus homo inungat loca obnoxia inflammationi sale bene trito cum oleo, bis in die ante prandium, & ante cœnam. Et vix sumptui æquatur vtilitas, in tam longa assidua cura artus inungendi. Falluntur etiam qui putant oleum miris modis sali miscendum, nam Paulus huius rei minimè meminit, nec hoc probat. Sed dices, quid si materia ex hac vnctione inhibeatur, nonne retrocedet, & periculum lapilli, aut attoniti morbi, aut longæ febris afferet. Itaque non idem est hoc, ac si siccato iecore, aut aliter mutato prohibeamus eam materiam generari: sed sale siccatis artubus, & oleo calefactis materiæ transitus inhibetur, & conuersa ad cutim erysipelata gignit, aut scabiem, aut morbos cutis graues, & fœdos, si deterrima fuerit anthraces: nam fertur iam eò vsque, atque ibi solum prohibetur, quo circa præ impetu sanguinis retrocedere non valet. Et ideo tutum ex his hominibus laborare scabie: & purgare corpus maximè à serosis humidis, sub Vere semper, sub Autumno plerumque: Ita etiam vti aqua pro vino. & maximè amica ventriculo plurimum confert, & si calida sit, & vrinam prouocet. Et ideò decoctum ex menta, & paryophyllis, & cum saccharo, vel cinamomo ad gratiam, & si necesse est cum foliis apij, aut petrosilij: & hæc sunt vltima, vt etiam coralius leuigatus valde ruber in potu sumptus.

Purgatio sæpe necessaria.

Podagræ genera.

Sed est genus podagræ aliud quod non dolet, nisi cum motu, aliud cum extersione, & hoc est deterius. Et locus inflatur, & incalescit, & musculorum ventres non vexantur, sed sola capita, & impedit motum, & est materia crassior, & morbus difficilior ob id, & præseruantur cum eadem vnctione, nam educit materiam foràs, & salsam reddit. Et omitto quod exsiccet cùm sit res parua.

CAPVT XXIII.

De emendatione cuiuslibet imbecillitatis in vniuersum, seu generaliter.

Causa imbecillitatis multiplex.

NOn potest imbecillitas emendari, nisi causa cognoscatur. Ea solet esse multiplex. Intemperies primum, laxitas substantiæ, excrementi retentio, influxio alterius materiæ ob situm, corruptio quædam putredini similis, mala compositio. Emendantur autem præcipuè his, quæ intemperiem tollunt contrariis: his quæ astringunt, nam vt laxitas corrigitur, & excrementa propria, nec simul cogi possunt, nec diutiùs retineri, nec aliundè influi: odoratis cum motu: nam inchoata putredo sic aufertur: & si vitium sit in compositione corrigere, si corrigi possit. Quæ

Quibus emendantur.

verò

verò coaceruantur in membro excrementa celeriter, & per loca naturalis effluxionis educere debemus si non licet saltem per fontes, aut purgatione, aut deductione ad hæmorrhoidas. Similiter quæ aliunde influit contraria ratione, ac simili exemplo auertere quo non nocere possint, aut valdè parum. Cum autem volueris membri curare imbecillitatem, totum corpus euacua, inde ipsum membrum exquisitissimè vtrumque: vias quoque omnes ab eo patentes redde, quasi aulam in aduentu Regis præparaueris, post accingere ad opus, & per cibos, & per medicamenta, & topica, & eo dum perseuera, donec neque vestigium relinquatur: talia instrumenta sunt mutatio aëris ad loca aperta, & contrariæ qualitatis, decocta longo tempore data, ex his quæ vim habent pinguem, & aut euacuant, aut morbo aduersantur, quæ odoratis miscere plerunque possumus, thermarum aquæ in potu, & superfusæ membro lutum, cerata, & medicamenta gemmea, & metallica, & destillationes ex densis rebus, aut odoratis, aut naturæ valdè amicis, vt melle, & rore coacto, qui vocatur manna, & æthere.

CAPVT XXIV.

De Errorum emendatione.

Vix quisque sine errore viuit.

MAxima est in humana vita huius doctrinæ necessitas, quando vix quisque sine errore viuat: dignus est non leui commendatione, qui non nisi leuiter errat, & si frequenter. Quod si etiam grauiter ferri potest, modo emendari possit, nec sæpè aberret. Sed si grauiter & sæpe, non est hominis nomine dignus, deterius etiam qui grauiter errando emendationi locum non relinquit. Erramus etiam sæpè si nostris decepti, vel occasionibus intercepti, aut omninò coacti: quare admodum hoc genus exercitationis in vsum venit. Cùm ergo quis maximè senex plus esitauerit, ac biberit, aut etiam non semel id egerit quàm è re, & præscripto fuerit, aut vigilauerit, aut laborauerit, vel curis grauib. semeptisum excrutiauerit, vel vsus fuerit Venere, vel cibis prauis, vel consuetudinem, quæ maximè senibus amica est, reliquerit, tum metuendum est ne ægrotet, vnde statim omnibus occurrendum est auxiliis: voco illa somnum quietem, lætitiam, cibum percoctum bonum, & consuetum quantum oportet, nam ieiunos non minùs iusto plus reficere conuenit, quàm etiam satiatis inædiam imperare. Præter reliqua cum proposuerimus consuetudinem, illamque optimarum rerum seni seruandam ei maximè studere oportet, atque illum in statum conuenientem reducere. Proponamus ergo quod senex vltra solitum laborauerit, vigilauerit, cibis crudioribus vsus fuerit, & aliquanto plus, ita vt non concoxerit non ad purgationes veniendum est statim: senex enim quantum fieri potest cauere debet huiusmodi, quo circa demiror cur vinis flauis vti imperauerit Galenus, quæ loca illa primum nimis excalefaciunt, & ad ea materiam plurimam deducunt, vnde vel in lapidem, vel impedimentum vrinæ, vel vriginem proni sunt, vixque vllus euadit his præclaris Galeni consiliis, qui non in aliquod horum incidat, aut si minus in podagram. Quare cum de hoc iam dictum sit, neque his auxiliis restituere: curauero quæ per se mala sunt. Igitur longissimè conuenit dormire, atque etiam cubare, sed si dormire non possint, euomere, si nec id consequi, bonum existimes, aut omninò non liceat iuribus modicis cubantem alens, non plus iusto aluum irritabis, minúsque vrinas. Somnum verò conciliabis cum his, quæ dicta sunt, oppones autem crudis iura solùm non sorbitionibus, aut vitellis ouorum vteris, ne distrahatur cruditas, multò minùs vino vllo. Puluinar ventriculi parti admouebis ex anseris iuuenis pluma. Postquam descenderit è ventriculo, rursum præcordia moderatissimè tamen fouebis, velut lana candida elotis sordibus, & pelle leporis albi mollioris, sarmatici, si cibus non descendat, sed reluctetur omninò oleo fouebis ventriculum: vltimum est nisi nimis abhorreat oleum amygdalinum dulcissimum ac recens, non tamen ad fastidium vsque propinare. Quod si cibus corruptioni obnoxius sit, aut euomere necesse est, aut cassia nigra pingui, orientali, recenti multa deiiciendus est, postmodum firmato ventriculo sorbitionibus ex pane sensim auctis recreandus, atque restaurandus. Sed est vis quædam insignis in pupillis columborum turritorium, nigram habentibus carnem, deiiciendi aluum, purgandique ventriculum non solùm prorsus absque molestia, sed illum etiam confirmant, ac nutriunt, in iure madefacere illorum panem debemus & carnes eorum, ac iecur, tum viscera edere: forsan non omnibus æquè aluum possunt, mihi sufficienter prosunt, ac valde satisfaciunt. Credo etiam palumbium pullos id melius posse, & forsan etiam ipsos palumbos: nam dubium non est, quin id agant partis nitrosæ, quæ in illis quàm multa est beneficio. Ergo si pullos huiusmodi semine caulium, tum eruo, atque phasellis crediderim, & lentibus, atque lupinis, horum enim & quorumcumque cremor deiicere aluum potest, tametsi substantia astringat. Sed & si talia in aqua nitro, & cemento madefacta diu antequam exhibeantur columbis steterint. Iuuabit etiam boragine pullos implere, sic enim aluum magis mouebunt, & noxiam à tristi succo contractam emendabunt, neque enim quicquam nitrosum, salubre, aut vtile alimentum exhibere potest, sed tamen huiusmodi columborum caro inter omnia est vtilissima, cùm non solum aluum deiiciat bellè, sed ventriculum detergat, vt famem excitet, corroboretque, ac nutriat, secus & iecur, quod huiusmodi alimento gaudet: purgatque obstructiones illius duras quidem in senibus, & attrabiliarias, substantia simile illi alimentum præbens: ob id vuæ passæ valdè pingues, & recentes in hoc genere sunt, sed multò inferiores. Atque hæc quod ad morbum, morbique causam attinet, ad impressionem autem, iam ex his factam in ventriculo, mesareoque, & iecore, cum hoc ipsum idem conducat, si quid aliud: propter eos tamen quibus hoc auxilium non

Nota.

Communia senum auxilia quæ.

Senex purgationes cauere debet.

Columborum turritorum vis.

De impressione facta.

non proprium est, nec adeò salutare, ita agere conuenit: principio eiecta quouis modo cruditate, si relinquantur vigiliæ, aut siccitas tam cerebri, quàm ventriculi, & iecoris vtendum est somno, si non possumus balneo aquæ tepidæ, si nec hoc pedum, & crurum, ac capitis, tum quiete, dormire quacunque hora, humectare corpus potu vini dulcis, vitellis ouorum, iuribus, carnis castrati cum rapis, & boragine, butyrum recens cum melle edat pisces petrosos, vuam passam Creticam magnam, pinguem, aut nigram sine semine paruam: bibere aquam leuem cum plurimo iulebo violaceo: omnia modicè, & ad coctionem facillima. Sed si flatus, aut tensio, & tynnitus aurium, tunc omninò tenuiter nutriendus, & non ante perfectam solutionem symptomatum, & si symptomata foueat humor crudus detergatur mel violaceo purgante, post edat cuminum odoratum paucum cum iure pulli, aut orientale origanum, vel hysopum, sed si tumeat præcordium cum pondere, aut tristitia, & timor, aut obstructio ex vrina, vel fæcibus appareat, aut ructus acidus, tunc hoc deterius est: sumat ergo iura pullorum cum thymo, aut origano orientali, & vtatur ruta cum aceto, & sale, & deambulationibus, ac somno, bibatque vinum dulce: nisi adsit obstructio: & comedat comam absynthij cum sale, & cappares, & smirnium, quod ab Italis Maceron vocatur, nec est erithanum cùm sit odoratum. Sed si aluus lubrica relinquatur, non oportet cohibere, sed neque irritare: leuitas enim alui non continua, nec frequens solet esse vtilis valetudini senum, tametsi longitudini vitæ non conducat: semper enim cum inutili vtilis aliquid excernitur: fouebimus itaque ventriculum oleo, in quo decocta sit absynthij coma, tum ex nuce myristica, & si non sufficit, lentiscino. Quod si corpus contabescat, & fames cesset, nutriendus est lacte asinæ, vel capræ, balneandus aqua dulci, post inungendus oleo dulci, vel etiam violaceo, atque somno indulgere debet. At si ventriculus appetat, satis videatur tamen imbecillis, nutriatur carne apri, vel nemoralis tutis, iuuenum in veru assatorum: nil enim magis ventriculo confert, sed pendeat hyeme tribus diebus, æstate duodecim horis: hæc caro, & glandosæ carnes, seu lactes, & iecora, ventriculique pullorum, & gallinarum fila non habent, cùm bene fuerint præparata, ventriculo tamen suilla vtilior est. Quod si sitis vehemens vrgeat senam, iam bilis redundat ad ventriculum, si cum hoc sit amarum os, aut vinum amarum videatur, aut subuersio, & nausea, vel capitis dolor, tunc manna purgandus est æger, & astringentia ventriculo amica exhibeantur, & betæ, maluæque: sed si mala hæc non adsint, sed sola sitis, pituita salsa in causa est, hanc purgabis melle violaceo aluum leniente, vel si velis etiam manna, sed & iure pulli cum thymo, aut hysopo, aut etiam vlmi cortice. Sed si leuis solum adsit imbecillitas, supinusque ventriculus, oliuas, aut chamas, aut ostrea dabimus ante cibum. Cùm verò ventriculus non deijcit, dabimus multam vuam passam, si non, ius etiam caulium pingue: & si neque id sufficiat, betam cum mixtis. Hæc si nouisset Galenus, magna cura fuisset liberatus. Rursus si dentes doleant, aut muscæ, & imagines oculis obuertentur, vapor est crassior, & initium aquæ, etiamsi non lædatur cerebrum. Quamobrem tùm purgandus est senex cassia nigra cum pastillis ex turpeto, violis & manna, leuissimus, paucusque cibus, vt pote auicularum caro sola, bibat aquam ex saccharo, aut orientali melle, Hispananóve, & floribus roremarini, ac cinamomo, & macere. Sumatque à cibo puluerem nostrum ad hoc. ℞. foliorum, melissæ viridium teneriorum, & in furno siccatorum drac. ij. ß. maceris, quod vocant macis, & est cortex nucis myristicæ drac. j. ß. spicæ Indæ, florum rorismarini an. scr. iiij. sacchari optimi vnc. ij. ß. Terantur & fiat puluis, ex quo sumat scr. ij. aut. iij. pro vice. Et scias quod meta medicamentorum, & auxiliorum, & qualitatis, & quantitatis ciborum, atque ordinis eorum, tum sorani, est oris sapor manè cum expergiscitur, cum fuerit optimus, & senserit se leuem & alacrem, & odor neque ipsi, neque aliis displiceat, hanc viam hesternæ cœnæ obseruare debet, salsus autem malus, & sitis, & grauitas in ventriculo, & quod deterius est malus odor, verenda sunt: leuis amator minùs malus est, tum maximè cum prandij initium ab absynthij coma fecerit cum sale, & oleo perfusa, aut tortam ex illo cum luteis ouorum, & butyro copiosè deuorauerit absque alio cibo. Est enim medicina insignis ad hoc, & cibus: licebit autem duobus in prandiis, aut tribus eo auxilio vti.

Nota.

Si corpus senis contabescat.

Si sitis vrgeat senem.

Puluis noster à cibo.

Oris sapor signum est malorum.

CAPVT XXV.

Ad Flatum senum.

PEculiaris autem affectus in senibus est flatus copia, atque assidua, vnde dolores, impedimenta coctionum, distentio, imbecillitas viscerum, & refrigeratio, nausea, singultus, crepitus ventris, & ructus: inde etiam herniæ, dum flatus viam facit descensui intestinorum, aut humorum. Oportet igitur hac in causa à cruditatibus maximè cauere: & vbi adsint non edere: pauco potu vti, & ab aqua cruda abstinere, tum flatuosis cibis. Sunt autem quæcunque crepant in igne, vt castaneæ, poma: & quæcunque substantiam habent terream vt legumina, & præcipuè phaselli, & fabæ: item radices omnes, sed rapæ inter illas sunt deteriores, & quæ frigida sunt valdè, & humida, vt cucumeres, lactucæ: Et viscida pinguia excrementosa, vt caro suilla, & lac, & cibi ex farina. Friabilia autem & temperata sunt præstantiora, ac mollis substantiæ. Cothileæ, ranæ, & astaci flatuosi sunt, & ascaloniæ, seu bulbi, & cæpæ, & porri. Et mollem ac fluidam aluum habere bonum est, aut enim flatus non gignitur, aut non nocet, aut minùs nocet: quies præterea à cibo, & exercitatio ante cibum, & somnus prosunt. In senibus enim omnia sunt ad generandum flatum: Dentes mali, caloris imbecillitas,

Flatus in senibus quæ pariat.

Flatuosi cibi qui.

Senes quia flatibus pleni.

imbecillitas, multitudo excrementorum, vigiliæ, paruum exercitium. Oportet quoque vincula astricta ventriculo adhibere, ac ventri, plurimum enim iuuant ad coctionem, ad expellendum flatum, & si retineatur, minus nocet, & fouere præcordia oleo lentiscino sæpè, & imponere lanam pinguem illotam, ea enim melior est purpura, & pellibus vulturum, à quibus vtuntur, membra naturalia non confirmantur. Sicut etiam malè agunt consulentes in præsenti, & nocentes in futuro dentes, piper, diacalamum, & quod deterius est zedoariam. Quod autem flatum prohibet generari est nucleus persicorum, & chamæmelon inter temperata: Et ruta, & carum interius valdè prosunt, exterius autem oleum sambucinum, & oleum de spica, quo pigmentarij vtuntur. Et caro lupi, & vulpis, & ericij, ac cerui longo vsu, prohibent generationem flatus, maximè assatæ in veru, & patella: oxymel cum ruta tollunt flatum, licet mel sit flatuosum. Et habere oportet pedes calidos, & siccos, semper qui obnoxius est huic affectui. Et non oportet cibum sumere, nisi benè expresso flatu: ad hoc iuuat mandere quædam, vt anisum, velut tartarum, ad educendum copiam pituitæ è ventriculo, vel è cerebro, & comprimendo ilia: vsus enim velut in aliis rebus docet, & efficit quod quærimus, seu infra, & est melius, seu supra, & est facilius. Et cum retinetur aliquando est fixus, quandoque mouetur, & est cum facit dolorem, & est deterior, & cum inflat, & est deterius exiguo dolore, & maximè cum fuerit inter omentum, & peritoneum, & non est tamen hydrops sicca, quia illius materia est crassior, & est vapor, non aër & est pessimum, sicut non continetur in intestinis est minus malum, medio modo se habet aër in cauitate dicta. Et cum retinetur in cauitate, multum lædit coctionem, & si sit valdè frigidus, aut multus, efficit dolores. Et fixus minus efficit dolores, quia minus refrigerat, si modo non retineatur præcluso exitu. Et hernia vmbilici deterior est, quàm scroti, quia non est idem periculum de incremento quod est in enterocele, vel epiplocele, vel ab humoribus obsitum. Et quibus flatus ascendunt, commouetur sæpè sternutatio. Et mutatio cibi plurimum facit vt non generetur. Et expresso flatu optimè debet etiam homo aliquantisper quiescere super lecto, antequam comedat, & fouere locum siccis pellibus, aut similibus.. Et aqna frigida quandoque curat flatum. Rursus repetendo, colligendo, & in ordinem redigendo ea, quæ dicta sunt, flatus fit ob crudum humorem, vel genitum, vel ob destillationem aduenientem è capite, aut quia redeat ex intestinis, vt in ramice. Et offensa eius est quod refrigerat, & distendit, & debilitat, atque impedit coctionem: ob id ergo optimum existimo deglutire manè mellis cocti à drac. j. ad duas, quandoque etiam plus, nam flatus à sola intemperie non generatur. Detergit, calefacit, attenuat, & nutrit etiam, & non semper: sed cùm vrget, paratum igitur habebit senex, sed si non sentiat quicquam, negat Auenzoar laboranti præ imbecillitate ventriculi, concedendum mel.

Quæ prohibent flatus generationem.

Nota.

CAPVT XXVI.

De Ventriculi cura.

Ventriculus est membrum adeò necessarium, vt inter principalia vitæ adnumeretur. Itaque & illius cura maxima habenda est, & quod communicet cerebro per neruos sexti partis, & cordi, & pulmoni, & omnibus membris naturalibus: quamobrem & ob id, & quoniam cuique membra alimentum subministrat: & cura non solum exquisita indiget, sed in ipsa curatione, ea quæ illum confirmant, admiscebis. Et quoniam appetitu cibi illi opus est, iucundè tractari debet: sunt autem morbi illius, alij quidem simplices & cum materia. Materia autem excrementitia aut cruda in concauo eius contenta, aut infarcta. Et similiter biliosa, pituitosa, melancholica, & omnes hæ quinque vt sint decem: exustæ etiam vt viginti: sed omnes eiusmodi, vt vel per circuitus recurrant, aut cùm solum, sed vt leuiter sanari possint, nam quæ obiter ex magnis causis inciderunt ad θεραπείαν pertinent, non ad custodiam, sanitatemque tuendam. Quadraginta igitur sunt modi. Simplicium intemperies quidem vna, aut plures, vt sint octo. Et quoniam vt frequẽter contingit, aliis permisceri soleat accident compositæ XXVIII. & cum simplicibus XXXVI. Rursus adest quid medium flatus & aquæ, vt omnes iam connumerentur XLII. & XXXVI. possentque permisceri numero infinito. Aliæ quoque sunt comparationes maximè ad cerebrum, quod demittat, quodve patitur, & intestina similiter iecur, pulmones lienem vt sint decem, & ob consensum simplicem XX. vt omnes XCVIII. Præter hos morbi proprij lienteria seu leuitas intestinorum, imbecillitas quædam propria, non posse concoquere, appeterévè fames canina, vaccina, sed hæc prorsus morbus, & morbus magnus, & malus vt sint iam CIII. si dolor loco eius adijciatur. Sunt præterea morbi in magnitudine plus, aut minùs: itemque raritas & tenuitas. Et si omentum desit, aut sit macilentum. Et si alteriæ à corde mittantur paruæ, aut è iecore venæ, vel sanguis alia ex causa ex vtroque paucus, aut malus, & confirmatio, si meatus ex iecore, seu fellis vesica, vel in fundum penetret, vel nimis elatus pro duodeno ventriculum petat XIII. inde fiunt modis vt sint omnes ventriculi morbi CXVI. præter compositos qui sunt innumeri, sub his tamen continentur, & prauos valde è genere iam dictorum, aut non iam dictorum, velut vlcus, inflammatio, scirrhus ex ascite, vel tympanite, intemperies. Quæ ad curandi artem pertinent non ad tuendam sanitatem. Vt verò artificiosæ, atque vtilissimæ est ad curandam, & causas dignoscendas paucas illas admodum multis à Galeno prætermissis aliis non animaduersis in tam magnum numerum deducere, ita & quasi contraria methodo tam multas, & certa ratione vtile fuerit ad breuitatem, ad claritatem, ad sanatio-nis

Ventriculus membrum est principale.

Nota. Ventriculi morbi qui.

Nota.

tis faciliorem occasionem, in longè paucio- re capita contrahere. Ergo id fiet si ad sim- plicia primum, velut per circuitum, & obi- ter, & exusta, non exusta, in concauitate in- farcta, pituitosa, biliosa, melancholica, ex- crementitia, cruda, aquea, flatuosa, calida, fri- gida, sicca, humida. A cerebro, iecore, pul- mone, liene, intestinis, lienteria, dolor, im- becillitas non posse concoquere, non appe- tere, fames canina duplex, quæ non conco- quit, quod nimium est: quæ concoquit, ma- gnus, paruus, rarus, tenuis, absque pinguedi- ne, arteriæ, venæ paruæ, sanguinis geminus, aut paucus, aut malus, meatus quæ penetret, aut altior percipuè latus, vt sint XLII. Alia ratione à simili vt calor, & calor cum humi- do, est enim pars, sed meliùs à iecore, à pul- mone ad ventriculum, vel intestina. Tertia à simplicibus ad composita. Quarta à con- trario, frigida calidis, calida frigidis. A ma- iori quæ est cura doloris, aut inflammatio- nis, transferuntur ad dolorem leuem, aut ca- lorem mitem. Vnde seges multa à Princi- pe Latinis, Græcisque, ac camento, at- tenuando, miscendo, præparando, ita contrahentur; non solùm quæ composi- tæ sunt, sed ex his CXVI. ad longè pau- ciora. Vltima in diuersis à quibus inchoan- dum?

Medendi varij modi.

Modi medendi cibus, medicamentum, ci- bus medicinalis, regula victus, conseruatio facultatis, intus, extra, & proprietate. Irriga- tio, animal, pellis: emplastrum, oleum, ignis, per aliena velut clysteria. In omnibus obser- uandum ne trahamus super membrum læ- sum, vt confirmemus illud, vt corpus prius sit repurgatum. Tertia est exemplum quod plura complectatur: constare debet ex gene- ribus plures complectentibus causas, & spe- cies: & ideò multifariam breui iam contra- ctum exhaurit numerum, velut excrementi- tia cruditas infarcta ex imbecillitate ventri- culi, ob descensum pituitæ à cerebro dolo- rem, & flatum faciens. Iam vides septem hîc contineri ex XLII. compræhensis in con- tractis, adeò vt sex expositiones superfice- rent.

Detergentia valida.

Dicamus ergo primum quod materia in- farcta detergentibus validis, maximè cruda, indiget. Et ob id etiam quod excremen- titia, & semiputrida confestim postulat ex- pelli: sunt autem detergentia quæ abradunt materias à locis: idque contingit tripliciter in cute, & talia poros aperiunt, vbi sordessint occlusi, velut balneo, strigili, & potestate di- cit Galenus, ptisana absque morsu, item mel, maximè Hymetium, moderatè autem farina hordei fabarum illius ætatis (nam nostra astringit) & erui, & mulsa aquosa, his ma- gis iris, panacis radix, aristolochia, mulsa mediocris: magis etiam his quæ ex nitro, spuma scilicet eius aphroni tantum, & ni- trum ipsum. Et tandem vt dixi mel Hyme- tium. Secunda comparatio est ad vlcera, in quibus me vsque ad morsum non leuem præstat: ærugo autem vltima est, vt dicit Galenus, nam, stipatio detergentibus non indiget, sed emollientibus, & humectanti- bus, velut balneo, & oleo. Tertia ergo est intus, quæ habet ordines. Primum enim est

8. Met. Med. c. 4.

detergere & sine morsu, vt ptisana post cum leui morsu, vt mulsa, sed leuissima saccharũ: inde opomeli, deinde oxymeli, post scilliti- cum oxymel quod etiam aperit: deinde si addantur apium, atque similia, & maximè, quæ dixi amara, & vehementer, vt aristolo- chia. Sunt autem quæ proprietate naturæ euacuant, & illa non detergunt vt scamo- nium, alia quæ humectant vt oleum: quæ ta- men valde detergunt vt ius caulium, mel, & ius chamarum, ea ventrem subducunt, tum humore semoto, tum morsu, atque eo- usque doctrina Galeni procedit: at non ex his tamen adhuc intelligimus, quomodo quæ detergunt, & cur, & qualia sint, nisi quod vt dixi tenuia esse dixit: & calida, ideo vitiosa, vel amara. Accipiamus ergo tria quæ diuersa natura sunt, atquæ omnia detergunt valdè, mel quod dulcissimum, nitrum quod salsum simul & amarum est, & lupini qui sunt amari. Quærendum est igitur primum an omne amarum detergat, quidque sit com- mune detergentibus: non enim sapor quan- doquidẽ in maximè cõtrariis saporibus ama- rissimo, atque dulcissimo, sit vis detergendi, atque extrema in vtroque? Et cur nitrum magis detergat? Habent autem magnas dif- ficultates verba Galeni. Primum si amara, & nitrosa ob id detergunt, quod nitrosa sint, ob id ptisana hordeacea cur detergit, & cur non acria magis quàm amara, cùm sint etiam tenuiora? nam amarum in terreo consistit. Aliud magis mirum, quod dicit quarto de simplicibus medicamentis his verbis [Id quod ex duplici superassato prouenit, perin- de vt calx, cinisque, calidum, siccumque ne- cessariò efficitur: proinde abstergere etiam comminuere: secare viscosos, crassosque hu- mores, sicut cinis, & nitrum natum est. Nec enim aërea, nec tenuis, nec aquea eorum sub- stantia, sed vt paulò antea dictum est, terre- na exactè à calore elaborata, ac velut super- assata ipsorum essentia. Nisi esset quod pau- lò pòst subijcit. In medio tenuium, & cras- sorum sunt quæ incisura sunt, vt non prom- ptè penetrent, velut flamma, neque diu mo- rentur, velut astringentia, sed illud propo- nendum quod qualitas omnis amara calidis, siccisque substantiis prouenit. Et præter hæc tenuibus, atque terrenis: Inaudiendum est autem totum id coniunctim, haud qua- quam separatim, vtrumque legendum est, nam si cum terreno tenue pugnare videa- tur. Ideò non simpliciter tenue, sed vt in terrena substantia tale esse amarum assero, velut calx, & cinis. Fortè verius assimiles fu- ligini, & flammæ fauillæ, quæ gustantibus amara apparet.] Ergo in his verbis, si quis rectè animaduertat vnum fermè, atque idem censebit hoc ipsum incidere, atque deterge- re: at eo adiecto quod natura humorem cru- dum qui hæret, & etiamsi non hæreat, sed sit glutinosus, cùm antea expellere nequeat, incisum tum confestim expellat: id ergo ve- rissimum, quantò verius si adiecerimus quod pungendo, atque irritando statim educat. Constat igitur quæ sit natura detergentium, scilicet quod tenuium, & incidentium, ac mordentium: quale igitur mel, nam & illud tenue est, calidumque, ac siccum: sed & pti- sana,

Nota.

Tria diuersa valdè detergentia.

Cap. 15.

ſana, calida quamuis non ſit, tamdiu tamen cocta eò peruenit, vt diſſecet, attenuet. Primum ergo diſſecabit, inde attenuabit, demum deterget, id eſt, ſeparabit contentum à continente, vltimo etiam educet. Quod enim diſſectum tenuius euadat, dubium non eſt: quod verò ſeparatum à membro expellatur, ſaltem ad proximum locum & illud. Verum quoniam dulcium plura vt mel, & ſaccharum ex confeſſo deterguntur, atque ideò diſſecant, non tamen obſtructiones aperiunt, propterea dicit Galenus amara ſolû aperire: Quaſi id velit quoniam vt naturæ odioſa, & inimica propellantur à natura. Sicut igitur gladius è ferreo incidit, è medulla ſambuci non incidit, ita tenuia terrea diſſecant, tenuia aquea non ita. Diſſecantia ergo terrea ſunt, & aperientia amara. Acria autem non detergunt quoniam vrunt. Aphronitrum verò & nitrum detergunt, quoniam amara ſunt: ſal verò dicit, non detergit, niſi quantum amaritudinis particeps eſt: hoc ex errore contingit, mordet enim & vehementer vlcerat: ideò detergendi facultas non eſt vna, ſed alia quæ perfecta eſt in ſalſis amaris, & hæc maxima eſt: alia quæ in ſolo ſalſo, quoniam diſſecat & ipſum ſal, & pungit. Verum ſalſum, amarum, vt pleraque talia plus detergit, quàm vel ſalſum, vel amarum, ſi ſola fuerint. Sed acida etiam cum acribus, velut porrum cum aceto, origanum apium, ſerpillum, & iris, vt à Galeno commemorantur, vt etiam piper maximè longum, aut album, quod etiam plus omnibus ventriculo confert, ſic gingiber, & calamintha. Diſſecant hæc, idcóque etiam tantundem detergunt: ſummum in hoc quoque præſidium eſt, maximè in ventriculo radicula cum oxymellite ſumpta. Detergunt ergo & abrotanum, & ſeriphium, & ſcylla, & amygdalæ amaræ, atque aperiunt dicit Galenus, non amaræ autem detergunt, ſed non aperiunt. Ita & in membris, quæ lienem aperiunt, validiora eſſe oportet, quàm quæ iecur: ideò capparis fermè vniuerſa planta, tamariſcus, & aſplenion lienem curant, iecori ſunt grauiora. Quærendum eſt igitur an amara omnia detergant? nec præteribimus ergo ſi quid differat ſalis deterſio, & mellis, & ptiſanæ à nitro, & aceto, & ſucco limunij, ac abrotano? Gentiana igitur, & aloes, & cucumer anguinus, quæ ſunt amariſſima, non videntur detergere: aut non multum, alia quia aſtringunt, velut aloes, alia quia ſubuertunt, vtpote naturæ inimica, velut colocynthis: alia quoniam nimis exſiccant, & quia craſſa ſunt ſubſtantia, vt penetrare nequeant, ſed dicet quiſpiam cur non acetum inter detergentia primo loco collocamus? Cùm inter incidentia, & ipſum cum limunij ſucco adnumeretur? Generaliter igitur rem aggrediendo dicamus, quod detergentia ſunt primum quæcunque diſſecant, ſeu tenuitate ſubſtantiæ, ſeu quia acida ſint, nec exigimus vt ſint calida, ſed velut ptiſana, ſuccus limunij, oxymel, ſuccus arantij: talia ſi occurrant vomitoriis, aut ſtomacho nauſeabundo, liberaliter expurgare illum poſſunt, ſecùs ſi prauum corpus contineatur, & paulatim, aut confertim ipſum expurgant. Quædam verò ex his præter id quod diſſecent, etiam vomitum commouent, velut dictum eſt radicula cum oxymellite, & hæc ſunt ſecundi generis. Alia rurſus præter id, quod diſſecent etiam excalefaciunt: velut piper, ruta, cuminum, dracunculus: & præter hæc etiam ſinapis. Et hæc magis detergentia, veréque appellari poſſunt, quod non ſolùm diſſecent, ſed etiam attenuent. Et quædam ex his ſunt inſigniter amara.

Detergendi facultas non vna.

5. de ſimp. Med. c. 12.

Quæſitum.

Detergentia quæ

Quæ attenuant.

Quæ enim attenuant (nam cogor paulullum commoditatis cauſa à propoſito digredi) alia quidem humores crudos, vel congelatos, & talia omnia calida ſunt. Exemplo exterius ſumpto, nam ignis non ſolùm colliquat glaciem, ac diſſoluit, ſed etiam aquam attenuat, aqua enim cocta cruda tenuior eſt: & hoc propriè eſt attenuare, ſed non omnibus conuenit: verum vt dixi ſolis humidis, ſeu concretis, ſeu etiam non, ſed liquidis. Dicitur autem propriè attenuare, quoniam ſubſtantiam verè attenuamus. Alia ad glutinoſos refertur, cum incidunt hæc propriè, non meretur id nomen, quoniam non ſubſtantia, ſed quantitas attenuatur: vocatur ergo hæc inciſio, ſed de nominibus non eſt litigandum. Tertia eſt cum humor verè craſſus, id eſt, terreus attenuatur, non à calore, nam ſic magis craſſius efficitur, quia exuritur: hic ergo non calore poteſt attenuari, neque incidendo etiam attenuatur, quoniam non ſubſtantia, ſed quantitate minor efficitur. Vna ergo eſt via, vt ſcilicet humectetur, nam imbibitum humidum permiſcetur, fitque totum tenuius: & tum poteſt incidi ſi lentum, & colliquari leui calore ſi concreuerit. Exemplum (quid plura) cera, gluten, ſal, aut terra primum calore, ſecundum gladiis, tertium calore humido, vel etiam aqua tactum diſſoluitur. Hic tertius modus eſt proprius, & verus primus, inde ſequitur, nunc redeo.

Nota.

Alia igitur præter id quod diſſecent, colliquentque, etiam purgant, velut pulegium, & origanum, nullum tum horum propriè eſt medicamenrum detergens. Extremum & vltimum eſt, quod nitroſum eſt, & ideo calidum, terreum, tenue. Et quatenus tenue penetrat, & diuidit: quatenus calidum colliquat, & attenuat: quetenus nitroſum & terreum deſcendit ad membri ſubſtantiam, ſe ipſum collocat inter ipſum & humorem, aut ſubſtantiam contentam diuiſam, & colliquatam interponit, ac vellicat acredine, atque ſalſedine, cum amaritudine, tum etiam ipſamet ſubſtantia terrea (quæ ventriculo aduerſiſſima eſt) ventriculum, eijciturque, ac ſecum ducit humorem deterſum, atque ita liberat membrum à labore illo, præcipuéque ventriculum, nam membra neruoſa, velut ventriculus, & inteſtina, & quæ membranis obducta ſunt, velut aſpera arteria maximè deterſioni ſunt accommodata, illamque expoſcunt.

Detergentia ventriculi ſubſtãtiæ inimica.

Verùm cùm ita ſit quæ detergunt, vt vtiliſſima ſunt ad purgandum ventriculum cum prauo, aut lento humore admodum frigido fuerit, ita & ventriculo ipſi, eiuſque ſubſtãtię, & præſertim ſola cruditate laboranti inimiciſſima ſunt, adeò vt etiam mel inter illa connumeretur. Et quærela illa Zoar celebris

de illius offensa ventriculo illata, nam vellilicat illum, & proprio alimento priuat, & ad tabem quasi deducit. Vt enim ex Galeno colligitur id viscus interiore tunica perpetuò vestitur mucore quodam totus, à quo perpetuò nutritur: hoc ergo à detergentibus maximè propriis, scilicet nitrosis destitutus maximè, debilitatur namque non vt aliis partibus ventriculi interiori tunicæ auxilium ex venis defertur: ob id mirum si præcipuè hoc vnum membrum à detergentibus euertitur: maximè propriis, & veris, nam ptisana, & oxymel persæpè etiam moderata, & opportunè sumpta, & præter reliqua hoc vnum album piper maximè prosunt, tantùm abest vt obsint, velut etiam mastix illi, & iecori.

3. de facul. cap. 13.

Nota.

Ergo vt rem adeò difficilem, & per tot capita diuisam in vnum colligam, quæ acida sunt, nec calida, nec propriè detergunt, sed potiùs incidunt, nisi aliquo motu iuuentur, præsertim vomitùs. Quæ purgant vt medicamenta non dicunt detergere, vt aloës, rhabarbarum. Quæ adurunt etiam non detergunt, eòque minùs si sint crassæ substantiæ. Gentiana quoniam haud tenuis substantiæ est non detergit, sed nec absynthium, quoniam astringit. Nitrosa & salsa detergunt, sed hæc minùs. Quædam etiam detergere possunt, ac simul astringere, velut mel rosaceum: si enim hoc ars permiscendo facere potest, cur non natura? Et mihi hac ratione vis conchilorum, & chamarum non semel multum profuit. Detergentes medicinas vocant qui Hasen verterunt abstersiuas. Et cùm astringens copulatur amaro, existimat medicamentum, fieri detergens simul, & corroborans. Verum declarat, quænam sit medicina detergens, sed satis confusè quoniam solum docet externam operationem, & non alias species, multóque minùs causas.

Lib. 2. trac. 1. cap. 4.

Verum vt ad propositum redeamus, quoniam excrementitia cruditas supponitur, prorsus est detrudenda, neque enim beneficio temporis expectanda est vtilitas, cùm sit excrementitia, sed statim educenda cum detergentibus, ne quicquam ad locum trahamus. Et motus multum confert iuxta illud. Indicat autem nauigatio turbari motione corpus. Et quoniam etiam purus, & liber cum deambulatione iuuat caput, si quid aliud dicebat Celsus. Et quia est infarcta, indiget incidentibus, & aromaticis, quæ penetrat ad imum, & confirmant ipsum: sed & exercitatio ieiuno ventriculo maximè confert illi, ita à cibo assumpto maximè noxia, & dicebat Galenus in lib. De cibis boni & mali succi: Verùm si cruditas mala sit, tunc vt descendat, opus est deambulatione, medicamento iuncta. Secùs melius est quiescere vsque ad occasionem: sed quoniam excrementitia est, longè melius est vt per vomitum educatur, vomitus autem absurdus est dicebat Galenus, cùm non est irritatio: intellige vbi materia omninò præter naturam contineatur: in hoc enim casu debet irritari, etiamsi nulla sit nausea, & etiam si non possit continere, multò magis si contra naturam, vt si sit venenosa, demum si ex distributione periculum vitæ sequatur. Ex detergentibus autem commodis, & etiam vtilibus, est caro columborum, & auium syluestrium, & ius illarum. Innoxia verò ius caulium, spinachiorum, ericiorum terrestrium, & etiam marinorum, tum cancrorum, astacorum, & quæcunque cum teste, aut cortice duriore maximè in mari integuntur. Olim inter optima censebantur Gingidium, & scandix, amara ambo, & ideò detergebant, at scandix potuit esse odorata, & ob id ventriculo amica: Gingidium autem cum acre non esset, non fuisset ventriculo amicum, nisi particeps astrictionis. Sed Gingidiũ quale sit docuit Matthiolus. Scandicem autem aut ex illius genere putant esse Veneris pectinem. Qua ratione & pleraque è pastinacæ genere. Absynthium quoque Romanum quod è genere Macedonici: hoc inquam ob substantiæ crassitiem, pituitam non detergit, sed bilem potiùs non solùm detergit, verum etiam purgat, & per aluum, & per vrinas: gingiber cum melle conditum potenter pituitam detergit, & à ventriculo, tum pulmones. Purgant autem ipsum (nam cùm sint tria prope inuicem detergere, purgare, aperire, hic de apertione sermonem facere non instituimus: quod morbus minimè familiaris sit ventriculo obstructio, sed solùm detersione atque purgatione) elleborus niger, sed hic transcendit metas propositi nostri, vua passa, sed satis debiliter, vt optima sint polipodium, quod crudum, ac viride assumitur acetarij loco ad quantitatem digiti medij, id est, longioris. Manna verò duntaxat tenues detrahit humores. Rosacei syrupi cum rore suo coacti vnciæ binæ aut ternæ, mastix, pruna, sed valde pinguia, matura, magna, bene odorata: mirabolanorum omnia genera, quæ etiam omnem possunt educere humorem: oleum pistaciorum recentium nicui exosum sit: Quin etiam, sed valde leuia sunt, oua recentia apala multa: sed scobs chalybis multum potest, ac detergit venas. Aqua maris nimis aspera est in detergendo, nihil autem melius Diaspolitico, nisi admodum prauus sit humor, aut multus. A medicamenti assumptione confirmabis ventriculi os, atque ipsum totum menta diacitonite cum pipere præsertim albo, aut si non adsit copia, longo. Caseus quoque multum confert ventriculo butyro multò pinguis, sed nihil melius ouis recentibus, sed duris. Flatum allio multò discutiemus, nonnullis placet hiera Galeni simplex, aliis medicamentum Scribonij, è cornu ceruini scobe tenerioris, nec adhuc nudati, cochlea Africana, & albo pipere. Iuxta hæc notanda sunt primum quod cuilibet homini bene consueto, præsertim viuenti secundum rationem, & habenti ventriculum non validum, & senes & infirmis dentibus apparet inter edendum, quædam meta, quæ inæqualis esse solet, modò maior, modò minor, quàm si quis transgrediatur, vel allectas escis, vel societate, vel fame nimia, etiam quod bene dormiat, læditur, & nisi vltra solitum tempus decumbat, offenditur manifestè. Quod si eam solitus sit adipisci, & obseruet semper etiam quod contingat vigilare præter consuetudinem, minimè vel

Cruditas excrementitia purganda est statim.

Cap. 3.

Vomitus quãdo irritandus.

Detergentia commoda.

Nota.

vel admodũ parũ offenditur. Et in eiusmodi ineta homo libenter detineret ab edendo, & bibendo etiam, quod esuriat, & sitiat: Aliud tempus concoctionis in ventriculo bis cibum sumenti ad debitam quantitatem est XII. horarum, & hoc declaratur ex Galeno tertio de Naturalibus facultatibus. Quia ventriculus nunquam debet esse inanis. Et in prima tertia parte, quæ est horarum quatuor, congregatur calor, & coctio incipit, & si quis moueatur, vel mente laboret, læditur valdè. In sequentibus, & est secunda pars, coquitur perfectè, & assimilatur, sed non distribuitur, nisi pars tenuior. Et si tunc impediatur, & maximè à vigilia in hora somni, ventriculus: & substantia illius, & facultas læditur manifestè. In tertia parte, quæ est horarum circiter etiam quatuor adiungitur, & assimilatur tunicæ interiori: & quod crassum est, sensim effunditur è ventriculo, & est chylus res alba, & vt puls, & trahitur ab hepate. Et incipit coctio secunda, & reliquum quod est fex, transit vno motu, aut pluribus interceptis, sed pro magna parte ad intestina: ita quod hepar nutritur trifariam, primum ab initio potu, & rebus tenuibus præcipuè dulcibus, & odoratis: secundo per venas mesarei satis confertim, sed tamen non simul, sed in quatuor illis horis vltimis: tertiò in longo spatio, & vsque ad duos, aut tres dies, sensim suggendo ex intestinis, maximè ileo, & colo, & in quibus adest effatu dignum orbo. A duodeno autem, & vacuo valde parum, vt etiam recto, quia paucæ ad illa veniunt à iecoris caua venæ. Et tunc etiam quod interturbetur, non multum læditur. Sin autem homo edat tantum semel in die, manet cibus horis XXII. in ventriculo, adeò vt quiescat solum duabus. Et diuidentur tempora iuxta eandem rationem in tres partes, ideò dixit Princeps, & tempus moræ cibi in ventriculo est ab horis XII. ad XXII. Quod si homo sumat bis in die (& est medius mos, quem Galenus attigit sexto de Tuenda sanitate) vt manè ientaculum, vesperi cœnam sumat, aut contra vesperi ientaculum, manè plene prandeat, tunc dabimus ientaculo, puta ex pane, & vuis passis, aut in decrepitis ex mulso solo, si sint in extremo, vel cum modico panis horas VI. & horas XVIII. pleno cibo, & diuidemus vtrumque tempus eadem ratione in tres partes.

Cap 13. Coctionis ordo.

Hepar trifariam nutritur.

13. 3. Trac. 2. cap. 4 Cap. 6.

Quod si panis non bene concoquatur, vel ob tabem ventriculi, vel ætatem, vel quia desint dentes, panem infundemus in aqua, & melius concoquetur in ientaculo, quàm vino, vel iure: à frigiditate enim illa redditur friabilis, & calor ventriculi cogitur. Sed si frigidus sit ventriculus, nonnunquam iuuatur valdè à mellicrato, aut vino, vel iure calidissimis, & sentitur ex vsu suauissimus ille potus in hyeme præsertim, vt gelidus in æstate. Et hoc conuenit, quod de frigida dixi cum homo est contentus pauco pane, & vuis passis, vel similibus. Et si virtus ventriculi præcipuè concoctrix sit valdè imbecillis facta, debemus adhibere panem coctum solum cum iure pulli, & vuis passis: & post XV. vel XX. dies carnem suillam, suis vnius anni assa tam in verù, valde mollem in pauca quantitate, aut auiculas in patina ex iure. Et hic modus respondeat rationi victus aquæ ligni in Indica lue, nec erit minus vtilis.

Vt panis concoquatur.

Nota.

Et debet homo hîc quia plerunque incidit in magnam alui leuitatem, aut duritiem (quorum vtrumque valde molestum & periculosum) etiam à leuitate intestinorum vti, & à diarrhæa humectantibus, velut pinguibus, & vuis passis, & in duritie oleo, ac iuribus, & sensim procedere: nam debilis ventriculus afflictus his dispositionibus, ab alui astrictione in diarrhæas, & dysenterias transit: & ab intestinorum leuitate, vel diarrhæa, vel etiam dysenteria in dolores cholicos, à quibus moritur Validus autem non ita.

Et in æstate iuuat fouere ventriculũ charta scriptoria munda, & in nocte pelle capreoli molli, in hyeme, in die pelle leporina Sarmatica, in nocte puluinari purpureo pleno anseris Iuuenculi mollissima pluma: omnibus temporibus oleo omphacino hyeme ex absynthio Romano, aut mastyche, chia, æstate ex cotoneis, aut labrusca. Somnum producere in multum diem, & meridianus etiam loco nocturni, adiuuant somnum præter reliqua quæ ad somnum descripta, sunt, odor florum papaueris, & nympheæ albus, & violæ purpureæ recens: at cùm horum aquis si inspergantur lilia, sed à triduo mutari debent chamæmeli, & leucoij, ac nympheæ, sed luteorum. At ozimi florentis minuti, atque odorati valdè præter id quod somnum conciliat, & si edatur semen siccum, & folia: tunc enim ventriculo sunt vtiliora, & somnos dulces conciliat, & cerebrum purgat ab atra bile, & ipsum tum cor confirmat, ac exhilarat.

Ventriculi fotus.

Somnum conciliantia.

Quæcunque igitur detergunt, etiam appetitum cibi excitant, præsertim si grata gustui, & astringentia, & bene odorata sint, & benè nutriant. Detergentia ergò, boni odoris, boníque saporis, calida potius quàm frigida, boni alimenti, & facilis coctionis, astringentia humida, benè præparata, ac opportuno tempore adhibita esse debent, & hæc coctioni accommodata, & appetitum excitant, talia verò etiam ad ciborum retentionem conferunt. Quicunque autem dum sine causa expergiscunt, sentiunt in ventriculo pondus, & leuem etiam dolorem, ac molestiã, aut sitim, hi si superdormiant, iuuantur: sed si tetrum saporem valdè, odoremve, aut nauseam, aut ructus malos euomere procurent, hæc est meta.

Detergentia appetitũ excitant.

Porrò cruditatis damna tot sunt, vt dinumerari non queant, peiora autem si corruptio accedat, & in senibus pessima, præcipua tamen vertigo, flatus, vigiliæ satietas, dolores capitis, vel ventriculi: Inde tristitia animi, sitis, malus in ore sapor, corporis grauitas, malus odor, facile irascuntur. Quod si nullum horum adsit, nec dormiendi voluntas, cùm vigilare cogatur, si potest dormiat: quiescat diutiùs, surgat nec fricetur, inambulet, aut leuiter, & si vomuerit, nihilominus superdormiat si potest, aut planè quiescat. Quod si cruditas concoquatur, & descendat hypochondria, foueantur oleo leni, & calido præcipuè

Cruditatis damna præcipua.

Vt concoquatur.

præcipuè chamæmelino, & multa lana, & pluribus diebus in huiuſmodi cruditate confert ſumere aliquid cibi leuis, cocti, pauci, incidentis, & attenuantis, nec multum nutrientis, vnde oua bifariam vitare oportet: ſi neque medicamento purgetur, nec euomatur, neque ſomno ſoluatur, ſumere iuuat diatrion pipereon cum vino potenti, pauco, & valdè calido. Præterea ſunt duo quæ plurimum conferunt ventriculo ad detergendum, nec aſtrictione vacant, ius caulium à Catone elaboratum, & ius lenticulæ ab Hippocrate. Eſt autem quoddam illius genus, cuius etiam meminit ſacra pagina, odoris admodum iucundi, gratique ſaporis. Eſt enim ius, vt dixi, cochlearum, ſingularis vtilitatis ad ventriculum languidum, aut cruditate laborantem, talia feruidiſſima, nedum calida aſſumi debent. Erinacei quoque terreſtris ius non ſolùm caro præſtat. Inter aromata nux myriſtica, & ipſius cortex, tum garyophilli, Mugilis ventriculus quoque proprietate haud obſcura, & coriandri ſemen ex aqua roſacea præparatum.

Detergentia duo præcipua.

Et ſcias quòd nihil melius eſt ventriculo, quàm nutrire ipſum his, quæ vehementer appetit, modò non omninò praua ſint, aut poſtquam aſſumpſerit illi magnum negocium faceſſant: contra ſi præter id lætetur, & confirmetur, & reſtituatur. Et incuruum manere, vt foſſores multum nocet ventriculo, & ex alto ferri pedibus maximè referto multo cibo, & potu: Et repleri his, quæ omninò carent aſtrictione, velut peponibus, ficubus, ceraſis, & magis amaris, ac humidis, tum puluere omnis generis plurimum obeſt illi: Et inſipida, & pinguia, & amara, & acria, & acida pura, vacant omni aſtrictione. Delectatur igitur aſtringentibus, ſalſis, auſteris, dulcibus, & etiam acerbis. Sauich pomorum eſt decoctum ex pomis odoratis, aſtringentibus, cum tota ſubſtantia, & ſeminibus, & cortice donec diſſoluantur, & plurimum prodeſt æſtuanti ventriculo. Et Arabibus ob aëris temperiem eſt non tam vtile, quàm neceſſarium: ſiſtit vomitum, & eſt iucundum.

Quæ valde ventriculo nocent.

Quibus delectatur.

Et ventriculus maximè læditur à ſanguine in eo congelato: inde ab atra bile, poſt ab humore nigro, & à cruditate praua, deinde à pituita, laxatur enim & diſtenditur, & refrigeratur. Poſt ab humore crudo ſimplici, demùm à flaua bile, licet excitet nauſeam, ſitim, amaritudinem oris, vertiginem, capitis dolorem, deiectionem appetitus cibi.

Cibi ergo excitantes appetitum præter dictos ſunt aquæ ſalſæ, & muria, ac garum, & hæc aſtringunt, atquæ detergunt, & bulbi: hi enim & ipſi detergunt, ſed non aſtringunt: & petroſilium, & piper, & acetum, vnde a cetaria: ſed de omnibus his aliàs dictum eſt.

CAPVT XXVII.

De Vomitu, & proximis illi.

VOmitus eſt perfecta operatio ventriculi in expellendo. Quod ſi imperfecta ſit, dicitur ſubuerſio cum fluctuat, & non expellitur. Etſi ſine motu ſit, adſit tamen appetitus eijciendi eſt nauſea. Quod ſi per flatum, vel auxilio ventriculi, vel ſine, aliquid educatur extra os, aut ad os eructare: ſin autem ſolus aër ructare. Ergo cùm quis facilem vomitum habet, & ſine noxa, eo vti poterit: ſin ſecus vitare quantum licet. Fit hæc commotio partim per muſculos ventris, magis naturaliter per villos ventriculi coadiuuante illius carnea externa parte: quare ob id ſi difficilis fiat franguntur nonnunquam vaſa pectoris, oculi extra ſitum naturalem protruduntur, dentes autem à vomitu congelantur Iuuat morbum nephriticum, cholicam, & perſæpè ileon, podagram, & morbos articulorum, prohibet ſcyrri generationem, & ventriculum ipſum. Quomodo ergo dicit Princeps quod nocet ventriculo, iecori, & pulmoni, & etiam comitialibus. Et hoc eſt verum, vt ille ipſe dicit, modò cauſa non ſit ex ventriculo ipſo. Dico ergo quod cum homo ſentit fluctuationem in ventriculo, quæ non ſedatur ſponte, & cito: aut comedit res, quas concoquere in tempore quietis non poterit: aut res malas, aut eructat, aut ructat cum malo odore aut ſentit à cibo dolorem in ventriculo, aut experrectus à ſomno ſaporem prauum in ore, aut odorem. Et generaliter cum cogitur commoueri ventriculo pleno: aut non ſperat perfectè concoquere poſſe cibum, ſcilicet vt corrumpatur, aut in cruditatem vertatur, aut quod nimis nutriat, aut ſuſpicetur de veneno, debet procurare vomitum. Sed in veneni ſuſpicione plenè totum euacuare, in aliis non ita, ſed quod videtur eſſe ſuperfluum. Prouocatur autem vomitus optimè cum aqua aceto miſta, quod etiam dentibus vtile eſt, & cum aqua ſola ſi deſit acetum, & etiam ſine aqua. Vno modo, eodemque fricando duos digitos, indicem, & medium ſæpè ſuper linguam, & imaginando res fœdas, & alios vomentes. Et cum Hippocrates ex Arabum ſententia ſuadeat bis in menſe, & continuis diebus vomitum dubium eſſe non debet, rem fore vtilem valde, & tutam, & naturalem, quæ fit cum facilitate, & ſine noxa. Nihilominus parcè exercendus eſt, maximè in ſenibus, & vbi abſint ſuſpiciones dictæ. Ergo poterimus ſolum cogere, vt eructet quod eſt ſuperfluum abſque vomitu, nam non ſubuertitur ex hoc ventriculus, ſed ſolùm fundus conſtringitur. Et hoc eſt valde bonum cum natura emittat prauum, aut moleſtum, aut ſuperfluum, & bonum retineat. Quod ſi ab hac euacuatione ſuccedat ſomnus eſt optimum. Sin autem non ſufficiat, poſſumus educere tantum cibi vt alleuietur, quieſcatque ventriculus, & ſuperdoc

Vomitus quid.

Subuerſio ac nauſea.

Vomitus vires.

Quomodo prouocetur vomitus.

4. 1. c. 13. & Polybus 1. de ſalub. diæta. & 5. de vſu pa. cap. 4.

Nota.

superdormiat demum, si nec hoc sufficiat, tunc omnia educantur, & in omnibus his somnus succedens est vtilissimus, præterquam in suspitione veneni.

Quod si quis objiciat illa verba Galeni, (nam cogere eum vomere, qui non potest, absurdum est) norit loqui de his, qui difficilem vomitum habent, & non sine noxa euomunt. Quare aliud hoc est quàm euomere, etiam quod subuersio non præcedat. Causæ igitur vtilitatis vomitus sunt per se attractio materierum ab inferioribus ad superiora, & ita confert intestinis, renibus, vesicæ, pedibus reuellendo, sed contra nocet capiti, oculis, dentibus, & pulmoni. Iecur autem quoniam est illi valdè coniunctum in vomitu alleuiatur per se, vt non trahat neque malum succum, neque nimis repleatur: contraria ratione assuescit, mittere excrementa, quæ per vrinas, atque intestina euomere debet, ad ventriculum remittere, à quibus debilitatur ventriculus, & corrumpitur etiam illius temperies, & cibi appetitus vitiatur: sed hoc non fit, nisi frequentius administretur, quàm bis in mense: multò minus continget si sit vomitus ructuosus: horum omnium modus est vtilitas, aut noxa: facilitas, aut difficultas, & tollerantia, aut non posse ferre. Verum cum vomitu vti volumus pro instrumento curandi morbos, hoc non spectat ad hanc contemplationem, vt neque cura vomitus superflui, sed diffusius de his egimus in libris Promptuarij.

1. de locis c. 4. Vomitus nocumenta.

CAPVT XXVIII.

De causa serosorum excrementorum in senibus.

Senes cur multa congerant excrementa humida cùm sicci sint.

MAgna adhuc est in hoc veterum oscitantia. Omnes enim norunt dicere, quòd senes quamuis sicci, multa tamen congerant excrementa humida, aliqui etiam dicunt, & rectè, serosa: sed quomodo & cur non sciunt: calor igitur cœlestis mouet semper, & attenuat, vnumque enim vtriusque modi causa est permistionis, quod etiam in artificiis vtpote in antidotis experimur. Contra elementorum natura separationem quærit, quoniam terra motum aquæ impedit, aqua terræ quietem: vbi ergo calor naturalis deficit, non attenuantur elementa, neque miscentur: ideo serosa excrementa abundant, in quibus aqueum excrementum tenue manet, & admistum malè terreo crasso: sin autem natura sit parum validior, terreum attenuatur, aqueum crassescit, & fit maior permistio. Ideo decrepiti habent excrementa magis tenuia in liquidis, magis crassa in terreis. Et vbi crassities excrementorum, ibi coctio proprior, & calor naturalis potentior. Ob id excrementa serosa crassis comparata duplicem, & contrariam rationem sortiuntur: vnum quod tenuia faciliùs expelluntur crassis, si non fuerint corrupta: & ita facilius symptoma curatur. Causa tamen symptomatis quæ est morbus, faciliùs curatur in crassis excrementis, quàm in tenuibus, quia caloris vis minùs recessit à natura propria. Morbus igitur ex crassis excrementis est periculosior, & difficilius sanatur quàm ex tenuibus. Sed tamen maiorem spem habet, ac præbet plenæ sanationis, quàm qui ex serosis, & tenuibus, cuius nulla est sanationis spes.

CAPVT XXIX.

De præseruatione à fœtore corporis.

Quæ putredini resistunt fœtorem amouent.

QVæcunque putredini resistunt, eadem & fœtorem omnem amouere nata sunt. Resistunt autem putredini mirum in modum myrrha, & omnibus aliis rebus magis. Est enim calida & sicca vehementer, & amara, & odorata valdè, licet quæ ad nos defertur, quod maxima ex parte adulterina sit, non videatur admodum, neque iucundi, neque magni odoris, sed lachrymas ignis dijudices: licet autem è lignis velut santhalo lachrymas elicere: neque necesse est vt lachrymæ lignis magnitudine odoris respondeant. Modus autem extrahendi lachrymas odoris, ac substantiæ incorruptæ cum ab igne vruntur, in nostro Promptuario edocuimus. Mastix quoque inspersa, & camphura illita, sic & stillatitia aqua florum verbasci, & gentianæ, ac limuniorum succo parata, sinapi quoque aqua subactum, & cuti affrictum. Et tandem omnia quæ putredini resistunt, vt diximus.

CAPVT XXX.

Ad cruditatem senum, vbi de vomitu prouocando.

Cur senes cruditatibus abundent.

NIhil familiarius senibus cruditate, quippe ventriculus grandis, & exanguis, somnus exiguus, exercitatio pauca, si iuxta rationem viuere debet, dentes rarò numero perfecti, certè imbecilles, & minus acuti, & mandibula etiam infirmior, adeò vt in pluribus quibus iuuenibus soleret per somnum conniuere dehiscat: ea autem mater omnium malorum, & vigiliarum, & destillationum, & calculi, & leuitatis intestinorum, non est vt recenseam, alibi enim dicta sunt, si leuis sit, & somnus sperari possit, nihil melius: secundo loco vomitus est, si tamen noxius est herniosis, & lippientibus, atque habitu tabido, & in hyeme maximè, sed herniosis vinculum auxilio est, & oculis, si frons vinciatur: senes autem rarò tabescunt: Vomitus autem prouocatur penna indita gutturi oleo intincta, aut præsentius duobus digitis, post pollicem animosè, donec collumelam tangas gutturi inditis, sed & si securus sis posse prouocare aucto potu modico aquæ melius proficies: oportet autem pronum exerere caput, & comprimere precordia sursum leuiter modo ex æquo, modo dextrum, aut sinistrum: diuersa

Vomitum prouocantia.

diuersa enim ratione vnum altero magis iuuat. Cùm verò non iuuerit decoctum ex hordeo, & coriandris cum plurimo anetho, post addito aceto si libet vtile est admodum, nam anethum præter id quod prouocat vehementer vomitum, resoluit etiam flatus,& coctiones adiuuat, si quid relinquatur,& amicum est naturalibus membris, neque pro sanis vlterius progredi necessarium puto. Porrò cùm vomitus tres ob causas sit necessarius, præteritas, præsentes, atque futuras, omnes tamen in futuras ordinantur: præteritarum autem præcipua est cruditas, quæ dicta est: secunda suspicio veneni assumpti: tertia multitudo cibi aut potus nimia: quarta prauitas illius: quinta si quid humoris in ventriculo præfuisse coniectemur. Præsentium autem nausea, & quam vocamus subuersionem, & pondus, & dolor non ex flatu, sed ex materia, & sapor prauus, aut odor teter. Futurarum autem causarum, si vigilandum sit, si laborandum, si curis grauibus animus implicandus sit, si scribendum multum, si iter agendum, si concubendum, si coli dolor, si nefritis, si accessio febris immineat, si aliquod opus aggredi oporteat ante coctionis tempus, denique omnibus negociis magnis optimum est, si diuturna admodum, & grauia non sint, velut prælio occurrere ventriculo vacuo, quàm à cibo assumpto, in magnis autem, aut valdè diuturnis, velut equitatione longa, aut fodiendo agrum: hic enim grauis labor est, aut (vt dixi) in prælio, nam vtrumque accidit, his occurrere expedit, nec vacuo ventre, nec admodum pleno, sed nullo aut modico potu, cibo minus quàm mediocri, sed succulento, & firmo. Porrò homini ciuili, & qui ieiunare facilè non possit, nec liceat, quasi auaritiæ causa fecerit, ieiunum imperare iam composita cruditate, tum maximè inchoante opportunum fuerit pane leui, & auiculis cœnare: nec multum refert, modo ex iure condiantur ad ciuilis cœnæ instar, quænam sint: Passerculi enim sunt meliores, & seniores ex his: melius enim melle: cappares ventriculum purgant, cum enim calidi sint & sicci, & exiles, & nullius penè nutrimenti distribuunt cruditatem, nec impediunt coctionem: quin etiam ventriculum nutriunt, cætera nihil, & temperant quod reliquum est, & roborant ob similitudinem, hoc facere etiam ac repetere expedit per circuitus non longos, si occasio eueniat: sit autem ius præparatum, sed simplici admodum arte, vt modico salis, & rorismarini, ne longiùs petita, vel quæsita videantur, & tamen ius suaue quod æquet, & placeat. Post passares sunt sturni, sed iuuenes, & non pingues. Ex auibus autem sunt *Alphuachat*, columborum syluestrium genus appellatum, post quos columbi turriti, quos arabes appellant *Alphrach* vno nomine significantes, & genus, & speciem, & quod emiserunt pennas, sed nondum possunt volare. Et oportet vt comedatur solum pulpa alarum, & iecur, & sanguis qui est in corpore, si sint valdè mollia, & ius pingue confert ad aluum purgandam. Et post hos sunt pulli turturum similiter, sed eos non sum expertus. Et debes scire quod huiusmodi ratio est, velut eorum qui bene scribunt: ipsi enim contenti sunt gladio, & anseris penna, quam duobus ictibus præcidunt, vt ars sit in dexteritate manus, & vt nil sit vitiosum, charta non committat, attramentum nigrum sit, penna satis dura, & acies illius apta, gladius scindat ita:

Nota. — *Vide in 3. lib. c. 160.* — *Nota.*

Virtus est vitium fugere:

Mille præceptis ars compleri non potest, mille medicamentis ventriculus emendari, nam fastidium multiplicata auxilia, & mistio varia, ac impedimenta pariunt, non leuant: opus est diligentia quæ iudicio, experientia, & arte conficiunt facilè, quod secùs infinitum est. Duo sunt præcipua quæ ad ventriculi cruditatem tollendam sunt eligenda, sal, & gingiber: hoc discutit, cruditatem dissecat etiam crassissima, ventrem lenit, anhelitui confert, ita omnibus confert, vt nulli obsit, sed hæc.

Auxilia ad tollendā cruditatem.

Immodicis breuis est ætas.

Adeò difficile est habere optimum, carie enim statim corripitur, nec solum cariosum effugere oportet, sed vbi propè caries adsit, nam cum semiputridum est, quodcunque est, propè putrescenti: Et in via est ac in medio, cuius iam pars vitiari cœpit, antequam enim vitiari cœptum sit, vitiatum esse oportet. Nihil autem celerius computrescit hac radice, & quæ rubra est, calidior est. Et timor etiam est, ne plus exhibeamus, quàm vt inter cruditates extinguatur, offendatque ventriculum, ne dum iecur: ergo teri debet etiam subtilissimè, quia ligneum est, vt teri possit siccari in furno: hoc enim etiam impedit ne corrumpatur. Exquisitissima cura igitur opus est ad cruditates: sed & hoc iuuenibus proderunt. Quibus verò viride conditum habetur his quantitatis solum ratio habenda est, vel si saccharo, sed caue ne siccum iam, & aqua emollitum condierint, dupliciter enim incommodo afficieris. Sed vt ad rem redeā triplex est cruditas in ventriculo, quæ omnium est minus periculosa, sed nihil cibi postulat. Et si modo contentus esto, si hora prandij sit & aquosa solo melle cum pane, & os abluere cum aqua: sin verò, in cœna, vt dixi, auiculis cum eodem scilicet pane. Secunda est in venis vltra epar, & in vniuerso corpore quæ periculosissima est, nisi decubuerit, sed cibum non solùm admittit, sed exposcit: secùs deliquia animi infert, & syncopim minatur. Media est in præcordiis ad concoctionem facilior, atque sanationem, ea quæ in toto est, & cibum qualem, dixi, vt prima, ac magis requirit non solùm patitur, non tamen adeò vt secunda, neque tam facilis vt prima. Neque tam conueniunt incidentia, & attenuantia vt quidam putant vltra mel, modò enim non peccent, lentore immodico, aut crassitie peregrina qualitate, si inficiantur in prauum transibunt alimentum, quo circa non vltra mel transeundum consulo. Post piper aceto, & sapa madefactum: cappares & similia, præterquamquod alimenti naturam corrumpunt, etiam aliena imbuunt qualitate: sunt enim amari, & propellunt cruda ad venas, salubrior esset ruta, quæ flatus discutit, miniméque prouocat,

Triplex est cruditas.

præsertim

præsertim ad cappares collata. Sed & de cruditate aliàs dictum est. Illud planè animaduertendum senibus ventriculum primum debilitari maximè studiosis, vt etiam Celsus docet, quod natura exanguis tenuius, & inanitate ampla excipiat, multitudinem ciborum, & duriorum, & diuersi generis, nec vlla ratione subactorum, sed prorsus à sua natura, totiusque hominis alienorum, etiamsi quam diligentissimè illi offerantur, nec vllum maius his malum vnde seges cruditatum, & ex ea semina omnium morborum, quare præter custodiam, & exercitationem matutinam, interdum vino Cretico modico confirmandus, suspensis etiam collo amuletis, Iaspide siquidem orientali, viridi & splendido, vt Galenus testatur, tum verò rubro coralio ardente: is enim non minus efficax illo existimatur. Familiare nostrum quo ego vtor in me ipso, & mollit ventrem, purgat, & dissoluit flatus, confirmat ventriculum, & aluus ipsa lenis manet aliquot diebus, & est suaue, aperit etiam obstructiones, & est vtile iecori, & administratur simul intus, & extra. ℞. olei rosati redolentis ℔. j. vini Prannij dulcis vnc. viij. mastyches recentis mundi vnc. iij. coquantur in vitro in duplici vase, vel figulino vitreato ad vini consumptionem: sumebam autem frigidum, & vix vnciæ dimidium, tardari bebet cibus horis quinque, & est amarum.

Ventriculum senibus debilitari.

Nota. Amuleta.

Medicamen familiare nostrum.

CAPVT XXXI.

Ad lapidis generationem tam in renibus, quàm in vesica prohibendam, & ad eos, qui iam geniti sunt dissoluendos.

Lapidis generatio.

Contingunt non solùm lapides tam in renibus, quàm in vesica, qui à caliditate, vt author est Hippocrates, generantur, sed & alij morbi, quorum caliditas superaucta causa est, sicut vrinæ profluuium, & dolores ab eadem, neque solis in his, sed viri octuagenarij fluxu sanguinis narium interière. Et cùm ætas senilis sit frigorifica, in quibusdam tamen hominibus membra quædam inflammantur, vt renes, vesica, vnde dolores, & lapides non antea orti. Genitalium, incendia, sanguinis sputa, & profluuia è naribus. Vnde hoc cum tota illa ætas frigeat? Et prima causa ac per se est siccitas, quæ dum adhuc homo iuuenis erat, obtuso calore ab humido exuberanti non poterat caloris actionem intendere: nunc per ætatatem illi adiunctam, quamuis aliquanto minore adeò ipsum exacuit vt multò magis vrat: hæc causa præcipua est, qua potissimum in renibus, post in corde, iecore, & cerebro viget, rarò in aliis membris præterquam circa genitalia. Alia causa, sed longè minor est putredo. Tertia est quoniam calor naturalis, assuetus cohibere bilem factus imbecillior non potest. Ergo & curatio non cum frigidissimis esse debet, tum quia causa est potiùs siccitas immodica, quàm calor ipse, qui iam minor factus est quantitate: & quoniam extinguere calorem cum siccitate immodica coniunctum, aut non licet, aut ipsa extinctio mors est totius, aut illius membri: sed tamen ad omnibus excalefacientibus tantò magis cauere oportet, quantò postmodum excalefactum refrigerare non licet. Itaque & ab immodico exercitio, imò omni abstinere oportet, præcipuè si in renibus culpa sit, & à Venere, & à crapula, & ab acribus, & à vino quantum fieri potest, & ab aromatibus etiam, si parum acria sint, velut nux myristica, & à salsis carnibus, ac piscibus, à farciminibusque, præter reliqua. Vino autem potenti, & Venere, & vigilia nihil est deterius. Humectare autem tum intus, tum extra, & intus quidem vitelli ouorum densati, & iura, sed omnia moderatè. Et testudinum nemorearum præcipuè caro, & iecora, viuunt enim pluribus diebus absque cibo. Et ideo etiam limaces, & ranarum iecur ac crura, & astacorum caudæ, chelæ viscera, & similia ex regula data nota. Et florum multi, nymphéæ præcipuè, nam humidi sunt in secundo ordine, vt Rasis testatur, & Haliabbas secundo Practicæ, & Princeps, & Auenzoar, & Bimmasua, qui fuit huius rei inuentor. Verùm Græci hos non agnouisse videntur, eiusque plantæ tùm radicem, cùm semen siccum esse dicunt, ac refrigerantis facultatis, id quidem verum est, sed habentis luteum florem, odor iucundior est, & plantæ temperamentum æquali proximius, nihilominus humectat egregiè, sed quod siccum sit semen, nedum flos, nescio quis persuaserit cum viscidum semen: omnia autem talia humida sunt natura, vt radix symphiti, althææ, glutina piscium, ius coactum, semina cotonei, omnia enim huiusmodi tantò humidiora sunt, quantò magis lenta. Sed & extrema animalium pedes, ac capita, ideo semen nymphéæ etiam præter florem ipsum est humidissimum. In eo genere & illi proxima, flores violarum, & pyrorum, ac magis etiam malorum. Omnia hæc in syrupum, aut solidiorem formam redacta humectant, præclarè vt etiam medulla Indicæ nucis. Et glycirrhiza, & forsan etiam papaueris flores. Iuuant & sicca immista frigida ad cohibendam putredinem, & quoniam cùm parum refrigerent, multum tamen calorem inhibent, & alienam siccitatem extinguunt, vt pleraque calida calor ignis extinguit. Peculiariter autem lapidis prohibent generationem, quæ illos frangunt, quæ dissecant, quæ paruos in renibus genitos (eiusmodi enim est origo nascentium in vesica plerunque, vt rectè animaduerterit Fernelius, licet haud semper) pellunt, cuiusmodi lachryma cerasi arboris, aut terebynthi, aut ossa mespillorum, aut oculi lapidei astacorum, aut cortex cochlearum, præcipuè apex, & valuæ, & lapis Iudaicus, & decoctum carduo. In genere autem incidentium limunij succus, & ex succo syrupus, & saxifragia vera, in montibusque orta, & ius apri, & vrina eius epota, quam si quis refugiat, destillatam bibat. Et exercitatio matutina vacuo ventre molles refringere solet, &

Exercitium immodicum malum.

Humectatio.

37. Cont. c. 495. Cap. 37.

Nota.

& paruos educere: & si obseruemus, & cum impetu emittamus vrinam eam colligentes. De aue autem, & leporis pelle, hoc ipsum falsum illud inexpertum animaduerti, multis hanc vel illam tentantibus. Sanguinis autem hircini, & radicis graminis experimentum habeo.

Quæ lapides frangunt.

Rursus quæ iam genitum frangunt, hæc sunt, balsami veri succus inter cætera. Parietariæ ignis, sanguis etiam hircinus cum myrrha. Aliud valdè bonum, radices graminis in vino albo potenti infusæ, debent autem prius tundi. Aliud à me expertum, quo confregimus lapidem magnum, nec auellana minorem in Bernardo Gemmario. Primum misimus sanguinem semel è cubito, inde è talo, aderat enim febris, & plenitudo, inde cum hiera & cassia nigra eum purgauimus, sæpiùs etiam adhibitis enematibus, à secunda die exhibui hoc medicamentũ in aurora, vel paulò seriùs repetentes in singulos dies. ℞. succum duorum limuniorũ ter colatorum, oxymellis scillitici vnc.j. vinaciollæ vnc.ij. vel iij. radicum cardi fallonum, aut vulgaris in olibano siccatarum, & in pollinem redactarum drac.ij. Misce & calidum propina. Multa quoque alia à nobis commemorantur remedia in libro de Experimentis, nec non & in nostro Promptuario, quæ genitum in renibus lapidem frangunt, quæ nos experti sumus. Qui verò in vesica genitus est, ac existit, quamprimùm medicamentis non cedit, euellere oportet: nam in dies augetur, & vesica magis læditur, & infirmior redditur, & vires imbecilliores, propterea leues deteriores, quod & tardiùs innotescant, & cogniti vsque ad extremam magnitudinem deuenire soleant, antequam extrahantur, cùm parum molesti sint: at alioquin asperi longè deteriores, & non detracti, & cùm detrahuntur. Modum verò detrahendi in libro de Experimentis ad vnguem edocuimus, vbi etiam describemus præstans medicamen, quali vsus est Michaël Angelus Florentinus summus pictor, ac sculptor, ex quo sanatus est resoluto lapide, oualis magnitudinis in arenam. Multa auxilia sunt in vsu epota apposita, atque imposita, velut vrtica saxifragia, caprifolij oleum, vt dicitur mirabile lauri, cyperi radices. Raphani satiui, limunij succus, vitri & scorpionum cinis, apri vrina, vermes contriti. Troglodytes, id est, cauernas ingrediens, aut forsan auis peculiaris ei regioni, atque multa alia huiusmodi, de quibus in Promptuario capite proprio. Scias tamen quod quæ renes confirmant, addunt robur toti corpori, præter id quod custodiunt sanitatem illorum, & præseruant à lapidibus eorum, & vesicæ, in continentia vrinæ impedimentis vrigine. Et senes, quia maximè obnoxij sunt eis, ideo maximè horum custodia indigent. Et equitatio equi tortoris, & à cibo, & vinum præcipuè nocent renibus, & diu stare, vt contra madefacere loca illa aqua frigida dormire in stuppa serici potare, lac ouillum multum confert illis.

Experimentũ.

Lapis in vesica genitus citò euellendus, & cur.

Michaëlis Angeli experimentum.

Renes confirmantia.

CAPVT XXXII.

De Detrimentis astricti aluus.

Nota.

Hanc partem adeò necessariam nemo attigit, cùm tamen nil tritius sit huiusmodi quærela. Aliqua ergo sunt quæ imminent, & non sunt metuenda, alia metuenda, sed non adeò imminent, quædam & metuenda sunt, & etiam imminent. Planè omnibus ægris, & imbecillibus, & insuetis metuenda est alui suppressio, & detrimentum certum affert. In horum igitur numero senes sunt: quo nomine hanc tractationem hîc inserui. Et ægris quidem quoniam in eis aut materia adest, & vapor, aut intemperies: & quicquid horum sit cum retineatur, necesse vt deteriùs agant, cùm vapores ad cerebrum deferantur, & ideò in morbis cerebri hoc pessimum est. Primum ergo fæcum retentio nocet sibi ipsi: nam fæces perpetuò magis siccantur, & ideò difficilius postmodum exeunt: & hoc est detrimentum per se. Vnde in coli dolore, & ileo pessimum est, quandoquidem etiamsi hæc non adsint, ea inducere possit alui astrictio. Secundum est retentio vaporum, vnde incrementa febrium, & acuitas, & acredo humoris, & capitis grauitas, & offensa neruorum, & oculorum ac sensuum. Tertium est nausea: afficitur enim ventriculus consensu coli intestini superequitantis eum. Quartum est inflammatio iecoris, vnde morbus regius, & malus habitus. Propterea hoc symptoma propria detrimenta habet hæc, sed & alia communia, scilicet quod aggrauat omnes morbos, qui ab alui profluuio læuari solent. In senibus autem aggrauat destillationes supercalefacto capite, & retenta pituita, & humore crudo in ventriculo. Et generat etiam flatus, à quibus dolores, & subuersiones fiunt. Demùm facit vriginem vrinæ ob duas causas, atque hoc est pessimum: nam bilis & humor crassus, qui deberent expurgari per aluum, cùm non excernantur, per ipsam traducuntur ad vias renum, & bilis generat vriginem, & humor crudus crassus, cùm non possit à debili vesica benè excerni, cogitur, & lapidem generat, & hoc est pessimum. Et tandem (vt summatim dicam) astricta aluus omnium malorum est mater, & præsertim in senibus, debent ergo eam humidam, vel lubricam, quantum fieri potest procurare, modum supra edocuimus.

Alui suppressio metuenda.

Quibus noceat.

CAPVT XXXIII.

De Regimine conualescentium.

Conualescentes potiùs ægri, quàm sani sunt.

Conualescẽtes ad ægrorum potiùs, quàm sanorum rationem pertinent, tùm quod curari debent his, quæ ad morbi naturam respiciunt, tùm quia pars eorum ægra est, licet specie sani videantur. Sunt etiam non parum à natura distantes. Omnibus communis est imbecillitas maior, quàm in ægris ipsis duabus ex causis: vna quia duorum dolorum maior

maior obscurat minorem, ægri verò cum morbi noxa affliguntur, minùs conualescentiæ imbecillitatem sentiunt: quæ cum magna etiam sit, & maior quàm ægrorum ipsorum, ob id magis vexantur. Est autem maior, quoniam si morbus tolli debuit, necesse est materiam auferri, quæ cùm tollitur, deperit, ex viribus iuxta materiæ multitudinem, ac prauitatem, dicente Hippocrate, si vniuersum pus, aut aqua effluxerit in aqua intercute laborantibus, aut suppuratis quod repentè moriuntur. Igitur summa imbecillitatis cura in conualescentibus habenda est, longè enim deterior fit recidiuia, sua radice. Quibus verò cibis vti debeant, infrà declaremus.

6. Aphor. 17. Cap. 37.

CAPVT XXXIV.

De Regimine iter agentium.


Iter quibus, & quomodo fieri possit.

ITer omne, aut terra, aut aqua, quod sanè mollius est. Ostendemus autem causam. Terra quidem triplex pedibus, equitando, & vectatione, è genere vectationis est lectica, cùm in domuncula coriacea, quæ duobus equis aut mulis induti vehimur. Alij in sportulis iunceis, aut vimineis feruntur bini, ac bini insidentibus mulis, aut camelis: alij obequitant illos, aut & elephantes, aut asinos. Vehuntur autem tabula, curru humili, essedo, carpento, carocia nouum est, vehicula, & fercula vocabantur Pilemum carpento in eosdem vsus petorita. Quis numerum censebit?

Esseda festinant: pilenta petorita naues.

Sed cùm infinita esse possint, eorum nulla haberi ratio poterit, ad proprias ergò differentias, atque paucas redigenda erunt, tum præcipuè quod eis atque aliis communia sunt, velut quoniam altiora, humiliora, leuia, grauia, integra, & firma, vel quæ transuehuntur, vt carpenta: per saxa, terram, & in aqua tardè velociter: æqualibus rotis, aut inæqualibus: commune detrimentum concussio, ex qua ventriculus, cerebrumque læduntur, adeò vt quibusdam lethale sit vt in Aphorismo. [Quibus cerebrum concussum est, in tribus dieb. pereunt:] senes, & pueri qui ad infantiam pertinent, potissimùm læduntur, celeriùs patiuntur infantes decrepitis: hi læsi difficiliùs redierunt, aut nunquam. Sunt igitur discrimina altiorum, grauiorum, integrorum, atque connexorum in locis duris, ac manifestè magis inæqualibus velociter mota, & rotarum plurium, quæ sic ostendemus. Sit planum b f, cadat ob inæqualitatem in essedo, ex a in b qui sedet in d sit


Par. 44.



aliud essedum casus similis, qui sedet in e, dico, quod magis concutietur: quoniam locus f est similis b, habebit f hy pomochlij rationem: igitur cùm vibret iuxta proportionem f e ad f d concutietur, tantò magis qui est in e, quàm in d. Et in eodem carpento qui sedebit altius, maiorem sentiet offensam, quàm in humilius, & erectus, quàm prostratus. Grauiorum etiam vnde maiora pari ratione data. Sit g h saxum, aut gleba, ex qua descendit rota repentè: quia ergo grauius descendit ex g, in h celeriùs licet videatur in tempore non cognito: igitur maiore cum impetu diuidet aërem, magisque ve-




hiculum vibrabit, quàm leuius iuxta proportionem illorum: quod quantò tempus breuius est, totum dico, eò magis erit manifestum. Ex maiore enim impetu maior ictus: proportio igitur in ictu veloci, cùm sit eadem, tantò maior erit differentia vibrationis. Integra autem & connexa velociùs feruntur infrà, tùm quia grauiora immobili hypomochlio, tum quia feruntur per rectam illa, quæ habent mobilem currum à sede sua, vt cochia vocata, & sunt carpenta altiorum rotarum, feruntur per decliuem. Sit enim vt in carrochia descendat per tumultum recta est d e, & carpento per a b altitudine, a c quæ sit æqualis d e in eodem tempore, palàm est velociùs moueri a per a b, quàm d per d e, dico tamen quod minùs concutiet quia d e descensus diuisus per a b, vt est descensus, tardior est comparatione mutationis, nam motum per a f dimidium non descendit, nisi



per a h æqualem g d, & ita de aliis. Quia enim fatigatio ex motu per planum b c nulla est, aut saltem longè minor, quàm per d e cùm graue descendat: Ergo cùm proportio d g ad d g sit maior, quàm d g ad a f, igitur magis fatigabitur d descendens per d g, aut d e, quàm a per a h, aut a c. De manifestè autem magis inæqualibus dubium nō est, cùm maius spatium transeat in eodem tempore, ex duris etiam velut saxis, & in dura velut saxa, vnde in aqua concussio, aut nulla, aut propemodum: nam ex duris hoc est manifestum: celeriùs enim circumagitur rota & cadit: sed in dura accidit, quoniam reflectitur: nisi enim circumagitur rota & cadit: sed in dura accidit, quoniam reflectitur: nisi enim relideretur, nihil mali sequeretur: cùm verò necesse sit relidi aliquando, cum non detur descensus in infinitum, aut à duro retinebitur, vt terra, aut molli, velut aqua impetum sensim remittente: quo circa neque cum descendit relidi potest, cùm transeat vlterius: & cùm retinetur iam impetus imminutus

imminutus est: tardiùs enim per aquam necesse est moueri, quàm per aërem. Et ideò cum in aqua retinetur, non solùm remissionis impetus causa retinetur, sed quoniam partes aquæ illi obuiam factæ ob priorem motum densatæ vicem duri corporis efficiunt, & ob id tum relidi, ac pati, velut eum, qui non ex alto cecidit in terram, & à terra necesse est velociter etiam mota magis: nam feratur aliquid ex a in c dum decidit per d b, aliud ex a solum in b eodem denscensu ex d in b, dico magis concuti motum ex a in c, quàm b. Quia enim in eodem tempore vt supponitur qualis erit proportio a c ad a b talis temporis d b in secundo descensu ad d b in priore: igitur tempus descensus secundi est maius quàm primi: ergò d tardiùs mouetur in secundo descensu ad b, quàm in primo: igitur minùs concutit sessorem in secundo motu, id est, lente ambulante curru, quàm in primo. Hæc igitur nota sunt his qui in libro de Proportionibus, & in Mathematicis Aristotelis sunt exercitati. Similiter dico quod rotæ, quantò fuerint pauciores, atque maiores, minùs conturbant, ac concutiunt insidentes: Nam & Romani Imperatores commodi causa illis vehebantur. Experimentumque id docuit cum dicat Suetonius in Claudio. Ita essedo, alueóque adaptaris, ne ludus confunderetur. Causa etiam duplex est ac manifesta: Rarius enim ascendunt atque descendunt, nam toties obuiam fiunt impedimenta, quotus fuerit numerus iugorum rotarum. Et quoniam cum altæ fuerint, minùs colliduntur: est enim minor proportio descensus ad dimetientem rotæ, licet ratione eius, qui in vehiculo sedet, contrarium contingat, quemadmodum superius dictum est.



6. Phys. Nota.

Cap. 33.

Qui ergo elephantis, aut camelis feruntur inundationem quasi è naui patiuntur maximè in elephantis. Soli autem reges, ac custos belluæ iter illis insidentes agunt, atque ex hoc genera est lectica. Romani lecticis à seruis octo, quatuor ab angulis, totidem à lateribus ferebantur, potius ambitione ducti, quàm commodi causa, senes cathedra soliti, maximè ægri, vt Solymanus, qui paulo ante periit, & Antonius Leua: atque alij morbo prauis podagræ laborantes, habent & cathedram currulem, quæ suppositis orbibus quaqua versum in plano progreditur, regrediturque, currulis dicitur instar currus ob rotas, quibus innititur. In Germanici vehiculi genere est sella currulis, imò potius lapsilis, quæ constat duobus trabibus leuibus ad longitudinem hominis: tabulis coniunctis in suprema parte, locus paulò elatior, in quo neque sedet, neque prorsus extentus residet, sed humili discumbit ne concutiatur rotis curet, & ducitur à Rhingiferis, ducitur per glacies, & niues frigore coactus. Et mira, vt aiunt, velocitate, scilicet ad C.L.M.P. in die: dilabitur spontè per montes, ducitur ab equis etiam, & à bobus, tumque tutius vt lentius: vidi aliquando Mediolani, puerilis, res existimari potest, cum extra loca ea, quæ dixi conspicitur, velut in Italia.

Fluuij vnde dicti.

Fluuij dicuntur quia semper fluunt, ideo de magnis solùm intelliguntur: Flumina quia fluunt, ideo de omnibus qui perpetuò: Torrentia quæ magno impetu feruntur: quorum quædam perpetuò aquas habent, quædam aliquando siccantur: possessio fluminum & lacuum vtilis est ob pisces, fontium ob aquarum salubritatem, & aspectuum, torrentium ob lapidum varietatem: quædam etiam nobiliora metalla perferunt. Flumina transimus ponte, sapha, portu. Torrentia cingulo coriaceo sub ab aliis circumducto: vel cum aquæ desinunt: vel lectica rotunda coriacea, quæ fune in ripa adalligatur; funis aquæ impetu ad alteram fluminis partem trahitur aquarum impetu, ita tutò trahitur lectica, si ad eandem partem equi magni, & parui aqua pertingat, tutior est paruus magno: quoniam aqua tum minore impetu fertur. Iuuat autem habere peditem à parte inferiore fluminis iuxta caput equi robustum cum baculo firmo, qui obnitatur torrentis vi, & equum cadentem retineat, nam prohibere potest casum, & circumuolutionem equi, sed si solùm deficiat id opus Dei est. Quod si desit vis eiusmodi non ingredieris, sed expectabis, à pluuiis enim cito decrescit, nam post pluuias per intra vnam diem: à niuium autem colliquatione serius. In hoc aiunt animaduertendum, quod cum timuerimus de descensu aquarum, semper licebit euadere, quia breuior est multò, & vt ita dicam absque comparatione via inter ramos, & ripam recta, quàm à loco niuium ad locum in quo es tum & si maximo impetu aqua tum ruat ex montium iugis. Quo verò modo in cibo & potu, ac exercitio se gerere debeant inter agentes, si quis rectè animaduertat in hoc volumine edocuimus.

CAPVT XXXV.

De Regimine tractantium venena.

Duo præcipua præsidia.

QVamuis in tertio de venenis multa hac in causa scripta sint, nihilominus de his, quibus familiariter vti possumus, dicendum est. Duo autem præcipua videntur esse, atque facillima, scilicet radix Zedoariæ viridis, seu illa sit anthora, seu non, quàm viridem ex ℔.j. collectã cõdies saccharo, aut violaceo condito, id est, ex iulebo facto, seu ex nymphεæ pariter Iulebo: huic addes moschi optimi scrup. ij. aut etiam vsque iiij. nam granum vnum in drachmam singulam distribuetur, eritque maximè efficax, ac temperatum, nam de vētriculo sperandum non est, vt conferre vel absque illo possit. Quantitas pro vulgari vsu est ℥. ß. dimidium in suspitione ℥.j. duplumque liquoris: sed si times epulas, aut tractandum sit venenum vsque ad duplum, vtriusque ante cibum per tres horas saltem: si tamen ad conuiuium vocaris, etiam statim sumere præstat. Ruta verò Maio collecta ex ℔.ij. sed folia non radix viridia sumere. Eligenda est tenerior,

nerior, nigrior, ac longè exiliore folio: flores illi & crassiori luteri, parui in stellarum formam, sacchato hunc condies albo, & licebit drach. j. & vsque ad duas recipere, ita vt præter veneni defensionem tot commoda illa præstet, quæ superiùs enarrauimus. Nam Zedoaria in Chyna Insula, seu prouincia condiri solet, illincque aduehi. Impinguat hæc corpus præter reliqua, & oris odorem ingratum vini, & alliorum, & cæparum tollit. Nascitur in C. Prouincia folio gladioli flore croci fermè, vt quidam putant, occidit vermes, & flatum discutit admodum, loco eius in regionibus nostris supponere licebit, vt viridem condiamus radicem carlinæ vocatæ, & est apud Matthiolum chamæleon, quam plantam cum inter venena connumeret, ego autem sæpè illius cum radicis succum non mediocri quantitate deglutiuerim citra omnem noxam, nescio quomodo carlinæ radicem adeò venenis omnibus vtilem, vt nihil meliùs excogitari possit pro Zedoaria imitanda inter venena connumerauit. Atque accidunt hæc nostris temporibus, dum rebus obligatis, ita verbis authoris cuiuspiam mordici inhæremus, vt caput malimus amittere, quàm prædam. Hæc enim radix condita sacchato confert cordi plurimum, & præcipuè adiecto etiam, vt in Zedoaria, moscho, & vrinam, atque sudores vehementer cit: & humores prauos ac putridos, atque cùm his venenosam omnem qualitatem, liquoremque educit. Huic proxima, sed tamen viribus longè inferior est herba, quam cardum sanctum vulgus vocat. Turcam spinosam, & amaram, ideò minus carlina calidam, quæ acris est saporis, hanc igitur tertio loco substituere licebit.

Zedoariæ vires.

Matthiolus notatur.

At qui tractant venena, velut viperas pro theriacis, & hydrargyrium aurifabri, & qui venena destillant, seu vt Latinè magis coquunt, hi non leuibus periculis subiiciuntur. Viperis tamen sufficiunt chirothecæ è ceruino corio, alij dicunt & *Hunt* Arabicè: ex corio etiam bubali crasso, & super illas aliæ è ferro: nisi serpens sit eiusmodi, vt absque morsu inficiat vt Armene, vel Regulas, & aspidum quoddam genus, vt si quis ipsum vel lancea vulneret, intereat. Auxilium si quod est à pice liquefacta superiniecta petatur: mures ac mustelæ viuæ diuisæ superponantur, & calx ignita. Quæ autem venenis, epota conferunt, sunt sigillum lemnium, castoreum, calamenthum, cogit enim vt attenuetur, & expellatur, & semina mali medici, sed quantitas magna, scilicet drac. iij. & semina rutæ drac. j. propriè montanæ. Ex quo declaratur quantitas eius, vt sumatur tantundem, foliorum etiam, & medullæ nucum, & ficuum, & salis vt totum sit vnc. j. & optimè simul terantur, & comedantur, & vinum potens, velut Creticum cum eo bibatur. Et semina arboris serapini, & galbanum adeò vt etiam illitum prohibeat morsum serpentum, sicut & serapinum, & aliud propter odorem: serapinum bibitum est potentius galbano. Galbanum illicitum est efficacius serapino: credo quia serapinum sit purius: galbani autem odor sit validior, licet sit adulteratum: & succus foliorum fraxini, adeò vt referant viperas per flammam potiùs, quàm per folia illius transire, si circundentur, & sepiantur ab vtroque. Et ego credo quod sufficiant si non cogantur, aut valde irritentur. Et fructus ac semen cupressi Arabici, cuius cortex est naturaliter pluribus figuris inscriptus mirabiliter, & niger, & semen odoris iucundi, & fragrans, & folia spinosa, & acuta. Et herba etiam ex aqua fit assa fœtida, est vtilis ad hoc, adeò etiam vt quidam laudent flores, & folia oleandri.

Nota.

Venenis conferentia.

Sed fumus, & tractatio hydrargyrij debilitat neruos, & facit contractionem in illis, & syderantur, & tremunt, & maximè in pueris, & qui vtuntur multo potu vini. Et oportet vt obturent aures, & nares vt fumus non penetret ad cerebrum, & inungantur loca neruorum oleo ex baccis lauri, & hypericonis: hæc enim sunt illi propria. Et similiter oleum ex sulphure sumptum per os, & illitum. Est enim *Bezahar*, seu alexipharmacum hydrargyrij.

Venenorum tractatio quæ mala pariat.

Ex omnium optimis sunt *bezahar* propriè vocata cognita Indis, atque Arabibus, non Græcis. Et sunt ambo è lapidum genere, & leuissimorum, sed vnum splendet, & est varij coloris ex leucotheo, & ochro, id est, medio inter viridem, & flauum, sed absque luce, licet niteat: aliud verò est coloris floris cineris, & putant esse lachrymam cerui: & commune ambobus est vis maxima, quæ inest eis, vt pondus quartæ partis grani vnius sæpè liberet hominem à morte. Et cum damus magnam quantitatem est ponderis duorum, aut trium granorum. Et ciunt vomitum in his saltem, qui venenum biberunt. Quæ autem periculosissima inter omnia sunt suffitus venenorum, nam odor eiusmodi occidit, & quàm celeriter, vt in illo qui obiit repentè, ex odore garyophylli floris, & ita in destillationibus huiusmodi est ingens periculum, & etiam in illorum fermentatione sub fimo, & in putrefactionibus, ac mistionibus. Quia tamen sine his adeò violentis instrumentis perfecta medicina consistere potest, sufficiat adiecisse vsum communium auxiliorum, obturationem narium, ignem, odores bonos, & suffitus, atque alexiteria. Nondum tamen depræhensum est auxilium proprium ad hæc: certum est quod eiusdem generis esse oportet, id est, suffitum suffitus. Et contactus, medicamentum phlebodes quo venæ carporum, & arteriæ illinuntur, arteriale appellatum, seu metacarpion: illitur vbicunque præstant arteriæ in corporis superficie iuxta manus pedum, digitos medios, talos intra cubitus, in temporibus. In priore genere vix quicquam potest esse tempestiuum: in hoc etiam sumpta in potu licet hæc tardiora sint suffitibus, illitis non sunt necessario. Quæ enim cum destillatis, & vino Cretico exhibentur, celerrimæ sunt operationis, vel rutæ, & Zedoariæ pars illa ignea, & si quid est simile: & sanguis anatis, & eorum animalium, quæ eiusmodi vescuntur, quanquam nullum ad hanc diem cognitum sit, seu anates dicas, seu ciconias, seu grues. Crocus ergo pro vehiculo erit, ac pro alexipharmaco os monocerotis, & smaragdus, & si qua sint prorsus naturæ proprietate contraria, & igneæ substantiæ, & hæreæ.

Bezahar.

Nota.

Auxilia.

CAPVT

CAPVT XXXVI.

De Locis vbi adsunt serpentes.

Nota.

MIseram esse sortem hominum, nemo qui rectè consideret, negare potest, cum nuper imperassem puero vt boraginis folia mihi colligeret, narrauit inter eas plantas grandem bufonem, fœdum, horribile, noxium, & inauspicatum animal. Etenim si spumæ aliquid reliquerit, periculo non vacat. Inde viperæ, muscæ, culices, vespæ, crabrones, tot genera vermium, vt taceam formicas, erucarum, & multipedum tot genera, & multitudinem infinitam: nam cimices, pediculi, pulices ex ordine, quasi conati nobis habentur. Vna omnium ratio mundicies (vt diximus) aqua, aër perflatus, vt in turritis altis, cæcis, ac ignis, nam & cinis talibus inimicus est. Ob id Principibus, ac Regibus non exigua custodia, sed tædium maius, & exinde periculum. Quis gloriari potest non esitasse multa huiusmodi, cum quantacunque diligentia: Et suffumigia ex huiusmodi animalibus fugant illa, & trifolium inter herbas, & cedria inter arborea. Et omne amarum valde, vt colocynthis, & aloës, & acria valdè, & benè olentia: sunt enim tantundem exanguium naturæ inimica, quantum amica humanæ, & ærugo, & olea omnia integrarum virium. Et hydrargyrium proprietate, quæ ex immenso frigore pendet. Et rutam fugiunt serpentes, & fumum cornu ceruini. Et ranæ istæ terrestres, etiam in penu vinaria inueniuntur frequenter: creduntur que solo afflatu interimere. Et iecur illis vitiatum est, ac diuersorum colorum, quod etiam refert Aristoteles. Neque omnis terrestris rana, seu bufo rubeta est, sed prægrandis, quæ in vepribus solùm inuenitur, & alitur, vnde etiam nomen habet à rubo, scilicet rubeta dicta tempora, in quibus oculi sunt, adeò prominent, vt instar cornuum emineant. Ergo si riuulis currentium aquarum singulis noctib. olera aspergantur, terráque madescat, tuti erimus ab huiusmodi peste, sed vermes metuere. Aduersus serpentes, ac cimices, folia filicis, suffitu etiam sanguisugarum pelli cimices dicunt. Ego medicinam longè petitam existimo. Sol, flamma è palea, lixiuium acre tutiùs esse reor: inde vt dixi ærugo: probatur & auripygmentum, sed nollem piscari, vt dici solet, hamo aureo, & sulphur, & species ari, & sal ammoniacum, sunt inimica omnibus exanguibus, sed sulphur in igne accensum, sal aqua dilutum. Et sicut oleander pulicibus, & eiusmodi minimis, ita lauri folia serpentibus. Dicunt quod psyllium putrefacit pulices, & raphanus scorpiones. Medicamen ad cimices præcipuè, sed ad omnia eiusmodi: Cedriæ vnc. ij. auripygmenti quod vocant arsenicum, & albi, & croci, nucis cupressi, æruginis ana vnc. j. foliorum myrti siccorum ℔. ß. terantur, & cum oleo misceantur. Aliud facilius foliorum cupressi siccorum ℔. j. æruginis, & sulphuris ana vnc. ij. terantur, & cum oleo misceantur. Et contra serpentes, & rubetas bonum est alere ciconias, aut grues, & feles, ac mustellas, & dicunt de ericiis, sed nescio causam. Et buteones, & aues quæ habent magnum rostrum, & sordidis aluntur, inter quas optimæ sunt, quas vocant poglianas, & quæ fermè aliis non aluntur, quàm serpentibus, & bufonibus. Magnis tamen Regibus cum degant locis adeò munitis, ac mundis, quorum sors iam excelsa videtur, ob tot custodias ab ipsis animalibus periculum non imminet: à cibis autem quomodo possunt esse tuti? mundior homo, sobrius qui sibi viuit: sed mortalium omnia mortalia, & squalori, ac pedori subiecta. Serpentes autem sabinam amare adeò proditum est, vt circa plantam, in agro Comensi viperarum multitudo maxima conueniat, plures quoque super arborem serpunt. Ergo id nondum compertum habeo, sed id planè compertum, vnumquodque genus animantium certo genere plantarum delectari. Cùm verò plura sint genera, licet vno nomine contineantur, ob id variare hæc ratio videtur, velut bufones saluia ob vmbræ densitatem, viperæ eruca: generaliter ferunt hederam, & fœniculum gratas esse serpentibus. Iuxta etiam stagna, & aquas inueniri solent, necnon in specubus, vel subterraneis antris, in montibusque reperiuntur trabium magnitudine.

Rubeta qua.

Medicamen ad cimices.

Aliud.

Serpentes sabinam amant.

CAPVT XXXVII.

De Vnguentis, seu oleis Regiis.

MVltiplicia esse vnguenta, ac olea, multifariamque diuisa in Promptuario demonstrauimus: Quare hîc tantum sufficiet principaliora, ac magis selecta, quæ aduersus omnia venena, & morsus, seu vulnera eiusmodi, & contra pestem sunt disponere. Et simplicia etiam nonnulla singularia describemus, dein eadem componemus. Cinis ergo viperarum optimus est. Antidotus etiam ex illis, & vocatur Theriaca. Oleum Scorpionum rubentium, & sub canicula temporibus. Sulphur viuum, Fermentum, Napellus, Morsi. De hoc est incertum an inueniatur, & an sit mus, an radix plantæ: Matthiolus censet esse muscas. Terra Melitea eius loco aliqui volunt sufficere bolum armenum orientalem, sicut loco cineris viperarum, & medullæ cerui, viperas (hæ solæ in eo genere catulos pariunt) præciso capite, & cauda in anate assata in veru: & collecta pinguedine sumunt. Cerui medulla, verbenaca, calamyntha montana, adeps leonis, terebinthi lachryma, angelicæ, gentianæ, imperatoriæque radices, & rutæ, ac scorzoneræ folia. Radices item cucumeris anguini, Zedoaria, loco quodam postremo reponuntur sinapis, oleum de baccis lauri, pancratij radix, verbasci flores, diptami albi radices. At cum certum sit oleum huiusmodi opponere componi ex venenis ob substantiæ similitudinem, vt scorpionum oleum, & antidotus è viperis: Ex alexipharmacis, veluti, semen mali medici, ruta, scorzonera, angelica, & imperatoria: Gentianam non ausim adnumerare, nescio enim quàm potens sit, & si potens, quantum in oleis virium habeat, sicut

Simplicia contra venena ac pestem.

ſicut omittere adeò laudatum Cretenſe diptamum. Ex his quæ terreæ ſunt ſubſtantiæ, inter quæ Melitea eſt, quæ etiam egregiè aduerſatur venenis. Et ſulphur viuum, quod valdè diſcutit. Et pinguibus vt vim retineant, & cohibeant, inter quæ cerui medulla, aut anatis cum angue liquamen, loco vt dixi eius, ſed & quod aſſumptum eſt oleum de ſcorpionibus hoc gaudet, velut leonis adeps in diſcutiendo: diſcutiunt radix cucumeris anguini, ſtrenuè verbenaca, calamintha. Diſcutit & attrahit fermentum, vt ſint quinque, ſi diſcutere vnum eſſe velimus: ſex biduo: ſympathia, antipathia, ſubſtantia, modus ſubſtantiæ & facultas. Quinque ergò ſufficient aut ſex: Et ſi opus erit in aliquibus addemus cantharides, & erit medicamentum eiuſmodi. Ergo:

Composita ad eadem.

℞. Olei de ſcorpionibus veteris ℔.j. ſcorpionum rubrorum viuentium magnorum numero L. cineris viperarum vnc. ß. foliorum cum ſemine rutæ exſiccatorum in furno non parum vnc.j. terræ Meliteæ, vel pro ea boli armeni orientalis drac.vj. ſulphuris viui vnc. ß. medullæ ceruinæ, vel adipis anatis vnc.ij. foliorum verbenacæ, radicum cucumeris anguini ana drac.x. adipis leonis, theriacæ ana vnc.j. fermenti veteris drac.vj. Ponantur in ſole XL. diebus caniculæ, aut in balneo pluſquam tepido per x. dies: inde calidum coletur, & exprimatur, & ſi opus eſt in medietatem eius addantur cantharidarum drac.iij.

Nota.

Aliud ad febres, in quibus non concoquitur materia: in febribus validis, vbi materia reputreſcit, in inflammationibus cordi propinquis: in materiebus quæ diſcuti, & ad cutim expelli poſtulant: concoquunt primum frictiones, ſomnus, cubile obſcurum, culcitræ multæ, quies, ſtratum molle, inungere totum corpus oleis moderatè calefacientibus, digerentibus, & naturæ noſtræ amicis: qualia ſunt præcipuè chamæmeli, floris populeæ arboris, & anethini, præſertim hypochondria, & totum ventrem, fouere autem illa decocto ſeminis lini in oleo, & aqua: tum exhibere ſi febris adſit in dilutam aqua mulſam, & ptiſanam hordeaceam: neque enim concoquere ſimpliciter eſt calefacere, & humectare, ſed quandoque refrigerantibus: hoc fit vt in ardenti febre, non vt refrigeres, ſed vt calorem innatum adaugeas, item exſiccantibus, ſed hoc rariùs: contigit tamen in abundantia humidi crudi, vt his decem auxiliis adhibitis, nonnunquam renutrire conueniet, ſi morbus longus præcipuè ſit, ouorum vitellis recentium, alios alica & iure pingui: vino tenui flauo, odorato, potenti, aquæ multæ admixto ſi expediat. Rarius carnibus glandoſis, & teſticulis gallorum, medio modo piſcibus. Si materia ſit in pectore oleum amygdalinum dulce, atque butyrum recens expedit, caricæ, vuæ paſſæ, & palmæ fructus cocti, paſſerculis, & cæteris auiculis etiam, & iecore gallinarum, vel nemorearum teſtudinum ali expediet. Quid ni, reiiciemus ne probata à Galeno cerebrum ſuillum, ac pedes tum vitulorum? iecora etiam, & lactes luciorum, & cyprinorum magnorum, oua non, chamæ etiam, & conchæ, & ius earum, ac limatiarum ſecundum, & ex his pingue. At verò condita croco, gingibere, macropipere, nec refugimus ſaccharum, aut iure cicerum, ſed additamenta, aut myrthide vti prohibemus, calorem enim naturalem exacuit, vt etiam hœdi ſanguis, & catulorum lactentium, aut paulò magis adultorum caro, & ius, quamuis horrida, ſed præſtás fuerit pullorum columborum, quos laudarunt adeò Arabes, deſcribuntque quales ſint, & ſunt agreſtes, proximitur riti. Quinque autem ſunt præcipua præter crocum qui eſt inſignis in hoc, tum cætera enarrata ſatyrion, quod maximè excitet Venerem. Porri quod ſanguinem exacuant, lenta incidát, & atram bilem attenuent borago, & bugloſſum quod cordi conferant. Ozymum tenue odoratum, & poſt meliſſa, ſed multò inferior, quod pituitam craſſam, & melancholiam à cerebro, & corde expellat, & moſchum qui in omnibus his, & præſtantiſſimè auxiliatur. Erit igitur huius ſecundi olei deſcriptio hæc.

℞. Calamenti montani, ſeminis porrorum, ſeminis raparum an. vnc. j. ſtincorum verorum num.iij. moſchi, ambræ orientalis an.ſcrup.j. florum ſambuci vnc.vj. florum populi vnc.viij. florum verbaſci, florum angelicæ an. vnc. iv. rutæ, ozymi garyophyllati, ſcorzoneræ, verbenacæ, radicum cyclaminis, adipis leoniniana vnc. Semi. cineris aſpidis, mithridati, nitri rubri an. drac. ij. ſanguinis equini, canini, vel vulpini, & eſt melior, galli an. drac.v. Modus eſt hic. Flores in ampulla vitrea expone ſoli caniculæ tempore, ſic vt in oleum conuertantur, huic oleo adde ſuccum porrorum, calamenti, ſeminis raparum oleo expreſſione collectum, rutam cum ſemine, ozymum, ſcorzoneram, verbenacam, cyclaminis ſuccum expreſſum diligenter, & expone ſoli per XV. dies, ſed contuſa, quæ corpus habent, aut per octo dies in duplici vaſe, poſt cola omnia: & iunge ſanguines nuper extractos mithridatum, pinguedinem ſtincorum, & leonis, moſchum, ambram, nitrum, cinerem aſpidum: omnia collecta in vaſe vitreo cum vnc. vj. vini maluatici, aut Græci, permitte quàm diutius potes, & demũ cola, & pone in vaſe optimè concluſo, miſce quotidie, & expone ſoli ſi adſit per horam, aut plus, & cum remoues miſce. Aliud noſtrum quo ego ſæpè vti ſoleo.

Expertum à nobis.

℞. Seminis napi, iuniperi, radicum cyclaminis, diptami albi, foliorum calaminthæ an. vnc.ij. Zedoariæ vnc.j. diptami Cretenſis, vnguenti populeon ana drac.x. belzoi, piretri an. vnc. ß. croci orientalis drac.ij. medullæ cerui vnc. iij. anatis ſanguinem olei rutacei, aceti è prannio an. ℔.ij. Omnia præter diptamum, crocum, cerui medullam, & ſanguinem, & vnguentum, ac belzoi, tuſa coquantur in aceto, & oleo, donec acetum abſumatur: inde addantur reliqua contuſa præter ſanguinem, medullam, & vnguentum, quæ ſic poni debent, vt ſunt præter vnguentum. Ponantur in ſole per XL. dies, poſt addatur vnguentum, & ſeruetur xx. diebus loco ſicco, demum coletur bene exprimendo. Alia habebis vnguenta pretioſa in Promptuario à me experta, quibus inun-

Moroni historia.

xi primo Hieronymum Moronum Sacerdotem, atque Patritium melancholici habitus, ætatis annorum ciciter xx. cui cum aliquot annis ſcabiem fœdam paſſus eſſet, eamque perperam parua victus obſeruatione cuſtodita cohibuiſſet, ſuperuenit febris tertiana continua ſub initio autumni in qua pulſus reddebatur inæqualis, & inordinatus etiam quãdoque prorſus ceſſabat, cùm diu formiculari ſimilis eſſet. Ager interim iacebat vt mortuus, renuebat medicamenta, & aſſumpta parum proficiebant: Inunxi ergo bis loca illa octo arteriarum, & conualuit. Paulò pòſt cum ægrotaret iam nepos illius prænomine Bartholomæus Moronus, Iulij Moroni Illuſtris equitis filius, annum agens ſextum, & eſſet iam conclamatus experipneumonia, quę non ſupputabat, & vt ſolet laborabat leuitate inteſtinorum, febris intenſa, & reſpiratio tempore æqualis pulſui: iuſſi ergo quod mora non dabatur inungi, largè, liberaliterque, & totum corpus, pectuſque maximè rupta eſt inflammatio, & ſimul euomuit quantitatem magnam humorum, & crudorum, (credo reliquias ciborum, ac potuum tot dierum, quas haud concoxerat) & euaſit: pus autem multũ, albũ, leue, & æquale non malè olens, multis diebus effluxit per vrinas, & euaſit. Cumque etiam paucis abhinc diebus Alexander Syluestrius, Rodulphi mihi chariſſimi frater febrè ægrotaſſet, & cum vomitu (erat enim primum tertiana) & profluuio ventris: adeò nobis expectantibus ex vno alterius alleuiationem, vt febris ardens facta ſit, nec niſi aquoſa deijceret, ſubflaua multa, inde tuſſis, ſtillæ ſanguinis narium, quæ non alleuabant, dolores pectoris, vigiliæ, deliria, pulſus malus circa xxx. diem, tabes. Itaque decreui quoquo modo poſſem tentare curationem: liquebat enim cauam iecoris partem: inflammationem ſine tumore, ſed propriè ſic ab antiquis appellata, laborare. Quamobrem illi conſcripti vnguentum, quo iuſſi inungi ventriculi regionem, & totam iecoris cauam, ante cœnam ſic, & euaſit vt patet modus in Promptuario.

Alterius. Iulius Moronus eques Illuſtris.

Alexandri Syluestrij hiſtoria.

CAPVT XXXVIII.

Electuaria, & Medicamenta compoſita ad producendam vitam.

HAli incanticæ explanatione refert, quod veriſſimum eſt, eſſe poſſe medicamenta quædam, quæ vitæ producendæ ſunt vtiliſſima. Videtur autem hoc tributum inter reliqua compoſitioni ex myrabolanis, quam triferam vacant, & maximè auro admiſto, id non ſcire præſtat, quam cauſam huius inuenire: nam medicamenta præſtò erunt inuenta ratione, & multa huiuſmodi à medicis etiam præclaris ſunt commemorata. Duos diximus eſſe producendæ vitæ ſcopos, & vt humidum non conſumatur, ſeu ſeriùs, & vt quàm ſimillimum conſumpto reſtauretur. Erat & tertium, de quo dictum eſt, ad conſeruandam valetudinem, ſed id omittam, tum quia hìc de eo ſcopo non agitur, tum quia ex his duobus illud etiam ex parte habetur: demùm quia difficilia cùm ſint duo hæc per ſe vt adipiſcamur, tertium ſi addiderimus, forſan prorſus impediemur ab illius inuentione. Quinimmò ſi etiam aliquid ad rem facit, pleraque huius tertij generis vitam potiùs breuiorem reddunt, velut quæ aperiunt, diſſecant, excrementa deducunt, aſtringunt, calefaciunt, purgant, leniunt, roborant cerebrum, ſenſus vegetes efficiunt, aduerſantur venenis, omnia talia vitam breuiant. Propterea quatenus debeat eſſe illorum vſus, ſingulis cuiuſque locis deſcriptum eſt. Nunc ergo de reſtitutione ipſius humidi, & tarditate conſumptionis agendum eſt: & reſtitutionem quidem humidi nullum medicamentum efficit per ſe, ſed vt calor denſior, & purior, & maior efficitur, & alimentum optimum, & commodum in concoquendo, vt mora, ſomnus, & exercitatio, ac quies opportunè adhibita, veluti cum cibus in vaſis amplis concoquitur, quies in anguſtis exercitationi mediis, medio modo. At vt ſit denſus calor, hoc & commodum eſt renutritioni, & vt ſeriùs abſumatur, quod iam paratum eſt humidum: namque humidum illud, & calor naturalis ſubſtantia eadem ſunt, quatenus autem differunt, quatenus eadem ſunt prorſus, de quibus nunc dicendum erit: ſi prius admonuero lectorem, hanc reſolutionem tardam, & medicamentis, & amuletis, de quibus aliàs à nobis dictum eſt, non ſolo alimento, imò eo non niſi per conſequentiam, non primo fieri poſſe. Igitur dubio procul eſt motum omnem accelerare conſumptionem, quod flammæ experimento didicimus, contra quietem minùs conſumere.

Trifera.

Scopi producendæ vitæ.

Quæ vitam abbreuiant.

Motum accelerare conſumptionem.

Confectio regalis.

Prima eſt vocata *Alcorz* Hiſpanicè, & eſt omnium optima, cuius ſunt multæ deſcriptiones: proponam autem vnam pro exemplo. ℞. margaritarum orientalium vnc. j. ß. id eſt, drac. xij. hyacinthorum orientalium, qui mutantur ad ignem vnc. ij. ſmaragdorum orientalium vnc. j. carbunculorum orientalium, granatorum orientalium, topaci chryſolithi, aquæ marinæ orientalis, ſeu calaidis, ſardoniorum, berillorum, amethiſtorum orientalium, balaſiorum an. vnc. ß. ſaphyrorum orientalium drac. x. ſacchari purgati albi ℔. iiij. Diſſoluantur ſaccharum, & gemmæ integræ ab omni ſorditie mundatæ per rotam, deinde ablutæ diligenter imponantur, & antequam congeletur, addantur moſchi orientalis drac. ij. & fiant morſuli, qui teneantur in loco ſicco, de quibus cùm opus eſt, aſſumantur drac. ij. ad vnc. ß. vſque, & terantur, donec redigantur in polinem, & bibat cum modico vini Cretici, aut alterius vini potentis, & tenuis, ac ſubdulcis. Præſtat hęc compoſitio quod omnes gemmę poſſunt dignoſci, & quod ſplendidæ ſunt, & orientales, & etiam quia ſic vires earum non euaneſcunt, nec debilitantur, & eſt confectio Regum, & poſſumus addere in ea aurum, & argentum foliatum, & moſcus deducit gemmas ſtatim ad cor, præcipuè cum vino: & ſi non licet vti vino, dabimus cum aqua croci, aut aqua carnis.

Secunda

Secunda fit ex eiusmodi gemmis, & additur aliquid lapidis cærulei in aliquibus cōpositionibus: & si non adsint omnes gemmę, nil refert: principales tamen sunt smaragdi, hyacinthi orientales, sapphiri, margaritæ, & rediguntur in puluerem, inde additur saccharum quadruplo pondere: sed omnia leuigantur, & per linteum densum cribrantur.

Tertia compositio fit cum margaritis solis orientalibus, quadruplo sacchari, & est ad confirmandas vires, letificandumque cor, & repurgandum sanguinem. Hic non possum nisi detestari eos, de quo aliàs dixi, qui huiusmodi pulueres è lapidibus dant cum cibo, vel prope, vel etiam cum saccharo ex floribus qualibuscunque: nam vnum affert impedimentum alteri, & efficiunt maltham in corpore, seu cæmentum: similiter & illos, qui in miscendo alia simplicia calida, frigida, sicca cum his, quæ à proprietate sola agunt, atque ita interturbant opus vtrorumque, velut in electuario de gemmis vulgato.

Nota.

Quarto est Diamuschum dulce, efficax satis.

Quinta est Diambar, quod vt prius cordi, ita hoc capiti.

Sexta est puluis noster. ℞. scobis Monocerotis drac. j. scobis eboris ex dente vnc. Semi. sacchari vnc. ij. Semi. saccharū teratur, scobs sit derasa, chalybe asinino, aut saltem Damasceno, ea fit trita, quantitas sint vnc. Semi. pro auxilio, velut contra venena, pro vsu g. xxv. seu scru. auri fabrorum, & pauperes poterunt vti solo ebore.

Septima est compositio ex auro, vel in pauperibus ex argento in aquá resoluto, vt aliàs docuimus, modus facilior est vt aurum liquescat cum *alnach*, id est, plumbo rudi, & comburatur, sæpiùs, & tunc repurgatum creditur dissolui in humano corpore, & quidam exhibent aurum, vel argentum gallinæ, vel gallo, & colligunt stercus eius per anum, ne deterreat, deinde comedunt carnem pulli illius, & ita de multis in Principibus.

Octaua est vt sumantur semina citri recentis, sed bene maturi, & detracta à cortice duro, condiantur in saccharo, & non est difficultas, nisi quod oportet comedere drac. iij. in casu necessario, secùs sufficit scrupùlus singulo mane.

Nona est *elysir* compositio destillata, quæ variorum est modorum, de qua satis in Promptuario diximus.

Sacculus cordialis.

Decima est sacculus pro corde. ℞. smaragdorum, saphyrorum, margaritarum, hyacinthorum rubrorum omnium orientalium, cauendo ex factitiis, qui etiam sandaracha constant, an. drac. j. Semi. cartilaginis, seu ossis de corde cerui, ossis cranei humani non mortui ex morbo vnius anni; parùm siccati in furno an. scrup. iiij. Semi. melissæ, citricum suo ligno, ozimi parui odorati, boraginis an. drac. j. Fiat puluis subtilissimus. Et sunt qui addunt Polij semen, alij dentes viperæ, alij auripygmentum album, id est, arsenicum.

CAPVT. XXXIX.

Lætificātia ac confirmantia calorem naturalem.

Quæ calorem naturalem confirmant.

PRimus ordo ex rebus in succis, in spissamentis, id est, succi concretis, in repetitis infusionibus, in aquis destillatis cum duplici vase, & partibus succedentibus, in coctionibus, in additione succorum, & in solatione, in oleo destillato, in oleo facto in sole: in pulueribus pollinis modo: in putrefactis in fimo equino, in vstis: in infusis in aceto XIII. Secundus in quantitate, & perfectione, quæ per lineam superpositam, & magnam, aut breuē intelligitur. Tertius in natura, cum sale, stibio, alumine, lapidibus, metallis, atque metallicis, radicibus, lignis corticibus, seminibus, floribus, lachrymis, foliis, in partibus animaliū vel sanguine, aut productis retrimētis. Quartus in propriis à qualitate manifesta, prima, secūda, tertia in purgātibus, in venenis, in infusione horū, vt aquæ ardentis, vel aceti, vel cum vino valde dulci, & odorato, in circuitibus, in thermis vt sint IX. Summa horum præter secundum ordinem XL. Et cum illo iam constitutus est τρόπος. Ergo succus chelidoniæ inspissatus, croci orientalis, flores ozymi parui, vehementer odorati iam sicci, folicula, & semen: Melissophyllon, viride odoratum valdè, quod rarum est: succus helenij radicis, boraginis semina, & flores conditi iuuant, & folia, & radices, & quæ ex eo genere pulegium, additamenta, radicum bibinellæ: inde belzoi, thus, styrax, vinum quale dictum est præcipuè Creticum, lupi cor, sanguis equinus, catuli sanguis, anatisque, quamuis misti generis, & hæc sunt in tertio ordine. In quarto quæ purgant helleborus, & colutea, seu potiùs sena. Succedunt moschus, ambra orientalis, zibetum, longè inferiora garyophylli, & xiloaloes. In sexto ordine hyacinthus, smaragdus, margaritæ, saphyrus & misti generis, lapis cæruleus orientalis topatius tener, quem chrysolithum vocant, valdè vtilis etiam insanientibus, calais, & granatus forsan, & adamas, licet pro veneno reponatur. Vnde communis erit vltimo generi, in quo mandragoræ poma, quæ sunt mitiora etiam opio, hoc autem inebriat. Quæcunque autem somnum prouocant, & humectant multum, vt nympheæ flores, & violarum purpurearum, multiplici modo iuuant, crederem, & verum chrysolythum orientalem valde vtilem esse.

Ex compositis Alchermes maius ex XII. drachmis, & minùs ex duabus lapidis cærulei: lætificans Almansoris. Diamargariton frigidum, tam mithridatum, quàm theriaca: Diamuscum dulce: diambra, electuarium de gemmis conciliatoris. Et Monoceros est cornu Regum, quod tantum bis vidi, & aqua mali medici, quæ bene olet, & succus eius conditus in calidis effectibus, & extra epithemata ex rosis, violis, id est, aquis earum: succo mali medici, vino Cretico, santhalis, aceto roseo.

Puluis noster.

Puluis ad cor, & colorem roborandum noster. ℞. margaritarum orientalium vnc. j. hyacinthorum orientalium drac. ij. saphyrorum coloratorum orientalium scrup. v. seminum

boraginis, Sem. basiliconis. Serninum apij bonum odorem habentis foliorum pulegij an. drac. iij. moschi drac. ß. ambræ scrup. j. Zibetti sicciores scrup. ij. ossis Monocerotis g. x l. auri fol. l. granorum bibinellæ drac. iij. croci orien. scrup. ij. Zedoariæ drac. j. Rad. enulæ drac. ij, cordis lupi ossis drac. iij. Rad. mandragoræ drac. ij. ß. Fiat puluis.

Nota de Diamuscho.

Inter omnes autem compositiones, quæ in vsu habentur, Diamuschum dulce longè alias antecellit, & licet moschi etiam augere quantitatem, prout commodius esse credideris. Caue duo, vt moschus sit orientalis, multò enim efficacior est occidentali & Doronicum exime, aut loco eius repone succidaneum. Quandoque enim sumitur radix vt bene sentit Matthiolus speciei aconiti. Diambræ autem compositio, præterquamquod sit multo inferior, & fermè solùm ad cerebrum comparata, longè etiam est calidior. Princeps aut etiam valde extollit in his. Præcipuum quod vacat omni suspicione, & pro cibo ac omni medicamento solum opus, causa vt sit recens capiti, pectori, ventriculo, iecori, renibus, præcipuè ad consumptos, & tabificos, oleum auellanarum, lætificans nostrum, smaragdus orientalis puras, & coloratus scrup. j. hyacinthorum orientalium, margaritarum, croci orientalis an. drac. j. opij radicum, & pomi mandragoræ an. drac. j. ß. foliorum apij, foliorum & Sem. melissæ. Sem. & fol. boraginis, succi foliorum & Sem. sclareæ: Sem. & fol. ozymi parui, & garyophyllati an. scrup. iiij. Radicum & fol. bibinellæ rubræ: fol. & Sem. pulegij an. scrup. ij. moschi, & ambræ orientalis an. g. xv. succi radicis concreti, ossis de corde lupi, ossis de corde equi iuuenis in bello mactati an. g. xxv. cornu monocerotis scrup. ij. saphyri orientalis, colorati & nitidi scrup. ij. ß. Fiat puluis subtilissimus, seu in pollinem redigatur, detur à scrup. ß. ad drac. ß.

CAPVT XL.

Quæ calorem naturalem seruant, & quomodo adaugeant, vitæque longitudini conferant.

Vita nostra in quo consistat. Calor in nobis duplex Hieracy vires.

Vita nostra, & salus in calore innato, multo, puro, denso. Purius est in iuuentute plurimus, in pueritia densior, sed crassior in pueris, quàm iuuenibus. Duplex insitus, & influens, & medius in corde ad alia membra influens, cordi autem proprius. Seruatur communibus scilicet temperantia: reficitur enim vnusquisque, & in vnoquoque membro reductum temperamentum ad proprium statum, velut Hieracio plerumque: vnde Plinius. [Carpitur per messes inciso caule succus candidus, conditur fictili nouo, viribus papaueri similis sanatque omnia vitia oculorum cum lacte muliebri: nubeculas, cicatrices, adustiones, præcipuè caligines, & cum lana epiphoras, id est, impetus defluxorum ad illos, idemque senipuli pondere ex posca ebibita purgat: serpentium quoque ictibus, atque morsibus plantæ partes auxiliantur, & intus, & extra adhibita, tam cum aceto, quàm cum vino, quandoque cum vtroque. Cratenas eodem pondere dabat cum aceto, & vino ad hydropicos, sed vrinæ difficultates succus emendat ebibitus, velut ventris vitia cum melle, & aceto planta imposita: sed hæc minus necessaria: quæ autem ad propositum propriè pertinent, sunt vt somnum prouocet, æstum refrigeret, ventriculum purget, sanguinem augeat, Venerem inhibeat, inflationem discutit, ructus lenes efficit, concoctiones adiuuat, nam ipsum cruditatis causam non præbet. Nec vlla res pariter in cibis auiditatem facit, atque inhibet, eadem enim causa, alter vtrinque modus. Aluum copiosiùs sumptum sic soluit, modicè sistit, lentitiam pituitæ digerit, vt etiam aiunt quidam, sensus purgat, stomachi dissoluti eius vsu iuuantur. Et oxyporo adiecto ad dulcedinem temperantes cum aceto. Sed si crassior sit pituita cum scillitico vino, aut absynthite si tussis adsit, & hyssopite admisto. Datur quoque cæliacis, & in præcordiorum duriciebus, melacholicis, sed candidæ, & vesicæ vitiis.] Alia insuper addit ad satietatem vt iure meritò vi perire debuerit, qui tam benè tutus aduersus omnes morbos, spontè nascentes hoc Hieracio fuerit. Sed cùm lactucam syluestrem Hieracio, vt palam est miscuerit, etiam è tribus principalibus cichorij speciebus, Hieracio seri quæ est endiuia, propriè latifolia, & viridis cichorio iucundior, & soncho præstantissimum est. Hieracium ad totum corpus temperandum, dictumque hieracium, quod accipitrum genus sit vocatum, eo confricet oculos, vt visum meliorem efficiant. At verò cardus benedictus ad purgandum, discutiendumque, ac putredini, atque venenis resistedum. Saluia verò proprietate quadam huic negocio prætulerunt, vt etiam sphaculis restituat vitam. Ambrosia famosior ad hoc quantò rarior. Propria verò ad eadem auxilia (vt diximus) exercitatio, ambra orietalis, macropiper, & ferulatum corculum, luteo oui simile: post quæ quasi secundo ordine. Aqua ardens bis cocta, aut prannium vinum, crocus, sed orientalis, satyrionis radix. Validior sunt margaritæ, & ebur derasum tenuissimè, si enim loquantur ex hoc sunt genere, & præstantissima, illuminent, densant, purgant humidum à sorditie exustum, & corruptum depellunt: hæc enim talia, vel firmo experimento, vel certa ratione constare debent. Ciceres verò rubri, & eorum decoctum adaugent ciendo motum, iuxta Principis opinionem, calendula, chelidonium maius.

Cardu[illegible] [illegible]ctus.

CAPVT XLI.

Certa quædā ratio breuis Tuēdæ sanitatis

Ratio tuendæ sanitatis in quo potissimum consistat.

Ea maximè constat in ventriculi incolumitate, ac opere, id est, bona coctione, tum quia aliis concoquit, nullum aliud illi: tum quia tenue, latum, & exangue, & aliorum præsidio indiget: tum quia cibaria, & illaborata, & cuiuscunque generis recipit, & præparata, & non præparata, & præmansa, & non præmansa, & cum potu immoderato: Et motionibus ob amplitudinem maximè turbatur, non ita iecur. Afficitur & vigiliis, curis,

curis, studiis, henterocele, præsertim si non vnciatur optimè, & vt immodica repletione, ita etiam fame, atque inædia, afficitur etiam prauis saporibus: & si nauseat, quid prosunt cibi, nisi nausea sublata? Et in aduersa etiam valetudine maior, quàm in prospera, necessitas: ob medicamentorum vsum primo ad Glauconem dicebat Galenus, læditque offensa coctionis, præcipuè caput ob vapores, & situs rectitudinem: & ob id etiam vigilias parit, tinnitus maximè facit, & oculorum imagines, ac nebulas, mentem perturbat, dentes etiam lædit, & corrumpit. Et si bene cedat coctio, hæc omnia, vt sæpè sum expertus, sponte desinunt. Cordis etiam palpitationes, & pulsus languidos, & mētem perturbat consensu neruorum sexti paris. Quid dicam de obstructionibus iecoris, vnde lapilli, hydropes, febres, & diarrhææ, cum cætera mala, sed hæc quatuor præcipuè. Est etiam mutabilis hæc ratio coctionis procurandæ pro ætate, temporibus anni negociis. Indiget autem maximè capitis cura vicissim ob destillationē, & somnum. Motu & quiete ob contentos cibos hoc illo ob robur. Multum ergo prosunt vincula, & eò magis necessaria in motu à cibo, & in henterocele. Notus autem in ieiunis plurimum prodest. Somnus quietus, prolixus, altus, bene contecto corpore, puluinar molle, & vnguenta pretiosa ab vmbilico ad ventriculi furculam. Ex cibis grati moderati, simplices, molles, densique, aër purus, frigidus, siccior vt in speculis. Herbæ quæ plurimum iuuant, absynthium primum, inde menta, ruta, vt superius etiam diximus. Ex cibis alæ pullorum, & gallipauorum, tum lactes quadrupedium, lactes etiam & iecora piscium: & ouorum gallinarum lutea, seu vitelli: & panis ex iure. Vinum paucum, purum, merum, paruum, dulce. Panis recens, leuis, siligineus, aut etiam leui furfure admisto, ferculum, oriza, aut si imbecillior panis in iure coctus. Ex liquoribus oxymel suaue, vel syrupus acetosus, oleum amygdalinum dulce, sal. Quandoque gingiber conditum, sinapis cum capparibus, aut radicibus cichorij. Ficus maturæ, mundatæ, vuæ pendulæ dulces, flores buglossi: iucunditas, & lætitia & croci modicum: cætera mitte loqui. Carpento veharis, nec onera tolles, nisi exoneratus: saccharum mihi nunc vtile est, & quandoque poma odorata, cocta sub cineribus, necessarium est edere ad leuandas curas, & somnum prouocandum. Alui deiectionem ob tertiam negligere, aut ob pudorem illam non exonerare, tria maximè incommoda afferre, experimento comprobauimus: primum si fuerit materia leuis vt bilis, tormina, & coli dolorem, & ileum quandoque excitare solet: atque inde mortem. Secundum est quod iecur trahit alimentum prauum, atque hoc est pessimum, & perpetuum, adeò vt nihil deterius contingere possit, quod enim cupit excernere cùm prauum sit, exsugere cogitur, atque ideo obstructiones & corruptiones, & erosiones sequi solent. Vnde sequenti die tormina. Tertium est detrimentum capiti ex vaporibus, vertigines, obstructiones, obliuio, & quandoque deteriora his, sic & vomitus, & ciborum auersio, atque eiusmodi. Si verò vrina retineatur, minus est periculum: quandoque tamen adeò distenditur, vt non possit postmodum illam excernere: & omninò vesica redditur imbecillis. Et si vesica, & vrina sunt secundùm naturam, detrimentum minus est in retentione ad horas ferè duas: sed si diutiùs differatur, deterior est retentio vrinæ, quàm fæcum, vel etiam si vitiosa sit vrina, aut vesica aliquo morbo laboret. Rarò enim vrina transit ad insensilem retentionem. Fames autem sumpto cibo pauco semper post tempus cessat: deiiciendi autem aluum voluntas plerunque non semper. Fæces tamen si retineantur, & sint aut siccæ, aut mediocres, siccari consueuerunt. Verum retentio sudoris nunquam fit sine magno malo, & præsertim in frigore: succedunt enim febres, & persæpè phlegmones cùm quis sudare volens, aut sudans iam frigori se exposuerit. Retentio etiam vomitus est deterior, & lancinat ventriculum, & retinet, quod nonnunquam est lethale venenum. Porrò paucus cibus minimè nocet ventriculo, quod ille sibi concoquat, quinimò melius ab eo se habet, quod superfluo labore leuetur, nec cordi, aut iecori: cor quidem trahit ad se violenter, quicquid est in corpore boni aut iucundi: iecur ob alimenti copiam, scilicet sanguinis, quinimò & ipsum cura quadam vt ventriculus superflua leuatur: neque ergo ex inædia paucorum dierum, neque ex multorum, non graui læduntur cor, iecur, aut ventriculus: Ventriculus tamen si nihil omninò assumat, læditur.

Cap. 14 in initio fermè.

Negligere deiectionem alui, quæ mala pariat.

Vrinæ retentio minus periculosa, & quando magis.

Retentio sudoris semper mala

Vomitus retentio deterior.

CAPVT XLII.

Breue quoddam compendium, de omnium ætatum victu in generali.

CVm sint maximæ corporum differentiæ quatuor, alia enim simpliciter sana, quibus nihil est quod obsit, non ætas, non natura, non externa, velut casus, aut error: alia quibus ætas duntaxat, velut senes, alia quibus temperatura, aut mala compositio bellum indixit, alia quæ vel casu, vel errore vitæ, aut in morbos, quibus decumbere coguntur, aut cum quibus etiam consueta munia obire, vt cæcitas in altero oculo, leuis vrinæ vrigo, hernia, aut nihil horum, sed parati ad morbos ex quacunque causa sunt, velut morbo regio laborantes, vel malo habitu, vel imbecillitate vētriculi non solùm in omnibus his, sed etiam in sanis, plurimum potest viuendi ratio, atque casus. Non enim ægrotamus, non morimur ante extremam senectutem, nisi natura à malis euicta. Euincitur autem violentis quandoque casibus, vulneribus, ictibus rerum grauium, seu dolore, labore, frigore, inædia, crapula, venenis, cibis, qui subigi nequeunt, vt leguminibus, ac radicibus, aut semiputridis, velut fungis, & carnibus, aut piscibus, seu fructibus obsoletis, in quibus plerunque malus sapor, & odor deprædhenduntur, aut semicocti, sed & valdè acribus, acidis, crassis, lentis, aut duris, aut vetustate exesis, vt etiam pane mucido, sed præter omnia vino plurimo, atque potenti, quod cerebrum petit, ac neruos, & totum sanguinem mutat. Præterea venere, in senibus præcipuè, vigilia, curis,

Corporum quatuor maxima differentia.

Nota. A quibus natura nostra vincitur.

curis, ira, tristitia, timore. Si ergo quis talia præcauere potuerit, & in horum possessione diu manere, tam certus esse potest de incolumitate, & longa vita, quàm quod aduentum solis æstas consequetur, modo nihil incommodi maioris iam in corpore antea contraxerit. Quod si homo ægrotet, necesse est vt corpus à causa aliqua illi inimica percellatur, quod si percellitur, oportet ipsam causam, aut potentiorem esse corpore, aut diuturnam esse oppressionem. Valeant ergo qui administrationes, opes in solertia, & hominum auxilio posita esse credunt nostram salutem aut in casu, nisi eò rem deducas, vt casus afferat violentiam, quod etiam in opibus, & administratione facere sæpè solet. Cauendum est igitur ab his causis, quæ nos subigere possunt: & maximè his, qui iam malam contraxerunt corporis habitudinem, sed & cauendum ne contrahant, quantum fieri potest. Et plerũque errorem iuuentutis sequens ætas pœnas luit: vnde ab initio assuescendum moderationi, ex qua non solum saluti corporis contulimus, sed famæ, bonis, & gratiæ apud Deum, tum etiã animi virtutibus. Cùm itaque puer sex annos vel circa habuerit, præceptori tradendus est, qui eum doceat, in quo etiam gradatim est ordinandus, nec in scholis quotidie morari cogendus, nec vinum ei bibendum detur, vel in exigua quantitate, vt suprà diximus, sed aqua frigida, dulcis & bona, & non turbida, & præcipuè si calidæ fuerit temperiei: & hoc modo regendus est vsque ad annum XIIII. deinde regimine sanorum regatur, nec medicandi sunt pueri forti ventris solutione, vel minutione, & custodiendi sunt ne multum de mellis confectionibus, ac fructibus comedant, ne ægritudines multas incurrant. A lacte, & caseo, ac crassis nutrientibus remoueantur, ne lapis in eorum vesica gignatur, & multum nutrientibus, nec cibos sumant, donec prior concoctus sit. Et cum XII. fuerit annorum, tunc exercendi sunt in his, quibus sunt docẽdi. Et cùm iuuenes facti fuerint, ab acutis infirmitatibus sunt custodiendi, eos minuendo, atque eorum ventres soluendo, & cùm apparuerint signa, statim occurratur, antequam perficiantur morbi. Et ideò dicebat Haly. [Iuuenum corpora cum iam vltimum attigerunt terminum, & augmentationis statum, ideóque superfluitates in eis augentur, & congregantur, morbíque festinant in eos propter repletionem.] Hoc enim tempore cibus non occupatur in dilatando corpus, & augendo sicut prius, & virtus eorũ patientior est morborum, & in pluribus fortior, ad expellendum eorum causam, vnde oportet exercitium indiri moderatum, & consuetum, nec multum, calorem solis obuient. In aqua temperati caloris se balneent, æstate verò aqua frigida, dulci, & suaui. Cibos caueant calefacientes, choleram generantes, vt allia, cæpas, sinapim, & similia, nec plus comedant, quàm concoqui possint: frigidos autem assumant pisces recentes, hœdinas carnes cum frigidis condimẽtis decoctas, vinum libant nec multum, nouum, nec vetus, mixtum aqua frigida, nec famem multum tollerent, ne bile os ventriculi afficiatur. Sitque tandem eorum regimen, iuxta quod expedit naturali eorum temperamento, cuiusque quatuor anni temporum, etiam verecundia in iuuene bonũ est signum, vt Cicero testatur secundo de officiis. Prima adolescentium commendatio proficiscitur à modestia, tum pietate in parentes, tum in suos beneuolentia. Et Seneca. Adolescentem probo, in quo est aliquid senile. Caueant ab immoderata libidine, libidinosa enim & intemperans, adolescentia affectum corpus senectuti tradit, nec in robore, ac flore iuuentutis confidendum est, quoniam illa ætas multò plures habent mortis casus, quàm senectus: faciliùs enim in morbos adolescentes incurrunt: iuxta Hippocratis dictum. Grauius ægrotant, & difficilius curantur, & hinc est quod pauci veniunt ad senectutem. Quare longè melior est in senibus conditio, quia quod sperat adolescens, iam consecutus est senex, & quanquam id quod preterijt effluxerit, hoc tamen remanet, quod virtute, & rectè factis quisque consecutus est, & grauior est etiam mors iuuenibus repugnante natura, senibus verò leuis, quia sponte venit, & nulla vi adhibita, & ob id dixit Iuuuenalis.

Nunc mihi qui suades: post damnum temporis, & spes
Deceptas; festinat enim decurrere velox.
Flosculus angusta, miseraque breuissima vita,
Porrò dum bibimus, dum serta ei vnguenta puellas
Poscimus: obrepit non intellecta senectus.

Quapropter non immeritò cecinit Ouidius.

Igitur ô iuuenes, dum vires, annique sinunt tolerare labores.
Iam veniet tacito curua senecta pede.
Ventura memores iam nunc estote senectæ.
Sic nullum vobis tempus abbibit iners.

Senes ergo calefacienti, ac humectanti regimine sunt tractandi, ideóque habitare debent in aëre non sicco, sed simili verno, & si virtus eorum debilis sit, equitent & ambulationem minuant: si verò fortior sit, deambulatione vtantur, non tamen quæ fatiget: atque balneo aquæ dulcis tepido vtantur, & comedant cibaria calida, & humida, facilis concoctionis, & fugiant acria, pungitia, & quæ sunt difficilis concoctionis, & bilem, phlegma, ac melancholiam generant. Et qui valdè senes sunt, pluries in die cibum assumant, & paulatim cum natura debilis copiã cibi semel assumpti conficere nequeant, & ventrem mollem procurẽt, ac coitum, & animi accidentia fugiant, & præsertim immoderata. Et quia vt plurimum quod colligitur in corpore senum phlegma est, ideo bonum est aliquando vti subtiliantibus, & incidentibus phlegma, & somno prolixo vtantur, vel saltẽ diuturna mora in lecto. Præterea confert antequam surgant frictio temperata in quantitate, & qualitate, postea equitent, vel incedant. Vinum clarum, & subtile, & aqua mediocriter mistũ, ac temperatè bibant. Si enim hoc modo regantur, possibile est vt ad albarã tardè perueniãt, nec eorũ corpora deijciantur.

Nota. *Puer quomodo regendus.* *Iuuenes quomodo custodiendi.* *Nota.* *1. Aphor. 12.* *Senum conditio melior.* *Senes quomodo tractandi.* *Valdè senes.*

FINIS.

HIERO



HIERONYMI CARDANI, CONTRADICENTIVM MEDICORVM LIBRI DVODECIM.

Amplissimis, Prudentissimisque, AC HONESTISSIMIS CÆSARIS SENATORIBVS MEDIOLANENSIBVS.



I quo olim, PATRES CONSCRIPTI, *in coronandis certatoribus tota Græcia, nunc mortales omnes iudicio vterentur: certe nullum aut admodum paruum, in eligendis viris errorem admitterent: Neque enim opinione quenquam, aut vulgi studio, sed quem exitus ipse victorem cursu, luctáve, seu pancratio ostendisset, coronabant: cum nec sensibus ipsis firmius, nec experimento clarius, nec euentu ipso maius testimonium haberi posit. Quo fit vt qui his confidunt, non famæ leuitati, non inuidorum calumniis, sed rebus ipsis velut in Solis luce, manifesto se exhibentibus, inniti videantur: ac ea de causa, iustissimam soli posse ferre sententiam. Quòd si in tam leuibus causis, tantum diligentiæ antiquitas impendere solebat: quid rogo in his deligendis, qubus sine, hominum genus nullo modo, aut saltem non commodè viuere potest? Dico autem professores, ac medicos, in quorum arbitrio, eruditio, vita, ac valetudo, tum opes ipsa, summa mortalium bona, posita sunt. Et quanquam in his constituendis, maxima semper laus vestra fuerit; nulla tamen maior esse potest, quàm vt à vobis eruditi eleuentur, tueantur, ac foueantur. Etenim beneficium vestrum, quo sanctißime non solum, sed etiam prudentißime patriam nostram gubernatis, quamquam ingens sit, ac admirabile: non tamen regni fines, non seculum hoc excedere potest. Et vt penè dixerim, etiam cum ipsa vita extinguitur. At si bonis literis manus vos ipsi dederitis, incredibile est quantam vtilitatem mortalium generi afferatis, quàm longe, latéque pateat vestrum hoc liberalitatis atque prudentiæ testimonium. Neque enim ætas vlla doctorum virorum monumentis iniuriam afferre potest, nec vlla prouincia illis carere velit. Denique si ad laudem res etiam referri debet: quàm illustrior est Stagira vicus pusillus, ob vnius Aristotelis laudem, multis Macedoniæ non solum, sed etiam Asiæ magnis vrbibus? sic Pergamus, sic Cous, atque aliæ multæ sapientum virorum patriæ, solum nomine celebres. Ergo quonam pacto id facere licet, nisi prius in electione antiquos, ne aberremus, imitemur? Deinde electionem ipsam*

fauor vester consequatur. Sed si alterum horum deficiat, nihil proficitur: electionem consilium iuuat: in exequendo opus est voluntate. At in consilio experimentum iam tutissimum esse ostendimus. Experimento doctorum virorum quatuor sunt necessaria: horum maximum est, vt legenda scribere norint: proximum huic vt profiteri ac docere sciant: tertium vt exercitatione valeant: vltimum vt disputationibus sint assueti; hæc autem sic se habere vel discendi ordo docet; nam vt primum in scholis proficimus, disceptare adolescentes incipere solemus; vbi verò eruditiores euasimus, & ætate confirmati, exercemur opere in ipso, medendi, aut causis patrocinandi; at publice profiteri feliciter, paucis admodum concessum; verum legenda scribere, rara auis est: quamuis multi scribant, argumentum potius stultitiæ suæ, quàm quæ alij inspicere dignentur; hoc autem ideò est, quòd qui scribunt, doctos docere debent: qui profitentur, adolescentes & inexpertos: ergo tanto difficilius est, bene scribere, quàm bene profiteri, quanto docti eruditione adolescentibus nuper initiatis præstant; tum præsertim, cum etiam inter coæquales inuidiæ stimulus repugnet; ob id mortuorum tantum labores extollunt: nisi quid adeò excultum sit, vt liuoris tentiginem, verecundia ob operis ipsius excellentiam, contineat. Itaque si vnquàm alios huius tam pulchri facti desiderium tenere potuit, vos maxime nunc Patres Conscripti solicitare debet; nam præter rei ipsius magnitudinem, in qua hominum saluti prospicitur, quæ tanto etiam regum ipsorum potestate maior est, quanto maius est posse vitam dare, quàm eripere: præter pacis tam diu à vobis desideratæ insperatam alacritatem, & florentissimam tot librorum copiam: ac tantam hoc æuo linguarum notitiam: tantamque è diuerso eruditorum virorum penuriam, vt vix vnus aut duo Itali totidemque Germani temporum calamitati nunc resistant: eo etiam in Italia nuper extincto, quem longa exercitatione eruditissimum quisque merito existimare certe debuit: maximum accedit ex vestra promptitudine & singulari virtute in fouendo, ex eruditione in eligendo commodum; quorum altero fermè omnes, ambobus etiam plures non hoc tantum seculo, sed multis etiam ab hinc præteritis, caruere. Nempe præter præsidis vestri egregiam laudem, ante acta vitæ illustria facta, senectutem virtute adeò virentem, quisque è vobis tam claris animi dotibus insignis est, vt notissimus vel ob singulos, Europæ toti, vester iam ordo sit. Quod nisi timerem, ne apud multos metam excessisse vestræ laudis viderer: quod extra mei propositi certe intentum erat, nunc silentio præterijssem; verum cum adulationis calumniam grauem, non nisi leui calumnia alia effugere possim: paucorum senatorum conditionem sic exprimam, vt intelligant omnes quales reliqui sint: qualisque esse debeat is, qui meruit vt vobis præficeretur. Ergo è vobis vnus fuit Franciscus Sfondratus: in Gymnasio professor: in Reipublicæ administratione nulli secundus: nunc Cardinalis: exemplo ostendens summam etiam eruditionem, & apud principes ac populos gratiam pietati ac religioni non præponenda, sed ornamento esse debere. Proximus ab eo ordine, sed è vobis vnus ille tamen est Franciscus Taberna, memoria, prudentia, experientiáque tranctandi regni, tum legationibus ac magistratu cum summa fide coniuncto clarus. Fuit Baptista Spetianus vir toga & armis clarus, iustitiæque præfectus: non vulgari Latinæ Græcæque linguæ, tum iuris peritia insignis, impiger, iustus, & in amicorum officiis indefessus. E vobis est Andreas ille Alciatus iureconsultus, patriæ non solum nostræ, sed æui etiam maximum ornamentum. Mitto nunc Io. Angelum Aricimboldum Nouariensem Episcopum, academiæ moderatorem, humanitatis singularis: Egidium Bossium, scriptis suis, memoriam familiæ secum posteris commendantem: Philippum Castellioneum atque Amanium, Barbauariam Rigonum sapientissimos viros: tresque cognomines inclytos Lampugnanum egregium, Casatum optimum & integerrimum, Crassum illum, orando cognitum, Cæsaris laudibus, vel potius panegyrico. Inde Alexandrum vicecomitem, Ioannem Varaonam virum iustissimum, Iacobum Piroanum clientum patrociniis, legationibusque ac in patriam officiis clarum. Petrum Antonium Marlianum, qui auitam gloriam, dignitate superauit. Illustrem Symonetam, Falcuuium, Schicium, Marcum Barbauariam, Nicolaum Bellonum, omnes virtute & sapientia insignes. In quorum fide & innocentia spes omnis patriæ nostræ, in administratione salus positæ sunt. Quamobrem merito quisque dubitauerit, plusne in mortuis beneficij, an in senioribus vtilitatis, an in iuuenibus spei sit collocandum. Multos etiam scio esse alios absque toga illustres: qui vt nulla inuidia à me nunc prætermittuntur: sic moderatius quoscunque laudaui eos, quibus vterer familiarissime. Igitur

ſime. Igiturne temere in vobis ſpem meam collocaſſe videor, cum etiam in aduerſis temporibus adeò conſtanter rem literariam foueritis: in dijudicando hominum ingenia, eruditionem, exercitationem, præſtantiam, mente veſtra inter mortales nihil poſſit eſſe diuinius? Quamobrem illud potius cogitare mecum decuit, quonam pacto vel voluntate ſaltem, erga talem ordinem gratus viderer; & quanquàm difficile eſſet liuorem effugere, cum tamen poſteritatis recordatio occurreret, illud poëticum ſuccurrebat:

Virtutem incolumem odimus,
Sublatam ex oculis quærimus inuidi.

Neque tamen vel ſic, fortunæ meliorem conditionem in dies experti ſumus; eoque magis gloriam ſpreuimus, quo plus, turbam hanc ſolo nomine ſapientiæ turgidam liuoris ſtimulis agitari ſentiebam; legeram enim apud Galenum olim, quot quantáque ab æmulis Romæ paſſus eſſet; quare quicquid minus illo ab eis perpetior, æqui, bonique conſulo; non enim ignoro, vel in arte noſtra inuidiam, vel imperiorum conſpirationem aduerſus eos, quibus ſe pares eſſe non putant. Quamobrem nec artem ob id deſerere, nec illos ob calumniam vlciſci æquum duxi. Sed felici quadam inimicorum omnium, tanquàm nullius pretij hominum, obliuione fretus, ad mortalium commoda me conuerti; ſimul etiam ſperans eos qui non omnino eſſent inſanabiles, his noſtris laboribus, in ægrorum commodum poſſe iuuari. Nihil enim cum ſit eruditis difficilius, & in opere ipſo præcipiti præſertim occaſioni coniuncto periculoſius ſententiarum contrarietate: operæ pretium fore exiſtimaui, vt quæ vtiliſſima eſſent, aut ſcitu iucundiſſima, in vnum conferrem, ſi quando in eis celebres autores diſſiderent. Sed cum opus immenſum euaſiſſet, in duodecim libros illud diſſecui, vt ſic minus mihi eſſet laborioſum, & legentem adeò non fatigaret; & quanquàm laboris ac temporis non parum impenderim: credo tamen his, non inferiorem mortalibus futuram ob hæc ipſa vtilitatem. Cum enim diu, ac bene viuere, id eſt inculpata valetudine, hominibus ſint præcipua huius vitæ dona: in horum altero aliquid non contemnendum, in reliquo etiã magnum præſtitimus auxilium in quibus enim ſumus ſcopum aſſecuti, in his deſiderio nihil relictum eſt; vbi aſſequi non licuit, anſam præbuimus vt alij qui non tam facile perficere poſſent negotium, quàm neceſſariò etiam qui doctrina præſtant, aggredi cogerentur; vnde in vtroque conſilio & capeſſendi, & complendi vtilis illis ero. Verum qui ante nos fuere, quàm leuiter atque oſcitanter hæc tractauerint, præter vnum Conciliatorem, ac in diſſectione Veſalium, in paucisque admodum aliis Fuchſium, cum Ferrarienſibus, non eſt cur recitem, vix enim vel verbo à reliquis omnibus adiutus ſum, atque vtinam non plus in legendo iacturæ, quàm in ſcribendo commodi eſſem conſecutus. Et quanquàm longe facilius, quorundam more, antiquorum opinionibus acquieſcendo, hunc, tum cæteros libros abſoluiſſem: quia tamen ſeriam nimis rem agimus, & in qua vita hominum periclitatur, non philoſophorum nugæ aut præcepta oratoria, diligentius in ſingulis, cum res id poſtulat, rationem euidentem requirimus. Nam quod ad Arabes attinet, cum falſas Galeni plerunque ſequantur interpretationes, cæcutire etiam in manifeſtis, quod & alij ante nos animaduerterunt, luce ipſa clarius eſt. Hippocrates conciſus, & ob id vetuſtate etiam ſuſpectus in multis, in aliis exeſus, ſæpe plus nobis affert negotij, quàm auxilij. Paulus perbreuis eſt, & nihil fermè extra Galenum adducit. Aëtius varius, ac quaſi ex pugnantibus conſtat: cum eos ſequatur, quos iam Galenus damnauerat; & ſi in eo etiam iudicium probemus, nullam tamen dictorum ſuorum rationem oſtendit. Oribaſio melius eſt carere, niſi etiam quicquid nunc vſque habemus boni, quod tamen quidam facere ſolent, in controuerſiam reuocare velit; Latinis quorum Celſus princeps eſt, nulla eſt autoritas, niſi pro nominum interpretatione; vnica igitur in Galeni iudicio ſpes relinquebatur; ſed huius etiam maxima operum pars, antiquitate intercidit: & quæ ſuperſunt ſæpe euariant: & ipſe, vt exiſtimo, cum medendo plurimum occuparetur, ac multa ſcribere vellet, non ſatis ſibi conſtat; cuius rei euidens eſt teſtimonium, quòd toties de eadem re ſcripſerit; quorſum enim ad eundem ſæpius redire laborem, niſi quemadmodum etiam Sueſſano, & quibuſdam aliis accidit, quæ prius ſcripta eſſent, iudicio proprio damnarentur? Sed vel ſic tamen, poterat nobis omnis litis eſſe voluntarius iudex, ſi non in diſſectionibus liquidò apparuiſſet, conſtanter illum tanquam viſa, contradicendi ſtudio affirmare, quæ nec vidiſſet omnino, nec vera eſſent: vt iam nos non Veſalio credentes, ſed oculis noſtris, non de iudicio, quod ſæpe contigerat, ſed de fide dubitaremus; quamobrem illius præceptum, quo contra

alios

Antiquorum censura

alics vtitur, secuti, quæ dubia visa sunt, rationibus subijcere tentauimus; iniustum verò duxi, si id in medicorum Principe ausus essem, in aliis autem omitterem ob negligentiam. Quare in cunctis ratione duce præter etiam autoritatem vsus sum: vt si ea cum illorum sententia consentiret, firmius esset iudicium: si repugnaret, nostra opinione recitata, integram lectoribus eligendi quæ magis placeret, facultatem relinquerem. Quòd si quis queratur; non me tam expresse aliquando declarasse quæ sentiam: breuitatis id sciat esse vitium, non voluntatis. Solent enim quidam nostra ætate, quod etiam Pomponatius iure reprehendebat, quatuor ex inuentis, totum vnum volumen, atque id etiam ingens velle conficere; quod cum mihi consilium absurdum maxime displiceret, effecit, vt aliquando breuior euaserim quàm vellem. Sed tamen nulla in parte, quamuis vel diuisus, vel etiam paulò obscurior, sensus non patet. Hoc igitur qualecunque fuerit munus vobis dedico Patres Conscripti, atque etiã mitto; quod si pro vestra dignitate exiguum est, non aliter melius vestræ humanitatis, & meæ de vestra moderatione confidentiæ, exemplum patere poterat; & sit modo quantumcunque pusillum, non tantum pro viribus meis quæ maius efficere non possunt, sed etiam pro voluntate quæ erga vos prona est, magnum fiet; cumque etiam vel vnus homo, huius libri beneficio in vita seruatur, contemnendus esse non potest. At non vnum, nec mille, sed innumeros, non solum præsenti æuo, sed etiam in posterum, diremptis his litibus seruandos, haud dubie spero. Cæterum cum vos amplissimis obstrictos negotiis sciam, ne longa oratio tædium cum impedimento afferat illud tantum cum addiderim, rogare me Deum Opt. Max. quæ, vt vos sospites Ca[illegible] patriæque nostræ, quam inter tot temporum procellas, calamitatesque, illi ac nobis, vestra cum sapientia, & animi candore seruauistis, quandiu esse velit: paucula que ad lectorem ipsum pro operis introductione præfatus fuero: rem ipsam aggrediar. Valete.



AD LECTO



AD LECTOREM.



NE te forsan, Lector curiose, aut admiratio teneat, aut desideriũ torqueat, cognoscendi argumenta cæterorũ vndecim librorũ: tum præsertim cum tot tantáque videantur hoc in primo contineri, vt vix ei qui ordinem non inspiciat reliquorum, verisimile videri possit totius operis hanc tam minimam esse partem: breui descriptione hic illa subiunxi; simul etiam vt intelligeres hunc librum vt & omnes alios eius argumenti, seorsum posse legi: tum etiam cum cæteris in ordine collocari; pateretque ratio qua tot tamque diuersa iure merito in vnum librum concurrere iungíque potuerint. Ergo primus hic liber primam partem habet Aphorismorum, initiumque secundæ, tum primi medicinalis artis quæsita, & si quainter legendũ proxima illis nobis occurrerunt. Quod etiam genus in reliquis ἐπίφυσι scribendi seruauimus. Secundus habet secundum & tertium medicinalis artis librum: postremasque Aphorismorum quinque sectiones: cum eo toto quod ex secunda derelictum erat. Tertius verò continet totius primi libri Auicennæ contrarietates: his exceptis quæ ad dissectionem pertinent: & ad conseruationem sanitatis: quæ in tertia eius particula descripta est. Manifestũ est igitur ad hanc pertinere libros de elemẽtis Galeni: de humana natura: de Naturalibus facultatibus: cęterosque eiusdem, vt dici solet, farinæ libros. Atque sic trium lectionum circularem ordinem absoluimus, quæ matutina hora solent legi. Quartus autem continet primam particulam quarti libri Auicennæ; atque cum ea libros de Differentiis febrium: primum ad Glauconem: decimum ad Almansorem. Quintus verò nonum ad Almansorem: totum tertium Auicennæ librum; libros Galeni de locis affectis: & extremos artis curatiuæ libellos, & continentia omnia fermè ipsius Rasis. Atque hoc modo duas lectiones quæ alternatim legi solent hora vespertina, tanquam ordine præcedentes dissolutis difficilioribus disputationibus compleuimus Supererat & dissectio, quam etiam solent publicè in academiis profiteri, ei igitur. Sextum librum dedicauimus. Manifestum est autem quòd libri de Vsu partium & Anatomicarum administrationum, & Vesalij, ac aliorum huic contemplationi debentur. Septimo verò quicquid in quinque vltimis continetur particulis quarti librì Auicennæ subiunximus; habet igitur & secundum ad Glauconem: & de venenis tractationem, & chirurgiam totam; tum libros Hippocratis cum Galeni commentariis de iis quæ in medicatrina, de fracturis & de articulis. Octauus secundam particulam quarti Auicennæ habet: pronostica prorrhiticáque, & quæcunque ad medicinæ partem coniecturalem pertinent. Nonus simplicium medicamentorum difficultates continet; manifestum est autem luce clarius quos ille antiquorum libros amplectatur; vbi etiam de Manardo & Leoniceno non pauca habentur. Verum Decimus habet quintum Auicennæ librum; libros etiam decem de medicamentis secundum locos: & septem de medicamentis secundum genera: de Theriaca vtrosque: de Antidotis. Vndecimus autem habet libros de Alimentis, de Tuenda sanitate; omniáque quæ vel ad conseruandum sanos: aut neutra præseruanda aut etiam restauranda pertinent. Supererant præter hæc plura quæ adeo varia & incerta erant, vt vix in vnum ordinem redigi possent, vt libri Epidemiorum & magna pars libri de Victu in acutis: libri Hippocratis de morbis: aliíque innumeri: quos omnes in vnum atque eundem duodecimum & vltimum redegimus. Erat & eiusdem argumenti liber, in quo Auerroës medicis penè omnibus contradicit. Sed hunc vt Auerroëm, vbi defendi meretur, tueri possemus septem libris quibus eius septimum librum exponere decreueram, ita immiscui, vt non dissimilis ab aliis videatur.



LIBRI PRIMI

PRIMVS TRACTATVS.

CONTRADICTIO I.

Vita hominis an breuis.



VITA hominis breuis est, ad artem medicinæ experimento discendam comparata, prima Aphor. primo. Oppositum in de subfiguratione empirica; Ex multis experientiis; & clarius in tertio Proretici videtur Hippocrates ex singularibus experimentis vniuersalia præcepta & artem ipsam collegisse. Non possum in hoc tot expositorum stuporem non admirari, volentium vitam esse breuem in comparatione ad artem, vt vno verbo tres errores faciant. Primùm præsupponunt, quòd ab Hippocrate probandum fuisset, scilicet quòd ars esset longa, in comparatione ad hominis vitam. Fundamentum autem rationis debet esse vel sensu manifestum, vel ostendi. Secundò, si vita est breuis ad artem comparata, igitur aut oportuit addere, quòd ars sit longa: nam si est longa in comparatione ad vitam, est indignum aphoristica breuitate: est enim ac si diceret, Vita est breuis, in comparatione ad artem, quæ est longa, in comparatione ad vitam; quid absurdius dici potest? at verò si vita est breuis, est in comparatione ad artem, & ars par se longa: tunc sermo est incongruus, vt in primo loquatur comparatiuè, in secundo non: eademque particula Ars longa, habebit duplicem sensum. Particula δὲ, quæ est, autem, seu verò, cùm sit aduersatiua, non facit vt referantur tanquam coniunctum. Tertium est, quòd istud esset auersari auditores, & abigere lectores ab arte, essetque hæc pulcherrima ratio prooemij: esset enim ac si diceret, vita hominis ad artem medicam comparata breuis est, vt nunquam totam possit addicere. Respondent ad hoc qui melius intelligunt, quòd vita humana breuis est in comparatione ad artem experimento sine literis discendam: cuius sententiæ est Rasis 4. ad Almansorem cap. vltimo. Verùm non respondent hi autoritati Galeni in Proretico, nec aliis satisfaciunt argumentis. Propterea dico, quòd non tam callidè loquitur hîc Hippocrates, sed voluit dicere, quòd simpliciter sonant verba, quòd ars est longa in comparatione ad alias, vt colligitur à Galeno in libro cui titulus est; An ad medicinam an ad gymnasticá seu exercitatoriam pertineat tueri bonam valetudinem. Reddit autem rationem primo de Crisi, quomodo dicatur ars longa ab Hippocrate, dicens, Si per vnum signum, vel per plura etiam, firmiter de exitu morbi coniecturam facere possemus, non vtique Hippocrates artem longam fuisse dixisset: quasi velit, longa experientia, & multorum consideratione artem longam euadere. Vita verò breuis dicitr per se, vt etiam à Poëtis scriptum est: Labitur extemplo fallitque volatilis ætas, vel forsan ad id Hesiodi de comparatione attamen alludit.

Com. 33.

Ergo sensus est: Vita existente nostra breui, & arte longa per se, tamen maximè si experimento discatur, cum occasio sit fugitiua, seu præceps, & iudicium difficile, bonum est artem scriptis, & quambreuissimis etiam mandare, vt eam commodè possimus in tempore opportuno exercere. Nec tamen negat, quin quod ipse fecit, artem iudicio & experimento possit inuenire etiam alius.

Sed contra Galenum in libro de Medico, hæc habet verba: Perfectam autem medicinam & quæ propriis esset partibus absoluta, eam si quidem quæ diuina esset, solus inuenit Asclepius. Sed hic liber Galeni genuinus non est. Sed in oppositum videtur autoritas Galeni qui bis in commento repetit hoc, quòd ars est longa in comparatione ad vitam: primò in initio, secundò post medium. Dico, non est dubium quin id Hippocrates intendat concludere: & est, si vita nostra breuis est & ars longa, non erit sufficiens homo solis experimentis aut magna cum difficultate artem medicam totam discere. Nec tamen conclusio silentio prætermittitur, sicut & reliquum, quòd scribenda sit ars, vel quòd breuiter scribenda sit. Et de hac conclusione Galenus loquitur, nam demonstratio ipsa ad hoc tendit.

CONTRADICTIO II.

Hyeme an cibi calidiores conueniant.

VEntres hyeme & vere natura calidissimi, prima Aphorismorum XV. Concludit etiam vberiorem cibum dandum hoc tempore. Dicit etiam Galenus, plus de optimo sanguine hoc tempore generaliter, scilicet in hyeme quàm vere: quia calor naturalis robustior est. Huic tamen Aphorismo multa contradicunt, primóque Aphorismus secundus tertiæ particulæ: Naturarum hæ quidem ad æstatem, hæ verò ad hyemem benè malè vt se habent. Vbi manifestum, quòd non omnibus hyemes confert: non igitur omnibus

omnibus calor naturalis augetur, nec melior celebratur concoctio.

Respondetur, quòd secundum Galenum in commento. 15. Aphor. primæ particulæ, intelligitur in hominibus habentibus validum calorem: nam in debilibus calor naturalis extinguitur, non roboratur: & dat exemplum de animalibus etiam quibusdam, quæ tota hyeme dormiunt. Ad quod facit quod scribitur in tertia particula Aphor. 18. Senes æstate melius se habent: consistentes verò hyeme. Vbi etiam Galenus cōtradicere videtur Hippocrati dicenti, Senes autumno vsque ad aliquod melius habere. At Galenus dicit omnes ætates male se habere autumno. Soluitur hoc incidens ex superioribus Galeni verbis, quòd ab Hippocrate hoc additum est, sicut etiam de prima æstate, quæ quasi verisimilis est: sic etiam de autumno æstati simili in priore parte. Sed redeo ad priorem contradictionem, nam duæ exurgunt difficultates: Prima, quòd pueri melius vere quàm hyeme se habent, vt ibi dicitur: non igitur melior concoctio fit hyeme quàm vere. Item, quia Galenus in commento 2. tertiæ particulæ dicit, quòd pituitosiores natura melius se habent æstate quàm hyeme, quia non augetur consimilis humor: contrà biliosiores hyeme. Igitur non fit collatio ad multitudinem caloris, sed ad habitum naturæ. Item videntur humores ex hoc textu temporibus similes generari: quod etiam colligitur in libro de Victu priuatorum, & prima Aphor. 2. in commento, & primo etiam de Humana natura. Ad hoc dico, quòd aliud est comparari corpus quoad alimentum solum, nam sic omnia corpora non debilia melius se habent in hyeme, quia melior celebratur concoctio. Possunt etiam cōparari ad immutationem quæ ab aëre continente fit: & ad hoc dicit Galenus: Temperatam, seu ad ætatem, seu ad naturam referatur, simili gaudere: inæqualem autem sua contraria. Sed & præsenti Aphor. contradicere videtur quod in primo de Victu priuatorum à Galeno scriptum est sectione tertia: Vtendum fore sicctoribus alimentis & calidioribus, quasi velit plus eo tempore de pituita gigni. Sed hoc clare in primo de Humana natura, t. c. 34. & 38. exposuit Hippocrates, volens plus hyeme generari de pituita sicut æstate de bile: quam difficultatem videns Galenus in commento 38. excitat contrarietatem cum præsenti Aphorismo, soluitque eam duobus modis. Imò potius duas rationes adducit, quarum altera est, quòd hyeme vtimur cibis frigidioribus, humidioribus, & durioribus: datque exemplum de nouo vino, tum etiam de rapis, bulbis, agninis, ac suillis carnibus Altera est, quòd vel ob iter, aut vestiū penuriam, aut incuriam, homo ab exteriori frigore persæpe læditur: & si non lædatur, tamen (dicit) aër attractus per oscula cutis vitiat venas: ideóque quantumuis absoluta in ventriculo coctione (dicit) in iecore læditur. Quid tamen si quis horarios fructus æstatis obiiciat: Respondeo breuiter: Calor naturalis in hyeme melius concoquit, generat tamen humidiores humores, scilicet sanguinem, & & pituitam: vnde si frigidioribus alimentis augeatur pituita & humidioribus vtrunque in magnam incidet corpus intemperantiam. At verò æstate, quamquam non melius concoquat, plus tamen de siccis humoribus progignit: ideóque humida tutius exhibentur. Longe autem differt, calidiores gignere humores, aut melius concoquere: & similiter calorem esse maiorem, & robustiorem, vel sicciorem. Vnde in libello aduersus Lycum: Pueros abundare calore naturali copiosiore ac suauiore affirmat: tum in his præstantissimam concoctricem: Iuuenes verò non maiorem, sed sicciorem, imo minorem substantia, si ad mixtionem conferatur: quo fit, vt non tam bene concoquant, sicciores tamen progignant humores: atque ideo in æstate hoc manifestius, vbi naturalis calor minor mole, maior autem qualitate, præsertim siccitate iuncta, cernitur. Hoc autem declarabat Galenus 5. de Tuenda sanitate, c. 11. in fine. Aliud est, calorem multitudine esse maiorem, qualitate autem minorem, vt in hyeme, vnde plura concoquet, ad minus tamen calidam temperiem deducet concocta, quia non vltra proprium modum, seu gradum: Aliud, qualitate maiorem, multitudine minorem: sicque ratione paucitatis pauciora concoquet, sed tamen ad maiorem modum caliditatis educet. Galenus tamen Aphorismum Hippocratis ad solum ventriculum extendit, vt ille solus sit calidior. Sed si sic, cur plura dare cōsulit? Dico: Bilis abundat æstate, primo de Natura humana 36. tertia Aphorismorum 21. & quarta Aphorismorum 4. & sic de pituita in hyeme. Et ideo est sicut siquis haberet lebetem magnum plenum aqua, & multum ignem, & tempus ad coquendum breue, deberet tamen ponere multas carnes ad coquendum, non paucas: quia tametsi multæ illæ carnes non possint perfectè coqui, tum ob paruam moram, tum ob aquam: attamen nihilo secius si apponeres paucas carnes probè non coquerentur. Ita & si multus cibus hyeme non perfectam assequatur coctionem, ob frigus dandus tamen est: quia etiam quod paucum dares, omnino non assequeretur perfectam illam coctionem: imo persæpe minus perfectam: quàm multus: quia impedimentum non est à multitudine cibi, sed à frigore. Cæterùm quatuor modis qualitas qualitati comparari solet: Multitudine, quæ ad mixtionem refertur: Magnitudine, Vi, seu operatione substantiæ, & Modo operandi.

CONTRADICT. III.

Humor purgandus an peccet in quali, ex Aphorism. in perturbationibus ventris.

IN perturbationibus ventris, & vomitibus sponte factis, si qualia oportet purgari purgentur, confert, & bene ferunt: si verò non, contrà: prima Aphor. 2. at Gal. in commento intelligit de humore qualitate sua noxio vt etiam in sequente Aphor. at in commento Aphorismi eiusdem particulæ dicentis; Deiectiones non multitudine sunt æstimandæ, sed si qua-

 lias

lia, ibi Galenus in cõmento docet, non multitudinem ſpectandam in deiectionibus alui, ſed ſi qualia oportet excerni excernantur: & etiam ſi confert ac benè ferunt. His duobus nos contentos eſſe iubet. Igitur non vnum in altero includitur: nam ſi cùm qualia purgari debent purgantur, confert & bene ferunt: viſo quòd purgantur qualia purgari debent, conſtat quòd ægro contulit, & quòd bene fert; & hoc eſt primum.

Item omnes cùm velin vel vnam partem Aphoriſmi ex alia pendere, vel ſaltem vnam alteri ſimilem, non videtur hoc conueniens: nam non ſemper ars naturam imitari debet: quarta enim Aphor. 21. natura excernẽte deiectiones multorum, malum. Item ſecundo Prognoſt. vbi de deiectionibus agit; Verſicolor autem deiectio, & ſi longiorem ſignificat morbum, attamen exitialis eſt; at in Aphor. eodem dicitur. Cum medicamento verò melius, & quanto colores plures. Similiter morbo exiſtente ex turgente materia, licet in initio purgare, iuxta illum, atque mouere non cruda, neque in principiis, modò non turgeãt: prima particula Aphor. Et medicari in valde acutis eadem die, ſi materia turget: tardare enim in talibus, malum: Aphor. 4. Et inchoantibus morbis, ſi quid mouendum videtur, moue. 2. etiam Aphor. Et in acutis paſſionibus raro atque in principiis medicinis purgantibus vti: & tamen natura ab initio nihil tale vtiliter operatur. Vnde primo Epidemiorum, ſect. 2. t. c. 46. Cruda verò, & incocta, & ad malos abſceſſus conuerſa, iudicationis carentia, vel dolores, vel morbi longitudinem, vel mortes, aut reuerſionem indicant. Et clarius Galenus in commento Aphor. Incoantibus morbis, ſi atra bilis vel ſupra, vel infrà exierit, letale: quarta particula Aphor. Non poteſt (dicebat) in initiis morborum, cùm natura à cauſis morbum facientibus grauatur, & materia ipſa cruda eſt, quicquàm bene euacuari: ſed oportet coctionem præire, inde ſeparationem, vltimo verò expulſionem.

Reſpondeo, prætermiſſa difficultate, an intelligat in quali tantùm Hippocrates, quoniam omnis materia peccans in quanto, etiã in quali peccet: vel, quoniam omnis materia quæ extra venas eſt ſuperflua, in quali etiam peccet: non ob multitudinem ſolam, ſed quia à natura intra venas traheretur. Huius aphoriſmi expoſitionem patet vſque ad ſecundũ quartæ particulæ extendi, cùm dixit. In medicationibus talia educere qualia & ſponte prodeuntia vtile; vbi Gal. docuit per inanitionem, ſanguinis miſſionem, & exercitia, & ſputa ſignificari: quod nobis declarat primã aphoriſmi partem non eſſe ad oſtendendum ſecundam: vbi dicit. Sic & inanitio, niſi concedamus ex ſingulari poſſe oſtẽdi vniuerſalẽ. Ergo, vt ad propoſitum reuertar, Aphoriſmus de operatione ac intento primo loquitur: ideſt. Noxius humor eſt ille talis, qui debet euacuari ſeu modo quantitate ſeu qualitate peccet. Hoc eſt igitur vt qualem humorem euacuandum docet Hippocrates, ideſt peccantẽ, non tamen vt in quali neceſſario peccet, ſeu per qualitatem. Veruntamen omnis humor in quanto peccans etiam per qualitatem in comparatione ad corpus peccat. Hanc tamen expoſitionem Philoteus refugit. Stat tamen vt per accidens noceat eductio materiæ noxiæ aut propter loci conditionem, aut virtutis debilitatem, aut tempus morbi, aut ſymptoma, coniunctum.

Ad primum in Aphor. 2. conſiderat tãtùm proportionẽ qualitatis materiæ ad eductionem, cæteris circũſcriptis, introducturus initiandos arti. in 25. conſiderat opus naturę, vel artis cum omnibus conditionibus requiſitis.

Contrà, ſi confert, ac bene fert, igitur qualia oportuit excreuit æger. Reſpondeo ex Gal. eas eſſe notas optimæ euacuationis non ſolùm in quali, ſed etiam in quanto. Primam verò eſſe notam ſolùm in quali. Sed adhuc ſtat argumentum: nam ſi bene fert, & confert, non ſolum qualia, ſed quanta oportuit deiecit. Igitur dico quòd ambo hæc conſiderare oportet quia & ſi conferat, ac æger toleret, nihilominus hoc erit potius exonerata natura, quàm ſubleuata. Ideo dicebat, non ſecundum rationem alleuiatis minime fidendum eſſe: nam alia cauſa poterunt alleuiari, non ex purgatione, vt à cibo, à lætitia, à cauſa etiam ſupercœleſti.

Ad ſecundum, Medicus imitatur naturam: non tamen ex hoc ſequitur, natura ſic agendo malum finem oſtendit, igitur & medicus: quia in opere naturæ non tantùm cauſam, ſed ſignum inſpicere debemus: in opere artificis tantum vtilitatem, vel iacturam. Et quãuis natura ab initio expellente materiam nõdum coctam, ſit malum ſignum ratione materiæ, & grauitatis morbi: non tamen eſt neceſſariò pernicioſum ſemper, nec inutile: cùm ſæpe à grauioribus morbis liberetur æger. Sed in atra bile ſecus eſt, quæ non ſolùm ab initio morbi, ſed debili exiſtente ægro pernicioſæ materiæ vitium, quæ antequam concoquatur mortem ſit allatura. Et licet æger à deteriori morbo eo naturæ conatu liberetur, cum tamen naturam tam prauo humori non dominari oſtendat, quòd illa coctionem non expectet, exitium certũ declarat. Sed de hoc, in 21. contraditione 3. tractatus dicemus.

CONTRADICTIO IV.

Virtutes in homine an tantum duæ.

DVæ ſunt operationes in homine, Naturalis & Animalis: primo de Cauſis ſympto. initio: at 9. Artis curatiuæ cap. 10. ponuntur tres, addita vitali; nec eſt quod inter facultates, aut operationes, vel virtutes diſcriminis interponas. Conciliator differentia. 57. hanc vidit difficultatem, modóque vitalem ſub naturali, modò ſub animali collocat facultate, ex Galeni tamen ſentẽtia quotiens eas in duas redigit, nam tres longo proceſſu eas eſſe docet. 6. & 7. de Placitis Hippoc. & Platonis, naturalis vitalem amplectitur, cùm abſque voluntatis imperio corpus adminiſtret. in quo ſenſu primo de Cauſis ſympto. loquitur: nam arteriæ non parent voluntati, vt nec in coquendo iecur. Eſt autem neceſſarium primam diuiſionem in vnoquoque per contraria declarari: cùm verò

verò de sensu, de dilatatione loquimur, animali vitalis annectetur: sed cùm ad principia, & proprias functiones, tres illas esse dixit.

CONTRADICTIO V.

Mulsa cocta an magis nutriat cruda.

MVlsa cocta plus nutrit quam cruda. XII. Artis curatiuæ, & IV. Regim. acutorum V. & III. eiusdem. XIX. quin etiã ait, illam minus ventrem subducere: sic Gal. At è diuerso Hippocrates eodem III. lib. & XXIII. inquit nullam inter coctam ac crudã mulsam agnoscere differentiam, nisi quòd cocta pulchrior est, minusque nutrit, & minus aluũ deiicit. Est autem intelligendum, duplicem fuisse mulsam in vsu: crudam coctamque quod ex locis deductis elicitur: tum verò vt habetur. VIII. de Arte curandi: vbi docet victum illorum, qui ephemera, ex obstructione cõtra laborant. Triplex est etiã vniuscuiusque harum genus: Validum, in quo mellis plurimũ: Imbecille, quod parũ: & Mediocre, quod cõmensuratam quãtitatem habet. Sic igitur sex illius genera erunt. Dioscor. libro V. cap. IX. docet nos illud mulsæ genus quod seruatur Hidromelque, vocari solet, priuatim inter alia, habetque vires loræ ac imbecillis vini, cũ media ætate constiterit, duplo aquæ pondere melli admixto confici. Plin. lib. XIV. aliam ostendit rationem: cumque quinquẽnio eam seruari prius affirmet, quàm in vsum veniat: vel sub canis feruoribus pluuialem aquã ad tertias decoctam tertiæ parti mellis coniungunt XL. diebus in sole habentes: quam non vires sed saporẽ vini vetustate assequi ille affirmat: At Columella XIII. lib. c. XI. Mulsam & ipse crudam conficit ex pluuiali aqua diu seruata, atque depurata: minima verò portio mellis quæ adiicitur ex aquæ dimidio est, alia ex dodrante, vt solum tertia pars ad ponderis æqualitatem desit. Hæc igitur plus nutriet, quàm decocta, in quam mellis minus conniciebatur. Verùm cùm Gal. illam plus nutrire contendat, pares in vtraque mellis portiones assumit: nam ea quæ decocta est, si par mellis pondus assumat, proculdubio cruda alit copiosius: aliter cum dicat ἀσθενέστερον μὲν τοὶ γετοῦ ὠμοῦ καὶ ἀκοπρωνδέστερόν ἐστιν, hoc est: Infirmior quidem est quàm cruda, minus deiiciens stercoris: vnde ille, Minus nutritiuam, pro imbecilliore vertit: quod & si vsu vocis inualuerit, plura tamen sunt exempla quibus id minimè significet. Consentiunt autem hæc iis, quæ Gal. in 3. de alimentis scripsit. c. 39. Quod si particula α, auferatur integra cum Galeno concordia manebit: cùm ille exponens non nisi interiectis quatuor breuibus expositionis partibus, nullam contrariæ Hippocratis sententiæ mentionem faciat.

CONTRADICTIO VI.

In tenui victu an ægri magis delinquant quàm in pleno.

IN tenui victu ægri delinquunt: quo fit, vt magis lædantur. Omne enim quodcunque fit magnum, fit magis quàm in paulò plenioribus: prima Aphor. V. at contra II. Regim. acut. XXXVII. multò autem minus aduersus adiectionem eundum est. Detractio enim frugalis plerumque confert, vbi superfuturus est æger, donec morbus cõcoquatur, vbi Gal. exponens dicit. Vbi peccandum est, & à decente mensura recedendum, omnino laudabilius ad id, quod quantitate minus est potius, quàm ad id quod plus est, inclinare: nempe quod plus est, noxas interdum facit inemendabiles: verùm quod minus est, facile emendatur. Nempe si virtus labi videatur, exiguum cibi dare possumus. Verùm si in ventrem cibus absorptus fuerit, si aliàs quod redundat, multo magis in acutis tollere difficile est. Itaque subtrahere sæpenumero expedit, si virtus sufficiat, donec morbus concoquatur. Itẽ in Com. XLVIII Ingens siquidem malum est, si ob laborem morbique acumen imbecilliori facto potum quis, aut sorbitionem copiosiorem, vel esculentum dederit: Imbecillitatem eam ex vasorum inanitione contigisse arbitratus, vbi Galenus dicit. Verùm qui ex vasorum inanitione parum valent, hos si quis diæta presserit tenui, lædet quamquam non æquè euidenter, vel celeriter. Itaque vnum videtur detrimentum in pleniore victu grauissimum.

Ergo cuiusdam expositoris sententia talis est, quòd hoc medici peccatum in tenuiore victu accidat: eo quòd ei alius superueniens medicus illum cibauerit, succedente bona valitudine primus reprehenditur: improspere autem conqueritur, quòd ad illum vberiorem cibum descendere coctus sit, ob primum errorem. Verùm adeo impudens est hæc expositio, vt existimem eam falsò Oribasio tribui: quanquam illum vecordem inter omnes Græcos medicinæ auctores diiudicem. Sunt qui existiment melius esse ad pleniorem victum declinare, vt Vgo, & Iacobus, tribus rationibus: Prima, quia melius est vt aggregentur superfluitates, quàm vt spiritus vitalis corrumpatur, natiuusque humor & membrorum substantia consumatur. Secunda, quia facilius est superfluum expellere, quàm deperditum restaurare: quemadmodum contingit ex superflua inedia. Tertia, quòd (vt habetur secundo Regim. acutorum. XV. & XL.) transitus à pleniore victu ad tenuiorem tutior est, quàm à tenuiore ad pleniorem. Igitur error plenioris victus, cùm facilius emendetur, minus est periculosus.

Alij, vt Ferrarienses, existimant, quòd dicta secundo Regimine acutorum, per se vera sint: scilicet vt melius sit, ad tenuiorem victus rationem declinare, attamen Aphorismi sententiam intelligi in comparatione ad errores: nam si error laboranti accidat, qui tenuiore victu vsus sit, debiliore facta virtute, laborans difficilius illum substinere poterit, quàm si pleniore victu vsus robustiores vires haberet. Ergo quòd ità sit, sic astruitur: nam Hippocrates in illa parte, vbi de sanis agit in Aphorismo, dicit periculosam esse victus tenuis rationem, quia errores difficilius ferunt: cùm igitur pariter in vtraque

Aphorismi parte loquatur, haud obscurum est quod dicitur. Secundò, vbi cibus præter naturam plus ingestus est, morbum facit, 2. Aphorismorum 12. quanto magis in ægris, morbum augens, etiam vires debiliores reddet: atque sic laborantem duplici incommodo afficiet.

Ex his ad rationes aduersæ opinionis. Ad primam, patet ex secundo argumento, nam virtus etiam in hoc errore debilior redditur. Ad secundam, refragatur Galeni sententia clara dicta secundo Regimine acut. 48. Ad tertiam, nõ supponunt tantam fieri extenuationem vt cibum assumere cogantur: verùm si incidat, adhuc leuius ferent quàm si vberiore cibo impleti morbum ferre non possint, vt dictum est à Galeno in commento 37. iam adducto.

Inde errores colligunt illorum: nam cùm dixisset Hippocrates. Quia ægri peccãt: intellige, vt plurimum, ideo læduntur: illi intellexerunt, quia læduntur, ideo peccant. Et similiter cùm Hippocrates dixisset, Magis lædi ob peccatum: illi, magis peccare ob læsionem intellexerunt: cumque ἁμαρτάνουσι in prima parte peccatum credant esse, seu delinquere, vel aberrare: in secunda victum tenuẽ interpretati sunt. Illud etiam animaduertunt, quòd cum Galenus victum tenuem vocet, qui minus alit quàm ptisana: plenum, qui vberius, illi comparatiuè dictum putant ad eum, qui ægro debetur: vt apud Ferrarienses meliùs sit, nihil omnino dare, quàm carnes in acutis. Recensent etiam, quòd cùm in pleniore victu Hippocrates dixerit ὀλίγον, vel μικρὸν, paulum scilicet, vel parum: & in tenui πάνυ quod est valde, illi æqualem excessum in vtrisque à debito sumendum existimauerint. Ex his tandem claret, (dicunt) eum inoleuisse errorem, vt potius morbum quàm virium alendam imbecillitatem vulgò iactent: cùm tamen Hippocrates ex Galeni autoritate primo Regiminis acutorum 25. magis sit ex eorum numero medicorum, qui ægros fame excrucient, quàm cibo expleant. Inde illud subiiciunt, Hippocratem quinque alios de victu tenui subiecisse Aphorismos: ne talis victus per hunc exclusus existimaretur.

Itaque, vt mihi videtur, nec hi mẽtem Hippocratis, imò ne experimentum sunt assecuti: quandoquidem si æqualis sit differentia, grauius in tenui victu lædantur ægrotantes: & Hippocrates librum Aphorismorum senex condiderit: longe iunior librum Regiminis acutorum: vt si altero in loco peccasset, verisimilius esset in Aphorismis propriam magis explicasse sententiam. Verùm, vt video, concors est sibimet. Indignissimum autem est Hippocratis grauitate, atque in Aphorismis præsertim, illum existimare super errore, & casu, generalem victus rationem fundasse. Quod si per victum nullam comparationem intellexit: cur Paulo pleniore, aut Valde tenuiore dixit: non Pleniore, tenuique? At si per victum tenuem illum intelligit, qui infra ptisanam est, qualicunque æger tenui victu vtetur, etiam si angina præfocante laboret, peccabit: & quicunque carnes edet, parum aberrabit: tum illud absurdissimum est: quòd si propter errores hoc tantum præcauere iubet: non tamen edixit an præcauendum sit: sed tãtum commonuit hoc illis accidere. Suæ igitur interesat dicere, Hippocratem voluisse, vt quam maxime errores caueamus, cùm victu tenui vti cogimur. Quòd si hoc dixissent, forsan aliquid, etsi non secundum Galeni dixissent sententiam. Deinde quid causæ est, quòd si ex cibo & morbi grauitatem & virium imbecillitatem incurrunt: deteriusque se habent his qui tenui victu vsi sunt, vt facilius errores postmodum ferant, non sat intelligo. Cum etiam dixit, paulò pleniore victu, si virium imbecillitas non accedat: nunquid etiam si non Paulò plenior sit, sed plenior, absolutè, non ferre quisquam poterit; Galenus etiam in fine cõmenti dixit. Et quoniam ad eum (scilicet victum tenuem) transitus est insuetus. Non igitur ob errorem superuenientem, sed propter seipsum tenuis victus grauis est. Neque etiam illud verum est, eos qui cibum sumpserint copiosiorem, facilius ferre incommoda, vt vigilias, ac tristitiã, imò grauius lædunt hæc, si quis cibo vtatur copiosiore, quod cuilibet experiẽti patet.

Verùm quia Galenus dixit in fine. Confirmant autem: ideo explicanda sunt illa verba, quæ pro illis esse videntur. Vult ergo dãnare secundam interpretationem, & est eorum qui dicebant, quòd insciis medicis coguntur ægri cibari. Dicit non hoc verum esse in sanis, sed ob id illos grauius lędi, quia ipsum exquisitum & constitutũ victum per se ægrè ferũt.

Causa erroris illorum est, quòd victum triplicem tantum ex substãtia distinguunt: Mediocrem, ptisanæ: plenum, qui alit copiosius: & Tenuem, qui minus: nam hæc à Galeno dicuntur solum de substantia: nam in quantitate etiam tres illæ differentiæ sunt constituendæ. Cùm dixit etiã ptisanæ succum si in modica exhibeatur quantitate, ad tenuissimum pertinere victum. An putant, si quis quadruplum eius quod ex aliis cibis assumere solet, in quantitate accipiat ex ptisana, mediocri illum victu vsurum? Certè non. Princeps prima quarti trac. 2. cap. 8. dicebat. Et cùm ambigua sit tibi dispositio in ægritudine, tunc vt declines ad subtiliationẽ, est melius, quàm ad additionẽ: te obseruante virtutem, & tolerantiã. Suprà etiam dixerat. Et si videris ægritudinẽ acuta non valde, imò acutam absolutè: tunc oportebit vt subtilies regimen, non in vltimo nisi in apostematibus in die crisis propriè.

Ex hoc patet solutio clara in morbo cognito, melius est à debita victus quantitate per æqualem differentiam declinare ad plenioré, quàm ad tenuioré: seu hoc fiat ratione qualitatis cibi, vt dando carnes pro ptisana: seu quantitatis, vt dando duplũ quàm nihil, aut dimidio plus quã minus: & ad hoc faciũt argumenta Iacobi. Et ratio est clara, quia celerius ille perueniet ad mortem, nihil dãdo, quã duplũ debitæ quãtitatis: & ideo dixit Hippocrates, Paulo plenioré: quia modicũ est quod potest addi in cibo ægri, si non plus addatur quàm detrahi possit. Neque enim dubium est, quòd si vellemus vni longe plus dare debito, quàm ab alio detrahere, quòd falli possemus. Nec est quòd dicant, tantũ augeri posse victũ vt suffocet: nam hic victus nõ erit. Cùm vero morbus ignotus est, seruata virtutis tolerantia, longè tutius est declinare ad victũ tenuioré, quàm ad plenioré: sed hîc non fit cõparatio

tio ad vnum ægrum, sed ad duos, quorũ vnus febricitet leuiter, alter habeat phlegmonem in pectore gratia exempli: & in priore cùm debeatur victus mediocris, exhibeatur, tenuis: in secũdo cùm tenuissimus exhibeatur, tenuis: tunc ægri primi iactura emandari poterit: secundo ad mortem perueniente, ideo in libro Regiminis acutorum loquitur vbique in comparatione ad duos ægros, non ad vnum tantum; nam & in phlegmone vbi à propria victus ratione sit declinãdum æqualiter, ad pleniorem erit declinandum. Aphorismus igitur respectu eiusdem morbi differentiam plenioris tutiorem innuit: liber Regiminis respectu diuersorum morborum æqualem variationem, in periculosiore periculosiorem docet, in leuiore tutiorem.

Ad primum Ferrariensium, particula Quicunque, refertur ad multitudinem errorum in victu, qui possunt esse innumerabiles, maiores, vel minores.

Ad secundum refertur ad 4. Aphorismum eiusdem particulæ: nam damna communia sunt nimiæ repletioni & inanitioni.

CONTRADICT. VII.

Indicationes sanguinem mittendi an tres sint?

INdicationes mittendi sanguinem tres sunt principales Robur virium, Morbi existentis imminentisve magnitudo, & Aetas quæ non sit puerilis: nam quod ad decrepitam pertinet, in virtutis imbecillitate continetur, libro de Venæ sectione: reliqua non de abstinendo in dicant, sed de paucitate, aut augent, non de mittendo docent: quam sententiam fermè declauit etiam x. Artis curatiuę: at primo ad Glauconem & pòst libro de Sectione venæ, docet temporis caliditatem, seu ambientis potius, prohibere ne omnino sanguinem mittamus: nam in libro de Venæ sectione, iuxta finem, quatuor docet esse considerãda, Continentis caliditatem, & reliqua tria quæ in principio enarrauerat. Et in primo ad Glauconem refert, multos interiisse qui in feruentissima æstate sanguinem miserint, dum febre laborarent: vnde docet hyeme parcè sanguinem mittendum: æstate autem calidissima nullo modo. Atque sic calorem inter primas refert indicationes, frigus inter postremas. Alibi verò, vt in 9. Artis curatiuæ, & 2. ad Glauconem, primas postremis admiscet. Item in coli dolore ab humore vitreo ipse non mittit, 2. de Locis, dum de seipso loquitur, nec mitti debet. Dolor non dicitur morbus magnus nisi sit à causa calida. Respondeo, Calor ambientis ex regione, ex anni statu, & qualitate superueniente constat. Horum singulum si per se consideretur, ex postremis est indicationibus: nec prohibere potest ne sanguinem mittamus: sicque remanent tres tantum indicationes. Verùm si in vnum coëant, fiatque ex his omnibus continens calidissimum, quod & in cæteris accidit ex pluribus postremis vna propemodum fit indicatio prima: quæ de non mittendo prorsus sanguine docet. Cùm verò eiusdem generis esse viderentur hæc tres postremæ indicationes, facile in vnam redigi meruerunt. Sed contra quia, 13. Artis curatiuæ, in lethargo sanguinem detrahes, si virtus & ætas consenserint: & nec cruditas humorum, aut calor, frigusve obstiterit. Igitur hæc ad virtutem non reducuntur, & tamen morbus est magnus: & 5. Aphorismorum, Mulier vtero gerens sanguine misso, ex vena abortit. Igitur vbi acuto morbo laboraret non est mittendus sanguis. Respondeo, quòd in præcedente iam dixerat, interituram si tali morbo corripiatur: igitur melius est vt abortiat. Ad aliud Vel deficit in litera, Mittendus sanguis copiosus: vel imminet virium imbecillitas: vel hæ indicationes prohibent si magnæ aut plures fuerint.

CONTRADICT. VIII.

Deriuatio an reuulsionem præcedere debeat?

DEriuationem reuulsio præcedit: vt colligitur 2. ad Glauconem, 2. At xj. Epidem. partic. 2. comment. 8. Deriuatio tanquã absolutissimum auxilium reuulsionem præcedere debet. Plura possent hincinde adduci, sed nos mentem Galeni, 2. ad Glauconem, iuxta medium capituli explicabimus, similiter & loci Epidemiorum: ergo in ij. ad Glauconem tria genera eductionis Reuulsionem, Deriuationem, & Euacuationem tribus modis comparat: Primò, ratione temporis, nondum defluxa materia reuulsio conuenit; iam defluxa, & in particulam decumbente, deriuatio: tota iam in loco firmata, comporéque plenè expurgato, euacuatio. Secundò, ratione loci reuulsio fit ex loco remoto, & vnam habente contrariam positionem: deriuatio ex proximo loco: euacuatio ex ipsa patiẽte particula. Tertiò, comparat hæc gratia, vt in vno conueniunt, siquidem in hoc, quòd ex venis affinibus fieri debent: vt omnia hæc sint secundum rectitudinem loci patientis, differenter tamen: nam reuulsio fit ex vena, quæ cum vena patientis loci in vnum coincidit: deriuatio ex eadem vena, sed in parte alia à patiente: euacuatio ex loco ipso. Ergo ex hoc patet, quòd non debet vnquam in genere pręcedere euacuatio deriuationem, nec deriuatio reuulsionem: quia non potest esse prius materia tota collecta, quàm in parte: nec in parte defluxa in particulam, antequam defluat, & sit in motu: verum postquam defluxerit in parte, non dicit necessarium esse, vt antè reuellatur, quàm deriuetur. Sententia igitur, 7. & 8. secundæ particulæ, 6. Epidemiorũ est: quòd si materia quę defluxerit sit multa, & dolorem faciens, prius est deriuanda, inde illico molienda reuulsio: secus autem à reuulsione incipies. Et ratio quã adducit est clara: quia stante dolore magno, dolor attrahet materiam, & augebitur phlegmõ, & reuulsio virtutẽ minuet: atque hoc modo ægrum duplici via perdes. Verùm si prius deriuabis, alleuiabis materiam, & hoc est quod dixit Princeps 4. primi c. 1. & Cùm materiam diuertere volueris, dolorem prius seda Intelligit

telligit duo: primò, vt tentes sedationem eius cum lenientibus dolorem, vt, 2. Regim. acuti cap. 1. Hippoc. in morbo laterali. aliter pro dolore à flatu sanguinem mittes. Secundum, quæ stante dolore valido, à deriuatione non reuulsione incipias: vt prius dolor sedetur. Ideo Gentilis in illius textus expositione nutauit, quia Galenum in Epidem. non viderat. Sed hæc ratio nō potest in euacuatione, vt deriuationi præponatur, locū habere: quamuis materia tota defluxerit: & hoc, quia euacuatio ex loco totius corporis præsupponit purgationem, quæ longo tempore indiget: hanc cùm non postulet deriuatio prætermitti quidem potest, sed euacutioni postponi non potest.

CONTRADICTIO IX.

Ephemera an fiat calore in sanguine existente.

EPhemera fit, calore in sanguine existente. 2. de Differen. febr. cap. 9. at verò quòd fiat sanguine, nemo dixit, sed ipsis spiritibus super calefactis. 2. de Crisi. cap. 13. & Princeps prima quarti. cap. 1. & omnes. Soluitur ex primo de Dif. feb. 5. & 9. Artis curatiuæ cap. 1. in fine. Antiqui distinguebant genera febriū in Putridas, & quæ in solidis membris accidebant: & Ephemeras, quasi diurnales vocatas: at quæ Synocha dicitur, in sanguine fit, quia tamen rarius ephemera contingit, & ipsa sicut illa putredine caret: ideo, dicit Galenus, ephemerarum nomen adepta est, cùm tamen non fit: nam hæc diem ipsam non solùm, sed duos ac tres transire potest. Ideóque Rasim patet deceptum esse, qui ephemera ex obstructione credidit ad octauum vsque diem pertingere posse: nam hoc nomine apud Galenum, qui à synocha ephemerā plerunque non distinguit, deceptus est. Nō ignoro alios alio modo scripsisse de hac sententia: vnum satis constat, vt in Galeni vita docuimus, satis maturè hunc librum illum conscripsisse: minore quidem ordine, arte, ac etiam diligentia.

CONTRADICTIO X.

Qui crescunt an plurimum habeant caloris innati.

QVi crescunt plurimum habent innatum calorem; prima Aphor. 14. ibi Galenus explicat Hippocratem, de innato, & influente intelligere. Est autem Innatus propriè, qui membris insitus, tanquam quartum elementum: influens verò, qui ex cibis gignitur. Dicit Hippocrates, eos qui crescunt plus caloris habere, quàm consistentes. Galenus exponendo intelligit de innato tantum nam de influente pares sunt, nisi quòd calor puerorū ex aërea & aquea magis substantia est, cōsistentiū ex ignea & acriore. Hanc etiā sententiā videtur confirmare Auer. 2. Collec. 2. hoc argumento, Actiuæ qualitates consequuntur passiuas: calor innatus fundatur in humido radicali: igitur ad diminutionem humidi, minuetur calor, quare innatus minor erit in iuuene, quam in puero. De influente verò cum Lycus aduersus Hippocratem inueheretur, volens damnare verbum illud plurimum, quia vel ad robur, vel ad magnitudinē, vel ad vehementiam referri potest. In primo verbum non conueniebat, vt validius diceremus plurimum. In secundo falsus erat: nam plus in iuuene, quàm in puero caloris innati continebatur: in maiori quanto maiori etiā existente virtute. In tertio damnabatur in vtroque: nam nec pueri calor tactu vehemētior est iuuenis calore, nec vehementiori plurimum, seu quod Græce est πλεῖστον congruebat. Respondens Galenus secundum modum amplectitur dicens: Non absolutè quidem plurimum in puero adesse calorē, sed in comparatione ad corpus. Exemplum autem de doliis plenis, aut semiplenis, commemorat: quò fit, vt non de innato possit intelligere, quandoquidem hìc & in comparatione, & absolutè maior sit in puero: vtpote cui nihil possit adiici ad iuuentam procedenti. Igitur de influente intelligendum est: qui si maior est in puero, maior quoque, vt probatum est, innatus, non solùm ad corporis rationem, quonam pacto verum esse potest quod 2. de Temperamentis. 2. dicitur, æqualem in vtrisque esse? quodque maius est, illud tactu solùm posse demōstrari. Quod ratione sic confirmare nititur: In demonstratione propositiones debent esse per se notæ sensu, vel ratione: sed propositio quæ his demonstranda est prima ex sensu, quia huius iudicium ex sensu pendet: igitur ex secundis prima demonstrabitur.

Sed tamē Princeps prima primi doctrina 3. cap. 3. adducit tres rationes ad probandum hanc conclusionem. Prima est, Calori naturali, & dum crescit homo, non aduenit causa corrumpens illam, quia homo sanus non esset: nec augens, nam origo eius, quę est humidum, non augetur: igitur stabit. Reliquæ rationes sunt quasi corroborantes primam. Secunda ratio, Humidum pueri est sufficiens ad calorem suum conseruandum, & augmentū: igitur augmento desinente debet etiam esse sufficiens ad conseruandum: & hoc fit in iuuentute. Tertia ratio fermè cū secunda coincidit: Humidum in pueritia sufficit ad caloris conseruationem & augmentum, in senectute ad neutrum: igitur in hoc transitu poterit aliquando vnum & non aliud, non augere, non stante conseruatione, igitur conseruare non stante auctione: & hoc in iuuentute; ratio autem tenet in ordinatis, non aliter, vt patet. Ex quo liquet, quòd Galeno contradicit manifestè Princeps: in hoc quod putat posse probari: non in conclusione de æqualitate. Sed Auerrois Principi contradicit, eo quòd minorem faciat calorem iuuenis quàm pueri. Galeno verò in ambobus. Gentilis verò & ipse aliam inducit pro Principe rationem: ea autem est. Omnis natura quæ est principium operationis in ętate perfecta inducitur in initio generationis: sed calor innatus, est principium operationum in ætate perfecta. Assumpta propositio probari potest per enumerationem:

merationem: item quia aliter natura, vt in pluribus, posset frustrari suo fine, quod est inconueniens. Auer. etiam in primo Canticæ com. 34. confitetur hanc æqualitatem; vt tamen quis neget, maiorem constituit paulo calorem pueri, ratione, vt clarum est, inductus sua. Albertus in libris de Somno & vigilia, & de Iuuentute & senectute, putat pueros calidiores iuuenibus: quia caput habent maius, & magis dormiunt. Fundatur ratio in dicto Philosophi, quòd qui habent partes superiores maiores inferioribus, sunt longioris vitæ, quia calidiores: libro de Longitudine & breuitate vitæ. Somnus etiam à caliditate fit vapores eleuante. Sed in pueris somnus amplior fit, ob humidum & curarum carentiam, non ob caliditatem, vnde primi senes malè dormiunt. Capitis magnitudo ratione finis fuit: quia cum ossium esset, atque ideò minus posset extendi, vt commoderatus homo euaderet, ab initio maius creatum est: hi enim paruum sortiuntur, qui ab initio habent moderatum. Sed cadit in hoc difficultas alia: Operationes in iuuene sunt perfectiores, quàm in puero: igitur calor naturalis etiam maior. Secundò, Humidum radicale augetur, & augeri potest: igitur & calor qui in eo fundatur.

Ad Auerrois fundamentum sunt quatuor responsiones. Prima, quòd calor influens, est superauctus tantò, quanto innatus est diminutus; hæc autem æqualitas, quæ sensu apud Galenum comprehenditur, est in composito.

Secunda, quòd vt minuitur calor naturalis, ita augetur impressio in membris: vt per hoc remaneat æqualis. Hæc responsio est sophistica, licet subtilis: admittit enim duos calores in eodem subiecto, eiusdem naturæ: item actionem aliam in proprium subiectum: item concedit calorem naturalem esse diminutum Prima etiam non est ad mentem Galeni: nam vult, vt diximus, influentem in pueris esse maiorem, aggregatum æquale: igitur innatus in iuuenibus necessariò maior est. Sed ad hoc pro Gal. concordia dicere possumus, quòd in aërea & aquea substantia etiam innatum humidum intellexit: verùm sic non distinguit Galenus de humido influente, & innato, neque de calore, & hæc est conciliatio in dictis Galeni.

Tertia responsio est Principis, quòd calor non adæquatur humido: ideo non consumitur, nisi ad consumptionem humidi adæquati: sed solùm retrahitur in puero: & hæc est etiam causa, cur in iuuene validior videatur.

Quarta est, quòd humidum, vt diximus, augeatur in quantitate, licet non in perfectione. Et ad hoc est ratio nostra, Corpus nutritur humido, quod est melius, quàm sit illud, quod est innatum, & æquale, saltem humido contracto à principio generationis: igitur humidum verè augetur innatum. Assumptum ex hoc ostenditur, quia homo annorum quadraginta gignit filium, qui potest viuere annis octoginta, cùm ipse solum possit superuiuere secundum naturam per alios quadraginta annos: igitur semen nostrum humidius est, & calidius, quàm sit humidum & calidum nostrum: sed semen est superfluum tertij alimenti: igitur multo melius erit id quo nutrimur. Ad hoc dicunt quidam, putantes se cum Principe respondere, quòd licet optimum, ac longe melius reparetur humidum quod tamen necessario ad senium peruenitur: quia non licet intrinsecus humectare, sed tantum madefacere. Hæc responsio, quantum ad assumptum, est cum Principe: causa tamen est falsa: nam si puer crescit vero augmento, & in augmento, vt habetur primo de generatione ab Auerroë, requiritur vt quælibet pars eius quod augetur ab exteriore materia suscipiat incrementum: aliter non augumentum, sed appositio dicetur: igitur humidum tale innatum verè crescit, & augetur. Causa tamen, cur homo necessariò senescat, est: quia id quod consumitur est purissimum, nam terrea pars consumi nequit: quod additur, licet sit melius humido innato, non tamen potest esse melius humido quod consumitur, aliter non esset mixtum ex quatuor elementis. Quare necessariò quamuis melius humidum innato in dies reparetur, humidum tamen innatum fit magis terrestre & imperfectum.

CONTRAD. XI.

Humidum radicale an à calore naturali consumatur.

Circa hoc dubitatur, an humidum radicale consumatur à calore innato. Respondet Galenus primo de Tuenda sanitate, quòd sic: verba eius iuxta initium subiungere libet, sunt autem hæc: Ergò statim in generationis initio coniectum copiosius elementum oportuit, quod siccandi vim haberet: est verò id natura maxime ignis: sed tamen & terra, est enim ea quoque res sicca: verùm huius plus immisceri principiis non erat, si modò hæc humida erant futura. Ignis certè, quo minus plus sit admixtum, nec obstat quicquam: & sanè admixtum est tanto plane plus in vtroque principio, quantum ne torreat, vratve, & tamen abundè siccet: Quippe etiam tantus calor adhibitus agilitatem ad motiones præstare sat erat. Ab hoc igitur primum cogitur, paulatimque concrescit, quod in vtero conceptum est: mox siccius redditum, veluti lineamenta quædam, rudimentáque cuiusque membri obtinet. Vlterius verò etiam siccescens non modò lineamenta & rudimenta, sed etiam exactam vniuscuiusque speciem ostendit. Iam verò in lucem editum & magnitudine proficit, & tum siccius, tum valentius semper efficitur. donec ad summum incrementum (ἀκμὴν Græci vocant) sit peruentum: tum verò & incrementum omne sistitur, ossibus nimirum ipsis per siccitatem non vltra sequacibus, & sanguinis spiritúsque vasa, spiritus ipsius flatu in latum aguntur: cuncta denique membra non solum robusta fiunt, sed etiam vires suas summas obtinent. In eo verò quod sequitur tempore, omnibus iam partibus supra iustum siccescentibus, non solùm

cuiusque officium minus probe administratur, sed etiam corpus ipsum macilentius, graciliúsque quèm antè, redditur. Ergo vltra siccatum, non macilentius modò, verum etiam rugosum efficitur. Artus quoque ipsi inualidi, atque ad motus suos incerti inconstantesque redduntur. Affectio hæc in animalibus senium appellatur, ei quæ in stirpibus ἀυανσις Græcè dicitur, proportione respondens. Est enim illa stirpis senium siccitatis excessu proueniens. Vna hæc igitur est omni genito corpori corruptelæ interitúsque necessitas. Altera est, quæ etiam in animalibus præcipuè cernitur, totius substantiæ fluor, quem insitus calor excitat. Hæc itaque incommoda nullum quod genitum sit corpus effugere potest: reliqua quæ sequuntur prouidentia consilioque certè potest. Hæc ille: in quibus humidi radicalis consumptionem ab innato calore sine continentis aëris memoria vlla nobis declarauit. Sed tamen in libro de Dissolutione continua, in ipso initio inquit: Quia corpora humana ab ipso calore innato, & calore aëris nos exterius ambientis, dissolutionem continuam patiuntur, ideo necessaria fuit ciborum ac potuum administratio. Sed hæc autoritas Galeni non est, nec liber ille suam retinet dicendi grauitatem, tum verò illud clarum est in libro de Tuenda sanitate, rem hanc illum ex composito tractasse. Auicenna autem consumptionem hanc ambienti nos aëri primo tribuit, non naturali calori: vnde prima primi Doct. 3. cap. 3. Præterea sciendum est, quod caliditas post tempus consistendi minui incipit, propterea quòd aër circundans, materiam eius, quæ est humiditas, exiccat. Calor quoque innatus, qui est intus, ad hoc adiuuat: & labor proueniens ex motibus corporeis, & animalibus, qui necessarij sunt in vita: & defectus naturæ resistendum illi semper: omnes enim virtutes corporeæ sunt finitæ, quare operatio earum non potest esse perpetua. Ex his verbis luce clarius est, Principem velle aërem esse principalem causam exiccandi corpora nostra: calorem autem naturalem quasi per consequentiam. Est autem ratio pro Auicenna clara, nihil agit in seipsum, igitur cum calor naturalis sit in ipso humido, non aget corrumpendo illud. Item calor animalium secundum Philosophum est calor non igneus, sed cœlestis: vnde & Galenus, 11. Artis curatiuæ. c.8. calor naturalis conseruat corpora: sed præternaturalis corrumpit, & depascitur carnes, & pinguedinem. 2. de Generatione animalium, cap.3. dicit, Cæterùm calorem in animalibus contentum, nec ignem esse, neque ab igne originem ducere, manifestum ex his est. Manifestum est autem quòd Galenus aliter censet, nam libro de Vsu respirationis, vult calorem nostrum esse igneum, sumpta similitudine, quòd non secus ac in fornace ignis prohibita transpiratione extinguatur. Est igitur hîc alia inter Galenum & Aristotelem discordia, quæ præcedentis causa est. Verùm neque illud concedere cogimur, quòd si calor animalis etiam sit igneus, ob id debeat, cùm sub forma mixti est, agere in subiectam materiam. Primò, quia elementa sunt in potentia in mixto, 2. Collec. cap. 1. apud Auer. & ideo non possunt concurrere vt agentia ad corruptionem. Secundo quia ipse in 4. disput. dubio 2. vult, quòd causa corruptionis est materia, & non dicit quòd sit forma elementi: ipse etiam Auicenna 12. de Animalibus cap. 3. repetit idem quod dixerat, volens quòd consumptio humidi principaliter sit ab aëre, deinde à calore naturali. Aristoteles autem in lib. de Longit. & breuit. vitæ cap. 1. vult, quòd agant in se inuicem contraria, dicens: Si igitur quando actiuum & patiens simul sunt semper alterum agit, alterum patitur, fieri non potest, quin fiat mutatio. Vult igitur, quòd contrarietas omnis, seu interior, seu exterior, corruptionem pariat. Sed alia exurgit maior difficultas: nam Philosophus 2. cap. quærens, Cur masculi diutius viuunt fœminis in eodem genere: respondet, Quia plus habent caloris. Ideo cùm nullam aliam reddat causam, calor humidum non consumit: aliter quæ plus haberent caloris, essent breuioris vitæ: quandoquidem constat eodem capitulo illum fateri senectutem esse exiccationem. Idem colligitur 2. de Tuenda sanitate, Exercitium auget calorem naturalem, atque ideo attractiuam, concoctricem, & nutritiuam: ex quibus solida membra molliora & humidiora fiunt: sed si calor auctus consumit humidum, magis corpus exiccabitur ex exercitio, quàm ex perpetua quiete, & magis ex moderato, quàm immoderato: quia ab immoderato exercitio calor minuitur, & à moderato augetur. Igitur patet, quòd à maiore calore fit maior exiccatio. Nec potest dici, quòd ratione melioris nutritionis reparat copiosius humidum: nam istud est declaratum in Contradictione præcedente: quòd nunquam potest humidum, quòd iam est exiccatum, melius reddi vllo ingenio, vel arte. Igitur calor naturalis auctus nunquam poterit compensare iacturam iam factam, & quam facit, plus consumendo de humido radicali.

Est tertia ratio contra Galenum, quia ipse concedit 8. de Dogmate Platonis & Hippocratis quòd calor insitus in sanguine & pituita consistit ex caliditate & frigiditate contemperatus: quare non poterit magis calefacere, quàm infrigidare: imò magis humectaret, quia humidus, quàm exiccaret. Alia ratio sequeretur, quòd homines fame enecti, deinde restituti, non possent diu viuere. Nos autem videmus oppositum experimento: quòd illud parum, vel nihil obest vitæ diuturnitati. Est etiam aliud fundamentum ex libro de Iuuentute & senectute cap. 2. nam quærens, cur animalia calida sint, calorem in sanguine cordis non in substantia illius constituit. At talis calor exiccare non potest: exiccabit enim prius sanguinem in quo est, item ille calor non est innatus, sed influens: ipse etiam in cap. 3. dans rationem corruptionis caloris naturalis, dicit: Quòd vtriusque & marcoris & extinctionis causa est vna, alimenti subtractio. Igitur in senio cùm explicet per alimentum cibum coctum, manifestum est humidum ipsum radicale à calore non consumi: in lib. etiam de Respiratione & inspiratione, dans causam senectu-

tis

tis, dicit eam eſſe caloris naturalis diminutionem. Rurſus oſtendens cauſam diminutionis caloris naturalis in ſenectute, docet eſſe paruam & non expeditam illius perfrigerationem, propter pulmonis ſiccitatem, & branchiarum eius: igitur cauſa non eſt conſumptio humidi à calore innato, ad quid enim quærere cauſam quaſi per conſequentiam, ſi primaria in propatulo eſt: Eſt etiam experimentum pro Philoſopho, quòd homines eo viuaciores quo calidiores, non quo humidiores: quod tamen neceſſarium eſſe conſentienti Galeno confireri. Auerroës autem videtur in paraphraſi de Long. & breui: vitæ Galeno conſentire dicens: Et corruptio accidit eis cito duabus de cauſis: quarum vna eſt conſumptio naturalis humiditatis, quæ eſt in corpore, & dominium frigiditatis & ſiccitatis in eis: & hoc erit quãdo vtentur rebus extrinſecis opportune. Igitur patet, quòd talis vita breuis fit per conſumptionem celerem humidi, & non ab aëre, quia non vteretur rebus exterioribus conuenienter. Sunt autem tres hæ rationes claræ pro Galeno. Prima eſt, dum corpus fœtus eſt in vtero, perpetuò exiccatur, & ibi non ab aëre, ſed à calore proprio, igitur & extra: & eſt ratio poſita in prima autoritate iam dicta eius. Secunda, Oſſa ſenum & cartilagines cum inciduntur inueniuntur ſicca: igitur humidum radicale in eis conſumptum eſt: hanc ponit in libro aduerſus Lycum. Tertia Aſinus & homo eiuſdem regionis æqualem vitæ diuturnitatem haberent. Reſpondeo, quòd conciliatio Auicennæ cum Galeno eſt difficilis: quoniam Princeps motus eſt quaſi autoritate Philoſophi de longitud. & breuit. cap. 1. quid autem tenuerit Philoſophus reſpondeo, quòd calorem in ſanguine exiſtentem, vt eſt in corde, innatum vocat: alium qui in membris eſt à temperatura, qui verò in illa influitur à corde influentem. Calor membris proprius non exiccat, tum quia non mouetur: ignis autem exiccat ratione motus: nam calor ille eſt refractus, & continetur à forma mixti. Sed nec calor innatus propriè agit in humidum, niſi ratione motus, ſicut & influens. Hic autem motus fit vel innatur ab aëre, ideò aër eſt cauſa prima conſumendi humidum. Ideò plurimum confert habitare in regione calida & humida ad vitæ longitudinem, vt circa mare, vt colligitur ab Auer. in paraphraſi dicta. Galenus autem conſiderat eundem calorem vt includit omnia ſibi neceſſaria, motum ſiquidem, & aërem: & hoc modo ipſe principaliter conſumit humidum in membris exiſtens: & ita nihil agit in ſeipſum: quare diſſidium Galeni à Principe eſt in verbis tantum: & eſt, ac ſi diceremus, homo principaliter eſt intelligens, & anima humana eſt principaliter intelligens. Vtraque propoſitio eſt vera, ſed tamen non ſunt contrariæ, nec repugnantes: Philoſophus tamen vult quòd antequam cor ad tantam ſiccitatem perueniat, vt cogatur calor extingui, quòd prius pulmo ſiceſcat, & ſic motus refrigerationis impediatur. Embrio autem in vtero habet motum & aërem, vt patet à Galeno in libro cui titulus eſt, An animal ſit quod in vtero continetur: quamuis liber ille Galeni eſſe non credatur: manifeſtum eſt etiam ex vmbilici arteriis, quæ neceſſariò ſpiritum ducunt, ac ex conſequenti motum: quare veritate intellecta non eſt difficile obiecta diluere.

CONTRADICT. XII.

Zinziber an humidum.

Zinziber calidum eſt in tertio, ſiccum in ſecundo. Auicenna 2. Canonis, cap. proprio. Serapio cap. 336. dicit ipſum & connumerat inter calida & humida in tertio: quare maxima eſt differentia inter humidum in tertio, & ſiccum in ſecundo: nec poteſt propter ordinem dici, quòd ſit error, ita vt loco humidi debeat ſcribi ſiccum: nam reliquæ tales etiam ſunt medicinæ de quibus ibi tractat. Hæc contradictio eſt magnæ conſiderationis: nam inuenire medicinam calidam & humidam in tertio gradu, & cum hoc odoratam, eſſet valde vtile, & neceſſarium. Dioſcor. lib. 2. cap 146. dicit ipſum calidum, vimque fermè piperis totam æquare. Porrò piper ſiccum apud omnes eſſe videtur, vt etiam ipſe Serapio id inter medicinas calidas & ſiccas in quarto gradu connumeret. Paulus verò dicit, Zinziber adeò inuictam humiditatem obtinere, vt primo occurſu calefacere non videatur lib 7. Galenus & ipſe 6. libro zinziber calidum & humidum ſtatuere videtur: ſed ſubiungit, τὸν μὲν οὖν ζιγγίβερι ϗ τὸ μακροπέπερι κἂν εἰ διαφέρῃ ταύτῃ τοῦ μέλανος πεπέρεως, ἀλλ' ἐπ' ὀλίγον, quod eſt, Hoc quidem zinziber, ac longum piper, etſi hoc modo à nigro pipere differt, attamen parua eſt hæc differentia. Subſcripſi Græca propter errorem in tranſlatione. Igitur non humidum eſt Zinziber in tertio, quandoquidem parum à nigro differt, nec piper omne ſiccum, cum longum zinziberi natura ſimile ſit. Auer. v. Collectaneorum vult zinziber eſſe calidum in tertio & humidum in primo: idem de longo affirmat pipere. Raſis tertio ad Alman. 34. dicit ipſum eſſe calidum & humidum. Idem 22. Continen. 353. autoritate Ataubionis dicit eſſe calidum in tertio, humidum in primo. Sed autoritate Bimaſui dicit, quòd qualitas caliditatis eſt in tertio gradu, ſed in fine: & humiditas in primo, ſed in fine. Eſt autem odoratum atque ideo calidum, vt 2. de Alimentis, cap. de fructu iuniperi; ſed non vehementer, dicebat in libro de Attenuante diæta; vbi odoratum rodenti & mordicanti comparat. Igitur qua mordicat in fine vehementer excalefaciet: qua ſolum odoratum, mediocriter. Conferunt autem quæ bene olent diſcutiendo interiores collectiones omnia, tum maxime quæ altius inſederint. 14. Artis curatiuæ, cap. 12 Sed Zoar videtur ſentire, quòd conferunt omnibus membris principalibus, quod & Galeno placere videtur. 7. Artis cur. cap. 4. igitur concludendo dico, quòd ſi ſeruetur conditum quòd erit calidum in tertio, humidum in fine primi: & hoc voluit Galenus & Serapio. Pro quo animaduertendum eſt, quòd Serapio

diuiſit

diuisit medicinas in quatuor gradus, solum ratione primarum qualitatum, non secundarum, vt testatur in fine primi capitis de simplicibus medicinis. Vnde quando dicit, de medicina calida & humida in tertio: vult dicere, de medicina humida quæ sit calida in tertio. Et cùm dicit, de medicina frigida & humida in secundo: vult intelligas, medicinam humidam sub quocunque gradu sit: quæ sit frigida in secundo, & hoc patet ratione, aliter non daretur vnquam medicina apud illum in dispari gradu in actiuis ac in passiuis: quod est valde absurdum, cùm innumeræ tales sint, vt semperuiuum, quod apud Gal. est frigidum in tertio, & leuiter tamen siccat: contrà acatia exiccat in tertio, infrigidat solùm in secundo: ita ciclamen calefacit in secundo, exiccans in tertio, vt patet 6. & 8. de Simplicibus medicamentis, capitibus propriis. Cur autem Serapio non curauerit de gradu in passiuis, est, quia Gal. & ipse plerunque ordinem in illis qualitatibus prætermittit, tum quia minoris periculi, tum etiam quia difficilioris experientiæ. Serapioni igitur actiuarum qualitatum gradus sufficit. Porro non conditum, iuxta medium primi gradus humidum est: & in caliditate par ratio, nisi quia celerius imprimit, & celerius finit. At Auicenna operationem vltimam cōsiderauit: si siccatum iam & priuatum superfluo humido exhibeatur, nec conditum, nec cum alio medicamento, (nam vt referunt, immaturum est quod ad nos defertur) nec cariem antequàm colligatur contrahat. Est enim radix herbæ vt gramen, repullulans sub terra, in India nascens: porro Lilij radici ac naturæ magis similis est, quanquam folio valde dissimili. Matura igitur si colligatur radix, & siccetur, tandem ex vsu poterit siccare. Sed forsan decepit illum quod in 5. de tuenda sanitate Gal. scriptum reliquit in fine: Omne immodicè calidum exiccare tandem non leuiter: sed hoc in viuentibus, & animalibus, quæ præsente calore fruuntur, tantùm verum est: non in medicamentis, quæ ab alio tantum mutantur, & locum materiæ habent.

CONTRADICT. XIII.

Zinziber an flatuosum.

ZInziber est resolutiuum inflationis. Princeps 2. Canonis, cap. 746. oppo. videtur: in eodem lib. tract. 1. cap. 4. post medium dicit, quòd semen erucæ & Zinziber sunt medicinæ flatum generantes. Solutio est, quòd medicina potest flatum gignere vel in prima, vel in secunda, vel in tertia concoctione: exemplum primæ est aqua: secundæ autem olera, quæ etiam in prima concoctione gignunt, si frigida sint: exemplum tertiæ eruca, mel, Zinziber, longum piper: & tales dicuntur medicæ iuuantes venerem Zinziber igitur est ex hoc genere faciens flatum in venis, dum tertia concoctione transmutatur. Sed contrà, quia Princeps ibidem in cap. proprio, autoritate quorundam, quòd retinet coitum. Respondet Princeps, quòd iuuat coitum confortando ventriculum, & tollendo humorem mucilaginosum: & ita hoc modo non videtur parere flatum in tertia concoctione, quia constat. 2. Can. tract. 2. cap. 53. quòd assa iuuat ad coitum, & nocet ventriculo: & hoc est, quia parit flatum in tertia concoctione, & in prima. Per primam nocet concoctioni, per tertiam iuuat coitum. Respondeo, quòd possumus distinguere, primò de Zinzibere: nam album conditum, recens immaturum, coitum adiuuat, & flatum in venis non mediocrem parit, vt experimento patet: siccum verò per se & maturum, in humidis corporibus etiam concoquendo humida relicta in ventriculo, vt agens parit flatum in tertia concoctione, non vt materia, & coitum iuuat: per se autem sic sumptum, ventriculo mundo existente, omnem flatum discutere solet, atque hoc modo coitui nocebit: admixtum autem humidis, semper flatum excitat: ob id verò, & quia vt odoratum calorem adiuuat naturalem, omnibus fermè ad venerem medicamentis immisceri solet: quæ ratio etiam in longo pipere tenet: verùm longum piper in antidotis magis in vsu est. Zinziber vt conditum mirum appetitum veneris excitat. Serapio affirmat semen augere, atque hoc vt dixi intelligendum est.

CONTRADICT. XIV.

Corpora purganda an fluida reddenda sint.

COrpora cùm quispiam purgare voluerit, oportet fluida facere. 2. Aphorsi 9. at 7. Aphoris. 66. scribitur Aphorismus idem, his verbis adiectis: Et si supra aluum, sistere, si infrà, humidiorem reddere. Ergo vel primus incompletus, vel secundus habet quod extra propositum est. Galenus in commento. 66. Aphorismi dicit adiectitium esse superfluum: supráque hoc in quarta particula esse demonstratum: videtur igitur intelligere de. 13. Aphor. quartæ particulæ: sed tutius legemus, κατὰ τὸ δεύτερον pro κατὰ τὸ τέταρτον, id est, in secundo Commentariorum, idest in hoc. 9. Aphor. declaratur enim quòd oportet fluida reddere corpora, meatus ipsos faciles reddendo, tum incidendo tenaces humores, tum subtiliores reddendo qui sint crassi. At quidam vltra Græcam lectionem, quasi ῥυφθέντων ascriptum esset, in 9. Commento superaddidere, Abstersis: quod cùm desit in Aldino codice, etiam vitiosam Galeni sententiam reddit: qui duo tantum superius antiquæ expositioni præcepta superaddiderat, nunc tria, interpretationem facit operosiorem.

CON

CONTRADICT. XV.

Saccharum an minus melle detergat.

ZVcarum non est melle inferius in abstergendo, & mundificando 2. cap. tract. 2. cap. 755. oppos. septima tertij cap. 2. de dentium abstersione loquens dicit. Et Zucarum in abstergendo melle inferius est, & prima quarti tract. 2. cap. 8. Nunc autem mel cannæ (quod est Zucarum, & propriè mundificatum,) melius est melle apis, licet eius abstersio sit minor abstersione mellis. Averrò. 5. Collectaneorum cap. de melle. Et mel cannæ est minoris abstersionis, caliditatis, alio melle. Dioscorides libro. 2. cap. 73. de melle: Saccharum agnouisse visus est, sic tamen vt iam tunc in frequenti non esset vsu: appellatque indicum sal: existimo nondum arte inuenta per ignem copiam habendi, fuisse rem raram, quia non propagatam ignota adhuc lucri via. Gal. libro. 8. Artis medendi, c. 4. Sacchari mentionem facit melli illud assimilans: at verò in 10. lib. cap. 11. cũ mel in hecticis febribus asinino lacti misceat, illius fermè naturam ignorasse visus est: quanquam, vt diximus, rem cognouerit, tunc raram, & cuius exiguus esset vsus, ostendit autem illud libro 7. Simplic. medic. cap. de melle, vnde agnouisse palam est, sed non in vsu fuisse. Quod igitur ad contradictionem attinet: id quod sponte fluit, cum nullam aquam admixtam habeat, vocaturque Sulimenum à Principe, & est quod cognouit Galenus dicens non adeo esse dulce vt mel, hoc nulla ex parte melle inferius est in abstergendo. Reliquum, quod nobis in vsu est, propter admixtam aquam, cùm palam sit melle dulcius minus abstergit.

CONTRAD. XVI.

Rhabarbarum an calidum.

RHabarbarum est frigidum, vt habetur decima sexta tertij tract. 1. cap. 4. enumerans enim medicinas frigidas astringentes omnes, adnumerat illis rhabarbarum: nec in noua emendatione sublatum est, nec potes dicere esse ambiguitatem propter verbum. Et medicinæ singulares absolutæ aut secundum virtutem retentiuam. Nam primò connumerat illico astringentes calidas, inter quas non ponit rhabarbarum. Secundò, quia medicina astringens vt talis est, semper est frigida & sicca, vt colligitur 4. de Simplic. medic. cap. 7. quanquam ibi videatur de sapore tantum loqui: verùm illud clarum est, ad rem reuertor: Rasis 3. ad Almansorem cap. 47. ponit ipsum calidum, & 22. Continentis 332. ponit autoritate Chum, calidum & siccum in secundo, Auer. verò 5. Collectaneorum dixit, quòd Galenus numerauit hanc medicinam inter illas quæ non soluunt, sed astringunt: & tamen ipse vult vt purget, & connumeretur inter innoxia medicamenta. Mesue verò ponit & calidum & siccum in secundo cum Rasi, & purgare illud docet: cum Auer. vt experientia etiam attestatur, Serapio 206. cap. describit Rhaponticum, potius quàm rhabarbarum: neque enim purgatorium medicamẽtum esse agnouit: sic igitur Galenus, sic Dioscorides, sic Aëtius, sic Paulus omnino ignorasse videntur hanc radicem. Sed & Princeps cum cap. proprio 2. Can. statuat Rhabarbarum inter astringentes medicinas, nullam purgantem facultatem tribuens, quod nec in aloë, vel agarico facit, aut aliis purgantibus medicinis, ipse etiam rhaponticum præterit: nec mirum est quòd ante accessiones scribat Dioscorides velut agaricum datum rhaponticum prodesse: non enim purgando: esset enim insulsissimus medicorum, dare medicamentum purgandi gratia ante febrium accessiones: sed ratione tollendi rigoris. Itaque primus videtur Auerroës post Mesue rhabarbarum agnouisse, & quòd etiam purgaret intellexisse. Verùm inter modicè calidas medicinas illam refert, cuiusvis præcipua sit astringere: quo fit, vt nec de qualitate nobis satisfaciat Auicenna, frigidum statuens: Galenum enim putauit se imitari: qui 8. Simplicium medic. rhaponticum proculdubio, non rhabarbarum describens, temperatum esse ait: atque ita inter frigidas ratione non leui, cùm astringat vt frigidum, ab Auicenna potuit adnumerari. Ex quo patet, cùm ex descriptione Rasis non rhabarbarum, sed rhaponticum definierit, frustra calidum & siccum in secundo gradu ipsum statuisse: nam tale est rhaponticum. Sed excusat Rasim aliena autoritas, non enim ex mente propria locutus est. Sed illud etiam nos torquet, quòd Paulus lib. 1. cap. 43. inquit, Terebentinam oliuæ magnitudine aluum ciere: verùm si velimus acrius subducere, pauxillum rheu superaddere debemus: quare purgatorium erit rhaponticum. Vel ipse rhabarbarum verum agnouit, sed lectio antiqua Rhu habet, quod Sumac dicitur. Græcus etiam codex manu scriptus habet ῥοῦ, temerè igitur permutata dictio est. At rhus astringit non leuiter. Verùm cùm dormituris detur illud forsan contingit, quod Galenus dicebat 2. de Alimentis: stringentia à cibo sumpta aluum non parum subducere. Temerarium igitur est velle fidem codicum tam leuiter infringere. Quamobrem illud iam tantum obstat, quòd Galenus tantus vir hanc medicinam vel ignorauerit, vel vsum eius non cognouerit. Sed quid mirum? cùm multarum aliarum, quas hîc cum his subiungemus, naturam, ac vim nescierit, etsi aliquas, vt manna, sub alio nomine, & sub aliis viribus agnouisse visus sit.

Medicinæ nobiles, quarum vsus Galeno incognitus fuit: Saccharum, Rhabarbarum, Manna, Cassia fistula, Colutea, seu Sena, Mirabolani vt purgantia medicamenta, Moscus, Caphura, Ambra, Santhali: verùm hos sub Aspalathi nomine, vt & Dioscorides tamen, virtutem agnouisse potuit si Santhalum est Aspalathum.

CONTRA

CONTRADICT. XVII.

Impura corpora an copiosè nutrienda.

NOn pura corpora quanto magis nutries, tantò magis lædes 2. Aphor.10. vbi legitur τῶν σωμάτων, pro τὰ σώματα, sed videtur oppositum prima Aphor.17. nam ibi Galenus dicit, Si enim vires laborantis debiles fuerint, & ea quæ in corpore est dispositio ex corruptione humorum, vel defectu, parum & sæpe his dandum est de alimento. Parum quidem, quia virium imbecillitas non potest totam simul alimenti multitudinem sustinere: sæpius autem, quoniam multis indiget dispositio. Defectus siquidem adiectionem exigit, corruptio cõtemperamentum. Et rursus in eodem: autumnus morbis, qui ex corruptione fiunt, assimilatur. Quapropter qui eo febricitant tempore, continua optimi indigent adiectione, & si vires validæ fuerint, sæpe & multa dabimus: sin imbecilles, pauca, & sæpius afferemus. Sub eadem fermè sententia scriptum est tertia primi Doct.2. cap.7. Quum verò fuerit corpus repletum malis humoribus cum subtilitate, ipsum nutrientibus laudabilibus copiose refice. Et rursus in eodem capitulo ante dictam autoritatem scribitur: Et sæpe etiam conceditur illi, in cuius corpore mali habentur humores, vt rem bonam largiter comedat, & propriè cum non patitur ventrem sibi solui. Est etiam experimentum 5. de bello ciuili Cæsaris: dum enim exercitum fame & cibis improbis debilem ac morbosum haberet, ingressus Agar ciuitatem, totum illum refouit, tum maxime vini copia: nam largissimè epotum, illos qui vel ægri essent, vel debiles restaurasse ait. Vinum autem copiosè nutrit, vt in aphorismo sequente. At verò prima Hippocratis sententia à Galeno aliàs recitatur: & rationem secum habet: nam adiectum putrido, putrescit: quare quantitate augetur quod inimicum naturæ est, qualitate autem manet.

Multæ solent dari ad hanc contradictionem variæque à recentioribus responsiones. Prima, quod in hoc Aphorismo Galenus intelligit de cibo restaurante iam defectos: in aliis locis de communi, qualis his, qui in custodia sunt, exhiberi solet. Secunda, quòd Galenus ibi loquitur de victu necessario, coactóque: hic verò de eo quod illi corpore æqualitatis ratione conuenit. Tertia, quòd intelligunt de cibo medicinali, qui cùm virtute ea præditus sit, corporis humores possit emendare.: vel quòd loquitur ratione præparationis ad euacuationem. Gentilis in vtraque Principis autoritate nutat: volens intelligi illam de cibo ad vomitus præparationem dato, vel quòd contemperare possit humores, vt est dictum iam Galeni. Respondeo igitur, cùm hæ responsiones imprudentem faciant Auicennam, qui tam difficili re proposita principale prætermiserit, ex præsenti commento colligi posse concordiam, quæ est: Qui non appetunt (nam hæc est extrema octaui Aphorismi pars, quæ à Galeno, prætermisso nono, censetur adiungenda præsenti) debent à restauratione cauere: quoniam humoribus corruptis in ventriculo solo existentibus, seu etiam in illo, atque etiam toto corpore, quanto plus nutries, eo magis lædes. Non sic cùm ventriculus mundus extiterit, quamuis corpus reliquum putridis sit repletum humoribus: quo in casu copiose reficere debemus: namque præsentia humoris corrupti in loco concoctionis, prohibet concoctionem, atque corrumpit. At verò in cæteris locis cùm iam absoluta fuerit omnis coctio, permixto bono cum malo, totum minus noxium efficitur. Sed contrà 2. Aphor. 32. Quicunque circa initia bene cibati, rursus fiunt non appetentes: igitur ventriculus mundus non sufficit, Respondeo: in Aphor. 10. loquitur in morbosis iam seu conualescentibus citra purgationem. Tres igitur ad copiosum cibum rectè sumendum in impuro corpore conditiones requiritur. Verùm eam consules Contradictionem, an putredo à sola obstructione fiat.

CONTRADICT. XVIII.

Vinum aquosum an magis vrinam prouocet, an rubrum nigro magis nutriat, an austerum vrinam prouocet, an in syncope conueniat, an album tam in prospera quàm aduersa valitudine salutare, rubrum an flauo melius in tuenda sanitate, an omne vinum calidum etiam si sit album.

VIna alba, & tenuia, quæ aquosa dicuntur, minimè vt nutriunt, etiam vrinam prouocant: at rubea colore, crassaque, plus alimenti præbent quàm reliqua vina 2. Aphor. 11. Verùm ad proliciendam vrinam 5. de Tuenda sanit. ante medium, præfert quod substantia tenue est, & colore flauum non album: flaua autem calidissima ibi esse vult: contrà alba frigidissima: media inter hæc statuit, quæ medij coloris sunt, vt pallida: non tamen ad rubra nigrave comparat in caliditate: vnde (ex dictis) adiicit. Hippoc. etiam 3. Regim. acur.6. dicit, alba vinosa ac potentia maxime vrinam prolicere. Galenus quod in 5. de Tuenda sanit. prætererierat, adiicit, exponens illorum ordinem à calore: Sic flaua, inde fulua, post rubea, post dulcia, (per quæ nigra illum intelligere est existimandum: forsitam vel oblitus non adiecisse colorem, vel mendo scriptoris omissa) vltimo alba. Igitur quinque ordinibus ea distinxit. Potentia igitur flaua vel fulua quæ albo simillima videntur, vehementer vrinam educunt, non aquosa. Illud etiam contradicere videtur secundæ parti quod 2. Aphor. 18. scribitur, dum dixit, Crassa quidem ac rubea tanto à nigris in nutriendo plurimum superantur, quantum superant in præstando vniuersum & velox alimentum. Quidam dicunt illa confundere Galenum: sed quid absurdius, illum dicere confundere, qui

qui ea comparet? Alij nigrum robustius alimentum, rubrum verò celerius præstare dicunt. Sed quomodo sic rubrum crassum cæteris vinis copiosius nutriet? Accedit tertium incommodum: nam Dioscor. lib.5.cap.6.dicit, quòd albi vsus commodior est tam sanis quàm ægris. Vt postmodum ad ætatem peruenit mediam laudat, vt non nouum, nec antiquum sit: tale autem probat septem annorum, tanquam in consistentiæ medio: laudat autem austerum ex sapore aliis præferens. At si quis animaduertat, quisnam primo vsus erit rubri, nigri, flaui: at flaua tenuia commodissima senibus: non igitur alba. Caliditatem autem per tempora diuidit Galenus 8. de Simplic. medic. iuxta princ. dicēs: Vinum nouum mustum in primo gradu calefacientium est, antiquum in tertio, mediæ ætatis in secundo. Quomodo igitur cum Dioscoride conuenit? anne mustū dicemus ad annos vsque sex, vel etiam ad summū duos iam: Sed & in 8. Artis curat. cap.6. præponit omnibus in proliciendà vrina album mediocre in caliditate austerumque: quod etsi sit probatissimum, iuxta Dioscoridem, attamē ab aliis hæc dissidet autoritas, ab aquoso ac potenti laudem eā tollens. Declarat tamen quod Sabini, Adriani, Albanique ac talium nobilium vinorum, nō cæterorum tantum, vsus ante sextum annum non sit, quòd grauent ventriculū, & innatent illi. De austero verò est difficultas maxima, quia 3. Regim. acut. 6. textu ei tribuatur quòd vrinam supprimat: ob idque ab his, qui suppressam habēt illam, vel sputum prohibetur: nisi dicas, quòd fuluum dicat: at hoc maximè, vt dictum est, prouocare dicitur à Gal. si solius coloris ineas rationem: ergo sapore id fiet. At verò in de Attenuante victu, in fine: in proritanda vrina fuluum albo postponit, cùm tamen in sputis fuluum & flauum præeligat: potentia, dulcia, omnis expertia austeritatis: itaque Gal. vndequaque sibi tum cum Dioscoride discors esse videtur. Idem 2. de Locis affe. c.9. tantam inesse vim caliditatis ac siccitatis vino antiquo refert: vt cùm Grammaticus puerum domi reliquisset, isque siti tentatus largiter vinum antiquum ebibisset, in posterum peruigil semper remanserit, donec febre correptus simul ac delirio, mortuus sit, quo fit vt suprà dictum de vini caliditate confirmetur.

Res igitur ad tria refertur capita, quorum primum est, An aquosum, an mediocre, an potens vinum magis vrinas prouocet: Secundū, An rubrum vinum nigro magis nutriat: Tertium, An austerum vinum supprimat vrinas, an prouocet. Mihi certè videtur facile primū discutere, nam aquosum cùm minime nutriat, maximam materiā vrinæ relinquit: atque sic si corpus mundum extiterit, calorque potens valentius vrinam ciet. In prouocādo verò, ac educendo alienas partes aquosas, potens vinum præponi debet: mediocre autem inter ea quæ conueniunt his, de quibus sermo ibi habetur, in vrina prolicienda est præstātissimū: quòd tamen potenti cedat, vel aquoso, nihil refert: quandoquidem illa non cōueniant vt nimis valida, vel imbecillia. De secūdo dicamus, Nigrum quidem copiosius alere longo vsu, quia nutrimentū eius minus dissoluitur, & copiosum est: at rubrum tamen copiosius alit in singulas vices. Ad tertiū dicimus, Vinū quod austerum est minime vt tale vrinas prouocare, sed sic esse saluberrimū: attamen cùm etiam hoc album sit, & non inualidū substantia, & qualitate, vt subtile calidūque vrinas prouocat. Mustū autē dicitur in nobilibus vinis (qualia Galenus appellat) Italicis, aut Græcis, ad annum vsque sextū, vel vt Dioscorides, vsque ad septimum: verùm vina vulgata mediocrem ætatem, alia primo, alia secundo, atque ita deinceps anno sortiūtur: vt singulū illorum nobilius extiterit, serius. Verùm albi vini vsus, qui adeò cōmodus in vtraque extat valitudine, ad flauum & fuluū extenditur: nā ibi rubrū ab albo Dioscorides tantum distinxit, ac nigro, vt tria sint eius vini genera tantū à colore sumpta, cùm apud Galenū quinque statuantur, (vt dictū est) hoc ordine, flauum, fuluum, rubrum, nigrum, album. Sed Aëtius l.1. iuxta fin. eadē fermè de colore rubro & nigro sentit, quæ diximus: nā rubrum crassum nigro præponit. Verum cùm in fine capituli dicat, rubrū vinum subtile, modicéq; astringens, tam sanis quàm conualescentibus optimum esse, Dioscoridi contradicere videtur. Causa autē, cur vinum subastringens ab Aëtio laudetur lib.9.c.3. edocetur, quia corpora firmat, & vires vētriculo addit. In eandem sententiā scribit Paulus lib.1.c.95. attamen vterque inter vermiculum & rubrū distinguit: nā ἐρυθὸν rubrum vermiculum autem κίῤῥον vocant, sic aliqui giluum exponūt: alij per ἐρυθρὸν coccineum etiam interpretantur: etenim non præterisse fuluū ac flauū Aëtium ostendit c.31. lib.4. inde dissidium inter Paulū Aëtiūque: nam vermiculū laudat Paulus, Aëtius rubrū. Rursus pro austero astringens scribi deberet, codicis Græci habita ratione, nā στυφὸν astringens sonat. Galenus tamen austerum laudauit 4. & 12. Artis curat. Palam est autem per κίῤῥον flauum intelligi debere apud Paulū: cùm rubrum exprimat per ἐρυθρὸν, fului autem ac flaui nullā faciat mentionem: igitur de hoc intelligit. De austero illud censeo quod Galenus. Verùm quoniam difficilis est, nec adeò euidens differentia inter austerum, & astringentem, alterum pro altero supposuit. Differentiam autem austeri & astringentis habetis 4. & 8. cap. quarti de Simplici medicina: nam astringens est, vt rhu & gallæ: austerus sapor, qui in fructu palmæ vltra dulcedinem percipitur, est & in vinis astringens frigidioris notæ quàm austerum: cùm tamen vino astringentem facultatem tribuere possis: veruntamen ad rem magis ille στυφὸν austerum pro astringente interpretatus est: sed Aëtius rubrum præponere maluit ad confirmanda corpora, id tamen sanè non ex Galeno. Quod verò Aëtium seduxit, est quòd vina rubra, crassa, sanguini gignendo accommodatissima Galenus dixit, 3. de Alimentorum natura. Id dictum ad sanitatem transtulit Aëtius: verùm in inculpata valitudine rubrum potest flauo & fuluo præferri: at in conualescentibus, album: in senibus flauum, ac debilibus: tum fuluum, quòd vim habeant medicamenti, præponi debent. Sic igitur non simpliciter quod à Dioscoride profertur verum

est. Ex quibus etiam non obscurum euadit, vinum rubrum esse quod his, qui virtute deficiunt, cum panis buccella exhiberi debet, secundum horum sententiam: verùm non sic Gal. 12. Artis curat. cap. 4. nam flaua tantum, ac fulua, tum austera in vsu conuenire docet: atque omnia nobilia vina eiuscemodi esse ostendit. Declarat autem austero vino inesse quòd confirmet ventriculum, & quòd non feriat caput: quia tamen nutrimentum non celeriter distribuunt quæcunque austera sunt, ob id in syncope non minus quam aqua sunt fugienda, in fine cap. 4. at iuxta initium hæc habet verba, de syncope loquens: At quoniam ipsorum falernorum aliud dulce admodum est, quod Faustianum vocant: aliud, si cum hoc conferas, austerum: at verò si cum Signino, & Marso, dulce: deligendum ex his secundum. Hæc contradictio paulo pòst dissoluta videtur, cùm dixit, Reliquorum vini generum austera quæ mediocriter alba, crassaque sunt: certè nullum ad digestionem in corpus est idoneum: ergo Falernum comparatione austerum dicitur vt Creticum, non quòd talem obtineat saporem, quoniam aliud dulcissimum sit. Rasis igitur dictum lib. 3. ad Almansorem cap. 5. quòd vinum album leue sit, ad vrinam proliciendam vtilissimum; non aliter quàm vt dictum intelligi debet, quòd multam gignat, non quòd prouocet. Vinum etiam rubrum omnibus vt alimentum: non verò vt medicinalis potus, vel vt cibo iunctus, vel vt languentibus, aut ætatis vitio laborantibus aliis præferri debet: nam alba pueris flaua senibus magis conueniunt. Idem lib. 22. cap. 6. Continentium, repetit quod de albo vino diximus: scilicet, quòd tale aquosum maximè vrinam prouocat. Sed verba illa de vino, quod concoctionem auget, & humores digerat, (vt verbo eius vtar,) ad austerum, non ad amarum (quamuis malus in verbis ordo sit) referri debent: nam hoc est ex loco Galeni proximè adducto ex verbo sumptum: Apparet etiam, quoniam dicit vinum illud esse delectabile, nullum autem amarum tale esse potest: circa quod intelligendum, quòd ætas ex sapore in vinis ac substantia distinguitur: nam dulce & crassum semper nouum est: amarum & subtile, antiquum: horum neutrum vsui commodum: austerum & si dulcedinis particeps sit, seu media substantia, seu subtili, mediocris est ætatis Quod autem Serapio capitulo proprio dicat, vina stiptica, idest astringentia, maxime vrinam prouocare, non aliter intelligi debet, quàm ex Galeno 7. Artis curatiuæ cap. 6. vt primo pro astringente austerum intelligas: deinde, vt laudatissimum hoc credas inter ea quæ prouocare vrinam possunt, est autem laudatissimum quia in 7. Artis curat. libro Galenus de ventriculi imbecillitate agit, vbi austerus sapor, imò etiam astringens, maximè probatur: sed asttingens vrinam nimium coërcet: ergo loci etiam pertractationum in Galeno inspiciendi sunt: nam in eo loco vt imbecillitatem ventriculi principaliter spectat, sic in 12. virium resolutionem: at in 5. de Tuenda sanit. abundantia serosi humoris, qui copiosius gignitur. Austera igitur in 7. lib. probabuntur, mediocria valida ac dulcia, in 12. Artis curatiuæ: subtilia flaua fuluáue, in 5. de Tuenda sanit.

Sed emergit aliud dubium, nam si omne vinum calidum est in primo, vel secundo, vel tertio gradu, quomodo album infrigidare potest? quod etiam Rasis testatur autoritate Ruffi & Gal. 12. Arti. cura. cap. 4. nullum album vinum calidum. Respondeo, vinum infrigidat bilem educendo: nam Gal. quòd per se infrigidet, nunquam fatetur: sed dicit aquosa nullam insignem calefactionem facere, alba autem non esse calida, non arguit ea tamen esse frigida, saltem absolutè.



LIBRI PRIMI
TRACTATVS SECVNDVS.

CONTRADICT. I.

Ars an singularium.



Rs est singularium. 9. Artis curatiuæ cap. 6. Ars in vniuersalibus theorematis methodo, in singularibus exercitatione indiget. At verò 2. Ethic. cap. 2. Singularium non est ars, neque præcipiendi ratio vlla. Item primo Primæ philosophiæ, Ars ipsa vniuersalium est, experientia singularium: ob hoc expertus melius operatur sine experientia rationem habentibus. Philosophus 2. Posteriorum tract. 27. dicit, quòd ex sensu rerum memoria constat: multæ autem memoriæ experimentum vnum sunt. At verò ex experimento prodit ars, cùm in anima fuerit confirmatum. Hæc responsio quibusdam satisfacit, cùm tamen duas relinquat dubitationes: Prima, quòd ars experimentum præsupponat. Hoc autem videtur falsum, vt ex primo Primæ philosophiæ colligitur: nam eum, qui experimento sine ratione duce operatur, præfert illi, qui artem habet sine experimento. Præterea Hippocrates artem non traderet scriptis quandoquidem illa præsupponit experimentum: hoc autem videtur etiam Galeno contradicere, 1. Aphor. 1. Secunda difficultas est, quia 2. Posteriorum 27. vult experimentum constare necessario ex pluribus singularibus: & tamen primo Primæ philosophiæ videtur hæc esse differentia experimenti ab

arte:

arte: quod illa sit vniuersalium, hoc autem singularium. Ideo dico quod, (vt habetur 6. Ethic. 8. de prudentia) habitus ipsi, ars, & prudentia sunt de vniuersalibus: sed exercitatio est singularium. Et hoc voluit Galenus loco adducto. Non sic scientia, vel intellectus, vel sapientia: nam hæc vniuersalium semper sunt. Est autem triplex modus: aut Singularis comprehensio, & dicitur sensus: aut Singularium plurium, & est experimentum, vt in memoria colliguntur: aut Vniuersalium provt ad singularia comparantur, & sunt artis vel prudentiæ habitus. Reliqui tres vniuersalia agnoscunt, non in comparatione vlla ad singularia. Verum de his in 3. lib. Contr. 8.

CONTRADICT. II.

Experimento an duæ rationes sint necessariæ.

EXperimentum vt rectum dicatur exigit duas conditiones: primam quòd in humano corpore sumptum sit: secundam, quòd per primam ac propriam operationem, non ex consequentia: primo de Simplic. medicamentorum facul. cap. 2. Princeps 2. Can. cap. 2. quinque alias adiicit conditiones: quòd in morbo simplici, quòd illud quo experimur vitiosum non sit, quòd experiamur in morbo æquali, quòd idem agat in contrariis temperaturis, quòd secundum plurimum non semel tantum aut bis. Hæ verò conditiones colliguntur tertio de Temperamentis cap. 5. quamuis id secundum plurimum etiam ad temporis magnitudinem extendat, non solùm ad multorum hominum experimentum. Experientiam tamen ab Experimento separat Galenus libello de Empirica subfiguratione, qui apud nos in Græco non habetur: pluribus experientiis experimentum constare affirmat, hoc autem est quod iam diximus, scilicet, Experimentum multis sentiendi memoriis constare. Diffinitur autem ibi Experientia, quòd est tota rei euidentis obseruatio. Aliter verò secundum eius opinionem diffinitur, quòd est obseruatio ac memoria eorum, quæ sæpe eodem modo perspecta sunt. Ibi verò diffinit Experientiam quæ est artis principium. Igitur non tot erunt necessariæ conditiones ad experimentum. Respondeo: quanquam possem, vt dixi, subterfugere per distinctionem iam datam experimenti & experientiæ: nihilominus experientiam omnem esse artis principium: perfectam autem experientiam & quæ ratione perfici possit, his indigere conditionibus. Ex hac autoritate oritur hæc.

CONTRADICT. III.

Medicina an solo experimento inuenta.

EXperientia constituit artem medicam & solam. Philosophus etiam, vt dixi, primo Primæ Philosophiæ tract. 1. iuxta initium, probat Poli sententiam dicentis, Experientiam artem efficere; sed oppositum habetur prima Aphor. 1. commento. Medicina dupliciter modo inuenta, experientia, & ratione. Quanquam enim dicat de aliis artibus: manifestum est etiam, quòd de medicina intelligit, cùm de aliis propter illam loquatur. At 3. de Crisi cap. 8. videtur sentire, quòd ars medicinæ ex principiis philosophiæ inuenta sit: fidem tamen sumpserit ab opere. Idem in Introductorio cap 2. docet, tria genera principiorum, Inuentionis, & hoc totum ad experientiam pertinet: Constitutionis, id est, vt in artem redigatur, his opus dicit est ratione & experientia: Interpretationis, naturalis speculatio fundamentum exhibet, & in 9. Artis curatiuæ cap. 2. Non licet cuipiam artem totam adipisci solo experimento, si non vniuersalium methodum quandam teneat. In libro autem de Constit. artis medicatiuæ, probare nititur, artis inuentionem citra experientiam vllam posse constare, vtar autem illius verbis: ὅτι μὲν οὐκ ἄχρηστος, εἰ μέλλοι τις οὐ διὰ πείρας τινὸς, ἀλλὰ μεθόδῳ συστήσασθαι τὴν τέχνην, ἤδη μοι δοκεῖ πρόδηλον ὑπάρχειν, ὅτι δὲ οὐδ᾽ ἀδύνατος, ἐφεξῆς σκοπῶμεν, ὀλίγον τι πρότερον ἡμῖν διαλεχθέντες. Quod est, Quod quidem non vsui inutile futurum sit, si sine experientia quadam, sed ratione sola artem constituat, iam mihi videtur manifestum: Quòd autem non sit impossibile hoc, posterius considerandum, paucis prius nobis declaratis. Respondeo, autoritas ex libro de Subfiguratione empirica, est ex Empiricorum, non propria, vt ipse testatur Galeni sententiâ: initium tamen Artis, vt in Introductorio, ob antiquitatem ab experientia sumptum est: ars tamen ipsa vtroque indiguit auxilio, ratione siquidem & experientia. Philosophus autem nihil aliud vult, quàm quòd experientia sit principium artis: intelligendo principium originem primam, non formam: nam & ex forma à ratione inducitur. Aliter ars esset idem quod experimentum, experientiis pluribus solum constans. Ad hoc autem inueniendum sufficit solum experimentum, sola ratione naturali adiuuante, qualem habuit Hippocrates. Ad tradendum verò sub Artis forma methodus artificiosa necessaria est: cùm iam lumen autoris & fides experimenti non maneat. Galenus autem in libro de Constitutione Artis medicatiuæ, docet medicinam, quo ad primas illius propositiones, ex philosophia procedere: nam sic potius est scientia, quàm ars.

CONTRADICTIO IV.

Experimentum an sit artis principium.

EXperientia quæ ratione caret non est sufficiens ad artem complendam. 3. Artis curatiuæ cap.2. Et adducit rationem, quia ea sola nec ex medicamento in medicamentum, nec ex affectu in affectum transire licet. Hippocrates experimentum periculosum etiam vocat, prima Aphor. in procemio: Galenus etiam 9. de dogmate Hippoc. & Platonis, affirmat experimentum absque ratione esse infirmum. Princeps verò prima quarti trac. 2. cap. 7. dicit, & experimentis quæ non sunt secundum rationem, accidit vt nec vnum sit signum nedum vt valeat, & Ioannes Damascenus etiam experimentum quod ratione caret non probat, sed requirit rationem in eo, vt in suis Aphorismis. Quomodo igitur poterit esse artis principium? Respondeo: Experimentum quod periculosum est, apud Hippocratem pro experientia sumitur: & hæc non est artis principium, cùm sit tentatiua. Experimentum verò cuius nondum ratio est comperta, non est tutum, quia nescimus an affectus hi similes sint: ratione autem sui est tutum, cùm sit artis initium. Damascenus præcipit, vt non tuis tantum experimentis vel scriptis confidas, si ratione caruerint: nam inter experimenta potiora decet eligere. Principis dictum tenet, cùm experimētum rationi aduersatur: velut si hydrops casu quodam asciliticus frigida aqua sanetur. Multum autem interest dicere, quòd experimenti non pateat ratio, vel quòd experimentum aduersetur rationi. Primum, & si non sit omnino tutum, propter translationem ad similia, est tamen artis principium, & per se tutum. Secundum artem nunquam facit, & est periculosum: & de hoc loquitur Auicenna.

CONTRADICTIO V.

Dies febris enixæ an à partu computandi.

PAri modo in mulieribus iudicationes fiūt à partu: tertio Prognosticorum 7. Vbi Galenus exponens, inquit: Principium numerationis fiat, non quo die cœperint febricitare, sed quo pepererint. In quibusdam igitur circa secundum diem aut tertium diem à partu incipiunt, ex quo multi numerant futuram iudicationem. Sed res non ita se habet: sed ex quo pepererint, numerationem oportet fieri dierum. Princeps etiam secunda quarti tract. 2. cap. 1. secundum priorem literam: Et si peperit mulier, deinde accidat ei febris, tunc si non computetur ex febre, & non nisi ex partu, est illud error. De hoc dixerunt quidam, quòd plurimum accidit post secundum & tertium. Sed alia litera Galeno contradicit, dicens, Et si peperit mulier, deinde accidat ei febris, tunc fiat computatio ex febre, & non ex partu: ex illo enim est error, & plurimum, quòd accidit post secundum & tertium. Hic igitur emendator putauit se Auicennam ad Galeni mentem traducere cum illum ab eo maximè abduxerit. Auerroës autem quarto Collec. 40. Et debes scire, quòd istæ crises à principio ægritudinis computantur: & est, quando manifestè in operationibus læsio apparet: excepto in pariente, quia ab ipso partu incipere debemus: quamuis ægritudo post partum per triginta dies sensibiliter extitisset: breuiter hæ regulæ dicta Hippocratis consequuntur. Hæc ille. Idem fermè Haliabbas 10. Theoricæ cap.8. iuxta principium: Passiones autem, quæ mulieribus post partum fiunt, ab eo computabis die, in quo partus celebratur, quemadmodum Hippocrates imperat. At tertio Epidem. super primum text. 21. de vxore Philini sic inquit: Decimo & quarto die à partu cum purgata rectè, & cætera benè haberent, ignis inuasit cum rigore. Inde connumerans omnes dies iudicatorios, & præter hos sextum, vigesimo mortuam fuisse affirmat. Ex quo liquet, quòd à die febris, non à partu computantur: nam sextus fuisset decimus nonus, & septimus vigesimus: & dies in quo mortua fuisset, trigesimus tertius. Sed nec trigesimus tertius iudicatorius est, sed trigesimus quartus, vt à Galeno apparet. Rursus in sequenti textu declarat idem: subiungam autem initium propter multa, est autem tale: Epicratis vxor, quæ ægrotabat apud Archegetem, instante iam partu rigore correpta est, non incaluit vt ferebant: postridie eadem erant, tertio die filiam peperit, cæteráque rite consecuta sunt: postridie partus eam febris acuta inuasit, cordis dolor, & muliebrium, nulli erant somni: per suppositam glandem hæc releuata sunt: sed caput, collum, & lumbi dolebant: aluus pauca biliosa, non concreta, mera: vrinæ tenues, subnigræ: sexto die, qua illam febris corripuerat, sub noctem delirauit: septimo omnia exacerbata, vigiliæ, delirauit, sitibunda, deiectiones omnes synceræ, biliosæ: atque ita vsque ad octogesimum cōnumerat dies à febre, nō ab hora partus: nam cùm in quadragesimo die pauca vomuerit biliosa in octogesimo liberata sit, fierent connumeratis à partu diebus quadragesimus primus & octogesimus primus iudicatorij, quos nemo vnquam concedat: tum magis, vt dixi, quòd Hippocrates ad febris initium redigit numerum. Respicere etiam oportet, cùm triduo ante partum morbus initium habuerit, non tamen tunc sumptum initium, sed postquam febris non obscurè eam vexauit: quod ex sententia etiam Galeni est, primo de Diebus decretoriis, c.6. Rursus 3. super primum de Morbis vulga, tex. 28. hæc habet: Dromeadai vxorem, quæ filiam erat enixa, cæteris rite cōsecutis, postridie rigor cepit, febris acuta. Primo die ex præcordiis laborare cœpit, fastidiosa, horrens, implacida: sequētibus diebus somnum nō cepit, spiritus rarus, magnus, præcordia statim reuulsa: postridie eius diei, quo riguerat, aluū commode reddidit, vrinæ crassæ, albæ, turbidæ, cuiusmodi sunt, quæ in

matellis

tellis diu steterunt, cùm agitantur, non subsidebant: nocte non dormiuit: tertio die circa meridiem riguit: tandem in sexto die illam mortuam fuisse affirmat, est autem sextus ex genere malorum dierum & qui perniciem afferant.1.de Diebus Decret. cap.4.& 5. Quo fit, vt manifestum sit, Hippocratem & autoritate sua, & experientia docere nos dies iudicatorios à febre, vel morbo in puerperio inchoandos. Aëtius & Paulus hanc difficultatem leniter tractasse videtur: & quod mirabilius est, Galenus in nullo horum locorum hanc contradictionem animaduertit, verùm difficultatem auget in Philini vxore: nam cùm Hippocrates dixisset, κτ̀ φύσιν καθάρσεως γινομένης, quod est, Facta secundum naturam purgatione: Galenus dicit, ἐπισχεθείσης γὺ τῇ γυναικὶ ταυτῇ τῆς μετὰ τόκον καθάρσεως, quod est, Prohibita autem mulieri huic secundum partum purgatione. Quare dic, lapsum interpretem, nam κατὰ φύσιν cum præpositio accusatiuo iungatur, potest etiam contra significare, & plerunque, (vt notat Galenus in de linguis Hippocratis) κατὰ in malam partem ab Hippocrate accipitur. Vel dic, in Galeni textu legendum, οὐ κατὰ φύσιν, non secundum naturam. Verùm Hippocratis verba sequentia difficultatem augent, dicentis, & τὰ ἄλλα κούφως διάγουσαν, quod est, Et alia oportunè procedebant. Forsan aliquis dicat, quòd Hippocrates 7. Aphor.57. ait, purgationes nimias morbos efficere: quæ verò exiguæ essent, vterum malè afficere: volentes vt Hippocrates ortum morbi generalem ostendat, Galenus autem sedem: sed non est moris Galeni contradicere Hippocrati, nisi eum nominet, tum verò aliqua ex parte excuset, vel sententiam in alium referat. Poterat & ἐπισχεθείσης ἀπὸ τοῦ, ἐπισχεῖν deductum, vt pro κωλύειν interpretatur, etiam κρατεῖν dicere: sic enim anceps est verbum, autore Hesichio. Est autem κρατεῖν vincere, vt Galeni sensus sit superfluentibus purgationibus à partu. Sed iam hæc dimittamus, quanquam valde necessaria, & ad principalem quæstionem veniamus. Conciliator differentia 106. vidit dubitationem, sed non autoritates, duo tamen dicit: Primùm, quod non solum à partu, sed à febre, ita vt vtrunque consideretur, computandi sunt dies. Secundum, quòd in naturali partu magis attendendi sunt dies ab initio febris, quia talis febris non dependet à partu, sed ab errore, vel alia causa: & tum magis, si fuerit initium febris partui propinquum. Istud patet, quia in febre quæ ab apostemate, considerantur dies initij tam apostematis, quàm febris, ex Galeni & Principi sententia. Sed in innaturali magis dies partus, quia febris consequens, est quasi symptoma, igitur cum dies cretici disponantur à morbo, non à symptomate, erunt ipsi numerandi à die partus, non à principio febris. Ad autoritatem Hippocratis 1. Episiem. dicitur, quòd 2. de Diebus creticis, cap. 6. dicit Galenus, Hippocratem prius scripsisse libros Epidemiorum, quàm Prognosticorum, vel Aphorismorum: adducta igitur autoritas ex tertio Prognosticorum præponi debet autoritatibus libri Epidemiorum. Adduntur tamẽ rationes à Conciliatore ad oppositam partem, quarum fermè vis in vnam reducitur. Partus ad febrem se habet vt causa disponens vel antecedens, & ipse per se est res naturalis, igitur dies non sunt computandi ab eo, sed à morbo, patet sequela 1. de Diebus iudicatoriis, cap 6. & 2. Prognosticorum 58. Sed hæc ratio non videtur valida in casu partus non naturalis: quia ipse morbus est, & febris, vt dictum, symptoma: item quia, vt Auer. & Haliabbas dicunt, hæc res habet autoritatem & rationem ab Hippocrate: ipse verò experimento dies hos comprobauit. Atqua ideo cum clarè in primo exemplo & tertio naturalem partum exposuerit: in secundo forsan violentum, videtur mihi, cum eandem in omnibus obseruet à die febris computationem, non esse vllo modo distinguendum. Verùm etiam plus Hippocrati hîc credendum est, vbi per tria exempla totam rem decernit, quàm in libro Prognosticorum, vbi paucula tantum verba subiecit. Quòd verò mixta ratio ineunda sit in febre computandi dies à partu, & à morbi initio, hoc est perabsurdum: nam bene possumus dies in partu & febre, vel apostemate & febre vtriusque considerare, sed tamen vtrosque seorsum, & singulos pro suo ægritudinis genere, nec tamen prohibet quicquam, vt in apostemate habente febrem ephemeram iunctam consideremus dies ab initio apostematis pro febre, cùm sit purum symptoma, autoritas igitur tertij Prognosticorum intelligitur solùm de naturali partu, & morbis, qui sunt illius symptomata: & sunt febris ephemera, quæ quarto die solet aduenire: item dolores, & cursus menstrui sanguinis, & ipsi quid aliud tale. In his omnibus debemus dies à partu, etiam si hæc post partum cœperint, computare. In aliis autem ab initio morbi. Auicenna, Auerroës, & Haliabbas cùm vidissent libros Prognosticorum, & non Epidemiorum, quod facile est cuique intelligere, qui illos diligenter euoluerit, ob non visa dicta Hippocratis aberrauere. Porrò dies partus in masculis sunt triginta, in fœminis quadraginta, vicesima prima tertij tract.2.cap.33.

CONTRADICT. VI.

Putredo an solum ex obstructione.

PVtredo fit, cùm calida & humida corpora calido & humido loco manẽtia non perflantur: quòd si maneant transpirata, non putrescunt: oportet igitur ad hoc vt putrescant, impeditam fore transpirationem, 11. Artis curatiuæ, cap.4. At 2. de Differentiis febr.cap.9. vult duplicem esse putredinis causam, verba subiungam: In putrefactionibus autem (nam & sanguinem putrescere necessarium est) quandoque quærendum, quænam sit harum febrium species. Hoc autem inueniri posse putandum, si prius cognouerimus, quo pacto sanguis putrefiat: nam recte sentire videtur Aristoteles, ab aliena caliditate oriri putredinem. Vocat autem alienam

externam, non insitam, atque natiuam, in quocunque rerum genere. Nam hæc coquere aperta est, externa autem corrumpere, quod est putrescere. Calor autem exterior sanguinem opprimit, vt in Solis deustionibus, & in pestilenti aëris statu, atque vt simpliciter dicam, in febribus vniuersis, ex quacunque causa originem duxerint. Sed & quando in aliqua corporis parte sanguis plurimus aceruatus eius corporis vim opprimit, corrumpi consueuit: ac item præcipuè, cùm in paruis vasis propter crassitudinem obstruitur, aut propter multitudinem impingitur. At libro de Inæquali intemperie cap. 7. dicit: Neque verò ea solum, quæ inculcata sunt, & perspiratu prohibita, putrescunt, quanquam celeriter ea, maximéque: sed & alia multa putredini sunt opportuna. Itaque in prima autoritate vult tria esse necessaria: Prohibitam totius corporis transpirationem, quod inferius declarat: Corpus calidum & humidum: & Ambiens tale. At in secunda prætermittit duas primas causas, & vult vel solam extremam esse sufficientem, vel quandoque conuenire humorum conculcationem in loco vno, ex qua obstructio loci fit. At in tertia autoritate amplectitur & obstructionem, & prohibitam transpirationem: verùm non esse causas necessarias vult nisi velocis & maximæ putredinis: atque sic videtur secunda primæ, & prima secundæ, & tertia vtriusque ostendere insufficientiam. Nam ex dictis videntur quatuor causæ putredinis, caliditas, & humida qualitas totius corporis tum continentis: prohibita transpiratio in cute: tum in certa corporis parte. Galenus 12. Commento, 2. particulæ, exponens illud, Quæ relinquuntur in morbis, &c. dicit: Quæ relinquuntur in morbis necessariò sunt humores mali: nam intelligit materiam morbum: tales autem cùm nutrire non possint, necesse est vt tempore succedente febres accendant: non igitur necessarius est calor continentis, vel obstructio, aut prohibita transpiratio. Princeps, 13. tertij, tract. 3. cap. 2. & prima quarti tract. 2. cap. 1. docet plures causas corruptionis: sed in priore loco propriè concoctionis, in posteriore generaliter omnium humorum: quæ causæ cùm ad septem reducantur, plures videntur quàm quæ à Galeno recitatæ sunt: dicit tamen, quasi Galeni dicta inter se, & secum concordans: Et plurimum corruptionis humorum ex causis est obstructio: propter humoris multitudinem vel crassitiem, aut lentorem, quod sumitur 11. Artis curatiuæ cap. 9. in fine. Dicebat enim Galenus, de obstructione loquens, Redundantia cum crassis & glutinosis humoribus, horum enim vitio obstructio est orta, quæ morbus est instrumentalis eorum quæ obstructa sunt corporum: hanc symptoma secutum, ipsa transpirationis retentio, quam rursus putredo humorum excepit, ipsa scilicet febris antecedens quædam causa. Recentiores quidam dicunt, in febribus necessariò esse coniunctam prohibitam transpirationem, si à materia sint putrida: retinentur enim vapores, qui exire deberent: in aliis etiam plerunque putredini coniunctam esse hanc prohibitam transpirationem. Dico igitur, quòd putredo fit in humoribus, vel humorum: humorum quidem, dum generantur: & sic longe plures sunt causæ quàm quatuor: nam ex corruptione concoctionis fit putredo persæpe humorum genitorum, nec tamen semper, cùm sint alij modi corruptionis, quàm ad putredinem: & sic loquitur Princeps in 13. tertij loco dicto. Vel putredo fit in humoribus iam factis, & hoc accidit in tota humorum congerie, quæ est in sanguine: & hæc præsupponit prohibitam transpirationem, & de hac loquitur 11. Artis curatiuæ 4. vel in vna parte tantum, & hæc propriè fit ab obstructione, vel inculcata materia: & de hac loquitur secundo de Diff. feb. 9. Aut loquitur de vtraque in generali, & de hac dixit in libro de Inæquali intemperie, quòd causæ essent illæ tres dictæ, nam quarta causa semper est ex supposito necessaria caliditas cum humido eius quod putrescere debet, vt 11. Artis cur. cap. 4. docet: nam dicit, cùm animal sit, vel planta, necessariò constat calido & humido: & ita ibi explicauit causas necessarias omnes, seu naturales, seu aduentitias: aliis autem in locis hanc naturalem prætermisit: ideo inde Inæquali intemperie tres tantum connumerat, quæ omnes sunt necessariæ. Differunt autem obstructio in particula, prohibens & motum, & perspirationem, à prohibita perspiratione, quæ in toto fit: nec tamen prohibet sanguinis motum, sed halitus ac vapores tantum fuliginosos excerni. Motus autem est de causis etiam conseruantibus à putredine, vt apparet in aquis fluminum, quæ non putrescunt, cùm stagnorum celeriter corrumpantur. Sed cur ergo Philosophus dixit 2. Problem. 4. quòd motus corruptionem excitat? Respondeo: Motus naturalis, & proprius, conseruat: quicunque alius externa causa proficiscens, corrumpit: hoc autem quia concutit, & quia facit obuiare aëri nouo: nam hoc Philosophus in fructibus quæsiuit, quæ motu vitiantur propter teneritudinem. At vt colligitur 4. Meteor. 6. & 3. Collectaneorum 3. Aër sui caliditate putredinem in animalibus operatur, exhalare faciens innatum calorem: item frigiditate extinguendo proprium, vnde materia alium concipere cogitur putredinis autorem. Hoc autem secundum membrum, cùm rarò accidat, & per consequentiam tantum caloris nostri corrupti putredinem pariat, iure meritò à Galeno peætermissum est.

CONTRADICT. VII.

Vinum natura humidum est.

VInum confert iuuenibus duplici modo, bilem educendo, corpusque humidius reddendo: primo de Tuenda sanitate, & quinto eiusdem: Vinum maximè competit frigidis ac siccis temperamentis. Primo etiam Regim. acut. 22. iubet ante ptisanam vinum aut mulsam exhiberi: velut aqua ipsa humidiora vbi morbus ipse siccior extiterit: secunda quoque Aphoris. 21. vinum iubet dare

Galenus

Galenus in fame illa non naturali, seu à frigiditate, seu ab acido prouenerit humore: est autem humor acidus, frigidus atque siccus. Ex quibus colligitur, cùm omnis cura sit per contraria, vt in tertio habetur Partiæ artis, vinum non solum calidum esse, sed etiam humidum. Princeps etiam tertia primi doct. 2. cap. 8. dicit, Et vinum confert melancholicis, quia eis contrarietur à tota specie: ipsi autem sunt frigidi atque sicci, quare vinum erit calidum ac humidum, vnde Gentilis in sua quæstione ibi tenet, quòd vinum semper humidius corpus reddat. Et prima tertij tract. 4 cap 17. in cura maniæ in generali, in fine, dicit: Cumque fuerint in declinatione, detur eis vinum plurimum mixtum: illud enim humectat eos, & dormire facit. Idem fermè primo ad Glauconem cap. vltimo, dum curam eorum tractat, qui animo linquuntur, & prima quarti tract. 3. cap. 4. In cura hecticæ vinum humectat sed calefacit: & parum post: & similiter cùm necessitas te vocat ad fortem humectationem & velocem, des ea quæ sunt, vt aqua, carnis, & vinum. Haliabbas quoque in primo practicæ 22. Vinum calefacit & humectat, & contrarium est melancholiæ à tota specie, & sexto Collectaneorum 13. recensetur inter ea quæ corpus humectant, cùm extenuatis exhibeat, qui siccitate non vacant. Aristoteles quoque tertia Problematum. 16. Vinum natura humidum est. Sed in oppositum Galeni videtur esse autoritas 8. de Simplic. medic. cap. de vino. Nouum in primo calidum est, vetustum in tertio, mediæ ætatis in secundo, his pro caliditate siccitas respondet. Item Galen. 2. Aphoris. 11. exponens humidum melius nutrire, potabile interpretatur: quod actu non potentia humidum est: atque hoc modo vinum inter humida connumetat: quasi potentia tale non sit: propterea dixit, quòd humidum prout à solido distinguitur, maximè nutrit, præsertim si natura calidum sit. Paulus quoque lib. 1. cap 95. & lib. 7. in littera o, Mustum in primo siccum est, mediæ ætatis in secundo, sed antiquum in tertio. Sed & Haliabbas quinto Theoricæ cap. 30. vinum sicci temperamenti esse dicit. Serapio etiam in tabula & cap. proprio, vinum inter siccas medicinas adnumerat: quæ tamen primum gradum non excedant quoad caliditatem: nam superius declaraui in Passiuis qualitatibus, solitum non esse gradum proprium obseruare. Hanc tam euidentem contrarietatem euadere quidam desperauerunt, vt Gentilis loco præallegato. Sed Conciliator Differentia 70. tenet ipsum esse humidum, respondetque autoritatibus melius quàm potest, ac rationibus: veruntamen cùm non viderit autoritatem Galeni & Pauli de siccitate: ideò sua determinatio nihil ad nos facit, cum neruum difficultatis prætererit. Nemo enim est qui, si quis illas autoritates auferat, non statuat omni suffragio humidum esse vinum. Quidam existimant exterius etsi sit natura humidum, posse siccare quadruplici modo: Primo, abluendo sordes, & hoc modo etiam aqua frigida exiccat, & consolidat autoritate Celsi: Secundo, per virtutem astringentem comprimendo, dein exprimendo humorem contentum in loco vel vlceris vulneris ve: Tertio, quia omne calidum calefaciendo tandem exiccat: Quarto, quia pars humida quæ est in vino subtilis dilabitur: & sicca manet quæ crassior extat. Sed isti magnam Galeno calumniam auferunt, qui loquens de re, quæ & cibus est, & medicina, proprij temperamenti nusquàm meminerit: nec virtutis quam interius assumpta retineat: sed solum accidentiam naturæ expresserit, atque eam qua fungitur tantum donec exterius applicatur. Parcendum esset Auicennam aut Auerroëm interpretantibus, quibus lege sua vino interdicebatur tanquam frequentioris vsus solùm apud illos meminissent: at de Galeno quis æquo ferat animo, vt propriam naturam, proprium vsum, tum frequentissimum prætermiserit, rem raram, & præter consuetudinem, ac non propriam explicauerit? Non etiam videtur quòd in ablutione vulnerum appareat humidioris naturæ vestigium: nam vlcera etiam sordida illico mordicat, quod medicamenti siccioris est opus, non humidi. Aliqui dicunt, quòd est humidum vt oleum, nam facillime illud etiam ardet vt vinum, sed hoc est magis argumentum siccitatis, nam in similibus facilior fit transitus, vnde velocissime ardent nitrum, aqua ardens, sulphur, quæ omnia proculdubio sicca sunt. Quidam autem respondebat hoc modò, quòd vinum antequam esset actu nutrimentum erat siccum, sed postquàm nutriuerit fiat humidum, augendo humidum substantificum: & hoc modo Princeps dicebat lactucam esse calidam, quamuis sit frigida, antequàm nutriat. Hæc responsio non videtur satisfacere: nam & si lactuca calefaciat augendo calorem, non tamen meretur dici calida: quia hoc oporteret dicere in comparatione ad reliquos cibos, item vinum velocissime nutrit, 2. Aph. 18. vt nihil ei possit æquiparari, & 3. de Temperamentis, cap. 2. dicit, quòd dummodo aliquandiu in ventriculo & iecinore originem traxerit, nutrit: quare non poterit impressionem siccam facere, si in humidum illico transierit alimentum. Dico igitur, Vinum siccum esse: nam 5. Aphoris. Aphoris. 5. vinum subtilitate sua conuulsionem mouet, siccitate & caliditate sedat. Item 2. de Victus ratione, (& est 28. liber Hippocratis) vinum calidum & siccum, habet autem oratio eius genuina sic, οἶνος θερμὸν καὶ ξηρόν. ἔχει δὲ τι καὶ καθαρτικὸν ἀπὸ τῆς ὕλης, ξηρότεροι τῶν δὲ οἴνων οἱ μέλανες καὶ αὐστηροὶ, καὶ οὔ διαχωροῦνται, οὔτε οὐρέονται, οὔτε πτύουσι, ξηραίνουσι δὲ καὶ τὴν θερμασίην, τὸν ὑγρὸν ἐκ τοῦ σώματος καταναλίσκοντες id est, Vinum calidum & siccum: habet autem ex materia vim purgandi. Vinorum autem quæ nigra sunt & austera, magis exiccant ventrem, lotium, sputum minime iuuantia: exiccans autem, & calefaciens, humidum corporis consumit. Inde docet candida, & noua, & dulcia, humidiora esse: quin & acidum humectare edocet, quòd aquam admixtam habeat. Sed ibi alia exurgeret dubitatio, quia acidus sapor siccitatis indicium est. Sed non omnia omnibus in locis sunt enodanda, vnicuique disputationi sua

 difficultas

difficultas satis est. In libro etiam secundo Regim. acutorum iuxta initium dixit: Vinum sitim mouere, & caput petere. Hæc igitur omnia quis non videt opera esse vini siccantis magis absoluta etiam coctione, quàm per initia? Quare valeat Manardus cum sua subtili inuentione: nam Galenus nunquam vinum humidum pronuntiauit, sed humectare, cum sit siccum. Vehementer etiam posse affirmat, hoc autem quadrifariam. Primò, faciendo plurimam appositionem & nutritionem, propter naturæ dilectionem, propter subtilitatem, propter facilitatem conuersionis in alimentum. Secundò, propter aquæ admixtionem, nam subtilitatem quidem & cum natura humana conuenientiam mixtum retinet, verùm amittit siccitatem. Tertiò, si sit candidum aquosum, tale enim sub natura vini quanquam comprehendatur, eo tamen nomine non intelligitur, nisi adiiciatur aquosum. Hoc verò non excalefacit: non dicam quòd refrigeret prima operatione, multo minus etiam exiccat, & quanquam sub eodem gradu siccitas & caliditas vini apud Galenum censeatur, nihilomnuis tamen non sub eadem gradus parte. Ideóque in febribus, & in animi deliquiis Galenus album aut lymphatum exhibet vinum, non tamen quia humidum, sed quia cùm sit velocissimi transitus, & naturæ amicum, siccum non est. Quartò, comparatiuè: nam temperatura eius est infra siccitatem bilis, & atræ bilis, & senum: quare his potest exhiberi: tum quia in atra bile educit eam & subtiliorem reddit, & est naturæ amicum. Senes autem indigent regimine simili, non contrario: & cùm hoc vinum habet plures vtilitates, de quibus dictum est: nam & mel senibus conuenit, quod tamen siccum est in secundo: vt 7. de Simplic. medic. facult. Ad Arabum autoritates dicendum est, vinum censeri apud eos humidum, ab operatione. Vel dic, quòd de mixto aqua intelligunt, vel quod absolutè humidum crediderunt. Nihilominus verum est, ipsum hecticis & melancholicis conuenire. Quòd si quis arguat ex 2. Aphor. 11. in commento. Vinum vt habet similem substantiam aquæ, quod aquosum dicitur, sic & naturam: aqua igitur cùm sit frigida & humida, igitur & vinum aquosum. Respondeo: Comparat naturam in subtilitate, & nutriendi paucitate, ex quo colligitur, quòd aqua sit subtilioris substantiæ ipso vino: quamuis vinum ob caliditatem facilius penetret, ac cibum distribuat, vt 12. Artis curatiuæ colligitur, cap. 4. in initio, & post. Sed cur vinum aquæ supernatat, aqua vino supernatare non potest?

CONTRADICT. VIII.

In laterali morbo an ex parte dolente vena secanda sit.

QVum dolor ad iugulum extenditur, aut grauitas brachium, mamillam: aut partes quæ sunt supra septum transuersum infestat, interna cubiti vena secanda est: nec dubites copiosum detrahere sanguinem, donec rubidior multo, vel pro rubido & puro liuidus effluxerit, vtrunque enim accidere solet. 2. Regim. acut. 10 At quarto Regim. acut. 73. si dolor ad superiores partes extenditur, iugulum, mamillam, brachium, internam brachij venam secare oportet, ab eo scilicet latere quod dolore fuit affectum. Est etiam illud indicium, Hippocratem in prima authoritate hoc sensisse: quòd dicat sanguinem permutari solere: quod quidem non accidit nisi vbi phlegmon magnum sit & ex parte qua fit sanguinis missio: vt in libro de Sectione venæ colligitur. Neque est dubium quin Galenus in commento 10. censuerit, secundam eiusdem, non aduersi lateris venam: quandoquidem celeritati euacuationis ex ipso loco studeat: vt verba testantur. Altera habetur autoritas 6. Epidemiorum super sextum, textu quinto: vbi dicit: In doloribus secandum esse venæ ventrem: id est venam magnam, quæ loco proxima est. Sed ista autoritas cum præcedentibus parum aut nihil facit: nam materiam iam fluxisse Hippocrates præsupponere videtur, cùm dixit, adesse grauitatem, quæ iam fluente non adest: tum quòd pertingat dolor ad iugulum: Secundò, quòd succedat mutatio sanguinis. Tertiò, quia 4. de Ratione victis in acutis, parum ante autoritatem dictam, iubet Hippocrates sputi colorem obseruandum, an sit rufum, vel aliter coloratum, nam hoc non nisi iam in coctione potest apparere. Quartò, quia Galenus in de Venæ sectione dicit, vbi iuxta sectam venam phlegmone est ingens, optimum est sanguinis in colore & substantia mutationem expectare, sicut Hippocrates nos docuit in libro de Acutorum victu, quando de laterali morbo verba fecit. Est etiam difficultas ex hoc, quia quartus Hippocratis acutorum Galeno teste, non est Hippocratis. In secundo autem non explicat ex quo latere sit detrahendus sanguis: quare hæc autoritas parum aut nihil concludit, quantum ad Hippocratis sententiam pertinet. Et si quis obiiciat, crimen fermè esse, Hippocrati ascribere, quòd quicquam necessarium ad artem prætermiserit: quare coniectura licere assequi, solum eam, quæ ex eodem fiat latere, esse necessariam, quando eius tantum meminerit, iuxta Galeni interpretationem. Respondemus: Quanquam hoc solum firmari possit ex Galeni sententia, nihilominus etiam illius supposita authoritate, nihil tamen in dictis Hippocratis pro hac sententia concludere: nam vel Hippocrates reuulsiuam ex aduerso latere cognouit, vel non, nam eam in aliquibus morbis, puta in capitis vulneribus, necessariam esse inferius demonstrabimus. Si igitur non cognouit, quod quasi nephas est dicere, nihil mirum, eam illum non tradidisse: si autem cognouit, principio morbi faciendam docuit in generalibus sermonibus, vt ibi deriuare, cedentem reuellere statim, resistentem cedere: secunda particula sexti Epidem. 8. vbi etiam videtur Galenus illud declarare, quod dixit Princeps quarta primi, cap. 1. cùm ad longinquum trahere volueris, dolorem prius seda. Sed expositio tamen Galeni non videtur nisi ad

confirman

confirmandum hoc, vt post deriuationem reuulsiua ex aduerso vtamur: sed non explicat, quòd ab opposito latere reuulsiua sanguinis missio conueniat. Sed melius erit Hippocratem per Hippocratem exponere, quandoquidem ex hac autoritate saltem illud cõstet, duas fecisse Hippocratis mittendi sanguinis rationes diuersas, Reuulsiuam, & Deriuatiuam: cuius meminit in 2. & 4. Regim. acut. locis prællegatis. Sed non esse ducendum ab eadem parte quasi similitudine infert 2. Regim. acut. 22. cùm dixit, de medicatione loquens quæ per expurgantia fit. Quicunque autem dum inflammantur, statim per morborum initia medicamento soluere conantur, ij non solùm ab intensa inflammatáque parte nihil adimunt, verùm cùm non cedat nec obsequatur quæ cruda est affectio, partes sanat, & morbo aduersas, medicamentum ipsum absumit, contabefacitque. Sed vt diuersa est ratio medicamenti, & mittendi sanguinem, nec idem in iisdem effectus, vt nihil contra opinionem concludit, sic nec pro ea. Attamen cùm Hippocrates curatiuam rationem, non præseruatiuam iniisset in libris Regim. acutorum, reuulsiuam prætermisit, contentus illam in generalibus sermonibus docuisse: deriuatiuam verò explicat, quæ vt fit ex latere patiente, sic affectum iam constitutum non orientem præsupponit. Vnde reuulsiui etiam meminit auxilij secunda particula sexti Epidem. 28. dum dixit: Reuellere si quò non oportet vergat: sint autem quò oportet; his aperire conuenit secundum quod singula vergunt. An & in hoc generale erit, vt ab eadem parte tantum fiat reuulsio? atque sic frictiones & cucurbitulæ solùm erunt patienti particulæ ab eodem latere, vel iuxta eam applicandæ, summa ægri pernicie: an quia reuulsiua sunt auxilia ex aduerso licebit? Quare & in missione sanguinis, quæ ad reuellendum fit, quid prohibet ne in parte contraria fiat: quandoquidem in hoc non singularem curationem iuxta Hippocratem exequamur: sed generalem iuxta illum reuulsionis rationem, quæ ad contraria fieri solet, ineamus. Quòd si quis dicat, Galenum 2. Regim. acutorum 1. dicere, Fomenta augere dolorem in initio, atque ob id cùm augetur dolor, mitti sanguinem, atque sic ab initio sanguinem mitti: hoc nil impedit tamen: quia, vt dixi, ex prima autoritate quæ in 2. Regim. acutorum est, non constat quòd ex aduerso latere: in secunda autoritate, quæ in quarto habetur, Hippocrates non loquitur, nec vir sententia Hippocratis dignus ex Galeni sententia in eius libri initio: quanquam eum textum velut phœnicem quandam in Hippocratem referat, sed & si vterque textus Hippocratis sit, nihilomagis concluditur ratio: nam Hippocrates quamuis morbum per fomenta exploret, in secando tamen venam id præsupponit, quod morbum non solum constitutum, sed & vehementem demonstrat: siquidem, vt dixi, grauitatem, & extensionem ad iugulum, & sanguinis corruptionem. At verò non inconuenit morbum iam consistere, sicut iam factus sit: materiam verò aliam denuò influere. At non merito fluentis materiæ, sed morbi iam facti hæc venæ sectio instituitur: nam si illud voluisset, adiicere eas non oportebat conditiones. Si enim post fomenta solus dolor pungens appareat, non vlla grauitas, non vlla iuguli, sed solum costarum affectio, quid agendum? Sunt qui adducant Aphorismum 22. sextæ particulæ, sed parum ad propositum. Ideo melius est declarare, antequam ad Galeni expositionem veniamus, quonam pacto ex secundo ad Glauconem tria genera missionis sanguinis distinguantur, Euacuatiuum, Deriuatiuum, & Reuulsiuum. Deriuatiuum igitur ex directo patientis particulæ secundum motum eundem materiæ fit: velut si quis in liene, vel rene sinistro phlegmonem patiatur, sanguine à superioribus partibus horum membrorum descendente, fit deriuatiua sanguinis missio ex saphena pedis, vel sub poplite: ita si flueret ab inferioribus ad superiora in hæc membra; tunc cubiti interior diceretur deriuatiua: & generaliter deriuatiua & reuulsiua fit ex eodem latere patientis particulæ, & etiam euacuatiua: atque ita omnes apud Galenum mittendi sanguinem modi, vt ibi declaratur cap. 2. iuxta medium: sed deriuatiua secundum partem motus materiæ vltra locum ipsum fit: at reuulsiua ex loco motus materiæ ad locum patientem, vel ei propinquo, sed tamen à loco defluxus remotiore: & ideo in similitudine deriuatiuæ, & in contrarietate reuulsiuæ, non particula patiens consideranda est, sed motus à quo, & ad quem: reuulsiua ex contrario: deriuatiua autem secundum motum naturæ fit: euacuatiua ex loco ipso, aut propinquissimo. His itaque cognitis, mirum satis videtur, cùm 3. Epidem. particula tertia tex. 80. de Anaxione loquens, subiecerit. Venam sectam in cubito dolorem leuasse: nec adiunxerit, ex quo latere, cùm tamen latus dolens dextrum esse declarasset: si quid dubium esse poterat, non illud ostendisse: cùm etiã in initio fomenta adhibeat, proximam autem succedere velit sanguinis missionem, si per fomenta dolor non leuetur: cur, aut quando ex aduerso latere sanguinem mittere poterit? In angina etiam latus ipsum dolentis partis si obseruat Hippocrates, idem etiam in aliis morbis aget: sin aduersum, cui commodo? tamen etiam illud iam declaratum est. Omnes species sectionis venæ secundum latus idem fieri debere. Quare verisimile est, Hippocratem nullam missionem sanguinis ante eam, quæ ex eodem fit latere, nos edocuisse.

Sed ad Galenum iam veniamus: hic enim, vt mihi videtur, clarè loquitur: nam in libro de Sanguinis missione, cap. 15. & 16. secundum nostram sectionem, hæc habet: Quæcumque igitur de hac speculatione à medicis dicta sunt, ea si scribere aggrediar, opus erit libro iis sigillatim dicato, eóque ingenti. Cæterùm vt in aliis quæ hactenus definita sunt effeci, vt scilicet mentem meam vobis exponerem, qui eam à rebus ipsis probari vidistis, idem nunc quoque faciam, initio sumpto ab iis quæ quotidie in laborantibus videntur: quæ quidem Hippocrates diligenter obseruata memoriæ prodidit. Est verò vnum eorum primariumque caput, scilicet hoc

hoc:Quibuscúque κατ' ἴξιν eruptio sanguinis fit, summum affert commodum laborantibus. (Hoc autem κατ' ἴξιν, quòd secundum rectum intelligatur, omnibus est confessum, cum clarissime sæpenumero hac voce in hoc vtatur significato.) Quibus autem cōtra euenit, nihil iuuat cùm etiam interdum noceat: quòd vires citra morbi leuamen exoluat. Non enim liene turgente ex dextra nare erumpens sanguis, aut in iecore ex sinistra vllam affert vtilitatem: sed reuulsio quibus in directum adhibetur, euidentem vtilitatem celeriter ostendit: quibus contrà, non. Dextra igitur nare sanguis erumpens, ad dextrum hypochondrium fixa cucurbitula clare celeriterque sistitur: sicut ad sinistrum ex sinistra erumpens. Porrò reuulsionis causa si venam feces indirectè quidem oppositis sanguinis eruptionibus, citissimè conspicuam videbis vtilitatem. At si contrà feces, nihil profuerit. Sic & affecto liene æquè adiuuerit circa medium digitum sinistræ manus incisa vena, atqua si internam cubiti secueris. Multum enim lienem afflictum iuuat sanguinis detractio ex sinistra manu. Inde paulo pòst: Quin & pleuriticis quæ è directo lateris laborantis adhibita fuit missio sanguinis, clarissimam sæpe vtilitatem attulit: quæ verò ex opposita manu, obscuram omnino, aut post temporis interuallum. Inde rursus paulo pòst: Itaque dolentibus oculis humeralis vocata vena, quæque ex ea deriuatæ in cubito incisæ luculentum celeriter commodum afferunt. Dolente autem latere, aut pulmone, aut septo transuerso, aut liene, vel iecore, ventriculóve, ea quæ per alas ad cubiti iuncturam pertingit. Hoc autem casu maxime interior secanda venit. Quòd si non, certè ea quæ ab ipsa diducta in iuncturæ flexura apparet: his non obscurum est, Galenum tria edocuisse: Primum, quòd ex eodem latere & per venas à loco læso deriuatas, aut ei coniunctas, sanguinis missio sit mollienda: Secundum, quòd illud Hippocrates censuerit. Tertium, rationem huius ostendit quæ cum Hippocratis autoritate coniuncta est. Inquit enim ille tertio Prorrheticorum 33. Sanguinis ad latus diuersum eruptiones malæ, vt si cùm lien magnus fuerit, ex dextra nare fluat: atque res in hypochoncodriis ita se habet: cum sudore deterius id existit. Atque ibi Galenus desumptum hoc refert experimento plurimorum languentium, quos in Epidemiis enarrauerat. Hoc igitur pro confesso haberi debet, quòd in reuulsione Galenus sanguinem ex directo mittit, quòd autem directum latus dicatur dextrum dextro, sinistrum itidem sinistro, iam satis clarè verbis suis edocuit ostenditque ratio sua cum Hippocratis authoritate coniuncta: & ostendit 2. de Tuenda sanitate, dum species frictionis refert, directam ac transuersam: tum etiam quinto de Partium vsu cap. 14. dum ventris musculos enumerat. Idem clarum est 2. ad Glauconem cap. 2. secundum nostram sectionem. Quinetiam 4. Regim. acut. 73. confundit ista tria; Venam in directo, & Internam, & Lateris eiusdem patientis, quasi idem significent.

Altera habetur autoritas 13. Artis curatiuæ, cap. 11. secundum nostram diuisionem, inquit enim: Proponatur itaque, iecur iam phlegmonem contrahere cœpisse: tum, quænam mali curatio huius commodissima sit, quæratur. Inde paulo pòst: Ergo pariter tum reuellendus tum educendus sanguis est, qui ad iecur confluit, interna in dextro cubito insecta vena. Propterea quòd & è regione, & ampla via, cum vena quæ caua dicitur societatem habet: hac non apparente, media secanda est: quòd si hæc non apparuerit, reliqua ad tertia est incidenda. Inde etiam pòst, sed tamen eodem capite: Satius igitur sit, vbi partes, quæ in ore sunt, phlegmonem accersere cœperint, ad nares deriuare. Pari modo venam quoque vbi hę partes sic laborant, incidere humeralem in manu: si ea non cernitur, mediam: vbi iecur, pectus, pulmo, aut cor sic afficiuntur, internam: in angina, quam συνάγχην Grece vocant, primas in manibus, secundas eas quæ sub lingua habentur. At iis quæ in occipite sunt afflictis, etiam eam quæ in cubito est, & eam quæ habetur in fronte: renibus verò & vesica, & vtero sic habentibus, eas quæ in cruribus sitæ sunt, & potissimum quæ circa poplitem: sin minus eas quæ circa malleolum: ac in omnibus quidem semper ea quæ in directo est, vbi iecur phlegmone inuadit quæ in dextra sunt manu, vbi lienem contra. Qui huic resistunt opinioni, de iam facto phlegmone exponunt. Verùm responsio nulla est: nam in angina docet primam facere ex brachio sanguinis missionem: hæc autem sit nondum facta angina, igitur hæc & reliqua sanguinis missio, quæ in laterali morbo iubetur, in initio est. Docet etiam ibi cataplasmata, vel purgationes in aliquibus morbis conuenire. Igitur cùm hæc tantum in initio conueniant cataplasmata quidem astringentia, & purgationes, inchoantibus morbis iuxta illud in acutis raro, & in principiis medicinis purgantibus vti: & hoc cum præmeditatione faciendum, & 2. Aphor. 29.

Tertia autoritas colligitur ex dictis 2. ad Glauconem. Sufficiat propter ea quæ diximus verba ipsa subiecisse, ea autem sunt: Eluentium igitur humorum retractio, sic enim Hippocrates nominat: eorum autem qui iam membrum obsederunt deriuatio medela est. Vtrunque autem euacuationis genus per communes venas fieri præcipit, & infrà parum: Patientibus verò membris extremis à coniunctis euacuatio fiat, siue retrahere velis, siue deriuare, præterquàm vbi passio est inueterata: tunc enim à membro ipso patiente detrahimus.

Quarta authoritas habetur in de Constitutione artis medicatiuæ, cap. 17. cùm dixit: Maximè verò & partium sanatio, quæ phlegmone laborant, ex situ & positione desumitur. Inde post pauca: His ergo docentibus, qui in conxendicem fluxus decubuere, per poplitum ac malleolorum venas euacuabimus: vti sanè & quæ in vteris hærent: quæ in pulmone, ac thorace, per venam cubiti internam: quæ in capite, & collo, ex humeraria: proximarum enim atque communium affectæ particulæ venarum euacuatio, obtima est, atque facillima. Si quis dicat de-

riuatiuam hic docere iam consistente phlegmone: non erit verum, semper humerariam capiti & collo maxime conuenire: nam in angina quæ sub lingua sunt magis quandoque conueniunt: at humeraria in angina & phrenesi retractiua est: igitur in laterali morbo interior cubiti talis est. Nec obstare videtur his quatuor tam claris autoritatibus, quòd dicat tertio Paruæ artis in cap. de causis præseruatiuis. At attrahendi ex omni loco ad oppositas partes communis indicatio est, ad quam maximè distantia: deriuatio verò ad vicina. Et antè in capitulo de Asperitate & lenitate, vbi de phlegmone loquens, hæc habet: Si igitur vniuersum corpus plus æquo plenum fuerit, per patientem locum minime euacuandum. Nam si sacrificationibus aut sectionibus sensibiliter euacuabimus: plus ratione doloris excitati attrahemus. Si verò calefacientibus dispergere tentabimus, plus erit quod vi caloris ad partem attrahetur, quàm dispersum. Quòd si elaborabimus, vt quod influxit retrocedat, corpus plenum non admittet. Ad hæc igitur ambo totum corpus euacuare oportet, aut ad contraria omnino loca retrahere quod patienti particulæ influit: quo perfecto opere, prius à parte repellendum, mox dispergendum. Neque illud Hippocraticum 5. Aphor. 68. Dolenti partem capitis posteriorem in fronte vena incisa prodest, vbi Galenus etiam: Auersio ad contraria fit secundum longitudinem quidem, suprà, & infrà: secundum latitudinem verò, hinc, & inde, hoc est à dextris & à sinistris: secundum altitudinem verò, ante, & retro. In doloribus itaque partis posterioris capitis cum auersione nunc euacuatio fiet: nam prima autoritas de præseruatione loquitur, non de cura. Altera ex eodem libro exponenda ad aliarum autoritatum sensum, vt hæc contrarietas ad materiæ motum, non ad positionis differentiam in corpore referatur: aliter omnis contrarietas esset in hoc casu necessaria. Vel igitur vna, & hanc habemus ab intus extra, tum etiam ad locum magis dextrum, vel magis sinistrum: aut omnes necessariæ sunt, & tunc oportebit simul trahere à superiore parte ad inferiorem, à dextro in sinistrum, ab antè retro: & sic laborante ægro phlegmone costarum in latere dextro, ex calcaneo pedis sinistri sanguinem necessarium esset mittere. Ad tertiam autoritatem quidam dixerunt Hippocratem loqui de materia educenda iam expurgato corpore.

Dij boni quis ferat mores horum temporum! namque cùm vix vnus, aut alter literas medicinæ sciat, quinimo eorum, quos ego è facie noui, nemo est qui non oderit nos, propter studium & veritatis amorem: quod & Galeno, vt ipse de seipso refert, contigit: vt pro bonis literis ingemiscam: nam hanc autoritatem (proh tempora) modò pro se adducunt, modò prætereunt, modò euacuato iam corpore exponendam docent. Quid mirum est igitur, actum esse de medicina, apud Italos præsertim? Hoc illud vnum est quo mihi illi aduersantur: non parum tamen vni debemus, quòd laboris ad restituendum bonas literas plurimum impenderit: an assecutus sit, non est meum iudicare, qui mortuos non insector: atque vtinam nulla mihi causa esset reliquos medicos accusandi, cùm enim stertant in domibus, consiliisque, ac arte valeant: nobis hoc vnum obiiciunt, quòd mathematicas nouerimus: atque quod olim summo honori fuit, tum medicis, tum philosophis omnibus, Hippocrati, Galeno, Platoni, Aristoteli, impij ac nepharij viri mihi vitio vertunt: nec sufficit illis maxima ignorantia, nisi & de illa, quemadmodum olim de studiis glorientur. Ego bonis non maledico, nam nemo bonus nos odio habere potest. At hoc certè in hoc monstro inuidiæ ferendum est. Conantur quibusdam hoc etiam sciolis persuadere, qui vel prima literarum Græcarum elementa tenentes, orbem digito temperare se posse putant, atque in cœlum os insanum ponere audent. Deceret illos, qui secum plurima iactant, qui tantum sibi sapiunt, qui iudicium de melioribus faciunt, aliquando velut tauri solent, seipsos luctando experiri, propriasque vires expendere. Scribant, disputent, doceant, si licet: videbunt asinos esse, qui lepores currendo se fore existimabant: plus illi bonis literis detrahunt, quàm medici: nam ex his aliquot vel saltem pudore tenentur: ignoscendumque his qui propriæ vtilitati, & si aliorum iactura, consulere se putant: ferenda est etiam medicorum inuidia, quæ cum arte ipsa coalescit. At has importunas cicadas quis ferat, vel inspicere etiam dignetur? Cæterùm Deum aliquando humani generis misereri oportet sic, vt Principes aliquot mittat qui non famam hominum respiciant non gloriam falsò quæsitam, sed mortalium communem salutem. Misit forsan, sed hos tot curis, tot suspicionibus impleuit, vt ab hoc tam præclaro beneficio auertat: nam non potest Cæsar vituperari inter cæteros, qui Vesalium apud se habeat, hominem antiquam redolentem ingenuitatem. Ergo vt ad rem redeam, pudet me dicere quosdam hanc autoritatem dissimulasse: Ergo id Hippocratis consilium est, vt de diuturnis loquatur morbis: nam & Galenus diuturnæ fluxionis oculorum meminit in his, cum affectus phlegmonem non possit excitare: neque enim inueteratus fieret hic dolor, sed ad finem breui perueniret, cum calidam supponat fluxionem, quæ sanguinis missione curanda sit: quicquid in dies effluit non cogi, sed à natura dissolui præsupponit. Ergo superuenienti materiæ, non defluxæ occurrendum est: at illa quæ de nouo superuentura est, auersione ad opposita indiget, cùm rat onem habeat præseruantis partis medicinæ. Igitur in talibus iure merito, & in capitis dolore posteriore, venæ anterioris sectio: & in diuturna ad oculos fluxione cauterij genus in occipitio, quod setonum vulgo vocant, optimè conuenit. Eadem difficultate illud fermè præterit: duo esse genera diuersionis: alterum quidem quod ad maximè distantia loca contrariaque deducit, quo in præseruatione vti debemus, nondum morbo facto: atque id è diuerso latere magis: alterum autem, quo per materiæ euacuationem dolore sedato, influentem adhuc sanguinem ex loco reuel-

limus

ſimus, quo quidem phlegmone iam facto vtimur, atque illud ex latere eodem κατ' ἴξιν, non quidem ex lateris rectitudine, ſed venarum communicantium cauſa faciemus. Accidit autem fermè ſemper, vt quæ in eodem latere ſunt etiam magis communicent, quàm in extremis: vnde Curtius in hoc peccat, cùm pro venis latus exponat, ideòque non facile illud effugere poteſt quod Galenus 13. Artis curatiuæ cap. 5. ſecundùm ſectionem noſtram (eſt autem in primo folio) dixit: Cogimur autem alias ſanguinem mittere, idque aut vena inciſa, aut membris his, quæ læſa non ſunt, ſacrificatis. Manu enim laborante ſacrificabis crura: altero autem crurum male habente, reliquum. Quidam exponebat ſic, vt mutuò referrentur, quaſi dicat. Manu laborante, crura ſcarificabis: viciſſimque manum, laborantibus cruribus: hoc enim videtur eſſe reliquum in ſermonis contextu: ſed non patitur hoc Græca ſynexis, habet enim, ἢ τὰς φλέβας τέμνοντες, ἢ ἀποσχάζοντες τὰ μὴ πεπονθότα κῶλα. χειρὸς γοῦν μὲν κακῶς ἐχούσης τὰ σκέλη: τοῦ δ' ἑτέρου τῶν σκελῶν πεπονθότος, τὸ λοιπὸν. Exiſtimo quoſdam autoritatem non vidiſſe, nec auſos negare: cùm enim multas Hippocratis & Galeni autoritates aduerſum, & pro ſe adducant ex loco: hanc quaſi ſecundo ad Glauconem libro ſcripta eſſet, in qua plurimum erat in tota quæſtione ponderis, retulerunt: conantes euadere, tum eludere. Sed vt illos excuſem: certè Manardus & ipſe locum non demonſtrauit: & in codice Andreæ Turonẽſis (qui illam primus in mediũ adduxiſſe viſus eſt) error in numero capitulorum emerſit: quare nihil mirum fuit, cùm id ſolerent homines exercitati in promptu habere, vt ad omnem autoritatem quantumuis claram effugiendi viam haberent paratam, quaſi diuinantes reſponderunt. Itaque communicantes venas ſemper Galenus reſpicit, latera non ob aliud curat. At in cruribus, cùm venæ cauæ ſupra oſſis ſacri initium diuiſio in ambo crura fiat, neceſſe fuit, vt ſanguine ad alterum crus retracto, diuerſio vera fieret ex communicante vena, propioréque loco, quòd ſi ad manum retraxiſſes nihil peractum erat: cùm detractio communis fuiſſet etiam alteri cruri. At in brachij, vel manus phlegmone, diuerſio ad crus materiam à loco patiente diuertebat: quoniam ſanguis, qui ad manum ex corde & iecore aſcendebat, ad inferiora retrahebatur. At verò alterius brachij venarum ſectio non proderat, cùm auertere à toto corpore ſanguinem neceſſe ſit. Illud autem rectè dixit: Pleno corpore ex aduerſa parte ſanguinis miſſionem prodeſſe tardè, nec adeo manifeſtè: at materia ex circumuicina parte fluente, mittendum eſſe ſanguinem ex communicante vena: duplex enim diſpoſitio adeſſe poteſt, vt tertio Artis paruæ colligitur. Sed repletio totius aliam habet à phlegmone alicuius partis diuerſam indicationem, de qua hic ſermo habendus non eſt. Similiter & illud forſitan (quamuis extra propoſitum) diluendum erit, quod Curtius dicebat ex Galeni ſententia libro de Sang. miſſione cap. 19. dum Aphoriſmus ille exponitur, Dolenti partem capitis poſteriorem, vena frontis inciſa iuuat: corpus enim præuacuatum eſſe oportet, dicit Galenus: non quidem, quòd ob diuerſionem iam facto morbo conueniat, ſed quòd id præſeruatione, cùm è proximo diuertendum eſt, corpus totum euacuandum eſt. Hoc autem & prius à Galeno fuerat demoſtratum, quare nimis oſcitanter quidam interpretantur. Manardus autem diligentius. Sunt & aliæ non paucæ contra hanc ſententiam Hippocratis, Galeni autoritates 5. Artis curatiuæ cap. 3. & 4. eiuſdem, cap. 6. & in libro de Antiſpaſi, ſeu reuulſione: tum in libro de Succis ab Hippoc. & 1. de Humana natura t. com. 10. cùm dixit. Videndum eſt autem, vt ſanguinem quàm longiſſime ab locis mittamus, quos obſidere dolorem animaduerterimus, ſanguiſque contrahatur: nam ita demum haud magna repente mutatio incidat, & conſuetudinem præcideris, ne eò loci confluat poſthac. Legit Græcus codex, cum interprete, Minima, abſque negatione: ſed vtcunque legas, non magis conſulto hoc, vel diligentius cæteris adductis, ab abuerſariis inducitur. Vide hominum ſtuporem, & Gorgonis caput intuentium: nam Galenus inquit. Quod verò non explicuit, an à dolentibus partibus procul reuelli influentes humores præcipiat, an ſanitatis tempore, hoc nomine ſit reprehendendus. Equidem de valentibus potius dictum cenſeo, vt autor (nam Hippocratem illum eſſe negat aſſuefacere velit, exundantes humores in alia membra fluere. Videant modo cæci, (non enim eos alio dignos nomine iudico, tum præſertim, quòd ſanam interpretationem ſententiæ Hippocratis & Galeni damnant) an hæc verba pro illorum opinione faciant. Aëtius libro 8. cap. 68. ſatis neglectim quibuſdam hanc rem tractaſſe videri poterit: cùm nec Galeni meminit, ſed Archigenis, qui duos vno verbo lethales admittebat errores: parũ ſcilicet, & ex aduerſo latere ſanguinis detrahens, verum libro 3. cap. 12. clare mentem Galeni exponit, in omni quidem affectu reuulſiuam ab eodem latere conſtituens ex illius mente omnibus in caſibus: peculiariter autem ac nominatim de laterali etiam morbo diſſerens. Vnde Leonharti Fuchſij reprehenſio in Aëtium, tanquam contraria Galeno ſentientem, in quarta ſecundi libri Paradox. illius auctoritate indigna eſt: quippe vir ille doctus inter noſtri æui homines dici poteſt, ingenuique pudoris, atque vtinam non tam temerè Aëtium virum vndequaque abſolutè doctrinæ damnaſſet, aſinum illum Oribaſium, nihil ſani propemodum ſentientem, laudans: qui vbique tanquam ſus inter fœdas nugas ſe prouoluit: Galeno ex compoſito, ſine ratione contradicens. Aëtio autem ob antiquitatis amorem, tum quòd multa vtiliter ex eodem medicamina deſumpſerat, moris fuit in ſingulis fermè Archigenis enarraſſe ſententiam, cuius etiam Galenus ipſe miminit, tum maxime in libris de Medicamentis ſecundum locos: ipſum autem quòd diſceſſerit à Galeno, cùm illum multis iam annis præceſſerit, cur non accuſet, admirari non debemus: cùm nulla in parte Aëtius quenquam

quemquam soleat damnare, vel oppugnare; verùm antiquorum fideliter sententiam referre. Trallianus libro 1. cap. 41. hæc habet: Noli verò auertendi causa, aliam quàm ex affecta parte venam pertundere: verum si dextra parte dolor magis discruciat, eodem statim latere vena ter quaterque, vt dixi, non copiosè secanda est. Sed hæc in angina, non laterali morbo, libro autem 2. cap. 1. dum hanc tractaret curam Hippocratis sententiam sequitur: quam cùm ex Galeno interpretatus sit, haud dubium est, sanguinem vt ex eadem parte mittatur consulere: tum magis, quòd eodem modo cucurbitulam loco sectionis venæ quandoque apponere nos suadet: cùm haud dubium sit, illam ex eodem latere apponendam, quam super loco dolente velit affigi: sic enim protinus ad exteriorem regionem, illius sententia, morbus adigitur. Paulus lib. 3. cap. 33. nihil clari affert: lib. 6. cap. 40. clarius loquitur dicens: Cæterùm in particulis recens inflammatione tentatis ex opposito inanitionem moliri conuenit, in vetustioribus ex propinquo: siquidem ex omni corporis parte sanguinem mittemus: frequentius autem ex interiore vena cubiti. Quo fit, vt qui Paulum pro se adducunt, dissimulare mentem eius videantur: nam quamquam dicat in fine capituli. In iecoris affectibus dextram, in lienis sinistram, pertundenā: de manuum venis, non brachij loquitur: & iam consistente morbo. Itaque etsi, vt pleraque solent, illius opinio ad Galenum retrahi, eiusque sententiam possit: hæc tamen sunt eius potius, qui sectam tueatur quàm veritatem. Vnde miror, imò non miror, quosdam pro se Paulum in medium adduxisse, velut & reliqui, qui illis aduersantur, Galenum. Verùm hæc vt apud multos incerta sunt, ob tot autorum contrarietatem, de Hippocrate tamen quòd sic censuerit, credendum est: non solùm ob adductas sententias illius, & Galeni interpretationem, sed quòd secunda particula sexti Epidem. in t. 12. Secundum rectum & costarum dolor, & præcordiorum contentiones, & lienis elationes, & ex naribus, eruptiones, & aures secundum rectum. Et inde in 15. subiicit: Considerranda hæc sunt, quò, vnde, & propter quid. Facile quiuis nulli addictus opinioni intelligit Hippocratem eam curam moliri è directo, in omnibus his partibus phlegmone laborantibus. In libro etiam primo de Morbis pagina vltima, ξυμφέρει τὴν φλέβα ἀποσχάσαι τὴν ἐν τῇ χειρὶ, τὴν σπληνῖτιν καλεομένην ἢ τὴν ἡπατῖτιν, καθ' ὁποτέρην ἂν εἴη τὸ νόσημα, καὶ οὕτως ἡ ὀδύνη μαλακωτέρη γίνεται τοῦ πλευροῦ τε καὶ τῶν ἄλλων. Quod est, Confert venam secare, in manu lienarem vocatam, vel iecorariam secundum partem quam morbus afficit; atque sic lateris dolor mollior fit, atque aliarum partium. Atque in vniuersum Galenus hanc sententiam sequutus est: vnde 2. Regim. acut. 10. Cùm igitur superiorum condolentia signum fecerit, venam in cubito secare eam oportet, quæ ab affecta parte sanguinem magis ac velocius reuellere, tum vacuare possit, inde fermè in fine iuxta Græcam lectionem, ibi, γινώσκων τὰς κενώσεις ὅθεν, cùm multa traductor prætermiserit, necessaria sententia illius subiiciatur, his quasi verbis, Cognoscentes quidem quòd euacuationes vndecunque fiant ab vniuerso animalium corpore educere, quamquam neque celeriter, neque similiter ex omni vena. Nos verò partem eam, quæ obsidetur inflammatione, & celeriter, & plus aliis partibus, præsertim in acutis morbis, euacuare studemus. Quod sanè interna cubiti vena facit, multóque magis vbi sanguinis redundantia ad superiora vergere videatur, aut superiores thoracis partes affectæ sint. Et causam huius certè nobis explicauit 13. Artis curatiuæ, cap. 8. cùm dixit: Igitur tum reuellendus, pariterque euacuandus, qui ad iecur sanguis fluit, interna in cubito incisa vena. Duo igitur molitur simul Galenus: reuulsionem scilicet, & euacuationem. Vnde illud etiam in octaua Contradictione præcedentis tractatus ex Hippocratis sententia declarauimus. Ex quo non paruo errore lapsus est quidam vir clarus in hoc, qui frustra conatus est tueri reuulsionem solam ex eadem parte fieri debere, cùm hoc nusquam Galenus velit: sed hoc vnum illi sufficit, quòd quæ ex eadem parte sectio facta euacuat, etiam ad hoc reuellere potest. Quòd autem ex eadem parte sectio conueniat, vbi reuulsione tantum sit opus, non deriuatione, nec euacuatione, Galeno quærere non fuit propositum. Vbi autem hoc declarauit, non sufficere censuit, ob idque perperā visum est Auerroi 7. collectaneorum 29. Galenum contraria de hac sectione sensisse. Sed Rabi Moyses in 12. particula Aphor. rectè Galenum assecutus est, ac eius mentem, vt apparet in Aphor. 32. & 35. illius particulę, Verum postmodum particula 25. Aphor. 10. reuocauit dicta Galeni in dubitationem, & cōtradictionem, quasi sui oblitus: cùm tamen nullā in se habeant difficultatem. Haliabbas verò magnus Galeni interpres, videtur in tertio practicæ cap. 21. & quinto Practicæ c. 1. huic assentiri opinioni, dicens, quòd in phlegmonibus debemus mittere sanguinem ex latere patiente: verùm in cura morbi lateralis lib. 6. cap. 13. dixit totum oppositum: nam dixit, quòd in initio sanguis ex aduerso latere mitti debet, verùm post initium morbi ex venis eiusdem lateris à brachio. Idem fermè nono Practicæ cap. 3. vnde mirū est de duobus: primò de huius viri inconstantia, si modò ad nos mutilus non venit: secundò, quòd quidam adducāt eum pro se, cùm manifestum sit sermonem proprium præferri debere generali, cùm fuerit ex autoris, non alterius sententia. Et ideò iste tantus Galeni interpres videtur ex toto Galeno cōtrarius: nam cùm omnes fermè in propria curatione, Galenum affirmēt voluisse, ex eodem latere mittendum sanguinem, cùm de laterali loquitur morbo, at de generalibus præceptis dubitent: hic ex toto oppositum dicit. Sed iam ad Rasim veniamus: hic quarto Continentis cap. 3. fol. 4. iuxta medium, hæc verba, Galeni sententiam declarans, habet: Dixit quòd congruum est, quòd minutio fiat in venis manus partis diuersæ: & de membro læso attrahatur sanguis ad partem contrariam partis in qua decli-

declinans est sanguinis. Dico, quòd iuxta huius contrarietatem minutio fieri debet in parte diuersa: quoniam dixit, vt attrahatur sanguis ad contrariam partem partis in qua declinans est sanguis. Hæc ille. Ex quibus, quicquid dicat Curtius, si panis panem significat, & non leporem, palam est Rasim sensisse Galenum velle ex contraria parte morbi sanguinem mittendum esse. Verùm diffisus propriæ interpretationi, denuò verba hæc subiecit: Causa quoque propter quam minutio fit in basilica, vena manifesta est in libro Anatomiæ: quoniam in eo dictus est locus, de quo sanguinem recipiunt huiusmodi mẽbra. Dixit quòd minutio ipsius venæ est maximi iuuamenti, si passio declinans fuerit ad superiora. Per quæ opinionem Galeni nolens volensque declarat, & rursus infrà fol. 88. col. 3 ex Galeni autoritate habet hæc: Dixit existimo, quòd, dum passio fuerit in principio, dignum est, vt minutio fiat ex diuersa parte partis dolentis: sed si purgata fuerit materia, minutio fiat in ipsa parte dolente, sed vtendum est minutione si dolor peruenerit ad partem hepatis & furculæ. Ex quo detegitur alius error eius, nam furculam inferiorem intelligit, cùm Galenus superiorem, in folio etiam 91. col. 3. iuxta medium, declarat minutionis iuuamenta, & causas, tanquam de ea loquens, quæ ad latus patiens pertinet: vt nihil plus expiscari liceat ex Rasi, quantum ad Galeni pertinet opinionem, quàm contraditiones, & ambiguitatem. Nec tamen præter vtilitatem fuerit narrare, quod ex sententia Binserapionis adiecit his verbis: Dixit, ego iubeo quòd fiat minutio in principio huius passionis ex latere diuerso: sed quiescen te passione fiat, in latere læso, hæc ille Græcus, nam hic, vt aliàs dixi, anterior Galeno fuit, non autem Arabs & Galeno posterior, temporibus Auicennæ fermæ. Ex quo pudendus error Othonis Brunfelsij manifestus, est qui cum duos vnum esse crediderit eundem, qui Galenum citat, illo antiquiorem facit, & creditur tamen hic aliquis fuisse. Cogita modo quales hi nostri æui medici sint, qui etiam gratuito studiosos oderint: an putas illos literas discere posse, nedum vt dicam scire? At ego, nisi Deus aliquis nobis auxilietur, hanc artem perditam prorsus nunc putem: cùm alij, vt solent blandientes, falsò in Principum & populorum perniciem reuiuiscere affirment. Multos tales libros Rasis habuit, qui ad nos non peruenerunt: vt commentaria Galeni super secundum Epidemiorum, quæ à nobis desiderantur: librum Galeni de Humoribus quem tamen Brasauolus citat: Ruffi, Serapionisque Græci libros, tum alia plurima. Verùm, vt dixi, hæc omnia verba posteriora declarant primam autoritatem adductam, ostendere sanguinis missionem in laterali morbo faciendam, ex Galeni, vt à Rasi interpretatur, sententia: quanquàm anceps propter posteriora verba fuerit, vt fermè quod Auerroës Galeno imponit, etiam ipse Rasis sentire videatur. Ne igitur adeò quisquam glorietur, nam si suffragiis standum foret eorum, qui de Galeni sententia diiudicant, & si Galenus aliter sentiat, attamen potior esset opinio illorum, qui eum contrariæ partis sanguinis missionem præposuisse pronuntiarunt, falsis ac vitiosis translationibus decepti. Quamobrem operam lusurum me existimo, si homines quorum lapsus adeò in comperto causa est, argumentis vel rationibus aut melioribus interpretationibus ad veritatis sententiam reducere coner. Sed iam institutum prosequamur. Arabum nullus in hac sententia certè est, sed vt à Galeno dissentiunt, ita etiam inter se pugnant: vt fermè plures sint opiniones, quàm homines. Nec mirum, cùm vnus idem etiam diuersa senserit; nam falsis opinionibus innitentes nunquàm quiescunt: nec eadem via progrediuntur, sed alius aliò tendit, velut & in testibus falsis, cùm diligenter de eadem re interrogantur, accidere solet. Iccirco primus inter eos (dignitate loquor) Princeps, & si in fine Canticæ dicat: Galenus quidem aperiebat venam, & sanguinem minuebat, cùm erat chimus auctus, & magnificatus: fiat igitur minutio sanguinis in corpore apparentibus signis, & potissimè cum apostemate, seruatis conditionibus istis: non autem in aliis humoribus, fiat ergo phlebotomia in his quæ intellexit in hoc tractatu, & in morbis illis etiam in quibus ipse fecit eam. Inchoetur igitur à phlebotomia in omni phlegmone, habito certo testimonio super ipso Aphorismo tertiæ partis Practicæ. 75. & tribus sequentibus: & in sermonibus generalibus plurima ambigua, obscura, dubia, pugnantiáque, vt plerumque solet, de hoc dixerit: Aristotelem imitatus, ne reprehendi possit, 10. tamen tertij t. 5. cap. 1. habet hæc: Ex rebus communibus est sectio venæ: sed in principio ex latere diuerso, & magis festina de saphena opposita in longitudine: & post ipsam de basilica opposita in latitudine: & post ipsam de nigra opposita in latitudine: & si non appareat, tunc non oportet vt dimittatur sectio venæ cephalicæ, quamuis iuuamentum eius sit minus, & tardius. Hic quatuor ordines ponit adeò clarè, vt interprete non indigeant: verùm in cap. 2. subiicit verba, quæ quidem his non repugnant, quamuis sensus videatur manifestè contrarius: ideò ne talem virum accusauerim, referantur verba secundi capituli ad illa primi, quibus dicit: Deinde post aliquot dies ex latere conueniente in latitudine. Tunc exponantur rectè verba illa capituli sequentis: Et extrahatur sanguis donec permutetur color eius: significat enim, quòd nocibilior sanguis iam euacutus est. Et scias, quòd sanguis corporis vehementioris nigredinis est ille, qui est propinquus huiusmodi apostemati. Ex quo patet, quosdam dum nimis veritati student ipsius rei, extorquere à proprio sensu Principis verba, & in contentionem reuocare: quæ quamuis falsam contineant doctrinam, clara tamen & omnis contraditionis expertia sunt; atque talia quæ à quouis pertinaci defensore absque vlla calumnia tueri possint: cùm ipse sibi ex omni parte constet in eo opere, cui summam, vt par erat, adhibuit diligentiam. Neque enim ille ego sum, qui more quorundam sciolorum nostri temporis, vt

primum

primum quatuor elementa Græca tenent, in Arabes omnes impudicè debacchantur: tanquàm vel ipsis illis possint comparari, aut habeant quem Auicennæ in medicina, ordine, vel subtilitate comparent: aut Auerroi in Philosophia. Neque verò negauerim, Græcos aliquos tales fuisse, qualis Auerrois: sed nullius,vt illius,omnia opera extant: vel quia non scripserunt, vel quia temporum iniuria subtracta sunt nobis. Galenum medicinæ parentem voco,illumque in opere sector, ordinem tamen nullum habet,ac immensam prolixitatem: quare fit, vt ad Aëtium, vel Auicennnam confugere sæpe cogar. nam Paulus nimis breuis: Oribasius omnino inutilis: Aëtius etiam multa prætermisit: sed tamen hic solus Auicennæ par est, vel parum ab illo differens. Quare ne mihi oblatretis, qui vt Græcas literas scire videamini, hoc solum indigne didicistis maledicere Auicennæ: cæterisque viris non solum inclytæ eruditionis, ingeniique, penè diuini, sed spectatæ probitatis. Dico præter Auicennam, Rasim, Auerroëm, Haliabbatem, Albucasim, Auenzoar, Serapionem, Mesuem, quorũ ego placita suspicio, admirorque. At errauerunt persæpe. Vbi, & in quibus? In simplicibus manifestè. Hæc est illa spelũca amœna quorundam Arabes insectantium: at Dij boni, quàm rectè modo nobis explosis Arabibus consultum est circa illa, vt neque caules, neque buglossum, aut mespila agnoscamus: tam bene actum est cum hac præstigiosa simplicium sapientia. At ego hos non accuso: præstiterunt quod poterant: verùm ob regionum diuersitatem tum temporum, tum linguarum permutationem, non possunt veritatem enucleare: nec auctorum contrarias sententias concordare. At si hæc omnia apud Arabes etiam paria vel maiora facere: nam & lingua à lingua plus dissidet, & regio à regione, quàm nostra: cur non in illis hæc animaduerterunt: ac pro excusatione duxerunt? Aucti sumus & nos ingenti libros imprimendi commodo: quo si caruissemus, ne quis vel sponte multorum, qui adeo se iactant, vel precario libros apud se habere velit, cùm Arabum gloria iam trecentis annis etiam illorum expugnata gente, vigeat: cum Galeni ipsius ex tribus duæ ferme partes librorum interierint. En vides Principem quàm breue, quàm circunspectum, quàm subtilem? Rasim quàm doctum? Auerroëm in vtroque genere huius laudis eminentem? Errauerunt falsis translationibus decepti. Fateor: Sed quoties iam Galenus ad nos conuersus venit: & tamen etiam nunc cum tanta copia rerũ, exemplarium, facilitatéque imprimendi, in magna illius parte vix sensuum vmbram habemus, & si verborum non tanta iactura sit. Desinant igitur ineptire qui sibi ambitum, vel gloriam veteres damnando quærunt. Sed hæc iam satis aduersus hanc nouam hæresim, cum in his quæ propriæ sunt inuentionis, Arabes ingenio, Latini facundia Græcis non cedant: fabulis tantum ac nugacitate vincimur. Præferant Aristotelem, Platonem, Hippocratem, Galenum, Ptolemæum, & Aphrodiseum: ego cum ad regionem quæ latissimè patet (nam Aristoteles, Platóque Europei, Aphrodiseus Aphricanus & Ptolemæus, sed Galenus & Hippocrates Asiani in annorum duorum millium spatio amplioréque floruerunt) respicio: nihil dignum video tanta magnitudine, at vnica Hispaniæ ac Africæ maritima ora hos omnes ac plures alios nobis reddidit velut Heber Maumethem Mosis, Thebit, Hali, Alchindum, annorum paulo plus spatio ducentorum. Quare definite eos damnare quibus pares multa secula datura non sunt, etiam tot freti commodis. Sed ad rem reuertor, quamuis amor veritatis nimium aduersus belluinos huius ætatis viros quosdam me impellat.

Rasis itaque sic distinguit libro Diuisionum 54. vt in sanguinea ex opposito latere primo fiat sanguinis missio: post tertia die ex basilica eiusdem lateris, quæ sententia fermè in omni genere est Azarij in sua Practica, dicit enim primo ex latere opposito, deinde post tres dies ex latere eodem, sed Rasis, vt dixi, in ea quæ fit à bile, vult sanguinem ex eodem latere statim mittendum esse: in ea autem quæ ab atra bile vel pituita, non se declarat: sed in lib. 9. ad Almansorem cap. 57. dicit, quòd in omni, præterquàm ea quæ fit cum repletione multa sanguinis, vbi addit multum, & repletum: quare in aliis duobus generibus intelligit sanguinem ex eodem latere mittendum esse. Et si quis instet, quòd lib. 7. cap. 11. dicat, in apostematibus semper mittendum esse sanguinem ex aduerso latere: & quarto Continentis cap. 3. Respondeo: In prima autoritate loqui manifeste de exterioribus apostematibus: & in libro Continentiũ aliorum narrare dicta, quæ partim non dignum habent autorem: aliquando autem propter malam translationem corrupta fuere. Et hæc sit declaratio & conciliatio dictorum Rasis, quæ quantum veritatis contineant, inferius edocebo. Satis sit illum velle ex basilica semper mittendum esse sanguinem, & post initium semper ex ea quæ est eiusdem lateris, in initio etiam semper, nisi multa sanguinis redundantia in corpore affuerit: censuisse tamen Galenum aliter sensisse, ob malam translationem. In exterioribus autem apostematibus, vulneribus, ac fracturis ex aduerso latere semper, vt in libro Diuisionum cap. 138.

Nunc ac Principem venio: is quarta primi cap. 3. hæc habet: Et in attractione, quæ fit ad partem longinquam, non oportet quidem vt in duas diametros prolongationem facias, sed in vna tantum, quæ sit diameter magis longinqua: nam si materia fuerit in supremo dextræ partis, non erit trahenda ad infimum sinistræ, imò id infimum ipsius dextræ: & hoc quidem est illud, quod est magis necessarium: aut ad sinistram à supremo, si fuerit tantum longinqua, quantum est ab humero ad humerum. Hic declarat apertè quid voluerit in decima tertij, cùm dixit, se magis diligere sanguinis missionem ex saphena: nam vult vt remotio, si esse potest, ex eodem latere in retractione fiat: aliter ex contrario latere, hæc ille.

Et Mesue quasi in eadem sententia, in cura morbi

morbi lateralis: iubet enim fieri missionem sanguinis ex basilica oppositi brachij, & in magna repletione sanguinis ex saphena lateris oppositi. Quòd si error non est in scriptura, dissidet in duobus à Principe: Primum, quòd saphenam eligit alterius partis, cùm Princeps eam quæ ex eodem est latere: nec vllus alius præter Mesuem, hoc dixit: & ideo suspicor, quòd velit dicere, ex saphena eiusdem lateris. Alterum est, quòd Mesue præponit generaliter missionem sanguinis ex basilica, sed Princeps ex saphena. Adde tertium quod Princeps generaliter loquitur, sed Mesue ex parte. Verùm ratio ac mens Principis clara est: nec dicendum, vt ille, quòd Princeps loquatur de regimine preseruatiuo: nam cùm dicit, post paucos dies sanguinem mittendũ ex eodem latere: vel omnino diuinat lateralem morbum futurũ, non existentem: vel non existente morbo bis mittit sanguinem, & secunda vice etiam ex eodem latere. Quare melius est id intelligere quod vult: scilicet, diuersionem ex longinquo faciendam semper, & si liceat, ex eodem latere: vbi verò non, detur ex contrario. Vnde missionem sanguinis ex basilica eiusdem lateris Princeps non somniauit. Quòd autem iubeat Galeno assentiendum: loquitur in singulariũ venarum sectione, quas Galenus expertus est ad morbos proprios conuenire. Vel forsan illud dixit, quoniam in interpretatione dictorum Galeni deceptus est ob malam translationem, velut & Rasis. Sed Auerroës in commento 77. dixit, illudens Principi, quòd cantauit sequutus Galenum in eo canone, & quòd sua intersit de hoc: quasi dicat in ea parte secutus Galenum est, vbi Galenus nec bene dicit, nec sibi constat, & hoc est quod expressit 7. Collectaneorũ 29. vt iam dixi. Opinio igitur Auerrois propria in hoc est, quòd mittatur sanguis ex contrario latere: imò in phlegmone sinistræ auris ex cephalica dextra. Et hoc ratione nititur probare: Cùm morbus initiũ habet, retractione indiget: hæc autem fit secundum aliquam oppositionem in corpore, scilicet sursum ac deorsum, antè retro: dextrũ ac sinistrum. Sed in basilica eiusdem lateris, non est dextrum & sinistrum (non enim sunt diuersæ positiones in animali in eodem latere, imo re ipsa dextrum à sinistro distinguitur) nec antè & retro, nec sursum ac deorsum. Igitur debet fieri minutio sanguinis ex contrario latere. Et quia in augumento quærimus vtrunque, sicut in statu solam euacuationem: igitur in augumento morbi etiam debemus ex contrario latere minuere sanguinem: non solum in principio. Secunda ratio sumitur hæc. Vbi possumus duas aggregare res vtiles, illud facere debemus, tum præsertim in principio, & corpore repleto existente: sed cephalica in phlegmone auris euacuat, & si sit ex aduerso latere, etiam diuertit: igitur conuenientior est hæc in mittendo sanguinem, quàm ea quæ eiusdem lateris. Manifestum est autem Auerroëm sic velle, discrepareque à cæteris, vt solet, omnibus: quia tempus hoc mittendi sanguinem ex aduersa parte ad augumentum extendit, quod nemo alius fecit. Sed rationes, quia aliis præiudicarent non concludentes, soluendæ sunt. Dico igitur, quòd diuersio vel debetur parti læsæ, vel quæ iam læditur: si secundum, nondum sumus in initio phlegmonis, ideò sanguis ex contraria parte mittendus est: vel læsæ, & sic in hoc maximè sedandus dolor, nam ille trahit, vt diximus: hoc autem fit cum deriuatione, & propter hoc dicemus inferius, quid ex hoc sequatur. Nunc satis constat, quòd deriuatiua tantum opus est quæ ex eodem latere fit. Ad secundum respondeo, quòd antecedens est verum, sed stante paritate: at in diuersiua non est euacuatio quæ sit notabilis iuuamenti. Cur tamen in exterioribus apostematibus contrarij lateris sanguinis missio præferatur à Rasi, & videtur sumptum à Galeno, vt diximus in illa autoritate. Pede vno laborante, ex altero sanguis mittendus est: Respondeo, quòd venæ exteriores sunt paruæ in comparatione ad interiores. Secundò, & initium apostematis illico agnoscitur, & sumus quasi in regimine præseruatiuo, non curatiuo. Tertiò, quia tale apostema est fermè sine periculo, saltem magno: & ideò cùm sint duo motus, vnus ad partem phlegmonis, alter à parte interiore ad exteriorem: & primus est noxius, augens morbum: secundus vtilis, reddens eum sine periculo. At missio sanguinis ex aduerso latere primum motum impedit, non secundum: ex eodem autem latere vtrunque impedit: Igitur missio sanguinis, etiam in augumento exterioris apostematis, semper ex latere diuerso tentanda est. Ideo de apostemate auris ad Auerroëm, dico: quòd si intelligeret de exteriore, verum diceret: sed non ob rationem suam, verùm eam quam modo diximus: si autem de interno, nihil concludit.

Ad Haliabatem dico, quòd difficile est habere verum sensum ob malam conuersionem manifestam.

Idem dico de Serapione: nam is secundo Breuiarij cap. 21. vult, quòd fluente materia, ex aduerso latere sanguis mittatur: iam fluxa verò ex basilica eiusdem lateris. Et dicit dictum verum, quòd lateralis morbus plerunque fit à materia biliosa, nam hoc etiam dixit Galenus sexta Aphor. 33. itaque in hoc cum Galeno, in altero cum Auerroë concordat. Discordat tamen: quoniam Auerroës eò progreditur, vt etiam in iecoris inflammatione sub initio sinistræ basilicæ, non dextræ, sectionem præferat: quod vt Serapio quarto Breuiarij cap. 2. sic etiam cæteri auersantur.

Ex hoc tandem fit manifestum, nullum Arabem magis Galeno assentiri, quàm Rasim: nam hic vult, quòd in omnibus post principium, & in principio omnibus plenitudinem multam sanguinis non habentibus: & in habentibus, etiam si ab humore procedat bilioso, vt plerunque fit, semper sanguis ex communi latere mittatur. Hoc autem vix vnquam exceptionem patitur: quare Rasis opinio à Galeno parum vt nihil differt.

Quòd verò ad Haliabbatis reconciliationem secum, (nam dissidere videtur) & Paulum: Dico, quòd in apostematibus internis, postquam iam vsus hic loquendi inualuit sanguinem ex eodem latere mittendum

vult Haliabbas: vt in phlegmone iecoris, splenis, renum, viscerumque, ac ventriculi: in externis ex aduerso, vt dictum est. Lateralem morbum medium sanxerunt, inter interiorẽ & externum, nam ex parte terminationis interior est, disrumpitur enim semper interna parte: verùm ratione membri, id est costarũ, musculorum, & velaminis, externum dici potest: quia in nullo viscerum est. Ob hanc causam generalem regulã dedit mittendi sanguinem Haliabbas, ex eadem parte in viscerum inflammationibus, ex aduersa tamen in laterali morbo: quia eum morbum inter eos connumerat, qui in exterioribus partibus accidũt. Sed Paulus aliter sentire videtur, regulam generalem secutus, quoad intentiones diuersas, quæ sunt tres iam dictæ, Diuersio, Deriuatio, Euacuatio. Et sicut duobus postremis idem latus debetur, sic primæ contrariũ, nec consentiens. Apparet autem hic ex capituli titulo: nã inscribitur de Sanguinis missione. Ideo nihil plus vult ibi, quàm Galenus in libello de Reuulsione, & aliis locis, vbi de ea loquitur. Iam autem semel dictum est, nec repetere pigebit, difficultatem non esse, an reuulsio ex contraria parte fieri debeat, sed an omnis: secunda, an laterali morbo per initia reuulsio tantũ competat, an deriuationi permixta, in quibus Galenus ab his dissentire videtur. Sed Auenzoar 1. Theisir tract. 16. c. 3. dicit, quòd ex aduersa iecoraria alterius brachij est mittendus sanguis: quãuis visum sit quibusdam nouis medicis, quòd ex eodẽ latere: sed rationes eorũ, dicit, sunt sophisticæ: imò sic agere, nil aliud est, quàm ægros occidere. Hunc frustra ab opinione sua conaberis remouere: nam duo existimat necessaria in initio morbi, reuulsionem, & quòd illa à latere contrario semper fiat: cùm tamen, vt videbitur, in vtroque decipiatur.

Cornelius Celsus lib. 2 cap. 9. post medium, hæc habet: Neque ignoro quosdam dicere quàm longissimè sanguinem inde, vbi lædit, esse mittendum: Sic enim auerti materiæ cursum: at illo modo in id ipsũ quod grauat euocari. Sed idipsum falsum est: proximum enim locum primò exaruit: ex vlterioribus autem eatenus sanguis sequitur, quatenus emittitur. Vbi is suppressus est, quia non trahitur, ne venit quidem. Videtur tamen vsus ipse docuisse, si caput fractum est, ex brachio potius sanguinem mittendum esse: si quod in humero vitium est, ex altero brachio. Credo, quia si quid parum cesserit, opportuniores hę partes iniurię sunt, quàm quæ iam male habent. Auertitur quoque interdum sanguis vbi alia parte prorõpens alia emittitur. Desinit enim fluere qua volumus: inde obiectis quæ prohibeant, alio dato itinere. Libro autem 4. cap. 6. cum lateralis morbi curam describat, nec quicquam adiiciat ad sanguinis missionem: clarum est in generali eum sententia persistere. Idem in duobus proxime succedentibus capitulis, dum de pulmonis ac iecoris inflãmatione loquitur, obseruat: nihil ad iam dicta adiiciens, quo fit, vt ipsum Galeno, aut potius ipsi consentientem habeamus Galenum. Hæc igitur vetustiorum placita sint.

Superest modò, vt videamus, si quæ rationes hoc, vel illud conuincant: nam quæ duæ suadebant, ex aduerso latere sanguinem esse mittendum, ab Auerroë adductæ, à nobis solutæ sunt: quamquam illarum declaratio ex sequentibus locupletius habenda sit. Est igitur ratio Principis hæc: In diuersione quærenda est venarum communicatio & distantia maxima: sed communicatio est ex venis eiusdem lateris, nam inter omnes dextri ac sinistri lateris venas media est vena magna, quam chilis vocant: igitur cum distãtia maxima sit inter pedem & manum, ac maior quã inter manum & manum, seu latus & pedem, maior quam inter latus & aduersam manum: constat quòd saphenæ vena basilicæ erit præferenda. Pro rationum autem sequentium intellectu præmittendum, quomodo homo per quatuor dimẽsiones diuidatur: nam Galenus sexta Aphor. 36. dicit, quòd partes quæ sunt supra hepar curantur sectione venarum manuum: inferiores sectione venarum pedum. Et in libro de sanguinis missione cap. 18. renes quasi medij statuuntur. Dextrum verò ac sinistrum, antè & retro, facile quisque diiudicat Attamen longè plus interest inter dextrũ latus ac sinistrum, quàm inter anteriorẽ posterioreque partem: quoniam inter dextrum ac sinistrum latus per totũ corpus, distendatur medulla spinalis arteria ac vena magna, quæ illi in profundiore corporis parte subiacent: cum spinalis medulla suo integumẽto foris in dorso permineat. Quartus modus est eius, quæ in profundo iacet, idem infra abdomem, sexta Aphor. 7. vnde morbus lateralis inter morbos exteriores cõnumerari potest, nõ enim est profundior abdomine, cùm pleura fermè in eius directo sit. Atque ex hoc alterum certè sequitur, quod ignorare minime oportebat: scilicet, quòd caua vena postquàm iuxta iugulum diuiditur in partẽ quæ ad caput ascendit, atque truncum descendentẽ, ibi etiam dextra sinistráque bipartitur, pars verò quæ inferius tendit antequàm ad brachij separationem, qua à corpore diuellitur tendat, tres ramos infra in costas emittit. Primũ quidem, qui iuxta pectoris medium anteriores partes illius vsque ad renum directũ nutrit. Secundum verò, qui proximè ad spatulã iuxta costam quintam finitur, à superioribus illas connumerando: cùm tamen lateralia pectoris vt primum & ipsum multis modis diuisum nutriat. Tertium autem, quasi in ipsa spatula latus ac dorsi posteriora nutriens, ad ipsos vsque renes descendit, ac primi rami particulis iuxta committitur. Illud verò diligentissime considerandum, ex vena caua à dextra parte maximum exoriri ramum ἄζυγον vocatum, quòd à sinistra parte cõiugem non habeat, qui ramum alium ad partem sinistrã emittens, per illum singulas inferiores costas enutrit: ipse verò dissectus in totidem ramos, quotus est costarum numerus illas ex posteriore parte nutrit. Sed huius rami posterioris, qui ex priore dextro exoritur, prouentus non vniuersis hominibus contingit: at ἄζυγος generalis omnibus supra cordis regionem exoriens: nouem inferiores, & tres superiores costas nutrit. Porrò partes costarum inferiorum ex hac nutriuntur (vt dictum est) vena, quæ coniuge caret partim, partim ex venis à caua per ipsas directis:

directis: ipsa verò caua iuxta os sacrum discinditur bipartito, nutritque crura, poplites, femora, pedes. Manifestum est igitur, quæcunque supra cor iacent, vt pulmonem, & costas septem veras, à superioribus venis nutriri, quæ à cauæ ramis exoriuntur: inferiora verò membra ramis à caua inferioribus cordis habita ratione: costas tamen inferiores, maximè dextras, etiam à ramis eius venæ, quæ supra cor exoritur, & coniuge caret, nutriri palàm est. Vnde neque illa ratio nos turbat, quòd cùm Galenus dicat, sanguinis missionem non prodesse è brachio, cùm phlegmon inferiores costas occupat: quòd necessarium sit sanguinem per ipsum cor educere: cùm superiores costæ superioribus venis, inferiores inferioribus nutriantur: nam & si inferioris maximè dextræ partis venâ sine coniuge nutriantur, atque ob id iuuari possint secta interna brachij vena: Galenus tamen censuit maximam partem nutrimenti ex venis inferioribus, non ex vena illa solitaria defferri: nec in hoc deceptus est. Quare ipse in secundo Regim. acutorum 11. consulit, vt si morbus magnus sit, & febris vehementissima, vt sanguinem mittamus purgatione prætermissa. Cùm autem non de pede mentionem faciat, certum est ex interna mittendum intelligere. Nutriuntur igitur & Galeni iudicio aliquo modo costæ, inferiores (& si non vt vere costæ) venis superioribus. Illud igitur maius est, quonam pacto, cùm iecur sanguinem transmittat ad brachium dextrum, non nisi per cauam venam, quæ prius in cor transierit (vt etiam Vesalius lib. 3. cap. 7. ac deinceps aduersus Galeni placita edocet, coadiuuante rei historia) in iecoris phlegmone emissus sanguis ex interna brachij vena plurimum iuuet, intercedente corde? Par enim est, vel nihil, aut parum saltem iuuari: atque hoc ille potius docere debuit, quàm missionem sanguinis in morbo laterali ex quocunque latere fiat, æqualiter prodesse, vt lib. 5. cap. 9 in fine dixit: siquidem huic opinioni non adeo fauet experimentum, vt illi quæ in morbo laterali sanguinem mittendum edocet. Nam etsi iecur ex sanguinis missione iuuetur dum phlegmone laborat: hoc est maximè, quia cor refrigeratur, ob id sectionem venarum manuum in vniuersis febribus, tum phlegmonibus membrorum, iuuare dicam: quòd cor refrigeretur, non quòd iecur exinaniatur, quamobrem pauci, imò vix vlli, vt experimento vidi, iecoris inflammatione liberantur. Et hoc est genus lateralis morbi apud imperitos, quod quia difficillime liberatur, pestilens vocatur. Liberatur autem difficillime, non solum quòd grauissimus sit morbus, sed quòd morbum pro morbo curent: non in hoc quàm in cæteris prudentiores, aut magis oculati: siquidem & lateralis morbi, & iecoris phlegmonis signa apud hos asinos quomodo non confundentur, cùm Galenus recitet quinto de Locis, cap. 7. Siculum medicum in seipso aberrasse. Vix vnquàm (ne absque vix dicam) quenquàm vidi, cui medici tanquàm phlegmone iecoris laboranti manus adhibuerin: atque ideo omnes, quotquot in horum boum curam incidunt, vitam morte commutant. Præstiterit igitur in his, secundum dissectionis rationem, si modò sanguinis missio prodesse potest, ex pedis vena sanguinem mittere. Sed cur (dicent) magis tamen iuuantur facta vena in dextro quàm in sinistro latere, non solum in febribus, sed iecoris phlegmone? Itaque dimissa hac contentione, quæ à Galeni & Aristotelis dissidio proficiscitur, vtiliorem exercitationi sententiam aperiam. Etenim cum sanguinis missio ad animi defectionem persæpe conueniat, & in plerisque morbis præsens sit auxilium: maxime tamen in tribus conuenit prima Aphor. 23. & in ardentissimis febribus, & maximis phlegmonibus, & vehementissimis doloribus. In prima igitur occasione plurimum interest, an ex venis brachiorum, an pedum, mittamus sanguinem. Quippe ex manibus deductus sanguis cor ipsum illico refrigerat: nam sanguinem eduxit ex vena, vbi proxime ex corde progreditur sanguis etiam calidus, ac subtilis, qui superiora petit: quorum nullum in sanguinis missione ex saphena, seu exteriore pedis contingit. Igitur quòd in acutis omnibus, non solùm ardentibus febribus, ex brachio sanguis mittendus sit, satis constat. Et si cor torqueatur, ex sinistro magis latere, sin autem plenitudo multa sit, ex dextro auferendus est. Proculdubio enim sanguis in iecore generatur. In longis autem febribus si ex inferioribus venis sanguis detrahatur, multo melius erit, quàm si ex manibus: crassior enim existens ima petit, atque frigidior. Ob hoc & vina cùm ad finem deducta sunt, languidiora, & deteriora fiunt.

In inflammationibus autem omnium viscerum duo quæruntur: alterum, vt inflammatio sedetur: alterum, vt sanguis per totum corpus supercalefactus tum cor, pulmo, iecur, refrigerentur. Primæ intentioni conuenit, vt dolor sedetur, reuocetur influens sanguis, & qui iam influxerit à loco ipso retrahatur: ratione autem secundæ intentionis, vt iam docuimus, ex brachio sanguis semper est auferendus: sola enim hæc detractio multum & velociter cordi, iecori, pulmoni, sanguinique supercalefactis conuenit, cùm reliquæ sero & parum. Sed in doloribus cùm sine inflammatione fuerint, idem quod in febribus quærimus: scilicet remissionem motus, sanguinis refrigerationem, & securitatem à phlegmone. Porrò duo prima sanguis è mamanibus detractus solum efficere potest: in hoc vltimo non contemnenda sunt Principis præcepta, vt à longinquo, & per venas communicantes aliquo modo detrahatur. Igitur ad rationes detrahendi sanguinis in phlegmone veniendum est. Prima est; In iecoris plhegmone detrahendus est sanguis ex dextra interna, & ex sinistra in lienis phlegmone: igitur ex eodem latere in morbo pleuritico: nam vtilitas & periculum paria esse videntur. Si enim concurreret magis sanguis in hac detractione, quàm in ea quæ ex aduerso fit latere, oporteret vt eadem ratione in horum viscerum inflammationibus ex aduersa parte sanguinem detraheremus. At hæc ratio parum mouet: tum quia, vt

diximus, phlegmon sub costis aliquo modo intelligitur esse in parte externa corporis: vnde sanguis in eum locum influit ex interioribus partibus: quare detractio sanguinis ex eodem latere retrahet sanguinem illum super membra magis intima & principalia. Secundò dicimus, supposituum illud, quantum ad rationem, nihil concludere: plus enim vena pedis communicat iecori, quàm interna, si vtraque ex dextro latere sumatur: vel in liene ex sinistro. Nam vt sanguis ex iecore reuocetur, secta vena in brachio dextro, requiritur vt vena brachij retrahat à caua, caua à corde, cor à iecore. In sectione autem interioris tali reuocatur sanguis ex caua, & ex caua sine medio à iecore: quare longe melius quantum esset merito huius sanguis ex iecore per minutionem in pede, quàm in brachio reuocaretur. Sed, vt dixi, modica ex vtroque modo vtilitas habetur. Videtur tamen dextra magis sinistra in iecore, & sinistra magis dextra in liene, seu ex pede sanguis detrahatur, iuuare: quoniam, vt in fluminibus, quamuis caua sine septo aliquo omnem contineat sanguinem, qui tamen à dextris influit, in dextra parte manet: & qui à sinistra, in sinistra: & rursus, qui in dextra parte est, dextris membris immittitur: qui in sinistra parte, sinistris. Hoc autem, vt dixi, & in fluminibus, & in torrentibus videmus: atque eo magis si plenus sit alueus, & cursus non impeditus: quæ duo maxime in cauæ venæ processu contingunt. Ex hoc manifestè liquet, quantum ratio Auicennæ peccet: nam nulla in causa minus prodesse potest missio sanguinis ex saphena, quàm in laterali morbo. Nam si ad febrem respicias, nihil prodest: si ad euacuationem, vel diuersionem, longe multo minus, quàm in iecoris phlegmone. Nam in hoc iuuare poterit, cùm nullum membrum egregium interponatur, vt nec inter sinistrum & lienem: vt nec inter pedes ac renes suos, vel testiculos, aut vteri latera. At inter costas & pedes cor ipsum medio loco stat: quare & autoritas Mesuæ à ratione dissectionis multum euariat. Sed, vt diximus, ipse etiam noua & ab omnibus explosa commentus est. Sed est aliud considerandum, cur multo maius sequatur iuuamentum ex sanguinis missione in dextra brachij, quàm pedis in iecoris phlegmone: nam sanguis ex brachio detractus cum à corde trahat illo exinanito, cogit vt & ipsum à iecore rapiat sanguinem. Cùm igitur cor sit membrum validissimum, & cui nullum robore possit comparari, ipsum etiam iecur magna vi exinanit: atque ita missio sanguinis ex dextro brachio multum iuuabit in phlegmone iecoris, cùm ex pede parum: & ita quod posuit Galenus tanquàm ex venarum communicantia manifestissimum, quanuis sit verum, non tamen ex illa causa originem trahit hæc veritas, quippe cùm communicantia nulla talis sit: imo maior in pede, vt dixi, cum iecore, quàm in brachio: & ratio dextri & sinistri etiam parum faciat merito venarum magis communicantium: cùm nulla talis sit hæc communicantia maior, sed ratio pedis & brachij, si modò discrimen est, in iecoris phlegmone, in earum sectione prouenit ex fortitudine attractionis cordis. Ratio autem dextri & sinistri ex cursu sanguinis qui in venis plerumque facit vt dextra ad dextram & sinistra maximè flectatur ad sinistram. Generaliter autem, vt dixmus, euacuatio ex brachiis sanguinis efferuescentiam illius minuit.

Secunda ratio pendet ex ratione generationis phlegmonis, posita à Galeno libro de inæquali intemperie cap. 3. nam in ea intumescunt venæ, & arteriæ circumiacentis loci, primo magnæ, inde rami illarum & mediocres ac vsque ad minimas: donec cogantur exprimere sanguinem in concauitatem, & sic generare phlemonem. Patet igitur, quòd dum phlegmon gignitur, circuniacens regio tota simul tumida est, ac præter naturam affecta. Materia igitur, seu sanguis, comparata phlegmoni, fluit adhuc: comparata regioni phlegmonem circunstanti, iam fluxa est. Verùm materiæ fluxæ, iuxta omnium sententiam, debetur sanguinis missio ex eodem latere: igitur in phlegmone fiente, cùm semper materia iam in circunuicina regione fluxerit, competet missio sanguinis ex eodem latere. Ista ratio claudicat: nam vel intelligit per materiam fluxam iam quiescentem in loco, & huic certè debetur missio sanguinis ex eodem latere: sed hæc non est quiescens, imò perpetuò fluit in alium locum, vt Galenus testatur: vel per materiã fluxam, intelligit motam è loco suo, & sic non omni tali debetur deriuatio, sed reuulsiò ab initio, & ita ratio reddit ad idem quantum sit ex hoc. Et nota, quòd secundum hoc tamen, vbi ratio hæc supponatur vera, fit secundum genus perniciosæ pleuritidis: & est cùm in sinistro latere materia ex vena non coniugata defluxerit: nam talis materia nullo modo potest minui ex sanguinis missione: non enim à sinistra, quia nulla illarum venarum ex eo latere oritur, nec ideo potest trahi, vt ostendam in tertia ratione: nec ex latere dextro, nam cùm coniugata exoriatur ex parte inferiore cauæ comparàndo ad venas nutrientes costas dextræ partis: sequitur vt longe plus detrahat sanguinis à loco sano quàm ægro. Talis autem missio sanguinis est parum vtilis, vt infrà declarabo. Tu etiam non potes esse certus, tam in dextra, quàm sinistra, quòd sanguis non fluat à vena sine coniuge, seu solitaria. Igitur cùm in sinistra (si modò iuuaret sanguinis detractio) illa esset facienda ex aduerso latere, id est dextro: igitur talis pleuritis ex sinistro latere valde est periculosa, & incertæ curationis. Accedit quòd propter propinquitatem cordis fit etiam periculosior. Verum cùm sint quatuor modi in curatione morbi lateralis, Sanguinis detractio, Victus, Localia, & Medicinæ: Victus rationem nesciunt hoc tempore, nce obseruãt: Localia etiam extra tempus exhibent: in medicinis aberrant. Sequitur vt cùm missio sanguinis non prosit, vt talem morbum, ex quo plerique necessariò moriuntur ob imperitiam medicorum, vocent merito pestilentialem morbum lateralem. Est etiam animaduertendum, quòd, in aliquo mittendi sanguinis more, vnus modus pleuritidis erit pestilentialis, qui non

erit in reliquo: velut in sinistra erit lethalior his qui à sinistra, seu ex eodem latere sanguinem mittunt, (cùm fuerit propter sanguinem venientem ex solitaria vena) quàm his, qui mittunt sanguinem à latere contrario. Et ita in phlegmone, quæ fit à solitaria vena, lethaliores erunt quæ curabuntur secta vena ex aduerso latere, quàm ex eodem. Quare si quis dicat, Igitur tutius semper est mittere sanguinem à dextra. Respondeo quòd non: nam in omni alio morbo laterali, qui fit in sinistra parte, & non à vena solitaria, mittere sanguinem ex dextra parte est inutile, cùm ex sinistra sit saluberrimum. At hoc frequentissimum est vt fiat ab aliis venis, non à non coniugata. Igitur in omni morbo laterali à dextra parte conuenit sanguinis missio ex dextro latere. In sinistro autem est distinguendum: nam si dolor ad iugulum accedit, ex eodem latere mittendus est sanguis, vt Hippocrates & Galenus volunt: nam solitaria vena in causa esse non potest, cùm eo vsque non pertingat. Et similiter si sit dolor in tribus superioribus primis costis, rami enim solitariæ ad illas pertingentes sunt adeo exiles, vt vix possint phlegmonem excitare: vel si excitabunt, adeo leuis erit: vt non multum intersit ex quo loco sanguis mittatur. At morbus lateralis in sinistro latere in parte anteriore pectoris vix etiam potest fieri à vena solitaria: qui autem est in directo quasi cordis sub ala sinistra, hic potest esse à vena solitaria: nam retro est truncus: ideo non facile ibi excitatur phlegmon, impellente natura sanguinem semper ad minores venas: nec ante, quia ibi rami pauci pertingunt: sed in ala seu à latere & parum propinquius anteriori pectoris parti.

Tertia ratio est, quòd natura sic operatur: expellit enim humorem peccantem tum sanguinem, tum saniem, vt tertio de Crisi cap. 3. vnde ibi docet, quòd sanguis ex dextera nare in iecoris affectibus prodest: & idem de sinistra in liene, vt tertia particula Epidem. super tertium tit. 78. de Pericle: qui cùm lienosus esset, & prima die sanguinem ex sinistra copiosum emisisset, in quarta liberatus est. Et rursus de Metone tertia par. super primum Epidem. t. 24. qui liberatus est ex profluuio sanguinis in dextra nare in quinta die: cum prius in secunda etiam effluxisset. Et quanquam non constet eum laborasse iecoris vitio, sed lumborum: attamen in vtraque parte cùm esset vitium, plerunque si paritas sit morbi, à dextro sanguis latere effunditur, velut calidiore. At in Cleonactide, cui sinistrum latus indoluit (est autem hic proximo præcedens æger) sanguis ex vtraque nare effusus est, ac sine ordine: verùm hoc ad trigesimum diem actum est, cùm in primo die adesset dolor. Philiscus autem, qui 18. textu scribitur, mortuus est, cùm lienem durum haberet, & ex vtraque nare sanguinem paucum merum in quinta die emisisset: nam inconstans hæc est emissio, & vt in Prognosticis inquit mala: tum quia paucus, tum quia merus. Inconstans autem, quia tam ex aduerso, quàm ex patiente latere profluxit. Medicus igitur est naturæ rectè operantis imitator. prima Aphor. 21. igitur medicus sanguinem ex eodem latere detrahet. Ista ratio est præcedentibus duabus validior. Natura tamen cùm hoc operatur, agit iam constante phlegmone, nunquam autem dum fit: At de hoc apud medicos iam nulla est fermè dubitatio, cùm inflammatio perfecta fuerit.

Quarta ratio, & quinta sunt his infirmiores: nam nec semper medicus naturam imitatur, quia lapidem extrahit ex vesica, eruit ranulam, deprimit in oculo nebulam: at (dicis) hæc natura non potest facere. At ego dicam nec natura simul potest mittere in partes contrarias, ac diuertere influentem humorem ab initio morbi, nisi medici auxilio adiuta: quare medicus ad contrariam partem reuellere debet, clarius ibidem in commento 21. dicit Galenus, quòd naturam rectè operantem adiuuare debemus: malè autem, retrahere, & impedire. Igitur cùm in phlegmone quod fit deriuet materiam in membrum, expedit nobis contrarium facere. Ratio tamen pro Galeno est, quòd qualiscunque operatio, quæ fit per non communicantes venas, est inutilis: talis est quæ fit minuendo sanguinem à latere opposito, & ita hæc ratio est probabilis, & contentiosa: propterea ad validiores descendo. Missio sanguinis ex eodem latere plus euacuat, & æqualiter, aut etiam magis diuertit: igitur præponenda est. Ratio per se clara est, modò antecedens ostendatur: nemo enim dubitat, primam esse medici intentionem, prohibitionem inflammationis: sed hæc tollitur, minuendo quod iam conflatum est, & prohibendo ne augeatur: quorum alterum euacuatione, reliquum diuersione constat. Euacuatio ex latere opposito nulla est, vel etiam Arabibus ipsis testibus.

Reliquum est vt de Diuersione dicamus. Iam verò notum est, quòd sanguis qui in phlegmonem cogitur, (gratia exempli) in dextro latere ab aliqua quatuor venarum, quæ ex caua, vel eius dextro ramo exoriuntur, cogitur. Si igitur sanguinem ex aduerso latere minues, non prius eum motum sedabis, quàm totam cauam venam exinanieris: quòd si credas sanguinem è sinistra parte, in dextram delatum phlegmonem excitare posse, tunc necessarium est, vt vel ex dextro latere in sinistrum venæ notabiles cauæ non ob obuiantes permeent: quod omnino falsum est. Et hic est error vulgarium medicorum ignorantium hoc, vt reliqua omnia artis principia: scilicet, quòd dextrum latus à sinistro ex toto disiungitur, nec nisi per cauam venam latus lateri commune est, nisi in pauculis finibus venarum nullius propemodum considerationis, vel necessarium est vt sanguis adeo concitatus sit ex sinistro in dextrum latus permeans, vt impellat cauam venam implere venas dextri lateris: & sic phlegmonem generare. At sic in hoc casu vix effugere potest, quin phlegmon in tanto impetu in sinistro latere prius non generetur: quare diuerso ex opposito latere hunc tantum imaginabilem motum retardare poterit. At & in eo casu nihil proficiemus: namque si iam dextra pars phlegmone laborat, & à sinistro latere in dextrum latus tanta est plenitudo, vt non obstante cordis & iecoris

&

& cauæ venæ capacitate, necesse sit phlegmonem generari: certè vel cuilibet asino clarum esse potest, missionem sanguinis tunc in sinistro latere factam nihil auxilij tantæ plenitudini & phlegmoni quod iam fit allaturam. At è diuerso, cùm sanguis ex caua in ramos influat, habeat verò descensum duplicem, alterum latum in brachij venam, alterum arctum in pectus: sanguine ex brachio detracto, quis dubitat, quin manifestè sanguis influens ad pectus non retroagatur? Altera clarissima ratio est quòd Hippocrates & Galenus secunda particula super sextum Epidem. 7. & 8 præponunt deriuationem reuulsioni, & de hoc dictum est in octaua Contradictione præcedentis tractationis. Cùm enim dolor materiam ad se trahat. 13. Artis curat. cap. 8. & 1. de Simplicib. medic. cap. 26. dum de aceto loquitur, in initio, & 4 Rigim. acut. t. 27. & 2. de Differ. febr. cap. 11. sed nullibi clarius, quàm quinto Artis cur. cap. 4. nihil magis trahit materias ad locum & phlegmonas excitat quàm dolor: quamobrem procuranda est sedatio hæc doloris cum deriuata sanguinis missione, quæ ex eodem fit latere, & copiosa. Sed de quantitate in libello de Malo medendi vsu, satis diximus. Patet igitur, venam saphenam non diuertere, multóque minus euacuare in laterum doloribus costarum septem superiorum, vt existimauit Auicenna: non enim directio lateris est in causa, sed venarum communicantia, vt sanguinis missio iuuet: quamobrem ea ratio ex toto nihil concludit: cùm tamen apud Galeni dissectionem vim aliquam habitura sit: cùm hoc ipse credat cauam venam iecori committi ex superiore parte corde non intercedente.

Igitur vt tanta confusio opinionum, ad ægrorum vtilitatem, & medicorum, quicunque sint, qui resipere velint, redigatur: hoc modo distinguemus: Si lateralis morbus ex dextra parte sit, sanguis ex interiore vena brachij dextri mittatur copiosus: vbi dolor in septem superioribus costis fuerit, & si multa plenitudo sanguinis in corpore fuerit, die sequenti è diuerso latere, id est sinistro, sanguinem mitte: ex interna brachij, aut in minore plenitudine appone cucurbitulas, quòd si non adeo plenum fuerit corpus, sufficiet prima sanguinis missio: (& hoc est quod dixit Hippocrates: Deriuare &c. & Princeps) cumque ad diuersum trahere volueris, vt in secunda die, dolorem prius seda, scilicet sanguine ex eodem latere misso. Quãquam postmodum non visum sit, vt in sententia persisteret in casu lateralis morbi: nam in cæteris hoc egit, vt iecoris & splenis inflammationibus. Si autem morbus lateralis est in sinistra parte, non sub ala, sed in supremo pectoris, vel in medio secundum latitudinem minues sanguinem à dextra: & reliqua vt diximus eodem modo, vt de dextro latere consequenter: scilicet si oporteat sequenti die à sinistra interna brachij. Si autem dolor fuerit in musculis mediis, vel exterioribus, minutio fiat à latere contrario semper: aut non fiat: & in vigore morbi, euacuato corpore ex initio, & cum inedia, ventosa loco applicetur: est enim admirabilis iuuamenti, vt Trallianus & Zoar affirmant. Facilis autem est cognitio huius morbi, quia ad tactum dolet, & parum aut nihil expuit, & non est pulsus serrinus: nec est tanta spirandi difficultas, imo parua aut nulla: & reliqua, quæ vide ab antiquis. Si autem suspiceris quòd sit in latere sinistro, propter solitariam venam, tunc mitte sanguinem ex dextro latere ex interna brachij, pro virium magnitudine ac morbi. In hoc autem casu optimum est emplastrum applicare spinæ dorsi ex vrticis, matre violarum, & oleo violato copiosè: mitigatur enim dolor, & sanguis refrigeratur, & concoquitur quod factum est, & quod nondum factum est prohibetur. Si verò morbus lateralis sit in costis quinque inferioribus, infra furculam ensiformem: si febris sit validissima, sanguinem mitte copiosum ex interna cubiti; at verò si febris parua, & dolor magnus sit, ex eiusdem lateris saphena: si neutrum horum adest, extrahendus sanguis non est, sed purgandus æger. Si verò iecur vel lien phlegmone laborant, si febris sit vehemens, ex interna brachij: si parua, ex saphena pedis lateris eiusdem sanguis est detrahendus: quanquam (vt dixi) Princeps in laterali morbo etiam, si non sit in spurijs, consentiat: in hoc autem dissentiat. Si autem aliquis sit consuetus incurrere lateralem morbum ex dextra parte in æstate: in vere, minuatur ex sinistra interna brachij: & ita à dextra, si ex sinistra. Quod autem dixi de iecore & splene ac saphena secanda, arbitrio tuo remitto: nam rationes ad oppositum, quas adduxi, validæ sunt. Ego tamen in illorum morbis, qui ex sanguine frigido fiunt, sic agerem, & egi ad hanc vsque diem feliciter. In cæteris si regulam hanc prætirieris, scias, quòd si quis moritur ex ægris, culpa tua illum mortuum: si quis seruatur, fortunæ beneficio illum adiutum. Est & tertium genus lateralis morbi, quod pestilentiale dicunt, quoties phlegmon panniculum pectus diuidentem, aut cor tegentem, inuadit: & hoc etiam putant esse morbum pestilentem & lateralem, quòd modicus dolor, ac vix sensibilis, percipiatur: & ægri tamen moriantur. Sed nec est lateralis morbus, nec pestilens, sed perniciosus tantum, ratione loci ad quem materia peruenit ob subtilitatem, & caloris innati debilitatem: & quamuis modica in his salutis spes sit, abstinentes tamen ab omni sanguinis missione, seruari poterunt: cùm per eam nec phlegmon prohibeatur, nec minuatur, & vires tamen frangantur. In reliquis autem generibus cùm tardatur missio sanguinis, ex debito loco tria mala fiunt, adeo perniciosa, vt ex vno eorum vel solo homo mortem consequi possit: primum est, quòd phlegmon augetur in immensum, & magis quandoque, quàm si nullus sanguis prorsus mittatur: quoniã sanguis agitatur, & mouetur. Secundum, quòd inculpatus sanguis educitur, vnde vires debilitantur. Tertium, quòd sanguis phlegmoni circumadiacens corruptus aut niger, aut liuidus, relinquitur in corpore: qui febres excitans inextinguibiles, statim persæpe occidit. Ex hoc autem clarum est, facile cognosci posse ex venarum dissectione, qua parte sanguis

sanguis influat cuique parti: atque ex hoc deriuare, vel reuellere licere, auertentes motum sanguinis influentis, vel deducentes ad exitum. Quod non intelligentes quidam, magni ponderis rationem negauerunt: non enim parua res est hoc scire. At quomodo quisquam aliquid scire potest, quòd sciri non posse putat? Cæterùm hac in parte longiusculus fui non solùm ob pertinaciam defensorum, ac multitudinem opinionum, sed quòd sic omnem mittendi sanguinis rationem in singulis quoque aliis morborum generibus explicauerim.

CONTRADICTIO IX.

Vinum qua primum ætate competat.

INfantibus calida leuatio longo tempore apta est. Vinum dilutius, neque omnino frigidum. Hippoc in libro de Victus ratione priuatorum tit 23. subiicit autem rationem, Vt minus tententur conuulsionibus, & vt maiores ac coloratiores euadant. Habet autem Græca lectio τὰ παιδία χρὴ τὰ νήπια, quod est dicere, Pueros infantes oportet: & reliqua, vt magis necessitatem inducat, quàm vtilitatem. Interest autem multum inter hoc, & illud: nam vtilia prosequi, bonum est: at necessaria nunquam sunt prætermittenda. Galenus etsi hanc Hippocratis sententiam non existimet, cùm inter nothos Hippocratis hunc librum enumeret: subiicit tamen, Vinum ipsos dilutum bibere præcipit, ne plus æquo calefiant. Haliabbas autem l. 1. Practicæ cap. 22. initium dandi vinum ex quarto anno sumpsit in pueris: atque sic serius paulo quam his videatur e de sententia Galeni, & eius qui librum conscripsit de Victu sanorum: nam Galenus Polybi vel Hippoc. eum esse credit. Aëtius lib. 4. cap 30. à septimo anno ad 14. vult inchoandam esse in pueris vini exhibitionem. Galenus autem primo de Tuenda sanitate à 14. anno ad iuuentutem statuit initium exhibendi vinum. Sed Paulus lib. 1. c. 14 post 21. annum vinum exhibet: scilicet Galeno serius. Galenus autem in libro cui titulus est, Quod animi mores corporis temperamentum sequantur, ex Platonis autoritate Vinum inutile consulentibus, aut pugnaturis censet, vel prolem generaturis: atque ideo non nisi corpus exercentibus, vel morbo laborantibus ipsum concedit. Princeps autem tertia primi doc. prima cap. 4. non nisi post 14. annum vinum tribuit, Galenum secutus in libris de Tuenda sanitate: vbi propriæ tractationis locus erat. Pro solutione intelligendum est, quòd scopi conseruandæ sanitatis tres sunt, Primo de Tuenda sanitate: vt deperditum restauretur: vt excrementa eiiciantur: vt senectus tardetur. Multa etiam sunt indulgentis, non consulentis: sicut dictum Galeni super Hippoc. vel Polybi verba iam recitata: & similiter de Platonis dicto, istud non est propter corporis salubritatem, sed morum custodiam: nec ad indiuidui vtilitatem, sed reipublicæ. Quod Mahometes probè intelligens, bellicam virtutem ac robur multum, sublato è consuetudine vino, extulit, vt nec vini inopia laborarent, nec corruptione vitiaretur exercitus aut temeritate quæ illius potu maxime aduenire solet, seipsos pugnando deteriore loco, vel inferiore numero, vel imparibus viribus perderent. Sed nunc de singulorum salute sermo habetur. Galenus igitur in primo de Sanitate Tuenda hæc habet: Sane vinum quā diutissime qui ea natura puer est ne gustare quidem suaserim: quippe quod haustum & humectat nimium & calefacit corpus, tum caput halitu replet, his qui calido & humido sunt temperamento, quale est eiusmodi puerorum. Atqui nec repleri his qui calido & humido sunt temperamento, quale est eiusmodi puerorum. Atqui nec repleri his caput est vtile, nec ipsos supra quàm par est humidos calidósque fieri: quoniam eo iam caloris & humidi peruenerunt, vt si paululum vtramuis qualitatem auxeris, iam modum excesserint. Cùm autem sit omnis excessus fugiendus, maxime hunc expedit fugere, ex quo non corpori modò, verum etiam animo damnum accedit. Quare neque iam adultis vinum, nisi modicè sumptum, existimandum est esse vtile: quòd videlicet ad iram & libidinem præcipites facit, & partem animi rationalem turbidam & hebetem reddit. Cæterùm his ipsis ad bilis excrementa vel mitiganda vel expellenda est sanè non inutile. Non minime verò ad eam siccitatem quæ in solidis partibus, aut ex immodicis laboribus, aut ex proprio ætatis temperamento prouenit. Humectat nanque ac nutrit quicquid immodicè siccatum est, tum amaræ bilis acrimoniam mitigat ac frangit: præterea per sudores atque vrinas euacuat. Pueri verò, ceu qui talem succum minime colligunt quique naturalem humiditatem plurimam obtinēt, vt commodorum quæ vini potio largitur plane non egent, ita incommoda quæ affert tantum sentiunt. Nemo itaque compos rationis pueros vti ea potione sinet: quam præterquàm quòd nullum affert commodum, incommodum etiam sequitur. Hic ad sanos habita ratione omnia vini enumerat commoda, incommodáque: namque ad ægros varia sunt, non solum commoda vini in variis hominibus, sed & in iisdem morbis atque ægris diuersa vina diuersos effectus pariunt: velut odorata ac crassa, flaua, dulciáque optima pectori & longis illius morbis, tussi, atque orthopnææ. Inimica verò nigra, austera, debilia, quæ tamen caput nec lædunt, nec feriunt, cùm priora illius morbis egregiè noceant: vt libro de Attenuante victus ratione cap. 12. scribitur. Vtilitas igitur generalis vinorum triplex est, Calefacere, Humectare, & Excrementa educere. Quòd si quis Principem nobis obiiciat tertia primi doc. 2. cap. 7. qui addit, quòd cibum penetrare facit: hoc nos in humectatione solidorū contineri affirmamus. Humidum enim vinum est omne, non solum quod tale substantia sit, sed quòd bonam faciat appositionem: quare senibus vtilissimum: an verò qualitate tale omne, dubium est, nocet autem & simpliciter pueris calefaciendo, humectando,

mectando, caput petendo. At cùm ita sit, patet quòd etiam aquosum sit, inutile illis esse: nam & si nec calefaciat, ne caput petat, humidum tamen nimis est, ex qua ad suffocationis aut comitialis morbi periculum perueniunt. Quòd si quis nobis obiiciat, Galenum quarto de Tuenda sanitate iubere, vt in diluendo vinum, consuetudinem obseruemus: hic autem dilutum dandum præcipitur. Respondemus: Consuetudinem in solitis obseruandam, atque in temperaturis iuuenum: nam infantibus aqua, adolescentibus vinum permixtum dari semper debet, ne ex contrario in contrarium transitus sit: senibus meracum, in iuuenibus quòd medij sint, obseruanda est consuetudo, nisi alia obstent: nam calidissima, in regione calida æstate media, dare perniciosum. Consuetudo igitur, vt & in reliquis, amplum locum & certum habet, vbi aliæ non superuincunt indicationes. Sed & illud iam apertum est, quonam pacto vinum siccum natura maximè iuuenibus conferat. Nam ætates indigent restaurante simili in qualitate: vnde senes humidioribus victitantes in anasarcam facile incidunt, prohibita vera nutritione: quod tamen apponitur humidum esse debet, & bene nutriens, & etiam liquidum seu molle. Atque ita iuuenibus vinum natura siccum, & multam faciens appositionem, maximè prodest: qualitate enim simile, & appositione contrarium: nam pauco humido, quod vehementer humectet, necessarium est: & pauca vtilior. His duobus modis tum excrementa excernendo, vinum iuuenibus ac senibus vtile est. Sed est difficultas, quia Gal. 5. de Tuenda sanitate dicit, vinum non competere in calidissima & siccissima temperatura: nec in calidissima & humidissima, quæ in latitudine sanitatis consistunt: sed aquam magis: & hoc, quia in talibus non qualiscunque contrarietas est ad præseruandum sufficiens. Igitur nec vinum album opportunum erit, nec iuuenibus omnibus vinum competet. In temperatura autem æquali in passiuis vinum concedit: dans causam, quia talis in passiuis æqualis existens, immoderata in actiuis esse non potest. Alias solitus eram dicere, quod loquebatur Galenus de regimine præseruante, non conseruatiuo, sed respōsio nulla est: nam Galenus tertio Artis medicæ docet, quòd omnes intemperantiæ immoderatæ, regimine indigent præseruante: igitur nulli tali vinum competet: propterea dico, quòd temperaturæ immoderatæ caliditatis aqua, non vino indigent: hocque dixit Gal. 8. Artis cur. cap. 3. Pro hac igitur difficultate dico, quòd multum oportet attendere vltra ætates, morem, regiones, temperaturas. Morbosa namque corpora alia post quartum, vt Haliabbas: alia post septimum, vt Aëtius. Paulus verò in humida & calida temperatura tempus exhibendi vinum producit. Galenus in inculpata temperatura & validis viribus loquitur. Vinum autem antiquatum bibere si modicè vetustum sit, flauum, fuluumve, solis senibus conceditur, quinto de Tuenda sanitate, ante medium. In aliis autem huius vsus vel valde antiqui, quoad cibum, nullus est vsus, sed solum ad medicamenta. Pro Hippocratis autoritate respondeo, quod vult emendare vitium antiquorum, dantium vinum merum infantibus, vt etiam nostro tempore: consulit igitur vt lymphatum propinent. Huius indicium est, quòd dicit minus pueros tentari conuulsionibus: quare comparatio hæc ad aquam non est: neque enim verum est lymphatum vinum minus infantes afficere conuulsionibus, quàm merum. Vt enim demonstraui ex autoritate 5. Aphor. 5. partic. vinum sua subtilitate mouet conuulsionem: quare comparatio est ad meracum vinum: consulit igitur miscere. Sed cur hoc? an non melius aquam substituere? Respondeo, quòd sic: sed cùm liber ille ad vuulgares dirigatur, existimauit non parituros. Verùm cùm ibi multa liberius conscripsisset: seuerius ea est prosecutus in libris qui ad medicos dirigebantur: vt in libris Regiminis acutorum, & Aphorismorum. Sed insurgit dubitatio, nam videtur ex dicto Aphorismo dilutum nocentius conuulsionibus mero, est enim minus siccum, minusque calidum. Respondeo, crassius est, nam aqua crassioris substantiæ est vino, in fundo enim subsidet; quare minus conuellit vinum dilutum meraco. Sed obiicies ex tertia particula problematum, Aristoteles quærens in secundo problemate, Cur dilutum vinum magis inebriet? Primam affert causam, quòd dilutum mero sit subtilius: eandem causam reddit in problemate 14. dum docet, cur dilutum magis caput offendat meraco. Sed & in 18. problemate, dum nititur ostendere, cur dilutum vinum meraco & aqua magis vomitum vel nauseam moueat, de meraco dicit, quòd minus euertit, quia reprimit: de aqua, quòd diluto vino sit subtilior. Respondeo: aqua & ratione qualitatis, quòd frigida & humida sit: & ratione substantiæ, quòd subsistat, omnino grauior est, causæ in problematibus cum dubitatiuè referantur, fidem non faciunt, nisi omnino sine dubitatione loquatur, effectus autem veritatem in se continet. At verò Philosophus ibi nihil plus vult, quàm quòd aqua minus in ventriculo subsidet: ideóque tenuior esse videtur: minùs autem quàm dilutum vinum subsidet, & hoc meraco, in ventriculo, quia minus nutrit alterum altero: elementa enim non nutriunt: ideoque subtilior videtur aqua quàm vinum, & dilutum meraco: eóque sensu concedimus tenuiorem esse. At propter hoc non sequitur, dilutum magis mouere conuulsionem. At si obiicias, qua ratione magis inebriat & caput tentat, eadem ratione conuulsionem mouet. Respondeo, hæc vera esse in superflua, non moderata assumptione. Vini igitur vtilitates ex his tum sexta Aphorism. 31. sunt quinque: Celerrime nutrire, Calefacere, Humectare, Dispergere sanguinem obstructiones aperiendo, & excrementa tum biliosa, tum serosa educere, & quæ ex his sequuntur.



LIBRI PRIMI
TRACTATVS TERTIVS.

CONTRADICT. I.

Dialectica an medico necessaria.



EDICO dialecticè est necessaria, in de Constitutione artis medicatiuæ cap.7. vbi inter septem conditiones medico necessarias connumerat non solum methodum vt habeat, sed vt eo vtatur, idem libro de Senectis.19.& 2. de Simplicib. medic.c.2. & ideò rectè dicebat Auerroës secūdo primæ Philosophiæ 15. quòd Dialectica est duplex: altera generalis, quæ docet regulas communes omnibus scientiis: & hæc debet disci ante illas: alia verò quæ propria est vnicuique scientiæ, & hæc cum ipsa scientia & eius principiis edocetur. Et sic non vna, sed etiam duplex dialecticè cuilibet erit necessaria. Hali verò lib.1.cap.3. dum de ordine sui libri tractat, dicit, quòd oportet medicum omnes scire scientias, tum maximè dialecticam, quæ omnibus artibus est necessaria. Et hic sermo sumptus est ab Hippocrate libro de Probitate: qui vult medicum esse sapientem, tum maxime philosophum. Galenus etiam 1.Artis curatiuæ 1.videtur vltra hanc scientiam, necessariam existimare Geometricam, velut & in de Constitutione artis medicatiuæ loco dicto: sic Hippocrates Astronomiam libro de Aëre & aquis. In oppositum inducitur Galenus tertio de Locis affectis, cap.1. nam dicit: Quæcunque enim quæstiones vsum transcendunt, qualis sit rerum natura, secundum propriam substantiam indagantes, haud dubie logicæ esse censentur. Sic igitur Chrysippus philosophus cùm de animi ægritudinibus scribere instituisset, vno quidem libro curandi tradidit rationem, aliis verò tribus logicas quæstiones est complexus: cùm primus quidem ille vnus nobis esset necessarius. Facile igitur est intelligere, hos tres vltimos iuxta Galeni sententiam medico non esse necessarios, cùm de primo tantum affirmet. Hippocrates quoque Cous adeò in medica arte excellens logicam ignorasse visus est, cuius vsus nondum esset exploratus. Ad hoc dantur duæ responsiones: prima est Conciliatoris differentia prima, quòd Galenus loquatur propriè in eo casu inutilem esse logicam, non generaliter. Alij dixerunt dialecticem esse necessariam ad inuétionem, non ad artem traditam. Hoc de Hippocrate qui artem inuenit, verū nō esse manifestè intelligitur, dictum aliud est voluntarium: nec magis de vno quàm de alio verùm dici potest. Propterea adducitur altera responsio à quodam, sumpta ex 4.Physicorum 87.vbi Auerroës in commento dicit. Per sermones extraneos intelligit dialecticos: nam Philosophus in textu dixerat, fieri oportere inquisitionem de tempore prius per rationes extraneas, seu vt postmodum docet euentus, sophisticas: nam eas falsas reprobat inferius. Est enim prima ratio antinquorum, Tempus componitur ex futuro, præterito, & præsente: Præsens non est tempus, Futurum & præteritum non sunt: Igitur tempus ex non ente componitur. Manifestum, quòd nihil concludit hæc ratio. Sed responsio ista (velut & pleraque illius hominis sunt) est apparens, & sine veritate. Nam ibi intelligit per rationes logicas quæ procedunt ex alienis principiis, & etiam nihil concludunt: at Galenus ibi vocat dialecticas quæstiones non falsas, seu ex aliis principiis, sed tantum quæ non conducunt ad finem medicinæ, etiam si veræ sunt, & ex propriis veniant principiis. Multum autem interest, quoniam Aristoteles tanquàm improprias & falsas vocat dialecticas rationes: at Galenus, inutiles. Ideo sciēdū est, quòd multum interest quærere, an dialectica sit medico necessaria, & an quæstiones quæ vocantur dialecticæ sint medico necessariæ. Est autem quadruplex quæstio, vt quatuor res: Prima est Demonstratio: secunda est Ratio communis inquirendi: tertia Propria: quarta est Quæstio dialectica. Demonstratio cùm sit logicæ pars, vt subiectum, necessaria est medico, vt omnibus aliis artibus speculatiuis. Ratio verò communis inquirendi est etiam illi necessaria, sed tamen propria medicinæ: vt ista propositio, Aqua per se primò infrigidat: est apud medicum non concludens vniuersalem, vt apud Philosophum: non enim sequitur, igitur cuilibet competit infrigidandi causa: nam in aliquibus calefacit per consequentiam. Communis autem ratio est per diffinitionem & diuisionem: & hæ omnes medico sunt necessariæ. Est postmodum Ratio & Quæstio dialectica: differunt autem, quia Ratio procedit ex cōmunibus, & falsis: & hæc pertinet ad artificem, vt reprobet illam, velut Philosophus facit in 4.Physicorū. Est postmodum Quæstio dialectica, quæ procedit ex principiis iisdem, ex quibus proficiscitur quæstio medica, sed non tendit ad artis finē: velut si quis quærat, Cur carnes in aqua non supernatant, & panis sic: cùm tamen panis sit solidioris & densioris alimenti. Manifestum est, quòd principium quæsiti medica est propositio, & quæsitum est etiam verum, tamen non tendit ad finem artis: ideo quæstio hæc apud Galenum merito dialectica vocatur, plurimū igitur differt hæc ab illa Logica ratione re, vt declaratū est, & nomine: nam

ab

vocatur Ratio, à Galeno autem Quæstio, seu vt dicunt, Problema. Et hoc modo problemata plura, quamuis sint ex principiis medicinæ, non tamen sunt medica: velut tertiæ particulæ problematum. Ad medicum igitur pertinent demonstrationis scientia, viæ communes, & propriæ, tum etiam romnes dialecticæ, non autem problemata dialectica.

CONTRADICT. II.

Præcepta medica an ex propriis principiis, & an dies indicatorij vim à luna suscipiant.

Singula medica præcepta debent esse vera & ad finem artis assequendum vtilia & ex propriis disciplinæ principiis prodeuntia, libro de Optima hæresi cap. 1. at Galenus 3. de Diebus decretoriis, cap. 9. regulam & legem quam præscripsit non seruare videtur: nam volens rationem reddere cur xx. dies magis iudicatorius quàm xxi. sit, hanc init rationem Circuitus Lunæ in diebus xxvii. & horis viii. perficitur: accessio lunæ ad solem de diebus xxix. horisque xii. à quibus sublatis diebus tribus quibus fermè latitat Luna dum sub sole coit, relinquuntur dies xxvi. horæ autem xii. Medium igitur huius temporis, & apparitionis Lunæ, ac circuitus naturalis eiusdem, est dies xxvi. horæ xxii. Hoc modo prima hebdomada dies habebit vi. horásque xvii. & mediam, & sic in vii. die terminabitur. Secunda finietur in diebus xiii. horis xi. atque sic in xiv. die. Tertia verò in diebus xx. horis quatuor & media. Atque sic ei videtur bellè ratione astronomica diem xxi. ad xx. contraxisse: in qua causa quot modis sit ridiculus, non facile est explicare: tum maximè, quòd propria, vt dictum est, præcepta transgreditur, sed illud tolerabile: nam quoties propositiones quædam quasi primæ sunt, velut hæ, Septimus dies est iudicatorius vel xiv. nil prohibet quin ex physica ratione demonstrentur. Est autem ratio hæc physica, non vt quidam putant astronomica: nam fundatur in hac propositione, Operationes in corporibus humanis pendét à motu ac cœlesti lumine: at medica ars subiicitur philosophiæ, vt in initio libri de Sensu & sensili: & in libro de Respiratione, cap. 8. in fine. Sed illud dignum primò risu est, quòd dicat, Si quis autem huius subtilitati succenseat, huius disputationis, difficilemque eam existimat rem adeò leuem attingens, ac puero dignam, vt ingenium suum in hac re declarauerit in mathematicis fuisse omnino inexercitatum, de quibus tantum gloriatur. Quinimo verbis rem dilucidam adeò implicuit cũ suis Centesimis vigesimis, ac Ducentesimis quadragesimis, vt verè speciem quãdam difficultatis addiderit. Quomodo hîc appellabit Decimi elementorum rationes, si hæ difficiles ac subtiles sunt: aut his subtiliores Tertij decimi? aut artem Algebraticam adhuc his grauiorem? vel omnino artem nostram, quam Magnam vocauimus? aut illam quæ ad summum peruenit subtilitatis Archimedis inuentionem: seu de Elicis lineis, seu de Spheroidibus? aut de Sectionis conicæ quadratura? Certè hæc oportebit ad inferos, vel superos relegare, si illa sua tam crassa supputatio difficilis, aut subtilis, dici debet. Quis verò vnquam audiuit mensem compositum ex duobus, altero quidem imaginario, altero verò non, vt nec ipse imaginarius ei satisfacere potuerit? Admittere rem imaginariam in rebus naturalibus ridiculum est: quandoquidem nec numerum, nec magnitudines inter causas, & meritò, recipiat Aristoteles. Permiscere etiam dissitas in eodem genere causas, res est prorsus exemplo vacans. At verò miscere rem imaginariam cum re naturali, adeò puerile est, ac indignum Galeni autoritate, vt malim totum quod superest à capite octauo suprà tertij libri de Diebus iudicatoriis super additum ab aliquo existimare, quàm autoritatem tam grauis viri violatam videri: qui efficaces etiam rationes antiquorum adeo subtiliter aggreditur, vehementerque oppugnat, irridet oratorie, vt modò Aristotelem, modò Ciceronem æmulari videatur, tum verò vel saltem tot commentis propositum assequeretur: nam vel sic in xxi. diem præter omne propositum iudicationem reiicit: statuit enim mensem lunarem dierum vt dixi xxvi. horarum xxii. huius tres quartæ sunt dies xx. horæ iv. & dimidia, si igitur horas totidem ad numerum adiicias quot ad xx. dies super abundare cernuntur: fient horæ nouem omnes ex xxi. die ad iudicium spectantes: quo tempore totum absoluitur, par autem est dies xx. horas iv. & dimidiam tempus esse vel medij iudicij, vel initij: quapropter manifeste vtroque modo tanta subtilitate adhuc in xxi. diem iudicium reiicit. Sed hæc missa faciamus: ostendamus autem, quòd rectè etiam reprehendebat Auerroës tertio Collectaneorum cap. 9. non esse sumendam causam horum dierum ex luna: nam vel vult medium motum seu æqualem, seu inæqualem: si æqualem, cùm ille habeatur ratione centri parui circuli lunæ, non oportet auferre tres dies: nam centrum parui circuli nec latitat sub Sole, nec patitur, nec tempus imminui debet, cùm perfectio eius sit, quòd sit tempus reuolutionis: quare erit dierum xxix. horarum 12. & ita additis horis 8. diebus xxvii. fiet tempus dierum lvi. horarum xx. & crisis cadet in xv. die. Si verò respicias motum verum, cùm quandoque luna peragret circulum & partes circuli inæqualiter, vt quandoque in xv. diebus ex opposito in oppositum feratur punctum quandoque verò in xiii. sequitur vt xiii. & xv. dies non minus sint iudicatorij, quàm xiv. at Galenus ipse & Hippocrates eos refugiunt, tum maxime xiii. quare ratio hæc dierum non constat. Rursus si tres quartæ mensis lunaris sunt horæ iv. cum dimidia plus xx. diebus igitur quatuor menses & dimidius erunt dies cxxi. & horæ iii. non igitur cxx. est iudicatorius, qui tantum ab Hippocrate & Galeno celebratur. Sed cxxi. aut cxxii. quos nunquam quisquam iudicatorios esse deprehendit. Tum verò

verò si hic ordo à mense lunari exoriretur, XIIII. & XVII. & XX. & XXIV. & XXVII. essent firmissimi & inuariabiles omnino, at contrà variabiles qui procul ab his vt LXXX. &c. & CXX. at res contrà se habet: nemo iudicationem in LXXIX. vel LXXXI. vel CXIX. vel CXXI. vidit: at in XXI. die crises plurimæ visæ sunt, & eum præfert Hippocrates in libro de Diebus decretoriis die 20.quamuis non ex Galeni sententia: non tamen negat Galenus persæpe iudicationem etiam in XXI. fieri. At in XXVII. quæ esse deberet validissima, cùm in illa circulus lunæ perficiatur, secundum Galeni rationem, paucæ, aut vix vllæ conspiciuntur iudicationes. Quare manifestum est, lunæ cursum tum maximè tam permixtum, imò nullo modo, propter hanc vltimam rationem, causam esse posse dierum iudicatoriorum. Quidam conati sunt referre in humorum motum, sed non possunt, quomodolibet statuant vnam in VII. & XIV. & XX. seruare rationem: nam XIII. erit iudicatorius magis, quàm XXIV. nec causam possunt assignare cur inter XL. & LX. & LXXX. &c. & CXX. nulli sint dies iudicatorij, & si aliquando bis aut ter animaduerterim factam crisim in mediis horum dierum. Ratio autem est clara, quia, vt ex Ptolemæo sumitur in Centiloquio, dies hi consequuntur motum lunæ vsque ad reuolutionem, & ideo sunt dies VII. XIV. & XXI. & XXVIII. iudicatorij, & medij sunt indicatiui, IV. XI. XVIII. & XXV. vt de omnibus quæ infrà XIV. habetur secunda Aphor. 24. At dies vigesimus habet originem à sole & ab illo gubernatur, ideoque post XL. cessante vi lunæ, quæ motum suum perficit, iam nullus dies nisi secundum XX. vt LX. LXXX.C. vim habet iudicatoriam, in XX. igitur & XXI. est pugna, nam XX. sol fauet, XXI. luna: ideo modò in XX. fit iudicium, modo in XXI. ratio autem cùm sol sit luna fortior edocet, quòd XX. præferatur plerunque XXI. nam in ambobus iudicatio esse potest: contingit tamen & in XXI. aliquando: & hoc testatur Hippocrates, & concedit Galenus. Cùm igitur XX. præfertur XXI. necesse est vt XVII. præferatur XVII. ideo ea ratione prætermisso XVIII. Hippocrates 2. Aphorism. XXIV. scripsit XVII. eadem ratione præfertur XXVII. ipsi XXVIII. vbi XX. præferatur XXI. quare & XXIV. erit indicatiuus, non XXV. & sic XXXI. & XXXIII. & XXXVII. connumerabuntur ab Hippocrate, prætermissis XXXII. & XXXV. & XXXVIII. nam luna soli paret, non sol lunæ. Ideo secunda vigesima dierum eodem modo distinguitur vt prima: sed in prima est solum lunæ vis, post secundam solis in secunda mixta, nam termini sunt solis: diuisio autem secundum lunæ motum. Hac ratione omnia adeò experimentis, rationibus, & autoritatibus antiquorum ad vnguem conueniunt, vt nil amplius iam desideres. Propterea etiam dictum bene est, quòd breues morbi reguntur motu lunæ, longi autem motu solis, 3. de Diebus iudic. cap.7. Sed hoc solum relinquitur indiscussum, quid sol habeat cum vigenariis numeris constitutum.

Respondeo, quòd vt luna alligatur motibus solis, sic sol duorum: superiorum cùm autem Saturnus & Iupiter singulis annis XX. conueniant, nec metam hanc egrediantur nisi post annos 81. sol naturam imitatur illorum, sed non finem expectat: vbi enim illam ingreditur reuolutionem, seu diem quæ ipsum quasi restituit scilicet vigesimam totidem conuersionibus contrario ordine peractis, illico naturam mouet vniuersalem ac propriã, vt illa materiam exsuscitet aduersus naturam indiuidui: illa verò quod noxium est conetur expellere: nec sol tamen additiones illas recipit, quia impressiones illæ iam sunt in materia conformes naturæ motus syderis, non reduplicationi: ideóque hæc ratio vsque ad annum peruenit, à quo si morbus etiã producetur, alius ordo proprij motus solis exoritur: vt morbi tales non iam per vigenarios dierum, sed per annos computentur.

CONTRADICT. III.

Dies impares an soli iudicatorij.

Febricitans, nisi diebus imparibus febris eum reliquerit, solet recidiuare, 4. Aphor. 61. cui fermè est simile illud eiusdem particulæ, 29. Febricitantibus si rigores die sexto superueniant, difficile iudicium sequitur. Galenus in 61. Commento putat per impares dies iudicatorios intelligi debere: nam in eadem particula, 36. sudores tertiani, quintani, & qui in septimo, nono, vndecimo, quarto decimo, decimo septimo, vigesimo, vigesimo septimo, trigesimo quartóque die fiunt, boni & morbos iudicantes: qui verò non ita fiunt, laborem significant, & morbi longitudinem, & recidiuam. Auicenna secunda quarti t.2. c.2. reprehendit Galenum in duobus: Primò, quòd retulerit causas dierum iudicatoriorum ad astra: nam dicit quòd sufficit medico scire quòd ita sit, & causam relinquere cùm est extra scientiæ pertractationem, verùm si causa sit quærenda, vel ex principiis scientiæ procedere debet, vel ex sensu & experimento. Sed ad hæc dictum est in præcedenti Contradictione, nec multum est insistendum difficultatibus præter scientiam: quandoquidem quæ in scientia continentur variæ sint, & difficiles, est tamen textus Philosophi primo Poster.43. vbi edocetur, quomodo scientia sit vna vel plures: tum quomodo eadem res duobus modis possit demonstrari. Sed vt ad propositum veniam, Princeps denuo ibi contradicit Galeno in Commento, 61. nam cùm Galenus dixisset, quòd per impares dies intelligebat indicatorios, vel quòd Aphorism. non erat Hippocratis: Auicenna addit, quòd Hippocrates nondum perspectos habuit dies iudicatorios. Sed seruata autoritate Principis, Hippocrates non dixit quod ipse innuit, scilicet quòd dies impares fortiores sint paribus: hoc enim verum esset, nec dignum cui à Galeno contradicatur: sed quòd nullo modo sint iudicatorj. Vnde febres quæ in paribus desinunt, dicebat Hippocra-

tes,

tes, redire solent, quomodo igitur xx. xi. ix.c. & xiv.ac alij plures iudicatorij erunt? nam in secunda particula Aphor. 23. acutæ ægritudines in quatuordecim diebus iudicantur. Porrò dictum est, quomodo alij dies comprobentur ab Hippoc. 1. Epidem. par. tertia t.14.est autem primus dies circuituum decretorius, in paribus quartus, sextus, octauus, decimus quartus, vigesimus octauus, trigesimus, quadragesimus octauus, sexagesimus, octogesimus ac centesimus. In imparibus autem primus, tertius, quintus septimus, nonus vndecimus decimus septimus, vigesimus primus, vigesimus septimus, & trigesimus. Sciendum igitur est si probe iudicentur vltra hoc præscriptos dies significant recidiuas fore, fientque perniciosæ, hæc illæ. Galenus dicit in commento variare exemplaria nam inter pares superadditur in aliquibus codicibus vigesimus quartus, ac trigesimus quartus. Dicit etiam, cùm in imparibus satis rectè dies numerentur, in paribus malè, decimum & vigesimum octauum additos esse, qui nusquàm sunt decretorij. Pro hac igitur difficultate primo intelligendum est, enarrationem dierum quoad numerum paruam vim habere: cum soleant Græci numeros non vt ego feci, per nomina describere, sed per notas alphabeti, vt δ quartum, η octauum, κ vigesimum, & sic de aliis. Vnde factum est expunctis literis, aut iunctis, aut detractis, vt adempti, aut additi sint, vel permutati decretorij Dies vnde nulla in re maius peccatum, nulla maior varietas. Quare ratio potius in his sectanda est, quæ quadruplex est: Prima, quòd à quadragesimo suprà numerantur dies per vigenarium, vt sexagesimus, & octuagesimus: vnde etiam ducentesimus iudicatorius est. Fiunt & medij, vt in imparibus, rarò tamen decretorij: sæpe verò indicantes, & hæc est secunda ratio. Tertia, quòd infrà viginti iudicatorij sunt per septenarium, septimus & quartus decimus: medij, vt dixi, indicatiui. A vigesimo ad quadragesimum componuntur ex vigesimo pari, & septenario impari: vnde vigesimus, & trigesimus quartus: & medij horum vigesimus quartus, ac trigesimus primus indicatiui. Quarta ratio (quæ non cum aliis suprà in præcedenti Contradictione enarrata est) quòd iudicationes maxime fiunt in accessionibns dum morbus sæuit: & hæ secundum plurimum tertianæ sunt, ac impares vsque ad vndecimum. Hippocrates igitur in 61. Aphor. quartæ par. vt ex proxime antecedentibus & sequentibus videre licet, de acutis morbis loquitur, non de diuturnis: at inquam qui intra vigesimum terminantur, in quatuordecim diebus iudicantur, vt in 23. secūdæ particulæ, aut igitur in accessionibus, & sic 1.3.5.7.9.11. in impari vel in 7. & 14. & sic etiam in impari, est enim 14. dies impar hac ratione, quod est secundi septeni terminus. Numerat autem Hippocrates dies vsque ad xx. per septenos secunda Aphor. 24. ideò dicebat tertio de Diebus iudicatoris c.1. acutæ ægritudines in imparibus diuturnæ in paribus iudicantur, si verò iudicentur 2.4.6. 8.10.11.12.13. iudicantur in paribus: atque sic morbi euertuntur: nam & hos omnes, præter vndecimum, apertè Galenus respuit, vt non perfectè iudicantes nisi quòd quartus ab aliquibus numeratur. Verum Galenus testatur, se tantum semel vidisse crisim in quarta, & Archigenem solum bis, quanquam quartam inter iudicatorios & indicatiuos statuat. Ex quo patet, cur xi. sit firmior quarto: habet enim periodum, & accessionis ordinem. Ex hoc patet quòd Rasis 10. ad Almansorem 29. concordat cum Galeno in Epidemiis excludendo vigesimum octauum diem. Sed hunc tamen approbat Galenus 1. de Diebus decret. cap.10. & 2. eiusdem cap.6. ex autoritate tamen Hippocratis, quam in commento refellerat. Sed Hippocrates ipse in 47. libro, qui de decretoriis inscribitur, hæc habet: Febres omnes decernunt quintanæ, septimanæ, vndecimanæ, ac septimæ decimæ, & vnæ ac vigesimæ: quæ autem graues sunt & acutæ, trigesimæ, ac sexagesimæ. Sic terminum icteritiæ quartum decimum diem ponit: peripleumoniæ autem quartum decimum, aut ad supremum vigesimum primum. Ex quo liquet, illum nondum perfecta ratione iudicatoriorum dierum dies integris septennariis numerasse: vnde 21. pro 20. & 28. pro 27. celebratur, propterea bene dixit Galenus primo de Diebus iudicatoriis 10. quòd quanquam Archigenes 28. iudicatorium dixisset: se tamen malle præponere illi 27. perfecta iam ratione quòd vigenarius numerus maiorem haberet vim, quàm qui ex tribus septenis conficiebatur, vnde tota ambiguitas ex ista postrema Galeni & Hippocratis consideratione nata est: quòd vigesimus dies vt primus parium reuolutionum vigesimo primo præferendus esset: propterea bene dixit excusans Hippocratem Galenus secundo de Diebus criticis cap.6. quod Hippocrates Epidemia ante Prognostica & Aphorismos scripsit. Assignat autem rationem Hippocrates quarto de morbis cur inuasio illorum per dies fiat impares: nam, inquit, tantum temporis requiritur, vt bonus chimus ex ventriculo trahatur ad membra: non enim hoc minore quàm diei spatio fieri potest: quare subiungit, quod morbi impares decernunt 3.5.7.9.11. tum 14. & 14. vult esse tertium ab vndecimo sic vt vndecim dies sint vnus circuitus: nam ea ratione vigesimus primus erit nonus ab vndecimo, sed hic liber parum legitimus & est, & à Galeno censetur Hippocratis, ratióque hæc non satis valida: sed melior quæ secunda Aphor. 24. adducitur. Quod autem addat, vt Galenus dicit, 31. diem loco trigesimi quarti in expositione trigesimi sexti Aphorismi quartæ particulæ, per absurdum quasi est, ex principiis quæ ostendimus: nisi quis malit vndecimum præponere quarto decimo: quare indicatiui dies vel ipso teste iudicatoriis sunt valde debiliores: solus vndecimus habet, vt dixi, priuilegium propter accessionem tertianam: vnde duodecimum & vltimum languentes, in fine primi Epidem. vndecimo die iudicatos scribit. Et hæc etiam si quis consideret, videbit consentanea his quæ scribuntur primo Prognosticorum à primo ad sextum textum. Propter hæc etiam conatur tertia Aphorism. 28. Hippocrates

deducere morbos puerorum ad septenarium numerum, dicens, quòd pueris accidunt decretoria vt plurimum in quadraginta diebus, quandoque in septem mensibus, aliis in septem annis: quam sententiam Galenus repetit primo de Diebus decretoriis, cap. 10. Vnde iam docuimus rationem dierum vsque ad vigesimum per septenos ad quadragesimum mixtam suprà vsque ad cc. per vigenarios, post per mensium septenarios, post etiam per eundem annorum numerum. Igitur in omnibus præterquam à quadragesimo die vsque ad cc. ratio imparis & septenarij obseruatur. Numerum tamen hunc dierum non integrorum esse docet semper Hippocrates 3. Prognosticorum 4. vigesimum octauum autem antiquo tempore celebratum etiam vsque ad Archigenem postmodum succedente 27. exclusum, vt rectè Zoar tertio the. t. 2. cap. 2. excluserit vigesimum octauum diem à iudicatoriis: sic & decimam octauam rectè de vigesima quarta etiam bene dictum est quod indicatiua sit, non decretoria, quod verò in cap. 1. ponat vigesimam quintam diem iudicatoriam, dico quòd comparauit vigesimam septimam septimæ, & vigesimam quintam quintæ: quia præsupponit ibi vigesimam diem indicatiuam: qui error quoniam dixit disiungendo expecta crisim in vigesima quinta vel vigesima septima, paruus est: nam vigesima septima fortis est. Et ne terrearis lector ex tanta confusione: verum rationem positam à nobis diligenter inspice, & ambiguitatem xx. ac xxi. diei, ac deriuatorum: reliqua erroribus transcribentium tribuens leuiorem efficies laborem: illud semper præ oculis habẽdo, quòd regulæ medicinæ non generales sunt, sed quasi semper veræ. Hoc dixi propter aliqua experimenta, quæ tamen rarissima sunt, aliter succedentia: tum etiam propter quosdam languentes ab Hippocrate in Epidemis enarratos, qui à regulis prædictis paululum deuiarunt.

CONTRADICT. IV.

Dies iudicatorij post 40. an debiles & an 30. & centesimus sint iudicatorij.

Dies iudicatorij post quadragesimum sunt debiles, quia raro fit crisis valida post eam diem, primo de Diebus iudicatoriis cap. 10. & hanc sententiam Rasis confirmat lib. 19. Con. c. vnico, vbi totam de diebus iudicatoriis materiam tractat: idem etiam Zoar tertio The. t. 2. cap. 1. Sed huic dicto contradicit Princeps secunda quarti t. 2. c. 1. adducens rationem: poterit materia esse pauca & virtus valida, & tunc confortabitur virtus supra materiam & fiet motus vehemens. Intelligit igitur Princeps quòd robur iudicij sequatur vim motus ac velocitatem: sed hæc velocitas fit propter proportionem virtutis ad materiam in bona, cum magna extiterit: vel contrario modo in mortali: igitur quamuis debilitetur virtus in diuturno morbo, tamen iudicium & pugna valida, aliquando apparere potest, & si raro. Causa igitur quòd crises eo validiores, quo principio morbi propinquiores, est virtutis robur: & causa quòd in diuturnis post 40. diem raro accidant crises manifestæ, est debilitas eiusdem virtutis. Sed ego duas alias addo rationes contra Galeni dictum, illæ crises sunt firmiores quæ minus mutant, sed post 40. diem 60. & 80. & cæteri per vigenarium firmiores sunt quàm iuxta septimam: nam iudicium (teste Galeno primo de Diebus iudicatoriis cap. 4. & 5.) fit in sexta & octauà frequenter, non sic in 59. vel 61. aut 79. vel 81. Et si quis obiiciat, quòd aliis etiam diebus iudicati inueniantur. Respondeo non apud legitimos Hippocratis libros: vt non in primo, nec in tertio Epidem. Secunda ratio est quòd Hippocrates enarrat in fine primi Epidem. crises validas post diem 40. vt in ægro Cleonactide textu 23. & enim octogesimo copiosè sudauit, & liberatus est. Apparet etiam quòd multi post 40. diem mortui sunt centesimo vigesimo die, alij octogesimo. Sed cur 100. diem primo de diebus criticis prætermittit? trigesimum etiam iudicatorium esse negat, quem Hippocrates suprà commemorauit in tertia parte primi Epidem. t. 14. nec Galenus illum ibi respuit cum tamen decimum & vigesimum octauum ex hoc numero expungat. Ad has tres difficultates respondeo, quòd centesimus dies, si error non est in codice Galeni, namque ex Hippoc. prætermissus dicitur, quem constat non centesimum, sed centesimum vigesimum potius prætermisisse, in primo Epidem. sectione tertia t. 14. verùm meminit vtriusque, tamen in singularibus exemplis. Centesimi quidem tertio Epidem. sec. tertia t. 81. Heropytum Abderam commemorans, tum Galenus secundo de Diebus iudicatoriis cap. 5. centesimum inter iudicatorios retulit. Centesimi autem vigesimi, Parium adducens, ibidem t. 73. quem ea die mortuum refert. Ego dicam eandem quæ post vigesimum, rationem seruandam: nam vt trigesimus vix iudicatorius dici potest, vt dictum est, & si medius inter vigesimum & quadragesimum: sic etiam post quadragesimum clariores sunt qui per quadragenarios integros numerantur: scilicet octuagesimus, & centesimus vigesimus: at his inferiores quasi medij erunt sexagesimus ac centesimus, horum autem robustior sexagesimus, qui enim eadem ratione tenentur eo sunt validiores, quo principio propinquiores, vt 11. 17. & 6. 13. & sic de aliis. Omisit igitur Galenus in enarrationne centesimum iure, vt omnibus qui ad centesimum vigesimum connumerari possent, debiliorem: & postquam illud ex Hippoc. citat. pro centesimo apud Hippoc. centesimum vigesimum legerem, si quis tamen nolit, dicat ibi Hippoc. noluisse vltra centesimum diem loqui, sed rotundo numero rem claudere. Est etiam centesimus vigesimus, centesimo potentior, quòd quartum mensem claudat, qui est medius septimi: sed tamen & centesimus dies in eundem mensem, & si imperfectum, refertur. Sed de trigesimo cadit dubitatio, nam illum omnino iudicatorium negat Galenus: quamobrem cum

cum neminem ea die iudicatum reperiam nec trigesimus primus inter pares possit connumerari, nec illum Galenus arguat: dicerem trigesimum aliquando locum subintrare trigesimi primi, vt non sit secunda hebdomada seu septimana integra: nam trigesimum quartum pro trigesimo legere non licet: cùm eum Galenus in aliquibus codicibus adiectum legat. Igitur forsan hunc defuisse scilicet in codice Galeni suspicetur, & meritò. Cùm verò quidam secundum priorem lectionem trigesimum quartum adiicere voluisset sic λδ, ex puncta vltima litera, vt ex vetustate accidit, remansit nota trigesimi: vel forsan ibi Hippocrates, vt diximus 30. tanquam medium inter 20. & 40. apposuit. Galenus autem ibi dies à vigesimo ad quadragesimum secundum septimanarum vim considerat, quo in casu trigesimus iudicatorius esse non potest. Vtcunque sit, expungendus est trigesimus ex dierum iudicatoriorum numero. Ex hoc etiam patet error apud Aëtium lib. 5. cap. 25. nam vigesimam tertiam diem iudicatoriam ponit præter omnium opinionem. Lege tu vigesimam septimam, nam pro κγ erat κζ, vnde lapsus interpres Paulus lib. 2. cap. 7. ordinem Galeni sequitur 18. adiicit quasi quintum vt dixi tertiæ septimanæ, vigesimum septimum autem post 20. primum in ordine facit. Primam verò difficultatem satis soluit hæc differentia: quod dies qui sunt à 40. die debiles sunt ratione iudicij: nam vt Galenus bene dicebat, raro per veram crisim hi morbi qui eum diem transcendunt iudicantur: sed vel sensim, vel per abscessum primo de Diebus iudicatoriis cap. 10. at ratione ordinis fortiores sunt hi qui post 40. eo quòd rariores, nam difficilis est permutatio inter illos ob raritatem ac distantiam illorum. Circa quod est aduertendum, dies salutares difficilius euerti, quàm lethales: nam si salus futura sit die 40. aberret autem quis paulisper, non sanabitur vsque ad 60. vel 80. quoniam natura indiuidui, vt dicunt, non mouet nisi in die conueniente: at si moriturus sit in 60. die aberrando celerius certe morietur: at tam parum poterit aberrare, vt quadragesimum superet, propterea error in salubri morbo diem iudicatorium etsi permutet, non tamen effugit: in lethali autem morbo quocunque die mori contingit ob errorem. Est etiam ex hoc illud pendens, scilicet quòd errores in acutis minus morbum producunt: nam fermè ad sequentem diem iudicatoriam, quæ proximior est, vt 11. 7. quam in morbis diuturnis. Periculosior tamen est error, quia materia illa leuis ob motum occupare potest principale membrum: quod in diuturno morbo non accidit, nisi valde super augeatur materia, quo in casu in acutis certa fermè mors sequitur. Illud etiam dignum consideratione, Hippocratem & Galenum dies diuturnarum considerare, quasi ex septimanis compositos: sic vt 20. ex tribus septimanis 40. ex sex, sexagesimus ex nouem, 80. ex duodecim, centesimus vigesimus ex decemocto constaret. At quia 120. dies verè constat septimanis tantum 17. & vna die, par est vt ob hoc vltra 120. nullum iudicatorium diem statuat, nisi mensium ratione: quare 200. loco, 210. idest septem mensium, non tanquàm ipsum diem proprium, sed vt terminum proximum statuit: nam septem menses lunares dies sunt ducentisex cum dimidio, ob hoc nulla est contradictio inter Hippocratis dicta, nec cum Galeno, cùm 200. diebus, aliàs septem mensibus terminari dicat morbos. Sed tamen si quis veritati magis studeat, priores quidem dies statuat 120. 100. 80. ac tales: hos autem cùm in septimanas diuiserit, vno sumpto termino, inueniet quod dicit Hippocrates, septimanas quidem non esse integras. Atque hic est ordo cœlestium cursuum, vt integri cursus spatium potius ad minima diuidatur, quàm ex illis apponi dicatur.

CONTRADICTIO V.

Quartus dies an indicatorius: & an morbi imparibus diebus exacerbentur.

QVartus dies est iudicatorius. Aëtius lib. 5. cap. 25. & Galenus 4. Aphoris. 36. conatur excusare Hippocratem qui illum in Aphorismo prætererit: dicens, quòd ideo hoc accidit, quia acuti morbi maximè imparibus diebus exacerbantur: qui verò paribus exacuuntur, sunt diuturniores, & primo de Diebus decretoriis cap. 5. quartum diem, 18. & 3. in fortitudine præponit quoad iudicium: nam de indicatione constat, quòd tam sexti, quàm septimi est indicatiuus ibidem. Ordinem autem debiliorum recenset octauum, decimum, duodecimum, sextum decimum, decimumnouum, mediumque inter hos omnes robore ac securitate tertium decimum. Et rursus cap. 13. Morbi si valde acuti fuerint, & primo die signa valde letalia, vel concoctionis apperuerint, morbus ille non vltra quartum diem extendetur: aut enim morietur intra diem illum, aut omnino sanabitur. Hippocrates etiam cum 42. ægrorum historiam in primo ac tertio Epidem, texuerit: atque in omnibus (præter vnam, quam constat secundo vel tertio obiisse die) diem quoque mortis adiecerit, in tertio segmento tertij Epidem. trium ægrotantium perpetuo meminit: scilicet Phrenetici, & Calui Larissæ, & Periclis Abderæ 76. 77. & 78. textu: qui omnes quarto iudicati sunt: priores siquidem duo morte, postremus ad salutem. Veruntamen cùm hæc ita sint, cur dixit Galenus tertio de Crisi cap. 4. iuxta medium quod Archigenes sua ætate tantum bis crisim vidit in die quarto, & ipse tantum semel contradicit etiam in 11. cap. primi de Diebus iudicatoriis his, quæ dicit quarta Aphor. 36. cùm dixisset ibi, quòd exacerbationes acutorum fiunt imparibus diebus: si simpliciter intelligit idest semper, 1. 3. 5. 7. & sic deinceps, tunc contradicit ei illud quod dicitur primo de Diebus iudicatoriis 11. in fine, scilicet quòd vbi morbus acutus sit, & exacerbatio per pares, certè morbus in quarto, vel ad plus

plus in sexto finitur. Si autem intelligat, repugnante litera, quòd exacerbationes fiant tantum alternis diebus, tunc non excusabat Hippocratem, cur quartum diem prætermiserit. Forsan ad primum dicemus, quòd ratione quidem quartus inter validos iudicatorios recenseri debet: quia tamen non occurrit imparibus exacerbationibus, ideo raro iudicat, vt dictum est: quoniam iudicationes accidunt maxime in exacerbationibus, & cōsistente morbo. Sed responsio hæc nulla est, quia omnes medici, inter quos Zoar, & Auerrois, fermè confitentur, quòd hi dies non ratione, sed Hippocratis autoritate & experimento sunt confirmanti: & Galenus 2. de Diebus iudicat. cap. 2. originem & firmitatem experimento, non rationi tradit: vt ille censeatur iudicatorius dies validus, in quo plurimæ crises, vel iudicationes fiunt: debilis, vbi nullæ, aut admodum pauce. Hac igitur ratione, si verum est quod Galenus dixit, quartus dies è iudicatoriis esset expungendus. De termino etiam acutorum, & exacerbatione in paribus, dicebat Galenus prima Aphor. 7. quòd determinus peracuti morbi est quartus dies, vel parum vltra. Idem fermè 2. de Diebus iudicat. cap. 12. in primis verbis, & 5. Aphor. 6. cùm dixisset Hippocrates eos qui distentione neruorum corripiuntur in quatur diebus perire, dicebat Gal. hunc esse primum terminum dierum iudicatoriorum. Hippoc. etiam in Philisco primo languente primi Epidem. & tertia par. tertij Epidem. 75. id Pythione id diligenter animaduertit, quòd paribus diebus exacerbabatur: quare manifestum est, cùm in sexto die mortuus sit, acutos etiam morbos paribus exacui. Sciendum est, quòd Hippoc. in libro de Decretorio, statuit primum circuitum morborum in quinque diebus: salubrium quidem: qui in quinto iudicarentur: mortalium, in quarto: præcedentibus concordans, scilicet dictis in primo Epidem. quòd morbi qui exacuuntur in paribus sint deteriores. Secundum autem circuitum ad septimum extendebat diem. Tertium verò ad 11. & quartum ad 14. & ita quintum ad 17. & sextum ad 20. atque sic per quaternos extendebat ordinem vt tertio pronosticorum dictum est. Dies igitur numero distinguuntur in quinque genera: in validos, in malos, in mediocres, in indicatiuos, in intercalares. Validi, vt 7. 14. 20. Mali, vt sextus & octauus. Medij, vt 13. quintus. Intercalares vt 15. 22. 23. Indicatiui vt quartus & 11. Cùm Galenus & Archigenes dixerunt in quarta bis aut semel tantum vidisse crisim, de bona loquuntur: cui textus consentit Hippoc. in 4. Aphor. 36. & 3. Epidem. nam ex his duo primi mortui sunt, vltimus tamen sudore liberatus est: quanquàm ex ratione dicta raro contingat morbos salubres paribus diebus exacerbari, atque ita prima contradictio soluta est, ex qua secunda clarior euadit, quanquàm expositio Galeni in 36. Commento quarta Aphorismorum manca videatur. Est igitur Galeni sensus, Morbi acuti aut boni sunt, aut mali: si boni, exacerbantur diebus imparibus: quare cum iudicatio bona fiat in exacerbatione, morbus acutus salubris in quarta finiri non poterit: qui verò finietur in quarta, in quarta habebit exacerbationem. Sed acuti morbi, qui in quarta exacerbantur, in paribus exacerbantur: quare tales mali moris sunt. Horum igitur morborum iudicatio mala est: aliter enim non essent dicendi morbi mali, si salubrem haberent terminationem. Igitur quartus dies vel non iudicat, aut male decernit: & ob id iure merito prætermissus ab Hippocrate fuit: & quanquàm accidat aliquando bene terminari morbum in quarta, hoc est rarum: & regulæ Hippocratis sunt de his quæ secundum plurimum contingunt, 5. Aphor. 2. quamobrem etiam in præcedenti Contradictione argumentum Auicennæ periclitatur, quandoque enim contingit fieri validum iudicium, verùm hoc raró contingit: & semper eadem debilior est necessariò post diem 40. quàm si in primis diebus fiat. Propter hæc igitur, & alia, crisis in sexta adeo est detestabilis: quia vel non fit in die exacerbationis, si morbus imparibus diebus sæuiat, & sic reuersionem morbi minatur: aut fit in die exacerbationis, quare morbi qui paribus diebus exacuitur, & ex consequenti qui malum finem sit consecuturus.

CONTRADICTIO VI.

Ordo dierum iudicatoriorum, an 17. iudicatorius, an 12. & 16. intercalares, an sextus omnino malus.

ORdo dierum iudicatoriorum talis est, validissimus septimus, pòst 14. inde 9. 11. 20. in 5. 4. 18. vltimus 3. pòst male iudicantes ac quasi ex aduerso positi, 6. 8. 10. 12. & 16. & 19. primo de Diebus iudicatoriis capitulo 5. quāquàm nūquam iudiciū in 12. vel 16. vidisse se affirmet, primo de Diebus iudicat. c. 2. & 4. Primū igitur illud occurrit, cur non hos scilicet 12. & 16. inter intercalares potius adnumeret, quàm inter prauos & minus iudicatorios 15. Aëtius etiam lib. 5. c. 25. ordinem hunc perturbat, nam 17. 4. & 3. præponit 20. verò vltimam facit vtiliter decernentium, quamobrem in textu primum suspicor legendum cap. 5. 17. & 20. quomodo enim potuit 17. præterire, quem secunda Aphor. Hippoc. nominauit Aphorismo 24. & primo Epidem. sectione tertia t. 14. & ibidem Herophontem iudicatum 17. die, ac seruatum narrat. Sed & eius in eodem cap. 5. iuxta finem meminit Galenus, quanquàm locum quo illum collocet non ostendat. De hoc igitur sic statuendum est, vt 17. & 4. ac 3. præponantur quinto, quasi robore æquales, 20. autem non ordine vltimum posuit fuit Aëtius in robore, sed vt intelligeremus eum esse acutorum terminum. Sed Princeps secunda quarti t. 2. cap. 8. expungit è iudicatoriis diebus 1. 2. 10. 12. 15. 19. litera noua addit 16. vult. Princeps primum diem non esse iudicatorium: quia non potest grauis morbus tam celeriter finiri: nec valet, Moriuntur in primo die plures, igitur fit iudicatio.

catio. Declarabat Galenus hoc cap. 9. tertij libri de Crisi : imò secundum plurimum in prima die si moritur, moritur absque crisi, vt ibi dicebatur : quòd in principio & augumento morbi hoc accidit, cùm materia naturam longo superat interuallo : sed & ipse Galenus 2. de diebus iudicat. cap. 5. diem primum à Diocle inter iudicatorios adnumeratum non recipit: de secũdo nulla est difficultas 12. & 16. iure merito quisque explodat è iudicatoriis, cùm Galenus in eo iudicium nunquam viderit 15. etiam videtur Galenus intercalarem posuisse : quandoquidem nec inter hos, nec inter illos numerauerit. Differentia igitur solum de 10. & 19. esse videtur: in quibus rarissimè fiunt iudicationes : sed tamen Hippocr. meminit de Pythione tertia part. tertij Epidem. 75. sed hoc est rarum & rectè à Principe animaduersum, quod & in 19. contingit : quare neque inter bonos, nec inter malos iure poterant numerari. Galenus tamen ordinem rationis sequutus est: nam diximus, paribus diebus non posse bene decerni; tales igitur cum essent 8. 10. 12. 16. præter sextum, ideo prauis adnumerat hoc sensu : quòd euentu quidem intercalares sunt, vt in quibus vix accidat iudicium : si tamen contingat prauè decernere hos dies 18. tamen quia est ad 21. quandoque indicatiuus : est autem 21. quandoque decretorius, vt docuimus hac ratione medius 18. bonus, & si debilis sit esse potest. Rasis 19. con. fol. 398. fermè cum reliquis concordat in fol. 399. est error : nam dicit quòd Galenus & Ioannitius non numerauerunt, XI. diem inter iudicatorios : lege II. non XI. nam de XI. in columna sequente connumerat illum ex auctoritate Galeni & Hippocr. primo Epidem. particula tertia : ex 14. enim ægris quos numerat tres, 2. & 12. & 14. in vndecima die iudicatos scribit, duobus primis morte, Melidia solum seruata. Sæpe verò celeritas non solum scribentium, verùm & autorum anteuertit : vt enim hic pro XI. debuit scribi secundus, sic apud Galenum, cùm semel tantum crisim in quarta vidisse affirmat, bonam adiicere voluit : vix enim de mala quisquam credat cum pestilentibus temporibus, tum etiam ex doloribus & attonito morbo laborantibus, vbi primam effugerint diem nullam magis quarta obnoxiam morti conspicies. Sed dices, Sexta dies non videtur mala, nam tertio Epidem. part. 3. tex. 84. virgo in Larissa plane à febre & delirio est liberata, per sanguinem sexta die fluentem è naribus. Sed addidit duo, alterum (huic non repetiit) tanquàm mirum, quod in sexta liberata fuerit plenè : reliquum causam solutionis morbi : nam dixit, Cùm virgo esset, postquàm iudicata fuit, huic primo menses eruperunt. Princeps etiam secunda quarti t. 2. cap. 6. fatetur crisim bonam posse dari in sexta cum vrina multa; tum etiam mala: cui Rasis subscribit: verùm cum icteritia vel exitura : sed talis crisis non dicitur perfecta, & cum hoc est semper laboriosa. Est etiam 1. Epidem. part. 2 t. 83. vbi duorum Epigenis fratrum narrat historiam : nam æquè bene iudicatus est maior, cui decreuit morbus die sexto : sicut minor, cui septimo : nam vterque 17. est iudicatu : obscuritatem Hippocratis in textu Galenus in commento aperit : dicit enim, voluisse illum, vt natu maior post sex dies, minor autem post quinque in reuersionem incurreret : vterque autem à secunda inuasione quinto die est iudicatus. Huius reddit rationem : quia omnes qui ea tempestate seruabantur per recidiuam seruabantur : vt plurimis sexto die morbus iudicaretur, reuerteretur sexto die à iudicatione, & rursus sexto die, id est, 18. iudicaretur : vnde in text. 85. hæc habet : Nonnullis iudicabantur XI. repetebat morbus 14. exactè iudicabantur 18. Est igitur intelligendum, quòd dies iudicatorij variantur in robore : non tamen sic, vt intercalares decretoriis præpolleant, sed vt debiliores aliquando validioribus penes anni tempora, ac constitutiones, vt 1. Epidem. part. 2. iuxta finem : & per ætates, sexum, temperaturam, consuetudinem, libro de Decretorio, & de Diebus decret. Variantur etiam ob errores Medici, ægri, vel astantium, 1. de Diebus decret. cap. XI. Declarabat etiam Galenus 2. de Diebus decret. cap. 7. quòd vt dictum est tempestates variant robur dierum decretoriorum : quare hic 18. dies qui plerumque inter debiles numeratur, validus euasit iudicauítque multos, 1. Epidem. part. 2. t. 83. & 85. Verba autem Hippocratis sunt vera ex maxima parte, non generaliter. Circa hoc est notanda regula generalis, quòd dies iudicatorij eo sunt deteriores, quo fortioribus proximiores, vt sextus & octauus : nam significant naturam magis aberrantem, vbi minimè debuit. Excipiuntur impares, propter accessionis excusationem.

CONTRADICT. VII.

Purgationes an debeant fieri diebus decretorijs.

PVrgationes debent fieri decretoriis diebus 13. & 14. die : per superiora quidem paribus diebus, per inferiora in imparibus. Loquens enim de eis in libro de Humoribus parum ante medium, subiecit : ἀτὰρ ὅ τὰ πρόσω χρόνου προήκοντα ἀνάγκη οὕτως, οἷον τρισκαιδεκαταῖα. τεσσαρεσκαιδεκαταῖα τρισκαιδεκάτῃ μὲν, κάτω. τεσσαρεσκαιδεκάτῃ δὲ, ἄνω. πρὸς γὰρ τὸ κρίσιμον, οὕτω ξυμφέρει. καὶ ὁκόσα εἰκοσαῖα, πλὴν ὁκόσα κάτω, πολλὰ δεῖ καθαίρειν. ταῦτα δὲ ἐγγὺς οὕτω κρίσιος, ἀλλὰ προσωτέρω. At contra quarto de morbis, & est 34. liber, iuxta medium fermè : cùm docuisset longa verborum serie, ægros imparibus diebus exacerbari, subiicit : Qui febre continua vexantur, si paribus diebus assumant medicamentum, non purgantur : imparibus verò assumentes purgantur quidem à valido medicamento : multi tamen ob nimiam pereunt purgationem. Quare Medici superiores dum imparibus diebus purgarent, homines perdebant, atque ideò maxime peccauerunt : nescire enim videbantur, quòd humidum corporis nostri imparibus

bus diebus valdè perturbatur. Et rursus post principium libri de Aëre & Aquis. Maximè autem obseruare oportet magnas temporum mutationes, vt neque medicinas in illis libenter exhibeamus, neque vramus quæ circa ventrem, neque secemus donec saltem dies decem neque pauciores præterierint. Periculosissima etiam sunt ambo solstitia, maximè verò æstiuum. Periculosum etiam vtrumque æquinoctium, maxime verò autumnale. Hippoc. etiam 4. Aphor. 14. iuxta Galenum in commento 15. vult nos docere, quonam pacto motu corporis augeamus opus hellebori: quæ ratio videtur generalis. Galenus in libro, cui titulus est: Quos & quando purgare oporteat, tres dat regulas: Prima pertinet ad accessiones, in quarum initio per superiora, in fine per inferiora purgare conuenit: atque sic non in impari per inferna. Secunda in turgentibus, dum materia est in motu, & sic in die accessionis educenda est per locum continentem ad quem declinat. Tertia in cæteris in hora motus, cùm natura cessat aut non perfectè operatur: quare in die accessionis, & in imparibus purgandus est æger. Pinceps tamen prima quarti t.2.cap.post principium, dixit: Et nō moueas in die paroxismi aliquid quantum possibile est tibi, neque curationem facias. Ad hoc verò Gentilis adducit rationem Tadei, quæ est valida: aut enim purganda erit materia coniuncta, seu putrescens (nam de numero causarum aliàs) vel quæ nondum putruit. Si putrescens, illa in accessione ad exteriora mouetur: igitur non conuenienter medicamento educitur, iuxta Hippocratis regulam. Si autem antecedens, cùm illa quiescat tam in die accessionis quàm quietis, tutius in die quietis erit euacuanda. Quia tamen Rasis 16. Con. videtur rectè satis Galenum interpretatus, dicunt quòd materia quæ est in motu ad superiores partes, leui est educenda vomitorio: & quæ ad inferiores, clysteri. Sed non videtur illud rectè adiunctum: quòd si natura torpeat, debeamus exacta die iudicatoria in ipsa purgare, non in ipsa die iudicatoria: sensus enim Galeni & rectus est, quòd naturam rectè operantem iuuare debemus semper, si indigeat auxilio. Ratio quæ solet adduci in contrarium, est, quòd non debemus iungere in eadem die duos motus magnos, accessionem, & purgationem. Et experimentum videtur stare pro hac opinione, quia multi adeò grauiter perturbantur, vt de vitæ discrimine cogantur esse soliciti. Aëtius lib. 3. cap. 125. de veratro agens, cùm regula illa ad omnes medicinas expurgantes extendatur, dicebat: In morbis in quibus sunt interualla, dandum est interualli tempore: in quartanis verò, & intestinis fluxione vexatis, in ipsa accessione. Exquirenda est igitur ratio omnium horum, non obiter, sed diligentissima. Hippocrates & Galenus motum humorum optant ad purgationem, talem tamen, qualis est, quem ars imitari vult: sed naturæ vexationem aut debilitatem vitat. In temporum igitur mutationibus non à natura propria, sed generali, humores mutantur: & in accessionibus: quare vim natura patitur nec conuenit purgatio nisi eatenus, quatenus motum tentans natura propria, à materiæ malitia vexata, nec potens perficere, iuuatur à medico: vt in vomitibus, & in secessibus per aluum in quartanis. Ex hoc patet, quòd in æquinoctiis, & solstitiis, & temporum mutationibus, in congressibus luminarium, nullus sanus debet purgari: nam natura vim patitur. In motu autem lunæ, coniunctione, vel quadrato, aut opposito in morbis, purgare possumus: sed minus in nouilunio. Est igitur consideratio diligens habenda in omnibus, & iuuamentum motus materiæ detrimento vexationis comparandum. In motibus autem naturæ propriæ & sunt motus iudicatorij, & luminarium, semper melius est purgare, nisi in duobus casibus: vel cùm natura completè agit iuxta illud quæ iudicantur & iudicata sunt: & vbi modus euacuationis nostræ à natura dissidet. Accessiones igitur mediæ sunt inter temporum mutationes, & iudicationes, vel luminariū motus: vt enim mouet, impediunt, quia sunt motus naturæ vniuersalis, non indiuidui, vt autem natura propria tentat expellere, adiuuari debet. Quare leuiter in his, & secundum inclinationem procedere debemus. Vnde Principis dictum clarum est: Hippocratis autem sententia prima est intelligenda de iudicatoriis, vt ipse dicit.

CONTRADICT. VIII.

Fœtus decem mensibus in vtero manet: Septimestris an ante CLXXXII. *diem, octimestris an vitalis: Tempus motus & perfectionis tempori formationis an conueniat: Masculus an fœmina celerius formetur.*

Circa præcedentia est alia difficultas, prædictis persimilis: nam cùm dictum sit, rationem dierum iudicatoriorum solum in his esse veram, qui in morbo nulla ex parte delinquunt: est tamen difficultas, quia in partu vbi nullus est defectus, variatur tamen terminus eius. Hippocrates namque in de Natura fœtus, hæc iuxta finem habet: Cùm autem in vtero puer est, in dies fit validior: simulque ac decimus mensis iam aduenit, membranas & inuolucra rumpit, tunc pariendi tempus matri imminet. Si verò puer pariatur ante statutum tempus, deficiente nutrimento, membranas frangit & erumpit, sicque legitimum ante tempus partus fit, id est ante decimum mensem. Post pauca verò causam subiicit huius, dicens. Quod autem non est diutius fœtum in vtero decem mensibus continere ostendam: namque nutrimentum, & quo augetur post decem menses non sufficit: quoniam partus creuit qui de sanguine quod est dulcissimum sibi assumens, lactis etiam aliquantum haurit; cum igitur hæc minora fiunt his quæ opus habet, fitque iam fœtus validus ac robustus: plusque nutrimenti quàm adsit iam desiderat, seipsum agitans, ob id membranas disrumpit.

Quod

Quod etiam celerius primiparis contingit: nam in eis fœtus ante decimum etiam mensem debita nutrimenti quantitate deficitur. Hæc ille. Deinde subiicit rationem earum, quæ plus aut minus ferunt intra statum tempus, quam breuiter subiicio. Quæcunque parum purgantur sicciores sunt: quare celeriter & ante decimum mensem finiunt fœtui alimentum: quare & primiparæ generaliter, & multæ aliæ tales existentes, ante decimum mensem pariunt. Quæcunque verò diu mensibus expurgantur, & multum emitunt sanguinis non deficiente alimento, in decimum mensem, quod ligitimum pariendi tempus est, partum differunt. Manifestum est quòd Hippoc. in hoc libro (quem Galenus maximè probat, & in de Natura fœtus, seu formatione eiusdem, tanquam Hippocratis legitimum citat) tria manifestè nos docet. Primum, quòd legitimum tempus & maxime generale pariendi est mensis decimus, non nonus vt communiter creditur. Secundum, quòd non est transgredi mensem decimum secundum naturam quare fieri nequit, vt ad vndecimum vsque mensem hoc pariendi tempus transferatur. Tertium, quod ante decimum mensem sæpenumero, quamuis non proprie, secundum naturam parere contingit. Cùm hæc igitur Hippocrates, & magna cum ratione voluerit, nunc videamus, quam difficultatem patiantur: in libro igitur de Octimestri partu hæc habe: Quin etiam decimestres vocatos dico in septies quadraginta diebus magis nasci, & maximè tales conuenit educari, & perfectissimus hic partus est. In prioribus autem quadraginta diebus, postquam nati sunt, plurimi pereunt, necesse est enim vt quæ in pauco tempore multa accipiunt, multum laborent, inde subiicit: Decimestres autem & vndecimestres ex septem quadragenis eodem modo fiunt, & ex medio anno septimestres. Plurimis enim mulieribus necesse est in ventre concipere post menstrua, si fuerint. Solutio igitur tempus dare mulieri mensis, in quo ipsa purgatio exit, & tempus hoc quibus minimum fit, tres dies: plurimis etiam multo plures. Sunt etiam multa alia impedimenta, quibus in mulieribus tardatur conceptus. Oportet etiam hoc maxime considerare quod Neomenia, quæ est vnus dies, mensis vnius quasi trigesima pars est: duo autem dies quasi quintadecima: & tres dies quasi eiusdem pars decima, & alia secundum horum rationem. Neque contingit fieri in minoribus aut maioribus particulis solutionem menstruorum, neque conceptum infantium. Ex his igitur omnibus necesse est, circa dimidium mensis, aut vltra, plurimas mulieres concipere: vt sæpe vndecimum mensem comprehendant septem quadragentariis, idest diebus ducentis ac octoginta. Quoniam enim vltra dimidium mensis concipit mulier, necesse est vt vndecimo mense pariat, vt in vltima periodo constituatur. Non igitur vltimus pariendi terminus est mensis decimus, sed vndecimus. Lex etiam ipsa, vt l. intestato, iuxta finem; ff. de suis & legit. hæc habet. Post decimum mensem mortis natus non admittitur ad legitimam hæreditatem: de eo verò qui centesimo octuagesimo secundo die natus est, Hippocrates scripsit, & diuis pontificibus rescripsit, iusto tempore videri natum. At secus longe Plinius refert lib. 7. cap. 5. his verbis. Massurius auctor est, Lucium Papirium prætorem secundo hærede lege agente, bonorum possessionem contra eum dedisse, cùm mater mensibus quatuordecim partum diceretur tulisse quoniam nullum certum tempus pariendi statutum videretur. At verò aliter Hippocrates alibi, Vndecimestres, ac duodecimestres viuere non possunt, etiam si qui fabulentur de his. At contrà Philosophus ait: Pueri nascuntur nono, & decimo, & vndecimo mense, quidam etiam decimoquarto. Et Auicenna nono de animalibus: Fidelis quidam mihi retulit mulierem post 14. mensem peperisse. Sed & Conciliator affirmat, se fuisse vndecimestrem: pater autem meus 13. mense natum se prædicabat. Iuxta hæc alia exoritur non leuis difficultas, quodnam sit minimum pariendi tempus legitimum, vt fœtus viuere possit: Hippocrates namque legi iam dictæ suffragari videtur, vt dies sit centesimus octuagesimus secundus: vnde in libro de septimestri partu. Fiunt etiam septimestres ex centum diebus & octuaginta duobus, & superante particula. Nam si primi mensis dies quindecim computauerimus, quinque autem mensium centum & quadraginta septem ac dimidium diei. Nam si sexaginta, vno deficiente die, proxime duo menses efficiuntur. Sic igitur his se habentibus ad septimum mensem supersunt dies plusquàm viginti, dimidium anni & diei partis, cum quota parte facta, cum ad principium perfectionis hoc partus. Hic clarè initium septimi mensis diem facit centesimum sexagesimumtertium: quicquid supra est, septimo mensi tribuitur, initium ab ea die sumendo, vt gratia exempli centesimus septuagesimus dies octauus sit septimi mensis: cum octauus etiam sit à centesimo sexagesimo secundo, qui etiam vltimus est sexti mensis. At libro de Carnibus hæc habet consentanea prioribus: Infans septimestri generatione natus, ratione natus est, & viuit, & rationem habet talis ac numerum verum in septimanas. Octimestris autem nullus natus viuit vnquàm. Nouem mensium & decem dierum natus fit, & viuit, & habet numerum verum in septimanas, quatuor decades septimanarum sunt ducenti octoginta, per singulam enim decadem septimanarum dies septuaginta, habet & septimestris partus tres decades septimanarum: & per singulam decadem dies septuaginta: tres igitur decades septimanarum sunt omnes decem ac ducentum. Igitur hac subducta ratione apparet quod dixerat in hoc contineri: vt intra tertiam aut quartam decadem numerus dierum contineretur: quare vt non vitales vltra 210. diem: quia non septimani, sed intra sic, nec vltra 280. quia decimum mensem ad decimum eiusdem mensis diem terminat, ne quatuor decades superet septimanarum. Non igitur totus decimus mensis vitalis erit, quod suprà ostenderemus: nec etiam infra 182. quia minus ex hoc tempus

tribus

tribus septimanarum decadibus, & etiam anni dimidio: cùm tamen 162. finem dixerimus esse sexti mensis. Rursus secundo Epidem. sect. tertia: Quæ apparent in quibus mensibus fiunt labores in circuitibus, quoniam qui in septuaginta mouentur, in triplo perficiuntur, quoniam post muliebria. Sinistra dextra autem hians humiditas propter discedentia dictæ siccissimæ: quoniam citius motum discretum rursus crescit & tardius, plurimo tempore, labores circa tertium diem vltra quinquaginta:& sextum vltra centum, menstrui, secundo & quarto, quæ oportet scire in septimestri vel à muliebribus numerandi sunt nouem menses,vel à conceptione, & in septuaginta & ducentum Græci menses fiunt, & si quid adhud his & siue masculis vel etiam fœmininis, hic vero videtur consentanea prioribus de septimestri partu proferre:scilicet vt 210.die nascatur.

Porrò in nono plurimum discordare videtur: nam si 270.dies à conceptione numerauerimus, in fine noni mensis exoriri videbitur: si à menstrui tempore, intra nonum mensem (quæ nunc opinio vulgata est) exorietur infans, cùm tamen non nisi nono exacto nasci posse videatur, iuxta autoritatem eiusdem, in libro de Formatione fœtus adductam. Rursus etiam in libro de Alimentis: Ad formationem quinque & triginta soles, ad motum septuaginta, ad perfectionem ducenti ac decem. Alij dicunt ad formam quadragintaquinque ad motum septuagintasex, ad exitum ducenti decem. Alij quinquaginta ad speciem, ad saltum centum, ad perfectionem trecentum, ad discretionem quadraginta, ad transitionem octuaginta,ad egressum ducenti quadraginta,non est & est, fit autem in his plus & minus: & totum & per partem, sed non multo plus aut minus: quæ autem minora tot & quæcunque: his similia, quare hic septimum mensem multum vt prius extendit: cum tamen vix etiam ex sententia sua, 207. diem possint superare,at decimum vsque in finem, ac etiam paulo plus, nam decem menses 285. dies vix excedunt. Galenus autem in libro de Fœtus formatione sic fermè distinxit. Tempus primum distinctionis membrorum, in sex diebus fit. Tempus secundum est distinctionis cordis cerebri & epatis. Tempus tertium est distinctionis omnium membrorum, brachiorum, & crurium, & formationis eorum. Tempus autem quartum est complementi eorum. Itaque non est ausus Galenus hæc tempora numero definire. Vnde etiam manifestum est, tum ex aliis, commentarium de septimestri partu, quòd illius maiestatem, nec placita, nec dicendi vsum, quamuis titulo Galeni inscriptus sit,eius non esse. Quamobrem in eodem libro de Fœtus formatione subiecit:Non mirum si qui anatomia carentes sola ratione innixi, grauiter errauerunt: cum hi etiam qui incisionem exercuerant non minimos errores admiserint. Auicenna tamen nono de natura animalium cap.vltimo,puerum sexto mense natum bene vixisse refert. Quo fit vt septimus mensis hac ratione non primus vitalis existat, sed ante illum sextus. Plinius autem non omnes septimestres vitales existimat: vnde septimo de Naturali historia cap. 5. Ante septimum mensem haud vnquàm vitalis est. Septimo non nisi pridie posteróue plenilunij die, aut interlunio concepti nascuntur. Rursus Hippocrates maiorem videtur his addidisse difficultatem, ex his quæ in libro de octimestri partu quæsiuit: iuxta quæ, tertia emergit nobis dubitatio: an octimestres vitales esse possint? in quo sententiam Hippoc.in eo libro tum horum tum cæterorũ subiungam:in initio libri propterea nullus octimestris partus superest,& viuit tamẽ vt recitaui sæpe, cum etiam Princeps nono de Natura animalium cap.5. censeat nec viuere nec nasci posse: vnde male à Conciliatore interpretantur illius verba. Sed mulieres dicunt hoc, quia accidit eis sanguinis menstruatio, illud autem quod dicunt, erat, quod natus esset octauo mense: subiungit tamen: Et aliquando parit mulier in fine octo mensium: & tunc super caput nati apparent superfluitates spermaticæ, vel aliquid simile luto, vel aliquid simile his quæ mater ipsa comedit. & similiter est autoritas eius vigesimaprima tertij t. 2. cap. 1. quam etiam male citat Conciliator: & in contrariam illius sententiam: & est, quod natus in octauo mense in quibusdam regionibus nullo modo viuit: & vbi vitalis est, parum vitalis est, ac raro. Hoc autem dixit, quia Aristoteles in Ægypto affirmat octauo genitos pueros mense viuere: vult enim hoc Princeps etiam rarum esse. Similiter & dictum Philosophi. 10. Problematum 40. Homo nascitur septimo, octauo, & decimo mense: legi sic debet.Septimo,nono,& decimo mense: nam præteriisse nonum non potuit octauum apposuisse: cùm dicat septimo de Historia animalium cap. 4. Itaque fit ne octauo mense nati, non solum non viuant, sed etiam ipsis emortuis periculum quæ pariunt subeant. Simili modo & qui serius quàm vndecimo mense nascuntur, latere putantur. Vnde ex his verbis non iam amplius decimum mensem,vt Hippocrates,sed vndecimum pro vltimo statuemus. At quanquam fœtum octimestrem sic vitalem esse negauerit, expresse tamen contrarium fatetur quarto de Generatione animalium, cap.4. cum dixit: Cæteris enim vnum tempus, homini plura fiunt: quippe cùm septimo & decimo mense nascatur: atque etiam inter septimum & decimum positis: qui enim mense octauo nascuntur, & si minus, tamen viuere possunt: cuius rei causa ex his quæ modo explicauimus accipi potest, diximus & de his in Problematibus. Quod tamen non inuenitur apud nos, æuo nobis quæ tradidit magna ex parte subtrahente. Sed & hic vndecimi mensis nullo modo meminit. Tanta videtur in hac causa autorum varietas, & ad semetipsos, ne dicam inconstantia. Hinc exurgit alia dubitatio. An scilicet formationis tempus eam subeat rationem quæ iam ab Hippocrate ex secundo Morborum vagantium, tum alibi adducta est, tanquàm præfinitam sortiatur? nam & aliàs in contrarium illius sententias adduximus. Conciliator namque

Differ. 49.

Differ. 49. hoc negat dicens. Nosce quoque non esse proteruiendum in huiusmodi terminationibus mensium exquisitis & generaliter cuiuslibet artis materiam sensibilem sibi determinantis, propter ipsius vagam atque indeterminatam naturam. Sed melius tamen est in hoc Aristotelis sententiam tum Principis explorare. Ergo septimo de Historia animalium cap. 3. Mares fœtus circiter quadragesimum diem, fœminæ circiter nonagesimum mouentur: nihil tamen in his certi affirmare licet, & ibidem: Finditur autem fœtus hoc eodem tempore, & parum post: effluxiones ante septimum, abortus iuxta quadragesimum. Ea die mas concrescit in aqua frigida, apparentque genitalia, & oculi, fœmina autem quæ intra quartum mensem eruperit, indistincta est, quæ autem quartum mensem adepta est, finditur, & reliquam distinctionis effigiem breui tempore accipit. Cùm itaque fœtus in vtero formatur, fœmina tardius, quàm mas perficitur, in quibuscunque partibus, & plerunque in decem menses protrahitur. Et cap. 4. Cùm semen vterus conceperit, statim multis se contrahit, donec ad septimum peruenerit mensem: octauo adaperitur, atque dehiscit, & partus si viuit descendit mense octauo. Et rursus ibidem. Sed cùm cætera animalia omnia singulari ac simplici modo partum suum perficiant, homini vni multiplex datum est, septimo, octauo, & nono, ac decimo mense parere: nonnullæ etiam vndecimum tangunt. Fœtus autem qui ante septimum mensem prodeat, nullo pacto vitalis est. Qui septimo vitalis hic quidem exit primus, sed magna ex parte infirmior: quamobrem cunabulis ex luna inuoluunt, & fasciis alligant: & plerique de his quoque septimo mense natis viuere possunt. Quomodo autem septimum mensem intelligat quarto de Generatione animalium cap. 10. his verbis ostendit. Ratione autem optima tempora omnium & grauiditatem, & generationum, & vitarum dimensionem circuitibus sibi exposcunt recipere. Circuitum appello, diem, noctem, mensem, annum, & tempora quæ his describuntur, atque etiam lunæ traiectiones: sunt enim lunæ circuitus complementa, & silentia, & interpositorum temporum sectiones: ita enim coit cum sole. Mensis namque amborum circuitus est, luna autem principium est, ob solis societatem receptumque lucis: fit enim quasi alter sol minor, post pauca verò, conuersionis autem horum siderum alia fortassis principia sunt: natura igitur ita sibi vult, vt eorum numeris generationes & obitus numeret. Sed iam ex his alia insurgit difficultas, an masculorum & fœminarum diuersa sint tempora, hæc namque quinta est dubitatio Auicennæ, igitur sententia in his ambabus dubitationibus sic se habet vigesimaprima tertij t. 1. cap. 2. Spumæ spatium dierum est sex ex principio: deinde post dies tres, in nono scilicet, lineatur embryo: & quandoque antecedit vel postponitur die vno: deinde post dies sex, & sunt quindecim à conceptione, penetrat sanguinis forma in toto, & fit illud vnde creatur: & quandoque antecedit die vno, vel duobus: & post duodecim dies fit humidum & caro, & discernuntur tria membra manifeste: & antecedit quandoque duobus aut tribus diebus: & post nouem dies separatur caput ab humeris: & à lateribus, & post quatuor dies sentit, & hoc spatium est quadraginta dierum: & quandoque antecedit vt sentiat in triginta quinque diebus: & aliquamdo in triginta, & masculus in illo toto velocior est quàm femina, videtur enim spatium minus formationis masculorum dies triginta: & partus medietas anni, & quod dicemus in proximo. Iuxta verò sententiam Principis, & Haliabbatis, fœtus qui formatur in 30. diebus, mouetur in 60. verum perfectionis tempus est triplum motus tempori: id est dierum 180. licet tertio Theoricæ 34. ille dixerit, quòd perfectio est dies ducenti decem. Sed cur tamen dixit Princeps in vigesimaprima tertij t. 1. cap. 2. Facientes experimenta probationes in hoc, non iudicant nisi super illud quod præteriit res secundum experientiam eius, & non est impossibile quòd sit illud quod expertum est in fine cadens secundum illud quod diuersificatur: in toto enim illo est, plurimum proculdubio, & plurimum est in eo quod diuersificatur: in toto enim illo est, plurimum proculdubio, & plurimum est in eo quod plus generatur. Quonam pacto igitur si hoc adeò dubium est, quispiam tam exactè, vt ipse facit, enarrare historiam queat? habet & dubitationem quod subiungit ibidem, cùm dixit: Determinatio autem masculi & fœminæ in distinctione spatij est res quam quædam pars medicorum iudicat audacter & stulte. Hic quis non videt illum non solum Hippocrati, Aristotelique sed etiam superioribus verbis contradicere?

His tot tantisque difficultatibus expositis, si quis cupiat euadere, primum illud statuat, ne miracula in exemplum aut rationem adducat: vt enim rectè dicebat Auerroës, in omnibus artibus solent monstra quædam accidere, nam quod aliquis superuixerit natus 6. vel 14. mense: illud in experimentum adduci non debet, quod semel tantum ab Auicenna auditum narratur: nam & ego antequam ad rem veniam: quædam admiranda exempla subiungam.

Vxor magistri Petri Sormani, venditoris maluatici, (vt sic Creticum vinum appellare liceat) in via vexillorum Mediolani: ostendit mihi filiam, nomine Claram, quam diebus 168. post abortum masculi fœtus quadrimestris Venetiis peperit: & in puerperio lac apparuit: ipsa autem puella exilis, pallida, & macilenta est, annos agens 18. Mater Augustini Abduæ patritij inclyti, narrauit vidisse puerum natum 6. mense filium Thomæ Suighi, qui superuixit, cùm primis diebus lac non sugeret, sed immitteretur infundibulo: & tamen peruenit ad ætatem perfectam, cùm nec digiti manuum, nec palpebræ essent separatæ dum natus est: hic puellus, nepos erat mulieris famosæ de via lata, medicam artem exercentis. Eufragia virgo Deo dicata in æde B. Rodogondæ, cum mater eius abortisset puerum 5. nonas Iulij: profecta verò ad coniugem 10. calendas Augusti, ipsam

ipsam Eufragiam peperit 7. Idus Ianuari sequentis anni. quare 170. die nata est, morbo perpetuo natalium iacturam attestante: ne quis ad superfœtationem refugiat: quanquam nec hęc minus intempestiuo partu miraculum afferat.

Comitissa etiam de Triultiis iuuenculam retulit esse in domo comitis Sancti Secundi, capite admodum paruo, insanamque, natam vt palàm fertur quinto mense.

Talia singulis diebus accidunt experimenta, quòd si diffidentia vitæ horum fœtuum, vel negligentia multos superfuturos non occideret, longè frequentiora huius rei apparerent exempla: quæ tamen vt ostendam non miracula sunt, sed quanquam rara naturæ, tamen legibus continentur.

Alterum verò in his est animaduertendum, ne ambiguitas vocis nos fallat: velut cum Nicolaus affirmat natum 6. mense posse superuiuere: mensem tringinta dierum intelligit: infantemque 180. dies moræ in vtero materno traxisse, quare hic septimo lunari mense natus dici debet: cùm autem multiplices sint hi mēses, tantam varietatem pariunt, vt plerunque inter concordes autores, contradictionem serere videantur: ob quæ diebus ratio ineunda est.

Est & illud considerandum, ne vt frequenter accidit, vitiosa lectio sit, velut cum diximus, octimestrem nullo modo ex Principis sententia posse viuere: verba tamen illa Principis nono de Natura animalium cap. 5. Et aliquando parit mulier in fine octo mensium: difficultatem & ambiguitatem non leuem pariunt, cùm vitiosa sit lectio: verba enim sunt Philosophi 7. de Historia animalium cap 4. in fine, quæ sic iacent: Plurimis si concubuerint messe octauo, infans mucore oppletus exit: esculentorumque quæ mater comederit sæpe gerulus venit in lucem. Sic cùm Philosophus de concubitu dixerit, errore interpretum Princeps locutus videtur de ortu. Sic & illa verba ex secundo Epidem. Quæ apparent in quibus mensibus fiunt, sic ex sexto libro emendari debent: quem collectum ab Hippocrate Galenus fatetur, non secundum. Quæ apparent in quibus mensibus fiunt suspiciones in circuitibus, quoniam in septem mouentur, in triplo perficiuntur, & quòd post muliebria dextra, sinistre autem hians humiditas propter discedentia, dictæ siccæ, quoniam citius discretum motum, rursus crescit tardius plurimo tempore, labores tertio, quinto, septimo, nono mense, secundo, quarto, sexto, ex parua tabella consideranda. Galenus etsi octo libros in sextum Epidemiorum condiderit, nihil tamen de hoc scripsit. Sententia igitur est, quòd quæ in 70. mouentur, in triplo perficiuntur, non autem in septem fœtus si moueantur, perfici in 210. diebus affirmat: nam quomodo in septem moueri possunt diebus? ob id iuxta priorem literam legenda sunt verba sexti Epidemiorum, quod & Fuchsius facit.

Sed neque omnibus fides tribuenda æqualis est: sed his qui ex aliis desumpserunt: quantum autores primi sentiunt, tantum recitatoribus condonandum: velut cum Polybius apud Plutarchum quinto de placitis philosophorum causam assignare nititur dimidij anni: id est dierum 182. solis motum à tropico ad tropicum, nam hoc est falsum, cum ex tertio magnæ compositionis Ptolemæi sol inæqualiter per absidem moueatur & absidis oppositum. At tunc absis fuerat in Geminis, non in Cancri initio: nec Hippocrates etiam hoc dixerit. Simile est illud Auli Gellij dum exponit verba Hippocratis, illa parum ante aut post fœtum edi posse, ex libro περὶ τροφῆς illius: is namque lib. 3. cap. 16. copiosè hanc rem tractat: ac ex aliorum sententia quasi nullum sit iuxta Hippocratem tempus præfinitum: sed liceat excedere paululum, vel etiam antecedere. Sic & Sabini medici autoritas cum Hippocratis præcepta transgrediatur, octauum mensem illic non excludit: sed alibi senis dicta perquirenda. Varro autem decimestres omnino exclusit ab hæreditate, in Satyra: cum eodem iure illos recipiat, quo & vndecimestres: Aristotelem subsannans, qui non solum decimestres, sed & vndecimestres recipiat. Num igitur deserendus est tantus Philosophus ob iurgium Grammatici? Simili in causa habenda sunt quæ à Macrobio scribuntur, in primo de somnio Scipionis. Nunquid enim ob id in dubium reuocanda erunt Philosophi verba atque Hippocratis, & Galeni? quod Mocrobius dicat ex Caristij & Dioclis sententia, masculum in septem perfici septimanis, fœminam autem in sex? sed tantum habeat hoc dictum autoritatis aduersus Principes Philosophorum, & medicorum, quantum etiam Diocles atque Christius, non quantum Macrobius.

Sed & illud diligenter considerandum: ordinem esse in rebus, vt quædam rariora, alia autem frequentiora sint: nam plures morbi sanantur in quotuordecim diebus, quàm in quatuor, vel quam in quadraginta. Media enim extremis frequentius contingunt. Ob id igitur quòd (vt Gellius refert) D. Adrianus decretum ediderit, in quo testaretur, se veterum philosophorum ac medicorum sententiis vndecimestrem partum esse legalem: mulieremque honestam, quæ post obitum coniugis filium pepererat, infamia liberauerit, hereditate filio permissa: num ob id, cùm decem viri decimum mensem præfinierint edendo fœtui, vndecimestris partus naturalissimus (vt ita dicam) censeri debet? Nempe non, sed vt rarior, velut & septimestris. Qui verò decimo, & nono, maximè secundum consuetudinem, & minima naturæ violentia prodire creduntur. At septimestres solum ob id frequentiores, ac magis naturales vndecimestribus existimantur, quòd semestribus indicia immaturi fœtus adsunt: vndecimestribus autem diuturnioris moræ, quàm in vtero contraxerit, nulla omnino signa adhærent.

Est etiam (quod aliàs retulimus) fides libri spectanda, quo ad materiam: nam quæ obiter tractantur non adeò firma sunt, vt quæ ex composito: tum vbi de re ipsa agitur principaliter, ibi summa autoritas: vt in libris Septimestri ab octimestri partu apud Hippocratem: tum de Historia & generatione

ratione animalium apud Aristotelem.

Vltimo etiam diligenter aduertendum, quinam sint veri ac certi autorum libri: nam nec liber de Alimentis, nec secundus Epidemiorum, nec liber de Carnibus, Hippocratis sunt, sententia Galeni: quamobrem à nobis rectè scripta est vita Galeni: vt Hippocratis non solùm & Galeni, sed & Aristotelis Platonisque, tum Ciceronis libri genuini ac veri ab apocryphis dignoscerentur.

His ergo intellectis, ad conciliandum hæc dicta veniamus: Ratio temporis fœtus ex tribus sumitur, ex Natura, ex Astris, ex Pythagorica computatione numerorum. Hæc omnia attigit Hippocrates in libro de Fœtus formatione primum, in libro de Septimestri partu secundum, in libro de Octimestri partu tertium. Quod ad naturam attinet, fœtus vt firmior fuerit, & mater debilior, celerius perficitur, vt Hippocrates & ratio ipsa docet: vnde decimestres omnes inualidi sunt, quoniam non celeriter mouentur ad exitum, tardéque perficiuntur. Hac etiam ratione masculi fœminis sunt celerioris perfectionis, quanquam accidat aliquando oppositum, vnde Galenus Aphorismor. quinta 42. Contingit enim aliquando, licet sit rarum, quòd concepta fœmina sit mare robustior, & multis ac validis motibus moueatur. Itaque Hippocrates ex hac proportione fœtus ad alimentum sumpsit rationem tarditatis & celeritatis exitus fœtus. Mulieres igitur, quæ multum sanguinis menstrui reiiciunt hora purgationis, diutius gerunt fœtum, alia verò etiam his sunt signa consentanea, tardius ire, tardius loqui, tardius etiam dentes producere, laxo corpore esse, & imbelli. Sed Princeps adducit alias causas, vteri paruitatem: nam cùm vterus talis fuerit, & fœtus validus, prodibit in septimo mense absolutus: vel ad plus in nono. Hæ causæ si veræ sunt, gemini nunquàm decimum mensem attingent. Alia ratio, quæ ab ipso adducitur vigesimaprima tertij, t. 2. cap. 1. in fine: est, quòd qui mouetur in septimo ad exitum, in nono nascitur: & qui in octauo mouetur, nascitur in decimo. Ob id etiam decimestres inualidi erunt, quia motum ex malo sumpserunt initio, scilicet mensis octaui, qui minime vitalis est. Auerroës autem in Paraphrasi quarti libri de Generatione animalium inquit: Natus in septimo mense est multum calidus & humidus: & perficitur eius figura, nascitúrque in hoc tempore, quod est minus tempus, in quo possit perfici figura hominis. Sed qui nascitur in nono, minus habet calidi & humidi, quàm qui nascitur in septimo: & ideo perficitur eius creatio in tempore longiori. Hæ causæ in vnum coincidunt: nam calido & humido accidit vt citò crescat & perficiatur, & vt cito ei desit alimentum. Igitur Hippocrates exprimit causam, quæ est finis: Princeps propriam, quæ forma est: Auerroës efficientem & materialem. Hæc intelliguntur de naturali partu: nam dantur septimestres violentia excussi, & hoc plerunque frequentius est: de quibus dicebat Philosophus, quòd aliquando deficiunt foramina illis narium, vel aurium: & experientia docet, quandoque carent vnguibus, & capilis. Sed quomodò hoc, cùm Hippocrates libro de Natura fœtus dicat. Quando autem summitates pueri ramos emiserint extra, & vngues & capilli radices fecerint, tunc iam mouentur: & tempus ad hoc est puero tres menses: puellæ autem quatuor: sic enim plerunque accidi. Sunt autem infantes qui ante hoc tempus mouentur. Mouetur autem prius masculus, eo quòd sit validior fœmina: & primò quidem solidatur masculus, eo quòd ex robustiore generatione fiat: quando autem mouetur infans, tunc etiam lac matri apparet. Quare quomodo exire imperfectus potest septimo mense: non nisi quia hæc quanquàm tertio vel quarto sumant generationis initium, non tamen nisi nono perficiuntur. Causæ igitur celeris exitus fœtus sunt robur eius: magnitudo in comparatione ad vterum: paucitas alimenti: & humidum cum caliditate: nam calor multus refrigeratione multa indiget: quam dum est in vtero, assequi nequit. Hæ sunt causæ generales celeris exitus: terminum autem singularem ex his non licet præfigere: in paruitate tamen est mensium septem, vnde Princeps vigesimaprima tertij, t. 2. cap. 1. & scias quòd mensis septimus est primus mensis in quo parit ipsum: & est fœtus validus, & naturæ temperatæ, cuius creatio velox fit: & cuius petitio ad exitum velocior fuit: & sæpe moritur natus infra hoc spatium: quia tolerat motus vehementes cum debilitate creationis. Namque licet sit robustus in radice, est tamen proximi spatij cum cretione. Ex hoc igitur conciliatur dictum Philosophi, & Principis, quod septimestres sint fortes ratione radicis, & debiles ratione spatij gestationis in vtero. Est autem omnium natura constantium certus terminus augumenti, decrementi, vt inquit Philosophus: quare septimus mensis primus est, vltimus vndecimus, quo mulier vitalem fœtum edere possit. Atqcum hoc certum sit, de magnitudine horum mensum prius est disputandum.

Mensis quadrifariam dicitur, Lunaris, & est spatium æquale illi quod inter duas coniunctiones solis ac lunæ intercipitur: eas quas astrologi vocant medias: de quibus Galenus 3. de Diebus iudic. & 1. Epidemiorum super verba illa IN THASO, dixit, quòd multis Græciæ ciuitatibus hic mensis est solennis: & quòd Palestini (antiquissima hæc gens est, quam nos Iudæos à Iuda vocamus) hoc genere mensis vtuntur. Et Censorinus de Die natali narrat, apud Græcos annum 355. diebus constare. Alphonsus etiam illum agnouit. Costat igitur, quòd si annus comprehendit dies 355. & menses 12. quòd mensis est paulo maior diebus 29. cum dimidio: hoc genere mensis vtitur Hippocrates libro de Partu septimestri, sed non computat menses integros, vt videbimus.

mensis aliud genus est quod Solare dicitur, 30. diebus constans, hic vulgatus est apud nos: de quo etiam Macrobius in Saturnalibus. Hic autem multiplex æqualis, constans triginta diebus, quinque recipiēs intercalares in vltimo, vt anni reuolntio

tota expleatur. Aliquando autem inæqualiter distributus est: vt qui in vno dies 28. in alio 31. recipiat: cuiusmodi est apud Romanos, & apud nos, & post Platonem ac Berosum apud aliquot Græciæ populos. Hoc genere vsus est quicunque dixit septem menses, dies continere 210. vulgi consuetudini potius, quàm exactæ computationi subscribens: cùm vt dictum est, septem menses sint dies. 206. cum dimidio: non 210. nam in fœtuum gestatione nunquàm mensibus solaribus vsus est Hippocrates.

Mensis tertium genus est à lunæ reuolutione, quæ in diebus 27. horisque octo perficitur. Hic, quod sciam, apud nullas gentes in vsu est: quòd celerius gens quælibet reditum lunæ post solis coniunctionem dignoscat, quæ solo visu percipitur, quàm ad stellam aliquam vel punctum signiferi constitutum.

Mensis quartum genus est Medicinale: de quo superius in hoc tractatu diximus: quanquàm ne somniasse illum Hippocratem aut Aristotelem in hac causa constet, cùm nec illis meminerint, sed Lunaris: menses & iuxta lunarium magnitudinem computauerint.

Quomodo igitur hi menses, si septem fuerint, numerum 172. dierum perficiant, id est medietatis anni, sic intellige. Sex menses, vt dictum est, dies 172. explent, eo quòd mensis dicitur, quotiens luna congreditur soli: & illi etiam opponitur, hoc autem in 15. diebus accidere potest, reliqui autem quinque menses requirunt dies 29. & medium, quare in 162. diebus erunt sex coniunctiones, & totidem oppositiones luminarium: quare erunt sex menses. Quicquid igitur superest ad dimidium anni, & est tempus dierum 20. cum dimidio, & tribus horis, totum illud de septimo mense est.

Tertia consideratio est ex numeris Pythagoricis: & est quod hominis partus absoluitur quatuor decadibus septimanarum, id est diebus 280. nam decem septimanæ sunt dies 70. & hoc quia hic numerus constat ex quaternario, septenario, & denario, qui omnes sunt perfecti apud Pythagoram, licet diuersa ratione: ex his autem inuicem ductis producuntur 280. & sunt menses solares æquales nouem, & dies decem.

Considerat igitur Hippocrates tria genera temporum partus: Minimum, Maximum, & Medium: & in his perfectionem vltimam. Vult autem, quòd in minimo consideremus menses, & astrorum rationem: in maximo rationem Pythagoricam: in mediis autem vtranque. Ratio autem naturalis omnibus communis est: quare vbi vna ratio concurrit tantum, tunc vitalis est: vbi duæ, longe plus: vbi autem omnes, hic absolutus est, & maxime vitalis.

His cognitis, Septimestres vitales sunt ratione mensium à 163. die supra: patet, quia sex exegerunt lunares menses, & septimum sunt ingressi: quod si voluisset tantum natos 182. die esse septimestres, & vitales: debuerat computare sex menses lunares completos, qui sunt 177. dies solum: & sic ad dimidium anni supererant etiam dies quinque: & ita natus in dimidio anni dicetur septimestris, tam hoc modo, quàm primo. Igitur vult clarè, quòd natus 163. die sit septimestris: nec potes dicere, quòd velit, vt expleuerit dimium anni & sex menses: nam sic poterat computare menses integros: nam vt dictnm est vtroque modo æqualiter natus in dimidio anni septimestris est. Nec potes dicere, quòd ex hac computatione prima dando dimidium primi mensis pro mense, in viginti diebus reliquis qui supersunt ad anni dimidium, necessario cadat coniunctio vel oppositio alia solis & lunæ, vt sic sint septem menses completi, qui non essent completi ex secunda computatione, dando sex mensibus dies 177. nam posset accidere, quòd in quinque succedentibus diebus nulla fieret coniunctio, vel oppositio solis & lunæ: & sic non compleretur, vel saltem non adderetur dimidium septimi mensis, quod necessario euenit in prima supputatione 162. dierum. Nam si propter hoc dixisset, erat initium perfectionis 178. dies, non 182. diebus sex coniunctiones & totidem oppositiones in sedecim diebus sequentibus quomodocunque acceptis necessario est vna coniunctio, vel oppositio: igitur in 178. erit absolutus septimus mensis: non in 182. solum. Fecisset etiam Hippocrates mentionem perfectionis septimi mensis, cuius non meminit: imo videtur vti mensibus incompletis: & quod plus est, non adducit aliquid, quo possimus coniectari, illum considerasse, quòd dies 20. qui supersunt ex septimo sint plus dimidio mensis lunaris.

Quòd si dicas, Cur igitur si 163. dies vitalis est, quia septimi mensis initium meminit dimidij anni? Ad hoc respondi, quòd vt 163. dies est primus vitalis in septimestri: sic 182. est perfectissimi spatij septimestris terminus, illius nati qui in primis quindecim diebus suæ generationis coniunctionem luminarium & oppositionem habuit. Ex hoc patet, quòd verba Plinij corrupta sunt, & sic debent legi, Ante septimum mensem haud vnquàm vitalis est: in dimidio autem anni non nisi pridie posteróue plenilunij die, aut interlunij concepti nascuntur. Quis non videt hanc esse exquisitam Hippocratis sententiam, secundum illos, qui mensis septimi dimidium vltra sex integros requiri volunt, ad hoc vt vitales sint? cùm nos hoc tamen reprobauerimus: nam ad perfectionem talis numerus est necessarius, non ad vitam. Quamuis, vt diximus, nati 163. debilissimi: eo autem validiores quo magis ad 172. propinquius accesserint.

Lex autem 182. diem pro initio termini vitalium sumpsit eorum quos Plinius secutus est in interpretatione decepta. Vel dic, quòd verius est, legem semper esse de his, quæ frequentius accidunt. At eorum qui ante 82. diem & post 163. nascuntur, etsi vitales existant, maior tamen pars moritur: ea causa, quòd vix vllis accidit illorum, vt plenilunio, vel interlunio concepti sint: quare cum in quindecim diebus quatuor

tuor tantum sint vitales, & qui perfectionem septimi mensis præstare possint: vndecim autem non vitales, & in quibus non contingit sextum mensem totum expleri: ob id lex sic sanxit. Vt enim rectè Tacitus sub Cassij persona dicit: In omni lege necessarium est, vt aliquibus iniuria fiat: & insontes pro sontibus habeantur: sed legi ipsi sufficit, vt multitudini benè consulatur. Si quis tamen natus intra 182. diem sex plenilunia, & totidem nouilunia obtinuerit, quod in 163. diebus etiam accidere potest, hic septimestris est, ac vitam, licet non facile, assequi poterit. Ex hoc patet, quòd mensis septimi spatium est à 163. die vsque ad 207. & sunt 44. dies: & hoc accidit ex diuersitate congressus luminarium, nam potest & intra 207. diem nasci octimestris, scilicet post 192. sed non antè: quia in 192. possunt compleri septem nouilunia, & totidem plenilunia, & non antè: sed bene possunt etiam differri ad 207. diem, & ideo septimestres vsque ad id temporis nasci possunt. Qui verò 210. diem pro 212. scripserunt, Hippocratis subtilitatem in hoc, vt nec aliis plerisque, sunt assecuti.

Ex hix patet ratio spatij, cæterorum mensium: nam octauus potest incipere à 192. die, & finem habere in 236. verùm vt solum à 177. ad 192. necessario septimestri non alij mensi adnumerari potest: sic à 207. ad 222. necessario octauo mensi spatium ascribitur: nam à 192. ad 207. commune esse potest septimo & octauo mensi: & à 222. ad 236. commune esse potest octauo & nono mensi: sic vt modò quandoque vnius sit, quandoque alterius: non quòd vnquam possit spatium hoc simul duobus esse commune. Nonus igitur mensis cùm singuli dies 44. fermè comprehendere possint, deducta horarum ratione, quas nunc in consideratione non habemus: initium habet à 222. & extenditur ad 256. Verùm vt in cæteris solum qui à 236. die nascitur vsque ad 251. nono mense necessariò natus est, eadem ratione decimus mensis initium habet die 252. & finem 295. solum vero natus à 266. ad 280. verè decimo mense natus necessariò dicitur: nam & à 280. ad 295. natus vndecimo mense dici potest, ex hoc patet, quonam pacto decem menses dies 280. impleat ad vnguem: id est septem quadragenas seu quatuor decadas septimanarum. Vltra tamen si nascatur à 280. die ad 295. decimestris est: modo non in plenilunio aut nouilunio, pridiéve, aut postero conceptus die sit: quare Hippocrates rectè dixit, decimestres & vndecimestres, eodem modo, ex septem quadragentariis fieri. Sed & hoc alia ratione, si quidem pridie, vel antè parum quàm menses sint defluxuri concipiat mulier, natus vndecimo mense creditur: qui tamen nascitur intra 280. dies: cum enim adieceris dies 25. prioris mensis, ad 280. fient dies 305. in quibus mulier non purgatur: hi autem sunt menses decem & dies decem: loquendo de lunaribus mensibus, solares etiam erunt decem, & insuper dies quinque quare vtroque modo vndecimo mense natus existimabitur. Censorinus autem putat decimum mensem initium habere die 274. nam hic est primus dies quadragesimæ septimanæ, & in totidem diebus sol partes 270. signiferi peragrat. Verùm hoc esse non potest, cùm summa perfectio in fine habeatur 40. septimanæ. Hoc autem tempus decimi mensis antè, & pòst extenditur. Ideo melius est dicere, quòd decimestris perfectio est in diebus 280. quia hoc tempus, vt dixi, est finis decimi mensis, & complementum septies quadraginta dierum.

Sed videntur quædam dictis obstare: Primum, quod cùm dicat Hippocrates in libro de Natura fœtus: Hæc intuli hac de causa, vt declarem, quod infantium sit discrimen membrorum, maximum quidem in puella dierum quadragintaduorum, in puero autem triginta: si igitur formatio est semper proportionata motui, & perfectioni: igitur hæc ratio mensium generalis esse non potest tam masculis quàm fœminis: videretur autem ex hoc, cùm tempus perfectionis sexcuplum tempori formationis sit, & minimum formationis sit dies 30. perfectionis minimum tempus esse 180. dierum.

Propositiones etiam vniuersales ex sensu suscipiuntur: sed hoc non constat quòd ante dies 180. infans natus viuat: igitur non est statuendum, quòd natus ante 180. diem sit septimestris.

Philosophus etiam 2. de Generatione & corruptione cap. 10. & omne tempus ac vita circuitu mensuratur: sed non omnis, nam alia maiori, alia minori: quare non poterunt sex menses lunares, si à circuitu sumantur, comprehendere pauciores dies quàm 177. & ita extendetur terminus initij vltra 163.

Ad hæc propositio illa, Tempus motus duplum est tempori formationis: primo non est generaliter vera; nam nec est philosophi, nec Hippocratis, nec Galeni. Princeps autem, qui eam dixit vt suprà retuli, fatetur illam non esse generalem. Ideo etiam Hippocrates 6. Epidem. videns quòd masculus citius formatur, nec tamen celerius fœmina nascitur: subiecit illa verba. Quoniam citius discretum, motum, tardius crescit rursus. Id est, quantum acquisiuit masculus crementi in formatione, tantum post motum amitit tardius crescens. Ad aliud, constat quidem septimestres viuere: hos semper in plures dies mulieres referunt ob mensium numerum: qui plerumque addunt in opinione: si qua enim mulier pariat 180. die, conceperit autem 20. die post menses, opinionem suscipit, quòd 200. dies fermè infantem in vtero tulerit. Sed sufficit ad veritatem ostendendam exemplum vnum affirmatiuum: in negatiua autem non est possibile ostendere, nisi assumptis omnibus exemplis: sicut sufficeret ostendere, vnam animam mortui, ad probandum quòd anima superfit, nec negatiuam probare possumus ex hoc quòd nullam ostendere posse nobis liceat. Igitur cùm constet de aliquibus ratio Hippocratis potius spectanda fuit. Ad vltimum dicimus, circuitus esse spectandos, vel etiam partes circuituum: nam non solum

solum nouilunia, sed etiam plenilunia magnam vim habent. In causis autem generationis & corruptionis plus facit vis sideris, quàm circuitus: in causa autem vitæ circuitus spectandi sunt.

Superest difficultas ex autoritatibus libro de carnibus: dicitur quòd fœtus septimo die habet loca oculorum, nasum, nares, manus, digitos, pudenda: num hic liber potest dignus Hippocratis grauitate videri? Repugnat etiam his quæ ille in libro de Natura fœtus scripsit, dum ancillæ abortientis narraret exemplum, librum autem de Alimentis Galenus negat esse Hippocratis: similiter & secundum Epidemiorum, vt in illorum expositionibus apparet.

Est etiam sciendum, quòd menses considerantur vt à mulieribus cognoscuntur: id est à purgationibus. Videntur autem hi conformes lunaribus, cùm dicat Philosophus 7. & de Hostoria animalium cap. 2. Profluuium autem mulierum decrescente luna contingit: quamobrem nonnulli cauillo sexum fœmineum lunæ tribuunt: quoniam simul vt illa decrescat, & mulier purgetur: moxque ambæ repleantur. Et Princeps 9. de Natura animalium cap. 6. Mulieri accidunt menstrua in initio mensis, vel in medio: & fortè hoc est, quia luna quando mutatur, ideo menstrua lunam sequuntur ex toto: & idem erit mensis lunaris & purgationis muliebris: & ideo vnius ratione explicata, nognoscitur & reliqua. Sed si obiicias, quòd Auerroës 3. Collectaneorum 29. dixit, quòd minimum tempus interpolationis est dierum 21. & maximum 30. quomodo igitur purgationis tempus poterit cum lunari mense concordare, qui semper est dierum 29. Respondeo, quòd concordia clara est: nam minimum tempus est, secundum ipsum quo purgatur mulier, dies vnus: maximum autem, nouem: quanquam in textu dicat septem: sed est error. Quod & Volateranus lib. 24. sensit apertè, cum dixit. Et extenditur tempus muliebris purgationis ad dies octo: & quandoque, quod tamen rarissimum est, ad dies nouem. Si igitur maximum purgationis tempus, quod est nouem dierum, ad minimam interpolationem, vel minimum purgationis tempus, quod est vnius diei, superaddatur tempori maximè interpolationis, consurgent vtrinque dies 30. Quare cum Auerroës vt clarum est, exactam rationem numerorum non curauerit, manifestum eundem esse lunarem, & purgationis muliebris mensem, si mulier ipsa non malè affecta sit.

His visis ratio eadem quæ ex luna, etiam in mensium purgationibus habetur: nam decimestres vocant mulieres, cum nouem mestruis purgationibus caruerint: nouimestres autem, cùm octo: & septimestres, cùm sex. Si igitur mulier concipiat in medio mensis, iuxta lunæ plenitudinem, habebit in 163. diebus sex retentiones menstruorum: quare natus tunc, mulieri videbitur septimestris. Si autem concipiat post medium mensis, videbitur etiam septimestris ante 163. diem: sed non erit vitalis, quia non est assecutus perfectionem pleniluniorum, aut nouiluniorum, nisi edatur fœtus post dimidium mensis, in quo solebat purgationes mulier habere iuxta initium: quare breuissimum spatium erit, cùm conceptus fuerit in fine mensis ante purgationem: nam editus post dimidium mensis sextæ purgationis, viuere poterit: eritque septimestris 163. dierum: idem si fuerit conceptus ante medium mensis parum, & editus post initium sexti mensis: summam tamen perfectionem assequitur in dimidio anni, quanquam prius sit septimestris etiam. Et quod dico de septimestri, dictum velim de aliis.

Ex hoc patet, quòd si quis vellet tueri Polybium, posset dicere, quod septimestris fit, quotiens sol ex signo signiferi in illius oppositum, quod est à primo septimum, transierit: hoc autem in diebus 152. fermè contingere potest: quanquam talis septimestris non possit viuere, nisi cùm habuerit firmitatem in vtroque: id est distéterit aliquod partibus ab initio septimi, & à fine primi: velut si puer concipiatur sole existente in 13. parte Scorpij, & oriatur sole existente in 3. parte Tauri, tunc natus erit 7. mense, & tamen in diebus 170.

Eadem ratio tenet in decimestri, qui in 280. diebus nascitur, quemadmodum dictum est: quòd potest videri etiam vndecimestris non tantum iuxta 295. nam ponamus quòd vigesima die à purgatione sit conceptus puer: infra decem dies numerabitur mensis à muliere: cùm videat se non pati purgationes inde: in 266. diebus præterit tempus nouem purgationum completarum, igitur 275. videbitur explesse decem menses, si itaque pariat 280. die, videbitur peperisse quinta die vndecimi mensis.

Quòd autem conceptiones fiant post purgationem multis diebus, declarat hoc modo: Quæ debent concipere, oportet vt vterus habeat sanguinem: quæ igitur copiosè purgantur quanto copiosius, eo diutius: & quanto diutius purgationem patiuntur, eò celerius vterus sanguine repletur: quæ igitur purgantur tribus diebus tantum concipiunt sanguinis in decem diebus, & est mensis tertia pars, quod possunt concipere. Requiruntur tamen dies decem antequam possit concipere: & quæ purgantur quinque diebus, requirunt saltem sex dies, antequam concipiant. Omnes igitur mulieres quæ purgantur in vno die, vel duobus, aut tribus, concipiunt in fine mensis, vel in medio, vel saltem post decem dies. Igitur omnibus his longius tempus gestationis in vtero progredi videtur. Et hæc interpretatio propior est veritati: alia autem, quòd vni diei tribuantur decem dies, duobus autem dimidium mensis, tribus duæ tertiæ eius, est propinquior verborum sensui textus Hippocratis.

Verùm si quis dicat, quòd inconuenit vt menses habeant 44. dies: Respondeo, quòd mensis in nulla muliere potest comprehendere plusquam 30. dies: suscipit tamen variationem respectu diuersarum, quæ quidem extenditur ad 44. sicut signum cœleste exoritur in diuersis partibus anni, in omni parte diei: puta Aries, nec tamen sequitur, quòd

quòd Arietis ortus possit perdurare per totam vnam diem : cùm non attingat ad duas horas in medietate nostra habitabilis terræ.

Est etiam considerandum, quòd Aristoteles cùm dixit, septimestrem fœtum esse magna ex parte infirmiorem : intelligit quia maior illorum pars violenter, & casu nascitur : nam spontaneus septimestris vt diximus, validior est nouimestri, & decimestri: sed hic rarissimus est, vt docuimus ronnibus superioribus.

Est autem differentia inter Septimestrem violenter natum,& Abortiuum : nam Abortiuus dicitur, qui natus est eo tempore, quo nullo modo viuere potest, vt trimestris : & quadrimestris : & talis habetur à lege ac si non nasceretur : natus autem violenter septimo mense,, etsi parum viuat, abortus dici nequit : quia tempore suo natus est : in quo si sponte natus esset, aut minore cum violentia saltem viuere potuisset : talesque mutant instituta successionum plerunque.

Circa quod sciendum est : quòd temporis prolixitas nunquàm per se est impedimento vitæ : sed natura eam non patitur. Breuietatem autem natura fert, sed illa vitæ obest. Vnde quantum sit ratione temporis, octimestris est vitalior septimestri:& nouimestris octimestri : & decimestris nouimestri : & vndecimestris decimestri. Causa autem quæ facit vt decimestres videantur minus vitales, quàm nouimestres, est corporis magnitudo, quæ laborem in nascendo præstat, ex quo affligitur fœtus. Altera, quòd tales, vt ostensum est, concepti sunt plerunque per paucos dies ante purgationem : vnde primam formationem impuram sortiuntur. Est & in his qui excedunt dies 280. ratio quadraginta dierum. octimestres igitur quamquàm careant & ratione mensium, & quadragenarum, moram tamen diuturnam traxerunt in vtero : & ob id plerunque etiam viuunt. Et quidam nobilis habens duos filios, eos habet ambos octimestres : & ambo in infantia vsque ad extremum vitæ discrimen peruenere. Si igitur sit lex (vt apud Armenios) quòd maritus possit dimittere vxorem impudicam : & aliquis reuertens ex longinqua regione cum vxore concumbat, per duos aut tres dies pòst iterum abeat, & reuertatur, inueniens vxorem peperisse filium sub certo tempore octaui mensis sospitem, & iam tempore validiorem factum, vxorem non potest vocare in ius ob hoc. Et similiter si (vt contigit Romæ, Gellio autore) priuilegium sit trium natorum, (quod nunc solum in duodecim obseruatur) habeat autem aliquis vndecim filios, & ex certa computatione exoriatur illi octimestris, duodecimus gaudebit hic priuilegio:& si protinus moriatur : & eodem modo mater enixa posthumum octimestrem viuum,illo paulo pòst mortuo,excludet agnatos ab hæreditate mariti : vbi seruatur lex vt mater filio succedat,& causa in his est, quòd ratio naturalis præponi debet, causis sumptis ex syderibus, & numerorum obseruatione.

Et si quis dicat ; Quis magis vitalis est, septimestris an octimestris? Dico, quòd septimestris : quia habet rationem numeri, & si in mora vincatur ab octimestri, natus autem intra 182. diem & supra 163. parum differt ab octimestri.

Ad id Philosophi, quòd fœmina tardius formatur, ac mouetur : ipsemet respondet per sequentia verba : & reliquam distinctionis effigiem breui tempore accipit : quod etiam post ortum obseruat : celerius enim masculis fœminæ adolescunt, vnde in totum Hippocrati Philosophus consentire videtur. Fuerunt quidam, qui se explicuerunt ab his difficultatibus, dicentes, medicas propositiones esse tantum veras vt plurimum : non necessarias. Si per hoc intelligunt. Vt plurimum, id est maiori ex parte tantum, tunc medicina non plus erit scientia, quàm ludus aleæ : in quo contingit vt plurimum rectè agere : & nulla est tam fortuita res, in qua si mentem adhibeas, non liceat maiore ex parte diuinare. Si autem per, vt plurimum, velint tantum excludere illam exactam veritatem, ac necessitatem, quæ habetur in mathematicis quo ad nos, & in sempiternis quo ad naturam : nemo hoc iure negare debet. Verùm in his non miracula, sed regulæ pro lege habendæ sunt : neque enim, etsi contingere possit, quisquam filium post 14. à discessu suo natum mense, pro suo habebit. Vnde rectè dixit Euangelista, quòd Ioseph voluit dimittere Mariam, cùm esset prægnans, absque suo congressu : stultum enim fuisset miraculum præsupponere. Sed retinuit, quia occultum miraculum, apertissimum ex Angeli monitu confirmauit.

CONTRADICT. IX.

Argentum viuum si in aurem cadat an plumbo extrahendum.

ARgentum viuum si in aurem cadat, debet extrahi plumbo stylo, dicebat Rasis 8. ad Almansorem cap. 42. sed Princeps sexta quart. t. 1. Summa prima cap. 2. damnat hanc curam : hac ratione vel argentum viuum est in profundo, & ad ipsum radius peruenire non potest : vel est in summo, & tunc saltu & concussione super partem auris eiicitur. Græci non loquuntur de hoc: veruntamen Paulus lib. 3. cap. 23. & Aëtius lib. 6. cap. 75. de aqua medicata loquuntur: quæ cotto vel lana extrahi debet iuxta illorum sententiam : quare ratio Principis posset debilitari. Sed tamen longe diuersa est ratio argenti viui, & aquæ, hos nullus concordet cum Princeps dicat (& ille.)

CONTRADICTIO X.

Acetum scilliticum an leniat asperam arteriam.

SCilliticum acetum iuuat asperam arteriam, 2. Can. cap. 597. at cap. 652. dicit; quòd eam asperiorem reddit: cùm etiam prius dixisset, quòd confert vocis asperitati: verùm addit, cum melle sumptum. At verò quòd iuuet, declarat in secunda autoritate, cum dixit: Exasperat guttur, & duriorem illius reddit carnem. Forsitan quis quærat iure, cur duo capita fecerit Princeps imitaturus, vt existimo, Dioscoridem, qui lib. 2. duo capita facit 159. quidem de Scilla, 160. de Pancratio, quod est scillæ genus debilius, ob id scilliticum etiam acetum quod maiore scilla constat iuuare poterit arteriam asperam, vincente vi cillæ acetum, at quod minore constat scilla, potius exasperabit, quando in eo vincat vis aceti: porrò quòd scilla raucedinem tollat, Paulus declarauit in 3. lib. quòd acetum excitet, diffuse Gal. in libris de Simplic. medic. Coniunctis igitur generibus diuersis maioris minorisque scillæ clara est differentia. Verùm in 3. libro de Facile parabilibus, iuxta finem (qui libet etsi Galeni non sit, est tamen egregij alicuius) dicit, quòd acetum scilliticum si quis eo vtatur, facit vt vox bene habeat: ideóque virtus scillæ vincere videtur in aceto scillitico. Videtur autem Galenus lib. 7. cap. 1. de Compositione medic. secundum locos, hanc dubitationem dissoluisse: nam inquit: Raucedo & asparitas vocis quandoque fiunt ob materiam defluentem, aut loco immersam, tuncque dissecantia & attenuantia maximè conueniunt: eadem non parum nocebunt, si ex clamore, vel phlegmone oriatur.

CONTRADICTIO XI.

Lactuca an calefaciat, an sanguinis & lactis copiam generet.

LActuca cùm in sanguinem conuertitur, plurimum operationis eius est calefacere: secunda primi Doc. secunda: Summa prima cap. 15. oppos. 2. can. t. 2. cap. 449. vbi reprehendens eum qui dixit, quòd est frigida in tertio: tandem statuit eam frigidam in secundo. Quibusdam videntur hæ dubitationes leues, cùm ipse Princeps eas dissoluere videatur. Sed tamen non sunt contemnendæ, cùm facilius sit inuenire, quàm diluere. Ergo quibusquam satisfactum videtur, cùm dixerit, quòd calefacit: quoniam plurimum generant sanguinem: est autem sanguis natura calidus, ob id augumentum naturali calori præstare videtur. Ad hoc facit, quòd Dioscorides libro 2. dicat, eam generare lactis multitudinem, quare etiam sanguinis: siquidem lac est sanguis ad albedinem commutatus. Plinius etiam lib. 20. sanguinem plurimum generare credit. Sed hanc responsionem Galenus 2. de Alimentis euertit, negans eam sanguinem multum producere. Forsitan in hoc Dioscoridem defendemus, dicentes, illam lac generare, non sanguinem. Sed responsioni obstat Gal. 5. de Simplicib. medic. cap. 21. qui lac generantia etiam in calida & sicca mala intemperie, calida vult esse, & humida. Sed ad primam reuertamur contradictionem: nam & dioscoridi Plinius aliquando subscripsit, ratus eam herbam nutricibus commodissimam, quòd multum ac boni alimenti lac illis suggeret. Constat itaque non sic lactucam calefacere. Alij dicunt, quòd calefacit, quia etsi sanguinis parum generet, illud tamen parum augumentum facit in naturali calore. At verò num intelligunt de sanguine temperato? Hoc non: nam Princeps subiicit, quòd talis sanguis per tempus decliñat ad frigidum, & humidum. Vel igitur auget calorem in sanguine, vel in toto: non in sanguine, cum sangui: ille fit frigidior temperato: nec in toto, cum plus generet de humoribus frigidis, quàm de sanguine. Aliter, vt Galenus vult 2. de Alimentis, esset alimentum absolute bonum, non in comparatione tantum ad olera. Dicetur: quòd auget calorem naturalem extendendo ipsum ad maiorem materiam, & non augendo illius qualitatem, vt fiat intensior: & hoc modo calefacere dici poterit: ex hoc sequitur quòd immoderatus eius vsus nocere non poterit: quia semper augebitur calor, vbi concoquatur. Si dicas quòd nimium refrigerabitur sanguis: igitur talis auctio nihil prodest, postquam minus de calore adest. Respondeo, quòd calor est minor in comparatione ad materiam in capite 249. Serapionis ex Galeno corrige: vbi dicit, Lactuca & si generet sanguinem multum, non tamen malum: Lactuca & si non multum sanguinem generet.

CONTRADICT. XII.

Mala granata an ventriculo noxia.

MAla granata nocent ventriculo, 2. can. cap. 320. & cum hoc grana granati nocent ventriculo dicebat ille: & tamen prius laudauerat illa: dicens quòd dulcia conferunt ventriculo, propter leuem vim quam habent astrigendi: & cum hoc videatur damnare acetosa in vtroque casu, ibi dat tamen illa 16. tertij trac. 1. cap. 4. in fine, in cura fluxus cum cotoneis tanquam astringentia. Rasis tertio ad Almansorem 20. Granata remouent vomitum, & Auer. 5. Collect. 40. Mala granata habent mirabilem proprietatem in prohibendo putredinem in ventriculo. Sed hæc nihil ad rhombum: nam dictum Principis videtur esse de ventriculi substantia. Galenus 2. de Alimentis recitat Hippoc. dictum 2. Epidem. post initium de Charionis vxore, quæ liberata est à cordis dolore, ac vomitu. Illud adiicere videtur Princeps quòd acerosa ventriculo noceant: nam Galenus

lenus ea non sic exprobrat: quin laudet quæ sint gustu iucunda: grana tamen nocent ventriculo, non quia substantia praua: namque Dioscorides cap. 127. primi libri, hanc diluit difficultatem: omnia enim punica mala ventriculum iuuant, præsertim dulcia: acida verò æstuanti ventriculo magis conferunt: ob id leuitati intestinorum prosunt, Principis autoritate. Acini autem in sole siccati ac in puluerem redacti distillationibus in ventriculum auxilio sunt. Nihil igitur aliud Princeps voluit, nisi vt ab acinis recentibus, & à succo vehementer acidorum abstineremus.

CONTRADICT. XIII.

Galenus an dicta repetat.

GAlenus primo de Alimentis cap. 1. iuxta initium: Semel duntaxat de quaque re scribere soleo, non eadem in multis commentariis passim inculcans, idem in cap. 10. eiusdem, at prima Aphor. 12. vt pro infinitorum exemplo vnum adducam: repetit dicta: atque idem quotiens? nam in libro de Propriis libris, recitat quotiens de eadem re tractauerit: præcipue de dissectione: prima igitur autoritas intelligenda est cum tribus exceptionibus. Primò, quando colligit ratione epilogi dicta diffusè vt primo de Symptom. cau. c. j. Secundo, cùm tractationem longam in libellum redigit: vt j. de Alimentis. j. in fine capituli. Et hoc modo scripsit libros ad Glauconem, cùm tamen eadem alibi ipse fermè scripserit. Et hoc testatur in pricipio libri primi, cùm ratione modi tractandi, vt in primo Artis medicæ primo docetur. Nam cùm sint tres modi doctrinæ, tres erunt modi etiam tractandi vnamquanque rem distincti.

CONTRADICT. XIV.

Lilium an ventriculo inimicum.

LIlium nocet ventriculo, & proprie oleum eius, 2. Can. cap. 444. at. 13. tertij trac. 5. cap. 3. laudat oleum de lilio in ventricali inflatione. Quidam emendauit de nigella: & est Melanthium. Galenus autem octauo de Medicamentis secundum locos, dum composita Andromachi refert penultimum auxilium ad ventriculi dolores, ex Nicostrato habere Iridem: & in Asclepiadis auxiliis quæ exterius applicantur, medicamentum Poliarchi iuxta finem eandem recipit. Data etiam est regula à Galeno 7. Artis curatiuæ, cap. 4. quòd odorata omnia videntur auxiliari ventriculo, vt talia sunt, non repugnante qualitate. Respondeo, Nigella pro lilio legenda primo est: exterius autem nihil prohibet lilij radicem prodesse, iuxta Galeni generale præceptum: est enim non parum odorata, immixta aliis dolorem leuare potest, vnde etiam mandragoram huius causa odoratis admiscemus: quam tamen quantum possumus iuxta Galeni præceptum vitare debemus. Porrò inter stomatica medicamenta, Galenus Iridis radicem refert, vtpote aromatis vim habentem 7. Artis curatiuæ, si exterius adhibeatur.

CONTRADICT. XV.

Lens an frigida.

LEns calida est & sicca, Galenus lib. de Regimine victus priuatorum, Com. 2. at in octauo de Simplic. medic. connumerat eam inter temperata simplicia. Serapio ex autoritate Hippoc. 6. Epidem. dixit eam esse temperatã in caliditate: si modò declinat, ad calidum declinat: de siccitate non est ambiguitas. Verùm Hippocratis verba aliud sonant: inquit enim paulo ante medium eius libri, ψυχρότατον βρῶμα, φακοὶ, κέγχροι κολοκύνθαι. Galenus commento 33. quintæ sectionis exponens: negat lentem frigidam esse, quonam igitur pacto frigidissima esse poterit, cùm ad calidum declinare lentem existimet? Quo fit, vt apud Serapionem legi debeat: Et dixit Galenus 6. Epidem. cum cortice igitur calidã est, excorticata temperata.

CONTRADICT. XVI.

Coriandrum an frigidum.

COriandrum ex terrea parte ac tenui, tum aquea tepente substantia compositum est: inquit Galenus 7. de Simplicib. medic. cap. proprio, de coriano. Princeps 2. Can. cap. 144. reprehendit Galenum, dicens: quòd aquea substantia frigida est de se: quòd si tepida sit, erit hoc propter substantiam subtilem quæ celeriter separatur. Secundò reprehendit eum, quòd dixerit, contra dicens Dioscoridi, ipsum non esse frigidum: nam illius frigiditatem comprobauit etiam Ruffus, & Archigenes, clari medici. Adducit autem rationem, Succus eius interficit infrigidando, igitur non potest esse absolutè calidum: sicut ipsum posuit Galenus, quamobrem statuit ipsum calidum modicè: sic tamen vt caliditas illa esset ex partibus subtilibus facillime & celerrime euanescentibus: siccum verò in secundo. Cùm verò dixit: Natura frigidum est, in fine primi, vsque ad secundum, loquitur de mente aliorum. Quia tamen Galenus adducebat contra Dioscoridem argumentum, dissoluit dura apostemata, & non conuenit erisipelati, nisi permixto ex materia frigida, aut iam in declinatione existenti. Respondet, quòd hoc est à proprietate, & quòd frigiditas eius coniuncta parti calidiori, ad profundum penetrat. Hoc etiam secundum argumentum aduersus Galenum adducit Serapio cap. 34. & quanquam videatur validum, non tamen viderunt Arabes, quòd eadem solutio stat

pro Galeno, quæ adducitur pro Principe & Dioſcoride: dicet enim Galenus, quòd interficit, non quia frigidum in vltimo, ſed quia corruptiuum humani ſpiritus: caliditate enim penetrare facit malam quam habet qualitatem. Ideo hæc reſponſio magis militat pro Galeno, quàm pro Dioſcoride. Neque verò exiſtimandum eſt, Galenum latuiſſe hanc letalem coriandri vim, quàm non ſolùm lib. 6. cap. 9. enarrat Dioſcorides, vbi de venenis agit: ſed etiam in capite proprio, vbi à Galeno reprehenditur. Turbat autem ſenſum ad modum ebrietatis cuiuſdam, vt fatetur Dioſcorides. Quare non frigidum hoc dicemus venenum, ſed potius occulta qualitate homini infenſum: iuſtéque & audacter Galenum ab infamia liberabimus. Nam quod ad aqueam ſubſtantiam tepentem attinet, nemo ignorat illam non ſimplicem eſſe, ſed mixtam: nam talem acribus medicamentis ineſſe neceſſe eſt, vt habetur 4. de Simplic. medic. cap. 19. At dicet quiſpiam, Princeps ipſe frigidum fatetur in ſecundo, ſiccum in tertio: tractatu ſecundo de viribus cordis. Ego hanc autoritatem nulli facio: quandoquidem tractatus ille potius eſſe videatur filij Viregi, inuentus inter libros Principis, vt ſolent aliquando libri ſine titulo inueniri: phraſim enim non redolet Principis: quicquid ſit, ſi modò liber ille apocryphus non eſt, ab Auicenna ante Canonis librum compoſitus eſſe videtur. Sed mirum eſt de Raſi, qui tertio ad Almanſorem 17. ponit illud frigidum, & 23. Continentis cap. 651. ponit calidum: & reſpondet pro Galeno Dioſcoridis rationibus, recitatque Ioannitium dicentem, quòd eſt calidum, Hippocratis autoritate quæ habetur 2. de Victus ratione. Verba autem ſunt: Coriandrum calidum eſt, ſiſtit, cruditatem diſcutit, ſomnum facit, poſt reliqua cibaria ſumptum. Auerroës etiam ipſe 5. Collectaneorum, in dictione cusbera, calidum ipſum ſtatuit: differentiam tamen habere oportet ſucci, & ſubſtantiæ viridis & ſicci.

CONTRAD. XVII.

Coriandrum an comitiali morbo conueniat.

IVxta illud quæri ſolet, an coriandrum comitiali morbo conferat, vt 2. Canonis capite proprio, at prima 3. tract. 5. cap. 11. iuxta principium, & ego vitupero coriandrum, & eius multiplicationem niſi in ſanguinea & bilioſa epilepſia quare non videtur eſſe calidum, ſed frigidum: nec conuenire ratione morbi, ſed vaporum aſcendentium. Sed quomodo hoc, cùm ſomnum prouocet, & noceat oculis, & inebriet ſuccus eius? propterea videant qui eo vtuntur ad comprimendos vapores: vt in trazea appellata Mediolani: in qua ingreditur cinamomum, coriandrum, citraria, adeò vulgata, conſtat enim quod addit in cauſam replendo cerebrum. Sed hoc tranſeat, cùm inter multos error ſit minimus: volui tamen monuiſſe, ſi autem in parua quantitate pro vehiculo bonum. Sed dicent quidam, Serapio autoritate Alexandri dicit, quòd confert morbo comitiali à ventriculo, prohibendo vapores. Ego Apud Alexandrum Trallianum nihil tale inueni: verùm cum ſexcenta habeamus quæ vapores haud dubiè, & abſque noxa, & abſque periculo comprimant: cur in tam euidenti dubitatione, ac periculo, coriandro vtemur? quòd conſtat, vſu diuturno cerebrum non mediocriter offendere.

CONTRAD. XVIII.

Atra bilis an ſanguinis fex.

HVmores quatuor ſunt, Bilis, Sanguis, Pituita, Melancholia, prima primi doc. 4. cap. 1. vnde poſt medium, ponam autem verba propria: Choleræ autem nigræ alia naturalis, alia non naturalis ſuperfluitas. Naturalis eſt boni ſanguinis fex, & ipſius reſidentia, cuius ſapor inter dulcedinem & ponticitatem exiſtit: ita quòd quatuor humorum primus eſt ſanguis, ſecundus bilis, & in his non eſt dubitatio: tertius eſt pituita, quartus autem melancholia, ſiue niger humor. De pituita eſt difficultas in generatione, ſed in melanholia difficultas eſt de ſubſtantia. Rurſus igitur in eodem capitulo inferius loquens de melancholia præternaturali dicit: Alia autem eſt cinis melancholiæ naturalis. Et rurſus cap. 2. Eiuſdem melancholiæ autem hypoſtaſiuæ cauſa efficiens eſt calor temperatus. 2. autem primi doct. 3. cap. 7. dum ponit ſigna quatuor humorum abundantium, choleram nigram vocat: quam ſi exiſtimat atram bilem cùm ſupponatur quartus humor, iam contradicit ſuperioribus: ſi autem fecem ſanguinis, oſtendemus dicta Galeni de hoc, item quarta primi cap. 4. exemplificans de medicina purgante dicit de illa quæ purgat melancholiam ſolam, relinquendo alios humores. Idem prima 3. tract. 1. cap. 29. cùm materiam euacuare volueris: iuxta medium, declarat ea quæ purgant caput laborans bile, inde ex pituita, & poſtmodum ex melancholia: & generaliter omnia Principis dicta ad hoc tendunt, vnde primo Canticæ 67. & ſequentibus, Situs choleræ nigræ eſt in ſplene, nec eſt falſa opinio iſta. Turbulentia autem ſanguinis naturalis eſt: quælibet autem ab iſta præternaturalis, quæ proculdubio generatur ex aduſtione & commixtione aliorum humorum. Auerroës in commento confirmat dictum, & dat rationem: ſicut enim bilis flaua trahitur à polifeli, ſic quæ eſt vt fex ſanguinis à ſplene. Iam verò declarauerat in verbo 56. quòd corpus noſtrum quatuor conſtat humoribus: ſanguine, bile flaua, pituita, & melancholia: hic autem declarat, quænam ſit melancholia, quæ eſt quartus humor: cùm iam de aliis dixiſſet, idem confirmauit. Auerroës 2. Collectaneorum 1. iuxta finem, & Haliabbas 1. Theoricæ 25. ponit nigram choleram naturalem, frigidam, & ſiccam, ſic ſe habentem ad ſanguinem, vt fex ad vinum. At verò aliter videtur ſenſiſſe Galenus, qui non fecem ſanguinis, ſed atram bilem

bilem facit quartum humorem: vnde 2. de Elementis cap 6. Hippocratis verba recitans dicit, Πρὸς δὲ τὸ, διττὰς μὲν χολὰς ἀναμεμίχθαι τὸ αἷματι διὰ παντὸς ὤχραν καὶ μέλαιναν. id est, Duas quidem biles per totum sanguinem immisceri, flauam & nigram, & rursus cap. 7. ὁπόταν γὰρ πίῃ τις φάρμακον ὃ, τι χολὴν ἄγει, πρῶτον μὲν χολὴν ἀμέει, ἔπειτα δὲ φλέγμα, ἔπειτα δὲ ἐπὶ τούτοις χολὴν ἐμέει τὴν μέλαιναν, id est: Si quando quis biberit medicamentum quod bilem ducat, primò quidem bilem euomit, post pituitam, post hæc autem nigram educit bilem. Inferius verò dicti rationem reddens inquit, βαρυτάτη γὰρ αὕτη καὶ παχεῖα καὶ δυσκίνητος. quod est: Grauissimus enim hic est, densusque, ac motu difficilis. In his omnibus obseruare decet, quòd χολὴν hunc humorem, id est bilem vocat: non simpliciter humorem nigrum, sed bilem nigram: fateturque eum toti immixtum esse sanguini: tum verò quòd hic verterunt interpretes modò atram, modò nigram bilem nihil afferre differentiæ: quandoquidem apud Græcos hoc vno nomine constet, quod est μέλαινα id est nigra. Sola igitur differentia videtur ex hoc, quod est, humorem esse nigrum, aut bilem nigram, iam enim hic sole clarius liquet quartum humorem atram esse bilem. Modò audi quæ dicat tertio de locis cap. 7. Sed ea quam feci crassæ similem esse dixi, in terram effusa non inducit feruorem, nisi fortè in ardente febre ipsam præassari contingat: neque vlla etiam acida qualitate participat: tumque ipsam nominare consueui melãcholicum sanguinem. Hæc enim meo quidem iudicio non rectè atra bilis appellari potest: & 4. Aphor. 21. super illud, Deiectiones nigræ qualis est sanguis: cum inquit, περὶ τῶν διαχωρημάτων αὐτῶν νῦν ὁ λόγος ἐστὶν, ἅπερ ὀνομάζεται μὲν ὑπὸ τῶν παλαιῶν ἰατρῶν μέλαινα, μέλαινα δ᾽ ἀκριβῶς οὐκ ἔστι χολὴ, τὸ γὰρ δριμὺ καὶ διαβρωτικὸν, καὶ ὀξῶδες οὐκ ἔχει, πολὺ δὲ δὴ μᾶλλον οὐδὲ ζυμοῖ τὴν γῆν ἐγχεόμενα κατ᾽ αὐτῆς, ἀλλ᾽ ἔστιν ὥσπερ ἂν εἴ τις εἰκάζων εἴποι σαφῶς, οἷον ἰλύς τις αἵματος οἷα καὶ τοῖς παχέσιν οἴνοις καθισαμένοις ὑφίστασθαι πέφυκεν, ἣν ὀνομάζουσι τρύγα. Quod est: De deiectionibus nunc ipsi est sermo, quæ à priscis quidem medicis nigræ vocantur, bilis verò nigra exquisitè non est, nam acre, & corrodens, & acidum non habent, multo verò magis neque in terram effusæ bulliunt: verum est sicut si quis eius describens imaginem manifestè, diceret veluti sanguinis limus, qualis & vinis crassioribus iam consistentibus solet subsidere, quem fecem nominant. His non obscurum est, ipsum sentire, aliam esse sanguinis fecem, alium autem humorem atram bilem: nam fex sanguinis, tum cæteræ superfluitates, humores non sunt, sicut nec aquositas: vnde prima Aphor. 2. connumerans humores, & quæ continentur in venis, enumerat primo pituitam, & post vtranque bilem, post sanguinem, & serosam superfluitatem: inquit enim, καὶ δὴ καὶ ὀῤῥὸς αἵματος, ἐκείνου, & si serosa sanguinis, ipsa, adiicitur superfluitatibus & excrementis suum quasi substantiuum, non autem humoribus: neque enim conuenit dicere Bilis sanguinis: aut, Pituita sanguinis: sed Serosa sanguinis pars, Fex sanguinis, & similia. Differt igitur nigra bilis à sanguinis fece. Est etiam nigra bilis frigida & sicca, sanguinis fex humida & calida: sicut & fex vini, & olei suorum humorum naturam agnoscunt. Non est igitur fex sanguinis atra bilis. Humores etiam actu distinguuntur apud Galenum, quomodo igitur atra bilis pars synceri sanguinis esse potest? nec daretur quartum genus febris, quia fex non separatur à sanguine. Sed argumentationibus omissis, seriem Galeni inspiciamus, vbi rem ipsam, vt aliàs diximus, acuratissimè pertractat. Cùm itaque in libro de Atra bile, cap. 2. descripsisset sanguinem, quòd sit ruber colore, ac concrescat: mox serosam superfluitatem, quæ illi innatans inuisitur, post subiungit: Porrò similis crasso atroque sanguini humor conspicitur alius, quem vomentes & deiicientes sæpe excernũt: nec tamen, quamuis multo tempore sub dio habeatur, gelascit: atque huius quidem ipsius interdum sensus vomentibus prouenit acidi simul atque acerbi: quandoque verò nullam quæ percipi queat, qualitatem habentis. Post in tertio capite, digressione peracta, inquit: Quoniam igitur non concrescit, ab atro quidem sanguine distincta est: non tamen & ab his quæ proprie nigra nominantur: nam & talia sæpe numero vomuntur & deiiciuntur, quæ ab atra bile quamplurimum non solùm facultate, sed etiam qualitatibus quoque sensibilibus differant: quippe hæc neque acerbitate, neque acore, manifestè participant: cum bilis atra tum gustu ipsam vomentibus, tum olfactu non illis solum, sed aliis quoque innotescat: quin ne terram quidem, vt illa, fermentant. Sed quamuis in hoc quoque aceto similis acerrimo sit, crassis tamen substantiæ partibus pugnantissime disposita est. Ergo quòd atra bilis alia sit à sanguine, satis clarum est, tum eius fece: nam sanguinis fex concrescit, non solum sanguis: cæteri humores non concrescunt: nam & Philosophus cùm causam redderet, cur sanguis coëat, 3. de Natura animalium 19. & 2. de Partibus 4. dixit quia fibras habet: ob hoc detractis fibris, non amplius coit sanguis: neque igitur humores alij coëunt à sanguine, neque atra bilis, cùm sit humor: Non est igitur atrabilis sanguinis fex. Auerrois etiam sententia humores potentia tantum in sanguine sunt, cùm corrumpuntur: at vt vas fellis bilem flauam continet, 3. Collectaneorum 4. si lienis atram: ob id igitur, iuxta Auerrois sententiam, atra bilis quæ actu in nostro est corpore, nullo modo in sanguine continetur: at quæ potentia est, quis dubitat magis ex crassiore sanguinis parte constare illam, quàm ex alia? Galenus etiam reddens rationem, cur natura nullum vas peculiare pituitæ constituerit 2. de Naturalib. facul. cap. 9. dicit, quoniam sanguini pituita immiscetur. At si eodem modo atra bilis sanguini commiscenda fuit, non opus fuit liene, vt ab ea sanguis expurgaretur. Si enim bilis flaua sanguini immixta illum reddit impurum: quonam pacto atra, quæ flaua longe deterior est, sanguini potest immixta esse? Sed iam clarè loquentem Galenum audiamus

diamus 2. de Naturalib. facul. cap.9. iuxta medium: In sanguine generando quicquid abunde crassum, ac terreum, ex ciborum natura in nutrimento fertur, nec commode à naturali calore alteratur, id lien ad se trahit: Quod verò assum, vt sic dicam, vsumque nutrimenti est, fuerit sanè hoc calidissimum, in eo atque dulcissimum, qualia sunt tum mel, tum adeps, id cùm flaua bilis factum est, per vasa vocata fellis expurgatur. Inde sequentibus verbis paulo post: Pari modo & id nigri succi, quòd nondum illam velut ebullitionem fermentationemque terræ efficit, est naturale: quod autem in talem mutatum est vim, ac speciem, id iam præter naturam est: ceu quod ex vstione non naturalis caloris acrimoniam adsciuerit, ac veluti cinis quidam euaserit: sic quodammodo fex vsta à non vsta dissidet: illa namque admodum calida est, adeo vt carnem vrat, liquefaciat, ac corrumpat: altera quæ nondum exusta est vim habeat refrigerandi, siccandique. Demum post pauca: Verùm seri genera, quæ in succis habentur, omnia sunt excrementa, purumque ab his postulat esse corpus animalis: ea verò, quæ prædicta sunt, vsum aliquem naturæ conferunt, & quod crassum est, & quod tenue, purgaturque ab iis sanguis, tum per lienem, tum per eam quæ iecinori subest vesicam. Seponitur verò tanta talisque potio vtriusque, quanta qualisque si in totum ferretur animalis corpus, noxam aliquam inferret. Quod enim est crassum, ac terreum, ac prorsus eam quæ fit in iecinore mutationem subterfugit, lien ad se trahit: Quod verò mediocri est crassitudine idque absolutum iam est, id in totum corpus fertur: requirit enim sanguis in non paucis animalis particulis crassitudinem quamdam: æquè, vt arbitror, & quæ in ipso feruntur fibras. His exploratis & quæ in 4. capite libri de Atra bile subiiciuntur: quòd ipsa, cùm in corpore fuerit, vehementissimos excitat morbos cancrum, lepram, ac talia: vt etiam difficultas intestinorum, si ab atra incipiat bile, lethalis sit: intelligendum est iuxta Galeni sententiam, nomen Atræ bilis tria significare: humorem simul cum sanguine genitum, qui in venis continetur: & de hoc non verum est, quòd incipientibus morbis si appareat, sit letalis, nec difficultas intestinorum ab ea incipiens mortem affert. Rarissimè tamen accidit hoc, quia vix à sanguine potest separari: ideóque sine violentia non excernitur. Apud Auerroëm tamen hic humor non est, sed sanguis niger tantum, & in hoc sensu veteres post Hippocratem intellexerunt atram bilem, ideò Gal. 3. de Locis, hanc significationem & nominum institutionem ad Hippocratis consuetudinem restituit. Est & Atra bilis quæ à liene secernitur: quam haud dubie Auerroës & Galenus humorem actu esse volunt: sed & his, vt naturalis, sæpe expellitur: & in difficultate intestinorum, & in initiis morborum, & tamen sine noxa: melius tamen ab Hippocrate dicitur Nigrum, sine bilis adiectione, vt in Aphor. 21. par. 4. deiectiones nigræ: & ibi, Infra autem nigra deiecta bonum est. Et ego sum expertus hoc anno difficultatem intestinorum adolescentulo sic exortam, nullum timorem attulisse, quamuis copiosum etiam emitteret sanguinem: quia atra bilis hæc naturalis est: & de hac loquitur Galenus & Auerroës, cùm quatuor humores enumerant: sed in hoc differunt, quòd Galenus primam exquisitius humorem esse putat, secundam autem Auerroës: qui primam, humorem esse alium neget à sanguine. Tertium genus atræ bilis est, quod exustione, vel putredine corruptum est: & de hoc loquitur in Aphorismis, vbi eam letalem semper pronuntiat. De hac etiam Galenus sola disserit in libro de Atra bile, hîc autem non est quartus humor, nisi humoris nomen extendendo ad præternaturalem: cuiusmodi etiam vitream pituitam humorem dicere possumus. Ad argumenta dicimus, atram bilem per se siccam & frigidam: nec sic omnino est sanguinis fex, sed vt cinis quidam: sanguis autem ater ac niger fex est reliqui sanguinis: sed hic calidus ac humidus modicè est, velut & vini fex antequam exiccetur: & olei amurca dum humida est. Humores autem in sanguine distinguuntur, & sic vt vnus est spuma, sic alter fex, vt 2. Naturalium facultatum cap.9. reliqui extra venas etiam distinguuntur: qui autem est in splene, non est amplius fex sanguinis, sed propriam nigram substantiam habet. Ex hoc patet, quòd dantur quatuor genera febrium tam in venis, quàm extra. Ad Galeni autoritatem, non vt immisceretur sanguini caruit vase proprio pituita, sed vt per vlteriorem coctionem transiret in sanguinem. Ob id atra bilis cùm esset sanguini permiscenda, nec posset coctione melior effici, indiguit proprio vase, vt quod feculentum esset expurgaretur: nec bilis sanguinem vitiat, imò & ipsa illi est necessaria: quare atra bilis, nisi exuperet nimia quantitate, sanguinem non corrumpit, imò illi est necessaria, vt ex vltimis Galeni verbis deduximus. Apud Auerroëm tamen est alia ratio: cùm, vt diximus, fex sanguinis non sit humor actu, sed atra bilis tota in liene continetur. Ad id Philosophi, quòd solus sanguis concrescat, dico, quod per sanguinem intelligit aggregatum ex humoribus quatuor in potentia, vt vult Auerroës: aut in actu, vt Galenus: & ita fex sanguinis concrescit: vel quia est atra bilis solum in potentia, vel quia vt in venis continetur nondum peculiare nomen humoris sortita est. Si igitur exponas Philosophi dictum mutatis verbis non sententia, omnis tollitur difficultas, hoc modo. Solùm quòd in venis continetur, effusum concrescit (nam hoc apud omnes verum est, seu dicas humores in venis contineri, seu solum sanguinem) sed atra bilis, quæ in splene continetur, est humor alius omnino à sanguine: ideo non concrescit, nec est de eo difficultas.

CONTRA

CONTRADICT. IX.

Atra bilis an à calore temperato.

EX his emergit dubium, quoniam Gal. 3. Prognosticorum 28. reddens rationem, cur post ætatem consistētiæ aduenīant quartanæ, dicit: quia in ætate consistentiæ à calore generatur atra bilis, quæ antequàm euanescat, longo indiget tempore. Vel igitur loquitur de genita in iecore, quæ est quartus humor, & sic non erit hæc atra bilis, fex sanguinis, loquendo de ea quæ est etiam naturalis: vel loquitur de præternaturali, & sic non est verum, quòd non possit consistere in corpore humano sano, quin erodat membra ob suam acredinem, vt dicebatur de atra bile à Galeno cap. 4. Propterea dico, quòd atra bilis etiam naturalis fit à calore vehementiore, dum agit in materiam crassiorem: & ideo non est verum, quòd omnis atra bilis naturalis fiat à calore temperato. Sed ad dictum Principis respondetur, quòd per calorem temperatum oportet intelligere mediocrem, qui ratione siccitatis tamen operatur atram bilem. Sed hæc non videtur mens Galeni, quia fieret magis in ætate decrescente. Conciliator autem differentia 32. & si non viderit locum, vidit tamen difficultatem ipsam ex 2. Crisium cap. 12. cùm dixit: Sanguis ex moderato calore generatur, flaua bilis ex maiore, atra verò ex sufficienter immodico. Quicquid igitur in sanguine pingue est & tenue, si flaua bilis: crassum verò, ac veluti fex, quando immodicè calefactum exaruerit, atra. Respondet igitur, quod extrema frigiditas parit pituitam, extrema caliditas flauam bilem, mediocris sanguinem. Inter mediocrem caliditatem, & extrema duo, alia duo media locat: à media caliditate inquit generari sanguinem biliosum, à media frigiditate atram bilem. In qua responsione non videt, quòd tres vno verbo intolerabiles facit errores. Primum, quòd statuit quintum humorem biliosum sanguinem: patet, cùm constituat quinque etiam caloris genera. Secundum, quòd vult atram bilem generari à remissiore calore, quàm flauam: cuius oppositum Galenus in loco ab eo recitato declarat, cùm dixit: Ab immodico. Tertium, quód vult atram bilem fieri à calore temperato remissiore: cum Galenus dicat ἢ ἀμετρῶς ἱκανῶς. Satis immodice. Nec est, vt dicat illum de præternaturali loqui, cùm sanguini, pituitæ, & flauæ bili illius generationem comparet: nam & flaua ipsa secundum naturam est. Ipse etiam in 2. Artis medicinalis in capite de signis calidi ac sicci iecoris inquit: Quibus iecur calidum est, & siccum, his flaua bilis plurima est: consistente autem ætate, & atra: sed est difficultas, quoniam 3. de Locis cap. 7. ponitur atra bilis frigida, ac sicca. Respondeo, quòd non inconuenit, intelligendo de ea, quæ iam ad formam cineris redacta est: nam exurens talis esse non potest: nec inconueniens est, quòd à calidissimo agente fiat frigida materia, vt de igne & cinere. Pro quo intelligendum est, quòd 14. Artis curatiuæ, cap. 9. scribitur, vnum esse genus melancholici humoris, seu nigræ bilis, quod vt naturale est quotidie gignitur, putredine verò correptum, vel calore superassatum, prauas efficit ægritudines, & calidum euadit ac corrodens. Tu tamen hoc tantum intelliges, cùm collectum fuerit extra venas: nam, vt dixi, sanguinis fex frigida esse non potest, donec sanguinis substantia tota exoluta non fuerit. Gentilis post sex modos exponendi quos oppugnat, tādem ad hoc venit: quòd dicitur calor temperatus non ratione hominis sani: quia alij etiam generātur humores in sano: nec ratione qualitatis, quia productum esset temperatū, cùm sit frigidum & siccum: sed dicitur ad differentiam superabundantis, à quo bilis generatur: & diminuti, à quo pituita: ita quòd non est vera hæc oratio, Calor atram bilem generans superflue decoquit, aut diminutè: & ideo per abnegationem dicemus, quòd temperatè. Sed ista responsio non tollit difficultatem verborū Galeni: & etiam Princeps subiungit, quod caliditas iecoris facit ad multiplicationem atræ bilis: quod verum non esset, vbi illa fieret à calore temperato. Ad hoc dicerent, quòd ibi loquitur de præternaturali atra bile: vt tamen diximus ex Galeni verbis, etiam in 2. Paruæ artis, hoc est falsum, & experientia hoc ostendit: nam multi tales tamen sani permanent, quod esse non potest, vbi atra bilis præternaturalis existat. Ista tamen responsio fuit etiā Iacobi. q. 44. super primam canonis. Vgo exponit dictum Galeni de calore immoderato, ratione producti, non autem causæ efficientis: sic quòd solus sanguis à calore fit moderato: quia solus est temperatus ex humoribus. Si sic, fieret atra bilis ex calore diminuto, quod iam demonstrauimus falsum: & hæ imaginationes contingunt eis propter ignorantiam Græcarum literarum, & malam conuersionem: & quia parui faciebant etiam Galeni autoritatem. Propter hæc dico, quòd loco, temperati, debet iacere in littera Principis, Intemperati: vt legatur sic Melancholiæ autem hypostasiuæ causa est calor intemperatus. Hoc primò consentit cum verbis Galeni dicētis quòd fit à calore satis immodico: cōsentit cum ratione: nam omne terrestre fit per vlteriorem coctionem, vt declarat Philosophus de mari: neque enim aliter potest fieri aliquid humidum terreum, nisi superassetur. Consentit etiam dictis Principis sequētibus, cùm inter primas causas generationis atræ bilis multæ ponat primam caloris multitudinem in iecore. Manifestum est autem, quòd dictum illud est commune ad omnem atræ bilis generationem: fuisset enim insufficiens, adducēdo causas præternaturalis, & non naturalis, maxime non addendo nomen distinguens. Apparet etiam ex contextu: nam cùm sanguinem dixisset fieri à calore temperato, dixit atram bilem à calore intemperato: opposuit enim atram bilem sanguini: velut bilem flauam, pituitæ: cum dicat alteram à superfluo, alteram à diminuto calore fieri: sic etiam atram bilem opposuit sanguini in generatione cum essent humores hi oppositi in temperatura. Quid autem melius dicere potuit, quàm calorem intemperatum, id est inæqualem:

qualem: nam ab hoc proprie fit atra bilis: sicut etiam autumni statum Galenus dicebat (1. de Temperamentis 4.) inæqualem, non intemperatum, vt antiqui quidã dicebant: cuius natura est similis atræ bili, & in quo maxime tempore talis humor generatur 3. Aphor. 22.

Sed dices, Si ad calidum potius declinat, cur magis generatur ex cibis frigidis, vt 2. ad Glauconem, 11. ex farinæ elixatæ, lentium, & cochlearum esu? Respondeo ex 2. de Alimentis cap. 44. Lens & brassica æqualiter siccant, humidius tamen est alimentum brassicæ quàm lentis, intelligit, quòd minus elaboratur brassica à calore naturali. Et ob id generationis atræ bilis causa est siccitas & crassicies quæ cogit calorem naturalem immodicè agere: sed siccitas per se causa est: porrò farina & salita calida sunt.

CONTRADICT. XX.

Medicina an Ars coniecturalis.

NOn rectè videretur Hippocratem Galenus reprehendisse dicentem, quòd medicina sit Ars coniecturalis: & quòd Medicus suo fine quandoque frustretur, prima Aphor. 1. circa initium: idem paulò post: cùm 1 Prognosticorum commento 3. & in lib. de Venæ sectione, dicat, eam coniecturalem. Responsio haud est difficilis: non redarguit illos Galenus in Aphorismis, qui dicunt, Hippocratem dicere medicinam coniecturalem esse, quoniam falsum dicant: sed quia non fuisset ad propositum, Hippocratẽ in Procemio artis maledicere de arte ipsa. Sed contra, quia Hippocr. in libro de prisca medicina hoc fatetur: dicens, non esse reiiciendam medicinã, eo quòd non semper, nec exactè verum contineat: sed magis amplexandam, laudéque dignam, quòd proximè ad ipsam veritatẽ accedat. Dico quòd propositum Hippocratis ibi est, medicinam à calumnia vindicare. Circa quod etiam sciendum, quòd propositio hæc est falsa, Medicina est coniecturalis: seu pro arte, seu pro sciẽtia accipiatur. Patet, quia est habitus recta ratione directus. Repugnat igitur, Aliquid esse coniecturale, & scientificũ, vel artificiosum: opus tamen eius, seu exercitatio, est coniecturalis. Et hoc est quod dixit Princeps, quòd est aliquid quod nec dici, nec calamo scribi potest. Sunt autem tria genera artium: quædã certa per se, & in exercitatione, vt Arithmetica: quædã certa per se, coniecturalia in exercitatione, vt Medicina, & Agricultura: quædam coniecturalia & per se, & in exercitatione, vt Diuinatoriæ: quare nõ sunt artes verè, sed solo nomine: & ideo Medicina, Acricultura, & Nauigandi peritia, & Militaris, & Iurisprudentia, vt versatur circa diuinationem, sunt coniecturales, & medio modo artes: ob id solum Galenus in libris Prognosticorum, medicum vati comparauit. Quare soluitur argumentum nostrum, hoc Galen. 1. Reg. acut. 3. dicit, quòd ad rectè medendum necessaria est cognitio futuri, & colligitur 1. Aphor. 9. Sed pars Prognostica est coniecturalis: igitur etiã tota ars. Respondeo, quòd est talis in comparatione ad opus, sed per se non. Vnde propositiones medicæ deducta ambiguitate vsus nominum sunt firmæ vt mathematicæ, 1. Artis curat. cap. 4.

CONTRADICT. XXI.

Medicus an debeat imitari naturam rectè operantem.

HIppocrates semper nos adhortatur, vt quæ rectè à natura fiunt, medicus imitetur, 1. Aphor. 2. in initio commenti, dicebat Galenus: Verùm istud multas patitur difficultates: nam 4. Aphor. 22. Natura rectè operans nihil ab initio crudum expellit, & in 1. Epidem sect. 2. Com. 46. cruda verò, & incocta, & ad malos abscessus conuersa, iudicationis carentiam, vel dolores, vel longitudinem, vel mortes, vel reuuersiones. At medico tamen non licet imitari naturam, 4. Aphor. 10. medicari in valde acutis, si materia turget, eadem die: tardare enim in talibus malum est, & 1. Aphor. 24. in acutis passionibus raro & in principiis medicinis purgantibus vti, tamen in 22. Aphor. modo non turgeãt: excipit quæ sint purganda, & 2. Aphor. 29. cùm morbi inchoant, si quid videtur mouendum, moue. Medicus igitur non imitabitur naturam rectè operantem. Item in deiectionibus, 2. Prognosticorum, versicolor quidem diuturniorem morbum prænuntiat: sed tamen exitialis est, cùm tamen dicat 4. Aphor. 21. & quanto calores plures non parui in deiectionibus cum medicamento apparuerint, eo melius. Igitur hæc directè opposita: quin etiam in eo Aphor. continetur manifesta contrarietas in operationibus medicamenti, & naturæ sponte operantis. Respondeo, operantem naturam rectè debemus imitari: non tamen quiescente natura semper medicus debet quiescere. Istud tamen argumentum valet, Natura rectè operans sic agit, igitur & medicus agere debet idem, & natura nunc non potest aliquid excernere vtiliter, igitur nec medicus. Cùm verò dicis, Et tamen vtiliter medicus purgat varios humores, & in principio turgentem materiam, & natura non potest. Dico, quòd natura tunc etiam vtiliter excernit in omni casu in quo medicus: sed tamen refugimus opus naturæ tanquam malum signum, non tanquam inutilem operationem. Sed medici operatio cum ab exteriore principio proficiscatur, non potest esse malum signum: ideo diuersitas non est ex parte operationis, sed signi: & ideo conuertuntur vtilitatis tempora medici, & naturæ. Quòd si dicas, quomodo potest naturæ operatio esse vtilis ægro tendente ad mortem? Dico, quòd vocatur vtilis respectu operationis tantum, non ad bonum finem assequendum: celerius enim moreretur sine tali euacuatione. Sic dicimus medicum, qui produxit tabifici vitam, vtilem fuisse illi: cùm tamen tandem sit mortuus. Et si dicas, natura non reponit luxatos artus, igitur nec medicus. Dico, quòd tantum natura non rectè operatur, quia non potest.

CONTRA

CONTRADICT. XXII.

Si qualia oportet purgari purgentur, an conferat, & an bene ferant.

INanitio si qualis oportet fieri fiat, confert, & bene ferunt, 1. Aphor. 2. & si qualia oportet purgari purgentur, confert, & bene ferunt, Aphor. vltimo. Et in primo loquitur, vt vult Galenus, de operatione naturæ: in secundo loco Hippocratis de operatione medici, ita vt hoc dictum sit generale: & tamen dixit 4. Aphorismorũ 22. quòd inchoantibus morbis si atra bilis vel suprà, vel infrà exierit, lethale est: & in sequente Aphor. Quibuscunque à morbis acutis, vel diuturnis, vel vulneribus, seu quouis alio modo extenuatis, nigra bilis, seu vti sanguis niger effluxerit desubter, postridie moriuntur: cùm tamen aliter dicit nequeat, nisi quòd qualia oportet purgari, purgentur: pessima enim, vt dicit Galenus in commento, eadem difficultas, in sequente Aphor. 24. Difficultas intestinorum si ab atra bile incœperit letalis est, & tamen mali humores excernuntur: nam per qualia oportet purgari, Galenus 1. Aphor. 2. humorem exponit molestiam inferentem, seu qualitate, seu quantitate solis, siue vtriusque. Item in suppuratis & aqua intercute laborantibus, 6. Aphor. 27. si vniuersim aut pus aut aqua effluxerit, omnes moriuntur, quamquàm educatur quod noxium est. Galenus etiam 12. Artis curatiuæ, cap. 3 dicit, in febre ex crudis humoribus eos qui laborant indigere purgatione: & sanguinis missione: abstinendum tamen ab vtroque, cùm neutrum ferant. Non igitur ad euacuationem molestantis humoris illico sequitur alleuiatio, & tolerantia bona. Quinimo videtur magis contrarium: nam quanto deteriores excernuntur humores, eo acrius infestant, vt 12. Artis curatiuæ, cap. 8. & 5. Aphor. 1. de iuuene, qui cùm eruginosam bilem euomeret, conuulsione, & syncope, & sudore frigido correptus est: quæ adeò praua symptomata ne vel nimia ex parte eueniunt, minus molestos euacuantibus humores.

Pro hac difficultate sciendum est, quòd Galenus soluit eam pro parte 4. Aphor. 23. cùm dixit, quòd natura vi morbi & magnitudine vexata, hæc quandoque expellit, illico succedente exitio, & hoc pro duobus Aphor. 23. & 22. Et ratio est, quia talis expulsio non est quanta, pro ratione humoris peccantis: & quamuis sit vtilis ratione effectus, est tamen letalis ratione signi: quia significat expulsionem rei prauæ, cuius maxima pars in corpore relinquitur. Vel, dic, quòd non tota expellitur: si non recipiat responsum, inhærens nimis vi verborum Hippoc. Prima autem responsio est magis syncera ad mentem autorum. Ad Aphor. 24. dico, quòd non est ratione humoris peccantis, sed modi: propterea adiectum est, Si inceperit: non, Si fiat: non est enim cocta materia: corpus etiam merito expulsionis alleuiari videtur, cùm tamen vlceris causa tendat ad mortem. Aut dicendum in omnibus his, quòd per qualia intelligit humorem iam separatum à iuuatiuo, & coctum: vt in Commento 22. non autem solum molestum. Et hoc modo possemus dicere, quòd talis expulsio est mala etiam ratione causæ non solum signi. Ad id de superatis dico, quòd hoc est ratione modi, & per accidens, nã per se semper iuuantur. Per accidens autem, dicebat Galenus in Commento, duo sequuntur inconuenientia: Casus virtutis, & Attractatio septi transuersi ob viscerum grauitatem, quæ ab aqua prius sustinebantur: & hoc maxime contingit, vbi iecur, lienve, aut aliud viscerum scyrrho, quod plerunque contigit, laboret. In puris autem deductione sola prima causa offendit, scilicet difflatio caloris naturalis: vbi adnotanda est Græca lectio quæ sic se habet: ἔοικεν ἂν εἶν μὲν τῶν τοιούτων ἐκ τῆς εἶν πολὺ τῶν σωμάτων διαστάσεως. Quod est: Videtur igitur in his ex magna corporum distantia. Intelligit corporum distantiam non vulnus ipsum, sed partes quæ iam prius à purè obtinebantur: nam illæ necessario in magna supputatione, cùm vniuersum eduxeris pus, multum distabunt, vulneris autem labia minimè, vbi incisio parua extiterit: quæ etiam iuuat tamen ad continendum magis calorem: & si concauitas loci inanis magna sit. Ad id quod de febre dicitur, Aliud est, non ferre posse, aliam ob causam: aliud iuuare, vel nocere: nam tales iuuabuntur purgatione, & venæ sectione, nec tamen alias ob causas alterum illorum ferre poterunt. Sunt autem causæ strictura venarum, debilitas iam caloris contracta, & motus materiæ, quæ tamen euacuationi non cedit Sed tamen Galenus id significare voluit, quòd tales indigent, non quòd iuuarentur: quia nondum præparata est materia, saltem ratione purgationis. Ad vltimum dicendum est, quòd talis tolerantia & iuuamentum non illico sequitur: imò plerunque defatigatur virtus, & læditur æger: sed post somnum apparet iuuamentum. Sed est difficultas magis manifesta: nam Aphor. 23. primæ particulæ dixit: Deiectiones non multitudine sunt æstimandæ: sed si talia deiiciantur, qualia oportet, & ægri facilè ferunt. Si igitur secundum sequebatur ad primum, cur adiecit: est enim nugatio, vt primo Topicorum cap. 2. inquit enim Philosophus, Incommodum est, sæpe idem de re aliqua dicere: quod Xenocrati vsu venit, qui Sapientiam ait esse constitutionem & cognitionem naturarum. Quippe cùm constitutio quædam sit cognitio, ita bis idem dixit, adiecto verbo cognitionis. In eodem errore versantur ij, qui refrigerationem caloris naturalis, priuationem esse definiunt: nam quum eius quod insitum est, omnis sit priuatio, superuacaneum est nomen naturalis addere. Respondeo, nondum constabat artificiosam purgationem, si sit qualium oportet, iuuatiuam existere: nam in 25. hoc docet. At verò hîc loquitur de artificiosa purgatione. Indicio sunt Aphorism. extrema verba, Et vbi ad animi defectionem ducere expedit: quare necessario additum est ei quod dixit, Vt qualium esset: vt ægri facile ferant.

CONTRADICT. XXIII.

Dolor iuncturarum an à mala intemperie.

DOlor iuncturarum fit propter temperaturas, & materias malas, 22. tertij trac. 2.c.5. & rursus cap.7. cum cognoscitur, quòd causa est temperatura simplex, facile est eius regimen. Idem Alexander lib.4. cap.1. Aëtius verò lib.12. cap.1. inquit, Communis igitur Ischiadicis, podagræ, & articulari morbo, est valida alicuius humoris vbertas, quæ affectum articulorum nexum occupat. Deinde subdit: Cæterùm ad affligentis humoris cognitionem: itaque nullum in articulis morbum à temperatura notat. Et rursus cap. 7. In vniuersum autem amplius humorum crudorum omnium affectionis causa existit, quòd humorum multitudo affectionem inducat. Cùm igitur ibi nullam malæ temperaturæ rationem ineat, manifestum est quòd dicitur aduersari Principi: tum etiam Galeno, qui in libro de Differentiis morborum, singulas malas intemperaturas cuilibet parti corporis contingere posse affirmat. Sed tamen de compositis medicamentis secundum locos libro 10. sub initio eius capitis, quod de Iuncturis inscribitur, hæc habet de podagra, arthritide, & ischiade loquens: Communem habent hi tres affectus humoris redundantiam, quæ affectam occupat coarticulationem: qua expleta in omnem partem circunsitæ particulæ neruosæ tenduntur, & ex his dolor oritur. Manifestum est non solùm ex verbis, sed etiam ex causæ traditione temperaturæ malæ nullum in hoc morbo relinqui locum. Forsitan quis conabitur hanc sedare discordiam, quòd Princeps dicat in eo loco cap.6. quòd raro hic morbus sine materia accidat: vnde illud prætermissum, quod rarum est, à Galeno & Aëtio. Principem tamen generaliter loquentem considerasse. Sed hæc responsio vana est, cùm curam generalem præcipiat. Maximè Aëtius à sanguinis missione ortum habentem: quæ nullo modo tunc conueniat: quare dicemus, Principem aliud ab his tractare: ille enim de dolore loquitur, qui etiam à mala temperatura prouenire potest: Galenus & Aëtius de fluxione, quæ absque humoribus fieri nequit. Liquet solutio ex 6. Aphor.29.

CONTRADICT. XXIX..

Dolor iuncturarum an semper à sanguinis missione initium curationis suscipiat.

IVxta hæc est dubitatio, nam Galenus & Princeps locis excitatis initium curæ à purgatione humoris peccantis exordiuntur: Aëtius autem à venæ sectione: & ratio est pro Aëtio, quoniam phlegmon est in articulis: & quanquàm humores exuberent, in sanguine tamen continentur: nec sunt omnino humores in actu secũdum Auerroëm, aut saltem non separati, secundum Galenum: excitant etiam validos dolores: igitur ex Galeno 1. Aphor.23. concurrunt duæ conditiones, quarum quælibet facit missionem sanguinis necessariam. Alexander lib.4.c.1. cum Principe consentit, dicens, Si bilis abundauerit nullo modo curationis exordium à sanguinis missione inchoabis, sed à purgatione: quam tamen humectantium exhibitio, & vt sic dicam præparatio præcedat, cui Paulus lib.3. capite 78. consentit. Galenus 6. Aphor. 49. declarat podagricorum inflammationes fluxione fieri ad articulos decumbente: inquit enim in initio: Αἱ κατὰ τοὺς ποδαγρικοὺς φλεγμοναὶ, ῥεύματος εἰς τὰ τῶν ποδῶν ἄρθρα κατασκήπτοντες γίνονται, quod est, Phlegmones quæ in podagricis fiunt fluxione ad articulos decumbente: at phlegmonis cura propria sanguinis emissione indiget. Neque dicere possumus, vniuersam podagricorum varietatem à Galeno ibi non comprehendi: cùm de lentis seorsum, ac crassis, tum etiam subtilibus, ac crassis simul & lentis, mentionem in Commento faciat. Quin etiam Galenus ipse in 10. de Medicamentis secundùm locos, purgatorium nullum descripsit: sed potius variam mittendi sanguinis rationem deriuatiuam, & auersiuam: quamuis, vt diximus, purgandum censeret humorem. Sic igitur conciliabitur discordia si humor sit sanguis, aut multitudo reliquorum humorum æqualiter aucta, aut phlegmone ingens sanguinis missionem iuxta Galeni præceptum, vt diximus, exhibebimus: atque sic Aëtio concordes erimus. Confert & semper sanguinis missio, tum maximè nondum confecto phlegmone: vt pote quòd fluxionem reuocet. Igitur verissima sunt Aëtij dicta. Si verò materia sit humor vnus, nec admodum abundans, & iam fluxerit humor, melius fuerit omissa sectione venæ purgare: non quòd ex sectione venæ non iuuetur semper æger: sed quòd vel omittere cogimur humoris superabundantis necessariam purgationem, aut nimium ægrotantem afficere ob leuem causam. Porrò damna missionis sanguinis frequentius apud Galenum videre licet, libro de Sanguinis missione. At podagra reuerti solet, & frequens est, subditis morbus: ob id in posterum etiam tum Galenus tum Paulus, & Alexander, & Auicenna prospicere consuluerunt: cùm vel merito morbi vel ægrotantis in ea accessione semper vtilis sectio venæ habenda sit.

CONTRADICT. XXV.

Ischiadicis an reprimentia medicamenta conueniant.

PRopter dicta etiam emergit difficultas, nam reprimentia medicamenta in Ischiade ex toto refugit Aëtius, non in podagra. Auicenna in ischiade solum consulit parcius vtendum. Ratio quæ solet adduci, est, quòd talia materiam in profundum compellunt: quæ videtur in omnibus vigere articulis:

articulis: verùm dilucidius in ischia, ob magnitudinem. Dicendum est igitur, Principem intelligere, cùm nondum materia influxerit: Aëtium, cùm cœperit deriuari. Aliqui volunt vt non super locum iuncturæ applicentur.

CONTRADICT. XXVI.

Hyperici semen an per aluum expurget.

HYperici semen eduxit ex drachma vna stercus & pituitam: Aëtius lib. 12. cap. 4. Idem verò lib. 1. cap. proprio: dicit, quòd semen eius, tum etiam folium, vrinam & menses cit, nulla alui habita mentione. Princeps 2. Can cap. 363. ambobus locis contradicit in hoc, quòd dicit ipsum purgare bilem, quare virtutem ei largitur medicamenti, non vt Aëtius, deinde, loco stercoris & pituitæ, dicit bilem: nulla illorum mentione habita. Dioscorides cùm dicat finire tertianas, & quartanas, & coxendicum dolores: videtur innuere, quòd omnes humores expurget: sed tamen per vrinam tantùm, non per aluum: verùm quatuor fermè illius facit genera: Hyperico, de quo lib. 3. cap. 161. Ascyron, Androsæmon, Corim: quamuis discrimen inter illa esse velit. Plin. lib. 26. cap. 8. Hypericon cum cori coniungit, duoque facit genera. Verùm vt ad Dioscoridem reuertat, Ascyron biliosa multa excrementa educere fatetur, verboque cum Principe concordat, re autem cum Aëtio potius à seipso dissidens: nam sic coxendicis dolores finire illum affirmat, qui plerunque à pituita fiunt, raró autẽ à bile, vt omnes testantur Androsæmon verò, quem vocant sanguinem humanum, biliosa & alui excrementa educere affirmat: de quo Aëtium intellexisse puto, quamquam Aëtius pituitam legat, & conuenientius pro bile, eadẽ qua dictum est ratione. Quamobrem illud primo dictum sit, non Hypericonem, verùm Corim ventrem purgare, & Ascyron bilem: Androsæmo autem etiam excrementa, quæ ambo Hypericoni sine discrimine vterque illorum commiscuit: quod ex Galeno apparet, qui Ascyron & Androsæmon in 6. libro vt laxantia scripsit: non tamen adiectio quid purgarent. Hypericon in 8. libro de Simplicibus medicamentis tanquam solum vrinam, & menses cieret, reposuit: ergo quod verisimile est in hoc dicam. Dioscorides de Hyperico modum videtur docuisse, quomodo non expurgando per aluum, sanaret tertianas, & quartanas. Declarauit enim quòd vrinam & mẽses prouocaret: in Ascyro & Androsæmo colorem exeuntium obseruauit, qui vel ex medicamento, vel ex caliditate extenuantis medicamenti, vel materiei putredine, biliosus extat: quem secutus est Auicenna illa sub Hypericonis nomine reponens, tanquam notioris. Aëtius autem & ipse hæc ambo sub illo collocat, verùm materiæ naturam ex morbi potius qualitate, quàm ex colore venatus est, quod med cum decet.

CONTRADICT. XXVII.

Sanguinis missio an post ieiunium conueniat.

PRinceps in cura sciaticæ, seu ischiæ, vigesima secunda tertij, tractatu 2. c. 25. dixit: Et bonum est vt patiens ieiunet duobus diebus, deinde secetur illi vena. Et iam dixerat in quarta primi cap. 20. ante medium, quòd ieiunus magis læditur. Sed clarius 2. Aphor. 21. super illud, Vbi laborandum non est: dicebat Galenus, Ægris cum inedia nullus est validus motus adhibendus: non sanguinis missio, non alui purgatio, non vomitus excitatio, non frictio multa. Mirum autem est, quòd cum Princeps fuerit adeò diligens in suis exceptionibus, inediam tamẽ absolutam non connumerauerit, nisi adiectio ventriculi affectu. Quòd si dicatur, per ieiunium, vt quidam volunt, transire materiam pituitosam in sanguinem, ideóque tale ieiunium non ob esse sectioni venæ: patet quòd Galenus loquitur non de ieiunio debilitante, sed quacunque cibi abstinentia: vt patet etiam 5. Artis medendi, de muliere Romana, cui noluit secare venam ob cibi abstinentiam. Dicit enim Galenus in quacunque cibi abstinentia, formidolosum esse magnum motum. Quòd si dicatur, Galenum loqui de ægris febrientibus, non ischiade: Dico, quòd fundamentum Galeni stat in siccitate, & debilitate virtutis, non in vno tantum: & quòd dato etiam, quòd merito materiei coniunctæ, vel antecedentis, inedia iuuet, non tamen securi sumus quòd materia illa etiam sit in ventriculo, vel iecore, quod requiritur ad hoc, ne æger debilitetur. Dic igitur, quòd duo sunt modi loquẽdi apud Auicennam Ieiunare, & Abstinere à cibo, primo vtitur, cùm intelligit, vt modicum cibum assumamus: secundo, cùm nullum.

CONTRAD. XXVIII.

Ischiæ dolor & coxendicis an vnus.

SCiatica est dolor qui incipit à iunctura anchæ, & descendit retro ad coxam, & quandoque extenditur vsque ad genu, & ad calcaneum: dolor verò anchæ est ille, in quo est fixus dolor in ancha, qui non descendit, nisi quando permutatur ad sciaticam, 22. tertij tract. 2. cap. 5. post medium. Sic differentiã facit Princeps inter hos duos dolores non leuem: cùm per opposita distinguat sciaticam: eodem modo diffinit Rasis 9. ad Almansorem, cap. 90. Eandem differentiam ponit in libro diuisionum cap. 103. quam Princeps adduxit. Aëtius tamen nullam differentiam facere videtur lib. 12. cap. 1. in initio: sed nec Paulus lib. 3. c. 77. imò generaliter dolorem coxæ ad partem gibbam eius extẽdi: & etiam descendere vsque ad genua, & sæpenumero ad pedes: quin etiam nec Rasis, nec Princeps ipse, nec Serapio in cura differentiam vllam attulerunt si rectè intelligantur verba

Principis, cap.27. nam quod dicat, Si dolor fixus maneat in ancha: intelligit, quòd non recedat, non quòd non communicetur cruri vel pedi: nam & Aëtius inquit in cap.1.lib. 12. Multis etiam circa inguina dolor figitur, & tum sanè vesica ipsa molestiam recipiens, ægrè lotium reddit: & tunc maximè crus totum à coxendice ad calcaneum vsque dolorem patitur: igitur cura eadem est: propter tantam tamen diuersitatem non est visum Principi, illorum dolorum differentiam præterire: tametsi nulla eius vtilitas ad hanc vsque diem appareat. Ischia, Polluce in 2. libro iuxta finem, autore, est neruus, vel articulus, verba eius sunt: καλεῖται δὲ καὶ τὸ νεῦρον τὸ συνέχον τὴν κοτύλην πρὸς τὸν μηρὸν, ἰσχίον. ὁμώνυμον δὲ ἐστιν αὐτῷ καὶ τὸ ἄρθρον. coxendices autem κοτύλας, id est ossium concauitates.

CONTRADICT. XXIX.

Iberida an ischiadicis summo sit præsidio.

IBerida laudat summis encomiis Paulus ad ischiadicos dicens libro 3.cap.77. In totum verò hos sanitati restituit iberidis herbæ vsus, quam lepidion alij, alij syluestre nasturtium vocant: quæ verò apud nos fruticosa nascitur similibus lauri foliis, & multo amplioribus, respondere multa experimenta testantur: non solùm in coxarum, sed in aliis quoque diuturnis affectibus: per æstatem verò longe sunt efficaciora. Atqui si folia tunc non produxerit, cortex ipsius radicis cum adipe suillo contundi, vt emplastri faciem repræsentet. Aëtius autem lib.12. c. 2. sic inquit: Quòd si vestigium aliquod relinquatur herbæ iberidis, quæ & cardamine vocatur, radix sumenda est: etenim figuram, saporem, & odorem cardami habet, hoc est nasturtij: multa autem vbique nascitur, sed maximè circa muros, vias, incultis locis, ac vetera monumenta: folia autem habet nasturtij, vere quidem virentia, & nasturtio multo maiora: longitudo verò caulis cubiti est parui, aut paulo amplior: æstate fert lacteum florem, quo tempore est efficacissima: semen habet quàm minimum, quòd per totum enascitur caulem; radix verò acerrimum habet odorem, & maximè omnium nasturtio similem. Hanc æstate recentem effodito, arida enim vires amittit: & diligenter tundito: tunditur autem difficulter: & axungia veteri modica excipito. Aliam igitur herbam Paulus describit, aliam Aëtius: ille eam quæ nomine caret hic autem iberida: sed posteriorem Serapio describit cap. 339. quam thapsiam vocat: tum quòd notam illam ait Dioscoridi, Galenoque, qui hiberida describunt: nihil autem refert, aspirationem vt video addideris, detraxerisve: tum quòd dicat eam folia fœniculo similia habere, quæ proxima sunt nasturtio, non lauro. Princeps similiter eandem sub seitaragi nomine posuit: cùm eam folia nasturtij habere dicat: verùm lacrymam ruthæ etiam agrestis sub nomine thesifiæ in medium adduxit, non minimam partem virium thapsiæ adiiciens. Thapsiæ verò non meminit in descriptione singularium medicamentorum, adeò vt eam ignorasse credatur. Galenus 8. de Simplicibus medicamen. lapidium tanquam iberida describit, quam Princeps, vt dixi, seitaragi vocat: ergo iberida seorsum à lepidio distinguit Dioscorides, cùm capite 162. de lepidio in secundo libro, de iberide autem in primo libro, cap. vltimo tractet: tam parua cura fuit simplicium medicamentorum egregiis olim medicis: cùm illorum vsus non sit fermè necessarius: nisi vbi ex errore deterior, ac penè insanabilis factus fuerit morbus: qua ratione etiam medicamentorum transmutationem scripsit Galenus. Nunc satis esse pluribus videtur, multa in his nugari, recta medendi ratione prætermissa: Auicennamque accusare de his, in quibus & ipse Galenus minore cum excusatione negligentior fuit.



LIBRI PRIMI
TRACTATVS QVARTVS.

CONTRADICT. I.

Medicina an cum cibo sumenda.



EXPEDIT ei, qui vult sumere medicinam, vt summo mane sumat, & tardet cibum: deinde sumat post tres horas viginti aureos panis cum vino & aqua pauca: & post sex horas ingrediatur balneum, 22. tertij tractatu 2.c.7. iuxta medium. Hîc videntur tres apparentes contradictiones: quarum prima est, quòd cùm loquatur de laxante medicina, tum quòd nullus esset verborum sensus, vt in antiqua lectione, tum quòd esset præter rationem, quia sæpe illa transiret in alimentum si esset vt cassia fistula, vel saccharum violatum: tum quòd moueret nec euacuaret, vt quarta primi cap.5. dicitur, oportet autem ne medicinæ potator comedat aut bibat, donec medicina suam profecerit operationem: quare ante terminum operationis exhibet medicinam: & pro hoc etiam sunt omnes sex, quas Vgo Se-

nensis adducit: prima, quòd cibus obtundit medicinam: secunda, quia inclinat ventriculum ad retinendum quod in illo continetur: tertia, quod medicina poterit impedire concoctionem: quarta, quòd humores attracti cibum corrumpunt: quinta, quia periculum est, ne aliquod ex medicina cum cibo ad venas attrahatur: sexta, quia medicina erit causa eiectionis cibi ad intestina. Addo septimam, quia motus motum impediet, nam medicina humores trahit ad ventriculum ab hepate, in cibo hepar trahit à ventriculo: qui duo sunt motus manifestè oppositi. Sed quædam ex his conditionibus non videntur veræ: namque in medicina debili istud est falsum: vt de cassia, quam Mesve suadet dari ante cibum, vt iam dixi, ne in alimentum transeat: de valida autem dicebat Hippoc. 2. Regim. acutorum 12. vbi autem quis medicamentum ebiberit, ptisanam protinus sorbendam dato: neque insigniter minore quàm consuetum est quantitate. Galenus autem assignat duplicem cibi assumpti cum medicamento vtilitatem: nempe retundere malitiam illius, & detergere reliquias. Impedimentum igitur operationis est pro iuuamento apud Galenum, non pro iactura: cùm impedimentum est diminutionis causa, non autem iam operante medicamento: nam sic esset pugna: circa quod obseruandum est pro canone maximo, quamquam hic obitet adiiciatur, post medicamenti completam operationem solùm esse dandum cibum: vt in 13. textu iubet Hippocrates: atque eum perexiguum, vt Galenus consulit in Commento: quanquam secus nunc faciant medici nostri temporis. Verùm ad propositum reuertendo, huic sententiæ denuo obstat, autoritas & ratio Pauli Æginetæ: is namque capite 4. libri septimi inquit: Aloës drachma cum aqua mulsa mane datur: qui vesperi eam exhibent, aut secundum cibum, noxam inferunt: quippe alimentum in membra digerit. Et rursus cap. 6. Summatim in omni purgatione efficaci, medicamentum homini ieiuno, & concoctione obita, trades. Non igitur nullo modo medicamentum cibo miscendum erit. Deinde paulo post ex Philagrio Hippocratis verba iam inducta aliter videtur interpretari, inquit enim: At si inediam non tulerit, aut ventriculi os ad bilem contrahendam ex longa penuria, vel alia causa paratum habuerit, dabitur ipsi panis ex vino aquoso, ptisanæve cremor, aut chondri, nondum incepta vacuatione, vt ne cibus corrumpatur: sed protinus vbi medicamentum fuerit epotum: sic enim nonnunquàm ad celerem medicaminis motionem pondere suo opitulatur. Igitur singulare facit dictum Hippocratis, quod Galenus exposuit tanquàm generale: additque causam celeritatem operationis: cùm Galenus potius tarditatem educat, & vim detergendi. Sed non laborauimus vt modo Philagrium Galeno concordemus: sed animaduertendum ex Hippocratis & Galeni & Principis sententia, cibum subtilem, qualis est ptisanæ cremor, vel alius etiam longe tenuior cum medicamento sumptum, prius concoqui, quàm medicamentum moueat, cùm tamen aliter Paulus ipse sentiat, nec nisi Vgonis tertiam rationem amplectitur. Forsan quis dicat, Hippocratem ibi consulere hoc de medicamento pernicioso ac puro: cùm Galenus subiiciat odorata vtiliter misceri ad comprimendam illius malitiam: quare tunc cùm ventriculum non offendat, minime cibo permiscendum erit: cùm tamen constet Galenum in libro Quos, & quando, quomodóque purgare oporteat, scripsisse eadem, quæ in illo Commento tradiderat ad verbum: cùm ibi generaliter hominem quæ facienda sint doceat: quare leuissimum cibum cum medicina, quamuis vsus exoleuerit, propinabimus: tum maximè cum pilulis seu catapotiis. Pauli ratio & autoritas nos mouet vt id caute faciamus, scilicet ne vllo modo cibi concoctionem opus medicamenti præueniat. Principis autoritas singularis est in eo casu, consulens ne medicamentum nimis sæuiat. At dices, Nonne poterat iuxta Hippocratis præceptum cibo & ipsum misceri. Respondeo, oportebat illud ad iuncturas vsque penetrare: quare cibo opus non fuit: in quo diligentiam Principis animaduertere decet. Cùm igitur perficere debeat operationem medicamentum: manifestum est, quantum aberrent, qui absque leui detergente prius intra paucas horas exhibent cibum. Hoc tamen melius à Tralliano declaratur lib. 4. cap. 2.

CONTRADICT. II.

Articulari morbo an vinum competat.

ALtera contradictio est, quòd iubet dari vinum in sciatica, & Aëtius in podagra libro 12. cap. 33. si pituitosa fuerit, suadet vinum dari flauum, antiquum, subtile: sed tamen interualli tempore. At verò Princeps iam dixerat in fine cap. 7. Et oportet vt dimittat vinum omnino, vsque quo sanetur ex eo sanatione integra, & veniant super ipsum quatuor tempora: & oportet vt hoc paulatim fiat. Et hic loquitur de omni dolore articulorum. Trallianus etiam libro 4. cap. 3. ab initio vix ex toto vino interdicit in podagra sanguinea: quare cùm id non agat in pituitosa, manifestum est vinum in ea posse adhiberi. Haliabbas octauo Prac. cap. 33. vinum dat cum melle compositum, quod melicratum dicitur, permixtum aqua decoctionis cumini. Paulus verò libro 3. cap. 78. in fine curationis biliosæ fluxionis, quo etiam pituitosa continetur: vinum haud denegat: concedit verò manifeste in regimine præseruante. Facile fuerit hanc discordiam sedare, si illud proposuerimus, Vinum primò secundum Arabes noxium esse podagræ, & aliis iuncturarum morbis; quanquam Rasis libro 9. cap. 76. dicat, quod in tempore incolumitatis debeant bibere vinum antiquum, & purum: vtique vrinam prouocantibus in cura frigidæ podagræ: nec vinum videatur negare in sciatica: intelligit comparationem illius ad aquam puram.

puram. Græci verò, & cum illis Haliabbas, qui Arabs Græcus dici potest, vinum dant, & præcipue in interuallo accessionum, & in declinationibus materiarum frigidarum: sed in calidis denegant. Ita iuuamenta vini sunt, concoquere crassos humores, digerere, & per vrinam prouocare, augere calorem innatum: detrimenta moderari sunt, spargere, & calefacere: quare neque in calidis, nec dum materia cruda est competit. Flauum eligit Aëtius, antiquum, subtile: vnde error vtentium albo pro flauo: aut admiscentium aquæ partem. Haliabbatis præceptum intelligitur obseruandum ad tollendum medicamenti iacturam: quo in casu etiam medicata propinamus vina, ceu melicratum: non quòd tunc conueniat, sed quòd laborantibus non tantum potus sit, sed medicina.

CONTRADICT. III.

Articulari morbo an balneum competat.

DEinde iubet vt balneum ingrediatur: dicebat Galenus 2. Artis curatiuæ, cap. 20. Balneum duobus modis podagram excitat: primò, quòd humores colliquat: secundò quòd venas aperit: hocque modo dum podagræ nocet, febrem iuuat. Iuuat autem duobus modis, dicit: & quòd humores digerit, quòd calorem febrilem remittit. Hæc sunt generalia iuuamenta, nam tertium illud solis conuenit patientibus defluxum humorum in articulos: & hanc sententiam idem ipse scripsit Princeps 22. tertij tract. 2. cap. 24. dicens: Et minorentur in balneationibus, quoniam ipsæ liquefaciunt humores, & faciunt ipsos currere ad iuncturas. Ex quo patet, quòd conuenit cum Galeno in sententia, sed non in reddendo causam, cùm sint duæ. Et nota, quòd concedit in hora resolutionis effusionem aquæ frigidæ, & aquas thermarum. Ex doctrina Hippocratis 5. Aphor. 21. & 25. Verùm primum horum paruipendunt medici nostri temporis, vt pleraque alia optima auxilia. Sed vt ad rem reuertar, Alexander balneum aquæ dulcis suadet: ita tamen vt illius effusionis solum meminerit, quæ per frigidam fit, libro 4. cap. 1. vbi de lauacris agit. Verùm illud mirum, quòd thermas omnino prohibeat, Principe eas admodum laudante. Secundò, quòd à cibo in calida intemperie balneum exhibeat: verum in hoc errorem suspicor esse: quis enim nescit, illico crudis humoribus distracta concoctione, artus implendos esse? At Paulus lib. 3. cap. 78. balnea laudat: & in affectus tempore, & in interualli ex aqua dulci prohibet: in humida podagra thermas concedit, at Alexander in frigida, aut pituitosa, admittit balnea dulcis aquæ, volens ea dolorem ipsum lenire: quinimo consulit vtendum esse illis. Existimo balneum omne ex aqua calida noxium esse, propter rationem vltimam Galeni: aperit enim, ac dilatat vias si solum admittatur: verùm superfusione aquæ frigidæ addita iuuabit. Cauendum tamen à frigida ex toto, vbi iam tumor in articulis fuerit excitatus, vt Aëtius dicebat libro 12. cap. 48 Principis textus sic interpretandus est: Thermarum aquæ vi iuuant, calore nocent, ob id pensanda est vtilitas: nam commodæ sunt interdum quæ ferri plurimum continent: conueniunt interdum etiam balnea dulcis ac tepidæ aquæ, cùm adeò dolor extinguitur, vt fluxum materiæ prohibeat: quo casu detrimentum iuuamento pensatur.

CONTRADICT. IV.

Articulari morbo an coitus competat.

IVxta id accidit dubitatio, nam Princeps cap. 24. iam exposito in præseruatione coitum ex toto remouet. Serapio libro 4. cap. 30. videtur admittere in corpore temperato, sed humoribus pleno: cùm dicat. Non nocet detrimento magno. Aëtius lib. 11. cap. 1. dicebat: Generant hunc morbum immoderatus venereorum vsus: quare moderatum admittere videtur: sed non valet, nam loquitur in sanis, non iam affectis. Paulus in biliosa tantum interdicit veneri: vbi etiam humores non excreuerint, abstinendum puto aut si humores praui etiam abundent: quod ergo est frequentissimum Auicenna tanquam generale proposuit: cùm rarò, & tunc etiam paruus error accidat: nam multos nec malos humores abundare oportet: nec in affectu esse, vbi nulla ex parte coitus nocere debeat.

CONTRADICTIO V.

Humores an actu sint in venis.

MEdicamentum expurgat humores iam actu existentes, non in illos facit Gal. in libello de Purgantium medicamentorum facultate: & exemplum dat de aqua hydropicorum, quam constat actu in aqualiculo contineri: tum etiam de arquatis: dicebat enim. Si humor ipse per medicamentum gignitur, tantum in illis proderit sanguinem mittere, quantum expurgare: quæ ratio nulla esset prorsus, si ex mente Galeni humor actu non contineretur in sanguine: nam si illi dicant. Non bilem trahit scammonium, sed quæ erat potentia bilis in sanguine actu fit talis: non est autem aqua hydropicorum in potentia in sanguine: igitur nec humores reliqui: item in sectione venæ iuuaretur arquatus, nam bilis educeretur. Eandem planè sententiam exprimit in libro aduersus Iulianum: dicebat Iulianus. Si humores in homine essent expurgato athleta optimæ habitudinis medicamento violentissimo nihil educeretur ex humoribus: sed sola fex, aut cum illa sanguis: sed non sic est, imò in omnibus educitur bilis, ac atra bilis, & pituita: igitur in sanguine illi non sunt, sed fiunt. Poterat respondere Galenus, & dicere, Humores

mores sunt ibi in potentia, & per medicamentum ad actum reducuntur: sed non sic: negat igitur experimentum, nam in exquisitè sano nihil horum apparebit: igitur humores qui educuntur ex corpore, actu in illo sunt. Est etiam ratio pro Galeno, in interpolatis febribus humor expellitur ab ore venarum ad concauitates: sed hic humor nondum est putridus, nam sic faceret febrem continuam: vel est in potentia in sanguine, & sic omnes homines febrem paterentur, esset enim semper expellendus: vel quia est actu, & sic haberetur intentum: cùm enim est actu in venis, vel quia actu in illis est, vel quia præparatur ad putredinem, expellitur à natura: quomodo enim si esset in potentia tantum, solo naturæ opere posset expelli? Hippocrat. autem libro 1. de Natura humana dilucide à textu 20. ad 25. hoc declarat dicens: Corpus autem humanum continet sanguinem, pituitam, bilem geminam, flauam, & atram: & hæc illi sunt natura corporis, & propter hæc ægrotat, & valet. Valet autem præcipuè, cùm ea inter se virtutem & copiam mediocriter temperatas habuerint, & potissimum si permixta sint: contrà laborant cum eorum quicquàm fuerit, ampliusve, aut in corpore secretum fuerit, neque amplius confusum: necesse est enim cùm horum quid separatum sit, & per se stet, non solum ex quo excessit locum morbo efficaci: sed etiam illum, vbi iam substiterit, & influxerit nimium, affluentem dolorem & laborem parere. Vbi Galenus exponens declarat, quonam pacto cùm humor à sanguine secernitur, duplici modo afficitur corpus: & quòd sanguis ipse non amplius est temperatus, & quòd pars in quam influit humor, læditur. Cùm igitur sanguis actu sit, & eodem modo velit alios humores esse, (miscentur enim illi & inter se) constat humores actu esse. Mixtio enim est miscibilium mutatorum vnio de Generatione & corrupt. textu commenti vltimi. Istud verò esse videtur demonstratiuum argumentum, quòd saltem secundum Galenum humores in actu sint in ipso sanguine, quòd cùm vtraque bilis & sanguis in iecore generentur, pituita tamen in ventriculo fit. 2. Virtutum naturalium, cap. 5. iuxta finem: & libro de Atra bile, c. 8. in initio, cum dixit: Porrò demonstratum est à nobis, pituitosum humorem ex pituitosis cibis in prima, hoc est ventriculi, concoctione generari. At verò in oppositum est autoritas Galeni 2. de Diff. feb. cap. 9. inquit enim, (postquam superius declarauerat tria esse genera intermittentium febrium, quia tres humores extra venas, vnum autem continuarum, cùm sanguis putrescit.) Cùm sanguis putrescit, quod subtile eius est, transit in flauam bilem: quod crassum, in atram: si igitur humores actu in sanguine essent, non fieret noua illorum generatio. Secundò, fierent quatuor genera continuarum febrium, sicut tria interpolatarum, & non vnum. Quam sententiam repetit 2. Crisium cap. 12. Auerroës etiam 2. Collectaneorum cap. 1. existimat, quòd solus sanguis sit proprie intentus à natura: & hoc, quia membra ex illo solo generantur, & nutriuntur: & hoc modo humores sunt tantum in eo in potentia: alio modo vt sunt illius superflua, & sic in generatione eius necessaria sunt in actu. Est etiam ratio: nam ex pluribus in actu non fit vnum. 7. Primæ philosophiæ t. 49. sed sanguis est vnum per se, tum quia habet vnum finem, & distinguitur ab aliis humoribus, & sapor eius est vnus scilicet dulcis: nam si esset mixtum, in sputo sanguinis appareret acidus sapor necessariò propter bilem atram, & amarulentia propter flauam. 4. de Simplic. medic. cap. 16. Sed non sic est: imò cùm apparet talis, iudicamus sanguinem vitiosum, hoc inquam experimento in cæteris mixtis manifestum est, lactis etiam partes, quod fit ex sanguine, sunt in eo diuersæ substantia, non autem actu: & dato quòd actu essent tales, cùm omnes separatæ dulces sint, manifestum est nihil esse proportionatum bili flauæ, vel atræ. Est etiam necessarium sic dicentibus, confiteri quòd Thurisanus dicit, Sanguinem esse mixtum quodam ex tribus humoribus tantum, & ita sanguinem nullum esse: haberent etiam humores duo vasa, sicut bilis flaua venas, & vesicam quæ sub iecore est: & atra venas, & lienem: vt libro de Atra bile, cap. 8. Hoc autem non est verum, cùm singulis humoribus singula vasa natura decreuerit, secundum naturam existentibus. Conciliator vidit hanc difficultatem Diff. 30. sed non est ausus eam declarare. Respondeo igitur, quòd natura non intendit apud Aristotelem, neque apud Galenum, nisi generationem sanguinis in secunda concoctione principaliter: sed generat vtrãque bilẽ ex necessitate, sub forma excrementi: & excrementũ in actu est. Sed tunc non propriè dicitur humor, sed superfluũ: quia non habet saporẽ in actu, nec prauam qualitatem. Superfluum etiam non intelligitur separatum in actu ab eo cuius est superfluum, quare non generat febrem aliam, nisi cùm separatur: & tunc fit humor in actu, & accidit alterum ex duobus: vel enim retinetur, & putrescit, faciens febrem sui generis: vel expellitur sine præparatione ad putredinem, & sic retinetur à vasis ad hoc ordinatis, quia secum trahit aliquid vtilis, donec illo separato excernatur: vel extruditur à venis cum præparatione ad putredinem, & sic facit febrem periodicam. Cùm verò Galenus dixit, generari flauam bilem & atram ex sanguine supercalefacto, 2. Regim. acut. 31. intellige generationem humorum actu existentium, qui amplius sanguini non verè miscentur: vnde vterque morbus regius exoritur. Quòd si humores actu in venis essent, omnes regio morbo laborarent. At si dicas, in morbo regio superaugetur: Respondeo, valde sapiens esset medicina illa, quæ superfluum tantum concoqueret, & quæ rursus educeret: color etiam in sanis, quanquam croceus, non foret, aliquantulum tamen eius particeps esset. Quinetiam Galenus & Princeps sæpe repetunt sanguinem mittendum esse cum vel ipse abundauerit, vel humores omnes ex æquo aucti fuerint: quæ diuisio nulla esset, si humoribus excrescentibus necessariò & ipse sanguis excresceret. Rabi, Moyses 2. particula Aphor. suorum in principio, sententiam Galeni re-

citat ex quartò super secundum Epidem. quæ talis est: Sanguis est compositum ex quatuor humoribus: & cùm vnus superabundat, dicitur sanguis ab illo humore denominatus, vt biliosus, vel pituitosus: sanguis autem qui vnus est ex illis quatuor, est secundum imaginationem ab aliis separatus. Hæc autoritas clarè docet quod nos diximus: nam si sanguis, qui est quartus humor, est solum ibi secundum imaginationem: igitur & reliqui tres humores: igitur solum aggregatum est in actu, & quatuor illæ partes sunt in potentia humores: vt verò crescunt partes illæ in potentia talis sanguis dicitur: vt biliosus sanguis, cuius magna pars in bilem transire facile posset, aptaque est. Humores igitur in actu non sunt nisi corpus ægrum fuerit: humorum tamen materia semper adest.

CONTRADICT. VI.

Agaricus an purget materiam in pectore existentem.

AGaricus purgat materias existentes in pulmone & pectore tenaces ac putrescentes: Mesue cap. de Agarico. At Galenus dicebat 5. de Locis cap. 3. post medium: Eorum quæ continentur in pectore, vel pulmone, nullum descendit inferius. Intelligit autem per secessum, nam per vrinam modum declarat. Respondetur ex eodem lib. 6. de Locis cap. 3. in fine, dum dixit, Itaque quam ob causam pus in pulmone genitum cum vrinis (licet raro) excernatur, iam dictum est: id verò quod per ventrem purgatur, aliam (licet raram, quæ in corporum dissectione apparet) causam habuit: quippe concaua vena medio quodam vase stelechieæ videtur interdum adaptari: prohinde nihil mirum aut impossibile est & ex partibus septo transuerso superioribus pus in ventrem defluere: nam corporum raros habitus, par est etiam vt rari sequantur euentus. Ergo iam superius eodem cap. 3. declarauerat, quòd pus per vrinam ex pulmone excernendum, primò in cor per leuem arteriam ad sinistrum ventriculum fertur: quod inde in magnam incidens arteriam, quæ spinæ substrata est, ad renes primò, deinde ad vesicam fertur: at verò in quibusdam cùm pus etiam per venas pectoris si morbus sit lateralis, transfundatur ad extremum: vena est stelechieæ, id est porta similis arborum caudici, quæ illas pectoris perbreues iungit his quæ ad intestina feruntur: nam sine illo vase haud hoc fieri potest, cùm pectoris venæ (vt Galenus dicebat 5. de Locis cap. 3.) iuxta exortum septi transuersi finiantur: quare inferius sanies: nisi hoc auxilio in paucis inuento, defluere non potest. Mesuen tamen haud tam longe prospexisse puto, sed potius è vicinis regionibus existimasse Agaricum aliquid trahere: quod cùm Dioscorides & Princeps aliique classici viri dicant, illud conferre tabidis, purulentos ipse credidit: cumque simul purgare glutinosos humores affirment, ille hæc duo iunxit in vnum: existimans Agaricum glutinosos humores, ac purulentos posse ex pectore & pulmone detrahere: quod cum nullus alius dicat, neque ipse Serapio, causam dedit vt medici recentiores hoc etiam calamitatis miseris purulentis adiiciant: quo ego consilio iam ab hinc quindecim fermè annis ab egregio quodam medico consultore penè occisus sum.

CONTRAD. VII.

Epialæ febres an simul calorem & frigus habeant ex eadem parte.

EPialæ febres dicuntur à Græcis, in quibus ab interna parte secundum minutissimas partes sentitur (quamuis diuersas) calor simul & frigus per totum corpus: vt non sit ad sensum inuenire particulam, in qua non vtrunque simul sentiatur. Cùm verò interius calor sentitur, exterius autem frigus, aut lipiriæ sunt, aut febrium ardentium genus perniciosum, libro de inæquali intemp. cap. 8. at etiam 2. de Diff. feb. cap. 6. declarat, quonam pacto, illa sit admodum quotidiana in periodis, longissima etiam, & quæ fiat à vitreo modicè putrescente humore: nam vix putrescere potest. Quodque eius sint duæ differentiæ: altera, in qua, etiam si quiescat æger, frigus sentitur: altera, in qua dum mouetur solùm. Meminit & harum febrium quasi communi quodam symptomate 3. de Simplicib. medic. cap. 16. In eadem igitur sententia fermè Aëtius lib. 5. cap. 87. scripsit, Vitreum humorem, & acidam pituitam, cùm non putruerint, rigorem inducere, cùm putrescunt mediocriter, epialam, quæ ab ἠπιάω, quod est mitigo dicta est: lenis enim febris est. Ηπίαλον etiam Græci dicunt algorem illum qui febrem præcedit: cùm igitur ex toto computruerit, febrem in qua frigus præcedit calorem, generat. Verùm hæc non videtur esse Arabum sententia: nam Princeps prima quarti trac. 2. cap. 49. Empialam vocat, in qua calor est manifestus, frigus autem in profundo latet, de Epiala verò Græcorum in cap. 61. loquitur nullum ei imponens nomen. Rasis, 18. continentis cap. 3. Empialam appellat febrem ex autoritate propria, illam quam etiam Princeps: sed antè ex autoritate Mesue dixit eam esse, in qua calor interius, & frigus exterius appareret: & in hoc mihi nil aliud dicendum videtur, nisi quòd mala translatione decepti sint Arabes: error verò nullius momenti sit, cùm Princeps omnium febrium ex pituita consistentium, vnum tantum faciat capitulum generale, in quo curam docet.

CON

CONTRAD. VIII.

Lateralis morbus an in senibus perniciosior quàm in iuuenibus.

LAterali morbo laborantes iuuenes ex maiori parte seruantur, & senes moriuntur. 4. Contin. cap. 3. fol. 88. col. prima ex sententia Aaron. & adducitur ratio, quia natura senum est debilis ad expuendum materias contentas in phlegmone. Oppositum ibidem fol. 92. col. 3. & adducitur ratio, quia senibus non æquè grauia adueniunt symptomata. Hippocrates prima Aphor. 14. dicebat, quòd senes acutas febres non adeò incurrunt. dicebat Galenus in fine commenti quòd si incurrant moriuntur. Quare ex hoc etiam videtur prima sententia verior, cui exitus, seu rei experimentum accedit. Igitur si dictum intelligatur in decrepitis, quanquam symptomata sint leuiora, comparatione tamen ad virtutem non possunt talia esse leuiora ei: quare iuxta Aphor. 34. particu. 2. & ratione virtutis letalior fit omnino: si verò de mediis senibus intelligatur, tunc rarò incurrunt vehementes phlegmones laterum: quòd si par sit morbus, proculdubio in illis est perniciosa: si autem morbus ad vires proportionem habeat, celerius etiam senex moritur. Accidit autem frequenter, vt in senibus leuissimi fiant morbi, quare diuites senes minus iuuenibus periclitantur, quoniam causis periculosis non se exponunt: pauperes autem contrario modo se habent.

CONTRADICTIO IX.

Phthisicis an competat vinum.

PHthisicis vinũ exibet Princeps, 10. tertij tract. 5. c. vlt. oppos. 4. Contin. c. 2. Aëtius libro 8. cap. 67. inquit: Vinum autem theræum, & scybelites præbeatur, mediocri tamen mensura: dicta hæc à locis vina, nam Thera insula est enata in mari iuxta Cicladas, cuius meminit Plinius libro 2. cap. 87. & tamen Paulus dixit lib. 3. cap. 32. de tabidis ex vlcere pulmonis loquens: Potus autem eorum aqua cœlestis erit, atque inde mulsa ex illa confecta. Idem autem Rasis cap. 60. noni ad Almansorem, vbi ex mente propria loquitur, dixit: insistendum esse potui lactis, vinum tamen subtile & temperatum aliquando esse tribuendũ. Dico breuiter, Phthisis propriè dicta, quæ à Galeno vocatur phthoë, libro de Diffinitionibus, iuxta medium: cùm sit vlceris pulmonis morbus, vinum autem per se repurget vlcera, & materiam in eis contentam, maximè flauum, crassum, dulce, libro de Attenuante victu cap. 12. vinum postulat sui ratione. Nocet autem in tribus casibus, vbi vlcus ex erosione fuerit, acres enim auget humores, quamuis etiam eos expurget, teste Galeno in validis hoc tantum intelligitur. Secundò nocet putrida vehementi febre adiuncta. Tertiò, vbi ex sanguinis sputo spontaneo ortum phthisis habuerit. Rarò autẽ cùm accidat, vt ab his tribus cõditionibus phthisis absoluatur, ideo non dare vinum tutius est. Erit & id obseruandum, quòd in iuuenibus calidisque mteperamentis, noxium est: atque ideo tales arcet etiam sanos à vini potu Galenus 5. de Tuenda sanitate, in fine, dicebat enim ille: Si cui ergo intemperie, quæ intra sanitatem existat, calidissimum temperamentum contingat, huic ex toto vinum circuncidisse prodest. Quanto ergo magis vbi tabe laboret calida: atque eo maximè etiam, si putrida febris adiungatur. Sed nec prætereundus error est Arabum, qui subtile vinum collaudant: at contra Aëtius Theræum ac Scybeliticum quæ vina, vt inquit Galenus lib. de Cibis boni & mali succi, cap. 8. dulcia sunt, & crassissima: quinetiam id laudis genus, expurgandi pulmonem, talibus vinis ascripsit in libro de Attenuante victu. Quinetiam syreum conuenit quod nostri sapam vocant. Verùm cùm ille dixisset, adiungenda ea cibis subtilis alimenti: Arabes perperam intellexerunt: vina subtilia phthisicis conuenire.

CONTRADICT. X.

Hippocrates an pulsum agnouerit.

EX pulsibus signa sumpta prætermisit Hippocrates, vel quia non cognouit, vel quia minimi ea momenti existimauit, 3. de Crisi cap. vltimo, post medium: attamen in libro de humoribus inquit post initium: Venarum pulsus, caliditas, frigiditásve medico sunt consideranda. Idem libro de alimentis, iuxta finem, qui 27. est in ordine: Venarum pulsus, & spiratio, secundum naturam indicant hominem rectè habere, & 7. Epidemiorum ante medium, σφυγμὸς ἐν κροτάφοισιν, ὡς λήπτῃς θέρμης. id est, Pulsus in temporibus, vt calore suaui. Respondent quidam agnouisse Hippocratem vt signum robustæ, aut debilis virtutis: non autem vt latale, vel salutiferum. Sed hi non ad mentem Galeni 2. de Præsagio ex pulsibus cap. 4. vbi docet, mortem etiam inter loquendum ex pulsu imminentem cognoscere. Propterea dico, vt sæpius aliàs, Hippocratem non fuisse autorem libri de Alimentis, iuxta Galeni sententiam, nec 7. Epidem. verum cognouisse tamen pulsum venarum: sed cùm non adeò illius doctrina perfecta foret, quippe quam etiam Erasistratus longe posterior ignorauit, aliis signis contentum fuisse.

CON

CONTRADICT. XI.

Intentiones curatiuæ an à tribus sumantur.

INtentiones curatiuæ ſumuntur à tribus, à virtute, morbo, & aëre nos ambiente. 9. Artis curatiuæ cap. 14. at prima Aphor. 2. ponuntur quatuor, regio, tempus, ætas, & morbus: vbi præter morbum nihil eſt commune cum priore. Rurſus 4. Aphor. 2. adduntur præter hæc conſtitutio, natura ægri, induſtria, & victus: eruntque ſic octo. At quarta primi cap. 3. ponuntur duodecim, quæ ſolent his verſibus, quanquàm ſatis rudibus, vtiliter tamen explicari:

Ars, ætas, virtus, regio, complexio, forma:
Mox, & ſymptoma, repletio, tempus, & vſus:
Et bene ſi numeres figuram iungere debes.

Sexcente ſunt diuerſitates in talibus obſeruandis: verùm, vt iam ſæpius dixi, Galeni locus proprius eſt inſpiciendus: is eſt nono vt dixi Artis curatiuæ. Sed tamen in mittendo ſanguinem addidit ætatem illis tribus, libro de Venæ ſectione cap. 9. Reſpondeo igitur ad autoritatem primæ particulæ Aphoriſ. quòd regio & tempus ſunt pro aëris conſtitutione: in ætate vires comprehendit. Sunt etiam illi ſcopi quantitatis euacuationum non ſimpliciter euacuandi, vt libro de Sectione venæ cap. 9. in fine. Ad autoritatem quartæ particulæ, conſtitutio etiam ad aërem reducitur: reliqua tria nihil per ſe indicant, ſed omnia de virtute. Princeps enumerat fermè omnia quæ diuerſis in locis Galenus adduxit intentionibus curatiuis aſſequendis vtilia. Ad id de venæ ſectione dico, quòd tres priores communes ſunt omni euacuationi: ætas autem non ſenilis, ſed puerilis additur in mittendo ſanguinem: illa verò præter principales eſt digna obſeruatione: maximè cùm quis à ſolita euacuatione deſtituitur, quam cap. 6. adiunxit. Sed videtur mirum, quòd ibi in cap. 9. aëris conſtitutionem inter principales non admittit. Reſpondeo, imitatur Hippoc. 4. Regim. acutorum 19. propterea omiſſam fatetur in fine commenti Galenus aëris conſtitutionem, quam & ipſe in libro de Venæ ſectione dereliquit. Quatuor igitur erunt, ſed aëris ſtatus ad virtutem referri poterit: vt etiam nono Artis curatiuæ, morbi autem pro ſanguinis miſſione tres, febris ardentiſſima, phlegmon, dolor acutiſſimus, 1. Aphor. 23. Sed dolor cùm à cauſa calida fuerit, vel ex materia in venis exiſtente propter dolores qui ex vitrea fiunt pituita in colo, ileo, ventriculóve.

CONTRADICT. XII.

Euacuationes ad ſyncopem an conueniant, vbi de menſura detractionis ſanguinis.

NEque compreſſiones ad extremum ducendæ, periculoſum enim: ſed qualis natura fuerit eius qui perferre debet, ad hoc ducere expedit. prima Aphor. 3. & Galenus libro de Venæ ſectione cap. 17. narrat de tribus ægris, qui per nimiam ſanguinis euacuationem repente mortui ſunt. at 9. Artis curatiuæ cap. 10. enarrat tantum duos: multos autem alios periiſſe intercepto tempore, cùm virtus vitalis imminuta nequiuerit reſtaurari. Ergo tantæ inanitionis ſanguinis tria dicit eſſe pericula. Primum, ne repente dum ſanguinem fundunt moriantur. Secundum, ne poſt breue tempus non finito morbo, & proſtratis viribus. Tertium, ne ægritudo diuturna permaneat, aut aliquis malus habitus, ac decolor; cui tandem ſuccedat pernicioſa diſpoſitio, qualis eſt aqua intercus, orthopnœa, ventriculi iecoriſve imbecillitas, attonitus morbus, delirium. Et tamen prima Aphor. 22. dicebat: Atque vbi vſque ad animi defectionem ducere expedit faciendum, ſi æger poſſit tolerare. Et 9. Artis curatiuæ cap. 4. enarrat duos ægros, quibus ille ſanguinem vſque ad animi deliquium detraxit: liberauitque eos præſenti periculo: cùm primus ſynocha pura, ſecundus autem ſynocha putrida laboraret: vnde iocus emerſit, Galenum iugulaſſe febrem. Porrò huius ſectionis tria commoda enarrat. Primum eſt, refrigeratio totius corporis, tranſituſque illius in contrariam habitudinem. Secundum, alui purgatio, quæ talibus contingere ſolet ſemper: vomitus etiam bilis frequenter. Tertium, ſudor mollis toto emanans corpore: quare hoc genus ſectionis venæ etiam imperat libro de Venæ ſectione cap. 12. iam aducto. Pro ſolutione animaduertendum, quòd antiqui minorem ſanguinis euacuationem faciebant ex vnciis duodecim: vt colligitur libro de Venæ ſectione cap. 13. cùm dixit: Ante 14. annum ne ſanguinem detraxeris. Pòſt autem, vbi cætera ſigna adſint, primum quidem ad ſummum detrahes ad cotylam vſque. Eſt autē Cotyla, vt inquit Galenus in libello de Ponderib. & menſur. menſuræ genus, quod oleo ſi impleatur, nouem cōtinet vncias, vini autem decē, mellis tredecim ac ſemis: quo fit, vt cùm ſanguis grauior ſit vino, leuior autem melle, conſtat cotylam ſanguinis duodecim fermè vncias continere: quod & argumento euidenti cæterorum comprobatur: nam Princeps, & alij claſſici, & antiqui viri loca Galeni interpretantes, pro numero cotylarum totidem ſuppoſuerunt libras. Igitur prima ſanguinis eductio ſaltem vnius erat libræ: at ſecunda, ſi quando erat neceſſaria ſemper pro dimidio primæ menſuram habebat. Neque te moueat quòd dixerit, ad ſummum talem eſſe

debere;

debere: nam Galenum nunquam inuenies in sanguinis detractione vnciarum numero vti: id planè est argumentum, nullam minorem hac mensura voluisse sanguinis missionem: quod etiam ex maxima illius quantitate intelligere licet, quæ est sex cotylarum: idest vnciarum 72. ferme libro eodem, cap. 12. tum verò cap. 17. pro phlegmone oculorum libras tres sanguinis primo detraxit, deinde post horas quatuor vnam, vt sic essent vnciæ 48. nec metam dimidij obseruauit, ob nimis copiosam priorem sanguinis detractionem. Si quis igitur maximam illorum tẽporum sanguinis missionẽ ad maximã huius æui, minimamque ad minimam conferat, facilè intelliget, minimam antiquo tempore sanguinis detractionem, libra non fuisse minorem, atque id merito: nam vbi opus non est, nullam facere decet: vbi opus est, si non altera præcesserit euacuatio, minor, ac turbat corpus, nec iuuamentum affert: maior autem frequentissimè ista necessaria erit. Cæterum vt ad rem reuertar, autoritas libri Aphorismorum in 3. textu de sanis est, quæ in 22. de ægris. Expedit igitur in ægris modo distinguere, nam Galenus nunquàm ad syncopam ægrum deduci vult: vnde cap 14. iuxta initium, libro de Venæ sectione, dum curam phlegmonis tractaret, inquit: Potissimum autem pulsuum mutationi, tanquam iudicio haud quaquam mendaci, animus diligenter est adhibendus: continuóque quiescendum pulsu in magnitudine vel æqualitate variato. At syncopa 11. tertij trac. 2. cap. 6. est destructio maioris partis virtutis motiuæ ac sensibilis, propter cordis debilitatem factam, & aggregationem spirituum à causa illos destruente, vel ob paucitatem cogente. Galenus autem 12. Artis curatiuæ c. 5. in initio dixit, syncopem esse præcipitem virium lapsum. At verò quid intersit inter syncopem, & animi deliquium, declarat ibidem iuxta finem, cùm dixit: Si quidem crudi succi loca spirandi occupent, obstruantque, ac aggrauent, syncopem efficiunt: si verò nec obstruant, nec aggrauent, animi deliquium. Constat itaque syncopam esse animi deliquio multo grauiorem. Præcipit igitur Hippocrates, non deducendum hominem ad syncopem: sed ad animi deliquium: hoc autem fit, vt diximus, cùm manente pulsu, æger animo deficitur. Verùm nec hoc facere decet, nisi in morbis molestissimis, & validis viribus. Validas intellige vires, non solùm quæ tunc, sed etiam in posterum hoc sine detrimento perferre possint: vt nihil incurrant eorum, quæ dixerat Galenus 9. Artis curatiuæ cap. 10. Sed hanc etiam mittendi sanguinis rationem Auer. 7. Collectaneorum cap. 8. nititur reprobare tribus rationibus. Prima est, natura non facit euacuationem vsque ad animi deliquium, igitur nec medicus, cùm sit imitator naturæ, rectè operantis. Secunda ratio fuit: non debet euacuari nisi nocitiuum, igitur non vsque ad animi defectionem: nam illa sequi solet cum aliquid etiam vtilis excernitur: fit etiam diminutio caloris naturalis in tali euacuatione, ad quam multa mala sequuntur. Respondeo, quòd hæc probant de syncopa, non de animi deliquio, demonstratum est autem à nobis hoc in tertio tractatu Contradictione 22. ex autoritate Galeni 12. Artis curatiuæ cap. 8. dico etiam, quòd in euacuatione nocentis humoris contingit animo deficere, absque eo quod euacuetur vtile quicquam: nam & si non euacuetur vtile, resoluitur tamen, ad animi autem defectum non est necessarium minui calorem naturalem: dictum autem Principis: Melius est infra subsistere, quàm exquisitissimè euacuare: verum est cùm finem sumus assequuturi.

CONTRADICT. XIII.

Euacuatio ad animi deliquium an detur cum tolerantia, & an Hippocrates in Aphor. 22. primæ particulæ, intelligat etiam de purgatione.

IVxta eundum Aphor. 22. primæ particulæ, est dubitatio primò, quòd Hippocrates loquitur de deiectione, Galenus de venę sectione. Item quia contradicere videntur Ducere ad deliquium animi, & Tolerare. Respondeo, Tolerare intelligit Hippocrates cum Galeno vbique in posterum bene ferre, & restitui, vt nihil ex his tribus dictis priore in contradictione sequatur: expositio autem Galeni de Venæ sectione, est super secundam Aphorismi partem, quia illa est generalis. Hippocrates enim solet (vt 2. & 3. Aphorismo primæ particulæ, & plerisque aliis locis) à singulari ad generalem methodum procedere: quod videns Galenus exposuit ad illius mentem: tum quòd (vt rectè ipse dicebat in libro de Venæ sectione) ad determinatam mensuram non licet accedere purgantibus medicamentis, vt sectione venæ: propterea expurgare corpus medicamento vsque ad animi defectionem, sciréque illum tolerare posse, est plusquam medici: non sic de venæ sectione. Animaduertere tamen est operæpretium, tutius in ardentissimis febribus fieri hoc, quàm in phlegmone: quia hic morbus etiam post tantam euacuationem relinquitur: in febre autem vnà tollitur, maximè si sine putredine fuerit: febris etiam ardens non fit nisi in iuuenibus robustis, & materia sanguini permixta: at phlegmone senibus etiam, & debilibus frequentius febre ardente contingere potest: in doloribus si causa etiam morbi simul tollitur securissima est.

CONTRADICT. XIV.

Febris ex putrido sanguine an detur.

IVxta dicta sæpius videtur cõtradictio: quia vt diximus in 12. Contradictione Galenus 9. Artis curatiuæ 4. ponit duo genera febriũ, continentium ex sanguine non putrido, & ex putrido, at 2. de Different. feb. cap. 9. dicit, quòd

quòd cùm sanguis putrescit, subtile eius transit in bilem, & crassum in atram bilem: ac sic nulla erit febris ex putrido sanguine, Idem clarè 2. de Crisi, cap. 12. vnde dicit: Liquet autem quòd cùm is putrescere cœperit, non amplius bonus ramanet, sed iam ad amaræ bilis naturam transit: atque in hoc illud seruatur, triplex esse genus simplicium febrium: quæ enim ex sanguine putrido fit, iam quodammodo biliosa est. Simplicem appellat febrem, non quæ ex vno tantum humore fit, neque enim ea datur: sed in qua vnius tantum humoris signa apparent. Ob id Princeps prima quarti trac. 2. cap. 43. nititur Galenum oppugnare duabus rationibus, quarum prima est: quod Hippocrates illam posuit, cùm tamen potius Hippocrates contrarium dixerit: nam in fine libri de Natura humana, & in fine primi libri de Morbis, dixit, omnem continuam febrem à bile procedere: quare etiam Gentilis dixit, se hanc autoritatem non inuenisse forsan quòd 4. Regim. acut. 67. hoc intelligere putauit Hippocratem: sed nil clarum. Si tamen locus est euidentiam præferens, is erit in libro de Natura humana: nam cùm dixisset in prima sectione testu 8. Quòd si aliquid eorum quæ in corpore continentur plus iusto calefiat, aut siccescat, homo protinus languet: subiecit in 20. textu, hominem sanguine, bile, pituita, & atra bile constare: verùm nihil hoc aduersus Galenum, qui & sanguinis febrem absque putredine concedit, & sanguinem etiam putrescere: quare ad rationem Principis deueniendũ. Cōstat autem in hoc vel sanguis, cùm est putrefactus transit in bilem? vel cùm putrescit? Si primũ, istud est falsum, nam crassior pars transit in atram bilem: igitur non totus in bilem. Argumentum hoc est sophisticum, quia iam Galenus fatetur, quòd in illa duo simul transit. Sed forsan oppugnabit Princeps responsum hoc, dicens: Igitur duæ febres necessariò euenient: altera ex flaua, altera ex nigra bile: quod totum est concedendum ad Galeni mentem. Secundò dicit: quòd hoc fit post putredinem: & interim igitur laborabit febre putrida sanguinis: & non videt quòd hæc est responsio vera Galeni: nam datur illa febris ex sanguine putrescente, sed est breuissimi temporis. Et ita Gentilis Galenum Auicennæ conciliat. Et quamuis Galenus vtrunque genus sanguineæ febris admittat: purum, quod est simplicissimum & breue: & id in quo iam sanguis in vtramque bilem transit, quod diuturnum est. Febris autem quæ diuiditur in crescentem, æqualem & decrescentem, non est putrida: ideo non est de consideratione medici. Vltimo dicit, non est necesse, quòd illud quod fit per putredinem sit putridum: quia putrefacta cùm ad separationem deueniunt, non sunt necessariò putrida: sicut nec vermis est putridus, qui ob putredinem generatur: nec cinis est igneus, qui ab igne gignitur. Ideo ad hoc diceret Galenus, quòd argumentum non concludit generaliter, in hoc tamen casu concludit: quia separatio hæc fit manente adhuc putredine: non sic de cinere, nec de animali. Secundum autem sensum Galenus non recipit: scilicet, quòd fiente putredine sanguinis transeant in bilem flauam & atram. Et ratio sua in hoc est satis bona: quia in quocunque minimo tempore potest incipere putredo, non tamen in quocunque minimo tempore ex sanguine bilis fieri potest, sed longa est necessaria transmutatio: & illud quod adducit de exemplo est verum: quòd omnia possunt putrescere, & manere in suo genere, donec perfectè corrupta fuerint. Turisanus 3. Artis medicæ, com. 38. nititur Galeno contradicere, dicens, quòd talis febris habebit accessiones pituitosæ, quoniam hic humor superabundat in sanguine. Sed quamuis argumentum sit difficile, dico tamen, quòd conuertitur in atram bilem: & quod putrescit est aggregamen humorum in potentia in sanguine, & ita totum putrescit. Igitur dabitur genus alterum febris ex sanguine puro. Dico, quòd nulla causa potest putrefacere purum: quin putrefaciat etiam impurum & ita totam substantiam sanguinis. Gentilis satis bene conciliat Principem cum Galeno: nisi quòd errat in tribus: Primò, quòd nititur conciliare eos, cùm velint esse discordes: quare melius erat dicere, quòd Galenus non sibi contradicit, & quòd rationes Principis aduersus eum possunt dissolui. Secundò, quia præsupponit hanc febrem sanguinis fieri à multitudine præfocante: hoc autem non est necessarium, sed etiam ab æstu, & aliis causis fieri poterit: & tamen verum erit semper quod dicit Galenus, quòd non remanet per longum tempus quin transeat in febrem ex bile. Tertiò, errauit cum Principe, quia negauit talem febrem à Galeno esse positam: cùm, vt dixi, illam posuerit: vel si credidit positam, breuis temporis illam fore existimauit: cùm tamen Galenus breuem eam solum vt simplicem esse voluerit. Sed si tam breuis spatij est, cur considerat eam Galenus 9. Artis curatiuæ? Respondeo, quòd ipsa non remanet pura diu, sed bene mixta: & in hoc etiam Gentilis non animaduertit: nam seruat intentionem curatiuam, & est sectio venæ ad defectum animi vsque, quæ non conueniret in puro causone, à bile flaua solum excitato. Hanc ob causam Auenzoar 3. Theisir, in illa febre prius volebat bilē purgare, quàm sanguinem mittere: quamuis hoc non sit ad mentem Galeni. Propter hæc Aëtius lib. 5. cap. 75. vtrunque genus febris sanguinis posuit: & putrescentis, & non putrescentis, & in cap. 77. eiusdem, differentiam posuit febris à sanguine corrupto, & ardentis febris, quam Græci causum dicunt. Eadem ratione Paulus lib. 2. cap. 28. maximus Galeni interpres, tanquam confessa à Galeno ambo genera posuit synocharum febrium: & Trallianus lib. 5. cap. 2. hoc idem, & si paulò obscurioribus verbis, attestatur. Haliabbas etiam, quamuis Arabs, in 8. Theoricæ cap. 4. illam posuit, nulla Galeni contradicentis habita mentione: quo fit, vt omnium interpretum testimoniis, vt nihil plus Galenus voluerit, quàm febrem sanguinis putridi non diu sine aliorum humoru msignis esse non posse. At dices: celerius subtilis pars in bilem transibit, quàm crassa

in atram

in atram bilem: igitur relinquetur sanguinea febris cum biliosa. Respondeo, quòd antecedens est falsum in via Galeni, & si consequens non multum repugnet illi. Conciliator verò Differentia 89. hanc mouit quæstionem: verùm in diiudicando parum claudicat, existimans posse diu perdurare, latitantibus exacerbationibus, quod omnino est falsum: nam tertiana accessiones breui apparent: nec vlla erat excusatio Galeno, vt illam quasi è numero febrium amoueret: si tandiu perdurare poterat. Dixit etiam, quòd extra venas non datur febris sanguinea, quia subtile transit protinus in bilem: sed tamen datur in venis. Verùm & in venis tam celeriter transit sanguis in bilem, quàm extra: ideò aliam causam quærere conuenit, cur non detur intermittens. Auicenna autem Galeno contradixit libenter in his quæ ad contemplationem pertinent, nec à iurgiis temperauit, vt 9. de Animalibus, cap. 2. Galenus (inquit ille) dimidium solum rerum olfecit, & tamen cum hoc ausus est philosophiam profiteri. Vix credat quisquam tam insolentibus petulantibusque verbis Galeno Auicennam maledixisse. Auer. 3. Collectaneorum 8. & 4. eiusdem 31. & 7. etiam libro cap. 8. hanc materiam tractat, parum ab hac determinatione differens. Rasis 17. Con. cap. 4. fol. 350. col. 2. inquit: Si sanguis putrescit fit febris & quamuis subtile transeat in bilem, non tamen est febris biliosa, qui nullam vt adurens habet quietem, nec adeò vt ea quæ fit à bile æstuosa est. Ideo existimat, quòd non est à bile febris illa, quia in illa bilis non putrescit. Sed quamuis non sit putridus, putrescit tamen, quia manent causæ putredinis, vtpote obstructio: & hoc toto tempore dicitur febris ex sanguine putrido, quia sanguis iam putruit, sed humores nondum putruerunt, sed putrescunt, & sunt in via. Contrà igitur vno humore putrescente, alij necessariò putrescunt. Ad hoc alias dicet: quoniam vna est præparatio vni & non alteri.

CONTRADICT. XV.

Peracutus morbus an in tertio die consistat.

PEracutum morbum vocat, quia statim in summo vigore consistit. Statim autem est intelligendum, circa primos quatuos dies, vel paulo vlterius 1. Aphor. 7. sed in Commento 6. eiusdem particulæ inquit: In peracutis autem, qui ad summum vigorem in tertio die perueniunt, victus summè tenuis optimus est. Respondeo, Peracuti morbi 5. Aphor. 6. in primo circuitu, idest in quatuor diebus finiuntur, dicebat Galenus & 1. de Crisi 16. vnde 2. de Decretoriis diebus cap. 12. iuxta initium: Acutus morbus vocatur qui septimum diem excedit: peracutus autem, quia intra illum terminatur. At rursus peracutorum genera duo sunt: Non exactum, quod quartum diem excedit, ad septimum pertingens: Qui verò sub ipso quarto die finitur, exactè est peracutus. Similiter & acutus exactè non vltra, 14. diem progreditur, non exactè finitur in 20. Rursus alij qui ad 40. diem extenduntur acuti prius fuerunt: sed conuersi in diuturnos vocantur delapsi ex acuto. Qui autem post 40. diem finiuntur chronici, seu diuturni sunt appellandi. Ob hoc igitur rectè inquit Hippocrates in Prognosticis, quòd acuti morbi intra 40. dies finiuntur, morbos vniuersos sub duobus dierum terminis comprehendens: acuti autem in quatuordecim diebus finiuntur, cùm simpliciter tales fuerint: idest perpetuum seruantes augumentum. Cùm igitur in 7. Aphor. præacutos inquit terminari intra diem quartum, vel paulo vltra: non de statu, sed de tota terminatione loquutus est. Quòd autem in 6. Aphor. dixerit, quòd ad summum vigorem in tribus diebus perueniunt, in Græco non habetur, est enim additio falsa. Sed si libet tueri, non terminum morbi, sed illius statum dicas declarasse: nam reliquum ad quartum vsque pro declinatione computari debet vera, aut ad mortem. Porro quòd accessiones per tertium fiant, & in accessionibus morborum status: memini iam me illud superius docuisse.

CONTRADICT. XVI.

In morbis peracutis an victu exquisitè tenuissimo vtendum sit.

IVxta illud contingit dubitare, nam cùm morbus peracutus est victu extremè tenuissimo vtendum est. 1. Aphor. 7. Est autem, vt inquit Galenus 1. Aphor. 4. victus extremè tenuissimus, ad statum vsque peruenire nihil dando: aut mellicratum, seu mulsam tantum, præcuti autem morbi numerantur 5. Aphor. 6. distentio neruorum, attontus morbus 2. Aphoris. 42. cinanche & sinanche 4. Aphor. 34. febris pestilens, non tamen ex toto genere, vt apparet prima quarti, connumerantur & 5. Aphor. 30. morbus comitialis, & conuulsio, quanquàm enim acutos nominet Hippocrates ibi, manifestum est tamen de peracutis debere intelligi. In omnibus igitur his ac cæteris aliis abstinendum erit à cibo. Sed hoc habet difficultatem, quia declaratum est à Gal. in commento 19. secundæ particulæ, quòd morbus peracutus cito terminatur, & sæua habet symptomata. At verò accidentibus virtutem prosternentibus illico dandus est cibus, 1. Aphor. 9. quomodo igitur victu tenuissimo vtendum erit? nona etiam tertij cap. 11. dat oximel & syrupum de melle in præfocatione: igitur non vtetur victu tenuissimo, plus enim nutrit oximel, quàm mellis aqua: tum maximè quòd Galenus in Commento 7. primæ particulæ, vult vt in morbis terminandis in quarta die, vel citra, exquisita inedia possit sufficere. Aëtius quoque lib. 6. cap. 27. in cura attoniti

morbi, exhibere nos docet alimenta pauca quotidie leuia, calida, & prima tertij cap. vltimo cibus patientis attonitum morbum sit panis in mane cum ficubus siccis. Aëtius quoque in cap 95. lib 5. docet quòd in febre pestilenti sufficit vt vtantur victu contrariæ qualitatis: non dicit tenuissimo, & Princeps prima quarti trac. 4. cap. 4. loquens de laborantibus hoc febris genere inquit. Et plurimi eorum qui cibus alacriter sumunt seruantur: consulitque vt capiant ipsum pro viribus. Aëtius etiam lib. 6. cap. 2. iubet in phlegmone cerebri vt cibentur alica, vel ptisana: neque dicendum quòd de declinationis tempore intelligat, nam subiicit: Morbo autem mitigato dentur oua sorbilia & lactucæ. Idem in syncopalibus febribus lib. 5. cap. 97. & 98. iubet in ea quæ fit ex redundantia crudi succi, si virtus deficiat, hominem nutriri pane & vino: in minuta confertim, non paulatim, quæ ambo à Galeno sumpsit 12. Artis curat. cap. 3. Verùm ille hæc concedit tantum his, qui syncope vexantur prostata virtute: necesse est enim periculum periculo propellere, cum igitur symptomata grauia sunt at virtus constat, tunc omnino abstinendum est à cibo: neque enim semper magnitudini illorum virtus succumbit. Oximel autem cibus est medicinalis, vel medicina cibalis, vt 2. Artis curatiuæ cap. 3. habetur, propterea non connumerabitur inter cibos puros & simplices, in 7. verò Aphor. primæ particulæ, loquitur Galenus sub distinctione: vt vel abstineant in totum à cibo, vel vtantur mulsa, vel modico ptisanæ succo: nam omnibus modis his exquisitè tenuis victus ac tenuissimus adhibetur. De attonito loquitur Aëtius & Princeps in declinatione: quî enim fieri potest, vt consistente morbo panem & ficus edant? qui nec possint os aperire, vel oculos attollere? Ad id de febre pestifera est exceptio, quia illa nec coctionem habet, nec symptomata ex actione virtutis, sed ex malitia materiæ: ideo sumus in casu Aphor. 9. primæ partic. in phlegmone autem cerebri, cum sit morbus simpliciter acutus, cibum damus, & etiam quia est morbus compositus. De syncopali febre dictum est, quòd solum vbi syncopis inuaserit, tunc nutrimus si morbus intra septimum diem sit terminandus: quinimo etiam vtimur victu tenuissimo, etiam si diutius sit permansura vsque ad septimum diem, modò virtus sufficiat.

CONTRADICT. XVII.

Morbis acutis an necessario febris complicetur.

Morbus acutus febrem habet necessariò sibi iunctam, 1. Aphoris. Commento 7. & 3. de Diebus decret. cap. vlti. verùm 3. Prognosticorum 34. dixit, conuulsionem esse aliquando sine febre, cùm tamen numerentur inter morbos acutos, & 1. Prognosticorum 26. distinguit acutos morbos cum febre venientes ab his qui febri minime iunguntur, & 2. Aphor. 19. idem agit. & 5. Aphor. 30. connumerat conuulsionem, comitialem morbum, & attonitum, & distentionem, qui sine febre aduenire possunt: idem dico de coli dolore. Respondeo, morbi acuti, qui febrem sibi adiungunt necessariò, eam sortiuntur inseparabilem: non tamen omnes febrem sibi adiungunt: hoc igitur voluit Gal. in 7. Commento primæ particulæ, & 12. cap. tertij, de Crisi, attamen verba illa aliam videntur præferre sententiam inquit enim ibi: ὡς δ' Ἱπποκράτης ἔλεγε, τοῦ μετὰ πυρετῶν συνεχοῦς γιγνομένου συμβεβηκὸς: ἐξ ἀνάκης ἔσται τὸ ταχέως κρίνεσθαι, id est: Vt autem Hippocrates dixit, cum febre euenientis, accidens est, necessariò celeriter iudicari. Quare non omnis acutus cum febre gignitur: interpres non est lapsus. Sed quidam legentes, vt & pleraque alia, in contrariam directè Galeno sententiam verba hæc adduxerunt.

CONTRADICT. XVIII.

Olera an frigidum & humidum exhibeant alimentum.

Diximus antea, quòd omnia olera aquosum, & tenue, ac paucissimum præbent alimentum, 2. de alimentis, capite de plantis spinosis, nec potest dici, quòd de frigidis tantum intelligat: connumerat enim Scolymum inter ea, & si aculeatum: quem constat ex 8. de Simplic. medicam. esse siccum in Secundo, calidum verò in fine secundi, vel initio tertij. At verò in de Dissolutione continua cap. 6. vult, quòd brassica atram bilem gignat. Auerroës quoquo lib. 5. Collect. cap. 41. vult, quòd omnia olera, præter lactucam & buglossum, melancholiam gignant. Galenus verò in libro de Attenuante victu, cap. 2. distinguit: nam frigida & humida aquosum humorem gignere fatetur, exemplificatque de cucurbitis & atriplice: calida verò & sicca calefaciunt, & attenuant. Rasis verò 9. ad Almamsorem, cap. 13. inquit: Et deuitet omnia olera, præter humectantia, qui melancholiam patitur. Galenus in Commentario 3. de Diæta sanorum, vult brassicam inter olera calefacere, & siccare: nam Hippocrates in textu ab oleribus esse abstinendum per hyemem admonuerat: quasi quòd olera infrigident, & humectent. Gal. lib. 2. de Alimentis, brassicam tenue alimentum & siccum præstare fatetur: ad lentem verò comparata, humidū: idem libro 7. de Simplic. medic. fac. quasi temperatam videtur existimasse in calido frigidóque, sed tamen exiccantem: vnde non rectè videtur Serapio caules inter medicinas in primo calidas collocasse cap. 31. quamuis concordet cum Pincipe, qui 2. Can. cap. 143. ponit illam calidam in primo, siccam in secundo. Sed hæc obiter: ad rem redeo. Actu omne nutrimentum olerum humidum est, seu aquosum, tenue, ac paucum potentia verò aliud calidum, aliud frigidum, aliud adurens: crassum autem, aut plurimum esse non potest: verum etiam vt medicina reliquum nutrimenti exuere po-

test aut condensare, sic & sanguinem, hocque modo crassum alimentum exhibere. Ratio autem est, quòd ab oleribus non potest nisi tenue, & paucum alimentum secerni: calidum autem, vel frigidum, humidum, vel siccum, pro oleris ipsius qualitate.



LIBRI PRIMI
TRACTATVS QVINTVS.

CONTRADICTIO I.

Caro an instrumentum tactus.



CARO, quod ad ipsam habet proportionem est tactus instrumentum, 2. de Partibus animalium cap. 1. & cap. 8. iuxta initium. Videtur autem adducere duas rationes non leues: quarum prima est, quod omnibus animalibus commune est, necessariò debet esse instrumentum tactus: quia tactus communis est omnibus animalibus: animal enim per tactum, vt habetur in 2. de Anima. Sed sola caro, vel quòd ei proportione respondet in exanguibus animalibus, est communis omni animali: quia vt ipse declarauerat, caro est tutela animalibus à frigore, & calore: Est igitur omnibus communis. Altera ratio, est quòd corpulentissimum in animalibus debet esse subiectum sensus tactus: tale autem est caro, vt manifestum est: nullum enim animal magis abundat & vbique, alia parte simplici, quam isti similarem vocant, quàm carne. Manifesta est assumpta prima propositio, quia cùm tactus sit ad tutelam animalis, debet esse in quacunque animalis parte: & etiam corpulentissima, cùm primas solus hic sensus sentiat qualitates, & etiam subiiciatur dolori: quare opportunum est, vt sit etiam corpulentum hoc instrumentum, aliter cito dissolueretur. Vnde patet cur instrumenta aliorum sensuum omnia latitent in profundo corporis: solus autem tactus instrumentum, cùm toti corpori, & exterius maximè, esset necessarium, in corpulentissima parte positum est. Prima ratio indiget propositione declarata 8. Phy. 46. & est, quòd singulis formis suæ materiæ debentur: nec potest forma hominis recipi in luto, aliter vna species fieret simul per se, & à casu. Sed hic oritur difficultas, quia Philosophus 2. de Partibus, cap. 10. duo vult esse necessaria singulis animalibus: partē, per quam cibum immittant, & emittant: igitur non videtur tactus ob hoc necessariò in carne fundari: propterea quidam ex duabus rationibus vnam conficiunt. Sed tamen causa sensus alia est à causa operationis. Ideo tales non videntur intelligere quod dixit Philosophus in eodem 2. de Partibus, cap. 1. cùm inquit: Operationes ipsæ sunt dissimilium, & ex pluribus compositarum partium: sed vis ipsa sentiendi est simplicis partis. Vt igitur instrumenta sumendi cibum sunt composita, non possunt esse caro, aut neruus: sed compositum, seu vt dicunt dissimilare, quod tamen in omnibus inuenitur animalibus. Sed hoc primo habet difficultatem, quia idem Philosophus 2. de Partibus, cap. 10. iuxta finem, inquit: Tactus autem sensorium non caro est, nec pars eiusmodi aliqua, sed aliquid intimum. Idem etiam videtur innuere Philosophus à textu 107. ad textum 116. secundi de Anima, vbi concludit tandem, quòd caro non sit instrumentum tactus, sed medium. Adducit autem duas rationes, quarum vltima, quæ ponitur in textu, 116. est clara, & est. Sensibili posito supra sensum, non fit sensus: sed sensibili posito supra carnem, fit sensus, vt experimento patet: igitur caro non est primum sentiens, sed aliud. Prima propositio in reliquis sensibus inductione ostenditur, vt patet de colore supra oculum posito. Alia ratio videtur obscurior, quæ proponitur in textu, 106. & 107. secundum Auerrois expositionem, & talis est. Si sensus tactus sunt plures, caro erit medium, non instrumentum: quia impossibile est vt vnum instrumentum inseruiat pluribus virtutibus: at verò sensum tactus diuersum esse ostendit: vnde etiam 2. Collectaneorum 13. triplex est sensus tactus. Vnus communis toti corpori, quo sentimus calidum, & frigidum, & reliqua. Secundus, quo os ventriculi hora inanitionis famem sentit. Tertius, quo virgæ summitas hora concubitus venerei, sentit delectationem. Sed tamen de hac multiplici sensus natura non videtur intellexisse Philosophus in textu 107. sed arguit sensum tactus esse multiplicem, quia sentit calidum, frigidum, siccum, humidum, durum, molle, ac talia, vnde diuersitas Auerrois est potius ex modo sentiendi, & ex partibus instrumentorum, sicut dixit de carne, quæ est in summitate virgæ. Quidam dubitarunt frustra, deesse solutionem dubitationis: cùm in texto Greco iaceat, Ἔχει δέ τινα λύσιν; & reliqua: vt ratio prima in nullam vim redigatur: cùm fateatur Aristoteles, sensum tactus, quamuis plures agnoscat differentias, vnum esse. Secunda etiam ratio videtur tam aduersus neruos militare, quàm etiam aduersus carnem. Sed Auerroës 2. Collectaneorum, inducit simul rationem contra Galenum pro Aristotele, & soluit rationem Galeni hoc modo. Quod debet sentire, medium esse debet inter qualitates, vt iudex 2. de Anima. 118. Sed neruus est frigidus & siccus, & cerebrum frigidum

& humidum: igitur nec neruus nec cerebrum possunt esse primum instrumentum tactus. At quia caro declinabat ad calidum & humidum, necessarius fuit ei neruus ad contemperandum carnem: ideo caro neruo carens, obtusi sensus est: non dicit, quòd sensu careat. Sed remanet difficultas alia, quia raro videtur concedi quod sit medium, & sensus tactus plures 2. de Anima. 111. cùm iam, vt dixi, difficultatem hanc in 108. sustulisset: propterea Auerroës in commento illo roborauit rationem Philosophi dicens: Acutum & graue, magnum & paruum, in sono sub eadem specie vel saltem genere continentur: ideo auditus potest esse vnus: sed calidum & frigidum, & graue & leue, non continentur nisi sub homonymo genere: quare tactus non potest esse vnus. Deinde in fine commenti grauius agit: & primo videtur consentire his, qui neruos volunt esse instrumentum tactus: & dicit, Aristotelem in libris de animalibus ignorasse neruos: deinde in libris de Anima, ratione, non sensu illos inuenisse: quoniam hos post libros de Animalibus composuisset. Sed cùm dictis suis aduersetur in Collectaneis iam à me expositis, Philosophum etiam indignè redarguit qui 3. de Historia animalium c. 5. de neruis plurima disserit: cùm locus ille etiam ante libros de Partibus constituatur: quinimo habere aliquam vim circa tactus sensum, Philosophi ea verba ostendunt: nulla corporis particula stupore tentatur, quæ neruis careat. Adducit 2. de Partibus animalium Auerrois cap. 2 quatuor alias rationes, quòd caro sit instrumentum primum tactus, non neruus. Prima est: Neruus non vbique extenditur, sensus tactus est in toto animali diffusus: igitur cùm caro extendatur, erit caro instrumentum primum, non neruus: etiam dato quòd caro indigeat neruo ad sui temperamentum. Secunda ratio, quæ magis propria est illi (cùm prima fermè sit ea quæ Philosophi, nisi quòd ratio Philosophi est generalis: Auerrois verò vt comparatur caro soli neruo, & ideo aduersus Galenum) Neruus est durus, igitur non est aptum instrumentum sensui tactus: nam durities est impedimento sensui: & ideo etiam Galenus duriores ex neruis motui, molliores sensui dedicabat. Tertia ratio: Proprium instrumentum visus est humor glacialis in oculo: quamuis Galenus fateatur neruos concurrere ad causandam visus operationem: igitur idem de tactu. Postmodum ostendit etiam primò non solum propriè hoc ei inesse: quia caro est temperatissima partium similium quæ sint in animali: sed tactus primo inest temperatissimæ parti, non intemperatæ, igitur carni, non neruo, vel cerebro. Deinde dat similitudinem inter cor & carnem nam cor, vt est instrumentnm, & membrum, principale conseruans totum corpus & omnes functiones tanquam agens perficit: sic caro tanquam patiens, cùm sit membrum, seu pars similis recipit: ideo hæc duo natura iunxit in vnum, fecitque cor carnosum. Tandem concedit, animalia aliqua neruo & cerebro carere, vt spongias marinas: & tamen habent hæc sensum, licet obtusum, sententia igitur Auerrois est, quòd caro neruo contemperata, sit primum, proprium, & perfectum tactus instrumentum: quanquam in 2. de Anima, paululum ob verba Philosophi deflexerit, vt quasi cum Galeno consenserit. Nec potest dici, quòd credat Aristotelem etiam sic sensisse: nam non fuisset sermo contrarius, imò concors 2. de Anima. 108. cum dictis 2. de Partibus animalium: nec etiam oportuisset dicere, carnem esse medium, si contemperata est instrumentum; nec oportuisset excusare Philosophum de ignorantia neruorum, tempore quo composuit librum de Partibus animalium: quia hoc sufficeret Philosopho, quòd caro esset instrumentum tactus: quia de temperamento etsi non dicat, non tamen illum negauit. Auicenna in 2. de Anima cap. 3 idem fatetur, quòd caro vt neruorum virtute temperata, sit proprium & primum tactus instrumentum. Aliud tamen vult 12. de Animalibus cap. 6. cùm dixit. Sed consilium optimum, quod mihi videtur, est, quòd primum sensibile sit spiritus: & ponit ibi quatuor opiniones: Prima, & magis remota est, quòd primum sensibile sit solum cerebrum, vel neruus: & contra hoc arguit: quia cerebrum non sentit cum phlegmonem patitur, sed tantùm cùm eius panniculi. Secundo, quia non valet. Oculus videt per virtutem à cerebro infusam, igitur cerebrum est primum instrumentum visus, & non oculus: nam medici concedunt primam propositionem, & negant secundam, quæ est contraria sensui. Tertia ratio est alibi dicta, quia cerebrum & nerui sunt extra temperamentum, & cum hoc declinant ad frigidum: igitur cùm frigidum aduersetur sensui, non conuenit, vt vel cerebrum, vel neruus sit primum sensitiuum in tactu. Secunda opinio est: Dicit quòd sit carnea substantia: & hæc est (dicit) dignior quàm quòd sit neruus, vel cerebrum: tum quia carnea substantia est temperior, tum quia per se calidior: & caliditas non impedit sensum. Sed tamen illa (inquit) non videtur mihi primum instrumentum: & ratio, vt credo, est, quia nisi contemperetur à spiritu, non sentit: & etiam, quia (vt diximus) Aristoteles videtur negare hoc manifestè: & sic reprobauit primam opinionem, quæ est Galeni & medicorum: & secundam, quæ est Auerrois & conciliatoris in differentia 42. quæ omnino est falsa. Deinde ponit tertiam, quòd cor sit primum sensitiuum & instrumentum ratione carnis suæ: non quia temperatum, sed quia fons est sensus, & calidum: caliditas verò est principium, & fouens omnes operationes. Et hæc videtur fuisse opinio Alexandri, quanquam videatur de carne absolute dixisse. Sed tamen nec hanc sententiam veram esse credit, quia & ipsum cor sentit secundum spiritum: & forsan intelligit, quòd non approximatur sensibilibus sicut spiritus, nec potest verè dici cor intimum comparatione ad carnem. Relinquitur igitur, vt primum sensus tactus instrumentum apud Auicennam, & iuxta illius sententiam, sit spiritus: quia non potest esse aliquod aliud ex his quæ secundum rationem instrumentum dici poterant.

Se

Sed est etiam apud illum difficultas & contradictio cum Aristotele: nam in 11. de Animalibus dicit Auicenna, quòd virtutes naturales sunt in membris consimilibus, animales autem in dissimilibus: sed videre, & tangere, sunt virtutes animales: igitur erunt in membris dissimilibus, & non consimilibus. Et hoc contradicit directè non solùm dictis Philosophi 2. de Partibus, cap. 1. iam declaratis: sed conclusioni factæ: quia spiritus non est primò membrum, sed pars tantum corporis nostri: & si esset mẽbrum esset consimile, non instrumentum. Sed hanc difficultatem dissoluit dictũ Philosophi primo de Historia animalium, cap. 4. vbi loquens de sensu tactus, idem dicit quod 2. de Partibus cap. 1. scilicet, quòd virtutes omnes, quæ patiendo perficiuntur, vt sensus, in aliqua consimili parte consistunt: & proprie de tactu exemplum dat, qui fit vel in carne (dicit) vel alia parte consimili, sed tamen sanguinea, aut quæ illi respondeat: ex quo etiam clarum est illum exclusisse neruum, cerebrumque, quæ non sunt sanguineæ partes: tamen etiam carnem neruosam, cùm sit dissimilium partium: virtutes autem agentes in dissimilibus continentur, vt motrix: quare apud Auicennam pro NATVRALI, lege PATIENTEM, seu quæ patiendo perficitur: pro SENSITIVA, AGENTEM. Nec potest dici, quòd sensitiua apud Auicennam dicatur actiua virtus, cùm in hoc Aristotelem Princeps sit secutus, non Galenum.

Sed est alia contradictio in dictis Auicennæ 5. de Anima, cap. 8. dicit enim iuxta medium: quòd cor est sensibilius cerebro, in sensu tactus: & ideo dolores cordis sunt longe maiores & intolerabiles: & videtur statuere cor primum quod sentit, cùm philosophis. Et in fine capituli vult contra omnia dicta hic, & alibi, quod neruus sit primum instrumentum tactus cum musculis: & quòd forma virtutis sensitiuæ sit in anterioribus ventriculis cerebri. Ad hoc respondetur, quòd hìc loquitur secundum medicos, & sermones magis sensibiles: antè, & alibi, secundum veritatem. Et quòd hæc responsio non sit voluntaria, vide quid dicat prima primi, doc. 5. cap. primo, dum de cordis principatu loquitur, inquit enim: Et Philosophi sermo cùm subtiliter certificatur, est veracior: sed medicorum sermo in primis cùm attenditur, est magis manifestus. Noluisse etiam omnino Philosophũ neruum esse tactus instrumentum declarant verba eius 1. de Anima, cap. 5. inquit enim, ὅσα γὰρ ἔνεστι ἐν τοῖς τῶν ζώων σώμασιν ἁπλῶς γῆς, οἷον ὀστᾶ, νεῦρα, τρίχες, οὐθενὸς αἰσθάνεσθαι δοκεῖ, ὥς τε οὐδὲ τῶν ὁμοίων, καί τοι προσῆκεν. Id est: Quæcunque enim sunt in animalium corporibus simpliciter terræ, vt ossa, nerui, pili nihil sentire videntur: quare neque similia sibi: & oportebat tamen. Non ignorauit ergo neruos, sed sentire negauit, & in libro de Sensu & sensato, cap. 2. in fine, dum olfactus sensorium in cerebro collocat, tactus & gustus primum instrumentum iuxta cor ponit. Quare cùm omnes, quo ad primum sensitiuum, in cor-de collocet, manifestum est hic ipsum loqui de instrumento, non de primo sensorio. Quare hoc etiam eius cæteris dictis congruit, quòd instrumentum tactus nec est neruus, nec caro, nec neruosa caro, cum talis vbique reperiatur, non cor ipsum: nam cor non recte iuxta seipsum dici potest, sed initium aliquid.

Reliquum est igitur, vt ostendamus, cur carnem dixerit instrumentum tactus: & vt Galeni rationibus respondeamus, declaremusque quid hoc sit initimũ instrumentum. Cõciliator videtur Aristotelem arguere, quòd veram neruorum naturam ignorauerit: nam 3. de Historia animalium, cap. 5. inquit: Nam ossa omnia seu vicissim foris tanguntur, siue alterum alteri inseratur, neruis ligantur: & circiter ossa quæuis neruorum copia ducitur excepto capite: nam id suturis ipsorum ossium continetur. Quarum manifestum est, ligamenta ossium cum neruis ipsis confudisse, nec illorum propriam naturam agnouisse. In cap. etiam 11. eiusdem libri iuxta initium ait: sensu cutem carere constat, maximéque in capite, quoniam nulla interposita carne ibi ossi adhæreat. Et certè hæc prodigiis similia videntur, cùm cutis capitis auulsis capillis dolorem afferat: ligamenta etiam vt commixta neruis maximum dolorem inferunt, vt in eculeo tortis manifestum est: quod tormentis genus Aristotelem non ignorasse, cùm antiquissimum sit, verisimile est. Sed si non de cute capitis verba habuisset, facile poterat excusari: nam cutis exterior, quam vocant qui dissectionem exercent ἐπιδερμίδα, proculdubio sensu carere videtur. At cùm de capitis cute loquatur, vtramque amplecti videtur. Incusat & Conciliator Auerroëm inconstantiæ; qui modò carnem, modò neruos, modò neruosam carnem, primum tactus instrumentum dixerit: vt etiam in Paraphrasi de Sensu & sensibili, iuxta initium, vbi declarat proprietatem sensus tactus, quòd sentiat instrumentum, quamuis non sit nudum à qualitatibus primis, ipsas tamen primas qualitates; nam ibi carnem posuit instrumentum tactus: & in secundo de Anima, neruos: & in Paraphrasi de animalibus, neruosam carnem.

Quamobrem cum rectum sit iudex recti & obliqui: ideo primo videndum erit, quidnam senserit Philosophus de hoc. Videtur autem iudicio meo constituere duo, principium sentiendi in corde, & instrumentum ipsius carnem. Cùm autem dixit, cutim non sentire: intellexit cuticulam vocatam ἐπιδερμίδα nam hæc proculdubio parum, aut nihil sentit: non autem ex toto carere sensu manifestum est: cùm dicat, cutim capitis maximè talem esse, id est sensus expertem. Nam si ex toto cutis sensu caret, cutis capitis in nullo minus potest esse sensitiua reliqua cute. At verò carnem non propriè sentire vult, sed receptiuam esse sensus, est manifestum, velut medium quoddam, cùm sensus in corde perficiatur: nam in doloribus & voluptate totus homo afficitur: & hoc est, quia cor ipsum sentit, non autem in videndo. Gustus etiam quædam tactus species. Primũ igi-

tur non perfectum sensitiuum est caro: primum & perfectum est cor ipsum: & propterea bene dixit Auerroës in principio libri de Sensu & sensili, quòd tactus & gustus medio non indigent, vt reliqui sensus: & tamen dixit Philosophus, quòd omnis sensus sit per medium, vt 2. de Anima 98. & 116. exponit Zimarra de medio exterio. Sed licet hoc sit verum & Aristotelis, attamen altius insedit demonstratio 2. de Anima 116. & est, quòd sensibile positum super sensum non facit sensum perfectum: & ideo cùm sensile positum super carnem sentiatur, sensus perfectus non est in carne. Caro igitur habet duas virtutes, altera per quam est primum instrumentum sensus imperfectum: altera qua est medium perfectæ operationis sensus tactus. Et ideo dolor cùm sit imperfecta quædam sensus operatio, fit posito sensili super sensum. Per carnem autem quid intelligat philosophus, apparet, quòd substantiam generalem, quæ constat ex sanguine, vel ei proportionali, disseminatam per totum corpus, seu neruis commoderatam, seu non. Et quòd hoc voluerit Philosophus patet, quia in eodem 2. libro de Partibus, non dico in diuersis, nunc carnem facit primum sensitiuum in cap. 1. & negat eandem esse expresse, cap. 10. Quare necesse foret, nisi de duobus sentiendi generibus loqueretur, ipsum fuisse maximè obliuiosum. Et si quis quærat, quinam est vsus huius tactus imperfecti: Dico, quòd est ad salutem animalis: ideo sæpius dixit, tactum esse non vnum numero, cùm tamen alij sensus in plures non diuidantur. Sed cur dixit, non in corde, sed iuxta cor fieri? Respondeo, quòd vult carnem, quæ est in circuitu cordis, esse talem: nam sanguis sentire non poterat: alia autem non videbantur adeo terrea, vt possent esse tactus instrumentum. Ex quo patet, quàm indignè Auerroës conetur relinquere, & coarguere Aristotelem. Nec opinio Auicennæ de spiritu est multum ad propositum: cùm hîc quæramus de primo receptiuo, non de instrumento recipiendi: aliter esset dicendum, quòd spiritus esset primum receptiuum cuiuslibet sensus, & si sic, iam erit commune, & nos quærebamus proprium: quare hoc non erit ad propositum. Ex hoc patet, cur Auerroës modò dixerit carnem, modò neruum, modò neruosam carnem instrumentum: conatus est enim sequi quem iudicabat non vnam sententiam tenere Aristotelem. Eadem ratio euertit Auicennam, qui modò cum Galeno, modò cum Aristotele, eóque suo iudicio à seipso dissidente, sentire voluit: vnde illa postmodum dictorum suorum multiplex contradictio. Rationes autem Aristotelis duæ pro sensu imperfecto in carne, & vna pro perfecto in carne cordis expositæ sunt à nobis. Ex hoc patet solutio rationis Auicennæ: nam sensus imperfectus est diffusus per totum cropus ad cõseruationem animalis, sed perfectus est in corde: nec animal ipso indiget vbique, quia talis non est necessarius ad illius conseruationem, sed ad perfectionem. Est etiam (vt nihil, quamuis leue pro Philosophi opinione prætercam) illud considerandum, cur penis glans tanto sensu ac tam peculiari prædita sit, quæ carne constat: nam pauculi illi, ac exiles nerui, non per totam carnem dispergantur: neque cùm à capite proficiscantur in vlla alia parte consimilem delectationis vim efficere possunt: quare eius carnis hoc est priuilegium. Stupidum etiam efficiunt Aristotelem, qui neget, sensile super sensum positum sentiri: cùm constet, nos ignem, in quacunque corporis parte ponatur, non leuiter à nobis sentiri. Id autem accidit studiosis verborum autorum, non veritatis rei, vt simul cum re ipsa etiam mentem, quam maximè venantur, eorundem amittant.

Igitur hac visa opinione, ad Galeni sententiam, ex toto diuersam cum suis rationibus, accedamus: is namque non nugis, vt reliqui, sed sensu ipso Philosophum oppugnat: conatus ostendere neruos, non carnem, esse instrumentum tactus. Verùm ante eas inducam rationem communem ex concessis à Philosopho. Idem est instrumentum sensus & motus, 2. de Par. cap. 1. iuxta finem, atque id iure: quorsum enim sensus absque illo: neruus est instrumentum motus, non caro: igitur etiam sensus? Dico, quòd Philosophus dicit, quòd idem est principium non instrumentum, quinimo Galenus ipse confitetur, quòd durioribus mouemus, mollioribus aptius sentimus: etsi concedat vtrunque genus vtraque præditum esse virtute. Galenus igitur primo de motibus manifestis, sic ostendit virtutem sentiendi in neruis esse, & à cerebro proficisci. Si amputetur uus, quicquid supra remanet, sentit, & motũ retinet: quicquid infra est, vtroque priuatur. Et similiter infert: Si præcidatur spinalis medulla, id enim quod infra est, & à parte præcisa exoritur: sensum amittit, & motum: igitur cùm superiora hæc retineat, erit virtus sentiendi & mouendi neruo quidem insita, & à spinali medulla originem ducens, vnde primo de Vsu partium 16. inquit. Erit igitur neruorum vtilitas facultatem sensus & motus in membra ipsa ex principio deducere. Hoc autem iam cerebrum, & medullam spinalem esse ostenderat: vnde lib 16 cap. 2. Quod verò sensuum instrumenta neruos ad sensum exposcerent, illud iam abunde superius me declarasse puto. Et infrà: His autem, quibus exactiore erat opus sensu, molles natura neruos tribuit: iis verò, quæ voluntarium motum exercebant, duros omnes: quibus autem opus erat exactiore tum sensu, tum motu, etiam vtrumque genus. At verò in 5. lib. cap. 9. tres scopos naturæ in neruis disseminandis declarat ad sentiendum: primum, velut videndum, audiendumque: secundum ad mouendum: in his duobus maximis, vel etiam pluribus neruis opus fuit. At verò tertium scopum doloris sensum statuit: cuius causa nisi aliud adiungatur exilibus opus neruis fuit: quales renibus, & iecori, & pulmoni natura inseruit: cum instrumenta non essent sensus vllius aut motus. Eandem sententiam repetit in libello de Virtutibus nostrum corpus dispensantibus: quem Galeno ego tribuo, vt etiam librum de Partibus artis medicatiuæ, & de Motibus manifestis: & si initium sit eius, Dixit Galenus, nam hic

mos

mos Arabum fuit libros è græca lingua ad suam transferentium. Sed nec forsan Introductorius medicorum, & si aliàs de illo non parum dubitauerimus, à Galeno erit alienus. Sed hæc obiter: illud consulto: Videri mihi eos, qui de hoc scripserunt, adeo contemptim hanc tractasse disputationem, vt maxima quibus innititur Galenus, argumenta prætererint: quale illud: Quod maximè sentit principium debet esse sentiendi, etiam aliis: tale autem neruus est: 4. artis curatiuæ, cap.6. namque ibi dicit: Si neruus lædatur, aut qui ex eo componitur musculus, aut tendo, vbi locus vacuus carne sit, tunc doloris, vigilarum, conuulsionis, ac delirij periculum instat: decebat autem longe secus esse si quo quomodo caro instrumentum poterat esse tactus.

Tertia ratio pro Galeno est, membra carne nuda, vt dentes, sentiunt secundum propriam etiam eorum substantiam, vt ipse Galenus 5. de Medicamentis secundum locos, cap.23. & 11. de Vsu partium cap.7. iuxta initium, & 7. tertij cap.1. non igitur ex carne sensus. Auerroës negat hæc quæ assumuntur, nam sensum, vt dixi, perfectiorem reddi neruo putat: quia caro redditur temperatior: non tamen non sentit etiam præcisa pars: verùm à maiore dolore minor obtunditur, dicente Hippocrate: duorum dolorum qui secundum eandem partem fiunt, maior minorem obscurat. Ob id igitur non sentit inferior pars, quæ necessario, vel vehementi dolore superioris obtunditur, vel breui emarcescit, & extinguitur. Erunt igitur tria membrorum genera, Carnosa, & hæc sensu prædita simplici: & Neruosa carnea, & hæc quidem perfectò: & Neruosa tantum, quæ non sentient sensu vero. Sed in hoc aberrat Auer. quia dixit nullo modo sentire: quamuis in neruo expuncto hæc adducat in medium, quæ aliàs scribam Deo volente dum distinguam, quidnam sit primum quod sentitur.

Nec illorum etiam opinio probanda est, qui putant alia membra per se sentire, secundum Galeni sententiam. Imò nerui per se sentiunt, cætera per neruos. Et si dicas, quòd cutis volæ manus est in instrumentum tactus temperatissimum, 1. de Temperamentis, vltimo. Fateor: verùmquamuis sit mixta ex carne & neruo, propter neruum tamen sentit. Dico igitur, quòd sensus magnitudo in neruo viget: nec est quod respondeat Auerroës secundæ rationi: nam dicere, non sentire, quia diuisio illa ac incisio quædam sit priuatio, etiam in carne locum habet dum pungitur. Quòd si dicat: Solæ primæ qualitates sentiuntur: at has etiam nudus neruus sentit, igne exustus. Nec hoc repugnare videtur Aristoteli si neruos vt arterias à corde nasci decernat: non tamen de perfectione sensus conueniunt, quam Galenus in neruo, Aristoteles (vt dixi) iuxta cor statuit in carne illius. At verò sensum quo animal est animal, si sensitiua etiam ossibus infusa est, quomodo Galenus neget carni & vniuerso corpori inesse? quandoquidem animal per sensum sit animal, & nutritiua vis cuilibet corporis parti necessariò ob id inest, quoniam vndequaque viuit: ob quæ tam Philosophus quam Galenus hanc sentiendi vim in toto corpore collocant. Atque id iure magis Galenus, qui Platonem secutus etiam plantis ipsis aliquod sensus vestigium concedat. At verò nihil refert, seu animam dicas per totum corpus diffusam, seu ipsius facultates tantum, ipsa in corde sedem habente: non enim potest esse viuens, nisi vbique nutriatur: nec sentiens, si aliqua parte sensus expers sit: quare nec capilli viuunt, qui etsi crescant, sensus tamen omnino sunt expertes. Ergo nec Albertus videtur rectè Philosophum interpretari, quòd caro neruis immixta sentiat: palàm enim est, quòd instrumentum, quod recipit simile, in partibus esse debet. Neque hi etiam vera dicunt, qui neruum grauis & leuis faciunt sensorium: calidi, & frigidi, carnem: essent quinque sensibus plures, vno superaddito, nec ratio Philosophi staret, qua putat debere instrumentum toti corpori esse commune. At verò Galenus qui carnem etiam sentire credit, neruorum facultate præditam, nihil in hoc habet Philosopho repugnans: cùm duo instrumenta non ponat, sed vnum tantum primum: quod etsi ponat, propositionem Philosophi ad specierum formas contrahet, non ad cæteras, quæ minus materiæ connexæ sunt: nam & Philosophus ipse fatetur, exanguia sentire per aliud, quàm per carnem: etsi carnis id in animali locum obtineat. Cæterùm dentes haud sentire dicet, cùm quotidie citra sensum vllum exedantur. Dicunt quidam, aduenire dentibus in extremo, quod vnguibus: vt superfluum id sensu careat. Verùm quomodo si pars illa non sentit, ab acerbis fructibus obstupescũt, & congelantur? manifestum est enim affectum illum dentibus inhærere, que parte inuicem committuntur. Quare & aliquid tale inesse illis Philosophus concedet, qualitate etiam altius progrediente. Membranæ autem, & cutis, exquisitum habent à neruis, vel à corde sensum: porrò obtusum, qua parte solum sunt animalis sentientes partes.

CONTRADICT. II.

An finis ipsius medici sit sanitas.

INtentio medici est sanitas: finis autem adipisci eam, in de Sectis primo. At 9. Artis curat. 10 & 13. prima cura habenda est de virtute, est enim prima illius intentio. Respondeo, Intentiones sunt duæ: altera ad finem, & hæc est ad sanitatem, vnde 11. artis curat.9. Quicquid scripsi, pro sanandis ægris scripsi. Altera intentio est ad finis media, vt finem nos possimus consequi. Et hoc modo illa partitur in plures: è quibus prima est ad virtutem, secunda ad morbum: & ita de aliis, vt dictum est. Vel clarius, Intentio medici est sanitas, illa verò à quibus sumitur intentio operandi, sunt alia plura: & sic differt intentio à rebus à quibus sumitur. Circa quod est aduertendum, quòd in Introductorio capite 6. sanitas est scopus medici semper: sed non est eius finis, nisi cum potitur ea. Sicut

ſcopus gubernatoris nauis eſt, ſeruare nauim: ſed non eſt illius finis, niſi cum eam ſeruat. Et ſi quis dicat, Contrà, quia, 10. Artis curatiuæ 10. Hecticam tertiæ ſpeciei curat, non vt ſanet, ſed vt reducat ad tabem frigidam: igitur tunc ſcopus eius non eſt ſanitas. Reſpondeo, quòd producere vitam, eſt finis conſequens ad id primo intendit medicus: id eſt reducere ad ſanitatem, reducit autem ad ſanitatem in eo, quòd tollit morbum caliditatis ſiccitate relicta: & ita remouendo morbum, inducit ſanitatem pro parte. Nam ſecundo Artis medicæ capite ſecundo, etiam ægri ſunt in ſanitatis latitudine conſtituti. Sed dices, Loquitur de ſimpliciter, non vt nunc ægris: Reſpondeo, quòd etiam omnis æger vt nunc aliquid habet de ſanitate propria: ſicut quilibet æger ſimpliciter, quem inſalubrem quidam vocant, in latitudine ſanitatis conſtituitur: velut ſanitatis ſimpliciter particeps: tantum enim quilibet habet de ſanitate, quantum eſt id per quod à ſummo morbus deficit. Et eodem modo conſiderat medicus de parte decorem augente, etiam præter naturam, vt in infibulandis adoleſcentibus: tum etiam de caſtrandis, vnde Paulus Ægineta lib.6.cap.68. dabat rationem huius: Cùm enim potentes, hoc vel illud facere omnino volunt, medici officium tunc eſt, quamquam ad ſanitatem ſit inſtitutus, procurare, quò minore ægri malo ac periculo fiat.

CONTRADICT. III.

An ad medicum pertineat tractare de decoratione.

Circa hoc contingit dubitare: an ad medicum pertineat tractare de decoratione, tanquam de re per ſe ad illum ſpectante: cùm vt dictum ſit omnia ſanitatis cauſa agat, vt oſtenſum eſt in præcedenti contradictione: nam Aëtius in 16. libro de ea pertractat, & Princeps 7. quarti. Reſpondet ad hoc Galenus primo de Medicamentis ſecundum locos, cap.16. quòd decoratio vel eſt ad reparandum naturalem pulchritudinem, vel ad addendum aduentitiam: prima quidem ad medicum pertinet, non autem ſecunda, niſi vt diximus in præcedente contradictione. Quomodo autem pertineat hoc ad ſanitatem inſtaurandam, intellige: nam præternaturalis turpitudo vel eſt iuncta cũ morbo, vt ſextus digitus: vel eſt ſignum morbi, vt vitiligo. Quare medicus vt tollat morbum illum, procurare debet, vt etiam quaſi coniunctum veſtigium turpitudinis aboleat. Sed quid de cicatrice, quæ iam non eſt cum morbo, qui poſſit auferri, quamuis ipſa poſſit aboleri, nunquid medicus debet eam tollere? Videtur quòd ſic: quia eſt res præter naturam, vt Galenus, 14. Artis curatiuæ cap.16. de mangonibus reparantibus nares puerorum. Sed hoc pro exemplo: nam pars non poteſt ſana diu permanere propria carne deſtituta. Sed quid cùm morbus procuratur à medico, vt cùm abſcindit membrum propter cancrum, 14. Artis curatiuæ 13. Reſpondeo, intendit primo, & per ſe ſanitatem: & eſt ablatio cancri: quæ tamen non poteſt fieri, niſi cum alio morbo in forma, vel numero, ſed tamen leuiore.

CONTRAD. IV.

An medicina ſit ſcientia.

Galenus principio tractationis Artis medicinalis dixit, Medicinam eſſe ſcientiam: & in titulo dixit artem. Conciliator differentia 3. mouet quæſtionem. Philoſophus 5. primæ philoſophiæ vocat eam ſcientiam: ſed Auerroës vult illam eſſe artem in commento, exponens Philoſophum expoſitione Anglicana. Princeps etiam vult in ſua deffinitione prima primi eam eſſe ſcientiam, qui tuentur opinionem Auerrois primo Collectan. 1. & 6. Collectaneorum 1. & 7. eiuſdem cap.31. iuxta finem: & non ſolum eam eſſe artem, ſed mechanicam volunt: eo tamen modo, vt cùm artes diuidantur, 2. Phy. 24 in Vtentes, velut eſt nauigandi peritia, quæ non facit nauim, ſed illa vtitur: & Operantes, vt quæ ſecat ligna: & Imperantes, vt architectura: medicina eſt mechanica, id eſt non vtens, ſed faciens: non autem vt faciat propriè, ſed vt præcipiat. Igitur volunt hi, cùm non poſſint effugere, quin ſit ſcientia, quæ operari doceat, quòd tale genus ſcientiæ cum arte ſit idem: & ad hoc adducunt verba Philoſophi, 6. primæ philoſoph. 1. vel in Græca ſectione 5. primæ philoſophiæ iuxta initium: quæ tamen oppoſitum ſonant ex toto, cùm dicat ille: τῶν μὲν γὰρ ποιητικῶν ἐν τῶν ποιοῦντι ἡ ἀρχὴ, ἢ νοῦς ἐστιν, ἢ τεχνὴ, ἢ δύναμις τὶς, τῶν δὲ πρακτικῶν, ἐν τῶν πράττοντι ἡ προαίρεσις. Quibus verbis duo errores deteguntur: nam practicam, quam hîc vocat, non illam intelligit quam 2. Primæ philoſophiæ 3. id eſt, quæ eſt ars, ſed prudentiam: quod apparet ex tribus: Primò, quia artem ſub faciente, non ſub agente collocauit. Secundo, quia principium artis non eſt προαίρεσις, ſeu præelectio quædam, ſeu recta electio, hæc enim ad prudentiam pertinet, non ad artem. Tertio, quia ars eſt faciens propriè, non agens. Secundus error eſt, quòd facientem ſcientiam non vnam dixit, ſed tres: aliam quidem, cui initium eſt intellectus: aliam cuius alia vis quædam: (coniecturalem intelligit vim) aliam quæ eſt ars. Non igitur tota faciendi ſcientia eſt ars: nec agendi vlla ex parte: cùm tamen Auerroës in ſuo textu pro agẽdi peritia, quæ prudentia certè eſt, artem haberet: quo fit, vt aberrare cogeretur, Manifeſtum eſt igitur Philoſophum ibi ſub ſcientia tres habitus intellectus, ſi non plures, quos 6. Ethicorum diſtinxerat, comprehendiſſe, Scientiam contemplatiuam, Artem, & Prudentiam, verùm 6. Ethicorum, ſcientiam intelligit, vt 2. Metaphyſicæ 3. pro communi ad contemplatiuam, & illam cuius finis eſt exerceri. Non igitur idem eſt ars, & ſcientia cuius finis eſt opus: aliter nec Geometria,

metria, nec Astronomia quæ supputare docet, nec Arithmetica, nec Grammatica, nec Musica erunt scientiæ, sed puræ artes: itemque Fabrilis, & Sutoria scientiæ erunt, artes enim sunt. Medicina igitur scientia est. Sed quare Galenus eam in titulo artem vocat? Quia liber artis medicinalis, non est demonstratiuus, sed diffinitiuus: ideo non ibi scientia tradi potest, sed ars. Secundò, quia cùm contineret totam disciplinam, titulus debet esse à maiore parte, quæ est ars, diffinitio à præclariore, quæ est scientia. Sed in Introductorio cap. 5. negat medicinam esse scientiam, si quidem exactam, quæ habetur per absolutam demonstrationem: nam etiam philosophiam ibi scientiam esse negat, & nos etiam aliquid scire: verùm dilucide 1. Artis curat. 4. eam scientiam, & perfectam declarauit: quoniam & ipsa ex indemonstrabilibus demonstrat. Sed quidam dicunt, quòd vt accipit à Philosopho non est medicina, sed philosophia naturalis hoc tamen est falsum, 1. Post. 42. Dico igitur, quòd scientia quæ ad opus tendit sublata demonstratione est verè ars, vt Medicina & Musica: aliæ sunt artibus similes, vt Arithmetica. Sed Medicinam esse scientiam, vt à Philosopho accipit, docet Galenus 1. de Elementis cap. 1.

CONTRADICT. V.

An neutrum in primo modo detur.

Galenus in diffinitione medicinæ ponit neutrum: Philosophus negat in Prædicamentis, capitulo de oppositis, dicens: Omne corpus est sanum, vel ægrum. Respondeo vt Hali in Commento, differunt solo nomine: nam cum morbus adeo remissus est, vt non impediat operationes, tunc apud medicum non dicitur æger etsi sit tam apud illum, quàm apud Philosophum. Causa autem huius est triplex. Prima est, ex modo auxiliandi: nam ægris debetur curatio, 3. Artis medicin. 6. neutris præseruatio, si sint decidua, vel reassumptio si sint conualescentia, 3. Artis medic. cap. 16. & 17. Secunda autem causa fuit propter dies decretorios, qui non ab initio morbi sunt computandi, sed vehementis morbi, cùm homo fermè cogitur decumbere, 1. de Diebus decret. cap 6. Tertia, quia Galenus mutationem posuit quæ sensu non perciperetur, 1. de Locis affect. cap. 2. & 3. de Temperamentis, c. 4. hanc negat Philosophus, & eius interpres Auerroës 8. Physicæ ausculationis Com. 23. cùm igitur hæc Philosophus non consideret: Neutrum, quod re ab ægro non distinguitur, ponere non debuit. Vnde Auerroës fallitur 1. Collectan. 1. Sed contrà, sani & ægri dispositio continuum quoddam efficiunt, igitur in transitu medio dabitur neutrum. Respondeo, quòd Philosophus diceret, quòd datur vltimum esse sani non primum esse ægri, vt in motiente.

CONTRADICT. VI.

An neutri dispositio insensibilis sit.

Neutri dispositionem sensibilem esse velle videtur Galenus in locis duobus vltimis præcedentis Contradictionis ex Galeno adductis: in Arte etiam medicinali in cap. de signis futuræ ægritudinis. & 1. de Diebus decret. cap. 6. clarissimè autem in de Constitutione artis medicatiuæ, cap. 19. & in de Partibus artis medicinalis, cap. 5. Sed oppositum videtur in his duobus locis in libro de Constitutione: ponit enim neutrum nullum sentiens nocumentum: & exemplum dat de eo quem canis rabidus momordit. Idem dicit in libro de Partibus, addens huic exemplo aliud, eius qui venenum ad tempus sumpsit. Quidam respondent, quòd causa est sensibilis, licet non dispositio. Hoc nihil ad rem, cùm quæramus, an neutrum corpus primi modi sentiat nocumentum: nec quærimus de medico, qui nec ipse sentit, sed ratione hoc tantum percipit. Potest etiam esse, vt nec medicus hoc percipiat, nesciens canem esse rabidum: nec æger, vt in veneno quod inscius hausit. Dicunt alij habere causam in se, & ideo ratione causæ illud corpus ægrotare: si sic esset, non daretur neutrum ad ægritudinem terminandum, sed tantum conualescentiæ: quia omne illud causam continet per quam perueniet ad ægritudinem. Respondeo, Gal. 1 Artis medicæ, cap. 2. statuit quinque genera corporum: Sanum semper, quod nullo modo est læsum: Sanum vt multum, cuius non est culpa in operationibus, nisi cùm comparat sano vt semper: Neutrum simpliciter, cuius læsio est aut in causa solum: aut si est in operatione, est cognita solum ratione ea, quòd est læsio, non læsionis quantitas: Ægrum autem habet cognitam quantitatem læsionis, non solum læsionem cùm ægrum est simpliciter dictum: sed ægrum vt nunc habet læsam in comparatione sui. Eodem modo dico de neutro vt nunc. Ergo omne neutrum habet læsam operationem simpliciter, si sit simpliciter: aut sui comparatione, si sit vt nunc: & talis læsio potest esse sensibilis, non tamen necessario est sensibilis, quia sufficit quòd causa sit sensibilis. Sed in hoc differt ab ægro, semper, quòd omnis æger seu simpliciter, seu vt nunc, habet quantitatem læsionis sensu cognitam.

CONTRADICT. VII.

An panis sit facilioris concoctionis quàm caro.

Ratio faciliter transeundi in alimentum sumitur ex temperamẽto, ita quòd sit cibus secũdum naturam, 3. de Temperamentis, cap. 2. nam cibi diffinitio est, quòd immutetur à natura, non mutando illam. Manifestum

ſtum eſt autem, quòd tale neceſſe eſt eſſe ſimile corpori in qualitate: nam omne agens dum agit repatitur. Si igitur alterius naturæ ſit cibus quam humanum corpus, manifeſtum quòd infrigidabit, aut calefaciet corpus: & ſic non iam ſimplex erit cibus, ſed vel cibus medicinalis, vt dicunt, aut medicina. Sed in libro de Diſſolutione continua, cap. 4. in initio, reducit facilitatem & difficultatem concoctionis ciborum ad quinque cauſas: quarum prima eſt, Intemperies valida: nam illa facit, vt tardè poſſit aſſimilari, quia aſſimilatio eſt conditio præcedens nutritionem, vt aliàs declaraui: ergo piper & portulaca erunt difficilis concoctionis. Secunda cauſa eſt, Ratione ſubſtantiæ: & hæc eſt quadruplex, vel quòd ſit vehementis duritiei, vt nux indica: vel ſiccitatis, non intelligendo virtutem nunc, nam ſic reduceretur ad primum modum, vt panis ſuperaſſatus: tertia, quòd ſit tenacis alimenti, vt caro magnorum picium: quarta, quòd ſit craſſi alimenti, vt caro bouis. Tertia autem cauſa eſt, Ratione excrementorum, quæ enim plurima continet excrementa, diuturna indigent ſeparatione, vt amygdalæ & auellanæ. Quarta eſt, Propter aliquod impediens ſibi iunctum, vt quæ oleum continent, velut oliuæ. Quinta eſt, Cauſa abominationis: & hæc eſt duplex, aut generalis, vt cùm res eſt ingrati ſaporis admodum, vel odoris: alia cùm abominatur homo aliquid propter naturam propriam: vt quidam qui non comedunt lac, alij oua: alij comedunt, ſed natura refugit propter vim quam habet illi contrariam, & diſcordem. Additur etiam ratio contrarij: quoniam cibus calidus in frigido corpore celerius concoquitur, quàm frigidus: & cauſa eſt, quia calidum celerius reducitur ad temperamentum à frigido, quàm à calido: & ideo hoc verum eſt tantum in mala temperatura, non in naturali: & remanet dubitatio parua, de mala temperie, naturali tamen, ſed valde magna: ſed nunc eſt ſermo tantum de ſanis, non multum à temperamento æquali recedentibus. In recenſendo autem cibos facilis concoctionis, primò ponit Panem benè præparatum: poſt Carnes auium, & reliquorum: etſi liber hic eſſet Galeni abſque dubitatione, & cum omnium conſenſu, non eſſet multum difficile ſententiam eius venari. De temperato autem cibo non ſolum Galenus illud fatetur, vt dixi in locis prædictis: ſed & in libro de Cibis boni & mali ſucci, cap. 3. non tamen vult ipſum eſſe temperatum tantum in primis qualitatibus, ſed medium etiam inter tenue & craſſum, lentum & friabile, cæteráſque eiuſcemodi omnes qualitates. Et Auerroës 5. Collectaneorum 31. dixit, Panem triticeũ eſſe optimum cibum inter omnes, & quaſi naturæ humanæ ſimillimum, vt etiam cap. 3. eiuſdem libri declarat iuxta initium, vnde dixit, Temperantia propria eſt cibo, medicinæ intemperies: eſt enim cibi natura, vt faciliter conuertatur in humorem ſimilem humori radicali: & hanc primam laudem etiam Zoar illi tribuit in ſuo libro primo Theiſir, capite de conſeruanda ſanitate. Idem fermè Raſis lib. 3. cap. 3. ad Almanſorem confirmat, volens, vt plurimum ſalis ei miſceatur, ac bene fermentet. Quanquàm nemo ſit, qui non videat mediocritatem, ſecundum Galenum, exceſſu fore potiorem: & ſi tamen ſit declinandum, tunc coctio, fermentum, & ſal, minus afferunt detrimentum aucta, quam detracta. Tertius modus ex facilitate ſolutionis in aquis ſumitur: nam quod facilius ſoluitur, facilius concoquitur: tum ſi celerius ac magis tumeſcat: præcipuè coctum, vt in lib. de Cibis boni & mali ſucci, cap. 3. iuxta finem, ſic enim fructus & multa alia à patre ſuo probari ſcripſit, certiſſimo experimento. Quartus modus ſumitur ex paucitate nutrimenti: nam quod parum nutrit, faciliter concoquitur: contrà, quod faciliter concoquitur, parum nutrit: & quod plurimum nutrit, ægrè concoquitur, & hæc tria ſe conſequuntur, 7. Artis curatiuæ, cap. 6. iuxta medium. Vltimum autem diuiſionis membrum non conuertitur: vt quod ægrè concoquatur, neceſſariò plurimum nutriat: nam difficilis concoctionis iam plures cauſas declarauimus. Quintus modus habetur à Gal. 1. de Alimentis cap. 1. poſt initium, Quæ facilè concoquuntur, facilè altera fiunt, & corrumpuntur: quæ verò difficulter concoquuntur, etiam difficulter in alienam tranſeunt qualitatem, & tardè corrumpuntur. In his omnibus non videtur primo Galenus in facilitatis ratione conſtans fuiſſe, cùm omnino diuerſas illius cauſas referat.

Ex his tamen cauſis promptior ad concoctionem panis carne eſſe videtur: nam quantum ad temperamentum attinet ab omnibus, vt diximus, pro exemplo abſoluti cibi, vt qui in nulla qualitate exuperet, adducitur. Caro etenim omnis calefacit, vt inquit Raſis 3. ad Almanſorem cap. 9. Quantum etiam ſit merito conditionum aſſignatarum in libro de Diſſolutione continua, videtur panis eſſe gratior carne: nemo enim ſuſtinet eſum puræ carnis, cùm multi ſuſtineant eſum panis ſolius, vt quotidie multis eſt in vſu. Quòd etiam panis celerius in aqua ſoluatur carne, nemini dubium eſſe debet, qui vel expertus ſit hoc, vel velit experiri. Nutrit etiam minus panis longè quàm caro, quod Celſus lib. 2. cap. 17. teſtatur & 3. ad Almanſorem 9. caro eſt omnium quæ eduntur nutriens maximum: vnde tertia primi doct. 2. cap. 7. qui multa carne vtitur frequenti indiget minutione. In facilitate tamen corruptionis quamuis panis à carne vinci videatur: non tamen adeò longo, vt quidam putant, interuallo: nam panem corrumpi poſt primam diem affirmat Zoar, capite de conſeruanda ſanitate. Adiunximus nos olim, cùm eſſemus iuniores, in emendatione contradictionem ex dicto Auicennæ in directo, de qua in 11. libro diximus contradicentium medicorum. Caro etiam non cruda, nam talis edi non conſueuit, pani comparanda eſt, quæ hyeme diutius pane aſſeruari poteſt, quòd & ſi vincat hac in cauſa ſolum panem, cùm tot modis vincatur, durior erit concoquentibus ipſam quàm panis.

Secunda ratio videtur ſumi ex experimento, Celerius id concoquitur, quo aſſumpto, citius eſurimus: (Cùm fames naturalis inanitatem ventriculi præſupponat 1. de Cauſis ſympto-

symptomatum, cap.7.) sed celerius esurimus assumpta libra panis, quàm carnis, vt nos docet experientia: celerius igitur panis ipsa carne transit in alimentum.

Tertia ratio procedit ex autoritate Galeni, qui carnes dabat in cœna, & panem in prandio, 1. Regim. acut. 18. iuxta finem: exemplum adducens de gladiatoribus. Constat autem, quòd carnem solam ibi intelligit: quia dixit hoc obseruari ab illis, vt simplicitate cibi omnem deuitent turbationem: quod haud consequi liceret, si vtrunque in cœna assumerent, scilicet panem & carnes. At cœnam copiosiorem vult Galenus esse prandio, vt infrà docebimus: quare manifestum est illum existimare, carnem esse difficilioris concoctionis ipso pane.

Quarta etiam ratio ex alia autoritate sumitur 7. Artis curatiuæ, cap.6. iuxta medium: vbi exhibet primo panem & pisces saxatiles pro leuissimo alimento: inde ad carnes descendit: quò fit, vt panis ab illo in facilitate concoctionis carnibus præponatur.

Alia ratio sumitur ex eodem loco, nam panis facilius concoquitur suilla carne: illa enim est (dicit) nimis contumax, eo quod plurimum nutrit. Sed caro suilla est omnibus aliis carnibus in nutriendo commodior, & humanæ simillima, vt habetur 10 de Simplic. medic. cap.3. & de Cibis boni & mali succi, cap.4. Igitur panis est facilioris concoctionis, quàm vlla caro.

Aetius quoque Galenũ in libris de Tuenda sanitate secutus, dum senes nutrire docet lib.3. cap.30. ter panem illis in die dat: carnes semel, & Galenus 1. de Tuenda sanit. post medium, iubet ablactato infanti primo panem dari, post legumina, & carnes. Item post pauca: Si negotiis impeditus pædotriba sit, vt nec lauare, nec fricare puerum possit, modicum panis det: inde hora, qua fermè solet, lauet, fricet, & cibum solitum exhibeat. Prohibet enim quemquam iusto vesci cibo, antequam fricetur, ac lauetur. Clarissimè hoc 6. de Tuenda sanitate, ante medium, docuit: vbi impedito viro negotiis consulit, vt panem sumat hora quarta diei, ita quòd speret decima hora esse confectum. Ex hoc igitur duplici modo patet, panem celerius concoqui carne, tum quia intra sex horas, tum quia non dat carnes cum pane. Nec potes dicere, quòd ratione simplicitatis solum panis eo in casu celerius cõcoquatur, nam cum pane oliuas, mel, palmulásque concedit, recitabitur autem autoritas hæc in 18. Contradict. huius: dicemus & aliqua in vndecima tractatus sexti, huius libri. Hæc igitur argumenta sunt, quòd panis ipse res sit leuissimi alimenti, saltem ad carnis cõparationẽ: sic vt facilius illius cõcoquatur.

At qui partem tuentur oppositam, rationes quibus aliquid facilius concoqui Galenus nobis declarauit, singulas seorsum debilitant: veluti cùm dicimus, temperata facilius concoqui: obiiciunt nobis vinum, quòd cùm non sit temperatum, facillimè tamen concoquitur, 2. Aphor. 11. & oua quæ vel sunt temperata, vel paululùm ad frigidum declinant, vt 11. de Simplic. medic. & à Principe in libello de Viribus cordis, & à Serapione dictum: est vel eo magis si temperata sint, vt videtur sentire Princeps, difficulter tamen concoquuntur, adeò vt candidioris partis, quod ad alimẽtum attinet, nullus sit vsus. Hæc ratio vitiosa omnino est tribus modis: Primò, quod cùm omnia illa quinque consideranda sint, hic vnum dũtaxat accipit, & ex eo argumentatur. Secundò, quod de vino adducitur, ad propositum non est, cùm ex alimenti genere, quod cibum dicimus, in potum descendat. Tertiò, quod mediocritatem illam quàm Galenus non in qualitatibus tantum primis, verùm etiam in crassitudine & tenacitate iubet obseruari, tum aliis, hic solum in primis spectat: cùm non obscurum sit, oui candido nihil esse vel tenacius, vel magis ad glutinis naturam accedens. Qua etiam ratione argumentum de suilla carne dissoluitur: nam & si similis sit substantia humanæ prorsus, 3. de Alimentis cap. 1. nihilominus cum tenaces & glutini similes generet humores, 2. Aphor. 18. meritò difficilis concoctionis erit. Eodẽ modo si quis dicat Gallorum testes, quos Mesve in cura phthisis commendat, & iecur gallinæ, tum anseris, quod facillimum est in concoctione, vt 3. de Alimentis, cap. 21. & in de Dissolutione continua cap.3. & 4. non facilè aquæ imposita intumescere: cùm tamen pulmo & fungi, quæ ægerrime concoquuntur, soleant celeriter inflari. Respondemus, non de aqua frigida Galenum dixisse, sed si incoquantur: at luce clarius est, iecur & gallorum testes celeriter tumescere, & mollitiem nancisci, si coquantur: at contrà, fungi & pulmo tardè. Verùm iecori & ouis illud propriũ est, vt diutius quàm par sit cocta durescant: quò fit, sit & tunc coctioni in ventriculo contumacia reddantur. Simili modo oua etsi plurimum nutriant, teste Galeno, facile tamen concoquuntur, reluctante multitudine alimenti: quia temperata sunt, & mollia, si de luteo intelligimus. Omnes igitur hæ rationes esse videntur, quæ ad cibi facilem concoctionem faciant, non quæ seorsum sumptæ talem cibum illum esse ostendant.

Igitur ad primam videtur Auerroës 5. Collectaneorum 32. fateri, carnes esse temperatiores pane: tum gallinarum maxime, cùm ius earum dicat leprosis conferre, & carnes ipsas nostrum corpus ad temperamentum reducere.

In secunda causa caro videtur esse nobis conuenientior natura, quàm panis: sed ex vsu panis est consuetior. Porrò quod ad alias pertinet conditiones, non vlla in parte caro videtur esse pane inferior, tum præsertim, cùm Galenus 1. de Alimentis, capite de tritico, panem velit esse difficilem ac contumacem, si quid desit ex optima præparatione. Absolutus igitur etsi difficilis non possit appellari, in primo tamen genere eorum quæ facile concoquuntur, locari non debet. Quòd verò aquæ impositum ferumenti celerius intumescat, hoc ad carnes haudquaquam extendi debet, cùm Galenus experimentum illud ad grana tantum ac legumina referat. Quòd etiã minus nutriat panis, quàm caro, illud non omnino ab omnibus concessum est: cùm carnes paruarum auium vt leues, ac parum exhibentes alimenti, debili ventriculo, vel Galeno teste, concedantur, & si modo adhuc

caro

caro pane in hoc solo vincatur, in aliis tamen causis leuis concoctionis illum superat. Atà de corruptione, nemini dubium est, longè facilius putrescere carnem, quàm panem: quare cùm difficillimum sit hæc rationibus demonstrare, melius erit sanè ad autorum ipsorum placita, quæ experimento confirmata sunt, confugere. Sed tamen prius secundam principalem rationem diluamus, ante id verò etiam illud prætermittendum, cibum dici concoctu faciliorem, vel quòd celerius transeat in chilum, seu pulticulam in ventriculo: vel quòd celerius in sanguinem, vel quòd celerius ipsa solida membra nutriat. Itaque nobis aliquando celerius contingit post panis assumptionem esurire, quòd minus ex ipso quàm carne nutrimur: rari etiam sunt qui vel solam edant carnem, vt tutò liceat hoc experiri. Illud tamen si concedatur, nihil probat: cùm defectionem alimenti in venis naturalis sequatur fames: hæc autē celerius assumptum panem quàm carnes sequitur: aliter dicendum esset, rapas etiam crudas, facilius concoqui perdicum carne: cùm & illarum esum celerius, ac multo quàm panis, fames subsequatur. Igitur alia ratio modicæ nutritionis, alia verò facilis concoctionis. Arguo etiam quia æquale detrimentum in concoctione panis, est maius æquali lapsu vel defectu in carne: vnde Princeps 3. primi doct. 2. cap. 7. in fine. Et scias quòd detrimentum panis, cùm non concoquitur, deterius est nocumento carnis, cùm non concoquitur. Sic igitur propria quantitas panis libra vna, & carnis dimidia, & fiat augmentum sextæ partis in vtroque: tunc ex dicto Principis deterius erit nocumētum quatuordecim vnciarum panis, quàm septem carnis: igitur natura magis laborat in concoquendo vncias septem panis, quæ sunt dimidium illius quod nocet quàm vncias tres & dimidiam carnis, quæ sunt dimidium minoris nocituri: sed vt septem ad tria cum dimidio, sic duodecim ad sex: igitur ex regula Geometrica cum vtrinque sit proportio dupla, maior est labor in concoctione libræ panis, quàm sex vnciarum carnis. Respondeo, quod argumentum non valet, quia detrimentum illud non est ratione laboris concoctionis, sed materiæ quæ relinquitur: nam ex pane relinquitur materia magis lenta, quàm ex carne, eo quòd constat ex tritico: at ex carne materia magis inæqualis intemperie & quæ celerius putrescit. At lentor licet non plus noceat ad concoctionem, intemperie, magis tamen nocet ad expulsionem, vt manifestum est. Igitur nocumentum panis non concocti maius est nocumento carnis, cùm non concoquitur: & tum cum hoc stat panem ipsum carne celerius concoqui.

Ad tertiam respondeo, quòd vt habetur 1. de Alimentis, cap. de tritico: Athletæ veri vtebantur carne suilla, eáque admodum copiosè libro Ad bonas artes exhortatorio: quare ob multitudinem alimenti difficilior erat in concoctione prima caro, quàm panis: nos autem loquimur de regimine moderati hominis. Dico etiam quòd caro semper est difficilioris concoctionis, respectu trium concoctionum, pane: quia data æqualitate etiam boni alimenti, cùm plus resecetur in prima cōcoctione ex carne quàm pane, ægrius conficictur maior quantitas, quàm minor: & sic data ponderis pari magnitudine carnis & panis, grauior erit caro virtuti quàm panis Sed nunc sermo est de prima concoctione quæ in ventriculo administratur. Dico tertio non esse clarum, quòd solas carnes in cœna darent absque pane, cùm vix sit hoc verisimile: sed intellectus Galeni est, quod vitare mixtionem est valde vtile, adeò vt etiam in robustissimis corporibus, qualia sunt athletarum, absque dubio (1. Aphor. 3. & de Optima habitudine) solum panem darent in prandio: in cœna autem carnes: supple, vltra panem: & si hæc responsio non placet, aliis inhæreas.

Ad quartam dico, quòd panem exhibet ob consuetudinem, pisces autem saxatiles sunt facilioris alimenti carnibus, & ideo comparatio panis & carnis est ibi sumenda à consuetudine: carnis & saxatilium piscium à facilitate concoctionis: quanquam etiam statim subiiciat gallinarum alas.

Ad quintam dico, quòd panis facilius concoquitur suilla carne, quæ est validissimum alimentum, vt 7. ipsius Artis curatiuæ cap. 6. & primo de Alimentis, cap. de tritico. Et cùm dicis, illa est hædulina præstantior: Respondeo, verum est, non tamen facilius illa concoquitur: & ideò bene dicebat Galenus, quòd in illis qui suillam carnem concoquere possunt, supra omnes alias optimum præstat alimentum: igitur cum hac bonitate alimenti, qua præstat hædinæ ac cæteris, stat difficultas ad concoctionem. Sed contrà, quia Princeps 2. Can. cap. 146. dicit, Suilla auten caro & si multum nutriat, & crassum ac glutinosum præbet alimentum, facilè tamen concoquitur, & celeriter descendit. Vnde subdit, non eadem est ratio facilis coctionis, celerisque descensus, cum alimenti crassitudine vel tenuitate. Videtur etiam Auerroës 5. Collectaneorum 32. sensisse, Galenum illam pronuntiasse aptam vsui hominum, non athletarum solum. Quinimo etiam Galenus ipse in consilio pro puero laborante morbo comitiali, carnem porcelli concedit. Dico igitur, quòd caro porci annui, & præparati, vt ibi apud Galenum & reliquos, est facilis concoctionis: non solum probatissimi alimenti. Et hanc constat esse difficiliorem pane ad cōcoquendum, nec tamen hædina leuiorem. Sed caro suilla communis est illa, quæ solum conuenit grauiter & assiduè se exercentibus: Et hæc cum ab aliis non concoquatur, si tamen vel ob paucitatem, vel ob præparationem concoquatur, & ipsa quamuis iam adulti vel senis suis optimè nutrit, & alimentum solidum, ac minime putredini, aut resolutioni obnoxium præstat.

Ad reliqua quæ adducuntur dicimus, ob consuetudinem non licere vesci carnibus sine pane. At quis dubitat quòd panis solus non leuior sit, eo cum carne sumpto? Dico etiam, in hoc cæteras à prima concoctiones obseruandas, quarum contemplatione leuior panis ipsa carne proculdubio est. Illud tamē obseruādum, panis concoctionem, difficilem eisdem

eisdem verbis declarari: cum potũ dari vetet puero, ne panis crudus per venas distribuatur: quo fit, vt difficulter apud Galenũ, etiam cõcoqui ab infantibus & pueris existimetur. Quòd autẽ in ablactatione non protinus ad carnes descẽdit, causa est periculũ putredinis: vnde etiã legumina carni præponit, quæ nemo dubitat illa esse grauiora, caro igitur lacti nullo modo est immiscenda: quo errore hodie plurimi, tum etiam vini periclitantur infantes. Ad id ex 6. de Tuenda sanitate respondebit quis, non tantum coctionis facilitatem, quàm paucitatem nutrimenti curare Galenum: hæc autem est in pane.

Quòd autem caro celerius concoquatur pane adest autoritas Principis 2. Can. c. 146. cùm dixit: Caro est cibus confortans corpus, & maximè propinquæ conuersionis ad sanguinem. Ista verba etsi multis modis possent peruerti, veram tamen Principiis mentem, apud illum qui solum veritatem amplectitur, ostendunt.

Adducitur etiam ratio de corruptionis facilitate: sed non videtur probare, cùm sit tantum conditio singularis, vt sæpe diximus, & lutea etiã ouorum, quæ tardè corrumpũtur, facillime concoquũtur: & secundũ quosdam horei fructus cum sint difficilis cõcoctionis, sunt tamen celeris corruptionis. Alia ratio: Calidior est & humidior pane, igitur facilius cõcoquetur: nam hæc sunt principia coctionis, vt 4. Meteororũ iuxta initium. Hæc ratio patitur difficultates duas: primam, quia diximus oportere esse temperatum, non calidum: secundã ab exemplo: nam sanguis & mel difficulter cõcoquũtur, & tamen sanguis est calidus & humidus, & mel calidũ etiam, & cum hoc tenuis substantiæ, & pauci alimenti.

Tertia ratio, caro est suauior & temperata magis pane, igitur facilioris cõcoctionis. Respondeo, vtrũque eorũ quæ assumũtur falsum est, tum etiã sequela nõ valida est, quòd sæpe diximus, caro autem videtur suauior ob raritatem, nã nemo tandiu in esu carnis perseuerare posset, sicut in esu panis: & dato quòd ab initio posset, propter consuetudinem, nũc caro non est nobis adeo familiaris, vt panis. De temperamẽto dico, quòd respectu carnis humanæ verum est: sed antequam transeat in carnẽ humanã, transit primo in pulticulam in prima concoctione, cui natura panis est propinquior, quàm carnis: & hæc est causa, quòd sanguis, cùm nihil sit sanguini illo propinquius, difficulter tamen in sanguinẽ conuertatur: nã ad hoc vt sanguis in sanguinem cõuertatur, duæ integræ transmutationes requirũtur, atque inuicem cõtrariæ: in pane autem integra vna tãtum. Quarta, panis est glutinosior carne, & pluribus abundat excrementis, quàm caro: igitur difficilius concoquitur. Diximus quòd prima harum propositionum est vera, sed sequela non est vera, quia est postmodum panis longe temperatior: & posset negari prima propositio in pane absolutè perfecto, & moderatæ quantitatis, ita quòd possit à natura planè superari: nã cùm non superatur putredo adueniens carni, glutinosam eius qualitatem tollit, quod in pane non tam celeriter eueniẽs, difficiliorem non procedente concoctione illum carne, & glutinosiorem videri facit: at procedẽte non eadem ratio est. Quòd verò plures habeat superfluas partes illud non cogit nos fateri, eũ esse magis ad coctionem contumacem: imò magis oppositum, cùm excrementa non elaborentur à natura. Galenus etiam libro de Attenuante victu, c. 6. cùm in 8. hædinas carnes solum in hoc probasset, præfert etiam ordeaceum panem triticeo: igitur hædi caro, quam probat, leuius cõcoquitur triticeo pane, quem reprobat. Respondeo, ptisanã ordei præfert triticeæ, panem non pani: quinimo, quod & experimentum ostendit, crassum, inquit, generãt succum ordeacei panes, at paucum, & minime flatuosum: quo fit, vt diximus, etiam vt sint hac vltima solum causa leuiores triticeis: quanquam non obscurum sit, Galenum contrarium sentire: nam his interdixit, triticeis minimè.

Est & alia ratio, sumpta ex libro eodem, capite vt dixi 8. nam caro perdicum melior est cæteris, igitur etiam celerrime nutrit. Respondetur, non valere argumentum, contrà quia scopus libri de cibis boni & mali succi, est docere, quinam cibi optimum alimentum præbeant: sed scopi libri de Attenuante victu duo sunt, docere bonos cibos, & leuis etiam simul concoctionis: sed caro perdicũ ibi laudatur, igitur præstat vtroque modo. Hæc ratio est aliis deterior, peccat enim duobus modis: nam caro primò perdicis est optimi alimenti in genere carnium, non eduliorũ omnium: secundò leuis alimenti, vel refertur ad nutrimentũ quod genitũ est, & hoc modo caro perdicis leuis est alimenti: & est etiam scopus eius libri de his tractare: sed ex hoc non sequitur, igitur facile concoquitur: vt dixi de nutrimento mellis. Si verò referatur ad concoctionem facilem, poterimus hoc negare de perdice: nec est scopus his tractare de cibis boni alimenti, id est qui facile concoquãtur: sed de cibis leue alimentũ præstantibus, idest tenue, quod etiã titulus ipsius operis declarat.

Quòd si quis dicat, celerius æger à contuso ex carne quàm ex pane restauratur pondere vtriusque pari existente: igitur etiam nutritur celerius à contuso carnis. Et si quis dicat, quare damus panem ipsis ægris frequenter, non carnem? Respondebunt quia caro ægrius dentibus conficitur. Dico igitur, quòd celerius reficitur homo comparando ad dies ex cõtuso carnis, vbi corpus sit mundum, quia est copiosioris alimenti, quàm panis: non autem comparando ad horas, imò Galenus dat panem in syncopi cum vino, non carnes 12. Artis curatiuæ, cap. 3. in fine: & eodem modo Auerroës. Concludo tandem quòd caro non contusa difficilius concoquitur, quàm panis non contusus: & caro contusa pane etiam contuso: cum hoc tamen stat, quòd in vtroque casu celerius reficiatur homo à carne quàm à pane: vbi parua carnis portio exhibeatur, vt non multo serius concoquatur: interponendo plures horas, & rarius reficiendo cum carnes damus.

Vltimò solet adduci quod caro pulli videtur esse similior carni humanæ, quantum ad potentiam, vt ex dicto Auerrois suprà adducto colligitur, & etiam Gentilis videtur volens exponere illud dictum Principis, iam

à nobis suprà declaratum, de detrimento panis) reducere hoc ad familiaritatem, ac similitudinem carnis nobiscum: quæ maior est quàm panis: quare facilius concoquetur caro, cùm sit magis in potentia. Quòd si dictum Gentilis verum esset, deterior esset putredo pituitæ, quàm sanguinis: nam cùm sanguis magis nobis affinis sit, corruptus minus nocere deberet. Ad Auerroëm dico, quòd maior est similitudo inter carnes gallinæ cum carne humana iuncta cum vi quadam immutandi, vt sic sit cibus non purus, sed etiam medicam vim habens iunctam: quod patet ex sequentibus verbis: quia dicit, quòd curat lepram. Hoc autem non conuenit cibo, vt cibus est: nec possumus dicere, quòd hoc fiat ab exacta similitudine cum corpore humano: nam illam declarauimus maiorem esse in suilla, quantum ad substantiam, & qualitates primas, quàm in carne gallinarum: at in solis qualitatibus, maiorem in pane: nam caro pullorum est calidior, & siccior humana carne.

Ex his tandem colligo, quòd Galenus noluit istam comparationem facere: nam si voluisset, cōmodè potuisset in tot libris in quibus comparat reliqua: vt in libris de Tuenda sanitate, de Alimentis, de Attenuante victus ratione, de Cibis boni & mali succi. Ratio autem quæ illum detinuit, debet etiam nos prohibere ab hac determinatione: & fuit triplex, nam duæ referuntur ad experimentum, & vna ad finem. Prima igitur est, Inter carnes est maxima diuersitas, nam caro boum quantum differt à carne passerculorum? Si igitur quis dicat, panis celerius concoquitur carne, falsa erit propositio: & etiam si dicat difficilius: prima propter passerculos, secunda propter boum carnes: igitur impossibile fuit ordinem inter hæc duo generalem ponere. Secunda causa fuit, quòd vix poteramus experiri hoc, nam caro per se sola ob consuetudinem prætermissam ægrè concoquitur: pani verò mixta, ob commixtionem, non syncerum præbet experimentum. Sunt etiam modi præparandi diuersi, ob quæ difficillimum hoc erat experiri. Et si tu velles in eodem homine addere modò carnes, modò panem, peruenires ad impedimentum coctionis, in quo dicebat Princeps, quòd deterior erat frustratio in pane, seu quòd impedimentum sit maius, seu quòd arguat maiorem causam tanquam panis concoctio nobis facilior sit: & ita trahitur ad vtranque partem commodà autoritas illa. Et si velles stare intra limites in eodem homine, augendo pane, & minuendo carnes semel: & alio tempore augendo carnes, & minuendo panem: illa die qua augeretur panis, celerius concoqueret, quàm in die in qua caro augeretur: nec propter hoc sequitur quòd panis celerius concoquatur, quia hoc est merito minoris recessus à consuetudine, & etiam auxilij aliarum coctionum secundæ & tertiæ. Tertia causa fuit, quia non erat iuuamentum ex scientia huius, cùm moderatus vsus doceret quid agendum; immoderatus autem in omnibus esset perniciosus: & hoc quoad sanos: in ægris autem nunquam ob hanc causam tanquam primam difficultatis concoctionis vitandum est vnum, quin etiam prohibeamus reliquum: & quia carnibus erat adiuncta putredinis causa, ob id nunquam fuit necessaria talis comparatio. Sententia tamen Galeni est, quòd carnes perdicum & pullorum parum differant (eo modo quo possunt comparari, nam vix queunt, vt dixi) à pane triticeo optimè præparato: & hoc quoad primam concoctionem: in aliis autem difficilior est caro, vt dixi, data æqualitate ponderis: quia plus de chilo, vt ita dicam, ex pane quàm carne resecatur: qua de causa carnes semel senibus in die dabat & multis aliis, quibus tamen panem ter aut bis concedebat. Autoritas Auicennæ in oppositum adducta, non cogit nos nisi ad hoc, quòd celerrime carne ipsa sanguis augetur, quod verissimum est: non quòd celeriter caro conficiatur. Ex omnibus igitur quæ celerrimè nutriunt, primum est vinum aquosum, post vinum vinosum, post aqua carnis rectè facta, post ouorum vitella, post saxatiles pisces, post panis, & auium paruarum carnes, inde perdices, & talium, cum his hædi ac suis annui, post reliqua suo loco, vt in 11. dicemus libro. At illud panis præstantissimum, quòd nulli alij edulio competit, vt quibuslibet cibis rectè iungatur simul, nec pugnet: vt ouis, & bouinæ carni ac suillæ antiquæ: cùm tamē cætera iuncta non paruam noxam inferant, fuerunt tamen vt qui diligentius inspicientes pro obsonio, panis naturam variabant, 1. de Alimentis cap. de tritico, dum de athletarum victu loquitur.

CONTRADICT. VIII.

An medicinæ possint esse plures diffinitiones.

Medicina diffinitur ab Hippocrate, vt diximus, in libro de spiritalibus, & à Principe prima primi in principio, & in 1. Artis medicæ cap. 1. & ab Auerroë 1. & 6. Collectaneorum primis: & Haliabbas 1. Theoricæ cap. 4. in initio, primo diuisit medicinā, deinde diffinit. At verò dicebat Philosophus 7. primæ Philosophiæ 45. & 5. eiusdem 12. Ea vnum sunt, quorum diffinitio vna est: quomodo igitur medicina est vna, & benè diffiniri potest tot modis? Respondeo, pauci intellexerunt quid sibi Galenus voluerit: ille enim diffiniuit scientiam, & non artem: & propterea rectè fecit Haliabbas: potest enim homo scire, quòd tertianæ frigida conueniunt, & hæc est procedens ex illa propositione, Contraria contrariis curantur, & erit hæc scientia: carebit tamen arte, quia nesciet, quænam sint eligenda: hoc enim docet ars, donec perueniat ad singularium operationem. At diffinitiones, (vt declaratum est in primo de Anima 16. & ante) sumūtur per genera causarum, & ideo omnes sunt imperfectæ: perfectissima tamen omnium est ea, quæ Galeni fuit ab Herophilo sumpta, non solum quòd perfectiorem medicinæ partem complectatur, sed quòd materiam, & formam, & finem cōtineat. Est autem Sanum finis medici: materia autem principalis Corpus,

pus, & secunda etiam Causæ, forma autem Dispositio, quæ est sanitas, vel ægritudo, vel medium inter illa. Liquet autem ex his, quòd vnius rei possunt esse quindecim diffinitiones, ex quibus tamen vna sola perfecta esse potest. Hoc autem dico in his, in quibus omnia genera causarum sunt necessaria: nam quatuor ex causis singularibus sumuntur: sex ex geminatis, quatuor per tres causas, & vna per omnes, quæ sola est perfectissima. Sed sunt etiam quatuor alia genera posita à Galeno 4. de Differentiis pulsuum, cap. 2. Prima est, quid nomen significat exponens: secunda aliquid attingit de re: tertia multo melius explicat rem: quarta puram rem docet, nulla nominis habita ratione, cùm tamen aliæ omnes mixtæ sint.

Variantur & diffinitiones multis modis, vt declarauimus in expositione super primum Artis medicæ: sed præcipuè varietatem sumunt, cùm propriæ differentiæ non sunt nobis in promptu, vt dicebat Auerroës 4. Cœli, in paraphrasi contra Themistium, Sum. 3. cap. 1.

CONTRADICT. IX.

Morituri an sint solis prædictionibus relinquendi.

Morituros solis prædictionibus scilicet expositis relinquendos, consulit Galenus 1. Aphor. 8. & clarius 2. Aphor. 29. recordantibus nobis, quòd deploratos non oportet curare, sed relinquere, & morbi finem solum prænuntiare. Idem etiam 12. Artis cur. cap. 3. facta prædictione ab omni medicamento egregio abstinebis, immunemque à calumnia te seruabis. At vt dictum est in secunda Contradictione, Galenus docet 10. Artis curatiuæ 10. manum laboranti hectico tertiæ speciei admouere quamuis omnino ex eo morbo euadere non queat: sed ad summum in senij talem possit transire. Oportet etiam vt video mortem in his prædicere: at cùm de acutis loquatur, illa omnino certa non esse videtur, dicente Hippocr. 2. Aphor. 19. acutorum morborum non omnino esse certas pronuntiationes salutis aut mortis. Accedit quod princeps dicit 4. quarti trac. 2. c. 10. in fine: Et in his præmissa prædictione, incipiemus à curatione: quia sæpenumero aliqui sanantur absque spe vlla existentes mirabiliter. Deinde subiungit exempla illorum, à quibus vterus totus excedit, & quorum parte iecoris præcisa vita superstes mansit. Quidam dixerunt, dictũ illud intelligendum de his, qui breui sint morituri: talis autem Hecticus diu potest superuiuere. Ista responsio est apparens, sed non vera: nã Hydrops perniciosa, in qua nulla spes est salutis, curanda erit à medico: velut si ascites, à scirrho iecoris iam confirmato originem ducens, hominem teneat: sic & carcinoma confirmatum, & ossi magno vel pectori hærês: & talia, quæ omnino Galenus negligere videtur: nã subiicit, Palam ad vix sanabilia, nunquam ad quæ sanari nequeunt vlcera: & si in 4. de Medicamentis secundũ genera cap. 11. dicat, Ad cancerosa vlcera: non carcinomata intelligit, sed in quibus corrupta caro est, quod ipse declarat in serie verborum e uestigio, cùm chironia illis iungat: quanquam nec apud Galenum impossibile omnino videatur cancri vlcus recens curare: nam de carcinomate nondum abrupto, haud dubium est, si modò initium duxerit. Ergo duo necessaria videntur ad hoc, vt rectè medicus manum morbo letali admouisse videatur: Primum, vt diu ille superuiuere possit. Secundum, vt formam aliam mitioris morbi auxilio medici adipiscatur. Tum verò & id præmissa prædictione fieri debet, vt Galenus dicebat 10. Artis curatiuæ. In acutis autem morbis non omnino certam præsensionem Galenus interpretatur, quia non de omnibus. Confirmat hoc experimentum Galeni in libro de Prædictione c. 11. & 13. & 14. tum etiam ratio, multis enim vetulis, essent medici inferiores: quod an falsum sit nescio: Hippocratis tamen sententia prorsus indignum haberi debet. Saltem igitur ad propria signa referendũ erit non communia, eáque inuicta: & profligata partium altera, natura illius, vel morbo. Princeps autem consilium nobis dat, quod altius menti debet insidere: nam de sagittarum extractione ibi loquitur, vnde fit, vt non adeo certa mors in his quæ casu accidunt pronuntiari debeat, vt in sponte nascentibus morbis: nam sponte nascentes morbi: nec corpus habent integrum, nec causa carent, quæ morbo perpetuo hæreat: at qui infliguntur casu, vel vulnere, cum corpus robustum alioquin inueniant, nec causa morbi morbo iuncta sit: ob id fit, vt multi ex his sanentur, qui aliàs deplorati existimantur.

CONTRADICT. X.

Lens cum acetosis an in laterali morbo conueniat.

Et maximi quidem erroris est, tribuere in potu infrigidantia vehementia, vel astringentia, nisi in facto ex bile. Auicenna x. in trac. 5. cap. 3. in primis verbis. Inde sequitur oppositum hac serie: Et cibi eorum sint sicut lentes cum acetosis. Reclamat hic illico Fuchsius, En videte quam fidem debeatis vestro huic Arabi tribuere, qui quatuor in verbis sibi contradicit tam periculoso, ingentique, ac etiã absurdissimo errore. Sic ille in paradox. 12. secundi libri: adducit autẽ multa ad ostendendum propositum: quæ tamen ad duo hæc tendunt, quòd maxima pars curæ ad hoc instituitur in laterali morbo, vt sputum facile fiat: Quod verum nõ est ab initio morbi, quo in tempore Auicenna astringentibus videtur vti: nam litera noua, vt patet, omnem dirimit litem, Auicennamque à calumnia vindicat, cùm ob id iubeat nos abstinere à lentibus & acetosis. Sed nec ob vnum verbum tantus vir damnari debuerat, quod vel librarij, vel translatoris, vel etiam culpa manus, dum aliud scribit quàm mens ipsa præcipiat, accidere potuit. Adde quòd tueri possumus, quanquam Gentilis illum dicat de

apostematibus loqui, hæc dixisse de pectoris doloribus, vt titulus ostendit. Alterum vt doceat illum sibi contradicere. Igitur primum, quod supponit ex 1. Aphor. 12. nullo modo ad propositum est: aliud enim est signum naturæ, aliud opus medici: nam si sputum ab initio morbum decurtat cur non maturantia emplastra statim ab initio expedit? At dicet, nocebunt, materiam quamplurimam ad locum attrahendo. At ego dico, astringentia ab initio furentis materiæ ad locum impetum sistent, plusque iuuabunt materiam minuendo, quàm coctionem tardando nocebunt. Quòd verò nitatur probare astringentia non conuenire, palam est, omnes autoritates quas adducit, loqui de materia iam concocta, quo in casu nec Auicenna hæc dat, sed ab initio morbi solum. Sed dicet, cur igitur & suus expositor Gentilis, à quo forsan hanc accepit contradictionem, nam ille eam exponendo animaduertit, illum in hoc relinquit? Respondeo, quoniam periculosus est si in alia materia fiat hic error: cùm verò scribamus doctis ac indoctis passim, ideò non solum recta, sed in quibus non facile quisque aberret, scribenda sunt: vt enim in adagio, πολλοί τοι ναρθηκοφόροι, παῦροι δέ τε βάκχοι, suspectum igitur ob ignorantium auxilium relinquit Gentilis. Conatur autem ostendere lentem esse astringentem. Quid plura? Galenus 1. de Alimentis cap. 18. fatetur, modò sit cocta, & non decorticata, vehementer astringere. At verò decoctum eius, non solum non astringit, sed etiam quare si acetosa addantur, vt ille iubet, non astringet equidem, sed bilis tantummodo furentis frænum erit. Verùm non ille ab astringentibus cauendum docet, sed ab astringentibus frigidis. Lens autem quasi temperata est inter calidum & frigidum. Oportebat sanè omni fienti phlegmoni adhibere ab initio reprimentia: inquit enim Galenus tertio artis medicinalis, cap. 12. Prius in phlegmonibus à parte repellendum est, mox dispergendum: à patiente verò loco astringendo ac refrigerando repellemus: ergo cum pectus respirationis sit instrumentum, calefacientibus ac mollitientibus indiget, ob id igitur Princeps solum ante initium phlegmonis dum dolet, sed & in calido morbo modica refrigerantibus, tamen moderate etiam astringentibus, nec nisi etiam emendatis vtitur: vnde artis summum, vbi error maximus esse credebatur ostenditur. Nemo autem ignorat quæcunque ad fastigium subtilitatis perueniunt, plus ad ostentationem artis, quàm ad exercitationem pertinere: nam neque Galenus illa sua ad animi deliquium venæ sectione vti nos suadet, nec in ventosis, vt aiunt, doloribus cucurbitula, sed melioribus memoratis, vtitur securioribus. At verò necessitatem libri Auicennæ quisque ad medendi vsum intelligit, ob iudicij illius grauitatem, & librorum qui ex Galeno iam perierunt, casum: nam neque Galenus mutilius & sparsus ad promptam medendi opportunitatem aptus est: nec Paulus aut Aëtius necessaria omnia collegerunt: & si quisquam nunc etiam aggrediatur id facere, vt in eundem librum omnia ex Galeno medicæ artis præcepta in vnum conferat: præter id quod vtilissima Arabum experimenta prætermittere cogetur, totamque librorum qui ad Auicennam peruenerunt, ad nos autem non peruenerunt Galeni doctrinam, easdem quas Auicennæ liber patietur difficultates.

CONTRADICT. XI.

Medicina an tota tradatur in libro Artis medicæ.

Galenus in proœmio Artis medicæ videtur polliceri se totam artem modo diffinitiuo traditurum, quod tamen non facit: nam de Elementis, & de Humoribus, tum etiam de Dissectione nihil dicit in eo libro. Respondeo, dissectio traditur ordine diffinitiuo etiam in aliis, & non est proprie scientia, sed ars: est etiam prolixa tractatio, quam nemo recte in compendium reducat, qui verò conati sunt hoc facere, nulla in parte magis peccauerunt aberrantes & confundentes, quamuis nullos alios minus quàm Galenum deceret hoc facere, cùm in multis aliis libris eam scripsisset. Sunt & qui existiment eam non esse medicinæ partem: tum quòd belluis etiam communis sit, tum quòd medicinam ob id scientiam esse fateri cogantur humores & Elementa sæpius recenset, quamuis nullam de his propriam tractationem faciat: hoc autem in his sufficit, quando in talibus hæc tractatio futura sit breuissima. Sed si modo insufficiens non est, dicendum est, Medicinam scientiam esse, cùm traduntur humores, elementa, dissectio: hæc autem præterire licet, cùm sub artis modo, non scientiæ, vt in arte medica fit, pertractatur. Quamobrem vt Galenum à calumnia vindicemus, medicinam esse scientiam fateri necessarium est.

CONTRADICT. XII.

Insensibilis in qualitate mutatio an detur.

Insensibilem prorsus mutationem refugere videtur cùm Philosopho Auerroës 8. Physicæ auscultationis t. & Con. 23. seu mauis dicere sectione. Et fundamentum huius opinionis triplex est: Primum, si daretur (gratia exempli) vt gutta lapidem cauaret sensim, sensus circa propria sensilia deciperentur: essent enim omnia in perpetua mutatione, cùm tamen quiescere videantur, haud verò conuenit, vt natura sensus nostros sic finxerit, vt nihil certi sciant. Secunda ratio: Si quod mutatur, in actu est, infinitas partes habere non potest: nam sic actu infinitum esset, nam infinitum non nisi in his quæ potentia sunt, datur: sed quod mutatur suis partibus actu est, dum fiunt, & dum corrumpuntur. Igitur partes has impossibile est esse infinitas. Tertia: Omne infinitum

pertran

petrransitur vel nunquam, vel in tempore infinito: sed lapis cauus fit: igitur pars quæ exciditur non habet infinitas partes. At Galenus longè aliter censet, nam 1. de Locis affectis, cap. 2. iuxta finem, & ipse guttæ lapidem cauantis exemplum inducens, inquit: Si mille guttis lapis sensibili parte excauatur: aut præcedentes præparant, aut excauant & ipsæ, aut nihil omnino operantur: si nihil operantur præcedentes, nec vltima, quæ illis æqualis est robore, non superior: si excauant, nec nisi sub millesima, vt ita dicam, vel vltima gutta sentitur cauitas: luce clarius est, insensibilem priorum fuisse operationem: quod demonstrare volumus. At de præparatione nihil dixit, nec ibi, nec 3. de Temperamentis, cap. 4. quod tamen maximè erat opportunum cùm ad id refugiant Peripatetici. Canati sunt quidam Galeni rationem confirmare: nam alia non videtur qualitas addi posse à præcedentibus aquæ stillis, quàm quæ aquæ conueniat: at si saxum aquæ immittas vel per annum, non excauatur: quod tamen falsum est, si in fluentem imponatur: motu enim & aqua longe plus minuitur, quàm ex gutta assiduè cadente. At non animaduertunt quid in medium validius afferat Galenus contra Philosophum: quamuis illum non vidisse ea in parte eum existimē: nā longè acrius solet inuehi vbi aduersus placita Peripateticorum disputat. Igitur hoc est illius fermè argumentum, quanquàm seriem verborum inspicienti opportunius ibi pro conclusione ponatur. Fit erosio adeò leuis in visceribus, vt eam homo non sentiat: validam tamen erosionem sentit: idem sit de caliditate: quare & erosio & caliditas causæ dici debent, quæ sensum tactus mouere possint, & tamen præ paruitatē fallunt. Igitur multò magis in cæteris sensibus, qui tactu minus certi sunt, contingit hoc. Inde 3. de Temperamentis subiecit. Si omnes has paruas noxas sensus sentire cogeretur, quid aliud pateremur, quàm sempiternæ, vt dici solet, dogma passionis? Ergo sensus propter res ipsas inuentos Galenus vult: vt scilicet, cū aliquid excelleret, quod vel prodesse, vel nocere posset, sentiretur. Aristoteles autem propter sensum videtur rerum ordinem constituisse: vt quia sensus, non quantamcunque minimam rem assequi potest, ideò nec res ipsæ ad quantamcunque paruitatem scindi possunt: sed veluti cùm Epicureis sentiat per minima ipsa mutationes fiant. Et quanquàm rationes Philosophi acutiores videantur, opinio tamen Galeni magis consentit his, quæ apparent, nam multa videmus quæ sensim adeò permutantur, vt homo non ea percipiat, vt filij incrementum coram matre: quod etsi lateat eam per singulas partes, non tamen latet postquàm multum creuerit, & hæc est causa quòd absentes, id melius agnoscunt. Infinita facile pro Galeno esset adducere experimenta: ratio tamen illa prima, non multum videtur pro Galeno facere: nam, vt dixi, Philosophus diceret, excauari lapidem in aqua: adesse etiam humidam præparationem per quam à lapide pars illa cerius disiungeretur: tertiò, quòd difficilius posset reprehendi si dicas, partes minimi quę, dùm est iunctum lapi di, actu sunt, separari ab aliis circumiacentium minimorum partibus, sic tamen vt illud minimum non fateamur partes habere quæ per se esse possint: nec tamen illæ erunt infinitæ, sed tot, quot minima, quæ minimum in lapide ipso tangunt: hoc enim necessarium est, non solum verum, apud illos qui hæc minima ponunt. Quidam conati sunt illos concordare. Alij quidem sic: Insensibile duplex, aliud quod adeò paruum est, vt etiam per se sumptum quouis modo, sentiri ob suam paruitatem non potest: aliud quod quanquàm per se posset sentiri, comparatum tamen ei cui adiicitur, vel à quo aufertur, nequit: vt granum frumenti quod non adeò paruum est, quin percipiatur, additum tamen aceruo magno, non sentitur, nec oculus differentiam posterioris acerui à priore agnoscit: primum igitur insensibile negat Philosophus dari, nec Galenus illud concedit: non tamen negat Philosophus dari hoc insensibile, quod fit per comparationem: & hoc est quod Galenus ponit. Et ideo pueri crementum est sensibile primo modo, quod per se posset cognosci à sensu, vt granum illud frumenti seorsum: non tamen in comparatione ad puerum.

Alij dicunt, quòd mutationes istæ apud Philosophum fiunt per sensibilia in actu: quia sensus decipi non debet: verùm vt motus possit verè dici continuus, fit per insensibilia in potentia: & hanc mutationem Galenus vocat insensibilem: & sic discordia est solum in verbis & nomine insensibilis, non ex re. Sed ista opinio non concordat illos, nam Galenus vult, quòd in actu prima gutta aliquid excauauerit quod insensibile sit ob paruitatem, & in hoc differt, à Philosopho, qui nihil ponit excauatum, quia non sentitur: quare esse excauatum lapidem, & non esse, iam sunt contraria: contraria etiam sunt illud minimum non sentiri, & vbi ponatur sentiri, igitur Galenus in duobus contradiceret Philosopho. Contra primam argumentantur quidam: quia Galenus in 3. de Temperamentis dicit: Qualitatem acquisitam adeo leuem esse, vt non sentiatur: igitur cùm illa mutatio absoluta sit, patet Philosophum illam non concessurum. Responsio ad hoc clara est: Quicquid sit de Auerroë, Philosophus mutationem in qualitate non per minima, sed & ipsam insensibilem statuit, comparatione ad vehementiam habita, non autem ad subiectum. Verba eius subiungam ex loco illo: ὁμοίως δὲ καὶ ἐιν ἀλλοιώσεως ὁποιασοῦν. οὐ γὰρ εἰ μεριστὸν εἰς ἄπειρον τὸ ἀλλοιούμενον, διὰ εἴπερ καὶ ἡ ἀλλοίωσις, ἀλλ' ἀθρόα γίνεται πολλάκις ὥσπερ ἡ πῆξις. Idest: Similiter autem & in qualitatum mutatione obseruandum est: non enim si quod qualitatem acquirit in infinitum potest diuidi, propter hoc & ipsa qualitatis inductio: sed confertim fit sæpenumero, vt congelatio. Quis non videt ex exemplo, si verba non adeo illi clarent, intelligere Philosophum, acquisitionem per subiecti partes simul fieri minimas, non autem respectu qualitatis: nam glacies fit in magna aquæ parte simul, etsi forma illa in quacunque minima parte non simul, sed sensim inducatur. Inde ex hoc errore obortæ

tot difficultates: vnde etiam sibi his, quæ in sexto eiusdem operis dixerat, contradicere videbatur. Ergo si verba ad qualitatem ipsam referantur, quis non videt, exemplum esse falsum? quis enim vnquam vidit repentinam congelationem humidorum? at magnæ partis simul quotidie videmus. Quare in vtraque causa Galenus ad vnguem Philosopho concors est: nam inductio qualitatum, quo ad vim, continua est, & ab insensibili auctione procedit: quo ad subiectum certam necessariò occupat quantitatem, quam minimum eius rei appellamus: seorsum quidem semper sensibilem, in comparatione autem totius, cuius est pars, persæpe insensibilem.

CONTRADICT. XIII

Hippocrates dogmaticus fuit.

HIppocratem autorem huius libri dogmaticum esse in tota hac ostendetur commentatione. 1. Aphor. 1. Oppositum in Introductorio, capite 4. Rationalis sectæ princeps fuit Hippocrates: Methodicam Themison Laodiceus Syrius incepit, absoluit Thessalus Trallianus. In libro etiam de Optima secta ad Trasibulum, cap. 4. ostendit eas esse tres, Dogmaticam, Empiricam, & Rationalem, post hæc à cap. 13. vsque ad finem libri, Methodicam, seu Dogmaticam oppugnat: maximè autem cap. 17. ex Hippocratis verbis. Igitur Hippocrates non fuit Dogmaticus, aliter damnaret proprium magistrum, & etiam ex propriis illius dictis. Hoc autem non ibi solùm, sed deinceps sæpe, vsque ad totius libri calcem. Plurimæ aliæ sunt autoritates, quæ id clarius luce ostendunt, per libros Galeni sparsæ. Solutio igitur ex libro de Sectis, & ad eos qui introducuntur, cap. 1. & 13. habetur. In priore enim ostendit duas fuisse antiquissimas sectas: Empiricam, & Rationalem, seu Dogmaticam: nam sic tunc appellabatur, cuius vt dixi Hippocrates princeps extiterat. Quare dictum in Aphorismis inuiolatum manet, in cap. 13. declarat his duabus post longum tempus successisse Methodicam: quæ etsi cum Rationali & Dogmatica in significati propinquitate conueniret, re tamen ab illis non minus quàm Empirica differt. Igitur Rationalis & Dogmatica vna est, secunda Emperica, tertia autem Methodica illis posterior. Cùm verò antiquum esset nomen Rationalis sectæ λογική, & illi tamen qui eam sectabantur Δογματικοὶ vocabantur, ita vt aliud esset nomen sectæ, aliud sectatorum: ob hoc, quæ vna erat, duo nomina sortita est. Improprie igitur dixeris Sectam dogmaticam, vel Medicos rationales proprie verò Sectam rationalem, & medicos dogmaticos. Hæc igitur non tamest dicenda contradictio quàm declaratio confusionis horum nominum.

CONTRADICT. XIV.

An continens, seu coniuncta causa detur.

TRes sunt causæ dispositionum corporis, Primitiuæ, Antecedentes, Coniunctæ: secunda primi, doct. 2. summæ primæ cap. 1. & Ionnitius in Isagogis idem confirmat, cæteris fermè omnes Arabes: vnde Auerroës primo canticæ Commento 176. Causæ duplici genere continentur: aliæ quidem exteriores, quæ & primitiuæ vocantur: aliæ internæ, & harum quæ remotæ sunt à morbo, vocantur antecedentes: quæ verò illi sunt proximæ, intellige vt nihil sit intermedium, vocantur coniunctæ. Et in Commento sequente ostendit secundam differentiam antecedentium, & coniunctarum: nam sublata coniuncta aufertur morbus: vt ablata putredine, febris: sublata autem antecedente, puta humorum multitudinem, quæ est causa obstructionis, inde prohibitæ transpirationis, inde putredinis, non aufertur febris: quoniam coniuncta manet, antecedente sublata. Galenus etiam in Introductorio cap. 8. (nam cum eruditis viris ego certans, meum inscitiæ testimonium non dimittam: tarde enim accedēs ad disciplinas, difficulter dicta veterum reperio, nisi caput, seu sectio adiungatur. Non me præterit, non esse hoc classicorum virorum exemplum: sed postquàm illos æquare ingenij felicitate, & autoritate non possum liceat vel mihi & in hoc ab eis discedere: præsertim ductore Alciato, qui & ipse puto aliqua causa honestiore inductus, non ciuilem legem, nec codicem, sed ad vnguem locum adiungit: quanquàm is è regione persæpe, ego vero cui non tam prospera scribendi occasio affulsit, quæ nunc corrigo sic emittam: si in posterum reliqua emendandi tam bona Principum nostrorum gratia, ac liberalitate, fortuna detur, qualem plures experiuntur, meliorem forte illis ordinem subiiciam: neque enim obscurum est ignotos homines, etiam rudi minerua scribere solere) quinque causarum genera refert: Continentes, vt spina ac telum: quibus positis morbus necessario adest, sublatis autem aufertur. Præcedentes, seu internæ, quæ ab euidentibus vel præparantur, vel adiuuatur: vt plenitudo, quæ ex nimio alimento fit. Porrò Euidentes vocat, quæ Græcis dicuntur Procatarcticæ, vel Antegressæ, quæ cùm aduersam valitudinem crearunt, separantur: vt frigus, & nimia exercitatio. Concausæ, quas Græci Synætia, quæ morbum creant simul iunctæ, cùm quælibet tamen per se sufficeret: vt ad vrinæ suppressionem lapis, & vesicæ inflammatio. Auxiliares, quæ per se nequeunt: sed aliis iunctæ valent morbum gignere: velut libido articulari morbo, causa est Auxiliaris. Manifestum est igitur, quonam pacto plura sint etiam tribus causarum genera: sed etsi velimus. Adiuuantes & Concausas, per tria illa commodè distribuemus: erunt enim omnes vel Continentes,

nentes, vel Præcedentes, vel Antegressæ illarum singulæ. Meminit & continentium causarum autor libri de diffinitionibus, exemplum dans de vesicæ lapide: nam eo existente, morbus adest: sublato, tollitur. Inde etiam 7. Aphor. 30. super illud: Quibus in alui profluuiis excrementa spumosa sunt, iis ex capite pituita defluit: Galenus ostendens, non omnino hoc certum esse, aliam causam assignat, quæ est, vt vasa quæ ad ventriculum perueniunt, talem humorem spumosum effundant in ipsum. Volens autem generalem quẽdam modum huius symptomatis ostendere, subiicit: Fieret enim quandoque & in ipso ventriculo vnam habens, vt quispiam diceret, causam continentiuam, quomodocunque excernatur aut fiat, antecedentes verò plures. Est autem huius pituitæ causa contẽtiua, flatuosus spiritus. Clarum est quid sint, & quomodo distinguantur, illum ibi planè ostendere. In libro etiam contra Iulianum, continentem causam morbi dari docuit: verùm cùm illam negaret hoc argumento Asclepiades, Continens causa est, qua sublata tollitur morbus: sed sublata multitudine persæpe morbus relinquitur: non est igitur ipsius morbi causa continens plenitudo. Respondet ad hoc Galenus, (nam iuxta medium paulò pòst hæc disputatio exoritur) Membrum quod plenitudine laborat, ea sublata penitus sanitati restitui. Inde hanc subiicit sententiam, vt paucioribus eam verbis explicem: Diximus alibi de continentibus causis secundum Stoicorum opinionem, quorum tam nomen, quàm res ipsa inuentum est: nec rectè illo nomine vti recentiores medicos: nos tamen, ne de nominibus litigemus, illas vt sic nominentur concedere: non quòd aliquid sint eorum, quæ vere sunt: sed quæ in sola tantum consistant generatione. Inde concludit, multos sanata multitudine protinus curatos esse, vt hanc causam nemo possit negare: primò etiam de causis pulsuum cap. 1. Quia variat vsum pulsus, causa externa, intercedentibus aliis præcedentibus, cùm hic vna continens sit causa pulsus, etiam ipsos pulsus immutat: neque enim vlla possit continens causa immutari, vt constans maneat effectus. Qui vertit, dum solœcismum admittit, corrupit sensum: cùm vsus pulsus seu χρεία causa sit continens. Ego necessitatem, vel indigentiam potius verterem, ibi igitur continentis causæ pulsus & reliquorũ duorum generum, satis apertè, dum quis etiam febre correptus est, meminit. In libro etiam de Renum affectibus, in fine, dixit. Et si animus erat tractare de quibusdam, puta, an lapis sit causa vel morbus: etsi causa, an coniuncta, vel præincipiens, vnde illam in facto morbo videtur admittere. 2. etiam de Symptomatum causis, cap. 2. & tremoris, & palpitationis manifestius causam ostendit continentẽ: aër enim inclusus quàm diu durat palpitationem facit? sublato eo, tollitur palpitatio igitur ex diffinitione coniunctæ causæ intentum sequitur, illam autem infrà docebimus ex Galeno. Idem de horrore rigoréque. Galenus quoque in libello de Historia Philosophorum causæ continentis meminit cap. de principij & causæ differentia, & rursus 2. Art. curat. cap. 4. & alibi tum 10. Art. cur. cap. 10. & 1. super 3. Epidem. cap. 2. cùm itaque tremores habeant causam, vt ita dicam continentem, virium imbecillitatem, & in 4. eiusdem libri commento docet eos, quòd dum fiunt etiam sunt affectus vt conuulsionem, tremorem, & alia eiusmodi plura, & in libro de multitudine, cap. 3 & clarius 4. multa de continente causa disseruit. At verò nec in contrarium pauca adduci solent: nam illud aduersus Asclepiadem, primo, ostendit factorum morborum nullam esse causam continentem, quæ etiam sententia videtur excipi à Galeno 2. Aphor. 22. Fientium morborum cura est causæ remotio, factorum autem ipsius morbi. Quòd si continens causa in factis detur, duabus curis necessario opus erit, primo etiam Artis curatiuæ cap 8. Quartum verò ab his genus statuito quod sit morbi causarum: atque harum, quæ quidem in ipso animalis corpore consistunt, antecedens nominet: quæ extra primitiuum. Idem fermè in libro de Causis morborum, cap. 2. in fine, cuius seriei initium est, Rursus igitur: ostendit tantum duo genera causarum præincipientium, seu externarum, seu primarum, & antecedentium, idem & in de Causis percatarcticis. Decebat autem Galenum in his tribus locis meminisse continentium causarum. In primo, ob curam quæ illis debetur: in secundo, quòd de causis sit propria pertractatio: in tertio, vt rectè primitiuæ causæ ab aliis omnibus disiungerentur. In Aphorismo quid attinebat Galeno distinctionem afferre fientium morborum, & eorum qui iam facti essent, curamque diuersam iniungere, si omnes morbi causis continentibus iuncti sunt? In libro etiam de Multitudine, cùm reliqua duo genera attigisset, continentium non meminit, in 3. etiam Artis medicinalis libro, cap. 5. cui titulus est, de Solutione continui, in fine, Galenus docet tria causarum genera: quoddam quo intemperies iam facta curatur, & vocatur Curatiuum. Secundum, quo quæ nondum inducta est, prohibetur: & hoc duplex, aliud Conseruantium, aliud Præseruantium. Tertium genus quod fienti conuenit, mixtum ex præseruatiuo & curatiuo gene. Iam enim (inquit) factum morbum curare oportet: sed eum qui nondum adest, futurus tamen est, prohibere conuenit ab ea, ne fiat, quæ est in corpore causa: eius autem qui adhuc fit, quod factum est curare expedit: quod verò futurum est, prohibere ne fiat. Manifestum est ex his, causam ab effectu separari posse, affectum verò ipsum sine causa curari debere. Quod si continens morbi iam facti causa assignetur, dupliciter peccabit Galenus: primò quòd non solum morbum iam factum curare expedit, sed etiam causam: nec vllum erit inter fientem morbum, factumque discrimem medico, cùm duplici in vtroque auxilio indigeat, 8. etiam Artis curatiuæ, cap. 1. Itaque si iam præsens febris est, causa quæ eam excitauerit desiit, huic tantum sanandæ consilium dirigetur, vt refrigeretur. At si in generatione adhuc est febris, causa quæ eam accedit, submouenda est: sin pars eius est genitas, pars verò adhuc gignitur, vtrique con-

ſulendum eſt, primò cauſam ſubducendo, deinde extinguendo, quæ ab illa facta eſt febrem,& 11. eiuſdem cap.10. in initio: Ergo qui febrem curare volet, neceſſe eſt putredinem inhibeat Ita duæ indicationes ſe exhibent, altera à putredine, altera à febre. At à febre rurſus duæ: altera vt febris portio,quæ iam accenſa eſt,curetur: altera,vt quæ in generatione ipſa eſt, inhibeatur. Rurſus à putredine duæ erunt indicationes: prima, vt quod putredinis iam factum eſt, ſanes: ſecunda, vt quod in generatione adhuc eſt, prohibeas. Porrò quod in generatione eſt, id perſpiratio impedita gignit. Nihil enim prohibet ſic illam nominare clarioris doctrinæ gratia. Ita ab hac aliæ duæ indicationes naſcentur:altera,vt retentum iam vacuetur: reliqua, vt quod retinendum eſt, prohibeatur. Si igitur putredo febris cauſa eſt coniuncta, haud indiget depulſa putredine refrigeratione vlla: namque ex coniunctæ,ſeu continentis cauſæ diffinitione liquet, ſublata cauſa effectum tolli. Quin etiam idem cap 4. eiuſdem libri: quæ igitur ex tali affectu febris exoritur, neceſſe eſt ſynochon,id eſt continentem eſſe. Nec fieri poteſt, vt ea ſanetur, niſi prius inhibita ſit putredo. Ea verò manente, cauſa inhiberi nequit: quare ſummouenda prius eſt cauſa, ſi modò ipſa putredo ſit prior,mox poſt ipſam febris ſanari debet, in libro etiam de Differentiis ſymptom. cap.1. in vltimis verbis inquit, quin etiam præcedentes in corpore animalis morborum cauſæ ſymptomata dicuntur:nec meminit coniunctæ ibi. Hæc Fuchſius, & Braſauolus contra Montuum ſcribunt:quæ quidem ego, cùm hos modeſtos homines, præter etiam eruditionem agnoſcam, atque citra omnem adulationem in magna huius ætatis labe,raros,non conabor euertere: ſed tamen inquirendæ veritatis gratia, dubia quædam circa hæc mouebo: admonens, lectorem vt poſſit & quæ Conciliator ipſe differentia 159:ſcripſit, quanquam obiter,& valde pauca, conſiderare.

Duo igitur à me videnda ſunt: primum, an Galenus hanc cauſam adeſſe morbis crediderit: ſecundum, an & ſi Galenus, vt ipſe teſtatur, vitandi ſophiſmatis gratia, vel ſtudio antiquis contradicendi, quoad immoderantiā vſque tenebatur, illam negaueri t:an forſan tamen neceſſe ſit eam admittere? Neque enim in hoc recentioribus, quod ſæpius teſtatus ſum,faueo: quibus ſufficit dixiſſe, hoc Galenus affirmat:namque ſi ſic Veſalius feciſſet, vtique multa quæ in lucem prodierunt laterē.Certum eſt autem etiam illum in rationibus & clariſſimis rebus defeciſſe,quod nos mox ſubiungemus: velut cùm homi nem vel æqualem dixit eſſe inter elementorum exceſſum, vel illorum æqualitati valde vicinum: cùm & ſecum Auerroes ipſe deliret. Homines igitur ſunt:ſi ratio vel experimentum manifeſtum obſtet, etiam ſi nullus aduerſetur,eos relinquam. Nunc autem in hac cauſa ex vna parte Galenum, non ſatis ſibi fermè conſtantem, habemus: ex altera Arabes omnes in vnum conſentientes:num i gi ur rem obiter tant am tractabimus? pro tauſa tamen illud a dducunt, etiam præter Galeni autoritatem, putredine ſublata febrem relinqui, vaporibus illam fouentibus: quare non eſſe vllam continentem cauſam, ex eius generis cauſæ diffinitione. Braſauolus ex Leoniceno illam admittit, ſententia Aphor. duorum iam recitatorum, & quæ etiam in libro aduerſus Iulianum profertur adductus: verùm in fientibus morbis, in factis autem negat omnino.

Ergo primo de Symptomatum cauſis,cap. 2. parum ante medium,inquit:Quippe laxitatis generandæ cauſa (vt ſic dicam coniunctæ) tenſio eſt tunicæ rhagoidis. Hic ſymptoma habemus vitium videndi morbum latitudinem pupillæ, qui cauſa eſt ſymptomatis. Laxitatis,ſeu latitudinis,quæ eſt morbus, coniunctam & adæquatam cauſam, qua poſita ponitur, ablata aufertur, tenſionem rhagoidis tunicæ. Sed dices, Cur ergo dixit (vt ſic dicam) coniuncta, & non abſoluto liberóque ſermone? nam & Græcè habetur: ὡς ἂν εἴπῃ τις, vt quis dixerit, igitur nomen potius quàm rem reformidare viſus eſt. Sed ſunt qui reconciliare Auicennam Galeno conantur: dicentes per cauſam coniunctam vtrumque eum intellexiſſe,quæ medio caret. Auicenna ſic illam definiente, ſecunda primi doc. 2. cap.1. Galeno autem in primo de locis, cap.2. dicente, ignem eſſe cauſam vſtæ partis, qua ſeparata, quieſcit affectus: aſſiſtente,præſens eſt: vt gladium etiam vulneris. Igitur propinquiſſimam intelligit, non quæ coæquetur, nam ſublato gladio, manet vulnus:& igne,vſtionis noxa. Ergo ſic dabitur 2. etiam de Natura humana, Com. 1. repletio non eſt morbi cauſa coniuncta, quia inter illam & functionis læſionem alia media ſunt,nec ipſa per ſe lædit. Sed ſi modo ita eſt, quàm abſurda dubitatio Galeni eſſet, an detur coniuncta cauſa? cum palam ſit, in omnibus morbis eam eſſe neceſſariam, ſi per coniunctam cauſam eam, quæ medio nullo hæret morbo, intelligamus: nam talem in omni eſſe neceſſe eſt. In libello etiam aduerſus Iulianum, cauſam diffinit continentem, dicens:quòd eſt ea,ex qua fit aliquid. & cum ea illud idem ceſſat.Et primo de Differentiis ſymptom. (caput numero,non librum ſignifico) inquit ἤδη δὲ καὶ αὐτὴν τὴν μένουσαν διάθεσιν οἱ ἕλληνες ὀνομάζουσι πάθος, ὥσπερ καὶ τὸ πεποιηκὸς, οὐκ ἔτι δὲ τὸ ποιοῦν, αἴτιον. καὶ τοίγε οὐδὲ τοῦτο ἁπλῶς αἴτιον, οὔθ' ἡ μένουσα διάθεσις, ἁπλῶς ἐστι πάθος, ἀλλὰ καὶ αὐτὴ κατά γε τὸν ἀκριβῆ λόγον, γεγονὸς μὲν πάθος ἐστιν ὂν δὲ οὐκ ἔτι. Quod eſt:Iam autē & ipſum manentem affectum Græci Morbum vocant:quemadmodum & quod fecit, non autem amplius facit,cauſam.Etſi neque hoc ſimpliciter cauſa, neque manens affectus ſimpliciter eſt morbus. Sed exquiſite loquenti, morbus eſt affectus factus, non autem qui fiat. Deinde infra ſubiungit,iuxta capitis finem, diligenti diſputatione peracta, veram, morbi finitionem ſic: Morbus eſt affectus operationem abſque medio alio vitians. Quotquot autem præcedunt affectus & ipſi per morbum operationem lædentes, tanquam medio quodam niteruenientes, cauſæ dicuntur. Actionis verò ipſius læſio Epigennema eſt, cuius genus ſymptoma: nam id eſt quicquid præter naturam

c

turam accidit corpori, etiam si à morbo non procedat:ita tamen vt morbo, si adsit,posterius: sit nam aliter vel morbus, vel causa esset, non symptoma. Ergo hæc iam à nobis permissa sint tanquàm fundamenta exquirendæ sententiæ Galeni, non ad verba illius respiciens, sed mentem potius. In quo tamen curiosos hoc ac sibi credentes monitos velim, pro πάθος, quod est passio & est genus, me morbum vertisse, illius speciem: tum vt clarius esset, quia affectus confirmati morbus species est: quare omnis morbus iam factus est,ex Galeni sententia, si exquisitè morbi nomen assequi debet:tum etiam vt nō Latinam vocem vitaremus.Igitur febris quid sit de putrida nunc loquor interrogarem?vt verò mihi videtur causa omninò non est, quia primò,& absque medio,vitiat operationem.Est igitur morbus, vel symptoma. Nunquàm autem inueni febrem per se consideratam symptoma, vel epigennema esse: quamuis in comparatione phlegmonis, vel vlceris, talis dici possit. Est igitur febris proculdubio morbus:huius causa est putredo aliqua (dicit) ex antecedentibus, 11. Artis curatiuæ,cap.9.in fine,vnde iuxta medium: Sanè scire licet,difficile esse,acrique iudicio indigens, febrem, putredinem, & effectricem causam, vbi ipsa scilicet quoque adest, inter se conferre. Ergo inter putredinem & febrem nullum videtur medium statuendum. Sit igitur causa febris prima, putredo, id est inter quam febrem nihil omnino sit intermedium.Erit igitur calor ipse in corde accensus febris: quod & Auicenna prima quarti in febris diffinitione expressit, capite primo, non igitur inter febrem & calorem quicquam medium statuitur.Hoc solùm verò deficit putredini,ne causa coniuncta dici possit, quòd ea amota adhuc febris manet: nam hæc erat, vt dixi, secunda illius conditio. Amota autem putredine, adhuc febris manet, quæ refrigerantibus indiget, passim enim hoc Galenus declarat. Sed hic multa sunt dubia, Vapores medii sunt inter putredinem & febrem ex illorum sententia, quomodo igitur putredo febris causa esse potest prima? Quod si negas hos esse causam distinctam:quæro, an vapores sint febris ipsa? certè non, imò febris est calor iam impressus ex vaporibus.Sublatis igitur vaporibus amplius febris non est, quod est ex ratione causæ cōiunctę.Pręterea quænam febris manet amota putredine? Vel putrida:hoc autē falsum est, nam & sic rursus amouere ipsam putredinem oportet: vel Hectica, vel Ephimera:hoc autem nihil est contra Auicennæ dicta, nam non hecticæ vel Ephimeræ putredinem dicit causam est coniunctam, sed solius putridæ. Si verò dicas, esse symptoma: nec hoc Auicennæ contradicit: nam morbum remoueri, remota causa coniuncta dicit, non autem symptomata. Rursus pro partibus putredinis, febris etiam partes sunt, hoc enim experimento liquet. Vt igitur, si ab initio pars putredinis prima remoueretur, sic etiam febris:ita tota putredine sublata, tota febris. Galenus etiam concedit, in morbis fientibus,curam esse per causæ solius. ablationem: at febres putridæ sunt morbi fientes, non facti, essent enim hecticæ non amplius putridæ, quare curabuntur sublata putredine. Quod etiam Galenus videtur fateri in libro aduersus Iulianum, cùm dixit: Quòd si liceret bilem stante febre vniuersam euacuare, tunc solueretur morbus illico, propterea prohibemur à calore febrili. Sed dices, Quid ergo Galenus noluit, cùm dixit, duas esse ad curandum febres iam factas intentiones, quarum altera putredini,quæ prima est,altera febri, quæ posterior debetur? Respondeo, vereri Galenum ne interim calor febrilis hecticam aut colliquationem adducat. Igitur intentio ad putredinem, solum natura, non tempore, prior est, ea quæ est per refrigerantia. Ambabus igitur simul vtemur, ne ex affectu in affectum transeat. Quare præseruatiua quædam est curatio morbi, causæ autem vera, & exquisita.Quòd si ad sublatam iam putredinem calor remanens transferatur, duorum alterum necesse est esse, vt vel scilicet calor ille non sit morbus, sed symptoma, quod frequentius euenit: vel vt sit hectica: quorum neutrum Principi aduersatur. Seu igitur cura debeatur calori existenti, dum putredo adest, quæ mens videtur esse Galeni vbique in locis adductis: seu post remanenti iam febri hecticæ, seu symptomati, apparet nihil horum obstare, quin febris putridæ coniuncta causa,sit putredo ipsa:quandoquidem amota putredine, febris putrida tota tollatur. Quis enim adeò obscurè Galenum interpretabitur,vt audeat illi imponere, quòd senserit febrem manere, & adesse putridam,ex toto sublata putredine? Ergo causam huius verisimilem quasi ille dedisse videtur: cùm dixerit, primam intentionem ad putredinem habendam esse, secundam autem ad febrem ipsam. Sed non tempora distinxit, verùm necessitatem: ne quis primo refrigerantibus mentem intenderet, quæ postmodum putredinem possent augere: quare ex his non difficile est videre, quid voluerit Galenus his in locis,quæ ab his adducuntur. Sed prætermisit nomen coniunctæ causæ, tunc vt ille fatetur suspectum, satis est rem ipsam illum præteriisse. Dixit autem de hoc diffuse ac distinctè, in libro à se scripto disputasse, quem verisimile est ad Arabes peruenisse: quanquàm, vt plures alii, qui ad eos peruenerunt Galeni libri, nobis perierint. Neque credendum est, cum Auicenna & cæteri in hoc Galeno non profiteantur se contradicere,hoc genus causæ somniasse. At verò obiicies, ex primo de differ. feb. cap. 5. quòd post febrem calor quandoque manet per diem integrum, vel etiam per duos dies, vt ephimeræ speciem referat. Hoc nos non negamus: sed putridam febrem esse,non fatemur quòd si per vapores, vt ibi Galenus concedere videtur,sustentetur:dico tunc, vapores ipsi iuxta Arabes, febris putridæ causa coniuncta erunt, non humor putridus:sed nec hoc Galenus dicit, quòd humor putridus,sed quòd putredo ipsa causa esset febris. Quamobrem si quis absque affectu rem hanc expenderit, videbit Galenum nomen continentis causæ potius, quàm rem ipsam declinasse: quanquàm & illud in his qui fiunt morbis,apertè confiteatur. Arabes verò non

nomina,

nomina, sed solum res curantes, Galenum secutos, eius rationem habuisse. Sed nec Fuchsius, vt video, autoritati 7. Aphor. respondet: cùm ibi Galenus morbum, non rem naturalem describat, cuius sit ea causa continens. Sed symptoma est dicet, morbus autem symptomatis causa continens esse potest: vt etiam lapis in vesica, difficultatis vrinæ. Fateor hoc non conuincere: illud verò satis est apertum, quencunque posse Galenum Arabibus non magna cum difficultate reconciliare. Forsitan, quòd credo, aliqua his sunt argumenta, quibus has nostras expositiones, tum rationes, possint euertere. Ego cùm non videam illas, his quæ scripsi acquiescam: non negans tamen aliquos esse forsitan morbos, sed non putridas omnino febres, qui contentiua causa, cùm iam firmati sint, careant. Verùm de hoc posterius considerabimus: nunc satis sit, ostendisse eam quæ relinquitur febrem, summota putredine, putridam non esse: aliter non teneret Galeni argumentum. 11. Artis curatiuæ 10. Febris putrida est, igitur putredo, igitur prohibita transpiratio: nam post ablatam putredinem manente febre putrida, hæc omnia falsò deducentur. Ad dices, cur igitur factis iam morbis cura ad causam dirigitur? Respondeo, quia 2. Aphr. 22. videbat morbos esse, qui omnino continente causa carerent, vt hecticam ipsam. De putridis autem, si non diuersam à seipso ibi sententiam scripsit, cùm fientibus cura debeatur causæ, quia continens est, factis autem non, quia deest causa continens: putridis igitur, cùm sanari nequeant nisi sublata putredine, continens causa est humor putrescens, vel putredo ipsa. Igitur quod intellexit ibi clarum est: putridas siquidem aut fieri tantum, aut partim fieri, & partim factas esse: quare omnibus putridis causa continens, vel Galeno ipso teste, semper iuncta est.

CONTRADICT. XV.

Tertiana & quartana an ex toto genere salubres.

TErtiana febris, & quartana, tum etiam quælibet quæ ad solutionem peruenit, periculo vacat 4. Aphor. 43. imò dicebat Galenus, si tertiana longas habuerit accessiones, omnino vacabit periculo: sed & si cum hoc duodecim horarum spatium non impleuerit accessio, breuis etiam erit. Reddit rationem horum: omnis morbus periculo non carens, est vel cum plegmone, vel cum humorum prauitate: sed in his ambobus, febres necessarium est esse continuas: igitur quæ vacant continuitate, periculo etiam vacant: 3. etiam particula primi Epidemiorum Galenus Com. 4. dicebat super illud: Quartana securissima & longissima: quòd hoc est verum merito febris, nisi aliquis tumor in splene adiungatur 3. super 3. Epidem. Com. 72. segmento 1. inquit: Scimus quòd Quartana est toto genere securissima secundum Hippocratis mentem. Rasis tamen dicit 10. ad Almansorem 22. quòd tertiana notha, non est absque periculo: & quæ ex pituita accidit, licet interpolata, non est secura. Auicenna etiam prima quarti tract. 2. dicit. quòd Quartana coniungitur tumori splenis perducit sæpe ad hydropem, & mortem. Non igitur videntur primo omnes interpolatæ febres vacare periculo, cum tertianæ nothæ, & quartanæ quotidianæ periculum non leue minentur. Accedit, quòd non videtur Galeni ratio in Aphorismo sufficiens cùm multi ex tumore in splene moriantur, iuncto quartanæ febri: non igitur semper periculum est ex phlegmone, vel humorum prauitate. Respondeo: apud Galenum omnis interpolata est securissima: quandoquidem se iactet media hyeme curasse senem sexagenarium, ac etiam natu maiorem, triplici quartana laborantem Eudemum: libro de Præcognitione cap. 3. Est autem periculum si quisquam aberret in cura: vt de adolescente qui fermè ex notha tertiana obiit, 1. ad Glauconem cap. 8. item vbi alius adiungatur morbus, vt de quartana & tumore splenis. Rasis autem periculum erroris æstimans, omnes morbos dixit non esse securos in quibus liceret vel minimo errore ægrum periclitari. Tales igitur sunt quotidianæ, & his minus tertianæ nothæ. Quartanas autem securiores pronuntiauit, quamuis cum tumore splenis securæ omnino dici non debeant. Sed hoc non merito febris est, sed adiuncti morbi: igitur Galenus rem ipsam nudam spectat, Rasis euentum. Pura tamen tertiana periculo vacat, si non grauiter erres. Mortuus est tamen auunculus meus ex ea Gothardus Cardanus 84. natus annos: alium etiam interemit inscitia medicorum grauis, vt illum ætas, ex errore tamen non in mortem illico prolabitur: vt notha quæ in virtutem non leuiter affligit, 1. ad Glauconem 10. sed in notham aut duplicem tertianam transit. Rationes autem quas ibi Galenus adducit ad acutas referas, quæ non nisi eo modo possunt esse perniciosæ: nam de longis securi non sumus, quòd tumor in aliquo viscere non sit. Vnde 2. Aphor. 19. pauci sunt morbi diuturni in quibus nulla sit in aliqua parte humorum crassorum, vel lentorum, tumorem durum excitantium potius, quàm phlegmonem copia. Ergo tales vt solum ex intermittentibus quartanam admittunt, sic maximè de quartana nos Galenus & Auicenna admonuerunt. Sed de quotidiana aliqua remanet dubitatio: verùm si modo accidit, nec antiqui animaduertisse videntur, nec rationi esse consonum, pituita enim cum in tumorem collecta fuerit, & computruerit, necessariò sanguini admiscetur, & phlegmonem excitat, ac cum eo continuam febrem. Si autem non putrescat, in scyrrhum transit, & melancholicas, quamuis pituita sit, excitat febres.

CON

CONTRADICT. XVI.

Ossa an sentiant.

NVllum præterea ossium sentit, præter dentes, aliquid penitus, prima primi doc. 5. cap. 5. vnde Galenus 16. de Vsu partium 2. Ossi nulli aut cartilagini, aut ligamento neruus est insertus: quoniam hæ partes nec sensu, nec motu indigent. Aristotelem memini me in prima Contradictione adduxisse, negantem ossibus sensum, tum etiam ligamentis, cum illa sub neruis comprendat. etenim hæc Contradictio in primæ supplementum à nobis scribitur, quoniam digna sunt scitu, quæ hîc pertractantur. At quomodo iam ad ligamenta neruus non venit, cùm tendones neruis ac ligamentis constent? vt primo de Motu musculorum iuxta principium; atque alibi sæpius. Apparet autem & motus causa illud factum esse: quandoquidem si roboris & coniunctionis merito factum esset, os ossi firmius vel cum illo iungi poterat quàm solo ligamento: quare ligamentum ad firmitatem non solùm, sed etiam ad motum factum videtur. Quin etiam ossa, & ligamenta, ac cartilagines sentire Galenus affirmat lib. de multitudine, cap. 5. dicens: Ossa quædam sensum habent grauitatis: quædam verò tum ossa, tum aliarum partium sensus omnino sunt expertia, quòd ad illa neruus non veniat. Hoc idem existimat Auenzoar libro 1. trac 9. cap. 19. adducit autem tres, vt mihi videtur, à paucis intellectas rationes. Prima est, quòd dentes sentiunt, qui sunt ex ossium genere: sentire autem per se inest partibus animalis quibus inest: & quod per se inest, omni inest, per se enim hæc est, Dens sentit: & hæc, Os sentit: quare & Omne os sentit, vera est. Item, Ossa nutriuntur & crescunt, etsi venis careant: quare etiam sentiunt etsi neruos non habeant. Videtur autem mihi ratio valida plusquam prima fronte appareat, nam 2. de Anima 31. in sensitiuo vegetatiuum, vt trigonum in tetragono: igitur in potentia est virtus nutriens in sensibili. Vbi igitur sensibilis facultas non est, in eo quod animam habet sensibilem, ibi non est nutritio: at ossa nutriuntur, igitur vel etiam sunt sensibilia, vel duæ erunt prorsus animæ. Tertia ratio, Ossa non putrescunt, & seruantur in viuentibus, at in mortuis corrumpuntur: hoc igitur non ex alio est, nisi quia spiritu tunc vitali, & animali, destituantur: vbi verò animalis spiritus, ibi etiam sensus. Ergo quia his obstabant autoritas Galeni, & ratio, & experimentum, ad experimentum quidem iam respondimus: quòd duorum dolorum, qui secundum eandem partem fiunt, maior minorem obscurat: at os lædi non potest, quin membrana, vel caro lædantur etiam, quæ cùm acutissimi sint sensus, hebetem ossis sensum ex toto tollunt. Autoritatem Galeni exponit, quòd senserit illa parum sentire: velut dicimus, aliquem esse absque collo, qui collum habeat breuissimum: & aliquem sine memoria, qui modicam habeat memoriam. Ad rationem verò, quòd neruis destituantur, respondet: quòd & venis, & arteriis: pari igitur ratione & nutritione, & innato calore: quæ tamen perabsurda sunt: proculdubio enim augentur & viuunt. Nec absurda est omnino hæc ratio: nam vel sentit corpus solum ea parte, qua neruus est, aut etiam his, quæ illi proxima sunt: si quidem primum, ossa non sentient: at nec tota cutis, nō totus ventriculus, non intestina. Melius igitur est, vt quemadmodum contingit de solis luce, vt alia quidem per nerui præsentiam sentiant, alia autem per virtutem ab illo manantem: atque hoc modo, quod dubium non est apud me, ossa sentiunt: animam enim habent, aut facultatem eadem ratione sentientem, qua & nutrientem: & hæc fuit Galeni sententia, vt dixi, libro de Multitudine. Galenus tamen in 9. de Dogmate Hippoc. & Platonis, non procul à fine, ostendit, cùm plura sint quàm trecenta ossa in homine, ad singula venam pro nutritione deriuari. Sed, vt diximus, vena quidem ad os ipsum bene deducitur, at in os non penetrat, penetrat tamen illius contentum ac sanguis, sic ex arteriarum proximarum vi, color: atque eodem modo etiam sensus. Sed non eodem modo apud medicos veritas, quo apud Philosophos spectanda est: nam medicus rectè dicet, atque vtilius ossa non sentiunt: cum si dicat ossa sentiunt, nec animaduertat ossium sensum parum & rarò percipi, integra existimabit sæpe ossa, quæ sint corrupta, vel fracta. Rectè igitur Galenus dixit, ossa non sentire: vtilitati consulens operis, verè etiam Auenzoar, cùm dixit ea sentire, sunt enim animata. Aristoteles autem terrea non sentire dixit, vel quia non omnino sentiant vt pili, vel parum admodum vt ossa. Galenus autem ad ligamenta non venire neruos docuit, quoniam quædam eis carent, nam non ob ligamenta neruus transmittitur: sed tendines fiunt, ne os ab osse citra sensum separetur: at ligamentorum substantia cùm dura sit, sensum vix vllum admittit: neruea tamen tendinis pars sensu prædita est.

CONTRADICT. XVII.

Dolor an sentiatur.

DElectatio & dolor omnibus sensibus contingunt, non tamen pari euidentia: sed in oculis minus quàm in cæteris euidenter: in tactu autem & gustu valde manifestè: ab iis deinceps in odoratu & post hoc in auditu primo de Causis symptomatum cap. 6. inde etiam probat Platonis dictum, in Timæo, quod est, violenta passio quæ præter naturam est, cum simul multa & celeriter fit, dolorem infert. Et iterum infrà: Reditus ad naturam simul & celeriter eius quod iam diuelli cœperat, voluntatem affert. Quo fit, vt Galenus dolorem esse quandam speciem sensus velit, sicut & voluptatem, non autem sensus obiectum: nam causam sensus iam exponit, vt quòd diuellatur, vel ad naturalem

redeat dispositionem. Esse etiam in omnibus sensibus, hoc manifestè declarat, non posse esse obiectum sensus alicuius: id enim luce clarius est, & 2. de Locis cap. 2. vt dolor est tristis sensus, sic voluptas est blandus. Et 2. de Generatione & corruptione Philosophus 7. & 8. declarans quæ tactus sint obiecta, non enumerat dolorem: sed primas qualitates, tam graue, durum, aridum, asperum, crassum cum suis contrariis. Rationes etiam non leues hoc declarant: Prima, necesse esset vt sensibile positum supra sensum, sentiretur: nam dolor si sentitur in neruo, cùm sit in eo ipso, manifestum est sensibili posito supra sensum, fieri sensationem: quod est contra Philosophum 2. de Anima 116. Item, necessariæ essent duæ sensationes: prima, qua causa doloris sentiretur, puta frigus: altera, qua dolor: aliter oporteret confiteri, quòd frigido tanquam obiecto tactus approximato tactui, vt conuenit, non tamen proueniret operatio sensibilis in sensum. Item, sic esset sensus absque sua causa: quia doloris causa iam non sentitur. Tertia ratio, Dolor est tristis quædam sensatio, igitur sensatio non potest sentiri: aliter sensus esset vt intellectus, qui suum intelligendi actum intelligit. Item sensibilis proprium est, vt in quantum tale, perficiat sensum, quamuis aliquando ob magnitudinem lædat: sed nullus dolor perficit sensum, imò corrumpit illum. Item non esset necessaria phantasia in tactu, si dolor posset sentiri: at hoc contradicit Philosopho 2. de Anima 20. Assumptum declaratur ex verbis eius: Vbi sensus, ibi contristans, & delectans: & vbi talia, est appetitus fugiendi, vel assequendi, in perfectis quidem animalibus, etiam in absentia obiecti: in imperfectis autem præsente obiecto ipso. Vnde cauda lacertæ dum est præcisa, dolet: & nititur excutere dolorem illum. Et talis appetentia, phantasia, seu imaginatio quædam est. Igitur si dolor esset sensibilis, non esset postmodum tristitia ipsa: quare superessent solum obiectum & phantasia, & non modus sentiendi: vnde non erunt tria, sed duo tantum, obiectum & imaginatio. Sequitur etiam aliud contra Philosophum ibi: nam sic erunt genera quædam sensibilium, dolor, & voluptas, igitur non erit necessarium in aliis obiectis: vt sit dolor vel voluptas: quare non erit necessaria imaginatio, sicut non est necessarium quòd cùm sentio asperum vel lene, vt sentiam graue vel leue. Sed ibi est quædam difficultas in verbis Auerrois: nam volens ostendere, quòd imaginatio sit necessaria in omni sensu, sic argumentatur: Sensus non comprehendit nisi existens actu: sed imaginatio, seu desiderium, est eorum quæ non habentur: igitur imaginatio est necessaria vltra sensum. Et iam dixerat, quòd imaginatio animalium imperfectorum non est nisi cum obiecti præsentia: & nunc dicit, quòd est cum absentia, & quòd est absentis obiecti. Respondeo, Imaginatio semper est absentis: nam fugere contristans, est desiderium absentiæ eius quod iam adest: & desiderare delectans, non est in quantum habetur, sed vt non habetur. Hæc tamen desideria non mouentur nisi præsente obiecto ipso: sicut senes non appetunt venerem, ni si in præsentia obiecti delectantis: & tamen præsentia obiecti illius, non solùm non est eadem numero, sed nec specie, cum præsentia rei venereæ. Alia igitur est causa excitans, alia autem est res quæ desideratur: prima est actu, sed secunda est in potentia. Ergo, vt ad principale reuertar, in oppositum plura sunt, & primo autoritas Hippoc. 2. Aphor. 6. Quicunque dolentes parte aliqua corporis plurimum dolorem non sentiunt, his mens ægrotat. Si igitur dolor non est obiectum sensus, sed sentiendi quidam actus, Aphorismus contradictionem implicabit: nam simul sentient, & non sentient. Ad hoc non difficile est respondere: quia Galenus in commento exponit, per dolorem causam quæ verisimili ratione dolorem incutere deberet, vt erisipelas, & phlegmonem: sed sunt alia quæ magis præmunt, nam princeps 2. de anima cap. 3. iuxta medium, inquit: Nam dolor, & remedium doloris, sunt de sensibus tactibilibus, (ego lego de sensibilibus tactibilibus) & adducit ad hoc rationem hanc. Omne quod cognoscitur in permutatione ipsa, & non cùm iam acquisitum est, est obiectum sensus: nam videmus quòd calor hectici non percipitur ab hectico, quia iam est acquisitus, etiam quòd sit valde magnus: & calor tertianæ percipitur à patiente, quia immutat: sed dolor percipitur in permutatione, & similiter causa doloris, & sic de voluptate: igitur tam dolor, quàm causa doloris, sentiuntur. Est autem ratio ad hoc valida, & tangitur à Conciliatore. Sensus tactus est datus nobis propter salutem, vt possimus contraria fugere, 3. de Anima. 63. sed dolores possunt prosternere virtutem, secunda primi doc. 2. cap. 22. igitur dolor est proprium sensibile. Sicut enim datus est nobis sensus caloris, ne exuramur: sic etiam doloris, ne pereamus. Est etiam discordia inter Principem & Galenum: nam Princeps in 2. de Anima. 3. statim post illa verba adducta, non vult dolorem esse nisi in sensu tactus: & dicit, quòd læsio quæ accidit in visu: est merito animæ, non virtutis videntis, & hoc iam, vt dixi, est contra Galenum, sed hoc absque dubio, vt declaraui, Auicenna ponere cogitur.

Pro his intelligendum est, dolorem percipi, cùm id sensus ostendat, nã omnia animalia eum fugiunt: non igitur ab intellectu. Videndum est igitur, à qua potentia, an interiore, an exteriore: & si ab altera illarum, vtra vis sit, an percipiatur vt obiectum, an sit modus quidam percipiendi: non enim potest esse sensusmet-ipse: quia sic omnia essent cum dolore vel voluptate, imò omnia cum dolore & voluptate simul, si idem esset tactus & dolor, & tactus & voluptas. Relinquitur igitur, vt sint quatuor modi quibus possimus imaginari quòd dolor percipiatur: dico autem, percipiatur, non autem sentiatur. Vgo in quæstione vir admirabilis suo tempore recitat quatuor opiniones de hoc: & prima est Conciliatoris differentia 77. quòd dolor verè sentiatur. Et ad hoc adducit duas rationes: prima est, ex sensu, aliquando homo percipit dolorem, & nullam aliam causam, vt ipse

vt ipse de se testatur de dolore spatulæ: igitur cognoscit dolorem sine alia re:& nō nisi per sensum tactus,igitur dolor verè sentitur. Secunda: Sicut delitia coitus sentitur sensu tactus, & nulla alia causa, sic de dolore: oppositorum enim eadem est ratio.

Secunda opinio est, quòd dolor sit sensatio ipsa exterioris sensus sub forma contristantis, & ad hoc est ratio cum autoritatibus Galeni, & Auerrois, & Philosophi: & est, quòd Philosophus facit tres ordines, Sensum, Contristationem ipsam, & Appetitum fugiendi tale contristans, 2. de Anima 20. sed in imperfectis Auerroës vult, quòd talis appetitus non sit in interiore sensu,quanto minus dolor: ergo erit in sensu exteriore: & hoc, quia persæpe talia imperfecta carent interiore sensu. Et hæc est vera opinio, & ratio ipsa est demostratiua.

Tertia opinio dicit, quòd dolor est operatio virtutis appetitiuæ, sicut etiam delicia: nam sensu comprehendente, appetitiua iudicat fugiendum vel quærendum: & hæc appetitiua tamen est in sensu ipso exteriore, ideo differt à secunda opinione verbo tantùm, non re ipsa: & videtur conformis sententiæ Philosophi loco adducto, & etiam 2. Ethicorum cap.9.

Quarta opinio est Vgonis, qui vult, quòd dolor sit obiectum virtutis imaginatiuæ coniunctæ sensui exteriori. Et hæc videtur melior tertia opinione in hoc, quòd appetere & fugere licet fiant à cognoscente, sunt tamen posteriora ipsa cognitione: & quanquàm, vt dixi, Vgo fuerit talis vir, de quo dixirit Sabellicus in 4. libro decimæ Aeneadis, quòd solus omnes Græcos, qui cùm Paleologo ad concilium venerant, sustinuerit, cum eis sæpe in sacra pagina dimicans: non tamen videtur sua opinio esse adeo vera vt secunda, nec ad mentem Philosophi & Auerrois: nam, vt dixi, imaginatiua est propter obiectum absens, non præsens: sed dolor vt præsens primò sentitur, non vt absens, antequàm indicet de fuga, secundum Philosophum in textu: dicit enim, quòd prius percipitur vt triste quàm appetat fugam: igitur dolor erit modus sentiendi. Et si dicas, quòd imaginatiua percipit, & appetitiua fugere docet, aut sequi: Dico, quòd hoc vltra id quod non est ad mentem Auerrois, ponit tres virtutes, cùm duæ sufficiant: tum maximè, cùm in animali imperfecto nec illæ duæ re ipsa distinguantur. Pro solutione præsentis dubitationis, quam mouent recentiores, & præsertim Iacobus, qui tres facit quæstiones: primam 54. secundi Artis medicinalis: in qua quærit, an dolor sit operatio sensus tactus, & sequentem & aliam super 6. Aphorismo secundæ particulæ, in quibus quærit, an dolor sentiatur. Dico, quòd dolor & delicia non sunt obiecta sensuum exteriorum, sed modi sentiendi: nec sunt operationes phantasticæ, sed bene mouent illam ad fugiendum, vel insequendum: & hoc in via Galeni & Aristotelis, nam autoritas 2. de Anima 20. & 1. de Symptomatum causis 6. hoc demonstrant: & quòd Auicenna errat in hoc, quòd putat pertinere ad solum sensum tactus. Reliqua tamen argumenta sunt maxima ex parte solubilia vt Conciliator soluit. Ad primum igitur dico, quòd in via Galeni non est inconueniens, quòd insensibile positum supra sensum sentiatur: in via autem Aristotelis declarauimus, in prima quæstione quòd propositio illa intelligitur de perfecto modo sentiendi. Sed adhuc relinquitur difficultas de delicia. Ad secundum respondeo, quòd tunc causa non sentitur, cessat enim propter vehementiorem sensationem: nam si duorum dolorum, qui secundum eandem partem fiunt, maior obscurat minorem, ex Hippocratis sententia: quanto magis obscurabit dolor causam suam, sicut patet etiam experimento: nam cùm quis comburitur, primò sentit calorem, post calorem & dolorem, vltimo dolorem solum: nec est inconueniens, quòd tactus percipiat duas qualitates simul, modo non eiusdem formæ, in eadem parte, vt calidum & asperum. Ad tertium: Reflectitur vt Conciliator, nam sensatio & modus sentiendi, non sentiuntur: igitur si dolor sit modus sentiendi, non percipietur sensu, quod est contra experimentum. Respondeo, quòd sensatio non percipitur, quia est ipsum percipere, aliter daretur processus in infinitum: & per hoc ad confirmationem, nam intellectus non dicitur reflecti supra se, eo quòd percipiat intelligendo, sed quoniam intelligere se cognoscit: at sensus sentit, non autem sentire se sentit. Et si dicas, Non posset cognoscere differentias dolorum, si dolor esset sensatio, & non obiectum: Respondeo, quòd modi sentiendi diuersi sunt, sicut & obiecta: sed differentia cognoscitur ab imaginatiua medio memoriæ, & auxilio virtutum interiorum: velut si quis videat album, percipit magnitudinem, etiam cum hoc & formam, & tamen differentiam horum diiudicat solum aliqua virtus interior: nam modi cognoscendi differunt ex parte obiecti: & obiectum est causa doloris, non ipse dolor, vt iam supponitur: quia ista duo argumenta sunt pro Conciliatore, reflectente illud quod adduximus nos contra ipsum. Ideo argumentum illud habet vim aliquam. Ad quartum: Hoc totum erit obiectum dolor, & delicia: & delicia est commoderatum, dolor autem immoderatum. Ad quintum: Magis concludere videtur oppositum: nam si dolor est modus sentiendi, sufficiet ipse absque phantasia, vt indicet de sui fuga sensus, Sextum autem vt dixi, concludit in via Philosophi vt patet.

Sed pro solutione argumentorum Conciliatoris, & confirmatione opinionis Galeni, dico, quòd Thurisanus 2. Paruæ artis 88 declarat, quòd ad dolorem tria requiruntur, membrum sensibile, immutatio ad contrariū naturæ suæ, & quòd sit subita talis immutatio. Est autem duplex: Fiens & est symptoma: & Factus, & est morbus: vt etiam Conciliator differentia 73. vbi quærit, an dolor sit morbus vel symptoma. Et hæc est sententia fermè Gal. 3. de dogmate Hippoc. & Platonis post medium, quòd apud Græcos dolor & ægritudo idem significent: sed ibi accipit dolorem pro animi affectu, & æstu, & simi-

liter ægritudinem. Sed clarum est, vt in 14. Quæstione declaratum est, quòd quamuis dolor possit impedire operationem nedum lædere, quia tamen non est affectus, semper enim fit, & omnis morbus est affectus, libro de Symptom. differentiis cap. 1. ideo omnis dolor est symptoma. Thurisanus igitur pro Auicennæ opinione argumentatur, volens ostendere, non fieri dolorem nisi in sensu tactus co. 88. secundi Artis medicinalis, quæstione 5. & est fundamentum: Vbi non est perceptio causæ doloris, ibi non est dolor: sed in alio sensu non est perceptio causarum doloris, quàm in sensu tactus, quia mala tẽperatura, & solutio continui, solum à tactu percipiuntur, & hæ sunt solum causæ doloris secundum omnes. Verùm dico, quòd delicia est in omnibus sensibus, vt auditus harmoniam percipiendo, & oculus colorem pratorum florentium: igitur & dolor est in quolibet sensu. Verùm quia sensus tactus diutius retinet impressionem primarum qualitatum, eo quòd est materiæ vehementer immersus: ideo dolore & delicia vehementius afficitur. Vnde etiam Philosophus intemperantiam solam constituit circa sensum gustus & tactus: quia retinentes impressionem voluptatem plurimam efficiunt, ac etiam diu manentem: causæ tamen doloris sunt tres, nam dissolutio harmonię in sensu quolibet dolorem efficit: sed quia non adeo grauis est, nec forsan sine altera pręcedentium fit, ideo medicis sufficit connumerasse duas: ergo etiam reductio ad harmoniã, deliciæ causa est in sensu.

Est igitur sensus primò, virtus sensitiui, & est in capitulo relationis 3. primæ Philosophiæ 7. & 5. eiusdem 20. & est in comparatione ad sensibile, & habetur à generante 2. de Anima 59. & ideo dicitur haberi ab intelligentia, & dicitur dans hoc sensum agens & est impressio cœlestis 12. primæ Philosophiæ 18. & 2. de Generatione animalium cap. 3. & hoc modo dolor non potest esse sensus. Secundò, sensus potest capi pro forma qua sensibile in virtute recipitur, & sic dolor est sensus vel modus eius, hæc distinctio habetur 2. de Anima 53. & 138. 139. Sed quidam arguunt hoc reprobantes: primò, quia sensus repente immutat, & dolor manet: igitur dolor nullo modo potest esse sensus. Item si exterior sensus posset diiudicare de sensibili, frustra ponendus esset sensus communis, qui non propter aliud positus est, quàm vt iudicet de sensibilibus, vt cap. 7. libri de Sensu & sensato: & in 2. de Anima ab Alexandro declaratum est. Respondeo igitur, quòd dolor repente immutat: & permanentia est propter causam quæ manet, vt in aliis sensibilibus, quamuis non sit adeo manifesta differentia causæ & sensus in aliis. Ad aliud dico, quòd sensus communis est propter obiecta diuersorum sensuum. Ad primum Conciliatoris dico, quòd dolor est modus quo percipimus, vel ipsa cognitio: & hæc est etiam melior, quàm quòd sit obiectum: est enim proximior imaginationi quàm obiectum: & ideò tantum confert ad salutem animalis hoc modo, quantum alio: sicut scientia nos æquè benè docet, & instruit, & melius quàm quod scitur. Ad secundum & tertium, causæ sentiuntur scilicet vel solutio continui, vel mala qualitas: vt 2. Collectaneorum 29. & 3. eorundem 31. Hoc enim omnino est contra medicos, negare causam non sentiri: verùm ipsa non percipitur cognitione intellectiua, sed hoc nihil refert. Dico igitur, quòd causa est illa quæ percipitur saltem cognitione confusa, & modus percipiendi sub ratione contristantis est dolor: & quandoque accidit etiam, vt causa valde inimica naturæ non sentiatur nisi hoc modo: sicut patet de veneno letali agente à propria forma, & non à qualitate manifesta. Sed doloris perceptio duplex est: alia qua percipimus causam contristantem, & hæc etiam inest caudæ lacertæ cùm præcisa est: alia qua scimus nos dolere, & hæc solum perfectis animalibus inest. Ex solutione autem huius quæstionis duo admiratione digna cognoscimus: Primum, quòd quædam sunt sub sensu, quæ tamen non percipiuntur nisi auxilio intellectus, & ita aliquando intellectus melius percipit sensibilia, quàm ipse sensus. Sed enim mirabile est totiens nos dolorem sentire, adhucque ignorare an ipse sentiatur, an potius sensus ipsius pars quædam sit. Secundum, cur dolores persæpe subito abscedant absque causa manifesta, nonnunquàm propter præcantationes: non sic febres, aliíve morbi. Causa clara est: dolor enim pro singulo instanti fit, est enim mutatio quædam: vnde nihil mirum in instanti desinere, quod etiam in instanti fit.

CONTRADICT. XVIII.

An prandium cœna maius esse debeat.

GAlenus septimo Artis curat. cap. 6. post medium, consulit vt copiosior sit cœna prandio, & ad hoc adducit quatuor rationes: Prima est: Longius spatium est inter cœnam & prandium, quàm inter prandium & cœnam: & longiori tempori debetur copiosior cibus, non solùm ad restaurationem, sed quia melius concoqui potest: igitur cœnæ plus debetur cibi, quàm prandio. Secunda, quia cœnæ succedit somnus, & somnus adiuuat ad concoctionem, vt expresse habetur ab Hippocrate 1. Aphor. 15. & 6. Epidem. par. 5. Aphor. 10. Labor articulis & carnibus: cibus, somnus visceribus, & ibi etiam Aphor. 30. Sanguis in somnis ad interiora magis refugit. & Galenus 1. de Symptom. causis, cap. 8. iuxta princ. Igitur in toto eo tempore videtur animalis vis quiescere, naturalis autem vehementius operari. Id autem inde ex hoc quis coniectet, simul quòd fatigata prius postquam dormitum est, vires recipit, potissimùm cùm post modici cibi assumptionem quis dormierit: simul quòd dormientibus nobis nutrimentum non in ventriculo solùm, sed etiam in tota animalis mole concoquitur. Idque etiam Paulus testatur lib. 1. cap. 97. dicens: Itaque somnus virium animalium requies est, vtili humido cerebrum madefaciente

ciente proueniens: qui si rectè nobis accedat multa præstat commoda: cibum elaborat, humores concoquit, dolorem lenit. Et 2. primi doc. 2. cap. 13. Cumque somnus inuenerit materiam aptam ad concoctionem, concoquit eam, & ad naturam sanguinis conuertit. & 3. primi doc. 2. cap. 9. Somnus temperatus virtutem naturalem potentem efficit ad operationes suas perficiendas, & cibum concoquit, & animalem virtutem quiescere. Tertia ratio Galeni est à quiete, nam quies facit ad concoctionem: vnde lib. de Cibis boni & mali succi, cap. 3. post initium: Nam sicut bonæ valitudini exercitatio maximum affert commodum, sic qualiscunque motus assumpto cibo admodum noxius est. Quies igitur succedens cœnæ, non prandio, vberiorem admittit cibum.

Quarta ratio est sumpta ab experimento athletarum: qui assumebant carnes tantum in cœna, vel etiam cum pane, in prandio autem proculdubio solum panem, vt diximus in 7. Contradictione. Et quia ad hoc respondebat Conciliator differentia 121. qui hanc quæstionem ibi tangebat (vt sui est moris) copiosè, quòd Galenus ibi loquitur de Regimine resumptiuo, vt dici solet, instat quidam, quòd rationes concludunt de omni: & etiam Galenus exemplum dat in duobus extremis, scilicet consumptis, & tabe ventriculi laborantibus, & athletis: vt per hæc extrema omnia media intelligamus. Alia eius autoritas habetur 2. de Regimine sanit. iuxta initium, vbi (expones Hippocratis verba 6. Epidem. Labor, cibus, potio, somnus, venus, omnia mediocria) inquit Galenus: Tempus signauit ipso sermonis ordine: quippe sanitates tutelam à labore auspicabimur, quem excipiet cibus, inde potio, pòst somnus. Alia etiam sententia habetur 5. de Tuenda sanit. vbi narrans victum Antiochi medici, qui annos excesserat octoginta adhuc validus, dicit, quòd hora diei tertia, vel ad summum quarta, panem sumebat cum melle attico crudo, vel cocto: inde post horam sextam diei fricabatur, exercebatur, lauabatur: pòst prandebat, sumens primò quæ aluum deiicerent, pòst pisces saxatiles mediocri quantitate: in cœna autem cibum qui non facilè putresceret, far cum mulso, vel auem cum simplici iure: atque hic, vt refert, ea victus ratione sensibus illæsis, & membris integer mansit vsque ad extremum. Sed & in 6. eiusdem operis libro cap. 9 dicit: Ergo quod ipse facere assueui, diebus his quibus propter infirmos visendos, aut ciuilia negotia, putaui me ad balneum serius accessurum, id dicere non grauabor: ponatur dies is horarum tredecim æquinoctialium, in decimam verò corporis curandi spem esse: hoc casu visum est mihi, circa quartam horam, simplicissimum esse sumendum cibum: is autem est solus panis: quibusdam autem non placet solus panis absque obsonio, sed cum palmulis, vel oliuis, aut melle, vel sale sumunt: sunt etiam qui post eum bibunt. Ego verò nec à tali cibo vnquam bibo, & solum panem comedo. Sit autem horum cuiusque modus, qui decima hora concoctus esse possit: quippe si exerceri se cupiant, eo pacto maxime citra noxam se exercebunt. Siquidem nonnullis graue incommodum accidit, cùm repleti cibo se exercuerint: quibusdam enim caput impletur vaporibus, aliis ponderis sensus, aut distentionis in iecinore, vel etiam vtriusque sentitur. Volui in hac paulò longior esse describenda sententia, tum quòd nec ademptis vllis perfecta videbatur, tum etiam quòd quæ adiicerentur in sequentium intellectum necessaria esse existimaui. Sed ad rem reuertor, Hippocrates (seu qualiscunque fuerit libri de Victus ratione autor) in 3. eiusdem operis libro, statim post initium, hanc habet sententiam: Per hyemem semel comedere expedit, nisi venter omnino sit siccus, nam tunc bis: atque in prandio parcè cibis siccis, asperis, calidis, variis, meris. Non est obscurum, his verbis cœnam vberiorem admittere. Haliabbas quoque primo Practicæ 13. cœna autem est laudabilior prandio, eo quòd quisque stat quietus, & dormit: quare immergitur calor fundo ventriculi, & corporis, concoquitque plene cibum, ac bene: nec nocet cœna, nisi habentibus oculos debiles, hæc ille, vbi de consuetudine in numoro sumendi cibum loquitur. Quinto ratio adiicitur à Fuchsio, qui in paradoxo 21. libri 2. eam difficultatem tractat (vt sui moris est) eleganter, est autem talis: Post cœnam frigus succedit, hic autem vt in temporibus coctionem adiuuat: dicente Hippoc. 6. Epidem. par. 6. Aphor. 4. frigidiore in tempore & regione calidior erit, vbi Galenus in commento ostendit, frigidum nobis exterius occurrens, calorem intrò pellere, ac validiorem eò reddere. Adiicit & sextam rationem, quòd si contingat non concoquere, pleno assumpto cibo in prandio, demum ex cœna, in id incidimus de quo Hippocrates dicebat 2. Aphor. 17. vbi cibus præter naturam plus ingestus est, hic morbum facit: nihil enim deterius est, quàm crudis adhuc in ventre existentibus alimentis, nouos alios superingerere. Palam igitur est, post cœnam succedentibus quiete, tempore prolixo, & somnio, tum quia non adeo periculum est de cruditate, tum ex athletarum & Anthiochi exemplo, tum propter noctis frigus, copiosiorem cœnam prandio esse oportere. Quòd autem non solùm somnus concoquat, sed & vigilia afferat cruditates, ostendit Hippocrates 2. de Victu in acutis 55. Vehemens (dicens) vigilia, potus, cibosque, tum crudos, tum incoctos reddit: nā vigilia partes exteriores calefacit, internas refrigerat: vt 6. Epid. sect. 4. Aphor. 13. euidenter: Vigilans calidior exterius, interius frigidior: dormiens autem contrà. Et si quis obiiciat, quòd rusticorum est bona temperatura, & habitus laudabilis, 1. Aphor. 3. qui tamen exercent se à cibo. Respondent quidam ex Galeno 1. de Alimentis 2. eos licet diu viuant sani, morbos tamen validos ob hoc incurrere, quamuis robustissimis viribus præditi sint. Et si quis etiam obiiciat, quòd ex copiosa cœna caput impleatur: Respondet Fuchsius ex Aphor. 67. quar. par. Galeni verbis, quæ sic se habent. At profectò à cibo

ad somnum conuersi implent caput, sic in plethoricis dispositionibus, somni ipsum replentes aggrauant: somnique proculdubio semper nocerent, quatenus materiam ad profundum & viscera trahunt, nisi coctionis ratione plus afferrent vtilitatis, quàm sit damnum, quod ex motu ad interiora consequitur. Verùm in oppositum multa sunt, & primo autoritas Auicennæ, à Conciliatore adducta, tertia primi doc. 2. cap 7. Et qui exercebantur antiquo tempore, contenti fuerunt carne sola in prandio, & pane solo in cœna. Sed hæc autoritas est falsa, quia seu Auicenna habuerit falsam Galeni translationem, seu nos falsam Anicennæ, satis constat illum loqui de athletis de quibus diximus ex 1. Regim. acut. 18. in fine, propterea ad alias est transeundum. Galenus igitur 5. de Tuenda sanit. statim post Antiochi exemplum, aliud recitat Telephi Grammatici, qui longe diutius vixit Anthiocho medico, nam ad centesimum annum fermè accessit: inquit ergo is: Mel crudum alicæ cum aqua coctæ permixtum, edebat hora diei tertia fermè: septima prandebat, oleribus primò sumptis, inde piscibus saxatilibus, aut auibus: vespere autem pane cum vino permixto contentus erat. Ad hoc respondet quidam, quòd Anthiocho magis credendum est. Sed vt video, qualis medica regula erat, panem cum melle edere, inde intra quatuor ad summum horas fricari, exerceri, ac etiam lauari? quare cùm hoc, vt recitaui, à Galeno reprehendatur, & meritò: vt quòd non solum medicinæ, sed etiam cuiusque ciuiliter saltem viuentis modum excedat: nam, vt dixi, non videtur ante sextam horam etiam simplicissimus cibus concoqui posse, vt panis ex 6. de Tuenda sanit. loco iam recitato. Exitus ergo spectandus est, qui in Telepho longe melior fuit, vt qui ex extrema senecta annis illum viginti superauerit. Alia habetur autoritas à Principe, adducta à Conciliatore, vbi Princeps ponens curam morbi comitialis, prima tertij trac. 5. cap. 11. iuxta principium, inquit: Et ille, cuius natura nō sustinet, vt solum semel in die cibum sumat, accipit eius duas tertias in prandio, & reliquum, scilicet tertiam partem, in cœna: pòst subtile, id est leue exercitium. Sed & in hoc vel Princeps habuit falsam Galeni translationem, vel nos Principis, nam in consilio Galeni pro morbo comitiali, in puero post medium, inquit Galenus: Et capiat puer tertiam partem panis in mane cum fructibus, & in cœna duas tertias cum carne. Et si quis dicat, quòd Princeps voluit Galeno contradicere tam in hac, quàm in prima sententia: dico, quòd de prima patet quòd non: quia est historia, cui Galenus proximior erat, cùm fuerit Auicenna antiquior mille annis, & in hac secunda, suo more, adduxisset Galeni prius dictum, deinde rationem, qua cogitur sentire oppositum: vt facit de virtute medicinæ attractiua, de principatu membrorum, & de aliis multis. Mesue verò in de Cura catarrhi, in initio, dicit: Et alleuietur cœna, & si potest prohibeatur omnino. Sunt etiam multæ rationes ad hoc, propter quas Conciliator credidit, copiosiorem cibum esse sumendum in prandio. Prima est, calor naturalis robustior est in die, quia iuuatur à sole: igitur tunc plus est sumendum cibi. Alia ratio est, Plus sumendum est cibi in æstate, quàm in hyeme, quia in æstate maior fit resolutio: igitur pari ratione plus in die, quàm in nocte. Tertia: Natura in hora somni intenta est concoctioni nocturnorum humorum, & distributioni, igitur non est impedienda cibo, sicut nec in hora crisis: hi autem noxij humores partim sunt ex cruditatibus coaceruati partim etiam superflua alimentorum, vt feces, vrina, sudor, & similia. Quarta ratio: In nocte propter meatuum obstructionem fit minima resolutio, igitur tunc cibus minimè competit: quia excrementa obruunt virtutem, & impediunt eam, fitque hac etiam causa minor resolutio. Quinta: quòd virtus est robustior, minori igitur indiget cibo: nam cibus est principali ratione constitutus ob virtutis defectum. Sexta, quæ est omnibus validior: quòd cùm exercitium debeat fieri expletis omnibus concoctionibus, si quis copiose cœnet, mane nondum erit perfecta concoctio in iecore, quare nec poterit vtiliter exerceri. Istæ tamen rationes parum concludunt: nam ad primam diceret, qui oppositum tuetur, quòd antecedens est falsum, saltem de interno, quia exit ad circunferentiam, ratione vigiliæ, & caloris, & lucis. Ad secundam, Antecedens est valde dubium, imò videtur potius non ex sententia Hippocratis: & sequela est nulla. Ad tertiam: Non sunt primo plures excrementorum partes ratione corporis, sed bene ratione suorum vasorum: sed tunc naturam non impediunt, sunt enim quasi essent extra corpus: & etiam in die natura ad harum excretionem solicitatur: similitudo autem ad materiam morborum claudicat, nam non est hæc corrupta, & ideo non indiget concoctione, nec separatione, sed sola expulsione, in qua etiam, cum prauitate careat, parum natura laborat. Ad quartam pro parte dictum est. cibus autem debetur non causa præsentis resolutionis, sed eius quæ facta est in die, sicut etiam de hyeme & æstate declarabat Galenus, & Aphor. 15. Ad quintum: Primò non est verum, quòd solum virtutis causa in sanis exhibeatur cibus, 1. de Tuenda sanit. cap. 2. sed bene in ægris: nam in sanis, propter restitutionem effluentis perpetuo materiæ, etiam cibus exhibetur. Nec illud etiam est verum quòd virtus in die sit debilior: imò si debilior esset, non plus, sed minus dandum foret: quare tribus modis peccat argumentum. Ad vltimum, illa autoritas Auerrois, 6. Collectaneorum 2. non dicit hoc: nisi quòd exerceri debent completa concoctione, & quòd tunc sequentur iuuamenta: istud igitur debet intelligi iuxta sententiam aliorum. Aëtius igitur lib. 3. cap. 2. vult. quòd non fiat ventriculo vel intestinis cibo oppletis intelligit igitur absoluta secunda concoctione, quæ in iecore celebratur: sed subiicit, vt non iam diu, sed illico sit absoluta, & hoc in validis etiam tantum exercitiis: nam deambulatio absolutio prima concoctione noxia non est. Sed his prætermissis,

missis, alias adduco rationes, & quas tetigi in libello de Malo medendi vsu, abusu octauo, leuiter tangam. Prima igitur est de consuetudine, nam 1. Aphor. 17. condonandum est aliquid consuetudini, & 2. Aphor 50. expresse dum inquit Galenus: Cibi & potus naturam aduenticiam faciunt, & maximè in ventriculo: cum Hippocrates solum dixisset, Assueta longo tempore, etsi deteriora essent, minus insuetis molesta esse. Et quanquàm videtur Galenus, in fine libri de Assuetudinibus, laudare mutationem prauæ consuetudinis: attamen intelligit hoc in his, qui malis valde cibis vtuntur: sed nos hanc differentiam prandij, & cœnæ non adeo perniciosam statuimus: Secunda ratio, Si ventriculus sit valde robustus, & alia membra imbecillia, tunc melius erit parum in cœna comedere: vnde si iecur sit debile, nec lædetur prima concoctio, ob ventriculi robur, nec secunda ob somnum, sic ille deget sanus, qui permutato vitæ genere breui moreretur. Tertia est, ratione destillationis: non, vt quidã credunt, ratione quòd caput repleatur, hoc enim nihil esset: nam quantum est merito huius, minus de pituita gignitur hora somni, quàm in vigilia: quia melior coctio in illa hora celebratur, quàm in alia: vnde etiam Rasis 4. ad Almansorem 4. dicebat. Et melior hora sumendi cibum est illa, cui succedit somnus: & Galenus in de Dissolutione continua, cap. 1. post medium: Et melior hora assumptionis cibi est post motum, quem postmodum sequitur somnus, nam tunc calor naturalis optimè cõcoquit. Causa ergo est alia, & est, quòd ille qui patitur descensum pituitæ ad ventriculum, vel ad pulmonem, patitur maximè in hora assumptionis cibi, propter vapores ex ventriculo ad caput ascendentes: si igitur tunc vigilet, adiuuatur à resolutione caloris diei, & sic pauciores ascendunt vapores. Secunda causa est situs, qui non adeò permittit vapores & materiam ad caput deferri. Tertia omnibus aliis validior est, quòd expuit magnam eius partem vigilans, & etiam educit per nares, imò fermè totam, quod non potest facere dum dormit. Et si dicas, quòd hic casus est singularis: Dico, quòd est valde generalis, tum maximè omnibus studiosis. Et si vis cognoscere illos, cibabis eos æqualiter & in prandio, & in cœna: & si vides quòd ante cœnam esuriunt, quamuis minus temporis intercesserit, & in mane vix esuriunt, nisi post multas horas: tunc scias, quòd hoc est merito pituitæ ad ventriculum per somnum descendentis, ideo talibus conuenit prandium cœna copiosius. Quarta ratio est, ab experimento: sunt enim proprietates in hominibus, vt aliquis melius ferat prandium, quàm cœnam: sicut aliqui non ferunt oua, vel vinum, vel lac: in his acquiescendum est experimento. Hæ quatuor rationes singulares sunt, sed concludunt, & non est ab eis descendendum. Adduco modò quinque alias rationes, quæ sunt quasi generales: & prima est, vbi vera ratio haberi non potest, experimento standum est: sed veritas est, quòd illi qui valde diu vixerunt, plus comederunt in prandio, quàm in cœna: vt patet etiam ex exemplo Galeni de Telepho Grammatico: & ita ego multos interrogaui de hoc, qui ad centesimum fermè annum peruenerunt, & omnes videntur fuisse in hac consuetudine: imo Conciliator adducit etiam exemplum de Antiocho medico, ad hoc vt plus assumeret cibi in prandio quàm in cœna, sed tamen præposterè, non enim Galenum intellexit. Verùm est, quòd pro vita septuaginta, aut octoginta annorum regimen de cœna copiosiore sufficere potest, sed non pro valde longæua: & causa est, quia ad valde longæuam vitam, oportet quòd calor naturalis sit adeo potens, vt possit vtranque concoctionem probe administrare: sed hoc non contingit, nisi possit primã sine auxilio somni, & longi temporis celebrare. Igitur cùm in secunda perficienda melius sit, vt liber sit à prima, patet eos qui eò ætatis peruenire debẽt, tales esse natura & consuetudine, vt breuissimo tempore absoluant primam concoctionem: & tunc sumus in casu quasi secundæ rationis adductæ prius. Secunda ratio est, Homo habet plus de spiritu in hora prandij, quàm in hora cœnæ: igitur melius cõcoquet prandium, quam cœnam. Assumptum est clarissimum, quia nulla intercessit causa restaurans spiritum inter prandium & cœnã, qualis inter cœnam & prandium: non somnus, non quies, non animi relaxatio. Vnde etiam videmus, quòd ea hora prandij & parum antè, sumus alacres, vegeti, robusti & hoc est ratione spirituum reparatorum: vnde etiam est problema Philosophi, quare mane melius discimus, & hoc maximè est vbi non tardemus horam. Vnde ex prandio tempestiuo tria lucrantur: primò, tempus idoneum vsque ad cœnam. Secundo, quod homo est robustior, quia proximior horæ somni præcedẽtis. Tertio, quòd hora est frigidior: quę frigiditas iuuat ad concoctionem cibi: & plerunque videbis eos, qui diu, & sani vixerunt, tempestiuè sumpsisse cibum: contrà qui tardè, valde morbosos fuisse, & breuis vitæ.

Tertia ratio: Detrimentum quod sequitur cœnam copiosam, est inemendabile, & longe maius eo quod sequitur ad prandium: igitur cum vix non peccare liceat, tutius peccabimus in prandio. Quòd autem sit vix emendabile, patet: nam si sit venenum, aut cibus valde malus, somno succedente non potest euomi, nec possumus aliis auxiliis occurrere. Patet etiam experimento: quot enim moriuntur ex attonito morbo post cœnam, dum in lecto sunt: horum enim magnum numerum vidi, & post prandium nunquàm. Sic mortuus est Cardinalis Carrociolus nostræ ciuitatis gubernator, & infiniti alij. Patet etiam, quòd detrimentum sit semper maius, cùm eò peruenit, quòd somnum impediat, aut minuat: nam hoc ex prandio non contingit. Ideo iacturam cœnæ prandij dimissio non corrigit, sed prandij errorem cœna potest emendare accidit, quòd plurimi, tum maximè vxorem habentes in nocte coitu vtuntur: hic autem super repletionem pessimus: & etiam filij qui gignuntur, vel morbosi sunt, vel stolidi: quorum contrarium euenit si cœna leuis sit.

Quarta ratio est: validior fit resolutio in die, quàm in nocte: vnde si quis modò interponat horas decem inter prandium & cœnam, magis esuriet hora cœnæ ex æquali cibo, quàm hora prandij interceptis horis quatuordecim, igitur maiori indiget restauratione. Accedit, quòd homo hora prandij habet mundum ventriculum, ideo tutò comedere potest: non sic hora cœnæ. Et si dicas, quòd poterit comedere solum panem, exemplo Galeni: Dico, quòd si postmodum hora labatur, sequetur magnum detrimentum: & si quis respiciat ad rem ipsam ex ieiunio vespertino, aut leuissima cœna, nemo incurrit detrimentum sensibile: sed ex ieiunio à mane ad vesperam, aliqui incurrunt mortem, plures vertiginem, & talia. Detrimentum etiam corruptæ coctionis nocturnæ impedito somno, non potest corrigi à iecore, & ideo commune fit omnibus coctionibus: sed detrimentum prandij, cùm emendetur à somno & cœna leui, non permanet ad alias coctiones, nisi leuiter. Ideo cùm detrimentum vnius coctionis sit valde minus detrimento plurium simul, patet periculosius peccari in cœnæ, & in prandij tenuitate, quàm in prandij copia, & cœnæ tenuitate. Vltimò videntur hi ignorare facultates naturales, & anatomiam: nam cùm ventriculus æqualiter à dextro in sinistrum extendatur, vt cucurbita magna, habens secundum à parte posteriore quasi, in sinistra parte (quamuis Galenus dicat in dextra: sed hoc parum refert ad nostrum propositum) & pylorum, seu portanarium, seu os in suprema parte dextræ partis, ex quo prodit duodenum fermè iuxta iecur: manifestum est, quòd homine stante nihil potest effundi, etiam aperto ostio, nisi ille potu vsus fuerit maximo, vel omnino grauiter se concutiat: quia graue non potest sponte ascendere: & sic non ascendet cibus, nec ex consequenti descendet ad intestina, donec fuerit concoctus homine stante: post coctionem verò ascendit, expellente ventriculo, & trahente simul iecore. Sed decumbente homine, & maxime super dextrum latus, poterit descendere totus cibus ante coctionem, si os ventriculi sit apertum: quia tunc erit ex situ in humiliore ventriculi parte, vt liquido constat ei, qui viderit dissectum hominem, & non canem, vel simiam. Quare non est quòd tantum iactent hunc suum motum: nisi quis saltaret, aut ligonizaret, aut veheretur equo tortore, aut rheda valde incondita, aliter maius est periculum ne cibus crudus transeat ad iecur hora somni, quàm deambulando. Et similiter videntur ignorare facultates naturales: nam etsi cibus non perfectè concoquatur à ventriculo, concoquitur ab intestinis, quæ eadem sunt prædita facultate, nam ex eadem constat substantia: & etiam chilo nutriuntur, quem ad se traxerunt: non villis, ne quis hoc per errorem me dixisse putaret: sed naturali virtute, qua etiam iecur fungitur, quanquàm & ipsum sine villis. Si igitur error accidat in prandio etiam, emendabitur concoctione intestinorum facta nocte subsequente, cœna leui succedente, nec somno priuabitur: quia non est intestinis tam facilis aditus ad cerebrum, nec tanta cum corde conuenientia, sicut ex ventriculo. In regimine tamen restaurandi corporis facilius est pinguescere ex cibo assumpto in cœna, quàm in prandio, & virtutem recuperare, & hoc Galenus voluit, & hac causa athletæ ad vires & carnem instaurandam, carnium quantitatem immensam in vespere comedebant. sed horum constitutionem non probat Galenus 1. Aphor. 3. nec in libro de Bono corporis habitu: nec in Exhortatione ad bonas artes: quinimo & breuis vitæ, & morbosæ illos esse affirmabat. Exemplum igitur eorum, ad restaurandi vires & carnem argumentum conducebat: non quòd tanquam extremum in medium adduxerit: cùm locus ille non esset vbi tractaret de sanorum institutione. In maximè autem occupatis publicis negotiis, nemini dubium est, bonum tunc esse, si corpore & mente egregiè laborandum est, cibum ad vespertinam, & horam quietis transferre. Sed dices, quomodo potuit Anthiochus concoquere panem & mel in quatuor horis? Respondeo: cibo simplici concoquendo non est aliquis terminus constitutus: sed ob paucitatem, & caloris robur, in diuersis diuersa habet concoctionis tempora: nam in aliis in octo horis, in aliis in sex, in aliis in quatuor, in pueris etiam in tribus vel duabus horis panis solus concoquitur. Dicemus autem aliàs de hoc loco suo. Ad id verò de 2. de Tuenda sanit. respondeo: vbi nullo modo sit peccandum, symmeteriamque illam exquisitè seruandi in ciborum mensura locus detur: instituendo corpori, nullo morbo, nullàque consuetudine iam detento, vberiorem cibum in cœna, quàm in prandio conducere. Cæterùm an hoc etiam, vt dixi postmodum, ad vitæ immensum spatium assequendum conducat, reluctante simul experimento, etiam ipsius Galeni, & ratione adducta, non sat scio. Sed tamen regula illa Galeni illic ad Polycleti statuam pertinet. corpus postulans temperatum, & nulli alij vacans, nisi studio seruandæ sanitatis, & quanquam Celsus & ipse libro 1. cap. 2. consulat, vt cibi copiam somnus subsequatur: nulli tamen suis Romanis, qui sic cœnabant, longæui minus fuerunt.

LIBRI



LIBRI PRIMI
TRACTATVS SEXTVS.

CONTRADICTIO I.

An dispositio fiens possit esse morbus



VLTOS sanè scio non leuem suscepturos admirationē, quòd aliud institutum bonæ valitudinis, aliud diuturnæ vitæ esse decreuerim, sed equidem longæuam vitam faciunt, non solùm copiosius alimentum in prandio, verùm etiam cibi pauci nutrimenti, nulla, aut modica exercitatio, & crassum alimentum: cum è diuerso valitudini prosint, cœna vberior, frequens exercitatio, cibus tenuis, ac multi alimenti. Quisque enim experietur, si ouorum vitellis, pane artopiro, pullisque vescatur, quàm sanam deget vitam, modò se optimè atque opportunè exerceat. At vel sic agendo ante quinquagesimum penè annum, verus senex erit: non quidem capillorum canitie, & frontis rugis, quæ minimum obsunt, quamuis turpia videantur: sed omnibus virtutibus inualidus. Quamobrem rectè nobis Celsus consuluit lib. 1. cap. 1. cauendum esse, ne in secunda valitudine aduersæ præsidia consumantur. At verò validum exercitium, si cum cibis robustioribus in iuuentute iungatur, longissimam senectam, ac validam præstare poterit. Nam quæ absque exercitio senectus aduenit, quanquam ritè in reliquis vitæ diuturnitati prospectum sit, non validas vires secum, vt alia referre potest. Sed de his hactenus: nunc ad institutum propositum reuertor. Dicebat Galenus 2. Aphor. 22. quòd morbi quidam facti sunt, & quidam fientes. Oppositum in de Differentiis symptom. cap. 1. Affectus est, qui iam consistit: Passio autem, quæ fit. Et affectus quidem alius est cum quo operationes illæsæ sunt, & hic vocatur Sanitas: & is, cum quo operationes læduntur, Morbus. Et hoc iuxta medium: inde in fine capitis, volens differentiam declarare inter Symptoma & morbum, dicit: In morbo duo sunt necessaria, quòd sit effectus, & quòd sit operationem lædens: quorum neutrum symptomati est necessarium. Respondeo: Symptoma ibi communi modo ad morbum extendi potest: & sic omne, etiam quod lædit operationes, potest dici morbus. Quia tamen volebat effugere continentes causas in illa tractatione, & iam effugerat in prioribus libris: manifestum est, quòd coactus fuit dicere morbum omnem iam esse consistentem. Quia tamen medicus non curat nisi morbos, & quidam erant morbi etiam fientes, vel lædebatur operatio per dispositionem nondum fixam: coactus est in Aphorismis facere duo genera morborum: & vt fugeret continentem causam, dicere, quòd tales non erant verè morbi, sed symptomata. Ex quibus sequitur tertium, quòd symptomata aliqua indicant per se de cura. & talia vocantur morbi licet improprie.

CONTRADICT. II.

An consuetudo mala sit seruanda.

SI victum permutans prauum, exercitationibus addat aliquid, ex consuetudinis permutatione iuuabitur; libro de Assuetudinibus, vltimis verbis. His malam docet vertere consuetudinem. At 2. Aphor. 50. etiam bonam: cùm inquit: Oportet igitur ad insueta permutari, docet autem Galenus esse in commento quod & primo de Alimentis 2. repetit, familiaritatem ventriculi cum cibis ex consuetudine, nam non solum agit in cibos, sed patitur: vnde ex longo vsu similior factus, celeriter transmutat quod durius: ac melius quod est deterius. In 5. autem de Tuenda valitudine, post medium, aliter docet: Nam senes, inquit, quam habent consuetudinē, & si prauam seruent: nam immutandi cùm tempus longum sit, illis fructus operæ peribit. At iuuenibus, etiam si ab ineunte ætate consuetudo contracta fuerit, expedit in meliorem transferre: nam aliquando illius vtilitatem percipere poterunt: vnde sensim permutandam, nemo non intelligit. At post hæc adducit rationem vnam, quòd exiguus error sit consuetudini inhærere: nam paucæ sunt malæ consuetudines: nam homines prauis non libenter assuescunt, neque his à quibus lædi solent. Ipse etiam Galenus 2. de Temperamentis, cap. 4. Consuetudinem naturam quandam acquisitam vocat, laudatque antiquos hoc dicentes: & Princeps tertia primi doc. 5. cap. 1. Summæ, probans hoc, dicit: non esse permutandam consuetudinem, nisi in valde malis: atque id etiam sensim, quod & Galenus fatetur 5. de Tuenda sanitate, vbi suprà, de exercitio loquens, sed in tertia primi doc. 2. cap. 7. ille verò in quo mala nutrientia concoquuntur, non gaudeat ex hoc, quia in temporis successu, generabuntur ægritudines pernecantes. Gentilis exponit, Valde mala. Pro concordia horum oportet scire, consuetudines esse alias in genere ciborum, alias in hora vel quantitate

titate eorum, vel exercitio, vel balneo: item aliàs in ſenio, alias in iuuentute: tertio differre, quoniam aliæ ſint valde malarum rerum, aliæ mediocriter. In ſenibus non ſunt permutandæ conſuetudines malæ mediocres vllæ: nec ex malis valde, niſi quæ in prauis cibis ſunt: quoniam larga eſt tranſmutatio, & in his quæ ſunt à priuatione ad habitum, vel contrà, licet permutare etiam non ſolum in mediocriter, & valdè malis, verùm etiam bonis conſuetudinibus: aliter nunquam Telephus Grammaticus & Antiochus medicus, ad vſum ter comedendi in ſenio perueniſſent: cùm tamen peruenerint. 5. de Tuenda ſanitate. In decrepitis verò reliquarum conſuetudinum, ne peſſimarum quidem, fiat immutatio, vt nec ciborum: nam non peſſimi eſſe potuerunt cum quibus ad eam ætatem peruenerint. Omittere autem aliqua, non ſolùm vtile, ſed etiam neceſſarium. In iuuenibus autem, ac primi ſenij viris, qui quaſi conſiſtere videntur, nequaquam ciborum ratio immutanda, in horis, vel qualitate, vel quantitate, vel ordine, ſi valde mala non fuerit. In omnibus autem exiſtimandum eſt, non eſſe conſuetudinem vllam in qua homo æger decumbat, aut morbis plenus vitam agat: nam in his audacter immutabimus. Adoleſcentes verò & pueros, non tam dicimus permutare conſuetudinem, quàm inſtituere. Ergo ſi quis de potu, aut copia cœnæ vel prandij, vel de venereis à cœna, vel matutino interrogetur, experimentum ſequatur iuuantium adoleſcens, in leui enim diſcrimine, iudex eſt experimentum: iuuenis verò in cœptis perſeueret: nam mala non poteſt eſſe horum conſuetudo, niſi mediocriter, quæ iam parta eſt, in cibis autem ab initio ſolidioribus aſſueſcere ſtudeat. Verùm in his omnibus aliquando ob periculum neceſſitatis, licet non relicta conſuetudine, ſed aliud tentando, ab vſu aliquantulum diuertere iuuenibus, rurſuſque illico ſe recipere, ſenibus nunquam.

CONTRADICT. III.

An contrariis gaudeat quælibet intemperies.

Contrariis melius degunt ætates & naturæ ſeu regionibus, ſeu locis aut cibis, 3. Aphor. 3. ſimilibus autem malè: niſi temperatæ prorſus extiterint. Idē fermè in Com. 18. eiuſdem Addit verò ibi duo: primum, quòd pueri ſub initio æſtatis melius degunt, adoleſcentes autem vere: & quòd vel cæteris medium eſt: non malum, nec prorſus bonum. At 3. Artis medicinalis, cap. 3. intemperata corpora, duplicem habent viuendi rationem: quæ enim parum labuntur, ſimilibus conſeruari debent: calida calidis, ſicca ſiccis: atque vt generaliter dicam, materias agnoſcens ea conſeruabit, ſimilia in omnibus ſimilibus afferendo: licet & ad melius illa traducere contrariis inhærendo. Igitur non eſt hoc generale præceptum, vt ſimilia noceant, & contraria iuuent. Raſis 17. Con. cap. 6. in principio dicebat, quòd aër bonus eſt omnibus bonus, ex ſententia Galeni 1. de Tuenda ſanit. & hoc, quia temperatis conuenit vt ſimilis: intemperatis, vt contrarius: igitur omnibus. Quandoque tamen eligimus aërem ſimilem, ad conſeruandam naturam iam intemperatam. Sed in Col. 3. eiuſdem cap. dat aliam ſolutionem: & eſt, quòd aër ſemper debet eſſe vt medicina: ſiquidem contrarius temperamento & ætati, niſi intemperatis: & hoc eſt, quia cor calidum & ſiccum, non expurgabitur in aëre calido & ſicco, & ſic etiam in Regimine conſeruatiuo, aër tamen contrarius eſt eligendus. Sed paulò poſt ipſe non ſibi conſtans dicit, quòd natura, & ætas gaudet in conſimili aëre: & debilior redditur in contrario. Reſpondeo primo quoad Raſim, ſic debent intelligi eius dicta, aër nunquam debet eſſe ſimilis in Regimine conſeruatiuo, nec multo minus reductiuo, vel præſeruante: cibus autem in conſeruatiuo ſimilis eſſe debet. Galenus 3. Artis medicinalis, docet quomodo conſeruetur corpus in eodem ſtatu: non tamen declarat, quòd omnes cauſæ conſeruantes in hoc ſtatu, ſint vtiles: nam aër ſemper diſſimilis eſt eligendus: quia ſimilis traducit hominem neceſſariò ad vlteriorem intemperiem. Autoritas ſuccedens eſt manca, nam ſic legi debet: Quæ autem eſt temperata, gaudet ſuo ſimili, & debilior redditur à contrario: aër autem bonus omnibus eſt bonus propter rationem dictam: non tamen optimus: nam melior eſt, qui temperiei malæ directè opponitur, pro conſeruatione autem, licet etiam vti aëre conſimili in modica intemperie, ſed cum permutatione quandoque: ſed periculoſum eſt hoc conſilium ne vlterius labatur. Liquet autem, quòd duabus ex cauſis vel etiam tribus rectè dixit Hippocrates 3. Aphor. 10. Autumnus tabidis malus: eſt enim malus, quia inæqualis, & quia frigidus ac ſiccus, & quia tabidorum intemperiei magna ex parte ſimilis.

CONTRADICT. IV.

Abſinthium an noceat ventriculo.

Abſinthium facit ſodam, propter nocumentum quod facit in ventriculo 2. Cant. 2. cap. 2. de illius ſucco loquens, & parum infra: Succus eius eſt malus ventriculo, & ſemina eius nocumentum inferunt illi: & propriè ori illius, propter ſalſedinem quam habent. Alia litera habet herbam loco ſeminum, At Galenus lib. 6. Simplic. medicamentorum, cap. proprio, in fine literæ, A. dicit eum eſſe ventriculo amicum, ac illi plurimum conferre, ſuccum tamen herba multo eſſe calidiorem. Raſis quoque ad Almanſorem 3. lib. cap. 25. dicit, quòd robuſtum facit ventriculum, & Auerrois 5. Collect. 42. dicit, quòd eſt medicina iuuans ventriculum. Quinimo Princeps ibidem, eſt medicina mirabilis ad reducendum appetitum, cum bibitur ſuccus eius decem diebus, & 13. tertij tract. 1. 25. ſirupus abſinthij laudatur plurimum in morbis ventriculi, & præcipuè frigidis,

dis, libr. etiam 8. Artis curatiuæ cap. 5. & passim aliis in locis, pro fomento applicat ori ventriculi ad ipsum roborandum. Et in cura syncopis ex humoribus calidis os ventriculi lædentibus, 1. ad Glauconem cap. penul. ante finem non parum, absinthij comam in meliorato decoctam abiicit, exhibetque decoctum: at etiam peccante antè pituita in ipso, attamen oleum in quo absinthium incoctum fuerit applicat. Hic quidem animaduertere decet, dum ventriculus pituitam in se continet, absinthium primò non conuenire, nam illam retinet, bilem autem expurgat, non solum similitudine, vt Auerroës inquit, sed alia etiam ex causa, quam inferius declarabimus, nec conuenit supercalefacto ventriculo succus, ob immoderatam, sed consimilem intemperiem. Hæ ambæ causæ in 6. de Simplicibus medicam. cap. proprio, expresse habentur. Alia postmodum est ex speciebus illius distinctio, libro eodem cap. de Abrotano: vbi dicit, quòd Seriphium ventriculo est inimicum, ob salsedinem suam: sed & Santonicum etiam stomacho inutile est: solum autem absinthium, & proprie Ponticum ventriculo auxiliatur, sed 11. Artis curatiuæ, 16. magis adhuc rem arctat: nam dicit: Ex omnibus absinthij generibus, in solo Pontico amaritudinem superat vis astringens, ob id solum Ponticum vtile: cætera calida nimis sunt, vt in de Simplicibus medicamentis ostendit. Est etiam Ponticum odoratum, cùm reliqua fœdo sint odore. Ob hæc igitur Auicenna cùm Ponticum deesset illi ob regionis distantiam cautè absinthio, tum magis succo & semine, vtendum consulit. Quinque illius species facit odoratum tamen, ac Nabathi, probat seu Tarsense, quod pro Pontico substituendum est. At sirupus vt incolumior, sic minus ad ea quæ confert etiam vtilis habendus est. Videant igitur medici nostri temporis, quàm tute absinthium exhibeant, cùm tot modis nocere possit: nec enim vllus est illius vsus salubris, nisi Pontici: quamuis omne absinthium appetentiam excitet.

CONTRADICT. V.

Nerui, venæ, arteriæ, an membra simplicia.

Compositio partium corporis duplex est: alia quidem quæ solis constat elementis, & sunt similiares, vt arteriæ, venæ, nerui ossa, caro, cartilagines, membranæ, libro de Differentiis morborum, cap. 3. Nerui igitur, & venæ, ac arteriæ, sunt omnino membra simplicia. At 10. Artis curat. cap. vlti. cùm enumerasset inter composita membra venas, & arterias, musculosque, subiicit: At verò nec neruosa, nec fibrosa, nec membranosa natura eandem generationem habere cernitur, scilicet quò possit corrupta denuo regenerari, vt de carne iam dixerat. Hic igitur constantius neruos inter simplicia membra adnumerat: sed de venis, & arteriis, à priore sententia discrepat. Sed & in de Inæquali intemperie, cap. 2. eadem fermè habet: nam inquit, ὀστᾶ καὶ χόνδροι, καὶ συνδεσμοι, καὶ νεῦρα, καὶ ἀρτηρίαι, καὶ φλέβες, ὑμένες τε καὶ σάρκος ὄνυχές τε, καὶ δέρμα, καὶ πιμελὴ, ταῦτα δ' οὐκέτ' ἐγχωρεῖ τέμνειν, εἰς ἕτερον εἶδος, ἀλλ' ἔστιν ὁμοιομερῆ τε καὶ πρῶτα, πλὴν ἀρτηριῶν τε καὶ φλεβῶν, αὗται γὰρ ἐξ ἰνῶν τε καὶ ὑμένων σύγκεινται, καθὸ κἀν ταῖς ἀνατομικαῖς ἐγχειρήσεσιν ἐλέγετο. Græca libuit adiicere, quoniam Linacer nimis, vt video, oscitanter vertit, aut qui typis mandarunt: tum ob admirationem etiam eorum quæ à Galeno scribuntur: sunt autem hæc Latine: Ossa, cartilagoque, & ligamenta, & nerui, & arteriæ, venæ, membranæ, & caro, vngues, & cutis, ac pinguedo: hæc autem minimè licet diuidere in aliam speciem: sed sunt similares, ac primæ, præter arterias, & venas: hæ enim ex fibris & membranis componuntur, qnemadmodum in anatomicis administrationibus dictum est. Hîc palam neruos, vt prius, inter simplicia membra adnumerat: atque venas cum arteriis inter composita. Rursus duo superaddit, scilicet cutim etiam ipsam simplicem esse: ac venas, & arterias, non tantum fibris, sed etiam membranis constare. At in de Partibus artis medicatiuæ, cap. 3. venæ, nerui, & cutis, sunt partes in quas diuiditur caput: harum autem singulæ in partes diuiduntur: arteria quidem in duas tunicas, quarum vnaquæque constat ex villis, velut & venæ, ac etiam nerui. In capite verò 4. subiungit: Instrumenta quidem sunt venæ, arteriæ, nerui, musculi, tendones, oculi, matrix, intestina, cor, & reliqua talia: simplices autem partes, fibræ, membranæ, ligamenta, os, cartilago, pinguedo, & caro vtraque: propria scilicet, & quæ affusio vocatur, vnicuique visceri alia, & quæcunque his similia. Palàm est igitur difficultatem esse de venis, de arteriis, tum de neruis, ac etiam de cute: nam in his omnibus non satis sibi constare videtur Galenus, an simplices sint, an compositæ. De cute etiam Galenus libro An sanguis in arteriis contineatur, dicebat, quòd venis & arteriis referta est. Sed & in 3. de Alimentis cap. 4. dicit, extremas partes cutacea & neruea natura constare: quod & in 4. Regim. acut. Com. 102. testatur, dicens: Cutis animalium carnea substantia frigidior existit. At in de Temperamentis 1. cap. vlti. iuxta medium: Cutis est neruea substantia sanguine prædita: cùm enim caro sanguine abundet, ob idque calidior sit, & humidior: neruus verò sanguine nimis destituatur, ob idque frigidus & siccus: cutis ipsa, sanguine & neruo constans, quoddam est medium. Auicenna autem prima primi doct. 5. cap. 1. enumerans simplicia membrana, ponit os, cartilaginem, ligamentum, neruum, venam, arteriam, membranam, & carnem. Hic verò pinguedinem prætermittit, cùm Galenus ibi adnumeret, vnde quarta exurgit contradictio. Vngues etiam inter quæ membra collocari debebũt. Duplex etiam ligamenti genus facit: primum, quod ossa colligat, & est ligamementum proprie: aliud quod chorda dicitur, quo musculus ossi committitur. Diffinit etiam simplex membrum, quoniam illud est, cuius partes diffinitioni totius subiacent. Respondeo,

Compo

Componuntur sex modis partes in corpore nostro. Primus est, cùm pars ex multis instrumentis componitur, diuersis forma, & substantia, & operationibus: velut caput ex cerebro, oculis, & auribus: & hoc membrum est compositum proculdubio. Secundus modus est, cùm pars componitur ex pluribus diuersis in substantia, seruientibus tamen omnibus vni operationi: vt oculus ex pluribus tunicis: sic nasus, & auris: & hæc etiam membra sunt composita omnino. Tertius modus est, cùm membrum componitur ex pluribus partibus similibus in substantia, quarum quælibet tamen componitur ex aliis habentibus diuersas functiones, similibus tamen: velut caro, id est substantia propria ventriculi, & coli intestini, & arteriæ: nam hæc constant duabus tunicis substantia similibus: & aliqua illarum constat ex pluribus villis, quorum quidam attrahunt, & alij retinent: & hoc modo talia sunt simplicia ratione diffinitionis: & ad mentem Galeni in libro de Differentiis morborum, & Auicennæ locis allegatis: & multo magis omnia quæ sequuntur. Quartus modus est, cùm membrum componitur ex partibus simplicibus in forma, sed habentibus diuersas tamen functiones, vt venarum tunicæ, vesica fellis, & vrinæ: habent enim tunicam vnam constante ex pluribus fibrarum generibus, quarum functiones diuersæ sunt: & hæc tamen membra composita appellantur à Galeno in de Inæquali intemperie: ideo neruos ibi etiam inter simplicia reliquit, quòd non ex villis diuersarum functionũ autoribus componantur. Arterias, quòd tertio modo. Venas quarto modo compositas à simplicibus excepit. Sed non videntur nullo modo nerui simplices esse: nam 7. de placitis Platonis & Hippocratis, fol. 2. inquit: Vniuscuiusque nerui natura triplici constat substantia: media quadam & intima, arborum medullæ quàm simillima, & quæ haud dubiè ortum habeat ex ipso cerebro: exterioribus duabus, quarum prima ex tenui membrana ortum habeat, altera verò quæ ex crassa & dura. Respondeo, quòd melius est neruos vocare membra composita ratione membranarum, instrumentum tamen sensus & motus est medulla interior, quæ sola est neruus, quamuis totum neruus ob sermonis breuitatem dicatur. Sed rursus de venis dubitatur, nam verè composita membra esse videntur: accidunt enim eis morbi incompositione, vt obstructio, libro de Morborum differentiis, cap. 7. & hac de causa dicentur membra instrumentalia ratione figuræ, non autem compositionis: illam tamen figuram habent, vt sunt partes membri instrumentalis, non autem per se. Omnia igitur membra aut sunt simplicia, aut instrumentalia, iuxta quamlibet diuisionem, sed tamen non coincidunt diuisiones ipsæ. Sunt & media, si quis velit ponere, vt nerui, venæ, arteriæ: item os cum sua medulla, & caro cum osse, & membrana cum osse vel pinguedine, & possunt dici instrumentalia imperfecta. Manifestum est autem quòd talia ponere est necessarium. Quintus modus est, cùm ex similibus in forma, sed nulla diuersa functione præditis, componuntur: vt nerui ex villis longis tantum: atque hoc modo in de Partibus artis medicatiuæ, etiam neruos inter composita membra numerauit, componuntur enim ex vno villorum genere. Sextus modus est, cùm omnia constent ex elementis, atque vt sic ad simplicitatem, hoc nihil officit apud medicos, cùm tamen composita verè sint, virtute saltem: constant enim calido, frigido, sicco, & humido singulæ nostri corporis partes, quanquam simplicissimæ. Sed quæ quinto, quarto, ac tertio modo componuntur, omnes compositæ ad aliarum comparationem, ex quibus constant, dici possunt. Ob id Gentilis Auicennam ibi exponens dixit, illum membra enumerasse simplicia apparenter, non solùm verè: nam talia putat esse arteriam & musculum: sed arteria est simplex membrum tertio modo: musculus autem secundo tantum, componitur enim ex ligamento, neruo, & carne: hoc autem, vt dixi, medici nunquam solent simplex appellare membrum: nec Auicenna hoc dixit, sed solum musculi cordam. Adeps autem est pars simplex quinto modo, & sic Galenus eam rectè cæteris adnumerat: sed cùm membrum non sit, rectè prætermittitur à Principe, cuius mens est solum membra corporis adnumerare, non partes. Non esse autem membrum ostendit, quòd nec trahat, nec contineat, sed hæreat alteri, nec concoquat: oportet autem membra his facultatibus prædita esse. De vnguibus Conciliator tenuit iuxta dictum Galeni 2. Artis medicinalis, cap. 3. in differentiis 54. quòd non verè nutriantur: quia non secundum omnem dimensionem, sed in longum tantum augentur: verùm & dentes tales sunt, & tamen viuunt. Galenus primo de Vsu partium cap. 11. vult eos non secus ac pilos semper in longum augeri. At in secundo anatomicarum aggressionum sub ipso fine, substantiam vnguium declarat esse aliam ob omni alia: recipere autem in radice, qua vltimæ digiti iuncturæ alligatur, neruos, venas, arterias: quæ tamen haud in ipsum perueniant, quoniam nutritione non indigeat, sed solum vt in longum augeatur, vt pilus. Ergo vngues membra non erunt, non enim prædita sunt facultatibus inseruientibus: verum vnguis succrescit: pars est tamen simplex, ac à cæteris diuersa corporis humani, quam præterire etiam potuit quandoque, quod sensu & nutrimento destituatur: potuit & rursus adnumerare, cùm alligata sit corpori, non ab eo absoluta, vt pilus. Aristoteles 3. de Natura animalium, cap. 9. ac 2. de Generatione animalium, cap. 4. iuxta finem, tribus rationibus declarat differentiam vnguium ab ossibus: primum quidem, quòd vngues ex cute accipiant originem: nam albi sunt quibus alba, nigri quibus nigra: non sic dentes, cùm Æthiopibus sint candidi, perpetuò etiam crescunt: & licet dentes etiam sic crescant, videntur tamen pro finis ratione augeri. Tertium, quòd maius est, quòd tunc maximè augetur vngues, cùm reliquum corporis contabescit, ac minuitur: vnde in ægris maximè crescunt. Quo fit, vt cum natura an malis parum aut nihil commune habeant. Ob id meritò vngues etiam præteriri possunt,

possunt, cùm membra adnumerantur: nam & Philosophus cum cornibus ac pilis, quasi inter corporis nostri recrementa eos iunxit. Haud tamen male mihi videtur Vesalius l. 1. cap. 2. & 34. censere illos ex cartilaginum esse natura. Porrò quod ad cutim attinet vel pro δέρμα, legatur ἐπιδερμὶς: hæc enim omnino pars est simplex: aut si constanter literæ inniti velis, (quanquam & illud pro δέρματι intelligit poterat) dicas, cutis naturam ac substantiam, vt multis in locis, à venis ac arteriis & neruis nudam esse simplex membrum: quod quamuis sanguine constet, ac sua substantia, cùm tamen sanguis non sit membrum, simplex dici potest, ac debet. Cæterùm quòd simplicia membra ex humoribus non constituam, iuxta Principis dictum, sed ex elementis, nemo admiretur: nam ille sic censuit, vt ostendam.

CONTRADICT. VI.

Neutrum tertij modi an à Galeno diuidatur.

NEmo est hercle, qui non videat, quinque nos contradictiones in vnam coëgisse, quòd ob rerum ipsarum affinitatem inuicem conueniant. Neque enim in tanta rerum mole longi esse debemus: quippe si Galenum imitari voluerimus, soli cōtradicentium medicorum libri, hominem tota vita legendo fatigabunt, cùm tamen præstet & alia illos legere posse, nam si vel Galeni vestigia sequi voluissemus, non pauciora, imò longe plura, ac maiora volumina, ex hoc tantum opere confecissemus. At quàm præstantior est Fuchsij breuitas, ac Hermolai Barbari, inutili Marcelli Virgilij prolixitate, qui sibi, aut ocium habentibus, tot nugas scripsisse visus est. Galenum putant se imitari, imitētur sanè, in ea solum parte in qua ille meritò culpandus venit, cùm tamen prolixitate sua saltem claritatem rerum nobis addiderit. At hi in herbis describendis, nescio quid alti, ac subtilis negotij habeant. Sed quid causæ est igitur? Non aliud, quàm quòd scientes pauca, multa scire velint videri: ob hoc igitur chartas implent, graues ipsis, & legentibus, & orbi: vnde fit, vt nullus eorum, qui sic scripti sunt, librorum, diuturnus esse possit, mundo tanquam inutilem sarcinam elidente. Verùm cùm Galeni vitium multi imitentur, vix vnus aut alter, ex tot illius virtutibus vnam vel saltem æmulatur. Has autem dico inuentionis studium, contemptum contentionis, quæ ex verborum vi exoritur, diuidendi rationem, demonstrandi acumen, exercitationem in disciplinis omnibus, rerum ipsarum contemplationem, claritatem orationis, assiduitatem studij, veritatis amorem, sed nec illorum sicca breuitas, quamuis prolixitate horum longe sit præstantior, adeo est laudabilis: cùm tamen se Aristotelem, non ea dicam parte, qua vituperatione dignus sit, sed qua laudari non potest, abundè imitari persuadeant. Debent igitur verba, vt vestes corporibus, sic illa rebus conuenire: quam certè mediocritatem multi seruauerunt, vt Conciliator, ac Vesalius: qui si nihil aliud præstitissent nobis, vel hoc solum dicendi genere laude digni erant: cùm tamen copiam, & etiam claritatem addiderint, vtrique suæ arti stylo satisfacientes. At dij boni, quot pro paucis? atque idem in diiudicandis viris vitium, eademque culpa. Sed nos iam illos sequimur his magis, quos damnamus. Licet quandoque delassatis paululum digredi, tum præsertim, si cum voluptate euagandi vtilitas reprehensionis coniungatur. Verùm ad institutum iam reuerto: volui tamen commonere lectorem, quòd & ab initio fecisse in epistola memini me, vt nil putet à me relictū eorum quæ proposuerim. Velut dubium aliquibus erit, quòd venas ac arterias membranis constare Galenus dixerit, vt in præcedenti Contradictione declaratum est. Hoc autem de arteriis tantùm dictum esse Galenus voluit: sed ex communi loquendi genere cùm vtrasque fibris constare dixisset, membranas adiungēs, non commodè arteriis tantum applicare poterat. Eiuscemodi leuia, non tam obiter, quàm libens, frequenter soleo præterire, quòd ex iam dictis haud obscure intelligantur. Itaque Galenus 1. Artis medicæ, cap. 3. Neutrum signum, causam, & corpus, diuidit in Simpliciter tale, & quod Vt nunc: postmodum vnumquodque horum in tria genera: scilicet, Quòd nec particeps est sanitatis, nec ægritudinis: Quòd vtriusque: & Quod vnius modò, modò alterius. In 6. autem capitulo, cùm declarasset primum & secundum Neutri genus, quonam pacto simpliciter dicatur, id est Semper, Vt multum, & Vt nunc: tertium membrum quod Neutrum est, quoniam aliquando ægrum, aliquando sanum, non per membra diuidit. At omne quod competit generi, competit & contentis sub eo speciebus. Gentilis existimat, & ei assentitur Iacobus de Forliuio, quòd hoc corpus non verè possit inueniri. Galenus etiam non diuisit in Semper, & Vt multum: quamuis in Simpliciter, & Vt nunc. Tamen de Neutro vt nunc, non videtur magna difficultas: nam cùm corpus quod sæpe sanatum est in vno anno, & non contracta ex generatione dispositione accepimus, sæpéque ægrotauit, tale in eo anno dicetur Neutrum vt nunc, tertij modi: quod à re ipsa, non quia aptum sit dici debet: neque opus esset duplici illo sensu, Vt nunc, quem illi Galenus tribuit. Sed de Semper neutro, vel Vt multum, magna est difficultas, vt & Thrusianus in 19. commento primi Artis medicinalis declarat. Nam si est aliquod corpus tale à generatione, quod valere possit in pueritia, (vt Galeni exemplo vtamur) ægrotare autem in iuuentute: videtur ob id, quòd (gratia exempli) siccum sit nimis: vnde humido pueritiæ contemperetur, in iuuentute verò deficiat. At tale proculdubio ægrum est Vt semper: nam eam contraxit à generatione temperaturam, per quam labatur ad siccum cuiuscunque ætatis temperamenti respectu. Ægrotare enim, vel non ægrotare, nihil faciunt ad sanitatem Simpliciter, sed Vt nunc, vt 2. Artis medicinalis, cap. 1. cùm dixit: quòd sana Vt nunc, sunt quæ Bene valentia

valentia solemus appellare. Et rursus in 1. lib.cap.4. cùm dixit, quòd sanum Simpliciter, est quod talem à generatione dispositionem contraxit. Et clarius cùm subiecit, id solum esse sanum Vt nunc, quod bene nunc valet, cùm tamen à generatione male sit constitutum. Respondet igitur Thrusianus, quòd tale corpus Neutrum dici poterit duplici modo: vel comparando ætatem pueritiæ ætati pueritiæ temperati: vel sumendo ambas simul ætates pueritiam & iuuentutem. Addit verò hoc, quòd talia corpora ab initio etiam sub neutro primi significati comprehendi poterunt. Sed, vt video, adduc difficultas manet: si enim vt dixi tale ab initio sit, vt ægrotare debeat, multo magis erit ægrum, quàm quod tale est simpliciter: namque horum, quæ simpliciter ægra sunt, plurima diutissimè sanitate vt nunc fruuntur. Quare Galenus corpora ea censet simpliciter neutra tertio modo, quæ nascuntur sana. Vt multum, verùm adeo imbecilli consistentia, vt leuiter ægrotent aliqua in ætate, alia verò firmiore cosistente natura diu valeant. Quòd si pertinacius resistas, volens vt imbecillitas hæc à temperamento pendeat: dicito id esse tale, quod adeo ægrum est, vt etiam cogatur vere decumbere per ætatem aliquam: sicque Neutrum hoc erit plusquam ægrum simpliciter: quia nec omne Simpliciter ægrum, neutrum tertij modi esse potest, sed quod vehementer labitur ad morbosam naturam, vt vix consistere queat. Vel melius, Dic illud esse, quod ab initio quidem temperatum fermè est, labitur autem in intemperiem (quam morbum Galenus appellat) ætatis successu; vel contrario modo reuocatur: vt sic non æger sit vt nunc ille, sed sanus vt nunc: Simpliciter autem non æger, quia non talis à generatione, verum ei similis, quandoquidem intemperiem secum innatam habeat. Porrò tantæ difficultatis causa est, quòd cùm simplex omne ad generationem referatur, seu ægrum, seu sanum, vel neutrum sit: quod verò præsentem consistentiã decernit, vt nunc dicitur: Neutrum tertij modi cum præsentem, seu acquisitam dicat consistentiam, omne quasi Vt nunc est. hoc autem ei repugnat, quòd est à generatione: ob id Neutrum tertij modi Simpliciter constituisse difficillimum certè fuit. Quamuis re ipsa docente, satis inter vtrunque discrimen manifestum: nam quod sponte in aliquo anno, sæpe ægrotat, & rursus sanatur, Neutrum tertij est modi, Vt nunc: quod verò tota vita id agit, id certè semper Neutrum dici potest. quod vero in maxima vitæ parte, Neutrum vt multum: atque ego, vt recte meam constitutionem intueor, ab ortu ad annos vsque octo. Neutri tertij modi Vt nunc, procul dubio dispositionem subij: à generatione verò eiusdem modi simpliciter sumpti: nam vix vna est dies pèr quam totam valeam, nec tamen vnquam decumbo. Simpliciter autem ægrum est, quòd maxima parte ætatis decumbere natum est: at verò non ob id ægrum Simpliciter, nam ab ægro Vt nunc disiungi nequiret: sed ob decumbere natum, quia est Simpliciter ægrum.

CONTRADICT. VII.

Neutrum secundi modi an sit quod ægrum parte est, & parte sanum.

ÆGrum dicitur corpus, quod vel in simplicibus malam habet temperiem in omnibus, vel in aliquibus: aut in compositis peccat, vel vnitate: aut iu simplicibus simul delinquit, ac etiam compositis. Vnde quidam lectionem illam: καὶ ἢ τοῖ πάντων, ἢ τινῶν, ἢ καθ᾽ ἑκάτερον, perplexe interpretati sunt: cùm alij etiam magis deliquerint, dicentes vel in vtriusque peccare scilicet, & in omnibus, & in aliquibus. Quod quàm sit perabsurdum, nemo non videt: nam Aliquibus vel ratione ab Omnibus distinguitur: & sic repugnat. In omnibus simul, & in aliquibus peccare. Vel vnum sub alio continetur: & sic quod in omnibus peccat, necessariò peccat in aliquibus. Referatur igitur καθ᾽ ἑκάτερον. ad ὁμοιομερῶν καὶ ὀργανικῶν, quæ proximo loco scripserat: scilicet, quòd ægrum sit corpus, quod labitur in similibus partibus, vel instrumentis, seu in horum speciebus omnibus, seu aliquibus ipsorum vitiorum: sic vt omnibus, & aliquibus, ad vitiorum species referatur: vtrisque autem ad partes, in quibus vitia sunt. Sed hæc relinquamus: quandoquidem nihil adferant commodi ad præsentem contradictionem: siquidem iam dixerat in primo eiusdem cap. 3. (cùm hæc quæ adduximus scripsisset in 2. cap. secundi libri) Neutrum secundi modi dici, cùm corpus partim esset ægrum, & partim sanum. Tale igitur, cùm ægrum sit simpliciter: (vt declaratum est) erit, inqnam, simul ægrum & neutrum. Respondetur, quòd haud inconuenit, idem posse dici neutrum secundi modi, & ægrum: sed solum primus modus cum ægro stare non potest. Sed hæc responsio falsa est: nam neutrum esse, & ægrum, inuicem pugnant: quoniam hæ sunt dispositiones, in quas corporum habitus diuiduntur: ad omne neutrum secundi modi, sub neutro continetur. itaque dicendum est, quòd Neutrum solum dicitur, quod sic leuiter in parte nobili ægrotat, vel in ignobili etiam grauiter, vt totum corpus ob hoc ægrum dici non mereatur. Contrà, quia in lib. de Morborum differentiis, cap 8. si digitus deficiat morbus est. Dico, est morbus partis, non totius. Contra, quia 1. Art. med. cap 5. ægrum simpliciter est cùm laborat in similibus vel compositis: Respondeo, deficit valde quòd infrà patet.

CON

CONTRADICT. VIII.

Sanum corpus an sit, quod in solitas operationes exire potest.

GAlenus secundo Artis medicæ cap. 76. ibi: Cùm verò sit eorum differentia duplex, docet corpora illa sana esse, quæ in solitas possunt exire operationes, quæ verò non possunt, alia quidem ægra, alia verò neutra, prout impedimentum leue, aut graue fuerit. Et in 2. Artis medicæ cap. 1. Corpora quæ sana sunt vt nunc, quæ & bene valentia dicuntur. Igitur ex hoc videtur, quòd cæcus à natiuitate sanus dici debeat, & similiter mācus. At in Differentiis morborum cap 7. & in de Causis etiam morborum, cap. 7. ægri sunt quicunque laborant morbo aliquo. At hic quidem duplex, inquit: à generatione, & contractus post natiuitatem. Quare cæcus à natiuitate æger est, & non sanus Idem 3. Artis medi. cap. 5. Id verò etiam ratione ostenditur: Videns si oculos amittat, æger factus dicitur: at multo magis laborat, ac difficilius qui id vitij à generatione contraxit. Propter hæc dixerunt quidam (vt Hali, & Iacobus de Forliuio, quo nemo est dilucidior in exprimenda sententia, quamuis seculo rudi, ac bonarum literarum inscio, floruerit) quòd sanum semper, & vt multum, in extremo magnitudinis sanitatis sunt, primum est sanum nunc illis. In opposito limine est Ægrum vt semper, & vt multum: vix aliquid sanitatis habentia: quibus proximum est Ægrum vt nunc, media inter hæc Neutra sunt, quæ æqualiter fermè ægritudine & sanitate participant: sed si ex eadē parte id accidat, Neutrum fit primi modi: sin autem diuersis partibus, fit Neutrum secundi modi: si autem neque his, neque illis simul, sed diuersis temporibus. Neutrum constituitur tertij modi. Sed hi extorquent literam Galeni in duobus locis, in primo Artis medic. cap. 4. dicentis, salubre esse corpus quod tale est à generatione: igitur non quod intensam sortitur sanitatem. & in 2. libro cap. 2. cùm dixit: Quo fit, vt tota sanitatis latitudo in tres partes diuidatur, quarum singulæ latitudinem habent non paruam. Atque in prima quidem salubria corpora. in secunda neutra, in tertia insalubria constituuntur. Post quæ deinceps sequuntur quæ iam ægrotant corpora, quæ sensibilibus operationum læsionibus distinguuntur. Nemini igitur dubium esse potest, ægra corpora, sub latitudine sanitatis nulla contineri: quin etiam alia esse ęgra, alia verò insalubria. Propter hæc Thrusianus credidit, Sanum, Ægrum, & Neutrum, esse talia quidem simpliciter, si à generatione originem habeant: verum nunc Sanum cum Neutro vel Ægro simpliciter idem facit: adducitque Galeni testimonium ex textu superiore, cùm diuisit latitudinem sanitatis in tres partes: nam vbicumque, est sanitas, ibi & sanū corpus: igitur insalubre & neutrum sanitatem cùm habeat, sanum erit: & non simpliciter, non enim posset esse simpliciter ægrum, vel neutrum: igitur sanum est vt nunc. Galenus etiam non pertractauit de signis, nec causis sani vt nunc: igitur præsupponit, in libro Artis medicæ, quòd comprehendatur sub ægro, vel neutro simpliciter. Adducit & rationem, quam demostrare credit: Sana corpora à generatione quæ debilem sunt consecuta sanitatem, sana tamen sunt: quæ cùm non possint simpliciter esse sana, vt nunc necessario erunt: quia nulla sunt sani genera alia. Sed hæc quidem à mente Galeni aliena sunt: cùm sanum vt nunc à generatione constituat: ægrum verò & neutrum à tempore præsenti sumat. Propter tamen rationes intelligendum est Galenum non permisisse sanum vt nunc, cum simpliciter sano: nec multo minus cum ægro, vel neutro, cum simpliciter sana salubria vocet: & simpliciter ægra insalubria; quæ verò vt nunc, sana vel ægra, itaque sana corpora à generatione debilem consecuta sanitatem, vel vt sic, sana non sunt, nec ægra, nec neutra: sed salubria vel insalubria, vel quæ neutrius dispositionis vim habent. Nec me latet tamen, per salubre sanum intelligi, per insalubre ægrum: cùm tamen vult alterum ab altero distinguere absque verborum ambitu, ægrum vocat corpus quod à propria recessit temperie, insalubre quod ægrum dicitur simpliciter: id est, non à principiis generationis sanum seu non rectè temperatum, aut non aptè compositum. Sic reliqua, & quæ nos prætermisimus, ex illo facile dissoluuntur. At præsentis sanitatis signa non prætermisit: neque curam custodiendi illa iuxta secundi libri finem ac tertij initium: quamquàm cùm ægra corpora vt nunc, quæ illis opponuntur, necessariò læsas habeant operationes solitas: quare nec sana, nec ægra latere poterant: at salubria & insalubria, cùm ambo propriis non destituantur functionibus difficilius erat distinguere. Alij dixerunt, corpora salubria esse, quæ sanitatem tueri possent. Hanc si perpetuò, sana semper dici debere: si non semper, sed diu, sana vt multum: sin autem parum, sana vt nunc esse appellanda. Eandem rationem in insalubri & reliquo ineunt, vt aptitudinem, vel potentiam, exprimant: namque & Galenus in de Optima constitutione, cap. 3. dixit, sanum corpus in optimo statu est, quod semper sanum permaneret. Diffinit etiam Galenus corporum genera, quorum & signa posuit in 2. libro: at ibi declarat signa corporum quæ nunc talia sunt, non quæ à generatione: igitur per simpliciter talia, potentiam intelligit: & per ea quæ vt nunc, actum in vnoquoque genere. Sed opinio vera non est: quoniam Galenus nunquàm ea diffiniuit per hanc potentiam, sed per contractam à prima generatione dispositionem. Penderet etiam sanum vt nunc, & ægrum vt nunc, quodammodo, ex simpliciter sano ægróque. Sed si modo intelligit hanc potentiam in simpliciter dictis, sani puta ad sanam consistentiā: aut igitur quod semper sanum dicitur, sanum est semper, quia temperiem illam natum est perpetuo custodire: atque sic proculdubio omne corpus, etiam ægerrimum, sanum simpliciter dici poterit: nā omne corpus, si debito regimine vtatur, similem fermè ei, quam à

generatione contraxit, temperaturam conseruabit. Si verò de sanitate vt nunc loquantur, quod certum est illos intelligere: aliter autoritas ex libro de Optima constitutione nulla erit: tunc propositio assumpta falsa est nam frigidum & siccum, & rara textura corpus, ægerrimum est, si multum in intemperie labatur, & vix vnquàm ægrotabit: at calidum & humidum, modico ex excessu, si densa sit textura, frequenter ægrotat: nec tamen simpliciter ægrum erit, imò sanum vt multum. Galenus etiam signa horum corporum sumpsit maxime ex operationibus diminutis, aut perfectis: at si potentia ad morbos constituebat ægrum corpus simpliciter, nullum aliud signum erat considerandum, cùm esset hoc diffinitiuum. At pati faciliter à causis morbosis, inter alia signa adnumerat: nec aliis id præponit: imò multa existimasset signa validiora hoc ipso. Nec vnquàm ad causas morbosas comparat in generali ratione sumptas, sed calida (exempli gratia) calidis, frigida frigidis: cum tamen oportuisset hac ratione omnibus morbificis causis talia comparasse. Respondeo igitur, corpora simpliciter talia dici debere, quæ à generatione eadem sunt: differunt tamen sana à sanis, ægra ab ægris, & neutra à neutris: quia connata intemperies vitiat operationes: aliquas alias omnino augere videtur, quanquàm nunquàm perfectiores efficiat: eas etiam, quas vitiat, non tollit, aut corrumpit, velut morbus de nouo superueniens facit, qui vix vestigium illius relinquit. Quin etiam respectu sensus patientis, læsio illa, semper & omnino insensibilis est, qua causa cæcus à natiuitate proculdubio, sanus est vt nunc: nam nisi audiret ex aliis hominibus, concessam esse animalibus videndi facultatem, nec pro cæcitate doleret, nec existimaret, videndi sensum hominibus conuenire: quod in belluis, quæ sic nascuntur, perspicuum est: cumque cæcus febre laborat, ægrotare dicitur: ante igitur sanus erat: at non simpliciter, igitur vt nunc, sanus dicendus est. Si etiam illum interroges relicta febre, quomodo se habeat: respondet, bene valere: at bene valentia corpora iuxta Galenum diximus esse quæcunque sana vt nunc vocantur. Quæcunque etiam corpora, ob intemperiem à generatione oblæsa & simpliciter, 1. Artis medic. cap. 4. nihil prohibet sana esse vt nunc: quare nec si ab initio statim in compositione deficiant. Quinimo ibi Galenus non plus de temperatura expressit, quàm de compositione. Auicenna 2. 1. doct. 1. cap. 2. sanum accipit, non in communi, non simpliciter, non vt nunc, sed quod vtramque habet sanitatem scilicet simpliciter, & vt nunc: ideo non sequitur Galenum nec expositores intellexerunt illum, nec differentiam, à Galeni autem sententia in libris de Morborum causis ac differentiis est, quòd morbi sunt duplices, à generatione, & pòst contracti. Qui à generatione contrahuntur ægrum corpus constituunt simpliciter: at hoc nihil prohibet, quin sanum vt nunc dici possit: sicut quod vt nunc ægrum est, simpliciter potest esse sanum & à generatione. Qui verò amisit oculos, & si non grauius ægrotet quàm is qui sine illis natus est, attamen vt nunc æger solum est: quia in genere leuius est ægrotare morbo vt nunc, quàm simpliciter: eo quòd omnis morbus simpliciter, est inemendabilis: omnis autem vt nunc in genere suo morbus, curationem admittit: quamuis contingat aliquos morbos simpliciter curari posse, velut in his, qui non perforato ano nascuntur, aut quibus iuncti sunt digiti: vel in quibus sunt vno plures, quàm esse debeant. Rursus multi morbi noui curationem non admittunt: vt validus morbus attonitus, brachium præcisum, cor vulneratum: in genere tamen curationem expostulant, vnde etiam qui minus periti sunt, quandoque manum admouent curandi causa. Sed intemperies à generatione contracta inemendabilis est, vt Galenus censet 6. de Tuenda sanit. quæ verò valida est, vt in fine primi cap. habetur, etiam obnitente auxilio medici ante senium mortem affert. sed de his aliàs. Verùm & si quod læsas habet operationes ægrum est, non tamen omne quod ægrum est læsas habet operationes; non enim hæc conuertuntur: sed ex harum differentia propositionum Galenus sibi ipsi concors redditur. Memineris etiam eius quod suprà diximus, scilicet ægrum habere sensibilem læsionis quantitatem, non solum læsam operationem sensibiliter, nam & hoc habet neutrum. Non igitur hæc obstant, nec quod qui vt nunc est, aut fermè semper magis lædat: aut quod persæpe periculum vitæ afferat: quin morbus vt nunc solum dici, non autem simpliciter mereatur. At cæcus à natiuitate cùm simpliciter sit æger, non dicetur vt nunc: non quia grauius non sit, esse ægrum simpliciter, quàm vt nunc: sed quia diuersa sunt, vt iam dictum est, genera. Cùm autem in libro de Optima constitutione, dixit, sanum illud ad amussim toto tempore valere: ob id declarauit, non propter id dici debere tale, sed ad talem constitutionem hoc sequi: quod & verum est, & nos fatemur: diuersas etenim constitutiones, diuersæ valitudines consequuntur: sed non ab his, quòd tales sint, rationem sumunt, præsertim cùm, vt diximus, generale hoc minime sit. Quòd verò salubrium & sanorum differentiam Galenus expresserit certum est, & nobis consentiens: sed non ob id, quòd salubria sint, quæ semper sana esse debeant: dixisset enim, alterum ad alterum dici: sed quòd Salubria sunt quæ perfectas habent operationes, & temperiem, ac compositionem optimam: Sana verò, quæ solitis possunt vti operationibus, quanquàm non perfectis: & quæ temperiem ac compositionē, quam ab initio sortita sunt, præter ætates vitiata non habent. De his verò determinat in 2. huius Artis medic. libro: cùm, vt dixi, consistentiam naturalem vix quisquam possit immutare: quod & si cōtingat, signa addidit quibus id dignosci queat. calidum enim hepar habens & non à generatione arctas habet venas: latitudo igitur est eius, qui tale ab initio illud contraxit: quare de his secundum naturam talibus existentibus, non iam factis loquitur. Concludo igitur, quod luce ipsa manifestius est, qui habent læsas operationes, vt cæcum etsi à natiuitate ægrum esse: nam est simpliciter

æger,

æger, igitur æger: non tamen est æger vt nunc, qui à natiuitate est cæcus.

CONTRADICT. IX.

Temperatura æqualis an detur.

Corpus temperatum non est inuenire, nisi in longis temporum interuallis: libro de Optima constitutione, cap. 3. & 2. Artis medic. posuit illius signa cap. 2. quæ nulla essent prorsus, si ipsum esse non posset. Quòd si de latitudine intelligas, frequenter inueniri posset, declarat etiam 2. de Temperam. 1. & 1. de Temperam. cap. vlt. per exemplum aquæ permixtæ, quod de vera, non illi proxima temperie hic loquitur. Idem se declarauit 1. de Tuenda sanit. cap. 5. cùm dixit, eam esse momentaneam: at si non esset exquisita, momentanea esse nequiret, sed diuturna etiam foret. Haliabbas etiam sic Galenum interpretatur, primo Theoricæ cap. 1. iuxta principium, dicens: Et æqualis temperatura de vere æquali dicitur, cuius distantia ab extremis vna est: & hanc vix est omnino inuenire. Aëtius etiam lib. 4. cap. 53. & Paulus lib. 1. cap. 60. signa horum ponunt. Sed Aëtij conuersio, & si recognita à Cornario sit, cùm de capillorum colore agit, corrupta est: debet enim legi, Habuerit verò dum puer est capillos flauiores: consistente autem ætate fuluiores: flauus enim color remissior est fuluo. Adest autem ratio etiam pro Galeno triplex: Sensus tactus debet esse in medio qualitatum omnium vt iudex 2. de Anima 118. sed homo habet perfectissimum tactus sensum 2. de Anima 94. igitur homo est naturæ temperatæ in medio qualitatum. Et propter hoc dixit Galenus 2. de Temperam. 1. quòd maximè vola manus talis est: quamuis hoc principali dicto non parum repugnet. Secundum argumentum est Galeni 1. de Temperam. cap. vlt. Si terra aquæ misceatur, & glacies aquæ feruentissimæ, non ne ex prima mixtione medium inter siccum & humidum progignetur? quod autem tale est, etiam medium & æquale ab hominis sensu percipitur, & diiudicatur: sensus igitur hominis intemperie exactissima constat. Tertium: Homo habet perfectissimas operationes belluarum comparatione: ipsæ autem calidiores sunt, vt leo & canis: aut frigidiores, vt lepus & formica: vel ficciores, vt auium rapacium genus, & insectilia: & humidiores, vt pisces. Cùm igitur homo in quodam medio consistat, verisimile est medium illud ad amussim obtinere debere. At in oppositum. Primò Galeni ipsius sententia est 1. de Temperamentis cap. 1. dicentis: Constare animalium corpora calidi, frigidi, sicci, humidíque mixtione: nec esse horum omnium parem in temperatura portionem ab antiquis abundè demostratum est, tum medicorum tum Philosophorum præcipuis. Sic etiam Auicenna prima primi doc. 3. cap. 1. Medicus debet physico credere, in his quæ ab illo accipit, & hoc est quòd non datur temperatura æqualis vera, sed solum secundum iustitiam: id est, homini maximè conueniens pro suis operationibus, & 12. de Animalibus, cap. 1. Temperatum quod medici contemplantur, non est verè temperatum, sed pro operationibus conueniens & forsitan quòd hominis temperatura est proxima valde illi vero temperamento. Deinde subiungit: Et quamuis hæc non sit vera æqualitas, rarò, tamen reperitur, & non nisi in ætate quæ est consistentiæ, & in cute solum, & cutis adhuc temperatior pars est quæ in manus vola, & huius adhuc index digitus, atque huius iterum summę partis cutis optimum tenet temperamentū. Idem fermè 2. de Anima, cap. 3. iuxta finem. Et quod magis mirum est, Auer. 2. Collectaneorum, cap. 1. inquit. Et error quem fecit Galenus, in ponendo temperaturam æqualem, est paruus: ideo de hoc nihil volumus addere ad id, quod ille dixit. Et concedit, quòd cutis volæ manus, maximè digitorum, est æqualis intemperie elementorum, saltem quo ad sensum Ostendere autem nititur Auer. non dari æquale intemperie, quod ex elementis constet: & ad hoc adducit tres rationes: & quartam nos homini peculiarem adiiciemus. Prima est, & secunda, primo Cœli 7. Si daretur temperatum æquale, quiesceret in quolibet elemento, & etiam inter duo elementa, quæ sunt aër & aqua: sed tale non datur: igitur nec æqualibus elementis constans. Sequela secundi est manifesta: quia non esset graue, nec leue: & ignis & aër tantum traherent sursum, quantum aqua & terra deorsum. Sed prima sequela fundata est super hoc, quòd forma mixti est forma elementi prædominātis si sit inanime mixtū 4. Meteorum, in commento magno, quod est ante initium libri: in primo enim folio dixit, quòd cùm qualitas actiua prædominans in mixto, continet passiuas, & illis dominatur, mixtum manet, nec corrumpitur: & pòst iuxta finem dixit, quòd in habentibus partes quæ sunt instrumenta, & innuit viuentia omnia 2. de Anima 6. forma illorum est alia à forma temperaturæ. & iam, vt dixi, declarauerat, quòd forma temperaturæ cuiuslibet mixti, est elementum prædominans, vel ab illo. Ex quo patet, quòd omnium similarium partium animalis, formæ, & etiam mixtorum non viuentium, sunt ab elemento prædominante illis, & quòd in omni mixto perfecto prædominatur calidum & humidum. Ex hoc habetur fundamētum vltimum, quòd in omni animali calor prædominatur: nam animalia sunt calidiora mixtis reliquis: & iam in omni mixto dicebat Auerroës ibi, calor dominatur, non frigiditas: idem de humido. Quo fit, vt omne animal ad calidum & humidum declinet. Ideo dicebat Auerroës 5. Collectaneorum, cap. 24. post medium: Omnia quæ viuunt, seu plantæ, seu animalia calorem habent prædominantem: & animalium calor est maior his quæ nascuntur ex terra, & ob id non inuenitur ex terra ortis calidum actu, vt in animalibus: & ideo dubitauit quomodo possint animalia esse pro cibis homini: & multò minus plantæ, cùm sint frigidiores. Sed in capit. 30. eiusdem

5. libri ante medium dixit, quòd sanguinea animalia sunt calidiora & humidiora non habentibus sanguinem: quare patet, quòd homo non leuiter, vt dixerunt iam Princeps & Auerroës sed multum ab æqualitate temperantiæ remouetur versus calidum & humidum, multò minus temperatum dici poterit. Adiuuat, hoc quod dicitur 2. de Partibus, cap. 7. Homo calidissimum & humidissimum habet cor, ac pulmonem: atque ideo crescit solus inter animantia erectus. Et similem videtur pro longitudine vitæ causam assignare Philosophus libro de Longitudine & breuitate vitæ, cap. 2. quòd scilicet sit cadissimus ac humidissimus inter animalia. Ideóque dicebat rectè Galenus in libro de Formatione fœtus, pag. 2. & in de Inæquali intemperiæ, cap. 5. si in sinistrum cordis ventriculum viuentis animalis digitum immiseris, maximum calorem experieris. Tertia verò ratio ab Auerroë sumitur 4. Meteororum 10. & 10. primæ Philosophiæ 23. & est: In omni generatione oportet esse aliquid quod misceat, & agat: quia ab æqualibus in virtute, & si actio in via Auerrois detur non tamen mixtio, cùm necesse sit addesse motorem. Igitur in quolibet mixto prædominatur aliquod elementum, & ideo dixit, & de Generatione 48. quòd Galenus posuit temperaturam æqualem: & quòd ipse demonstrauit in 4. Meteororum, quòd non datur. Sed dicet forsan aliquis ad secundam rationem, quòd oleum & lignum quiescunt inter elementum aquæ & aëris. Dico, quòd oleum quiescit super aquam, non ratione loci, sed quia non potest descendere ob aquæ grauitatem: & non videtur quòd sit adeò remotus à leuitate aëris, sicut ab aquæ grauitate, quia totus consistit in loco aëris: & etiam non potest esse medius inter siccum & humidum, cùm sit humidum fermè vt aqua. Sed ligna omnia sunt grauia, & magis participant terra & aqua: quod quasi videtur fateri Philosophus 2. de Generatione & corruptione, scilicet: & experimentum simul respondet rationi, & rem declarat: nam si à ligno pars aëris quæ inter illius cauitates continetur excludatur in profundum mergeretur lignum: ob idque Buxus & Ebenus, secundum Philosophum, & Guaiacanum aquæ immerguntur. Sed vt video Auicennæ opinio & Auerrois absona longè magis est Galeni opinione, si enim hominis natura temperata non est, temperamento autem maximè proxima: fiet vt aliqua temperatura, imò plurimæ, perfectissima illa hominis sint temperatiores: nam quæcunque temperaturæ mediæ essent inter optimam hominis & mediam ex elementis, quas necesse est non paucas esse, etiam secundum speciem, temperamentis à medio sensim recedentibus, optima illa erunt temperatiores: atque vt video, in Conciliatoris argumentum incidemus: vt melancholicha sit optima temperatura æqualitati proximior. Hac de causa ille Differentia 20. coactus est post multa fateri aliud ab opinione, & eo quod in 18. Differentia affirmauerat: & ideo dixit, quòd tale corpus recedens à iusto & perfectissimo ad æquale, non est melancholicum, sed temperatius primo & perfectissimo: sed quod tale corpus est momentaneum, quia non potest in illa temperie diu permanere, & quod nunquam tamen ad exactam æqualitatem accedere potest. Et quis non videt quòd hæ sunt meræ nugæ? etenim si temperantia æqualis elementorum, in medio est fermè latitudinis humanæ temperaturæ, par est proculdubio, vt illa tanquam perfectissimæ assignemus naturæ humanæ temperiem absolutissimam: & operationes absolutissimas in illa esse censeamus. Addit verò ibi de Christo multa, non solùm impia, sed absurda: & dum Philosophum agit more quorundam, qui optimum argumentum existimant Philosophi impietatem, & in legis iacta probra: & medici maledicere de Arabibus, cùm hi Galenum solo nomine salutauerint, illi verò in lege quidem superstitiosi, in philosophia autem inanes sint & fatui, nam Philosophus non hæc acta diceret vt postmodum in causas reduceret naturales, quemadmodum Conciliator, & Pomponatius facere nituntur, fabulosis absurdissimisque imaginationibus: sed ab ipso Philopho edocti, & Auerroë, tum Aphrodiseo, cæterisque Peripateticis, qui non cum nugis Platonicorum, non dico Platonis (nam hic minime est superstitiosus) consenserunt: negandum est simpliciter acta esse quæ dicuntur, vt 2. primæ Philosophiæ, & in disputationibus Auerroës, & Aphrodiseus in libro de Fato: fabulas enim hæc nuncupant. At hos longè magis pios illis esse constat: quòd saltem veris miraculis fidem non subtrahunt, nec Christum faciunt, aut Mosem impostores. Sed hæc extra aleam, de re ipsa dicendum est. Sed tamen sic, vt primò videamus, cur corpora hominum in aqua mergantur dum viuunt: & à morte ipsi aquæ supernatent: cum tamen post mortem grauius cadauer efficiatur: aqua impletis partibus quæ dum homo viueret aëre implebantur, nam si corpus humanum temperamento proximum esset tum maximè aqua resistente non parum, tum aëre in pectoris cauitate contento atque etiam arteriis, dum homo viuit mergi in aqua non deberet. Itaque non protinus emergunt, sed cùm computruerint, indicio est, quòd prætumida sunt cadauera omnia cum supernatant, quæ autem putrescunt, calorem habent prædominantem, vt inquit Auer. 4. Meteororum in Commento magno, folio primo. Rara igitur tunc fiunt, & leuia animalium corpora, impleturque aqua & flatu, ob idque non amplius subsident. Emergunt autem viuentia omnia, antequam suffocentur, bis aut ter ad aquæ superficiem: tum homines, ni præpediantur, vt in gurgitibus accidere solet, aut ob vestes. Hoc autem ob aërem contentum in thorace contingit. Quare si ad molem spectemus, hominis corpus plus habet grauium elementorum, quàm leuium. Quamuis non vna horum sit ratio: nam Aristoteles refert 23. Problematum 26. salsam aquam vino supernatare, cùm tamen grauior sit dulci, cui quotidie videre possumus vinum superesse, & plumbum sub eadem superficie aquæ immergitur, cui lignum

lignum maioris ponderis nec latius innatat. Attamen si ratio Auer. vera est, oporteret hominem naturaliter, dum viuit, aquæ supernatare. Similiter iuxta Galeni sententiam, si vera sunt Philosophorum fundamenta. Æqualia igitur elementa in mixto tribus modis dicere possumus: aut magnitudine, velut si pugillus aquæ ignis pugillo immisceretur: Aut sub eadem materiæ quantitate: nam vt exemplo ostendit Philosophus 2. de Generatione 37. aqua multiplicatur dum in aërem vertitur: si igitur ex pugillo aquæ fiant duodecim aëris, cùm aliquid componetur ex aquæ parte vna, & duodecuplo aëris æqualiter constare dicetur ex his elementis. Tertio cùm sub eisdem viribus: sed hoc non vno modo: nanque æquari possunt calor & frigus, non tamen leuia in eo grauiaque: ac rursus grauia & leuia, non autem calor ac frigus, siccum & humidum. Videntur igitur argumenta Auerrois prima ostendere, non dari æquale ad pondus: quod Galenus non solùm non negat, sed vt dixi confirmare videtur. Sed in qualitatibus tamen non video quomodo Galenus statuere possit hominem temperatum: nam cùm cutim volæ talem, vt diximus, constituat: partes autem omnes internæ calidiores sint non parum cute, manus, os, gula, ventriculus, cor, iecur, cerebrum ipsum quod frigidissimum iuxta omnes inter membra fermè existimatur, vt in 6. libro declaratur: necesse videtur corpus humanum calidis ac frigidis non æqualiter permisceri: neque iudicium ad id ferre possumus, cùm magna caloris vis, iuxta Philosophi sententiam, cœlestis sit, non elementaris. At ex his ratio 3. Auer. quæ sola aduersus Galenum est diluitur, cùm miscens calor sit cœlestis cum eo qui est elementorum mixtus. Postquàm igitur nihil firmum habemus, nec ex sensuum consensu, nec ex ratione: par est, vt omnino Galeni sententiam tueamur: tum maximè, quòd Philosophi verba 2. de Partibus cap. 7. iuxta finem, ad id tendere videantur: inquit enim, cerebrum ob hoc constitutum frigidissimum, quòd cor & pulmo sint calidissima: quamobrem temperiem dilexisse videtur. Solùm igitur modus huius temperamenti requiratur, nam prima ratio pro Galeni sententia haud inualida est, nisi sensus humanus de his rectè diiudicet, fateri etiam cogimur, nec de ipsis vllam scientiam haberi posse. Dico igitur continentia ipsa carnes, ossa, neruos, venas, neruosa, membranas, cartilagines, ligamenta & pinguedinem simul sumpta, declinare ad frigidum & siccum, sed eò minus, quò moles horum maior est contentis: contenta autem sunt calidioris & humidioris temperamenti: & hoc voluit Philosophus 2. de Partibus, loco adducto. Hæc omnia simul iuncta æquale mixtum in omnibus reddunt: cauitates ipsæ calidiores omnes, & humidiores quàm par sit, os, venter, pectus, cerebrum: at solida frigidiora: cutis verò manus, absolutissimum medium obtinet, finis causa vt percipere possit qualitates, & formas, quia tantum recipit de calore influente, quantum illi est necessarium ad temperamentum medium, ob id etiam intemperatorum leuiter, tactus est absolutissimus, temperatorum autem certus. Cætera enim membra vel ob propinquitatem nimis inflammantur, vel ob cauitatem nimium repleantur sanguine, vel ob soliditatem ab eo destituuntur. Relinquitur igitur vt sola cutis temperata esse possit. Quodcunque autem corpus æqualem in cute habet temperiem, temperatum est: quod autem in vna tantum parte, non est omnino temperatum: sed per æquales recessus vtrinque, velut calidioris cordis, & frigidioris iecoris, temperati falsam quandam præbet imaginem. Cerebrum autem ob multitudinem arteriarum, quoniam in eo necessariò oportebat gigni spiritum animalem, tum ob substantiæ mollitiem calidum non leuiter euasit, quamuis suapte natura sit frigidissimum: atque eo modo calori cordis contra opponitur. Galenus etiam 1. de Tuen. san. cap. 5. & 6, ponit hanc æqualitatem cum quadam latitudine, & dabat exemplum de citharistis, qui in neruorum lyræ tensione paululum dissident: vnde alter alteri superueniens mutat. Sed non sustinetur humanum corpus in aqua dum viuit homo propter tria: primum quòd aqua hæc leuior est pura, & ob id non tantum resistit. indicio est quòd frigidissima non est. Secundum quòd mouetur, & fluctuat: & ob id etiam rapit motu suo, nam & partes inuicem aquæ hoc modo merguntur, aliis supra emergentibus, quare maxime periclitantur homines in aquis inæqualiter currentibus: semper autem iuxta vortices: minime autem in quietis: minus etiam in his quæ recto alueo, sensim fluunt: nam motus qui non rapit, sustinet. Tertium est quòd non recte aquæ superstamus: vidi autem puerum è familiaribus qui adeò bene aquæ se superextendebat, vt diu sine motu sustineretur resupinus. Sed hæc nos non fatigant qui tenemus æqualitatem intemperie qualitatum esse posse, corpore tamen plus habente de grauitate quàm leuitate. Quod verò dictum est de animalibus ex Collectaneis ad carnes nō ad reliquas partes refertur. His verò quæ ex Meteoris adducuntur, respondemus: Calore cœlesti adiuuante, elementarem in generatione superare frigiditatem: nam sententia Philosophi clara est 2. de Generatione animalium 3. Ad viuentium genituram, cœlestem calorem concurrere: in reliquis mixtis nihil prohibet dominari calorem in generante, non autem in eo quod gignitur. Ad Galeni autoritatem dico, quòd subiicit, se etiam de hoc suam explicasse sententiam: quasi hæc non illius sit. Et quamuis ita sit concors Galenus cum Auer. de æquali ad pondus: rationes tamen illæ non demonstrant quia corpus non in medio duorum elementorum, sed in extremo, vbi se tangunt, quiesceret, vt de oleo dictum est: id est, partim in vnius, partim in alterius loco.

CONTRADICT. X.

Corpus humanum an medicinæ subiectum.

MEdicina tractat de corpore humano,vt sanatur vel à sanitate remouetur. Ex quo colligitur, quòd medicinæ subiectum sit corpus humanum, vt sanitati & ægritudini subiicitur: prima primi cap.2. de Medicinæ subiectis, & sic exponitur à Gentili ibi: sic Dinus censet: sic Conciliator etiam tenet in differentia 6. Pro hoc etiam adduco rationes, quia sanitas non potest esse subiectum neque synonymum: neque paronymum: igitur nullo modo. Nam si synonymum, non extendetur nec ad causas, nec ad signa: quia hæc ad corpora referuntur: nec paronymum, quia sic erit de sanis, ægris, & neutris: nam hæc ad sanitatem dicuntur, vt primo Techni. 2. igitur cum scientiæ secentur vt res, 3. de Anima 38. erunt tres scientiæ medicinæ. Auerroës etiam primo Collectaneorum 1. Artes practicæ tria continent: Primum est scire loca suorum subiectorum Secundum est, scire finem quæsitum ad ducendum ipsum in loca sui subiecti. Tertium, scire media quibus inducitur finis in loca subiecti. Si igitur sanitas est subiectum, subiectum inducetur in subiectum,& infinita alia, vt liquido apparet, sequuntur inconuenientia. Est etiam illud manifestum ex 2. de Anima 27. quòd artifex supponit suum subiectum,deinde diuidit illud per genera, & partes,ac species: sed nos non inuenimus,quòd Galenus diuiserit sanitatem in partes,eo modo quo corpus humanum, vt in humores, elementa, temperaturas, membra similaria & instrumentalia,denique in totâ illam dissectionem:quare corpus humanum erit verum subiectũ. Auerroës etiã in paraphrasi primæ Philosophiæ, dat distinctionem modi considerandi Philosophi naturalis, & supernaturalis: hic enim considerat formam & finem, inquit: ille efficientem & materiam. Liquet autem medici considerationem esse naturalem:quare non considerabit de fine suo,tanquàm de subiecto,quare non de sanitate quæ est finis medici, 1. Ethicorum 1. Dicebat etiam Philosophus 1. Posteriorum 25. quòd scientia tria considerat, affectus, subiectum, principia: sed de corpore humano affectus ostendit medicus, quia sanitas & morbus sunt corporis affectus, libro de Symptomatum differentiis cap. 1. iuxta medium: quare sanitas non potest esse subiectum. Finis etiam & materia non coincidunt, sed diuersa sunt, 2. Physi. 23. sed sanitas est finis medici, vel saltem eius adeptio, lib. de Sectis cap.1. igitur sanitas non est subiectum. Nec etiam video, quomodo sanitas, vel sanum, possint esse subiectum: nam non adæquatum, quia medicus etiam considerat de morituris, quo ad prædictionem, etsi non quo ad curam, nisi vt iam dictum est: nec potest esse principale, quoniam etiam de belluarum sanitate consideraret: nec commune, nam etiam de ægris considerat: quare nullo modo subiectum dici meretur. Galenus etiã in Introductorio medic. cap. 6. reprobat eos qui dicebant, quòd Medicina est scientia sanitatis conseruatrix,& morborum repultrix: dicens, diffinitio est per ea quæ semper insunt: sed non semper medicina hoc consequitur,sed aliquando frustratur: igitur si sanitas esset medicinæ subiectum, aliquando scientia esset absque suo subiecto, quod esse non potest. Illud etiam dignum est consideratione, quoniam si sanitas est subiectum, erit medicina de necessariis per se,& ita non erit ars. 6. Ethic. cap.4. quoniam ars solum est de contingentibus. Galenus etiam 3. de Simpli. med. cap.5. quicquid medicus considerat,in ordine ad humanum corpus considerat, atque in hoc (dicit) differunt à Philosopho naturali, qui omnia considerat, comparando ad totam rerum naturam. At in oppositum videtur esse sententia Galeni in de Partibus Artis Medicæ,cap.8. vbi dicit,quòd sicut proprium subiectum in Philosophia naturali est generatio, remotum autem corpus generabile: sic in medicina proprium & propinquum est, dispositio corporis, remotum autem corpus humanum. Sumuntur etiam rationes: nam corpus humanum est pars subiecti philosophiæ naturalis, vt ibi ait Galenus: igitur ratione subiecti non distinguetur ab aliis scientiis medicina. Alia ratio est, quòd tota Ars potest per solam experientiam tradi, sine subiecti hominis cognitione, vel corporis causis, aut partibus: vt in Introductorio, cap. enim 2. declarat quòd medicina tota potest solo experimento tradi: & dat exemplum de barbaris, in 3. autem cap. declarat, quòd cùm rationalis quatuor rebus innitatur, in naturæ, causarum, signorum, & curæ cognitione, solùm empyricus considerat symptomata, & negligit naturam & causas. In cura verò procedit vel per historiam, vel per similitudinem auxiliorum, vel per contrarietatem. Idem clarius lib. de Subfiguratione empirica cap.vlt. vbi dicit: Hic igitur libellus à me propterea scriptus est, vt ostenderem, aliquem empirice medendi artem posse constituere: dimissa omnino inquisitione de rei substãtia, quamuis multum difficile sit hoc ad assequendum. Item 3. Artis curatiuæ, cap.2. Empiricus solum coarguitur, quòd nesciat inuentorum reddere rationem. 3. etiam de Crisi cap.8. monetur medicus: vt credat inuentis solum, rationem non quærendo. Si igitur cognitio humani corporis, & causarum eius necessaria non est, sed sanitatis tantum, scientia autem & ars, non possunt sine sui subiecti cognitione consistere: manifestum est, corpus humanum non posse esse medicinæ subiectum. Propterea Thadæus Florentinus dixit, quòd subiectum in medicina est triplex, Considerationis, Finis, & Reductionis: velut etiam in metaphysica nam ibi subiectum considerationis, seu prædicationis (vt ipse dicit) est ens, de omni enim ente considerat: subiectum autem finis est Deus: reductionis autem, substantia: vt enim omnia ad substantiam reducuntur, sic etiam omnia propter primam causam considerantur. Igitur in medicina

medicina considerationis subiectum res est omnis medica, ac regula quæ ad illam artem spectat: finis autem, sanitas: reductionis verò, humanum corpus. Sed omisso exemplo metaphysice, dico quòd nos debemus distinguere, & quærere verum subiectum: nam Deus non de ente demonstratur, nec de substantia: sed sanitas de corpore demonstrari potest. Vnde qui hoc dicunt, affectum seu passionem auferunt, conduplicantque subiectum absque necessitate. Conciliator Differentia 6. quatuor finxit conditiones subiecti: sed proprium subiecti est, vt de eo præcognoscatur, quid, & quia est: tum quòd omnia in illa scientia considerata, ad ipsum, seu eius affectum reducantur. Vltimo, quòd de eo proprius quidam affectus demonstretur, per quem ab omnibus aliis sui generis habitus ille intellectus distinguatur. In puris tamen artibus vt solùm doceatur sufficit. Proprium autem dico affectum quarto modo. Homo igitur verissimum subiectum est medicinæ, nec vt corpus tantum, namque & de animi affectibus & operationibus considerat. Sed si malis Corpus humanum dicere, non prohibeo: modò ne iungas, Sanabile, vel Aegrotabile, nam hæc iam ad affectum, non ad subiectum pertinent. Ad opposita autem argumenta respondeo: quòd & si Galeni liber ille sit, nihil plus vult eo in loco Galenus, quàm quòd si medicina sit per partes diuidenda, non ex ratione subiecti corporis humani, cùm subiectum id sit commune Philosopho, sed addito affectu proprio, tanquam propinquo subiecto: non artis inquam, aut scientiæ, sed eius à quo ratio diuidendi sumi debeat, commodissimè diuisionem illam ineamus. Id verò non pro inconuenienti habemus, quòd de eodem tractet Philosophus ac medicus: sed tamen diuersa ratione, non sanitatis tantùm vel morbi, nam & hæc Philosophus considerat naturalis, sed ex modo considerandi. Est autem hic quadruplex: primus, quod physicus generaliter, medicus per species vsque ad extrema, diuidit. Naturalis vt à sola natura proficiscuntur, medicus vt à natura artis beneficio adiuuanda, aut non adiuuanda. Naturalis ægrum aliud censet esse à medico, vt pote generalius quoddam, atque communius: cùm in eo neutrum claudat, medicus alterum ab altero seiungat. Naturalis etiam omnis corporis viuentis sanitatem intuetur, hominis solius medicus. Denique quintum discrimen adiicere liceat: naturalis sanitatem & ægritudinem ex æquo contemplatur, medicus autem propter sanitatem plerunque considerat morbum, nequaquam autem propter illius naturam. Est verò considerandum, an etiam ob vitæ longitudinem medicus, nulla habita sanitatis ratione, aliquid consideret: & an daturus sit viperas in cibo, ad senium protrahendum, etiam si lædant accipientem: vt in hoc casu, potior sit aliqua ei cura, quàm valitudinis. Cùm autem dixit Philosophus secari scientias iuxta subiectas res, intelligit quæ sub eadem ratione considerantur: sic vt alias distinguant res ipsæ, & quibus res vnæ sunt varia considerandi ratio. Ad aliud dico, quæcunque de corpore humano dicta sunt, sanitati ne subiectum esse possit, tùm etiam sano repugnare longè magis. Quare nihil plus ibi Galenus voluit, quàm quòd ars medica, non scientia, absque rationibus demonstratiuis, non absque cognitione corporis humani, tradi potest: quod seriem locorum inspicienti liquido constat: quare duplex fallacia fit. Ad Principis autoritatem respondeo, illum explicasse non solum subiectum, sed subiecti rationem principalem, quæ est affectus proprius. Sed est difficultas ex Galeni verbis 1. Artis medic. cap. 3. vbi dicit, quòd medicina non est omnium: Si autem homo esset subiectum, vel corpus humanum, esset medicina omnium corporum. Item medicus non considerat sanitatem momentaneam 1. de Tuenda sanitate, cap. 5. Respondeo: Prima autoritas à paucis bene intelligitur: nam Galenus vult ibi solum declarare, quòd medina non est singularium, quia nec omnium, sunt enim infinita: nec paucorum, quia inartificiosum. Sed est de omnibus speciebus, sanorum, ægrorum, & neutrorum. Et ideo non valet: Est de homine vt homo, igitur de singularibus per se sumpti (quamuis in genere valeat) igitur de omni homine. Ad aliud respondeo, quòd homo habens sanitatem momentaneam, est de consideratione medici: aliter nullus esset homo de consideratione medici, vt patet: nam secundum sententiam Galeni, omnes homines, imò omnia, sunt in perpetuo fluxu: dispositio tamen secundum quam quilibet est, cùm non sit perceptibilis à sensu, est remota à consideratione medici: quia medicus est artifex sensibilis, vt dici solet: & hoc pauci, aut nulli percipiunt, cur sic dicatur. Omnes enim artifices, qui cum hoc etiam sunt scientes, vt Musici, & Geometræ, etiam percipiunt rem prout est, & indiuisibile, quia tale indiuisibile puta diapason, potest esse firmum & non fluens: quia non est in materia generabili, & corruptibili vt sic. Ille etiam Astrologus, qui considerat luminarium coniunctionem, quæ est momentanea, quamuis non maneat, considerat tamen, quia nihil vult operari circa illam. Cùm igitur medicus sit sciens, & non purus artifex, & habeat operari circa subiectum suum, & subiectum non constet vnquam sub vno affectu propter materiam: cogitur medicus solus inter omnes scientes diiudicare ex sensu, non ex rei veritate: & ob hoc sensibilis artifex, cùm tamen omnes artifices sensibiles sint principaliter nuncupati. At exemplum de homine quomodo naturalis sit, subiectum scientiæ simul ac medicinæ ex mundo accipe, hic enim est subiectum naturalis Philosophi, & Astrologi, non autem cælum, vt quidam putant: sed hos distinguit ratio considerandi. Vnde eodem modo Philosophus naturalis etiam à primo philosopho ratione considerationis separatur.

CONTRADICT. XI.

Olera an facilis concoctionis.

QVòd autem & pani, & multo magis lactucæ & betæ, multa transmutatio requiratur, quomodo sanguis fiat, omnibus patere arbitror 1. de Natural. facult. cap. 10. ostenderat autem rationem: quoniam oportebat colorem ac substantiam sanguini similem fieri. Porrò sanguis rubeus, & substantia crassior lactuca esse videtur: nam sanguis, vt ibi dicit, carni proximus valde est, nisi quòd illa concreta est. Lactucam autem Galenus 2. de Alimentis cap. de lactuca, oleribus aliis prætulit, cùm inquit: Sciendum autem, quòd cùm omnia olera sanguinem paucissimum gignant, & praui succi: lactucam non multum quidem generare, neque mali succi, sed neque omnino laudabilis. Oliuas verò duriores substantia esse constat, magisque à sanguinis natura remotas, quàm lactucam: & tamen in 6. de Tuenda sanit. inquit, (quod & aliàs recitauimus) Quibusdam solo pane vesci absque obsonio non placet, sed cum palmulis, oliuis, melle, aut sale sumunt. Sit autem cuiusque modus qui decima hora concoctus esse possit. Iusserat autem vt quarta hora cibum hunc sumerent: igitur in sex horis sperat palmulas & oliuas cum pane sumptas confici posse. Difficiles autem palmulas concoctu 2. de Alimentis, peculiari quadam noxa dixit: quò fit, vt tripliciter hic sibi non constare videatur. Nam primò palmulas concedit, difficiles concoctu in tam breui temporis spatio absoluendas. Carnem autem prohibet, quam videtur facilem proposuisse, vt diximus, ex primo Facultatum naturalium. Secundo olera improbat, sed tamen cùm leuiora sint, cur non exhibet magis quàm palmulas, quas dixit dolorem capitis, & obstructionem iecoris concitare? Nec est quòd dicas, illum alienum, non proprium morem recensere: nam vtrunque probat, sed proprium tamen vt meliorem præponit. Tertiò lactuca videtur esse secundum frigiditatem fontanæ aquæ, 6. de Simplicib. medic. & in eodem mitiorem ac tipidiorem frigiditatem attriplici inesse ostendit: nam in primo gardu, ac sub leui temperie, ipsum constituit: remotior igitur à sanguinis natura est lactuca, quàm attriplex, & tamen meliorem gignit sanguinem (vt declarauimus quàm attriplex, & facilius concoquitur, cap. de attriplice. 2. de Alimentis, nam lactuca est tam cocta, quàm cruda: attriplex crudum omnino inutile. Perit igitur ratio illa à Galeno scripta in primo de Facultatibus naturalibus. Præterea nunc quod de turbatione dici solet 1. Regim. acut. 18. vbi nihil magis concoctioni obsistere creditur, cùm lactuca nihil tale habeat, 2. de Alimentis, cap. proprio: neque enim aluum aut sistit, aut lenit. Illud mirum, cur 5. de Tuenda sanit. vbi de Regimine senum loquitur, exemplum etiam adducens Antiochi medici, & Telephi Grammatici: & 2. de Alimentis cap. de oliuis, quomodo laudet hæc ante cibum, quæ proritare habent aluum, exhibens ex garo oliuas, quæ sunt proculdubio concoctu difficiles, & 1. Regim. acut. 18. illos magimè improbet, qui ius & garum cum oleo cerebro miscent: nam hæc turbant, & concoctionem impediunt, inquit, cogentia descendere quæ sunt difficilia concoctu, quale cerebrum est. Hæc sunt difficiliora forsan, quàm quis putet. Sciendum tamen aliquid dici difficilius, vel respectu primæ coctionis, vel plurium, velut caro in prima coctione non admodum est difficilis, vt diximus in Contradictione 7. tractatus 5. & sic hoc modo lactuca carne difficilius concoquitur: quia tamen longe plus alimenti resecatur ex carne, quàm ex lactuca, ideo in secunda & tertia coctione, caro plus exhibet negotij, quàm lactuca. Hac igitur ratione, cùm omnia olera parum nutriant, vt declaratum est, omnia sunt faciliores coctionis, quàm caro, vel panis: nisi si quid obstet proprium, vt in radicibus durities, in vrtica vis agrestis, & malè tractabilis: in alco immodica caliditas, in melongena fungosa substantia, in ebulo odor prauus. Olera igitur, vt brassica, blitum, lactuca, attriplex, & talia, leuius concoquuntur, quàm panis, caróve: nec discrimen latet, aut mediocre in hoc est. Galenus autem 1. de Facultatib. naturalib. solùm rationem substantiæ declarauit. Vnde si quis tantum lactucarum comederet, quòd sanguis ex ea prodiret tantus, quantus ex dimidia carnis libra, tunc non solum lactucæ illæ difficilius concoquerentur, quàm caro illa, sed etiam strenue offenderent hominem. De temperamento vero, lactuca minus concoctioni apta est, quàm attriplex, ratione frigiditatis: non autem humidi, nec substantiæ: nam attriplex humidum in secundo habet temperamentum, substantiamque duriorem: lactuca verò friabilis ac mollior: si tamen senescat, affligit grauius ventriculum, quàm attriplex, ob immodicam intemperiem. Consilium verò in 6. de Tuenda sanit. est, vt non cibi leues sumantur, sed qui parum nutriant: quia periculum est de obstructione iecoris potius, quàm de ventriculo: vnde periculum exercitij maius est ob secundam, quàm ob primam concoctionem. Secundum est, vt quæ sumuntur non descendant faciliter: ob hoc nec mel, nec palmulæ, nec oliuæ, si sine garo sumantur, disconueniunt, neque enim descendunt, nec multum nutriunt. Deteriores tamen palmulæ ex his omnibus sunt: tum oliuæ, si ex garo sumantur. Pessimum omnium, si potus adiungatur manus, nam paruus quandoque est necessarius, vt cibus dissoluatur, & quamuis grauis noxa ex multo potu præsens accedat: si tamen absint nutrientia copiose, non multum iecur periclitabitur obstructionibus. Sed olera & quæ aluum proritare possunt, conueniunt ante cibum, si parum potus aut nihil, nihil nutriens, panis parum adiicias: nam sic detrimentum primæ coctionis in ventriculo intestinorum vis & ipsa concoctrix supplebit. His rationibus, non conuenientibus oculis, intendere opus est, & subtili intellectu, nam

fermè ausim antiquos dicere, non plenè illas assecutos: cùm tamen maxima bonæ valitudinis tuendæ ratio ex hac contradictione pendeat. Sed & si quis proritantibus aluum in totum abstineat, non parum ad vitæ longitudinem confert.

CONTRADICT. XII.

Materia quæ concoquitur an necessaria in alimentum transeat.

SCio quàm multos torquebit Telephi Grammatici exemplum, qui olera esitabat ante carnes: & quod Galenus præceperit absque discrimine, vt mollientibus aluum ante cibum vtantur senes: & quod 2. de Alimentis cap. 22. docuerit etiam maluas cum garo & oleo à Rhetore, ante carnem etiam suillam sumi solita: & quòd Auicennæ hoc sit etiam præceptum. Verùm nos optimam docuimus institutionem, quæ proxima illi est nunc dicetur: Nam in quibus cibi è ventriculo non facilè exeunt, tum maximè si quies subsequatur, tales etiam cum nutrientibus, quæ turbant, leuiter accipere possum: vnde in cœna etiam magis. Quædam autem mouent simul ac astringunt, vt oliuæ non admodum maturæ: & harum vsus forsan non periculosus, quippe qui ad coctionem & moram astringentem vim obtineat: vbi excrementa abierit, salsedine gari expultricem proritat. Rhetoris tamen regimen haud probandum est: sed &, vt videtur, mala prospera vtebatur valitudine. Verum patefacta veritate ad alia potius transeundum erit. Galenus in Medicinali arte lib. 3. cap. 6. inquit: Coctio est quæ putredinem finit, manente substantia. Loquitur autem ibi de coctione materiæ febris: quamuis omnes transtulerint mutationem qualitatis quæ certe aliquid communius coctione continet. Galenus iterum in 1. de Differentiis feb. cap. 6. dixit: Species putredinis esse innumerabiles: genera autem tum in febribus, tum in phlegmonibus tria. Primum cum natura euincit putredinem, sitque pus in phlegmone, vel humor in vrinis subsidens, nam talis inquit humor non absolute putridus est, sed vim aliquam continet coctionis. In secundo autem (dicit) genere sunt, cùm vis coquendi adeo imbecillis facta est, vt nullam in putrescente humore ad benignum faciat transmutationem. Inde subiungit, de primo genere loquens, Altera autem putrefactio, quam & coctionem esse diximus. Sed tertium genus est, cum semiputridus humor est: nam tunc ad integritatem, pro magna parte saltem, reduci potest: vt 2. Aphor. Com. 17. iuxta finem. Ex his liquet, coctionem aliud esse omnino à nutritione. Philosophus quoque in 4. Meteororum 17. inquit. Aliis ad quandam subiectam formam contendit: vbi scilicet humor, qui torrebatur, aut elixabatur, vel putrescebat, vel aliò modo incalescebat, talis tantusque euasit. Tunc enim vtilis est, & concoctionem recepisse dicitur, vt mustum, & quæ in tuberculis collecta sunt, cùm ad suppurationem peruenêre: & lacrymæ, tum sordes quæ in oculis obortæ sunt: & cætera simili modo. Hoc autem omnibus obtingit, cùm materies, atque humor ipse victus fuerit. Hæc autem est, quæ in ipsa caliditate, quæ in ipsa natura est, definiri solet: nam hoc tandiu natura est, dum in ea ratio ipsa insit. Quocirca & eiusmodi, & vrinæ, & alui sedimenta, & omnino corporis excrementa, sanitatis indicia sunt: & concocta dicuntur, quòd humorem à calore vinci significent. Superius autem declarauerat, finem coctionis cibi esse nutritionem: hic verò quòd alius sit finis huius coctionis, alia forma. Auerroës verò in Commento dixit: Et hæc concoctio fit, quando nulla pars eius quod concoquitur, apta est transire in id, quod eam concoquit. Ex hoc igitur patet, quòd aliud est genus coctionis, quàm alentis: aliusque finis, quàm assimilatio. Nec obstat, quòd Aristoteles definierit in principio cap. coctionem sic: Côcoctio quidem igitur perfectio est, à naturali & proprio calore, ex oppositis passiuis, quod Alexander 14. quæstioni tertij naturalium quæstionum sic explicat: quòd sit perfectio acquisita in passiuis oppositis, à proprio calore. Nam hanc diuisit postmodum ratione finium: quædam enim nutritionis causa est, quædam euictionis, vt in tuberculis, ac excrementis. Non igitur omnis coctio nutritionis causa, neque assimilans: quamuis omnis coctio eodem modo in passiuis fiat, & ab eodem calore. Auicenna etiam prima primi, Doct. 6. cap. 3. iuxta principium idem sensisse videtur: sunt autem verba: Nutritiuæ verò operatio in his quæ superflua sunt erit, vt si possibile fuerit, in nutrimentum ea permutet: quæ actio etiam concoctioue nominatur: aut vt præparet ea facili expulsioni à membro, attenuando crassa, inspissando tenuia, diuidendo quæ tenacia sunt: & hæc operatio dicitur maturatio, seu coctio. Ex quo patet, quod & sensit Auer. 7. Collect. 9. concoctionem nocitiui esse ad expulsionem, non ad nutritionem, tanquàm ad finem: formam verò esse facilitatem expulsionis, & non assimilationem mébri. Adduco etiam duas rationes pro hoc: natura agit ad finem proprium, & non imaginarium: sed proprius finis noxij humoris, qui emendari non potest, est expulsio, non nutritio: igitur præparat ad expulsionem, non ad nutritionem. Nec valet quòd dicat Villanouanus, cuius est inuentum hoc non inelegans, scilicet, tueri partem oppositam esse vnum opus naturæ: nam videmus quòd eadem natura diuersas habet functiones iuxta diuersa obiecta: superflua enim expellit, vtilia attrahit: igitur etiam aliam habebit operationem specie distinctam circa expellendum humorem, & circa eum quo vult nutriri. Alia ratio est, quòd sequeretur, quòd puris color, quando est absolutum, esset diuersum pro natura membri, & non semper album. Oppositum dixit Galenus 1. Prognosticorum, vltimo: & omnes concedunt: sequelam deduco, nam natura per te intendit illud assimilare naturæ membri. Sunt autem membra omnia diuersorum colorum,

velut

velut iecur est rubrum, igitur sanies in eo rubra esset laudabilis. Diceret ad hoc, quòd concoctio fit à membris quæ ex semine ortum habuerunt: omnia verò illa candida sunt. Sed hoc est falsum, nam venæ sunt rubræ, & propter hoc sanguinem generant rubrum, & certe quomodo si iecur concoquendo dealbat, in rubrum transmutat sanguinem, & Galenus 1. Virtutum naturalium (vt diximus) cap. 10. docuit, quòd oportet nutrimentum transmutari secundum colorem eius quod nutrire debet. Palàm etiam est, carnem exteriorem esse rubram, & maximè musculorum: & tamen suppuratio bona semper ex toto est alba. In oppositum videntur verba Galeni 2. super primum Epide. 44. cùm enim dixisset Hippocrates, Maturationes excrementorum vndique tempestiuæ, aut bonæ, & decretorij abscessus sunt considerandi. Galenus declarans inquit, πέψις γὰρ τις ἐστὶ τῶν παρὰ φύσιν ὁ πεπασμὸς τοῦ νοσήματος. Coctio enim quædam est eorum quæ præter naturam, morbi maturatio. Subsequuntur autem. Hæc autem concoctio in coquentis substantiam deductio quædam est eius quod concoquitur. Ergo vbi corpus bene habet, cùmque ei quod concoquitur, naturæ intercedit familiaritas cum concoquente, mutatio fit totius concoquendæ materiæ, aut maxime eius partis, minimumque super est semicoctum. At verò cùm præter naturam affecta fuerint, quod accidit, cùm à natura immutantis aliena fuerint, quod assimilatur paucum est, excrementum verò semicoctum multum. Et vt in sanis corporibus excrementa, sic etiam in ægris concoctionem indicabunt. Liquido igitur apparet, iuuantis humoris & nocentis vnam esse coctionem à natura intentam, non solùm ratione agentis caloris, sed finis, qui est nutritio, & formæ, quæ inducitur, estque assimilatio. 2. quoque Aphor. 47. Quæ pus generat transmutatio, medium inter putredinem, & nutritionem, modum obtinet: cùm ab vtroque calore simul fiat, & naturali concoquente, & eo qui præter naturam est putrefaciente. Sed & in 8. de Medic. Secundum locos, cap. 8. declarat iuxta medium, coctionem esse mutationem, qua aliquid in id quod nutritur, ex eo per continuam assimilationem transfertur. Declarat autem ibi eam esse, & vitiosorum, & bonorum humorum. Verùm nullibi clarius quàm in 5. de Simplic. medic. cap. 6. verba illius sunt hæc: Etenim cum tres in animalium corpore mutationes sint: vna planè secundum naturam, cùm cibus in ventre concoquitur, aut in visceribus, vnde succus fit, ex quo vnaquæque pars nutriatur. Altera planè præter naturam, in omnibus putrescentibus: & hæ inuicem contrariæ sunt. Tertia mista & media, naturalis ac eius contrariæ particeps. Siquidem mutationi secundum naturam duo hæc insunt, vt à calore naturali superetur quod mutatur, & vt familiare corpori euadat: ei verò quæ præter naturam fit, mutatio fit ab aliena caliditate, & ad nihil vtilis. Media verò earum quæ suppurationes comitatur, ab ingenito fit calore, non tamen planè dominante, & in materia non prorsus benigna, neque tamen omnino aliena, itaque vt naturales mutationes à simili calore foris admoto iuuantur, sic & suppurationes. Quare coctiones mirum in modum adiuuant pulli, tum etiam catuli admoti ventri: confert enim fomentis vberius hoc, quoniam illorum calor fomenti calore nobis est familiarior. Quapropter quod ad mouendum pus adhibebitur medicamentum, natiuo calori similem habere debet. At verò quale illud? cùm febrium, vt diximus & phlegmonum penitus, quod ad hoc attinet, ratio vna sit, tum in sputis, 1. de Crisi 18. iuxta finem. & 3. Prognosticorum 46. & 4. Regim. acut. 77. & 78. declarat in eodem libro textu 44. dicens: Corpus quieti permittere, vngere, & æqualiter contegere oportet. Vbi Galenus inquit: Coctio nuncupatur nutrituræ substantiæ permutatio, secundum qualitatem existens. Natura igitur assumpto deuoratóque alimento, à cæteris quidem motionibus cessare debet, vt soli vacet coctioni: sed si aliquando imbecilior reddita fuerit, aliquo externo indiget auxilio: quo etiā modo, & in ea quæ in venis elaboratur coctione, eo opus erit. Cùm verò in 47. textu Hippocrates posuisset laborantem febre graui & implacida sub initio morbi ac materiæ cruditate, coctionem docens illius, inquit: Iacere autem in conclaui obscuro debent, & lecto valde molli, diúque habitum eum sustinere, nec iactare sese, id enim eos multum iuuat. Hypochondrium autem lini semine illines, ex aqua & oleo decocto, ac tepido, cauens ne refrigeretur. Ergo gloria dignus est Villanouanus huius tam pulchri præcepti inuentor: cuíque enim sua laus reddenda est, etiam ignoto & viuenti, qualem ego opto esse: nam hominem non noui. Subiiciendæ autem sunt & rationes illius: sed prius, tanquàm in clara iam re, referam quæ ex his deducuntur duo præcepta nobilissima. Primum concoctio morbi iis eisdemmet fit auxiliis, quibus cibi coctio adiuuatur: quiete, molli strato, iunctione, leui pedum frictione, somno, obscuro loco, balneo, cibis calidis boníque succi, vinóque, cum citra quatuor exceptiones exhiberi potest, licebit & singulari loco cerata apponere. Secundum autem est, quòd ex hoc manifestum fit, cur adeò victus tenuis febribus conferat, nempe materia concoquitur à membris necessariò deficiente alimento vt nutriatur, quamobrem & breuissimus morbus euadit, & iudicium tutissimum. Quocirca ratio prima consurgit, Galenus enim 1. Aphor. 22. & 4. etiam Aphorism. 22. vult tria à natura fieri: primò coctionem, secundo segregationem, tertio expulsionem. Quorsum igitur segregatio impuri, si quod concoquitur totum in pus euaderet? Manifestum est igitur, operationem esse vnam naturalis caloris, qua vtile assumit in nutrimentum: inutile autem, cùm in illud naturaliter agat, atque ideo etiam necessariò, sibi quantum potest assimilans ad expulsionem præparet: iam separatum, & ob qualitatem caloris alieni membris inimicum. Inde secunda ratio exoritur. nam 1. Prognosticorum vlt. & 5. Aphor. 39. & 3. de Naturalibus facultatibus, &

bus, & 4. de Vsu partium, & 6. de Placitis Hippoc. & Platonis, membra sibi non aliis concoquunt non habentes ipsa prouidentiam, & si forsan architectus illorum haberit vt in mamillis: igitur conantur etiam sibi assimilare quod concoquunt: & ideo necessario actio illa suppurationis est propter nutritionem, quamuis resistente alieno calore, magna pars veram coctionem subterfugiat & suppuretur. Alia ratio sumitur ex 5. de Simplicib. medic. cap. 8. tum etiam ex 14. de Arte curat. cap. 13. in horum altero præcipit, vt quod alienum est, omnino tollatur ex toto: quod autem inutile habet vtili coniunctum, similibus foueatur: dicitque si possemus phlegmoni manum perpetuò supertensam continere, breui ad suppurationem venturum: quo fit, vt intelligamus, naturam vtile quidem in omnibus semper ad se transferre: ibique agit de carnium contusione, expressionéque, indicans scilicet, partem succi in alimentum transire, partem ex toto corrumpi. Sed & si quis 12. Artis curat. mentem Galeni inspiciat, dum febris ab humoribus crudis tractat curationem, in cap. 3. facile intelliget, dum trium dierum inediam præcipit, eius humoris partem in alimentum corpori concoqui, partem autem in suppurationem vt expellatur.

Vltimum fundamentum huius opinionis sumitur ex similitudine auxiliorum, vtrique enim coctionis generi eadem præsidia vt in 4. de Tuenda sanitate, cùm de cura crudi humoris agit. Quin etiam 7. de Simplic. medic. cap. de croco, vim habere dicit concoctricem, quòd calore sit temperato, modicéque astringens, hoc coctioni cibi confert. Addit autem, quòd emplasticam habet naturam, hoc ad concoctionis partem suppuratoriam magis pertinet. Est enim virtus emplastica 5. Artis cur. cap. 3. cùm medicamentum crassitie partium cutis poros claudere potest.

Est autem aduertendum, vt colligitur in libro de constitut. artis med. & in de Sanguinis missione, & 2. Facultatum naturalium, non tantùm humorum, sed ciborum vitiatam coctionem morbos facere. Fit autem coctio, ex 6. de Dogmate Platonis, & 2. Aphor. 7. ex solidorum virtute, nutrimentum sibi adnitente assimilare. Per hæc ad argumenta: ad Philosophi autoritatem, quamuis accipiat Coctionem sub alio significato, nihilominus nihil plus vult, quàm quòd antequam humor syncerus euadat, natura operetur in eum per se: per accidens autem in partem quæ concoctioni veræ rebellis est: nam fermè, quamuis non semper, materia praua boni aliquid habet admixtum. Et hæc est causa, quòd in tertianis & quartanis in initio accessionis apparent spontaneæ expurgationes: quia humor ille iã est separatus. Dico igitur, quòd calor agit in humorẽ corruptũ, sed non per se: verùm vt agat in vtilem. Quòd verò Philosophus accipiat alio modo Coctionis nomen, patet: quia distinxit eam in tria 6. Maturationem, Assationem, & Elixationem, quare longe generalius capit quàm Galenus. Si quis autem roget, sub quo genere contineatur hæc coctio? Respondet Philosophus ibi in sectione 19. commentatoris, quòd sub maturatione. Villanouanus tamen paululum à nostra responsione, ac opinione declinat.

Ad argumenta nostra, ad primum respondeo, quòd in principaliter intentis varietas obiectorum facit varietatem virtutum & actionum, vt de cibo & excremento. Sed quia, vt dixi, natura hîc non agit, nisi vt operetur inutile, non fuit necessaria alia virtus. Ad secundum dico, quòd Galenus respondet 1. Prognosticorum vlt. quòd hoc accidit, quia virtus concoctrix est in membris seminalibus, quæ sunt alba: & dat exemplum de semine, quod & ipsum album est. Sed exemplum primò est dubium, vt videbitur suo loco: quia semen candidum fit ab alba carne testium. Secundò, quia membra seminalia plerunque sunt frigida, vt os, cartilago, membranæ, nerui, & neruosa: & non videtur quomodo melius & validius concoquant carne ipsa, quæ est calida. Sed admittatur. Quomodo igitur iecur non dealbatur, si nutritur ex alimento albo? Forsitan dicere oportebit quòd duo calores contrarij vincente naturali, efficiũt colorem album: sicut calor cum humido facit omnes plantas in foliis virides, iuxta Philosophi sententiam, in libro de Coloribus. Et hoc est verisimilius: quia quando vlcus in carne sanatur post saniem albam, videmus vincente calore naturali, humorem rubescere: igitur causa candoris est potius calor non naturalis. Et cùm conatus fueris hic tueri Galenum, videbis innumeras difficultates: nisi illius verba sic interpreteris, quòd membrorum seminalium vis etiam iuuat ad candorem: nam præter reliqua, illud est manifestissimum, quòd sanguis etiam extra effusus, putrescensque, dealbatur: quare illa erit causa coadiuuans non principalis:

CONTRADICT. XIII.

Concoctio omnis an condenset.

QVæ verò concoquuntur, vt crassiora & calidiora euadant, necesse est. Nam ei quod concoquitur ampliorem molem calor tribuit, & crassius illud, aridiusque reddit, 4. Meteororum 18. Hic Philosophus reddit in his verbis rationem dicti: nam calor resoluit subtiliores & humidiores partes, igitur exiccat & condensat. Additur & peculiaris ratio à Conciliatore, differentia 50. dum hanc tractaret quæstionem: quæ non tenet de omni coctione, sed solùm de ea, quæ ordinatur ad nutritionem: nam omne quod mouetur, est partim in termino à quo, & partim in termino ad quem, 5. Physicorum 65. in textu. At nutritio & coctio sunt quidam motus, 5. Physicorum 7. Relinquitur igitur, cùm hæc mutatio fiat ex humore in membrum, & membrum sit crassioris substantiæ quàm humor, vt humor ille perpetuò condensetur, accedens ad naturam membri. Alia ratio eius, quòd ordinata in finem aliquem naturam recipiunt eius in quod ordinantur, 2. Physi. 23. sed coctio ordinatur in

restau

restaurationem solidorum, & possent reduci ad vnum fundamentum, addo ego vtile pro medicis, quamuis singulare: nisi ita esset, homines ex quacunque febre in hecticam inciderent, quia si attenuaretur humor in concoctione, non est causa cur in febribus putridis, ros ille non supercalefiat, & omnis humor ad nutritionem paratus: & sic vt illico contabescat patiens. Galenus quoque 4. Regim. acut. 4. exponens ea verba, LIQVIDAE DEIECTIONES, inquit, Coctio omnis cogit & condensat: & 4. de Locis cap. 8. post principium: In pulmonis affectibus initio tenuia, vbi concoctu fuerit crassa expuuntur. Idem in 5. cap. 7. pag. penult. capituli: Nam omni parte inflammata cui crassum tegmen non incumbit, in primis quidem sanies tenuis defluit, quæ concocta deinde inflammatione crassior, & puri similior redditur. Neque verò aliud magis in libello de totius morbi temporibus edocet, quàm hoc, in febribus, vlceribus, tumoribusque, quam quòd ab initio tenuia apparent succedente tempore dum concoquuntur crassiora euadunt. Ad oppositum est autoritas Galeni 5. de Simplicib. medic. cap. 12. Nitrum, & aphronitrum, & abrotanum, ac talia, virtutem habent extenuandi crassos ac lentos humores, præparandíque ad expulsionem. Et in de Attenuante victu, cap. 12. de odoratis, calidis, crassis, dulcibusque vinis sermonem habens, inquit: Non enim incidenda tantum sunt, aut calefacienda, quæ sputo sunt expurganda, sed moderatè etiam humectanda, ne siccata ac lenta reddita sputa, tusses excitent, exitusque violentia, vas aliquod in ruptionis discrimen adducatur. Quamobrem quæ vina sunt crassa & dulcia, propterea quòd humorem habent crassum, & ob id ipsum perdurantem, in thoracis pulmonumque affectibus, si cum tenuantibus medicamentis adhibeantur, multum adferent commodi. Aetius quoque lib. 5. cap. 29. ordinem hunc vrinarum ostendit: In suptilibus primo nebula suprema, pòst in medio, pòst hypostasis apparet. At vbi morbus ex crassis humoribus processerit, initio in vrina apparet sedimen, ex quo multi coctionem, quæ nondum peracta est, peractam esse putant: pòst eneorema: vltimò nebula suprema. Hic igitur duo coctionis ordines fiunt manifesti, quorum primus fit per condensationem, secundus autem procedit attenuando. Arabes etiam omnes coctionem attenuantem admittunt, de condensante verò sunt discordes, vt prima quarti trac. 2. cap. 7. iuxta medium. Sed & rationes multæ istud suadent. Prima est, & à Conciliatore adducitur, excrementa naturam ostendunt eorum, à quibus deciduntur. 2. Artis medicæ 74. At superfluum tertiæ concoctionis est sudor, vel halitus, ac vapor: secundæ autem vrina: primæ feces: igitur concoctio non solum noxij, sed & iuuatiui attenuando procedit. Ad hoc dat duas responsiones: prima solum habet verba: sed secunda innititur huic, quòd vbi fit secretio, illa fit ad opposita, à subtilibus crassa, à crassis suptilia resecatur: nam aliter talia relinqui non possent. Responsio hæc non videtur satisfacere debet enim halitus ille habere aliquid proportionale cum nutrimento vltimo: igitur impossibile est vt sit adeo crassum vt primum quod concoquitur. Item 2. Aphor 9. Crassa debent attenuari & incidi: quare concoctio sic procedet. Forsan dices, quòd hæc est præparatio, vt inquit Villanouanus: contrà si coctio condensat & hæc est necessaria, quia crudi humores, & præparatio attenuat, igitur humor idem simul attenuatur & condensatur. Per idem oppugnatur expositio quam dat literæ Aetij, quòd intelligat de coctione cum præparatione coniuncta, nam non obscurum est quod sic idem humor, & ab eodem agente naturali calore, & eodem modo, condensabitur & attenuabitur. Item in generatione spirituum fit coctio, & attenuatio, aliter non essent subtilissima nostri corporis pars. Adduco etiam rationes eius in oppositum: nam coctio quæ fit in ventriculo est similis elixationi: in elixatione quod coquitur subtilius euadit: indicium est leuitas, & quòd facilius superatur à calore naturali, & quòd mollius est. Calor etiam quamuis resoluat humidum, tamen rarefacit quod densum est: vnde videmus, quòd æs diutius coctum euadit porosum & leue: vnde etiam primo de Medicamentis secundum genera, cap. 5. iuxta principium, spuma argenti, crassitiem amisit ex ignis viribus. Ad quid etiam damnauit Hippocrates & Galenus 2. Prognosticorum 46. crassa sputa & humores, si crassities est ipsa concoctio? Galenus etiam in de Constit. artis medic. cap 19. curatio quidem omnis per contraria, crassa attenuando, tenuia incrassando, vtraque communiter concoquendo. Cùm etiam bubula caro concoquitur ipsa attenuatur necessariò, cùm sit crassior humana carne, & condensatur, & sic simul duo contraria efficiuntur ab eodem calore in idem subiectum. Sequitur etiam secundum ipsum, cùm extenuatio sit opus expultricis, vt concoctrix ab extenuationis munere liberaretur, quòd ante concoctionem crassi cibi necessariò expultrix operabitur, quod nunquam Galenus dixit, oporteret etiam vt humor non præparatus ante præparationem expelleretur: sed quia hoc incidit in opinionem de virtute discretiua, quoquomodo ab Auerroë posita relinquatur. Oua etiam apala (3. de alimentis cap. 22.) celerrime nutriunt: vel igitur quod concoquitur ad crassissimam substantiam oportet reduci, & sic tenuissima, vt vinum, & oua, tardè concoquentur, contra Gal. 3. de Temperamentis, cap. 2. in initio: vel ad mediocrem consistentiam, & sic quæcunque erunt crassiora ea consistentia, attenuatione indigebunt. Item in attenuatione, vel fit comminutio partium, & sic non differt ab incisione, nec est vera attenuatio substantiæ, nec sunt duo, sed vnum, Attenuare, & Diuidere: nam auri limatura aurum est. Vel est vera attenuatio substantiæ: igitur cùm reducetur ad medium, erit humor vel cibus concoctus. Ad quid enim verè attenuetur vt iterum incrassescat? Mirum autem esset, quòd Galenus hoc alicubi non dixisset.

Pro hac contradictione sciendum est, quòd concoctio omnis condensat iuxta Galenum,

lenum, & iuxta etiam Aristotelem. Verùm scire oportet, duo esse quæ circa materiam transmutandam considerantur, Præparationem, de qua loquitur 2. Aphor. 9. & 1. Aphor. 24. & quòd sint distincta patet, quia sperat Galenus in secundo loco adducto prima vel secunda die præparare corpus. Concoctio autem fit à natura, vt declarauimus, & iuxta ordinem iudicatoriorũ dierum, vt 1. de Crisi per longum processum docetur. In præparatione autem continentur, (vt à Galeno in dictis Aphorismis, & alibi) condensatio eorum quæ sparsa sunt, diuisio tenacium attenuatio crassorum, contemperantia immodicæ qualitatis, obstructionum apertio, leuitas alui. Auer. 7. Collect. cap. 9. quasi hanc rationem intellexit: dixit enim: Duplex est præparatio, vna ab arte, & procedit attenuando: alia à natura, & hæc reducit humores ad substantiam mediocrẽ. Et quãquàm alia addat, nunc illa prætermittenda sunt: nam Arabes ignorauerunt quid esset concoctio, & confuderunt concoctionem cum præparatione: inde orti innumeri errores: in quibus omnes caligarunt, (præter Villanouanum) tam antiqui, quàm recentiores, vt ex illorum scriptis patet. Et hoc est, quia etiam ipse Galenus, vbi rem non ex composito, sed obiter tractat, aliquãdo hæc confundit nomina. Nos tamen vbique, hic & in his quæ edemus, proprietatem nominum ipsorum seruabimus, seruauimusque. Cùm igitur Concoctionem dico, intelligo caloris naturalis opus in materiam duplex: aut qua nutriri potest vt nutriatur, & assimiletur, & fit condensando: aut in materiam ex qua nutriri non potest, & hoc est diuersum pro diuersitate illius, & non intentum à natura: nam merito talis humoris natura solum expulsionem intendit & tentat. Cùm autem dico Præparationem, intelligo quæ dicta sunt.

Propter tamen argumentum vnum, quod tactum est, quòd natura simul attenuaret & condensaret, dicitur quòd de mente Galeni humores crassi prius attenuantur, deinde concoquuntur. Galenus etenim 4. de Tuenda sanitate, cap. 8. cùm docuisset, crudis humoribus dominantibus, præsidiis primo vti dissecantibus, oximelite inquam: pòst attenuantibus, mulso diaspolitico, & eo quod ex tribus constat piperibus: tandem iuxta finem inquit: Quòd si crudos iam succos attenuatos speras, vinum dabis quod & substantia tenue sit, & colore fuluum, aut album. Hoc enim ad succi bonitatem & concoctionem facit: illud vrinam mouet. In fine etiam cap. 9. inquit: Si enim in primis venis crudi succi copia est, dissecandus nobis est, ac concoquendus est. Vbi tres scopos Galenus docet animaduertere sibiinuicem succedentes: Attenuationem cum dissectione, Concoctionem & Difflationem, de qua mox loquitur. In 12. etiam Artis cur. cap. 3. cùm ægrum ex crudis laborantem humoribus iuxta finem cap. per septẽ dies attenuante victu tenuisset, in 4. cap. de concoctione agit per vini exhibitionem, tum de digestione: neque enim v num solius syncopis causa commemorat. Sed & horum ratione, vt in fine capitis, animaduertere licet. Sed si quis obiiciat, igitur superfluit dissectio. Animaduertendum est, attenuationem illam in crassis fieri humoribus, dissoluto eo quod erat per frigus congelatum. Est igitur Attenuatio illa colliquatio quædam, non vera tenuitas: nam si concoctio condensat, humores omnes crudi substantia sunt tenuiores quàm par sit, sensu verò crassiores: cùm à calore nõ sint colliquati. Ex his ad Galeni autoritates non obscurum est quid dicendum sit præparationem enim docet. Aëtius præsupponit medicum decipi: nam illa non est vera hypostasis, sed crudus humor: de quo 7. Aphor. 32. vbi agit de sedimine farinæ simili. Differt autem ab hypostasi in tribus: Primò, quia vrinam tingit albedine sua: Secundò, quod est solutum, & imum petit, non pineæ figuram aut coni seruans: Tertiò, quia multum est, & copiosius hypostasi, 1. de Crisi 12. iuxta medium. Ad argumentum Conciliatoris: natura separat inutile ab vtili: nec valet. Quod concoquitur crassius fit, igitur concoctum crassius est, eo quòd concoquebatur: miscentur enim duæ operationes: altera qua segregatur inutile, quod aliquando crassius est, aliquando tenuius, & coctio ipsa: concoctum igitur semper est crassius eo quod concoquitur, non eo quod dissolutum est: nam non est crassior sanguis hominis bubula carne. Quæ igitur resecantur excrementa à tenuioribus partibus tenuiora euadunt: nam sanguis tenuior est cibo, non tamen humidum membri sanguini, quia licet per coctionem crassescant, attamen per separationem crassioris excrementi attenuantur. Contrà, quia si vrina est tenuior sanguine, igitur humidum quod gignitur erit crassius sanguine? Respõdeo, quòd hoc verum est: nam si quod resecatur tenuius, quod concoquitur duplici ratione crassius euadit: & ratione excrementi: & ratione coctionis, si autem excrementũ crassius est, tunc tenuius potest fieri quod concoquitur, cùm per concoctionem solam crassescat, per separationem autem attenuetur. Sed quo modo posito humido membri vt est crassius quàm sanguinis excrementũ, tamen est tenuius vrinã, cum vtrinque excrementum sit eodem modo se habens ad id, cuius est excrementum, scilicet tenuius parte à qua secernitur? Respondeo, quòd halitus & sudor non sunt excrementa tertiæ coctionis: sed ex Galeno in libro de Vsu respirationis, hæc per arterias, maximè halitus, expelluntur & à corde. Excrementa autem tertiæ coctionis sunt pili & res quæ hæret cuti quasi terra, & sudor viscidus, quæ omnia sunt crassiora quàm vrina. Ad id de spiritu, fit ex aëre & spuma sanguinis, & sic fit per condensationem etiam. Sed de hoc alias. Cætera nota sunt per se, præter id quod de ouo adducitur Respondeo igitur ad hoc argumentum nostrum, quòd crassities nutrientis non est certa, ideo dicebat Galenus, quòd vinum nutrit spiritus: & sic oua sanguinem subtilem quia vnumquodque nutriens cõdensatur proportione suæ substantiæ & non ad certam metam: aliter argumentum concluderet. Et si dicas, igitur membra non nutrientur: dico, quod ex crassiore parte & parum vel dic

quòd oua & vinum ex parte permutationis longiore indigent tempore, puta quàm caro auicularum & panis, tamen quia carent excrementis, non indigent separatione, ideóque longe celerius nutriunt: attamen quia paucam habent substantiam crassam membra solida tabescunt, ideóque vitam breuem copiose sumpta reddunt.

CONTRADICT. XIV.

Syrupi an concoquant, & an syncerus humor concoqui possit.

AN syrupi conueniant dubitatum est in morbis: hoc autem potissimum propter frigidos, nam calidi proculdubio concoctionem iuuant: de frigidis autem est autoritas omnium primo Arabum, Auicennæ, Rasis, Auenzoar, Auerrois, Haliabbatis, Serapionis. Alexander etiam lib. 1. cap. 16. inquit: At humorem biliosum subigendum & concoquendum, conueniunt acopa lauacra, & cibi humectantes, & unctiones. Sumpta hæc omnia ex 2. de Medic. secumdum locos, cap. 11. Verùm hic iacet difficultas, An humores alii à sanguine & pituita coctionem recipiant: nam si recipiunt, commode syrupi exhibentur: si non, non eiuscausa: nam ad refrigerandum membra poterunt exhiberi. Galenus igitur in de Constitutione artis medicæ. cap. 16. atram bilem ægrè concoqui affirmat, igitur hic humor coctionem recipit. Libro etiam cui titulus est, Quos & quando purgare oporteat, iuxta medium, In tenacibus humoribus, quales sunt pituita, & atra bilis, concoctionem expectabis. & Aëtius eadem verba refert libro 3. cap. 23. Galenus etiam declarat lib. de Atra bile, & in de Vsu partium, atram bilem, & bilem, membra nutrire: igitur & concoqui poterunt. Sic dantur etiam genera diuersa bilis flauæ, rubræ, viridis: atque ita diuersam suscipit pro coctione naturam: quamuis inepta nutritioni. Sequeretur etiam, quòd vrinæ in processu coctionem non reciperent: cuius oppositum habetur in primo de Crisi. Sequeretur etiam, quòd illico febricitantes expurgare conueniret, nunc loquor de laborantibus biliosa febre, quod est contra Hippocratem, 1. Aphor. 22. & Galenum in libro; Quos & quando purgare oporteat, post medium. Patet sequela: nam ad quid expectanda coctio quæ fieri nequit? Si dicas, posse præparari: iam docui, eam præparationem longe celerius perfici, quàm vt expectetur morbi status. Si dicas, aliquid esse permixtum, quod possit conqui: igitur vrinæ vel sunt crudæ ratione admixti, & sic non ratione morbi, sed rei non pertinentis ad morbum: si ratione peccantis bilis, igitur illa est cruda, demum concoquitur. Sequeretur igitur, quòd habentes aliquem humorem crudum in corpore, haberent crudas vrinas, vt in febrium initio: quod contradicit sensui 2. etiam Regim. acut. 44. vbi Hippocrates biliosa cruda appellat, Galen. in commento hæc habet: Nempe biliosa cruda ita appellauit, quoniam & excrementorum coctionem vocat, quamquàm mutata nutrire non possunt, vt bilis vtraque, & qui Græ ἰχῶρες dicuntur. Verum tamen quoniam & talia euincit natura. Cocta vocare consueuit Hippocrates huiusmodi excrementa, quæ à natura euicta sunt, Cruda verò, quæ euicta non sunt: ob id & pus in phlegmone quod concoquitut fieri ait, quamquàm pars nulla ex pure accipiat alimoniam, veluti facit ex crudis dictis humoribus, ac pituita: quæ reliquum coctionis ac perfectionis assecuta, corpus valent enutrire, sic igitur biliosorum humorum concoctio est, vt sanguinis in phlegmone in pus migrantis: intelligentibus quidem nobis, nomen coctionis in suo vniuersaliore significato, est autem hoc, cum natura validior causis, eas permutauerit robore suo. Quæ igitur in corpore anima carente putrescunt, nihil ad permutationem conferente calore innato, concoctionis ratione degenerant. Hoc sanè serosæ vrinarum materiæ contingit: atque ob id crudas vrinas concoqui dicimus, quamquam corpus ex vrinis coctis ali non possit. Generali etiam hoc concoctionis significato vtimur, cùm catarrhum, coryzamve, vel ex oculis fluentes humores crudos coctosve esse dicimus. Ad hunc modum bilem crudam ἢ ἄπεπτον, id est vel incoctam, aut coctam esse pronunciamus. Cruda quidem flaua admodum est, & acris, & male olens: cocta autem pallidior, miniméque male olens, hæc Galenus: vbi humoris etiam præter naturam coctionem, sed alterius generis admittit. Ad hæc sic Galenum interpretatur Villanouanus, vt coctam bilem intelligat, cum à natura euicta nec euagari, nec in deterius verti sinitur, sic vt illius prauitati resistens membrum lædere non sinat: adducitque Galenum 1. de Crisi 5. ante medium, dicentem: Sputa subflaua, subrufsáque, cruda, sed non mala: rotunda, viridia, vel nigra mala: quæ verò flaua permixta, faciléque expuuntur concocta. Itaque quod sic crudum est vel ad deterius vergere potest, nec tunc concoqui dicitur: vel in suo statu retineri, & sic Concoctum vocatur. Sed nec illi autoritati, nec huic satisfacit: namque in prima autoritate crudam bilem flauam, coctam vocat pallidam, vt sic necessariò permutetur. Prima male olet, secunda minime. Sed hoc clarius in secunda autoritate: nam statuens ab initio subflauum sputum, duas in eo facit permutationes, alteram ad malum, & est vt flauum purum, vel viride euadat: alteram ad salutem, & est vt flauum permixtum: igitur per coctionem subflauus color, in flauum permutatur. Vtrinque igitur agit calor naturalis permutando colorem & substantiam, sed aliter aliterque. Non abs re fuerit declarasse, quid intersit inter ὠμότητα, & ἀπεψίαν, seu crudum & incoctum: nam vtriusque Aristoteles meminit, tum Hippocr. 22. Aphor. primæ particulæ, tam Galenus in præcedenti scripta autoritate. Crudum igitur ad primam refertur coctionem, quæ in ventriculo celebratur.

bratur. Incoctum autem quod quomodo male coctum est, aut deprauatum, vt in de Symptom. differentiis: & 3. de Symptom. causis: & 8. Methodi: & Aetius lib. 9. cap. 24. Sed de crudo agit maxime per totum quartum librum de Tuenda sanitate, & est eius species vitreus vocatus humor à Praxagora 2. de Differentiis febrium cap. 6.

Sed in oppositam partem facere videntur verba Gal. 4. de tuenda sanitate, cap. 4. ibi: Quod igitur omnino alienum est expellere, tentandum, quia nulla ratione fieri potest, vt naturæ gratiam recipiat. Et rursus cap. 7. cum dixit: Quoniam ergo duo prima sunt, crudorum seu etiam semicoctorum qui ante sanguinis perfectionem fuerunt, percoctio, & acrium ac mordacium, qui sanguine sunt posteriores, eductio: non igitur vlla concoctio vel vera vel ficta in his est expectanda. Adducitur & sententia ex 2. Regim. acut. 30. sed ea parum facit, cùm de vera coctione loquatur. Quòd si dicas & bilem, & atram bilem nutrire: Fateor, inquam: sed Gal. lib. de Atra bile, cap. 7. huius reddidit differentiam: nam excrementitia haud nutrit, quæ verò adhuc sanguini permixta est, nutrit. Hic igitur Galeno de excrementitia est sermo. Eodem modo autoritas in de Constitutione artis med. cap. 19. nos non offendit: cùm acidam in nutrimentum adhuc redigi posse affirmet: nam subiungit: Dulcis verò etiam facilius concoquitur. Quod vero etiam Philosophum pro se adducat ex 4. Meteororum, non video: nam in 3. cap. de vera maturatione & coctione loquitur: in secundo autem de secundo coctionis genere, quo fatetur etiam humorem in lippitudinibus concoqui: quare vel aduersatur Villanouano, vel nihilo pro eo habet. Adducitur & autoritas ex 2. de Differentiis feb. cap. 6. iam aliàs inducta, vbi Galenus docet vitiosissimo humori, nullam etiam validis mediocriter viribus, vtilem permutationem accedere, sed ex vno in alterum prauitatis genus transire, atque corrumpere. Sic & ex 9. Artis curatiuæ cap. 5. post medium: & in 11. libro cap. 9. Quod vtile est, aut semiputre, concoquit natura, ac trahit: quod verò inutile, prorsus expellit. Addit etiam rationes, ne quicquam desit, Villanouanus: Prima, quòd ex secundo super primum Epidem. 44. cum in morbis velut alimentis modò plurima pars transeat ad nutritionem, modò pauca: igitur vbi nulla prorsus, oportebit naturam id expellere, nihil morantem: nam cessat finis causa prorsus inutili, qui est nutritio, igitur & actio. In scyrrho quoque & puro erisipelate. Galenus non applicat concoquentia 14. Artis cur. 13. sed iubet excindi ea & amoliri, igitur & in syncero humore. Accedit, quòd concoquens sui causa non solum concoquit, sed etiam familiaritatem habere debet cum eo quod concoquitur, 4. de tuenda sanitate, cap. 4. talis verò humor non habet cum membro familiaritatem. Rursus ex ordine, declaratum est enim 4. Aphor. 22. & etiam 1. Aphor. 22. quòd prius humor concoquitur, deinde separatur: sed syncerus iam est separatus, igitur concoqui non debet. Concoctio etiam ex habitis incrassat, igitur ad expulsionem humorem reddit ineptiorem. In arcuato etiam morbo qui etiam à pituita fieri potest 6. de Simp. medi. cap. de attriplice, non debemus concoquere quando à bile, sed tantum extenuare, incidere, postmodum purgare: Aetius libro 10. cap. 18. & 1. de Humana natura 29. & 5. de Locis affectis cap. 2. iuxta extremum finem, cum etiam multos hoc modo curatos iactet in ascite etiam ac tympanite non quærimus coctionem, quia nihil ibi vtile: igitur nec in syncero inutili alio humore. Ex hoc infertur oppositum primi quæsiti: nam syrupi cùm dentur concoquendi talem humorem gratia, impedient naturam, & morabuntur, nec proderunt concoquere non potentes.

Pro solutione animaduertenda est distinctio data à Galeno de duplici coctione, 2. Regim. acutorũ 44. & si quis dicat: Hoc iam contradicit determinatis in præcedenti contradictione: Respõdeo, Non: quia natura primam tantum intendit: prima impedita, fit secunda non intenta à natura. Sicut natura intendit tantum asinum in generatione muli, loquendo de natura quæ est in semine asini, & tamen generat mulum ex materię resistentia. Secunda est dist. habita 2. de Differ. febrium, c. 6. coctio habet diuersum successum vel ob virium imbecillitatem, vel ob humoris prauitatem. Tertia, aliud est opus naturæ, aliud est opus medici. Quarta, alia est ratio putrescentis humoris, alia naturalis. His intellectis syncerus humor nunquam debet concoqui, nisi fuerit putrescens, vel ex pituitæ genere. Patet ex autoritatibus adductis: & etiam ratione illa quòd iam separatus ideóque excrementitius, & ideo propter hoc, & quia loquitur de opere medici 4. de tuenda sanitate, in duobus locis, medicus non debet moliri coctionem, sed expellere: quòd si remoretur, fit perpetuò deterior: nam calor agit necessariò, quia est agens naturale, & non concoquendo, igitur adurendo. Et hæc est causa quòd Princeps administrabat syrupum cum fumo terræ etiam in febre de pituita in fine: quia calor adurit semper: est enim agens non ab electione, in 2. autem Regim. acut. præsupponit alterum duorum, vel quòd materia cruda sit, & tamen mala, vel quòd non sit excrementitia: in primo genere est cum praua pituita bili admiscetur: ideo etiam subflaua sputa apparent in morbis pectoris, & tunc cruda sunt, vt 1. de Crisi 5. Concocta autem non bili, sed illi iuncta pituita, euadunt flaua, in hac etiam actione bilis etiam patitur, & ideo si diutius tardetur viridis fit, aut nigra: & propter hoc facilitatem sputi commendat Hippocrates ne moretur. Eadem ratio, quæcunque iam cocta moram trahunt, agũt hominem in perniciem: seu in febribus, seu in phlegmonibus. Porro non adeo vitiosus humor euincitur, vt si bilis nondum fuerit excrementitia, nititur enim natura concoquere, nam nutrire apta est, vt diximus. Vbi igitur syncera bilis sit, inedia enecat: quoniam aduritur magis, & virtus debilior redditur, & circumiacens humor absumitur. Medici

dici autem nostri temporis gratuito nos oderunt: cùm plerique hæc ignorantes, fortuito ægris manus admoueant: omnes autem grauiter laborantes in eorum manibus interire necesse est: quoniam non possunt perfectam hanc rationem assequi, quæ omnino eos latuit: vix etiam me scribente intelligent, sanant autem solum leues morbos: sed & in his quàm plurimum vitæ adimunt: senescunt enim præpropere nimium, & breuem vitam nanciscuntur, qui hac prætermissa ratione vel non intellecta, curantur. Si enim humor iam sit syncerus, nec nutriantur, celeriter moriuntur in grauibus morbis, vt etiam eadem die: in leuibus autem humidum naturale membrorum absumitur. At si nondum syncero nutriantur, morbus profertur in immensum: atque sic ex grauibus omnino moriuntur, ex leuibus contabescunt membris solidis: verùm quanto difficilius est postmodum opere ipso hæc agnoscere. Sed syruporum vtilitas multiplex quidem est; calidi enim concoquere etiam præter cætera possunt: at frigidis ac calidis, commune est primò præparare materiam aperiendo, incidendo, corrigendóque malas tum humorum tum mmebrorum temperaturas, prohibent etiam ne bilis illa praua aut deterior euadat, aut depascatur quæ integra sunt. In multis igitur commoda est illorum exhibitio, etiam si non concoquere queant. Villanouanus autem hoc secundum genus coctionis nimis audacter sustulit: nam syncerus solum, ac immodicè siccus, hic est excrementitius, concoqui nullo modo potest. Medici autem non est, vt cùm febris non adest, quærat concoctionem etiam in non excrementitio, sed solam præparationem: quia perfecte illum agnoscere non potest: estque maius longe periculum in mora, quàm in inutili euacuatione: quod iam declarabo, illud solum admonens, in febribus prius concoctionem morbi & vrinarum semper esse expectandam, antequam euacuemus, tum etiam præparationem materiæ. Causa verò cur vrina sit cruda in initio morborum triplex est: naturæ perturbatio vt cibis non intendat: humor in venis crudus existens, prohibens transitum bilis ad vrinam: tum mala qualitas ex humore venis ipsis impressa, 1. de Crisi, cap. 7. & 12. post initia. Concoctam verò qualis esse debeat vrinam declarauit Hippocrat. 2. Prognosticorum 26. cum dixit: Vrina optima est, si candidum sedimentum fuerit, leuéque & æquale per omne tempus, dum morbus iudicetur. Subiunxit Galenus in commento, vt sit colore crocea, mediáque inter tenuem & corpulentam qualis est iumentorum, adducta autoritas in lib. Quos & quando, de præparatione materiæ non de coctione intelligenda est.

CONTRADICT. XV.

Materia turgens an nobilis: & an tota, & ex initio expurganda.

MVlta sanè tum hîc tum in sequenti Contradictione nec non in præcedentibus dicenda à me fuissent: sed cum pleniorem tractatum cui titulus est, de purgationibus: conscripserim, nec soleam quicquam ex instituto meo repetere, ob id lectorem vt diligentem habeat de singulis tractationem, ad illum remitto: neque enim eorum quæ ad hoc spectant, his tanquam fundamentis per epilogum absque demonstratione recitatis, quiquam prætermisimus. Igitur de turgente materia cùm iam dixisset in 1. Aphor. 22. quòd turgentes humores qui mouentur & titillant, oportet purgare, ne ægrum molestent: & quia transfluunt: sunt enim purgationi apti, 4. etiam Aphor. 10. dixerat ab initio purgandum esse prius quàm febris accendatur, vel robur virium exoluatur, aut humores in aliquod membrum principale decumbant. Hæ rationes videntur generales esse & ratione materiæ, cùm semper sit periculum ne in membrum aliquod nobile influant: & ni tota eradicetur materia, idem manet periculum. Per hoc etiam quod dixit, medicari in valde acutis: significauit, in turgente materia haud esse mittendum sanguinem, sed semper purgandum: quod & innuit 2. Aphor. 29. nam materia quieta existente, iubet sanguinem mitti: turgente, purgari. Idem etiam in libro: Quos & quando purgare oporteat, iuxta finem: Humores qui sunt in motu vehementi permutanturque de loco ad locum, educere expedit, dum sunt in fluxu positi, in 1. etiam de Crisi 9. reddit rationem, cur expediat tunc expurgare, dicens Motum humorum, vim medicamentis secundum locos, in hiera Thermisonis. Sed tamen in 24. primæ particulæ Aphor. quinque numerat exceptiones, quibus non licet purgare ab initio, etiam turgente materia: & sunt ciborum crassorum ingluuies, crudi humores in corpore, obstructio magna quæ ex tensione habetur hypochondriorum, vehemens illorum etiam caliditas, & phlegmon. Quòd etiam non tota debeat eradicari patet Aphorism. 29. particulæ 2. Aphor. Cùm enim dixisset, quòd ab initio, si materia quieta est, sanguis auferatur: si autem turget, expurgetur, inquit, vt postmodum melius valeat residuum materiæ natura concoquere: igitur non totam vult ab initio expurgatam esse. Princeps etiam ait, quòd melius est infrà subsistere, quàm exquisitissimè euacuare, 4. primi cap. 3. iuxta finem. Sed & in lib. cui titulus est: Quos & quando purgare oporteat, in accessionibus per vomitum purgare docet: manifestum verò est, non totam debere expurgari materiam: turget tamen. Quamobrem primo scire oportet, quænam sit turgens materia: nam

ex di

ex dictis tres conditiones continere videtur: prima, vt sit in toto corpore vel in membro pricipali 4. Aphor. 10. Secunda, vt moueatur de membro ad membrum: neque enim sufficit quòd moueatur, & quòd titillationem faciat, ac molestiam, 1. Aphor. 22. Tertia, vt nondum membrum aliquod occupauerit, nec firmam aliquam habeat inclinationem, 8. de Medicam. secundum locos, cap. 3. Princeps 4. primi cap. 3. & prima quarti, de cura febrium in generali, addebat, quòd vltra has tres conditiones, etiam multa esset. Dignoscitur autem turgens materia tribus modis: primò, cùm fecerit initium phlegmonis, 4. Regim. acut. 76. Secundò, cum ad intestina repit purgationem faciens, 4. Regim. acutorum 64. Tertiò, si titillationem in diuersis locis faciat, vt dictum est 1. Aphor. 22. in omnibus his purgare expedit. Sed non videtur dictum 4. Regim. acut. 76. concordare cum dicto 8. de Medic. secundum locos, cap. 3. cùm iam velit materiam, quæ incipit decumbere in membrum, esse turgentem. Respondeo ad id, & illud 2. Regim. acut. 11. cùm purgat inchoante laterali morbo, non eam quæ iam incipit locum obsidere, turgentem esse: sed solùm reliquam, quæ adhuc in motu est. Sed cadit difficultas, quia 4. Aphor. 1. videtur vltra mobilitatem, superabundantiam requirere, ad hoc vt turgentes humores dici mereantur. Respondeo, quòd πλεονάζοντες & superabundantes omnes potest significare: & multitudine abundante. Mihi videtur, quòd in primo significato melius intelligatur.

Quòd igitur per turgentem materiam neque Hippocrates, nec Galenus, nec Aetius, nec Auicenna aut alius classicus vir fermè, excepto Rase, multam intellexerit, satis manifestum arbitror esse. Sunt tamen qui velint legere Principis verba disiunctim, turgens materia est, quæ vel est multa, vel mobilis. Sed hoc abest à literæ sensu, & à mente: à sensu quidem, quia coniunctione copulantur in vtraque litera: à mente, quia voluit Galeno esse conformis: quod etiam in singularium morborum curatione obseruat.

Causæ verò, cur materiæ turgentes debeant purgari, duæ recitantur à Galeno: Finis, ac forma. Ex fine, ne decumbant, in membro principali, & phlegmonem excitent, & ægrum occidant eo modo. Ex forma, quoniam motu suo adiuuant attractionem medicamenti, & ideo cum facilitate euacuantur. Quinque illæ conditiones, quæ prohibent euacuari materiam turgentem, impediunt ratione huius secundæ conditionis, & non primæ. Et sic patet solutio primæ contradictionis.

Materia verò quæ facit fluxum ventris non est turgens: patet, quia non habet tertiam, conditionem: procedit enim ad membrum destinatum, imò ad concauitatem solum rugitum in intestinis, tunc est turgens.

Materia quæ facit accessiones in tertiana & quartana interpolatis, non est turgens, quia non est in membro principali, nec in toto, & clarius, quia destinatur ad certum locum, qui est concauitas membri, & non membrum. Et si dicas, Ipsa tamen debet expurgari: dico, quòd non. Sed bene debemus iuuare naturam illud facientem iuxta textum Hippocratis, 1. Aphor. 21. & ideo rectè inquit Auenzoar 3. Theisir, tract. 2. cap. 2. in fine, quòd vomitus talis est naturæ permittendus, vel leuiter adiuuandus per accidens: & si aliter feceris dicit, vt multi faciunt, dando decoctum raphani, & thalia, pro maiori parte nocebis. Et hoc in crisi quanto minus est in accessione faciendum? Possumus benè adiuuare naturam iuxta præceptum Galeni, dictum in libro: Quos & quando, dando aquam calidam puram, vel cum hordeo.

Materia verò lateralis morbi dum fit est turgens pro parte, quæ nondum fluxit: & pro parte, quæ iam fluxit, turgens non est, quia certum iam possidet locum.

Materia verò morbi attoniti hic nō ingreditur: quia ratio turgentis & non turgentis consideratur à Galeno in febribus tantum, non in aliis morbis sine febre existentibus. Et ideo cùm in aliis liceat purgare non turgente fermè cognitur. Sed de hoc nihil constituo, cum sit prolixa disputatio à nobis tractata in libro de Purgationibus. Causæ purgandi consequentes, nec principales in turgente materia duæ aliæ sunt à principalibus, à Galeno narratæ ibidem: nam toties repetere tædium parit. Prima est, molestia quam facit, vnde inquietudo, & vigiliæ, & sæua alia symptomata. Secunda est, quoniam postmodum morbo magno existente non licet euacuare, vel phlegmone iam facto, vel solutis viribus ægrotantis, vel incendio febris superaucto. Hæc indicant quòd ab initio sit educenda. Sed non sanguinis missione: nunquàm enim eius meminit Galenus in turgente materia: & Hippocrates dixit, Medicari, non Euacuare. Ratio verò huius clara est, quia turgens materia non obedit sanguinis missioni, imò est separata à sanguine, aliter non adeo violenter moueretur: & si moueretur, illico phlegmonem excitaret. Inuenitur tamen materia turgens sanguini iuncta.

Materia verò pestilentialis febris, an sit turgens, nunc videndum: nam & pestilentia datur sine febre 3. par. super 3. epidem. Com. 58. in textu 61. inquit enim Galenus: Inuadentis etiam sine febre pestis, verùm de hoc in secundo libro agemus. Cùm verò dixisset in textu. Erant etiam aliæ febres, de quibus iam Acturus sum: subiicit in 51. textu & tribus sequentibus, hæc verba: Carbunculi æstate multi & alia quæ putredo vocantur. Papulæ quoque magnæ, & aliis serpentia vlcera. Quæ etiam ad ventrem attinebant multa multis incommoda attulerunt, primùm tenesmi cum dolore. Hæc quis non videt signa omnia comprehendere furentis materiæ? cumque dixisset Hippoc. 57. textu, Purgationes multos offenderunt: respondit Galenus, quoniam illas proculbubio vt turgenti materiæ conuenire videbat, nam nihil contulisse ita affectis remedia, & si ille non dixisset palàm est. Si quidem cùm multi morerentur, nullius

erant vsus omnibus illis auxilia. Causa verò huius erat, quia aliqua ex his quinque conditionibus prohibebat maximè quod dicebat Princeps prima quarti tract. 4. cap. 2. enarrans signa pestilentis febris: Et tenditur quod est sub hypochōdriis. Sed & esse quasdam febres pestilentes in quibus materia non turget, per hæc verba in eodem libro Epidemiorum, quorum initium est à textu 35. declaratur. Febrium ardentium, quæ vigebant, erat natura: initio sopore erant oppressi, inhorrescebant, fastidiosi: febris non acuta, nec magnopere sitibundi erant, nec deliri: nares autem pauca stillabant, accessiones diebus paribus aduentabant: obliuióque sub eis, & langor, & vocis defectus: extremi pedes & manus his frigidiores erant, & multo magis circa accessiones: quibus calor pedetentim nec probè redibat, redibantque ad mentem ac loquebantur: detinebantur verò perpetuo sopore, non somno, aut vigiliis laboriosis: aluus his plerisque turbata, atque his excrementa cruda, multa, & tenuia: vrinæ multæ, tenues, nec decretorij quicquam, vel boni: nec verò decretorij quicquam erat deprehendre: non sanguinis profluuium, non abscessus, moriebantur autem incerto ordine, plerunque tamen circa iudicia: quidam tardius, qui largius sudassent: in his nullum turgentis materiæ signum, nisi aluus turbata: sed cùm demitteret, non iam turgentis materiæ signum erat, sed naturæ conantis frustra se exonerare. Eadem est Principis sententia cùm in prima 4. cap. 2. nullius signi turgentis materiæ meminerit in pestilenti febre, deinde in 3. quarti tract. 1. cap. 1. & 17. meminerit Altoin, tanquàm phlegmonis in glandosis carnibus perniciosi, consequentis febres pestilentiales. Et eadem ratione collocauit variolas & morbillos in tract. 4. primæ Fen, non solum quòd essent contagiosæ, sed etiam quia ex turgente materia fierent. Nam vt ad totum febrium genus habita comparatione pauca turgent, vt inquit Hippocrates: sic ad pestilentium solum maxima pars turget: quia in reliquis speciebus febrium rarissima turgens materia contingit. Eadem fermè est sententia Galeni 5. Artis curatiuæ, cap. 12. vbi grauis pestilentiæ bis meminit: at clarissimè paucis verbis hæc ambo genera complexus est, cùm dixit in primo cap. libri de Cibis boni & mali succi. At quibus ex his quæ antè diximus phlegmonibus atque vlceribus in cute nihil accidit, omnes aliquo ex extis euidenti phlegmone correptò, vel vehementi ac praua febre interiore. Itaque quæcunque phlegmones ab initio excitant febres, ab vagantur, & interimunt, pestilentes sunt à turgente materia. Quæ verò non excitant ab initio, neque intus nec foris phlegmonem, occidunt tamen & vagantur, pestilentes sunt: sed non à turgente materia. Diximus autem, hæc duo inesse pestiferæ febri, vt vagetur, & occidat, ex primo Epid. 1. & 1. Regim. acut. Com. 9. Singulares enim morbi & si occidant σποράδης, si vagentur Epidemij dicuntur ex his solum pestilentes qui occidunt, quod & aliàs diximus. At contagiosos esse fermè ignorauerunt antiqui, neque enim Hippocrates & galenus eos curassent accedentes ad illos: nec etiam Auicenna huius contagionis meminit, neque in 1. cap. primæ 4. in tract. 4. vbi agit de causis: nec in 5. vbi loquitur de cura & præseruatione. Sed neque Celsus lib. 3. cap. 7. huius custodiæ meminit. Rebantur inquam antiqui, ex aëris, vel aquæ solùm corruptione aduenire quo in errore etiam nunc Turcæ sunt, atque Afri. cum tamen manifesto experimento nunc constet omnibus Italis, custodiam à congressu laborantium eo morbo, esse tutissimum auxilium: vixque vnum vel duos, qui sibi ab his præcaueant, vel etiam in sæuissimis pestilentiis contingat mori. Igitur reclament etiam nunc isti Galenistæ, qui se putant Galenicos ac optimos medicos, quòd sciant dicere, Galenus, me addidisse febri pestilenti differentiam quandam, quòd contagiosa sit: cùm ille adeo solers in nullius momenti rebus, adeóque nugax, hoc tanti ponderis non animaduerterit: qua ignorantia etiam peremit optimum Cæsarem Antonium, nam ille peste obiit, de Philosopho loquor. Nec maior in suiipsius custodia prudentia, nam & ipse non præcauens correptus est peste, ex qua ad extremum vsque vitæ periculum laborauit: libro de libris propriis, cap. 3. Sic poterat egregius iste noster Galenus seruare imperatorem, de se suo testimonio benemerentem, magnamque Romani populi partem, denique etiam seipsum à periculo vindicare. Certum enim est, ambitiosos istos viros, dum inani gloriæ & contentionibus student, talia admittere, quibus humanum genus etiam suæ fidei commissum perdant. Permitte illos de minimis nugari, vt videantur valde sapientes, maxima verò quæque præterire, nihilque recti sapere. Nam si hæc atque alia plura, quæ nostris sunt sparsa libris, intoleranda, principes medicorum perpetrarunt, quid existimas lector, quisquis es, has nostri temporis personatas vmbras efficere? Nonne ille strenuè egit, ac admodum diligenter? qui 16. Aëtij libros ad tetrabiblus redegit? ô solertiam admirabilem! quòd inscriptionem τετραβίβλω non prætermisit, deinde de candore animi disputat, laboresque Montani subripit. Dij boni adeo homines nostri æui odistis perniciose, vt etiam illustres animas, ac eruditorum virorum mentes, huc cæcitatis agatis, vt ob ambitionem vel auaritiam sui obliti, maxima prætereant, nugisque vt eruditi videantur indulgeant: artem tractantes, in qua salus hominum, ac etiam regnorum, constituta est. Namque, vt vno exemplo vtar, Bertholdus Estensis lapide ictus, mortuus est inscita medici, post aliquot dies, cùm Venetorum exercitus dux esset, huius morte amissa Peloponnesus, non expugnata Corinthus, Pannonia à Turcis capta: tunc Turcarum Princeps Germaniæ summis imminet viribus. Ergo nostri inclyti viri nugis sic incumbunt, Galenumque tanquam Deum adorant: cùm rebus ipsis, ipsi rationi studere deberent. Ego Hippocrati, Aristoteli, Galeno, Auicennæque nihil tribuo, nisi quia illos rationibus validis inniti video. Aristoteles quidem fermè semper, etiam si obiter rem

tractet:

tractet: Hippocrates etiam sensus testimonium certissimum attulit. Galenus cùm ex composito rem aggreditur, vir est acerrimi ingenij, atque firmissimi iudicij: cùm obiter, nemo periculosior, & qui se Galenicos profitentur, etiam sicarios fateantur necesse est: namque vix adeo quisquam erit oculatus, vt nisi præscriptam habeat à Galeno forte fortuna totius negotij ex sententia seriem: in illius incidens obiter placita, quæ tum plerumque benè ac etiam optimè dicta sint, sed Delio copiam natatore indigeant, vt non quemque sibi obuiam curando perimat. Neque ob quempiam magis, quàm ob Galenum, hi nostri libri necessarij sunt: quamuis & in his perlegendis opus sit non dormitante animo: nam quod ad Auicennam attinet, vt minus diligens, sic omnia ex sententia, nihil obiter tractauit: verùm cùm Galeni falsa haberet scripta, & vera etiam suspecta, anxie & ambiguà omnia docuit, vt nihilo plus cùm legeris scias, quàm antequam legere cœperis. Ingenio autem proprio fidere non est ausus, nam & id felicius successisset & fecisset, quia dissectionis, & pulsuum rationes non habebantur. Scripta verò Hippocratis maiore etiam quàm Galeni ambiguitate laborabant. Si hæc non obfuissent, certum erat Principi totam ex seipso tractationem medicinæ tradere. Sed modò à Galeno dissidere timens, modò à veritate ac ratione, nec huic nec illi satisfecit. Diximus verò Oribasium Aëtium, & Paulum solos esse recitatores Philosophiæ omnino principiis carentes. Verum dices forsan Galenum primo de Febrium differentiis cap. 4. ostendisse se pestilentem morbum quòd contagiosus esset, cognoscere. Sed qualem contagiosum existimauit vt scabiem, lepram, ophtalmiam? qui morbi non solo congressu, non vestis contactu, non sellæ contagio adhærent. At pestis hæret vndique, solo afflatu etiam super tabulam homines enecat. Hoccine sic est agnouisse pestem? Sed de hoc satis: scripsimus enim alibi copiose de peste. Febris tamen ipsa pestilês, non secus ac aliæ curantur rectè ac perfectè ab initio: cuius rei per decennium totum integrum Mediolani exemplum dedimus: cùm nemo ex his, aut aliis, febre tanquam principaliore morbo laborantibus perierit, adeò exacta ad libellam horum, & quæ illic scripta sunt, omnium obseruatione: quod & alias scripsisse nos meminimus, vt hortaremur eos, qui non omnino sunt perdito animo, vt tâdem se homines esse agnoscerent, exéploque nostro ducerentur: quod vel ex publica, quæ solet mortuis omnibus à medicis fide exhiberi, satis adhuc quisque perspicere potest. Sed iam ad rem ipsam redeamus, docentes prius, duas esse apud Galenum præparationes: alteram ægri, qua omnes indigent, humores: alteram humoris, qua solùm crassi. Cùm materia turgens euacuari debet, tota euacuanda est quæ turget: maiusque est periculum si infra subsistas, quàm si vlterius progrediaris: nam si euacuari debet, licet: nec adest impedimentum. Vbi verò impedimentum non est, si quid reliqueris, in eodem phlegmonis periculo versaris, & corpus iam totum frustra agitasti, nec periculum virtutis est vel febris causa, cum ab initio fermè omnia integra sint. Galeni dictum 2. Aphor. 29 ad sanguinis missionem solùm, materiamque non turgentem manifestè referri debet. Auicennæ verò sententia est de his, quibus iam concocta materia morbus processit: & ob id inualida iam animalis virtus. Sed tamen neque in hoc, vt in præcedente diximus Contradictione, vera est illa sententia: imo in paulò vberiore purgatione nullum vitę periculum, cùm materia concocta fuerit: in leui maximum, quamuis non euidens, sed serò exitus appareat. Docuimus enim, quòd materia concocta quanto diutius manserit in corpore, eo magis deterior efficitur, vicinamque corrumpit.

CONTRADICT. XVI.

An in morbis à principio medicari conueniat.

Concocta medicari, atque mouere non cruda, neque in principiis, modo non turgeant, plurima verò non turgent. 1. Aphor. 22. & in libro de Humoribus. Sed in oppositum est primò Rasis 16. Con. capit. 2. fol. 339. adducitque quatuor rationes: Prima est, Galenus timet expurgationem in febribus (nam, vt diximus in 14. Contradictione, in aliis debemus illico purgare) propter caliditatem medicamenti: sed datur medicamentum frigidum, vt mirabolani: & etiam medicina calida refrigerat educta materia calida. Secunda: Nunquam licebit purgare: non in principio, ex hoc Aphor. non in augmento nec statu, ex 29. Particulæ 2. non in declinatione, ex 20. primæ particulæ. Tertia: Licet sanguinem mittere, igitur & purgare. Respondet pro Galeno, quòd sanguis est concoctus semper. Contrà igitur & bilis, ac atra bilis, quæ in illo sunt. Respondet pro Galeno quòd flaua nimis calida, atra nimis est frigida, contrà igitur in fine morbi æqualibus humoribus conueniet venæ sectio. Quarta: Vbi rationes pugnant, standum est experimento: sed non facta purgatione ab initio in icteritia stante multa crassa materia, nam de hac est sermo, plerumque succedit hydrops, facta autem nec febris nec vrinæ fiunt deteriores: igitur æger purgandus est. Subiungit denique sic superfluus videbitur medicus vt ex secunda ratione patet. O viuam rationem, & virum moribus huius temporis dignum! occidemus homines nostræ etiam fidei commissos, & scientes, vt aliquid facere videamur. De subtilibus etiam habuimus autoritatem. 4. de Tuenda sanitate cap 4. & Aëtius lib 3. cap. 13. Est etiam autoritas Galeni 1. ad Glauconem 9. est etiam purgatio bilis per inferna vtilis: loquitur de cura tertianæ, nec potest dici quòd loquatur de materia concocta: nã subiungit: Et si tibi coctionis monstrâtur signa. Hippocrates etiam 4. Regim. acut 29 dabat libras vsque ad sexdecim lactis asinini cocti vt ventrem liberaliter soluat. & 2. eiusdem

11. elleborum in ambobus per morborum initia. prima quoque 3. tract. 1. cap. 29. vbi timemus ebullitionem ex humoribus, si expectemus concoctionem, vt à calore fusa & aucta faciat dolorem, tunc ab euacuatione incipiemus, & reliquum concoquemus. in 4. etiã de Tuen. San. c. 5. iuxta finem, & 7. iuxta initiũ: Vbi sanguinem mittere non licet, purgatione largiore illius loco vtendum. Quod perperam quidam existimarunt etiam dictum 8. Methodi. 4. & 11. eiusdem cap 10. sed ibi vbique venæ sectionem intelligit. In vulneribus etiam, & cacochimia, & alopecia, & capitis doloribus vt in 1. de Medic. secundum locos, cap 2. & in 2. lib. etiam licet purgare absque concoctione. Auicenna etiam purgabat, prima quarti tract. 4. cap. 4. per initia febris pestilentialis dicens: Et cura eius est exiccatio: & hæc fit cum phlebotomia & pharmacia. Nec potest dici, quòd materia turgeat, hoc enim est declaratum in præcedente contradictione. Est etiam difficultas, quia nisi purgemus ab initio, nihil purgandum relinquetur: nam omne quod superest ab accessionibus difflatur in illis, 2. de Differentiis febr. cap. 5. in princ. tamen in cap. 16. sed non in omnibus febrium generibus hoc accidit: nam vt ibi dicebatur: crassa & lenta materia non tota discutitur, sed quod superest in crisi expellitur. Circa quod sciendum est, quòd cùm putrescit humor tria facit natura: circumiacentes & incipientes, in membrorum traducit nutritionem: putrescentes autem subtiliores in halitus digerit, vt sic non sint impedimento: in eo verò quod & putrescit, & crassum est, operatur formam puri similem inducendo, ne possit à calore externo ex toto corrumpi. In calida igitur materia interpolatarum febrium, vel etiam sicca, vt in quartana, quamuis non relinquatur puri quicquam simile, relinquitur tamen aliquid cineri simile quod per crisim sponte, vel deside natura per medicamentum expellitur. Natura etiam soluit morbum non existente hypostasi in vrina 1. de Crisi 12. post medium: mouet etiam materiam in initio morbi, vt 1. Aphor. 2. salubri fine, & vt experimur quotidie in ventris fluxibus. Primo etiam de Crisi 8. crisim solum in initio morbi semper malam esse ait, igitur in augumento etiam salubriter potest natura decernere: ergo non decernente medicus purgabit. Hæc ratio est pro medicis nostrorum temporum, nec vlla alia. Sunt etiam tres Principis auctoritates aliæ: Prima erat, prima 4. cap de cura febris ex pituita, vbi inquit: Ego non diligo expectationem concoctionis, sed oportet vt primo euacuetur aliquid, deinde expectetur. Vnde patet, quòd ille qui addidit, NISI, vt legatur: Et ego non diligo, nisi expectationem concoctionis: non satisfecit posterioribus verbis, nec sententiæ Principis. Ex quo elicitur etiam ratio nostra in pituita, iuuat febrem accendere iuxta illud 4. Aphor. 57. Qui à conuulsione aut distentione neruorum tenentur, febre superueniente liberantur, & 6. Aphorism. 51. cessat igitur ratio Galeni quòd medicamentum excalefaciat. Secunda autoritas habetur 4. primi cap. 3. iuxta medium, cùm dixit: Et similiter cùm non fuerimus securi, quòd virtus vsque ad horam concoctionis perduret euacuabimus eam: postquam nobis cauerimus, vt subtilis incrassetur, & crassa subtilietur. Nec valet quòd dicas, antea illum dixisse, in subtili, nisi sit mobilis, expectandam esse coctionem: & quæ in vno est membro prorsus non mouendam. Nam manifestè illud dicit, vbi spes est virtutem suffecturam vsque ad statum morbi: hoc verò vbi timemus: vult tamen in omni casu præparationem præcedere. Tertia autoritas est 1. 4. tract. 2. cap. 36. de cura tertianæ nothæ. Et de solutiuis in principiis eius quæ sunt propinquiora æqualitati, est aqua Galeniabin decocti, & syrupus acetosus. Et fortassis ponemus, in ea cassiam fistulam: & validius hoc est, vt ponas in ea virtutem turpethi. Auerroës quoque & ipse adducit (7. Collectaneorum cap. 9. vbi hanc mouet dubitationem) duas rationes in materia subtili: Prima est illa, Facilus euacuatur, quàm si incrassetur. Et reprobat ex experimento: & est autoritas Galeni in de purgantium medic. facultate, post medium, ibi: Quæcunque igitur nigram bilem purgant, liquidiora prius ac tenuiora ex illa trahunt: inde crassiora: igitur subtiles humores nõ debet cõcoqui. Itẽ in illis febribus materia multa est iuxta os ventriculi, quæ nimium offendit, igitur (dicit) sanguis mittendus: multo magis medicamento subducenda erit. De crassa nos olim multa adnotauimus in margine dum 21. ageremus annum, sed non potuimus totum emendare: ideo sic iacet impressus, cum imperfectis nostris castigationibus: etiam supresso (vt alias diximus) nostro nomine. Est igitur ratio, materia pituitosa paulatim potest concoqui & tutius, & vt concocta est expurgari debet. Et dat exemplum de onere, quod melius fertur in pluribus vicibus per partes diuisum, quàm totum in vna: additque, quod dictum Gal. de expectatione, intelligitur in securis morbis. & quòd cum Galenus 1. ad Glauconem 11. paulatim concoquat, & expurget materiam in quartana: quanto magis in febre ex pituita, quæ minime vacat periculo etiam magno id erit faciendũ. Sed Auicẽna prima quarti tract. 2. c. 7. contra rationem primam Auerrois inuehitur cum dixit. Humoris autem cholerici digestio est, vt conuersus à subtilitate fiat spissus: & aqua quidem frigida facit illud. Et pro hoc adducit tres rationes: Prima est Concoctio fit per substantiæ ad mediocrem consistentiam deductionem, sed bilis ipsa iusto tenuior est, igitur incrassari debet. Assumpta propositio habetur primo de simpli. medic. cap. 24. Quod plane tenue est, id medicamenti facultatem effugit, ac etiam in parte ipsa figitur. & 4. de locis cap 9. Bifariam contingit quòd aliquis multum tussiendo pauca expuat: aliis ob crassum & lentum, aliis ob tenuem humorem: siquidem tenuis, cum subleuatus est à spiritu, diuisus refluit. Idem habetur 2. de Crisi 10. & 3. de Ratione victus, in principio. & 1. Epidem. par. prima Commen. 25. Altera ratio est dicta de vrina, quæ initio caret sedimento, in tenui materia, inde acquirit illud, igitur

conco

concoquitur. Tertia: Si materia subtilis cocta esset, natura in principio posset crisim rectè perficere: tandem præcinit præana dicens (quamuis & ad ratiim verba hæc torqueri possint, qui cum Auerroe in hoc consentit.) Forsitam quòd vir iste non vidit hoc ab antiquis, ideo sufficiet illi quòd bene opinetur de Hippocrate & Galeno. Manardus quoque rationes suas addit, quæ sunt quatuor: Prima: Si athletæ boni habitus homines purgandi sunt, 1. Aphor. 3. multo magis ægrotantes ob multitudinem. Confirmatur ratio, quia superueniens athletæ febris non debet auferre intentionem curatiuam: adducit etiam, se, 48. annis sic agendo felicem habuisse in medendo successum. Secunda: Eadem in turgente quæ sunt pericula, in multa inueniuntur: sed in turgente debemus, igitur debemus etiam in multa purgare. Confirmatur, quia facilius est reprimere turgentem quàm multam: item quia sicut turgens occurrit medicamento, sic multa vbique occurrit. Tertia: Quia Galenus 7. Artis cura. cap. 11. educit bilem in ventriculo existentem cum picra absque concoctione, igitur pari ratione & in aliis. Quarta: Quòd in 5. eiusdem cap. 12. docet expurgandam materiam in pestilenti febre, quæ tamen non turget: idem vt diximus 1. de Differentiis feb. cap. 4. Humida corpora exiccentur, plena euacuentur. Sed in 5. Artis cura. hoc non habetur expresse. Propter hoc aliqui dixerunt, multam materiam esse turgentem, ob multitudinem. Alij subtilem omnem & calidam, quia moueri facile potest, ideo mobilem dici posse. Alij, quòd prohibet eradicantem purgationem. Accedit quarta, Auicennæ & Auerrois expositio: quod loquitur in his qui concoctionis tempus expectare possunt.

Contra primam interpretationem Gal. 12. Artis curat. cap. 3. & prima quarti in cap. de cura syncopalis humerosæ non purgant, cùm tamen sit periculum maximum etiam de suffocatione ob multitudinem: igitur multo minus in aliis. Contra secundam, sequitur quòd in omni casu debemus purgare: nam intelligendo materiam turgentem omnem quæ moueri apta est, omnis materia erit turgens. Galenus etiam 1. de crisi 9. exponens hunc locum inquit: Verbum furerent de animalibus dici consueuit propriè, quæ ad coitum rapiantur: translatum autem est ad eas, quæ properant, & celeriter mouentur ægritudines, & præcipuè cum laborantis sensus ab inordinata humorum & spirituum agitatione irritatur: nam in his quispiam cum ratione tantum medicamento vtetur: cum adiuuantem sponte habeat superabundantem humorem motum, ad faciliter attrahendum. Contra tertiam (quæ fuit Gentilis & Iacobi, qui traxerunt volentes medicos in errorem nostri temporis) est litera Gal in Commento 23. primæ par. Aphor. cum dixit: Hucusque locutus est de qualitate, nunc vult loqui de quantitate, igitur sic interpretando locutus esset de quantitate: quia docuisset non esse eradicatiuè (vt dici solet) euacuandum. Item in 1. Aphor 29. docet non turgente materia missionem sanguinis, vt fortior euadat natura, non autem purgationem, nisi turgeat: igitur prohibet in non turgente minuentem purgationem. Auicenna quoque vt dixi, non facit in febribus hoc, vt dicam etiam in quibus maximè conueniret, vt in hemitriteo: nam de latica soluemus inferius dubitationem. Item sequeretur, quòd oporteret concoctam materiam totã simul euacuare: hoc autem est falsum in apostematibus 6. Aphor 27. & in quartana, vt dixi. Sequeretur etiam, quòd præceptum esset absurdum: nam cruda materia educi tota non posset, quin prius homo ad syncopim perueniret: hoc autem iam docuerat in 23. Aphor. eiusdem particulæ. Item 4. Regim. acut. 38. dicit rationem purgandi sumendam esse ex Aphorismis. Sed hæc ratio sic sumpta est imperfecta, quia non docet quomodo minuendo debeamus euacuare cumque eumdem Aphorismum in tractatu, Quos & quando, recitet, illius præcepta sequens, patebit eum tractatum esse incompletum, cùm de eradicatiua, non minuente purgatione solum loquatur. Contra quartam expositionẽ: materia si sit superior ad virtutẽ computata malitia & multitudine ab initio, igitur & multo magis facta euacuatione, quia plus deperditur de virtute & maius fit augumentum in febre & obstructionibus, quàm euacuetur de materia: aliter natura rectè operetur expurgando materiam ab initio: quod tamen est falsum, vt dictum est 1. de Crisi 8. dicit enim: Deberet esse bonum, saltem ratione causæ, si non ratione signi: sed non est, neque etiam ratione causæ. & idem 4. Aphor. 22. Præterea regula illa esset nulla, quia eius opposita seruaret morituros, & in victuris maius afferret iuuamentum, igitur regula Hippocratis falsa. Esset etiã facile sic interpretari õnes auctoritates, cùm Galenus & Hippocrates totiens repetentes Aphorismorum hunc, nunquàm huius meminerint exceptionis. Eodem modo peccant dicentes, quòd hoc est dictum solum ratione materiæ crudæ & coctæ, non autem venenosæ, aut multæ, vel præfocantis. Sed hoc est falsum, cùm excipiat materiam turgentem.

Ideo scire primò expedit: quòd in materia expurganda tria considerantur, Qualitas & hanc docuit in 2. Aphor. primæ par. Tempus, & hoc docuit in 22. eiusdem: & Quantitas, & hanc in 23.

Sciendum etiam est, quòd ex materia cruda educta sequuntur quinque incommoda. Primum est, Lucta & labor virtutis, inde sæua symptomata, deliquia animi, nausea, vertigo, tormina, 1. Aphor. 9. Secundum est, Colliquatio membrorum, 4. Regim. acutorum 22. Tertium est, quòd materia è loco mota, non amplius concoquetur. Quartum, quòd accident obstructiones. Quintum, quòd accendetur febris. Hæc patent ex locis adductis tum maxime ex 24. primæ part. Aphorismorum hæc tamen partim ad crudæ, partim ad non præparatæ materiæ eductionem consequuntur.

Est verò sciendum etiam quid intersit inter coctionem & digestionem: vel διαφόρησιν καὶ ἀνάδοσιν. Est igitur Concoctio: conuersio in substantiam, nutrire, vel expelli

commode

commode aptam, cum à putredine vindicatur. Digestio autem euacuatio, quæ per poros fit corporis: vt 5. de Simpli. medi. cap. 9. post principium, ibi: Cum autem quicquàm coquere consilium est. & 12. Artis cur. cap. 2. At qui Arabum libros verterunt, & Conciliator ac Trusianus, Gentilis Iacobi ambo, & cæteri huius classis, per digestionem coctionem, & præparationem intelligunt.

Nec nos latere decet, quòd Princeps per minutionem materiæ, quandoque intelligit lenientia, & lubricantia: nam prima 4. tract. 2. cap. 7. cùm dixit parum ante medium: Tunc oportet post illud, vt occuperis in digestione, & euacuatione, quæ non est secundum semitam minorationis, & alleuiationis: & iam diximus eam: & iam dixerat sectionem venæ, & vomitoria, & lenificationem solum, igitur per minutionem factam medicamento, intelligit eam quæ fit cum leniente: quod & confirmatur à Gal. 11. Artis curat. 9. in principio. Putredo minuẽda est cum his, quæ aluum deiiciunt, & vrinam mouent: Qualia autem sint, declarat cum mulsa & apomelli: nam 3. Regim. acutorum 12. dixerat Hippocrates, quòd mulsa multa biliosa deiicit. Quare hoc firmum sit licere purgare lenientibus ex Hippocrate & Galeno, in morborum initiis, & quòd lenientia etiam putridos trahunt humores. Sed de his Aphorismus non intelligitur. Quod verò elleborum suadeat 2. Regim. Acut. 11. tanquàm coctionem haud impedientem, Galenus in plurimis refugit: quanquàm materiam fluentem adhuc, turgentem dicere possimus. Sed hoc tamen in comparatione ad peplium tantum dixit Hippocrates. Inconuenientia tamen quæ Galenus in fine Commenti refert, ad errorem operationis, non ad operationem ipsam referri debent. Et nisi Auicennæ sententiam ad hunc traxerimus sensum manifestum ist illum cum cæteris Arabibus in hoc consensisse: quòd multa existente, materia sit minuenda: cùm timor affuerit, ne non possit ad status tempus æger peruenire. Inquit enim illico post iam adducta verba: Et non euacues materiam in calido, nec frigido, nisi propter necessitatem. Manifestum est, non de turgente illum loqui, cùm postmodum declaret. Item, quia frigida turgens esse non potest. Causa erroris Arabum fuit ratio soluta iam à nobis. Et quamquàm sic senserit inde pestilẽtiali febre nobiscum non dissentit: nam non ratione materiæ peccantis, sed præseruandi purgat: nec enim nos alterius rei causa prohibemus medicamentum, sed cum naturam peccantem velis expurgare. Vt igitur breuibus rem absoluam: Febre non assistente coctio non est necessaria, sed sola præparatio: & ideo etiam in interpolatis, quia dies vacuus est à febre, licet materiam subtilem educere, vt in tertiana: si tamen non educas, melius erit. In materia crassa coctio est expectanda. Lenitiuo educere licet: imò illud est fluxum corpus reddens: hoc educere potest materiam etiam morbi, sed in via existentem. Ideo nullum est ex commemoratis periculum, naturæ enim est opus. In pestilentia, & vulneribus, ac contusionibus, indigemus exiccantibus purgatoriis: vt catapotiis ex aloë, croco, & mirrha, cum aceto exhibitis: ratione materiæ peccantis nequaquam. Illud etiam interest inter medici, & naturæ opus, quòd illa multa agit vtiliter, quæ medicus nescire cogitur: vt si in fine augumenti materiam expellat, cùm medicus statum debeat expectare: nã natura scit se separasse, medicus hoc tunc scire nõ potest.

Auer. 7. Collectaneorum cap. 9. addit vnum detrimentũ crudam materiam expurgãtium, quòd bonam materiã malæ permiscent. Celsus lib. 3. c. 4. censet vt mollientibus vti possit per initia febris: purgantibus nequaquam, nisi raró admodũ, turgẽtem materiam insinuans. Stante igitur cruditate vomitus est ciendus, si sit in ventriculo: vel clystere educi debet, si in intestinis. Educit autem etiam ex mesenterio & hepatis cauo. 12. Methodi, & 2. de Compositione medic. secundum locos: in reliquis quiescendum, si aluus lenis sponte sit.

Sed cùm materia in non febricitante facta præparatione, nunquam indigeat coctione, in febricitate nisi turgeat, semper indigeat & præparatione simul & coctione: causa huius differentiæ declaranda est. Igitur vbi non est febris, nec putredo, ibi non est calor præter naturam: nam 4. Meteororum, passiuæ qualitates semper ab actiuis gubernantur. Si igitur à frigore, fit congelatio: si à calore, vel natiuo, & sic, animata nutriuntur, inanimata conseruantur: vel externo, & sic putrescunt: vel ab vtroque simul natiuo & externo gubernentur humidum & siccum, & fit suppuratio. In omni igitur viuente cum sit putredo, semper succedit suppuratio: sed si calor naturalis fortissimus sit, suppuratio euadit perfectissima, & putredo ac calor præternaturalis ex toto finitur, ideo ibi non est fœtor, nec color, nec substantia mala, nec dolor, sed pruritus quidam solum. Si verò calor natiuus debilis fuerit eo putredo magis vincit & suppuratio minus, quo magis innatus calor debilis extiterit. Semper attamen, etiam in moriente, agit calor naturalis actionẽ suam, quæ est suppuratio: sed tantã, quanta est eius magnitudo: vnde vbi dolor maximus, odor teterrimus, color viridis vel niger, substãtia inæqualis, & subtilis, ac fluxa, ibi minimũ est de operatione caloris naturalis, nec præternaturalis in eo saniei genere finitur, sed manet adhuc. Et idẽ est iudicium de materia febris, quod est de materia puris ad vnguem: nam & ibi duo calores, & reliqua vt prius. Sed in exteriori phlegmone non eadẽ ratio quæ in interno, aut febre: nam phlemon exterius si incidatur ante finitionem caloris præternaturalis, id est ante perfectam suppurationem, aëre ingrediente, non potest amplius finiri coctio à naturali calore: igitur calor præternaturalis manebit: igitur necessariò conuertetur in sinum, seu fistulam, quia sanies illa nunquam finiri potest. Alia autem detrimenta, quæ sequuntur ad talem sectionem vt vehementia doloris, & fluxus materiæ, in sectione immaturi phlegmonis, licet sint magna, eueniunt tamen per accidens, & non per se, nec semper. In febre igitur si materia nondum cocta sit, adhuc manet calor putridus, & ideo natura non dominatur illi materiæ, quia calor

calor

calor putridus & ipse dominatur: nec est finitus, quare educes omnino nihil de materia peccante: nam calor putridus tuetur à natura rerum vniuersali: medicamentum igitur loco eius trahet bonos humores, & vexabit naturam. Et hæc ratio dicti Hippocratis superius adducti 4. Regim. acutorum 22. In duobus tamen casibus educit: primò, vbi materia turget, & hoc quia calor præternaturalis iam diligit ipse motum, & ideo manifestum est quòd oportet solum educere materiam quæ acta est in motu, quæ non potest moueri, aut quæ iam resedit. Oportet etiam medicamentum esse validissimum, quia totum periculum est, ne non trahat, vel non totam. Et si dicas, quòd 2. Regim. acut. 11. in fine commenti, Galenus refugit nimis validum: Dico, quòd iure ibi, quia relinquitur phlegmon iam factum, post euacuationem: quod coctione indiget, & multa virtute etiam ad expurgandum: & ideo talis expurgatio est valde periculosa, ex vtroque latere, seu nimis valida sit, seu debilis; & Galen. ob id iure merito quasi dissuadet eam. Secundus casus est, vbi materia sit in intestinis, trahitur enim per consequentiam secum, & aliorum humorũ, qui sunt in dominio caloris naturalis: & ideo melius operatur lenitiuum in hoc casu, quàm purgans medicamentum: quia illa materia non descendit, quia obediat medicaméto, sed quia ruit, ratione grauitatis fecũ, & bonorũ humorũ. Et ideo per validissimum medicamentum possibile est vt cum maxima quantitate optimorum succorum exigua portio etiam putrescentis materiæ descendat. Et quòd hoc sit verum, patet: si enim in phlegmone non supputato materia mala non obedit gladio, & manibus, cùm inciditur: quanto minus materia mala, possessa à calore externo in febribus, obediet medicamento? Ex hoc patet igitur vera ratio, & quasi necessaria curationis fistularum, qua omnes sinus curari poterunt, per tres intentiones, vt nullus sit insanabilis. Patet etiam quòd febre non existente omnis humor medicamento obedit, facta præparatione: quia est in potestate solius caloris innati.

His visis, declarabo primò quædam ad hoc pertinentia, postmodum soluam argumenta contra Hippocratis sententiam adducta. Est igitur primò sciendum, quòd pituita à crudo humore differt: quia humor crudus est crassior, & minus lentus, frigidus, humidus: at fluxilis pituita, vt 4. & 6. de Tuenda sanitate, & 1. de Alimentis, & libro de Plenitudine, & 10. de Medicamen. secundum locos, colligitur. Si igitur ventriculus contineat humores crudos, aut bilem, aut putrescentem humorem, vomitus proritandus, 4. de Tuenda sanitate, & 2. de Medic. secundum locos, in De cura doloris capitis ex ebrietate, Apollinarij autoritate: & Aëtius lib. 4. cap. 51. & Paulus lib. 1. cap. 32. non enim tutum est concoctionem expectare: nam vel corrumpentur magis, ac superingestos cibos vitiabunt: vel etiam si ex voto succedat res, concocti nimium venas replebunt. Dolores etiam capitis poterunt excitare, libro de Remediis paratu facilibus. Eadem ratio in nidorosa vel acida eructatione, vt 8. Artis curatiuæ, si tamen vitium naturale non sit. Porrò in his omnibus vt vomitus communis est, sic prouocandi ratio, omninò singulis diuersa est. Cum medicamento verò ne tentaueris: & similiter si humores sint vltra hepar crudi, quamuis febris non adsit, medicamento non sunt educendi: obstruent enim vt 4. de Tuenda sanitate.

De turgentibus humoribus considerandum est: non enim semper euacuationi parcendum, cùm crudi humores affuerint: nam vix in principio febrium deesse possunt crudi humores. Educendus igitur est turgens humor, præparatis humoribus crudis prius, si in via affuerint 1. Aphor. 24. si tamen vel ingens periculum vexet, vel in viis ipsis crudus humor non affuerit, quod ex victu præcedente, tum hypocondriorum habitu licet coniectari, eadem die purgandus: vt 4. Aphoris. 10. Maius enim est in mora, quàm in frustratione periculum.

Ad argumenta Auicennæ, cùm nos tueamur opinione eius (siquidem quod subtilem materiam cum putrescit, non debemus, quia non possumus, euacuare ante coctionem: in non putrescente autem sufficit sola præparatio, vt in aqua asclitis & erysipelate) respondere non debemus nisi ad tertiam auctoritatem, in qua illud est diligenter animaduertendum, quòd cum in continuis concoctio semper expectanda sit febribus: in febre carentibus morbis nulla sit concoctio expectanda, vtpotè quæ prorsus nulla sit, intermittentes medium locum possident: quod in diebus quibus æger non laborat febre cóque magis si longa sit intermissio materias non febri proprias purgamus. Admonemus itaque, errorem eius esse grauem, quòd existimet frigidam aquam, non concocta materia, vt concoquat exhibendam esse: hoc enim falsum est, vt 1. de Regim. victus acutorum iuxta finem, & à Paulo lib. 2. cap. 29.

Causa verò cur natura in initiis accessionũ humores tenues prius pellat, 3. Prorithicorũ 58. cùm non dominetur materiæ putridæ: Respondeo, quòd motus ille fit per villos, & hoc modo materia mala obedit per accidens si non sit lenta, vt etiã in lenitiuo dixi. Ex hoc non sequitur, quòd idem possit fieri medicamento, cùm attractio eius sit à proprietate.

Ad argumenta Rasis patuit vera causa, cur non purgandum, & præcipua, quia non possumus: & sic patet ad primum. Ad secundum: Licet vbi febris non est, vbi turget materia, vbi iam concocta est, si natura non plene totam eduxerit. 2. Aphor. 12. Ad tertium, Agit prauum se Galeni custodem, quandoquidem liceat ab initio dicere, quòd sanguinis missio partem materiæ peccantis educere potest: quia sectio venæ euacuat non à proprietate, sed grauitatis ratione. Ad quartum: Ipse cum Manardo nil aliud faciunt, quàm quòd multos se occidisse homines fatentur: non animaduertentes, se deceptos ex successu eorum qui febre non laborabant. Exemplum eius de icteritia non est ad propositum, cùm ibi non adsit febris: ideo purgandum, cum nulla possit coctio succedere alia ideo prætermissa purgatione ab initio par est hydropem aduenire.

Ad

Ad rationem nostram, si modo febris etiã prosit, solis calefacientibus erit excitanda: non tanto incommodo quale per medicamentum accersitur procuranda: etsi Aphorismi etiam illi non de medici operatione loquantur, sed naturæ: quare nec in pituitosa febre purgatio conuenit.

Auerrois disputatio, & Auicennæ, an paulatim concoquendum, & paulatim euacuandum, in libro de purgationibus, longam quia seriem expostulabat, tractata est.

Ad rationes Manardi, ac alias, plenè satisfactum est: præterquàm ad secundam, ad quam dicimus, athletam illum aliquando debere purgari etiam febrientem: non vt educatur materia febris, quæ educi non potest: sed vt educatur materia non vitiosa, sola peccans multitudine.

Ex hoc tandem manifestum est, minuentem purgationem, in nullo casu, & nunquàm competere. Nam ab initio non turgente materia nulla competit, in fine eradicatiua; turgente verò in fine nulla eius merito, postquam in principio eradicatiua opus fuit. Et hoc in febribus.



CONTRA



CONTRADICENTIVM MEDICORVM LIBER SECVNDVS,

Illustrissimo, ac Excellentissimo

COSMO MEDICES, FLORENTIÆ DVCI.



ETSI in hac fortunæ meæ, atque eruditionis mediocritate, nihil tam insigne est, vt licere mihi putem opus hoc impolitum, atque humile, clarissimo principi dedicare: tanta me tamen de singulari humanitate tua spes erexit, tam egregia erga omnes eruditos benignitas impulit, tanta denique dignitatis, gloriæ, splendoris, laudumque tuarũ per omnium ora volitantium perculit admiratio, vt quamuis temerarium esse non ignorem, exiguum munus tam latè imperanti offerre: longè tamen magis nefarium esse crediderim, inter mortales alium quenquam tibi iudicio meo præponi, cui opus hoc, quantulumcunque sit, dono daretur. Etenim vt à maioribus tuis sumam exordium, Quinam in patriam meritis, in Dei cultum pietate, in eruditos liberalitate fuere præstantiores? aut in Reipub. regnorumque administratione prudentiores? Tanta verò illis opum affluentia, tanta rerum gestarum gloria, tam constans in illos ciuium amor, tam ampla in rem literariam beneficia, adeò denique perpetuus ac diuturnus felicitatis successus, vt diuinitus sumpsisse initium, conseruatam, auctam, ac ad summum euectam fastigium, familiam tuam satis constet. Cùm enim Cosmus ille, primus nominis tui author, splendidissimè vixisset, magnificentissimè ædificasset, templa instaurasset, ædes sacras ornasset, annuosque etiam sacerdotibus reditus constituisset, cœnobium Hierosolymis erexisset, iuuissetque ciues suos propriis opibus, adeò vt etiam claræ nunc familiæ Benciorum, Portinariorum, Tornabonorum, ac Sassetorum beneficium sentiant: incredibile dictu: tantum tamen auri reliquit moriens, vt vel rege magno thesauri digni viderentur. Et quamuis diuitiis nemo illum æquaret, illarum tamen magnitudinem prudentiæ magnitudine vicit: miraculumque maiore miraculo superauit. Erat enim in aduersis fortis, in secundis humanissimus, quotquot ante nos fuere mortales sapientiâ superauit. Ille patriam suam, quæ vix sex annis, armis, vi, studióque maximo in pace retineri consueuerat, triginta atque amplius annos, quibus ab administrationis initio superuixit, perpetua in tranquillitate moderatione sua ac innocentia continuit. Auxit & illius potentiam ac agrum finibus prolatis. Francisco Sfortiæ dux, authorque fuit, debitam sibi Longobardorum prouinciam vxoris hæreditario iure recuperandi. Vincebant Veneti, quoties ab illius partibus staban: succubuerunt aduersus illius sententiam bellum gerentes. Hic primus iuuentutem Florentinam Græcis literis philosophiáque excoluit. Marsilio Ficino Florentino, Argyropylóque Byzantio, viris eruditis pecunia conductis. Ergo quid habet Florentia boni, quod Medicum familiæ non debeatur, si opes, potentia, literæ, pax, atque concordia, quibus maximè crescunt ciuitates, ab ea prouenére? Mitto nunc antiquiorum dignitatem, gestáque Nerij, ac Alemani, virorum illustrium, maiorumque tuorum: tum Syluestri ac Ioannis Cosmi progenitorum, quorum virtute fusi, fugatíque, Ioannes Olegius, & Sacco Aretinus, qui Scarperiam obsidebant, liberatáque simul periculo Florentia est. Vnius illius Cosmi merita in patriam ac omnes bonos satisfacere gloriæ, quã ex progenitoribus quærere solemus, mihi posse persuaderem, ni

successorum potentia, claritas, ac pietas, me magis incitarent. Et quem iam cogitatione ipsa superare nō sperassem filij eius, ac nepotes factis, ac virtute vicissent. namque Petrus Cosmi filius, etsi ob vitæ breuitatem, morbique assidui importunitatem, gestis patrem æquare non potuit: dignitatem tamen retinuit, virtutem superauit. Eius enim pietate, mansuetudine, iustitiáque factum existimo, vt Deus filiorum eius, ac nepotum peculiarem quandam curam gesserit. Neque enim absque Dei immortalis singulari prouidentia fieri potuit, vt tam breui tot, tam magna, tamque præclara fortunæ munera, idque præter omnium spem, familiæ tuæ contigerint. Namque Laurentius filius patri superstes, omne fortitudinis, sapientiæ, humanitatis, integritatisque exemplum præbuit. Etenim cùm Ferrandus Arragonum Rex eius patriam bello vexaret, ad regem velut patriæ deuotus perrexit. Cum tamen non ignoraret Laurentius, illum sibi iratum esse, vindictæque assuetum, ac existimare è re sua esse, quòd inimica ciuitas, tam forti, tamque prudenti viro careret: & tamen illum adeò ingenio suo flexit, comitate mansuefecit, rationibus vicit, vt nō tantum imminens periculum effugerit, sed maiore adhuc prudentia Regis amicitiam sit consecutus, quàm fortitudine patriam liberasset. Inde reuersus, otijque securus, studia ad Italiæ concordiam, augendamque vrbis suæ potentiam, subditorumque tranquillitatem, ac bonarum literarum incrementa conuertit. Dubium sanè est, in his omnibus felicior ne fuerit, an prudentior. Nam primùm è regionibus Æmyliæ ac Lunensi ciuitates imperio suo addidit. Italiam in pace retinuit, Populum annona recreauit, Nobiles honoribus ornauit, infinitam librorum copiam, imò quicquid fermè nunc ex antiquitate bonarum literarum habemus, ex vetustatis tenebris ipse sumptu suo eripuit. Landinum, Demetrium, Politianum, sic auxit præmio, vt non solùm apud illum manerent, iuuentutem instruerent Florentinam, ipsi suo marte multa atque præclara ederent: sed quod his omnibus maius est, inexhaustis laboribus rem Latinam ac Græcam illius liberalitate otium nacti, pristino candori restituerint. Picum Mirandulam virum illustrem eo amore dilexit, sic fouit, vt ille beneficiorum magnitudine diuinctus apud eum perpetuo maneret. Quibus tum in eruditos, tum in rem literariam liberalitatis exemplis factum est, vt Florentina vrbs doctorum virorum patria, Medicum familia iuremerito Musarum parens dici potueri. Extat & nunc singularis illius tum potentiæ, tum prudentiæ argumentum, quòd extincto Laurentio, Italia quæ diuturna concordia coaluerat, continuis cladibus dissipata est. Pulsi Reges, integræ illius prouinciæ deuastatæ, mutatáque cum moribus imperia fuerunt. Itaque nec admiratione dignum puto, quòd præter omnium Christianorum Regum legatos, qui assiduè ad illum ventitabant, Asiæ Princeps Turca, & Ægipti Rex, cum legatis dona mitterent. Ille noua condidit, vetustate callapsa instaurauit: Pisis Gymnasium, quod nunc te duce floret, erexit. Sed neque in propriis negotiis minus prudens: nescieris certè præsentiane diligentius curauerit, an futura diuinitus prospexerit. Ioannem namque filium natu secundum, annum agentem quartumdecimum ad Cardinalatus fastigium, nouo quidem, sed haud inutili exemplo, euexit. Nam præterquamquòd ex tam opportuno felicitatis successu ansam filius acceperit, qua pontificium culmen iuuenis assequeretur: tanta etiam in illo pietatis, sapientiæ, moderationis, integritatisque exempla apparuerunt, vt omnes qui ante eum fuerant pontifices summos quamuis ætate inferior, superauerit. Cum enim Turcarum princeps Rhodum maximis quàm posset conatibus oppugnaret, Leo decimus, (hoc enim Ioanni nomen inditum à coronatione) Guidoni ac Fabritio Rhodiensis militiæ ducibus liberaliter opem tulit. Nec solùm epistolæ id testantur, sed ipse rei euentus: cùm mortuo Leone insulam quam toties non sine ingentibus cladibus exercitus sui illo viuente tentauerat, protinus occupauerit. Ergo quandiu Leo vixit, Selymus qui tunc Asiæ imperabat, arma in Persas potius Mahometi cultores, quàm in Christianos, contra quos toties infeliciter Leonis auspiciis bellum gesserat, mouere satius duxit. Vidit tamen & hoc prudentissimus pastor, patruusque tuus, monuitque Christianos Pr ncipes, si Persa Rex succumbat, nihil esse amplius in quod Turca sæuiat, præter nos ipsos, luporumque bellum ad ouium pacem pertinere. Vladislao ergo Pannoniæ Regi in Selymum expeditionem paranti vicies sestertiûm, præter commeatus & reliqua auxilia obtulit. Sed vicit Selymus Persas, seu propria felicitate, seu virtute, seu nostra desidia fretus. Inde mortuo Leone occupat, vt dixi, Rhodum: ac præter ipsum Lissum, Pannoniam, Regemque eius interficit, tum etiam Iaziges Metanastas. Et Germaniæ etiam ipsæ, & Britannia ab

Aposto

Apostolorum sede desciuerunt. Quid mirum? eo extincto, in quo liberalitas, pietas, animi magnitudo, prudentiáque certamen inuicem inierat. Successit huic paucos post annos in pontificatu Clemens, eius nominis septimus, filius fratris Laurentij, patruelisque Leonis, vir sapiens, fortis, moderatus, impiger, qui cum duobus simul maximis Christianorum principibus Carolo Cæsare, Franciscoque Gallorum Rege affinitatem contraxit. Huius enim filio, cui nunc regnum debetur, alterius patruelis filiam matrimonio iunxit: filium alterius patruelis Cæsaris filiæ coniungit. Sed heu fata, maiora meditantem mors acerba eripuit. Alexander igitur, sic enim vocabatur gener Cæsaris, soceri atque Clementis, qui tunc adhuc viuebat, populíque authoritate Dux Florentiæ electus, cùm breui mortem oppetijsset, singularis iustitiæ ac mansuetudinis suæ desiderium, desertamque reliquit rempulicam. His tot, tantisque principibus intra centum ac viginti annorum spatium florentibus, atque (vt mos est rerum humanarum) morte etiam absumptis, qui familiam tuam & vitâ illustrauerant, & post obitum memoriâ celebrant: tu vnus omnibus ipsis longe maior succedis. poterat sanè tantus maiorum tuorum splendor, egregij cuiusque principis gloriam obscurare: sed quos æquare difficillimum videbatur, tu (quod dictu est incredibile) superasti. Nempe si primùm ad originem te referas, honestè illorum quisque & sine clade regnum accepit: sed tamen quæsitum, atque quod sine illis seruari posse homines non diffiderent. Tu non quæsitum, sed oblatum, omnium consensu in imminenti per seditiones patriæ periculo, velut onus subiisti. Inde sine vi, pecunia, arce, milite, sine dolo, confirmata tanta potentia, non nisi diuini numinis manifestam præsentiam ostendit. Neque vlli principi ex tua familia, pater aut nobilior aut fortior, aut victoriis clarior extitit. Nec fide quisquam, qua Massinissam olim Regem vicisti, erga Cæsarem illustrior alius fuit. Per te etenim victus miles collectitius, qui Insubriam turbauerat: Per te ab imminenti exitio seruata Sena: in quo quod prius laudem, non sat agnosco: fidémne, an celeritatem, an liberalitatem, consiliúmve; aut etiam euentum. Nihil Cæsar agit, in quo non solùm fidei, sed etiam studij, ac liberalitatis tuæ, vestigium non appareat. Fide tua nunc in Italia quieti post tantas clades viuimus. Hæc cùm diuiniora sint, quàm quisquam credat: illud tamen maiore adhuc admiratione dignum videtur: quòd in tam præclara erga Cæsarem fide, in tam frequentibus officiis in illum, neminem offenderis. Contingit tibi hoc haud dubiè innocentia, continentiáque tua: quibus cùm nihil alienum concupiscere iam ostenderis, obsequium & liberalitas in Cæsarem ad gratiam merito ac fidem non ad vllius odium, aut iniuriam, aut cupiditatem referuntur. Si felicitatem tuam maiorum tuorum felicitati quis conferre velit, non obscurum discrimen est. Soboles tibi clara est, coniux singularis exempli, iuuenilis ætas, valetudo integra, virtutis studium, Cæsaris amicitia, te vnum Principes obseruant, populi venerantur, eruditi atque prudentes laudant. Quid igitur, quæso, melius est, quod possit excogitari? Nec sileam id, quod quanquam cum maioribus tuis commune fuerit, non paruam tamen felicitatis tuæ partem esse arbitror: regnare te scilicet in florentissima, amœnissima, tutissimáque totius Italiæ regione: Imperaréque populis industria, ingenio, moribus, ac sermonis elegantia conspicuis. Iam verò si prudentiam, gestáque tua, tum ornamenta, quibus non tantùm patriam tuam, sed etiam omnes reliquas ciuitates, quæ à te reguntur, decorasti, referre velim: prius quàm negotium absoluero, oratio ipsa deficiet. Armasti populos conuena milite contra fortuitos casus, fines muniuisti aduersus prædones: vnde etiam factum est, vt vrbes tuæ piratarum damna effugerint. Non sic Sena miseráque Lipara. Quicquid etiam antiqui instituti temporum incuria exoleuerat, modò ad publicam spectaret vtilitatem, in lucem reuocasti: leges multas nouas, exemplis, aut ratione probatas, excogitasti: quibus aut vitia compescerentur, aut virtutes præmiis augerentur. Nihil denique quod ad bonorum tranquillitatem, ad singulorum vtilitatem, ad vrbis, totiusque prouinciæ tuæ ornamentum spectaret, prætermisisti. Commemorarem singula, ni tam vituperare me velle priores mores, leges, instituta vrbis dicere quisquam posset, quàm laudare præsentes. Quid verò est quod in priuata vita non sit admiratione dignum? seu fidem in promissis, seu iustitiam in iudicando, aut mansuetudinem in ignoscendo, aut diligentiam in tractando, aut comitatem in congrediendo inspicere velim? Vt cùm te vnum contemplor, duas mihi, vt apud Xenophontem Cyrus ille maximus, personas sustinere videaris. Principis siquidem dignitatem & maiestatem, priuati autem

humanitatem, prudentiam, ac continentiam. Tu tamen Cyro etiam illo longe melior es: vt qui nec sanguinis, nec belli, nec ampliandi regni adeò cupidus sis. Cyrum qualis esse debuit Xenophon depinxit: te talem oculis præsentem intuemur. Cùm his tot, tantisque virtutibus ornatus sis, inuicte, ac religiosissime princeps, quemnam alium honestiorem patronum his meis lucubrationibus, quàm teipsum quæram? vt per quem pax salusque hominibus, literarum studia, libri atque otia parta sunt: eidem fructus studiorum pacisque, & otij, tum salutis arma & artes, vt apollini barbitos, dedicentur. Non ego, quod multi solent, quæ scripsi iniustè vituperabo, vel quasi bonis alienis mœrens arrogantius extollam: ipsa res quantulacunque fuerit suas partes tuebitur. Aliorum libris authoris gratia gloriam addi: mihi sufficiat, ne authoris inuidia libro noceat meo. Quòd si oratio nostra paulo difficilior aliquibus, aut minus culta visa fuerit: meminerint eorum, qui res ipsas diligenter tractauerunt, neminem fuisse facundissimum. Non Aristotelem, non Galenum, non Aphrodisiensem Alexandrum: neque est vt stylo recentiorum quenquam longe mihi anteponam: cùm etiam illis curæ fuisse tantum illud videatur, quod & nos obseruauimus, ne omnino scilicet oratio nostra barbara esset. Sed qualiscunque liber hic sit, rustici illius exemplum secutus sum, qui obuiam Artaxerxi in desertis iter facienti factus, manus aqua plenas ei obtulit, dicens; Quod habeo tibi do rex. Exceptus est rusticus hilarè, & præmia voluntatis, non muneris accepit. Cùm enim multa ad hanc vsque diem vel inuita fortuna ediderim, longèque plura scripserim: nihil tamen adeò diligenter elaboraui, nihil humano generi salubrius esse credidi, nullum aliud argumentum occurrit insignius, nusquam capita rerum maiore selegi studio, quàm in hoc totius operis Contradicentiam medicorum secundo libro. Itaque benignitate, atque humanitate tua erga omnes incitatus, non sine pudore ne mansuetudine tua abuti viderer, opus hoc tibi dono, dedicóque: vt inter reliqua gloriæ tuæ ornamenta, reliquosque labores nostros, qui iam aut editi sunt, aut edentur, quod felix faustumque tibi sit, monumentum etiam hoc posteris æternum maneat. Et simul laudum tuarum, ac studij omnium erga te eruditorum, tum industriæ nostræ ac vtilitatis, quam te duce humano generi præstitimus, testimonium ferat. Vale. Data 10. Calend. *Aprilis* 1547. *Papiæ.*



TRACTA

TRACTATVS PRIMVS.

CONTRADICTIO I.

Forma mixti an sit ex elementis, an elementi prædominantis, an alia addita?

DIXIMVS in præcedentibus proximè contradictionibus, materiam quandoque absque putredine peccare: & tunc subtilem protinus educendã, sola ægrotantis, si necessaria sit, præparatione præmissa. Si autem crassa, oportere materiam etiam, non solùm ægrotantem præparatam esse, antequam educatur. At si putrescat, quæ non turget, omnino esse concoquendam, ac etiam præparandam, inde purgandam: quæ verò turget, si impedimentum sit magnum, concoquendam, præparandamque: si autem impedimentum non magnum sit, tollendum, inde educendam materiam. At si nihil omnino impediat, aut quod impedit leue sit, periculum verò ingens, protinus educendam medicamento: putrescentique materiæ, seu crassæ, seu subtili, coctionem deberi suppuratoriam: non putrescenti non deberi. In synceris humoribus, nunquam fieri, si licciores sint, quàm vt nutriant, vt in omni bilis genere: causam esse, quòd finis ratio cesset: est autem coctionis finis nutritio. Syncerus autem humor talis, nutrire non potest, cùm iam excrementitius euaserit, ac ideo naturæ, inutilis. Quamobrem si talis humor putrescat, plerumque pernitiosus est: nam quia putrescens, concoqui desiderat, vt expellatur: qnia syncerus, concoqui non potest, ac necessario in dies deterior euadit. Qui igitur omnino syncerus est, & simul putrescens, mortem affert. Ob id syncera omnia, biliosa, sputa, deiectiones, vomitus, reformidat Hippocrates. Inde etiam deducta ratio, cur inchoantibus morbis, si atra bilis vel supra, vel infra exierit, lætale sit, nam quæ sponte educitur syncera est: cùm verò morbus sequatur, etiam aliquid ex ea mansisse necesse fuit, ac putruisse. Quoniam igitur mobilis, ac syncera, acutum necessario facit morbum: quoniam putrida, concoctioni indiget. Quia syncera concoqui non potest. Et si etiam omnino syncera non esset, ob prauitatem non concoquitur: quare nunquam poterit expelli, vel saltem non breui, quò fit, vt necesse sit semper aucto à principio morbo hominem interire. Sed si expulsioni morbus non succederet, finitam eo indicio materiam, nec putrescentem indicaret: ob idque salutare. Id igitur in omni bili syncera verum est: sed non facile est bilem synceram deprehendi, nisi nigra sit. At verò quæ non putrescit, si nigra est, adhuc morbo succedente, ostendat aliquid mansisse necesse est. At cùm mobilis sit, nec expellatur, in membrum aliquod decubuisse decernit. Quare deterior euadens indies, quia syncera, nec expelli potens, à principio enim pulsa fuisset, si natura vim habuisset maiorem, hominem diuturno languore occidit. Hæc igitur est de materię natura peccantis contemplatio. Porrò quid sit huius materiæ forma, cæterorumque inanimatorum, nunc dicendum est. Existimat Gal. primo de Vsu partium, membrorum formam etiam in animatis esse temperamentum: inquit enim; Nam carni esse carnem, & Neruo neruum, & aliorum vnicuique, id esse quod est, ob quatuor qualitatum prædictarum certam quandam temperaturam mistionemque contingit. Hæc igitur eis secundum substantiæ rationem insunt. Consequenter autem necessario odores, sapores, colores, durities, mollities. Alia verò necessariò accidunt, positio, magnitudo, connexio, conformatióque. Hic tria genera ostendit Galenus eorum, quæ nobis insunt temperaturam, quæ à mixtione procedit primarum qualitatum, necessariò consequentia illam, & quæ illi necessariò adueniunt. Ex hoc non habetur, quod quidam existimant, scilicet formam esse illorum elementorum substantiam, aut mixtionem, sed ob mixtionem: vnde inquit, διὰ τὴν ἐκ τῶν κεκρημένων τεττάρων ποιὰν κρᾶσιν ἐγένετο. Vnde ex hoc non videtur tam liquido sequi, formam quæ est substantia esse qualitatem, aut magis ac minus suscipere: nam quamuis augeantur ac minuantur elementa, non tamen forma, quæ ex illorum temperamento consurgit: sed varietatem suscipit vt ad qualitates comparatur: neruus enim carne frigidior est, & siccior, non tamen magis substantia. In libello autem, cui titulus est; An mores animi corporis temperaturam sequantur, omnium similarium substantiam primis qualitatibus cõstare affirmat. Dubitat autẽ de instrumentis atque anima: sed & hæc vult ex illis esse. In libello quoque. De substantia facultatum naturalium inquit, verisimilius esse temperaturam constare mixtione primarum qualitatum, quàm elementorum ipsorum substantia: nec vltra eam, nisi animam, si immortalis modò sit, formam vllam aliam ponere vnquam visus est. Auerroës autem posuit in vnoquoque mixto tres formas elementorum componentium, & formam compositionis, & formam compositi: sed forma vniuersi est imperfecta, quia non dicit nisi congregationem simplicium. At in fine libri de causis longitudinis & breuitatis vitæ, volens docere causam, cur plantæ facilius propagentur, inquit: Formæ mixtorum vt remotiores sunt à formis simplicium componentium, sic ab illis magis patiuntur: quia sunt magis ei contrariæ, quare forma inanimati etiam videtur esse

Cap. 9.

Cap. 3.

2. Phy. 31.

esse alia à forma temperamenti elementorum. Sed hoc clarissimè docet in Paraphrasi Metaphysicæ, vbi conatur ostendere, formam mixti aliam esse à forma elementorum componentium, hac ratione: Nam si compositum mixtum differt ab elementis, vel per aliquid ex elemento: aut non differt: si vltimum, igitur elementa erunt vltimum, igitur elementa erunt actu omnia mixta: & sic redibit opinio Anaxagoræ, qui ponebat omnia in omnibus esse, nec accedere compositis, nisi mixtionem. At si differt mixtum compositum ab elementis, per elementum: igitur addito illo elemento prioribus, quæro. Per quod iam differt compositum mixtum ab illis? si per elementum aliud adhuc addam illud prioribus, & sic erunt infinita elementa in mixto: aut deueniemus ad aliquod compositum quod ab elementis componentibus non differt vllo modo: & sic rursus redit opinio Anaxagoræ. Quòd si compositum vel eius forma ab elementis differt per aliquid ex elementis & hic est modus secundus diuisionis: igitur an illud sit idem cum elementis quæro, aut non? Si sic, igitur compositum differt ab elementis per elementa ipsa, & reddit primum membrum iam improbatum diuisionis. Aut id quod est ex elementis differt ab elementis ipsis: & tunc vel per elementum, & sic rursus redit primum membrum diuisionis. Vel differt per aliud ab elemento, & ab his quæ sunt ex elementis: quare melius ab initio erat dicere, quòd compositum differt ab elementis per formam quæ non est elementum, nec ex elementis. Et hoc est quod volumus ostendere. Verumtamen ipse videtur, 5. Collectaneorum cap. 22. habuisse aliam opinionem: nam cùm declarasset superius, quòd primæ virtutes prodeunt à qualitatibus manifestis exuperantibus, vt quòd piper calefacit: & quòd secundæ ex primis, & tertiæ ex secundis profluunt: operationem, quæ est à proprietate, quoniam non in calidum aut frigidum simpliciter reducere poterat, reducit in formam mixtionis elementorum certam: igitur si poneretur alia forma mixti, illa nullam haberet operationem, imò esset superflua. Quòd si dicas, quòd illa mixtio est in potentia: sequitur vt non ipsa habeat operationem, sed forma mixti superaddita: nam non existens actu non operatur. Ipse autem, vt dixi, tribuit hanc virtutem mixtioni elementorum sub certo pondere ac mensura. Et eodem modo in secundo libro cap. 1. col. 1. inquit. Et determinatum est in libris de Generatione & corruptione, & Metheororum, quòd formæ compositorum non sunt aliud, quàm formæ temperantiæ, quæ est complexio ipsorum elementorum: nec formæ ipsæ inuicem differunt, nisi ratione calidi, frigidi, sicci, & humidi. Et rursus paulo inferius: Tunc erit intellectum, quòd res, qua diximus superius, quòd membrum agit actionem suam, aut patitur, si fuerit ex consimilibus, non est alia res, quàm forma complexionis proueniens ex mixtione quatuor elementorum. Vnde ibi perperam legitur Quam, pro Qua. Sed in Commento magno quarti Metheororum, declarat quòd forma mixti est duplex, Instrumenti, & est anima: & Similaris, & est complexio, seu temperatura, vel calor naturalis, dicit: nam frigus ipsum etiam est forma aliquo modo mixti. Et iam ante dixerat in eodem commẽto: Et forma quæ est in materia secundum quòd ipsa est forma complexionalis proueniens à virtutibus actiuis, quod est de necessitate vel calor, vel frigus, vel ambo; sed declarabitur ferè quòd est caliditas: non esse generationis à calore, nam commixtio non potest esse nisi per calorem: generatio autem non est nisi per commixtionem. Secundum Auerroëm igitur formæ inanimatorum sunt ex elemento prædominante: & hoc ostendit etiam demõstratio quam adducit quarto Metheororum, & decimo Primæ philosophiæ inquit enim. Quod permiscetur, à forma aliqua tanquam agente permiscetur, & hæc est vincens: sed forma permiscens est calidum aut frigidum elementi: igitur forma mixti est calor vel frigus vincens. Et ex hoc concludit contra Galenum, quòd non datur mixtum æquale ex elementis: & quod elementa non queunt habere ambas qualitates in summo. Si igitur ratio illa tenere debet, oportet quòd forma mixti sit elementum prædominans: aliter dicet contradictor, quòd mixtio illa fit à forma, non qualitate vincente. Sed hic sunt plurimæ difficultates: prima est, quòd illud quod componitur ex aliquibus per mixtionem, est aliud ab illis in actu, primo de Generatione & corruptione: & ideo dicebat commentator primo de Anima: Essentia compositi, in omnibus compositis non est elementum, nec ex elementis. Formæ enim rerum necesse est vt sint illis superadditæ. Et primo etiam Primæ philosophiæ inquit, Res compositæ ex elementis differunt ab illis non solùm, sed & à se inuicem. Et in septimo eiusdem hoc idem dicit philosophus, & adducitur ferme eadem ratio quæ in paraphrasi deducta est ab Auerroë. Sed hanc difficultatem diluit apertè philosophus quarto Metheororum, & secundo de Generatione & corruptione Auerroës, cap. 12. co. 48. docens, quòd quemadmodum ex similaribus instrumenta, sic ex elementis similaria constant: & quòd elementa ipsa refranguntur substantiis & qualitatibus ad quoddam medium: fiuntque elementa tantum in potentia in mixto vt 7. Methaphysicæ declarauit. Nam certum est, vnam tantum esse formam in mixto, vt rectè declarat Auerroës in De substantia orbis cap. 1. Nam, inquit, quod est in actu, non potest recipere aliam formam in actu: igitur in mixto sola vltima forma est in actu. Et hoc etiam ostenditur à simili, nam philosophus 2. de anima tex. co. 31. cùm videret hominem habere functionem plurium animarum, nutritur enim, & sentit, ac intelligit, dixit alteram in altera contineri. Igitur si in homine, qui est maxime remotus à natura elementorum, multitudinem formarum refugit philosophus, quanto magis in aliis mixtis: nec possumus dicere, quòd in coordinatis non impediat: nã nullæ formæ sunt sensus iudicio magis coordinatæ animarũ generibus, nũquam enim

Tract. 2 fol. 11. | col. vlt. | fol. 1. in fin. | co. 10. co. 35. | tex. co. 84. | co. 17. | co. 12. | tex. 60.

enim sensitiuum potest esse sine viuente, aut sine sensitiuo intelligens: & tamen non possunt esse istæ formæ in actu in cōposito: quare manifestum est, quòd multo minus in vllo alio. Præter hæc philosophus secundo de Generatione animalium, c. 3. volens ponere animas non ex elementis, coactus est fugere ad proportionale elemento stellarum: hæc autem forma non mouet ad vnam positionem tantum, sed ad omnes: igitur si forma mixti inanimati est alia ab elemento, vel erit cœlestis, & mouebit ad omnem positionem: vel dabitur aliud quintum elementum, & etiam cum hoc erit ex elemētis. Quando igitur philosophus vult esse aliud compositum ab elementis, tria sunt consideranda: Primum quòd in libris de Anima loquitur de anima quæ non est forma elementi, ideo male exponit ibi Auerroës sermonem proprium generaliter. Secundum quòd proportio illa est alia ab ipsis elementis, & hoc dixit expresse in eodem loco. Alia enim ratione os, alia caro conficitur ex elementis. Tertium, quòd elementa actu desinūt esse in mixto, forma autem mixti actu inest illi: manent enim secundum qualitates tantum, vt inquit philosophus primo de Generatione & corruptione: & hoc idem dixerat secundo de partibus animalium cap. 1. in initio. Sed ne quis obiiciat ex eodem loco, triplicem esse compositionem in animalibus, ex elementis similarium: ex similaribus instrumentalium: ex instrumentis totius. Sed dices secundò, si elementa non sunt in actu, & forma mixti est actu existens, quomodo potest forma mixti esse elementū prædominans? Item si forma elementi est forma mixti omnia mixta inanimata erunt vnius speciei. Item forma elementi est imperfecta & refracta, igitur forma mixti erit etiam imperfecta. Item mixtum ipsum esset elementum & simplex: adhuc vbi est aqua, ibi non est ignis: in mixto igitur forma mixti non potest esse vbique patet autem quod diximus: nam cùm elementa sint in mixto secundū substantiam diminutam tertio Cœli co 67. iuxta Auerrois sententiam, ne detur penetratio corporum, manifestum est mixti formā non illi coextendi. Vt verò declarauimus, vnam tantum esse formam animatorum animam, inanimatorum autem elementi prædominantis: nam si alia esset, non moueretur vtique mixtum à prædominante illi elemento, vt vult philosophus in primo Cœli, & Auerroes Tex. co. 12. & co. 19. Aut cogimur dicere, quòd forma quæ in actu non est, mouet in actu: vel quod duæ ibi sint formæ. Oporteret etiam ponere alias formas, quæ non essent ex elementis, nec cœlestes. Quare cùm dixit Aristoteles, Triplicem esse in homine, vel animali, compositionem: non intelligit de vera compositione, nam instrumenta non componuntur ex similaribus mixtis inuicem, sed tantū iuxta appositis. Propter id dico, quod forma mixti est elementum prædominans secundū materiam & subiectum, non autem illa vt est in potentia. Nec inconueniēt apud me, quod omnia mixta inanimata sint eiusdem speciei: & talis forma in se perfecta: vt autem ad elementum comparatur, est imperfecta: nec poterit tamen esse elementum, aut simplex, cùm alias retineat elementorū formas. Est autem vbiq; quia vt diximus, elementa actu in mixto non manent secundum substantiam: neq; enim esset mixtio, sed iuxta appositio. Sed quia Auerroes, vt diximus, alias virtutes largitur elemento vincenti, alias formæ mixti, quam tamen vult esse ex elementorum compositione temperaturam: dico, hæc inquam fieri à qualitatibus quas nolim esse formam mixti, ac eius substantiam, sed proprietas medicinarum prouenit à forma elementi dominantis, vt est in actu: & hæc, vt dixi, subiecto eadem est cum forma mixti, verumtamen alia ab eodem simpliciter, cùm vt est forma elementi refracta sit in potentia: vt autem mixti, ac vincens mouens, ac miscens in actu. Quare nec hoc à Galeno, nec ab experimento discrepat. Lignū autē ac lapis non differunt specie, sed solis accidentibus: caro autem mortui, vt inquit philosophus 4. Metheor. c. 12. æquiuocè caro dicitur: nam elementum est, aut elementa: quod tempus, inquit, detegit cùm in cinerē conuertitur. Vel dic in inanimatis mixtis actum superuenientem his quæ specie eadem erant ea distinguere. Verùm melius est, vt ad elementi naturā reducantur, sintq; eadē, cùm nullum ex hoc inconueniens sequatur. Nam si differentia specie esse dicantur inanimata: erunt aliquæ formæ aliæ à cœlestibus & elementorum. Sed adhuc est difficultas, quia Herculeus lapis differt in operatione à ligno, & propriis accidentibus, imo etiam ab aliis lapidibus. Item plus differt Herculeus lapis à ligno quàm à lapide. Respondeo, quod de Herculeo lapide est magna difficultas: in reliquis dico, quod quædam differunt solo numero, quædam accidentibus, quædam substantia & specie, quædam genere, & quidam plusquam genere. Numero differunt sapphyrus à sapphiro: Accidentibus, sapphirus ab adamante, cùm vnus albus sit, alter cyaneus: Accidentibus generalibus, vt sapphirus à buxo: Specie, vt lapis à pisce, vel planta: Genere, vt homo à lapide: Plusquam genere, vt lapis à cœlo. Quòd si quis dicat, lapides habere virtutes proprias: Dicendum erit, illos etiam animatos, quod in primo de varietate rerum tueri cogimur. Metalla autem nequaquam animata esse dicemus. Sed adhuc emergunt dubitationes: nam Auicenna 1. de Anima c. 3. dixit, quòd inter animam, & subiectum remotissimum sunt multæ formæ non dantes esse. Secunda dubitatio est, quòd animal antequam sentiat viuit vita plantæ: igitur post quam senserit habebit vtranque formam. Tertia est, quod ipse dicit, extincto animali datur alia forma in cadauere opposita formæ temperamenti, in qua anima dum animal viueret sustentabatur. Quarta est, quòd sunt formæ aliæ communes, vt generis, velut in homine forma animalis, & viuentis, & corporis naturalis, & forma corporis mathematici: & substantiæ & accidentium: & quamquam hæc omnia sint extra medicinæ propositum, dignum tamen est illis respondere breuiter. Dico igitur, quòd hæ omnes formæ sunt in potentia quoad esse, quia non disiunguntur à perfectiore: quo verò ad rationem, & vt de alio dicuntur, sunt in actu, intellectu eas disiungente: vnde hæc propositio

Homo sub forma hominis est viuens vel sentiens, falsa est: nam ipse est intelligens, & hæc operatio alia est à sentiente, quamuis sine illa esse non possit. Forma verò corporis mathematici non inest ei vt mixtum, nam etiam inest elementis. Formam verò temperamenti dicimus adesse, sed non disiunctam esse ab anima, in belluis: quia vel est ipsa, vel ab ipsa sustentatur. Idem dico de homine apud Galenum, & Alexandrum Aphrodiseum. Nobis autem constituentibus Animum humanum immortalem, longa nimis esset disputatio, si vellemus hoc declarare: dictum est etiam partim hoc in libro De animi immortalitate. Cum verò dicimus, quòd fœtus viuit prius vita plantæ: dico, quòd hoc est verum, sed anima illa est actu vegetatrix, potentia autem sentiens. Inde fit animal dormiens, & pòst actu sentiens, potentia autem vegetatrix est anima permutatis vicibus. Sed adest dubitatio, nam si forma mixti est forma elemēti prædominantis, igitur nullū simplex medicamentum habet facultates contrarias: nā non datur forma sine operatione: cùm tamen Galenus dicat, quòd Balanus Myrepsica, seu glans vnguentaria, calidam habeat terreamque substantiam simul, astringentemque vim: & caulis laxantem facultatem, & astringentem, vt in tertio de simplicibus medicamentis dixit: & de capparis cortice idem inquit libro septimo: nisi esset quòd & in his partes sunt actu inuicem distinctæ, quoniam viuentis fuerunt herbæ: & tunc potentia quidem tales, actu verò formam animæ plantæ consequebantur postquam eradicatæ, ac mortuæ fuerint, vnaquæque in proprium relabitur temperamentum. Sed facultates quæ in comparatione ad animalia insunt, formam non consequuntur mixti: corrumpitur enim mixtum viuens, fitque aliud specie ab eo quod erat, vt iam dicemus.

5. de generatione animalium c. 1.

lib. 6. sim. medic.

c. 15.

CONTRADICT. II.

An dentur operationes medicinarum consequentes proprietatem

Comitialem morbum, Pæonia: columellæ vitia, succus cyrenaicus: paristhmia, & reliqua gulæ vitia, filum purpuræ marinæ, quo vipera strangulata est, collo appensa liberant, Galenus: tum rursus, inquit ille, sed & rabie affecto data, in totum sanauit: atque hoc ex totius substantiæ similitudine efficit. Dictum verò prius talem facultatem ex sola percipit experientia, & planè methodo nulla constare, libro sexto de simplicibus medicamentis. Et rursus in IX. Siquidem vt ostendimus proprietates quæ totius substantiæ ratione insunt, à methodo ac ratione sunt alienæ, & per solam cognoscuntur experientiam. Nam cur hic lapis tacto vulnere, vnde sanguis prorumpit, illum sistat, haud nouimus. Palam est de Iaspide illum hoc intelligere. Atque iterum paulo post: Proprietatem nonnulli quibusdam testimonio suo adscribunt, qualem re vera habet Iaspis virens: qui adhærens ventriculi ori, illud adiuuat: cuius sanè experimenti nos abunde fecimus periculum: torquem enim ex huiusmodi lapillis collo suspendi, ita vt lapides os ventris contingerent: apparebant autem nihilo secius prodesse, quàm si sculpturam haberent quam Nechepsos scripsit. Rursus verò in XI. libro: At fluuiatilium cancrorum cinis: quamuis exiccet, vt prædicta, proprietate tamen substantiæ suæ mirabilis est aduersus morbum qui prouenit à cane rabido morsis, tum per se, tum cum gentiana & thure multo præstantior. Cæterum seorsum scribam aliquando de his, quæ à proprietate totius substantiæ agunt aliquid, librum vnum: ex quorum genere sunt, quæ supra retulimus. Et in initio libri, dum de viperarum carne tractat, inquit: Properat autem, vt videtur, vis eius ad cutem, recrementa quæ in corpore sunt secum exigens. Tum in 1. De medicamentis secundum genera: Ignorare videntur quidam marinum leporem solum pulmonem, Cantharides solam vesicam ex vniuersis corporis partibus exulcerare. Quid vero si sciuissent antiqui vim Herculei lapidis, non eam vulgarem, qua ferrum trahere potest, quam in similitudinem referunt, sed qua ferrum ad Boroam semper dirigit, haud scio quid sint dicturi aduersus euidentissimas rerum proprietates. Sed tamen Galenus in tertio de Simplicibus medicamentis inquit: Ostensum est autem superius, omnem mutationem à medicamento factam calore, frigiditate, ac reliquis qualitatibus fieri. Igitur nulla erit proprietas. Hanc etiam Mesue retulit in causam cœlestem, vltra mixtionem elementorum, & adducit testimonium Platonis: sed Galenus vires soluendi in substantiæ similitudinem trahit, vt suo loco videbitur. Igitur operatio solutiui non est à proprietate. Hoc etiam indicat Galenus, qui cùm in libris de medicamentis simplicibus vires illorum enarraret, Scamonij nullam fecit mentionem: de Elleboro vero nec dixit ipsum soluere: Colocynthidam autem quomodo purget, non dixit, quamuis purgare affirmet. Igitur vim expurgandi Galenus ad similitudinem substantiæ reuocat, quam vult esse proprietatem. At præter hanc proprietatem nullam ponit, scilicet præter substantiæ similitudinem: quod apparet in authoritate de Alysso: nam cùm conferat proprietate sua canis rabidi morsui, explicauit quidnam esset illa proprietas substantiæ, siquidem similitudinem. Conciliator autem existimat iuxta principis sententiam, Proprietatem esse naturam mixti corporis procedentem à superna & plenissima influentia, & propter proprium temperamentum, quod singularem in illo dispositionem inducit. Verum ibidem princeps Proprietatem & Naturam vnum & idem esse declarauerat. Sed quia Auerroës dixerat in VII. Primæ philosophiæ, quòd elementa non agunt substantia sua, sed qualitatibus, ideo credit hanc proprietatem, vt est agendi principium, esse accidens, non substantiam. Quod enim agit verè est substantia, instrumentum autem accidens: ignis enim est qui exurit medio caloris. Si igitur proprietas est substantia, operabitur per qualitates. Sed quæstiones hæ sunt remotiores à nostro

cap. de Paonia, & de alisso cap. de lapidibus.

cap. de Iaspide.

cap. de cancris.

cap. 1.

cap. 4.

In can. generalibus, cap. 1. in princ.

Differētia 71. De vir. cor. tract. 1. c. 10.

con. 31. in medio.

stro proposito. Melius est igitur vt videamus, quid primo sit hæc Proprietas secundum Galeni mentem: nam clarum est apud illum eam esse substantię similitudinem, vt diximus. Verum si quis dicat, quòd Herculeus lapis dirigit ferrum ad septentrionem, & quòd alius fugat ferrum, & alius à ferro trahitur, vt Cõciliator ibi affirmat, concedet Galenus: quandoquidem eadem est vnius & plurium ratio: sed Herculeus lapis vt viuit trahit similitudine ferrum: nec est alia proprietas singularis respectu viuentis, quæ pertineat ad medicum Sufficit igitur Galeno quòd omnis proprietas medica ad similitudinem trahatur, non autem omnis proprietas generaliter. Quare nulla in medicinis est vere Proprietas, sed sola Similitudo, seu Natura: quæ quia effectum facit nostro iudicio admirabilem, vt, dicebat eo loco princeps, ideo Proprietas à Galeno virtus illa dicitur. Nullũ igitur inanimatũ proprietate præditum est: sed vt animatis comparatur, eã rationem ob similitudinem subit. Quare meritò comparauit hominem & medicinã magneti, nam membrũ qualitate medicamenti affectũ trahit: humorẽ verò ferro, viuũ viuenti, mortuũ mortuo. Quam sententiam nemo ad hanc vsque diem est assecutus. Sed occurrit dubitatio, quonam pacto lepus marinus solũ exulceret pulmonem: neq; enim par est, simile tam vehementer lædi à simili Respondemus: vt simile est, trahi ad locum: vt autem igneas secũ habet ac escharoticas partes, exulcerare locum ad quem trahitur: ad quod iuuat loci ipsius aut membri qualitas ac substãtia, ei iniuriæ obnoxia. Hæc igitur Proprietas vera, quæ soli animato inest, à cœli virtute est. Ob id etiam serpentis carnes, & Basiliscus, Regulúsve, v mortem oppetierunt, saxa non violant, nec herbas in circuitu existentes perimunt. Inanimatorum enim, vt diximus, forma est elementum prædominans, & ob id nulla proprietas. Sed non videtur Galenus decimo de simplicibus medicamentis, negans sanguinem vespertilionis prohibere pilos, quia nõ sit egregiè frigidus, admittere: neq; eam quæ fit à similitudine substantiæ proprietatem, nam ratio eius secus periret. Respondeo: ratio est contra illos, qui à qualitate hoc fieri existimabant, nam medicamento cicutam, quasi frigidissimũ aliquid superaddebant.

cap. 5.

CONTRADICT. III.

Medicinæ soluentes similitudine humores trahunt: attractio verò ipsa à medicamento fit, & ipso secundum substantiam attenuato.

IVxta prædictorũ sententiam, quoniam decreuimus omnem proprietatem esse in viuente: nam quod non viuit non mouet ad vnam nisi positionem: proprietas autem est ad omnem agere id quod mouet: velut etiam in motibus voluntariis. Quod etiam patitur ob proprium temperamentum, non autem ob cœlestem impressionem. Diximus tamen, Mesue sentire quòd ob id medicina trahat humorem: sed Galenus ob similitudinem, & Serapio videtur ei ex parte assentiri. Verum Galenus præter similitudinem addit etiam, quòd quædam educunt subtilitate partium, vt in v. de simplicibus medicamentis scripsit. Philosophus primo problematum hanc init rationem, quæ deuorantur cum à calore trahuntur per venas & colliquantur, nec tamen pnssunt concoqui ob alienam qualitatem, & rursus expellũtur, trahuntq; secum humores: æs verò, & ferrum, etsi non concoquantur, nec etiam dissoluuntur: lac & mel concoquũtur: eadem tamen ratione copiosius hausta vicem obtinent medicamenti. Hac igitur causa non similitudine, sed contrarietate potius medicamentum purgat. Et ob hoc dicit plerumque, medicamenta sunt & iniucunda, & insuauia. Sed hæc opinio à Galeno redarguitur, nam non plus vnum, quàm alium humorem medicina ad se traheret. Erasistratus, vt pote ex Aristotelis pronepotibus, & ipse inter medicos hanc tuebatur opinionem, vt in libro de medicamentorũ facultatibus apparet. Sed nec omnia in sua via purgant, quãuis à calore attenuentur, vt prassium. Sed cõtra Galeni placitum multa solent adduci. Auicenna namque & Thurisanus argumentantur contra Galenum: quia si ferrum trahitur à magnete ob similitudinem, igitur magna ferri quantitas trahet paruam magnetis quantitatem, aut etiam magis trahet aliud ferrum. Medicamentum etiam idem, vt Elleborus trahit diuersos humores: igitur nõ potest hoc esse à similitudine, aliter elleborus assimilabitur pituitæ & atræ bili simul: quare etiam duo hi humores erunt inuicem similes. Iacobus & ipse adducit hoc in contrarium, quòd turbetum non est simile pituitæ, cum sit calidum, & pituita frigida: dicitur forsan, quòd sunt colore candido similia. Sed hoc primo reprobatur à Gal. in 11. c. 3. de simplicib. medicamentis, qui non vult, colorem considerandũ in medicamentis, sed saporem, odorem, & experientiã: imò vult, experientiã paucis additis rationib. sufficere, odore etiã contempto: esset etiam omnis medicina candida, vt cerusa & calx, expurgans putuitam. Sed Vgo adducit quædam alia etiam contra Galeni opinionem. Cor trahit aërem frigidum, & tamen ipsum est calidum: multa etiã similia sunt, quæ non se trahunt, vt caprificus, quæ non trahit ficum, quamuis sit ei similis, & clarius instat, in præternaturaliter dispositis trahitur contrarium: nam calida membra trahunt medicamenta frigida, vt cõcedit Galenus, dum exponit vtilitatem compositionis mendicamentorum: sed corpus ægrum, humor malus, & medicamentum sunt omnia præternaturaliter disposita, igitur trahent se vt contraria, non vt similia. Et si dicatur, quòd sunt contraria in qualitatibus, in substantia autem similia: hoc apud Galenum, imò etiam apud nos nihil est: nam apud Galenum qualitas est substantia: apud Auerroëm & nos, vbi qualitas, ibi elementum, & forma mixti est subiecto eadem in inanimatis cum forma prædominantis elementi: & etiam, quia licet substantia elementorum nõ sit illorum qualitas est tamen ei valde proxima, vnde Auerroës cap. de Substantia, existimat elementa substantias imperfectas: sunt enim contraria, &

suscipiunt

3. de Simpl. med cap. 24. 25. 26.
In Antid. c. 5. c. 18.

Probl. 43.

quarta primi c. 4. com. 60. tertij techni.

suscipiunt magis ac minus in suis substantiis, quod propriis repugnat substantiis, vt habetur in prædicamentis. Est etiam nostrum hoc dubium, quia cùm non omne simile trahat simile, quæritur igitur ratio propria qua medicamentum trahit humorem Concesso enim quòd non trahat nisi simile: quia tamen non trahit omne simile, quærendum est, cur hoc trahit, vt scamonium: hoc non, vt papaueris succus. Auerroës 5. collectaneorum cap. 21. tenuit, quòd virtus attrahens esset calor proprius in medicamento. Albertus in tractatu suo de Metallicis, quòd esset forma quæ est substantia: sed hanc nos reduximus ad formam elementi prædominantis in inanimatis & in animatis ad ipsam animam. Sed princeps de viribus cordis, cap. 10. iuxta med. vult quòd fiat à temperaméto quòd ex primarum qualitatum mixtione consurgit. Nos autem declarauimus, quòd omne vincens in mixto, & cui debentur illius operationes, est forma eius: quia operationes sunt à forma, & quòd forma elementi prædominantis vincit in mixto, quia mouet, & generat: igitur ipsa est forma mixti, & non compositū ex primis qualitatibus. Sed intelligendum est dictum principis, de causa, nam alia elementa reducunt formam elementi prædominantis, ad formam qua sub mixto consistit: & hoc est verissimum. Addit etiā, quòd hæc temperatura influxu ab iuuatur cœlesti, & damnat modos antiquorum, quos Alexander Aphrodiseus recitat in 11. naturalium quæstionum. cap. 23. Empedoclis, qui ab atomis concurrentibus mutuo ac se impellentibus, nam sic omnia ab omnibus traherentur, vel saltem ferrum à ferro, quod etiam obstat opinioni Democriti, qui à defluxibus mutuo concurrentibus id fieri credit. Diogenes autem putabat quòd ob humorem ferri: sed cur non trahitur æs ab aliquo? & Herculeus lapis à ferro nihil aliud? ob id dicebat Alexander nec per medium, sic enim intermedius aër prius traheretur: quare nec vt alimentum, nam ipsum, trahitur à membro per medium successiuè. Relinquitur igitur, quòd ferrum ab Herculeo lapide trahitur, quia perfici optat, sensum habens quendam, quanquam inanime. Auicenna verò in hoc damnat Galeni opinionem, etiam cum aliis, quia à similitudine hoc fieri posse negat. Obstat igitur Galeni opinioni etiam hoc, quòd si humor trahitur à medicamento ob similitudinem, attractio à simili fit nutritionis causa: & humor non nutrit medicamentum, & membro à quo trahitur, est contrarius. Ad hæc dicamus vt Princeps, prima primi doc. 6. c. 3. Attractio fit vel à vacuo, vel proprietate naturæ, vel calore, & ea quæ est à calore fit vacui causa: quæ verò à proprietate, calore confirmatur. Medicamentum igitur nihil per se trahit, mortuum enim est: sed intestinis plerunque, raro autem ventriculo qualitatē inducit similem humori: quare trahitur humor à membro, & pro hoc facit argumentum quod etiā est pro philosopho, quia si euomatur medicina post duas horas, non est quantitate sua diminuta ad sensum, & non cessat operatio eius propter hoc, & multi purgantur ab emplastris superpositis ventri, vt Mesuæ testatur in emplastro suo de arthanita dicto. Alij etiam solo odore medicaměti per nares hausto. Sola igitur virtus medicamenti inficiēs membrū, seu sine diminutione substantiæ medicamenti attrahatur, seu cum parua, facit vt membrum ratione similitudinis trahat humorē: deinde cùm non possit nutriri ex eo, quāuis sit similis in substantia, expellitur ab eodē: & ideo post purgationem remanet nausea & abominatio magna ratione impressionis. Non quælibet autē similitudo sufficit, sed oportet vt sit ad amussim, indicio clarissimo est medicamētum esse simile humori attracto, quia si nō euacuat in illum vertitur Propterea ad argumentū Auicennæ 3, de Simpl. med. c. 24. sæpe dictum est: non enim ferrum vincit ferrum vnquam, aut magnetem, quia est inanime, & inanimatum non potest esse in actu, sed solum in potētia, nisi ratione formæ elementi prędominantis. Elleborus habet diuersas partes, & turbetum habet substantiam pituitæ similem, frigidam, candidā, leuem, ideo non educit pituitā crassā: habet & cum ea partes calidas subtiles, ad attrahendū adiuuantes. Cerusa & calx dissident tota substantia ab humano corpore, vt clarū est. Euforbij lacryma non purgat pituitam similitudine, nihil enim in ea frigidū: sed colliquando. Cor trahit aërem vacui ratione, qua omnia absque discrimine trahuntur. Caprificus non trahit ficum, quia viuens non trahitur: mortua ficus non est substantia similis. Humor malus trahitur à mēbro sub ratione alimēti, cùm est similis: aliter membrum esset sua mala qualitate sibi medicina, si contrariū traheret. In medicamento alia ratio est, causa verò attractionis est exacta similitudo: sic vt vnum sit animatū, aliud autem anima careat. Ad Alexandrum attractio à simili est propter nutrimentum, nam & magnes alitur, & diutius durat in ferri scobe: etsi non propriè substantia illius forsan nutriatur. Sed nō est necesse in attractione propter nutritionē, quicquid est intermedium prius trahi. Humor verò qui trahitur, membrum nutrit, sed modicè, ad quod trahitur, quia similitudo temperamenti non est ad naturale, sed medicamento acquisitum. Sed contra hoc est argumentum Principis; Quarta primi c. 4. si membrum sic traheret, aut medicina cōcomitaretur humorem, validior fieret purgatio in sanis quàm ægris, sed hoc non procedit, quia humor bonus est, & ab aliis membris maiore vi retinetur: ideo sani habēt validiora etiam membra quæ retinent, & humores plerunque bonos, quare maiore nixu retinētur. Serapio autem, in Antidot. cap. 5. & 10. quia credidit medicamentum, & non membrum trahere humorem, ideo difficultatem habet quomodo idem attrahat, & expellat: quare cogitur dicere, quòd medicamentum attrahit, & membrum expellit: quod fieri minimè potest.

CONTRADICTIO IV.

Cor an sit vnum membrum principale tantùm.

PRincipia igitur sunt, Cor, Cerebrū, Epar, & Testiculi. 1. Artis medicæ, cap. 3. Non est

est ignorandum quatuor esse virtutes in animali: Sensitiuam, quam Galenus ponit in cerebro: Vitalem, quam in corde: Nutritiuam, in iecore: Generatiuam, in testiculis. Igitur sic illas ponit in his membris, vt quoad has virtutes Galenus neget horũ mẽbrorũ alterũ ex altero pendere. Non tamen vult, quòd cor non recipiat virtutẽ sentiendi à cerebro: nec quòd cerebrũ nõ recipiat virtutem vitalem à corde: sic enim vt in bene recta ciuitate, mutuò sibi hæc inuicem famulantur. Rationes adducit ad hæc Galenus, in libris quatuor primis qui supersunt de dogmate Platonis, & Hippocratis: præcipuas autem pro iecore in VI. libro. Prima igitur hæc est virtus, ibi ortum habet, vbi instrumenta eius originem ducunt: at arteriæ sunt instrumenta facultatis vitalis, venæ nutritiuæ, nerui sensus. Igitur vbi hæc exoriuntur, ibi suarum origo virtutum. Sed nerui à cerebro, arteriæ à corde, venæ à iecore oriuntur? igitur hæc membra sunt harum virtutum fontes principales. Et si quis dicat, quòd calor naturalis conseruatur per motum pulsus: respondet Galenus, quòd etiam anhelitus: & sicut pulsus est per virtutem à corde transmissam, sic anhelitus per virtutem à cerebro, cùm respiratio sit motus voluntarius; ideo vtraque membra quod ad hoc, cor scilicet, & cerebrum, æqualem vsum quoad caloris exhibent conseruationem.

Ad hoc respondet Auerr. II. Collect. cap. II. quòd transmittitur hæc virtus à corde prius ad cerebrum per arterias. & adducit dissectionem pro testimonio: nam magnæ ibi spectantur arteriæ. Sed hoc non videtur verum in laborantibus morbo attonito, integra adhuc cordis virtute: non enim sentiunt, & tamen deberent sentire, quia principalis virtus integra est. Diceret Auerroës perfici in cerebro, sicut calor est in lumine solis virtute: sed non perficitur nisi cùm ad elementa peruenit. Sed hæc responsio nulla est: nam si virtus illa est imperfecta, nihil ei conuenit ex operatione: quare inanis erit. Respondeo igitur quòd vt dixi in Contradictione primi libri, Tract. 5. contradict. I. Aristoteles diceret duo. Primum, quòd falsum est: scilicet, quòd nerui à corde oriantur: nam deceperunt illum villi cordis albi & substantia similes neruis. Secundum est, quòd negaret neruos esse instrumenta sensus omnis, sed diceret esse instrumenta tantum perfecti sensus. Diximus autem ibi quòd Auerroës in Paraphasi aliter conatur soluere argumentum. Quòd si dicat aliquis pro philosopho, cerebrum indiget vitali spiritu: Respondeo & cor indiget respiratione quæ illi à cerebri virtute subministratur: nec tamen hoc prohibet quin cor sit principale. Sed si quis dicat, cur in attonito igitur morbo deperditur sensus? Respondeo, cur quando attonitus morbus ex corde pendet etiam sensus amittitur? Dico ergo, quòd deperditur ob intemperiem: nam membra priuata spiritu cerebri desinunt sentire sensu perfecto: nam plurimi eorum retinent sensum imperfectum, id est doloris cognitionem: cùm verò & hanc amittunt ex toto, iam cor laborat, ad quid enim illos cruciare si nihil sentiunt? imò plurimi sentiunt etiã non parum, sed nequeunt signũ declarare. Hoc igitur argumentũ quod ex colligantia 6. de Dog. deducitur, nec pro Galeno, nec pro Aristotele determinat.

A constitutione verò alias sumitur, in iecore præcipuè: sanguis enim in eo generatur: nam ibi est vas quod superfluum expurgat, bilem siquidem flauam: & lien. Secundo, quia omnia membra intra peritoneum neruosa ex sanguine portæ nutriuntur solo: cùm nullum ramum ex caua ad illa descendere dissectio ostendat: quamuis Galenus hoc neget: paucos enim excipit. Clarum est igitur, multa mẽbra saltem hoc sanguine nutriri. Tertio, quia caro iecoris sanguini simillima est. Quarto, quia ibi sunt venę capillares admodum ortus fontis, vt nullo modo in corde, cùm locus latus sit, confici possit. Quinto, quia caua ibi maior est, sicut arteria, quæ à corde prodit, magna: sed hoc negat Vesalius: & nos etiam maiorem cauam in corde existimamus. Sexto, quia diuiditur caua ex iecore non ex corde. Sed video, par est vtrinque ratio: nam superficiem iecoris sicut & cordis transiens duorum ramorum speciem effingit. Septimo, quòd experientia etiam constat, quoniam ostia ipsa sanguinis in corde ab intus extra versus clauduntur: igitur cor cùm comprimantur ostiola nullum emittit sanguinem: quare nulla poterunt ex eo membra nutriri: obstat enim primo ostij situs, qui vt magis comprimitur, eo magis clauditur, tum verò etiam impetus ipsius sanguinis. Sed vena arterialis, quæ extra cor defert sangunem, manifestè in pulmone finitur: igitur caua non communicatur cordi, nisi vt nutriat illud & pulmones: tum verò vt ex illo sanguine arterialis generetur: quare nullo modo sanguis generatur in corde nec generatus perficitur.

Ad hoc in Paraphrasi respondebat Auerroës, quòd sanguis non nutrit membrum, nisi per calorem arteriæ fuerit temperatus: & sic non in corde omnis sanguis formam suscipit, sed bene à corde: & indicio est, quòd ad omnia membra ad quæ vena cum arteria aduenit, altera alteri vel Galeno teste sociatur. Sed ista responsio cùm concedat quæsitum, scilicet sanguinem in iecore generari sub forma qua sanguis est, robur ostendit argumenti: nam quod iuuentur membra in cõseruatione proprij caloris, nemo est qui neget, quódque hoc fiat à corde. Est etiam vbi venæ arteriis sociis carent, vt quæ per sacrum os ad musculos, & quæ ad virgam per musculos exteriores, & quæ ad femur in cutẽ, & quæ in gibbis iecoris, & quæ in septo transuerso, & quæ per spinã alit thoracẽ, & humeraria, sic in abdomine, collo, & dorso, & quæ per faciẽ & caput omnes, vna duntaxat fermè excepta per os sacrũ transeunte, coniuge arteria carent: tum verò & multi rami humerariæ, & quæ circum brachij os per auersam partem contorquetur: & tamen omnes membra nutrire proxima palam est. Accedit etiam quòd Galenus II. de Par. c. 7. Aristotelem satis oscitanter dissectionem attigisse eum arguit: vt etiam cerebrum ad cordis temperiem coæquandam factum existimauerit: vt eius necessitatem

libro de Dissectione venarum & arteriarum iuxta finem.

necessitatem propriam ignorasse videatur.

Sed haud negligenda est tanti Philosophi authoritas, qui cor vnum facit membrum principale pluribus in locis: sed præcipuè II. cap 4. de Generatione animalium, & III. de Partibus cap. 4. Nec illud ad rem facit, quod quidam adnotarunt ex IIII. de Generatione animalium, cap. 4. quòd scilicet nullum animal sine corde inuentum sit: nam hoc etiam de iecore docet, sed duo membra efficeret principalia. Sed & in sacrificiis referunt Caio Cæsari hostias sine corde apparuisse: quæ tamen ego ad miracula vel mendacia refero.

Sed ad rem redeo: si sunt tres virtutes principales triáque membra, tamen tres animæ, vt Galenus fatetur VI. de Dog. quomodo animal vnum erit; hoc mouit Philosophus argumentum I. de Anima 90. neque enim dicere possumus, quòd corpore ipso colligantur, nam forma res vna est, non autem materia. Galenus ad hoc videtur obiter respondisse IX. Artis cur c. 10. cùm dixit, quòd vinculo eo colligantur, quòd si vna intereat, alia non possit esse superstes, alteraque alterius functione ac auxilio indigeat: verùm si virtutes & non animæ totidem ponantur, cùm sensitiua sit in loco, non indigebit cerebri functione. diximus autem de hoc aliàs, quoniam ex Philosophi authoritate anima in solo corde est: non autem per totum corpus diffusa. Conatur hoc quidam reprobare: nam homo per animam est homo, forma corporis anima est, forma materiæ coextenditur. Respondeo, hominem esse tantum apud Philosophum de Iuuentute & Senectute. cap. I. spiritum illum in corde complantatum, in quo anima residet: cætera huius omnia causa sunt: cor, vt contineat reliqua cordis causa. Alia ratio ex hoc habetur quòd cor est vltimum quod moritur, primum verò quod viuit: vt II. de Generatione animalium cap. I. dixit. cui subscribere etiam Galenus videtur V. de Locis: inquit enim, Pereunte virtute cordis hominem illico perire necesse est: ac non sic pereunte cerebri virtute vel iecoris, nam adhuc manet homo viuens, vt in valido attonito morbo manifestum est. Ac si quis spirandi libertatem auferat ab homine, illico extinguitur. Sed ad hæc Galenus diceret, vt ex IX. de Arte curandi c. 10. & 2. de causis pulsuum. c. 12. colligitur, Vires ipsas virtutum si prorsus corruant celeriter animal interire: præcipuam tamen esse in corde mortis causam ob motus necessitatem. At vna virtute sublata ex toto homo illico moritur: neque enim in attonito morbo virtus sentiendi perit, sed operatio: nec in hydrope iecoris vis nutriens sed opus: cùm verò & virtus vna interierit, homo illico extinguitur: imò antequam intereat: & cùm animas tres ponat tutius totidem posuerit facultates verùm quo pacto aberrauerit in Platonis opinione aliàs dictum est à nobis. Est autem sciendum, quòd anima si sit educta de potentia materiæ diuisibilis est sub eius diuisione: vt tenet Auerroës in libro de Substantia orbis cap. I. quare non rectè dixit Trusianus, anima existente coextensa toti: illam tamen non diuidi corporis diuisione. Sed nec idem bene sentit de virtute vitali, ac causa motus arteriarum: cùm existimet à spiritu ac feruore cordis eam prouenire: quamobrem ei contigit, quod etiam Auerroës in motu leulab. vt promitteret se illum si vita superesset qualisnam foret, descripturum. Sic Trusianus cùm experientiam pulsuum inuento suo accommodare non posset, tractationem promisit. Verùm hæc obiter: ad rem reuertamur. Recitat ille pro Philosopho tria argumenta: horum autem primum est, Plures virtutes attribuuntur vni animæ, igitur plura membra ab vno etiam pendent. Secundum, Cor est principium caloris naturalis, igitur & omnium quæ sine eo perfici nequeunt. Tertium, Quòd ligatis arteriis soporariis aufertur sensus & motus, conciditque animal velut attonito morbo percussum: igitur cor est omnium principium. Galenus hoc experimentum reprehendit: nam nisi ligentur nerui, soporariis arteriis adiacentes, animal manet cum sensu ac motu: quare error est in experimento. Ad id quod dicit, cor esse caloris naturalis fontem & calidissimum, non negat hoc Galenus: cùm sinistrum ventriculum feruere etiam dicat sano animali. vt verò ex hoc possit supra omnes functiones, minime est necessarium, cùm temperamentum requirant hæc proprium, non autem caloris immoderantiam. At non videtur par ratio de membris ac virtutibus: cùm membra differant necessario, virtutes plures in vna possint anima consistere. Adducit & Philosophus alias rationes velut, quòd cor sit in medio, vt regis locum obtineat; hoc autem vt secundo de Dogmate Platonis Galenus scribit: nec verum omnino est: nec si esset quicquam concluderet. Simile illud videtur, Nullum animal corde caret, nam & omnia habent duo instrumenta per quæ cibum recipiunt, excrementaque eiiciuntur: nec tamen os & anus membra sunt principalia, sed necessaria. Quòd verò superius diximus primo cor generari, incertum hoc Galenus affirmat, vbi de fœtus formatione loquitur: quinimo tria apparere ab initio in abortibus simul principia docet. Sed Auerroës pro Philosopho & ipse in sua paraphrasi non pauca adducit, eorum autem primum est, Vbi est primum animæ instrumentum & virtutis, ibi & membri principis natura: at in corde anima spiritum vitæ procreat illius proprium instrumentum: igitur cor est principium. Rursus ibi est principium, quo retrahente cessant hæc: sed retracto ad cor calore, vt in somno, cessat sensus & motus: igitur cor est principium. Neque enim Galenus vult, quòd in somno calor ad cerebrum, sed quòd ad cor retrahatur. Vbi igitur principium? vnde etiam impedimentum: eiusdem enim est dare ac auferre. Tertio, Frigidũ non ingreditur, nisi per accidens, generationem IIII. Meteorum co. mag. sed cerebrum est frigidum etiam ex Galeni sententia, quare non poterit nisi temperare spiritum vitalem, non nouam formam inducere: quare destituitur

lib. de Animi immortalitate.

In de Vsu pul. in prin. & 2. de Dogm Pla. post medium.

De inæquali intemp. c. 5.

2. de Par. c. 20.

tuitur instrumento sibi proprio. Quarto, Si cor non habet virtutem nutriendi, neque habet vitalem: cùm sint vna & eadem, aliter oporteret ponere quatuor virtutes, Nutritiuam, Vitalem, Sensibilem, & Intellectiuam: & totidē etiam animas. Ideo philosophus in libris de Anima nusquàm vitalis meminit virtutis, cùm eam sub naturali comprehendat. Cor etiam est principium venarum: nam substantia eius est similis illarum substantiæ dura & subnigra: & etiam quia de ratione principij est quòd non perforet, vt nerui qui non transeunt per cerebrum: sed venæ non transeunt per cor & transeunt per iecur: vt patet de caua quæ substantiam suam retinet in transitu, non autem in corde, sed finitur in substantia dextri ventriculi. Est etiam ratio philosophi vbi fons alicuius, ibi & origo: vt in aquis: sed in corde est fons sanguinis non in iecore: igitur origo etiam. Ad hæc Galenus 2. de Dogma. Pla. dicebat, argumenta esse quatuor generum quod & primo colligitur Elenchorum fermè, Demonstratiua, Probabilia, Rhetorica, & Sophistica. Rhetorica autem sunt quæ ex authoritate plurium probant: Probabilia autem non ex euidentibus rationibus, sed demonstratiuis dicit solum fidem adhibere conuenit. Aristotelis igitur argumenta probabilia Galenus existimat. Cū igitur cor esse fontem sanguinis dicit, quoniam ibi lacus eius sit, non inficiatur hoc Galenus 4. de Vsu par. c. 13. post princ. At respondet, quòd venas paruas ob id necessario habuit omni ex parte vt chilum posset amplecti. Verum Galenus lib. 5. cap. 7. in fine, ibi adducit fundamentum quo demonstrari potest sanguinem in iecore generari, nam capillares venæ cauæ non committantur in gibbo iecoris capillaribus portæ: igitur vena portæ saltem cum eius ramis ex iecore oritur. Respondet Vesalius qui argumentum vidit, quòd committuntur, quamuis arctissimis & vix peruiis ramuliis. Quæstio est de facto vt iurisconsulti dicunt. Ad id de transitu Galenus diceret, quòd fuit causa finis, & quòd venæ etiam portæ terminantur in iecore, vt diximus: & in corde fuit necessarium cauam venam finiri, quia non poterat committi arteriæ magnæ, propter substantiæ varietatem, nec non ob spirituum generationem, in quibus conficiendis necessarium erat sanguinem per cordis substantiam penetrare: nec poterat rursus penetrare, quia difficile erat tantum sanguinis ad superiora dirigi: & etiam quia non potuisset tunc tam facile in ventriculum sinistrum progredi. Adducit verò rationem de substantiæ similitudine in contrarium, nam ortus debent esse molliores quàm processus, vt in neruis à cerebro & à medulla dorsi orientibus patet: sed venæ iuxta iecur sunt molliores quàm in corde, adeo vt sint similes teneritati carnis iecoris: igitur venæ ex iecore oriuntur. Ad id quod quarto loco adducitur, dicit Galenus aliam esse vim vitalem, quæ cum motu iungitur locali, ab ea quæ est naturalis, ac immobilis, spiritum autem vitalem motus non nutritionis causam esse. In tertio fundamento ille prorsus aberrat, qui credidit, quòd cor ex mente Galeni esset principalius reliquis, cerebrúmque solum esse in motus virtute princeps: nam Galenus cerebrum corde vult esse principalius. Dico igitur, quòd si fateamur cerebrum esse principale membrum, debemus multo magis fateri etiam primum esse: & ratio est, quia est eius functio nobilior, mouere, sentire, cognoscere. Et si dicas, Hoc non potest fieri nisi cum spiritu cordis ac vita quæ in eo consistit. Respondeo, Hoc potius probat oppositum: nam apparet finem esse nobiliorem his quæ ad finem, vita igitur & cor cerebro ancillatur vt ventriculus iecori: & sicut iecur est nobilius ventriculo, ita cerebrum corde. Cum hoc stat tamen, quòd cor sit magis necessarium: ad id etiam quod dicitur de dextro cordis ventriculo, quoniam in eo venæ finiuntur. Respondet alibi etiam Galenus multa animalia vel Philosopho teste carere dextro ventriculo cordis, cum tamen in his sit iecur. Rei igitur communis principium commune esse debet: sed venæ sunt communes omnibus animalibus sanguinem habentibus: igitur venarum principium est iecur, non cordis dexter sinus. Auenzoar in primo theisir Tract. 11. cap. 2. post princ. adducit rationes quòd sint plura membra, & quòd medico melius sit sic credere. De frigido fateor vt frigidum est ad generationē non ingredi: sed tamen calor à frigido temperatus hoc agit: aliter nec pisces, nec lactucæ semen generarent, sunt enim frigidæ. De calore quis negat ad cor ipsum contrahi? sed causam cur contrahatur, & quomodo, in libro de Animi immortalitate docuimus, repetere superfluum est. Galenus etiam haud fatetur spiritum vitalem solum esse animæ instrumentum: nam & qui in cerebro gignitur sensitiuæ instrumentum est, quare probabilissimum omnium est, membra quoad virtutum sedem plura esse: quoniam illis ægrotantibus ægrotant virtutes, bene valentibus rectè valent: medicaminaque illis non semper cordi sunt apponenda. Verum autem principium cor est: sed nobilissimum apud medicos cerebrum, non tamen magis necessarium, propterea bene dixit Princeps, quòd opinio medicorum est magis apparens, philosophorum, cùm profundè inspicitur verior, verum ipse in v. de Anima & XII. de Animalibus c. 8. declarauit hoc ratione: quia sicut cerebrum in sentiendo est principium sensuum, & tamen vtitur diuersis instrumentis, sic cor est principium diuersarum virtutum, & tamen vtitur in nutritione ipso iecore, vt instrumento: cerebro autem in sentiendo, testiculis in generando, & sic concordat cum philosophis in hoc: concordat verò cum medicis, quia venas à iecore exoriri facit, & neruos à cerebro: quamquam velit ex corde ad cerebrum aliquos etiam dirigi, sicque mediam inter philosophos & medicos viam amplexus est, quæ & meo iudicio etiam verior existit. Dat etiam modum, quo fieri potest, vt virtus transmissa à corde in suum redeat principium: & dat exemplum de iecore, & ventriculo, nam ventriculus transmittit chilum iecori, & recipit sanguinem ab illo. Rursus sensus

Prima primi doc. 5. c. de membris.

communis singularibus sensibus virtutem largitur, indéque eam rursus ab illis recolligit. Docet etiam exemplo tendonum in musculis, quòd aliqua robustiora possunt esse, dum à principio distant, quàm in ipso: nam musculi vehementius ea parte trahunt qua in tendonem desinunt, quàm illa qua cum principio connectuntur. Addit vltimo, quòd principium aliqua per se operatur, aliqua per instrumentum: & dat exemplum de tactu, qui in corde viget exquisitissimus. Adducitur etiam fundamentum pro Galeno ab Auerroë: extracto corde animal mouetur per duos passus, igitur cor non est principale membrum: quia abscisso capite, penitus non mouetur. Sed ad hoc Auerroës respondet, quòd vidit arietem, qui abscisso capite ambulabat aliquot vicibus: Hoc experimentum & si sit verum, respóderet Galenus, cùm caput possit repente excindi nihil esse mirum, vel momento posse animal moueri: at cor non prius eximitur, quin multa patiatur animal: & prehendatur etiam manibus aut alia re: igitur si exempto corde animal mouetur, non erit cor animalis principium. Sed hoc ita esse experimentum docet: & in de Dogmate Galenus hoc dixerat. Sed & multi libri ad Auerroëm peruenere Galeni, quos non habemus: vt libri de Demonstratione, de Dubitationibus, de Cura singularium morborum lib. 2. ante medium: & Alexander in paraphrasi de Anima, c. vlt. tum in testudinibus semper, quamdiu viuunt.

7 *phys* 4.

CONTRADICTIO V.

Cerebrum an frigidum & humidum.

Cerebrum si digito tangatur calidum apparet, in libris de Vsu partium & subiicit: Ipsum etiam calidius est aëre æstatis calidissimo: & quòd si contingat diutius ipsum manere deiectum dum os excinditur supremum malum animal incurrit. Isaac addidit duas rationes: nam cerebrum est motus principium, secundum Galenum libro de Dogmate Platonis lib. 8. c. 2. 7. ante medium, at principium motus calidum est, vt Philosophus ait in Problematibus par. 13. probl. 5. Igitur cerebrum est calidum. Est etiam medulla: vnde Auicenna 12. de Animalibus c. 1. Cerebrum est medulla ossis capitis. Et sicut cor dicitur siccum in comparatione ad reliqua membra principalia: sic medulla dicitur frigida in comparatione cerebri ad reliqua membra principalia. Ipse tamen in primo libro Doct. 3. c. 2. sui canonis in tertio loco collocauit frigidorum à cutis temperamento. Et Philosophus cap. 7. ipse inter frigida collocauit, & Auerroës in suis Collectaneis. Quinimo & ipse Galenus in libris de temperamentis l. 2. c. 3. ait, Cerebrum & medulla dorsi frigidiora sunt cute: alteriusque generis hæ duæ medullæ ab aliis. Omne enim exangue frigidius est eo quod sanguine præditum est. Conciliator in differentia. XXIV. dum hanc disputat materiam, adducit argumentum quod concludit oppositum: inquit enim, Gaudet calidis odoribus, igitur frigidum est. Hoc autem est falsum: inquit enim Galenus 2. Artis med. 55. Gaudet calidus ventriculus calidis cibis ac potibus: quod & aliàs declarauimus. Quòd verò siccum sit, declarat verba Philosophi 11. de Partibus animalium cap. 7. prima primi 3. cap. 1. cùm inquit: Cerebrum constat aquea terreáque substantia: dum enim coquitur aquea exoluta, ferrea quæ relinquitur concrescit. Ex quo patet, quòd iuxta eius sententiam hîc, cerebrum est frigidius quàm humidum, quòd & sensisse videtur Princeps cùm dixit, Frigidorum, velut cerebrum: humidorum, velut iecur. Et hæc fuit etiam sententia Philosophi, in libro de Somno & vigilia, quòd cerebrum sit frigidissima pars nostri corporis. At iuxta finem primi de Temperamentis sentire videtur Galenus (quanquam non expresse id dicat) cerebrum humidius esse, quàm frigidius.

lib. 1. c. 3.

c. 3. iuxta finem.

Ad primam apparentem contradictionem quidam dixerunt, quòd autoritas libri de Vsu partium est, quòd sit calidius aëre æstatis: non tamen sequitur, igitur temperamento æquali. Istud est absurdum, cùm aër æstate adeò nos calefaciat, vt prouocetur sudor, sicut ab igne. Item quia nititur probare ex hoc quòd non potest refrigerare cor: quæ demonstratio nulla esset, si posset esse cerebrum aliquo modo frigidum. Aliqui dicebāt, quòd cerebrum erat calidum cum arteriarum auxilio. At in de Temperamentis loquitur de eius natura singulari. Hoc quidam reprobant: nam Galenus ibi docet venari temperaturam ex tactu, in tactu comprehenditur calor compositus ex innato influentéque; igitur etiam hoc modo declinat ad frigidum. Alia responsio est, Quòd cerebrum cùm detegitur, euadit calidum propter morbum. Hæc est omnibus deterior responsio: nam neque probat quod intendit Galenus in libro de Vsu: quoniam cùm sanum erit refrigerare potest cor: nec possumus colligere experimento quòd sit frigidum. Datur vltima responsio: Quòd cutis etiam ab aëre æstatis refrigeratur, etsi calidior sit aër cute. Sed hæc opinio declarat, quomodo possit lædere cerebrum ob nouitatem: sicut & corpora nuda assueta vestibus: ingreditur enim poros, & motu offendit, sed non satisfacit dictis Galeni: nam si cum hoc calidior est aër temperamento, ac rursus cerebrum: verum non est quod dicitur in libro de Temperamentis. Si autem aër calidior, cerebrum frigidius est, nihil habet contra Philosophū. Præter id non satisfaciamus experimento tactus, quod à Galeno ibi adducitur, ad demonstrandum, quòd calidum sit. Respondeo igitur, quòd cùm innato calore, & influente non parum declinat ad calidum extima sui parte, sic enim tactui apparet: sic læditur ab aëre æstiuo, etiam calidissimo, vt ille inquit: sic est principium motus. At in intima, vel per se sumptum frigidum est, atque constans aquea terreáque substantia, vt Aristoteles dicebat. Nec in libro de Temperamentis docet nos omnia tactu dignoscere, sed membra exteriora tantum: in quo aberrauit ille plurimum: ossa

ossa enim, & cartilagines viuentis animalis si tactum explorentur, calida erunt. De cute autem, cùm non integratur aliis membris, iudicium ferre possumus.

Ad id, quod quæritur, an humidius sit quã frigidius, eadem fermè conuenit responsio. Nam per se sumptum frigidius est, cùm vtroque elemento frigido participet iuxta Aristotelis sententiam. Galenus verò, arbitratur humidius esse: quamquàm si quis velit, illum cum Aristotele possit concordare, quoniam Galeni sententia non adeò expressa est, vt eã extorquere non queamus, verùm Principis autoritas membra principalia tantum comparat: inter quæ vt cerebrum est frigidissimum, sic iecur humidissimum: est enim humidum iecoris maius quàm & cerebri frigiditas: ex quo conuinci non potest, cerebrum frigidius esse quàm humidum. Si tamen vt influentem habet secum calorem cõsideretur, humidius erit proculdubio quàm frigidum: neque enim, vt diximus, sic vllo modo frigidum est. Verùm cerebrũ non esse naturæ à dominante parte terræ ostendit senex Philosophus in 11. de Partibus. Cerebrum cùm ad contemperandum caliditatem ac siccitatem cordis creatum sit, igitur frigidum esse debet & humidum.

CONTRADICTIO VI.

Spinalis medulla an cerebro frigidior.

Cerebrum calidius est & humidius spinali medulla, est enim illa mollius, eòque partes anteriores humidiores quo molliores, 11. de Temperamentis c. 2. at 111. de Alimentis spinalis medulla eiusdem naturæ est cum cerebro, nisi quòd durior est: tamen magis cùm multum à capite recesserit: quare vel siccior ex regula Galeni, cap. 10. vel etiam æqualis cum cerebro temperamenti, si ad verba solum respicimus. Additque, non propria appellatione dici medullam, quod est verissimum: nam medulla ossis gratia est, at caput & spina cerebri & medullæ versa vice causa sunt. Medullæ etiam nutriendum ossa factæ sunt: cerebrum, & medulla spinalis nullum os nutriunt. Medulla etiam hoc pingue habet, quo cerebrum carere videtur, ac spinalis medulla. Sententiam verò Galeni obseruauit Princeps in primo Canonis doct. 3. cap. 1. quam ille in libro de Temperamentis 12. cap. 6. dixerat. Sed idem Princeps in libris de Animalibus inquit: Existimauerunt quidam quòd medulla spinalis, quia cerebro continua est, frigida sit: sed non est: nam calidam habet temperiem, quam à corde nanciscitur: nec exiccatur, cerebri humore perpetuò adiuta. Hanc sententiam adeò expressit Philosophus in 11. de Partibus animaliũ c. 7. in princ. vt demirer eos qui conantur illius verba frustrà extorquere. Inquit, enim Medulla spinalis adiacens cerebro ob hoc calida creata est, vt eius immoderatã frigiditatem contemperaret: vnde Albertus in hoc cùm optimè senserit immeritò reprehenditur. Nec mirum est Auerroëm dixisse, medullam spinalem esse similis temperamenti cum cerebro, cùm hic loquatur vt medicus: nam & rationem Aristotelis interpretatur, non recitat, vbi ille conatur ostendere cerebrum terrea constare substãtia, quod coctum concrescat: nam si non vincentem qualitatem ostendere vult, cum in omni mixto perfecto elementa omnia adsint, proculdubio omnia mixta dum elixantur concrescent. Illud tamen mirum est, & Galeno aduersum quo Aristoteles 11. de Generatione & corrupt. 49. dixerit cerebrum tactu, dum viuit animal, (hoc enim intelligitur) frigidũ sentiri. Conciliator tenuit cerebrũ esse minus frigidum medulla spinali, rectèque sensit in hoc, sed in duobus deficit: Primo, quòd rationes quas adducit leues sunt, ac quasi oppositum eius quod intendit, concludunt. Debuit etiam distinguere: nam spinalis medulla calidior est in viuente animali, cerebro ipso: quia cordi propinquior, superstatque ab inferiore, superioreque parte venę cauę & arteriæ magnæ: in sui autem medio, cordi: nec vllibi frigidior quã in collo: natura autem propria frigidior est, ac siccior cerebro: verum non tanto discrimine, vt differentiam in cibis grandem exhibeat. Cerebrum autem apud Aristotelem & Auicennam non solum frigidum natura est, sed suam frigiditatem aduersus cordis calorem etiam in viuente tuetur, quam medulla spinalis seruare nequit, tribus de causis: tum quia cordi proximior cerebro, & longè illo minor: tum, vt diximus. propter vasa ei magna substrata: cum in cerebrum, vt inquit Aristoteles, exigua, quanquàm numerosa, immigrent. At Galenus, in libro de Motu musculorum 1. in princ. medullam alterius esse rationis censet à cerebro, & vocata spinali medulla: nam quæ in aliis continetur ossibus, pinguior est & humidior, nec ex illa neruus vllus exoritur. At verò ipsam frigidiorem ac magis terreã cerebro putat quæ in spina continetur: quoniam durior ac siccior, & nullis sociata arteriis, nec enim pulsat vt cerebrum: ideo iuxta hoc nec cerebum, nec spinæ medullam, medullam iure merito appellaueris. Quamobrem lentum ac crassum humorem gignere medullam scripsit quæ in spina continetur, velut, & cerebrum aliorum ossiũ non ita sed bene nutrire ait, si probè concoquatur, 111. de Alimentis, Lib. de cib. boni & mali succi, cap. 3. iuxta medium. Sed & in xi. de Medicamentis simplicibus cum de medulla tractaret quæ in spina continetur, non esse medullam apertè dixit.

CONTRADICT. VII.

Ventriculo cerebri vulnerato mors necessariò succedit.

Cerebro discisso lethale est, dicebat Hippocrates cap. 9. atque ibi Galenus in commento vi. Aphor. 18. Cerebrum vulneratum sæpe sanatum vidimus: semelque in Smyrna Ioniæ viuente adhuc præceptore Pelope, è vulnere effatu digno. Hoc itaque rarissimum est. Verum autem est, quòd magna vulnera, quæ Hippocrates Discissiones consue

consueuit appellare, afferunt mortem: fatenturque omnes, quòd vulnera cerebri quæ vsque ad aliquem eius ventriculũ penetrant afferunt mortem. At in libro 8. de Partium vsu c. 10. scripsit in hunc modum: Nam admirabile illud spectaculum, atque incredibile, quod Smyrnæ in Ionia accidit, aliquando sumus conspicati adolescentem, vulnere in alterum ventriculorum anteriorum accepto superstitem euasisse: Dei, vt plerisque videbatur, voluntate: sed ne temporis quidem momento viuere potuisset, si vtrunque ventriculum vulnus violasset. Enarrat circa hæc obiter duos Brasauolus in huius Aphorismi expositione casus, in quibus cerebro vulnerato contigit sanari. Alter enim è seruientibus erat patritiis Valengis, qui cùm excussa esset cerebri portio ad oui parui gallinæ instar stupidus fermè ac ineptus triennio superuixit: loquẽdi facultate etiam oblæsa. Alius è Corsica insula oriundus cùm fermè dimidium capitis cum portione ei cerebri correspondente sublatum esset, sanatus est tamen, mãsitque nihil intelligens, nullius habens memoriam, cibum non nisi illatum ori sumebat, constercorabat se, ac etiam lectulo immingebat. Celsus verò de vulneribus basis cerebri meminit. Si per basim os intelligat haud hoc verum est, quòd semper mors sequatur, vt ille ait, quare incertum est quod velit. Cæteri enim Galeni placita sequuntur. Ad hanc contradictionem possumus dicere quòd in Aphor. Galenus intellexerit per vulnus effatu dignum, penetrans ad cerebri ventriculum: sed obstant verba succedentia, cùm dixit, Fatentur omnes vulnera cerebri ad ventriculos peruenientia, mortem inferre. Alij legunt literam hoc modo, Καὶ ἅπαξ, καὶ δὶς κα|ὰ τὴν ἰωνίαν ἐν σμύρνη. id est, Et semel, & bis in Smyrna Ioniæ. Sed succedentia verba non conueniunt: Ἔπ γε τῦ διδασκάλυ πέλοπος ζῶντος, ἐπ' ἀξιολόγω τῆ τρώσῃ. Etiam enim dignis: non, Etiam digno, legi debuit. Nec est verisimile, alium esse hunc, qui hic enarratur, adolescentem ab eo, qui in Aphorismis. Sed commodum visum fuit ad tractandam materiam hoc exemplum etiam ad vulnus ventriculi transferre. Nam si non oportuit dicere in senio confecisse libros de Vsu partium: contigisse autem tempore intermedio casum hunc adolescentis secundum in eadem Smyrna vrbe, in qua & alius acciderat, cuius meminit in Aphorismis: verùm denuò eius non meminisse, quòd non pertineret ad tractationem de ventriculis. Hæc sunt excogitanda ei, qui velit Galenum pertinaciter à Græca leuitate tueri. Sed quàm verisimilia sint hæc omnia, & non potius hoc, quòd duobus diuersa referentibus crediderit, aliis diiudicandum relinquo. Magis igitur credendum est priori sententiæ, Percusso altero ventriculorum, etiam anteriorum mortem necessariò subsequi: nam qui in adolescente hoc Galeno factum narrauit, Chirurgus fuit, ac etiam Græcus.

lib. 5. c. 26.

CONTRADICT. VIII.

Membra principalia an quatuor.

QVatuor sunt membra principalia: Cor, Cerebrum, Testiculi, Iecur. Galenus in Arte medica. Verùm in 6. de Vsu partium dixit, Membra trium sunt generum: quædam vitæ necessaria, vocanturque Principalia: alia, quæ ad bonam vitam, ac commodam faciunt: alia verò quæ ad horum vtilitatem ac custodiam. Quare Testiculi non erunt membra principalia, non enim vitæ sunt necessaria: erunt autem Ventriculus & Pulmo. Franciscus Cassanus 1. de semine. c. 16. iuxta medium, in cuius scriptis hanc contradictionem inueni, quem iuuenem amicitiæ nostræ mors detraxit, sic concordabat: quòd Ventriculus & Pulmo non vitæ illico inseruiunt, sed his in quibus vita primò consistit membris: Testiculi verò ad salutem sunt speciei. Vel etiam dicere possumus, in libro de Vsu, membra quoad necessitatem vitæ considerari: hic verò in Arte medica, quoad virtutem. Nec refugiam sic: Ventriculum & Pulmonem inter principalia collocare: oculos, aures, testes inter ea quæ faciunt ad commodum vitæ vsum: vngues, & palpebras, & cartilaginem aurium, inter ea quæ ad custodiam sunt.

lib. 1. c. 3. cap. 7.

CONTRADICT. IX.

Hippocratis regio an temperata sit: Autumnus an pluuiosus esse debeat.

GAlenus secundo de Temperamentis c. 6. docet, regionem propriam, in qua natus est, temperatam esse: natus est autem Galenus Pergami, vt in libro de eius vita conscripto docuimus: in quo conati sumus docere, quantum ingenio quis valeat: cùm ex priuati hominis gestis tam iucundam ac variam historiam contexuerimus. Est autem Pergamus ab æquinoctij circulo distans partibus triginta nouem cum quartis tribus vnius. At 111. Aphorismorum con. 14. dicebat quòd regio temperata est, quæ est iuxta Coum & Cnidum. Cous verò insula est ab æquinoctij circulo distans partibus trigintaquinque cum dimidio, fuitque Hippocratis prima quondam, & nunc ferunt adhuc domum illius extare, cum gymnasio quod celebratur. Cnidus verò borealior Coo est, distans ab æquinoctij circulo partibus triginta sex integris: est autem in Caria regione minoris Asiæ, in maris littore super promontorio tantundem quantum Cous à Fortunatis insulis distans: quò fit, vt in directo ad vnguem sit Coi insulæ parum ab illa distans, id est millibus passuum ferme XL. Quare non videtur Galeni regio quæ borealior est Coo partibus quatuor esse temperata, cùm non sit iuxta illam. Sed hanc difficultatem diluebat ipse in secundo de Sanitate tuenda fol. 5. p. 1. dicens, quòd medium regionis eius, in quo erat patria Hippocratis, erat

tempe

temperatum: non igitur tota regio Galeni temperata erat, quia medium illius tale est. Sed quomodo hoc sit intelligendum paucis accipe. Sunt apud Geographos, vt in libro super Ptolemæi placita c. 23. diximus, paralleli 22. & climata septem. Quod verò illis est commune est, quoniam tam paralleli quàm climata ab Oriente ad Occidentem extenduntur, dimidium terræ amplectentia, id est, partes centum & octoginta, vniuerso orbe iuxta Astrologorum placita in partes 360. diuiso: verùm Paralleli 21. sunt citra æquinoctij circulum, vnus duntaxat vltra, vt primo Geographiæ Ptolemæi scribitur, distans partibus octo & dimidia: sed & vltimus post illum intelligitur oppositus ei, qui per Meroën Nili fluminis insulam, ac nunc vsque ad antarticum polum processisse Lusitani videntur, vt sic parallelos extendere ad australem circulum oporteat. Sed cùm sermo sit de his quæ Galeni tempestate erant cognita, tum quæ ad nostram pertinent habitationem, illis omissis, declarandum est, non de parallelis intellexisse Galenum, sed de climatibus: nam si ad nostrum referatur habitatio temperata, erit vndecimus parallelus talis, nam hic ex 21. medius est ad vnguem. Verum cùm Dia Rhodos, id est, qui per Rhodum transit, Parallelus sit Hippocratis patriæ, hic verò non vndecimus, sed decimus: constat non ex numero parallelorum mediam debere dici habitabilis terræ Hippocratis regionem, sed nec ex situ, nam quarta pars initium est primi paralleli, sexagesimatertia verò ab æquinoctij circulo vltimi: quo fit vt medium habitabilis æquali sumpta ab extremis distantia sit pars trigesimaquarta non trigesimasexta. Adde quòd Cous ac Cnidus in decimo, Pergamus in vndecimo sunt Parallelo: non igitur regio Galeni & Hippocratis esse vna potest: quare nec in medio regionis Galeni Hippocratis patria esse potuit: finis enim decimi paralleli, ad trigesimam octauam ab æquinoctij circulo partem extenditur.

At verò si ad climata referatur hoc, rectè quidem procedet: nam cùm septem sint climata, quartum ad vnguem in medio est, at clima quartum continet Pergamum & Coum ac Cnidum, nempe initium eius climatis est in trigesimaquarta parte ab æquinoctij circulo, finis in quadragesima: apparet igitur Pergamum Galeni patriam esse in extremo habitabilis temperatissimæ, id est climatis quarti, Coum verò ac Cnidum in medio. Nec refert quòd Rhodus & Cous non sint in medio habitabilis iuxta climatum terminos, nam primum iuxta duodecimam partem initium accipit, septimum finitur ad quinquagesimam secundam: quò fit, vt medium hac ratione esset pars fermè trigesima secunda ab æquinoctij circulo, nam in his quæ non æqualiter procedunt vnum medium statui non debet, sed plura, atque ipsa inuicem includi ac diuidi: sic enim fiet, vt medium secundum numerum, medium etiam sit secundum temperantiam: velut in homine, si cor medium docere velis esse, non protinus ab extremis distantiam sumes: nam non sic in medio erit, sed longè capiti, quàm pedibus propinquius: igitur hominem primo in ventres & extrema diuides, constat verò ventres in medio extremorum habita comparatione collocari. Inde ventres cùm sint naturalis, vitalis, ac animalis, horum denuò medius est vitalis, rursus in vitali medium est cor ipsum: atque sic totius hominis cor medium possidet: quod non intelligentes quidam, frustra conantur Philosophum, qui hoc dixit, damnare, neque enim adeò ille excors erat, quin non videret Cor ipsum æqualiter à vertice capitis, & imis pedibus non posse distare. Quare quadruplex est medium ratione Geometricum à proportione, Arithmeticum à distantia, Musicum ab extremorum & differentiarum æquali ratione, & Naturale quod ex ordine constat: estque id medium plerumque in operationibus, atque apud ipsum sensum rectè diiudicantem: nam sensus fallacis nulla mihi est cura. Igitur Dia Rhodos climatis medium, patriáque Hippocratis, tum verò & quæ in eo sunt parallelo regiones, vt Sicilia ferme tota, & Sardiniæ non leuis pars regio exquisitissime temperata iuxta medicos dici debent, collocantur autem Cous ac Cnidus in prima Asiæ tabula: in eius etiam directo est Hellesponti & Ciliciæ magna pars. Sed hic non leuis est dubitatio, nam Hippocrates in libro de Aëre & aquis inquit; Est verò Asiæ regio hac nostra longè mansuetior. Quibus verbis primò non se Asiaticum, sed Europæum profitetur: ac regioni suæ aliam antefert velut temperatiorem, atque vtinam haberemus Galeni quæ in hunc scripsit librum commentaria. Sed cum adeò Cous propinqua sit Doridi Cariæ parti ac Phrygiæ, Hippocratem minime Europæum dicere possumus. Verùm tribus modis respondere licet: vel quòd Chius fuerit, non Cous: nam Chius insula est iuxta Græciam in vltima Europæ tabula posita. Sed nemo Chium, sed omnes Coum dixerunt. Vel dicendum, quod malim, omnes regiones vicinas cùm à Græcis incolerentur, Græcas dictas, & ob id etiam Italiæ oram Neapolim versus, Græciam magnam vocari tunc, passim etiam à Romanis ipsis solitam. Cyclades verò insulas etiam tunc Coum comprehendisse: quæ cùm ex parte in Europa essent, omnes autem commercio Græcarum ciuitatum non barbarorum detinerent, sermonemque ac instituta seruarent: quinimo accolæ ipsi essent omnes Græci, ideo Hippocratem Europæum potius, quàm Asiaticum se appellasse: quod ex Epistola etiam colligitur eius ad Hystanem præfectum Hellesponti. Vel dic, quòd regionem suam Asiæ continenti comparat non vt diuersam, quia Europæa sit, sed quoniam diuerso situ terrarum & aquarum Asia præcellat. Sed quomodo temperatissima est? Respondeo, cœli habita ratione solum, non cæterorum: atque sic eam generaliter Galenus considerat. Hippocrates verò exquisitius, quoniam propriè de locis sermonem habiturus erat: constat etenim Sardiniam, quæ maxima ex parte in temperatissima regione continetur, ob propriam loci qualitatem, pessimum aërem habere, atque pestiferum. Igitur Galenus de cœli

fol. 2. in initio.

cœli regione loquens temperatissimam protulit patriam Hippocratis: Hippocrates locorum habita propria ratione Asiæ continentem patriæ suæ prætulit: nam & Syriæ & Mauritaniæ populi multi quamuis sub parallelo per Rhodum degant, maximis tamen caloribus affliguntur: vt etiam pars harum regionum, etsi situs ad æquinoctij circulum habita ratione sit temperatissima, attamen reddatur inhabitabilis, seu aquarum penuria, seu cœli inclementia, vt mox subiungetur. Sic fermè in eadem sunt regione Carmania deserta, Drangiana, Arachosia, Sinæ, Indiæque pars, Parthia, Scythia, Aria, quæ omnes multis in locis non habitantur, plerisque verò haud commode: quare non tantum clima.

Sed Auerroës tamen in secundo Collectaneorum cap. vlti. in fine, inquit: Quintum clima, in quo ipse natus erat, esse temperatius Quarto: est enim Quintum clima, in quo etiam Roma, & Italia magna ex parte, quæ verè sic dicitur, continetur. Corduna in Betica Hispaniæ regione est: sed cùm & ipsa sit in climatis quarti fine, non in quinto, non sic intelligo, cur Quintum clima Quarto prætulerit: ni sit quòd ex regione Borealiori foret, quæ Cordubæ vrbi subiiceretur. Vtut res ipsa se habeat, declarat hoc ratione: Temperatissima, inquit, regio est vbi breuissimus est autumnus: nam hoc tempus est inæquale maxime, vt 3. Aphorismorum co. 9. cap. 4. & primo de Temperamentis parl. 1. co. 1. post princ. habetur à Galeno: in quinto verò climate esse breuissimum autumnum colligitur ex primo Epidemiorum Galeni, vbi declarat, autumnum esse duorum mensium: apparet autem, quòd in climate quinto non tantum extenditur: Septembri enim mense adhuc manet æstas, & ante Nouembris initium hyems irrumpit: quo fit, vt non possit autumni tempus duobus extendi mensibus. Sed hoc rectè fecisset Auerroës si demonstrasset, quod dubium erat, nihilominus diceret etiam hoc supposito Galenus, non per totum clima quintum hoc verum esse, sed ratione loci proprij Cordubæ contingere, & etiam si sic esset, non tamen quintum clima esse temperatius, quia temperamentum regionis apud Hippocratem lib. de aëre & aquis fol. 4. intelligitur, cùm calor æstatis minime à frigore Hyemis distat: nam varietas autumnalis temporis, non ex climate, sed ob ventorum naturam potius contingit. Emendari verò debet Auerrois locus, vt sic legatur: Et inter alias temperatior est terra Hippocratis. Sunt enim verba Galeni 2. de tuenda sanitate, vbi suprà.

Postquam verò sedata est controuesia hæc multiplex, expedit vt doceamus, quinam sint loci, aëris habita ratione salubres; tum, qui morbi & mores loca ipsa consequantur: demum, quibus modis in noua regione habitatio salubrior haberi possit. Igitur Hippocrates in princ. tres in suo libro de Aëre & aquis, considerationes attulit: à mutatione primam, à remis ventis secundam, vltimam verò à situ. Simul autem fermè expositis causis horum signa habebuntur, qua ratione Principi visum est sufficere, vt de his inter causas tractaret, cùm signa sint hæc à priori, quo fit vt nobilissima sit hæc tractatio non solum ob finem, qui per se est necessarius ac vtilis, sed quia demonstrationes quæ in his habentur vt naturales perfectissimæ sunt: causam rei & rem ostendentes simul. Quod igitur ad mutationem temporum attinet, regulam generalem dabat Hippocrates, in eo libro fol. 2. in fine. Vbi tempora magnam suscipiunt permutationem, corpora non sunt adeo pulchra, sed sunt robustiora, neruis validis, agilia, audacia mente, industria pollent, crudelia, morbi acuti & vehementes: in temperatis verò locis pulchra, languida, fluxa, timida, mitia, pinguia, non magni ingenij, non solertia, & quæ facilè decipiantur. Causam ingenij & solertiæ dabat Hippocrates: quoniam admiratio est causa studij, & inquirendi: vbi verò permutantur tempora, ibi multa, & magna, nouáque apparent: coguntur etiam se præmunire aduersus iniurias temporum. Si verò frequens mutatio sit, vt Romæ, necessarium est multos apparere morbos, vt 3. particula 1. Aphorismorum, & etiam quia homines maximè aduenæ, non possunt esse adeò cauti in permutandis vestibus, sed si mutationes validæ cum hoc sint, erunt morbi etiam difficiles, non solum frequentes, ingenia verò virorum mobilia, quare etiam infida: vbi verò raræ, leuesque mutationes, erunt fideles magis, ac constantes, morbi lenti ac diuturniores. Si autem in temporibus eueniant consuetis, erunt salubres regiones: in contrariis autem insalubres, vt ex Hippocrate colligitur 3. Aphoris. 8. & 15. Ex permutationibus verò generaliter quæ ad siccitatem sunt, salubriores sunt: quæ ad imbres, morbosæ magis.

Ventorum autem ratio sic se habet: Borealis omnium saluberrimus, hoc argumento probabat Plinius lib. 17. c. 4. quòd arboribus Austrum spectantibus, celerius diffluant folia, serius Aquilonem. Dicitur regio spectare Boream, quæ montem habet ab Austro, ipsa verò ad Aquilone detecta est, & eleuata, vt inquit Rasis tertio ad Almansorem c. 26. Quia tamen Boreas nimis acer est, laudat ciuitates expositas orienti potius quàm Boreæ. Et hoc dicebat Iosephus Indus in sua nauigatione c. 135. volens reddere rationem, cur in Caranganora ciuitate, quæ ab æquinoctij circulo distat fermè partibus quatuordecim, homines viuant centenis annis, illæsis etiam dentibus. Dicit igitur, quòd ibi Euri fermè toto anno regnant. Ob id dico, quòd vbi ciuitas sit in malo loco, & in malo aëre, tunc domus & ipsa vrbs debet exponi Boreæ: si autem sit in bono loco & aëre, exponantur domus & vrbs ipsa orienti. Et hæc est concordia inter Principem, & Rasim secunda primi doct. 2. c. 10. 5. Sed post Boream ponitur Eurus etiam in expurgando aëre, pòst Zephyrus, qui ab Occasu spirat. Vltimus ac perniciosus est Auster, vt etiam 3. Aphorism. Est etiam considerandum, quòd Vitruuius docet in condenda ciuitate effugere omnes ventos: at hoc vt est commodum habitatoribus, sic

sic minus salubre: ille igitur rectè consulit commodo & decori: at Medicus aliter saluti: vterque pro dignitate artis. Cùm verò vrbs consistit circundata à tribus partibus montibus, tunc vni vento tantum exponitur, & si ille ventus etiam sit salubris, vt Boreas, Eurusve: regio tamen incommoda est, ac insalubris, maximè aduenis, ob vehementiam illius venti. Quare domus non debent, nec publicæ viæ, illi vento exponi. Salubres igitur vrbes sunt, quæ vel duobus aut tribus ventis, inter quos Auster non numeretur, expositæ sunt: item quæ omnibus etiam, vt quæ in cacumine montium. Boreas facit tusses, & fracturam vasorum pectoris, anginas, & laterales morbos, & coli dolores, & vrinæ difficultates: facit autem corpora agilia, bene appetentia, colorata, densa. Auster autem facit grauitates capitis, vertigines, attonitum morbum, & articularem: fluxa, languida, & malè colorata corpora. Euri & Zephyri minus mutant, sed vt diximus ex his salubrior est Eurus. Si autem singularem rationem in his consideremus, frequentes & validi morbos pariunt Austri auditui, Aquilo nocet oculis magis: si etiam suis temporibus in ea regione flant, salubriores: si alienis, morbosi. Videre etiam successionem bonum est: nam Boreas Noto succedens magnos facit morbos, peripleumonias, & phlegmones sub costis. Similiter & à qualitate loci, vt Princeps inquit: nam si ex loco æstuoso, & desertis venerint Austri effectum gignunt, etiam si sint Aquilonares: at contrà, ex frigida regione Auster etiam parum aut nihil nocet: in Euro tamen & Zephyro hanc rationem obseruare iubet nos Princeps secunda primi doct. 2. cap. 10. vt si Eurus manè spiret, aut Zephyrus vesperi, salubriores sint: quoniam ex loco, quem iam sol repurgauit, spirant: at contrà insalubres, si Eurus vesperi, aut Zephyrus manè perflauerit. Eadem ratione si cui mons niuibus obsitus ab Austro positus sit, Auster illi vrbi humidioris cuiusdam Boreæ vicem obtinebit. Ciuitates igitur quæ malè quoad ventos positæ sunt, trium sunt generum: aut enim omnino à ventis non perflantur, & hoc quia in humillimo loco sunt: & de his dicebat Rasis lib. 3. cap. 26. quòd incurrunt lippitudines, & oculorum alios morbos: & similiter si habuerint ventos humidos spirantes ac corruptos, vt ex aquarum stantium, & paludum locis. Circa quod scire expedit, quòd malus aër primo nocet capiti, secundo vitalibus membris, & vltimo naturalibus: aqua verò mala nocet primò naturalibus membris, & pòst capiti, vltimo vitalibus membris: ideo vbi solus aër malus est, non fit hydrops ex hoc, nec regius morbus. Primò igitur nocentur illorum capita: quòd si caput validum fuerit, & oculi mediocres, aut debiles, oculi infestantur, cerebro quod illi noxium est ad eos expellente, iuxta regulam generalem: Membra robusta superflua mittunt ad debilia, ex Galeno in libro de Venæ sectione. Secundum hoc igitur tres vt legerent profecti sunt ad vrbem vbi malus est aër, ratione qua inferius docebimus. Igitur primus erat senex, & habebat cerebrum oculos validos: secundus erat iuuenis & habebat caput validum, oculos mediocriter robustos: tertius iuuenis cum debili cerebro. Primus igitur capite & oculis illæsis, febre longa correptus mortuus est, quia erat senex: secundus oculis laborauit, & febre à qua liberatus est, erat enim iuuenis: tertius correptus est phlegmone cerebri, vel membranarum eius, & mortuus est: pauci enim cùm euadant ex his morbis, quantò minus ille euadet, cui morbus propter aërem accessit? cùm aër potuerit ex sano euertere ad morbum, quomodo igitur reluctante aëre sanabitur? Et sic quasi manifestũ est, quòd potuisset quis naturam loci agnoscens, diuinare quod cuique venturum esset. Igitur modus, situs vrbis malus, quoad ventos, alius est vbi aër malus natura spirat, vt Auster: vel propter naturam, vt Zephyrus si à palude, vel Eurus. Tertius est cùm fuerit vrbs inter duos montes detecta à Meridie & Septentrione: vel si fuerit conclusa ab omnibus partibus, præterquam ab Austri, vel Boreæ parte: nam tunc maximè aduenæ non sustinebunt tantam vim ventorum, etiam salubrium, absque magna noxa. Qui tamen excipiunt Boream, erunt validi dum valent, & bene colorati: qui Austrum, nec sani bene se habebunt.

In causis autem accidentibus loco, ab Hippocrate in libro de Aëre & aquis in fine, dantur tres generales differentiæ locorum, à quibus docet reliquas venari: permaximè enim distantia apud Hippocratem media docet Galeno teste. Prima igitur est, Montuosa regio, aspera, & aquosa, ac nuda, facit corpora magna, robusta, crudelia, incolumia: excipit enim validas aëris mutationes: vnde etiam fortia animo sunt. At contrà, concaua, æstuosa, & pratis abundans, corpora eneruata facit, animos molles, ac mites: quòd si flumina stantes aquas deduxerint, & perflata fuerit, incolumis habitatio erit, & colore bono indigenæ præditi: si autem aquæ stagnantes, morbi, ac vitia lienis, ac ventris: & color malus indigenis. Secunda verò differentia est: Alta regio, aquosa, perflata, corpora magna habet, & animos mansuetiores: depressa verò, arida, & non perflata, aspera, parua, corpora efficit flaua: animos autem rigidos, ac contumaces. Nudam igitur vocat regionem quæ lucis & arboribus non est obsepta. Montuosa ab Alta differt, quòd inter lapides sit, & longè eleuatior, aliquando etiam depressior: nam & hic per montuosam intelligit eam, quæ in radice montis est sita. In prima igitur complicatione tria habet, Montuosum, Asperum, Nudum: in secunda, Altum, & Perflatum: sed in vtrisque Aquosum, quod commune est: in contrariis contraria. Quare manifestum est, etiam Depressam à Concaua differre: nam Mediolanum depressam habet regionem vndique à montibus multùm distans: Scarperia verò in loco est concauo, & quæcunque vrbes inter montes positæ sunt. Tertia differentia est, quòd vrbis in pingui solo, & vbi putei aquæ sunt sublimes, ac parum profundæ, homines sunt pingues, glabri, somnolenti, paruo ingenio, misericordes, pigri, inuidi. Vbi verò arida

tegio frigorique hyemis, ac æstiuo calori subiecta, tum aqæu puteorum profundæ, homines sunt graciles, hirsuti, vigilantes, subtili ingenio, crudeles, laboriosi, iracundi. Hæc igitur in genere dicta sint.

Cùm verò ad singularem aëris cognitionem deuenire propositum fuerit, primò quidem in aëre tres differentiæ hæ solent considerari: vt si bonus, aut malus: subtilis, aut crassus: & quæ qualitas ex primis in eo præualuerit. Horum omnium signa ex duobus excipiuntur: ab effectu, & à causis. Causæ autem sunt, vt mare, flumina, ostia fluminum, terræ qualitas, paludes, imbres, montes, specus, lici, arbores, herbæ, animalia. Igitur ab effectu dignoscitur aër bonus ac malus, vt Princeps docebat, Secunda primi doct. 2. cap. 11. & Rasis 3. ad Almanso. 25. quoniam malus aër præfocare nos videtur, ac quasi os ventriculi, & cor comprimere: bonus autem delectabilis est, ac nos quasi recreare videtur. Aliud signum ab eodem ponitur, cùm mala qualitas percipitur in eo, vt sit quasi puluerulentus, fœtidusve, aut turbulentus. Dicebat etiam Princeps, prima quarti, tract. 4. c. 3. quòd abundantia reptilium declarat aëris corruptionem. Certius etiam signum sumitur ab euentu: nam vbi homines malè colorati, inualidi, & breuis vitæ, ac morbis abundantes, ibi aërem malum esse, credendum est. Sed quia hoc etiam vitio aquæ prouenire poterat, ad morborum differentias deuenire oportet, atque ob id hoc certissimum signum ab autoribus est permissum: inquit enim Hippocrates, Morbi Epidemij aëris, vel aquarum vitio prouenire possunt. Morbi igitur ex aëre cerebrum maximè infestant, vnde grauedines, anginæ, lippitudines, resolutiones neruorum, attoniti morbi, surditates, capitis dolores, & phlegmones. Ex aqua autem hydrops propriè, & difficultates, ac leuitates intestinorum, regius morbus, vrinæ stillicidia, ac vesicæ reliqui morbi, viscerum durities.

Quintum signum à Principe est positum, frequens aëris in die permutatio ad calorem frigúsve, turbulentiam & claritatem, serenitatem & nebulas: sed hoc magis ad causam attinet. Vltimum verò ponitur à Vitruuio, & est antiquorũ in castris deligendis, ac vrbibus condendis, victimas non paucas mactabant, & iecora inspiciebant: vnde postmodum vsus in religionem transiit: nam pingue rubrum, cum adipe candido, salubrem aërem & aquam loci in quo victima depasta est, nuntiat: lapidosum autem aquas terreas: adipe subcroceo, aut flauo, corruptas: macilentum malum aërem, tum magis si subnigrum fuerit, vel liuidum: sub albidum rursus iecur, malas aquas. Communes fermè aquarum & aëris vitiis sunt febres, ac morbi alij, quicunque ex putredine primò generari solent: aër tamen magis acutis proprius est, aqua diuturnis. Subtilitatis verò aëris, vt dicebant Princeps & Rasis, proprium est signũ, quòd vesperi ab occasu solis celerrimè refrigeretur, & mane ab eius ortu incalescat: crassus vtrumque serius facit. Aliud est signũ, vt exhalationes terræ à lõge videantur: si quidem in crasso hoc non fieri potest: multò minus in turbulento. Eadem ratione etiam minimæ stellæ, atque ideo plures per noctẽ conspiciuntur in subtili, quàm in crasso aere. Calidus ac frigidus aër sensu percipiuntur: siccus & humidus, vt naturales docent, ex lapidibus politis deprehenditur: nam in humido aëre semper madent, cùm in sicco sint sicci. Dignoscitur etiam ex spongia aëri in nocte exposita sub tecto: nam si humescit, aër humidus est: & quanto magis etiam maduerit, eo humidiorem denuntiat illum esse: si verò sicca permanserit siccioris etiam cœli est argumentum. Generatio etiam multorum reptilium non aëris tantum, sed soli etiam humidioris est indicium: quare hæc de signis dicta sint.

Effectus autem qui ab his prodeunt hi sunt: Malus aër omnibus malus, maximè vero languidis, aduenis, capita habentibus debilia, humoribus malis plenis corporibus, intemperatis, ociosis, & studiosis: vitam decurtat, morbos parit, tædium cibi, tristitiamque affert, languidum corpus reddit, & male coloratum, canosque accelerat. Bonus non omnibus vtilis, cùm aliqui contrariam requirant suæ naturæ vltra bonitatem temperiem, opposita tamen prædictis generaliter efficit. Subtilis prodest inferioribus mẽbris, iuncturis, ingenio: nocet diuturnitati vitæ, sed per accidens prodest, nam plerumque est omnium malarum qualitatum expers. Malus in morbis vagantibus, propriéque pestiferis, nocet capiti homines reddit laborum impatientes, acutosque parit morbos. Crassus verò minus attenuat ob id magis confert vitæ & capiti: nec acutos morbos, nec contagiosos adeò fouet: nocet iuncturis, vitalibus membris, partibusque inferioribus: hebetiora facit ingenia, sed laboris patientia. Calidus facit eneruata, decolorata corpora, agilia, laboris non facile patientia: nocet iecori, & ventriculo: iuuat cerebrum, & pulmonem: cordi est obnoxius, maximè insueto: ingenia facit acuta, mobilia, infida: cum humida si iungatur longitudini vitæ confert: cum sicco plus nocet quàm frigidus: nempe Garamantes cùm in calidissima & sicca sint regione, non vltra quadragesimum annum viuunt. Frigidus autem robusta, colorata, laborum patientia, fidelia, pertinacia, non agilia, obtusóque ingenio: nocet cerebro, & pulmoni: iuuat cor, iecur, ventriculum: cum sicco vel humido mediocrem præstat vitam: nam & Lapones fermè vt nos viuunt: sunt autem Lapones in frigidissimo cœlo: & ibi, vbi antiqui ob cœli inclementiam negarunt vllam esse habitationem. Siccus verò aër vt omnes morbos à putredine natos tollit, sic vitam maximè decurtat: corpora vero facit hispida, parua, aspera, non pulchra, macilentia, loboriosa, moresque agrestes. At humidus glabra, pinguia, magna, mollia, formosa, eneruata: mores mansuetos, & ab iracundia & crudelitate alienos: longitudini vitæ multum confert: sed morbos à putredine plurimos generat, vlceribus maximè noxius.

Exteriorum verò causarum ratio sic constat. Mare

stat. Mare quatuor modis iuxta Auerroem salubrem reddit habitationem. Primò, quia salsedine corruptioni resistit: secundò, humore confert ad vitæ longitudinem: tertiò, quia spirant semper venti perpurgantes aërem: quartò, quia temperat aërem vt hyeme, & in frigida regione sit tepidior: æstate verò & in calida regione sit mansuetior: cuius causam ipse docebat in secundo Meteorum cap. 2. Flumina verò velociter currentia aërem attenuant: faciuntque corpora macilenta, tenuia, mobilia, crudelia, infida. Cœnosa verò, & quæ tardè mouentur, vt Padus, corpora minus valida reddunt, & sana: contentiosos homines mansuetiores, atque fideliores. Ostia verò vbi flumina mare ingrediuntur, aerem corrumpunt: causa est, quia dum mare æstuat, æstuat autem duodecim horis singulo die, fluminis aqua retinetur & in halitus transit aeremque non leuiter corrumpit. Fit etiam vt terræ qualitate argumentum de aere sumamus: dicebat enim Rasis 3. ad Alman. 26. Terra rubra aeris ostendit bonitatem: nigra verò vitium. De Paludibus omnes consentiunt Vitruuius, Princeps, Rasis, ac alij omnes, quòd aerem corrumpunt, adeò vt pestifera reddatur habitatio: mare si proluat illas, minuit earum detrimentum. Illud obseruandum est, aquas illas esse deterrimas, vbi soli innascuntur iunci, atque agrestes arbores, vsuique humano quoad cibum inutiles. At vbi in ripis apparet salix frequens, & holera humano vsui apta, tum odoratæ plantæ, aqua ea parum aut nihil aerem inficit, ac à viatoribus tutò potest bibi. Cauendum etiam est ab ea, quæ viridem obduxit in superficie mucum, putrida enim est: tutissima verò, & minime mala est, in qua squamosi pisces degunt, ac ea semper absque periculo bibitur: nam non omnis etiam fluminis vnda innoxia, vt Seneca lib. 3 natural. quæstionum. c. 25. & alij referunt auctores. Sic & venti immodici vt magis incommodi, sic minus insalubres: mediocres, & mites deteriores, quamuis iucundiores: quare vicina palus magis nocet, vbi nulli aut mites venti solum sunt, aut si ex aduerso exitus non pateat, hoc enim summum malum: vnde montes à septentrione positi, cùm Boream non admittant, plurimum nocent, si paludes, aut aquæ stagnantes, aut imbrium copia soleat eam regionem madefacere: indigēt enim validis ventis regiones, quæ aliquo horum vitiorum laborant: optimus autem ex his Boreas, vt qui aërem expurget, & attenuet: pòst Eurus ac deinde Zephyrus ratione superius expressa. Auster verò per se inutilis est: si tamen validus sit, quanquam aerem condenset, vbi mala qualitate paludis, aut imbrium, vel aquarum stantiū inficiatur, non parum prodest: debet tamen halitus auferre ab vrbe, non inferre: vnde si ab vrbis boreali regione palus abesset, salubrior ei vrbi erit Auster, quàm Boreas: nam hic infert pestem ciuitati, ille quàm longissime auertit eam. Hac igitur ratione Sardinia insula omnium regionum insaluberrima habetur: nam tres aquas habet, Hypositanas, Lesitanas, ac Neapolitanas, à meridie stagnantes omnes: à Boreæ autem latere Mænomenos montes, insulam fermè ab Oriente in Occidentem dispescentes: quò fit, vt cùm calida sit regio (nam & hoc facit vt paludes & aquarum copia noceat maximè, cùm in frigida parū obsint) eleuati halitus à Borea nullo modo expurgari possunt, ab Austro verò etiam conculcantur ac retinentur: ob id pestilentissimam eam esse regionem iam necesse est: sed non totam, neque eodem modo, nec omnibus æqualiter, differentia tamen hæc semper obseruanda in montibus est, quòd sublimes etiam à longe cœlum immutant, humiles non nisi cum imminent. Ciuitates verò quæ fluminibus magnis diuiduntur, aut in montibus sitæ sunt ac locis inæqualibus, omnes ad seditiones sunt promptissimæ, vicem enim duarum vt plurium gerunt vrbium, vt Roma, Florentia, Sena: quæ verò cum hoc eneruatæ sunt dominantium arte, quamuis ad seditionem ob mollitiem animorum non erumpant, simultates tamen inter se gerunt graues, & ob id publicum commodum negligunt. Omnis præterea ciuitas in radice collis posita, vespertinos ventos noxios habet, cùm arctis vallibus proxima fuerit, vt Bononia. Aquæ verò Thermarum calidæ aerem vitiant: sed non adeo malè afficiunt, vt robusta corpora, quæ calida non sunt, lædant: quoniam à putredine procul absunt: ipsam tamen ac febres in debilibus accersunt vitiata concoctione: & in calidis ob intemperiem. Similiter & imbres copiosi, vt diximus, in calida regione, vel si æstate decidere soleant ante tempus, aerem corrumpunt: in frigidis autem regionibus tēporibusque, parum nocet hominibus, sed potius segetibus: intempestiua autem omnia quæ in regionibus ob situm eueniunt, insalubrem eum reddunt.

Porrò qualis sit natura Anni, secundum proprium cursum dispositi, docebat Galenus in primo Epidemiorum particula 1. co. 1. post princ. dicens: Initium Autumni est exoriente arcturo, qui 12. diebus ante Autumnale æquinoctum solet exoriri: tuncque venti frigidi spirare solent, & imbres cadere: inde vsque ad Vergiliarum occasum sensim augetur frigus, donec tunc sensibile augumentum sumpsisse videatur, pòst vsque ad vernum æquinoctium consistit vincente, frigore: ab eo ad Vergiliarum ortum mutationes plures, sed temperatæ moderatáque accessio fit, iam ab ortu Vergiliarum ad Canis ortum calor augetur cum siccitate. Sub Canis autem ortu spirant Austri: mox venti Etesiæ cum maximis imbribus, ad Arcturi denuo exortum vsque perdurant. Idem tertia Aphorismorum fermè, sed breuius: inquit enim, Autumni natura pluuiosa est: Hyemis nec ex toto serena, nec immodicè frigida: Ver pluuius leuibus scatens: Æstas verò etiam magnis, sed tempestiuis. Hæc est anni naturalis constitutio generalis: verùm apud nos Vere venti non leues spirare solent, qui morbos laterales creare in rusticis, ac non se custodientibus solent: in aliis autem locis parere salubritatem, vt si non spirent, locus reddatur infirmior. Cùm igitur annus naturalem seruat habitum saluberrimus est: cùm plurimum euariat, morbosus. Hæc igitur si in

in regione propter situm singulis contingant annis, regio ipsa redditur insalubris. Sunt & specus ingentes vt Ansancti, & de quibus decebat Seneca in tertio Naturalium quæstionum cap.21. qui morbosam reddunt regionem, imò pestiferam: non omnes, sed hi tantum, quos nemo absque vitæ periculo ingredi potest. Sunt & luci, tamen in his duo spectanda sunt, aut enim ab Oriente vel Septentrione positi ventos ne vrbem purgent impediunt: vel mala qualitate nocent, vt Princeps, 2. primi doct.2. cap.5. dicebat, enumerans in his Nuces, & Ficus & arbores amari corticis, vt etiam Taxus: hæ enim arbores aërem corrumpunt propria qualitate, & quæcunque atrum habent odorem, similiter & in herbis inter quas Princeps Erucam & Caules, Theophrasus Abrotonum, ac alias enumerat, quæ sensu facile deprehenduntur: quæcunque olent male, aërem vitiant atque corrumpunt, quædam verò quia putrescunt, vt copia fimi, & linum aquis immersum: sed hæc vrbes vitiare non possunt, villas possunt. Plinius verò, lib.17.cap.12. lib.17. cap.4. in arboribus probabat Alnum, Vlmum, Populum, Platanum: atque generaliter regulam dabat pulchram: omnes arbores longo pediculo salubritati aëris conferunt: quæ breui nocent. Rursus etiam, quæcunque imbrem, dum defluit admittunt, salubres: quæ foliorum frequentia impediunt, venosæ: vt Abies, Pinus, Picea. Si igitur syluæ ex his constent iuxta vrbes, aër corrumpitur, maléque in eis homines degunt. Sed non leuis occurrit dubitatio: dictum enim est, arbores amari corticis aerem corrumpere: at Theophrastus, lib.6. cap.13. de plantarum causis docet, omnes arbores olentes esse amaras, has autem emendare aerem clarum est: vt Iuniperus, Myrtus, Medica, Laurus, Limunium, Thus, & inter herbas Lilium, Laser, Asarum, Cyperus, Libanotis, & Amaracus: tum Rosæ præcipua dignitate: quo modo igitur obesse simul ac iuuare possunt? Dicendum igitur, solum inodoras, vel malè olentes quæ amaræ sint, aerem vitiare. Corrumpunt & illum venenosæ herbæ, vt Toxicum: At graues odore, sed non malè olentes, quandoque in humidioribus locis iuuant, in calidis ac siccis, nocent: vt, alea, porri, cepe, drancontium. Sic & animalia quædam emendant corruptum aerem, vt equi: quædam bonum corrumpunt, vt serpentes, sed hi parum in Italia nocent: ac etiam in Europa. Bombices tamen sericum efficiunt, non leuiter aerem afficiunt, tum cadauera multa, vt in magnis cladibus quæ vrbibus vicinæ propter prælium eueniunt, his omnibus si aer vitiosus sit, & à quibus, & quomodo vitietur, dignosci potest.

In euitanda autem iactura primum illud scire expedit: an omnibus malus sit aer, an tibi fermè soli; nam vt dicebat Hippocrates 3. Aphoris. 3. Quædam ætates ad tempora, & loca, ac victus genera, vel bene, vel malè se habent: nam, vt declarauimus, locus calidus frigidis conuenit temperamentis, humidus siccis. Quædam etiam peculiari ratione nocent, vt tabescentibus salsus, debilibus, ac his qui raram habent cutem, subtilis, aut perflatus nimis. Vnde nobis Papiæ aer noxius est, salubrior Mediolanensis: nec obstat patriæ ratio, quæ mihi forsan obiici posset: natus enim sum Papiæ, ac ibi ad quintum vsque educatus annũ, cùm pater ac mater pestẽ, quæ tunc in vrbe nostra grassabatur, effugissent. Igitur si possumus in cunctis locorum vitiis causam auertere, optimum est: si non, his modis cauendum est: Primò quidem victus ratio loci vitio opposita sit: frigidis cibis in calida, siccioriobus in humida, crassis in subtili, subtilibus in crasso aere: in corrupto autem semper his tribus conditionibus, odoratis, nempe acidis, & temperatis, non subtilibus: facilius enim corrumpuntur: nec crassis, quoniam obstruunt. Eligenda verò est habitatio in loco maximè à causa aduerso remoto, perflato, ac sublimiori vrbis parte: hæc enim tria si in vnum conspirent, multum iuuabunt: sin minus, ordo ex verbis in eligendo erit seruandus. Princeps autem Secunda primi doct. 2. cap.11. docuit, quoniam pacto aer emendetur, sole admisso intra ædes, vt quàm diutissimè eas collustret: secundo, si Boreæ vento pateant: cùm enim exceperint frequenter repurgantur: proximus est à Borea Eurus. Si igitur locus aerem habeat bonum, ædes Oriente & Occidente pateant: concludantur verò à Meridie, ac Septentrione, aliter erunt incommodæ. Si autem aer sit vitiosus, pateant Orienti, & Septentrioni, ab aliis partibus occludantur: si tamen, vt à Meridie amplis fenestris soli exponantur, eùm lucidissimo die, ac sereno, Sol terras illustrat: aliis temporibus minimè aperiantur. Noctis præterea, ac vtriusque crepusculi, dieíque initium, medium, ac finem deuitent, ne per ciuitatem ambulent, nec flante vento: vt verò sic malum, ita optimum ab eorum flatu, & ab imbrium casu vrbem perlustrare. Quod autem optimum ad vernum perpetuò caput integatur vniuersum: hoc enim aeris iniurias maximè arcet. Exerceri conuenit diutissimè hominem, sed leuiter, ac citra non solum lassitudinem, sed etiam tædium, vt exercitium illud iucundum etiam sit. Coitu frequenti abstinendum, expurgandum etiam lenientibus corpus ab initio: ac sensim vt loco assueueris, relinquenda: immoderantiæ omnes fugiendæ sunt, exercitationis, cibi, potusque: somno tamen copiosius indulgendum: habitare in hypocausto hyemis tempore conuenit: sic tamen vt flabellis, si aliter fieri nequit, aer expurgetur, ac moueatur singulis diebus, fenestras aperiendo qua parte est sol, aut ventus auxiliaris spirat: ibi etiam, & vbi dormitur, ac etiam summa æstate ignis accendendus: aerem enim emendat tum maximè odoratis inspersis: hyeme ex thure & lasare, vt etiam perpetuis noctibus ardeant: æstate verò ex rosis ac santalis, lasare modico exceptis, cùm verò quis domum exit, aurei mali corticem, aut medici, aut cyrenaicum succum cum aceto semper in ore contineat: multum enim confert, ac etiam graueolentiam oris corrigit. Habeat & viridarium ex odoratis herbis, myrto maximè, rosis, violis, liliis,

liliis, limuniis, libanotide, gariofilis, medicis malis, cotoneis, amaraco, sed super omnia acidum spirantibus, qualem refert Theophrastus 1. de Hist. plan. cap. 19. esse malum punicum: talis est & labrusca. Absint damnatæ arbores iam, & præter has omnino etiam Buxus, Sambucus, & Hereda, quæ frequenter in nostris viridariis ob pulchritudinem haberi solent. In locis præterea, quos venti inficiunt, terrena casa inhabitanda est: in sponte verò malis, domus fastigium.

Ex 15. Prob. Probl. 12.

CONTRADICT. X.

Pili nigri abundant in temperato cerebro.

Nigrorum autem & frequentium pilorum generatio, cerebri temperati nota est: secundo de Temperamentis, cap. 6. ante med. & rursus ibidem inquit: Florentibus ætate pili robusti, magni, ac nigri, dixerat verò antè infantibus ipsis nullos adesse: quo fit, vt de temperata natura loquatur. Auicenna etiam cap. 5. iuxta finem, temperato cerebro in iuuentute decernit capillos rubeos ad nigredinem tendentes: sed Galenus in secundo Artis medicæ prima tertij tract. 1. cap. 16. dicit, quòd adultis capilli sunt flaui, de cerebro loquens temperato, sic Paulus, Aëtiusque: quamuis Aëtij interpres denuò, vt diximus, labatur. Excitauit hanc cum sequente difficultatem Christophorus Nouatus Ianuensis cap. 7. atque vtinam facilè tam esset dissoluere dubitationem. Possumus primò dicere, in libro de Temperamentis, Galenum lib. 1. cap. 63. loqui de ætate consistente, in libro Artis medicæ lib. 4. cap. 63. de adulta, florentéque: sed vt rectè animaduertit qui proposuit difficultatem, est enim ingeniosus, ac eruditus noster hic auditor, indifferentem ad ætates in prima autoritate Galenus sermonem protulit. Adde quòd in secunda de florenti expressè loquitur: tum verò quòd raris, aut nullis, post florentem ætatem capilli nisi ad canitiem in colore permutantur. Possumus secundo dicere, quòd in Arte medica loquitur de temperato cerebro in tēperata regione existente: at in de Temperamentis, de illo, quod secundum propriam regionem Galeni habebatur. Et si quis dicat, quòd regio Galeni, vt visum est, frigidior erat Hippocratis regione, temperatáque: respondet Brasauolus, regionem Hippocratis non fuisse temperatam sola ratione elongationis à circulo æquinoctij, cùm Rhodus ac Mauritania maximo premantur æstu, quæ in directo sunt Coi. Quamobrem stat Pergamum fuisse calidiorem Coo, ac Cnido, quamuis sit Borealior. Verùm, vt Brasauoli sententia vera est, ad aliud instituta propositum, sic ex ea non licet soluere contradictionem: quoniam constat in his locis suam regionem Galenum frigidiorem iusto æstimasse. Quòd verò Rhodus Italis ac Gallis calidissima videatur, indicio non est, illam non esse temperatam: quandoquidem cùm Germani in Italia præ æstu moriantur: non tamen dicendum sit, Italiam æstuosam esse regionem, sed temperatam. Accidit verò hoc ex noctium potius breuitate, quàm terrarum situ. Forsam dicere posset aliquis, quòd Galenus per Nigrum intelligit, vt Auicenna, ad nigrediné declinantem. Sed hoc non, quia inter flauum & nigrum adhuc ex capillorum coloribus fuluus est medius. Respondeo igitur, quòd per nigros pilos, seu capillos (nam alij non propriè in capite ab his pili generantur) intelligit omnes coloratos, seu flaui, seu fului, seu nigri sint, quia nigrum hîc caluitiei opponit. Cùm igitur tales capilli frequentes fuerint, temperamentum cerebri in humido duntaxat & sicco ostendunt: nam sicut caluitiem dixerat fieri ex sicco, capillos verò candidos ex humido, sic frequens pilorum ortus in capite, non candidorum, temperamentum arguit in sicco & humido: vt verò etiam temperatum sit in calido ac frigido, non solum vt non albi, sint, seu nigri, verùm vt flaui requiritur. Auicennæ verò sententia pro regionis calidioris varietate vera redditur, fuit enim Mauritanus.

CONTRADICT. XI.

Galenus scripsit de medicamentis à proprietate agentibus, in libro de Simplicibus medicamentis.

Qvæ experientia tantum deprehendit medicamenta, ea in iis operibus scripsimus, in quibus de Medicamentis agitur: vno quod de Facultate eorum inscribitur, altero quod de Cōpositione, & tertio quod de Facile parabilibus, in quibus operibus ostendimus, quænam ex sola experientia, quænam ex sola ratione, quænam ex ambabus inuenta sint medicamenta tertiodecimo artis Curatiuæ libro Galenus cap. 6. in fine. Dubitabat meritò idem Christophorus, quomodo hæc ille in libris de Simplicibus medicamentis explicauit, cùm dicat in sexto de Simplicibus cap. de Abrotono. At de facultatibus quæ sola habentur experientia postmodum dicam: vbi prius sermonem eorum quæ calido frigidóque, humido, ac sicco, tum de his, quæ ad has consequuntur absoluero. Et rursus, dum de Pæonia agit, loquens de his, quæ collo appensa iuuant, vt superius diximus, contra 2. cap. 1. Forsan, inquit, de his aliquando conscribam seorsum. Sed clarius libro octauo: Quantum itaque reliquum est facultatis secundum naturam, id hoc libro dicetur: nec id quidem omne, sed tantum efficientium qualitatum actiones: nam totius substantiæ plantarum opera, postea priuatim exponam. Hoc verò non facit hoc in libro, vt manifestè liquet, dubitabat ille, nec prorsus alio: neque enim verum esset quod in arta dixerat Curatiua. Accedit quod nos adiicimus, non vnum esse librum componendorum medicamentorum: namque & liber est de Antidotis, de Theriaca, de Medicamentis per genera

nera, & secundum locos. De quo igitur intelligit? Prima dubitatio facilè dissoluitur: nam non in libris de Simplicibus medicamentis hæc scripsisse refert: sed in libris de Medicamentis, quibus illa tria genera complectitur, peculiari autem tractatione intelligit, in libris de medicamentis simplicibus ea descripta, quæ ratione sola inueniri possunt: in libro de Facilè parabilibus, quæ sola experientia: in libris autem de Medicamentorum compositione, quæ ex vtroque constant. Ex quo patet, toties promissum libellum de Medicamentis à substantia tota agentibus, eum esse, qui de Facilè parabilibus inscribitur, eumque debere tum primum sequi librum de Simplicibus medicamentis. Verùm illud iam mirum videtur, quod in eo qui geminus existimatur, nihil tale videtur contineri: vix enim duo aut tria talia sunt in eo medicamenta: quæ à tota agant substantia: velut hederæ succus ad atræ bilis vomitum. Cùm verò ad Glauconem, vt ibi testatur, scriptus sit, vel falsò id, sicque hic Galeni liber minimè est, vel duo erant: nam quatuor mentionem facit in libro de Propriis libris: quare verisimile est duos fecisse libros ad Glauconem de Facilè parabilibus, nam ibi illos non disiungit, vt nec eos qui extant artis ad illum curatiuæ. Verisimile est autem eiusdem ex hoc fuisse ambos argumenti: quorum primus qui extat cùm de Facilè parabilibus ratione sola inuentis esset: secundus medicamenta complecteretur à tota substantia iuuantia: quæ experimento solo cognita sunt. Verùm aliorum, qui spurij creduntur, neuter Galeno dignus est: quinimo omnia prætermittit, quæ ille probabat iam, vt Pæoniam, Alysson, cinerem cancri, succum cyrenaicum: viperæ purpureum filum, iaspidem, Hieracitem, viperarum carnem, verbenacam, Testudinis sanguinem, stercus humanum, caninum, lupinum, cochleam Aphricanam varij coloris, cornu ceruinum mollissium nuper nati cerui exactissime vstum, ladides in spongiis repertos, omnia præterea deleteria, alexipharmacáque, quæ citra apparentem nocent qualitatem, tum omnia expurgantia medicamenta. Quemnam vero librorum ibi intelligat ex his quæ ibi dicuntur, cùm de venenatis ictibus sermo habeatur, verisimile est illum vniuersam eorum materiam quasi sub vno genere amplecti, aut igitur multa vt interciderint, quod magis existimo, necesse est. Vel si nunc iuxta nostram παλιγγένησιν etiam viuat, recordetur vero scripsisse quæ scripserit, ipse sibi negotium non leue sit facessiturus.

CONTRADICT. XII.

Aër an putrescat.

Aeris constitutio pestilens quæ in summa illius erat putredo, qualis ab Hippocrate in tertio Epidemiorum libro describitur, primo de Febrium differentiis: Et Zoar dixit, cap. 4. iuxta finem: Scias quòd aër calidus & humidus, est omni alio paratior ad suscipiendam putredinem, omni alia aëris temperatura. Idem Auerroës 3. theisir, tract. 3. cap. 1. iuxta initium, & clarius: ponit enim duo genera corruptionis aëris: alterum ex vaporibus, aliud in substantia propria, quod dicit accidere ex multitudine imbrium. Sed Philosophus in Problematibus existimat, nullo modo aërem posse putrescere: docetque huius causam: inquit enim: Quod putrescere debet, refrigerari prius conuenit: aër autem non potest refrigerari, cùm ignis plurimū secum habeat: quare nec putrescere potest. Manifestū est autem Galenum, lib. 4. collec. c. 14. iuxta med. loqui ibi, vt in initio capituli manifestum est, de putredine vaporum non autem aëris: quam excitari vel à paludibus, vel à cadaueribus, aut talibus existimat, relatum enim inuenio in historiis, sæpius ex multarum locustarum morte pestem in Italia grauem successisse. Sed Princeps, partis 25. problem. 20. existimat, substantiam aëris non posse putrescere, verum tamen qualitatem putridam posse à vaporibus putridis recipere. Verior tamen est Philosophi opinio, prima quarti tract. 4. cap. 1. nam si aer secundum substantiam putresceret, omnino omnia animalia nedum omnes homines necessario morerentur: at hoc nunquam accidisse compertum est: igitur nunquam aeris substantia putrescit, opinio autem Auicennæ aliàs examinanda erit, quia iuxta Galenum & Auerroem: quantum inducitur de substantia, tantum etiam de qualitate, dictum Auerrois intelligi debet, quòd vapor in aere corrumpitur, id est, quicquid ei de vapore permiscetur. Quandoque autem ei aduenit tantum, & hoc est minus malum. Sed veritas ipsa est & mens Auerrois, & Auenzoar, quòd aer vt omnia reliqua præter ignem putrescere potest, iuxta Philosophi 4. Met. cap. 51. verba, leuissima tamen putredine: quoniam quiescere ex toto nullo modo potest quod autem putrescit, aliquantisper necessarium est vt quiescat: & ob tam remissam putredinem, aliqui semper homines etiam in grauissima euadunt peste, tum belluarum genera multa, maximè valida. Sic Auerroës, sic Philosophus, Galenus, & Zoar consiliandi sunt, nam Philosophi dictum est, quòd aer ad sensum putrescit, neque enim male olet vt aqua, & terra cùm putrent. Auicennam verò pro nunc dimittamus: qui nec vult aquam putrescere cùm syncera est. At quis adeò excors est, qui nesciat eam quæ putrescit non esse simplicem? illud solum sufficit, si qua est syncera, eam posse corrumpi, vt etiam calescere, ac in halitus verti. Vtilius fuerit igitur meminisse, vbi aer corruptus est, altissimis locis habitandum, vel vbi ex terræ halitu processerit pestis: at si aliunde eam venti detulerint, humilibus casis, tum etiam melius subterraneis. Corruptio autem aeris, de qua Philosophus loquitur, non est putredo propriè, sed præparatio, vt in ignem transire possit.

CON

CONTRADICT. XIII.

De signis calidis cerebri.

GAlenus in Arte medica lib. 2. c. 8. enumerando signa cerebri calidi, ponit ea sex: Caliditatem & rubedinem faciei: venas in oculis apparentes: tum quæ à capillis sumuntur: ac etiam ab excrementis: deinde à nocentibus, vltimo à sono. Sed Rasis 1. ad Alm. c. 9. addit signum sumptum à mobilitate opinionum, & prætermittit signum à somno, vt sint etiam sex. Hæc tamen signa ad vnguem Paulus descripsit in libro primo. Sed & Princeps cap. 63. prima tertij tract. 1. cap. 17. cum Rasi consentit, in apponendo signum sumptum ex voluntate: & cum Paulo ac Galeno, in addendo signum à somno. Aëtius autem, non addendo nec hoc nec illud, quinque tantum facit signorum genera. De operationibus principalibus, quæ omittuntur à Galeno, ratio est manifesta, cùm in capitulo suo docuerit, vbi de obtinentibus principatum agit. Aëtius & Paulus omiserunt, quia ad artem curatiuam minus faciebant. Vel dic, quòd in Aëtio deficit in signum, quia in Paulo non erat explicatum. Paulus tamen intellexerat illud in genere, cùm in principio capituli dixisset: Cerebrum temperatũ moderatas habet animi functiones. Per has voluit intemperati signa docere. His de causis Rasis & Auicenna addiderunt. Sed cur Rasis & Aëtius omittunt signum à somno sumptum? Dico, quòd, vt declarauimus cùm hic Galenus ad operationes naturales ipsum trahat, Philosophus verò videatur potius sensitiuæ partis functio, vt suo loco videbitur, omissum est. Tum etiam, quia parùm videbatur clare explicatum id signum: cùm dicat, quòd breuibus somnis hæ temperaturæ contentæ sunt, non quòd absolutè parum dormiant: tum id magis, quòd calidum cerebrum, si humidum sit, longos habet somnos, qualibus nos fruimur.

lib. 4. c. 64.

lib. 1. c. 6.

CONTRADICT. XIV.

An signa posita à Galeno de cerebro, in secundo Artis medicæ, sint intelligenda, humoribus æqualibus existentibus.

GAlenus in Arte medica, lib. 2. c. 7. inquit: Quæ autem dicuntur, ac posterius dicenda indicia sunt, in habentibus bonam temperiem habitationibus sunt intelligenda. Quæ autem ad capillos attinent non locorum tãtùm, sed etiam humorum temperiem præsupponunt cerebri naturæ consimilem. At infrà, cap. 14. inquit, Frigidæ verò & siccæ cerebri intemperaturæ, frigidum, & minimè coloratum sui ratione reddunt caput. Semper enim meminisse oportet quæ à nobis ab initio distinctio posita est: scilicet vt prætere a aduertamus quantum ex humorum temperatura immutentur quæ circa ipsum consistunt. Intellectus Galeni talis est: capilli semper sunt signum, quod potest ab alia causa, quàm à cerebri temperamento prouenire. Alia autem signa sic sunt distinguenda: Si ab vna tantum causa, quæ ex cerebro pendeat, oriri possint, sola regio temperata requiritur: si autem à pluribus causis, tunc oportet eas esse conformes, si ex eo signo debeamus supra illius naturam argumentum sumere. Et hæc est sententia Galeni minifesta.

CONTRADICT. XV.

An cerebrum expurget superflua per nares, oculos, & aures.

EXcrementa verò quæ per palatum, nares, & oculos, & aures, cùm sani fuerint, his qui calidam habent cerebri temperiem, pauca, & concocta existunt: dicebat in secundo Artis medicæ. At in nono de Vsu partium, cap. 8. dicebat, Crassa per nares & palatum, subtilia per cranei suturas expelluntur: nulla aurium, aut oculorum mentione facta. Sed in capite hoc præcedente medicæ artis inquit: Καὶ τõν περιττωμάτων, ὅσα δι᾽ ὑπερώας ἢ ὤτων, ἢ μυκτήριον ἐκκαθαίρεται. id est, Superflua quæcunque per palatum: aures, vel nares expurgantur: oculos autem prætermisit. At in octauo de Vsu partium cap. 6. dicebat, de meatibus qui à cerebro ad palatum tendunt loquens: Qui duo cerebro sano existente, expurgandis superfluis sufficiunt: nulla aliorum locorum expurgantium mentione facta. Et rursus in secundo de Locis, cap. 9. post principium, ponit nares pro loco conuenienti cerebrum expurgandi. Sed in primo Prognosticorũ dicebat Galenus 1. & con. 10. ante med. sordem oculorum fieri in oculis illorum vi non concoquente, & sic non ex cerebro. Et quanquam ille pituitã verterit pro sordibus: tam textu tamen, quàm cõmentum habent, αἱ λῆμαι, quod est, lippitudines. Philosophus etiam dicit in Problematibus, par. 32. prob. 4 Aurium sordes fieri ex sudore putrido. Hic igitur est multiplex contradictio: Prima, An excrementa cerebri per nares, an per palatum naturaliter expurgentur Secunda, An aurium & oculorum sordes sint à cerebro, an fiant in ipsis instrumentis. Tertia an significent super cerebri naturam, & pendet ex secunda dubitatione. Respondeo igitur, quòd sordes sub debita quantitate fiunt in instrumentis: materia etiam in ipsis gignitur, ex illa tamen quæ partim à cerebro transmittitur, & sic mediocritas ostendit quasi vt neget malam qualitatem in cerebro: estque signum non propriè sed negans. At vbi superfluant, ab instrumentis quidem fiunt: sed tamen materia non solum,

ſed & plerumque vitioſa à cerebro illis ſubminiſtratur. Sordes igitur natura inſtrumentis inſunt: & ſuper cerebrum ſignificant. De prima autem dubitatione dicendum, quòd nares, ſunt propriè ad expurgandum cerebri ſuperflua quæ præter naturam abũdant, nam ſi quis conetur per palatum, in hora ſomni cadent in os: quare in ventriculum vel pulmonem, vnde tabis aut hydropis periculum: & tuſſis frequens certa vel mala coctio. Ideo Galenus octauo de Vſu, 6. aphor. com. 2. loquitur de tenui excremento, quod ſecundum naturam eſt, non de muco. Cõſtat etiam in ſternutationibus materiam à palato ad nares reuocari abſque tranſitu per cerebrum: quod euidentius oſtenditur, ſi dum comedit ſternutet. Verùm omnis materia non per caruncul as, ſed ad infundibulum & pituitæ lacunar prius tendere debet.

CONTRADICT. XVI.

Ventus an exhalatio frigida & humida.

Hippocrates in libro de Victus ratione hominum, lib. 2. fol. 1. inquit, Venti omnes frigidi ac humidi natura ſunt: quoniam à niuibus glacie, gelu, ſtagnis ac fluminibus locisque humidis proueniunt; ideóque omnes ſua natura refrigerant: atque humectam verum pro locorum diuerſitate magis minuſve. At in ſecundo Meteororum Ariſtoteles cap. 4. docet, duas eſſe exhalationes à terra: alteram humidam & frigidam, ex qua pluuia: alteram ſiccam fumoſam, ex qua ventus: fumum autem calidum & ſiccum eſſe decernit. Sed clarius ibi ab Auerroë c. 2. fol. 1. Ventus eſt exhalatio calida & ſicca: docetque hoc duabus rationibus. Siquidem quod velociter fertur, calidum eſt & ſiccum: ventus autem talis eſt. Secundò, quia maximè exſiccat terras, & pellit humorem: quare manifeſtum eſt, quòd calidus eſt & ſiccus. Pluuia enim liquidò frigida eſt atque humida. At in quarto Collectaneorum, c. 14. Ventus Borealis exſiccat iuxta Hippocratis ſententiam, & Auſtralis humectat. Et rurſus: Pluuia refrigerat aërem, & ſimiliter Borealis ventus, quamuis ſit ſiccus. Porrò autoritas illa Hippocratis habetur in libro de Comitali morbo, fol. 4. Notũ enim expreſſe calidum & humidum eſſe docet: nõ adeo naturam qualitatemque Boreæ explicãs, quàm frigidus ſit, atque ſiccus. Quinimo in ſecundo de Victus ratione hominum paulò pòſt edocet, Auſtrum quidem calidum humidumque eſſe: Boream verò frigidum quidem, verùm humidum non ſiccum. Sed non adeò ſubtiliter Auerroës hoc voluit conſiderare, cùm ei ſufficiant autoritates tertiæ particulæ Aphoriſmorum, in quibus hoc exponens Galenus nõ Hippocr. quod ab eo recitatur, ad verbũ expreſſit. At verò in primę philoſophię octauo libro inquit Auerroës, quod & verum eſt, Venti diuerſi pro locorum varietate. Quam ſententiam ipſe Hippocrates tum idem Auerroës approbat locis prius à nobis adductis. Ideo Philoſophus, in expoſitione 5. Aphoriſ. 3. par. inquit, Auſtrum calidum eſſe, quia per torridam tranſit zonam: humidum verò, quia calore ſuo ac tenuitate humidum ſecum trahit. Nec ineptè ex hoc dicendum eſſet, omnem ſpiritum qui calidus ſit, humidum etiam fore. Vnde non parua apud nos dubitatio ſoluitur, cur omnium ventorum ſereniſſimus ſit Boreas, pòſt Zephyrus: nimboſus autem Auſter, pòſt Eurus. Conſtat enim frigidiſſimum eſſe Boream poſt Zephyrum: calidiſſimum verò Notum, inde Eurum. Cauſam verò caloris Auſtri, & frigoris Boreæ, ipſe in Metheoris declarauit: cùm enim vterque ex polis arctico, & antarctico veniat, vterquæ neceſſario natura frigidus eſt: at quia Notus dum ex antarctico ad nos venit, Auſtralem plagam calidiſſimam neceſſariò permeat, ob id calidior euadit, Borea ſuam naturam retinente. Ob id igitur his, qui vltra torridam zonam habitant Boreas calidus, contrà Notus ipſe frigidus erit. At verò Euri ac Zephyri differentia ex regionibus eſt. Inquit verò Princeps 1. Canticæ co. 115. Manifeſtum eſt, quòſt Orientalis ventus calidus eſt, atque ſubtilis, Occidentalis autem frigidus & craſſus. Exponens autem Auerroës priorem quidem calidum dicit, ac ſiccum, poſteriorem verò frigidum & humidum. Sed non ſatis, vt dixi, aptè: namque calidus ventus humidus eſt, frigidus verò ſiccus. Nam ſi hoc voluiſſet Auicenna, dixiſſet: cùm antè Meridionalem calidum & humidum, Septentrionalem frigidum & humidũ dixiſſet. Cur igitur Oriens Occidente calidius ſit, cùm Auerroës in ſecundo Meteorum tex. 113. & 114. duas rationes ſatis abſurdas adduxiſſet, tandem dixit, neque ſi hæc non ſatisfaciunt, quicquam habeo rationi conſentaneum quod dicam. Verùm Auicenna cap. 2. eum declarauit, cùm dixit: In regionibus Orientis Occidentales montes calorem reflectunt, in Occidente autem Orientales, quare quum in Oriente ab initio diei hoc fiat, in Occidente poſt Meridiem neceſſe eſt, mora exiſtente diuturniore calidiorem euadere Orientalem plagam Occidentali: ſufficit enim ad calorẽ in prima diei medietate acquiſitum conſeruandum ſolis ſuper terram conſiſtentia poſt meridiem: ei verò, qui poſt meridiem acquiritur, nocte ſuccedente, nullum crementum poteſt accedere. Alia cauſa eſt, quòd calor in denſo vapore conſeruatur: Orientalibus igitur à mari veniunt venti, quia mare ad plagam Orientalem Orientalibus, Occidentalem Occidentalibus poſitum eſt. Regio igitur Occidentis nullis ventis poteſt caleſcere, præterquam Auſtris: nam Orientalibus non, quoniam longo tranſitu parum vaporis ad nos defertur. Occidentales autem in die frigidi ſunt, quia nondum Sol locum excalefecit vnde venti proueniunt: nec etiam in nocte ob noctis frigus. His de cauſis Euri calidi, atque ideo etiam nimboſi, Zephyri frigidi & ſereni. Illud forſitan videbitur mirum, quòd Hippocrates, lib. de Victus ratione hominũ. 2. in prim. ventos è mari ſicciores tradat, Auerroës humidos, vt in Periphraſi de longitudine.

cap. 14. Apho. 5 & 17. com 5. fol 4.

Secunda primi doct. 1.

tudine & breuitate vitæ doceat, Eos qui in marinis habitant insulis, diutius viuere, ob caloris & humidi abundantiam. Sed non aberrat in hoc Auerroës: namque Hippocrates, iuxta medium, ibi quatuor genera facit Ventorum. Primum, quòd ex paludibus ac niuibus procedit, quod humidissimum esse docet. Secundum, quod è mari, hoc siccius priore esse refert. Tertium, quod adhuc siccius è mediterraneis locis. Quartum verò, quod est siccissimum, ex montibus. Quintum nobis liceat addere ex Principe, 1. Canticæ com. 117. quod adeò siccum est, vt etiam perniciosum: in hoc ordine falsus nõ è mari minus malus: pòst qui à loco sulphureo, aut aluminoso. Ergo Ventorum ratio hæc est. Sed tamen existimat Auerroës, Boream serenitatem adducere, quòd rectà spiret: Austrum nimbos, quòd obliquè cogat nubes. Sed in aliorum interpretatione plerumque fallitur: velut cùm existimat Galenum dixisse, habitationem temperatam esse in quinto, & non in quarto climate. Sed ratio illa Philosophi 2. Meteorum. c. 1. esse videtur de ventis secundum illius interpretationem, hoc autem nos concedimus, quòd sit secunda causa generationis imbrium remissio scilicet impetus: sicut causa serenitatis est eius violentia. Aëtius tamen aliter sentit: nam Ventos Australes calidos, Boreales frigidos, Orientales siccos, Occidẽtales verò humidos esse affirmat. Verùm in libro de Sacro morbo ab Hippocrate, 1. Canticæ co. 46. & in 2. Meteor. 2. lib. 3. c. 163. lib. 2. c. 1. & à Celso non parum damnatur Auster. attamen Celsus Fauonium Euro prætulit, damnatque ex mari Ventos. Aëtius verò pro temporum qualitate permutari credit: frequéque quandoque calidum & siccum, ac tunc maximè noxium, æstate scilicet. Refrigeratur autem quandoque, vt in Thriaso Græciæ Aristotele referente, 26. Probl. 18. Probl. 5. Probl. 45. Probl. 12. Prob. 17. 43. quoniam è mari venit. Sic & in Aphrica frigidum refert Austrum esse, quòd ex propinquo, & per angustos meatus spiret, omnis enim violentus ventus necessariò frigidus est. At verò in oris terræ Ægypti, nec interius per iter vnius diei, minimè hic ventus flat, ob humilitatem regionis: sic alij aliis in locis non spirant. Excitatur autem maximè ab ortu caniculæ, & qualiscunque fuerit fœtidus quasi est, & hominum corpora hebetat, grauiáque reddit, at Aquilo appetentiam excitat. In vniuersum autem quæ mala ab Austro fiant declarat Hippocrates tertio Aphorismorum, Aphor. 5. & 17 cùm dixit: Austri auditum hebetantes, caliginosi, caput grauantes, pigri, dissoluentes: Aquilones autem tusses, fauces, alui duræ, difficultates vrinæ, horrores, costarum & pectoris dolores. Et rursus: Austri vertigines faciunt, oculis atque corporibus difficilem motum præstant, & aluos humectant. Aquiloniæ autem constitutiones, corpora densant, contendunt, & bene mobilia & coloratiora reddunt: aluum exsiccant, occulos mordent, & auditum iuuant. Siccos tamen dari Austros declarauit philosophus problemate illo, probl. 51. eiusdẽ partis, in quo docet febres illos excitare.

Porrò ordinem declarabat Ventorum Aëtius libro tertio hoc modo: A Septentrionis dextra versus Orientem Aquilo est, inde Cecias, post quem Eurus: ab eo Meridiem versus Vulturnus, pòst Euronotus, inde Auster, Notusve: ab Austro Occidentem versus Libanotus, inde Aphricus, pòst Zephyrus. Rursus à Zephyro Boream versus Corus, atque inde Thrascias, post quem sub ipso polo Septentrio ipse ventus est. Omnes igitur duodecim. Cæciam nimbosum refert Philosophus: sed nostra ratione non solum is quem Græcum vulgus nominat, sed & Eurus & Vulturnus, quem quidam Sirochum dicunt, & Euronotus, Austerque, ac Aphricus quem nautæ Garbinum vocant. Sic reliqui serenitatẽ afferunt: vt Zephyrus & Corus, quem magistrum quidam vocant: tamen Thrascias, Septentrio, & Aquilo. Nil mirum est autem à septem ventis oboriri nimbos, à quinque duntaxat serenitatẽ: nam pauciores sunt nobis propinqui, ac violenti, quàm remoti ac lenes: cùm in angulo Boreali ac iuxta Occidentem Italia sit.

cap 163.

26 Probl. 1.

Sed cur, Eurus cùm siccus sit, pluuias adducere potest? diximus vtique aliam esse venti substantiam: aliam esse eius operationem circa nebulas, hoc autem argumentum est debilitatem facere ad nimbos adducendos: quandoquidem Eurus siccus sit, & pluuiam tamen excitet. Sed cùm de his in libro de Supernis copiosè disseruerimus, illud solum monuisse sat fuerit, Vẽtos qui diu in suprema aëris parte colluctantur, graues afferre procellas solere, si alter alterum non vincat: si verò vnus sit ac sublimis, multum exsiccare potest.

CONTRADICT. XVII.

Cerebrum calidum, & siccum intellectu, & memoria valet.

INtellectus acuitas ac robur, tum memoriæ bonitas, sunt de signis calidi ac sicci cerebri, inquit Auicenna. Sed Auerroës in quarto Collectaneorũ inquit, Tales indiscreti sunt in actionibus suis, & ex rebus solùm intelligunt similitudinem, & non diuisionem, & errores eorum sunt multi, & cogitationes illorũ malæ. Sed Galenus dixit, Intellectus acuitas, seu melius ἀγχίνοια, id est industria, sagacitas, quæ in actione potius quàm in patiendo consistunt, tenuem cerebri substantiã indicant: tarditas, & ineptia, crassitiem: discẽdi autem facilitas, εὐτυπωτον quod est facilẽ formarum susceptionẽ, aut per actum potius, si verbum attendas, explicetur. Sic memoria ex firmitate substantiæ, mobilitas verò à caliditate. Ergo has quatuor considerat Galenus differentias in cerebro, Tenue, Crassum, Facile, aut difficulter formarum susceptiuũ, Substantiam firmam, aut fluidam, calidã, aut frigidam. Calido solùm ac frigido tribuit opinionum firmitatem, aut mobilitatem. Quare nec Galenus, lib. 1. c. 63. nec Paulus, lib. 4. c. 54. & 59. nec Aëtius lib. 2. ad Alm. sinum sumunt in ingenio vel solertia à primis qualitatibus. Rasis verò sensisse videtur cum Auicenna: non enim illi sufficit dicere, quòd calida cerebri temperies mobilem faciat in voluntate, sed & in animalibus operationibus: quare manifestum per mobilitatem animalium

prima tertij tract 1. c. 17. cap. 3.

2. Artis med. cap. 6.

malium operationum intelligere, ingenij celeritatem.

Causa erroris Arabum est, quia cùm Galenus dicat sensus claros esse: quod ex exterioribus dixerat, de internis illi interpretati sunt, at Galenum de externis tantùm locum fuisse docet id primò, quod in superioribus loquutus fuit de ingenio & solertia, vt diximus, quare repeteret? Diuiserat etiam operationes in quatuor genera, Principales, Sensitiuas, Motiuas, ac Naturales: hic verò rursus confunderet principales cum sensitiuis. Nec te moueat, quòd in libro quòd animi mores corporis sequantur temperiem dixerit; Quæcunque sicca sint, ingenio & prudentia valere: atque etiam stellas esse prudentissimas, quòd fulgidæ ac siccæ. Manifestum est, quòd intelligitur per siccum expers alieni humoris, non quod siccitatem habeat multam. Meens autẽ Galeni est, quòd ignea ingenio prædita sint, sed siccitas terræ iungi etiam potest: & quanquàm calidum & siccum, non possit esse terreum, plerumque tamen accidit, imò quasi necesse est, vt calidum & siccum in terreo sic: quia cùm vnum solum elementum per se non possit in cerebro dominari, quod sit ignis (namque non calidum amplius esset cerebrum, sed corde etiam calidius) oportet alij elemento tanquam basi igneam substantiam insidere. Non potest autem illud esse aqua, vel aër, propter humorem: quare necessario terreum est, calidum & siccum cerebrum: nam si basis esset aër, esset rursus denuo temperato longe calidius: nec esset solidum substantia. Aqua verò superante, calidũ & siccum dici non potest, quare terram pro basi adesse necesse est: ob id boni ingenij esse non possunt, calida & humida possunt: nam ignis aquæ iunctus hanc efficere potest. Verùm prætermisit hoc Galenus dicere, ob causas dictas, & etiam quia ab aërea substantia calidum & humidum prouenire potest. Legitur autem perperam inter calidæ & humidæ temperaturæ signa, quod Græcè sic iacet: καὶ αἱ ἐν τοῖς ὀφθαλμοῖς φλέβες μεγάλαι: id est, & quæ in oculis venæ magnæ. Et rursus iuxta finem, ὕπνωτ' ἐπιτρέψαντες ἑαυτοὺς ἅμα τε κωματώδεις εἰσὶ καὶ ἄγρυπνοι, καὶ φαντασιώδεις τοῖς ὀνείρασιν. Quod est, Non solum vigilant, sed etiam dormiunt grauiter, cùm somno tentantur, multasque imagines per somnium vident. Sed ab propositum rursus venio. Discrimen inter sensus internos ac externos est, quòd externi clari ob siccitatem euadunt, non redundante nutrimento, quod in calido & sicco cerebro contingere necesse est. At verò quia terreum cerebrum, vt iam dixi, euadit ad internas operationes minus redditur aptum. Existimandum est autem Auicennam calido & sicco cerebri temperamento fuisse, quòd adeo eam intemperiem impensè laudauerit, Auerrois verò illius inimicus vituperauerit, cùm ipse calido & humido cerebro esset. Perperam autem imponunt quidam Philosopho, lib. de memoria & rem. c. 1. in princ. voluisse in humido ingenium, in sicco memoriam vigere: quoniam dixerit non esse idem Memoriam ac Reminiscentiam, cum Memores plerumque sint, qui tardo sunt inginio: Reminiscentes autem, qui celeri. Ostensum est enim à nobis, ac aliàs ostendemus, alias esse causas memoriæ & ingenij, vtque hoc iuxta Galeni sententiam dictum, sic posterius iuxta Aristotelis etiam opinionem.

cap. 2.

cap 4. & 5.

2. artis med. cap. 13.

CONTRADICT. XVIII.

Qualibet naturalis intemperies à suo contrario iuuatur, & à simili læditur.

A Similibus autem suæ temperaturæ causis oculi facile læduntur, iuuantur autem à contrariis: si in modico vsu adhibeantur. Sed hoc commune signum esse in vnaquaque nostri corporis particula meminisse oportet. In arte medicinali Galenus lib. 2. c. 17 inquit: Et rursus quod & aliàs adduximus. Sic verò & ad victus genera male benéve se habet alij ad alia secundum morbos & ætates, nam calidiores ad frigidiores, frigidiores verò ad calidiores, & sicciores ad humidiores, ac rursus humidiores ad sicciores bene se habent. Et vt sinpliciter dixerim, contrarij ad contraria bene, similes ad similia male: præterquam si ætas temperata & regioni & victui & loco temperato comparetur. Hoc enim modo solo similes à similibus bene afficientur. Sed & rursus inquit: Si enim hominis corpus planè medij sit temperamenti, per alimenta medij temperamenti etiam in suo statu seruabitur: verum si calidius frigidiusve, siccius aut humidius, perperam medij temperamenti exhibueris alimenta. Quippe huiuscemodi corpus quatenus ab exacte media constitutione recessit, eatenus in diuersum traducatur, est necesse. Fiet autem id per præsentis intemperiei contraria. Contraria autem pari interuallo in vtraque oppositione sint oportet à medio ipso æqualiter distantia: vt si corpus tribus (gratia exẽpli) numeris à media versus calidiorem recesserit, totidem cibum ad frigidiorem eadem temperata: si quatuor, quatuor. Et in de continua dissolutione non sufficit homini, vt dimittat cibum similem naturæ suæ, qui auget intemperiem eius, sed oportet vt vtatur eo qui est illi cõtrarius. Refertur verò & ab Hippocrate hæc sententia in libro de humoribus, cùm dixit: Ætates præterea, nutritio, morborum status, per temporum mutationes melius, aut peius se habent. Quin & pro anni temporibus victus rationem per cibos & pocula congruentem instituito. Nam hyeme quæ ab opere vacat simplicia cocta, maturáque exhibeto: non leue enim hoc est. Æstate autẽ quoniam operamur, & sole ab ipso patimur, dilatiora vina, poma crebriora, ac varia cibaria porrigito. At verò his obstat primò, quod in sexto de tuenda sanitate scribitur. Fiunt autem, qualitatibus etiam conuenientiæ, vtique si seruare temperamentum studes humidis naturis humectante cibo maximè conuenienti: siccis verò eo qui siccet. Sin mutare placet intemperiem, contrariis vtitor. In eo autem qui est in calido frigidóve ad intemperiem lapsu

lib. 1. huius trac. 6. com. 3.

3. aphorism. 3.

1. de Alim. c. 1 post med.

cap. 6.

fol. 31

fol. 21

lapsu, contraria semper expedit exhibere: cùm efficacissimæ sint eiusmodi intemperies: & vt ita dicam, magis quàm quæ ex sicco vel humido constant validæ: quippe quæ facilè similibus nutrimentis in morbosam abeant intemperiem. At si siccius membrum aliquod efficias, vel humidius, nihil manifeste lædes. Euidenti verò argumento & ætates sunt. In his verbis iam primùm occursat sibi: quòd similia similibus conuenire affirmet. Secundo, quòd non eandem calidi & frigidi, cum humido & sicco rationem ineat: dùm tamen alibi omnes ex æquo intemperies tractet, vt iam ostendimus. Tertium, quod maximum videtur, quod membrum siccius euadere nihili ducat: & tamen in septimo methodi nullam sicca intemperiem deteriorem esse affirmet. Accedit quod Hippocrates 1. aphor. 36. scripsit, Victum humidum pueris maximè conferre. Vbi Galenus inquit, Naturalis intemperies, non eodem modo, vt quæ præter naturam est demolienda, sed similibus conseruanda est. Et in tertio etiam Artis medicæ capite 3. Quod igitur in temperatura quidem euariat, sed instrumentalium partium seruat mensuram, duplicem habet causarum salubrium formam. Alteram earum quæ ipsius tuentur temperaturam: alteram earum quæ ad optimam eam transferunt. Quæ igitur ipsius conseruant temperaturam, tantum distabunt à causis temperatæ naturæ, quantũ & ipsa intemperies naturalis à temperata, calidiora calidioribus exhibendo, frigidiora frigidioribus corporibus: tum ex æquo humidiora humidioribus, ficciora siccioribus. Sed si permutare in melius consilium fuerit, contrariis quidem vtendum est. Æqualiter autem declinantibus ad partem oppositam à temperamento, cum his quæ intemperie ipsa laborant: sic frigidiora & humidiora, calidioribus ac siccioribus maxime conueniunt temperaturis, namque à calidis ac siccis ad meliorem statum traduci nunquam poterunt. At verò in secundo Artis medicæ cap. 55. expressius dum de ventriculo loquitur, inquit, Gaudet verò à cibis ac potibus calidis, nec à frigidis vllam percipit noxam, si eis modicè vtatur. Manifestum est igitur iuuari à simili: hoc enim est quod dicit, Gaudet: nec lædi à contrario: vt sit hæc sententia fermè his directè contraria, quæ dixit in superiore autoritate, in initio huius contradictionis adducta. Et in tertia Aphorismorum ostendunt hæc etiam quæ sequuntur cùm inquit: Gaudet quidem ventriculus frigidus frigidis, sed ab eorum vsu immoderato læditur: ita & ea quæ extrinsecus occurrunt frigida nequit ferre longiori tempore, vt nec calidus calida. Malæ verò temperaturæ quæ morbi ratione ventriculum occupant, hoc differunt à naturalibus, quoniam contraria, non similia appetunt, quemadmodum naturales. Sed quòd melius concoquat, & melius his quibus gaudet nutritur, ostendit secunda Aphorismorum, Aphor. 38. & 50. cùm dixit: Nam quæcumque cum voluptate assumuntur, ista ventriculus amplexatur, & facilius concoquit: sicut illa quæ displicent refugit: vnde vel nauseæ, val flatus, vel fluctuationes subsequuntur Et rursus: Cibi ac potus naturam efficiunt aduentitiam tum maximè in ventriculo: ob hanc verò causam, quanto similius fuerit id quod transmutat, ei quod trasmutatur, tanto celerius transmutatio ipsa perficitur Sed quòd non solum in calidis ac frigidis ventriculi dispositionibus hæc ratio vera sit, sed etiam in humidis ac siccis, ostendunt eiusdem verba, dum de illis intemperiebus ventriculi ageret, dum dixit 2. artis med. cap. 53. & 54. Sicca intemperies à plurimo potu grauatur, & fluctuationibus angitur, & cibis delectatur siccioribus. Humida verò ampliorem potum bene fert, & humidis cibis gaudet. Inter tot difficultates versante Galeno, dicebat Auerroës 6. collec. 11. Quòd sententia horum, id est, Græcorum (quamuis eam non explicauerint) est, quòd duplex est regimen: Vnum quo reducitur per contraria sensim, & non per æqualia in gradu, quia hoc natura non fert. Alterum per similia ad conseruandum: & quòd merito naturalium causarum non debemus vereri vti exquisitè similibus: sed quia in hoc est periculum ab exterioribus, ideo cum his similibus, ne in vlteriorem prolabatur lapsum, contrariis quandoque etiam vtendum erit. Hæc sententia est è directo contra Halenum, vt dixi primo de Alimentis quia reductio fit per contrarios cibos in gradu æquales. Dissidet etiam in hoc, quòd contrariis indigere nos putat in conseruando. Galenus autem scopos in simplicibus affectibus nunquam miscet, quando scopi contrarij habent impedire se mutuo. In hoc etiam errat, quòd intemperies valida similibus sit conseruanda: augetur enim sponte, vt in quinto de Tuenda sanitate, tum de illa, tum generaliter de senili contrariis tuenda: & in tertio Artis medicinalis docet, 2. artis medicæ capite 30. Discrimen etiam sustulit actiuarum ac passiuarum qualitatum, cuius Galenus in sexto de Tuenda sanitate meminit. Tusianus vero aliter interpretatur: calidas intemperies, à calidis, id est calidioribus vexari docet, ab his autem quæ similia sunt conseruantur: à frigidioribus qualiacunque sint seu frigida, seu minus calida in melius reducuntur. Dicit verò non absolute protulisse lædi, sed facile à similibus in gradu: quandoquidem si paululum excedant, in deteriorem lapsum hominem adducunt: at si minus sint calida, (gratia exempli) non solùm non nocet, verum etiam iuuant, nam versus temperiem retrahunt. Sed nec hic sensus est conueniens vt comparatiuo vtamur, cum Galenus positiuum dixerit. Incidit. & in eundem laqueum quo Auerrois opinio detinetur: cùm inter actiuas & passiuas qualitates non distinguat. Est etiam directè contraria vtilitati hominis: cùm doceat intemperiem validam non debere in melius immutari: sed quandoque conseruandam. Iacobus autem Forliuiensis dixit, quòd à similibus in qualitate, id est, vt calida calidis

cap. 5.

cap. 56.

Quæstion. 17.

dis, remissioribus tamen in gradu iuuantur, ab æqualibus autem, ac manifestius à vehementioribus similibus in qualitate vocentur. Sed à contrariis in forma generaliter iuuantur si commode adhibeantur. Hæc opinio non videtur vera, nec ad Galeni mentem, cùm ipse velit corpus noceri (in primo de Alimentis) non solùm à similibus in forma, verum à temperatis. In tertio etiam Artis medicinalis declarat, quod & verum est, conseruationem fieri à similibus in forma, seu qualitate, & in gradu: nec distinguit inter qualitates, vt dixi, actiuas, passiuasque. Sequeretur etiam vnum contra experimentum, quòd plus læderetur temperatus, vel parùm ad calidum declinans, ex piperis assiduo vsu quàm is qui calidissimo esset temperamento. Hic igitur oportet tres primas contradictiones tollere, ac insuper discordiam, inter librum de Alimentis & librum tertium Artis paruæ, nam si omnes intemperies à simili, etiam in gradu longè remissiore nocentur, quomodo conseruabuntur à simili in gradu & qualitate? Quòd si hoc est nocere, in intemperie seruare hominem, vt Iacobus dicit, quomodo duplex est regimen? Conseruatiuum scilicet & Reductiuum? Sic etiam conciliandа est discordia, quæ habetur, cùm dixit in secundo Artis medicæ, c. 17. & 55. Quòd modicus vsus contrariorum iuuat: at in tertio cap. 3. dixit; Quòd per æqualia, in opposita qualitate, moliri oportet reductionem. His tot difficultatibus occurrendum ex primò ex his, quæ in primo libro diximus, quoad ea quæ ad aerem pertinent. Inde sic distinguemus: Naturalis intemperies, aut est in toto, aut in partibus: item, aut in actiuis, aut passiuis qualitatibus: item, vel est intensa, vel remissa ac leuis: item, vel reductionem molimur, vel conseruationem. Rursus, si in partibus, vel in ventriculo, vel aliis partibus: tum etiam vel corpus cum hoc validum est, aut imbecille: ac denuò vel homo solùm sanitati vacat, vel occupationibus distringitur. His septem distinctionibus conciliare oportet Galeni dicta. Si igitur corpus totum actiua qualitate ad intemperiem labitur, fueritque occupationibus implicitum contrariis, sed liuoribus in eodem statu seruabitur, sexto de Tuenda sanitate. Sed si vacet sanitati, tunc si ab intemperie lædatur proculdubio contraria adhibere conuenit: in gradu, vel vi, æqualia: ab his enim solis reducitur: tertio Artis medicæ, & primò de Alimentis. At si non læditur, conseruare possumus similibus, vel etiam contrariis: semper verò in contrariis cùm reductionem molimur, quantitas diligenter est attendēda, ne virtus membri euertatur, hoc est quòd dixit iuuari ab his si modicè vtamur, in passiuis autem qualitatibus similia adhibere conuenit: quòd facilius in nutrimentum transeant, & nullum sit periculum in exhibitione, modo non exuperent. Sicca igitur seni conueniunt, sed tamen quæ potius minus sint sicca, quàm senis temperatura: ipsis enim æqualibus periculum inest, ne lapsus augeatur. Periculum igitur ad lapsum paruum est, cùm verò labitur magnum, vt septimo Artis curatiuæ docuimus. Sic igitur sexto de Tuenda sanitate & prima Aphorismorum locutus est. Rursus, cùm dixit tertio Artis medicæ, Sicca humidis reduci, de partibus loquitur: nam vt aliâs declarauimus omnes intēperies corrigi possunt in omnibus membris: præterquam in corde: quoniam à corde recipiunt influxum: aliter quis tantus esset ille Galeni conatus septimo Artis curatiuæ cap. 6. in sicca ventriculi intemperie, si non verè, sed extrinsecus solum humectatur? nam tunc nec melius concoquit, nec quicquam melius habebit. Sed neque siccis humida applicare conueniet, sed solum humidis sicca, tertiò Artis medicæ. Si igitur intemperies non est in toto, si in corde, rationem habet ferme qua totum: contrariis enim in actiuis, similibus autem in passiuis, sed leuioribus est vtendum. Si autem in ventriculo, similibus perpetuò est vtendum, sed remissioribus, quòd ventriculus ea amplectatur & concoquat: cumque toti corpori inseruiat rationem refert debilis membri: si verò præter naturam intemperie laboret, contrariis. Hoc est quod Galenus dixit libro de Dissolutione continua, & in Aphorismis. In cæteris verò membris si valida sit virtus, contrariis vtendum est, per ea enim corpus reducitur. Si autem sint debilia, aut impedita, similibus conseruantur: quia simile facilius transit in nutrimentum: verùm quia prius permutantur in ventriculo, non tantum offendit contrarietas, vt in illo: quare contrariis vti decet potius, quàm similibus: nisi membrum illud melioris cuiusdam functionis causa, in proprio temperamento seruare studuerimus: vt cùm bene valente cerebro, ipsum in sua caliditate ac humore, ob functiones principales conseruare voluerimus, neque enim eadem est ratio reducti per artem cerebri ad temperamentum, quæ etiā cerebri à natiuitate temperati. Principis autem sententia est quòd intemperiem errore acquisitam contrariis emendare debeamus, æqualibus in gradu: naturalibus autem, si bonæ sint, vt calida & humida puerorum adhibenda similia: si malæ vt senum, quæ frigida est & sicca, contraria: vnde calida & humida conuenire putat. Verùm docuimus vinum non esse humidum, sed siccum natura, reliqua verò quæ exhibentur, sicciora sunt quàm in iuuenibus. Quòd si hac fiducia humida exhibere pergas, in hydropem decidũt: quia non concoquunt. At verò in actiuis declaratum est contraria conuenire. Quòd si obiicias, Senum victum, Paulo, atque Aëtio teste, debere esse calidum & humidum, non satis intelligis, aliam esse rationem nutrimenti, aliam reliquarum causarum, nam balnea, & somnus, & inunctiones, calefaciunt & humectant, conueniuntque: at cibi ad calidum & siccum, tum potus debent inclinare, quia hæc nutriunt, illa non. Nutritio autem fit qualitatibus passiuis, atque actiuis similibus existentibus, sed actiuas periculi causa non admittimus, at verò quæ scribunt illi de intemperiebus, deinceps ad genus reductiuum omnia pertinent: nam in Conseruatiuo non tanta est vtilitas, & quicumque eo facilè vti potest: quia nullam sentiens in corpore varia

cap. 4. in prin.

Tertia primi doct. 2. c. 17. & doct. 3. c. 1.

lib. 1. c. 13. lib. 4. c. 30.

libro 1. c. 70. Paulus lib. 4. c. 94. Aëtius.

variationem de errore non adeò timet, at qui reduci studet, frequenter incommodis agitur: ob id quilibet seruare suum statum doctus quasi à natura nouit, in melius reducere opus est solius Medici: atque etiam eruditi, ac sapientis.



TRACTATVS SECVNDVS.

CONTRADICT. I.

Exanthemata in pueris an illico debeant curari. Quid Ophiasis.



PVSTVLÆ, quas Græci exanthemata vocant, vbi puero eruperint, primùm nullum nobis negotium facessere debent: sed postquam eruperint, curare tentabimus balneis, quibus Myrtus, aut lentiscus, aut rosa sint iniecta, inquit Paulus. Sed Auicenna dicit, quòd sunt medicandæ cum subtilibus: cumque in fine medicetur & ipse cum Myrto, & lentisco, ac rosis, videtur quòd à principio. Sed facile est videre, quòd cum illis miscet hæc: & quòd vult, quòd medicemur postquam exierint, non autem antè, vocat autem illa ipse Dothor. Manardus existimauit etiam hæc sub tinea collocari ab Haliabbate, & quòd Exanthemata essent Saphati Arabum. Haliabbas namque posuit tineæ suæ species quinque, ob id non immeritò dubitauit. Franciscus Petrarcha medicus, amicus noster cùm vidisset tam inuolutam rationem Ophiasis, Alopeciæ, Tineæ, seu melius Tyriæ Arabum, Exanthematum quid hæc essent? hortatusque est vt aliquid de hoc scriberem. Nam Manardus ipse Alopeciam suum nomen retinuisse quasi apud Arabes existimat: Ophiasim autem esse Tyriam, id autem auxit suspicionem, quòd in nostra Tyria vulgari, potius accidere videmus id, quod ἀχῶρες, seu achores, & κηρία seu ceria efficere solent: scilicet vt exulcerata cute quiddam melli simile profluat: nam de ψυδρακίοις, seu psydraciis, & Exanthematibus, ac ficubus, quanquam in capite nascantur etiam, non tamen peculiares illi morbi esse videntur. Si igitur Achores & Ceria, non sunt Tyriæ naturæ species, quonam sub morbi genere collocantur? aut quod nomen nunc sortiuntur? Quòd igitur nostri temporis Tinea, sit Tyria Auicennæ, primò patet, quia cadere capillos, & cutem exulcerari scripsit ille, quæ propria sunt nostræ Tineæ. Paulus etiam hoc ostendit, cùm dixit, Vbi iam vlcera ad cicatricem venerint, de Alopecia loquens. Quò fit, vt error Auicennæ detegatur: nam non solum in Tyria & Ophiasi, sed in Alopecia & Alopicia quæ eadem sunt, quandoque non tamen semper summa exulceratur cutis capitis, differunt enim Alopecia, & Ophiasis sola figura defluuij capillorum, non autem morbi essentia ipsa, vtraque autem eorum sub nostra continetur Tyria.

lib. 1. c. 6. tertia primi doct. 1. cap. 3.

lib. 7. epist. 2. lib. 8. Theorica c. 18.

septima quarti t. 1. c. 5. lib. 3. cap. 1.

Facit etiam Paulus caput de defluuio capillorum, in quo nihil aliud curat, postquam de Ophiasi & Alopecia plenè tractauit. Quò fit, vt tam Ophiasis quàm Alopecia cutem exulcerare nata sint: tum maximè quòd in initio inquit: Caluitium humidi penuria, Ophiasis & Alopecia succi vitio producuntur. Manifestum est etiam curam, quam Princeps septima quarti t. 1. c. 6. illi exhibet, eandem esse cum ea quæ nostro exercetur tempore. Confricatur cutis, exulceratur, sed & cura Auicennæ cum Paulo conuenit cùm dixisset Paulus, Euphorbium, Thapsiam & adarcem oleo leuigata laurino: inquit Auicenna, Euphorbium & lacrymā rutæ agrestis, oleo excipe laurino, consonat id his quæ à Galeno in primo de Medicamentis c. 2. iuxta principium, secundū locos scribuntur, cùm inquit, de ambabus loquens: Vnum quidem ambæ secundum morbosam affectionem malum: quorum causa est vitiosorum humorum redundantia. Quales verò sint corrupti humores ex capitis cutis colore dignosces. Docet autem vt purgationibus vtamur primùm, nō secus ac Princeps atque Paulus, inde infra, difficulter autem serosi humores cuti impacti eluuntur: multò autem magis si iam cutis ipsa ad malum habitum peruenit. Sed & infra in auxiliis Euphorbium, sinapim, sulphur, nitri spumam Thapsiamque commemorat, quorum nullum à Principe cap. 3. prætermittitur, sic oleum laurinum. Constat sanè ea esse verò vnum in affectibus quibus ad vnguem eadem medendi ratio generalis ac singularis conuenit: nam & infra cutim fricat, radit, rubificantibus, & cucurbitulis vexat: vt etiam aciculis expungere doceat. Sed hæc, vt reor clariora sunt quàm vt pluribus indigeāt testibus. Illud etiam esset absurdum, quod tot de casu capillorum varia capita fecisset, quæ in nullo inuicem fermè differrent, cadere etiam capillos in eo morbo constat: at si de tyria non loquitur, maximum morborum in cute ipsa capitis euenientium reliquisset intactum. Sed si vt Haliabbas inter tineam & tyriam ipsam distinguas, Tyriam verò & alopeciam fermè defluuia solum facias capillorum: illud sequatur necesse est, vt Galenus nullum verbum habuerit de hoc: aut vt sub achoris ac psydraciis intelligat. At in his non cadere vnquam capillos scripsit: nec postquam curauerit, meminit medicamentorum quæ pilos nasci faciant: quod verò maximum est, nequaquam vtitur irritantibus medicamentis, vt in ophiasi, sed spuma argenti, cadmia, charta exusta, cimoliaque ac talibus. Haliabbas igitur tineæ nomine intelligit quæcunque capiti eueniunt citra capillorum defluuium vitia: si

1. de Medic. secundum locos c. 26.

modo cutem parum exceſſerint, achoras, pſydracia, ficus, exanthemata: ſuóque modo facit quinque ſpecies cum certis. At nunc hæc in pueris maximè cernuntur, quanquam nomina non imponamus ſingillatim: quoniam vt plurimum ſanari leuiter conſueuerũt: nam ſi mali ſint omnino humores, capillos cadere cogunt, nec amplius puſtulæ dicuntur: ſed ophiaſis aut alopecia, vel vt à nobis Tyria: eam ob rem nec antiqui, nec recentes medici de his, quantum de alopecia vel ophiaſi curauerunt: nec capillos in eis cadere ſcripſerunt: quoniam iam in ſæuiorem morbum tranſit affectus, hæc vero eadem ſexta aphoriſmorum patent. Liquidò verò patere arbitror, omnes cutis morbos contagioſos eſſe, maximè inueteratos: ob id etiam noſtra Tyria. In generalibus autem regulis hoc docuit Galenus. Defœdatio verò cutis capitis quæ omnibus ac ſolis infantibus, citra omnem noxam ſolet accidere, quam Ruffam à colore vulgati nomine vocamus, cùm morbus nullo modo ſit, ab antiquis inter morbos non connumeratur. Exanthemata verò quædam vlcus habent, quædam non, vt in tertia Aphoriſmorum Aphor. 20. cap.6. vbi enim Latina verſio habet, Puſtulæ vlceroſæ: Græca lectio habet ἐξανθήσιες ἑλκώδεες. At verò quòd per vniuerſum corpus accidere ſoleant, patere arbitror quarto de Tuenda ſanitate. Ego Variolas & Morbillos Arabum ſub illis arbitror contineri: nam Paulus nec in primo, nec in quarto, vbi de omnibus agit morbis, qui cuti eueniunt, nihil de his dicit, ac ſi non eſſent: cùm tamen omnibus hominibus eueniant, vt Auenzoar, & Auerroës teſtantur: & nullum genus puſtularum ponitur à Paulo ad quod poſſint reduci, niſi ad exanthemata: tum magis, quòd de his in vtroque libro tractat, tanquam de ea puſtula quæ tam pueris quàm adultis communis ſit: cuiuſmodi ſunt vocatæ variolæ & morbilli.

Aphor. 34.

2. theiſir trac. 7. c. 3.

CONTRADICT. II.

Morbus Melancholia appellatus, an cum febre eueniat.

INterdum vbi principales actiones læſæ ſunt, febris quoque accedit, vt in lethargo phrenitidéque. Interdum ſine febre vitium eſt, vt in mania atque melancholia, id quòd modò per conſenſum, interdum affectu primario cerebro laborante accidit, tertio de locis affectis, inquit Galenus. Alexander quoque inquit, Deſipientiæ præterea genus quod ſine febre eſt, Melancholia dicitur. Paulus etiam diffinit Melancholiam, quòd ſit mentis alienatio ſine febre. Aëtius etiam cùm eius meminit, nullam mentionem febris facit: & Haliabbas Melancholia nigra eſt animi confuſio ſine febre. Poſuit tamen Maniam cum febre, in capitulo eam phreneſis conſtituens. Raſis quoque nono ad Almanſorem, dum de illa tractat, febris nullo modo meminit: neque in libro diuiſionum. At in oppoſitum eſt Galenus eodem libro paulò pòſt his verbis: Verùm haud abſurda quæſtio eſt, cur cum Diocles cauſas aliorum accidentium redderet, quam ob cauſam mens lædatur, non ſcripſerit: ſiue enim venarum quæ ventriculo contiguæ ſunt, calor exuperat, ſeu partes quæ iuxta illius ſunt portam, quam Græci pyloron vocant, inflammatione laborant, quid cauſæ ſit, cur melancholica committentur accidentia derelictum eſt. Inde paucis interiectis denuò ſubiicit: Atque videtur in eiuſcemodi affectu in ipſo ventriculo adeſſe inflammatio. Sanguis autem in parte inflammata contentus & craſſior, & atræ bili magis conformis. Vidit Auicenna hanc difficultatem, ideo dixit, quòd vel phlegmon illud ex materia frigida erat, ſicque febrem non poteſt efficere: aut ſi omnino eſt ex materia calida pylori inflammatio, tunc hoc in genere melancholiæ adeſt febris. In mania autem febrem adeſſe poſſe non negauerat prius. Sed & Auenzoar in ſuo primo Theiſir, videtur hanc vidiſſe difficultatem, quare noluit explicare an febris adſit cum phlegmon adeſt: ſed ſolum quòd aduritur hæc materia ibi vnde cerebro communicatis vaporibus deſipientia fit. Verum nullus magis clarè hanc dubitationem attigit, ipſo Auerroë, in ſuis collectaneis. Reſponſio tamen ad idem cum Auicenna tendit, vel quòd materia illa frigida ſit, vel quòd febre non poſſit genus hoc melancholiæ carere, vel quod fiat melancholia dum in declinatione ipſa phlegmon eſt. Sed non paruam difficultatem patiuntur hæ reſpõſiones: nam primo per phlegmonem Græci intelligunt ſanguinem: & calidum apoſtema, vt in decimo Methodi, & in libro de Tumoribus dum inquit, ſolent Græci Phlegmonem appellare inflammationem in carnoſis, intentis, renitentibus, pulſantibus, rubentibus, doloreque calido vexatis partibus. Quò fit, vt nullo modo ad apoſtema frigidum hæc referri valeant: nam Græca lectio ſic habet. Εἴτε γὰρ τὸ θερμὸν ἐν ταῖς κατὰ τὴν γαςέρα φλεψὶ πλέον ἐπ' αὐτῶν ἐςὶν, εἴτε φλεγμονὴ τῶν κατὰ τὸν πυλωρὸν μερῶν, διατὶ τούτοις ἀκολυθεῖ τὰ μελαγχολικὰ συμπτώματα, παραλέλιπται, quæ verba iam ab initio expoſuimus ſecundum Guilielmi Copi baſilienſis viri excellentis interpretationem. Sic & reliqua quæ ſubiungit: Ἔοικε μὲν γὰρ εἶναί τις ἐν αὐτῇ φλεγμονὴ, τὸ δ' ἐν τῷ φλεγμαίνοντι μορίῳ περιεχόμενον αἷμα, παχύτερόν τε καὶ μελαγχολικότερον ὑπάρχειν. Sed ſi cum febre eſt tunc melancholia, cur eum morbum vnanimes omnes, quaſi conſpirauerint, ſine febre eſſe dicunt? Quòd ſi à phlegmone melancholia ſuccedit, quanquam hoc haud cum verbis Galeni conſentiat, qui morbum cum phlegmone ipſo fieri ait, an phlegmon ſuppuratum an reſolutum eſt: neceſſe eſt autem neruea exiſtente ventriculi ſubſtantia, illos non leui dolore, ac difficultate egerendi vexari: quorum nullum cùm in melancholicis videamus, reſponſionem præ oculis habeamus, non eſt vt cum Auicenna & Auerroë aberremus: verba enim Galeni illa ad Dioclem, qui hoc ipſum prioribus verbis dixerant, contorquentur, non quòd melancholiam ex pylori phlegmone fieri velit: ſed ſi fiat, vt Diocles

3 collec. cap 8. cap. 8.

cap. 5. iuxta finem.

lib. 1. cap 22.

lib 3. cap. 14. lib. 6. cap. 9.

9 theor. c. 7. cap. 13. cap. 9.

cap. 7. ſtatim poſt medium.

lib. 5. trac. 4. cap. 18.

cap 15.

trac. 9. c. 9.

lib 3. c. 40. in fine.

cap 6. cap. 1.

Diocles affirmat, quo pacto adhuc symptomata illa succedant, ille minime (inquit Galenus) docuit. Sed hoc etiam ex verbis Galeni in tertio super tertium Epidemiorum habetur: inquit enim, Proprium insanientium est febre liberum esse vt febricitare phreneticorum. Quamobrem facile est videre, quonam pacto, qui pluris hominem faciunt, quàm res: & res & autoritatem hominis perdere. At nos cùm ipsam sequamur veritatem neglecta autoritate, & rem ipsam docemus, & Galenum ipsum ab iniuria & contradictione vindicamus: nam non solùm hoc Arabibus, sed etiam Græcis non leue attulit negotium. At non negamus, si ventriculo phlegmon adueniat desipientiam non subsequi: sed tunc non morbus erit ipsa desipientia, sed symptoma: cumque grauiori tunc longe morbo laboret, non iam eum melancholicum sed morbo acuto laborantem, ac ventriculi phlegmone dicemus. Nam si qui laterali morbo affligitur, perperam febriens simpliciter dicitur: quantò absurdius delirantem ex phlegmone letali, melancholicum appellabimus? Non male, ni fallor, Celsus insaniam in tria distinxit genera. Primum, quod cum cerebri phlegmone coniungitur, vocaturque Phrenitis, magnam habens febrem iunctam: Secundum, quod leuem & interceptam, quod ex sanguinis abundantia ac prauitate fit: Tertium, quod absque febre est, & in longum protrahitur: nam nec deliria, quæ ex phlegmone septi, vel ventriculi fiunt, omnino sunt perpetua, sed per interualla hominem infestant. Rasis in suis continentibus locum & ipse perperam Galeni est interpretatus, pro Diocle subscribens Theophilum: admiratur verò, & iure merito, cur si in mesereonem (& hoc pro pyloro supposuit) phlegmon fit, quonam pacto siti ac febre careant: adducit tamen coniecturas, quibus phlegmonem adesse verisimile videatur: scilicet à frigidis iuuari & inflationem sentire: sed inflatio illa nec ponderosa est, nec perpetua, nec exurens: nec iuuantur à frigidis illico, imò læduntur: sed continuo vsu eorum minuitur atræ bilis generatio, quò fit leuior euadat morbus in posterum: sed non tam frigidis, quàm humidis alleuiatur morbus, cùm humida solùm innoxia sint, & cùm assumuntur & postquam assumpta & etiam concocta fuerint. Sed his omissis vera solutio habetur, libro de Morborum differentiis, cum dixit Galenus: φλεγμονὴν ὀνομαζόντων ἡμῶν δηλονότι νῦν οὐ τὴν οἷ φλόγωσιν τῶν μορίων, ὥσπερ ἦν ἔθος τοῖς παλαιοῖς. Id est, Inflammationem nobis vocantibus, non partium feruorem, vt mos antiquis fuit. Quare melancholia esse potest cum pylori inflammatione, quæ tamen non est phlegmon, neque tumorem habet secum, nec dolorem, nec febrem, more antiquo nomen interpretantes.

c.46.

lib.3.c.18.

lib.1.c.3.

cap.12.

CONTRADICT. III.

Glaucus oculus an opponatur nigro.

QVæ verò ad colores attinent oculorum, sic oportet distinguere: Glauci quidem oculi qui puro & non multo præfulgent humore, tales fiunt ob splendidi luminis abundantiam: Contrà verò nigri: at qui sunt intermedij, causas quoque habent intermedias. Hæc Galenus: atque non solum in his, sed etiam sequentibus verbis manifestum facit, extremos oculi colores Glaucum esse, ac Nigrum: glaucum nempe in claritate, in obscuritate nigrum: reliquos medios omnes esse: quos Auicenna in tertio sui canonis Varios appellat: nam si hi colores extremi non sunt, non solum extremos colores prætermisit Galenus sed quotquot inter extremam & glaucum esse possunt. At in quinto de Generatione animalium Aristoteles hæc habet: Οἱ μὲν γὰρ ἔχουσι τῶν ὀφθαλμῶν πλέον ὑγρὸν, οἱ δ' ἔλαττον τῆς συμμέτρου κινήσεως, οἱ δὲ σύμμετρον: τὰ μὲν οὖν ἔχοντα τῶν ὀμμάτων πολὺ τὸ ὑγρὸν, μελανόμματά ἐστι, διὰ τὸ μὴ εὐδίοπτα εἶναι τὰ πολλά, γλαυκὰ δὲ τὰ ὀλίγον, καθάπερ φαίνεται καὶ ἐπὶ τῆς θαλάττης, τὸ μὲν γὰρ εὐδίοπτον αὐτῆς, γλαυκὸν φαίνεται, τὸ δ' ἧττον, ὑδατῶδες, τὸ δὲ μὴ διωρισμένον διὰ βάθος, μέλαν καὶ κυανοειδές, τὰ δὲ μεταξὺ τῶν ὀμμάτων τούτων, τῷ μᾶλλον ἤδη διαφέρει καὶ ἧττον. Hoc autem est: Hi enim habent ex oculis plurimum humidum, hi verò minus quàm pro ratione mixtionis, hi verò quantum conuenit. Qui igitur ex oculis humido abundant, nigri sunt, quoniam plurima ex illis non sunt perspicua: glauca autem quæ modicum habent, quemadmodum & in his quæ maris sunt apparet: quod enim ex eo perspicuum est, glaucum videtur: quod verò minus eo est, aqueum: quod autem distingui non potest ob profunditatem, nigrum videtur, atque cæruleum: qui autem oculi inter hos medij sunt, vt magis, aut minus iam differunt. Hactenus verba transtulimus: sententia verò clarior longè est. Oculi vt maris partes habentur: quidam enim plurimum humidum habent, nigrique ac cærulei videntur, vt maris profundum: quidam mediocre, atque hi glauci, velut pars maris quæ perspicua est, quanquàm oculus dilucidè percipit. Quidam modicum continent humoris, & hi aquei coloris sunt, vt etiam maris summa pars. Constat igitur extremum colorem à nigro, eique maximè contrarium, non glaucum esse, vt Galenus censet, sed vt veritas docet, & Philosophi verba, aqueum: namque & patri meo Facio Cardano, oculi non glauci, sed aquei ad vnguem fuere. Est hoc sanè in viris rarum, in infantibus tamen frequens: nam si rectè inspicias, plurimorum ex illis, velut & felium oculi sunt aquei, non glauci: est enim color glaucus vt definiunt rectè Grammatici, viridis albedine quadam permixtus: vnde talis etiam in foliis oliuæ ac salicis perspicitur. Sic Virgilius:

2. artis medicæ.c.10.

fen.3. trac.2. cap.14.

cap.1. iuxta medium.

Populus,

Populus,& glauca canentia fronde salicta.
Et rursus:

2. Georgic. 12. Æneid.

Tantum effata,caput glauco contexit amictu,
Multa gemēs,& se fluuio Dea condidit alto.

Nigidius existimat,& rectè,quòd Glauci nomine apud Græcos exprimitur, Cæsij nomine apud Latinos debere intelligi: quod & Theodorus Gaza interpres scientissimus grammaticæ in vertendo obseruat. Maluerunt tamen plerunque Poetæ illustriores Græca notissima voce vti, quàm paulò obscuriore Latina:tum magis,quòd glauci spôdeum nomine, Cæsij nullum pedem nisi per figuram admittunt hexametro idoneum. Cicero docet, veteres Mineruam cæsiis oculis semper finxisse. Homerus verò γλαυκῶπιν ἀθήνην, suam vocat: at indecens fuisset candidum colorem mulieri, quam maxime honestare vellet, tribuisse. Igitur dicendum erit, vt Galenum, quanquàm inuitum, tueamur, per Glaucum intellexisse, non quod veteres volunt, sed omnem colorem, qui non sit exquisitissimè candidus:nam talis oculus,si pupillam habeat, nullo modo esse potest: quare aqueus sub glauco continebitur: non meminit autem aquei, quia colos hic fictitius est, nec famosus, si ad nomen ipsum respicimus, quandoquidem nec satis constet, an aquæ nullus sit color. Aristoteles autem rei magis vtilitati studuit, quàm verborum lenocinio. Hæc itaque sic se habent.

1. de nat. Deo.

CONTRADICT. IV.

Color glaucus an à multo fiat humore crystalloide.

2. Artis med. c.21.

Ex quibus non leuis alia quædam exoritur dubitatio, scilicet: An paucitas crystalloidis sit causa nigredinis, vt Galenus ipse affirmat. Deinde, An colos in oculis ab humoribus sumi debeat: nam quantum ad crystalloidis rationem, Auicenna cum Galeno consentit: sed differentia est, quia etiam tunicarum colorem in causa esse vult:verùm alibi etiam in Cantica scilicet de humoribus dissentit:cùm dixit: Si corpus albuginei & glacialis fuerit peruium, purum, & modicum, ac prominens, tum etiam lucidum,erit color oculi glaucus: à contrariis verò causis, niger. Eandem sententiam sequitur in commento Auerrois:& in Paraphrasi de Generatione animalium:& in Collectaneis,vbi olim in margine contradictionem,quæ nunc legitur, dum essem adolescens adnotaueram. Secutus igitur magistrum suum in quinto de Generatione animalium,non multitudinem, vt Galenus, sed paucitatem crystalloidis albedinis oculi causam esse refert. Quidam falsò etiam de tunicis imponunt Aristoteli. Sed cur, cùm tres sint humores, duos tantùm consideramus? Facilis est responsio:nam in primo Collectaneorum, vitreus qui tertius est, post glacialem,seu crystallinum collocatur: quod & autor libri de oculis fatetur. Verùm ad reliquas dubitationes aliqui dicunt Galenum posuisse causas eas quæ magnam possunt efficere narrationem, Auicennam omnes, alij ad apparentiam nihil prodesse tunicas, sed solum vt talis sit oculus cùm in dissectione partes quæruntur: hi omnino Auicennam damnant, alij verò Galenum faciunt insufficientem. Forsan dici posset tunicas adumbrare oculos posse,colorem non posse facere. Sed nec sic satisfacimus Galeno: nam non ex hoc colore quem video, vllam de oculi natura potero facere coniecturam: quare melius dicam, totius oculi signa à Principe posita esse, solius verò pupillæ à Galeno: atque hoc verissimum est. Sed cur Auerroes alia excitat signa,si quidem sumpta ab exustione humorum, hoc haud nos fatigat, quandoquidem turbulentiam, quæ puritati est contraria, adustio generet.

3.3.tract.2. cap.34. tex.52.

lib.5.c.3. lib.4.c.3.

cap. 1.

cap.17. tract.1.c.2.

CONTRADICTIO V.

Visio an in humore crystalloide.

Hvmor ipse crystalloides primum est videndi instrumentum, cui rei certissimo argumento sunt quæ à medicis ὑποχύματα, id est suffusiones appellantur, quæ interiacent quidem inter crystalloidem & corneam tunicam, visionem impedientia donec deprimantur,humori autem crystalloidi qui albus est,& clarus,ac splendens: quoniam hac sola ratione futurum erat, vt à coloribus immutaretur,non par fuit vt ex sanguine ipso nutriretur, inquit Galenus in decimo suo de Partium vsu,& autor libri de Oculis.Sed aliter videtur sentire Galenus, cùm inquit in eodem libro:Quæ verò pars crystalloidis extra prominet, tenuem, & lucidam indura est tunicam, atque etiam ipsius pupillæ imago velut in quodam speculo consistit: quandoquidem leuis est & fulgens hæc tunica supra omnia specula. Igitur vult,quòd visio in ipsa aranea tela fiat, non in humore: quam sententiam amplexari videtur Auerroes in tertio Collectaneorum, quamuis in secundo videatur velle, quòd in vtroque simul fiat, scilicet in crystalloide & aranea tunica, ob eius splêdorem & claritatem. Sed deceptus est Auerroes, vt in plerisque, in interpretando Galenum:nec concordia illa est vera, nec ad Galeni mentē.Quòd enim vera non sit patet:neque enim dignū est, vt instrumentum principale operationis vnius sit compositū:nam vt bene dicebat Philosophus, Sensationes fiunt in similaribus, motiones ab instrumentariis partibus, At sic fieret sensatio ab instrumentaria parte, non à similari. Quòd autem verbis Galeni hoc non consentiat, patet:inquit enim in verbis sequentibus: Omni igitur parte instrumentum visus à natura excultum est,siue spectes eius in mollitiæ symmetriam, seu situs opportunitatem, seu coloris fulgorem, siue vim operimentorum. Nam operimentum id, quod sibi est naturale, leue est ac lucidum & splendens, instar speculi. Manifestum est igitur luce clarius, hoc esse araneam tunicam, operimentum instrumenti visorij non instrumentum,neque merito Galeni verborum, adeò clarè loquitur, in contradictio

cap.1. tract.1.c.1. cap.6.

cap.31.in tit. cap.15.

2. de part. anim. cap.1. in fin.

traditionem verti meruit, sed ob Auerrois falsam tantùm interpretationem, est igitur visus primum instrumentum secundum Galenum humor chrystalloides, quod & illi tribuit Auicenna tertio de Anima: quamuis contradicat ei: nam declarauimus secundum mentem Auicennæ, quòd spiritus sunt instrumenta sensuum, & primum quod recipit sensationem: & instrumenta, vt oculus, & auris, sunt propter spiritus, & non spiritus propter ipsa instrumenta, & rationes adductæ pro sensu tactus, sunt etiam pro cæteris sensibus. Verum quòd dicat Galenus, relucere imaginem vt in speculo, intellexit non de illa quam videmus, sed vt etiam dicebat ibi Auicenna, de ea qua quisque se, non aliter quàm in speculo, in pupilla oculi videt. Hæc autem reflexio foras fit, non ad crystalloidem. Adiuuat tamen splendor ille ac lenitas adiuncta perspicuitati, ad reddendam imaginem illustriorem primo instrumento, scilicet crystalloidi. Verùm hoc vnum relinquebatur indiscussum, quo nitebatur Galenus in prima autoritate, & autor de oculis ostendere, crystalloidem esse primum visus instrumentum: nam suffusio, quæ sub cornea accidit, visum impedit, inquiunt: ipsius igitur visio non fit nec in cornea, nec tenui humore. Pari ego dicam argumento. Visio intercipitur obstructis obticis, igitur non fit in crystalloide, oportet igitur supponere quòd in suffusione etiam nihilominus ad partes anteriores possit spiritus transire, quamuis obliqua via, quod & verum est. Sed in obticorum obstructione, nullus transit spiritus: ostendit igitur Galeni argumentum, visionem non fieri, nec in cornea tunica, nec in humore tenui: non tamen ostendit fieri in crystalloide. Verùm cùm vitreus humor, qui ei est à tergo, crassior sit, nec pateat: tum verò & retina ipsa inhabilis sit: certum relinquitur, visionem fieri in crystalloide, vel in spiritibus qui ibi continentur: perfici autem in cerebro: nam nisi omnes sensus ibi perfectionem susciperent in omnibus geminatis sensoriis, non solùm in oculo, res vna duæ existimarentur, vt rectè inquit Galenus.

cap. 8. in prin. lib. 1. tract. 5. cap. 1.

10. de Vsu partium, c. 14.

CONTRADICT. VI.

Staphyloma an morbus vueæ, an corneæ.

cap. 2. cap. 34.

AEtius in libro septimo commemorat iuxta initium Staphyloma inter vueæ tunicæ morbos. Idem post declarat, non esse vitium vueæ, sed corneæ tunicæ. Paulus libro tertio inquit: Cùm vuea rupta cornea procedit, Myocephalos, id est, muscæ caput dicitur: cùm verò plus, staphyloma, id est quasi vuatio dicitur, vbi adhuc magis malùm: sed vbi obcaluerit clauus, quo fit vt vtrique tunicæ morbus hic communis videatur. Idem verò alibi inquit: Staphyloma est vitium tunicæ ceratoidis, id est corneæ, cum Rhagoide debilitata: est verò Rhagoides vuea. At Celsus libro septimo, Staphyloma inquit est cùm ruptis membranis aliquibus intus summa attollitur tunica, similisque acino figura fit. Idem verò accidit relaxatis, vnde id σταφύλωμα, Græci vocant. Respondeo nemo exquisitius Aetio rem hanc docuit: nam vbi corneæ vitium esse declarat, hæc in sententia habet: cùm disrumpitur cornea, siue humor subsit, seu vuea per vlcus promineat, cùm ex vtroque acini similitudine aliquid prominet, vocatur Staphyloma: Græcè namque σταφύλωμα, vua dicitur. Est igitur corneæ tunicæ vitium semper, à similitudine verò ab vuea nomen sumpsit, cùm verò videatur vuea prominere, inter vitia vueæ ab antiquis commemoratum est: & si non rarò fracta cornea ipsa, verè vuea promineat tunica, quamobrem & ab euentu, & à similitudine, & ab existimatione vulgarium, vueæ nomen adipiscitur vitium. Paulus autem in libro sexto huius quæ fit procidentia tunicæ, non quæ ab humore solum curationem docet: quandoquidem hoc genus tantum Staphylomatis manuum agilitate emendari ac tegi, non autem sanari queat: nam ad id quod ab humore fit prorsus inutilis hæc operatio est.

cap. 22. de Oculi procidentia.

lib 6. cap. 19. cap. 7. in fine.

CONTRADICT. VII.

Præcantationes an in cura aliquid possint.

SÆpe dubitatum est, An præcantationes in morborum cura valeant quicquam: nec solum nobis consilium est, vt de imaginibus loquamur, sed etiam de his quæ miram quandam habent sanandi rationem: velut cùm dicimus, quòd inspicere oculos onagri frequenter habeat delere Hypochymata, seu aquam, vt Auenzoar affirmat. Sic ille existimat, quòd suspendere smaragdum debeat liberare à difficultate intestinorum, & comitiali morbo laborantes non parum iuuare. Cùm verò plurima talia sint, ea quæ manifesta sunt in tertium librum de rerum varietate retulimus: at hîc, vt diximus, præter Auenzoar autoritatem, Dioscoridis etiam experimenta, tum verò Alexandri Aristotelis, Auicennæ, Alberti, ac Aetij referemus. Ab Aristotele igitur ducam initium, his tamen prætermissis, quæ ille in librum de Mirabilibus auscultationibus contulit, quem rerum miracula faciunt, vt suum esse non credam: tituli autem modestia illius quasi esse ostendit. Ergo in tertio de Historia animalium inquit, In Lemno insula caper tantum lactis singulo die emittebat, vt colostra fieret, quod & proli masculæ eiusdem capri accidisse intelleximus. Sed hoc ostentum erat: nam Deus consulenti respondit incrementum peculij domino accessurum. Ibi, vt video, vtriusque miraculi rationem habet & naturalis, & oraculi: nam oraculis admissis, non leuis dubitatio circa naturæ principia emergit: & quanquam de hoc aliàs scripserim, ac generaliter in libro de Animi immortalitate disputauerim, nonnulla tamen quæ huic tractationi deficiunt, præsenti disputationi adiicere minime pigebit. Igitur & in secundo eiusdem inquit: Remora à remorandis

lib. 1. tract. 8. cap. 19.

lib. 1. in c. 1.

cap. 10.

cap. 14.

randis nauibus dicta, pisciculus quidam est saxis assuetus, in cibos non admittendus, vtilis vt creditur ad amatoria, & ad iudiciorum causas. Sed & hic duo genera miraculorum testatur: alterum quod firmiter de nauibus remorandis, reliquum quod dubiis verbis de iudiciis ac amatoriis refert. Rursus in sexto hæc habet: Cum autem equa pepererit, statim secundas deuorat, atque etiam quod pulli nascentis fronti adhæret, hippomanes dictum, paruæ caricæ magnitudine minus, latiusculum tamen, orbiculatum, nigrum: hoc si quis præcepto odorem moueat, equa excitatur, furitque eo odore agnito: quapropter id à veneficis mulierculis petitur, ac subripitur. Sic & nono libro refert, sanguinem Flori Ægitique auicularum, quòd perpetuas inuicem gerant inimicitias, coire à pluribus non posse existimari: atque augures dissidio carniuorarum auium bella prædicere, vt concordia pacem. Quid? neque piget quod ibi adiicitur, quamuis præter intentum videatur, vtile tamen adiicere: scilicet, Olorem ab olore deuorari: cùm tamen hæc auis credita sit ab antiquis ob id Apollini sacra, quòd iuxta mortem dulcissimas edat voces. Alibi etiam eodem in libro inquit: Sittæ aui, quæ ex genere est earum, quæ cognitione pollent ob id rem maleficam tribuunt. Et in octauo etiam, Ouium quas lupus occiderit pelles, vellera, & vestes quæ ex his fiunt, longe omnibus aliis ad pediculos procreandos sunt aptiores. Et in quinto, Perdices fœminæ, si aduersæ maribus steterint, ventusque inde afflet vbi mares stant, concipiunt. Quid hoc maius miraculo? Sic & alibi in Cypri fornacibus affirmat, dum ignis ardet, viuere pennatum animal, musca paulo amplius: quod si ab igne eximatur, emori. Quid hoc difficilius esse potest? vbi nec ferrum, nec lapis, nec aurum resistit diu, animal atque id exiguum, non solum non amburi, sed sic viuere, vt illi hoc solum vita sit, quod omnibus aliis est nex. Quid igitur de vermibus dicam, qui niue viuunt ac generantia? quod & ibi fatetur. Sic & in sexto rursus inquit: Pullorum hirundinis adhuc recentium oculi, si quis stimulo eos vexarit, resanescunt, & vim videndi planè recipiunt. Sic & in Perside prægnantes mures discissas inueniri affirmat, quæ alias fœminas contineant & ipsas vtero mures gestantes. Pygmæos etiam in octauo libro admisit, probatque: confiteturque quòd hominum saliua serpentum generi plerunque perniciosa est. Libro etiam nono docuit, plurima animalia scire suas medicinas, neque eas vulgares: nam & capræ syluestres dictamum quo spicula eiiciant norunt: in quo duplex miraculum apparet, & belluæ, & herbæ. Et alibi testatur etiam dum apud Pharsala Mediæ hospites perierunt, coruos quasi sensum euentus futuri haberent, à locis Athenarum & Peloponensi abfuisse. Apes quoque hyemem & imbres præsagire. Et in Problematibus ait: Sibyllæ, & Bacchæ, omnesque quæ diuino spiritu agi creduntur, instinctu lymphatico ex naturali quadam intemperie aguntur. Quin & Maracus Syracusanus Poëta præstantior erat dum mente alienaretur. Simile quiddam de Tynnicho Chalcidensi Plato in libro de Poetico furore refert: nam cùm is nullum antea poëma lectione dignum composuisset, in Apollinem hymnum composuit, adeò reliquorum Poetarum cantilenis celebriorem, vt solus vel ferme Platonis tempore inter alios decantaretur. Quamobrem Plato ipse ibi censet Poëtas ipsos deorum esse interpretes: quicquidque dicant, ac scribant, vt etiam Homerum ipsum furore quodam, & vi numinis non proprio inuenire ingenio. Meminit & in Rhetoricis Oraculorum ac Augurum, illorum ambiguitatem quæ solum genus doceat euentus, non in illis inquam, sed in ipsis Rhetoribus merito damnans, tum rursus Deus in anima lumen intellectus accendit, at ibi forsitan minor autoritas velut exemplis, cùm non solum de diis sed etiam de dæmonibus sermonem habeat. At verò in Quinto primæ philosophiæ ait, dum de substantia loqueretur, Substantia dicitur quodcunque corpus, tum verò quæ ex ipsis corporibus constat, vt animalia, Dæmoniaque: cuius fidei testimonio Græca lectio ipsa, cum aliquot translationes eo verbo careant, apertè subscribit. Inquit enim, Οὐσία δὲ λέγεται τάτε ἁπλὰ σώματα, οἷον γῆ καὶ πῦρ, καὶ ὕδωρ, καὶ ὅσα τοιαῦτα, καὶ ὅλως σώματα, καὶ τὰ ἐκ τούτου συνεστῶτα ζῶά τε καὶ δαιμόνια, καὶ τὰ μόρια τούτων. Hæc inquam vt ex grauissimo autore sic minus clara: quæ tamen ab ipso Pomponatio maxima ex parte in suo libro de incantationibus sustulimus. At quæ hic subiiciemus nos, magis in rem ipsam facere apertè videntur. Initium igitur ab Alexandro Tralliano ducam: inquit igitur, dum de comitiali morbo ageret, In Hirundinum pullis primogenitis duo inueniuntur lapilli, quorum qui candidus est, vel solum appositus comitiali morbo correptum eleuat: rubens autem è corio alligatus ceruino ego legebam, persanat, hos ego ambos vidi, & cinerem panni madefacti sanguine viri singulari certamine occisi per septem dies cum vino in potu datum eodem morbo laborantes persanare. Prætermitto quod de anguium senecta docet ad dentes exesos dolentésque: illud potius adiicit quod in coli doloribus ascripsit: Cùm characteres (inquit ille) & physica ligamenta cruciatus non solum placare, sed protinus tollere consueuerint: ideo ea subiicere decreui, sed non sine delectu: verùm quæ partim à prioribus medicis, partim à me multa sunt experientia confirmata. Enumerat, inquam, stercus lupinum collo suspensum ex Galeno, exiguam vmbilici partem nuper nati infantis, argenteo vel aureo inclusam annulo: cor verò seu medullam arboris abietis læuo adalligatam femori: Lapis quoque medicus, in quo Herculis imago leonem suffocantis fuerit insculpta aureo annulo inclusus. Sed ad Dioscoridem venio, illud solum monens, quòd vbi Græca lectio δοκεῖ habet, quod est Videtur: nimis illi à sensu absonum. Dicitur, vertunt. Is igitur multa nimirum ac mira tradit: Primùm, quòd cantharides epotæ arcent maleficia: quamobrẽ illa iam esse præsupponit: quod

Margin notes (left): cap. 22. — cap. 1. — cap. 17. — cap. 10. — cap. 5. — cap. 19. — cap. 5. — cap. 37. — cap. 12. — cap. 29. — cap. 6. — cap. 31. — cap. 40. 30. par prob. 1.

Margin notes (right): lib. 3. ad theodectum c. 5. — ibidem c. 10. cap. 18. — lib. 1. cap. 11 sect. 15. & 17. — cap. 39. lib. 3. c. 41 in fine. — lib. 2. cap. 54.

quod & Tripolium tutius facit, peculiariter autem ad amatoria Cyclamini radicem, aut ipsum laudat Leontopodium in potu datum: ita è diuerso Vmbilicum Veneris, herbam nobis frequentem in muris, ac Catanance semen adalligatum solum amores conciliare tradidit. At è diuerso, sed tamen maiore miraculo narrat Rhamnum rubi speciem, vel Scillam pro foribus appensam omnia arcere maleficia. Et in tertio libro dum de Alysso loquitur hæc habet: Dicitur & domi suspensum sanitatem facere, fascinationesque omnes ab hominibus pecoréque auertere: & in punicea lacinia collo alligatum pecoris morbos arcere. Sed hæc sanè mediocria: quæ verò subiiciuntur admirabiliora: inquit enim, de Antirrhino loquens, Relatum est in illius historia, adalligatum veneficiis ac malis medicamentis resistere. Quin etiam eo perunctos ex lilino oleo vel ligustrino venustiores reddi, gratiamque apud homines inuenire. Tum in capite de Verbena: Fertur tricliniis inspersum verbenacæ dilutum lætiores reddere conuiuas, sacramque ideo eam vocant, quòd in lustrationibus suspensa alligatáve felicem vsum habeat. Huius geniculus tertius à terra cum adiacentibus foliis, in potu datur tertianis, quartus eodē modo quartanis. Verùm in lustrationibus elegisse herbas veteres verba etiam eius dum de quinquefolio loquitur ostendunt, cùm dixit: Carpitur postremò ad lustrationes ac purificationes. Sed cùm in febrium iam inciderimus mentionem, quæ ille in his scripsit, vt admiranda subiiciam: in capite de Heliotropio (quod & ipsum cum Helioscopio lactea herba solem, vt ipse refert, nosque videmus naturæ proprietate, sequitur) dicit, tria semina epota tertianis, quatuor quartanis cum vino ante accessiones ipsas auxilio esse. Verū maius est quod inter amuleta ille ad hæc refert: inquit enim araneas, aut vermiculos, qui in herbæ capitulis, cuius nomen est Labrum Veneris, inueniuntur, aluta exceptos, brachióque sinistro adalligatos quartanas finire. Sed & de Trifolij seminibus eadem fermè quæ de Heliotropij ad tertianas & quartanas febres scripsit: illud etiam præter hæc addens, eius decocto vulnerum dolores quæ à serpentibus sunt illata finiri. Sed si alia vulnera eodem decocto abluantur, dolores infert similes his, qui à serpentibus sunt percussi. At postquam in serpentum incidimus memoriam, operæ pretium esse duco quæ ille de his admiranda scripserit subiicere. Dracunculi succo igitur manibus illitis à serpentibus lædi negat: & semine albæ spinæ alligato collo fugari venenata. Quin etiam lacrymam Euforbij liquatam ac instillatam inter labia discissæ cutis capitis super os, inde consuta cute hominem reddere à serpentium morsibus immunem. Equidem ego id sic intelligo, vt si ab his vulnerentur, veneni tamen non sentiant detrimenta. Similacem verò asperam, infanti nuper edito datam, illum perpetuo aduersus venena tutum reddere. Sed & Ophites adalligatus prohibere serpentum morsus, ac vexationes: & Lysimachiæ suffitu illos, atque etiam muscas necari, ab eodem proditum est. Columella

Lib. 4. c. 130. — lib. 2. 153. — lib. 4. 116. — lib. 4. c. 87. & 119. — lib. 1. c. 104. — lib. 1. c. 161. — cap. 96. — lib. 4. c. 118. — lib. 4. c. 59. — lib. 4. c. 40. — lib. 4. c. 185. & 149. — lib. 1. c. 55. & lib. 3. c. 11. — lib. 3. c. 114.

verò scripsit, quod omnibus fermè persuasum est, atque etiam verum, impositam taurorum indomitorum iugis, protinus illos mites ac mansuetos efficere: sicut è diuerso Arisari radice tactis genitalibus, adeò furere, vt illicò in perniciem semet agant. Peculiaria verò in scorpionibus quædam sunt: velut colo agresti manibus prehenso, non sentire dolorem eos qui à scorpionibus percussi sint: deposito, protinus eo vexari: Delphinio verò admoto, ipsos scorpiones languescere, reddíque innoxios: quod & Polemonia facere creditur. At herba quæ dicitur Pes leporinus adalligata fertur inguinum tollere inflammationes. Sic dentium dolores Lepidij radix collo appensa: & Plantaginis radix etiam eo modo strumas: verum eadem tertianas & quartanas traditur finire, sumpta pro numero, vt in Trifolij & Heliotropij scripsimus enarratione. At Inguinalem etiam manu decerptam sinistra alligatam femori, non secus ac leporinum pedem, inguinum finire dolores: & Cirsij radicem eodem modo à latere dolente varicum, quamuis nulla erutam superstitione. Asplenion autem herbam notissimam silente luna nocte effossam, ac cum muli liene alligatam, inducere sterilitatem: Sparagíque radicem epotam alligatamque sterilitatem non solum inducere mulieribus, sed & viris, semen tollendo: quod & Vitex facit. Ille idem creditus viatoribus intertrigines prohibere, si ramus illius manu gestetur. Peryclemenon verò diebus XXXVI. epotum perpetuam inducit sterilitatem. At verò conceptus iam factos sed in vtero existentes, excutit menstruus sanguis si super ipsum transeat pregnans, vel eo inungatur: idem Onosma facit cùm super eam herbam illa transierit: vel si leuiter etiam aluus, ter tamen, Oxiacanthæ radice pexcutiatur. Eadem spicula extrahit imposita, sicut de Dictamo, atque aliis fertur. Sed Anagyris in syluis frequens collo appensa, partum accelerat: verùm vis trahendi tanta, vt nisi à partu tollatur, trahat & menses nimios, & vterum etiam ipsum. At è diuerso Crateogonum 40. diebus perpetuis epotum, è duobus aquæ cyathis (si quidem semen) tam à viro, quàm à fœmina masculum fœtum procreare facit: vnde etiam illi herbæ nomen impositum. Semen verò folij quod in petris nascitur, vel herbam Mercurialem, masculos aut fœminas progignere, prout sexus etiam ipsius herbæ fuerit, in potu sumpta: sed & in Mercuriali si bibere pigeat à mensibus mulierum genitalibus adalligasse sufficiat. Refert etiam in Carbonia Hispaniæ regione, Taxi vmbram quandoque necare dormientes, adeò noxiam. Quinetiam Apollinarem herbam, Solanum, somnificum, furiosum: Dorícnium, Mandragoram, insaniam, aut, ectasin mouere. Velut Gagates lapis qui suffitu comitialem morbum excitat, sed id forsan odoris grauitate: & aspidum omnia genera pro amuletis habentur, quæ etiam alligata femori partum accelerent. Sic Smilax hortensis, tamen etiam leuis, ac Pycnocomon, grauia feruntur insomnia commouere: quod

lib. 4. c. 114. — lib. 3. &c. — lib. 3. c. 158. — lib. 4. c. 78.

lib 4. c.27. Aëtius lib 1. c. proprio.

& Polypi caput, vnde prouerbium enatum est, Tantum illud boni, quantum mali apportare Lycopsis verò illata sudorem cit: quod & de Camello refertur nolneui iter agentium vtilitate: nam flos, vt ille docet, in pastillos digeritur. Ergo ad Dioscoridem reuertor.

lib.4. cap.68. & 131. & 146. & lib.2. cap.130.

Sunt non minus mira quæ etiam ad animalia pertinent: vt quod Pulicaris herba viridis in domo pulicum prohibeat generationem. Adiantum verò coturnices & gallos ad pugnam audaciores reddat. Elleborum nigrum, dum effoditur, effodientibus non leue afferre periculum: nam si aquila superueniat de vita periclitari. Quid enim cum elleboro aquilæ ipsi?

lib.2. c.172.

Sic Ocimum commanducatum, & in sole positum, vermiculos creare creditur: alij referunt scorpiones. Chelidoniam verò nasci aduenientibus hirundinibus, abeuntibus illis, interire: eáque quam diximus ex Aristotele sanitatem pullis reparari, oculis eorum admota.

lib 3 c.61. lib.3. c.6. lib.4. c.10. lib.2. c.131. lib.3. c.106. lib.4. c.170. lib.5. c.100. per totum.

Cyminum etiam potu vel suffitu pallorem inducere hominibus. Centaurium verò maius ac Symphitum cum carnibus vna decoctum, illas cogere, sic vt diuisa frusta rursus coëant: & Orobanche, quæ & Erui angina, frequens in agris ad legumina coquenda iniecta facit. Lychnide verò agresti, non minus quam Delphino & Polemonia, scorpiones admotos obtorpescere, reddíque innoxios. Illud etiam est mirum, vnius radicis syluestris superiorem partem vomitum, aluum autem inferiorem ciere. Thracium lapidem oleo extingui, accendi aqua: ex Amianto lapide telas fieri quæ igne non secus ac ceteræ aqua expurgentur: hunc verò in Cypro nasci: velut Memphytem in Ægypto, qui admotus sensum tollat, vt sine dolore secanda vrendáque maneant. Ophitem verò, cuius superius meminimus, non omnem, sed qui albis lineis sit interstinctus, capitis leuare dolores diuturnos posse. Esse verò quod maximum reor esse, Lunarem lapidem, qui lunæ sequatur incrementa: eundémque ob id à mulieribus pro amuleto suspendi collo, arboribus etiam appensum fructus earum non parum augere. Tam multa hic iure merito adiecimus ex autore grauissimo, quæ magna ex parte, & si non eisdem in plantis, in aliis nos sumus experti. Dicam verò quod ego oculis præter omnem fidem etiam his maius viderim. Dum puer essem Patricius noster Bongalcazius nomine Castelnouatus dolore perpetuo dentis iam per tres dies laborabat: cùm superueniens quidam clauo, emendicato, quibusdam obscuris notis in ligno cum eo descriptis, ter tacto dente, non solum eum protinus liberauit: sed iusso asseruari clauo quem in ligno confixerat, pollicitus est perpetuam eius dentis incolumitatem, quæ etiam subsecura est, cùm annis ille circiter sexdecim superuixerit. Alius cùm ictu plumbeæ pilæ transuerberato ore, ac collo, per ossa spinæ vtrinque patente lato exitu, desperaretur à medcis, à præcantatore solo oleo & lana perfectè sanatus est, & nunc Mediolani agit apparitorem, cùm antea etiam ageret. De alio à fide dignis audiui, sed minimè vidi qui excussa cerebri parte ex vulnere, perfectè sanatus est. Nunc autem multi nostris in regionibus hanc artem satis feliciter exercent.

lib.8. c.1. in fin.

Antonius etiam Beniuenius Florentinus, libro de Abditis morborum & sanationum causis, narrat, quæ si vera sunt, magnum nobis negotium præbent: Mulierem vaticinantem vomentemque æneos acus, capillos, clauos recuruos. Robertum Saluiatum fluxione & Ioãninam Benciam fluxu liberatos precibus Dominici Pisciensis ad Deum fusis. Basparem quendam ictu sagittæ miraculo conualuisse, atque interim mira de se ac aliis ciuibus, tum de patria prædixisse. Alium spiculo ictum, cùm nulla arte euelli posset carminibus exceptum telum, atque inde curatum. Sed ad rem ipsam reuertor. Auicenna in libris de Animalibus hæc habet: Audiui quendam hominem esse in Denasacia regione, qui suum corpus cùm vult resoluere potest vt sensu careat: quem serpentes non nisi coacti vexant: qui verò coacti læserint, statim moriuntur: cùmque magnus serpens illum morsu sauciasset, ex vulnere homo incurrit ephimeram, sed serpens ille mortuus est. Cumque ego iter in eam regionem habuissem, de homine querens, intellexi eum mortuum esse: verumtamen eius filium mirabilia plura facere: quorum ego cùm multa vidissem obliuioni tradita, non facio mentionem. Vnum tamen satis constat, demorsum à serpentibus nihil perpessum: sed serpẽtes ipsos ex hoc penè extinctos: illius verò spiritum ipsis venenatis animalibus noxium fuisse.

lib.4. c.3 & lib.3. c.3. lib.8. c.1.

Et alibi dixit, quòd homines quidam tardè somniant, quidam nunquam: alij verò, quòd & Philosophus fatetur, sponte sanguinem sudent. Et rursus sua natura, vt ille inquit, cùm superflua multa congreget, diu manere solet sine cibo, quod si & idem homini contingat, manebit & ipse, dicit, quamuis sanus, absque cibo. Sed Albertus longè maiora ac admirabilia scripsit: siquidem natos infantes duos, quorum alter dum appropinquaret ostiis clausis à dextra vectes ferreos ad se trahendo aperiebat: frater à sinistra. Alibi dixit Achatem corruptum, Herculeum lapidem adulteram prodere. Quin etiam refert mira de aquarum virtute, quæ experimento Principis chirothecas in lapides verterunt, & aues cum nido integras: tanta est vis illarum. Et rursus ex Iosepho, agnam vitula inter sacrificantes Hyerosolimis peperit, mutationem ceremoniarum ostendens. Sic Augustinus, homines fuisse tradit, qui immoto capite cæsariem reducerent ad anteriora: alios qui vt aselli aures suas mouerent: alios, qui auium vocem exquisitissimè imitarentur, nec non & belluarum, adeò vt illas fallerent. Quod ego cùm viderim, in dignoscendis vocibus expertia rationis nihil proprium habere intellexi. Constat sanè Gallorum Reges magno experimento strumas sanare solo tactu. Refert Plutarchus grauis autor, Pyrrho Regi digitum pedis pollicem dextri sacrum fuisse, qui ambusto corpore solus integer mansérit: eodémque pede cuiuscunque splenem calcasset, sanitatem visceri attulisse, nec cuiquam hoc auxilij genus quanquàm pauperrimo denegasse. Eundem vnum os pro dentium serie superius habuisse. Notissima

sima sunt quæ à Cornelio Tacito, & Suetonio de miraculis Vespasiani referunt: rursusque de Tiberio Cæsare qui noctu cernebat: atque aliàs à nobis relata: cùm idem nobis contigisse docuerimus, adiunctis his quæ nobis essent propria, quemadmodum & singulis peculiaria quædam inesse credimus, quæ tamen homines non animaduertunt. Quis gallum in horas instruxit? Quis coruos & vultures in clades? Et Delphines in tempestates? Sic Aelius Thynnos refert quadrate semper agminis ratione procedere, vt facilè omnes dinumerari queant ex ratione laterum. Iidem brumæ solstitium probè norunt, vernumque æquinoctium. Imponit & Marsilius Ficinus Aristoteli, quòd dixerit hominem fuisse qui sole & aëre tantum vitam duceret. Albertus etiam tradit, virgam lupi ligatam, hominem in cuius nomine nodus sit factus à re Venerea arcere. Lapides verò inuentos qui rerum naturalium effigiem retineant: velut de Achate, in quo nouem Musæ naturaliter depictæ videbantur cum Apolline citharam pulsante, refert Plinius. At hûc Pyrrhum, de quo suprà meminimus, habuisse ferunt, Quidam dicunt morem fuisse olim, vt cùm Reges morerentur Ægypti, signa ac prodigia apparerent. Quod in Alexandro magno etiam, ac duodecim Cæsaribus obseruatum est diligentissimè. Quin quod Tacitus narrat miraculum his verbis: Die quo Bebriaci certabatur, auem inusitata specie apud Regium Lepidum celebri luco consedisse, incolæ ipsi memorant, nec deinde cœtu hominum circunuolitantem alitem territam, pulsamve, donec Otho seipsum interficeret: tamen ablatam ex oculis, & tempora reputantibus, initium finemque miraculi cum Othonis exitu competisse. Quid de victimis sine corde ante Iulij Cæsaris mortem inuentis? quod ostentum alterius Cæsaris mortem nuntiasse aliàs scripsimus. Tres inuenio infantes natos nuper, qui excidium patriæ prædixerint. Vnum Saguntii: alterum, cuius Hali Abenragel meminit: tertium, cuius Matthias Amichon meminit in historia de Samatia Asiatica. Semestris enim clara voce prædixit, venturos Tartaros, qui gentem suam delerent. Interrogatus verò, an & ipse timeret: respondit, maximè, quoniam & sibi essent caput amputaturi. Pomponatius ipse, in suo de Incantationibus libro, tria adducit, quæ se vidisse testatur. Primum hominem in agro Mutinensi, qui serpentes non secus ac gallinas tractaret: verùm demum à quodam diuersi generis ex his demorsum, miserabiliter animam efflasse, maximo prius vexatum cruciatu. Alterum, quòd cùm vxor Francisci, Magreti sutoris Mantuani diuersis linguis loqueretur, Calceranus eius temporis medicus famosus, eam dato ex elleboro medicamento à furore simul liberauit, & peritiam sustulit linguarum. Tertium, quòd cùm mortuus esset Iulius pontifex maximus, eius nominis secundus, ageretur que de successoris creatione, artifex quidam vulgaris, Geomantiam scire se iactans, dixit, Proculdubio per quatuor antequam crearetur dies Ioannem Medices, de quo minimè inter omnes sperabatur, Pontificẽ futurum: quod & euenit, vocatusque est Leo decimus eius nominis. Audiuisse etiam refert, Aquilanos cum nimiis imbribus vexarentur, D. Petrum Cœlestinum, quem illi vrbis patrocinio præfecerant olim, fusis precibus vidisse fugantem nubes, indeque subsecutam serenitatem. Hæc verò quæ subsequuntur, seu amicus scripserit, seu ipse operis conficiendi sumpta occasione finxerit, in procemio sui operis narrat duos pueros, quorum alter erisipelate, alter ignis exustione laborabat, præcantatione ipsa sanatos. Quendam alium magno liberatum periculo, detracta sagitta, quam nemo ex medicis vel ferro eximere potuerat, cùm ille solis manibus eam auulsisset: cribrum etiam verbis conceptis motum infantes impollutos his prolatis verbis, Quem quæritis: varias personas in vrceo aqua pleno conspexisse. Sed & idem Matthias Amichon quem iam superius adduximus, vir minime leuis aut inanis, eodem in libro narrat, cùm Polonus exercitus aduersus Tartaros satis feliciter pugnaret: vexillarium quendam è Tartaris in vexillo χ figuram Græcæ literæ literæ habentem, hominemque nigrum barbatum depictum, circonrotato vexillo, præcantantem tantam adduxisse nubem ac fumum teterrimi odoris, vt territi Poloni ac confusi cedere coacti sint: inde ex hoc fusi, ac tandem cæsi maximam stragem acceperint. Quid de Marsis Italiæ populis, ac Psyllis Africæ gentibus dicam? quos negant in dolio coniectos serpentum, cùm legati eorum Romam venissent, experimenti causa, quicquam ab illis damni perpessos. Sed ad rem, vnde digressus sum, reuertor. Aëtij enim experimenta, tanquam grauissimi viri, referre decretum erat. Is igitur in secundo libro inquit, de magnete loquens: Tradunt detentum manu chiragricorum & podagricorum, dolores eorum leuare: idem æquè conuulsis opitulatur. Cùm verò de Aëtite loquitur, inquit: Fœtus vuluarum retinet sinistro brachio adalligatus: verum partus tempore à brachio sublatus, alligetur femori, parietque prægnans citra dolorem. Fures deprehendit, si quis ipsum in panem qui comeditur imponat: nam qui furtum fecit, commansa deuorare nequibit. Tradunt etiam simul cum eduliis coctum, fures arguere. Neque enim fur deuorare poterit quæ cum ipso cocta sunt. Animaduertendum, non omnem lapidem qui alium contineat velut prægnantem hæc facere: nam plurimi tales in Gallia passim, & in Italia inueniuntur: sed solum qui ex aquilæ nido exceptus prægnans fuerit: nam hic Aëtites ab ἀετός, quod aquila est, dicitur: quasi aquilaris lapis. Tum in Iaspidis historia, Alligatus hic dolores vulnerum leuat: asseruatque ab inflammationibus tuta, conuenitque hydropicis. Et in Iaspachatis descriptione, inquit, corpus floridum ac speciosum reddere. In capite autem de Hiæna bellua inquit, Seruant eius pellem, vt his circundent qui à cane rabido morsi sunt: proprietate enim naturæ prohibet ne in aquæ incidant timorem: illos verò, qui iam inciderint, etiam iuuat: quod & cura morbi repetit, cùm dixit,

Lib. 37. c. 1.

Annalium lib. 18.

lib. 3. c. 3.

cap. 4. & 10.

cap. 5.

cap. propriis.

lib. 6. cap. 24. *lib. 1. cap. propriis.*

xit, eam illos protinus menti suæ restituere. Dum verò de vermibus loquitur terræ, dixit, eos cùm apparent in superficie terræ, ac in sole, pluuias significare, ac tempestates. Herinacei verò suffitu quancunque discuti vrinæ difficultatem. Oportet autem, iuxta illius sententiam, omnia & sola intestina suffiri. Vulgarum est catulum apud omnes medicos, ventriculo appositum, omnem illius imbecillitatem leuare: sed non illud vulgatum quod Aëtius addit, Applicitum cuicunque corporis parti, morbum ad se trahere: inde sanato ægro, & cane ob id suo morbo moriente, oportere eum diligenter sepeliri. In sexto autem libro Penis resoluti curam tradens dixit, Genitale cerui circunligatum femori ad mentulæ facere erectionem, quod ferme auxilium directè opponitur his, quę à lupi genitali fieri diximus: nam hoc ligatum prohibet venerem: resolutum admittit: quanquam non oporteat eum homini circumligasse, sed vt scribunt in illius nomine sufficiat nodum iniecisse. At mirabilius est quod de cura dentium motorum scribit, dum inquit: Scribit Archigenes vt verum, & naturali modo ad labantes dentes accommodatum: Dentem, inquit mortui canis in nomine eius qui ægrè habet acceptum, super prunas pone, vaporemque inde prodeuntem æger aperto ore admitat, & firmabuntur eius dentes. Sed cùm omnia hæc præcantatione participent, hoc solum videtur exquisitissimum quod in eodem libro tradit adhærentem in gula spinam, seu os, inquit enim: Aliud ad eductionem eorum quæ in tonsillas deuorata sunt, statim ad ægrum sedentem te conuerte, ipsumque tibi attendere iube, ac dic: Egredere os, (si tamen existis os, aut festuca, aut aliud quidpiam) quemadmodum Iesus Christus ex sepulchro Lazarum eduxit, & quemadmodum Ionam ex ceto: atque apprehenso ægri gutture dic: Blasius martyr & seruus Christi dicit, Aut ascende, aut descende. In vltimo etiam libro scripsit Galactitem lapidem appensum pro amuleto lac augere: & si vir in coitu candida fascia pedem dextrum ligauerit, masculum generaturum: si autem sinistrum colorata fascia circundederit, femellam. Tota verò narratio in fine duodecimi libri in qua iubet, vt septembri lac, octobri allia, comedere debeamus, nouembri non lauare, superstitiosa est, vsque ad finem anni. Dum verò libro tertiodecimo agit de cauendi modo à venenatorum morsibus ac punctura, inquit: Si quis rutæ syluestris succo manus liniat, aut adipe serpentis, ab eo tutus erit serpente, qui eiusdem est speciei cum illo, cuius adipe manus obliuisti. Et in eodem refert Basiliscum sibilo vel intuitu hominem occidere. Est autem hoc omni præcantatione miraculum maius. Quinimo & cùm dixit, laudans medicamentum, adeò celer est illius auxilium, vt præcantationis vim referat: videtur & approbasse præcantationem, & modum illius tradidisse. Simili loquendi forma vsus est Galenus in Methodo medēdi, dum curam flatuosi doloris per cucurbitulas docet, inquit enim: Hoc præsidiũ quidam incantamenti simile efficere videbitur, & alibi cerebrum cameli sanat comitiales: scorpiones stellione viso obstupescunt: prægnantes calcata amphisbæna abortiunt. Et alibi: Succus cynoglossæ sinistra decerptæ cum vino liberat spleneticos: sanguisque è vena post aurem sinistram detractus & illitus spleni. Tum etiam medicamentum quod tundi debet ab homine qui nec annulum habeat ferreum, nec in calceis ferreum clauum, quare præcantationem Galenus & esse docet & à celeritate laudat. Conciliator etiam dum hanc quæstionem tractaret, adducit experimētum quod se vidisse testatur: scilicet, pręcantatorem quibusdam verbis in aurem tauri insusurratis, illum prostrauisse, ac pòst etiam denuo ad vitam, ac ad surgendum reuocasse. Mira etiam quotidie cernuntur in his qui torquentur hominibus, vt nullis cruciatibus ad veritatem confitendam adigi possint. Rursus in castrandis mulis, in medendis morbis equorum, non obscura præcantationis vis apparet: tum etiã in facinandis pueris, & viris à coitu prohibendis tot experimenta cernuntur, vt nihil frequētius cōtingat: cũ verò de his, vt diximus, abũdè alias tractauerimus, frustra repetere esset.

cap. 35. *lib. 8. cap. 19.* *cap. 50.* *cap. 33. & 32.* *cap. 48.* *cap. 8.* *cap. 33.* *lib. 12. cap. 5.* *lib. 12. c. 8. post medium.* *li. de theriaca ad Pisonem.* *Differentia 156.* *9. de med. secundũ locos. cap. 7. & 11. & in 10. eiusdem cap. 1.*

In oppositum est sententia Philosophi, cùm dixit in octauo de historia animalium, de Hippomane loquens: Quæ autem de hoc fabulantur figmenta muliercularum, & professorum carminis incantamentorum potius esse credendum est. Et Galenus in sexto simplicium medicamentorum libro longa verborum serie damnat hæc omnia, tum maximè his verbis: Verum is ad fabulas versus aniles simul ac præstigiaturas quasdam Ægyptias deliras, iunctis nonnullis incantationibus, quas cùm herbas colligunt admurmurant, & sanè vtitur ad ea quæ suspenduntur & imposturas non solum curiosas, & à medicina alienas, sed falsas etiam vniuersas. At nos neque horum quippiam, neque nugaces eorum narrabimus transformationes, nec enim vel paruis admodum pueris vtiles tales esse fabulas existimamus: nedum his, qui medicinæ opera obire properant. Et rursus dum de Iaspide loquitur, Nechepsum damnat, qui necessariam existimauit figuram in Iaspide draconis radiantis: & similiter in decimo cum quidam incantatione se occisurum scorpionem esset pollicitus, terque spuens id effecisset, Galenus dicit in saliua sola fuisse virtutem, nullo modo in verbis. Sed & Aëtius in cura podagræ inquit: Scribunt porrò proprij muli vrinam quidam esse sumendam: resistit enim natura sua huic morbo hoc animal. Efficacius autem aiunt reddetur, si quis dum ipsa cogitur, semel in cacabum expuat, & semel in terram, atque hæc cum quibusdam barbaris nominibus inuenire licet ascripta: quæ sanè cum curiosa sint, indecorum mihi visum est, inquit Philagrius, ea adiicere. Quin etiam Hippocrates medicorum Princeps longè lateque hanc de præcantationibus opinionem irridet: docens illos esse sycophantas, qui his innitantur, quæ ratione & viribus carent. Celsus etiam ipse eas damnasse videtur, cùm dixit, de

cap. 24. *cap. 1.* *lib. 9.* *lib. 11. cap. 41.* *libro de sacro morbo.*

de venenatis vlceribus loquens: Ideóque colubra ipsa tutò estur, ictus eius occidit, etsi stupente ea quod per quædam medicamenta circulatores faciunt, in os digitum quis indidit, neque percussus est, nulla in ea saliua noxa est. Ergo quisquis exemplum Psylli secutus id vulnus exuxerit, & ipse tutus erit, & tutum hominem præstabit: neque enim scientiam præcipuam habent hi, sed audaciā vsu ipso confirmatam. Adest etiam ratio ipsa: si namque incantationes veræ sunt, cur quæ ad bonum tendunt finem, à legibus prohibentur? Et etiam cùm tria sint medicinæ instrumenta, Victus, Medicinæ, & Manuum operatio: quartum hoc auxilium Præcantationem addere oportebit? Necesse etiam erit dæmones non solum ponere, sed & ipsos existimare circulatores quosdam medicos: quorum primum peripateticæ aduersatur philosophiæ: postremum vero etiam ridiculum est. Denique cùm tam admiranda polliceatur, si vera essent, iam tandem in artem foret reducta: denique omnia perficere posset: seu enim diuino, seu dæmonum nitatur auxilio, nihil illi arduum erit efficere qui hanc calluerit artem. At hæc sic non esse videmus, cùm etiam solum in hominibus vilissimis ac dolosis sit.

lib 5. cap 27. Sectione 3.

Forsitan prolixior quibusdam esse videbor, qui horum non habent rationem. Alij me multa adduxisse præter propositum criminabuntur: cùm enim de Incarnatione sermonem habeam, Amuleta etiam, & Suffitus adiunxi. Sed hoc doctrinæ facilioris causa egimus. Ostendam autem prorsus, hæc omnia ad rem facere: quamuis melius alius existimet, singula exempla suis locis addi debuisse. At verò his prætermissis, illud primum dicamus peripatheticum, Qui sensum ob rationem pretermittit, indiget virtute discernente: est igitur supponendum, aliquid fieri, cuius cum non habemus rationem, & celeriter illud fit, id Præcantationem vocamus. Quæ verò manifestam habent causam, vel sensum aliquid efficiunt, non creduntur esse præcantationes. Optimum igitur erit primò videre, an aliquis sit modus, quo hæc naturaliter fieri posse queamus ostendere. Secundum quantum vis illa valeat, vt si vel amuletis, aut verbis, aut figuris innitatur. Et ex hoc tertium, quænā sint genera præcantationū vera: an quæ ad sanitatem solam pertinent, an etiam incantatione præstigiare vel infantium oculos valeamus: an animum alterius ad aliquid inclinare: an per somnium præuidere aliquid, an per vigiliam spectra efficere, an tandem quicquam mouere. Vltimo de autorum agemus conciliatione. In his verò omnibus hæc tractabuntur, prout vnūquodque suo erit magis opportunum loco: quænam & cur magis hæc quàm illa, vt in amatoriis & cruciatibus: cur hac ætate hæc, alia alia potius, esse regione: cur vni non alteri concessum: an euidentem aliquam hæc habeant vtilitatem. Vltimò, cur adeò hæc à legibus vetita sint. Primum igitur esse aliquam virtutem quàm si quis esse non nouerit præcantatoriam esse existimet, Magnetis lapidis ad Boream inclinatio, & Remoræ piscis vis ostendit. Hæc Aristoteli, illa nobis nota est: harum alteram Galenus ignorauit, alteram dissimulasse visus est. Quare effectus esse similes præcatationibus, quos si quis verbis inuoluat, præcantationes esse persuadere possit, iam palàm omnibus esse debet an verò verbis ipsis vlla talis vis insit, hoc totius quæstionis est membrum, non ipsa quæstio: cùm etiam aliter hoc nomen Præcantationis, quā pro vi vocabuli sumatur: igitur quòd inter hæc non solùm multa sint, sed etiam maxima pars, quæ ad dolum pertineant, pro confesso habeatur. Sed non de dolis quæstio nunc est, sed de ea solum parte, quæ ad veritatem pertinet quantumcunque minimam esse contenderis. Nam quòd minima sit, facit ignorantia nostra, non rei ipsius conditio: infinitis enim (vt declarauimus in libris de Æternitatis arcanis) rebus existentibus penè, si dantur hæc rerum miracula, necesse est & illa fore innumerabilia: quare effectus præcantationis esse, & non contemnendos, ac penè infinitos declarauimus. An verò verbis etiam fiant, hoc posterius videbitur, cùm quomodo fiant docuerimus. Eam verò solam opinionem veram credere decet, cum qua omnia genera experimentorum consentiunt: nam singularium maxima pars, vt diximus, ad dolum, non ad artem referri debet. Tres igitur hac in causa opiniones fuere: prima, Astrologorum: Secunda, Auicennæ: Tertia, Pomponatij.

b phys 16.

Astrologi igitur dicunt, causam esse ab astris: vtque illa perpetuò miracula in herbis ac animalibus pariunt, sic etiam in hominibus, & in aëre: vnde Albumasar in Sadan dixit, quòd si quis Ioue cum capite in cœli medio iuncto aliquid à Deo petat, eum impetraturum: seque petiisse scientiam Conciliator affirmat, visumq; sibi profecisse petitionem. Ptolemæus verò dicit, eum qui habuerit lunam dominam artis in genitura in sagittario, vel piscibus, conuocaturum dæmonas ac mortuos, illosque ei parituros.

in 4. quadripartiti.

Hæc responsio vera non est, nec secundum Peripateticos; nam cùm religioni non consonet, vera esse nequit. Quòd autem non consentiat Peripateticis patet: nam ponit dæmones & mortuos ambulantes, quæ ambo pro nugis apud eos habentur: si etiam sufficeret cœlum, omnia in omnibus essent: & etiam animalia perfecta possent fieri ex putri materia, & mille alia inconuenientia. Non etiam video quid preces illæ in ea coniunctione facere possint: nam si ad sidera, illa non exaudiunt: si ad Deum, ille vel audit semper, vel nunquam, vel ipse indiget ea coniunctione ad audiendum, vel per eam factus est mitior. Quòd verò ipse profecerit, credo illi: sed hoc contigit ob causas alias quas inferius ostendemus. Quare cùm hæc opinio nec pia, nec vera, nec sit peripatetica, eam relinquemus.

Auicenna verò dixit, quòd causa horum omnium est imaginatio: vnde inquit: Et de mirabilibus animalium est quòd gallina quando vincit gallum in pugna, erigit se, & percutit alas, & eleuat caudam, quasi esset gallus, & aliquando nascitur ei cornu in crure, velut gallo. Et ex hoc potest cognosci obedientia naturæ cogitationibus animæ, & hæc

lib 8. de animalibus, c 7. in fine.

hæc sunt potius à Philosopho sumpta, quàm propria verba Auicennæ, 9.de Historia animalium cap. 49. quantum ad historiam attinet. Quinimo addebat Aristoteles, quòd eis erigitur crista,& quòd cucurriunt,conanturque alias coëundo supergredi fœminas. Contrà, mares à maribus victi patiuntur fœminea,quod & nos vidimus. Accedit quòd videmus erectionem membri fieri ab imaginatione: vt etiam Galenus in libro de Motibus cap. 4. manifestis testatur: hæc autem erectio fit concurrentibus spiritibus: quare necesse est,vt spiritus non solùm voluntati,vt in reliquis motibus, sed etiam imaginationi pareant. Aristoteles etiam in septima Problematum quærit, Cur oscitanti oscitando respondemus, & alio mingente mingimus, quod maximè iumenta faciunt; & cur cùm aliquem torqueri, vri, secarive conspicimus, eius doleamus vicem: cùrque videntes aliquem edere, quæ obstupefaciunt dentes, in dentibus & nos ipsi frequenter stuporem patiamur. Alij verò cernentes aliquem suspendi linquuntur & ipsi animo. Demùm ad quosdam inhorrescimus sonitus, vt cùm secatur pumex, lapis mola teritur, serra exacuitur. Refert in communem naturæ consensum ac imaginationem hæc omnia: quare manifestum est, imaginationem immutare corpora.

Hæc responsio,vt etiam rectè sentit Pomponatius,non satisfacit:nam quòd aliqua sanitas merito imaginationis eueniat in proprio corpore etiamsi concedatur, non tamen declaratur hoc generaliter: deinde in tam breui tempore: deinde in alieno: deinde in rebus ad sanitatem minimè pertinentibus. Dato enim quòd aliquando imaginatio faciat casum, hoc tamen non est semper,nec in omnibus. Matthæus Siluaticus patritius noster aliquando ibat orandi gratia ad D. Francisci ædem sacram, ibi erant sepulchra Siluaticorum: forte fortuna inter rimas vetusti monumenti hæsit adeò pes cum calceo, dum rediret, vt coactus sit calceum relinquere, vt pedem redimeret: hac imaginatione adeò est perturbatus, vt moriturum se prædixerit: nec monentibus auscultabat: sed & imaginationem sequutus est euentus: octauo enim die ab omine elatus est ad sepulchrum. At nobis aliquando idem accidit non sine admiratione, aliisque & tamen nemo mortuus est, ergo imaginatio valida etsi permutet, perturbat etiam: at videmus in præcantationibus prius sequi permutationẽ quàm perturbationem. Quid etiam cùm infantes & equi præcantantur, nunquid & ipsis est aliquis sensus ac imaginatio, qua id quod fit agnoscant? Imperium igitur hoc nimis latè pateret: parumque à Deo differre oportet nos si imaginationi nostræ parerent reliqua. Cæterùm quòd imaginatio ipsa in causa esse non possit, nisi in admodum paucis,inferius dum Pomponatij opinionem refellemus, eorumque in præcantatione appareat, ostendemus.

Pomponatius igitur vir magnæ doctrinæ, ingenij,ac iudicij,cùm solũ præcedentem reprobasset opinionem, vtpote nimis absonã: nam imaginatione frumentum in horreo augeretur,& argentum in arca, supposito quòd à dæmonibus hoc non fiat iuxta Peripateticos, vt nos suprà declarauimus, quia sumus in philosophia, non in theologia, ab ipso verò vt existimat demonstrato, præponit quædam satis consona naturali rationi, & Aristotelicæ philosophiæ, ac experimentis quæ suprà iam narrauimus. Primum igitur quod supponitur est, quòd agentia quædam immutant materiæ conditionibus manifestis & primis, vt piper quod calefacit: quædam secundis, vt oppium quod stupefacit per frigiditatem: aut etiam tertiis, vt lactuca quæ lac generat, & petroselinum quod atterit lapides: quædam cum conditionibus materiæ occultis, vt scammonium quod bilem generat. Et ego distinguo,vt iam in primo tractatu dixi: quædam enim patiuntur ab anima, & in his sufficit temperies:& quædam agunt, & in his requiritur anima. Et si quis dicat,vt Albertus, quòd pennæ aquilarum in aqua pugnant cum pennis anatum agrestium: dico, quòd hoc non est secundum principia nostra: & ego vellem hoc videre, & quia alij dicunt quod pennæ aquilarum destruunt alias pennas, & sicut dicitur de tympano ex pelle lupi & ouis. Respondeo,quod hæc possunt esse verà: sicut etiam de palea quæ tremit in chorda lyræ, vt declaraui in libro de rerum varietate, sed hoc est ex similitudine ad actum per aliquod viuens deducta, puta ab homine pulsante. Non tamen credo, quòd tympanum ex pelle ouis sileat, vt isti dicunt, sed vt imbecillius, sonum edit infirmiorem. De pennis aquilarum potest esse quia habent vim exurentem,& etiam puluis,& multa alia. Nec tamen dico, quod ita sit, Et si rursus opponas de sanguine duarum auium, suprà adducto ex Aristotele. Dico, quod hoc ille non constanter affirmat: sed si ita est, contingit solùm dum est calidus: seruatur enim in eo spiritus & vita. Redeundo ad propositum, quia hoc suppositum est etiam, vt multa alia ex eis, commune nostræ opinioni, dico quod hæ proprietates sunt trium generum: quædam non perficiuntur, nisi ab alio viuente, vt scammonij in attractione bilis: quædam à propria anima cum similitudine, vt Magnetis actio cùm ferrum attrahit, habet enim quid simile attractioni à calido: quædam omnino à causa occulta, vt actio magnetis in dirigendo ferrum ad Septentrionem,& remoræ piscis in sistendo nauim. Et sic erunt omnes operationes non voluntariæ ex aliquo sex generum, quorum tria pendent ex primis qualitatibus: & tria non, sed à forma cœlesti, & sic aliquo modo bene dixit Mesuë, sed illa forma est in agente,& non in passo. Et si quis dicat, Electrum trahit paleas, & hîc non est anima in electro: dico quod hæc attractio est ab humido & calido, ideo trahit non solùm paleam, sed omnes festucas siccas: & ideo hæc attractio nullo modo similis est ei quæ magnetis.

cap. 1. cap. 3.

Secundum suppositum est, quod hæ virtutes sunt penè infinitorum modorum: & hoc est clarissimum, &, vt dixi, declaratum in libro de Arcanis æternitatis. Et sicut dicunt, quod laurus, & aquila, & pellis marini

vituli,

vituli, nunquam à fulgure tanguntur: sic potest esse, quòd aliqua res habeat hanc proprietatem, quamuis nulla harum sit: & alia habeat proprietatem arcendi grandinem, nam non magis, imò minus, si quis rectè consideret, hæc sunt mirabilia, quàm quòd magnes debeat dirigere ferrum ad Boream, & discipulus remorari ventos & tantam remigantium vim: & sunt aliqui agri in quos nunquam sæuit grando: sed nos nescimus causam.

Supponitur & tertio loco, quòd operante homine cum his, & dissimulante auxilium, præcipuè si talis effectus adhuc est incognitus & insuetus, facilè est rudibus persuadere quòd fit ab incantatione, addendo verba superstitiosa & incognita. Vnde Galenus in de Præcognitione c. 4. quærebatur quòd illum diuinatorem appellarent, cùm tamen ipse hoc data opera euitaret, propter admirabilem præcognitionem futurorum: quanto magis si ex consilio hoc nomen quæsiuisset.

Quartò quod supponitur est, hominem esse medium inter mortalia atque immortalia. Vnde Philosophus in septimo Ethicorum cap. 1. affirmat, eos qui virtutem habent Heroicam, Diis esse proximos: belluis autem qui contrarium, & hoc modo ob tantam latitudinem, cunctorum quæ in terra inueniuntur homo particeps est, vt medium extremorum.

Quintum suppositum est, quòd anima hominis est omnia sensibilia per sensum, & intelligibilia per intellectum: proximum huic, quòd species rerum & si materia careant, immutant tamen materiam ipsam, sic vt alia atque alia fiat, non minus quàm ab agentibus ipsis materiæ haud expertibus: hoc, inquam, Galenus in libro de Exercitatione paruæ pilæ testatur: hoc Marsilius in sua Platonica Theologia, ne quicquam quod ab illo adducatur prætermittam: hoc ostendunt rationes pro opinione Auicennæ adductæ: hoc declaratur etiam argumento quòd idea secundum ἀναλογίαν, seu proportionem dicitur, de Deo, inquam, primò, quòd omnia per se facere possit: in intelligentia, quæ cœli medio: in anima nostra, quæ virtute specierum: sic, vt hæc tria meritò sint principia secundum ideam, seu imaginem cunctarum rerum ordine hoc, quòd in Deo quidem vt nullius indigo, in intelligentiis vt cœli tantum, in anima vt imaginum. Ad hoc facere pulcherrimè videntur verba Philosophi ex libro de motibus animalium in fol. 2. quæ sunt hæc: Permutant autem imaginationes sensus & cogitationes: sensus enim statim permutationes quædam sunt: imaginatio verò & ratio rerum habent potestatem, species enim calidi frigidine mente concepta seu formidabilis aut suauis, quodammodo talis est qualis vnaquæque est res: & idcirco sola consideratione perhorrescunt, & expauescunt, omnia autem hæc sunt perturbationes: verùm cùm in corpore permutantur, aliæ fiunt maiores, aliæ minores. Quòd autem parua mutatio in ipso facta principio, multiplices & magnas in extremo faciat differentias, non est obscurum: veluti cùm temone paulùlum translato, magna ex hoc in prora fit transpositio. Caliditate etiam, vel eiuscemodi alia affectione, cùm in corde facta fuerit permutatio, etiam si in exigua admodum, & non sensili eius particula, multa sanè in corpore fit differentia, cùm ruboribus & palloribus, tum horroribus ac tremoribus, aliisque huiusmodi contrariis. Principium motionis igitur in agendi genere, vt dictum fuit, id sanè est, quod consectandum est aut declinandum. Calor autem & frigus eorum imaginationem & cogitationem necessario consequuntur: tristificum enim declinandum, iucundum autem consectandum: verum istud in exiguis valde est obscurum. Sunt autem tristifica & iucunda ferè omnia cum frigiditate & caliditate, quod profectò ex affectionibus est manifestum. Confidentiæ enim & pauores, & venerei motus reliquaqꝫ in corpore tristia ac iucunda, alia quidem in partibus cum caliditate aut frigiditate sunt, alia verò in vniuerso corpore: memoria autem & spes tanquam simulacris vtentes iis ipsis aliàs quidem minus, aliàs verò magis eorum sunt causæ. Quapropter recta ratione constructa sunt quæ intrinsecus iacent, & ad initia partium instrumentalium vt commutentur: & ex compactis mollia fiant, mollibus compacta: & ex se vicissim cùm leuia, tum aspera. Hæc ille in rem aperte.

His igitur suppositis ad quæsitum respondet, omnia eiusmodi experimenta in tres causas, sed verius in quatuor referens: cap. 4. & 6. 8. 10. scilicet, in operationem rerum ipsarum dolo dissimulatam: in Hominis propriam naturam: in Imaginationis vim, vt reliqua immutat manifestè, veluti dictum est, & in Astra.

Est igitur primus modus, vt appositis quibusdam rebus habentibus eam vim, videatur Præcantatione id facere. Quemadmodum si quis apposito magnete, & data in potu aqua diptami, loco aquæ putei, ferrum excutiat sagittæ, credetur additis verbis hoc ex incantatione fecisse. Et hac de causa Apponensis & Æsculanus crediti sunt necromantici: alij sancti, cùm ex scientia proprietatis aliquot rerũ multa mirabilia operarentur per secundum modum, id est proprietatẽ naturæ: sicut quidam sunt serpentes, quidam leones, quidã magni, quidam sancti moribus, & animi mores fiunt à corporis temperamento, necesse est vt etiam alij habeant vires mortiferas, alij salutiferas, alij equorum: & sicut excussa coma equorum in obscuro scintillæ ignis emicant ex iuba nonnunquam, sic ex capillis alicuius hominis hoc potest accidere: vt nos narrauimus in libro de Rerum varietate. Et sicut ossa leonis concussa emittunt ignem, sic & ossa alicuius hominis. Et sicut Monoceros versatur inter serpentes sine noxa, & aduersatur illis, sic aliquis homo. Et sicut panthera redolet vnde feras decipit, sic etiam corpus Alexandri flagrabat, teste Plutarcho in vita Alexandri. Et ideo quod operantur omnes res in vniuerso à proprietate, potest operari homo, vt est medium inter mortalia & immortalia, & etiam quia corpus, vt dixi, est animæ simile, & ideo dici so-

 let,

let,quòd omnes homines omnia sciunt. Indicio autem est, quod qui curat vnum morbum,non potest alium curare:& qui euellit spicula, non potest sanare vulnera: omnes enim habent vires ad terminatum genus. Et sicut anima pueri boni temperamenti est mansueta & hilaris,sic eius spiritus applicatus ori multum confert ad conseruandum iuuentutem, & contemperandum calorem naturalem. Tertius autem modus est etiam in multis verus: nam sicut ab excandescente & leproso spiritus deciditur, sic à fixa imaginatione. Est etiam illud vulgatum quod ad fidem ægrotantium pertinet, Ille plures sanat, in quo plures confidunt, ex primo pronosticorum com. 2. sed iam de imaginatione præcantantis, non præcantati loquimur, quam ferme palam est prodesse aut obesse, vt dictum est ex Auicenna atque Philosopho: igitur præcantans ex philosophi dicto,fide,& opinione seipsum immutat: immutando spiritum exeuntē inficit,vt dictū est de oculis mulierum inficientibus specula dum menses emittunt. Pestis etiam docet quantum possint vapores: nec est aliud adeò mirabile in hoc,quamuis quod vulgatum sit minus mirum videatur: ex contactu modico panni, vestisve, ex anhelitu, ex modico puluere qui hæserit: ex transitu mors repente contrahitur. Potest igitur præcantator fide valida immutare seipsum spiritus,ac tandem illum quem præcantat. Vltimus modus est, vt ex astris hoc fiat: nam illa possunt regna & leges permutare, conflagrationes, & inundationes parere, igitur longè facilius promouere hæc minima, & ostendere imagines in aere, & voces, & spectra,& excitare Sibyllas ac Vates, & omnia his consimilia facere: & maximè quòd res perfectæ, vt homo & equus, indigent sole, & agente vniuoco: sed imperfecta sunt in cœli potestate, vt apparet de crabronibus & vermibus,sed talia sunt imperfecta,igitur omnia hæc sunt in potentia in agente æquiuoco, seu homonymo, nec indigent alio: igitur quòd producantur à sua causa nihil est mirum, iuxta Auerrois sententiam 12. meta. com. 18. Quinimo vult, quòd per motum solis & aliorum siderum in orbe decliui fiant Prophetæ & Vates. Et sic omnia generalia miracula hoc quarto modo seruantur.Sed qualiter hoc fiat,si quis velit distinguere, hanc animaduertat illius sententiam: Omnia naturalia in hominem ipsum ordinantur velut in finem,vt ex secundo Physicorum c.co.24. habetur. Inter homines autem videtur vnus alterius esse causa: vt gratia exempli, pauperes propter diuites, inscij rerum propter sapientes, populi propter reges: quod constat, quia hi aliis inseruiunt quasi sponte:& etiam quia homo est animal gregale, talium verò dux vnus natura est, vt cætaceorum inter pisces, ceruorum inter quadrupedes, gruum & ciconiarum inter aues, apum inter ea quæ Aristoteles insecta vocat.Homo igitur non solum voluntate,sed & natura duces habet. Quamobrem & Aristoteles,in Politicis, hominum genus diuisit in Liberum natura,ac Seruile:quamuis contingat fortuna quapiam liberum natura in

Vide 10. problem. 15.

lib 1. c. 2. & 3.

violentam seruitutem redigi,vt Diogeni: & seruum natura abuti libertate,vt Caio Caligulæ. Manifestum est igitur ex his, cur filij sapientum degenerent, quoniam natura quod intendebat iam in patribus ipsis absoluerat. At nos in libris de Sapientia generaliorem rationem adduximus. Par est igitur secundum hoc maiorem curam esse Deo de populo, quàm de vno homine: de sapiente, quàm ignaro: de rege, quàm de ciue: de bono quàm malo. Horum autem quæ in inferioribus fiunt,quædam etiam à sideribus vel dum fiunt, vel antequam fiunt imagines imprimuntur in Aere & Aquis: tum in plantis, auibus, quadrupedibus:tum per somnia etiā in hominibus.In quibusdam autem,quorum vigilia non plus impeditur anima,quàm aliis per somnum, velut aliis per somnū imagines futurorum apparent,sic his per vigiliam:inde hos dicunt esse sanctos,si moribus excellant probatis:aut dæmoniacos,si prauis sint infames. At de somno exemplum dat singulare cùm Dantis Alhigeri Poëtæ carmen periisset,quærenti filio,anxioque per quietem iam mortui patris imago apparuit,docuitque locum quo id delitesceret: inde experrectus rem, vt insomnium docuerat, esse inuenit, hoc igitur illi per quietem apparuit: alteri etiam per vigiliam ab astrorum impressione idem contingere poterit.Ergo non solùm hanc vim in vnum hominem, sed velut in magnete ex vno in alium annulum transit virtus, sic ex vno in multos homines migrare credit: vnde vnus Propheta multos afflabit Prophetas, & miraculorum vis ex vno in alium transibit, non secus atque alij affectus. Versari enim cum sapientibus sapientiam auget, cum stultis stultitiam, cum iracundis iracundiam, cum probis probitatem, quare videntur & hi affectus admirabiles vt violentiores, ex vno in alium euidentius transire.His igitur de causis cœli volentes nouam legem statuere, & priorem euertere, creant Prophetas, atque homines facientes miracula,reuelantes arcana, imperantes ventis & pluuiis, morbos sanantes, prædicentia oracula patefaciunt, delent autem testimonia præcedentis legis, & pugnant pro instituenda, terrendo etiam defensores prioris somniis ac prodigiis:& hæc est causa dicit, quòd tot Prophetæ annuntiauerunt de Christo venturo, & quod cessauerunt miracula Delphici oraculi. Inde vult, quod tanta vis fuerit in Christo quod emanauerit in Apostolos, sicut vt sæpius dictum est de vi magnetis, qua non solum primam acum, sed sex aut octo trahit aliam per aliam, vt experimento apparet. Inde post tempus cessant hæc, non solùm cessante necessitate,sed etiam quia remouentur ab illo primo principio:& sic miracula non fiunt, quia cœlum non influit hanc virtutem,& primi Prophetæ,& qui ab eo defluxerunt secundi, ac tertij, omnes mortui sunt. Dixit etiam, quod superfluum est propter tam vilia negotia, qualia nunc apparent, velut de extractione ferri sagittæ, aut erisypelatis sanatione, aut apparentia in vrceis aquæ velle dæmones ponere, quod & nos fatemur. Addit ve-

rò aliud, recurrens ad ſuam animi mortalitatem, cùm hæc aliter non videantur poſſe defendi niſi ponamus animorum immortalitatem, iuxta legis noſtræ decretum: quæ tamen non poteſt ſtare cum principiis Philoſophorum: quia ponit creationem earum nouam & ſic caderet nouitas in Deo, quod eſſe non poteſt: ideo dicit neceſſe eſt noſtram opinionem ſolam eſſe principis philoſophorum conſentaneam: cum enim gratia exempli hora præcedente non creauerit animam, & nunc creet, neceſſe eſt Deo aliquid noui aduenifſe. Ergo vt ad primum reuertar inſtitutum, cùm aliquis vir inſignis probitate vel ſcelere, vel potentia, vel eruditione naſciturus eſt, multa apparent prodigia, atque etiam in morte, vt de Abide Hierone, & Cyro refert Iuſtinus hiſtoricus. Principes igitur etiam mali alicuius diuinitatis ſunt participes: ſicut enim natura creauit, non ſolum malas herbas, ſed ſerpentes ad vniuerſi perfectionem, ſic etiam quandoque malos homines: malos verò reges, vt puniant prauum populum: & vt ſæpe carnifex eſt deterior eo quem occidit, ſic etiam rex ipſe nonnunquam deterior eſt ſubditis quos punit. Argumento tamen eſt illos eſſe diuinitatis participes, quod cum Cæſar tantum humani ſanguinis effudiſſet, & Nero atque Domitianus tot occidiſſent ciues, tot ſcelera perpetraſſent, non minus illis quàm Antoninis ſua prodigia affuerunt, tam principatus, quàm etiam mortis. Ex quo apparet, tam bonos, quàm malos reges à Deo nobis tradi. Rariſſimi etiam ſunt qui abſolutæ integritatis hominem quanquam ſaniſſimi iudicentur, offendant. Deus etiam ob varietatem intendit contraria: nam vt ex albo & nigro componuntur omnes colores, ſic ex malo & bono: igitur bonum & malum vt ſunt quædam entia, non vt priuationes, à Deo fiunt. At varietas ob pulchritudinem fit: nihil enim pulchrum, niſi varium: ideo diuerſis temporibus, varias leges, ſimulacra, virtutes, miraculáque producit. Et ſicut diuerſorum Principum diuerſa ſunt vexilla, ſic diuerſarum legum, diuerſi ritus, ceremoniæ, ſignáque. Olim crux erat noxiorum pœna, ac vt non furcæ in ſummo non ſolùm contemptu, ſed etiam abominatione: nobis maxima in veneratione. Et Iouis nomen nunc in contemptu, quod olim adorabant Reges. At verò cœli dum cuſtodiunt, legem, & ſigna eius cuſtodiunt: quamobrem vt olim in Iouis nomine miracula fiebant, ſic nil mirum nunc in crucis ſigno. Cùm verò non vim habent, indicium eſt, legem eam conſeneſcere, atque propè finem eſſe, vt nunc Chriſtiana eſſe creditur. Verumtamen hæ leges, licet non eædem numero, ſpecie tamen ac ſimilitudine, cùm mundus ſit æternus, infinito reuertuntur. Ergo, vt olim miracula, ſic nunc multarum rerum ſcientia innotuit, Bombardarum, Typorum, Magnetis, atque adeo nauigandi. Nihil mirum eſt igitur apud Pomponatium, Petrum pedibus maria ſuperaſſe. Sed ſi quid, quod in has cauſas referri non poſſit, appareat: id, inquit, eſt conſtans ſignum ac teſtimonium noſtræ fidei: velut cùm apud Ioſue ſol firmatus eſt: vel vt Dionyſius in Epiſtola ad Polycarpum recitat, in Domini noſtri Ieſu Chriſti morte, cùm Luna ex Orientis parte cœpit ſolem adumbrare, cùm ſemper in vera eclypſi ex Occidente incipiat obſcuratio: eo quòd Luna velocior eſt Sole, fertúrque proprio motu ab Occidente in Orientem. At verò quòd homines reſurgant, aut permutentur in lupos, hoc naturale putat: quandoquidem aues in lapides, vt docuimus ex Alberto, & verè, ex integro tranſmutatæ ſint. Plus autem auis à lapide, quàm à lupo homo diſtat.

His præſuppoſitis omnia miracula & præcantationes, in aliquam ex iſtis quatuor inuentionem refert: ſanitatem quidem à vulnere, ab ignis vexatione in primam, vel ſecundam, vel tertiam: vnamquamque enim earum per ſe ſufficere contendit. In extractione autem ſagittarum, dicit poſſe prodeſſe miram quandam agilitatem manuum: & narrat de quodam medico, qui ei retulit, vidiſſe hominem, qui clauos ex tabulis digitis ſolis eruebat, quos faber tenaculis non poterat extrahere. De motu cribri refert vel in manus agilitatem, vel in ſecundum modum, id eſt, hominis proprietatem. De viſis in vrceo reducuntur in tertium modum à valida imaginatione, coadiuuante viſus ſubtilitate. Et addit, audiuiſſe ſe narrantem Petrum Bagolirum Patauij cuidam Epiſcopo, legiſſe ſe apud autores fidedignos, quorum nomina referebat, horum inferiorum imagines in ſole ac luna adeò relucere, vt à ſubtiliſſimi viſus homine perſpici poſſint: de quo experimento in libro de Rerum varietate retulimus: fit enim cum duobus ſpeculis, ac hircino ſanguine: quanquàm Agrippa non referat. Nos ibi, & in libello Secretorum diſputauimus de his, & in libello de Subtilitate. Ergo præcantator conceptæ rei imaginem in ſpeculo figit, quæ ad oculos illibati pueri reflectitur: impollutus enim puer liquido acutiorem habet viſum, ſeipſo iam ſeminis profuſione polluto. At de imagine diui Cœleſtini viſa ab Aquilanis Lambrutij, ſeu Veſtinorum regionis ciuibus, cœlum cauſam fuiſſe affirmat. Eos verò qui liberati ſunt à cæcitate, vel qui reſurrexerunt, vel ex mutis loquentes euaſerunt, non tales fuiſſe affirmat: ſed impedimento alligatos. Hos quidem talem quandam præ oculis habuiſſe, illos linguæ vinculum, alios deliquio animi, vel ſtrangulatione laboraſſe vuluæ, vel attonito morbo: ſicut is, qui cùm diu ſuſpenſus Bononiæ iacuiſſet, viuus inuentus eſt, quòd aſperam arteriam non cartilagineam, ſed oſſeam haberet hoc nos & ab aliis accepimus. Mortuorum verò apparitionem, & hæc quæ dicta ſunt, nam non ſatis ſibi conſtat, in cœli vim refert. Hoc vnum ſatis aptè deſcribit, quòd tales imagines non diu manent, quoniam ex vaporibus conſtant & nubilo tempore, magis quam ſereno apparent, & in nocte magis quàm in die: ac rurſus in crepuſculis, magis quàm clara luce. Vates autem in proprietatem naturæ, & vim cœli tranſtulit: quod etiam dici poteſt de his qui lingua vtuntur quam nunquam didicerunt, velut ex ſuo ſuperius exemplo adducto declarauimus. Hos autem dicit eſſe

melancholi

melancholicos magna ex parte, in quibus Saturnus dominatur: indicio est, quod solitarij sint, atque à curis semoti, tum etiam malefici. Miracula verò à corporibus sanctorum in imaginationem, & illorum refert proprietatem. Concesso etiam quòd tintinabula sacrarum ædium possint auertere grandinem, vult quòd hoc siderum vi accidere debeat: sub qua conflata illa fuerint, tum etiam ex sono, seu magis aëris motu, quod haud dubium est, tum maximè cùm magna fuerint: vnde & bellica tormenta fugare solent nubes. Verùm quia hoc dubium erat, cur cùm homo intellectu polleat, astris subiiciatur? Respondet, quoniam plus habent sensus, quàm intellectus, vt diuus Thomas in libro de Sortibus affirmat.

Hæc sunt quæ non solùm falsa & impia, sed etiam à Peripateticis aliena magna ex parte, ac etiam ridicula inuicemque pugnantia scripsit Pomponatius: quamquàm alioquin vir, vt iam testatus sum, clarissimus: ob id quòd falsa sint haud obscurum est, cùm legi nostræ non consentiant. Lex enim nostra vera est: quod ab illa dissentit, falsum. Impia sunt, non solùm quòd malè de Christo sentiat in his, sed quòd omnem miraculorum vim quantum potest, labefactet: incertamque omnino, imò falsam religionem nostram reddat. Sed forsan hæc in Philosopho toleranda fuerant: illud minimè, quòd modò Aristotelem, modò sequatur Platonem: quodque absurdissima dicat, velut quod precibus populi cœlum conficiat imaginem diui Cœlestini fugantem nubes: nam hoc minus est Philosophicum, quàm pium: nisi casu contigisse id affirmaret: sed hoc non dicit. Sic & de mortuorum resurrectione, & transmutatione vera hominum in sues, quam ille concedit: hæc enim proxima argumenta sunt insaniæ. Contradicit etiam sibi manifestè in multis, vt de resurrectione mortuorum, quàm modo admittit, vt naturaliter possibilem, modo negat. Sic etiam de vocibus in aëre, & de puero nuper nato, apud Philosophos magna est quæstio, an dearticulare possint verba. Ad hoc impulsus, vt reor, potius odio quorundam hypocritarum est, iniustè illum persequentium, quam iudicio aliquo: tota tamen libri series docta est, & subtilis. Operæ pretium igitur erit quæ falsa sunt prius ex eius dictis refellere, postponere nostram opinionem.

Quartum igitur suppositum etsi verum sit vt declaraui in libro de Animi immortalitate, non tamen apud Pomponatium, quia nullo modo est verè immortalis: ideo quàuis suppositum sit verum, non tamen conuenit illi: sed hoc suppositũ adhuc est postmodum falsum, quod medium ideo debeat habere proprietates multas, quia extremorum particeps: nam sic sequeretur, quod cortex citri (gratia exempli) esset stupefaciens & adurens: est enim medium inter lacrymam papaueris, & euphorbij. Et si dicas, quod hoc non tenet, quia hæc consequuntur excessum & non qualitates, eodem modo dico, quod proprietates insequuntur formam mixti certam, & non mediocritatem. Et quod sit verum, ex tot lapidibus nullus trahit aliquid, præter magnetem: nec ex tot generibus piscium, quicquam præter remoram sistit naues. ideo hoc potius concludit oppositum. nam si medij natura est contraria naturæ extremorum, igitur ab illorum viribus remouetur. Quantum ad sextum suppositum animaduertendum est, quod pura imaginatio non immutat corpus, nisi in venere & erectione virgæ, aut cum iungitur voluptati, spei, tristitiæ, timori ingenti, ac fidei: tunc enim spiritus cordis agitantur, & fit permutatio magna in humano corpore: adeo vt aliqui mortui sint, quemadmodum Galenus in libro ad Opigenem de nimio gaudio recitat. Ergo omnes operationes corporis fiunt à spiritibus: hi partim parent voluntati, vt in motibus voluntariis: partim vero imaginationi, vt in mentulæ erectione. Vnde fit, vt illa permutatio vera sit, sed cum fide, vel timore, aut spe. Sunt autem fides, timor, & spes, rationis & existimantis virtutis qualitates & affectus, non autem imaginationis. Quare rem hanc oportet distinguere, non autem in dictis Philosophi Auicennæ decipi. Hoc enim ostendit experientia: si quis enim imaginetur se sanum, aut filium mortuum, nec sanatur, nec contabescit. Sed si existimet se sanum, multùm iuuatur, & maximè in vulneribus letalibus & febre pestifera: sola enim spes plurimùm prodest, quanto magis securitas: & sic existimare mortuum filium, adeo facit hominem contabescere, vt quandoque ex hoc moriatur. Cùm igitur quo ad hoc nihil referat, effectusne successerit, vel non: succedente autem effectu multi exanimantur, aut sanantur: igitur ex sola firma fide vel magna spe, hoc accidere potest. Cùm verò refert hæc in tres causas, prætermissa ratione influxus cœli, & pòst addit eam, manifestè sibi contradicit. Primus autem modus non est meo iudicio verus: nam qui agunt talia, sunt penitus ignari literarum. Sed eruditi magis sciunt, & plures cognoscunt rerum proprietates quàm ignari: igitur hoc nòn fit à proprietatibus rerum. Conciliator etiam & Æsculanus aliquid horum memoriæ prodidissent: vel saltem studio gloriæ; celebratur enim Gentius Rex ob Gentianam, Euphorbus propter Euphorbium, Artemisia regina ob herbam Artemisiam inuentam. Iuba quòd multa de his prodiderit, ac Democritus quanquàm etiam falsa in tanto etiam tempore multa eiuscemodi detecta forent, sicut multæ proprietates medicamentorum Galeno patuerunt, vt superius in primo tractatu docuimus, quorum neutrum euenit. Sed quod magis refert, oporteret vt vel videremus hæc simplicia, vel ægri sentirent, vel ipsi præcantatores callerent artem etiam deceptoriam qua circulatores vtuntur. Cùm igitur hic agamus per coniecturas, & non per demonstrationem: sequitur, vt non sit credendum tales viros aliquid occulere. Illud accedit, quod hoc non est omnino soluere difficultatem quæstionis propositæ, sed detegere errorem, ideo non satisfacit hæc responsio. Et quamuis nos quasi similem huic daturi simus, non tamen illa meritò his rationibus erit obnoxia, cùm sit generalior, & non indigeat arte præstigiatrice.

Circa

Circa secundum, aliud est de moribus, aliud de proprietate naturæ: est enim longinqua similitudo, quæ etiam apud Oratores ipsos culpa non caret, nec dat nobis modum aliquem, quomodo hæc fieri possint: ideo & si veritatem contineat, sic tamen descripta caret ratione, & ratio est adducta, vt dixi, non est multum efficax. In tertio etiam modo sunt multæ dubitationes: nam dictum Hippocratis à Galeno in fidem non reducitur, vel imaginationem, sed obedientiam ægri ad medicum. In exemplo de speculo secundum autores est multa fides, sed secundum veritatem fit potius, vt existimo, ab anhelitu mulieris, & non ab oculis, & experimentum est, quòd non fit muliere se à longè comente. Et etiam in via Peripateticorum hoc Pomponatius dicere non potest, cum sensus percipiant intus recipiendo, non extra mittendo, & præcipuè oculus. Nec credo mentem esse Pomponatij vt per falsa supposita nobis reddat rationem: sed potius spectare ad res, quàm ad antiquorum famosas opiniones. Si enim experimentum de speculo esset verũ, quòd inficeretur ab oculis mulieris, non ab anhelitu, tunc magna pars huius difficultatis posset per hoc fundamentum declarari. Idem dico de oculis Basilisci, irati leprosi: non enim video quòd possint rem immutare, sed solum speciem producere, vt omnia alia quæ videri apta sunt. In quarto modo tollitur omnis materiæ necessitas, & ideo hoc nullo modo est Peripateticum: etenim possent omnia sic ex omnibus generari & fieri, quòd autem possint vates & crabones à cœlo, hoc est secundum Auerroëm & Aristotelem. Sed quòd bos possit loqui, & infans semestris, aut nuper natus: aut ex aëre audiri vox dearticulata, istud omnino est alienum à via illorum. Cùm verò dicit, quòd maior est Deo cura horum, scilicet meliorum aut præstantiorum, quàm deteriorum: verùm est, iuxta nostra principia: verùm apud illum non potest hoc defendi: cùm ponat Deum non cognoscere singularia: & ob hoc Auerrois & Aristoteles hoc dicere non sunt ausi: quamuis de Aristotele sit dubitatio non leuis, an existimauerit Deum singularia cognoscere: hoc tamen nos declarauimus in libris de Arcanis æternitatis: & in libro indefinitorum quæsitorum. At Pomponatius hic, & in libro secundo de Fato aduersus se mouet quæstionem, quam soluere nititur, sed non soluit iuxta principia sua. Sed quia, vt dixi, in conclusione sumus concordes, ideo non redarguam illum hic: cùm sola indigeamus conclusione, non autem rationibus quibus eam nititur ostendere. De transitu autem virtutis, quia de Christo innuit, hoc non est ad propositum: nam sublato magnete virtus annulorum perit: item propinquiores magneti efficacius trahunt remotis: at Christo extincto, discipuli floruerunt miraculis, qui antea dum viueret non ediderat miracula, item Paulus Christum nunquam viderat, nec tamen vllus euidentiora edidit miracula, præter Petrum ex Christi discipulis, de quo etiam est dubitatio. Paulus etiam eremita primus, & Antonius & Hilarion, beato testante Hieronymo, maiora ediderunt miracula aliquibus Christi discipulis: igitur cùm essent inconnexi primo principio (nam Paulus eremita & Antonius ex seipsis profecerunt) patet omnia illa sua commenta esse meras nugas. Quòd si neget hæc vera esse: ad quid confiteri historiam simul ac negare? Audeam verò illud dicere, nihil defuisse testi ipsi Beato Hieronimo, quin etiam maiora illi credamus, si Philosophus naturalis quicquam ex his velit admittere. Ad id de animi immortalitate, quamquam argumentum suum soluant Theologi, ego tamen teneo eam in via philosophorum, absque noua creatione, vt in libello de animi immortalitate, quem edidi satis apparet: vel igitur immortalitatem animi iuxta fidem conatur euertere, & hoc est impium: vel iuxta Philosophos, & sic debuit oppugnare verisimiliorem sententiam, quæ est nostra: maximè cùm hoc ipse testetur in tribus locis, vt iam docuimus: imò passim dicit, volenti tueri animi immortalitatem, nullum aliud esse refugiũ à παλιυγένεσια. Quod verò subsequitur de signis, & notis, & vocibus totum est prophanum, & contrarium philosophorum principiis, & etiam absurdum. Quid enim, aut quomodo admissis etiam vniuersis suis figmentis, crux liberat Petrum à febre, Ioannem non? Dices, ob fidem. Igitur iam non hic indigemus cœlo: nã vel crux mutat cœlum, vel mutat per proprietatem receptam, vel propter fidẽ. Primum nec ipse concedit, vt cœli relinquant suum institutum & ordinem, vt permutentur à signo crucis: vel propter proprietatem & sic in omnibus, vel saltem in pluribus ageret: vel propter imaginationem, ac fidem: & sic, vt dixit, non indigemus cœlesti impressione. Si autem hoc solum affuisset miraculum Petro, certè posset dubitari. Nos autem concedimus, quia bonum & malum habent medium, vt in decimo habetur primæ philosophiæ, quodque varietas & pulchritudo ex horum mixtione fiunt in mundo: non tamen hæc apud Deum mala esse possunt, nam ille non vult malum. De resurrectione, & transmutatione, in lupos iuxta philosophi opinionem, nihil aliud habeo, quàm vt rideam: ideo dico, quòd vbi admittantur, sunt exquisitissima miracula: nam à priuatione ad habitum naturaliter impossibilis est regressus. Ad rationem ex experimento Alberti sumptam dico, quòd nihil concludit: nam vt visum est, aues iam mortuæ à lapide non animato, id est concreto, specie non differunt, quia vterque anima caret: ac ex homine si fiat lupus, iam vterque habet formam propriam ab altero specie distinctam, ideo ex quocunque corpore potest fieri lapis concretus, non autem adamas aut magnes: nec ex musca apis, nedum ex homine lupus: cùm in hac transmutatione quasi Theologi qui omnipotentiam Deo tribuunt, dubitent. Ex hoc autem patet, quantum vno recto principio facilitatis ac luminis posito accedat: ac contrà ex falso infinita inconuenientia. Vnde si metalla viuunt, transmutari nequeunt, & labos cum impensa chymicis perit. Si non viuunt, nullum est inconueniens.

Marginalia: *1. de Anima t. 51. & 52. in de Sensu & sensibili. c. 2.* — *cap. 11.* — *co. 17.* — *in trac. 1. huius quæstione 1.*

Cæterùm

Cæterùm ad ea quæ subiicit, difficultates eædem contingunt, quæ in principiis, ac suppositis: propterea non me amplius extendam contra eius dicta, nam reliqua probamus: conabimur vero soluere iuxta nostra principia ac Aristotelis. Tria tamen maximam hic afferunt difficultatem. Primum est, quòd vt habetur in secundo posterorum, quæstio Quid est, & propter quid est, præsupponunt quæstionem Si est: quæ cùm lateat in plerisque ob dolos, ideo incertum est, quodnam ex his experimentis sit verum, quidve falsum. Omnis autem nostra scientia ex sensibus ortum habet, ac ex his, quæ per illos percipimus. Secundum est, quòd paucissima habemus experimenta, in quibus tanquam in fundamentis firmemus ea quæ supponimus. Tertium est, quòd nec Aristoteles, nec alius eius philosophiæ sectator, aliquid nobis de his tradidit: quod non solum arguit rei obscuritatem, sed etiam facit: nam scientiæ procedunt monumentis clarorum virorum simul collatis: atque per ea conseruata & aucta perpetua incrementa suscipiunt. Auget etiam hunc laborem, quòd quæ habentur inuicem dissident adeò experimenta, vt nihil conforme ex illis elicere possis rationi: & videntur horum principia plurima omnino esse, vt sanationis, sistendæ nauis, ferrum ad Boream dirigendi. Quinimo quadam ex parte peripateticis principiis contraria: nam si quod agit, à proportione vincente operatur, quomodo tam paruus pisciculus tantam molem potest retinere? Et si omnis actio est cum contactu, quid contangit ferrum, vt ad Boreæ punctum, qui tam longe abest, dirigi debeat? Sic & sanatio ipsa per contraria solet fieri, hic autem nihil est contrarium in præcantatione. Galeno attribuerunt adeo impudenter de præcantatione absurdum libellum, vt nihil de eo dicendum sit. Pomponatius tamen tria imaginatur, cur Aristoteles non scripserit de his quicquam: vel quòd morte præuentus sit, vixit tamen satis diu: vel quòd interciderint libri, adducitq; Albertum, quòd librum Aristoteles scripserit ad Alexandrum de morte animæ: satis constat periisse libellum de Anima ad Eudemum, cuius, vt diximus, alibi meminit Plutarchus: vel quòd noluit scribere ob timorem: cùm enim Plato obscurè, & per ænigmata scribens, in honore sit habitus, ipse verò Athenis pulsus in Eubœæ insulæ Chalcidem concesserit, vbi exul mortuus sit, timore non ausum scribere quæ senserit: scripsisse tamen aliqua sparsim de his. Verùm cùm ad sexagesimum tertium peruenerit annum, aususque sit, vt aliàs dixi, damnare palam leges, nec breuitate vitæ, nec metu impeditum esse satis constat, Verùm vel non scripsit, quòd satis non haberet ob inconstantiam fidei rerum, ac paucitatem experimentorum, quod scriberet cum ratione: tum etiam ob obscuritatem: vel vt dictum est, quòd scripserit quidem, velut in libris duobus inspectorum problematum, vel in quatuordecim libris expositorum generatim, vel in tribus de natura, vel in libro de idea, vel in physico aliòve ex horum genere, sed tamen interciderint.

Præter igitur tria prima Pomponatii suppolita, ac quintum illius, hæc adiicimus quæ inferius addam, accepimus nempe ex Pomponatio primum quod dantur præter manifestas qualitatum operationes, quę in tria reducuntur genera, tria alia occultarum: harum quidem vt à similitudine, harum vt à proprietate satis manifesta, harum autem vt occulta omnino, quamquam duo prima Galenus ad idem genus referat. Secundum est, has proprietates non vnius esse naturæ, sed valde etiam dissimiles inter se. Tertium, quod homine dissimulante naturalem causam atque occultante, proni omnes sunt, maximè philosophiæ ignari, in præcantationem effectum referre. Cùm enim natura fermè nobis sit ingenitum, nihil esse absque causa: naturali sublata, sola supernaturalis relinquitur. Quartum, quòd anima hominis est omnia vt dictum est secundum formam spiritualem, sensibilia per sensum, intelligibilia per intellectum. Quintum, quod affectus animi qui sanguinem immutant, vt fides, timor, audacia, iracundia, dolor: permutant etiam spiritus, & calefaciunt aut infridant corpus manifestè: sicut dixi de illo Sannuto, qui canus in vna nocte euasit: & Cæsari Gallo, cùm nuntiatum esset quod damnatus esset capite, & quod post modum dilacerandus esset, inuasit eum febris protinus. Et hoc est clarum in his, quæ cum tristibus, aut lætis coniunguntur: at vero in fide alterius rei quomodo hoc, erit? dicimus quod in metu & tristitia retrahitur calor, in lætitia & ira diffunditur: igitur de fide fixa existente nec assistente obiecto tristi vel læto, quiescit: & fit tertia dispositio immutans corpus sub alio genere, quam faciat timor aut ira, non tamen minus quàm aliquod illorum. Sextum, quod cœlum est causa omnium, vel eius intelligentia. Septimum, quod homo est animal ciuile & gregale, sic vt in cæteris animalibus rationis expertibus dux natura quædam sit, & quod velut in vno corpore manus & pedes sunt propter ventrē, ille propter iecur, illud cordis causa, hoc propter animam, sic etiam in mūdo omnia generabilia & corruptibilia sūt propter hominem: hominum autem pars deterior ob meliorem. Octauum, quod omne agēs naturale agendo diuersas sēper actiones producit in diuersis obiectis: velut si cera & lutū & lignū approximētur igni, cera liquefiet, lutum cogetur, & lignum calescet ac flectetur. Et istæ operationes habent quandam similitudinem ex parte agentis: ita quòd quis videns à longe liquescentem sponte ceram, poterit diiudicare ignem adesse: & quod lutum durescet, & lignum curuabitur. Cùm igitur cœlum sit agens naturale, & multa habeat proxima, multos simul agit effectus necessario, quorum alter alterius est signum certum, quamuis multi non animaduertant, & pauci cognoscant. Nonum, quod magnorum euentuum validæ necessario sunt causæ, & quorum causæ vice versa potentes sunt, effectus etiam sunt admirabiles: nam par est in omnibus, causas effectibus correspondere. Reges igitur ac sapientes fiunt à causis potentibus, quia plurimum possunt consensu, vel scientia rerum.

Improbi

Improbi autem, vel probi, non tales esse queunt vt prosint, vel plurimùm noceant, nisi propter adiunctam potentiam, ideo talium vt potentes sunt necessario validæ causæ sūt. Decimum, quòd vt diuersæ orbis cœlestis partes diuersas vires habent, cùm materiaque producunt pisces, herbas, lapides habentia diuersas proprietates: sic anima nostra immortalis existens, ac cœlestis originis, alia alterius partis cœli vicem gerit, ac virtutem assequitur. Et sicut solis radius infinitas continet vires, quas pro regionum & temporum varietate imprimit: sic anima humana tanquam vnum totum immortale, infinitas vires in se retinet, quas non secus ac sol communicare non potest sine corpore, cumque omnes varietates animæ vegetatricis in plãtis ostendantur per per tot genera, & in animalibus animæ sensitiuæ, oportet non pauciores esse in intellectiua: quæ cùm non habeat nisi humanum genus, oportet in hominibus solis animæ ratione intellectiuæ, tum quòd cœlestis sit, tum quòd genus quoddam absolutum tot fermè inueniri differentias quot in omnibus animalibus, plantis, atque lapidibus. Vndecimum, quòd homo habet vim sentiendi ac viuendi, complectiturque omnia genera animarum, vt in secundo de Anima, & secundo de animalium generatione habetur: quare par est, vt nihil quod illis vt perfectio potest competere ei repugnet. Supponimus etiam, quòd omnis cura suo contrario perficiatur, vt Galenus & Hippocrates testantur, sic etiam timentibus spes est medella absolutissima.

text. c. 31. cap. 3.

3. Artis medica c. 6. 2. Aphori. 22. prima tertij. t. 4. cap. 19. in pri.

Illud etiam præmittimus, quòd quanquam hæ operationes ab occulta ac cœlesti vi prodeant, attamen non secus ac lumen terminum habent, quia operatio ea est cum corporeo instrumento: si enim cœli ipsi terminum habent in sua velocitate, sic & reliqua habere necesse est: nec enim quantumcunque modicus magnes, ferrum ad Boream dirigere potest, sed tantus tantum: videmus & eam vim sensim euanescere per tempus, seu quia paulatim decrescat, seu quia instrumentum continuè sortiatur ineptius, postmodum tota simul discedat. Satis constat lapidem Herculeum, qui anno præterito clauum dirigere poterat, nunc vix magnam acum posse vertere. Quò fit, vt præcantationes ipsæ non secus ac medicamenta alia efficiant in eodem genere, alia efficere nequeant, vnde & ipsi præcantatores dum falluntur in aliquibus admirantur: quia principium earum Deum esse putant: quod si esset, meritò equidem causam haberent admirationis nõn succedente effectu: at tunc non posset non succedere. Nunc frequenter non succedit, quia alia causa est. Est & quartumdecimum suppositum, quòd nutrimentum immutat hominem iuxta Galeni sententiam aliàs declaratam ex secunda Aphorismorum: inquit enim, Nutriendi causa quæ assumuntur, etsi à natura ipsa, ac corpore euincantur, ac conficiantur, ipsum tamen corpus quoquomodo immutant. His visis quæ apparent, in sex genera distinguere oportet. Primum est, quod per amuleta fit, hæc Galenus agnouit, vt diximus, concessitque: reducuntur autem ad genus medicamentorum. Secundum est, quod ad sanitates pertinet, in his quæ maximè imaginationi subiiciuntur: vt in ligatis à Venerea re, in dolore dentium, in fluxu sanguinis ex vulnere. Igitur cùm multi ob timorem se præcantatos existimantes venere vti nequeant, superueniente spe liberantur: vnde quidam cùm nõ posset venere cum vxore vti, supposito lecto gladio, cum quo homo occisus fuerat, præcantatione liberatum se existimauit, succedente effectu. Alius verò cùm ei chirographum telonei, quo significabatur persolutam esse pecuniam Publicano per iocum pro amuleto datum esset, non minus quàm alter ille est liberatus. Est enim manifestum, hanc curam esse per contrarium: nam firma spes hæsitationi & desperationi contraria est. In sanguinis verò fluxu ex vulnere, vel hemorrosagia narium, spes, vt diximus, aut fides, firmant motum sanguinis, atque sic sistitur. Dentis dolor plerunque à mala fit qualitate, hæc aufertur vel multo affluente spiritu, vel obstupescente dente. Ex imaginatione patientis vel fide locus destituitur. Forsan ferro inest vis dentem stupefaciendi, nam anteriores dentes rarò dolent, quoniam ferro quandoque eos tangimus. Sed siue hoc, siue illud, satis constat, deseri dentem à spiritibus, ob hoc illum tangunt, atq; sic sanatur. Potest & in precante vis aliqua esse à proprietate. Ergo omnia hæc in confidentiam, & bonam spem Galenus referet: quare in vna sex rerum non naturalium continebitur huiuscemodi genus causæ sanatiuæ, de quo agit in tertio Artis medicinalis cap. 2. De sagitta autem infixa multa sunt in causa: per imaginationem enim separantur carnis partes, adeò vt quod maximo nixu trahi non potest illis constrictis, eis paululum dilatatis sponte excidit: modica enim differentia in singulis partibus circumiacentibus, maximum parit effectum: quod quilibet potest experiri continendo ferrum manu, quod nulla vi à puero decenni poterit extorqueri, si vel laxaueris manum quantum est acus magnitudo, sponte fermè dilabetur: quare maxima ex parte naturalis hæc est res, quæ tamen ex laborantis imaginatione pendet: vnde bene dicunt, quòd si contortum sit ferrum præcantatio non valet eximere. Potest & aliquid manus agilitas, vt videmus in his, qui magnos funes manibus disrumpunt. Hæc igitur frequentissima sunt, cùm causam habeant generalem: nec aliud est in præcantatore, nisi audacia & agilitas. Quæ igitur ad medelam pertinent ad genus suum reducuntur, artis diuisionem non perturbando. Quæ autem ad diuinationem, ad Poëtas, ad aliarum linguarum attinet peritiam, cùm homo sit reliquis animalibus omnibus perfectior, necesse est aliquam etiam illum habere perfectiorem proprietatem, quæ alia esse non potest, quã quæ ad incognitorum notitiam attinet: multas verò præter has similes cæteris animalibus. Sed dices, quonã pacto igitur equus, aut bos, nihil tale habẽt quale remora despectus piscis, neq; nobilius? atq; etiã cur cùm tot remoræ sint in mari, ex genere enim Echinorum sunt, tã multæ naues quotidie maria sulcent, tã paucæ naues præter causam manifestã sistuntur, vt vix duabus

Aphor. 50.

tract. 1. con. xi.

duabus aut tribus hoc contigisse legatur? Respondemus, vel non esse verum id experimentum: vel, si est, multos esse echinos, paucas remoras: vt multi sunt lupi, pauci lyncei, quamuis lynceus quidam sit lupus: aut rarò posse hærere, cùm nauis velociter impellatur: vel quod frequentius accidit, quamuis non animaduertentibus, aut vt rem notissimam iam ducentibus. In boue autem aut equo, non est perfectio eminens, velut in homine respectus echini illius, sed maior. Homo igitur omnem habet in se perfectionem in potentia: sed vnus homo non omnes habere potest, sicut nec vna cœli pars omnes vires, sed aliæ alias. In anima igitur alicuius futurorum imago relucere potest: sic & poësis ipsa. De lingua autem quam quis non didicerit, & de infante, aut boue loquente, primum quæratur, si est: postmodum propter quid eueniant quanquàm Philosophus dicat vndecima Problematum de Infantibus, quòd naturaliter hoc contingere potest: quia cum natura sua loqui homo natus sit, potest auditis verbis illa formare, & sic loquitur: post autem, reuertitur ad loquendi impotentiam, donec ad ætatem perfectam peruenerit. Sed de boue hoc dici, nec esse potest: sicque tertio generi satisfactum est. In equorum autem præcantationibus causa est, quòd illis dolentibus copiosam superfundunt aquam repentè, vnde & membrum obstupescit à frigore, & confirmatur à contractione caloris: omnes autem scirent hoc, auxiliúmque contemnerent, nisi verba adderentur. Quæ autem in belluis iuuant, magis etiam in homine, cùm imaginatio & fides rem atque effectum confirmet. Vnde aduertendum, multa esse per se pauci momenti viriúmque cõtemptarum, quæ tamen ex modo applicandi mirabiles faciunt effectus: velut aqua auget dolores, & putrefacit vulnera: copiosa tamen dolores leuat, & assiduè permutata vulnera sanat, vt ex Celso in lib. de Animi immortalitate deduximus: quamobrem hoc genus non ad præcantationem, sed ad artem medicam deduco. Quartum igitur genus est motuum omnium, vt de pueri quis ostia appositi aperiebant, de eo qui serpentes dum vulneraretur occidebat, vt ex Albert. & Auicen. recitatum est. Hæc etsi falsa etiam fuerint, esse tamen proculdubio possunt, nam ex diuersitate ciborum diuersa natura euadit: sicut de puella napello, id est toxico nutrita, recitat Auicenna, quæ secum dormientes occidebat solo spiritu. Idem fermè Galenus ante eum scripsit. Sic, si quis perpetuò quasi vtatur Draconculo, serpentibus resistet, & longè magis ab eo genitus filius. Et ideo narrauimus tot herbarum miracula, vt quis possit intelligere, quo pacto possit educari aliquis puer cum proprietate mirabili. Et sic (gratia exempli) educatus verbena fiet gratiosus. Et si vti tantum vno cibo, facit hominem simplicem, & ad generationem potentem, & robustum: multis verò, calidum, & morbis obnoxium, & difficile filios generantem, aut debiles: quid putas cùm homo assuetus fuerit vni rei valde potenti, & ab humana natura remotæ? Et hoc, vt dixi, magis in filiis, quàm patre quandoque apparebit. Nec credas, vt dicam,

Probl. 27.

Sexta quarti t. 1. c. 2.
3. de Simplic. medic. c. 18.

quòd homo euadet similis cibo: sed, ex esu Draconculi assiduo forsitan vnam proprietatem acquiret, quæ erit valde remota à Draconculi virtute. Et ideo Reges Gallorum ex longo vsu multorum aromatum, habent proprietatem contra strumas: & alius tamen si vtatur aromatibus, aliam acquiret proprietatem. Et ideo, vt dixi, fermè in singulis familiis sunt aliquæ proprietates mirabiles: maximè in rusticis, qui non vtuntur ciborũ varietate: sed homines vt pleraque alia commoda eas ignorant. Possibile est igitur tum ex natura animæ, tum ex cibo proprio & progenitorum, vt aliquis trahat ferrum sicut magnes. Hæc tamen virtus non potest esse nisi in certa corporis parte, quia sunt nimis diuersæ temperamento: ideo virtus Pyrrhi Regis fuit in pollice tantùm dextri pedis, quamuis tangeret toto pede: & iam vis videre quòd alia virtus possit consurgere, quàm ea quæ est in cibo? vides enim quòd magnes non vertit se ad Boream, nec ferrum: vt verò magnes ferrum traxerit, ad Boream impellit. Et sic Tithymallorum genera exurunt pilos, intus autem assumpta aquam trahunt: sic tamen vt non ipsa, sed corporis pars eis infecta trahat. Qui verò vident aliquid præter naturam, vt pueri in vrceis, & mortuos per tenebras: in his causa est magnus timor, vel error: in pueris autem difficile est tueri hoc experimentum. Quæstio autem, vt dixi, Quia est, præsupponit, Si est. Sed dato quòd ita sit, dico quòd in præcantante est vis tanta, quæ transit in puerum impollutum, sicut ex magnete in ferrum: quia tales valde ad recipiendum impressionem, sunt parati: & anima pueri mota mouet spiritus, vt in somno: cùm iam tales infantes generaliter ob visus subtilitatem multa videant, quæ alij non vident, vt recitaui de me ipso in infantia. Et propter hoc potest videre infans furem ex puritate, & robore animi, & spirituum: & supposita animi immortalitate, hoc non est magis mirum, quàm experimentum magnetis, quo ferrum ad Boream dirigit. Neque enim potest dici, vt fingit Pomponatius, quòd species ab oculo præcantatoris reflectatur ad oculos pueri: nam præter id quod ostendimus, hoc non posse fieri in via Aristotelis, sequeretur etiã quòd pueri viderent rem vltra aquam, & non in aqua: & ex motu præcantatoris variaretur situs. Ideo si stãdum est verbis illorum, melius est dicere secundum nostra principia, quòd hic concurrit præcantatoris anima vt agens, & pueri vt patiens, & instrumentum. In motibus autem cribri, & annuli, sentimus manifestè vim spiritus ex nobis descendentem, quæ mouet illa imperio voluntatis: & hoc fit absque motu sensibili musculorũ, cum insensibili tamẽ, saltẽ in via Galeni: & est res satis mira. Fit autem absque verbis, sicut cum verbis: quia est naturalis: & magis cum vno annulo, quàm cum alio: sed nondum potui causam differentiæ animaduertere. Multa huiusmodi talia sunt in natura, sicut cum homo eleuatur à quatuor digitis quatuor hominũ, singulo singulũ apponente, cùm vix omnibus viribus à duobus hoc fieri posset viris cum ambabus manibus. Sic & habẽs põdus in humeris grauissimũ, aliũ trahit, à quo facilè traheretur,

heretur, si pondus non haberet in humeris. Ad experimentum de tauro Conciliatoris existimo quòd haberet assuetum huic rei: sicut vidimus anno elapso in equo à circulatore: si tamen voluisset in alio experiri, non successisset. Hoc autem euenit fauentibus opinioni alicui, vt vel non videant quæ illi aduersentur, aut videre dissimulent: vbi tamen hoc non satisfaceret, sed in quibuscunque ageret, tu scis quòd auris habet meatum ad cerebrum, non quidem patens, sed per tympanum, vnde aliqua animalia & mulieres quandoque strepitu repentino concidunt: ideo posset hoc medio, & aliquo dolo adiuuante, vt tactis poplitibus, aut constrictis neruis septi paris animal prosternere. Certum est enim ex Galeno, quòd si illi vehementer constringantur, animal repente cadit in terram etiam mutum: & tales nerui facile apprehenduntur agilitate manus, cùm sint quasi detecti in collo: reducere autem in proprietatem viri non est multum verisimile. Sextum est quando multi aliquid vident: hoc aliquando potest esse naturale, sicut recitat Pelacanus, qui fuit Ioannis Marliani præceptor, qui fuit præceptor patris mei in Medicina, quamquam postmodum euaserit Iurisconsultus. Dicit igitur, quandoque apparuisse in nostra vrbe angelum in nubibus, vnde omnes ciues contristabantur: quod animaduertens Pelacanus causam docuit principem: nam in magna obscuritate nubium, angeli statua non secus ac ex speculo, cùm super pinna templi Beati Gottardi posita esset, reflectebatur ad oculos multorum, qui angelum se videre ob hoc existimabant. Nec tamen credas omnes vidisse: sed eos solum, qui acie videndi præstabant. Ideo dici solet: Noxium esse nimis acutè cernere. Igitur sicut in nubibus diuersæ apparent imagines animalium, & hominum, sic etiam ex vaporibus talia absque miraculo & portento creari possunt: sed hæc facile discernuntur. In morte autem, vt dixi, magnorum virorum & ortu, magna, vt demonstraui, quasi necessario videntur prodigia: nam causa illa valida est, igitur in multa, cùm sit naturalis, effigiem insolitam imprimit. Nemo tamen sanæ mentis ea dicat miracula, sed prodigia: quale iam duobus annis aut tribus euenit de vitulo bicipite: & anno præterito de puella bicipite, quæ naturaliter significant maximam rerum confusionem, & principem dominaturum potentia duplici: quasi duobus regnis inuicem coëuntibus.

Expositis igitur omnibus his, quæ ad rei explicationem pertinent, superest vt quædam declarem, quæ non solùm apud nos, sed apud Pomponatium difficultatem pariunt: quorum primum est: Cur si hæc vera sunt vniuersim tamen à legibus damnantur, nec artem vllam constituunt? Respondeo, quòd damnantur ea quæ verbis fiunt, vt merito: nam si operantur naturaliter, verba nullam habent vim, igitur sunt hæc cum fraude, igitur non debent admitti. Idem dico de notis: si dicas habere vim secundum legem, igitur per demones, quare committitur cultus dæmonum, igitur nullo modo possunt admitti. Quæ autem absque verbis fiunt si pertinent ad sanitatem, vt dixi, sunt de consideratione medici: si ad alium finem, vt de remora, & magnete, sunt de consideratione philosophi naturalis: quare nullam aliam necesse est scientiam ponere. Igitur Magia nulla est, nisi ponas eam partem vel medicinæ vel scientiæ naturalis, & hoc modo intellecta magis est illicita, quàm ars ipsa fabrilis. An verò hæc possit esse scientia? Dico quòd sic, quia habet causas & elementa, non tamen propriè, quia non sunt causæ illæ cognitæ adeò vt possimus facere vllam demonstrationem simpliciter, nec etiam propter quid.

Quæritur etiam de Chiromantia & Geomantia, an sint scientiæ, & à quo habent suam veritatem. Respondeo: Magna est differentia inter has, vt etiam in secundo & quarto libro de Sapientia docui. Constat enim Chiromantiæ partem ad naturalem scientiam pertinere. Nec me multum mouet quòd in primo de Natura animalium dicat: Eos diu viuere, qui singulas, aut etiam binas, habeant per totam volam lineas deductas, parum autem, qui breuiores: nam huius reddens rationem inquit decima problematum, Horum qui longiores habeát articulatas manus esse, illorum inarticulatas: sic vt istæ lineæ nihil plus videantur ostédere, quàm manus articulationem, aut inarticulationem. Quibus sic existentibus, nihil ad chiromantiæ firmitatem accedit. Sed tamen res ipsa docet cum singulis varientur temporibus: ac pro ætatibus & gestis fortunáque, magnam in prædictione vim illas habere. At Geomantia non ex interrogante, verùm ex artifice veritatem accipit: aliter essent responsa vera falsis in omnibus fermè æqualia. At non ita est: imò hominem agnoui, qui omnia quasi de futuris rectè pronuntiabat: multos alios, qui nihil ad rem. Sed forsan Pomponatius artificem per interrogantem intellexit. Fateor & ipsum interrogantem aliquid in rem conferre: sed aut raró, si multum: aut parum, si frequenter. Igitur Geomantiam planum est scientiam non esse. De Chiromantia non leuis est quæstio: neque enim si quid prorsus adhuc doceat veritatem, protinus scientiæ in genere collocandum erit. Sit igitur ars potius, quàm scientia: quandoquidem vix Medicinam quòd scientia sit, tueri poterimus.

cap. 15.

Problem 48.

Solet etiam quæstio eadem in Auguriis, ac talibus versari. At in his omnibus, quod pro omine accipi potest, nullam nobis fidem facere debet. quæcunque autem cursum naturę excedunt, vt si aquila circumuolans caput, ramum arboris in sinum demittat: hoc portentum est omnino: quia ab eisdem causis aliud, cuius hoc est imago, proueniet. Quoniam verò temerarii multa perperam in his agebant, & multi non hæc solum sed omina in his obseruabant, velut garritum, volatum, ideo è lege magna vtilitate sublata sunt: tum maximè, quod non à natura hæc fieri, sed à demonibus vulgares arbitrantur. In his tamé, vt dixi, duabus demonstrationibus ad futuri præcognitionem quandoque licet deuenire, altera quidem, quia est: altera exquisite simpliciter.

Dubitari etiam solet, quid significet Abominatio certæ rei, velut illorum qui lac, vt Conciliator, aut oua, aut vinum horrent: vt etiam de Horatio Flacco Poëta, & Iacobo Forliuiensi, quos Pomponatius affirmat allium aborruisse. Alij non ferenda ferunt, velut qui à Leone decimo, huius nominis Pontifice maximo crimine capitali liberatus est, quod nullo auxilio arsenicum, sine noxa, ad vnciæ fermè quantitatem deuorabat. Respondemus: Abominationem aliquando solius ventriculi vitio, vel consuetudine prouenire, & tunc nihil magnum secum affert: nam nos olim cum portulacam diligeremus, deuorantes magnam eius quantitatem, (puer enim eram) in illius tantū deueni odium, vt etiam si videam solum, vomitum mihi, aut saltem nauseam excitet. Non tamen natura abhorrui, sed diligebam. In cæteris verò, quæ vel ad tolerantiam pertinent, aut ad totius corporis ingenitam naturam, diligendi, abominandive aliquid, necesse est omnino illi multas, non vnam esse proprietatem. Dictum est enim hæc à cœlesti causa fieri: at hæc causa proculdubio vt ad diuersa confertur, varios necessario facit effectus. Quare nunquam insignis vlla proprietas sola ad ft, vt in magnete, remora, Psyllis, & quantum magnes ferrum trahendo valet, tantum necessario dirigendo: nec vllus trahere potest magnes, qui etiam non dirigat. Hoc si agnouissent principium antiqui, qui multum de inutilibus rebus garriebant, in vtilissimæ propritatis magnetis cognitionem breui deuenissent, nec tandiu latuisset vis eius illa admirabilis. Ergo si quis quærat, quomodo ferrum ad Boream à magnete conuertatur, constat sanè non illud tantam habere vim, vt ad cœlum pertingat, neque à cœlo trahi potest per radios, cùm non sursum attollatur: nec sola virtute cœli, omnis enim actio est per contactum: non quia sub sidere genita aërem proximum distinguat vt cœlum, nam hoc lapidis comparatione, non cœli fiet: at hoc nihil prodesset nauigantibus. Quare dicere necesse est, totum aërem nobis vndique circunfusum, pro cœli natura, quod firmum manet ac stabile, vt aliàs docuimus in secundo de Æternitatis arcanis, impressionem recipere. Lapidis verò animam ad id partis, tanquam ad sui simile dirigere. Vnde prodesse multum existimo, qua quisque parte conuersus aliquid agat. Non est autem polus mundi locus ad quem dirigitur, sed ad Boream versus decimaoctaua parte quartæ, quæ est inter vernum oriens & ipsos Septentriones. Disputabunt alij de celo fixo, sed nostrum non est alia aliis immiscere, nam hoc & eo libro, & in libro de Supernis etiam demonstratum est.

Probl. 1. *Probl. 7.* Alia exoritur difficultas: Quonam pacto possit ex sanitate sanitas exoriri, nam Philosophus septima Problemanum inquit, Cur à morbis aliorum ægrotant homines, à sanitate nemo sanari potest? Et rursus in prima inquit, solum violenter homines arripi contagione pestilentis morbi: quò magis mirum videtur hoc Galenum dissimulasse: nam quamquam in primo de Differentiis fe- *cap. 2.* brium eum inter contagiosos enumeret, non tamen id docet quod res ostendit cùm tabis scabiei ac lippitudinis morbis illum comparet: qui affectus etsi hæreant, non tamen leuiter, sed solum si diu verseris cubaueris que in lecto: sed de hoc in primo libro satis dictum est.

Problem. 10. Ad rem reuertor denuo, nam & in vigesima nona Problematum, quærit rursus Philosophus, Cur versari cum pulchro, robusto, aut sano, nihil addat ad valitudinem, robur, vel formam: at versari cum bono, aut sapiente, non parum ad innocentiam aut prudentiam prodest? Respodens Philosophus inquit, Corporis bona non communicari. Fatigat hoc quæsitum Pomponatium: nos ad sanitatem, vt diximus, imaginationem in causa esse docuimus: at proprietatem auferre posse causam, vt in teli extractione: non igitur ex sano sanus fit.

Dubitatur etiam, an Genium aliquid sit. Plutarchus enim in vita Bruti refert, apparuisse illi formam quandam dæmonis dicentis, Tuus sum malus genius, in Philippicis me videbis. Et in M. Antonij vita, cùm coturnices illius semper Octauij coturnicibus succumberent, responsum est Antonio, caueret ab Octauio, genium enim suum Octauij genium formidare. Respondeo, de Bruto dictum iam est in Quinti generis declaratione mirabilium. Genius Octauij erat ac Antonij, natalis hora, ac cœli constitutio, & Fatorum series, de quibus in libro de Fato plenè dixmus. Iam enim declaratum est, homines alios natura seruos, alios dominos, alios reges progigni, quæ autem viderat Dion, & Antonius audiuit dum esset Alexandriæ, signa erant ab anima malorum imminentium. Quemadmodum ex leui impressione in somnis, sic ex valida in vigilia contingere potest: nam ebriis ac lymphatis & in ecstasi existentibus multa quæ non sunt apparent: id igitur in magno humorum motu, vel à cœlo vel ab anima contingere potest. Sed cur ille præcantat, ego non possum, si sola patientis fides in causa est? curque quidam cùm verba quædam ex libris didicerint, fiunt, cùm antea non essent, præcantatores? videntur enim verba aliquid conferre. Respondeo, Incantatores omnes oportere esse impudentes: vir sani consilij adeò firmiter polliceri non audet, quod in tam tenui spe positum est. Nisi firmiter pollicearis, nihil agitur. Ob id vulgares homines illi sunt, prostituti pudoris, & perfrictæ frontis: qui & si non succedat euentus nec rubore perfunduntur, nec hæsitant imposterum, tantum abest vt desistant. Si enim quoties falluntur, toties desisterent, iam nullus esset præcantator. Ob id nemo ex his vir est prudens, aut honoris cupidus: sed omnes leues, mendaces, temerarij, auari, inanes: ab auaritia enim ad hoc impelluntur, sed vel sic multum tamen aliquando in sanitatem conferunt, velut in his quæ in arbitrio tantum naturæ sunt vt diximus sanguinis immoderatis fluxibus, doloribus, & spiculis impactis. Verbis tamen conceptis indiguerunt ad fidem confirmandam: nam aliis tam firmiter minimè possent persuadere,

persuadere, etiam dolo gentes, ni adeò ipsi constanter ita esse crederent. Indicio autem est verba in eisdem causis non eadem esse, sed alius aliis vtitur, & quòd aliqui, vt de Petro Bono retulimus, etiam per iocum præcantant: quare nec verba, nec proprietas hominis quicquam confert. Sed cur si proprietas non iuuat, omnes omnia, ex his saltem tribus, agunt? Respondemus, illos hoc latere: nec audent in aliis causis tentare, ne primam vitient virtutem: si tam contingat alia verba inuenire, quibus alia doceantur, experiuntur. Sed cum simplici fide solertia minimè manet: ob id cùm solertia ad multa, & simplici fide ad opus exequendum indigeant, pauci inueniuntur, qui in multis valeant præcantando: inueniuntur tamen nonnulli, quos & ego agnosco. Indicio autem est, à proprietate non esse, quòd sponte nata vlcera curare non possunt, nam vt siculæ herbæ vnus, sic panacis alter vires habere posset: sed & nimis violenta esset proprietas viri, qui semel tangens inde discedens, vestigium perpetuum in vulnere relinqueret: nam telam, quam imponunt, ipsi non ferunt, sed ab ægrorum astantibus accipiunt. Facilè autem est vulnera ad sanitatem deducere, cùm mala tẽperatura, & phlegmone careant: docuit enim Galenus in quarto Artis curatiuæ, eorum curam esse exsiccationem. Illud etiam considerandum, quòd velut in phlegmone incipiente aliquod est supremum auxilium, vtpote venæ sectio, alicui nihil est melius elleboro: sic aliqui morbi non meliùs quàm præcantatione curantur, id est, fidei constantia, qua se sanare firmiter confidunt. At rursus dices, Cur longe facilius hi sanátur, quàm si quis omnino vulnus negligat nam vbique par est confidentia. Respondemus, quod præcantator nihilominus curat vlcus detergens sordes, nouas telas imponit, & mundas, victum instituit: sed & sic quandoque si malus sit habitus in corpore, ex paruis vulneribus contracta inflammatione pereunt: tutioresque redduntur in magnis vulneribus, quàm paruis ob copiosi sanguinis exitum: quòd ignari videntes admirantur: atque ob id, si ex paruo vulnere alius pereat, cùm magnum breui ac bene sanatum viderint iam, mortis causam in aliud referunt: persuasum habentes, vulnera & vt maiora sunt, sic difficilius sanari: cùm tamen contrarium accidat, vbi de phlegmonis aduentu periculum est. At dubitabis meritò rursum, Nonne medici vulnerarij hoc idem præstant, fidem, curam, ac insuper etiam vnguenta? melius igitur à medico semper quàm à præcantatore curabuntur. Respondemus, plerosque medicos ignaros plus quandoque obesse, quàm iuuare, cùm diuersis, nec certis vtantur auxiliis. Fides etiam illa non adeò est constans de medico, vt de præcantatore. Est autem fidei ratio vt radiorum solis in concauo speculo: nisi ad summum enim deuenerit, effectum nullum parit: est enim vt de gemmis, copiosissima multitudo est earum, quæ probatissimis proximè sunt, deficiunt tamen ab his aliquantisper: perfectissimarum rarus est numerus. Si verò medico erudito & experto quis se committat, tutius agitur. Rursus

cap. 5.

etiam dubitabis; Quid cùm multi hæreant fide, paucissimi tamen frustrantur euentu: non igitur à fide sanitas? Dico raros esse, qui se his, nisi credant, committant: est etiam ratio medelæ talis, vt quæ sine vlla fide prodesse debeat. Nam si quis æris scoriam imponeret, aut vulnus non repurgaret, videres profectò nun[illegible] esse præcantationem: si tamen fides desit ægro, & vulnus mali moris, non curatur. Sed ad quid in horum manibus quisquam se ponet, si non confidat cùm sciat iam medicum eum non esse, sed præcantatorem? Illum igitur cùm accersat vt diuina ope operantem, par est etiam vt totum se illi concredat.

Dictum verò est, etiam in magnorum virorum ortu ac morte apparere prodigia: at nulla Ciceroni in natiuitate, qui adeò extitit clarus, contigisse legimus. Aristoteli verò, qui fuit naturæ miraculum, vt Auerroes inquit, nulla nec in morte, nec in ortu, vt nec Demostheni. Platoni verò nihil tale ante illius obitum accidit. Respondeò in ortu Ciceronis varia apparuisse miracula, referente Plutarcho: primum, quòd sine dolore eum mater pepererit: secundum, quòd nutrix audiuisse vocem ex phantasmate visa sit, dicentis, Pergeret, quoniam magnum Reipublicæ commodum aleret. In morte plura, & non obscura apparuere portenta. Demostheni somnium mortem, & genus eius prænuntiauit: cùm se ab Archia à quo mors illata est, vel mortis causa, superari in theatro vidisset. Non est autem necessarium, hoc, vt in vtroque euidenter appareat, tum maximè, cùm plus homo voce, quàm gestis valet: nam Demosthenes factis ipsis nihil valuit: erat enim timidus: nec Athenarum imperium Romano conferendum fuit, quia somnium Demostheni sufficiat. Aristoteli verò & Platoni cum potentia nulla fuerit, non par fuit quicquam euenire dignum admiratione: euenit tamen Platoni, apum prodigium: credimus & Aristoteli aliqua accidisse, quæ cùm essent forsan minora his quæ Platoni acciderant, ne ex euentu prodigiorum æstimatio virorum penderet, ea voluntariè suppressisse: nam quæ in morte, cùm exul esset, atque in obscuro loco, pauci animaduerterunt, cùm etiam incertum sit qualiter mortuus fuerit. At Nicæ & crasso quòd multa administrarent plura apparuerunt: quorum vt Nicias obseruator sic Crassus contemptor: ambo tamen fermè pari fine occubuerunt: nam non essent prodigia, si vitari possent: nec Deorum, vt illi rebantur, peculiari cura, sed vi siderum, vt diximus, necessariò eueniebant. Sic Iulius Cæsar omnia contempsit, Octauius obseruauit, ambo tamen pari felicitate Rempublicam & orbem occupauerunt.

Plura etiam supersunt consideratione digna, velut de Lamiis, quas mente motas est arbitrandum: vnde nefanda peragunt ob humorum prauitatem: & admiranda vident, ob imaginationem firmam, ac fidem quam de his conceperunt. Equidem illud idem his accidit, quod perditissimis viris: qui in amoribus inebriant, vt consentientes habeant per animi perturbationem

cùm nullis precibus, aut præmiis, vel minis potiri potuerint, potianturque. Et Dux Franciscus Sfortia sapientissimè, cùm non præter ius quenquam occidi iubere videri vellet, conscium & autorem imperatæ cædis vino, vel medicamentis è sensu dimouit, atque sic capite mulctauit: cùm volentem blanditiis libro in carcere detinuisset: spes enim ne propalaret, retinebat: potus inhibuit ne cùm immineret extremum malum, facere posset: sic omnibus satisfactum est. Igitur multa dimouere mentem possunt, variáque per imaginem ostendere: multæ etiam variæque hominibus vires. Ob hoc existimauerunt aliqui, publicas preces vim aliquam habere naturaliter: quod ego non credo, cùm iidem homines per vias etiam secus euagentur, & tamen pluat: nec verbis vim vllam iuxta nostra principia tribuere liceat. In aliis autem causis, forsan ob hoc diuersos homines experiri non malum est. Nam vt quidam mihi notus illatis vel minimis vulneribus, omnes occidebat: sic aliqui minimis auxiliis morbos sanat. Verùm hi rari sunt: nos de communi præcantatione loquimur: cùm præcantatores multi passim, qui tamen sanant videre liceat: homines qui tactu solo sanent nec vbique, nec etiam semper liceat inuenire: sed inter rerum miracula numerantur.

Illud modò tantum dubium superest, cùm ex lippitudinibus hominines contrahant lippitudinem, vt septima Problematum habetur, cur radij ex oculis prodire non creduntur? Respondet Philosophus, affici similitudine, quoniam passiuus est, ac nobilissimus. Quòd si vlterius contendas aliquid diffluere, non resistam: vt videri oculus potest, non vt videt. Existimo verò id fieri ab imaginatione, species tamen & ipsa potest immutare, vt de splēdidis. Clarum est igitur hoc vel non repugnare positis principiis, vel etiam plurimum ad nostram conferre sententiam.

Probl. 4.

Cur verò homines in eculeo dormiant, ex euersione bilis fit: est enim hic animi defectus. Alii non linquuntur animo, & ex deuoratis verbis, in imaginationem pertinaciæ perueniunt. Leuatur etiam, vt dixi, dolor longè magis firmatis spiritibus, quàm contento spiritu: ob id iure raduntur, & spoliantur à tortoribus, auferunt enim imaginationis causam: at hoc in rem iuuat vt fateantur, quanquàm taciturnitas non sit ex incantatione: nihil verò refert, causam vt norint tortores, modò assequantur effectum: velut & in Empiricis medicis, qui persæpe curant, morbi causam auferentes, quam tamen qualis sit, ignorant.

Qui autem canes præcantant in furtis, non magnum quid efficere videntur, cùm multa sint quæ illos obmutescere faciunt, etsi mihi ignota. Dixerat tamen Cirandus quidam, Nicolao referente, quòd si quis oculum lupi dextrum ostendat canibus, illos discedere. Omnes etiam belluas ab eo, qui oculum leonis sub ala gestat, fugere creditum est. Dixit etiam, folium arnoglosæ sub pollice pedis detentum, non permittere vt canes adlatrent. Alij dicunt, obuersis posterioribus caligis antè. Quicquid sit, naturaliter canes vel hominis proprietate, vel aliqua re secum delata obmutescere cogi possunt.

lib. 4. tract. 4. cap. 11.

Receptum est ab antiquis, quòd suffumigium ex ceruino cornu omnia fugat venenata: cuiuscunque etiam ex illis odor arcet, dum cremantur animalia eiusdem generis, araneas araneæ, muscas muscæ, vespas vespæ, hoc enim Auicenna fatetur, ob id non difficile videbitur araneas præcantasse vel muscas. Idem existimat, ad sanguinem hirci in fouea positum concurrere omnes pulices, atque ibi contabescere.

Sed imaginationis vim reuertor, nihil est quòd magis eam declaret quàm morsus canis rabidi: vt enim inquit Princeps in sexta quarti, qui rabiem conceperit imaginatur se canem esse, ideo mordet homines: & cùm inspicit in speculo, existimat se canem videre, & in aqua intestina canis: sed ista possunt referri ad eius sensum corruptum. Quòd verò videant alij in patientis vrina ex pinguedine quadam formas catulis similes, illud iam ostendit imaginationis vim supra humores ipsos dominari. Hoc autem iam, vt dixi, experimentum Auicenna commemorat. Simile igitur in tortis ex firma fide contingere credendum est. Cùm verò multi ex his vel sic cruciatu superētur, ostendit hoc non à diuina vlla vi procedere: ergo in illis impressio tanta fit in spiritibus & sanguine, vt maxima etiam tormenta non sentiant. Indicio autem & hoc sic esse, quoniam non prosunt prudentibus viris hæc: at plus prodesse deberent his, quàm rusticis, & stupidis, si vis vlla esset in artificio.

tract. 4. cap. 7.

Strepitus autem qui in nocte sentiuntur non naturales malum futurum portendunt, vt mihi aliàs, & nunc scribenti nocte præcedente contigit audire, fiunt enim dum expergiscimur anima mouente: est enim velut insomnij species quædam, nam visa in somnio, audita verò vigiliæ magis conueniunt, quòd sonus etiam expergisci nos cogat. Audientes igitur expergiscentes (imaginem enim refert eius, qui per vigiliam audierit) existimant se in vigilia non autem in somno audiuisse. Hæc autem de inconditis vocibus, ac quæ terrorem incutiunt: suaues autem, ac dearticulatæ, non secus ac insomnia iucunda bonæ. Memineris verò quòd in coniunctorum morte, hæc fiunt maximè, & quo modo, nam de his in fine libri de animi immortalitate dictum est. Plura de his referre possem, sed hæc sufficiant. Experimento verò comperi, spirituum historias, quos Folletos vulgus vocat, esse omnes deceptiones: quare tot & tanta dicta sint.

CON

CONTRADICT. VIII.

Pulsus contractio an sentiatur.

cap. 7. Galenus in primo de Pulsuum differentiis inquit, Distentionis primas partes, postremas contractionis sentire non valemus. Quò fit (subiungit) vt quietem quam vocant superam, quæ scilicet succedit distentioni, antecedit verò contractionem, quanta sit ad vnguem scire valeamus. Idem fermè in primo de Pulsibus dignoscendis, cùm inquit, cap. 8. Ostendimus autem quòd distentionis tanta pars non sentitur, quanta inter primum arteriæ impetum & tactum nostrum intercedit: iam verò contractionis tantam partem sentimus, aut paulò minus, quàm ipsius distentionis. In secundo etiam de Præsagio; cap. 2. Ex pulsibus, inquit, externam quidem quitem assequi clarè licet, internam sensu ne obscurè quidem, nedum clarè, sed ratione tantum, cùm vtriusque motus impetum consideraueris: tum præcipuè in his pulsibus, in quibus contractionem ipsam perpendere sensus clare valet. Iam hic videtur fateri contractionem posse nos assequi, quod in primo de Dignoscendis pulsibus, cap. 3. & 4. & fatetur, & docet. Superius verò, si recte rem cōsideras, hæc tria voluit contractionem non sentiri, saltem in postrema parte, nec totam distentionem: quippe non eius initium, nec quietem ipsam quæ contractionem subsequitur. At in primo de Differentiis eorundem, cap. 4. celeritatem & tarditatem in sola distentione, non in contractione considerat: quare non est par ratio ignorantiæ, imò difficillimum videtur quomodo ignoto initio distentionis celeritatem vel tarditatem deprehendere possimus. cap. 1. Est etiam illud consideratione dignum, quòd in secundo de Præcognitione ex pulsibus, docet ex contractionis velocitate & tarditate præcognoscere, cap. 2. quare talis velocitas & tarditas nota est: quòdque magis mirum est, paulò pòst cùm docet præcognoscere ex raritate vel frequentia, dicit, quòd breuitas aut productio vtriusque quietis potest euenire vel ob antecedentis motus breuitatem aut segnitiem, aut subsequentis anticipationem, vel procrastinationem. Si quidem mora distentionis abbreuiet quietem succedentem, caloris natiui indicat copiam: si autem anticipatio contractionis, impuri, & excrementis referti caloris copiam indicat. Si verò distentionis anticipatio rarum efficiat pulsum, refrigeratum indicat calorem innatum: si autem segnities contractionis fumosa, declarat esse excrementa imminuta. In interna verò quiete si producta contractione fiat frequens, excrementa fumosa aucta indicat: si verò ob anticipationem distentionis, auctum naturalem calorem: si verò producto distentionis initio, imminutum innatum calorem: si autem celerem ob contractiorem rarus extiterit pulsus, imminutum externum. Hic quis non videt, omnes illum differentias cognitas præsupponere, tam quietis quàm etiam pulsus seu ictus æqualiter? Respondeo: Cognitio primo duplex est sensu & ratione nobis. Sensu puro possumus distentionis velocitatem cognoscere: contractionis verò velocitatem etiam solo sensu percipimus, sed longe exactiore, experientiæque longa coniuncto. Ob hoc dixit in Introductorio, cap. 4. quòd tyrones debent instrui tanquam sola distentio sensu perciperetur: hæc igitur iam est differentia ex perfectione inter distentionem & contractionem: conuenientia verò ex parte cognoscentis virtutis que est sensus. Eodem modo quies quæ succedit distentioni cognoscitur terminis motuum, quare non nisi sensu à perfectissimo. Ceterùm nullo sensu percipi possunt tempora distentionis contractionisve, aut quietis, quæ contractioni succedit. Ratio patet: nam terminus, seu imum arteriæ, si tangatur, cesset pulsus: duorum igitur terminorum altero incognito, magnitudinem ipsam ignorare necesse est. Porrò intellectu sic assequemur, velocitate motus agnita per sensum, & arteriæ profunditate per extremam compressionem donec motus cesset, tempus quo motus peragitur, imaginatione colligitur: ab exacto sensu etiam contractionis: à mediocri solius distentionis: quoniam hi sensus vt declaratum est, prout perfecti fuerint, alterum aut ambos motus comprehendunt motibus cognitis à perfectissimo sensu, secunda quies, quæ contractioni succedit, ratione percipitur: estque hæc remotior iam omnibus aliis pulsus partibus à nostra cognitione: nam nec omni sensu, nec à perfectissimo absque ratione, nec etiam vel sic à ratione primo impetu colligitur, ergo sic comprehensis differentiis vt exactam tradat notitiam, Galenus in eo loco omnium præcognitionem posuit, quæ tamen in celeritatem & tarditatem distentionis ac contractionis, si quis recte considerat, redigi possunt, nulla imminuta præcognitionis parte. Qua ex causa octo membra iam in quatuor rediguntur: nec indigemus ratione vlla ex parte, quia tempus motuum nequaquam, nec quietem contractioni succedentem præscire cogimur: sed sufficiet ad vtramque celeritatem vel tarditatem dignoscendam exactissimus sensus. Ex his autem manifestum est, dictum Pauli non esse verum, lib. 2. cap. 12. iuxta finem, quòd magnitudo temporis in quiete, vt in iuuenibus, declaret si ad motus tempus conferatur, augumentum caloris innati, nisi in prima: nam si secunda quies, quæ contractioni succedit longa fiat, ob tarditatem distentionis imminutum docet calorem innatum: at forsan tunc eo longius erit tempus distentionis tardante initio & obsequetur breuior altera quies. Quicquid sit, cum de rhythmo loquatur, distentionem, & primam oportet considerare quietem.

CONTRADICT. IX.

In laterali morbo an pulsus inæqualis.

OMni parti nobili, quæ inflammatione laborat, hæc duo eueniunt: vt corpori calorem ac tensionem communicet: ac calor ille in febrem euadit, tensio verò duritiem parit, atque eo maiorem, quo fuerit neruosior pars inflammata. Omnes igitur quos ex inflammatione febris arripuit, pulsum habent durum, ob intemperiem verò arteriarum in vno occursu inæqualem: quæ si ambo coniuncta sint, eueniet serrinus vocatus etiam pulsus: eam enim oportet qui tangit vt imaginem concipiat, vbi inæqualiter durum instrumentum occurrat. Duas enim causas esse docuimus inæqualium pulsuum, facultatis quæ arterias mouet ab humoribus, grauamen, ac exinde imbecillitas, & instrumenti ipsius obstructio, constrictio, pressio, tensióve. Galenus dicebat quarto de causis pulsuum, interceptis verbis ne quicquam addatur inutile. At in quarto de Præcognitione ex pulsibus, inquit: At æqualis est pulsus in tumoribus qui ad costas consistunt omnino, non vt in pulmonis tumoribus inæqualis: neque enim magnis vasis, neque vicinitate propinqua cum corde coniunctus est thorax. Hic primò, ni fallor, clarissima elucet contradictio de inæqualitate: cum maximè etiam reliqui omnes in laterali morbo serrinum pulsum adesse, eumque inæqualem affirmet. Ipse Galenus in Introductorio (postquam nos docuit pulsum lateralis morbi esse celerem, crebrum, durum, mediocriter vehementem: tandem subiungit, inæqualem etiam esse ab initio, eius generis inæqualitate, quæ sub serrino continetur) hæc dicit: Si valida fuerit, cum imbecilli virtute, mortem portendit: si cum integris eius viribus, producit morbum, & ad suppurationem aut empima deducit. Illud etiam difficile est, quomodo membrana, quæ paucos recipit neruos, dicatur esse neruosa: & rursus quid per intemperiem intelligat arteriarum: nam si siccitatem, illa facit duritiem, non inæqualitatem, & similiter calor in eis celeritatem. In quinto etiam de Locis, pulsus parui & duræ ac tensæ arteriæ meminit: inæqualis, aut serrini nullam omnino fecit mentionem. Quin etiam, quod mirum est, dicit: Phlegmonas in membrana duriorem efficere pulsum, in musculis molliorem. Non igitur à neruosa parte durities. Quòd si per intemperiem arteriæ proprium aliquid intelligit, vt siccitatem: quonam pacto sanato morbo, imò & ipso stante, & vt in Introductorio affirmat) pulsus ad mollitiem reuertitur, nam sicca non humescunt, præsertim (vt dicunt) membra quæ à semine vocantur spermatica. Quare cùm inæqualitas duplex sit, ab instrumento, & à virtute, vt dictum est: eius, quæ à virtute, lateralis morbus particeps non est: quam in pulmonis affectibus tamen apertè cernimus. At eius quæ ab instrumento, vnde serrinus, morbus lateralis est particeps: Sunt autem inæqualitatum genera tria principaliter in multis ictibus, & in vno, sed in diuersis arteriæ partibus: tum demum in eadem arteriæ parte, & eodem ictu. Per neruosas verò partes intelligit & membranas, quoniam vilis non constant, vt nerui: oportet tamen neruos adesse, aliter non dolerent. Reliqua meo more alibi discutientur: nam singula si singulis in locis coner declarare, non solum longior euadam, sed cogar repetere: hoc verò relinquamus his, qui videri volunt cùm non sint: nobis copiosa materia disputandi suppetit.

cap. 7.
cap. 3.

cap. 10.

cap. 2. in fine. & in princ.

1. de differentiis pul. c. 9. & 12.

CONTRADICT. X.

In Pulsibus an magnitudo necessario consequitur crebritatem, an omnes differentiæ simul acquirantur in pulsu, an simul amittantur.

COrdis calidi signa inseparabilia sunt, celeritas & frequentia, secundo Medicinalis artis, & paulò pòst in calido & sicco, vbi minus competere videbatur, inquit: Eius sunt signa magnitudo, celeritas, & frequentia. Videtur igitur quòd ex adiuncta siccitate accedat magnitudo, item celeritas cum crebritate, magnitudinem non præsupponere. At superius inter signa cordis sicci non adnumerauit magnitudinem, sed duritiem, quam in primo de causis pulsuum inquit facere paruitatem, non magnitudinem. Ibidem verò dicit: si amplior in corpore calor collectus fuerit, maioribus opus erit pulsibus, atque ideo continuò crebrioribus ac celerioribus. Videntur igitur omnes se consequi, ac potius magnitudinem esse necessariam, quàm reliquas illius differentias. Verùm admirabile est quod subiungitur: Declarauimus autem calori peculiarem esse pulsum magnum & celerem, non autem crebrum, nisi rarò, & casu: quomodo igitur his potest frequentia esse inseparabile signum calidi cordis? Inde etiam pòst, cum de aduentitio calore loquitur, inquit: Cùm calor præter consuetum hominis modum accesserit, pulsus primò maiores fiunt, non autem clarè celeriores: inde si magis augeatur, non solum maiores, sed etiam celeriores aperte fiunt: at si adhuc magis, etiam creber fiet. Hic manifestè ordinem posuit quo frequentia ab omnibus aliis distingueretur: vt intelligamus, eam non simul cum eis sed posterius accedere. Igitur in hac causa multa sunt dubia: verùm quod ab hoc pendet, nunc subiungam: par enim videtur, vt conuerso modo differentiæ oppositæ vel redeant, vel acquirantur: inquit enim; Si frigidius iusto corpus euadat, raritas primo, inde tarditas, vltimo paruitas accedit. At in initio capituli dixerat, cùm perfrigeratus fuerit calor, ac diminutus, initio quidem paruus ac tardus, mox rarus euadit. Quis non videt hæc inuicem pugnare? Nec est dicendum, quòd de naturali intemperie in vno

cap. 21.
cap. 17.

cap. 15.
cap. 1.

c. 3. in princ.

Ibidem in prin.

cap. 4. in fine.

vno loco, in alio de præternaturali loquatur, hoc enim est absurdissimum: nam in fine inquit, Si iusto frigidior factus sit: in initio; Si refrigerata natura, nec etiam dicendum, de reditu eum loqui. Rursus in tertio de Præcognitione ex pulsibus inquit: Si calor abūdauerit paululum sola augebitur magnitudo: sed inter naturalem solum, ac præternaturalem hoc interest: quòd in vno distentio, in altero contractio variatur: quamobrem videtur vtriusque caloris, additi, vel diminuti, eadem esse ratio. At verò pòst non satis videtur constare sibi rursus, cùm agit de febribus: inquit enim. In augmento putridarum atque initio contractionis celeritas plurimum augetur: in statu verò ea permanente ad summum ipsa distentio: in declinatione verò maximè contractionis celeritas dissoluitur. Quare hic duplici modo videtur prioribus contradicere: primò quòd nullam de frequentia rationem habeat, cum in præcedentibus de ea loquatur ad celeritatem comparando: secundò, quòd velit distentionis celeritatem, iuxta calorem externum variari, quod iam in superioribus, & in libro secundo negauerat. Clarum enim esse existimo, quod iam dixerat in tertio libro de Præsagio ex pulsibus, contractionem fieri ad extrudendum halitum superfluum caloris noxij, at verò distentionem refrigerandi causa eum qui nobis est innatus. Oedipo certè tanta confusio indigeret, ob id circa augumenti rationem tres inuentæ sunt opiniones: nam quod ad librum artis medicinalis pertinet, abundè satisfactum puto ex primo de Causis, & secundo de pulsuum præcognitione: quoniam cùm in primo loco inseparabilium meminerit, in secundo autem separabilium, magnitudo inseparabile non potest esse signum calidi cordis, quod à virtutis debilitate, vel instrumenti vitio possit prohiberi. Nam vt in primo de Causis pulsuum habetur, tres sunt pulsuum causæ contentiuæ, virtus, instrumentum, & necessitas: ad magnitudinem verò, vt Galenus inquit, omnes concurrere necesse est, ad crebritatem, vt sic dicam nunc, & celeritatem minimè: ob id calidum cor habet pulsus necessariò veloces ac crebros, non autem magnos. Multò verò minus cor siccum, ac calidum. Sed vt ad institutum reuertar, tres opiniones de varietate inuentæ sunt augumēti: Censent enim Iacobus & Vgo, quòd aucta necessitate, omnes differentiæ necessariò augeantur. Alia verò dicit, quòd omnes equidem differentiæ augentur, verùm plus magnitudo constante virtute, inde celeritas, vltimo frequentia. Tertia verò dicit, quòd aucto naturali calore spiritus multiplicatione, & extensione, sola magnitudo augetur: sed aucta caloris vi per intensionem, necessariò omnes differentiæ maiores efficiuntur: cum verò sententia Galeni his repugnet, rationes primùm validiores expendere in singulis decet opinionibus, demum dicta Galeni conciliare: diu enim ac multa contentione tractata est hæc quæstio. Igitur qui primam tuentur opinionem, dicunt, Melius satisfacit natura cum tribus, quàm cum vna differentia aucta: igitur omnes tres augentur simul. Aliquando etiam sic natura agit, ergo & semper: neque enim est maior ratio de vno, quàm de alio, manigtudine etiam præsente calor est auctus: sed vbi calor, ibi frequentia maior: quia ibi euaporatio fumosa, cuius causa est iuncta constrictio à natura. Igitur à primo ad vltimum magnitudo maior, igitur celerior constrictio, quare etiam celerior dilatatio, vt habetur à Galeno in primo de Pulsuum causis. Adest etiam autoritas Galeni hîc adducta: calidioris ac siccioris cordis signa sunt pulsus durus, magnus, velox, & frequens. At pro altera opinione est, quòd illud primò augetur in necessitate ac magis, quod minus naturam à suo statu dimouet: talis autem est magnitudo. Accedit, quòd verba Galeni hoc declarare videntur. Vltimo, quòd si dantur minima naturalia, in minima necessitate, sufficiet magnitudo quia augumentum necessitatis est per minimum, igitur & magnitudinis: aliter maior erit prouidentia & auxilium, quàm necessitas. Alij verò dicunt, verba Galeni non aliter posse conciliari, nisi per eam distinctionem. Respondeo, hæ opiniones omnino falsæ sunt, & contra Galeni mentem: ipse enim declarat in Introductorio, & in tertio de causis pulsuum, quòd gracilium, vel in Veris tempore, vel post balneum, atque in ipso, tum etiam in gaudio, pulsus sunt magni, minimè celeres vel frequentes, imò moderati, aut etiam tardi vel rari. Sed ad hoc dicitur, quòd istud diceret opinio, quia calor naturalis quantitate auctus est, non autem acutior factus est. Secunda & prima opinio dicerent, quòd demacrati seu exiles habent pulsum maiorem secundum existimationem, non verè: & hæc responsio potest sustineri. Sed ad alias autoritates dicunt, quòd comprehendentibus solam distentionem, pulsus in his sunt tantùm maiores, non tamen comprehendentibus contractionem, quæ est eo minor, quo distentio ipsa maior est. Et sic quod ad introducendos loquitur, cùm etiam idem de somno affirmet, quòd magnum efficiat pulsum cum tarditate & raritate. Sed cùm hoc renouauerit in libro de Causis pulsuum, liquet hanc responsionem non esse veram. Præter hæc docuimus iam, ad raritatis cognitionem pertinere contractionis notitiam: ideo, opinio prima & secunda falsæ sunt. In gaudio etiam non augetur calor, sed solùm expanditur, & tamen pulsus fit magnus. In tertio etiam de causis pulsuum, inquit: Ex moderato cibo pulsus maiores, celebriores, & crebriores euadunt, & tamen calor sola quantitate per cibum augetur. Illud primò est animaduertendum, non idem esse, Pulsum fore crebrum, contractionem esse celerem: tum primò, quòd celeritas tam de contractione, quàm de distentione dicitur, vt in secundo de Præcognitione, & primò, de Differentiis pulsuum clarè ostenditur: sic rarus & creber à quiete vtraque sumunt appellationem. Calor etiam tripliciter augeri dicitur, extensione, qualitate naturali, ac præternaturali. Si igitur calor quantitate sit superauctus, vt in pueris, ac his qui cibum sumpserunt, pulsus maiores, crebriores: atque celeriores fiunt. Si autem qualitate, vt in his qui calido dicuntur

cap. 1.
cap. 7. post med.
cap. 2.
cap. 2.
cap. 3. & c. 2. & 4.
cap. 1.
Quæstio 15. 2. techni.
in expositione loci.
cap. 3. in fine.
cap. 9. & c. 4. 6. & 15.
cap. 16.
cap. 1.
cap. 7.

cuntur esse temperamento, eodem modo secundum omnem differentiam augentur: quare Galenus parem in vtrisque affirmat esse rationem. At si præter naturam calor augeatur, vtraque motus differentia simul augetur cum magnitudine, non tamen fit ob hoc creber: anticipatione enim vtriusque motus, vt in secundo de Pulsuum præcognitione debitæ raritati pulsus restituitur: celer igitur erit, creber nequaquam: natura etenim motuum celeritatem auget, quietem non minuit: nam in motus celeritate, vel rerefrigeratur distendendo, vel expurgatur contrahendo. Sed in abbreuiatione quietis nulla est omnino vtilitas, verùm sola necessitas. Vnde ingruente tanto calore, quòd non possit motuum celeritate extingui, frequentia superadditur, quæ virtutem eneruat, cùm requiem omnem auferat: vnde postmodum sæpenumero mors. At naturalis frequentia vt consueta non affligit, aut parum. Nec credendum est quod quidam dicunt, Galenum hic signa posuisse vehementer calidi siccique cordis: nam cùm inseparabilia calidi connumeraret, crebrum pulsum haud prætermisit. Hoc igitur modo in primo de Spirandi difficultate dixit, Ingruente necessitate spirationem maiorem primò fieri, pòst celeriorem, inde crebriorem. In omnibus autem sic fit, verùm latet ob paruitatem augumenti. Dicendum igitur per hæc ad singula. Cùm enim dixit, non fieri crebros: intelligit, aucto calore præter naturam: hoc enim docuimus. Est tamen frequentia calidi cordis naturaliter signum inseparabile. Autoritas verò ex tertio de Pulsuum præcognitione, sic est intelligenda: Calor præter naturam, vtpote febrilis, ab initio celeriorem habet contractionem, atque ob id propriam retinet raritatem: cùm verò inualuerit, adhuc minuendo quietem creber euadet. Naturalis autem calor auctus celeriorem facit distentionem, ob id decurtat quietem quæ contractionem sequitur, & crebrum efficit pulsum. Cùm etenim distentio magna fuerit refrigerabitur bene calor, vnde lenta contractio sequitur, seu moderata, vnde anticipante distentione, creber euadit necessariò. Apparet igitur cócordia ad vnguem, quamuis subtilitate mirabili minima verò hæc Galenus iam non admittit. An verò semper aucta magnitudine celeritas, & frequentia augeantur? Dicimus quòd non, vt de balneo, & somno, & vere, & gaudio dictum est, sed cùm magnitudo illa solùm caloris vehementiam sequitur. Dicere verò hanc non esse magnitudinem veram, sed solius distentionis, est absurdissimum: cùm in naturaliter affecto corpore redeat eò semper arteria, vnde moueri cœpit. Quatuor igitur hæ omnes differentiæ necessitatis augumenti: aut inter multum ac intensum calorem vna poterat esse sed Galenus eam substulit: omnes igitur tres. Prima, quæ naturali calore: secunda, quæ à præternaturali, tum in principio, tum consistente: tertia verò quæ à magnitudine citra caloris augumentum proficiscitur. Ad id verò quod de febrium varietate adiecimus, propositum est de motu ibi, non de quiete loqui. Quonam pacto vero non aucto calore indigeat homo celeritate distentionis? Respondemus equidem hæc non conuerti. Omnis enim caloris augumentum, seu naturalis, seu præternaturalis, distentionis indiget celeritate: at non vbi distentionis celeritate indegemus, ibi calor est præter naturam. In contractione vevero conuertuntur hæc: quoniam etsi corpus bene valeat, quod tamen extruditur præter naturam est, non autem quòd perfrigeratur, & hæc est diuersitatis ratio.

cap. 2.

cap. 6. in prin. idem decima tertij, tract. 1. c. 20.

Sed de paucitate caloris, tum paruitate, raritate, & tarditate rursus est magna contentio. Quidam enim dicunt, quòd primò paruitas, inde tarditas, inde raritas acquiritur: alij autem, quòd simul hæc omnia: rursus verò alij, quòd primò tarditas, inde raritas, vltimo paruitas: alij quòd primò raritas, pòst tarditas, vltimò paruitas. Qui dicunt paruitatem primò accedere, habent Galeni autoritatem in secundo Artis medicæ, in corde frigido pulsus minores necessariò sunt, non autem tardiores, vel rariores, deperditur etiam celerius, quod difficilius retinetur, cuiusmodi est magnitudo. Qui verò tarditatem dicunt, hoc habent, quòd vtraque celeritas caloris præsupponit magnitudinem: paruitas igitur caloris, de tarditate primò indicat, pòst de cæteris. Qui raritatem, quòd ea vltimo loco in caloris abundantia accedat: igitur cùm necessitas perit, prima remouebitur, vt etiam in cæteris hominum actionibus quæ cum ratione fiunt: solemus enim primò amouere semper quæ vltimò propter necessitatem adiecta sunt. Qui dicunt, quòd omnes simul acquiruntur differentiæ, Galenum secum habent primò de Spirandi difficultate: nam perfrigerato, inquit, calore raritas, & paruitas, & tarditas simul accedunt: quemadmodum aucto magnitudo, celeritas, atque frequentia. Cùm verò hæc ordinem, vt diximus seruent: par est & illa seruare. Sed hic alia contrarietas insurgit: quoniam iam prius dixerat, magnitudinem ac reliqua ordinatim accedere, hic verò omnia simul cùm calor ipse augetur. Responsum est per hæc ad ea quæ nuper dicta sunt: prius enim declarauerat, quòd si sensim calor augeatur: hic verò auctum iam vult, cùm febrem confirmatam esse velit. De incoante verò dixerat cùm calor fuerit imminutus, paruam, deinde tardam, demum raram efficiet: sed paulo quidem minorem, tardiorem multo magis, rariorem autem etiam longe magis. Quo fit, vt ordinem quendam insinuasse videatur. Igitur pro dissoluenda contradictione sciendum est, calorem tripliciter dici debere imminutum: vel naturaliter, vt cùm de frigido corde Galenus loquitur: aut præter naturam, cùm prius existens naturalis à perfrigerante causa, velut in attonito morbo sæpe accidere solet, minuitur, aut cùm prius auctus redit ad pristinum sensim statum, vt in febrium declinationibus. Est etiam differentia quòd prius aliquid inducatur, vel quòd magis. In his igitur primò in quibus reditus fit vt febrientibus raritas, vt cuius contrarium sit minus necessarium, & celerius & magis restauratur: inde tarditas. Vltimum, quod & minus quàm reliqua, vtpote quod non nisi absolutis ex integro restituitur.

cap. 14.

cap. 7. idem decima tertij, tract. 1. c. 10.

cap. 6.

stituitur, est paruitas pristina. Aliquando igitur tota sublata frequentia, & pristina redeunte raritate, celer solum ac magnus remanet pulsus. In fine tamen plus de magnitudine deperditur, quia plus erat acquisitum, cùm æger ad quietem perfectam, vt in periodicis febribus vocatis vel intermittentibus accidere solet, iam deuenerit. At in his qui iusto frigidiores euadunt naturaliter, primò pulsus minores, inde tardiores ac rariores fiunt: quoniam raritas plus tarditate ac paruitate obest. Ob hoc dixit Galenus in secundo Artis medicæ, paruitatem esse necessariam, non raritatem aut tarditatem, ob hoc nec illos audierim satis libenter, qui putant, rarioribus magis ac tardioribus quàm pro paruitate vti posse illos: nam secundum naturam pessimus est qui rarissimus: non enim hoc nisi ab immoderato frigore. At in his, qui ex pristino statu ad frigidum deiiciuntur, vt in morbis attonitis, lethargis, & suffocationibus vteri, raritas & tarditas accedunt, pòst paruitas: vt in quarto de Pulsuum causis meminit. Adiicit verò necessariam esse raritatem vbi morbus frigidus est, si vireus constet: at verò cùm declinauerit, non solùm crebri, sed & celeres fiunt, cùm tamen ad immoderatam peruenerint imbecillitatem, rari admodum euadunt, tuncque iam moriuntur. Discrimen igitur in his, & in eis qui ex calore superfluo ad pristinum redeunt statum, solum est, quòd cum in vtrisque raritas primò adueniat & tarditas: in his non manet, propter imbecillitatem. Contractio etiam non multum variatur, sed plus distentio in perfrigeratis: at contrà in remissionibus. Quod verò dicunt quidam, raritatem esse necessariam ob hoc, quia calor est imminutus non existente perfrigerationis necessitate, nihil est: nam talibus cum parua fuerit distentio breuis est perfrigeratio.

cap. 14.

cap. 14. & 20. & 23.

CONTRADICT. XI.

Pulsus an ab arteriarum virtute, an ab ebullitione sanguinis.

Galenus in libro, An sanguis in arteriis contineatur, duo adducit argumenta, quibus ostendere nititur, illas à virtute eis à corde distributas moueri, non autem à sanguine, vel spiritu immisso: si enim ligetur arteria, quod relinquitur à pulsatione illico cessat: at non par est hoc fieri si à spiritu contento mouerentur, ipsis etiam arteriis sanguinem cõtinentibus impossibile est tam cito spiritum immitti à corde ac tanta vi, vt simul earum extrema, & quod cordi ex eis proximũ est moueantur. Cùm igitur experimentum doceat, moueri illas vno motu omnes, eodemque tempore, constat eas non ex immissis à corde, sed virtute ab eo transmissa solum moueri. Hoc etiam tanquam clarum in libro de Pulsuum vsu esse docuit, inquit enim: Non quia à corde impleantur, ideo mouentur, ac dilatantur arteriæ: sed quia sic agunt, ob id implentur. Cùm verò tres fuerint, vt ibi recitat, opiniones de arteriarum motu, aliquibus existimantibus distentionem ab arteria sponte fieri, quòd etiam in mortuis non conniueat, quemadmodum vena, contractionem verò à virtute: aliis vtrumque à virtute fieri existimantibus, quoniam de contractione ob naturalem figuram quæ cum distentione erat, pateret, de distentione quòd modò maior, modò minor fiat, & quòd modò celerior, modò tardior: aliis, quòd sola distentio: manifestum est, duo hic argumenta sumi, quibus ostendatur, distentionem à virtute fieri, non sponte. Verùm hæc non aduersus illos probant, qui, vt Archigenes, senserunt, distentionem à cordis impulsu fieri. Quatuor enim sunt opiniones de arteriarum motu in distentione: Galeni quòd à virtute: Erasistrati, quòd ab impulsu cordis: aliorum, quòd à natura arteriæ, quæ si tamen illum sponte sibi deposceret: vltima verò Aristotelis, de quo suo loco dicetur. Hoc verò idem tractabat in quarto de Pulsuum differentiis, probans opinionem Herophili, quam etiam Hippocratis esse docuit, libro An sanguis in arteriis contineatur nec non: & Praxagoræ, & Philotimi, quam ipse secutus est Galenus. Quamobrem argumenta quæ pro hac sunt opinione in medium adducam. Iacobus enim non pauca adducit: Nam si aliter, inquit, quàm à virtute mouerentur, cùm nec ab elemẽto dominante, esset motus hic violentus, quare non esset perpetuus, nec principium vitæ: par enim est, eorum quæ per se à natura expetuntur, media etiam per se expeti. Non autem violentam causam ac contingentem, intenti per se finis, tum vitæ esse principium. Vbi etiam magnitudo pulsus, vbi ebullitio magna, ibi igitur vehementia: at magnus pulsus & non vehemens, in lætitia, quarto de Causis pulsuum apparet: quare non ex alio, quàm ex virtute. Videtur etiam ex compositione instrumentorum res sic habere: cor enim omni genere villorum constat, vt in sexto de Partium vsu habetur, arteria verò ex duabus tunicis, quarum exterior, quæ & exilior, longis ac modicè obliquis constat villis: interior, quæ dura, ac quasi exteriori quintupla, transuersis solis. Motus igitur à natura fiunt ac virtute, cùm quemadmodum in aliis ad hæc instrumenta parauerit. Est etiam valida ratio quòd si ex ebullitione fieret distentio, aër attrahi non posset, atque ea de causa non perfrigerari: nam in ebullitione occupatur locus arteriæ, quo fit, vt nihil amplius possit recipere, nedum vt trahat sponte. Liquidò autem constat aërem trahere arterias dum dilatantur. Non etiam videtur differentia inter dilatationem cordis & arteriarum: Cor autem dilatari ab anima haud dubium est, quare etiam & arteriæ ipse. In ebullitione etiam maxima, vehementissimi efficerentur pulsus, cùm tamen contrarium eueniat, non solum in pestilentibus febribus, sed & in aliis morbis, cum ex incendio ad mortem inclinantur. Peculiare verò videtur hoc aduersus eos, qui tenent, cùm cor dilatatur arterias constringi: ac rursus, illis dilatatis coarctari cor. Primùm quòd maior est cordis calor cùm constringitur quàm arteriæ remotissime cùm dilatatur: at verò illa cogitur

In fine.

Post medium.

cap. 2. ante medium.

cap. 3.
cap. 8.

7. anat. aggress. fol. 2.

tur ad dilatationem ob caloris vehementiam, igitur & cor: quare non constringetur. Eadem ratione cùm multò maior sit excessus caloris propioris partis arteriæ cordi, ad maximè distantem, quàm cordis ad propiorem illi partem, liquet arteriis vnà se mouentibus, etiam cor debere cum arteriis moueri. At hoc tamen verum non est, iuxta eos qui ponunt vicissim ac alternatim cor simul atque arterias constringi. Sunt verò & quædam à Thrusiano aduersus se pro Galeno recitata, quæ quoniam in rem faciunt, à me in medium deducuntur. Mirum planè esset, si ab ebullitione fieret pulsus, pulsum æqualem esse, cùm ebullitio res sit adeo varia ac diuersa, tum in diuersis temporibus, tum momento eodem sed partibus tamen diuersis. Præter hæc si dum cor constringitur arteriæ dilatantur, spiritus vel simul in diuersis esset locis, vel quæ sunt cordi proximiores partes celerius, & ante alias quæ remotiores sunt, mouerentur. Esset etiam difficile causam reddere, cur arteriæ non autem venæ moueantur, cùm vtræque sanguine plenæ sint. Si dicas calorem, aut crassitiem obstare, palam est, hæc minorem nonnullam facere ebullitionem: tum maximè, cùm cor frigidum, hepar calidum extiterit: vtriusque enim visceris tum sanguinis in calore exiguum discrimen erit: & tamen venæ nunquam, arteriæ semper pulsabunt. Aristoteles autem in libro de Respiratione hæc habet in contrarium: At pulsatio, quam cor perpetuo facere videtur, ei motioni persimilis esse videtur, quam tubercula cum dolore efficiunt, quòd sanguinis mutatio ea præter naturam sit: ea verò fit, vsquequo sanguis concoctus fuerit ac in pus conuersus. Hæc etiam affectio feruori similis est: fit enim feruor, cùm humor caloris opera inflatur: nam humor propterea sese attollit, quòd in molem assurgat ampliorem. Cæterum quies in tuberculis agitur, si putrefactio ipsa non perspiret, humore crassiusculo reddito: feruor verò residet, si per vasculi labra humor excidat. In ipso autem corde humoris tumor, qui perpetuo ex cibo ei accedit, vltimam eius tunicam eleuando pulsum facit: atque hoc semper absque intermissione fit: nam semper humor ex quo sanguinis natura oritur continuè influit: primum enim in corde ipso gignitur, id quod in prima generatione clarè constat: nam venis nondum distinctis sanguinem habere cernitur. Et ob id iunioribus magis pulsat, quàm senioribus: vtpote quòd iunioribus maior diuaporatio fiat. Quinetiam & venæ omnes simul inter se pulsare solent: quia: omnes ex corde sua initia trahunt: cor autem semper mouet. Quare & illæ semper mouent: & simul inter se cùm illud mouet. Ad hæc faciunt rationes nostræ. Philosophus tertio de Partibus animalium docet, quod & experimentum ostendit, pulsum nullis plantis conuenire, imò nec omnibus animalibus, sed solum his quæ solent spirare. At si sic est, naturalis facultas esse non potest, neque animalis, cùm absque cognitione fiat: non sensitiua, cùm absque sensu. Tribus igitur existentibus tantum animarum generibus, constat nullius animæ esse proprium hanc virtutem, quare nec virtus vlla: sed ex sanguinis ebullitione constat. At si etiam maximè sit, sentientis pars virtutis erit: at quædam sentiunt, quibus nulla vis pulsatilis, vt cancri. Quidam etiam pulsatilem virtutem retinent absque sensu vllo, vt in attonitis, ac etiam resolutis. Accedit quòd pulsus omnes debiles viderentur, qui essent duri: at turbulenti validi simul ac duri sunt, vt Paulus testatur, lib. 2. c. 12. in fine. Hoc autem difficillimum factu videtur: nam si arteria dura est, cum difficultate mouebitur: imaginemque languidi præbebit pulsus: vt enim proportio, ita robur: at si arteria mouetur renitens, modica est proportio, modicáque virtus: dura etiam existente arteria, nec pulsus mollis, nec rursum durus illa molli existente: & tamen talis est eorum qui laterali laborant morbo: vt in quarto De causis pulsuum habetur. Thrusianus opinioni Philosophi fauit, tribus adductus rationibus: prima, quòd semen cùm in vterum effunditur, illico pulsatilem habet vim, arteriam non habet: ab hora enim qua effunditur in vterum, donec generetur fœtus, quamquam formam propriam retineat, pulsat. Non igitur hæc arteriæ virtus. Si etiam per se pulsaret arteria, non video, inquit, cur dilatatio constrictione cordis indigeat: at indiget tamen: non igitur virtus est in ipsa arteria, sed contento. Vltimum est illius argumentum, quòd virtutis nullius functio hæc esse potest: nam si sit, naturalis inquam erit: at naturalis virtus per villos trahit, non vacui ratione, quemadmodum cor & arteriæ: virtutes etiam naturales propter se absque medio agunt: distentio vero ob attactionem aëris, hæc ob refrigerationem, vltimo propter conseruationem temperiei ipsa perfrigeratio accedit, quòd ad nullum trium generum principalium, nec quatuor inseruientium reduci potest. His tot difficultatibus occurrimus primò, quòd Philosophi opinionem nullibi oppugnat Galenus, sed duas priores tantum: scilicet, quòd sponte attollantur, vel ex influente in illas ex corde spiritu, atque sic rationes concludunt: mens autem Philosophi est, vt quemadmodum in corde ob proprium alimentum partes extremæ attollunrur, sic etiam in arteriis: quàm Thrusianus sequitur Lucani carnem adducens:

cap. 8.

cap. 6.

cap. 8.

Dum mouet & hæc calidus spirantia pectora sanguis.

Opinio etiam Galeni sensui proximior est, quamobrem vtraque haud difficulter tueri potest, sunt igitur dissoluenda obiecta. Qui arterias sponte dilatari volunt, quoniam in mortuis sponte parent, non concludunt, quia medio, tunc situ iacent, non autem adeò patentes vt in distentione: nec adeò constrictæ vt in contractione, quia aduerso impetu magis coëunt. Medium autem illis esse situm Galenus in libro de Pulsuum vsu docet, qui sit eis naturalis. Quod verò violentum aliquid in corpore sit, non inconuenit, velut ascensus grauium in nutritione. Principium autem esse non potest, quoniam

quoniam in sanguine est principium vitæ, vbi & motus. Ad hunc autem alium consequi, non naturalem, haud inconuenit: ad loci enim mutationem, quæ à nobis voluntatis imperio fit, elementa grauia cum violentia mouentur. De magnitudine iam dictum est aliàs, quòd quorundam sententia non sit in lætitia, sed in distentione solum: at nos hoc non tuemur. Accidit tamen, vt in pila flatu plena, modo multùm, modo parùm tendi, & ob id etiam validum esse pulsum, aut imbecillem. Villorum verò historia etiam Galeno aduersatur: nam transuersales, quorum quintuplo quàm longitudinalium copia est maior, contrahunt: quare contractio à virtute longè quàm distentio magis erit. Dicendum igitur secundum Philosophum, villos esse non motus causa in membris, quando etiam à virtute ipsa moueri concedantur, sed vt moueri possint commodius: vt contrahi, vel extendi, vel sisti. Aut dicendum erit, quòd non est absonum, quamuis Galeno repugnans, vtrumque motum à virtute fieri tam contractionis, quàm distentionis. Si verò distendantur ab ebullitione, aër secundum partes attrahitur; non eas quæ distenduntur, sed illis proximas: in corde vero petitio est principij illud apud Aristotelis sententiam affirmare: non enim vt patuit, magis arteriæ quàm cor à feruore sanguinis dilatantur. Ebullitio autem non semper causam insequitur, sed & spiritum: quo absumpto, quanquàm incendium ingens subsit, pulsus tamen parui & languidi efficiuntur: non enim potest sanguis sine spiritu subsultare. At quæ de proportione, & calore dicuntur, nullam habent vim. Quomodo verò æqualis sit pulsus, inæqualis ebullitio? si naturalis sit, neutrum horum accidet: quinimò cùm ebullierit vna ex parte sanguis, altera minimè, eodem momento cernes in vtrisque partibus pulsum diuersum, vt Galenus in Introductorio Pulsuum fatetur: quare id erit argumentum potius, non à virtute, quæ vna est, sed ab ebullitione fieri pulsum. Cur verò arteriæ pulsent, non autem venæ? Hoc ideo est, quia ebullitio in eis fit calore immisso à corde: quare parum differunt Galeni opinio & Philosophi. Concedit enim vterque ebullitionem fieri in sanguine, & virtutem qua arteriæ mouentur à corde immitti. Aristoteles tamen ex ebullitione fieri pulsationem, Galenus duas distinctas ponit virtutes: alteram qua mouentur, aliam qua sanguinem calefaciunt. Quæ verò in oppositum deducuntur infirma sunt: nam virtus mouens, vitalis est: de qua aliàs diximus: ob id ab animali distincta, quòd absque cognitione operetur: nec tamen, vt deductum est, naturalis animæ pars est: cuius igitur sensibilis vt visus, neque enim omnia animalia vident, sed perfectissima. Sed quomodo sensitiuæ animæ si non cognoscit? Respondeo, quia non inconuenit quatenus nutritiuæ coniuncta est finis necessitate. De pulsu duro respondet Galenus ibi, duram esse arteriam ob tensionem: non igitur omnis durities à siccitate concedatur: siccitas tamen æqualis, & permanentis duritiei causa est, tensio inæqualis, & non permanentis: vnde serrinus pulsus. Turbulenti pulsus potius apud Galenum vehementis, quàm languidi præbere speciem debent, quoniam sicci atque duri. Hoc tamen in secundo de Pulsuum causis, apertè docuit, duriores pulsus, minores videri: sed nunc de vehementia sermo est, de qua, vt à duritia differt, tum in Introductorio, tum alibi sæpe dictum est. Indigent autem cordis dilatatione arteriæ, vt aliquid recipiant, non vt moueantur, vt Galenus inquit. Sed est fundamentum Geleni in lib. An san. ar. con. diuisa arteria per longum immissáque canula ferrea, ligatísque extremis, cessat pulsus inferioris arteriæ, & tamen transeunte sanguine stat feruor. Diceret Aristoteles, quòd ligamentum reddit eam immobilem.

cap. 9. in fin. — cap. 7. quarti de causis pulsuum. — cap. 10.

CONTRADICT. XII.

Cùm cor constringitur, an arteriæ dilatentur.

IN tertio virtutum naturalium arteriæ à corde aliquid trahunt, quamuis modicum, cùm dilatantur: quare consentaneum est rationi, cor tunc extrudere atque constringi: cùm enim quod dilatatur trahat, quod constringantur expellat: si simul cor dilataretur, traheret, & immitteret in arterias quod sensus non capit. Sed & quarto de Pulsuum differentiis, Erasistratum dixit existimasse, arterias contrario motu, à corde moueri, quòd ab illo impleantur. Et quanquàm dicas, non ob id, vt iam ostendi secundum Galenum, moueri arterias, quòd à corde impleantur: fatetur tamen in libro de Vsu Pulsuum, ob id impleri, quòd moueantur. Quare si sic est, rursus fatendum erit, cùm cor constringitur, arterias dilatari: quæ ad hunc vsque diem communis fuit opinio. Quòd verò in Pulsuum introductorio dicat, quòd cordis & arteriarum est vna pulsandi ratio, principium solùm docuit, non autem temporis metam, aut modum. Quinimò ibidem, dum de pulsu phlegmonem patientium agit, inquit: Si phlegmon magnum, aut in principali corporis parte extiterit, pulsum vndique permutabit: si autem paruum & in neglecta parte, eiusdem tantum partis pulsum variabit. Quam sententiam Auicenna secutus est in secunda primi, cùm dixit, Si varia fuerit laterum temperatura, varij quoque erunt pulsus earum partium, vnde illius contractio ac distentio, non cordis distentionem aut contractionem, sed ipsarum arteriarum sequuntur naturam.

cap. 14. — cap. 2. — cap. 1. — cap. 9. in fin. — doct. 2. c. 8.

Hæc igitur altera opinio est, quòd nulla sit comparatio motuum cordis ad motus arteriæ. Qui tamen tuentur primam opinionem, dicunt, contractionem cordis distentioni arteriarum: & rursus distentionem cordis contractioni arteriarum, dum corpus valet, nec vlla ex parte affectum est, correspondere. Sed neutra harum opinionum vera est: nam Galenus nullam rem melius aut apertius distinxit: siquidem in tertio de Præcognitione, ex pulsibus, cùm cor fuerit imbecille, aut etiam si sit, & arteriæ calidiores, principium

cap. 3.

cipium motus distentionis in vtrisque eodem momento erit: quoniam & virtus ipsa eodem influitur momento, non tamen celeritas, aut magnitudo, aut vehementia pares erunt: sed in corde maiores quandoque quàm in arteriis. Ratio autem ab ipso adducta demonstrat: nam vbi est vnum principium, ibi motus vnus, nam idem diuersum motum efficere nequit. Quamobrem in phlegmone, vel mala temperie, alterius lateris, diuersi erunt pulsus in celeritate, & magnitudine, ac frequentia inuicem: initium tamen distentionis tam pulsuum laterum, quàm cordis eodem fient momento temporis. Ostendit autem hoc Galenus sensu, si quis manum super cor alteram imponat, altera apprehendat pulsum hominis: sentiet enim initium distentionis quantum coniectura assequi valebit, in ambobus vnum esse: cætera omnia plerumque diuersa. Non igitur vnquam contractio cordis dilatationi arteriarum potest correspondere: nec rursus contractio arteriarum dilatationi cordis. Verùm cùm naturaliter dispositum cor fuerit in fine dilatationis attrahentibus arteriis, constrictionem subibit antequam arteriæ perfectè dilatentur. Ob id breuior est cordis distentio, quàm arteriarum. Quare contractio cordis contractionem arteriarum tantò longior est, vt eandem temporis mensuram cor tam quàm arteriæ vna pulsatione adæquent. In eodem igitur tempore tot sunt numero cordis semper, quot arteriarum pulsationes. At video quid dicturus sis: Quorsum igitur tendit secunda vtilitas narrata à Galeno in 7. Anatomicarum aggressionum, de dissecando viuente animali, vt pulsus arteriæ deprehendantur, qualem ad distentionem cordis habeant comparationem? Respondeo, quòd tunc contentio erat inter Erasistratios, & eos qui Hippocratem sequebantur de hoc, in qua oculus dilucidiorem quàm tactus ad conuincendum pertinaces euidentiam poterat ostendere. Sed iam ad institutum reuertor: dicebat igitur Galenus in 3. de Præcognitione, ex pulsibus, si cor imbecille & refrigeratæ arteriæ fuerint, vt in quibusdam lipiriis, tunc initium distentionis in corde celerius erit, quàm in arteriis, quod principium, non eodem momento, motus à corde in arterias descendet. Quinimò, inquit, tunc etiam partes, quæ cordi erunt proximiores arteriarum, remotioribus prius mouebuntur: tum verò celeritates, frequentiæ, magnitudines, vehementiæ, omnia inæqualia, atque diuersa, non solùm in ipsis arteriis ad cor comparatis, sed etiam inter se. At dices, Quomodo dilatato corde occluditur arteria magna, hoc enim necesse est euenire, si cor vacui necessitate trahere debet? Respondeo: Quanquàm claudantur membranulæ illæ versus interiorem cordis partem, cùm tamen dilatatur à fibris, contrahuntur, atque dilatantur, donec os cordis occludant: in extremo autem, cùm nimium dilatatur, effluit, trahentibus illis in arterias spiritus: sed arteria venalis & ipsa, cùm cor dilatatur, aperitur, iuxta omnium sententiam. Melius igitur erit, vt existimemus, arterias etiam reliquas omnes cum Galeno idem habere distentionis principium: quod si reliqui cogitassent, non in tam absurdum errorem deuenissent.

in fol. vlt.

6 de vsu par. c. 16.

CONTRADICT. XIII.

Hepar calidum an consistente ætate, bilem nigram generet.

GAlenus in secundo Artis Medicæ inter signa calidi hepatis connumerat generationem flauæ bilis, & ætate iam consistente atræ: inferius verò dum de ficciore agit bilis, non facit mentionem: vnde plus caliditatem, quàm siccitatem ad eius generationem facere vult. Sed tamen hic tres videntur esse contradictiones. Prima, quòd in de Atra bile rubeam, non flauam ponit bilem, quæ sit naturalis maximè quòd sanguini proximior sit, hoc solo differens, quòd non concrescat: quanquàm rubeam in primo de Humana natura præternaturalem esse velit: flauam, vt hic, & pallidam naturalem. In lib. etiam 2. de Dinamidiis, & in libro de Spermate adulterino, & in libro de ordine cuiuscunque corporis, rubram bilem naturalem esse vult. Princeps etiam rubeam bilem distinguit in naturalem, & non naturalem: flauæ nullam facit mentionem: aut si citrinam per eam intelligit, sub non naturali eam collocat, vt etiam vitellinam. Altera contradictio est, quòd tertia Aphorismorum inquit Galenus super illud ætate consistentibus phrenitides & ardores, hi morbi ex flaua bile, quæ ea ætate generatur, fiunt: non igitur atra. Tertia est, quòd bilis maximè fit à siccitate, tertia Aphorismorum: de calore nulla ratio habetur. In quarta Aphorismorum etiam dixit, in æstate fieri flauam bilem: quare calor & siccitas adiuuant in generatione bilis. Plus tamen calor in naturali, cùm sit bilis rubra sanguinis spuma: in præternaturali quæ phrenitides facere parata est, immodica siccitas vel cum calore iuncta. Cùm ruffam vocat bilem, spumam sanguinis intelligit, quæ humor est potentia non actu: cùm flauam, quicquid secundum naturam in vesica bilis continetur. Ob id quarta Aphorismorum inquit: Ruffa bilis ab aliis flaua dicta: sunt enim subiecto vnum: colore, & loco, & essentia diuersa. Quanquam multum etiam intersit inter Rubrum & Ruffum: vt vel sit per ruffam, flauam exquisitè, nullo modo rubram intelligere liceat.

cap. 31. *cap. 33.* *cap 2.* *c 6. & 35.* *cap. 1.* *cap 5.* *cap. 1.* *prima primi doc. 4. c. 1.* *aphor 30.* *7. & 16.* *aphor. 4.* *24. aphor.*

Sed adhuc difficultas est, quoniam Galenus flauam bilem in secundo de Temperamentis in ventriculo præter naturam constituit. Respondeo: Non omnis flaua bilis naturalis est: omnis tamen naturalis, quæ extra sanguinem est, flaua est, aut pallida: quare non conuertuntur. Vel dicamus, illis ex vesica fellis in ventriculum confluere. Cæterum Auicenna censet, vt illi emendarunt, à calore fieri bilem naturalem moderato: à sicco autem præternaturalem. Haliabbas existimat bilem rubeam esse naturalem, cuius colos sit clarus, & substantia subtilis. Cùm igitur ipse Galenum sequatur, quantum

cap 6. ante medium. *prima primi doc. 4. c. 1.* *lib. 1. theor. cap. 25.*

quantum sibi licet, manifestum est Auicennam à Galeno non re, sed nomine solo dissidere. Cùm verò dicitur, quòd in ætate consistente bilis flaua generatur, concedendum est: nec hoc prohibet, quin etiam atra generetur. Igitur atræ bilis generatio naturalis erit, dabitúrque quintus humor. Hoc aliàs discutiendum: nunc sufficiat declarasse, citrinam bilem vocatam ab Auicenna, non esse flauam Galeni, sed pallidam: at pallida naturalis est, quamuis pituitæ permixta: verum de hoc aliàs.

CONTRADICT. XIV.

Pituita an in iecore generetur.

FRigidioris autem iecoris venarum angustia, pituita abundantior, secundo Artis medicæ: & Auicenna in prima primi, cùm dixit, quòd illud quod concoctionem subterfugit, est pituita. In oppositum est Galeni sententia, in lib. de Atra bile, dicentis: Declaratum est pituitosum humorem ex pituitosis cibis in prima ventriculi concoctione generari, vti biliosum & melancholicum in iecinore. Et rursus idem quinto de Vsu, & in secundo Virtutum naturalium concedit: Addens etiam illam in intestinis, non solum in ventriculo generari: videtur & ratio huius reddi in tertio Virtutum naturalium: Ventriculus, inquit, cùm cibos assumpserit antequam distribuat concoquit, vescitúrque eorum optima parte, demum emittit in intestina. Igitur si nutritur ventriculus interiore parte à cibo, & non nisi ab humore, igitur ventriculus humorem generat, & non nisi pituitam. Adducunt quidam rationem aliam: Homo non potest esse sine quatuor humoribus: sed pituita fit à concoctione diminuta in iecore: igitur dato cibo pauco, & calido, & subtili, totus perfectè concoquetur: igitur nulla erit tunc pituitæ generatio. Assumpta propositio ex Hippocratis in primo de Humana natura, dicentis: Si quis humorum penitus deficiat, protinus anima interibit: quod & in secundo de Elementis, testatur Galenus. Sed cur ergo dixit in tertio Virtutum naturalium: Deficiente alimento serosa superfluitas à iecore trahitur, non solum biliosa, sed etiam pituitosa. Et in secundo Regiminis acutorum: Pituita fit cùm sanguis semicoctus euadit. Non est autem obscurum, sanguinem in iecore & venis generari. Conciliator tenuit illam potius in iecore generari, adductus hoc argumento, quòd humores omnes vnum instrumentum & agens habere debent. Quod verò ventriculo generatur est imperfecta pituita, quia Auicenna palam confessus pituitam in iecore generari: inquit tamen & plurimum quod in ventriculo generatur, est Pituita: igitur intelligit per eam chili, vt dicunt, substantiam, aliúdque pituitæ genus. Sed hæc expositio non est sufficiens, quia subiungit, Quoniam chilus est propinquæ naturæ ipsi pituitæ. Igitur aliud vult esse pituitam ab ipso chilo. Adducitur alia ratio à quibusdam pro opinione contraria, contingit hepar generare prauam pituitam, sicut & bilem, si pituita in hepate generetur: igitur necessarium erit vas recipiens, vt in vesica vrinæ, fellis, & lienis: sed non datur secundo Virtutum naturalium cap. 9. igitur non ibi potest generari. Ideo hi tenent pituitam generari in ventriculo, secundum Galeni sententiam. Respondent autem præsenti autoritati, quòd multiplicatur ob id, quia parum de ea in sanguinem conuertitur: à iecore frigido existente. Dico, ista opinio potest defendi ad mentem Galeni: possumus tamen hoc adducere fundamentum aduersus illam, Omnis pituita transit per iecur, & iecur est agens naturale, igitur agit in illam: & forma quam introducit iecur, manet in ea dum est in venis, igitur pituita quæ est in venis in iecore generatur. Melius est ergo dicere, quòd pituita habet duas formas, sicut diximus de vtraque bile, & hæc est vera opinio Galeni, alteram prout est humor extra venas, & sic generatur in ventriculo, & nutrit eum, sicut nigra bilis splenem, & flaua suam vesicam, & sic trium humorum sunt tria vasa, & ventriculus erit conceptaculum & lacuna pituitæ. Aliud genus pituitæ est humor perfectus, & hic generatur in iecore cum aliis: & sic stat mens Principis, & Galeni, & veritas: non differt igitur pituita ab aliis humoribus, nisi quia in aliis quod est extra venas in conceptaculis fit ex eo quod est in venis: at in pituita genus quod est in venis, fit ex eo quod in conceptaculis. Cùm verò dicitur, contingit peccare iecur: dico, quòd tunc in bilem, vel melancholicum humorem transibit, & quòd vasa non sunt ordinata propter peccatum naturæ, sed vtraque bilis generatur vtilitate naturæ. Alia quoque ratio non procedit, quia pariter probabo, quòd non generabitur bilis, dato frigidissimo alimento, sed tamen non carebit pituita ob hoc animal aut bile. Si tamen pergas eodum vt careat morietur.

cap. 12. | dec. 4. c. 2. | post princ. | cap. 1. | cap. 4. | cap. 9. in fin. | cap. 13. in fin. | ibid. post prin. | t. c. 41. | c. 13. in princ. | com. 30. | Differ. 29. in fine. | 15. 3. tract. 1. cap. 16.

CONTRADICT. XV.

Hepar frigidum habentes an febribus obnoxij.

QVando sanguis in iecore frigido fuerit aquosus & subtilis, & virtus eius debilis, tunc incurret frequenter febres, dicebat Princeps quartadecima tertij tract. 1. cap. 6. sed prima quarti cap. 2. ad vnguem habetur oppositum: & octauo cap. 8. Artis curatiuæ cum connumerat corpora ad febres parata. Iacobus existimat, quòd hoc fit per accidens, non ex natura temperiei: nam sic sublata coctione humores crudi generantur, ex quibus fit obstructio, vnde tales in pituitosas febres incidunt. Dicunt alij etiam, quòd Galenus ibi ponit ordinem paratorum ad febres per ieiunium, famem, & exercitium, causásque ephimeram producentes: at quòd frigiditas iecoris cum his est causa per se. Dico igitur, corpora sunt duobus modis parata ad febres: vel ratione


subiecti recipientis, & sic calida & sicca, & calida & humida. Alio modo ratione putredinis, & sic videtur mihi expressisse Auicenna omnem causam putredinis in illo loco: nam debilitas iecoris facit, vt crudi humores, & putredini apti, generentur: frigiditas addit super hoc, & etiam facit angustiam venarum, quare erunt in perpetuis obstructionibus: subtilitas sanguinis facit vt facilius corrumpatur: quare ex naturalibus dispositionibus hæc erit omnium paratissima ad febres putridas. Causa autem faciens febrem rarò deest: quia calor naturalis validus non præparat ad putredinem, sed potius resistit: & ideo non valet à naturali temperie ad præternaturalem, nec à temperatura iecoris ad totius corporis naturalem constitutionem.



TRACTATVS TERTIVS.

CONTRADICT. I.

Humor syncerus an detur.



HVMOR syncerus in corpore non datur, sed vt ait Hippocrates, omnia in omnibus continentur. Quin etiam in venis ipsis aëris modicum, sexto de Vsu partium. Et ideo dicebat in primo de Elementis, quòd omnia in nobis permixta sunt, vt nequeas vnquam quod purum sit secernere. Sed in secundo de Crisibus & quarta Aphorismorum, docet tertianam puram ac quartanam esse, quæ à syncero fiat humore. Clarius in libro de Morborum differentiis, docet tumores plerumque à mixtis humoribus fieri, nonnunquam tamen à synceris. Solet dici, quòd exquisitè syncerus non datur, sed qui modicam habet permixtionem, hic pro syncero apud medicos habetur. Sed huiusmodi responsio vera non est: tum quia medicus artifex est sensitiuus, & quæ nullo sensu percipi possunt, ac si non essent, habet: igitur mixtio hæc non sensibilis, licet apud Philosophum admittatur, apud medicum nulla est: nec etiam autoritas Galeni in secundo Prognosticorum eam admittit: docet enim duo esse genera humoris synceri, quorum vtrumque malum sit, & quod nullam habet admixtionem, & quod valde exiguam: & dat exemplum de vitellina quæ est syncera, & ea quæ habet pallidiorem colorem. Ideo dico, quòd generaliter omnia permixta sunt in corpore nostro: accidit tamen ex opere naturæ, vt aliquid secernatur, quod nihil habeat sensibile admixtum, & hoc syncerum exquisitissimè apud medicum est. Est & syncerum quod minimam habet mixtionem, sensu tamen perceptibilem. In libro igitur de elementis vt Philosophus, non vt medicus loquitur.

cap. 16. *fol. 5.* *cap. 3. & 4.* *aphor. 59.* *cap. 12.* *com. 38.*

CONTRADICT. II.

Motus Anhelitus, an voluntarius.

TRes fuerunt opiniones de anhelitus virtute: prima, quòd à voluntate: secunda, quòd à natura: tertia, quòd ab vtraque virtute: & huius quæstionis disputatio potius dialectica est quàm medica, libro de Motibus manifestis inquit Galenus: hoc interpretabatur in libello de Voce & anhelitu, sic quòd non esset virtus composita, sed quasi media. Idem etiam in initio libri dixerat, scilicet quòd iudicio suo non est media virtus, nec naturalis, sed voluntaria. Adducit autem ad hoc tres rationes: Prima est, fit suffragantibus musculis, & musculi mouentur à voluntate, igitur anhelitus à voluntate pendet. Docet hoc autem ex vulneribus quæ in spina fiunt, quorum quædam magnam partem auferunt respirationis: totam non possunt, propter neruos qui ex cerebro per internam progredientes partem septo immiscentur. Altera, Vox est voluntati subiecta, at vox præsupponit anhelitum, igitur & anhelitum parère oportet voluntatis imperio. Tertia quòd anhelamus cùm volumus, & retinemus, & augemus: igitur manifestum est, quòd sit subiectus voluntatis arbitrio. Solet addi, quòd nisi esset voluntaria actio, in attonitis morbis nusquam concideret. Hanc de Galeni sententia opinionem habet Auerroës in secundo Collectaneorum: adducit tamen duo aduersus illam fundamenta: Primum, quòd per somnum cùm nihil desideramus, respiramus: Alterum, quòd anhelitus pulsui est proportionalis, & non minus per illum, quàm per pulsum Galenus, iudicabat Hippocrates: pulsus autem naturalis est, ideo & anhelitus. Subiungit propter id, quòd sibi magis arridet opinio, quæ dicit, quòd est motus medius, seu compositus. Sed quod etiam verisimilius est, vt sit ex toto naturalis, quia ex toto illam operationem delere in nobis nequimus: teste vel ipso Galeno Aphorismorum tertia particula: verùm intelligit Galenus diu, & absque vitæ iactura ipsa: Auicenna vero inquit: Anhelitus ex duobus motibus componitur, estque voluntarius: at pulsus est naturalis, purus. Ex quo Conciliator,

cap. 1. tract. 4. *tract. 1.* *cap. 19 in princ. lib.* *aphor. 21. decima tertij* *tr. 1. c. 7.* *Differ. 99. in append.*

liator, qui illum sequitur, determinat, anhelitum ex duabus constare virtutibus, Voluntaria ac Naturali. Gentilis tamen videtur sentire, quòd sit à voluntate ex toto in expositione textus. Hanc difficultatem ad vnguem longa verborum serie tractat Galenus in 2. de Musculorum motu, hæc habens: (nam priores autoritates, quæ illi tribuuntur, alterius autoris esse potius creduntur, quàm Galeni) Quatuor sunt hominum genera, quæ reprehensione digna sunt: Primum, quòd sensus est expers, euidentibus abrogans fidē: secundum, temerarium, quòd de dubiis rebus audacter pronuntiat: tertium est eorum, qui dubitationibus delectantur, cùm clara propter obscura suspecta habent: quartum est stultorum, qui clara propter obscura euertunt. Clarum igitur esse existimat, quòd anhelitus à voluntate fiat his duobus argumentis: quòd seruus barbarus ira percitus, adeò animam continuit, vt expiraret: alterum, quod iam tertio loco pro eadem opinione recitatum est, cùm (inquit) pulsui neque moderari, nec imperare vlla ex parte possimus. Respondet verò Auerrois argumen. 1. tribus modis, quòd etiam loquimur per somnum, & ambulamus, de seipso exemplum afferens, quòd stadium esset iam prætergressus, vlterius processurus dormiens, ni in lapidem impegisset: quare nil mirum & respirare nos, cùm etiam moueamur & loquamur. Secundò, quòd virtus aliqua in somno nobis relinquitur sentiendi, aliter nec lumen, nec vox, nec concussio nos possent excitare. Vltimò, quòd quæ parum aduertimus, etsi à voluntate fiant, præter voluntatem facta reputantur: exemplum adducens de phrenetico, qui dum Romæ ægrotaret, Athenis se esse existimabat: liberatus verò à morbo, eorum quæ locutus fuerat, atque peregerat, non meminit.

Superest vt alteri argumento respondeamus, cùm causæ anhelitus tres sint, vt à Galeno habetur, è quibus vna est Necessitas, altera Instrumentum, tertia Voluntaria facultas, nam & hoc ille explicat, cùm parum nobis considerantibus res procedit, pro necessitate variatur anhelitus: quare non adeò illi, vt pulsui, tutum est confidere: variatur enim nobis cogitantibus: quare anhelitus ob duas causas, instrumentum & necessitatem, iudicium de homine præbet: affert & aliquid ad virtutis cognitionem, cùm inualida fuerit. At verò pulsus omnia nobis exquisitius refert. Quòd verò dicat Auerroës, argumentum Galeni non demonstrare, satis apertum est, non esse eandem rationem de neruis qui sub arteriis sunt soporariis, & de musculis, qui respirationi inseruiunt: nec illud fuisse Galeni principale argumentum. Accedit igitur etiam ad declarationē opinionis Galeni quòd cùm voluntatis imperio facultas subiiciatur, voluntariam ex parte eam fateri necesse est. At verò quòd mixta sit, nemo dicere potest, nisi duo principia vnius operationis constituamus. Cur verò contineri quandoque non possit, quid mirum? inquit Galenus: cùm nec acuta excrementa, plerumque volentibus nobis. Non existimo tamen hanc quæstionem esse admodum necessariam medico, nam tractatum de motibus manifestis, ad Galenum ego sæpius retuli. Vnum superest, quod si Auerroës ostendere posset, Pulmonem ex se, non à pectore moueri, magna relinqueretur difficultas.

in libello de causis respi-rat.

CONTRADICT. III.

Arteria venalis an moueatur.

Arteria venalis exilis facta est, quoniam in pulmonis dilatatione constrictionéque necessarium erat eam vtrisque vicissitudinibus agi: venæ autem cùm motu non incitarentur crassiores euaserunt, sexto de Vsu partium, cap. 10. ante medium. Oppositum habetur in 7. eiusdem cap. 9. Leues arteriæ nusquam dilatantur vt asperæ: nam si in mortuo animali inflentur, asperæ quidem arteriæ, ac pulmo ipse dilitabuntur, leues nequaquam. Respondeo: primum dictum est, quòd dilatantur, & si non multum, venæ enim nullo modo dilatantur quæ sunt in pulmone. Cùm autem dicit, non dilatari, vehementer intellige, leues arterias quemadmodum asperas. Sed videtur hæc ratio naturæ arteriarum generali obstare: namque cùm ipsæ perpetuò moueantur, par erat tenues debere creari, non crassas: nisi esset quòd in generali ratione motus, non necessarium erat tantum attolli. At cùm per leues pulmonis arterias spiritus feratur, si duræ fuissent, naturaliter animal, vel saltem quacunque leui ex causa spirandi difficultate laborasset. Ob id igitur tenuis arteria in pulmone solo, non in alia corporis parte ab opifice rerum omnium creata est.

CONTRADICT. IV.

In lacte quot partes sint.

Lactis duæ sunt partes, Cerosa, & Carealis: secundo de elementis, & in primo de Naturalibus facultatibus. Oppositum verò in libro de Cibis boni & mali succi, & 10. de Simplicibus medicamentis cum de lacte agit: Tres, inquit, partes in lacte sunt, serosa, butyrosa, casealis. Idem Paulus libro septimo, & Aetius libro secundo, quamuis sparsim. Auicenna verò in secundo libro dum de eo agit, tres partes ei ascribit in initio capituli, sed infrà innuit de quarta: nisi per colostram lac concretum, quod à partu continuò mulgetur intelligas, quod Aetius Pyriethon vocat, seu Pyriephthon. Videtur solutio de colostra, seu recocta, ex Serapione pendere: hic enim dum de eo in simplicium historia loquitur inquit, Lac autem vaccæ ob pinguedinem recoctam habet: quare videntur reliqua genera illa carere, trésque tantum habere partes. Plinius lib. 11. cap. 41. id sentire visus est, cùm dixit, apud Barbaros densari in aliam substantiam acidi saporis atque iucundi, quàm sit caseus, butyrum quoque illos extrahere: verùm & olei in-esse

cap. 15.
cap 3.
cap 96. 101. & 104.
cap 442.
cap 99.
cap. 457.

esse vim ei contendit. Igitur tres tantum partes erunt cæteris, quatuor vaccino. In primo de facultatibus naturalibus, ac libro de Elementis, id solùm erat propositum ostendere lac esse compositum: ad quod sufficit declarandum docere duas saltem illi inesse partes, etiam si mille fuissent.

CONTRADICT. V.

Sanguis ipse ex quot partibus constet.

HVius igitur occasione dubitauit Trusianus vir acutus, quotnam in sanguine ipso partes essent: nam ex hoc tres solùm etiam serosa adiecta superfluitate, esse videntur: quoniam ex sanguine lac ipsum gignitur, nulla prorsus amissa parte. Rursus in dissectione detracti sanguinis, non plures esse videntur: nam cerosa superfluitas, & spumosa, & reliqua substantia in vnum concretæ apparent: & huic opinioni subscribere videtur Auerroës cap. 9. in expositione canticæ Micenæ. Accedit, quòd etiam in vrina hoc fermè conspicitur: nam ibi spuma, & vrina, & hypostasis vocata. Ex secundo verò de Febrium differentiis etiam videntur tantum duæ, nam in crassam & subtilem secernitur cùm putrescit, partem. Prima etiam Aphorismorum cùm enumerasset sanguinem, & bilem, & pituitam, ac atram bilem, de serosa aqueáque superfluitate sermonem habet, tanquam illa in venis contineatur: quare duo tantùm in venis erunt. Secundo verò de Facultatibus naturalibus, tres tantùm partes innuit, quemadmodum & Trusianus: accidit enim vt in musto, inquit, quòd partes duæ excrementitiæ resecentur, altera subtilis, altera crassa. Palàm verò est, quatuor esse secundo de Elementis, quod tribus rationibus ostenditur. Prima, quòd in medicamento excernente totidem apparent. Sed tunc loquitur, vt aliàs diximus, de humoribus in actu, non qui in sanguine continentur. Firmior est alia ratio, atque vnica, quòd membra sunt quatuor modorum, seu quadruplicis naturæ: sanguinea, vt iecur: Melancholica, vt os & splen: Pituitosa, vt cerebrum: & Biliosa, vt cor. Oportet igitur & sanguinem, ex quo nutritio fit, totidem habere partes. Sed hæc ratio non omninò tuta est, cùm possit cor ali etiam sanguine arteriali, & si quid aliud tale est. Verùm videmus & vesicam fellis nutriri bile contenta in ipsa, & sic sufficiet humor extra venas contentus, cum sanguine pro diuersitate membrorum: vesica etiam fellis non videtur similis temperaturæ cum bile. Ratio alia sumebatur ex libro de Atra bile, cùm dixit, quòd si erisipelas fit, aut tumor alterius generis, necesse est humorem in venis consimilis naturæ contineri: quod solum declarat Galenum censuisse potentia talem præfuisse: at etiam quòd omnino quatuor sint, hoc exquisitè declarat: non tamen ostendit quæsitum. Sufficiat igitur Rhetorica persuasio, quòd totidem sint elementa in mundo actu & in mixto potentia: sic humores actu quatuor, in toto corpore, & in sanguine in potentia. Sed videntur potius quinque serosa parte connumerata, vt etiam ibi: nisi esset quòd Galenus in 5. de Vsu partium docet, quòd corpore bene disposito, nulla est prorsus serosa pars in sanguine: in lacte autem & sanguine detracto, latet pars tertia, quæ est pituita, cùm non alterius sit substantiæ, aut coloris, etiam ab exquisito sanguine. Quatuor igitur, etiam præter aqueam, partes in sanguine sunt: potentia dum est in venis, actu cum extra illas. Nam illud adiecisse par fuerit, humorem fieri actu, cùm sanguis extra venas est: at si in venis actu humor extiterit, purgatione indiget, non venæ sectione: conuenit autem venæ sectio ne alius accedat, & ex ebullitione superaugeatur. Prima igitur pars est, quæ in supremo spuma, ima melancholiæ, media sanguinis & pituitæ. His omnibus in vnum concretis in morbosa dispositione, circunfunditur aquea cerosa substantia: in lacte verò biliosa absumitur ad nutritionem mammarum, quòd spongiosa sit caro, ex parte tamen, pars & melancholiæ. Pinguissimum in butyrum transit, quod tres complectitur partes: bilis residuum & purum, & imperfectum sanguinem. Caseus crassiorem sanguinis partem & melancholicam. Qui recocta secernunt, pituitosam auferunt partem. Venetiis qui caput seligunt lactis vocatum spumam, & subtiliorem sanguinis partem colligunt: igneam & aëream substantiam. Quare non de separatione quæ fieri potest, quæ adeo multiplex est, vt numerum vix habeat in lacte, sed de ea quæ fieri solet, Galenus locutus est. Cæterum vrina aliam habet rationem, de qua suo loco dicetur. Cùm igitur corrumpitur sanguis, quod subtile est sanguinis, tum aqueum cum bile consentit permixtione facta: pituita & portio sanguinis crassior cum melancholia.

1. Artis med. com 44.

in parte curatiua, com. 68.

Aphor. 2.

cap 14.

lib 1. tract 4. cap. 5.

prima primi doc. 2. c. 2.

cap. 4.

cap. 6.

cap. 6.

CONTRADICT. VI.

Humores potentiáne an actu calidi vel sicci.

RVfa bilis facultate calida est, atque sicca: nigra autem frigida, & sicca: sanguis calidus, & humidus: pituita frigida, & humida: in libello de Morborum causis. Dixerat verò & antea, quòd de horum humorum potestate sic antiqui senserant. At primo & secundo de Temperamentis, dum quæ talia sunt actu enumerat, humores ipsos adiicit: sunt igitur humores non facultate tantum, sed actu tales. Accedit ratio: nam quomodo esset sanguinis natura calefaciens corpus, deferensque calorem influentem, si potentia solum esset calidus. Hanc quidem contradictionem mouit Rabbi Moyses in suis Aphorismis. Sed iam humorem sanè quemcunque duplici modo talem dici posse palam est, cùm bilis humida etiam vocetur: actu enim talis, potentia autem sicca. Vtrum igitur horum habet humor, an actum, an potentiam? Qui in venis continetur, potentia solum talis est, quia sub sanguinis forma:

cap. 6.

cap. 9.

cap. 6.

par. 15 aphor. 30.

forma: qui verò extrà, etiam actu. De illis igitur sermo est in libello de Morborum causis, at de his in primo de Temperamentis. Constat igitur omnia quæ ibi recenset membra, vt cor, iecur, lien, ventriculus, ossa, caro, talia esse: non quidem natura, nec sua sponte, sed ob influentem calorem: nam tactu ea docet primò cognoscere: at tactus calorem agnoscit compositum ex influente, & innato. Comparat etiam illa ad cutim, quæ temperata est cum influente calore, non ex se. In tertio etiam libro testatur se locutum de temperatura membrorum, quæ illis actu inest: pòst autem de facultatibus. Quo fit, vt vel Auicenna non aliter de membris loquatur, aut si propriam membrorum naturam exponere se putat, decipitur. Quòd si dicas, Auerroës & Galenus calidam carnem statuere videntur, quæ tamen sic frigida est, cùm sit grauis. Respondeo: Auerroës dixit superesse pelagus difficultatum: hæc autem iuxta aliorum mentem scripsisse. Galenus verò non dixit, carnem esse calidam, sed boni alimenti: est autem calida comparatione ciborum qui sumuntur ex partibus animalis, non simpliciter, multo minus ad oleum comparata. Philosophus igitur, secundo de Partibus animalium, dixit, sanguinem esse calidum & humidum, velut dicimus, hominem album esse album, non tamen vt sanguis est. Ideo illis tribuit duplicem naturam, propriam qua bilis humida est & frigida, & sanguis frigidus & siccus: aliam ex influente, qua humores tales actu sunt. Hippocrates quoque in libro de Corde, inquit, Sanguis non natura calidus est; sed velut aqua concordans Philosopho.

cap. 1. — *prima primi doc. 3. c. 2.* — *2. col. 2.* — *3. de alim. c. 1.* — *cap. 3.* — *in fine.*

CONTRADICT. VII.

Calida temperies testiculorum an fœcunda.

CAlida temperies testiculorum fœcunda est, & masculorum generatrix: idem de calida & sicca, secundo Artis medicæ: sic etiam legebant Aëtius, Paulus, & Auicenna. Sed oppositum habetur à Galeno in quinta Aphorismorum, cùm dixit, Hippocratem in textu sequens, Temperata fœcunda est, intemperatæ infœcundæ: vel etiam si similibus iungantur steriles. Nam quod Hippocrates de vteris dixerat, Galenus verat etiam de testiculis. Haliabbas in primo Theoricæ, & Trusianus & Iacobus iuxta antiquam versionem legebant, Fœcunda in masculorum generatione: vt fœcundum non absolutè intelligeretur. Sed repetitio, & aliorum autoritas refragatur, tum Græca lectio, quæ sic habetur: ἡ θερμοτέρα δὲ καὶ ξηροτέρα, παχυσπερματάτη τὲ ἐςὶ καὶ γονιμωτάτη. Calidior autem, ac siccior, crassissimi seminis, & fœcundissima. Dixit Iacobus, fœcundam esse, quia sit multi coitus: hoc minimè conuenit, cùm non semper verum sit. Sed etsi sequebatur non decuit sine illationis nota (ob id) adiecisse. Dixerunt alij, comparationem esse ad temperaturas cæteras inæquales: cùm frigida & sicca steriles sua natura magis sint: humida, non ex eo fœcunda, sed sola calida. At non par fuit, calidam & humidam cedere fœcunditate calidæ ac siccæ. Nec verum fuit, calidam tantum esse fœcundam cæterarum comparatione, si talis fuit calida & sicca, ac multo magis tum etiam calida & humida. Dixere alij, Galenum in Aphorismis docere intemperies testiculorum, si contrariis vteri iungantur, fœcundas euadere: vt calidam frigidæ, siccam & frigidam calidæ & humidæ: laudauitque bis Platonem consulentem in Theæteto, vt obstetrices curent hanc coniunctionem, ob sobolem commodè procreandam. Sed hæc non satisfacere videntur: etsi enim frequentiores sint frigidi & humidi vteri, cæteris omnibus, non ob id calida & sicca temperies testiculorum fœcunda dici debet. Indignum enim est hoc grauitate Galeni: tum etiam quia falsum si ad euentum referatur: nam inquit, Quæcunque harum intemperierum si immodica sit, quomodocunque iungatur, sterilis euadit. Dicendum est igitur, fœcunditatem ex duobus prouenire: temperie seminis, & crassitie, præcellit temperatum ob qualitates, calidum & siccum ob substantiam in generando. Nec hoc inconuenit: nam temperatus solis & æstus est patientissimus habita naturæ tantum ratione: rustici filius tamen minus patitur ob densam cutim.

cap 39. & 40. — *lib. 4. c. 93.* — *lib. 1. c. 68.* — *secunda tertij tract. 1. c. 5.* — *aphor. 61.* — *cap 14.* — *aphor. 59. & 62.*

CONTRADICT. VIII.

An omnis medicina purgans inueteret.

AVicenna cùm vellet ostendere necessitatem exercitij, inquit ex Hippocratis sententia, quòd omnis medicina purgat & inueterat. Oppositum ab eodem dum de elleboro loquitur, Et de proprietatibus eius est, vt permutet temperaturam, & faciat acquirere iuuenilem naturam. Idem Mesue in suo libro de Simplicibus purgantibus dum de elleboro loquitur: idem Aëtius: sed & Paulus dixit, Quædam medicamenta dantur reficiendi corporis causa. Sed neque Galenus secunda Aphorismorum videtur sentire, medicamentum colliquare, nisi cùm prauus humor defuerit. Secundo etiam de Elementis dicit, quòd tunc medicamentum colliquat corpus, cùm humorum prauorum nihil plus habet quod euacuet ante, igitur non inueterascet. Dicendum, quòd omnia medicamenta nocent, dum expurgant, membris principalibus: vtque ea causa odorata eis debent immisceri, vt in libro Quos & quando purgare oporteat; & in secundo Regiminis acutorum. Nocent secundo, educendo aliquid vtilis cum inutili, vt sexta Aphorismorum, vbi declarat, quòd cum pure etiam spiritus exeunt: hæc necessaria sunt detrimenta omnis medicaméti. Accidit tertium in sanis, vel superpurgationibus, de quibus Galenus in superioribus locis loquitur: nam nec sanis medicamenta conueniunt, sexto de Tuenda sanitate, si inculpata sint: quamuis piceam antea suasisset, vel ex absinthij coma medicamentum. Verùm nihil

tertia primi doc. 2. c. 1. — *lib. 2. c. 2.* — *cap. 241.* — *lib. 3. c. 112.* — *lib. 7. c. 4.* — *aphor. 37.* — *in fine.* — *in fine.* — *co. 12.* — *aphor. 27.*

prohibet expurgata atra bile quæ senectutem refert suis accidentibus: coloris vitio, canis: imbecillitate virium, tristitia, rugis: insomnietate speciem quandam reparatæ iuuentutis referri.

CONTRADICT. IX.

An humidum membrorum possit consumptum restaurari.

IPsæ solidæ corporis partes, quæ verè solidæ sunt, atque primæ, nullo modo possunt effici humidiores. At satis est, si quis eas celerius exiccari prohibeat. Intercepta autem in ipsis spatia hoc vel illo humido complere possibile est: secundo Artis medicæ, cap. 53. Rursus septimo Artis curatiuæ, cap. 6. in init. Triplex cùm sit exiccatio, harum vna est, cùm humidum, quod in omnibus animalis partibus est, consumitur. Proxima, cùm adeps & caro ipsa colliquatur, & exiccatur: quæ etsi difficillimæ sint curatione, & non nisi nutrimento restaurari possint, reparationem tamen admittunt. Vltima quæ insanabilis est, & ei quæ in senio fit, in sanis proportionalis, cum solida similarium partium substantia reddita est siccior. Et in primo de Tuenda sanitate, cap. 2. Corpus nostrum perpetuò exiccatur, atque ob id ad ineuitabilem tendit mortem. Et in libello de Tabe, cap. 6. Cùm triplex sit consumptio humidi, quæ illius est, quo solida animalis membra constituuntur, irreparabilis est. Cæteræ verò quæ vel pinguedinem, vel humidum in poris contentum consumptum habent, & si ægrè, sanabiles tamen sunt. Plura longè possem adducere: sed cùm satis Galeni opinio clara sit, superfluum iudicio eis quicquam adiicere: tum præcipuè, cùm Arabes nulla in parte cum eo discrepent. Accedit ratio: nam si siccum verè membrum posset reparari, ac ad humidius deduci temperamentum, posset in ætatibus dari retrocessus. In oppositum Philosophus in primo de generatione & corruptione, hæc habet: Ἐπειθ' ὅτι σάρξ καὶ ὀςῦν, καὶ ἕκασον τῶν τοιούτων μορίων ἐςὶ διτῖον, ὥσπερ καὶ τῶν ἄλλων τῶν ἐν ὕλῃ εἶδος ἐχόντων. καὶ γὰρ ἡ ὕλη λέγεται καὶ τὸ εἶδος σάρξ ἢ ὀςῦν. τὸ οὖν ὁτιοῦν μέρος αὐξάνεσθαι, καὶ προσιόντος τινὸς, κατὰ μὲν τὸ εἶδος ἐςὶν ἐνδεχόμενον, κατὰ δὲ τὴν ὕλην οὐκ ἔςι. δεῖ γὰρ νοῆσαι ὥσπερ εἴ τις μετροίη τῶν αὐτῷ μέτρῳ ὕδωρ. ἀεὶ γὰρ ἄλλο καὶ τὸ γινόμενον. οὕτω καὶ αὐξάνεται ἡ ὕλη τῆς σαρκὸς, καὶ οὐχ ὁτῳοῦν παντὶ προσγίνεται, ἀλλὰ τὸ μὲν ὑπεκρεῖ, τὸ δὲ προσέρχεται. Quod est: Postquam igitur caro, & os, & vnaquæque harum partium duplici modo est, quemadmodum & aliarum formam in materia habentium: etenim materia ac forma dicitur tam caro, quàm etiam os: erit vt vnaquæque pars augeatur, contingátque secundum formam aliquid ei adiungi: at verò secundum materiam impossibile est: oportet enim intelligere esse hoc quemadmodum si quis eadem mensura aquam metiatur: semper enim aliud atque aliud fit: Sic & materia carnis augetur, & non singulis partibus quicquam adiicitur, sed hoc quidem dilabitur, hoc autem accedit. Si igitur aliquid semper accedit, & diffluit ex materia, manente forma, manifestum est, quod siccum iam erat, humido accedente posse fieri humidius. Galenus etiam naturales intemperies ad æqualitatem traducere docturum se pollicetur, in primo de Regimine sanitatis: manifestum est autem, quòd de intemperie solidorum loquitur, cùm eam à principio generationis ortam præsupponat. Accedit quòd quinto de Tuenda sanitate, puerum tredecim annos natum gracilibus cruribus, ad mediocrem statum reduxit: maius hoc est, quàm quòd nates fame exesas reparauerit alteri, quoniam hæ partes carne & musculis tantùm constant. Et in secundo de Tuenda sanitate, cùm enumeraret exercitationis commoda, inquit: Exercitium nutricationem magis felicem reddit, & partes corporis perfundit: vnde fit, vt solida molliora reddantur: quod & in primo libro adduximus. Exercitium etiam calorem auget naturalem: hic autem vnus substantia est cum humido radicali, contingit igitur & hunc augeri. Nam de calore clarè dixit Galenus hoc in prima Aphorismorum: & quòd vnus sit, in octauo de Dogmate Platonis & Hippocratis, cum humido: si etiam restaurantur perpetuò solida, & augentur, non video cur etiam humectari non possint, quo argumento alias etiam vsi sumus. Maximum verò omnibus est, quòd solidæ partes in pueris aliquando præcisæ restituuntur, quantò magis si tota materia generari potest, etiam humor qui in ea consumptus est poterit restaurari. Inquit enim Galenus, Venas excisas aliquando de nouo genitas vidimus: aliquando vt restauraremus omnia tentanti, non successit. Et rursus alibi: Ossa fracta non verè restaurantur, nec in adolescentibus, nec iuuenibus, multò minus in senibus: at si fuerint abundè mollia, qualia in puerulis, restaurantur, ac consolidantur. Propterea dicebat Princeps, Os non verè consolidatur, nisi in in infantibus, & puerulis. De vena autem quidam dixerunt, quòd consolidatur, arteria non. Sed Galenus ratione & experimento cognouit, quòd arteria ipsa restauratur. Est autem Galeni autoritas quinto Artis curatiuæ cap. 7. his verbis fermè descripta: Vidimus enim in mulieribus & pueris arterias tum conglutinatas, tum vndique carne circundatas, in fronte, malleolo & carpo. Simile quiddam iuueni quidam agresti contigit, dum sub veris tempore venam secandam curaret, diuisa arteria pro vena rursus coaluit. Ratio autem Galeni quam ibi subiungit hæc: Cùm arteria venáque medium quoddam, in siccitate, inter ossa & carnem obtineant: caro autem in omnibus, etiam senibus, restauretur: os minimè, nisi in admodum puerulis: consentaneum est in humidioribus plerisque corporibus, qualia sunt puerorum ac mulierum, eas consolidari verè, & absque aneurismate coalescere. Hanc rationem etsi probabilem dicat Auicenna, nihilo secius tamen standum experimen

Marginalia: t. c. 31. — cap. 7. — 14. Artis curatiua, c. 16. — tract. 1. con. 11. — co. 15. in prin. — lib. 1. tract. 1. con. 10. — 14. Art cur. cap. 17. — 6. Art. cur. c. 5. in princ. — quarta quarti tr. 1. c. 1.

experimento esse decernit. Est autem sciendum, quòd vt ibi Galenus tum Paulus in 6. lib. inquit, Discissa arteria, nisi consolidetur, carne & callo solum abducitur: quare partes vt ab initio diuisæ manent. Quod etiam manifestius in ossibus fractis contingit, quæ tophum contraxerint. Satis iam, supérque de regeneratione solidorum locutus sum: verùm vbi regeneratio, ibi etiam humidius reddi potest quod siccum. Si igitur in omnibus membris materia viciffim recurrat, non video quonam pacto homo redire ad iuuentutem non possit, ac vt ait Poëta,

cap. 38.

Stringite, ait, gladios, veterémque haurite cruorem:

Vt repleam vacuas iuuenili sanguine venas.

Tum alibi,

Pene puer, dubiáque tegens lanugine malas,
Ora reformatus primos Ioalus in annos.

Ergo quid Galenus aduersus hæc dicturus sit videamus. Cùm enim tria sint principalia nutrientis virtutis opera, generari, nutriri, & augeri: generatio constat permutatione ac formatione. Augmẽ est corporeæ partis augmentum in longum latum, atque profundum: verùm nutricatio est appositio absque augumenti ratione: sic enim ille horum vnumquodque diffinit. Sed subtilius distinguendo ad veram nutricationem necessarium est secundum Philosophum, vt quod nutritur idem maneat numero. Quo fit vt generatio quanquàm eadem in materia fiat, nutricatio non sit. Secũdum, vt quælibet pars eius quod nutritur, nutriatur: quod ab accumulatione differt. Tertium, vt fiat hoc per aliquid exterius adueniens, quo differt à permutatione quacunque: vt cùm densatur, aut rarum fit: nam in omnibus his nihil accedit exterius. Ab augumento verò differt, quoniam in pura nutricatione, nihil nouum accedit. His visis, materiam fluere ac refluere sub sensu, quo communiter intelligi solet, impossibile esse existimo.

1. de natural. fac. c. 5.

1. de gener. & cor. t. com. 33

Marsilius Inguen igitur imaginatur in suis quæstionibus, quòd pars solida quæ prius præest materialis vocetur: quæ autem in concauitatibus accedit, pars secundum formam. Solida igitur est primum augumenti subiectum: quæ verò additur in concauitate est primum subiectum aucti: nam illa primò recipit formam: quæ autem prius erat, materiam per quam nutritur. Verùm in concauo nutricatio fit replendo, in solido per iuxta appositionem. Eadem igitur materia vtroque munere fungitur. Ergo apud Aristotelem nutricatio ipsa, fluxum ac refluxum non in sola materia, sed etiam in ipsa forma parit, iuxta huius sententiam. Quare homo idem manet numero: non secus ac flumen, & populus, cùm omnia in illo permutentur.

Hæc opinio peccat in tribus manifestè: Primum, quòd imponit Philosopho, quod senserit, non solùm materiam, sed etiam formam diffluere: quod falsum est. Secundum est, quòd partes solidæ non intus nutrirentur, imò perpetuò exiccarentur, ac si non vllum auxilium à cibo ac nutrimento reciperent. Tertium, quòd homo non aliter quàm populus & flumen posset esse perennis: nam si ad elementorum respicias contrarietatem & violentiam, qua extra proprium locum sunt, non est ratio vlla: quia manere potest permutatis partibus, vt etiam elementum totum vnum manet. Quare causa adducta ab Auerroë nulla erit: imò ab Aristotele, quòd animalia corrumpantur, quia ex elementis constituantur, quæ in proprio loco non sint. Sed neque ob humidi naturalis consumptionem nouo semper succedente: quemadmodum etiam in primo tractatu alterius libri iam declarauimus. Sed neque materiæ primæ appetitus obest: ille enim expletur permutando formam perpetua successione. Sed nec quia repatiatur, hoc enim falsum esse in libro de Animi immortalitate ostendimus: neque etiam ob circuitus cœlestes, de quibus Philosophus agit in 4. de Generatione animalium. Relinquitur etiam, vt non sit idem verè animans quod prius fuerat. Et quanquàm hoc nos concesserimus in lib. de Animi immortalitate, magis tamen vt difficile, quàm vt verum admisimus. Imò quod solum hic refugij erat Marsilius ipse sustulit. Auerroës autem & Alexander in 1. de Generatione, aliter senserunt: siquidem vnum esse ab initio generationis quod fit vsque in finem, manente eo quod ab illa primò contractum est. Eo igitur in deterius perpetuo labentes certæ corruptioni animal subiicitur. Additi tamen comparatione vnũ est situ & figura tantum. Subiectum igitur augumenti ipsius est prima pars illi à generatione contracta. Totum verò simul quasi vni æquipollet, non tamen exquisitè vnum est. Concaua verò replentur, & fit appositio solidis iuxta primæ opinionis sententiam. Ergo qui sic dicunt, ex nutricatione accumulationem faciunt: non enim quælibet pars nutriti nutritur, sed sola quæ ab initio præfuit. Si etiam totum manet quod ab initio erat, vt fatentur, non senescit animal: si autem pars melior aufertur, nec alia loco eius substituitur celeriter finietur. Videmus etiam non partem ossium in senibus siccam, sed vniuersum os: quare reliquum non magis diffluit, quàm quod ab initio contractum est. Mirum etiam esset tantam materiam totam dilabi, tam modicam consistere: quanquàm difficillimum sit id imaginari etiam in piscibus, cùm ex tam modico ouo tanta moles constet: tum præcipuè quòd vniuersa adeò exiguo humido sustentetur. In plantis etiam, vt salice, quæ ex auulsa ramo proueniunt, humidum quod acquiritur cum priore vnius rationis esse videtur: nam primum ex semine non est. Huc accedit, quòd ad maiorem raritatem oua piscium deuenirent, quàm ex terra ignis fiet.

2. cœli t. & c. 27.

contrad. 10.

cap. 10.

com 38.

Ioannes autem Grammaticus, & Albertus, ac D. Thomas dixerunt, quòd forma ipsa, quæ est anima, contrahit se, ac extendit, nec de nouo quicquam generat, sed formæ illi quod accedit, de nouo fit. Atque ea de causa non fit refluxus secundum formam, sed secundum materiam. Ipsa verò anima, vt in libro de Animi immortalitate diximus, indiuisibilis est, non vt punctus, sed quia quantitatem nullam, in qua sit, certò sibi determinat. Subiectum autem augumenti primum anima est in hac materia. Augetur autem

secundum

secundum materiam verè, secundum formam autem non adeò verè, sed quia illa sic magis extenditur.

Ista opinio primo præsupponit vnum falsum, quòd anima educta de potentia materiæ non sit diuisibilis diuisione subiecti: nam hoc ex Platonicis solus Marsilius Ficinus, & ex Paripateticis solus Vgo tenuere. Inquit enim Auerroës in libro de Substantia orbis, Omnis forma educta de potentia materiæ, diuisibilis est diuisione subiecti, vt existimat etiam Aristoteles. Peccat etiam, quia modum quo misceantur partes in nutricatione non docet: neque ostendit quonam pacto omne animal ab initio exiccetur vsque in finem, iuxta experientiam, Galenique sententiam. Burleus verò & Paulus Venetus, cum præcedenti fermè concordant, nisi quòd animas ex potentia materiæ eductas fatentur diuidi subiecti diuisione, atque sic omnes, præter intellectiuam. Subiectum igitur quod nutritur est anima, & hoc manet idem ab initio vsque in finem, ideo quia anima eadem manet; atque sic quælibet pars nutriri nutritur: est verò nutricatio secundum formam, quia anima quæ forma est, nutritur: est etiam hoc ab exteriore nutrimento, quamuis non secundum materiam, nam illa perpetuò fluit, ac refluit.

cap. 1. ante medium.

Ista opinio adhuc est cæteris difficilior: nam cùm anima de se non senescat, vt ostensum est in lib. de Immortalitate animi, iuxta Philosophi sententiam, nec iuxta materiæ superuenientis rationem, quia tota fluit, & refluit, sequitur vt homo nunquam ad senectutem perueniat, imò in prima adolescentia consistat. Item facta tota materiæ permutatione anima sensim de vna materia in aliã, de vtroque subiecto in aliud transibit. Laurus præterea, quæ ex radicis auulsione iuxta Theophrasti sententiam, & vitis, quæ surculi, quemadmodum salix, pluresque aliarum arborum propagatur, poterunt animam illam vnam habere perpetuam: nam quæ excipitur ramo vel radice vna est cum ea quæ remanet, iuxta horum sententiam, igitur cùm etiam illa succedenti, patebit eandem animam perpetuò mansuram. Respondebat Marsilius Ficinus, vnam quæ prius fuit dum auellitur, plures fieri calore solis. Sed ille, vt ostensum est, posuit indiuisibilem. Hæc ratio illos fatigat, qui semen, actu animam habere existentem non putant, de quo infrà dicendum erit. Nunc ad rem ipsam reuertor: Non potest fingi verè, vt etiam Pomponatius dicebat, quo in genere nutricatio mutationis sit, vel augmen: nam cùm compositum ex materia & forma non verè augeatur, nec nutriatur, non erit ex genere alicuius motus: non ad quale, quantúmve, nec ad vbi. Iuxta quod scire operæpretium est, Augumentum non esse verè extendi: nam cùm extendi iuxta Auerrois sententiam ad qualitatem sit, si augmen esset extendi, esset & ipsa ad qualitatem: nullus igitur motus in quantitate, quare non essent tres motus proprij vno deficiente: ex enim augmen motus quidam, quia est contrario in contrarium: cuius terminus est quantitas, & habet subiectum in actu vt tale est. At nutricatio

1. de Historia plant. c. 1.

7. phys. 15.

est ad substantiam, quare non à contrario in contrarium mutatio est, nec habet subiectum in actu. His tribus deficientibus nutricatio motus non est: augmen autem ipsum est.

Pomponatij verò sententia hæc est: Cùm aliquid nutritur aut augetur, quod superuenit iam existenti ex toto miscetur: cùm verò possit vel prioris substantiæ quantitas, vel nutrimenti, vel vtriusque aut neutrius seruari, extremum ille amplectitur membrum: nam nutrimentum ipsum ab ea forma quæ nutricationis est causa, plenè spoliatur quantitate, qualitate ac forma quæ prius substantia erat. At quod nutritur solam quantitatem ac qualitatem omittit, retenta substantia, in quam etiam nutrimentum ipsum permutat: velut cùm aqua vino immiscetur, vini quidem substantia sola manet: nam aquæ nihil cernitur, seu quòd ad substantiam, seu ad quantitatem vel qualitatem pertineat: nec vinum sub eadem permanet qualitate, aut quantitate. Non me latet hæc omnia dilucidius ad augumentum quàm ad nutricationem pertinere, cùm tamen ego in vtrisque loquar. Quisque ad id, quod sibi commodius pro exemplo videbitur, sermonem contorqueat: nam dictum iam prius est, qualisnam sit augumenti ac nutricationis differentia. Nunc ad propositum reuertor: vbi quod restauratur deperdito maius est, augeri dicitur: vbi minus, minui: vbi æquale, tantum nutriri. Videntur autem senes manifestè diminui: infantes, & pueri, augeri: consistere ac solum nutriri iuuenes. Omnis præterea anima iuxta eum diuisibilis est ad subiecti corporis diuisionem: indiuisibilis autem, quia nullam sibi determinat quantitatem: quare anima hoc modo minus est indiuisibilis quàm intellectus: nam intellectus nec diuidi potest diuisione subiecti, nec vllam sibi quantitatem certam destinat: cæteræ formæ certam sibi quantitatem destinant, & diuiduntur subiecti diuisione. Anima verò diuiditur, sed quantitatem non sibi certam decernit. Hoc autem ideo est, quia anima exquisitè medium est quoddam inter ea quæ à materia sunt separata, & ea quæ cum illa iunguntur: & quòd talis existens ob id hoc priuilegio fungitur, vt nouam materiam perpetuo sibi subiicere possit. Addit etiam, quòd cum in viuente sint vbique pori, quod in eis est in nutrimentum transit, atque sic ipsum alitur. Et quòd in vnoquoque puncto mixti sunt formæ quatuor elementorum, non autem materiæ. Hoc autem conforme est proculdubio naturæ sententiæ: nam nos tenemus, formam mixti esse elementum prædominans. Hoc autem ibi actu est, sed non perfectum, verùm refractum. Sic igitur cuilibet parti inest forma nutrimenti, ac eius quod nutritur, non tamen materia. Immiscetur autem quantumcunque minimum nutrimentum toti quod nutritur duobus sanè modis: altero quidem secundum substantiam, subtilitate sua: altero verò secundum virtutem & qualitatem: vt cùm in medicamento mixto modicum scammonij toti

Contradict. prima primi tract. lib. 1.

toti vires secundum vnamquamque partem præbet: sic in marmore ignis non substantia sed potentia est, & virtute. Est autem causa huius tam subtilis mixtionis anima, cum præcedentibus immutationibus, verùm iuxta diuersos terminos diuersa nomina sortitur hæc mutatio: alia enim generatio, gratia exempli, alia nutricatio, alia augumentum, alia diminutio. Dispositiones autem introducuntur ab antecedentibus, quæ vt superuenerint, priores corrumpunt. Quod autem aliquid seipsum corrumpat nullum est inconueniens, cùm per accidens hoc fiat: velut cùm formæ elementorum se vicissim destruunt in compositi ipsius generatione. Dubitat autem, quid formam mixti in mixto generet, cùm elementorum generantium forma corrupta sit? quæ difficilis non apud nos quemadmodum apud illum quæstio est: nam forma inanimati est elementi forma dominantis quæ à generante inducitur elemento vincente, in eo quod prius erat: sed in animatis forma est anima, & hæc in potentia: generatur autem & ad actum perducitur virtute solis, & syderum concursu. Sed ignis augumentum non ad nutritionem veram pertinet, quoniam non alia tantum materia, sed etiam forma numero adiungitur. Non est igitur ignis nutricatio, sed generatio, qua ignis crescit & augetur. Augumenti enim species tres sunt, iuxta Auerroën. Vna cùm nihil additur, & tamen crescit, vt in raritate: solæ enim dimensiones, non rei substantia augetur. In accumulatione autem fit additio alterius, sed tamen vtroque termino in sua manente natura: verùm in nutricatione alterum, vt primo dictum est, alteri accedit, & permutatur vnum in aliud, manétque quod prius erat secundum formam.

prime cœli c. 21. in prin.

Præter hæc conatur assignare causam, cur homo non semper crescat: dicitque id esse ob debilitatem caloris naturalis: quia omne agens agendo repatitur: cùm igitur consistit homo, iam calor non sufficit augere, sed tantum nutrire solida membra: carnem autem augere potest, cùm sit facilioris generationis. Ob id cùm homo in longum crescere desinit, iuxta illius opinionem etiam in latum amplius non crescit: idem igitur finis crementi solidorum iuxta omnes dimensiones.

His peractis multa aduersus alios, tum etiam aduersus se adducit: nam cùm aliorum opiniones damnauerit, quæcunque aduersus se faciunt, aut diluit, aut in alios contorquet. Quale illud contra Caietanum: Si augmen vel nutricatio motus est, in omni motu est dare primum quod mouetur: illud igitur est vel nutrimentum, aut quod nutritur, aut compositum ex vtroque: Si primum, res inanimata augebitur: nutrimentum enim est inanimatum. Idem sequitur, si dicas compositum ex vtroque nutriri. Si autem quod præfuit solum nutritur, aut augetur, aut augmen erit per appositionem, non proprium neque intus: vel augebitur nullam acquirens quantitatem; quia quod prius erat, non maius fit: nec ex se, cùm ipsum non augeatur: nec ex alio, cùm illud adueniens non immisceatur, sed solùm iuxta apponatur. Nec possumus dicere quòd pars de nouo adiecta sit subiectum augmenti, nam talis antea non præfuit: & etiam quia secundum illos quantitatem, quam ab æterno habuit, adhuc retinet. Quia verò dubitatio occurrebat non leuis: nam si augmen erat per singula minima augetur, igitur cum non possit dari minus minimo, quodlibet minimum minimo augetur, igitur augmen omne fit ad duplum. Eadem ratione diminutio erit ad dimidium vel ex toto, si quodlibet minimum minui debet. Respondet igitur, quòd augmen & diminutio fiunt secundum poros: pori autem longè pauciores sunt minimis. Ex quo colligitur, augumentum & diminutionem fieri non secundum minima, sed iuxta partes ipsas sensui manifestas. Quia verò durum videbatur quòd accidens non migraret de subiecto in subiectum, anima autem posset, causas tres huius differentiæ assignat. Primam, quòd cùm accidens à subiecto pendeat, sic ab anima subiectum: vt igitur manente subiecto accidentia permutantur, sic manente anima subiectum potest variari. Alia, quoniam materiam nouam veteri immiscet anima. Tertia, quia eandem prius præparat: horum neutrum accidens facere potest in suum subiectum, atque ob id neque immigrare: nam species in aqua fluminis super ripam arboris existentis, aut arenæ in fundo, etsi vna esse videatur quoniam inuariabilis apparet, & mutatio momentanea, non tamen vna est, sed ex innumeris sibi inuicem succedentibus constat.

Accedit alia dubitatio: Quonam pacto anima salicis non possit dici non perpetua cum maneat? Expositis autem quinque generationis modis: à putredine, vt vermium: à simili per se, vt ab igne ignis: ab æquiuoca causa, vt ignis ab ictu, vel solis radiis in speculo cauo, vel sphærula vitrea: ex semine, vt animalia pleraque, & plantarum plurimæ: ex partis decisione, vt laurus & salix. Primo modo genita non sunt perpetua, sed in magna temporis parte, vt Auerroës inquit, aut in suis causis veluti sole. Concludit tandem, quod anima salicis perpetua est, non vt in hac radice, vel hoc stolone, sed vt ex hoc in aliud trasmigrare potest. Intellectum verò in materia esse ac magnitudine, non tamen vt intelligit: nam & ratio ipsa cùm in materia sit, & instrumento corporis vtatur, substantiam tamen à magnitudine seiungit. Sic igitur quod de cæteris animalibus dictum est, de intellectiua affirmat. Verùm si sic concedatur vt anima per nutricationem transmigret, id etiam consequetur, vt ex diuersis materiis eadem forma educi possit: quod si fieri posset in generatione, idem numero reuerteretur. At non accidit hoc vnquam: quod verò nunquam euenit, necessitatis causam proculdubio habet. Illud verò in hominibus maiorem habet dubitationem propter animi immortalitatem: sed nihil prohibet eundem esse quodammodo hominem, & quodammodo alium: cùm videamus nos plus nobiscum nunc conuenire, quàm cum nobis pueris existentibus. Ergo qui

8. phys. 46.

succedit

succedit partim idem est, partim etiam alius. Immortalem autem habentibus animam nunquam eadem forma ex diuersis materiæ partibus educetur. De radicali autem vocato seu verius innato humore eundem illum non esse ab initio vsque in finem putat, contra Alexandri, Ioannis Grammatici, Auerrois, Alberti, cæterorúmque sententiam. Cùm verò in oppositum adduceretur, quòd humidum esset animæ subiectum, qua manente per totam vitam, illud etiam manere oporteret: quodque si permutetur homo nunquam deficiet, sempérque augeretur: tum verò quòd id Philosophus per exemplum aquæ & vini in primo de Generatione & corruptione declarauerit. Respondet, Humidum esse ad animæ generationem necessarium, non autem ad conseruationem: multa enim talia sunt, vt pater & mater: nam sine illis filius generari nequit, viuere tamen potest. Causam tamen cessationis augumenti & vitæ, vt diximus, in mutuam actionem refert. Verùm exemplum Philosophi non vndequaque verum est, sed in multis accommodatum nutricationi. His vltimò adiecit, quod verum est, & ex fati pendet ratione, vniuscuiusque geniti causas certas ac statas, numeróque ac cæteris conditionibus inuariabiles esse. His declaratis, quid mihi aliud sanè occurrit quod dicam, quàm illud Epigrammatici,

1. c. 39. & 42.

Sunt bona, sunt mala quædam, sunt mediocria plura.

Vir hic clarissimus fuit, sed tamen multa aliquando dixit, quæ aliis sunt obscuriora, quæque indigerent eo patrono: nec mihi mens est vt singula discutiam, esset enim longum negotium, & prorsus odiosum, ac inutile: sed sufficiat ostendisse, longe maiores hanc, quàm iam dictas opiniones, difficultates sequi. Ergo ad id primo de Anima quod dici eam diuidi posse, de sensitiua hoc falsum est: nam tota constat in corde: esset etiam mirum, quòd nullius animalis quantumcunque vilis partes seorsum diuisæ viuerent, si anima toti ita inesset sensitiua vt diuidi posset. Illud etiam durum, quòd forma ex potentia materiæ huius educta sensim in aliam immigret: hoc enim videtur perabsurdum. Horum nullum sequitur si in corde ponatur, modóque indiuisibili.

Quod verò de poris dixit, est planè repugnans dictis: nam vel inter porum, & porum est aliquid solidi, vel non: si non, constabit corpus ex indiuisibilibus, quod repugnat Philosopho: si autem est medium aliquid solidi, non nutrietur medium illud, nisi per iuxta appositum. Quare difficultas vt prius manet. Constat autem oportere totum nutriri: nam calor qui consumit vbique est, quare & nutricatio totius secundum omnes partes erit: fragile etiam nimis erit quod vbique porosum est, concidéntque partes in seipsis.

3. cœli. t. c. 39.

In finis crementi ratione dupliciter peccat: Primò, quòd idem sit finis crementi in longum, latum, atque profundum: sed hoc non tam facile potest damnari, quàm coargui, cùm Galenum habere fautorem videatur. Verùm reliquum, quòd hoc accidat, quoniam agens agendo repatitur, nullo modo verum esse videtur, nec medicis consentaneum. Si enim hoc verum esset, necessariò calor pueri maior esset, quàm iuuenis, aut intensus magis: at de magnitudine partes sunt, iuxta Galeni sententiam: de acuitate verò etiam puerilis calor iuuenili cedit, vt ille censet. At verò si ob id deterior semper calor noster efficiatur, quòd repatiatur, ex igne prorsus nunquam ignis generabitur, aut non æquè calidus: nam resistet quod in ignem transibit agenti igni, refrigerabítque illum: generabitur igitur ignis similis perfrigerato, atque ex hoc alius denuò frigidior: quamobrem in continua adeò, ac momentanea ignis generatione, fiet tandem, vt non amplius ignis ab igne, etiam in sulphure, progignatur. At experimentum docet, vltimum ignem æqualem ac similem prorsus esse primò, etiam si infinitæ ferme, vt ita dicam, generationes intercesserint. Quòd si dicas, à circunstante calore, atque igne ignem genitum reduci: nihil est, cùm pariter & ille agendo patiatur. Sequitur etiam vt idem in calore animalis eueniat: quo fit, vt patiens in agens semper natura sui agat, non autem semper imprimat. Hic autem est sensus verborum Philosophi, cùm dixit, quòd omne agens dum agit aliquid à patiente patitur, siquidem innatum pati sit: nam si vel in extremo sit, vt ignis, aut si calor ille à cœlesti foueatur, qualis est qui in animalibus, proculdubio, nihil omnino patietur: aliter necesse esset etiam extrema ignis, quæ ad orbem lunæ sita sunt, refrigerata esse, ob leuissimam quandam rationem. At Philosophus censet rationem solum veram esse, atque concludere, eique soli credendum, quæ cum experimento consentit. Dicamus igitur aliud esse per quod repatitur, vt nutrimentum, nam de hoc omnes & bene sentire videntur: quòd immixtum deterius reddat quod prius erat, vt aqua vinum. Hoc enim in vno Philosophus & Galenus consentiunt, medicíque pariter cæteri. At in primo, nullus videtur hoc sentire: declaratum est enim à nobis etiam in libro de Animi immortalitate, quòd iuxta Platonis atque Aristotelis sententiam, anima ipsa vt per se est, nihil prorsus pati nata sit. Argumentum verò quod aduersus Caietanum adducitur, sophisticum est: nam cùm duo sint termini motus cuiuscunque, A quo, & Ad quem: quod præfuit, augetur tanquam à quo, per additionem, vt docebimus: totum verò cum addito, vt terminus ad quem.

2. de temper. c. 2. in fine.

4. de Genera. animal. c. 3.

3. de Genera. animal. c. 10. in fine.

De poris autem falsa sunt omnia: non enim nutricatio ipsa per poros vllo modo fit, esset enim accumulatio: pori tamen sunt medium vt commodius illa fiat: quamobrem error ille non leuis est: neque enim minima oportet ponere nisi dum separantur. In mixtione verò aliter dicendum proculdubio est: quorsum enim minima ponere expedit, cùm iam docuisset, & bene, in qualibet minima parte ac puncto, vt ita dicam, omnes formas elementorum consistere.

De specie arboris quæ in flumine, vtraque opinio potest defendi, quòd enim accidens

spiritu

spiritu ac lumine, vel luce, consistens immigret de subiecto in subiectum, nihil absonum: in aliis verò quæ à materia & calido ac frigido procedunt, alia ratio est. Vtraque igitur via deffendi potest: nam prorsus ad opinionem suam sequitur quasi continuum ex indiuisibilibus componi. Lumen etiam solis in orbe lunæ semper variabitur citra vllam necessitatem, sed hæc ad librũ de Subtilitate & de Arcanis pertinentæ ternitatis. Illud verò meo iudicio absurdissimũ est, concedere animã salicis æternam esse posse: quærebat enim Philosophus c.1. in libello de Longitudine & breuitate vitæ, an corruptibile posset aliqua ex causa perpetuum euadere: nam de igne qui in sua Sphæra est, dubitat: de viuentibus autem nullo modo dubitandum censet. Quamobrem satis aptè videtur hic mihi sensisse Pomponatius de immortalitate: qui eam ab intellectu, & anima hominum sustulit: animis vero salicis ac populi donauit. At verò, vt diximus, illud nos non vrget, an eadem anima ex diuersis materiis educi possit, quod illum non absque ratione fatigare debet: nam si educitur ex nouo nutrimento, non prius fuit: si autem prius erat, impossibile est vt educatur ex illo: quare non leuiter sibi, nec obscurè, contradicit. Nos autem animam in quadam inuariabili parte ponentes, his non laboramus difficultatibus: tum maximè in sensitiua, nam de nutrice alia ratio est. Quòd verò humor innatus alius fit, quando hic non est disputatio de nominibus, sed de rebus ipsis, ne repetere idem cogar, suo loco, quid sit rei ipsius veritas, edocebo. Galenus igitur secundo de Naturalibus facultatibus c. 4. hæc habet: Iam quæ nutriuntur omnia & quæ miscentur, quòd per se tota nutriantur ac misceantur: quodque ea quæ immutantur, pariter tota immutentur, Aristotelica hæc Hippocraticaque sũt dogmata. Nec minus illa, quòd concoctio quædam est mutatio eius quod mitit in propriam eius quod nutritur, qualitatem. Sanguinis quoque generationem permutationem esse. His accedit, quòd nutricatio & augumentum ex eo fiunt, quòd corpus in omnem partem extenditur atque nutritur, permutatio verò omnis talis non solum in his, sed etiam in excrementis ab innato calore fit. Accedit his Galeni dictis ratio nimis efficax: nam si calor, qui consumit, vbique dispersus est in solidis, oportet totum ipsum etiam non tantum per cauitates, sed in solidis ipsis partibus nutriri. At verò in primo libro cap. 7. hæc habet: Porrò omnia quæ aliter quàm à natura extenduntur, in omnem partem extẽdi nequeunt quin diuellantur: solius igitur naturæ opus est, in omnes partes extendi citra diuisionem: estque hoc nutrimenti opus, quod augumentum vocatur. Nutricatio verò fit, cùm omni parti eius quòd nutritur, aliquid accepit: causa eius est facultas. Verùm permutatio quæ in hac fit actione, non eadem ei, quæ in generatione: ibi enim quod os non erat, os iam fit: in nutricatione ei quod iam factum est, quod de nouo adiicitur, simile fit. Quod igitur nutricatio assimulatio sit, iam palam est. Præcedit autem assimilationem agglutinatio, agglutinationem adhæsio: antequàm autem adhæreat, spargitur humor ex ore venarum qui nutrimenti causa esse debet. Et rursus in secundo de Temperamentis cap. 2. dum de senibus agit, Corpus illud intus siccum est, quod nutrimentum trahere ob caloris inbecillitatem ad se non valet: remanet igitur illud in cõcauis membrorum, speciemque humidi refert: cùm tamen eo sit siccius, quò minus superfluum, quod ibi retinetur, in membrorum substantiam transire non potuit. Est autem nutrimentum triplex ibid. post medium, & 1. de facu. naturali, c. 11. quod assimilatur & hoc verè nutrimentum: & quod apponitur & non adhæret, vel etiam quod adhæret & non assimilatur, & hoc est veluti nutrimentum: & quod in venis continetur, hocque vocatur futurum nutrimentum: hoc igitur primæ particulæ 1. de facu. nat. c. 7. dum auctrix facultas dominatur in nobis extenduntur. Sunt autem primæ partes hæ, ossa, ligamenta, cartilagines, membranæ, tunicæ, nerui, arteriæ, venæ, quæ nutrice facultate & concoctrice auxiliantibus in omnem partem crescunt. Quo fit vt videatur Galenus sensisse, crementum in omnem partem simul fieri, licet non æqualiter: hoc enim sensus ostendit.

cap 8.

cap. 11. & 3. eiusdem.

cap. 13. in fine.

Demum scire expedit hęc opera illum non animæ, sed naturæ tribuere: nam in primo de facultatibus naturalibus c. 1. inquit: Stirpes à sola natura, animalia à natura, & anima simul reguntur. Augeri verò ac nutriri, non animæ, sed naturæ, ipsius opera sunt. At verò quomodo homo ad senium perueniat nullibi melius declarauit, quàm in primo de Tuenda sanitate cap 2. inquit enim, Corpus nostrum ab initio semine constat & sanguine: semen ignea & aërea rursus sustantia, sanguis terrea & aquea. Ab his igitur elementis, quæ siccitatem in se obtinent, primum efformatur corpus ac solidum efficitur. Demum temporis successu etiam siccatur atque senescit. Atque hæc vna est causa qua animal omnino fertur ad mortem. Alia est substantiæ ipsius fluor, qui etiam à calore fit: hanc restituunt cibi potus ac respiratio. Ex hoc etiam constat, Galenum sensisse, nutrimentum non humido innato adiungi, sed quasi retardare, ne humidum illud consumatur: restituere tamen quod difflatur in dies.

Hæc igitur est Galeni sententia, quam vtinam dignatus esset, quando in facilioribus prolixus est ad tædium, illic vel saltem declarare. Namq; ego non sat percipere queo, quomodo membra à duplici calore exiccentur, nisi elementare intelligat. At reliqua non arescunt elementis propriis quæ sunt inanimata. Si verò calor naturalis hæc ambo facit, adhuc difficile est intelligere, quomodo siccum expellat, & tamen siccius in dies euadat. Itaque duplex hæc operatio seu ab vno, seu à duobus agentibus proueniat, ad claritatem nihil addit, ad confusionem multum. Verùm mihi id videtur illi occurrisse primùm, quod nutrimenti necessitas adest, & tamen senescit animal, quamquàm nutriatur: oportere igitur aliam esse causam indigentiæ nutrimenti, alia senij necessitatis: cùm tamen melius fuisset, quemadmodum Aristoteli

stoteli contigit, istud præsupponere, quod difflatur melius esse, quam id quod restauratur ex cibis: inde causam quærere. Nam ponere, ossa & neruos augeri, & humido nutrimento per totum repleri, vsque ad solida, quemadmodum ipse testatur, nec tamen humidiora reddi, est ipsa difficultate difficilius. In semine etiam piri tantum humoris esse ab initio, quod tam amplæ arbori ad ducentos satisfaciat annos, aut in grande ad mille, quemadmodum de quercu Abraham Iosephus refert, quæ adhuc tunc supererat, incredibile est. Accedit mirum maius hoc, quòd arbos ipsa ex quo tantum excinditur humidi, in totque seminibus, viuacior phœnice in fabula esset: atque idem de homine dico: quare humidum totum vnum potius fieri verisimile est. Ab initio verò non totum à semine excindi, sed efformari ab illo: in animalibus quidem ex sanguine, in arboribus ex terra: nullum autem esse humidum sempiternum, sed in singulos dies misceri, atque confundi, deteriore semper succedente. Illud etiam difficile, ac à ratione prorsus alienum, Plantas anima carere. Sed cùm hoc vel alio in sensu dictum sit, vel à Philosopho & experientia reprobatum, his nugis non amplius immorabor. Cæterùm, quæ de distinctione operationum spargendi, adhærendi, agglutinandi, atque vltimo assimilandi dixit, si rectè intelligantur, vera sunt, & medico vt sciat necessaria.

Forsan aliquis dicet, innatum calorem membrorum humidum consumere, eum autem qui cordis & influentem facere difflationem illam quæ cibo indigeat. Sed hoc esse non potest: primò, quia caloris non meminit in humidi resolutione, sed siccitatis: nec esse potest, vt idem nutriat atque resoluat. Si verò contrariò modo dicas, influentem quidem senium facere & exiccare, innatum autem cibi necessitatem: eadem difficultas manet de siccitate. Præterea omnino immossibile esset, à tanto motu tam modicam, qualis in innato fit humido, atque tamen lentam fieri resolutionem. His omnibus accedit quod in stirpibus vtrumque accidit, etiam iuxta illum marcor ac senectus, tum cibi & humoris necessitas, quare non à calore influente hoc fiet. Videtur sanè animalium calor solam respirationem expostulare: itaque tres erunt denuo necessitates. Ergo vt horum omnium ratio exquisita reddatur, in omni quæsito rectè dissoluendo quatuor hæc simul obseruasse decet: primum, vt non aliquid sit in rerum experimento, quod non etiam ex solutione eodem modo absque variatione dissoluatur. Secundum, vt idem principium omnibus argumentis atque difficultatibus circa quæstionem emergentibus satisfaciat. Tertium, vt ex rerum principiis ita proficiscatur, vt non solùm doceat sic esse, sed etiam quod naturæ ipsi impossibile fuerit melius ea in causa satisfacere, nam aliter ipsam naturam imprudentiæ aut inuidiæ coarguimus. Quartum, vt non omnino extra orbitam antiquorum excedat, quasi omnia illis è directo contraria principia ponens: nam antiquorum more vni satisfaciens quæsito, vniuersa præcepta philosophorum euertes. Hæc igitur si quis diligenter obseruauerit, quæsitum declarasse optimè dici potest. Ea de causa quæ tueri oporteat primò perdiscenda: hæc autem sunt: Primum, quòd in omni parte mixti, vera fiat nutricatio ac necessaria: nam sine cibo viuere non possumus. Secundum, quòd perpetuò senescimus cum his quæ viuunt irreparabili quadam via versus mortem delati: quæ senectus alterius est generis ab his, quæ vita ipsa carent. Tertium, quòd anima ipsa ex subiecto subiectum haud immigrat. Quartum, quòd cum ossium nutricatione duriciei experimentum in eis maneat. Quintum, quòd aliquando quidem augemur, aliquando verò non. Sextum, quòd ossa magna ex parte non regenerantur, regenerantur frequentius venæ & arteriæ, caro autem etiam senibus. Septimum, cur si totum diffluit ex materia, cur non etiam quod terreum est? nam si hoc difflueret, impossibile est tueri, quòd homo senescere cogatur.

Accipere igitur primò pro confesso decet, quòd sub eadem quantitate non repugnat modò plus, modò minus subesse materiæ: nam in ouo vitreo dum spiritum ad te trahis minus relinquitur aëris, & tamen vt prius spatium id repletur: neque enim dicendum, est inane illud esse, vt Hero in de Spirabilibus falsò conatur ostendere. Secundum quòd quemadmodum id in raris accidit, sic in siccis: nam Philosophus in Problematibus 21. sec. problemat. 17. docet, cur massa ex farina & aqua leuior sit vtriusque pondere: sed verius spatium non augetur immixta aqua cineri, nec tamen tota euanescit. Imò quidam existimant pro vasis capacitate aquam hauriri. Si etiam in liquidis elementis hoc contingit, cur non in siccis, quamquam difficilius. Tertium, quòd sola nutricatio & augumentum de verè viuentibus dicuntur: nam cùm nutricatio de his solis dicatur, augumentum autem non fit sine illa, palam est, augumentum solis conuenire viuentibus: inde & generationem talem etiam esse necesse est. Quartum, quòd aliqua aliquibus verè sic miscentur, vt in quolibet puncto vtrunque sit: velut in liquidis quamquam inanimatis, cùm vinum aquæ permiscetur, nullibi vinum sentitur, vbi etiam aqua non appareat. Quintum, quòd iam in primo libro tract. 1. contrad. 10. declaratum fuit, resolui à calore syncerum aëreum atque aqueum, quod autem terrestre est remanere. His visis dico, calorem illum cœlestem copulari igneo calori in animalibus, vt ex sententia clara Philosophi habetur secundo de Animalium partibus c. 7. hic ignis in aliis mixtis refractus est, & in potentia solum: hic autem refractus, quia mixtum, sed in actu quia à calore cœlesti sustinetur. Ergo agit, sed vt refractus mouendo, consumendo, exiccando, nutriendoque: ob id diffusus vasorum, id est solidorum, humorem consumit,

4. phy. t. com. 56.

consumit, non calor qui natura illis inest, sed qualitas quæ ab influente in illa deciditur: attrahunt autem per poros vocatum nutrimentum, ac illud totum toti sensim immiscetur. Cùm verò adeò concrescit, vt non possit extendi, quia ex omni nutricatione pars terrea accedit: primò quidem mixtionem admittit: seruatúrque adhuc animal, sed non crescit. Cùm verò etiam non admittit intus, tunc corrumpitur, & fit ineuitabile mortis genus ferme absque morbo: succulentum enim corpus apparet, quoniam humidum illud vigente calore in carnem & pinguedinem transit. Hæc autem vna est ex præparationibus, quas Auerroës in sexto suo Collectaneorum dixit hominibus aduenire. Ex quo patet, non totam materiam fluere, sed humidam substantiam tantum: calor enim quanto magis terreum adurit, eo siccius efficit, atque etiam immobilius: reliquum autem substantiæ humidæ totum fluit ac refluit. Ergo in corde quamquam humida substantia augeatur, non tamen humidius fit, (quod quasi Vgo vidit) nam aucto corde ea quantitate in fine consumptionis terra nutrimenti superest: quare ante nutritionem humidius efficitur, sed hæc accessio est momentanea. At verò cùm in alio membro nihil prohibeat calore accedente ex iecore, & corde, ac humido, membrum augeri, humidius etiam membrum fieri potest secundùm substantiam. Quod quasi in tertio Artis Medicæ sensisse Galenus videtur, cùm dixit: Calida quidem & sicca temperies, humidis ac frigidis ad meliorem statum reducetur. Sed difficile fuit Vgoni & aliis expositoribus diuinare, quod sibi Galenus voluerit eo in loco: propter dicta tamen eius primo de Tuenda sanitate, tum ibi, si cui forsan Galeni sententia arrideat, quid ille sibi velit breuiter explicabo. Siccior (gratia exempli) adolescentis temperies, humidioribus vtens, non autem frigidioribus, nec calidioribus ætate succedente, minus siccatur ob vitæ institutum quàm refrigeretur: crescente igitur plus frigiditate quàm siccitate, cùm iuxta consistentiam erit, temperiem ex æquo frigidam vt siccam sortietur: atque ob id temperatæ huius ætatis consimilem. Hæc est permutatio innati temperamenti secundum Galenum possibilis. Verùm & nos non aliam totius corporis comparatione possibilem esse fatemur: quia principium nullum est cordis, sed ipsum cor principium. At verò in aliis membris plurimo accedente humido & calido totum fieri potest humidius: & maximè in his quæ sensui subiecta sunt, vt cruribus & ventriculo: per frictiones enim & vnctiones multo ibi sanguine attracto, atque per emplastra ne diffletur, retento, replentur villi nutrimento, & auidius attrahunt ac nutriuntur, maioráque membra euadunt. Quod ille fatetur de crure, vt dictum est: quamquam, quoniam ignorabat causam, sententiam non retinuerit. Ergo sic incrassari solida membra, facilius tamen neruosa quàm ossea, in pueris & adolescentibus, tum etiam iuuenibus mollioribus, ac mulieribus, humectaríque poterunt: nam ad materiam, quæ quinta sui parte solum humida fit, si alia accedat æquali quantitate, quæ ex æquo terream partem ex quinta obtineat, fiet totum tam humidum, quàm siccum: quare longè priore humidius, tum validius. Quòd si hæc solicitudo profuit cruri, cur ventriculo, cæterísque partibus prodesse non debet, quæ sensui subiacent? Ostendit istud regeneratio partium, quam ille fatetur, quæ longe difficilior tamen est. Ostendit vnguentum nostrum, quod neruos præcisos elongare solet, tum etiam motui aptos reddere: non simpliciter adhibitum, sed industria magna, quam illi Sacerdos experimento doctus exhibere solebat, cùm vitam ex hac sola industria traheret. Ostendit emplastrum Galeni sanguinem sistens, de quo in quinto de Artis curatiuæ egit: quamquam id ipsum ibi haud descripserit.

cap. 1.

1 art medica, co 25 de test.

cap. 3.

ex 3. de simp. med. c. 10.

Diximus necessitatem resolutionis, ac nutritionis, tum caloris naturalis cum anima non nisi ignis elemento posse commode copulari: nutricationis etiam in singulis partibus modum: cúrque homo augeatur quandoque non, & tandem ad senium perueniat, quodque hoc solum animalibus & plantis necessario inest. Quòd etiam anima ex subiecto in subiectum non immigrat, sed vna consistit in igneo elemento, quod non totum variatur: ipsum verò in cordis sinistro ventriculo, vt in libro de Animi immortalitate. Ipse verò ignis non permutatur: cùm sit efficiens, nec habeat quod corrumpat vsque ad mortem, vtque in vasis terrea pars, sic in sanguine ignea manet impermutabilis: ipse verò ignis aliis, atque aliis miscetur elementis. Sed hæc non sunt subiectum animæ primum: quare anima manet, & idem numero calor: qui quandiu non diminuitur, anima eandem in operationibus vim retinet. Quodque quamquam quod miscetur humido membrorum ante senectutem non sit impurum, impurius tamen totum redditur: in senectute verò etiam quod immiscetur impurum est. Ob hoc cùm valde senescit homo, tunc simul breui tempore, qui diu restiterat, deterior euadit: plúsque anno vno detrimenti accipit comparatione prioris temporis, quàm antea per annorum decem spatium: nam causæ ipsismet in hoc fauent: ex mala enim nutricatione membra infirmiora redduntur, tum influens calor euadit deterior: ex hoc rursus mala nutricatio, inde aceruus malorum omnium approperat. Prius autem membra senium contrahunt, quàm quod in membris continetur, id est, calor influens. In hoc enim ignis & anima ipsa, quæ nusquam per se senescit, imò senio resistit igneum fouens subiectum calorem. Quomodo autem dum nutriuntur dura maneant, id ex hoc intelligere licet, quòd nutrimentum cùm agglutinatur magnam iam partem assimilationis in substantia adeptum est. Quòd si ossa sanguine nutrirentur,

rentur, dura, eo modo quo sunt, esse impossibile omnino foret. Nunc nutrimentum ipsum adeò densum est, vt vel per se quasi posset consistere: miscetur autem, quia adhuc in potētia est: quod nutritur ad id nutrit: tantumque retinet mollitiei dum viuit animal, vt immisceri possit nutrimentum: cùm verò per solam appositionem nutritur, celeberrimè senescit ac moritur: non augetur autem, quia extendi nequit, recipit tamen sub eadem qua prius erat quantitate solumque densius redditur: tuncque corpora fiunt ob id firmiora post adolescentiam: quod esse non posset, si poris ipsis nutrirentur. Pori ad commodiorem transitum facti sunt alimenti: tum etiam vt in his ipsum alimentū cōcoquatur ad magnam membri quod nutrire debet similitudinem. Ossa autem non ob id non regenerantur, quia materia ex qua genita sint deficiat, sic enim magis in iuuenibus quàm pueris degenerari possent: sed quia multis annis siccitas ossis aucta est, ac durities: ergo non paucis diebus tanta durities accedere potest, vt reddatur quod adiicitur ei cui adiicitur simile. Quare nec Galenus in prima causa perseuerauit, sed hanc secundam adiecit, quæ longè est euidentior: ac tertiam rursus, quod antequam coalescat os aut neruus, caro ipsa superexcrescit, quæ facilior est generatione, & ob id impeditur vera ossis consolidatio. In nutricatione verò cùm copia non requiratur alimenti, contraxeritque moram quod nutrire debet ob id nutritur os, non autem discissum consolidatur. In pueris igitur tribus ex causis facilius os restauratur, aut quodcunque solidum membrum, quam in iuuenibus. Prima, quòd minor est ossis durities, quam in adultioribus, ob id breuiori tempore potest coalescere: quamquàm non octo dierum spatio quod mollissimum etiam est, vt in Embrione apparet, coalescere possit. Verùm in pueris & serius, &, vt dixi, ex iam concocto humore, accedit quod in pueris copiosior sit humor, cùm non solùm pro nutritione, sed etiam pro augumento paratus sit. Tertia, quòd minora sunt puerorum ossa, atque ob id plerunque minore indigent restauratione: nam à magna prorsus nullus sanatur. Igitur nutricationis modus est in osse, quod nutrimentum in concauo eius recipitur, atque ibi per menses ac annos paulatim concrescit atque concoquitur. At in fractis nulla est conueniens ciuitas, calorque ibi ob læsionem debilis, ac moram non admittit generatio carnis: quòd si remoretur os ab aëre, quoniam exangue est, vitiatur. Hanc ob causam nec celeriter potest restitui, nec moram commodè sustinet. Cur autem terreum non difflatur, commodum enim hoc erat ad animalium perpetuitatem, cùm igitur multas haberet omnino causas alias animal mortis, si terreum potuisset difflari, animal diu mansisset inutile: atque interim aliis causis mortis obnoxium: quamobrem nec viuacius fuisset, & tamen longè inutilius. Deerat etiam efficiens causa: ob calorem enim quod terreum est nullo modo consumi poterat. Periculum etiam erat ne sic quod contineretur in vasi totum efflueret: quare terreum in solidis perpetuò, igneum in sanguine manere necessariū est. Ob id terrea in cibis senectutem approperant: humentia, maximè oleum & lac, retardant. Sectio verò venæ senectutem accelerat: moderata exercitatio, & læta mens retardat, elixique potus: nam hæc non igneam partem comminui sinunt. Ossa verò restaurantur, & venæ, & nerui, carnis prohibita generatione per exiccantia citra morsum, per ea quæ glutinosum præbent alimentum, per aëris caliditatem.

Quomodo autem anima non permaneat sempiterna in plantis, intellige. Aliæ earum eam habent in medulla, vt cupressus: quædam in cortice, vt salix, ex toto enim exenterata viuit: quædam in radice, vt laurus. Capiamus igitur exemplum de salice: anima eius est in trunco, rami autem potentia viuunt, non autem actu habent animam, sed virtute animæ, quæ est in cortice trunci, folia emittunt & flores, non secus quam in animalibus ex corde animam habente perficiuntur in aliis membris opera vitæ. Si igitur stolenem cum parte trunci auulserit aliquis, quod ex trunco auferes aut morietur illico, aut parum superuiuet, quia animatum iam actu erat: quod verò in potentia in stolone erat, animatum fit actu, non secus quàm in semine à calore solis: & talis anima diu, vt in nouo corpore, in eo manet: quare ex hoc nihil absurdum sequitur. Semina autem plantarum non viuunt nisi potentia, quia imperfectiora sunt plantis, à quibus deciduntur: semina verò animalium viuunt vita vegetatrice, non autem sensitiua: est enim in potentia quasi semper ad id, à quo deciditur. Minima verò nulla ponenda sunt in infinitum diuiso nutrimento: talia enim necessaria sunt separatis & actu existentibus. Quòd verò nutritur in potentia, est ratione magnitudinis & densitatis, actu autem tale per calorem animæ, nutrimentum verò in mutatione est, ac nihil existens actu per se, nec quantitate, nec qualitate nec substantia, sed in potentia ex toto ad id quod nutritur. Ergo rectè dixit Galenus calorem primum iuuenibus, ac pueris, id est, ignem animæ subiectum æqualem esse. Decrescit autem senescentibus valde: vnde duplex senium, In corporis robore, quod à quadragesimo anno initium sumit: & Ab operationibus animi, quod iuxta quinquagesimum euenit: nam tunc igneus calor decrescit: vnde post eam ætatem geniti necessariò ad suum genus collati inualidi, sapientiores tamen plerunque sunt: quod ignis natura impedit contemplationem ac prudentiam.

Ex his igitur manifestum, quæ membra, & quomodo, & quando à vera siccitate possint reparari: quodque hectica tertiæ speciei in toto, quia in corde curationē non recipit, in

in vno autem membro recipit, vsque ad iuuentutem in multis, & si non leui industria & medici sapientia. Quomodo etiam totius inæqualis intemperies, iuxta Galenum & veritatem, ad perfectam æqualitatẽ reduci possit: quomodo etiam nutricatio fiat & augmentum, atque vsquequo: tum etiam quomodo materia fluat & refluat, maneat verò forma: & quonam pacto fluente materia sit idem animal per totam vitam, nec tamen anima nouam materiam ineat: quonam pacto in nutricatione etiam quælibet pars nutriti nutriatur, nec tamen detur penetratio corporum: nam talia sunt, quorum vnum, vel saltem in actu quantum existit (hoc enim Philosophus damnabat) quomodo etiam addito meliore nutrimento semper totum euadat deterius: quonam pacto etiam plantarum quę ex decisione propagantur, anima non sit sempiterna Hæc, atque alia plura ex his, vt cuique patet, iam sunt manifesta.

4. Physic. t. c. 55.

CONTRADIC. X.

Virtutes naturales inseruientes, sunt quatuor.

cap 6. cap. 8.

VIrtutes naturales quæ inseruiunt, sunt quatuor, vt in libro de Causis morborum. Attractiua, Retẽtiua, Concoctrix, & expulsiua, idem in octauo de Medicamentis secundum locos, & in quinto de Locis, & in primo de facultatibus naturalibus, tum alibi sæpius, quàm vt possim describere. At verò præter has, Separatiuam posuisse videtur, velut in quarta Aphorismorum, cùm inquit, Siquidem præire oportet coctionem, subsequi verò discretionem, demum euacuationem. Sed & in primo de Facultatibus naturalibus, cùm docuisset, concoctricem in venis ac membris esse, Secretice, ait, opus esse demum, vt ea quæ superflua sunt, etiam possit expellere. Meminit & huius, quicunque fuit autor eius libelli, cuius titulus est, De virtutibus nostrum corpus administrantibus. videtur & hoc in libro de Theriaca ad Pisonem sensisse: tum in libro de Medicamentis secundum genera. In tertio verò de Symptomatum causis cùm docuisset quæ accidunt detrimenta attractrici, retentrici, concoctrici, expultrici facultati, demum de separatrice agit: vnde Auerroës dixit, quòd licet Galenus cognouerit separatiuam, non tamen agnouit discretiuam, de qua locutus est Albumasar: & quòd illa multum ab hac, & in modo operandi, & in tempore differt: ideo ibi ponit virtutes naturales quæ inseruiunt quinque: tum in secundo libro non semel Veruntamen dixit aliquando: Et manifestum est, quòd ministri sunt quatuor virtutes supradictæ. Simile quiddam accidit Principi, nam cùm & ipse posuisset eas tantum quatuor, vt in primo libro Canonis, & in primo suæ Canticæ: attamen in tertio libro posuit eas quinque in duobus locis, dum de paruitate agit hepatis, ac dum causas anasarcæ enarrat. Pro solutione respõdeo, quòd prætermissa opinione Auerrois, oportet primò declarare differentiam discretiuæ à separatiua: nam

cap. 7. ante medium.

cap. 11. in pri.

com. 11. cap. 10. & 11. in fine. in prin. c. 1. cap. 1 ante fin.

3. Coll. cap. 16

cap 7 in medio & 8. ac 9. in fine.

cap 9. in prin

separatiuam ponit Galenus, quæ consequitur necessariò opus naturæ attrahentis quod cõuenit, & relinquentis quod non conuenit: sed hoc modo non est quinta virtus, sed est operatio consequẽs opus aliarum: ideo Auerroës, qui volebat Galeno contradicere, dixit, quòd sunt duæ res diuersæ: quia discretiua præcedit expulsionem & attractionem, vt colligitur ex commento Aphorismi adducto: & ideo discretiua in duobus differt à separatiua. Primò quia separat bonum à malo siue loci permutatione, sicut etiam facit cõcoctrix & retentrix. Secundo, quia præcedit saltem expulsiuam, & non consequitur eam. Dico igitur, quòd iuxta Galenum hæc virtus non est distincta ab aliis quatuor, vt dixi: verùm apparet illius opus per accidens, maximè in tribus: in separatione materiæ concoctæ in morbis ab vtili quæ apta est alere. Secundò, in separatione superflui ab alimento, & maximè in iecore, vt humorum in actu & serosæ partis quæ ad renes trahitur. Tertiò, in separatione partium medicamenti propriarum vnicuique membro, vt frigidarum à iecore, calidarum à splene. Et de primo loquitur in Aphorismis, de secundo loquitur in primo de Facultatibus naturalibus, & in tertio de Causis symptomatum: & Princeps in quartadecima tertij locis iam adductis. Sed de tertio in lib. 1. de compositione Medicamentorum secundum genera, & iii libro de Theriaca. Verùm declaro quòd nullo modo sit necessaria vt rectè Galenus sentit: nam posita parte linei panni in vino aqua mixto, & propendente parte prius madefacta aqua, tota aqua exit ob similitudinem & grauitatem, vt experimento patet: & cùm ibi non sit virtus aliqua discretiua, sed sola attractiua eius quod conuenit: manifestum est, longè minus in animalibus necessariam esse discretiuam virtutem. Et si quis dicat, quare igitur in iecore connumeratur à Principe? Respondeo, quia Princeps ponit causas hydropis apparentes, & quia in talibus apparet plerumque vrina sanguinea, ideo cùm hæc fiat ex debilitate concoctricis iecoris cum debilitate concoctricis renum: nam per primam fit difficilis separatio, per secundam non fit separatio: & causa debilis coctionis debilis in iecore, plerunque est debilitas retentricis: ideo ne dicant tot causas, ponunt vnum effectum pro pluribus causis: & dicunt, hoc aduenit causa debilitatis discretiuæ iecoris. Auerroës tamen existimat eas esse quinque: & ad hoc ostendendum oporteret vt doceret nos, quod ante attractionem, scilicet dum partes sunt in loco, quòd essent diuisæ ac separatæ à natura. In attractione autem credidit Auerroës quòd fieret, vt in ferro à magnete: sed de hoc in principio huius libri diximus. Harum virtutum igitur quatuor, vt reliquorum plerumque bonorum, inuentor fuit ipse primò Philosophus in libris de Generatione animalium quæstio 46. Disputauit & de hoc quæsito Iacobus Forliuienũs in dubitationibus super primam primi, sed à scopo satis procul.

fen. 1. doc. 6. c. 3. & verbo 86.

fen. 14. tract. c. 29. & tract. 4. cap. 6.

7. Phis. co. 10.

CONTRADICT. XI.

Pituita an per vlteriorem exustionem in atram bilem transire possit.

MElancholiæ alia est, quæ est cinis pituitæ, & quod de ea est adustum, & si pituita valde subtilis fuerit, melancholia erit salsa: si autem non, erit acida, aut astringens, inquit Auicenna prima primi: & in tertio libro rursus, Scias quòd atra bilis melancholiam faciens aliquando est naturalis, & aliquando fit ex pituita ipsa ob crassitiem, aut ob exustionem: & hoc contingit rarò admodum. Et Gentilis exponit putredinem per exustionem, vt illius speciem: sic vt credamus, quòd putrefacta pituita in atram bilem sæpe transeat: non quidem sæpe absolutè, nam hoc exclusit Princeps, sed in comparatione ad eam quæ per exustionem in atram bilem transit. Et rasis decimo octauo Continentium inquit, Alexandri autoritate, Quartana fit quandoque ex pituita sicca salsa. Et paulò pòst, Quartana fit ex successu omnium febrium tertianæ, continuæ, & quotidianæ: & ex adustis humoribus, sanguine, bile, & pituita, Symeonis autoritate. Et pòst etiam Mesue autoritate, fit quartana succedens febri quotidianæ, à pituita exusta: & tunc da saccharum rosatum cum succo apij & fœniculi. Et princeps ipse in prima Quarti, de quotidiana loquens, inquit: Et quandoque magnus splen fit, & sequitur eam acidus ructus, hæc autem palam est esse initia quartanæ, tum causas ac signa. Et manifestius pòst, Iam sciuisti (dum inquit) quòd melancholia præternaturalis alia fit ex adustione sanguinis, alia bilis, alia pituitæ. Deinde, inquit, fit successione plerunque aliarum putridarum febrium. Et rursus in cura: Et si fuerit melancholia pituitosa, properet ad syrupum acetosum ex melle cum succo apij. Accedit quòd in enarratione sententiæ Galeni in tertio de Locis affectis, Aëtius in sexto libro exponit tertium melancholiæ genus, quòd à ventriculo prouenit, fieri ex cruditatibus, ac mala coctione. Ratio etiam ipsa suffragatur: nam omnibus febrium generibus constat quartanam experimento succedere. Si igitur quotidianæ succedat, necesse est melancholiam ex pituita fieri: si etiam pituita putrescat, terreum aliquid superesse necesse est. Id igitur rogo, si atra bilis non est, quid erit? In oppositum est, quod Galenus transitum humorum in atram bilem docens, in tertio de Locis, solius flauæ bilis & sanguinis meminit: quod & in libro de Atra bile obseruat, Pituitæ nulla habita vllibi mentione. Sed & cùm ibidem, scilicet in libro de Locis affectis tertio, de transitu ex comitiali morbo in insaniam ageret, docuit duplicem hunc esse morbum: alium ab atra bile, qui transire posset: alium, qui minime posset, quoniam ex pituita factus sit. Ergo si ex pituita transitus in atram bilem esset, vtraque comitialis morbi species, in insaniam commode verti posset. Et in eodem sensu septima Aphorismorum mihi dixisse certè videtur, cùm in commento exponens inquit, Morbi aliqui simul ex pituita fiunt, & ex atra bile: quare non simpliciter melancolici aut pituitosi dicendi sunt, sed pituitosi simul ac melancolici: id est, qui modo ab hoc humore, modo ab illo gignantur: qualis est attonitus, & comitialis. In secundo etiam Facultatum naturalium laudat sententiam Praxagoræ Nicarchi filij, qui decem præter sanguinem statuit humores. Liquido autem constat, Bilis esse quinque genera, Pituitæ tria: locus igitur tantùm duabus atræ bilis speciebus relinquitur. Nulla igitur ex pituita bilis atra. Meminit etiam Rabi Moyses in Aphorismis expositionis Galeni super librum Hippocratis περὶ φύσιος, in qua dixit, pituitam nullo calore etiam validissimo in atram bilem verti posse. Manardus etiam adiicit rationes, in transitu ex albo in nigrum necesse est vt colores multi succedant intermedij, quare plura genera atræ bilis fient: nam si flaua, pallida, viridis, lutea, rubra bilis datur, tam modico extremorum colorum interuallo, quot genera sanè erunt atræ bilis inter album & nigrum, quæ ex directo opponuntur? Gypsea quoque pituita quæ admodum sicca est, pituitæ tamen non atræ bilis nomen & substantiam retinet, vnde Galenus in libello de Tumoribus, agit primò de his, qui ab atra bile fiunt, nec omnes præduros esse affirmat: pòst duros quosdam enumerat, qui fint ex pituita, è quorum genere est struma. Accedit, quòd in cerebro tanta non potest esse frigiditas quæ congelet pituitam, transireque faciat in bilem atram: nam cerebrum, vt alias diximus, calidius est aëre æstatis calidissimo. Sed neque Ioannitius, nec Serapio aut Haliabbas, qui Galenum secuti sunt, huius generis atræ bilis, quæ ex pituita concrescat, meminerunt. Galenus etiam in secundo Prognosticorum inquit: Candida verò excreatio, glutinosa rotundaque propter assatam fit pituitam. Ex quo planè colligitur, assatam pituitam non ob id posse in nigrum humorem transmutari. Hæc ille. Verùm miror de homine, imò non miror, cùm enim diuitiis & gloriæ intendant, sibi in hoc placent: nihil autem possunt statuere in vniuersum quod ad explicationem rerum conducat. Nobis autem non difficile hoc est: visum enim est alium esse humorem actu, & hic per vlteriorem concoctionem imò vstionem sub pituitæ ratione prius existens, in atram bilem minime verti potest. Quod ex sententia Galeni fuisse reor. Salsa tamen pituita cùm biliosum aliquid in se contineat, resoluta frigidiore & liquidiore parte, in atram bilem transit, exusta amplius. Ob id rectè Auicenna dixit hoc rarò, & parum: id est non solùm rarò, sed ex modica eius quod aduritur portione accidere: nam parua est bilis portio in salsa pituita. Hoc autem esse necessarium, non solùm contingere, liquidò clarum est: nam omne biliosum terreum etiam est, & calidum: per ampliorem igitur exustiorem transit in atram bilem. Pituita verò ipsa putrescens non illico in atram bilem verti potest, sed si prius in salsam transierit. Si igitur in salsa pituita accidat vstio,

ex

doc. 4. c 1. iuxta finem.
fen. 1 tract. 4 cap. 18.
cap. 2. fol. 368 col. 2.
fol. 369. col. 3.
trac. 2. ca. 47. in fine.
ibidem c. 60.
cap. 62.
cap 7.
cap. 9.
cap 7.
cap 3.
Aphor. 40.
cap. 9. in fine.
par. 2. apho. 28.
lib. 9 ep. 2.
cap. 13. 14 & 15. cap. 18.
8. de vsu partium cap. 2.
com. 46.

ex subnigro humore pituitoso tamen quartanus fiet circuitus: quia humor est sub natura, non tamen perfectæ atræ bilis, sub pituitæ tamen accidentibus: à puro autem calore tota colliquatur, nec in atram bilem transit: aut etiam cogitur, vt in rotundis sputis: à frigido verò congelatur in cerebro. At cerebrum, vt ibi vult Galenus, & nos alias docuimus in hoc libro, extima sui parte calidum est, intima potest congelare: quod videmus in pituitosis excrementis quæ ex palato & naribus hyeme descendunt: non tamen est hic humor atra bilis, sed ob siccitatem, quam actu retinet, similis illis. Ostendit autem hoc, quod iam diximus, humores, qui extra venas sunt, tales esse: non tamen insaniam generabunt, vt etiam Galenus vult, sed comitialem morbum. Auicenna verò omnes causas generationis humoris melancholici miscet, vt solet, seu talis sit actu, seu potentia: quamuis in prima tertij non satis opportune: aptius in prima primi. Ex eo verò qui ob putredinem talis euadit, vt in lethargis, insania fit. Sed & ex eo qui gelu concrescit, sed rarò admodum, estque potius quædam fatuitas & eneruatio intellectus. Galenus hoc non considerauit, vt rarissimum ibi: tum quia non locus esset de omnibus dicendi: neque enim quicquam de aliis mentis perturbationibus dicit, præterquam de insania, & obliuione, potentia tamen ob congelationem, pituita nunquam euadet in atram bilem. Signum autem ac nomen in humoribus haud par est magis ex colore quàm qualitatibus sumere: neque enim prorsus quod album est, protinus etiam pituita est appellanda, verum potius quod frigidum & humidum: colorem enim Galenus nunquam substantiæ aut qualitatibus primis prætulit. Nec omne nigrum prorsus ad atram bilem pertinet: inquit enim Galenus: Sæpe excrementa assumpti cibi colorem assequuntur. Neque perpetuò verum est, in transitu ex colore in contrarium colorem per omnes intermedios fieri mutationem: tertio enim Prorrhetici meminit sub nigri humoris, vt in vrina, & talia sæpe deiiciuntur, quæ non sunt exquisitè nigra, vt cinerea: quare id potius ostenderet ex pituita atram bilem fieri posse. Sed his non est immorandum, à qualitatibus enim differentiæ sumi debent: in sanguine autem quæ continetur pituita in atram bilem transit, quoniam potentia humor vterque est: nec indiget nisi vt parum denigretur: rubri enim tales humores, quemadmodum & dulces omnes, cùm secundum naturam extiterint, illico igitur in atram bilem transeunt. Vnde pituita putrida cùm prius in venis contenta fuerit, in quartanam, terminatur, quod frequens est: nam puerulis multis quartanæ vt etiam ætate iam consistente peracta: pauciores adolescentibus & pueris. Frequens hoc in his ob accessionum multitudinem & longitudinem. At verò de his Galenus loquitur, cùm sanguinis nomine concretum ex omnibus humoribus intelligit. Sola igitur pura pituita à calore citra febrem, & à frigore, non potest in atræ bilis naturam secundum actum transire. Quæ autem in pectore à febrili calore superassatur si diutius maneat, donec nigra fiat, hominem strangulat. Ob id nigrum sputum, aut atræ bilis, aut maximi incendij, aut perfrigerati caloris innati indicium est. Oportebat autem aliter sentientibus nobis concedere semper nigrum sputum ab atra bile fieri, at non omne incendium sufficit ad hoc: sed prius glutinosum redditur, inde rotundum & crassum, pòst verò subnigrum, ac demum nigrum fiet, & tunc ad atræ bilis naturam accedit, mortem proximam ostendens. Quòd autem hæc ita sint, planè nunc ostendo. Primum quidem atram bilem à sola flaua generari docuit, vel eius speciem melancholicum humorem sanguinis esse fecem, tertia & sexta Aphorismorum, in commento: vbi etiam Galenus dicebat & quanto crassitie atra bilis inferior est sanguinis fece, tanto malitia deterior. At verò dum non putrescit quòd potius à calore dissipetur quàm quòd in alium humorem conuertatur docuit in tertia rursus Aphorismorum, aphor. 14. cùm dixit, ex verbis Hippocratis, Pituitosis omnia hæc auxilio sunt: exiccantur enim & ad hyemem non laxi, sed exiccati perueniunt. Quòd verò Manardus constanter affirmat, quinque esse bilis genera, ad sequentem pertinet contradictionem. Quòd verò melancholica passio ab humore pituitoso fieri possit, colligit Auicenna sexta Aporismorum, aphor. 56. cùm enim dixisset Hippocrates: In morbis melancholicis ad hæc periculosi decubitus, stuporem corporis, vel conuulsionem, vel furorem, vel cæcitatem significant, inquit Galenus, quòd omnes hi morbi, conuulsio, stupor, cæcitas, etiam à pituita generari possunt: furor autem minime. Si igitur melancholia ex pituita generari non posset, clarum est, quòd non oportebat de furore sermonem habere: quia omnes hos morbos in melancholia vel ab ipsa accidere vult tam Galenus quàm Hippocrates. Non igitur magis repugnat à pituita fieri melancholiam, quàm stuporem, aut conuulsionem, aut periculosum decubitum, aut cæcitatem. Repugnat autem hoc ipsi furori: quare constat ex pituitæ congelatione fieri posse morbum illum qui melancholia dicitur. Sed de Salsa pituita putrida, difficultas est, dicente Galeno septima Aphorismorum, aphor. 43. Quod autem de bile dicitur, & de rufa & de atra potest intelligi: non tamen in his solis ostendebamus, sed & ob pituitam putrescentem fieri febrem. Et in hac sola videbitur aphorismus non esse verus, nisi quis existimauerit, pituitæ putrefactionem in biliosum humorem posse conuerti. At hîc multa possunt dici: Primò particulæ, Existimauerit, dubium facit sermonem, aliter etiam de vtraque bile intelligi potest, in quam, aut in quas humor pituitosus conuertatur. Vel dic, quòd pituita simplex, quæ salsa non est, in flauam vertitur: quæ autem salsa est, cùm ex parte sit bilis, in atram transit.

Trac. 1. contradic. 5.

Contradic. 6. huius trac.

am. 3.

aphoris. 22. aphor. 53.

CONTRADICT. XII.

Bilis an quinque genera.

prima primi doc.4.c.1.

BIlis quinque genera enumerat Auicenna: Rubeam, quæ naturalis est apud illum: Vitellinam & Citrinam, quas maioris famæ appellat: demum Æruginosam, & Prassinam. Sic Manardus loco superiore Auicennam interpretatur, aut de Galeno sentit: sed si Galenum, falsò: si autem Auicennam, dubium est, nec ad suum propositum: cum denarium illum numerum apud Galenum, non apud Auicennam absoluere intendat. Posset enim quis dubitare, an zinaria sit æruginosa, sed est, aliter essent sex species. Forsitan videtur concordare in hoc numero quinario dictum Galeni decimo de Simplicibus medicamentis, cap. de felle, vbi enumerat quinque bilis genera à colore sumpta: Pallidum, Flauum, Æruginosum, Glasteum, Cæruleum. Sed non concordant cum speciebus à Principe cōmuneratis: nam cærulea sub nulla earum, quæ à Principe ponuntur, potest collocari. Sed in primo de Natura humana posuit Pallidam, Flauam, Rubram, Æruginosam, & Prassinam. Hic igitur quinque enumerat, sed Rubra non eadem est, quæ Cærulea. Rursus in libro de Atra bile, (quæ quidem falsò Galeni esse haud existimant) septem eius genera connumerat: Rubram, quæ naturæ sanguinis proxima est: Flauam, Pallidam, Vitellinam, quam inquit fieri, cùm flaua nimio siccatur: Cæruleam: tum duas Æruginosam, atque Prassinam. Respondeo: ipse antea in primo de natura humana inquit, species bilis innumeræ sunt, tum magis quæ ex putredine fiunt. Ergo cùm enumerasset rubeam, prassinam, æruginosam, cæruleam, non has tantum, sed & alias intellexit. In libro igitur de Atra bile omnes connumerat, quæ citra putredinem etiam fieri possunt. At verò in libris de Natura humana cuiusdam quæ sanguinis naturæ proximè accedit. Verùm in decimo de Simplicibus medicamentis famosiores, quamquàm & ibi alia pleraque genera connumeret. Auicenna verò hanc rationem secutus est, quamquàm vt aliàs diximus de flaua & rubra à Galeno quomodo dissidere videatur. Sunt igitur præter has quæ à Galeno nominantur multæ aliæ species bilis, Ferruginosa, Cineritia, ac tales.

com.19.

cap. 2.

com. 16.

CONTRADICT. XIII.

Vitellina fit ex adustione, viridis solum in ventriculo quæ harum calidior.

cap. 6.

VIridis bilis, seu Æruginosa sit, seu Prassina, in ventriculo gignitur, secundo de Temperamentis: poniturque signum distinguens in vomitu seu veniat à ventriculo, seu à iecore: nam, inquit, si à iecore Pallida, aut Flaua apparet: si à ventriculo, viridis. Ponit autem eius generationis causam edulia calidiora & praui succi. Idem quoad locum docet in libro de Atra bile. Hoc etiam illi imponit Auicenna & Auerroës in tertio suorum Collectaneorum. At oppositum sentire videtur Galenus decimo de Simplicibus medicamentis: cùm enumerans genera bilis, quæ in illius vesica inueniri solent, Æruginosum, vt dixi, & Glasteum apponit. Et in secundo Prognosticorum inquit, Viridis, aut subuiridis vehementis consumptionis signum est. At infrà videtur declarasse illius generationis modum, inquit enim: Viridis plerumque in ventriculo ob malos cibos generatur: quandoque verò etiam sine illis, non in ventriculo, sed in venis ex morbo aliquo generatur: hanc igitur per adustionem, vt sic dicam, fieri credit. Verùm inferius hunc ordinem statuit, dum de Sputis ageret, cùm serosus humor assatur fit croceus aut flauus, si hic postmodum superassetur viridis: demum si & hic assetur niger, qui omnium pessimus est, hic viridem deteriorem croceo affirmat. Sed & in libro de Atra bile vitellinam per adustionem docuit fieri, vt nos recitauimus. Videtur etiam ex his, quæ in duodecimo Artis curatiuæ narrat, & in quinta Aphorismorum, cùm conuulsio viridis humoris potentiam sequatur, pessimus humor esse æruginosus. Quàmquàm qui narratur in Arte curatiua adolescens deteriorem longè habere humorem, quàm qui in Aphorismis: nam primo etiam syncopis accessit & sudores frigidi, atque ea omnia præter conuulsionem etiam, & antè vomitum: alter verò solum dum vomeret sola conuulsione vexatus est. Quòd verò vitellinam etiam ex exustione fieri credat, apparet secundo Virtutum naturalium, quamuis sensus potius quàm verba id doceant: nam atram bilem, & hanc in malè affectis corporibus ait generari. At si vitellina ex pituita admixta fieret, non esset malè affectum necessariò corpus: imò pallida hoc modo gignitur, decimo de Simplicibus medicamentis, nec etiam similis esset vtriusque generatio, cùm atram per adustionem apertè fieri doceat. Auicenna igitur credit, viridem bilem fieri ob assationem, æruginosam verò veneni naturam habere: idem etiam Auerrois loco iam superius adducto. Verùm in hoc ab Auicenna differt, quòd credit ex flaua & atra viridem colorem fieri addita etiam assatione. Sed Auicenna putat vitellinam cùm aduritur talem fieri. Veritas igitur est, quòd Galenus eius, quæ euomitur viridis, generationem in ventriculo ex cibis statuit: non tamen negat alibi etiam per assationem talem, quæ etiam fit perniciosior, generari. Auicenna autem & Auerroës omnem effundi ad ventriculum putant, ex assatione genitam: tum quòd locus ille cauus ad id negotij satis aptus videtur, tam quòd non est verosimile, adeò sæua symptomata, illius potentiam sequi, si ex cibis, non adustione gigneretur. Constat sanè omnes hos maximo in vitæ discrimine versari: paucissimos autem, atque hos omnes ferme adolescentes seruari. Quòd si ad malorum ciborum assumptionem sequantur,

cap. 2. prima primi doc.4.cap.1.

cap. 3.

cap. de felle.

com. 11.

com. 39.

com. 47.

cap. 1.

cap. vult. in fine.

Aphoris. 1.

cap. 9. pr. medium.

quantur, non ideo fit, vt non prius illi in iecore & concoqui & assari interim valeant. Hoc est autem in re discriminis, quòd vitellina palam, vt Arabes volunt, ex pituita fit crassa, nec sæuum quicquam ad illam, si non multum exuperet, sequitur, non autem ex adustione, vt Galenus vult, cùm syncerum bilis tum vitellinæ, tum viridis ex iecore fieri posse affirmat. Videmus enim eam diebus singulis citra omne periculum in excrementis: nec est media inter viridis humoris genera, quorum alterum in venis, alterum in ventriculo generatur. Prauam tamen esse vtriusque viridis naturam Galenus existimat: cumque ad ventriculum sine noxa repedare nequeat, multis etiam citra febrem euomentibus, non videtur illa ex superassatione generari. Sit igitur mala quæ euomitur, sed tamen ex cibis genita: quæ verò deiicitur, & est maxima pars alterius comparatione, ex superassatione in venis generatione. Fieri autem ex atra viridem minimè crediderim, quandoquidem nemo ex viridi seruaretur. Vomitus igitur & deiectionum non animaduertisse differentiam videntur Arabes: nec Galenus eam vocat Vitellinam quam Arabes, sed tenuem quandam substantiam croci colori similem. At alibi Vitellinam quòd crassa sit, distinguit à crocea: & hæc concretus est humor, crocea autem diluta. Sed medicus in omnibus his viridis bilis speciebus, si alexipharmacis procedat, nec multum polliceatur, tam curationi, quàm prædictioni, non parum satisfaciet. Quam igitur Vitellinam vocat Auicenna, Galenus Pallidam dicit: quam rursus Citrinam sub eodem genere Galenus collocauit. Aberrat igitur Manardus, qui solam Citrinam cum pallida miscuit, cùm Pallida sit Vitellina atque Citrina. Ergo biliosarum deiectionum viridium, quodque in febribus appareant, perniciosæque sint, quodque ex adustione fiant, non in ventriculo, nullibi clarius meminit, quàm in septima Aphorismorum Galenus. Si igitur ordinem in caliditate desideras, atque etiam in periculo, pessima æruginosa, quæ ex venis ac Prassina, pòst Galeni Vitellina, inde Æruginosa ac Prassina quæ ex ventriculo vltima & facillima ac mitissima Arabum Vitellina. Auerroes tamen de Vitellina dubitat, nec in hoc, nec illo scamno sedens. Nititur autem ostendere, quòd bilis viridis non generatur in ventriculo, quia ventriculus non est locus generationis humorum naturalium.

2. Progno. 38.

lib. 9. epist. 2.

com. 6.

CONTRADICTIO XIV.

Lac an conueniat laterali morbo.

LAc mulctum propriè asininum confert morbo laterali, ab humore melancholico facto, decima tertij. Sumptum videtur hoc ex tertio de Alimentis, Lac omnibus pectoris & pulmonis partibus vtile est. At verò præter id, quòd nemo alius hoc suadet in tanta ciborum securiorum copia accedit, quòd Hippocrates dicebat, Lac esse malum febricitantibus in quinta Aphorismorum. Galenus verò flatuosum eum etiam facit. Gentilis dicebat febrem in tali morbo exiguam esse admodum: sed de flatu nihil dixit. Propterea asinæ lac præeligit Auicenna, quòd caseo maximè ac butyro careat: est enim liquidissimum inter reliqua lactis genera. Caseus autem quinque facit detrimenta potissimum, quarto regiminis acutorum: flatum, astrictionem, cruditatem, æstumque: quæ omnia noxia sunt, maximè hunc morbum patienti. Quintum detrimentum quòd hic non pertineret, prætermisi. Sed nunquid vulgaris est hæc exhibitio? Equidem non: nam præter id quòd lac humorem melancholicum purgat, tum verò magis etiam illius aqua, vt in secundo Canonis habetur: quodque pectus leniat, quòd nutriat optimè: illud præcipuum præter omnia alia habet, quòd hecticæ factæ etiam resistat: quantò magis incumbentem arcere poterit, ad quam maximè parati sunt, qui id morbi genus patiuntur. Existimatur etiam à Rasi, lac quid habere præcipuum aduersus melancholicum humorem: vnde etiam iussit eos qui melancholia laborarent, lac ab vberibus sugere.

trac. 5. c. 3. in fin.
cap. 15.
Aphor. 64.
1. com 92.
cap. 442.
9 ad Almansorem. c. 13.

CONTRADICT. XV.

Papauer an Nymphæa humidius.

NYmpææ tum radix, tum semen vim habet siccandi citra morsum, Galenus inquit in octauo de Simplicibus medicamentis: cui subscribit Paulus in septimo libro: & cùm eius meminisset, quòd Veneri resisteret, in tertio libro nihil dixit de temperamento. Commemorat sanè Rutam & Viticem, quæ quamuis siccent, vt habetur à Dioscoride, sunt tamen calida: at Lactuca frigida est, & humida, & tamen cohibet Venerem: & etiam constat Nymphæam frigidam esse, quamuis de siccitate non constet. Igitur ex tertio libro nihil habemus, ex septimo habemus, vt dixi, quòd sicca sit. Aëtius quoque eam siccam tradit, quòd frigida sit, minimè affirmat. At de Papauere Galenus in septimo de Simplicibus medicamentis frigidam temperiem tradidit, siccitatis nullo modo meminit: quinetiam potius humidum censere debet, cùm sit somniferum: quod & in secundo de Temperamentis affirmat, dicens, Quæcumque somnos prouocant, frigida sunt, & humida, vt lactucæ, papauer, mandragora. Et in primo de Causis symptomatum. Cibus vt natura fuerit humidior, sic somno conciliando aptior, ergo quòd frigidum sit nulla siccitatis suspicione habita, videntur præter Galenum Paulus & Aëtius confirmare. At Galenus succum papaueris inter medicamenta reposuit quæ refrigerent, ac siccent, primo de Temperametis. Serapio etiam papauer in medicamenta frigida & sicca in quarto gradu connumerat: & Princeps in secundo libro, Papauer hortense frigidum est & siccum in secundo gradu, sed nigrum in tertio. At de Nenufare è directo contrarium, Natura inquit frigidum est & humidum in secundo. Serapio autem dicit duas

lib. 1. c. 120.
lib. 1. c. propr.
cap. 2.
cap. 8.
cap. 2.

duas esse species, alteram quæ calida est & sicca, aliam quæ frigida est in tertio, & humida in secundo gradu. Dioscorides, si modò ita est, de Nymphæa nihil dicit, quod ad temperamentum attineat: nostram tamen Nymphæam ad vnguem describit. Quò fit, vt illa Galeni, & reliquorum Græcorum Nymphæa sit facultate sicca, quoad caliditatem autem attinet incerti temperamenti. At de papaueris viribus eadem sentire videtur quæ Galenus in octauo de Simplicibus medicamentis. Sed Auerroës in quinto Collectaneorum posuit papauer frigidum & humidum: similiter Nymphæam in septimo dum de Cura agit febrium quæ à bile fiunt: ipsam enim (secutus suum Auenzoar) non solùm frigidam & humidam sed & aromaticam statuit. Vides quantum discrimen sit in hoc medicamento: nam si sic esset, vt hi dicunt, febribus ardentibus nihil commodius poterit inuenire refrigerans, humectans, somnum concilians, & cum hoc cordi salutare. Haliabbas in secundo practicæ, Papauer album posuit frigidum & humidum in secundo. Sed & in tertio libro, dum de cura tertianæ agit, Nymphæam exhibet. Ex quo facile est intelligere, ipsum existimare herbam frigidam atque humidam. Idem in secundo dixit, ipsum florem esse ex natura violæ: luteum tamen præferre mihi videtur candido: quod me iudicio decretum satis arridet, cùm candidus fœtidus sit, luteus flos bene odoratus: vtcumque de hoc statuatur, cùm viola manifestè sit humida, constat & Nymphæam humidam fore. Rasis verò magis confudit rem, cùm in Continentibus dixit, non solùm autoritate Mesuæ, sed etiam Galeni quòd opium est frigidum ac siccum. Verùm Nymphæam frigidam & humidam statui in secundo, reliquorum Arabum more. Quò fit, vt denuo ad accusandum hos descendam, qui adeò omnium Arabum sententiam, etiam in experimentis floccifaciunt, vt nihil illis tribuere velint. Nam Fuchsius ipse in suo libro de simplicibus, de ea agit, ac si solùm calida vel frigida, sed sicca tamen temperie prorsus sit. Sed vide absurditatem, cùm Græcos tantum sequantur, quid attinet Plinium immiscere, quo nemo in rebus medicis, aut inconstantior, aut magis fallax vel rudis. Ergo & istud penè impium, deserere Auicennam, Rasim, Auerroëm, Auenzoar, totque clarissimi ingenij viros medicos ac philosophos; amplecti autem purum grammaticum, imò ne grammaticum quidem, qui tot suppositiia nomina linguæ Latinæ inseruit: in Græcis hallucinatus est adeò grauiter. Sed vide cuius hominis sequantur iudicium: qui solem igneam sphæram quæ ex halitu terræ impleretur, tum cætera astra, atque ex oriente surgeret iam existimauit, tradiditque memoriæ posteris. Adeò ne rudi seculo cùm tot viri inclyti præcessissent, Aristoteles, Plato, Zeno, totque alij qui docuerunt, astrum esse quod cœlo rotundo infixum esset, ac perpetuò volueretur: huius inquam asini sequemur iudicium, tot autem claros viros deseremus, qui præterquam quòd quotidie in opere centies exercerentur, nihil sine ratione magna dixerunt. Ergo grammatici grammaticos sequantur, nos cum medicis erimus. Sed vt video non hoc in crimine cum Fuchsio est, sed laboris tædium, hæc est illa inclyta excusationis Arabum causa. Volunt certè cum Galeno errare: at rectè cum Galeno agere non illis datum est. Videmus singulis diebus qui Galenum imitantur non leues errores admittere, experimentisque Arabum inferiores esse. Quamobrem vt Galeno primas partes tribuo, sic sequentes Arabibus. Velle autem ob contentionem ægros perdere, non iam, vt mihi videtur, medici officium est, sed sicarij, & si quid deterius sicario est, vt latronis. Ille miser tibi vitam credit, pecunias vt seruetur dat: tu ne cogaris aliquando lingua lapsus Nenufar pro Nymphæa proferre, homines hos tuæ fidei commissos iugulabis? Pro Deûm atque hominum fidem, quantò sunt his viris etiam Turcæ iustiores, ac mitiores? quos tamen adeò exhorremus. Laudo in hoc Brasauolum, qui plus rebus quàm linguæ consuluit, plus hominum vtilitati quàm ornamento. Quòd si contingat vtrumque assequi, vt Vessalio, cùm diligentiæ nimiæ etiam angustia materiæ fauerit, felicitati ascribemus: quamquam nec ipse quicquam prætermiserit, quod etiam ad Arabum scripta intelligenda faceret. Sic Galenus non exosus est medicamenta Scribonij cæterorumque probata, etiam si Græci minimè fuissent. Sic Aëtius & cæteri, præter vnum Paulum, qui compendium Galeni librorum facit, medicinam nobis tradidit. At pereunt chartæ cùm quidam etiam integra ex integris transcribunt, quamquam vetustis aut nondum æditis. Decet elaborare virum, ac prodesse generi humano: tum præcipuè inclytos ingenio, qualis est Fuchsius: non rudium more quæ bene sunt ab aliis tradita, nullis laboribus vsurpare. Sed ad rem deuenio: Nihil obstat flores nymphææ humidos esse ac frigidos: plus enim experimento etiam, quàm Galeno credendum est, etiam si contradicat. Sed Galenus cæterique Græci de semine tantum & radice loquuntur: nam & persici flores è diuerso calidi sunt ac sicci, & non mediocriter purgantes, fructus humidus ac frigidus: & eadem in melonibus conspiciuntur. Quò fit, vt nymphææ flos absque controuersia frigidus sit ac humidus in secundo ordine: radix & semen non parum siccent absque manifesta frigiditate: folia immodicè frigida, sed & sicca: humidior igitur flos nymphææ semine papaueris, at non frigidior: vnde etiam mitior, & febribus commodius auxiliatur, ac etiam humano vsui salubrior: somnus enim ex albo etiam papauere hominem conturbat: frigidius enim papauer est, dumque viride est parum humidum non in secundo, vt male existimant qui verba Haliabbatis perperam interpretantur: cùm verò siccatum fuerit siccum euadit: vnde Galenus proferre noluit, quid in illius natura vinceret, siccitas an humor. Cùm verò dixit humidum esse, de viridi intellexit: nam hoc modicè sumptum non aliter quàm lactuca somnum suauem conciliat: siccatum vt magis eo minus somnum, atque eum etiam caro similem prouocat: sensus non leuiter lædens,

[Marginal notes: cap 35. n. 111. — cap. 12. — cap 37. num. 243. — lib 21. c. 277. — lib 25. c. 801. — cap 202.]

vt cuique singulis diebus licet experiri: quod ex humidis medicinis ac cibus non euenit nobis. Ob frigiditatem autem nimiam omne papauer humectare videtur: nec tamen siccum est immoderatè vt Serapioni imponi falsò posset: diximus enim huius causam in libro primo. Quòd autem Indicia nymphæa humectet magis ac refrigeret nostra, malim credere quàm necessarium sit experiri, cùm differentia floris à semine & radice abunde nobis in ea satisfaciat. Sicut in papauere discrimen viridis atque sicci, de albo tamen semine tantum sermonem nunc intelligi volo. Illud igitur primo in hoc semine quod & in cæteris dico quibus opus est vt humentibus, vt viride contundatur sacchar óque mixtum in sole seruetur: nam sic innoxios, & dulces somnos conciliat: sicci verò nullam vnquam vtilitatem expertus sum, nam grauem efficit, nec magnam dormitationem. Cortex autem siccior est quàm semen: in decoctis tamen plus iuuat quod tempore siccetur minus: lignosum enim omne semine suo siccius est. At in nymphææ flore condiendi eadem ratio est: sed tamen seligere folia tantùm oportet: quæ in medio enim floris & capitula & croceum semen continentur, ad seminis ipsius accedunt siccitatem: quare & hoc diligenter animaduertendum non solùm in his, sed in cæteris floribus ac seminibus. Sic igitur vtrisque viridibus tum etiam selectis saccharóque conditis vtemur, aliter floris inutilis, seminis etiam perniciosus vsus erit. Cùm verò Galenus in quinto de simplicibus medicamentis nymphæam pronuntiauit siccam ac frigidam, vel de foliis intellexit: vel alibi semen quod frigidum esset aut radix dicere prætermiserat.

trac. 1. contr. 11.

cap. 23.

CONTRADICT. XVI.

An cucurbitula sanguis detrahendus.

SI sanguis plurimùm abundat, vena secanda est, vel aliquid ei æquiualens moliri oportet, sunt autem quæ æquiualent sectioni venæ, retentarum hæmorrhoidarum apertio, vel mensium suppressorum: vel in quibus nihil est tale malleolorum cum cucurbitula scarificatio: inquit Galenus in quarto de Tuenda sanitate iuxta principium: & in eodem iuxta finem ait: Vbi verò sanguinis redundantia grauat, dictum puto suprà est, optimum esse venam aut malleolum incidere. Loquitur autem hic de tensiuo labore citra exercitationem ex sola sanguinis copia facto: in priore autem cùm labor vlcerosus virtute valida premit adolescentem multa cum copia sanguinis, sed minime mali. Et in de Sanguinis missione: Plenitudinem sanguinis à retentione mensium mulieribus exortam, si nigræ sint & macilentæ, sectione venæ curabis in cruribus: si autem pingues & candidæ, malleolis incisis: in his omnibus Galenus plenitudinem sanguinis cucurbitulis euacuat: citra corporis aliam purgationem. At in de Hirudinibus; Et reuulsione, inquit, cucurbitulæ purgatis prius corporibus vtiles quidé: sed in repletis prætermittendæ sunt. Hic de non incisis forsan sermonem habet, cùm in sequenti de aliis loquatur. Sed in vndecimo Curatiuæ artis inquit: Cucurbitulæ vtiliter his qui phlegmone laborant, si prius sint vacuati applicabuntur. Si autem abundantia succorum in his sit, non magis transfert quæ peccant ex pulmone in pectus, quàm ex toto corpore in pulmonem excrementa. Vnde manifestum est, has & si secueris, tamen non leuem noxam parituras. Sed in quartodecimo hæc habet: Cucurbitula in ipsa parte quæ phlegmone laborat vtendum inter initia non est: imò postquam totum iam corpus vacuaueris. At necessarium est eorum quæ in inflammata parte continentur vt aliquid eruas, aut etiam foras versus attrahas. Generandis autem vitiis minimè membris quæ laborare incipiunt, sed partibus eis continuis cucurbita imponi debet cùm auellere propositum est: sic in mensibus ex vtero mammillis imposita, & occipitio ob frontis dolorem, sed euacuato prius corpore: nam si secus applicueris, in quacunque id capitis parte feceris, caput totum implebis: quare nullo modo videtur, nisi prius purgato corpore, conuenire cucurbitula. Ea in sententia Paulus libro sexto cucurbitulas permittit, vt non in principio, vt non pleno corpore: seu ex alto auocandi studio, seu reuellendi, seu flatum discutiendi, aut alia etiam causa scalpello diuidantur. Aëtius verò in tertio libro, cucurbitulas ad planitudinem vacuandam diuisas scalpello haud aspernatur. Auicenna in quarta primi tria habet de cucurbitulis præcipua: Primum, quòd non meminit vllibi horum præceptorum à Galeno totiens, ac etiam à Paulo repetitorum: quasi enim absque discrimine & in initiis morborum, & iuxta membra principalia, & stante abundantia illas administrat: quo errore certè nihil potest esse perniciosius. Vnde dicebat Aëtius, quòd aliquando maximè febrientibus præter propositum admotæ pectori eadem die enecant. Alterum est, quòd existimat illas pro sectione venæ purgare corpus, vt in capite pro nigra: quod à mente Galeni, & veritate, prorsus est alienum, atque exitiale: nam nigra secari potest stante corpore repleto, vel in initio: cucurbitula nunquam sic capiti admouebitur: neque si admoueatur deriuatiuum auxilium (vt communi vtar vocabulo) in æternum ac reuulsiuum adeo erit. Sed & à secundo anno admittit: prorsus autem tutò à tertio: quod & nos frequenter admittimus, singulari præsidio: etsi Galeni hoc consilium minimè sit: nam secare venam infanti annorum trium, vt Auenzoar in filio fecit, plena res est timoris: sanguis enim puerorum est subtilis valde, igitur cucurbitula à sectione venæ nos excusat. At Galenus non solum in putridis ex sanguine veretur sectionem venæ in puero, vt in vndecimo Artis curatiuæ demonstrat, quòd sanguis ille ob mollitiem substantiæ, qui sectione venæ debet euacuari, sponte diffluat per corporis spiracula: verùm etiam in phlegmonibus iecoris, atque cæteris, vt in eadem arte testatur: qui

cap. 5. iuxta finem c. [illegible] in principio.

cap. 11.

cap. 3.

cap. 17.

cap. 19.

cap. 41.

cap. 21.

cap. 22.

lib. 3. ep. 20.

7. collect. c. 3.

cap. 14.

qui planè error est Galeni non ferendus: nam cùm victus tenuis non nisi tardè sanguinem possit extenuare, atque intra multos dies, quonam pacto permittemus phlegmonem sponte fieri in viscere, si resistere licet. At licet per cucurbitulas, euidentius autê per venæ sectionem, verùm periculosius. Constat enim phlegmonem vel prima die in illis confici posse: quod & in exterioribus apparet. Ergo harum opinionum tutissima media est, quæ Principis: nam extremarum vna certum adducit exitium: altera admodum periculosa, etsi ille filium seruauerit. Ego tamen quod multi norunt, non paucis infantibus annorum trium Mediolani hyrudines super venas apparentes applicui, nec quisquam obiit ex his. Ergo quod ad febres attinet, rectè dictum & explicatum est à Galeno, non mittendum sanguinem venæ sectione ante pubertatem: sufficit enim sola transpiratio spontanea: sed cucurbitulæ applicari possunt: rectam tamen tenentibus victus rationem minimè erunt applicandæ. Quò fit, vt sæpe ac in grauibus febribus semper his vsus fuerim, cùm viderem periculosum esse, fidere vulgarium astantium curæ. Applicantur autem iuxta malleonos, non vt quidam perperam faciunt natibus, aut etiam longè deterius humeris: Ergo Galeni sententia hæ etiam defendi possunt, quæ malleolis scapello diuisæ applicantur. At verò quòd in phlegmone nolit sectionem venæ in pueris, nec cucurbitularum vnquam in eis meminerit, cùm internas ille partes obsederit Cicerone defensore opus hic Galenus habet. Quòd si dicat (nam id extremum est refugium) à partibus remotis non euacuari, à propinquis etiam augeri: illud sanè optarim intelligere, quis hoc docuit illum? nam iuxta illius præcepta modò ex parte affecta fit locus detrahendi sanguinem, corpus alleuiabit, & phlegmonem minuet. At istud forsan negabit quispiam cùm sectio venæ poplitis in laterali morbo iuxta Galeni placita sit inutilis: aut si modò iuuat plus tamen nocet; quantò magis cucurbitula, at si modico igne brachio dolentis partis admoueatur, aliis verò extremis absque sectione, non parum iuuabit. Scio magnam tamen inexpertis garriendi ansam me præbuisse: cùm tamen, vt vnius viri verba secundo loco obiter dicta tueantur, maximam in humano genere iacturam sint facturi: nam cucurbitulas reuulsiuas in partibus extremis cum sectione præcipuè Galenus admittit ab initio morbi & corpore pleno, quæ ex loco educunt, aut ex profundo ad extimam superficiem maximè his in causis reformidat, & iure. Quoties igitur peccent medici, quisque iam videt: nec est hoc peccatum leue, sed quod morte infirmi luatur. At verò de pueris phlegmone laborantibus dictum est, quid quisque senserit, quibusque rationibus hæreses hæ se tueantur. Sed melius tamen fecisset Galenus, si non ob transpirationem negasset pueris phlegmone correptis cucurbiculas, vt in febribus quod non ille facit: nam si hoc dixisset, quòd cùm multùm trahant, plus nocere è directo, quàm iuuare: procul autem nihil iuuare, prorsus defendi poterit. Verùm breuiter concludam: sententia Haliabbatis mihi arridet: abundantia sanguinis, quæ sectione venæ in adultis tolli consueuit, in pueris ventosis, seu curcurbitulis auferatur.

1 prac c.17 sect. 1.

CONTRADICT. XVII.

Puer an ante decimumquartum annum minuendus.

In ætate quæ minor est annis quatuordecim, & in ætate senum, quantò magis poteris à venæ sectione cauebis: nisi musculis bene prædici fuerint, & venis latis ac plenis, tum colore rubeo: hos enim solos ex adolescentibus ac senibus minuere potest: dixit Princeps. Et hic triplex apparet contradictio: Prima est, quia pueros primò dixit, & pòst vocauit adolescentes. Secundò, quia, vt visum est, Galenus non secat venam ante 14. annum, vt locis suprà adductis apparet, & etiam in libro de Venæ sectione: inquit enim: Ante 14. sanguinem non mittes: post autem adolescentibus si congestus fuerit multus sanguis, & ipsi natura sanguinei, tum etiam natura temperata, & tempus vernum, tunc mittes. Vbi de adolescentibus agit, non de pueris: tum etiam naturam & tempus temperata esse vult præter Auicennæ conditiones. Vltimo pueros cum senibus miscet, quod omnino à Galeni cap. 6. mente alienum est, cùm velit indicationem senis & pueri de non mittendo sanguine omnino esse diuersam: quoniam ea quæ senis est ad virtutem redigi etiam potest & debet, vt ibi habetur: non autem puerorum vnquam: etenim quantumcunque validi nunquam sanguinem mittere eis conuenit: & si in sene etiam annorum 70. non vereatur. Soluta hæc est in præcedenti contradictione: quoniam pueris non mitti sanguis debet, nisi cucurbitulis iuxta Galeni sententiam. Verba Principis ad Galeni mentem iacent, Pueris nunquam: primis adolescentibus, si omnes consenserint conditiones: de verno tempore non est locutus, quoniam in calidiore regione temperies in hyeme est, in frigidissima in æstate: hoc autem proximis verbis iam docuerat, cùm dixit, cauendum esse, ne in frigidissima regione sanguinem mittamus. Sed tamen nos defendere possumus etiam iuxta Auicennæ opinionem, sanguinem in puero mittendum esse: nam non ratione crementi prohibemur, quoniam peruenit ad 21. vsque annum non ad 14. solum. Igitur ratione quòd tunc iam natura aliquid tanquam superfluum potest excernere: quare tunc iam mittendus sanguis: hoc autem fit in plerisque etiam ante 14. annum, vt patet. Causa etiam illa Galeni sic intellecta omnino esset insufficiens, quòd possit resolui id, quòd sectione venæ detraheretur: sed sic intelligenda est, quòd si detrahas, nihil superest quod resoluatur: quare natura exeditur solidorum. Hanc quoque opinionem Celsus defendit. Sed tamen Haliabbatis sententia securior est.

quarta primi cap. 10.

cap. 15.

lib. 1. c. 5.

CON

CONTRADCT. XVIII.

Amylum an siccum.

1. can c. 60. 2. can. c. 150.

AMylum est frigidum & siccum in primo, dixit Auicenna in capitulo proprio: sed in capitulo de Frumento, dixit quòd est frigidum, humidum, ac tenax. Rasis etiam in suis Continentibus posuit siccum: sed in tertio ad Almansorem, dixit, nisi quòd est tenax, & quò l lenit pectus. Solutio forsan colligi potest ex Serapione: nam inquit, est amylum frumento siccius: non tamen sequitur, igitur siccum: cùm frumentum iam sit impensè humidum. Dioscorides non meminit, vel quòd sit frigidum, nedum siccum: solùm vim ei exhibet astringentem: & probatissimus ex Zea, quam nos Speltam appellamus, confici contendit: quod & planè verissimum est. Sed Galenus in primo de Alimentis potius siccum expressit, quàm frigidum. Astringens enim est, inquit: igitur siccū: quare Serapionis solutio inanis erit: absolute enim siccis astringere, nō in cōparatione talibus solum conuenit. Sed quid mirum magis, cùm primo de Simplicibus medicamentis Herodoto contradicens, omnino neget Amylum quicquam astringere. An igitur frigidum, an siccum, an astringens, penitus iam incertum est adhuc. Inde reclamant Arabibus recentiores, qui se Galenicos profitētur, quoniam vires simplicium medicamentorum confuderint. Ego tam apud Galenum, quàm apud alios ambiguitatem istam inuenio, de qua suo dicetur loco. Quòd si Galenum volumus excusare, Arabes autem tanquam infensos negligere, mihi potius iniustè calumniantis, quàm rectè rebus medicis consulentis, officium videtur. Haliabbas oppositam etiam eius, quam Galenus tenet, de amylo ad vnguem opinionem habet: frigidum enim ipsum putat & tenax, siccitatis nulla habita ratione. Ergo Serapionis solutio ex Aetio est: etenim ipse amylum ad triticum comparat: quale autem sit, non absolutè dicit. Ergo amylum astringit sanguinem tenacitate sua, non autem astringit gustum, vt Herodotus existimabat: recens humidum est ac frigidum: antiquatum autem siccum leuiter, apertius autem frigidum: arte enim, & ætate, & vetustate à frumento plurimum degenerat: ad frumentum comparatum apertè frigidius est ac siccius: vnde & par ratio in cæteris granis.

cap 8. cap 34. lib 5. cap 15. lib. 1. c. propr.

CONTRADICT. XIX.

Asciliti an tussis superueniens lethalis sit.

6. Aphor. 85.

ASciliti tussis superueniens lethalis est inquit Hippocrates: reddens causam Galenus inquit, Oportet vt hæc tussis morbi violentia, non alia ex causa superueniat: quoniam cùm adeò aqua creuerit, vt aspe as iam ingrediatur arterias, periculum est, ne æger repente suffocetur. Rasis hoc animaduertens inquit; Aqua sub septo transuerso perpetuò manet in ascite inter abdomen & omentum, quomodo igitur implere vnquam poterit cannulas asperæ arteriæ, quæ sup: a septum sunt transuersum? nec etiam illud tangunt. Quamobrem melius existimat, vt dicamus quòd abundante aqua comprimitur septum, & etiam mala qualitate afficitur: nam non ob solum pulmonem exoritur tussis, sed etiam ob reliqua membra pectoris malè affecta. Sed quandoquidem paruum est periculum in Galenum tueri, etsi iniustè forsan, dicamus, membra nostri corporis adeò esse peruia, vt aqua à natura expellatur etiam per solidas partes, vt Galenus dicit, exemplum dans de sanie inter thoracem & pulmonem, quæ pulmonem ingreditur: & pituita quæ inter ventriculum & septum quæ vesicam, tum etiam de sanguine qui per sanam cutem ex ossibus confractis, ac callo solidatis exit. Sic igitur transire poterit aqua in ascite super septum transuersum. Sed hoc videtur difficile: Primò, quia vt habetur à Galeno in septimo Aphorismorum, non potest ex iecore aqua effundi in omentum quod vndiquaque solidum est, nisi ipsum disrumpatur. Igitur eadem ratione nec in septum transuersum, seu supra. Præter id accedit, quòd, vt dictum est, aqua nec sic tanget asperas pulmonis arterias. Verùm dicet Galenus, hæc esse iam confirmatæ tussis indicia, quæ etiam lethalia sunt: potest tamen ante etiam tussis sola qualitate excitari, & tunc facilè emendatur: quæ verò ex aqua iam penetrante fit, mortem, vt dicit, repentinam affert. Sic Rasis dictum de initio tussis, Galeni de confirmata intelligendum est. Sed od rationem dicere possumus, ibi Galenum de effusione loqui, quæ vesicarum consequitur eruptionem: non autem de ea, quæ sensim fit penetratione reprehendere Aphorismum: nimis enim fuisset obliuiosus, si cùm in præcedente eam laudasset Hippocratis sententiam, auxissetque propriis exemplis, nunc reprehenderet in eodem sensu, quare solùm repentinam ibi arguit eruptionem, quæ non nisi rupto omento accidere potest. Sed tamen peruicax aduersarius dicet: Iam illud etiam dicere possum pro Hippocrate, repentinam esse eruptionem ex vesicis, penetrationem autem in omentum sensim. At hoc, dicet Galenus, verborum proprietas non admittit. Ergo vt plurima aqua supra septum emerserit, trahit pulmo vacui necessitate, non quòd tangat quæ in concauo pulmonis continentur, vnde exhausta affatim aqua suffocatur, tamen præcipuè quòd virtus tunc debilis est. Sed dicet Rasis, & vera dicet: si tussis ob aquam in aspera arteria contentam prouenit, cur non quemadmodum in empimate sanies, sic in Ascite aqua expuitur? Deinde, quomodo affecto iam toto septo, & aqua infusa madente, illico non morietur. Confestim cogitur Galenus dicere, aliquid expui ex aqua: tamen etiam non madere totū, sed imum eius quo in loco aqua etiā continetur. Sed nos tussim perniciosam in ascilte

7 con c. 2. fol 155. col. 1. 7. Aphor 54. Aphor. 55.

ſæpe vidimus, ſputum aquæ nunquam vidimus, aut ab alio qui viderit audiuimus. Et ideo dixit Princeps in quartadecima tertij, quòd tuſſis quæ accidit in aſclite, eſt tuſſis ſicca. Aſcitem curioſi verborum dicunt: nam Græcè ἀσκίτης.

trac. 4. c. 8.

CONTRADICT. XX.

Materia quæ in concauo pectoris continetur, per reſudationem ad pulmonem trahitur.

Galenus in ſeptima Aphoriſmorum (vt ſermonis continuitati locus detur) declarat, ſputum ſeu materiam eius in pectore contentam, inter capſulam cordis, ſeptum, & pulmonis partem, ac ſubcingentem membranam coſtas, in pulmones per reſudationem quandam, id eſt attenuatam prius, ingredi. At oppoſitum ſenſit in Quinto de Locis affectis, cùm modum enarrat, quonam pacto pus ex concauitate illa in pulmonem effundatur: inquit enim, compreſſo vehementer pectore, quod citra tuſſim fieri nequit, aperiri tuſſi aſperas arterias, ac etiam materiam vi magna impelli in patentes illas: quare nec opus eſt attenuatione: imò nec attenuatio puris quicquam prodeſt. Reſpondeo: dixerat prius, ora aſperæ arteriæ, quæ per totum diffuſa eſt pulmonem, vſque ad illius extremæ, non exquiſitæ conniuere, ſed paulùlum diſſidere, tum præcipuè quòd cartilaginea ſint. In hæc igitur ſenſim aliquid trahitur de eo quod iam eſt attenuatum citra tuſſim: vnde videmus hos ſtrepitum quendam diſſonum in pulmone citra tuſſim ſentire: quem potius tuſſis eleuet quàm proritet: hic fit ex hac materia ſenſim ingrediente. Ingreditur & alia vehementi conatu pectoris, atque cum tuſſi: & hæc mediocris ſubſtantiæ potius eſt: cùm craſſa non poſſit aut nimis tenax anguſtas permeare vias: ſubtilis nimium impetum naturæ effugiat. De ambabus tractat in quinto de Locis affectis: cùm ibi rem ex propoſito proſequatur: in aphoriſmi expoſitione primum modum ſolùm attingit, quoniam hic ſolus exemplo intento accommodabatur.

aphor. 54.

cap. 3. in fine.

CONTRADICT. XXI.

Aſcites an ſine iecoris vitio.

Galenus ſexto de Locis affectis, hanc nititur oſtendere propoſitionem, quòd aqua intercus, quam Græci vocant ὕδερος, non niſi iecore laborante fit: ſeu tumore illud, ſeu vlcere, ſeu mala intẽperie: nihil refert, inquit, Eraſiſtratum reprehendens. Vnde ſi quis affatim aqua epota vitioſa id genus morbi contrahere debet, & ſi imbecilliores partes læſæ ſint, non tamẽ fiet morbus is, donec iecur fuerit læſum. Idem etiam accidit dum lien tumore detinetur: nam non prius hydropem infert, quàm iecur vitiauerit. Huic ſententiæ Aetius, lib. 10. c. 20. apertè ſubſcripſit, inquiens, Impoſſibile eſt vt omnino aſcites fiat, niſi iecore infrigidato. Verùm multis modis poteſt infrigidari iecur: vel ex ſe, vel ab apoſtemate duro, vel à nimia ſanguinis effuſione, vel à retentione vitioſi, vt in ſuppreſſis hæmorhoidibus, vel ab aliorum membrorum affectu, vt in ſcirrho ſplenis, vel à potu vitioſæ aquæ. In eadem ſententia eſt Paulus Ægineta, & Alexander in ſuo tertio libro, in duas redigens tantum cauſas affectum iecoris, ex ſeipſo, & ab alio contractum viſcere. Sed & Haliabbas hoc ſentire videtur clare, etſi in duobus ab aliis diſſideat, quòd non læſa virtute iecoris id fieri exiſtimet, ſed tamen læſa operatione ne concoquat, & in ſanguinem vertat nimiæ ventriculi imbecillitatis vitio. Et quòd ea quæ Græci in aſcitem referunt, illa omnia ipſe in hippoſarcam, ſeu ſarciten, ſeu carnoſam, vel anaſarcam, aut leucophlegmatiam, quam tot nominibus ex errore antiqui appellarunt, retulit. Sequutus autem videtur Galeni ſententiam quinto de Locis affectis, qui non ſolùm aquam intercutem, verum etiam alia hydropum genera: ab hepate originem ducere exiſtimat, quod & reliqui Græci ſentire videntur. Sed oppoſitum habetur primò ab Hippocrate, tex. & co. 1. 2. & 3. qui in ſecundo Prognoſticorum duo aquæ intercutis genera facit, alterum quod ex iecoris vitio originem ducit: alterum quod ex inanis partis. Quæ autem ſit inanis pars, docebat Galenus, ſubſcribens Hippocratis ſententiæ ad vnguem, dicens eſſe lacten ſeu meſerium, & gracilia inteſtina. Adeò autem illud diligenter explicatur ibi, vt ſufficiat lectorem ad eum remittere locum: nam cùm Hippocrates genera propoſuiſſet, ſubiicit & cuiuſque ſigna ſeorſum.

cap. 1.

lib. 3. c. 48.

c. 30. ſect. 1.

lib. 9. Theorica. c. 31.

cap. 7.

Similiter Princeps in tres deduxit cauſas originem aſcitis. Vnam quæ eſt ex materia, & huius cauſa eſt iecur. Aliam, quæ ſeparationis vitio accidit, cùm renes debiles non traxerint: nam tunc, inquit, & hæc ſolùm fit vitio renum: vt in noua verſione quæ melius iacet, habetur: & hoc eſt quod dixit Zoar in primo Theiſir, cùm dixit; Et principalis cauſa ipſius aſcitis eſt, vt ſit vitium in attractiua renum abſque iecoris vitio: ſicut cauſa propria hippoſarcæ eſt, cùm ſeparatiua virtus in iecore debilior facta eſt. Tertia cauſa iuxta Auicennam eſt, ex vitio tranſitus, cùm impeditur pars ſeroſa tranſire non poteſt per vrinæ vias vel obſtructionis impedimento, vt in tumore: vel ruptura viarum, quæ vreti des dicuntur, ſicut in poſteriore loco declarauit: inquit enim, cùm poſt dolorem renum, & lapidis exitum ſuccedit hydrops, ſignum eſt, quòd porus ex vreteris dilaceratus eſt. Serapio in ſuo compendio nullam renum habet rationem, cum Græciſque conſentit. Raſis in ſeptimo Continentium dixit, Galenus dixit vnum in libro de Locis affectis, ex quo ſequitur quòd poſſit hydrops fieri abſque iecoris vitio: cùm renes ad tantam peruenerint debilitatem, vt non poſſint quod aqueum eſt in ſanguine, ad ſe trahere. Ea autoritas habetur in ſexto de Locis, cùm inquit, accidit renibus debilitas in qua vrina ſãguinea emititur,

14. 3. trac. 4. cap. 8.

trac. 13. c. 6.

14. 3. trac. 4. c. 8.

trac. 4. c. 5.

cap. 3. ad medium.

tur, non aliter quàm ea quæ iecori contingit. Ob id iure Rasis dubitabat, cur in hydrope, si coris semper est imbecillitas non apparet deiectio sanguinea inseparabile ferme signum à iecoris debilitate? Respondet, & bene, quòd imbecillitas in concauo iecoris est causa deiectionum sanguinearum, in gibbo ipsius hydropis: vel quòd frigiditas est causa hydropis imbecillitas vel obstructio sangineæ deiectionis: probatque secundum dictum: quoniam videmus tumore in gibbo existente, absque sanguinea deiectione hydropem sequi.

col. 4. Illud etiam obscurum est, ac quasi dictis repugnans, quòd hydropisis asclites fit, cùm vitium est in iecore; tympanites, cùm in ventriculo, vel intestinis. Si enim intelligit, quòd solùm fit asclites cùm detrimentum est in iecore primigenium: falsum est, vt sæpe visum est. Sed si intelligit, quòd asclites est, cùm iecur quoquomodo afficitur, idem videtur de aliis generibus hydropum: nullum enim tale est, quod absque iecoris vexatione possit accidere. Sed & adduxit hic vir Galenum tertio de causis symptomatū, vbi multa de hoc agens dicit; Ex quibus colligi possit asclitem etiam renum vitio fieri. Verùm demonstratio quam adducit in primo de Facultatibus naturalibus id abunde videtur ostendere: inquit enim, Vretidibus ligatis nihil ad vesicam defertur: vnde venæ implentur quæ sunt in directo peritonei, adeò vt disrumpi videantur, quamobrem si ita est, illis distentis abruptisque, implebitur cauitas peritonei, asclitesque fiet. Tandem ex proprio iudicio Rasis subiungit; Dico quòd asclites poterit fieri absque vitio iecoris omnino, solóque renum serosam partem sanguinis non trahentium defectu accidet. Signáque huius speciei conatur ostendere.

c. 1. post med.

cap. 13. iuxta med.

fol. 156. col. 3.

His tot medicorum dissidiis si quis velit occurrere, primùm ratione vtatur: deinde conetur autorum dicta conciliare: nam aliis in causis volentes discrepant, variis inducti argumentis: at in hoc causa dissidij est ignorantia, vix enim quisquam suaderi potest vt credat morbum qui fit obstructis viis renum non esse hydropem. Deinde si in hydrope iecur debilius euadit, cur deiectio sanguinea non apparet? Accidit, quòd iecore patiente imbecillitatem, omnes hydropum species deberent generari si à iecoris imbecillitate omnes prodeunt. Nimis oppidò longus euadam, si quæ singuli hac in causa senserint docere nunc voluero: atque id tamen superuacuū erit. Scripsit multa Galenus, quæ interciderunt. Primum igitur nomen declarare aquæ intercutis aggrediamur: nam non eodem vsu antiquitus, & mox Aëtij tempore, & nostro recipitur hoc nomen: cùm dicat Galenus in quarta Aphorismorum. Quòd autem Tympanites sub nomine hydropis, id est aquæ intercutis apud Hippocratem contineatur, est manifestum. Sed duplex tamen est aqua intercus Aëtij sensu accepta, vt tympanitem excludit: non equidem quòd ille hoc intelligat, sed quòd intelligere oportuit: statuit enim prius tria genera hydropis, Asclitem, in quo aqua inter peritoneum & intestina sed verius omentum, continetur,

aphoris. 11.

lib. 9. c. 20.

vbi autem sit flatus, dicitur Tympanites. Scio suggillabunt me quidam rudes, quòd in tympanite non dixerim aquam adesse: alij, quòd redarguam Aëtium, qui solitus sim reprehendere Galenum. Inde igitur Anasarcam seu Sarcitem statuit, cùm vniuersum corpus aqua madens, velut spongia, & tota caro tumet: hanc Subtercus, hanc Leucophlegmatium vocat. Inde posterius peculiaria adhibet huic speciei auxilia, tum etiam sectionem ei propriam. Sed hic Aëtij error silentio (cùm plurimum ad curam intersit nosse differentias hydropum) non est dissimulandus. Principio enim dicebat Hippocrates sexta Aphorismorum; Ab aqua intercute habito, si aqua vniuersa in ventrem defluxerit, soluitur morbus. Vel per aquam intercutem intelligit sarcitem, igitur aqua non in solidis, sed in venis continetur, dicente Galeno in commento, simile est hoc operi medicamenti, nam aqua in venis existens ad ventrem trahitur. Si verò de asclite intelligit, erit primo intercus asclites, & non sarcites: deinde asclites sub peritoneo aquam non habebit, quod tamen omnes medici & ipse pariter Aëtius fatetur. Nec est quod differentiam facias intercutis ac subtercutis, cùm hæ sint flammeariorum istorum, qui vertunt lasciuiæ. Græca vox vna est: hi, vt solent, in scyrpo, vt dici solet, nodum quærunt. Ergo rursus ibidem cùm dixit, A diuturnis sanato hæmorrhoidibus: nunquid Galenus per aquam intercutem potius ascitem quàm sarcitem interpretatur: fieri enim inquit refrigerationem iecoris. Sed dices, aqua intercute loborantibus vlcera in cute facta difficulter sanantur. Respondeo, quia aqua in venis non humor in solidis continetur, vt mox declarabo. Sed & in primo de Naturalibus facultatibus cùm dixit fieri sarciten vel Anasarcam cùm id corrumpitur, quod adhæsit nondum tamen agglutinatum est: si igitur adhæsit, quomodo diffluere potest, ac spargi vt aqua?

cap. 28.
cap. 30.

aphor. 14.

6. aphor. 12.

6. aphor. 8.

cap. 13.

Quid dicam de aqua intercute in qua excindi ventrem ac vniuersa effluere periculosum est? nunquid hoc in sarcite fieri potest, & de ea quæ letalis est, cùm tussis superuenit? an in sarcite vult Galenus aquam cannulas asperæ implere arteriæ? & in ea quæ venit vitio splenis. Nimis impudens iam sit negare sarcitem aliud esse ab aqua intercute. Propterea alibi Galenus dicebat quibus in venis & vniuerso corpore alba pituita coaceruatur, aqua intercus illa superuenit, quæ leucophlegmatias appellatur. Liquet igitur ex hoc sermone, quòd per aquam intercutem Hippocrates exquisitè Hydropem, id est illius omnia genera intelligit, at nec leucophlegmatiam esse contenta aqua, sed in membris alba pituita, quæ ab aqua multùm differt, quod fluat, neque citrina sit: vnde sarciti minimè illa sectio conueniet. Huic sententiæ Galenus subscribit in quarto regiminis acutorum, dicens: Qui duas species hydropis statuit, defecit in numero: qui quatuor, abundauit: nam tres sunt, quarum duæ inter peritoneum & ventrem fiunt, tertia in vniuerso corpore. In secundo etiam ad Glau-

com. 111.

tonem inquit, Cura quæ hydropi debetur, in qua sub peritoneo coaceruatur, eadem aquæ inter cutem conuenit. Liquet igitur sarciten esse, cum pituita continetur in membris. At aliud est genus intercutis cùm aqua effunditur passim in membra ex venis. Fit & tertium genus, cùm absque tumore ventris colliquatur congesta pituita.

Sunt igitur tantum tria genera ab initio: verùm ex his euadunt in quinque. Non est autem credendum vrina tantum in venis contenta fieri hydropem: namque membra trahunt quod sibi vtile tantum est, vt Galenus inquit, 1. de Semine cap. 5. & 1. de Fac. nat. c. 15. quare cùm delinquit iecur in coquendo, renes nos trahunt: ipsum tamen expellit quod inutile est: resudat igitur ex venis in ventrem, atque id sensim: purior autem pars ad renes trahitur: ob id cùm ascites fit, vrina minuitur, nec tamen tota perit. Si autem renes non traherent, aut vasa frangerentur, sanguineum esset quod in ventre contineretur: at non vitiato sanguine, quamuis aqueus sit, vrina multa emittitur, nec spernitur à renibus: hydropemque minimè incurrit. Sed si caua iecoris vitientur, fluxus fit sanguineus: non est enim in venis quod trahat, sed iecur trahit ab eis atque expellit. Vnde non cogitur resudationem facere: cui succedat hydrops sed si vi contineatur. At neque hydropi asciti succedet sanguinea deiectio, nam est conuexa iecoris in concauam nimis violenta per tam exiles venas reiectio fieret: atque in ea etiam aqua non sanguis remitteretur. Quò fit, vt duas quasi in iecore formas ac substantias sanguis acquirat: Priorem etiam in venis, aliamque in dextro cordis ventriculo: aliam in sinistro, aliam in cerebri membranis. Sed non omnes speciem mutant; verùm tres tantùm: venæ quæ imperfectum generant: iecur, quòd optimum, sed non sentientem: & cor, quòd creat sentientem, id est talem, quò possit animal sentire. Ob hoc animalia omnia cordi proportione respondens membrum habent, aut cor ipsum: plantæ autem iecori: generatur etenim & in his succus, qui tot partibus seorsum alendis idoneus est: atque id membrum vel cortex est, vel medulla: nulli enim quod sciam ligno hoc inest. Sed & si sanguis regrederetur, nutriret circumuicina loca, ea enim aquoso nutriuntur sanguine. Si igitur frangatur vreteris, aut tumore obstruatur, non fiet in altero tumor ventris: quoniam iecore bene affecto sanguis serosus per venas permeabit, redundansque ad cor primo febrem, deinde mortem suppressa vrina inferet: multosque sic periisse vidimus breui admodum tempore: alios in 11. alios in 14. quosdam etiam arctarum venarum & pingues in 7. diebus: suffocat enim serosa copia. Non igitur tumescit in his venter, quoniam moram non contrahit sanguis, nec erodit venam naturalis humor. Si verò frangatur vreteris, inflatur venter, sed hydrops non fit, imò peracutus morbus: putrescit enim sanguis qui exit, & hominem iam morbo imbecillem occidit intra quatuor dies. In his nihil aliud cernitur quàm dolor renum, inde tumor cum morte succedens: impossibile est enim quòd fracto vreteride amplius lapis excernatur: aut quòd excreto illo iam fractus sit vreteris, etsi illud Auicenna & Rasis perperam aliorum imaginationes secuti, dicant: non existimantes vires rationum. Palàm est igitur Auicennam, & Auenzoar, ac Rasim nec Galeni mentem, nec veritatem: assecutos esse.

Rursus fiat vitio imbecillitatis renum, si fieri potest: in his rursus nulla penitus hydrops fiet: sed primo conabitur, si leuis est morbus, impletis venis per sudorem excernere, demum crustæ & papulæ toto corpore apparebunt: aliique morbi varij, ac forsan leucophlegmatia, non enim nutriri corpus bene hoc sanguine potest. At quia hoc nouum est, dicamus iuxta Galeni sententiam, fieri leucophlegmatiam, cùm diminutè concoquitur sanguis: etenim non posset omni corpori hic affectus esse communis, nisi vitio eius membri ex quo totum corpus generaliter nutritur. Ergo mala coctio facit vt leucophlegmatia generetur: nimia frigiditas sanguinis serosam partem multiplicat, quam non trahentes renes putredo corrumpit, resudatque per vreteras in spatium sæpe dictum. Quoniam igitur frigidius est iusto iecur, plurima ac praua serosa pars in sanguine gignitur, hæc vt inutilis à renibus non trahitur, sed putrescit, resudatque ob moram & acuitatem in ventrem, & generatur hydrops ascites: antè veró fit ascitis genus, in quo corpus propter venas impletur aqua, nec tamen tumet venter, atque in hoc solo fermè, quamuis & in leucophlegmatia aliquid iuuat cutis sectio, quam Aëtius consulit, strenuè auxiliatur. Indicio est, quòd tales nisi curentur, in veram tandem transeunt ascitem. Sed de tympanite dicebat Galenus 4. Aphoris. 11. quòd à minore frigiditate fiebat quàm ascites, ob id ratio discriminis est manifesta. Fit autem tympanites vel solius iecoris vitio, cùm modicæ asciti calor iungitur iecoris, & hæc pessimã est, tum quia causam effectui contrariam habeat: tum quoniam in ea est vterque morbus, ascites & tympanites. Fit & cùm ob ventriculi vitium subtilior pars ex cibo transit in spiritum. Propterea dicebant Rasis, & Auicenna concordes, Tympanites ob vẽtriculi vitium maximè fit, vt ascites ob iecoris: nam si iecur nimis incalescat, ventriculus autem non concoquat, cibi pars in flatum digeritur, quę subtilior est. Atque vtinam ego intelligerem vnde hic esset transitus ex iecore in cauum peritonei, quin potius per intestina & meserium digeratur. Auerroës cum sua discretiua virtute facilem fugam habet, inquit enim: Cum non fit separatio in iecore aquosæ partis à sanguine, tunc fit ascites: cùm verò materia aquosa à calore exuritur, fit tympanites. Et ideo dicit & ipse, quòd hic morbus ob contrarietatem causarum & producti, est difficillimæ curationis. Et recitat opinionem multorum, qui crediderunt aquam illam resudare ex venis, quæ ab vmbilico ad iecur tendunt, quibus sugit infans nutrimentum à matre dum est in vtero. Sed dissectio ostendit, quòd illæ venæ in adultis sunt

3. de Sympt. caus. c. 1.

3. Coll. c. 11.

ex toto aridæ: quomodo igitur transmittent aquam? Deinde si sic esset, possent etiam fieri Hydropici stante iecore ex toto illæso. Conciliator ponit hypropen sarciten fieri absque vitio iecoris, nec potest differentiam tradere harum, nec docere quomodo omnis hydrops iecoris vitio fiat. Ostensum est etiã suprà, hoc omnino esse non posse, vt sarcites absque iecoris noxa fiat. In ascite etiam existimat aquam illam per arterias siccas penetrare, quæ à iecore ad vesicam tendunt: quibus serosa pars, dum in vtero infans est, à iecore propellitur in vesicam, ac matricem. Sed hæ omnes, vt dixi, nugæ sunt, & imaginationes, vt de Auerrois venis dictum est. Illam verò separatiuam, quod non detur, iam suprà ostendimus, si per separatiuam intelligamus discretiuam.

different. 101.

Conati sunt quidam ponere distinctionem inter genera hydropum, vt ascites à frigiditate maxima fieret iecoris, à mediocri tympanites, à minima sarcites. Sed si ita esset, oporteret ante ascitem fieri tympanitem, ante hanc rursus sarciten, quod non videmus: nunquam etiam possent simul esse, aut semper, quorum neutrum accidit: namque videmus asciti tympanitem aliquando, aliquando sarcitem, quod rarius est, commisceri. At verò quòd hoc futurum sit, planè apparet: quia maxima frigiditas potentia minimam & mediocrem semper continet, actu nunquam. Est etiam genus quoddam hydropis repentinum, & forsan proprium ab Hippocrate dictum in septima Aphorismorum: Quibus hepar aqua plenum in omentum eruperit, venter repletur, & moriuntur. Galenus exponit, vesicas in membrana hepatis aqua plenas exoriri, ac disrumpi. Inde manifestum est quòd tunc tanta cauitas, vt illi opinantur, repleri nequit: sed successu temporis paulatim ex iecore per eius substantiam aqua penetrat: atque hic mihi modus verisimilior causæ hydropis videtur. Sunt qui credant per membranas etiam aquam penetrare, quoniam sudor sanguineus quandoque effluat, vt Aristoteles & Galenus fatentur. Sed mihi hoc difficile videtur, cùm non sit quod impellat: constat enim exemplum esse dissimile. Sed ad rem redeo. Quibus Tympanites fit, his in iecore plurimum generatur primo flatus: sed vnde exeat, hic est difficultas. In pestilentibus etiam febribus tympanites fit, non autem in ardentibus, quoniam spiritus vitalis resoluitur: vnde plurimi sub morte in acutis fiunt Timpanitici, & mortui turgent: hoc autem singulis diebus inspicere licet, quare sola frigiditas non sufficit tympanitem excitare: sed quæ destruit vitalem calorem, & alium igneum eius loco accedit, ea de causa non iuuat sectio peritonei in tympanite, cùm tamen totus flatus illico ex vulnere excedere debeat: nec enim idem est de tympanite, quod de ascite, vbi tempore indigemus, & conatu, ad aquam quæ sub vulnere iacet extrudendam. Aër sponte exit ab omni parte, sed vbique continetur, & non in cauitate solùm: exiguum verò aquæ quod in imò residet, cùm vulnus occluditur totam tragœdiam rursus excitare solet, nam iecur & ipsum flatu plenum est. Ergo cùm venæ

Aphor. 55.

3. de Part. animal c. 5.

in intercute solùm tument, & crura, nondum autem venter, saluberrima est incisio quam Aëtius consulit, per paruas sectiones: atque sic ego vnam iuuenculam perfectè sanaui in domo Alberti Varisij, quæ postmodum nupsit, & in fine anni denuò correpta morbo, dum aquam incredibilem per plures dies hausisset, quamuis me vocassent, ab immenso potu temperare non poterat, adeò malum inualuerat, mortua est.

Omnis igitur hydropis causa, iuxta Galeni sententiam est ex iecore: quod & Rabi Moyses in suis. Aphorismis vidit; Par 9. Aphor. 75. Quo ex loco colligitur, librum Scientiarum Galeni eundem esse, qui apud alios interiorum, vt etiam ex secundo Artis medicæ habetur, nunc de Locis affectis inscribitur. Quæ autem fit vitio venarum in mesereo, parùm differt ab ea, quæ ex iecore: nam hæ venæ sunt partes venarum iecoris. Placuit tamen Hippocrati distinguere: nec solùm calidis morbis, præcipuè febribus, Hydrops succedit ob caloris innati resolutionem, sed ob vsum frigidorum immoderatum: præcipuè verò in senescentibus. Species verò tres esse diximus, quarum vna atque altera bifariam diuidi potest: Tympanites absque aqua, & cum aqua: ascites in ventre & venis, & in venis tantum. Sarcites quæ leucophlegmatia & in qua membra potius proprio, quàm alimenti vitio nutriri desinunt, vt in hecticis & morituris quæ pessima est, neglectáque à Galeno, vt quæ curam non susciperet, cùm tamen eius in genere meminerit, nam & ipsa sarcites vocatur. Qui verò tympanitis frigidam & siccam intemperiem, ascitis frigidam & humidam, iecoris causam esse diceret, sarcitis frigidam tantum, nihil repugnans autoribus & experimento affirmaret: & aliquid subtilius inuenisse videretur. Nec tamen omnis frigiditas Hydropem facit, nam quidam natura tales essent: sed quibus multo minor quàm pro caliditatis præternaturalis ratione respondeat, oportet igitur multum attrahi, frigiditatemque adesse, corruptionisque modum: at frigidum, cùm humido coniungitur, maius apparet: propterea dixit Galenus maximam esse frigiditatem in ascite tympanitis comparatione: tum etiam, quia ibi calor malus viget: ob id nihil deterius ciborum copia.

cap. 75.

CONTRADICT. XXII.

Sedimentum vrinæ an in iecore generetur.

QVicquid alimenti in sanguinis generatione naturæ refugit coctionem, illud in vrina subsidet, & fit sedimentum: dixit Galenus primo Prognosticorum: subiicit etiam, quòd est particeps causæ præter naturam. Et in tertio Medicæ artis: Cumque corpus temperatum optimo vitæ regimine vtitur, nihil circa deiectiones aut vrinas peccatur. Clarius in primo de Crisi: In pueris, atque iis adultis, qui otiosam vitam agunt, antequam

com. vult.

cap 2. in fine.

cap. 12.

antequam in ventriculo alimentum perfectè concoquatur, multa pars tamen etiam in venis crudi humoris resecatur, quæ tota in sedimentum vrinæ transit: vnde fit, vt qui ex otio & crapula febricitant, multum habeant in vrina sedimentum: qui verò biliosi ex inedia & laboribus, nullum. Oppositum primo de febrium differentiis: In apostematibus pus quidem fit superante natura, in venis autem & arteriis, dum humores concoquuntur, quoddam quod puri proportione respondet, subsidens in vrinis. Et rursus Auerroës: Hypostasis est superfluum tertiæ coctionis: quare non fiet in iecore. Auicenna videtur sentire, quòd sit id quod per malam coctionem in iecore generatur, cùm dixit; Et non oportet vt quæratur Hypostasis in vrina sanorum: ipsa enim non est necessaria nisi in ægris: si enim esset superfluum alimenti, semper inueniretur. Sed huic contradicit quod dicit in quarto libro: Vrinæ in acutis febribus non habent sedimen, deinde habent ipsum. Quid autem est sedimen, nisi humor qui febrem facit, qui iam concoctionem est assecutus? est tamen hypostasis significans super hepatis dispositionem, imò vrina ipsa super venosum vniuersum genus, vt habetur à Principe, & quarto de Tuenda sanitate. Inquit enim Princeps: Et eius quæ est in odore herbarum, causa est hepatis adustio. Pro solutione dixerat Trusianus in sua disputatione singulari, & Iacobus de Forliuio in quæstionibus super secundam primi Auicennæ eam repetit, quòd Hypostasis tam in sanis quàm in ægris fit in iecore per malam coctionem. Ad Galeni autoritatem dixit, secunda primi vbi supra, quòd illa est pro ipso: nam si esset ex humore putrido concocto, esset pus non sedimen: cùm igitur natura sedimen emittit, indicat quòd adeo est valida, vt non solum noxium humorem concoquere possit, sed etiam sedimentum. In febrium igitur initio indicatur per crudum sedimentum quòd natura est occupata circa humores. Sed quomodo significabit Hypostasis coctionem bonam iecoris ac ventriculi? respondebit quòd in perfectè sano nihil horum est, incoctam enim materiam significat. Sed vt mihi videtur Galenus in primo Prognosticorum vult, 2. prognost. com. 26. quòd dealbetur à solidis, quare in tertia coctione fiet: & etiam quia sanorum vrinam exquisitè cum sedimento depinxit. Liquet enim, quòd hæ sunt cum substantia mediocri colore subrufo. Tertium igitur signum etiam ad sanorum vrinas pertinet. Opinio verò, cui magis Iacobus fauet est, quòd in tertia concoctione generetur, sed cùm multa est pars superflua aut pori obstructi, tunc descendit cum vrina, additque præter id quod in morbis est pars eius quod reduci ad benignum potest. Dictum primum vt dixi, contra Galenum est, vt docui: nam in exquisitè sano sedimentum in vrina apparet, nec tamen in omni: & hoc solùm voluit Auicenna: velut sani est habere dentes triginta duos, nec tamen omnis sanus habet, sed solum qui perfectissimi est temperamenti: sanus enim ieiunus, biliosus, laboribus & vigilia exhaustus est, nec habet sedimen in vrina, & tamen sanus est. Sanior est, qui habet, quàm qui non habet, hoc Galenus voluit: ille, quòd non necessarium est habere eum qui sanus sit. De humore autem dixi, quòd nihil est ad peccantem pertinens. Galeni autoritas sic debet intelligi vt iacet: eius enim opinionis est: quare iuxta illum in sanis quidem sedimentum fit ex materia sua in iecore, & formam acquirit in venis: in ægris autem pars est materiæ peccantis. At nos, vt diximus, cùm videamus in morbis sedimentum quale in exactè sanis, impossibile est, vt sit pars materiæ concoctæ, quæ omnino est inutilis, & puri cuidam similis. Galenus parum aliquando consideratè ista protulit, quæ si sequamur in infinitos nos adducunt errores: si negemus, audaciores, ac pertinaces iudicamur: præcipuè apud hos nebulones, qui se Galenicos non ἀληθινοὺς iactant. Nam si materia est quæ concoquitur, cur in crisi quæ per vrinam fit, nunquam videmus sedimenta optima, sed materias quæ in fundo resident ac turbulentas? Emitteret etiam materiam hoc modo peccantem absque crisi, atque etiam crudam: quod in omnibus fateri morbis piaculum est: aberraret enim semper natura. In pestilentibus etiam morbis homine pereunte optimum apparet sedimen, quare aliam habet hoc causam. Quid quòd si iam in sanis sponte adest, cur hoc ex morbi materia expetendum. Concordamus igitur cùm Galeno in sanorũ sedimento, quòd alibi materiam, alibi formam suscipiat. Vgo autem nostrorũ temporum more longam facit quęstionem, in qua opus habuit solo scriba.

Marginal notes: cap. 6. — 4. collectan. cap. 14. in initio. — secunda primi doc. 3. summa 2. c. 6. col. 1. — Trac. 2. fen. 1. c. 7 post med. — cap. 5. Quæst. 55. — 4. Aphor. 74. — prima quarti Trac. 4. c. 3.

TRACTA



TRACTATVS QVARTVS.

CONTRADICT. I.

Lac an febrientibus vtile.



Lac dare caput dolentibus malum verò & febricitantibus, & quibus præcordia suspensa murmurant, & siticulosis: malum autem & quibus in febribus acutis biliosæ sunt deiectiones, & quibus sanguinis multa deiectio facta est. Conuenit autem tabidis dare, qui non valde multum febricitant, & in febribus longis & paruis, si nullum ex supradictis signis affuerit, & præter rationem consumptis, inquit Hippocrates in Aphorismis. Octo in casibus lac prohibet secundum Galeni expositionem: nam verba illa, Et quibus præcordia suspensa murmurant: sic legit: Quibus etiam præcordia sunt suspensa, & murmurantia, nam Græca lectio etiam id admittit, vt sint duæ partes, Καὶ οἷσιν ὑποχόνδρια μετέωρα καὶ διαβαρβορίζοντα. Item eam partem, quæ ad febres, & biliosas deiectiones attinet, in duo diuidit: quò fit, octo vt in casibus haud conueniat, probetur autem in tribus, Tabidis, & febribus longis ac paruis, tum etiam præter rationem consumptis. Sunt qui verbum σινώδεσι iuxta rei naturam, & dictionis vim, & Celsi authoritatem, non tabidis, sed phthisicis interpretentur, vt Brasauolus, nec malè in suo commentario. Aduertit & aliam, quam habebat in suo codice lectionem, vbi pro βληχρόισι, quod est debilibus, vel paruis, vt dictum est, febribus, legebat iuxta Oribasij interpretationem, sed non secundum Galenum βηχώδεσι, id est, tussi vexatis. Emendat verò Galenus ea verba, Qui non valde multum: ad sensum trahens rei magis conuenientem, & orationis tollens absurditatem, sic legendo, Qui non multum febricitant.

part. 5. aphor. 64.

lib. 3. cap. 22.

Hæc sunt quæ prius ante aggressionem, de emendatione Aphorismi lectorem monere volui: nunc verò videamus, quas patiatur difficultates. Nam quarto Regiminis acutorum dat in causone, lac asinæ, febre, vt inquit, vehementi, & cum oris amaritudine. Tum etiam alibi in eodem libro, co. & text. 29. & 27. in cura Paraplexiæ, Epilepsiæ, Vertiginis, & grauitatis capitis. Videtur autem ex octo conditionibus, si quis diligenter velit contemplari, septem priores damnasse exceptiones his tantum in duobus locis, vt iam nihil quod prohibeat supersit præter extremam multam sanguinis deiectionem. Sed & in Eratolai puero lac præbuit ter septimo Epidemiorum post princ. primùm cùm febre laborasset, & multa biliosa ac tenuia demisisset; aderat tamen intestinorum difficultas, quo in casu & Galenus 1 ad Glauco. c. 14. in princ. lac bibendum dat. Non igitur hoc absolutè verum est, quòd in febre cum biliosa deiectione lac non conueniat. Conuenit & in vuluæ strangulatione, vt in libro de Natura fœminea in princ. nec purgandi causa dabat sed à purgatione. Verùm ad primum institutum reuertor: Dedit, quicunque fuit eius libri Eratolai puero autor, lac primo, aut serum decoctum: post autem quadragesimum diem, cùm tabes vrgeret, & tamen doloribus & murmure ventris premeretur, dedit lances Atticas nouem asinini lactis per duos dies decocti, ex quo potu iuuatus est cessauerunt enim dolores, & purgatus est, & appetentia cibi rediit. Tertio verò dedit bubulum lac cum modico aquæ ac vini, duobus ex cyathis. Est autem cyathus drachmæ decem, vel ad summum duodecim vt Galenus refert in libro de ponderibus. Lanx Atticorum dimidio maior, nam quatuor heminam, quæ ex sex constat cyathis, conficiunt. Sed & in libro secundo folio 4. de fœminarum morbis, in profluuio alborum mensium post bilis purgationem præbet lac asininum: si tamen, inquit, exanguis sit mulier, aut flatuosa, vel linceosa, ne dederis. Illud ne obiter prætereundum duxerim, quòd in extenuatis bubulum lac ibi, non asininum præbet ad cyathos vsque sex, à duobus initium sumens, deinde per singulos dies vno addito, donec eum numerum adimpleuerit, coctum etiam plerunque lac Hippocrates exhibet: tum etiam aquam lactis in febribus minore periculo, vt in tertio de Fœminarum morbis iuxta finem, cùm febrienti à puerperio caprini lactis aquam dum non purgatur exhibet. Dicebat autem in secundo de Victus ratione. Lac omne nutrit, ac mouet, præter ouillum, quod sistit, asinium verò & equinum plus reliquis mouent, inde caprinum, minime omnium bubulum seu vaccinum, his verbis differentiam omnem lactis per quam distinxit. Sed iam ad Galenum cap. 15. veniamus. Hic in tertio de alimentis Aristotelem 3. de histor. animal. cap. 20. sequens hunc ordinem statuit, subtilissimum camelinum, post equinum, inde asininum, mox caprinum, post ouillum, crassissimum autem bubulum. Quo fit, vt in ouilli & bubuli comparatione ab Hippocrate discrepet, nisi quid inter monere & substantiæ tenuitatem intersit: subiicit enim, quòd plurimum habet serosæ partis minime cogitur in ventriculo subducitque aluum, atque in hoc præcipuum est asininũ: vt enim serosa pars subducit aluum, sic caseosa sistit. Subiicit etiam omne lactis genus offendere hypochondria, caput & dentes: crassum verò caseosum etiam iecur & renes: quod & Hippocrates testatur in libro de Capitis vulneribus: inquit enim, Lac prauum pueris nocet, atque in eis calculum

com. & text. 7. & 1. & 2.

fol. 2.

fol. 5.

culum generat, si calidum fuerit ac biliosum. Non igitur casealem substantiam accusat, sed biliosam, quæ renes & vesicam adurendo calculum creet. Illud etiam mirum, cur Galenus non potius equinum & camelinum asinino prætulerit, si sunt tenuiora. Vt verò non coaguletur, & ventrem moueat, sal & mel addit. Rursus vt maximè sistat, lapides ignitos in eo extinguit, aquamque addendo denuò repetit: sic enim serosam non solùm partem amittit, sed etiam ab acredine spoliatur. Iuuat autem omne lac pectus & pulmonem, & syncerum ac naturale boni est alimenti. Sed oxigala quasi ad naturam recoctæ accedit, ac casei, biliosis temperaturis conueniens: sed lapidem & obstructiones generat. Verùm de lactis partibus in superiore tractatu iam diximus. Porrò difficultatem inter Hippocratem & Galenum de ouillo ac bubulo lacte ipse Galenus in libro de Cibis boni & mali succi dissoluebat: nam bubulum plus habet butyri, ouillum plus casei: vnde pinguius bubulum, crassius ouillum meritò dici potest. Subiiciebat ibi mediocritate substantiæ caprillum omnibus præferri: quibusdam tamen in ventriculo maximo cum periculo coagulari: vnde mel & sal addere consulit.

lib. 3. de Aliment. c. 16. Contradict. 4.

Propter hæc quinto de Tuenda sanitate post medium, vbi lac laudat, quòd præter optimum alimentum etiam ventrem mediocriter subducat, vbi illud ab ætate animalium à natura & à victu eligere docet: quæ tria sunt in eo semper obseruanda, asininum ob tenuitatem, & caprillum ob mediocritatem alternatim exhibet, nam tutius asininum, in sanis melius caprillum, igitur sedata controuersia, ex eo loco alia protinus enascitur. Nam in decimo de Simplicibus medicamētis cap. propr. cùm docuisset ipsum eligere odore nullo penè ac grato, tamen sapore iucundo ac dulci, muliebre præfert omnibus, inde quòd ex animali carnes habeat suauissimas ac humanæ persimiles, quare tamen suillum damnat, vt crudum & aqueum, ouillum verò caprillo & asinino non præfert: multùm enim refert scire quale lac sanis longissimam quandoque præstat vitam, vt de rustico, qui centum excessit annos, retulit Galenus in quinto de tuenda sanitate cap. 6. in init. ob lactis vsum. Igitur Galenus in septimo Artis curatiuæ, dum siccam curat ventriculi & totius intemperiem tres posuit ordines: Primum qui optimus, vt lac ex mulieris vbere sugeretur. Huic proximum, vt bibere vellent, si sugere recusarent. Post hunc, vt asinam sugerent, si humanum abhorreant, vel si nolint, calidum euulsum bibant, constat enim, si vel refrigeretur, vel moræ paululum contrahat, illico plurimum detrimenti accipere, quod & in decimo de Simplicibus medicamentis cap. 11. in princ. testatus est. Sed in decimo Artis curatiuæ, dum curam hecticæ tractant, lac exhibet asininum tanquam præstantius, nulla humani mentione habita: periculum tamen dicit imminere ne coaguletur, ob id mellis exiguum adiicit, cùm tamē dixisset in tertio de Alimentis hoc lactis genus ab hoc periculo maximè abesse, nisi quòd ibi comparatiuè loquitur & in sanis, hic ob timorem febris veretur coagulationem. Nec est vt credas humanum debere præponi in hoc casu, nam iure prætermisit, vt in febre coagulationis periculo obnoxium. At vbi error, inquit, in his vel minimus acciderit de eis actum est. Melius igitur, in sola sicca intemperie & senectutis hectica, vt familiarissimum humanum, in hectica, febre vt tutius asininum præferatur.

Declaratum est autem lac omne dentibus nocere, ex tertio de Alimentorum facultatibus post medium: sed in libello de Facilè parabilibus Galeni genuino, dum de dolore agit dentiū, dixit, Lacte asinino os frequenter colluatur: vltra enim quòd dolorem eorum sedat, illos etiam confirmat. Vidit hanc difficultatem Auicenna in secundo sui canonis, & propterea dixit, Lac omne & si vitiet dentes, asininum tamen iuuat. Soluebat hoc Aëtius libro secundo cap. 94. dicens, Lac erodit gingiuas, & corrodit dentes: asininum tamen ob sui tenuitatem non solùm non obest illis, sed etiam eos iuuat, ac confirmat. Quò fit, vt intelligamus, caseosam partem & pinguem, esse quæ noceat dentibus. Dictum igitur Galeni solùm de capite & hypochondriis intelligendum erit, non autem de dentibus, quòd ab omni lacte lædantur. Accedit alia dubitatio: nam si lac nocet habentibus hypochondria suspensa, aut murmurantia, cur igitur ad illorum dolorem leuandum asininum præbet Hippocrates quarto regiminis acutorum, in choleræ morbi cura? in quo iam dixerat adesse ventris inflationem ac strepitum. Dicebat verò Galenus, lac asininum subducere ventrem, & lenire dolores, esseque omni alio lacte humidius. At verò quòd dolores proritasset lactis potus, declarauit Hippocrates exemplo in quarto Epidemiorum iuxta finem, & Galenus in Commento Aphorismi recitati, quonam pacto igitur sedabit dolores: nisi esset quòd duobus in casibus cōuenit, cùm vel vlcus adest: eo enim expurgato etiam consolidationem adiuuat: Vnde etiam Princeps laudat in secundo & tertio Canonis cap. 442. tract. 2. cap. 7. in princ. illius exhibitionem, tam per os, quàm in clysteri in vlceribus intestinorum. Secundus est, cùm ex expurgatione acrium humorum speratur auxilium: nam asininum lac illud præstare potest. In Aphorismo verò abhorret lac pro cibo biliosas habentibus deiectiones, non medicamenti vice.

cap. 442.

t. co. 199. & 113. tex 103.

Dictum verò cùm sit ex initio, & ex secundo de Morbis fœminarum, lac non conuenire lineosis, Auicenna tamen camelinum etiam iecoris ac lieni tum hydropisi mirum in modum conferre affirmat in lactis enarratione, alibique iungens etiam caprinum lac in asclitis cura, quod multos aberrare fecit. Laudatur etiam in cura cachesiæ ab eodem lac camelarum: veruntamen vrinam adiungere etiam illarum ei videtur. Sed & in omni specie asclitis à proprietate illud mirum in modum laudat in genere quòd detergat. Ex hoc tamen caprinum & camelinum iuxta differentiam animalium præfert. Necnon & in duritie splenis & apostemate dicit, quòd lac camelarum est mirabile. Hîc mihi dicendum videtur, quòd Galenus non exquisitè,

decimaquarta tertij, trac. 4. c. 13.

trac. 4. cap. 11.

decimaquinta tertij, tract. 2. cap. 7.
lib. 2. c. 63.
in de Simplic. c. 457.
cap. 15.

sitè, nec Hippocrates agnouerunt camelini lactis vires: nam & Dioscorides absolutè pronuntiauit, omne lac iecori & lieni obesse, camelini nullam facit mentionem. Indicio est, quòd nec Serapio eius meminit, dum de lacte agit. Súpsit igitur hoc à Rasi Princ. cũ dixit in tertio ad Almans. quod lac camelinũ cõfert habentibus corrupât iecoris temperiem, doloremque in eo, & in septimo Continentium ex autoritate Georgij cap. 2. fol. 157. col. 3. dixit, quòd lac camelinum iuuat hydropem sumendo vncias XVIII. cum vncia vrinæ earum. Adducit etiam librum cui titulus est Horribilium. Constat igitur hoc non esse Græcorum inuentum sed Arabum. Coniectari etiam licet ex dicto eius alio cum autoritate Bimmasux lib. 23. c. cap. 699. fol. 465. col. 1. inquit, Lac camelarum salsum est, & acre iecoris obstructionibus à crasso sanguine vtile. Constat huius saporis Galenum haud meminisse. Facit enim Rasis duo capita de lacte, in suis Continentibus, tertium septimi libri ibid. col. 2. perbreue: atque alterum in vigesimo tertio, vbi prolixè lactis vtilitatem prosequitur. Agnouit igitur eo teste & Rufus camelinum lac, dicens tardè illum è ventriculo descendere, quamuis non multum serosæ partis habeat, aut forsan legendum est, Quamuis habeat. Vnum sat est, illũ expertum esse, quod difficulter cõcoquatur: subtilissimtamen inter omnia substantiæ illud esse affirmat. Sed Iudæus addit, quòd corpus corroborat. Ex quibus facilè conditionibus dignoscitur, qualis natura sit camelini lactis. Tria tamen iubet nos in eius potu obseruare. Primum, ne ante XL. dies à camelæ partu. Secundum, ne in hyeme. Tertium, quod antea dixerat, ne non absque delectu ciborum bibatur: nam vel cogitur in ventriculo, vel non iuuat, si tamen ventrem laxauerit nimis, ferri scobe in illo posita corrigatur. Ergo reliqua lactis genera lienosis aut hepaticis parùm conferunt. Lac verò asininum non illis nocet, equinum ex illius sententia etiam menses prouocat. Sunt qui legunt humidissimum, ex libro de Alimentis, quia ὑγρότατον: sed perperam non admittente contextu. Sed illud mirum, quod ibi addit, Lac muliebre cæteris magis nutrire. Ego, Melius, legerem, potius quàm, Magis. Sed & illud non conuenit Dioscoridis in initio sermonis de lacte, quòd bubulum, & asininum, ac equinum, magis moueant ac turbent ventrem, quàm ouillum, atque caprinum. Nam de asinino, & equino verum est: de bubulo non videtur, nisi per εὐκοιλιώτερα, intelligat vtrunque extremum agentia, illa quæ moueant: bubullum, quòd sui grauitate & alimonia ventrem turbet, nusquam concesserim contra Galeni sententiam, bubulum magis mouere ventrem, quàm caprinum: nisi quòd cùm dulcius ob pinguedinis copiam sit, in aliquibus id efficiat. Sed & lectio sua Rasis lectionis astipulari videtur, cùm inquit, Τὸ δὲ τῆς γυναικὸς γάλα γλυκύτατόν ἐστι καὶ τροφιμώτατον, id est, Mulieris lac dulcissimum est, ac maximè nutriens. Ego superlatiuum illud ad optimè nutriens, non ad Maximè, transferrem: constat enim bubullum humano esse pinguius, quare etiam magis nutrire, at non melius hercle.

fol. 466. col. 1. *ibid. fol. 463. col. 4.*

Sed postquam ad Dioscoridem ventum est, ille à colore, quòd sit candidum, à substantia, quòd sit mediocre, & quòd vngui impositum non diffluat, lac probat Galenus, vt vidimus à sapore & odore. Paulus septem notas ascribit, quòd mediocre sit, & laudabile substantia, colore, odore, sapore, copia, quod impositum vngui claritatem habeat æqualem, ac mediocriter diffluat: denique quod coagulo in vitreo vase coactum, tam serosæ, quàm & solidæ substantiæ mediocritatem obtineat. Aëtius copiæ non meminit, nec experimentum addit: in cæteris concors est Paulo: lac tamen candidum cum Dioscoride probat. Aristoteles tertio de Historia animalium inquit, His qui lactantur vtilius lac est, quod ad liuorem trahit, quàm candidum, πελιδνότερον, habet Græca lectio. Auicenna recitans conditiones à paulo positas exponit, quod color attineat ad albedinem, quasi non probet exquisitè candidum. Respondeo igitur, quòd Galenus in primo de Tuenda sanitate, vbi leuis error maximam noxam inferre poterat, adiecit & colorem, dicens, Liuidum nõ oportere esse, sed candidum, vt & Aëtius docebat. Aristoteles animaduertit minorem lacti, quam niui, vel calci adesse candorem. Lac igitur quod optimum atque id mediocriter spissum, non candidissimum est, sed nec liuidum, at quasi ad liuorem declinans: quod enim subobscurum quoquomodo est, non adeò est aquosum. Concordant igitur hi omnes, nisi quòd copia est argumentum non mali lactis per se, sed causæ cuiuspiam qua lac non sit omnino probatum: sic & inopia. Vbi verò tam diligenti inquisitione haud opus est, odor & sapor satisfaciunt. Verùm ad idem redeunt antiquorum dicta vt visu, odoratu, & gustu probetur. Optimum verò quod ab animalibus, post humanum, carnem similem habentibus prouenit: atque id iure, caprinum enim optimum, vt hœdina caro: inde bubulum, asininum, non melius, sed tutius est, ac magis ad medicinæ rationem pertinet, quàm cibi. In suillo solùm difficultas est, nam caro ea assimilatur humanæ, sed ex mammarum paruitate forsan id accidit: & quamquàm caro mala, & horribilis, lac prauum esse arguat, non tamen bona bonum.

lib. 1. c. 3. *lib. 4. c. 5.* *cap. 21.* *tertia primi, doc. 1. c. 2.*

Sed rursus difficultas est de quantitate: nam, vt dixi, Hippocrates dabat primò duos cyathos ascendendo per singulos vsque ad sex. Sed Galenus in decimo Artis curatiuæ inquit, Dandus est primò lactis cyathus, inde per dies singulos dimidio cyatho est augenda mensura, vsque ad metam mediocrem. Aëtius vero dixit, certam quantitatem cuiusque definire est impossibile. Auicenna verò in quarto libro, dum hecticam curat, dicit, vt initium sumatur à drachmis decem, vsque ad triginta. Ex quo patet quod hic est error: quare vel sic legendus est textus ille, Initium sit à drachmis decem vsque ad viginti. Vel sic; Initium sit à drachmis decem, & perueniat vque ad trigenta augendo, & etiam plus, si virtus ferat: vt hæc quantitas sit terminus totius temporis, non autem initij, nam hoc cum Galeno concordat. Aëtius verò dixit, non posse præfiniri veram quantitatem, quæ nec

cap. 11. *lib. 2. cap. 93.* *fen. 1. tract. 3. cap. 6.*

nec à Galeno, nec ab Auicenna, vt patet, determinatur. Hippocrates verò auget quantitatem, quia morbus est minus periculosus, & nondum fluxio cessat: & ob id etiam bubulum porrigit, quoniam plus habet pinguis, vt visum est.

Sed cur pessimum dat Hippocrates in hoc casu, nam Paulus dixit, temperatissimum muliebre, inde caprillum, pòst asininum & ouillum, bubulum verò vltimum est: à quo dissentire videtur Alexander cùm dixit, Optimè nutrit hecticos muliebre lac, pòst asininum. Et Princeps loco allegato, Post muliebre optimum est asininum. Sed in secundo Canonis dixit, quòd vaccinum post muliebre est melius: & adducit rationem, Quia illud est magis conforme humano, quod fit ab animali, cuius fœtus eandem in vtero moram ducit cum homine, id est per nouem menses: quare vacca cum vitulum ferat nouem mensibus, & ouis quinque inquit enim Philosophus in sexto de Historia animalium cap. 18.19.21.22. & 23. Sus quatuor mensibus in vtero fert, ouis & capra quinque vacat nouem, equus & asinus duodecimo mense pariunt, quo etiam camelus, igitur lac optimum vel natura infantibus taléque vaccinum: vel substantiæ mediocritate, vt caprillum: vel securitate maximè, ne coaguletur, atque id est asininum: vel reficiendis viribus, atque in hoc bubulum etiam muliebri præstat, quare illud dabat Hippocrates. At in febribus conuenit hecticis asininum decimo Artis curatiuæ lib. 5. cap. 93. vt nec humani meminerit, quod etiam Aëtius obseruat, dum de illarum cura agit. Alexander verò, vt visum est humanum præponit, & Auicenna, quamquã aliter Gentilis interpretetur locum quarti libri suprà adductum. Sed tamen in secundo libro, vbi de eo agitur, inquit, Lac asininum & caprillum hecticis confert, humani nullam habet mentionem. Verum Gentilis conatur soluere dicens, quòd substantiæ similitudine humanum lac sit melius, asininum autem refrigerandi & humectandi causa. Sed hæc solutio nulla est, quæ nos nihil docet qualenam modo est præbendũ. Respondeo igitur, quòd secundum Galenũ in siccitate ventriculi melius est humanũ, quia melius nutrit, & est magis conforme, & nõ tanto in periculo coagulationis versamur in hoc morbo sicut in hectica. Sed in hectica melius est asininum, quia non adeo facile coagulatur vt muliebre, estque frigidius, & humidius illo. Sed Auicenna forsitan est exponendus in secundo loco per primum. Vnde patet error Auerrois in septimo Collectaneorũ, qui totũ facit oppositum: in cura enim hecticæ dat lac humanũ, in cura siccitatis ventriculi asininum. Nec est dicendum, regulam datam in septimo Artis curatiuæ tenere in decimo, vt vbiq; lac humanum præferendũ sit. Valde enim incautus fuisset Galenus in tam subtili curandi ratione, tanquam periculosa, vt vnius verbi causa errorem hunc voluisset admittere. Subscribit etiam huic ratio, nam ibi periculum maximum veretur, ne coaguletur, quod vix in humano potest impetrari: nam dare mel in hac causa horret. Ob id igitur in sicca ventriculi intemperie humanum lac potest magis conuenire, quòd mellis admixtio, quæ ferme ad securitatem est necessaria, tutior sit. Patet autem ex his, quòd non eadem est cura siccitatis ventriculi, & hecticæ eius: cùm in eius hectica asininum lac, magis etiam quàm in hectica totius conueniat. Haliabbas verò in quinto Theoricæ cap. 26. non animaduertens differentiam hanc, humanum præposuit asino. Verùm in tertio Practicæ cap. 26. si febris non sit vehemens, dat lac asinæ, dat etiam caprillum lac, à quo sit butyrum extractum. Hoc non videtur vtile admodum vt ostendam. Ex quo patet, quod lac vaccinum pessimum sit in hectica, cùm ob pinguedinem sit obnoxium inflammationi: post illud caprinum, & ouillum, & humanum: optimum autem asininum & equinum, Sed cur in hectica non maximè conuenit camelinum vt subtilius quinto Theoricæ tum ex his quæ dicta sunt. Respondeo: quia acre. Haliabbas ibi dixit, quod camelinum citò è ventriculo descendit, & ob id forsan quis dubitaret ex Rufi authoritate. Respondeo: Rufus agnouit experimento, quòd tardè concoquitur: Haliabbas rationem sequitur, quia subtile. Aliqua tamen subtilia tardè concoquuntur, cùm sunt naturæ inimica, quale est camelinum lac. Ideo dicebat Aëtius, quod lac camelinum etsi seri multum habeat, attamen tardè descendit è ventriculo. Quod ille satis ambigue vertendo explicauit, timens aberrare, cùm Arabes non vidisset. Sed iam equinum cùm sit calidius, & acredinis omnino non expers, refugiunt magis quàm asininum. Propterea dicebat Haliabbas, Equinum lac proximum est camelino, vt asininum caprillo. Est etiam caro asini longè melior carne equi, vnde secundum regulam Galeni etiam lac conuenientius. Ratio huius regulæ etiam est manifesta: nam si ex lacte fit caro, etiam conueniens est, vt carnes meliores fiant à meliore lacte. Accedit quod in nutrice caro & lac ex eodem fiunt sanguine: rursusque lac ex carnea substantia mammillarum formam & concoctionem recipit.

Verùm quonam pacto Paulus lac coquit vt aluum sistat, sic Galenus ad Glauconem primo? Hippocrates, vt iam vidimus, vt expurget. Neque etiam videtur verum quod supra diximus, ad biliosas deiectiones conuenire tantum purgandi causa: cum Paulus dicat, his stantibus, vt illas compescimus, lac dandum esse. Alexander etiam Trallianus hoc exhibet decoctum intestinorum difficultate. Propterea responsio ex quatuor pendet quæ ab eodem & Paulo obseruantur. Quintum vero etiam à Galeno in tertio de Alimentis, quo loco iam eum adduximus. Primum igitur, vt præsupponamus lac primo hoc expurgare bilem, antequam sistat. Secundum, quod non asininum, vt in purgando, sed caprillum eligatur. Tertium, quod ab initio cum purgare volumus, multa quantitas, & syncera danda est: cùm sistere, minor atque cum cibo, hæc Alexander. Paulus obseruàt, vt dum coquitur, quod superfluitat, & est pars eius calidior, pinguior & butyrosa auferatur: nam serosa purgat, casealis sistit, butyrosa vtique operationi inutilis. Diutius

Lib. 7. c. de lacte.

lib. 5. cap. 22. titulo de lacte

cap. 442. secundi tracta.

cap. 15. & 23.

lib. 1. cap. 17.

lib. 1. cap. 17.

lib. 3. cap. 1.

Diutius etiam coquitur quod ad coërcendum datur, vtpote horis duabus, parum quod ad laxandum. Galenus verò addebat, vt in his lapilli extinguerentur igniti, vt serosa pars, & quicquid in eo acre est, consumeretur: deinde aqua alia addita denuo coqueretur: hoc vt frequentius fieret lac reddebat frigidius, & magis astringens, ac omnis acris expers qualitatis, quamobrem nec acres humores sic potest nutrire, & sistit aluum, nec proritat. Commune autem est his omnibus, vt perpetuò misceatur ferula, ne cogatur in caseum. Vnde apparet quot modis in eius exhibitione peccetur.

cap. 12.

Sed in phthisicis quodnam melius erit: Galenus in quinto Artis curatiuæ muliebre prætulit: à quo asininum, caprillum, ac bubulum collaudat, eo consilio, quòd diuersis in temporibus diuerso lactis genere indigeamus. Ergo quantum primo prosit hoc in morbo, dicebat Alexander quendam, qui sanguinem expuisset, dum per annum nulla non in re lacte vteretur perfectè fuisse sanatum. Quinimo & Galenus ipse refert aliquos existimasse, solo lactis vsu pulmonis vlcera persanari posse. Sed & Auicenna longam de lactis vsu in phthisicis narrationem facit, humanum autem & ipse præfert: vtitur verò & decocto lacte: & litera noua prætulit asininum, vt & Aëtius. Haliabbas laudabat caprillum, vt cùm emungeretur cocto pinguiorem partem auferamus, mulierum tamen & asinorum præfert, sed dubium est quod butyrosam hic conatur auferre partem, quam etiam seorsum Aëtius nititur eis exhibere, tanquam vtilissimam educendæ saniei.

lib. 1. in fine totius.

10. 3. trac. 5. c. 6.

lib. 8. c. 67.

5. practica. cap. 12.

Porrò quod de capris dictum sæpe est, quòd inutiles sint, iam explicabo: quanquam aliàs à me relatum, cum leonem & capram natura ægra esse diceremus. Varro igitur in sua historia rei rusticæ: Capras sanas sanus nemo promittit, nunquam enim sine febre sunt: itaque stipulantur paucis exceptis verbis, ac Manilius scriptũ reliquit sic: Illas capras hodie rectè esse, & bibere posse, habereque rectè licere, hæc spondes ne? Quòd etsi Galenus hoc non dicat, Auicenna verò nesciuerit, malim tamen Italo de rebus Italis tum præsertim iurisconsulto, quàm Græco, vel Arabi credere: atque eo magis, quòd illi affirmant; Si non animaduertisse potius videntur: estque aliud periculum in errore ac pertinacia: nullum in timore, cùm aliorum animalium præstantius habeamus. Ergo Aëtius asinini commeminit tantum ob tædium, mulieris autem conuenientius: quanquam &, vt dixi, in hoc morbi genere non sit vna perpetuo ratio: nam quandoque febri hæcticæ occurrendum est vel putridæ periculo, atque tamen his asininum melius: at si putredo adsit in vlcere, bubulo iuxta Aëtij sententiam facilius expurgatur ob pinguedinis copiam. Rursus si nullum horum adsit, vtemur humano, vt familiarissimo. Omnes tamen si vehemens febris sit, lac omne refugiunt. Indigemus autem expurgatione puris in hoc morbo, hoc pingui ac butyrosa parte perficitur, consolidatione hoc caseosa, refrigeratione ob hecticam hoc serosa: itaque substantiis tribus, quas lac possidet tota morbi curationis intentio absoluitur. Cùm igitur febris abundat, sanies autem multa non est, oxigalacte vti etiam possumus: nihil est enim ibi corruptioni paratum. Vbi febris leuis, vlcus magnum ac sordidum, decocto lacte vtemur, eoque etiam bubulo. Ergo vt ad primum reuertar institutum, Galenus sumptum ex tabiis laudat. Hoc autem tres habet conditiones, quas qui in alio præstiterit loco negotio rectè consu[luerit]: non aliter quàm si ad tabias ægrum transmitteret. Prima, vt in monte animalia illa, à quibus lac excipitur, habitent, non humili in loco. Secundum, vt mons ille austro & Orienti exponatur, à Bo[rea] parte integatur. Tertium, quòd si iuxta mare. Accedit vt animalia illa herbis ac fructetis siccioribus alantur, quemadmodum agrestis, lotus, melissophyllon, & poligonon: lac igitur hoc saluberrimum erit. Quantitatem verò eius Haliabbas iam explicauit ab vnciis sex ad duodecim vsque. Auicenna verò dicebat à sacraiati duobus vsque ad tria. Vnde secundum Gentilis expositionem, cùm sacraiati sit vnciæ quatuor cum dimidia, erit minima quantitas vnciarum nouem, maxima autem tredecim cum dimidia. Forsan plus in hoc, quàm in hectica conceditur, quoniam morbus difficilior euadit. Cumque hæc consistant iudicio quodam æstimatiuo, non ideo Haliabbatem ab Auicenna discordare censuerim, si Haliabbas vncias duodecim lactis in spatio horarum 24. Auicenna autem paulò plus concedat: hæc autem ab vtilitate quæ ex vsu prouenit potius sunt æstimanda. At quoniam lac diximus hecticæ refrigerandi & humectandi causa conuenire, dubitatur ea causa an lac frigidum sit, videtur enim hoc sentire Galenus dum dixit, Frigidum est, ac eo sanguine frigidius quantò adenes mammillarum sunt iecore frigidiores. Sed & Auicenna dixit ipsum declinare ad frigiditatem, quamuis facile in bilem conuertatur. Idem Rasis in tertio ad Almansorem, Lac recens licet proximum sit valde temperamento, ad frigidum tamen & humidum paululum declinat. Sed Hali quinto Theoricæ frigidum & humidum absolutè protulit: recens tamẽ humidius quã frigidius acetosum autẽ frigidius quã humidius. Verũ Auenzoar libro secũdo sui Theisir, dixit ipsum esse frigidum & humidum, adeò vt nihil sit atquæ tam proximum ex cibis compositis. Omnes hi cùm diuersa senserint, aut defecerunt, aut errauerunt. Quòd enim lac longè sit humidius, quàm frigidius, si frigidum modicè ponatur, liquido constat ex generatione primò: namque ex sanguine infrigidato, non autem exiccato procreatur: est etiam vehementer dulce, ac plurimùm nutriens: constat etiam ex duabus substantiis exquisitè humidis, tertia autem caseosa terræ commixta: etsi Auerroës dicat, diuersas illud habere partes contrarias, non tamen æquales eas esse dixit. Galenus etiam in tertio de Alimentis confitetur, quòd non secus ac oleum illitum humectat cutim, ac pinguem reddit: cumque sit corruptioni adeò obnoxium, nulla potest subesse ratio, qua illud hecticis dicamus conuenire, cùm vix frigidum sit nisi humidum etiam esset vehementer: scriptum est

5. Aphor. 40.

2. can. trac. 2. c. 442.

cap. 15.

cap. 26.

tract. 2. c. 8.

5. coll. c. 44.

1. Aphor. 16. est enim quod victus humidius febricitantibus omnibus confert. Hali defendi potest ad hunc sensum deductus, quòd lac acidum humidum minus est quàm prius esset, & tamen frigidius. At si de oxigalacte intelligamus, vera erit propositio ex toto, namque id genus lactis adempto butyro frigidum euadit & siccum, sed neutrum horum sensit ille tamen. Auenzoar in humido non aberrat, sic in frigido sic intelligendus est, quòd nihil magis sitim extinguit eo, si non corrumpatur, quare ex affectus ratione proximum est naturæ aquæ, res enim frigida vehementer, si leuiter humida sit, videtur humidior: & humida vehementer, si frigida sit, humorem maiorem refert. Sed Galenus quinto de Simplicibus medicamentis cap. 21. lac ponit calidum moderatè ac humidum: medium inter sanguinem & pituitam: verùm à pituitæ natura remotiorem, proximiorem verò sanguini: atque istud verum est, dum in mammis lac continetur: cùm autem exierit resoluta subtiliore parte, frigidum illico euadit, estque vt humor quidam calidus, ob id etiam calidis & humidis medicamentis augetur, vt verò est alimentum frigidum, euadit & humidum. Quamobrem qui lac ex vbere sugunt, calidum suscipiunt nutrimentum, spirituque plenum, incorruptamque illius substantiam: quod maximè phthisicis conuenit: hecticis autem ob id non à muliere, sed ab asina: hoc enim dum sugitur frigidum, est hominis comparatione, & spiritu plenum. Hoc autem manifeste Galenus declarat in quarto de Simplicibus medicamentis cap. 17. hoc argumento, quòd ex tribus substantiis ex quibus lac constat, vna est temperata, alia quæ minima ferme est modicè calida, maxima verò manifestè humida & frigida: quare totum vt frigidum & humidum euadat necesse est: vnde fit, vt etiam coctum dulcius fiat.

Cuius occasione dubitatus, an lac coctum ad nutriendum melius euadat, quidue acquirat ad laxandum vtile? nam de adstrictione satis claret. *4. de Simplic. medic. cap. 9. & 16.* Igitur quòd lac dum coquitur subtili parte resoluta dulcius euadat, iam declarauit, sed non ob id: dulce enim est, quod moderatè calidum: quod igitur frigidum ex Galeni sententia est, si amplius coquatur, temperatius euadit: tale igitur cùm sit lac, dulcius etiam fiet. Fit autem quod temperatum etiam melius nutriens: oportet igitur coctum melius nutrire quàm crudnm: nam aquea pars sublata est: quod reliquum est, subtilius etiam, totum autem temperatius, ostendentur autem hæc in sequenti disputatione. Quare lac coctum melius nutrit, non solùm quia temperatius, sed quia mediocre. Attamen in febribus cocto non vtendum est, non enim caliditate ampliore indigemus vbi refrigeratione opus est. Sed in adstringendo optimum tale, quale diximus. Quod verò non ab igne, sed ab aëre permutatur acescit, hoc autem haud opportunum in nutriendo, cùm semicorruptum fit: quamobrem & de hac differentia dicendum erit. Sed cur ab vbere melius, non equidem, nisi quia percoctum nimis nutriendo, ac tenax alimentum præbendo, periclitantur simul renes & iecur. Crudum autem ab aquea parte iuuatur: ob id commodius sanis crudum quàm coctum, etsi coctum facilius, ac plus, ac melius etiam nutriat, nisi quis calidiore sit temperamento. Coquitur autem lac asininum hac necessitate, quod purgare non possit nisi magna copia: dabat enim Hippocrates quarto Regiminis acutorum tex. 29. ab heminis duodecim ad sexdecim. Est autem hemina dragmæ 60. igitur minor quantitas erat vnciarum 90. maxima 120. ob id Galenus in Commento magnitudinem lactis animaduertens dixit, nos non debere de quātitate mirari, cùm antiquo tempore consuetum esset purgare copiosius. Adiecit & Galenus, in coctione asinini lactis nullum esse periculum quemadmodum in alio, ne in caseum cogatur, cùm sit liquidissimum: consulit tamen, vt ad maiorem securitatem mel ipsum addamus. Oportet autem, vt dixi, perpetuò permiscere, & non multùm coquere, neque diu. Si igitur tanta ac adeò tenuis substantiæ lactis crudi copia, vel etiam longè minor exhiberetur, periculum esset, ne æger omnino flatu distenderetur, doloribusque contorqueretur: Ergo coctio non purgationem iuuat, sed noxam lactis emendandi causa adhibetur, horum occasione dubitatur an lac sit facilis concoctionis, nam tale existimat Auicenna in secundo libro, conaturque ostendere ratione. Mesue, Lac, inquit, tria in phthisi habet præcipua, facilitatem concoctionis, & vt fit res grata, & cum hoc medicina. *cap. 442. Secunda primi, Par. 2. c. de Ptiss.* Est etiam conueniens phthisicis & hecticis, iuxta Galeni & Hippocratis sententiam, quibus cibi solum facilis concoctionis conueniunt, iuxta omnium sententiam. *5. Aphori. 64.* Conuenit etiam nuper natis: quò fit, vt facilis necessariò sit concoctionis. Oppositum in de Dissolutione continua, quæcunque dulcia & crassa, sunt, iecori obsunt, ipsum obstruendo, quale est lac: quæ autem crassa, proculdubio difficulter concoquuntur. *ap. 18.* Respondeo, Lac facilè concoquitur, præsertim tenuè, vt asininum: non tamen est facillissimæ coctionis absolutè, cedit enim luteis ouorum in duobus, quod difficilius concoquatur, & facilius corrumpatur. Diximus autem aliàs de coctionis facilis causis. *In 1. can. med. tract. 5. can. 7.* Lac quia multum nutrit iecori graue est, non ventriculo, iuxta datam regulam. At lacte assumpto vigiliæ imperantur, vt Auicenna docet in secundo libro: *cap. 442.* sed Galenus nec in quinto, nec in septimo, nec in decimo meminit Artis curatiuæ huius præposteræ vigiliæ, nec in tertio de Alimentis. Quinimo dicebat ipse Princeps alibi, Et capiat ouillum lac, & superdormiat, dum corpus augere vult. *vigesima tertij, t. 1. cap. 36* Mirum esset quod Galenus somnum abiecisset, vbi coctionem in debilibus procurat. Deinde, quod minima quæque adeo diligenter prosequeretur, ac maxima negligeret. Sed dices, Aëtius iubet vt à somno abstineant. *lib. 2. c. 93.* Dico, ille docuit veram solutionem, nam consulit ne dormiant, his qui ex eo purgationem sperant, quibus etiam deambulationem imperat. At quibus non conuenit deambulatio, vt hecticis, & consumptis, ac renum vlceribus, tamen etiam phthisicis citra capitis vitium, ac in his generaliter in quibus purgationem non speramus, nec à capite quicquam timemus,

mus, somnum iniungere oportet.

Apparet igitur quantus sit error medicorum nostri temporis, qui nihil sapiunt, nisi vbi nil scire præstabat. Et hæc videtur etiam Auerrois sententia septimo Collectaneorū, cùm dixit, Procuranda est illius coctio omni diligentia. Rasis etiam in cura hecticæ, cùm dat lac, non meminit vigiliarum, sed coctionis, nec etiam dum de cura phthisis loquitur. Ergo vt cibus somno semper iungi debet, vel vt medicina permutans, non autem vt medicamentum.

cap. 15.

10. ad Almā. c. 19 eiusdem c. 60.

Sed quamnam habet præcipuam vim lac in confortando renes, cùm dicat Auicenna, & lacti omino in confortando renes non est medicina compar; & tamen Galenus in tertio de Alimentis, ipsum vt renibus inimicum damnauit, maximè crassum, quale ouillum est: cui & ipse Princeps in secundo libro in Aureola membrorum naturalium subscripsit. Respondeo, Omne lac sua substantia renibus per se confert, maximè autem ouillum. Caseus enim nutrit renes, & ob id etiam vires: verum nocet per accidens generando lapidem: & hæc non repugnant inuicem.

decima octa-ua tertii, trac. 1. c. 13.

Illud citra contradictionem animaduertere decet, Lac esse maximam medicinam aduersus venena, quod & Aetius fatetur, peculiariter autem aduersus Cantharidas & Hyoscyamum: & hoc idem fatetur Auicenna, & alij. Oportet autem non ignorare causas: nam ex his facilius occurremus. Igitur cùm sit æquale ferme in temperamento, iuuat in calido & frigido, ac sicco veneno: nullum est enim venenum humidum, quod ob id veneni subeat rationem: est etiam gratum naturæ, & obnoxium, quò fit, vt maximam illius quantitatem assumere liceat: atque sic duobus modis præcipuè iuuat: primum vomendo, cùm ob gratiam bibere non recusat patiens simile ei quod vomuit: quod in oleo rarò efficere licet. Iuuat & cùm assumpta magna quantitate venenum à multitudine eius obtunditur. Aliud est in causa quòd butyro adhæret, venenumque ne imprimat prohibet: & si eroserit, lenit ac mitigat: ob id hac in causa bubullum præstantissimum. Proxima huic ratio detergendi ex aquea parte accedit, qua etiam penetrat ad intima vsque. Vltimum quod simul nutrit, vt vires non deficiant. His tot vtilitatibus laudatur: habet tamen, vt dixi, aduersus erodentia venena peculiarem vim: vt cantharides, & marinum leporem.

lib. 1. cap 92. sexta quarti, trac. 1. c. 4. & in 1. can. trac. 1. c. 441. in fi.

Superest difficultas, an aquea pars frigida sit, vt Galenus inquit in quarto de Simplicibus medicamentis c. 17. cap. de aqua lactis, an potius calida vt à Mesue in suo libro de Soluentibus medicamentis, & à Principe in secundo libro ponitur. Verùm de aqua lactis, quæ in lacte est, non loquitur Mesue: ea enim prorsus est frigida: cùm hoc stat quod vi coaguli adiuta euadat sicca atque calida: nā coagulum à Galeno interaciem habentia vim ac discussoriam mirantur: & à Principe in secundo libro, omne coaguli genus, calidum est, & siccum, atque igneum: igitur esse potest, vt aqua lactis, quæ coagulo secernitur, calida sit, & sicca, quæ in lacte continetur, abundè frigida & humida: initio enim calida est atque sicca pro medicamento data: cùm tamen diutius moram traxerit, frigida euadit & humida, vt inferius post sequentem contradictionem docebimus.

10. de Simpli. med. cap prep c. 119.

Postremò duo à me declaranda sunt, an lac in febribus putridis conueniat lentis? nā hoc videtur velle Hippocrates in Aphorismo adducto, & Celsus cùm dixit, Lac quod in his quibus sanguis fluxit pro veneno est, in Phthisi tamen sicut in omnibus longis difficilibusque febriculis rectè dari potest. Alterum est, quod & ibi exprimitur, cur vbi sanguis fluxerit, lac pro veneno sit habendum. Habet autem & prima quæstio duo capita, an in putridis lentis conueniat: deinde si non conueniat: an cū illa hecticæ cōmiscetur conuenienter possit exhiberi. Illud primò excipiendū, quod per se clarum est, vti medicamentum non obesse, id est, cùm semel aut bis magna in quantitate exhibetur, difficultas est de eo cùm rationem cibi subit: atque in hoc etiam duplex modus est: nam & in continuis nō eadē ratio quæ in intermittētibus: facilius enim in his admitti posse videtur. In vniuersum igitur capita huius dubitationis quatuor sūt: Vtrum in lōgis, atq; continuis, sed remissioribus? Vtrum in longis remissioribus intermittentibus, vt quartanis? Vtrū in illis vel in his cū Tabi aut hecticæ copulantur? Oportet autē illud primò pro confesso recipere, quod ab omnibus cōceditur: scilicet, lac facile corrumpi duplici corruptione: aut vt in bilem vertatur, aut in acidum: sic enim inquit in quinta Aphorismorum, quanquam in quarto de Simplicibus medicamentis, videatur vnū tantum illi corruptionis modum assignare: quo ad acetositatem tendat: nisi esset quod in Aphorismis calidam corruptionem adesse vult, vel vt solū in halitus digeratur, ad caputque tendat, vel vt humorem iam biliosum assistentem præsupponat, ex quo in bilem & ipsum vertatur. A puro autem calido in alienū non vertitur humorem. Est & illud concedendum, si putrido humori occurrat, ipsum facile corrumpi, cùm omnis alienæ sit susceptiuum facile qualitatis. Vltimum quod plurimum nutrit, si bene concoquatur: quodcunque autem tale est, si corrumpatur, grauissimam necessario infert noxam: sicut leuem, quod parum exhibet alimenti. De lacte igitur nouiter excepto dicebat Auicenna in secundo libro, quòd si crassæ sit substantiæ, non oportet vt villo modo febrienti exhibeatur. Igitur asininum videtur admittere, ipsum enim non est crassum. Eiusdem etiam videtur sententiæ Hippocrates in Aphorismo, cum duo capita faciat tabidorum & longarum febrium ac paruarum: per has igitur hecticas quæ sub primo membro comprehenduntur, haud intelligere videtur: putridas igitur lentas intelligit: nisi esset quod per tabidos Galenus phthoēn exponit, vt sit sensus, Lac conuenit in phthoē, si non valde febricitent, atque in hecticis febribus, tum his qui citra febrē sunt extenuati. Quare & alius cessat scrupulus, scilicet, an in vlcere pulmonis, si continua putrida iungatur, aut si eadem hecticæ, conueniat? Responde absque cunctatione, quod non, propterea Rasis in cura phthoe

lib. 3. cap. 32.

aphor. 64.

cap. 17.

phthoë lac dat, & cum febris creuerit, denuo amouet, atque iterum dat cùm illa tollitur. Signum autem quòd putrida adsit, est, vel quoniam febris est vehemens: nulla enim hectica, etiamsi in marasmum transeat, talis esse potest. Alterum quod nocetur ex potu lactis: quare in his duobus casibus iure merito lac omne, etiam asininum, prohibetur. Non me præterit alia etiam esse signa putridarum, cum hecticæ coniunguntur: sed hæc duo sunt tantum quæ simul ostendant & putridam adesse, & lac non conuenire: reliqua autem de lactis prohibitione indicant, quoniam prius putridam febrem adesse declarant. Cui igitur princeps crassum solum ex toto amouet? quoniam nec via medicinæ id competit. Subtile autem non prohibemus, vt medicamentum, quale asininum: dictum est enim sæpius Aphorismorum de lacte loqui vt cibo, non vt medicamento. Igitur quamuis hecticæ, & marasmo, & tabidis nihil sit præstantius lacte, vt à Galeno habetur in libro de Tabe c.8. non tamen vbi hectica putridæ coniungatur vnquam dare expediet. In intermittentibus autem cui bono lac dare? cùm liceat tutò agere absque lacte. Sed nec si tertiana adiungatur hecticæ lac dabimus: nimis enim propensum est vt in bilem conuertatur: nec etiam in febre, quæ singulis diebus inuadit, quamquam ex pituita extra venas existente progignatur: semper enim præsens est putrescens humor. In solis igitur Quartanis, ac Quintanis, & quæ longioribus periodis affligant, si nimium etiam sint consumptis absque hectica, vel si hæctica præsens adfuerit lac dare conueniet non solum, sed & valde opportunum. Primùm quidem, quòd spatium habeant diuturnum, vt prius lac concoqui possit, quàm febri occurrere. Secúdò, quòd eiusmodi omnes febres ab humore nigro fiant, teste Auicenna prima quarti trac.2.c.66. at huic humori lac maximè conuenit, vt princeps ait in secundo Canonis. Tertiò, quòd hæ febres maximè Quintana hecticam ipsam inuehant, vt Hippocrates testatur. Ob hæc omnia, si vel hecticæ aliqua harum febrium coniungatur, aut phthoë, vel etiam consumptioni ex alia causa, vel in natura extremè macilenta & gracili, lac vt tuto, & vtiliter dabimus.

1. Epidē par. 3. text. 9.

Reliquum est vt videamus, cur his non conueniat, à quibus sanguis plurimus effluxerit: quamquam, vt dixi, si ex vlcere renum, vel vesicæ, vel intestinorum lac non noceat: sed vt ostendimus elaboratum. Brasauolus existimat, quod effuso sanguine perfrigeretur calor: sed calore imminuto lac corrumpitur, vt Galenus testatur, ideo sic nocet: quod etiam suffragio authoritatis Philotei confirmat. Sed hæc primo causa nimis generalis est, cùm multæ sint causæ in quibus calor naturalis debilitatur, nec tamen prohibemur à lacte: quinimo & consumpti ipsi calorem habent debilem, & tamen in eis lac Galenus dare iubet, & Hippocrates: alia igitur magis propria est exploranda. Si igitur sanguis multus effluxerit, quia abundet lac minimè conuenit: sanguinem enim copiosum generat, & redire faciet morbum. Si autem alia occasione sanguis effluxit, minus etiam conuenit: exinanitis enim venis rapitur ob dulcedinem, & copia alimenti atque crassitie hepar obstruit, repletque corpus crudis humoribus: vt ex sententia Galeni in libro de Dissolutione continua cap. 18. dum de lacte ipso agit, apertè colligitur. Hæc autem causa in crassiore lacte militat, etiam si sanguis non effluxerit: in omni autem cum ex illius effluxu venæ fuerint exinanitæ: nihil enim ex simplicibus nutrit, & adeo simul dulce est, quantum lac etiam asininum.

Sed quo modo lac hecticis conueniet, quæcunque enim facilia ad concoctionem facile corrumpûtur, vt à Galeno in Arte medica scriptum est, si in ventriculo calido concoquantur. Quidam dixerunt, quod à copiosiore calore, non autem vehementiore, aut acutiore, qualis est hectici, corrumpitur lac. Sed falluntur, cùm Galenus, vt ibi ostendimus, calidum appellet ventriculum, qui vehementiorem habeat calorem, non qui copiosiorem: propterea dico, quod asininum lac frigiditate iuuatur: & hoc est, quod ille etiam dixit: A frigidis autem moderatè iuuatur: ideoque retuso etiam calore non amplius corrumpitur à calidis: sicque effugimus duplicem noxam ex frigiditate: quare eligendum asininum hac ratione, nullo modo humanum. Atque ea de causa etiam Galenus in hecticæ cura adeo diligenter obseruat, ne quid patiens detrimenti ex lactis assumptione capiat. Quod si vel modico corrumpatur, vtilitate noxam longe superante exhiberi debet: neque enim dixerim etiam asininum ab omni corruptionis noxa immune esse. At nec prorsus facile lac permutatur, sed mediocre est incoctionis difficultate, iuxta Galenum.

lib.2.cap.56.

lib.3. de naturalibus facul. cap.4.

At de lactis aqua quid dicendum? copiam illius Paulus declarabat ab vno ad duo sextaria: est autem sextarius, vt autor libri de ponderibus ait, vnciæ viginti ad quadraginta, atque id iure merito, nam lactis asinini maior copia vt crassioris longe quam serosæ partis requiritur. Animaduertendum tamen, aquam lactis non semper coagulo extrahi solere, sed aliis modis: quo fit: vt non calida atque sicca sic euadat: vnde in quarto Regiminis acutorum id perbelle docet, cùm inquit, addito oximeli calefactum concrescere, vel etiam vase æneo ex aqua frigida illi imposito. Priorem modum Paulus tenuit eo loco, quo eum superius adduximus: mixtum vero ex vtroque Aëtius. Quod vero elaboratum lac aliter febribus etiam putridis conueniat, satis declaratum est tum à Galeno, vbi de oxigalacte agit, tertio de Alimentis, tum quarto Regiminis acutorum: sed hæc inferius dilucidius explicabuntur: nunc satis fuerit hoc admonuisse, ne quis credat, vltro nos in eam contradictionem delapsos.

lib.1.cap.11.

cap.13.

ca.7.

lib.4.cap.91.

Extremum est, vt illud consideremus, cur cùm omnes lactis partes difficile corrumpantur, caseus, butyrum, aqua totum lac, quod ex his constat facilè tamen

à naturali permutetur temperie. Et quanquam aliquis dicere possit, lactis aquam acescere facile: nihilominus celerius lac etiam corrumpitur, quàm lactis aqua. Igitur dicendum est, hoc illi ob compositionis naturam euenire primò, nam quæ simplicia sunt corrumpuntur solum, quia in aliud permutantur: composita verò, quia dissoluuntur etiam citra vllius partis corruptionem. Secundò, quia pars maxima, quæ aquea est, corrumpitur. Tertiò, quòd subtile, quod in illo est ante separationem, magis corruptioni obnoxium est. Vltimò, quòd ex igne virtus partibus iam separatis accedit, quæ eas prohibet à corruptione. Sed hæc forsan eadem est, quæ partes resoluit obnoxias corruptioni, atque ob id prohibet: tamen magis & quòd absque igne separatis idem accidit.

His omnibus visis, rem ipsam de lacte paucis perstringamus: vt facilius liceat eam ad exercitationis commodum reducere. Lactis igitur ratio quatuor constat, temperamento, electione, vsu circa sanos, tum etiam erga ægros. Lactis itaque natura vt in vbere est humani modicè calida est, & humida: cùm extra vbera, frigida modicè est: verùm non mediocriter humida: & quanto magis manserit, eo frigidius euadit, ac minus humidum. Varietatem suscipit ab animalibus, nam temperatum est & calidius aliorum comparatione humanum: proximum bubulum, ac camelinum: hoc ouillum, inde caprillum, & equinum frigidiora sunt: asininum frigidissimum, non solum quia frigidior sit asini natura quàm hominis, sed quòd, vt equinum, nihil habeat pinguioris partis, qua butyrum confici solet. Sumit & differentiam à regionibus: calidissimum est enim, quod in frigidissima regione: frigidissimum, quod in calidissima. Ex anni temporibus, vernale subtilissimum, & à partu abundansque ac salubre: æstiuum minus, ac etiam sanum minus, & minus abundans: spissum verò quod sub autumno emulgetur, & modicum, ac minime incolume: hyeme crassum ac deficiens sed incolumius: si autem animal, vt ouis, autumno pariat, miscere oportet temporum anni & partus indicationes. Suscipit & variationem à cibis, salubrium salubre, calidorum calidius, astringentium astringens, laxantium purgans, vt si Scamonium aut mercurialem ederint: vnde in purgandis infantibus mercurialem in cibo, & Indicem siliquam debemus nutricibus exhibere. Ergo quæcunque morbo prosunt asinæ danda sunt, aut mulieri à qua lac excipere decreuisti. Sic in tabe quæ cum vlcere est, non solum dictas superius herbas, sed etiam raphanum & Siculam herbam dare expedit, tum apium copiosum: in hectica lactucam, portulacam, plantaginem: in astrigenda aluo, rubum, & mentham, ac talia. Permutatur etiam ob ætates, nam iuuenum optimum, senum malum, adolescentium liquidissimum, & ob id medicinæ aptius quàm cibo: vtile igitur pueris qui aluos duras habent. Manifestum est autem, & luce clarius, quòd sonorum animalium sanum, ægrorum morbosum: morbosus est etiam lactis potus, qui ex prægnante muliere ac bellua est: sed huius minus: caprillum autem semper minus tutum.

Scire autem expedit non totius solùm, sed singularum partium vim atque naturam. Serosa autem non parum refrigerat, cùm tamen ab initio excalefacere videatur subtiliorum partiũ ratione: purgat, aperit, detergit, abluit humectat. Pinguis humectat calefacit, nutrit, expurgat vlcera, sedat dolores, commouet vomitum communi ratione, & viscera circunuestit, vnde venenis omnibus externis opitulatur, præcipuè erodentibus: casealis autem astringit, consolidat, exiccat, modicè refrigerat, nutrit, corrumpenti calori contumaciter resistit: maximè si ad oxigalactis naturam redacta fuerit. Præstat ex lacte, quod causas habet bonitatis, iucundum gustu, odore non insuaue. Quòd si pro infante alendo eligi debet, candidum subliuidum aliqualiter, & ex nutrice subnigri coloris firmius est, & incolumius. Explorandum est etiam in vase vitreo, addito coagulo, an serosa pars crassam vincat, aut vincatur ab ea: in vtroque enim est quod non probetur. Ad sanitatis autem conseruationem vt pro cibo habetur, tenuius tutius, mediocre autem salubrius: nam asinæ lac medicamentum potius est, quàm cibus. Videant igitur cùm lac maximè nutriat, & si bene concoquatur, & copiosè: si malè, malè: omnium enim quæ nutriunt, si malè nutriant, iactura semper pro nutrimenti copia, tum etiam iuuamentum expendenda sunt. Quonam pacto butyrum in febribus vtiliter possint exhibere? nam & inflammatur totum, & male nutrit in calidiore ventriculo: cùm autem eo maior noxa sit, quo nutrimentum copiosius, ipsum verò nutriat pro ponderis ratione, necesse est in febribus nihil eo esse deterius: nam plurimum alit indigentes tenui victu, accendit refrigerationis indigentes, corruptumque ac multum præstat alimentum: hoc autem deterius in ardentibus.

In morborum autem ratione (nam Aphorismus ille de lacte vt cibo, non vt medicamento loquitur) duas præbet vtilitates, expurgando, aut permutando: videtur autem in septem causis esse præcipuum: in soluendo aluum, est enim innocentissimum: in consumptis ex quocunque morbo: in hecticis: in phthisicis: in renum debilitate: in alui fluxionibus, præcipuè quæ ex erosione sunt in venenis. Habet & ad dolores exurentes non leue commodum, (ed de hoc aliàs dicam) tum maximè, quòd exterius veniat applicandum.

Cùm igitur lac pro cibo conuenit, libram excedere non oportet: in purgando autem (etsi Hippocrates ad 120. vncias ascenderet asinini lactis) ab 80. ad centum dare sufficit: coquatur autem, ac perpetuò misceatur, auferaturque spuma supereminens: & quicquid pingue est, aut lebeti hæret. Melius est lac asininum expurgandis tabidis, aut consumptis, & acribus humoribus, ac erodentibus: erosionem enim prohibet iam factam, quantò magis ne fiat: atque in his aqua lactis melius est. At lactis aqua ex 20. vnciis ad

ad 40. datur excepto bubulo lacte: conuenit autem magis in ardentibus febribus, aut valde putridis: excipitur autem concalefacto lacte, inde vase stanneo ex frigida aqua imposito cùm oximelitis modico, hoc enim saluberrimum est. Non conuenit autem à lactis, vel aquæ eius potu dormire, sed quiescere: vel etiam quibus licet deambulare. Mellis autem & salis modicum expedit vtrique immiscere, præterquam in acrium humorum abundantia. Illud verò generaliter, vt in asinini lactis defectu camelinum, aut equinum, substituatur.

Generat autem lac pro cibo sumptum in omnibus obstructiones, & calculum, si crassum fuerit: sed in pueris præter id etiam caliditatis ratione: vnde dare vinum infantibus lapidem procreandi causa est, præcipuè fuluum, adurendo enim lac cogit: & maximè in vesica: non quidem ipsum, sed quod ex eo genitum est. Sic & lac mulierum quæ insolatæ sunt. In consumptis autem citra febrem optimum est humanum: & si valida virtus sit, bubulum: si minus, asininum: hoc enim præcipuum laborante ventriculo: tum magis ob siccitatem: sugatur ab vbere: si non licet, multum ex tempore detur. Mel immisceamus si cogitur: & tunc asininum omnibus præferatur: tentandum tamen prius, si absque melle non coagulatur. Initium sumendo (vbi neque febris est, nec ventriculus imbecillus) à drachmis 20. inde per singulos dies addendo drachmas 10. donec ad 60. peruenerit, (sunt autem vnciæ septem cum dimidia) atque ibi consistere, donec morbus finem acceperit. In Hectica autem asininum præferatur omnibus, quantitas verò à 10. drachmis initium sumat, & per singulos dies quinque addendo ad 30. perueniat: paulò plus, minusve, pro laborantis natura. Quòd vbi quis febre caret, ventriculum habet validum, erodentibusque humoribus consumitur, ab vnciis sex bubuli lactis potio inchoanda, & ad libram sensim augenda: & si natura validior sit, aut imbecilior, addendum aliquid ex quãtitate vel minuendum. Semper autem vbi lac non expurgandi causa datur, somno laborantes ab illius assumptione indulgere oportet: maximè autem hecticos & consumptos: nam & in veneno & Hydrope somnum prohibere conuenit, quoniam purgare ægrum intendimus. In Hydrope igitur si facultas detur tum in hepatis vel lienis obstructione camelini lactis vnicæ 20. dentur, & vna vrinæ singulis diebus: ambulareque cogatur donec totum excernat: nec antea cibum assumat: qui suo tempore assumitur, leuis sit concoctionis, exiguusque. Sed ad Hecticam reuertor, quæ ex ea senij dicitur, non aliter lactis requirit exhibitionem, quàm hi qui citra febrem consumpti sunt: mellis igitur vel sacchari modicum iniungemus. Quæ verò calida est hectica, mel non admittit: si autem addatur, exiguum admodum esse debet, necessitatis gratia. Quòd si putrida febris non grauis, aut intermittens accidat, coniungaturque iam factæ hecticæ, lac bubulum ex vnciis 20. coquemus, & à perfrigerato totum quod superius vel à lateribus concrescit auferemus: inde denuo coquentes auferemus quicquid spumosum est: permittemus autem per noctem in loco perspirato, vt acescat: manè autem vncias duas & mediam dabimus, augendo in singulos dies, vt in his qui nulla laborant febre: semper autem cauendum, ne metallo, sed vt in lapideo vase incoquatur: metallicorum tamen, quod sciam, innocentissimum est cuprum: non solùm ob duritiam, sed ob contrarias ex æquo mixtas facultates. Dandum est lac his hoc modo præparatum in cibo cum solo pane. In omnibus autem obseruandum, ne febris increscat: pertinacis est enim hominis, prodere ob persuasionem ægri salutem. In phthisicis verò lac asininum magis conuenit propter herbas quas asinę dare consuluimus, apium, agrostim, lotum, melissophyllon, polygonon, raphanum, bipinellam. Si autem febris putrida iungatur, lac præparatum, vt diximus, dandum erit. Dandum verò humanum, cùm debilior virtus est: bubulum, cùm sanies multa, febris modica: cùm vlcus mundum, sed amplum, oxigalacte vtendum est, imò recenti ouillo caseo. Quantitas autem lactis ab vnciis quatuor aut quinq; ascendendo vsque ad libram, aut paulò plus. Eligenda verò habitatio in colle ad Meridiem, & Orientem exposito, iuxta etiam mare, vt Tabiarum locus. Qui lacte pro cibo vtuntur vinum cauere debent. Est etiam in sanis lacti cum piscibus & acetosis cõtrarietas, vt Auicenna inquit: nam sumpta simul hæc corrumpunt humores. Sed ad rem redeo, in intestinorum difficultate primò lac asininum dabis extinctis in eo candentibus ex igne lapillis, magna in quantitate: succedentibus diebus bubulum dispumans coquito: pingueque auferens lapillis ex igne candentibus in eo extinctis serosam partem tolles: post aquam addens denuo coquito: semper autem dum lac coquitur & in hac aliisque causis miscendum est perpetuò, ne cogatur in caseum: dum verò refrixerit, licet & aquam addere bis, terque atque incoquere rursus, donec omnem exuat acredinem. Hæc igitur parandi lactis ratio est, miscere ligno palmæ, vel quercus, in hectica autem salicis conuenit vtque primis diebus dũ non coquitur vigiliæ imperandæ: sic hoc modo assumenti accedere somnũ, optimum est, atque opportunũ. Ac si febris valida fuerit quod generale est, aqua lactis bubuli pro asinino lacte donec cessauerit vtendũ est, neq; astringenda materia febris, nec etiã nutrienda. In renũ autem debilitate ouillũ pro cibo lac & sũmo manè dare cõuenit ab vnciis quatuor ad librã, hoc verò omnino ignis expers, ac recens esse debet, inde attenuantibus vtendum, ne ægritudinem vnam curando aliam procrees. In venenis autem bubulum præstantissimum tum copiosissimum: lacti autem misceatur si vomitus tardior est: multa enim assumpta quantitate si cogatur, ipsum venenum euadit. Ob id igitur oleum dare expedit, vbi serò euomitur. Cauendus est autem hic maximè somnus qui venenum retineat, & lac etiam ipsum cogat, dum vomitum prohibet. In omni autem causa tepidum exhibendum, nunquam autem feruens frigidumve,

Tertia primi doct. 2. cap. 7. in fine.

dumve, quod tale natura sit, In reliquis autem causis, vt mensium ciendorum, aut mali habitus, non licet hoc ipso meliorum loca occupare præsidiorum. Manifestum est autem cum intestinorum & pulmonis vlceribus præstet, idem dicendum esse de ventriculi, gulæ & renum vlceribus.

CONTRADICT. II.

Ignis an vini, olei, lactis, mellis, aquæ aceti, corrumpat naturam.

AQua etiamsi ferueat, nunquam siccabit, sed humectat: primò autem calefacit, demum refrigerat, infrigidata verò denuò, etiam primò refrigerabit: primo de Simplicibus medicamentis Galenus inquit. *cap. 8.* Non videtur autem censere quòd quicquam ex ebullitione noui acceperit, cùm humida & frigida pariter manere videatur vt prius. Sed princeps secunda primi hæc habet: *doc. 2. cap. 16.* Sublimatio præterea, & distilatio, aquas malas reddit bonas: & si istud non fuerit commodum, decoctio emendabit illas. Aqua enim decocta, sicut dixerunt Sapientes, minoris est inflammationis & facilioris descensus à ventriculo. Et torpidi quidam medici existimant, quòd aqua dum decoquitur crassior, subtilioribus resolutis partibus euadat: quare si sic esset, in coquendo nullum esset iuuamentum, cùm spissior euadat. Sed scire debes, quòd aqua in suæ definitionis ratione, si quidem vt simplex est, similibus partibus crassitudine ac subtilitate constat: sed si modò redditur crassior, hoc illi vel ex frigiditate, vel admistione terrestrium partium solùm aduenit: nam illæ nec separari commixtæ iam, nec ob paruitatem descendere possunt: decoctio igitur vtrique causæ simul obsistit: nam & frigus amouet, ob quod densior illa reddebatur: & partes descendere facit terreas, quoniam crassam iam substantiam in subtilem verterat: vnde illæ ob pondus ima petunt, & separantur: cùm igitur decocta fuerit, amoto frigore ac terreis partibus, in pristinam suæ simplicitatis naturam, ac æqualitatem etiam substantiæ in omnibus partibus redit. Huius indicium est, quòd si aquam crudam seposueris, nihil quod curandum sit, descendit ex ea: at si cocta seponatur, non parua pars extrementis terrei in fundo residet. Hæc ille, vbi nos totam vim coctionis aquæ ipsius docere visus est, per se quidem necessariam, ad alia etiam inferius docenda vtilem. Rursus igitur Galenus in eodem libro cap. 9. & 12. inquit, Quæcunque in ignem facilè vertuntur, calida sunt potestate, vt oleum: ignis autem quæcunque ob subtilitatem suam comminuit, subtiliaque reddit, ac etiam sibi simillima, id est, calidiora quàm prius fuissent, ac sicciora. Has igitur tres operationes animaduertere decet: nam vt comminuit, frangit illius proprias vires: vt tenuius, redit ad actiones magis promptum medicamentum: vt verò calidius ac siccius, ad agendum similem etiam operationem magis idoneum. Patitur autem vnumquodque duabus de causis facilius ab igne: scilicet vt rarius, atq; ignis substantiæ simile magis, vt calidũ siquidẽ ac siccum: vt verò densius, ac frigidius, humidiusque, co minus. Sic igitur hac ex causa vinum plusquã mel, & minus quàm oleum patietur: mel verò magis quàm lac: lac magis quàm aqua: *cap. 14.* sic omnia hæc hac ratione minus, ac minus, ex ordine immutabuntur, oleum, vinum, mel, lac, aqua. Sed acetum minus quàm vinum, cùm sit frigidius: magis autem quàm lac. De melle autem est dubitatio: vt enim leuius est, sic etiam frigidius: atque hæc omnia pariter rationi consona. Sed quæ ille in quarto de Simplicibus medicamentis cap. 14. scripsit, non his concordant: inquit enim: Cùm calor ignis adueniens proprium calorem vini, & reliquorum, vt magna flamma paruam corrumpere nata sit: quæcunque calidiora vina sunt, difficilius ab igne ac sole corrumpuntur: quæcunque autem imbecillis caloris, celerius ac magis patiuntur. Itaque fit, vt vina vt calidiora simul ac semel magis frigidioribus ac minus ab igne pati videantur. Repugnant & his quæ sequuntur: nam cùm de lactis ac mellis comparatione ageret, inquit: Quæ debito frigidiora sunt, ab igne in melius immutantur: quæcunque calidiora, in deterius: ob id lac igne feruens dulcius, *cap. 16.* & mel amarum redditur. Quis non videt hæc contraria esse superioribus? quæcunque enim imbecillem habent calorem, ab igne, vt inquit, corrumpuntur: resistunt quæ validum. Corrumperetur igitur lac, & mel in melius proficeret. Illud etiam difficile est: quo modo (cùm hoc generale sit) calore lactis corrupto ab igne, lac ipsum dulcius euadat: dulcia enim incorrupta substantia esse debent. Ergo in tertio de temperamentis cap 3 hanc primo init differentiam, quòd quæcunque calida aut frigida sunt, talia sunt actu aut potentia: eorum verò quæ actu rursus talia, quædam per se, alia autem per accidens. Quæcunque igitur potentia solùm talia sunt, immutantur prius quàm agant: non autem quæ actu. Ex his rursus quæ per se sunt huiuscemodi, agunt quidem, ac similem actioni impressionem relinquunt. Quæ verò per accidens, vnam quidem ab initio, alteram autem post habent actionis formam. Ignis igitur cùm calidissimus sit, ac siccissimus, similem ab initio & facultatis & formæ quam imprimit rationem, nec obscuram ad finem vsque retinet. In secundo igitur de Medicamentis secùndum genera metallica ipsa ex vstione, aliquid erosionis retinere affirmat: ex quo facile colligitur, quæcunq; nimium feruent, acre aliquid ab igne concipere, ac retinere: quæcunque autem nimis acria sunt, vt æris ærugo, magna ex parte exusta ab acredine spoliantur, vt in tertio libro dixit. His sic se habentibus, ad Aristotelis opinionem deuenio: hic namque in quarto Meteororum c. 3. differentiam ponens inter elixa & frixa, dicit, quòd calor vbi fuerit, humorem ad se trahit: nam si frixa fuerint, erunt humidiora intus, exterius autem sicciora: at elixa humida exterius, intus autem sicca: quò fit, elixa vt frixis

frixis minus nutriant. Sed tamen in vno conueniunt, quòd calor est in humido. At quæ assantur, magis omnibus siccantur exterius, interius autem non æqualiter: miscentur tamen omnia inter se, non secus ac in concoctione, miscet enim ignis quæ elixantur vt medicamenta etiam omnia. Quæ igitur elixantur in aqua, vt in decoctis, humida manent: sed tamen natiuum humidum foras in aquam ipsam exprimunt. Galenus igitur tertio de Alimentis exquisitè elixationis opera considerans, tria discrimina ponit: primum, quòd res quæ elixatur, naturam ac qualitatem omnem amittit, fitque omnis expers qualitis, quantum in se est. Hoc autem accidit, cùm aqua, si qualitas vehemens sit, permutatur. Secundum est merito aquæ, hæc enim ad se trahens vim eius quod incoquitur, talis fit odore, sapore, ac viribus, quale id est, quod id ea incoctum fuit. Tertia, quòd si non permutetur, diutius verò coquatur, aut, etiam succus ipse acerbus, salsus primò, inde etiam amarus redditur, quæ omnia & experimento, & rationi, & sibi ac Aristoteli consentiunt: præter hoc vnum, quòd acerbum succum amarum per se, si coquatur, fieri credat: cùm in libris de Simplicibus medicamentis, vt antea docuimus, dicat, Modicè cocta dulcescere igne: quæ autem perfectè cocta sint, amara fieri: nunc autem acerba ipsa amara etiam fieri velit, antea verò salsa non dulcia. Sed ad Philosophum reuertor, qui eodem libro, paulo inferius, hos ordines statuit: Aquea, vt acetum, vrina, serum, vinum, lixiuium, frigore non spissantur, concrescunt tamen: sed nec ab igne talia spissantur, quinimo vt serum deuritur velut & aqua, & euanescit, nullo autem modo spissatur. Lac verò igne cogitur, vt etiam sanguis, humida parte euanescente: quæcunque enim plus habent aquæ quàm terræ, spissantur igne: quæ autem terræ plus quàm aquæ, concrescunt, velut sal, nitrum, fictilia, lapides: talia enim igne ipso concrescunt in magnam duritiem. Soluuntur autem omnia contrariis eorum, à quibus concreta sunt: quæ enim à frigido concreta, vt metalla, à calido dissoluuntur: quæ à sicco, humido ipso. Eorum autem quæ spissantur ab igne, quædam aquea & terrea, vt mel: quædam aquea & aërea, vt oleum: omnia enim talia crassescere solent aqua resoluta: oleum etenim igne crassius redditur: demum etiam candidius quod aëreum est, in aquam conuerso postmodum: quod etiam ei non ex igne solùm, sed vel vetustate contingit. Ergo & in hoc mihi non parua de oleo lis cum Galeno intercedere videtur de crassitie: ille enim igne calidius, subtilius, ac siccius oleum fieri putat: hic autem spissari: verùm de caliditate & siccitate concordare videtur, Antiquum tamen calidius ac magis vaporosum dixit, sexto de Simplicibus medicamentis. Quod verò etiam tenuius sit tertio de Tuenda sanitate: quare rursus & in hoc ab Aristotele dissidet. Sed iam ad complendam historiam redeamus: Quæcunque igitur, inquit Aristoteles, aqua congelata quasi constant, liquescere ab igne possunt: quæ autem terra & aëre tantùm, vt ligna, eliquari nequeunt: multò minus quæ sola ferme terra, vt lateres: hos enim ipse ignis concreuit, quare non par est ab eodem liquescere posse. Hæ ferme sententiæ in vniuersum, de ignis operationibus in ea quæ excoquuntur Aristotelis & Galeni videtur esse. Rasis in tertio ad Almansorem ad Philosophi sententiam in hoc accedere videtur, quòd carnem super prunas assatam plurimum nutrire velit, proximam ei quæ in veru, si æqualiter coquatur, quod difficillimum esse Aristoteles putat. Proximæ huic quæ in oleo frixæ sunt, minus omnibus aqua ipsa elixata.

cap. 32. *cap. 7.* *c. proprio.* *iuxta finem.* *cap. 12.*

Igitur vt has difficultates dirimamus, cùm palam sit, quæcunque humidiora sint & non multum calida, igne dulciora euadere, vt ex musto sapa, ex lacte recenti concretum: id fit, quia licciora facta ab igne humida tamen manent. Quod in acerborum fructuum succis euenire non potest: nam ficciora cùm sint potentia, salsa non dulcia euadunt: immoderatè autem decocta, aucto calore amara euadunt, quarto de Simplicibus medicamentis, ob id Galenus hac ex parte sibi concors est: in quam autem imprimit, sed parum: quò fit, vt cùm Auicenna minime diffideat. Quæ verò adeo imbecilla sunt vt celerius calor proprius euanescat, quàm humidum superfluum moderetur, ea omnia acescunt prorsus igni admota: sic vina imbecillia, tum maximè iam vetusta, quod & solis calore solo fit per æstatem. Non possunt autem igne putrescere, vt à sole, quoniam humidum superfluum antea difflabitur, quàm corrumpatur. Dum verò humido abundant plurimo, calor innatus non adeo exoluitur, vt in recenti musto: adhuc enim spissatur, ac dulcescit, modò non sit acerbum. Hoc fit, vt quandiu coquendo dulcescit, tandiu parum aut nihil innatum calidum minuitur: at cùm minuitur, manifeste non dulce amplius, sed salsum primò, deinde etiam amarum fit. Occurrit autem meritò dubitatio non leuis, in quo differt calor ab igne inductus, à calore illo innato, cùm vterque elementaris non viuentis autem sit: piaculum autem est, hæc ac talia præterire, quæ ad rem penitius introspiciendam apertè faciunt. Differunt equidem, quia apud Auerroëm calor elementi, quod à prima concurrit generatione, refractus est, nec non planè aliis partibus immixtus, vt in quolibet (vt ita dicam) puncto vbi ignis adest, terra, etiam & aqua adsit, ac aër potentia saltem, vt ante docuimus. At qui nuper inducitur, nec refractus est, nec aliis immixtus elementis. Ergo his duobus hic à naturali differt: quò fit, vt etiam primus sit mollis, suauis, innoxius, ac corpus alens: secundus autem acer, tristis, & corpus ipsum, in quo est, destruens. Quamobrem & mixta generari concedimus inanimata, non quidē ab initio talia, sed primo viuentia, demum mortua, vt lignum, herbæ, animalium partes, lapides, gemmæque ex his præcipuè. Sed & miscentur quædam vel sic ab initio anima carentia, elemento prædominante ea miscente, atque in his omnibus partes sic immiscentur, vt confractæ sint omnium elementorum etiam prædominantis vires, singulæque singulis immisceantur, verum in viuentibus manifestius, minus in

cap. 9. *3. cœli. 67.*

in inanimatis, obscurè in liquoribus, quæ à nobis permiscentur vt dum aquam vino commiscemus. Difficile autem est hoc omnino tueri Galeni placitis: quandoquidem ille ad qualitatem elementi formam semper velit accedere. Sed tunc dicemus, non secus hoc fieri, quàm in febre aucto enim calore per ignem, ignem qui intus erat prius intendi, ac segregari ex hoc: sicque res ipsa ad idem redit. His itaque manifestum est, validioris substantiam, vt etiam magis densa, minus pati: quantuncunque autem patiatur ob id longe deterius euadit imbecilli si æqualiter à natura recesserit. Aliud igitur est difficulter pati: aliud vt passum deterius reddatur: nam hoc potentioribus nimis conuenit, primum autem imbecillioribus. Ergo mel patitur, lac non patitur, humido adhuc resistente. Sed si adeo coquatur lac, vt etiam amarum reddatur, quod & fieri potest, maximè si non misceatur, tunc mel lacte etiam longe fiet deterius, quoniam calidius est, ergo mel facilius patitur, ac magis lacte, quia in humido paritas non est: sed in vino, quod potens, difficilius patitur, non tamen minus quia humor par est. Metallica autem hac ratione deteriora fiunt, quòd quæcunque crassa sunt, subtiliora euadunt, vt docuimus: quæcunque autem subtilia, euanescunt. Sed in acribus vehementer subtilis pars longe copiosior est, quàm quæ accedit, ob id talia vt æris erugo mitior euadit, resolutis subtilioribus partibus. Cęterùm quęcumque acerba sunt humida, cocta dulcescunt: quæcunque plurimum terræ habent, & sicca sunt, euadunt salsa prius, inde amara, dulcia nunquam: quæ autem aquæ incoquuntur, ab initio vim trahunt eius quod incoquitur, vnde dulce ac pingue euadit ius carnium ab initio, demum etiam salsum si amplius, postmodum etiam amarum si ad extremum. De oleo lis sic dirimitur, cùm coquitur aërea & aquea substantia crassa subtilior euadit: subtilis euanescit, terreum manet: tota igitur olei substantia simul sumpta crassior est, quia plus terrę pro portione obtinet: verum quod subtile est quàm prius: atque sic, vt dicam, olei crudi substantia crassior est, si ad maiorem olei cocti partem comparetur: quod enim defecatum est, subtilius euasit: quod verò subsidet, crassissimum est. Ergo iuxta Galeni sententiam, oleum coctione subtilius euadit & rectè, nam diuersarum partium fit: & quod subtile erat, subtilius euadit. Est & verum quod dicit Aristoteles, crassius enim redditur totum abundante terra, & ob id etiam concrescit magis coctum quàm crudum. Rursus eadem ratio in vetusto oleo excogitanda erit: nam cùm euadat palam crassius, vt Aristoteles docet: siquis tamen eo inungatur, magis penetrabit, quia subtiliores habet partes quæ intus trahuntur, quod autem terreum est hæret cuti. Ob id non eadem est ratio antiqui olei, & ob antiquitatem subtilis, & eius quod natura tale est, sabini puta: nam natura subtile oleum penetrat, nec obstruit: antiquum obstruit cutem, etsi penetret, nisi sit defecatum. Quod igitur aqua pertunditur totum crassescit, atque priori quod coctum est, aut vetustate permutatum, è directo contrarium. Memineris igitur huius, quòd quæ coquuntur heterogenia, id est dissimilium partium euadunt: illudque esse generale omnibus quæcumque ignem experiuntur, subtiliora euadere sui natura, & tamen reddi tota substantia crassiora. An verò in lacte quicquam euadat subtilius? Certè sic: nam aliter aqua non posset euanescere: illud tamen paucum est admodum, atque ob id lac & sanguis concrescere dicuntur.

His igitur visis, colligamus ignis vires, quæ ad medicinam pertinent paucis. Res humidiores, & adeo vt superfluo humore abũdent, igni expositæ fiunt seipsis meliores ac robustiores, eo donec dulciores euadunt: cùm autem alium saporem acquirunt, fiunt deteriores. Ex his suauiores magis calidæ, vtiliores quæ calido non abundant, vt lac, & mustum imbecillis vini: quęcunque acerba sunt ex se, & plurimum habent terræ, siccantur, & fiunt primò salsa, deinde amara. Generaliter autem hoc in omnibus euenire Galenus fatetur: mel tamen primò amarescit. Quæ autem sicca sunt, iam virtuti aut etiam mediocria immodice sicca euadunt, vt vinum iam annuum, acetum, mel, ac talia: siccitas autem in his augetur, quia quod humidum est, euadit magis igneum, quod crassum terreum: igitur cùm hæc elementa in sicco communicent, necesse est quod coquitur siccius euadere, non tamen calidius: nam etsi pars humida calidior fiat, terrea tamen augetur. Sed & calor qui inducitur, & si magis acris sit, non tamen magnitudine ei qui exhalat pro portione respondet, sed longè minor est. Substantia etiam eius quod coquitur rarior euadit: quare vina potentia igne cocta diutius, adeò euadunt his tribus causis imbecillia, vt aquæ speciem referant: & tamen sunt sicciora, & magis exurunt. Praua igitur omnia talia, & naturæ inimica. Sed si diutius coquantur, euadunt etiam frigida quasi, & tunc nec opus siccitatis perficiunt. Verùm in ligni indici exhibitione non diu vinum coqui debet, quod si non ferueat tutius est. Quod tamen diu coctum est, morbo Gallico conuenit à calido & humido humore facto: exsiccat enim vehementer, nec calefacit. Quæ autem elixantur tandiu debent elixari, donec magis ac magis ad saporem conuenientem, ac mollitiem accedunt: ius autem ipsum saporem retineat dulcem, atque pinguem. Quæ verò incoquuntur aquæ vt decoctum propinemus, tam diu coqui debent, quandiu decoctum recipit saporem maiorem eius quod incoquitur: cùm autem salsedinem contrahit, nimium processisse nos in decoquendo ostendit, corrupisseque non solùm vires eorum quæ incocta sunt, sed etiam alienam qualitatem addidisse. Periculosius est igitur, nimis decoquere in frigidis, quàm calidis decoctis, ac generalius nimis etiam coxisse deterius est quàm parum. In crassis tamen humoribus, ac frigidis, vix nimiæ decoctionis terminos transgredi nobis licet: adeò longam sustinet decoctionem: tum maximè, quia & ipsa salsedo iuuat, vt in plerisque coli doloribus. Quæcunque autem celeriter coquutur, vt florum, & exilium foliorum pars maxima,

1. de Virtut. natural. c. 8. in fin.

maxima, non solùm inutile, sed prauum decoctum reddunt. Quæ falsa sunt: si nimis coquantur, amaritudinem contrahunt, atque ob id insuauia, & etiam noxia redduntur. Quæ assantur carnes super prunas, quò subtiliores, eò meliores: atque tunc optimè nutriunt, & etiam copiosè: si tamen adurantur noxiæ sunt: ob id veru exceptæ extima parte aridæ & tostæ, interiore crudæ malum & inæquale præbent alimentum: cùm primæ ad vitæ longitudinem non parum conducant: si tamen diutius coquantur, & celeriter voluantur, partes interiores eius, quæ assata est in veru, non erunt insalubres: nam assatis super prunas similes erunt. Incoctæ aquæ iuris potius, quàm carnium causa, vtiles sunt: nam caro ipsa parum nutrit, & terreum exhibet alimentum, ac minimè simile radicali vulgò vocato humido, quæ autem in sartagine cum oleo coquuntur quasi mediæ sunt inter assatam & elixatam. Facilioris concoctionis tantò assata, quantò melioris & huberioris alimenti ea quæ elixata est. Auerroës tamen, quoniam forsitan non satis firmo fuit ventriculo, etiam assatæ prætulit. Verùm oleum deterius redditur in cibis semper ab igne, sulphureum quid contrahens, partéque nimis crassum, alia nimis subtile, priuaturque humido illo elegantissimo, quo nihil melius habet. Atque id etiam sensisse videtur Auerroës: quamobrem docuit, vt modicum aquæ oleo quod coquitur paulatim, semper misceantur: sit autem aqua tepida: nam sic olei sustantia minimè corrumpitur, & carnes probè percoquuntur. Cepas verò, quas addit, nullis vsui ad sanitatem esse constat, sed ad gratiam conceduntur. Eadem ratione oleum aliis in causis dum coquitur, aquæ misceri debet, sed modicæ: conseruat enim humidum proprium, & virtutem eius quod incoquitur, ad se trahit, fitque subtilius, nulla, vel omnino exigua comparata siccitate. Quæ autem prorsus dulcia sunt, vt saccharum, & mel, inutiliter igni admouentur: si tamen repurgandi causa, aquæ commisceri debent, parumque apud illum moræ contrahere. Acetum igne adhuc siccius euadit: vt de reliquis dictum est: & si validum sit, & parum acre, acrius fit, si parum coquatur, sin autem diutius, omnis eius vis euanescit. Solida corpora cùm exuruntur, terrestria fiunt & ignea, atque ob id mediocriter mordacia: euanescit enim quicquid est mansuetum ex eis, pars scilicet aërea aqueáque: quæ verò acria immoderatè, cùm plus amittant, quàm acquirant, mitiora redduntur: ob id cineres omnes erodunt & siccant immoderatè: quæ autem vires illis insunt à natura dum torrentur, euanescunt: vt ceruini cornu ad roborandum ventriculum, ob id non vti debet in eius affectibus, nec in occidendis vermibus: amittit enim virus quo vermes necare potest: at in leuitate intestinorum plus prodest tostum: sed prius lauari debet, ob rationem dictam: aliter enim erodet intestina & proritabit, quæ incoquuntur etiam ære amara redduntur, quia æs sponte tale est & ab igne etiam deterius euadit: atque eo deterius, si quod incoquitur, acutum aut salsum, aut amarum fuerit, Sola aqua nihil sponte ab igne patitur, sed melior redditur, vitreo tamen lapideo vase incoqui debet. Caro dum coquitur nimis, elixata fit inutilis & terrestris: assata autem torretur, & ad naturam sulphuris accedit. Quæ verò crassa, & frigida ac humida sunt substantia, aquæ incocta deteriora euadunt. Quæ autem acria, meliora: vnde illud Aristotelis, Allium elixum delinit fauces, & porrum lentorem retinet, quò detergere illas possit. Et rursus humidiora assata meliora, elixa558 sicciora. Sicciora autem allia magis matura, atque ideo dicit acriora. Assata longè meliora: vt pisces, in quibus etiam periculum non est, ne nimis coquantur, modò lentè id fiat: talia potius parua, quàm nimis exacta coctione periclitantur. Verùm quæ pinguia sunt læduntur ab igne, non tamen adeò vt oleum: cupro autem parum fieri deteriora videntur.

3. coll. c. 36.

Par. 11. Probl. 39. 20. Probl. 5. & 30.

CONTRADICT. III.

Thermarum aquæ an calidæ.

Aquæ quæ medicam vim præferunt, omnes planè siccant, quales quæ aluminis, vel etiam bituminis, aut sulphuris vim retinent, inquit Galenus primo de Tuenda sanitate: & in tertio, dum de Causis agit obstructionis, aquam aluminosam poros obstruere affirmat. In sexto verò hæc habet dilucidiora præcedentibus. Calidarum autem quæ sponte nascuntur aquarum noxius est vsus his qui calidam ac excrementis exuberantem, tum maximè acribus capitis temperiem habent. Siquidem quæ ex his sulphureæ sunt, ac bituminosæ, eò quòd calefaciant, calido capiti sunt inimicissimæ. Aluminosæ verò quoniam angustos meatus corporis claudunt. Solis autem his sponte natis citra noxam vtantur, si tamen ipsis vtendum quæ vtique sunt dulces. Sic enim tutò dixeris. Nam quòd vtile etiam ex ipsis aliquid proueniat, id verò perinde non tutò dixeris. Quando nec calidæ ipse forent fortasse, si omnis calefacientis ac etiam medicamentosæ facultatis essent expertes. Satius autem sit eiusmodi aquas experientia discernere: quando etiam raræ inuentu sint: apud nos enim stadiis ab vrde paulò plus centum, in Prusa minus decem. Ergo apud nos, quæ est in Allianis (locum enim ita vocant) vnius tota est rationis, atque ex vno fonte manans: quæ verò in Prusa est diuersæ: item diuersus aquæ medicamentosæ fons, vt apud nos in Licetis. Hic non paucis dubitationibus causam dedit, nam non omnes facit astringentes, omnes tamen facit siccas. Prius verò videtur illas reformidare vt etiam sulphuream: tum verò non omnes calidas esse vult, imò dubitat, cùm prius aluminosas vt astrigentes, non vt calidas damnasset, Sed audi quæ dicat in tertio de Præsagio ex pulsibus: Aquæ omnes sulphureæ, tum aluminosæ, & quæcumque habent exiccandi vim, arterias indurant, & pulsum reddunt ob id duriorem. Et secundo de Crisi: Densatur autem cutis vel à frigore, vel ab astringentibus, velut accidit his, qui se aqua

fol. 4. fol. 6. fol. 4.

cap. vult.

cap. vult.

cap. 4. cap. 7.

aqua aluminosa balnearunt. At de caliditate inquit primo de Simplicibus medicamentis. Aquarum quæ bitumen, sulphur, vel nitrum recipiunt, nullæ, imò ne marina ipsa refrigerare corpus possunt, etiam si per totam diem innatataueris. Quò fit, vt non generaliter hoc de omnibus prolatum animaduertas. At verò de siccitate generaliter loquitur, cùm in eodem libro inquit: Albulæ in Italia aquæ vocatæ, & quæcunque alumen, chalcitim, ac sal recipiunt, tum reliquæ omnes eiusmodi exiccare valent: tum vlcera, tum lineum pannum impositum. Sed differentiæ huius causam paucis post verbis subiungam. Sed illud primò adiicere volo, quod in vltimo Artis curatiuæ scripsit, est autem verborum hæc series: Aqua quæ in Lesbo visitur, à Mitylene stadiis quadraginta distans, vim habet digerendi: hæc enim viribus & colore est, perinde ac si florem salis aquæ marinæ immisceas: ob id hydropicis & tumefactis idonea est, vtpote valide desiccans. Licet autem, &, vbi natura talem non inueneris, similem ei artificio facere. Aristoteles dubitans in Problematibus quærit, cur aquis calidis lapides magis quàm in frigidis concrescant? Respondet, quòd ob calorem: sed eo quo ferueant loqui quisquam dicet, non autem de potentia. Cùm verò narrationem de his texeret, Artanas ac Magnesias aquas calidas dixit, & potui aptas: salsas tamen, quod ex subsequenti Problemate satis apparet, inquit enim: Calidæ esse aliquando desierunt aquæ Magnesiæ non salsæ. Sed & salsedinis causam & amaritudinis cinerem constituit: percolata enim aqua per cinerem, amara simul & salsa euadit. At clarius in sequentibus hoc docet, cùm dicit, feruidas plerunque aquas salsas etiam esse: quòd per aluminosam terram euntes, cineri misceantur: nam cinis omnis salsus, & sulphur redolent. In vltimo autem dicit, eas aquas ob id sacras dici: quòd fulmine, atque sulphure proueniant.

cap. 15.

Ex quibus satis colligitur aquarum calidarum ratio ibi secundum Aristotelis sententiam: si quidem modico sulphure aluminі mixto aquas transeuntes cineri qui ob sulphur prouenit immisceri, atque ob id salsas aquas fieri: prohibet autem incendium aqua & aluminis copia, sed tamen aliquid semper exuritur: ob id omnes ferme aquæ calidæ, sulphuris, aluminis & cineris aliquid videntur habere. Sed & in secundo Meteororum, vbi de maris agit salsedine, ait: Mare salsum est, quoniam terra ipsa, & vapor exuruntur: simile enim accidit ei quod cineri ferme cùm aquæ miscetur, tum sudori, ac vrinæ, quæ omnia salsa sunt: similiter & imbres, maxime autumnales, nam hi cùm ex adusto vapore fiant, salsi euadunt. Terreum igitur cùm aduritur, salsum fit, tamen præcipuè aquæ immixtum. Omne autem, inquit quod exustum est, potentia calidum est, vt cinis, calx, & animalium excrementa: ea verò de causa aqua maris grauior est dulci: vt negotiatoribus ex æquo naues vt in mari onerantibus in flumine, maximum ex submersione detrimentum accesserit. Ferunt autem ob id in Palestina lacum esse, qui animalia non mergat, tanta est crassitudo aquæ. Quicunque autem fontes salsedinem retinent, verisimile est ab initio calore tales factos fuisse: inde terras adhuc, per quas fluunt, cinere & calce abundare. Sunt etiam plerisque in locis tam fontes, quàm flumina, coloribus ac saporibus variis, quæ non nisi ob materiam admixtam talia fiunt, vt aluminis, & calcis, ac cæterorum. Hæc autem omnia à calore pro illius diuersa natura gignuntur. Vnde in Sicanico agro Siciliæ Oxalme fons muriam acidam continent, qua in absoniis vtuntur pro aceto: & circa Lyncon fons acidus, & in Scythia alius amarus. Sed non omnes hos fontes calere, docuit tertio de Historia animalium, cùm inquit: Sunt etiam aquæ multis in locis, quas cùm oues biberint, vellera in nigrum permutant: vt in Assyritide agri Chalcidici Thraciæ amnis, quem à frigiditate Psychrum vocant. Et rursus quinto de Generatione animalium: Aquis etiam vis inest pilos immutandi, calidis quidem ad candorem, frigidis autem ad nigredinem. Hæc ille.

cap. 3.

cap. 12.

cap. 6.

Sed primum dubitare licet, vnde feruor thermis? Respondet author libri de Mundo, esse vt aquas ignium sub terra scaturigines, quæ vbi eis adhæserint, feruere illas: subiicitque, earum non solum, sed & specuum multis in locis exitus patere: atque his diuersas esse vires, aliis furoris, aliis tabefaciendi, aliis phanaticas, vt circa Delphos & Lebadiam: aliis letales, vt in Phrygia. Verùm de virtutibus haud dissentimus, de causa feruoris non consentio: hoc enim falsum esse declarauimus in libro de Supernis. At de frigidis aquis quòd etiam vires habeant, & sint medicatæ, testatur Seneca, dum inquit: Circa Nonacrim in Arcadia Styx fons appellatus aduenas fallit, non odore, non colore suspecta: bibentes tamen immedicabili malo afficit, & occidit. At magis consonam rationem attulit caloris, adesse vim sulphuris ac calcis, quæ obuio frigore incalescat, velut & in calce dum aqua perfunditur. Quamobrem odores hos adesse sulphuris, bituminis, aluminis. Quo fit, vt alia ratio etiam in promptu sit, cur calidarum penè nulla veneno prædita, aut rarissima: quoniam calore venenum finitur, nam transitu aquæ calescit: calore soluitur venenum, & aqua simul feruet, ob id calidarum nulla letalis, frigidarum non paucæ. Sed rursus, quonam pacto cùm aqua vi, & multitudine exuperet, quod continetur calefacere tamen potest? Respondeo: Aqua omnis infrigidat cùm moram traxerit, nisi vim habeat metallicam: ob id decocta omnia, si diu morentur in ventriculo, vt in præcedenti explicauimus contradictione, infrigidant. Quare si calefacere consilium est, corpus moueatur: si autem infrigidare, somnus conuenit: diu enim retinetur aqua. Prius igitur calefaciunt quæcunque sic nata sunt, aut parata, quoniam exiliores partes à natura membrorum trahuntur: atque ea de causa calida decocta tum aquas thermarum sumere oportet. Est tamen in thermis alia ratio: quædam enim adeo crassam habet substantiam, quam continent, vt non solùm illico calefaciant, sed perpetuò, quandiu in corpore manserint. Quod autem dico de calefactio, etiam de humectatione, aut exiccatione dico: quæ enim vehemen

3 naturalium quæstionum. cap. 25.

cap. 24.

vel vehementem vim ſiccam acquiſiuerunt, non ſolùm illico,ſed perpetuò ſiccant:quæ leuem ſolum ab aſſumptione,non diu. In cremoribus autem non tanta poteſt ineſſe vis,vt ſemper ſiccent, aut calefaciant:ſed primùm quidem hoc agunt: ſi autem diu retinentur,omnes humectant,& infrigidant. Omnes igitur Thermarum aquæ ſiccant ab initio, & calefaciunt:veruntamen magis ſiccant,iuxta Galeni & Ariſtotelis ſententiam, quàm calefaciunt.Quòd enim omnes calefaciant, neceſſarium eſt:nam omnes per cinerem & calcem tranſeunt, aliter non feruerent: calx autem & cinis calida ſunt.Idem de ſulphure dico,& bitumine. Siccant & omnes, quia terra omnis ſicca eſt, & cùm aduritur ſiccior euadit, & aquæ commiſcetur. His duabus de cauſis thermarum aquæ omnes ſiccæ ſunt:ſicciores autem, quàm calidæ, nam terra in extremo ſemper ſicca eſt: at non poteſt in extremo eſſe calida,imò aluminoſa, frigida etiam: ob id ſiccior ſemper eſt aqua thermarum: quàm calida. Quæ igitur alumine conſtat, quoniam ſi calida eſſe debet, ſulphur aut calcem habere neceſſe eſt:imò vtrumque: ea ratione aluminoſa aqua modice primo excalefacit, pòſt infrigidat: magis autem manifeſtum eſt hoc in ferrea. Frigidæ autem aquæ non neceſſario exiccant aut calefaciunt, quia nihil eis admiſcetur: ob id paucæ illarum medicam vim habent: quædam tamē habent,quæ ab initio ortus ſui calent, pòſt autem longitudine viæ & frigiditate terrarum aut metallorum refrigerantur: quæ autem ex his turbulentæ ſunt, omnes malæ, ſeu calidæ, ſeu frigidæ, nam in eis terreum non eſt diſſolutum ſed integrum immutat vim corporis noſtri:& obſtruit. Frigidarum autem quæ claræ ſunt, & venenoſæ, natura ſic conſtat: lacryma ex veneno reſudat, quæ metallo aut lapide excipitur,miſceturque aquæ innoxiæ, vel non miſcetur: quæ autem non miſcetur pernicioſiſſima, vt Styx, alia minus, vt quæ iuxta Tempe in Theſſalia, quam nulla bellua attingit, vt Seneca autor eſt: tranſit autem per ferrum & æs. Omnis igitur frigida ſecundo modo, limpida, aut planè humida & frigida,aut venenoſa eſt:quia per expreſſionem fit: nam metallica in humido & frigido loco poſita, prius exuſta in aquam conuertuntur. Calidæ igitur Thermæ, omnes calidæ iuxta Ariſtotelis ſententiam, non ſolùm calidæ cauſæ ratione, ſed quia primò calefaciunt, etiam ferreæ: ſed adeò modicè ac breui tempore,vt quæ aluminoſæ ſint,vel ferreæ,frigidæ iuremerito à Galeno iudicentur ac poſterioribus: quoniam cùm minimum in corpore moræ contraxerint, infrigident manifeſtè:non ſolùm quia aquæ, ſed vi exuperantis metallicæ partis. Harum igitur,& frigidarum,quæ alba eſt, vel turbulenta, neceſſario noxia antequam reſideat, epota. Omnes tamen calidæ exiccant, quia materia terrea ſiccitate carere non poteſt,ob id Galeni & Ariſtotelis concordia clara eſt: ille enim vim cauſæ ſpectat, hic effectum in homine, ad quem obſeruandum medicus eſt inſtitutus.

3. quæſtionum naturalium. cap. 25.

Ipſe verò Galenus ſic ſibi conciliatur. Omnes aquæ calidæ quandam habent vim medicam,& tamen non omnino omnes calefaciunt, vt aluminoſæ, ſuſpectæ verò ne ob cauſam nimis aliquid contraxerint: ſed omnes exiccant, non tamen omnes aſtringunt: aſtringens enim eſt frigidum, ſiccumque qualitate, ac terreum etiam,vt Galenus oſtēdit in tertio de Simplicibus medicamentis. Nec nunc ſaporis & qualitatis differentiam, quando ex eiſdem proueniant, magnifacio. Quaſcunque igitur calidas vehementer magna præditas facultate exiſtimare licet. At non feruentes, ſed ſolùm calidas imbecilles eſſe, non eſt neceſſarium. In quibus autem colliquidatio terreum in aquam ducere poteſt, vt ſal, ars naturam imitatur: vbi autem non poteſt, vt in ferro, ſulphure, nulla ars naturam æmulatur: ſed à naturalibus balneis petendum eſt auxilium.

cap. 7.

Ergo aquæ calidæ natura ex ſeptem dignoſcitur, odore, colore, ſapore, caliditate, pondere,deſtillatione,& effectu. Odor docet materiam prædominantem: inde etiam Sapor: & quæcunque calidior eſt, aut ponderoſior cæteris paribus eſt magis medicata. Color etiam docet quod craſſior materia illi immiſcetur. Deſtillatio declarat quid, quantumque ex vnaquaque parte terrea in aqua admixtum ſit. Vires etiam quia in metallis hoc non ſit facile deprehendere, adducunt non in cognitionem naturæ aquæ, vt inferius explicabimus, cùm quædam propria ſint.

Igitur, vt ad propoſitum reuertar, omnes aquæ ſiccant, quæ calidæ ſunt, iuxta Aëtij ſententiam: non omnes aſtringunt, aut excalefaciunt. Sed cur Paulus illas immodicè, non minus excalefacere,quàm exiccare, ſcripſit? Pauli litera ſic iacet in antiquo codice. τὰ μὲν ἐπὶ νιτρώδη, τὰ δὲ ἁλμυρὰ, τὰ δὲ στυπτηριώδη, τὰ δὲ θειώδη, τὰ δὲ ἀσφαλτώδη, τὰ δὲ χαλκαντώδη, τὰ δὲ σιδηρίζοντα, τὰ δὲ σύνθετα. Quod eſt: hæc quidem nitro, alia ſale, alia alumine, alia ſulphure, alia bitumine, alia vitriolo, alia ferro, quædam ex his compoſita. Sed alibi inferius ſcripſit, τὰ δὲ χαλκίζοντα, id eſt ærea: atque ſic apud Aëtium legitur. Confert & chalcantum ſeu vitriolum oculit,vt in quarto de Medicamentis ſecundum locos: additur enim in compoſitione eorum quæ ad aſtringendum maximam habent vim, ſed & ibi ſquamma æri vtilis habetur. Manifeſtum eſt autem, quòd ex his, quæ in libro nono de Simplicibus leguntur,cùm de chalcāto agit, quòd chalcantum, non æs legi debet: nam chalcantum, vt ibi inquit, carnes ſiccat, contrahit, ac conſtringit, quæ omnia quis non videt columellæ, & ori, ac gingiuis maximè conducere?

lib 3. c. 167.

lib. 1. c. 51.

cap. 11.

Sed adhuc dubitatio manet. Quonam pacto ferreæ aquæ immodicè, tum aluminoſæ, excalefaciant? Certè ſic legendus eſt textus ille: Naturalium aquarum calidarum vis eſt, quæ ſiccet non parum: quarundam etiam vt excalefacit. Sed Græca lectio plus etiam obſtat quàm Latina, cùm in fine adiectum habeat ἐπίπερ. Auicenna videtur & ipſe intellexiſſe tamen in ſecundo libro de Ærea, cùm dixit,Ærea confert ori & auri. Vtrumque legi poteſt, ſed ærea certè non eſt tantæ vtilitatis,

cap. 58.

litatis, vt dixi, quantæ est, quæ ex vitriolo.

Illud minimè præterire licet quod dixit; Et plurimum earum soluit aluum. Quonam pacto fiet hoc, siccis omnibus existentibus? Euenit hoc pro mole & magnitudine, vt docebimus primò: tum verò ex acredine: omnia enim acria aluum mouere solent, ex Galeni sententia: maximè tamen purgant salsæ, & nitrosæ, vt Haliabbas inquit, sicut aluminosa manifestè refrigerat, exiccat & astringit.

5. Theor. c. 19.

Sed postquam in hos sermones incidimus, operæpretium erit, vt ea adiiciamus, quæ ad illarum vsum pertinent: tum maximè, quòd antiqui satis breuiter de illarum exhibitione locuti sunt. Igitur cognita qualitate aquæ, & ex quibus componatur, in illius vires ratione & experimento descendere licebit. Sic ex Aëtio. Generaliter omnes conferunt morbis humidis, dicit etiam frigidis: sed intellige, qui ex humoris abundantia proueniunt: vt, iuncturarum doloribus, resolutionibus neruorum, anhelosis, vlceribus humidioribus, fracturis, callo indigentibus: & hæc sine controuersia. Nephriti autem non sine controuersia, vbi plus calor noceat, quàm siccitas iuuet. Similiter & induratis tumoribus si à nigro humore sint, nam in Cancrum calidæ deducere possunt; peculiariter autem sic.

Salsa ac Nitrosa adhibentur fluxionibus capitis ac thoracis non acribus, tumoribus pituitosis, hydropicis, ventriculóque humido, sed tamen illi nocent: soluunt aluum egregiè.

Aluminosa sanguinis reiectioni, vomitibus, omnibus denique superfluis reiectationibus, tum maximè sanguinis, adhorrentibusque: astringunt, & confirmant: varicibus etiam conferunt, coctioni, & his qui immodicè sudant.

Sulphurea neruos molliunt, tenesmos mitigant, articulorum fluxionibus, spleni indurato, iecori obstructo, vtero resoluto, coxendicum doloribus, omnibus cutis morbis manifestè conueniunt: expurgant validè sed immodicè calefaciunt, & ventriculum labefactant. Quibus calida est temperies plerumque mortem afferunt, nisi à iecore & præcordiis diligenter cauerimus: conferunt & pulmoni non parum.

Bituminosa calefaciunt, molliuntque, præsertim partes circa vesicam, colum, & vterum: caput lædunt, & sensus perturbant. Constat autem bitumen sulphurea, & cinerea, tum salsa parte mixtis: inuenitur præcipuum in Syria, vbi mare mortuum, Galeno teste: habet autem & aquæ aliquid vnde consistentiam habet.

11. de Simpl. med. in fin.

Mercurio quæ constat, omnis tepens, aut frigida. Tepida autem omnis aqua Mercurium, aut saltem ferrum immixtum habet: sola enim hæc duo tantum habent frigiditatis, vt sulphuris incendium moderetur. Porrò quæ Mercurium habet actu, venenosæ est qualitatis: quæ autem potentia, refrigerat, siccat, confirmat. Dictum est de his in libello de Subtilitate.

Ærea conferunt hydropisi valde, tum etiam ori, tonsillis, auribus, vuæ, oculis. Sunt tamen venenosæ qualitatis: calefaciunt etiam, & exiccant, & attenuant non leuiter & difficultatem spirandi faciunt. Reprehendent quidam nos, quòd adiecerimus quæ apud Aëtium minimè inueniuntur. Sed illi digni sunt, vt eas aquas sumant, præceptis Aëtij solùm admoniti.

Cinerea abstergunt, exiccant, & salis operationes, sed leues, habent: astringunt etiam, & splenem minuunt.

Calce autem constantia calefaciunt immodicè, & exurunt putrida curare valent.

Ferrea infrigidant, astringunt, ventriculo & lieni commoda: ad sistendum sanguinem, vndecunque fluat, suprema.

Gypsea adhuc magis sanguinem retinent, sed ventriculo noxia, & spirandi difficultatem pariunt.

Chalcanto infecta vlceribus, tonsillis, vuæ vtilissima: astringunt, exiccant, confirmant.

Argentea, vt Haliabbas inquit, refrigerant, & exiccant, moderatius tamen quàm ferrea, & conferunt membris principalibus, suntque rara & pretiosa.

Lithargyrio infecta anhelitum vitiant, conferunt tamen vlceribus, maximè calidis, & non mediocriter.

Plumbea neruis & ventriculo noxia refrigerant & siccant, & fluxum seminis emendant, sistuntque sanguinem.

Est autem vsus Thermarum quintuplex, Potus, Lauatio, Lutum illitum, Gutta seu Instillatio, & Fumus, seu Sudoris prouocatio. Calida vehementissimè actu, & sulphurea & bituminosa omnia per instillationem capiti, ventriculo, pectori, iecorique adeò periculosa, vt persæpe mortem omnino inferant. Eadem ratio luti: neque enim præcordiis aut capiti apponendum, aut pectori. Sudatio quæ fit in cauernis calidis omnibus temperamentis periculosa. Lauatio omnium tutissima.

Secundum regiones autem Italiæ dicendum, vt ex Sauonarola accepimus. In agro igitur Patauino septem loci sunt, in quibus Thermæ inueniuntur: & primò iuxta Aponum celebratæ Claudiani elegiaco carmine, materna lingua Ebanum: salis plurimum, inde aluminis habentes: nam necessariarum rerum, id est cineris, ac sulphuris quàm minimum habent: sanant præcipuè albas purgationes mulierum, quæ ob pituitam proueniunt: vt etiam mulier, quæ iam sterilis ob hoc per annos duodecim fuerat illarum auxilio conceperit: stillam habent frigidæ pituitæ, à capite descendenti, vtilem, iuuant etiam vel solo sudore ex cauernis. De his autem Lucanus dicebat:

lib. 7.

Euganeo, si vera fides morantibus, augur
Colle sedens Aponus terris vbi fumifer exit.

Sancti Petri, secundo loco habentur, à prioribus mille passibus distantes, in valle, & ob id minus in vsu: validiores tamen, parum potui aptæ mixtio ex eisdem.

Domus

Domus nouæ, quatuor stadiis à prioribus distantes, calcem modicam, præter reliquia quæ in aliis: ob id in hydrope frigida non parum vtiles.

Montis Grotti duobus millibus passuum ab Apono quarto loco habentur: nullæ in Patauino agro magis sulphureæ: quamuis tamen parum & eius habeant, habent & cinerem, & alumen, & non multum gypsi: exiccant immodicè, calefaciunt etiam, sed longè minus. Vsus est instillatione super caput, tum super iuncturas frigida pituita laborantes: cohibent etiam quæ à capite defluunt.

Sancti Bartholomæi Thermæ à Patauio distant centum stadiis: mitiores hæ omnibus aliis sunt: aluminis plus cæteris habent, & aliquid etiam nitri. Nodos in iuncturis soluunt præ cæteris. Feltrinus vir cùm ex luxatione in genu ad motum esset inhabilis, concepta in loco duritie, LV. dierum spatio domum pedibus suis rediit: vt Sauonarole refert. Vbi cineris, aut sulphuris nullam fecerimus mentionem, vt hîc, modicum illis inesse ex his intelligi volumus.

Sanctæ Helenæ sexto habentur loco, 60. stadiis à Patauio distantes, aluminosæ, & nitro abundant: nam sal etiam, vt dixi, cum cinere & sulphure omnibus communis est: quia iuxta Aristotelis sententiam cinis salem habet secum: emolliunt neruos à crassa pituita duros factos: conferunt etiam cutis defœdationibus quæ serpunt.

Montis Ortoni extremæ sunt, vulgò Mons Tertonus: naturam habent earum quæ iuxta B. Bartholomæi ædem positæ sunt, atque ex iisdem constant. Has omnes fermè & ego vidi, dum iunior Patauij literis operam darem.

Bononiensi agro in confinióque, Pistoriensis, vbi Alpes, ac frigus etiam Iulij tempore, quasi temperatæ, & amœnæ aquæ, & ob id multi vsus habentur, Porretæ vocatæ: similes quidem his quæ in Aponensi agro natura, sed longè validiores, & etiam vsui aptiores: roborant cerebrum, sensus, & ventriculum: sistit ex cerebro distillantia, difficultatem spirandi sanant, adeò vt etiam equos, quos Bulsos vocat vulgus, duorum mensium spatio curent. Appetentiam excitant, & sistunt sanguinem, qui fracto in pulmone aut in pectore vase, fluit. Renum imbecillitatem firmant, atterunt lapides, sterilitatem auferunt, & cohibent menses albos, vt autor est Gentilis: sanant & podagram, licet antiquatam: appetentiam etiam prægnantium reparant: sed nolim tamen tanto periculo leuissimum symptoma curare. Periculosa tamen sunt, quia valida: hoc enim vehementibus fermè omnibus auxiliis est commune, cùm non ritè administrantur. Vnde etiam in adagium venit: Balnea Porretæ mortem, vel pota salutem.

Romandiolæ tria habentur Balnea iuxta Castrum B. Mariæ: primùm De turri vocatum, ad iuncturarum dolores, sed potui ineptum. Potronum secundum dicitur, quòd cutis defœdationes curat, scabiem, vlcera, elephantiasim. Dominarum tertium, quòd mulierum morbos curet vtero venientes miro modo: distant hæ à Foro Iulij, vel Forliuio stadiis CCXL. vel P. M. XXX. inter ipsa solus murus medius est.

Foroliuij Balineæ sunt. D M. passuum vel stadiis XL. ab vrbe iuxta castrum Medullam. Harum aquæ epotæ corpus non leuiter purgant: quare salis plurimum habere coniectura docet: nam inter metallica fermè solus soluit ventrem.

Lucano agro XXI. M. passibus iuxta Torsennas Thermæ tres sunt, quarum primæ Torsenæ vocantur, iuxta Gentilis sententiam sulphure, & alumine, ac sole æqualiter constant: molliunt durata, & vlcera difficilis consolidationis curant. Sunt qui verius illas habere florem salis fossilis, quem quidam vocant salgemmam, affirment, salis nitri loco. Rubeum autem balneum extra villæ circuitum, æneum est, ac quasi frigidum. Villæ Balneum, quod adeò celebratum est, & nunc in frequentissimo vsu Mediolani, à Torsena M. passibus distat: exiguum vt vix tres capiat homines. Sedat sitim, quia terrea substantia constat: vtile renibus, & iecori, tum etiam sanguinis sputo, & reliquis hæmorlosagiis singulare præsidium. Sauonarolæ autem ætate adeò contemptum, ob debiles vires, vt in vsu non esset. Mercurij particeps est, vnde si non rectè administretur, iecur debilitat, & hydropem gignit: ostendunt hoc aurei annuli.

Pisæ etiam habent sex balnea: in monte enim sancti Iuliani, qui est inter Lucam & Pisas, sunt Thermæ, & in eodem agro aliæ quatuor. Hæ aut natura aluminosæ non parum, sed & sulphuris non leuem habentes partem. Balneum Saniæ, immodicè sulphureum, & calidis ob id valde temperaturis non leuiter noxium. Balneum sanorum, aluminis plus habet, sanis vtile, confirmans robur. Balneum autem Reginæ tribus M. passuum ab vrbe distat, ob id quòd ferreum est, sanguinis fluxibus non parum vtile, confirmans etiam ventriculum: melius longè balineo villæ atque eodem validius, haud mediocriter. Quintum ab hoc distat tribus passuum M. Marmoreum, quæ steriles sunt ob vehementem caliditatem, ab hoc balneo prolificæ aliquando fiunt, refrigerat enim vsque ad torporem. Sextum autem est distans XVI. millibus passuum ab vrbe vocatum De aquis, famosum, ferreum, & aluminosum: optimum supercalefactis, impinguans eos, & vim attractiuam eorum confirmans: suscipit tamen vehementem permutationem, in mense Martio quandoque hanc accolæ loci cognoscunt, fit enim aqua citrina colore, & tunc non leuiter nocet: cauendum est igitur tunc ab illa.

Volaterræ habent balnea tria aluminosa, & sulphurea, ab vrbe XVI. M. passuum distantia, similia Aponensibus, & montis Grotti. Alia extra muros villæ, similia Thermis villæ fermè ad vnguem, sunt enim ferrea, & alumine modico participantia. Sunt & alia ab his distantia duobus M. passibus, sale, sulphure, & alumine immodico prædita: & ob id ebullire videntur adeo acriter, vt transeuntes aues halitu necent, & ad se trahant: ascendunt etiam corpora ex illis exigua & strepitum

strepitum edunt non leuem, vocanturque lacones surdi: administratio illorum vt est periculosissima, sic violentissima.

Senæ habent vndecim Balnea: primum Petrioli, distans P. M. XVI. ab vrbe, sulphure & alumine participat: sed sulphure immodicè duciam seu stillam habet ibi X. sunt alia balnea eiusdem, vt fertur, naturæ. Secundum dicitur farinæ, simile priori, sed longè leuius, ideo prius in hoc ingrediuntur homines vt assuescant, est autem flumini propinquum. Tertium dicitur De cometis, quod quasi simile est dulci aquæ: in eo apponi solent cucurbitulæ, velut in Thermis dulcis aquæ: virtus ferme nulla, adeo lenis. Quartum est sulphure & ferro mixtum, immodicè calefacit & exiccat. Aliud ibi magis sulphureum, vbi tres, vt dici solet guttæ.

Ab hoc aliud temperatius. Sextum vltra pontem, vocaturque Balneum dominatum, naturæ sulphureæ non parum vt reliqua. Caldenæ septimum balneum, ferreæ virtutis, & aluminosæ, roborat membra nutritionis & coitum, attenuat splenem, & sanguinem cohibet valde: solet hoc emendare detrimenta balnei Petreoli. Octauum Morcerati balneum, propinquum balneo Petreoli per quinque M passuum: illo tamen longè mitius, vnde ab eo curam incipere solent. Nonum Rapolani balneum pinguiori scabiei vtilissimum: curat & superfluum vteri humorem: sulphure immodico abundat, & ideo vehementer calidum & siccum. Decimum Auinioni balneum ab vrbe XX. M. passuum distans, æreæ, ferreæ, & aluminosæ est facultatis, sed æs longe minus dominatur: assimilatur Balneo Reginæ in comitatu Pisano: verum vt crassioris substantiæ, sic tardioris effectus. Est & aliud, S. Philippi vocatum, nitro abundans, & ob id guttam habet siccantem vehementer, & cum minore periculo, quàm Petreoli balneum: nam sulphur, nimium colliquat: hoc igitur mitius est. XVIII. M. ab vrbe distat: ventis & inundatione non parum turbatur, fitque graue: accolis hæc turbatio cognita est. Est & aliud vocatum Aquæ borlæ, quod quia nitro abundat, caretque astringentibus, aluum non leuiter subducit. Omnia hæc in Senarum regione continentur: tamen plura alia, quorum naturam ex his, quæ dicta sunt, coniectura assequi licet.

Viterbij decem sunt balnea famosa: primum eorum dicitur De grotta, ab vrbe distat passibus M. naturæ ferreæ & parum æneæ, salis & aluminis particeps: aureo colore, gustu maximè iucundum, substantia tenuissimum, vnde vasis delatum magna ex parte euanescit: saluberrimum etiam, nam ex nulla alia aqua plus tutò bibere licet: purgat præcipuè renes, ventriculum, cerebrum: totum caput, & corpus roborat, sed tamen longe magis oculos, à quibus aufert tenebras, eorum aciem acuit, confirmatquè. Secundum est Vallis Chaim, æreum, aluminosum, modice ferreum: viri id non ferunt, nam nimis spiritum cohibet: mulieribus, quæ ob frigiditatem, & humoris copiam non concipiunt, salutare: ob id Dominarum vocatur. Cruciatorum tertium est, ferreæ, & æneæ naturæ leniter est, multumque sulphureæ: podagricis vtilissimum, ac iuncturis salubre. Bulicani balneum ab vrbe distat M. passibus, alumine & ferro constat: feruet multum, & eadem die sponte mutat colorem in aureum & argenteum: purgat exustos humores, & iecori saluberrimum est. Bussetum, sulphureum est, ferri non expers, simile balneo cruciatorum: peculiorem habet vim in antiqua coli vexatione, luxatis, ac fractis. Palatiorum balneum, alumine magis quàm sulphure participat: curat scabiem, & cutis defœdationes, omni alio balneo longe melius. Sanctæ Mariæ in felice balneum, ferro & sulphure abundat, ob id etiam resolutioni arcteticæ, ileo, colicæque confert, tum magis quòd eius substantia tenuis est: ob id etiam non plurimum lædit, etiam si in irritum quis ipsum sumat. Prati balneum, quasi expers qualitatis externæ, vnde ob sulphuris leuem illam vim flatum discutit in iuncturis existentem, & in vtero. Suauis est hæc aqua, & potui apta. Paganelli balneum, clarum est, non multum calidum, nitro & alumine, modicóque ære participat, ventriculi affectibus nihil melius: purgat, confirmat, appetentiam incitat. Asinellæ balneum, æreum est manifestè, tum subtile, hydropicis salutare, tum obstructionibus, & in vteri collectionibus: limpidissimum hoc etiam est.

Æsculi autem iuxta vrbem balneum, non multum calidum, multum tamen sulphureum est: nocet oculis debilibus, iuuat neruos resolutos, sed haud multum.

Vrbs vetus nouem habet balnea: iuxta oppidum vocatum S. Cassianus, primum dicitur De terrea, aluminosum, inde ferreum: purgat tamen renes. Secundum est balneum Calda ia, ferri minus particeps, mundat humidam scabiem. Tertium est Balneum sanctæ Mariæ, calidum, & siccum non parum. Quartum est Balneum de Caldagna, duas habet guttas, calidum est & siccum valde. Quintum est Balneum ficuncellæ, id est Iecorarium: calidum temperatè: medium inter ferreum & aluminosum: iecori, spleni, maxime vtile, seu calida, seu frigida vexentur intemperie. Sextum est Grottæ balneum, scabiem vlcerosam remouet.

Septimum est Sancti Georgij balneum, vlcera antiqua consolidat, hocque ei inest præcipuum. Octauum Balneum Pirus: prouocat sudorem. Nonum est Balneum De luto: extenuat crassitiem crurium, extendit neruos contractos: moram trahere oportet in illo per mensem cum dimidio saltem, vel etiam vsque ad duos.

Perusium habet balneum vnicum montis alti, nigrum, fœtidum, bituminosum, sulphureum: vires balnei S. Bartholomei in agro Patauino.

Iuxta autem oppidum montis Catini sunt tria balnea: Primum, Balneum obsoletum, salsum. Balneum aliud salsum valens œdemati, sciæ, & podagræ. Balneum nouum, & ipsum salsum est, atque ideo cognitum: soluit

tamen ventrem, prouocat vrinam & vomitum.

Apulia & ipsa non pauca habet balnea: Sudatorium primum: acuit visum, stringit lacrymas. Ibi nouem alia habentur eiuscemodi balnea. E quibus Bulla vnum est: Sulphureum aliud: tertium vocatum Astianæ balneum, quod lenit pulmonem, & tollit tussim. Iuncare balneum, ventriculum confortat, & iecur: proprium eius est lætitiam inducere, suspiria tollere, coitum excitare, alacritatem gignere: hecticam omnem curat. Balneum Locus, est quod maximè Neapolitani diligunt iuxta litus est maris: confert oculis, caligini, aquæ: reficit consumptos, renes confirmat: aqua suauis, tepida, & multum grata. Hanc ex notis eam esse autumo, quæ in villa, cui nomen Academia fuit Ciceronis, post illius obitum nata est: vnde plinius ea recitat carmina laureæ Tullij, quæ memoria digna sunt.

lib. 31. c. 2.

Quo tuo Romanæ vindex clarissima linguæ.
Sylua loco melius surgere iussa viret.
Atque Academiæ celebratam nomine villam.
Nunc reparat cultu sub potiore Vetus.
Hic etiam apparent lymphæ non antè repertæ,
Languida quæ infuso lumina rore leuant.
Nimirum locus ipse sui Ciceronis honori
Hoc dedit, hac fontes cùm patefecit ope.
Vt quoniam totum legitur sine fine per orbem,
Sint plures oculis quæ medeantur aquæ.

Triptæ balneum, & ipsum iuxta maris littus, dulce, nec calidum: ventrem mollit, febrium siccitatem tollit, pectus lenit, supercalefactos refrigerat.

Petræ balneum cerebro commodissimum, vt quod omnes eius morbos tollat: auxiliatur etiam pectori & cordi, ipsa roborans: surdos, & suffusionem etiam curat.

Colatura balneum cor lætum reddit, tussim molestam aufert, pulmoni etiam & ob id, & præter id salutare: pituitam sistit. hæc omnia facit in potu sumptum: lauacrum autem balneum pulmonem expurgat atque ei opem affert.

Aquensis ciuitas Montis Ferrati, balneum habet de quo sic Sauonarola: In plano est aqua, quæ duobus diebus limpida est, tertio autem fit viridis: curatur, seu expurgatur fons eius ob id singulis octo diebus: sapor eius fœtidus est, vt corruptorum ouorum: dicitur curare iuncturarum morbos. Hæc ille. At nos vidimus hoc anno tot ad illud confluere homines, vt vix locus ipse aduenas caperet: erat enim vt dicebant, non solum artubus, sed etiam capiti salubre. Ego equidem ex odore, & sapore, ac permutatione, in causa frigida, atque etiam vehementer frigida, tantum conuenire existimo. Sunt etiam duo balnea quorum vnum in ciuitate minoris vsus alterum ab ea distans M. passibus ferme, valde famosum.

Aquarium autem habet Thermas, distat à Regio Longobardorum XXII. M. passuum. Camphoræ odorem habet, limpidamque aquam ac gustu non parum suauem. Si quis bis in die moram in eo trahat, sinus & chironia vlcera sanat.

Brandula oppidum XXXIV. M. passuum distans à Carpo, Thermas habet M. passibus ab ipso oppido distantes, aqua clara, qualitatis externæ expers, potentia etiam quasi temperata, ad calidum tamen declinans. Sulphuris & salis parum, at aluminis multum particeps: præcipuam habet in emendando sanguinis mictum vim: attamen hoc etiam commune habet in bobus: plurimi enim cùm lætalis sit hic morbus, in illis, hac pota aqua liberantur; Sed & ex hoc deprehensa est virtus in curandis hominibus.

Verona & ipsa habet in agro Calderam villam, iuxta quam Thermæ ferreæ, & aluminosæ, robustiores his quę de villa in Lucensi agro: sistunt etiam profluentem ex cerebro pituitam: ob hoc hæmoptoicis ex destillatione commodissimæ, vt etiam aliqui sanguinem ex acuta destillatione expuentes perfectè curati fuerint.

Sicilia iuxta Sachan ciuitatem Thermas habet in radice montis diuisis fontibus virorum, mulierum, belluarum: sed in summitate est antrum cum cubilibus variis pro morborum varietate. Conferunt ramici & podagrę: & natura earum est ferrea & aluminosa. Mons vocatur gemmariorum, palmisque refertum est. Aliud balneum inter vrbem Reparanni & oppidum Alcami ab eo distans quatuor M. passuum, vocatum Calatomech: ibi tres domus, calida, calidior, & calidissima: vt etiam ibi coquantur oua: verum natura sulphurea. Mense Maio ad eum confluunt homines. Alia etiam iuxta ciuitatem Palermi, Termini vocata, ab oppido eiusdem nominis.

At verò vt sciamus cum facilitate quantum quælibet aqua ex sale vel alumine contineat, hunc modum tradiderunt: vas figulinum ad dimidium in fonte impleatur aquæ pondere cognito, inde in fonte supernatans tandiu maneat, donec absumpta aqua lacrymę quædā in vasis superficie adhæreant: tunc trasmutetur in lapidea vasa lata, & quadrata & depressa, seu humilibus lateribus, quæ & ipsa maneant in aqua fontis feruente, vt sic ex mora cogatur in vnum metallicum omne: hoc autem modo seruatur & sulphur, quod in destillationibus euanescit. Verùm nec hic modus omnino tutus videtur: cùm plurimarum aquarum vires æreas ac ferreas experiamur, in quibus nihil ex eiuscemodi metallis, quod sensui pateat, resecatur. Tutior igitur via à sapore, odore, & effectu habetur, cætera non omittenda, cùm assistentia probent & ostendant.

Ostensum est autem quòd non in omnibus licet naturam imitari: inquit enim Galenus; Vt in sale, sic in sulphure, & alumine, atque aliis, licet artificio naturam consequi: at nos in æreis, ac ferreis, non ad exactam eam symmetriam perduci per artem aquas posse ostendimus. Sed nec in alumine & sulphure, nā terrea manebit & turbida, cū natę thermę clarissimæ sint. Respōdeo igitur, Galeni sententiam quoad primas qualitates esse exponendam: siccabit enim alia, alia calefaciet

1 de Simpl. med. c. [illegible]

calefaciet vehementer: non tamen in potu omnes æquè conuenient, cum naturales sint puriores, velut & in reliquis quæ ab arte simul & natura fiunt: ars semper naturam imitatur, at nunquam æquat. Duplici autem modo in potu sumitur, vel vt expurgans, & in immodica quantitate, tuncque somnus prohibendus est, vt superius diximus: tunc enim ad vncias fermè CC. peruenimus, sensim augendo: vnde tanta moles si retineatur, vel subitam mortem, vel ascitem poterit creare. At è diuerso, si immutare velimus temperaturam, non excedimus vncias XXIV. tuncque somnus maximè conuenit, vigilia attenuantur. Sicque hoc anno multis nobilibus hac ratione, primus in hac causa, vt in plerisque, feliciter exhibui.

Æstate autem eadem ratione à medio Maij ad medium Iunij, & rursus à medio Augusti ad medium Septembris exhiberi solent: & rectè quidem si purgandi causa: immutandi, quocunque tempore conueniunt: summis tamen frigoribus temperies ad calorem declinans per vaporarium mollienda. Semper enim frigus, fames, fœtor, fructus coitus, sed & aqua, ac limphatum vinum, & caseus, fugienda sunt aquam thermarum bibentibus. Quò fit, vt minus mirum videatur, Cramignolam & Gatamelatam duces, sub media hyeme à Sauonarola fuisse plenè curatos Thermarum aquis: nam calorem aëris, etiam æstiui, ars melius potest fingere, quàm aquas ipsas. Dantur igitur pulli, & auiculæ, & vitella ouorum, & vinum leue flauum, vel subrubrum: & acetaria aliquando: & citrangula ipsa, quamuis fructus, pro fructibus non habentur.

Sed an verum est quod Galenus dicebat, medicas aquas sitim facere? videtur enim hoc verum, quoniam, vt diximus, omnes sunt siccæ. Et rursus, an nunquam conueniant febrientibus ea ratione, & vt ipse dicebat, in Arte curatiua ad Glauconem: Marinæ autem aquæ, & salsæ, nitrosæ, atque sulphureæ, plus quidem bilis educunt: sed multò minus, quàm potabiles prosunt. Præstat verò neque ipsas vtiles (in Tertianis enim loquitur febribus, qui sermo fermè omnibus febribus communis est) dicere, quandoquidem plus qualitatibus nocent, quàm iuuent euacuationibus. Equinoui corrupto iudicio quemdam hisce vti persuasum, deinde extenuato corporis habitu ad tantam venisse perniciem, vt tabe consumptus interiret. Sed Princeps moderatus in secundo libro: Et aquæ sulphureæ, & lutosæ, & stantes, febres faciunt. Alia accedit dubitatio, quia ipse alibi ponit, quòd æreæ & fereæ iuuant in morbis frigidis & humidis. Nam in prima questione ratio & experimentum ostendunt, quòd aquæ ferreæ extinguunt sitim. Respondeo, dictum Galeni intelligitur secundum plurimum, nam eas in quibus ferrea vis dominatur, non videtur agnouisse: quòd si agnouisset, aliam de his sententiam forsan attulisset. Sed non omnem extinguunt sitim: est enim sitis appetentia frigidi & humidi, aquæ autem thermarum omnes siccæ, quamuis ferreæ frigidæ sint: conueniunt igitur vel euacuando bilem, salsumve humorem, vel in siti quæ ob intemperiem fit calidam, non deficiente humido. Eadem ratione & in febribus ferreæ possunt conuenire: quanquàm rarò, & solæ: in acutis autem nunquam. Quomodo autem ferreæ cum æreis in morbis conueniant frigidis, respondet Gentilis, quòd exterius applicatæ naturalem calorem sua vi astringente reuocando: sed hoc est improprium. Intelligatur igitur referendo singula singulis, humidis omnes conueniunt, frigidis autem salsæ. Sicut & illud, Aquæ omnes metallicæ nocent & malæ sunt: id est, cum cibo sumptæ, quod verum est: aliter autem falsum Haliabbas quoque in eundem incidit errorem, dicens, Ferreas splenem calefacere. Illud etiam ad notandum, quod ab illo habetur, salsas omnes caput offendere: nam de sulphureis iam illud dictum est.

ubi supra.

lib. 1. c. 9.

cap. 19. secunda primi doc. 2. c. 19.

An verò non nisi verbis grauibus exhibenda sint? hoc enim quidam sentire videntur: dubitatio est, leuis tamen: nam si sanis quædam conueniunt, aut saltem neutris, quomodo etiam non leuiter ægrotantibus? Euacuandi tamen gratia, cùm in maxima fuerint quantitate, solis ægrotantibus, ac etiam grauiter (non leue enim auxilium) non nisi graui conueniunt morbo. Quædam etiam talia sunt, vt quæ vehementem habent qualitatem, vt non nisi grauiter affectis conueniant. Obseruant autem quidam Bissextilem annum, in quo referunt accidere sterilitatem persæpe, tum abortus prægnantium, & medullam arborum non ad florem conuerti, sed ad pediculum: quartanæ enim febres ab aliquo sidere fouentur, à quo & vniuersa, quæ sub cœlo sunt, quandam permutationem suscipere videntur: sic bissextilibus annis thermæ corrumpuntur. Sed hoc fortem quandam veritatis causam potius habere videtur, quàm firmam rationem. Annis siquidem M. D. XL. & M. D. XLIV. plures grauem noxam à balneis, aliqui etiam mortem incurrerunt. Sed hoc non vbique æqualiter, non omnibus, non semper.

Artificiosa verò non eiusdem generis sunt: alia enim ex aqua, lacte, oleo, vino, pura, & composita, de quibus aliàs dicemus: alia aërea: è quibus humida, sicca, ignea. Sed quæ artificio constant spirandi difficultatem semper pariunt ob calorem, & vaporis abundantiam, vt à Principe colligitur. Sulphurea iuuant epota secundum ipsum, nec mediocriter: vapor tamen eorum nocet, magis tamen chalcanti, vt nono de Simplicibus medicamentis habetur. Sulphur enim iuuat, interius sumptum saltem: Chalcantum nullo modo. In hydrope quoque eadem ratio est: nam aluminosa, sulphurea, ferrea, nitrosa, & salsa iuuant: dulces aquæ nullo modo, vt Princeps ait. Sed hoc non solùm balnei, sed potus causa.

decima tertij trac. 1. c. 40.

decimaquarta tertij tra. 4. c. 12.

Assumuntur autem duobus modis, in loco, & extra delatæ. Quæ deferuntur, eo sunt debiliores, quo locus ipse longius abest. Sed non solùm debiliores fiunt aquæ à fonte translatæ, sed etiam corrumpuntur: ob id non paruis vasis, quidam, sed magnis ad hunc vsum paratis colligendæ sunt: quantò enim maiora sunt vasa, eo aqua

Vide ubi supra 49.

aqua purior, ac validior remanet. Qui igitur ad locum accedere potest, non vehi curet, aquam: si autem vehere sit necessarium, aquæ dulcis omnem vsum deuitet: seu vasa abluendo, seu alterius necessitatis causa. Sumitur & purgandi causa in multa quantitate & aliam ob rationem, cùm temperaturam immutare propositum est: quo in casu (non enim semel dicere conuenit) somnus non solùm est innoxius, sed etiam vtilis semper: persæpe verò necessarius, ob id cùm purgationem molimur cautè agendum est: periculum enim non leue in errore. Aquæ enim Thermarum vires habent non mediocres, non solùm ob feruorem, & metallicam virtutem, sed etiam ob copiam earum, quæ iam diuturno vsu laudatur. At nos, in quibus copia conuenit, iam diximus, vbi scilicet vires validæ & corporis vacuandi intentio est. Quòd si Lucanæ villæ, gratia exempli, conueniant accedenti ad locum, deportando aquas Veronensibus Calderæ vtemur, aque etiam maiore in copia, quod deest ex viribus, ob translationem, natura & multitudine supleatur. Venti autem omnes, maximè Boreales, & imbres, magis aquas omnes calidas vitiant. Venti magni ad tres dies, aquæ autem ad decem. Cùm etiam annus pluuiosus est totus circa Ver, Thermarum aquæ sunt fugiendæ. Quicunque igitur student thermis methallicis, corpus purgatione mundum reddant, & si opus fuerit, venæ sectione. Tandiu verò mane ieiuni in eis maneant, donec digitorum cutis quasi corium contrahatur, & rugas præferat. Si autem potus balneum & hypocaustum necessaria sint, à potu sumatur initium, vltimum sit hypocaustum, medium autem balneum. Quiescat autem antequam cibum sumat, per horam in lecto: quòd si per duas, adhuc melius: nec comedat, nisi prius quàm biberit totam exquisitè eiecerit: eiicitur autem vrina præcipuè, pòst ventris secessu, pòst sudore, vltimo autem vomitu: sed in hoc post tres dies minimè persistendum, reliqua probantur, nihil tamen deterius, quàm quòd retineatur, illico enim desistendum. Alternatis autem diebus bis ac semel sudare & balneari licet, & vtilius sæpe: bibere non nisi semel, seu purgandi, seu temperaturam corrigendi intentio sit. Vt verò aqua acrior est salsa vel amara, sic simplicior cibus, ac insipidior, leuissimusque ad concoctionem. Fugiat & meridianum somnum, & labores vehementes, etiam ab assumptionis fine per XV. dies: coitum verò etiam ad duos menses: labores verò leues, vel cœli mutationem, ad tres dies.

Sunt & alia multa balnea tum in Italia, de quibus historiam non tradidi: verùm ex præcedentibus satis nota est: vt thermarum quæ in Rheticis alpibus vltra Comum, vocanturque balnea Bormij, & sunt iuxta montem Braiam. Alia in Germania, vt Badenia Ferina, iuxta syluam Martianam: & Cellensia, & alia plurima: hæ namque podagricos iuuare creduntur: quod etiam epistola Theodorici regis Gottorum ad Præfectum Ticini, apud Cassiodorum ostendit: sed nos meliorum & validiorum rationem habuimus. Permutantur tamen (vt diximus in libro de Supernis) aquæ hæ, & quæ meliores fuerant inutiles redduntur: contrà infirmè processu temporis vtiles fiunt: aliæ etiam nouiter nascuntur. Omnibus autem commune est, (vt plerisque aliis rebus, quæ sub Luna sunt) vt cùm ad apicem peruenerint, senescere paulatim viribus incipiant. Infinitum verò foret, thermas ac illarum vires scribere, quæ aliis in prouinciis scaturiunt.

Aquarum igitur Thermarum præcipuæ quatuor sunt vtilitates, vt à Rasi colligitur: *lib. 3. ad Alm. cap. 4.* Neruos calefacere, tum siccare: Cutis scabiem tollere, & hæ quasi generales sunt: Flatum viscerum dissoluere, & hæc calidis solùm inest: Et malum corporis habitum emendare, quæ æneis solùm illius iudicio conuenit. Sed hoc dubium, cur non ferreis etiam? tum verò cur aluminosas hepar velit calefacere, & febres generare, cùm alumen frigidum sit? Respondeo: Alumen quamuis sit frigidum, non tamen adeo vt calorem sulphuris & calcis possit reprimere, quæ illi necessariò in thermis ammiscentur, cùm plerumque etiam sal, Æneæ verò præter id, quod corrigunt, repurgant quod ferreis haud conuenit: ob id putredinem humorum æneæ sistunt, & valde vitiatam temperaturam, non ferreæ: vnde dicebat, Æneæ aquæ vim medicamento laxanti similem habent: vsus tamen earum humores corrumpit, habent enim qualitatem medicam. Declarat etiam, cur omnes æquæ Thermarum noceant vesicæ, impedimentum enim mingendi procreant: dicit quia substantiæ sunt crassæ, igitur ineptæ transitui per renes ac vesicam. Dico, hoc magis competit aluminosis, bituminosisque. Addo, sulphuri, tum salem acuitatem vrinæ facere ob id balnearum aquæ omnes duabus ex causis vrinæ morbos faciunt: præsertim salsæ, & lumine vel bitumine infectæ. At Rasis expresse omnes Thermarum aquas, etiam ferreas, calidas sentit: equidem ad simplicem & fontanam comparatas. Omnes etiam proculdubio densæ sunt, & graues, & concoctioni minime aptæ.

Ex quo patet, quòd vsus aquæ chalybeatæ, & si roboret ventriculum, extenuetque splenem, attamen corrumpit corpus & humores, & vrinæ facit difficultatem. Ideoque nisi rarò, & non sine magna causa admittendus est; æreata etiam podagræ vtilis.

CONTRADICT. IV.

Pestilenti morbo sectio venæ an vtilis.

GAlenus in libro de Cibis boni & mali succi cap. 1. hæc de morbo pestilenti, qui Romæ grassabatur, loquens habet: Cum autem morbi initio, medici nonnulli perpaucis venam incidere auderent, (neque enim ab re à remedio eiuscemodi abstinebant, quandoquidem prius ægrorum vires resoluebantur) missus quidem sanguis non adeo bonus erat, vt is qui ex sanis detrahi solet. Ex quo videtur

videtur pestilenti morbo non congruere venæ sectionem. Auicenna autem prima quarti trac. 4. cap. 4. lib. 2. c. 36. inquit: Summa curationis est exiccatio cum sanguis ipse fuerit materia vincens cum venæ sectione: aut si alius humor, cum purgatione. Huic Paulus subscribere videtur, cùm dixit: Quibus igitur sanguis superabundat, vena secanda est: quibus ventriculus pituita repletus, vomitu succurrendum, quæ verba ex Rufo Aëtius etiam vsurpat. Auenzoar quoque; Et curaui iuuenem patientem phlegmonem pestilentem, primò sectione venæ facta, deinde corpore purgato. Et infrà quamuis dicat, quòd in dislocatione seu luxatione spondilium, seu vertebrarum colli, debemus vti exiccatione, intelligit de illa quæ fit per venæ etiam sectionem, non solam purgationem. Sed Rasis interpretatur verba Rufi certe de regimine præseruante: vt etiam videtur Auerroës & Haliabbas: nam cùm in præseruando vtantur sectione venæ, & purgatione, de cura tamen pestilentis febris nullus illorum sermonem habuit: sed illam, quasi nunquam venientem, omnino miserunt: vel forsan de illius cura desperauere: itaque nec Pauli autoritas, nec Aëtij hoc in casu contra Galeni sententiam militat. Sed magis pro Galeno facit Rasis, qui in duobus locis tractans curam febris pestilentis, in nullo illorum meminit de venæ sectione. Propterea rationibus magis agendum videtur, vbi morbus magnus, ætas & virtus consentiens, ibi venæ sectio vtilis est: vt habetur à Galeno & Hippocrate: at verò pestilens morbus magnus est, qui plurimum perimat in eo igitur venæ sectio maximè conducit. Febri etiam putridæ omni sectio venæ maximè conuenit, iuxta Galeni sententiam: at talis morbus cum febre, plerunque saltem, si non semper, iungitur: atque ideo sectione venæ curandus est. Accedit, quòd talis morbus iuxta Galeni sententiam fit ex obstructione vt plurimum, obstructioni venæ sectio conuenit, quare in pestilenti febre administranda est. In talibus etiam phlegmones concitantur interni, tum carbunculi, vt Galenus ibi testatur, quare cùm horum tam præseruando quàm medendo cura fiat venæ sectione, non est cur illam omittamus: tum præsertim, quòd plerunque febres etiam in eis sint ardentissimæ quibus nullum est præstantius auxilium sanguinis missione, vt prima Aphorismorum habetur. Ioannes etiam Monardus (vir hac tempestate epistolis suis potius ornatis, quàm operi vtilibus non quòd eruditio etiam in arte desideretur, sed iuditium) censet secandam venam, tum magis dolore vel tumore apparente. Assumit autem, vt mihi videtur, fundamentum tum inter alia, quod Hippocrates in secundo de Humana natura, (seu quisquis autor fuit huius) cum Galeno ibi, omnem in his morbis curationis rationem in duo partitur: Contrarietatem causæ morbum gignentis, & paucitatem aëris qui trahitur, nam si ab eo inficitur corpus, à modico modicè. Repurgat etiam ob id illud, qua ratione & sectio venæ significatur. Sed quod olim dixi, semper verum fuit, nostros medicos in minimis esse diligentes, in maximis autem nihil scire: quoniam ambitioni, & auaritiæ, non scientiæ, & publicæ vtilitati studeant. Nempe quid absurdius fuit hac in causa sectionis venæ fecisse mentionem, cùm Galelenus illius nusquam in tali morbo nec alius classcus, vir, excepto Auicenna duntaxat, qui deceptus est, confundendo cum cura præseruationem, illius fecerit mentionem: Manifestum verò est, nec huius loci autorem venæ suadere sectionem: & omissam hanc curam à Galeno non solum in primo ad Glauconem, sed & in XI. & XII. Artis curatiuæ, ad quos pertinebat, quoniam solis alexipharmacis, vt reliquorum venenorum, perficiatur, qua etiam causa ab omnibus aliis etiam, vt diximus, quasi neglecta est: neque enim methodo vera, vt reliqua febrium genera, sed diuersis experimentis secundum proprias species curatur: cuius rei rationem in libello huic tractationi dedicato clarè docuimus: nec solum eam, sed & ipsa experimenta. Nunc autem quantum hic est necessarium, atque ibi prætermissum, doceamus. Quod igitur phlegmones his coniungantur externi, illud non facit necessariam venæ sectionem at potius prohibet: retrahit enim illa intus quod natura vtiliter foras iam protrudit: vnde etiam Princeps à repellentibus cauet. Ardentissimas etiam fieri febres, falsum est, vt ostendam. Quinimo inquit Rasis lib. Diuisionum cap. 158. Cùm igitur videris nauseam frequentem cum febre tepida, tunc scias quòd est pestilentialis. Quinimo Galenus ipse 9. de Simplic. medi. de Terra Samia inquit, Non tamen calore vehementes sunt febres pestilentiales. Vnde ibi illud declarat, triplex esse genus pestilentiæ: aliquod sine febre, aliud cum lenta, aliud cum valida: nulla tamen pestilentialis calorem vehementem amplectitur. Multum igitur refert dicere, febris valida, aut vehementis caloris, cùm pestilens valida esse possit, ardens esse non possit. Esse autem pestem etiam sine febre: non solùm hîc, sed in tertio Epidemiorum particula 3. com. 58. idē ipse docet. Quòd autem febri putridæ, vt febris est, sectio venæ conueniat, clarum esse existimo: sed plura sunt nocumenta iuuamentis, ob quæ abstinere cogimur: nam nec in tertianis exquisitis vtilis plerunque est venæ sectio, & tamen putridæ, nec omnis pestifera febris ex obstructione fit, sed plerunque ex sola cutis angustia, vel conclusis meatibus, & quæ etiam ex obstructione prouenit, sectione venæ licet iuuaretur, non tamen admittit illam: eadem qua in febri putrida diximus ratione: plus enim est incommodi, quàm vtilitatis. At cùm morbus est magnus, & virtus cum ætate consentit, sectio venæ necessaria est: primùm in pestilenti morbo vix virtus valida esse potest: solet enim pestilens morbus virtutem euertere celerrimè. Sed nec illa propositio generalis est, nam morbi ratione vera est, causæ autem nequaquam. Quod nunc ostendere aggredior.

Veneno assumpto, etiam validissimo, si venam secueris, neque secundum rationem, nec secundum Galenum, neque omnino rectè feceris: omnes enim protinus perimes: at morbus magnus est, virtus valida, ab initio ætas consentiat. Auicennam requiras, Aëtium,

lib. 5. c. 95.
lib. 3. Thesaur.
trac. 3. c 1.

cap 8.

17. con. c 6.
fol. 360. col 2.

6. collec. 18.
1. Pract. 26.
10. ad Alman.

aphor 22.
epist. lib 5.
epist. 3.

com. 5.

Aetium, Paulum, atque alios: vomitiuorum, & medicaminum, & clysteriorum, & alexipharmachorum meminerunt: sectionis venæ nemo tam stultus fuit vt rationem haberet, aut de illa dubitauerit. Hæc igitur febris, aut si sine febre morbus sit, venenum in causa est: non igitur sectio venæ conuenit. Experimentum etiam docet, quòd in venenis ebibitis sectio venæ præsentaneam affert mortem. Ratio idem ostendit: quod enim in concauis corporis partibus cum detrimento est, in venas attractum, morbum facit immedicabilem. Vnde fermè pari ratione in pestilenti morbo venæ sectio vitanda est. At dicent. Non par ratio: nam in venenis assumptis febris non adest, nec in ipsis venis venenum, quorum vtrumque continet febris pestilens: alterum autem morbus solus. Ad hoc autem facere videtur Pauli dictum, lib. 5. cap. 2. Cum autem ex morsu venenum in corpore sparsum fuerit, præcipuè si homo plenitudinem patiatur, sanguis ex vena mittendus est: in aliis autem, ab initio statim vulneris, cucurbitula loco applicanda, aut membrum abscindendum, vel locus sungedus. In eadem sententia est Princeps sexta quarti tract. 3. capit. 1. Sed Aetius sapientius etiam in ictibus, ac venenosorum morsibus, à venæ sectione cauet. Et quamuis Haliabbas in cura horum secet venam maximè pleno existente corpore, non tamen ipse hoc facit in morsu canis rabidi, vt neque Paulus etiam: verùm Auicenna adeò in hoc stupidus est, vt etiam his nullo authore sanguinem mittere audeat nam Rasis qui ante eum fuit, nec in assumptis venenis, nec in morsu eorum quæ venenum habent, sectione venæ vtitur. Quamobrem illud forsan dubium esse potest, an in venenis quæ non amplius agunt vt venena, sed corrupto sanguine interficiunt, sectio venæ competat? Quo in casu Paulus & Haliabbas sanguinem mittunt, nec tamen à Rasi vel Aetio discordant: qui curam veneni docent, non morbi venenum insequentis. At in venenis, quæ perpetuo multiplicantur, & per se, ac sponte augentur donec interficiant, vel finiantur (qualia sunt, quæ in pestilentia, vel morsis à cane rabido apparent) nemo vnquam sanus mente venam secabit: namque virtutem finiet, & morbum aut causam nunquam: quippe cuius vel minimum vestigium relictam, totam humorum compagem corrumpere queat. At aliquod vestigium relinqui est necessarium, nisi totus sanguis detrahatur. Quælibet enim mixti pars mixta est. Solus igitur (vt dictum nnper est) Auicenna sine duce, sine ratione, sine experimento, hanc curandi rationem tradere posteris ausus est: existimans generalem rationem, quam etiam non percepit, Paulum secutus, in his tenere venenis, quæ sub ea minimè continentur: idest, quæ nullo modo finiuntur antequam pellantur è corpore, vel occidant. Tria igitur antequam cùm sint venenorum genera assumpta, & ictibus parta, quæ non finiuntur, ac rursus quæ finiuntur, in solo tertio sectio venæ competit, cùm amplius venenum non est, at pestilens morbus in primo, vel secundo genere quasi est, quoniam modò in concauo, modò in venis, nunquam desiderans venæ sectionem. Cùm verò ex tertio genere fuerit, iam exitialis qualitas ad finem perducta, tunc iam non est pestilens morbus amplius, sed ex alio quodam genere: de quo non est præsens disputatio. Alia ratio sic habetur: morbi pestilentes hi sunt in quibus natura materiæ non perfectè dominatur: aliter enim pestilentes esse non possunt. Atque in his, vt rectè Galenus 5. de Crisi cap. 11 inquit, per abscessus natura crisim molitur: nam finiri aliter nequeunt: in his igitur sectio venæ prohibet naturæ impetum. Nam quæcunque ad interna feruntur venæ sectio ad cutim trahit: ac quæcunque ad cutim, intus reuocat quoniam venæ magnæ mediæ sunt inter venas paruas ad cutim, ac etiam intra ad viscera tendentes. Quamobrem periclitamur in Aphorismo: Vndecumque natura repit, inde ducere per conuenientes regiones Dicet fortassis quispiam, Galenum eo in loco sentire, non à naturæ victoria, sed à morbi qualitate abscessum moliri: inquit enim ille: In acutis ac calidis morbis abscessum expectare non oportet: sed in frigidis ac diuturnis. Morbi autem pestilentes acuti sunt, & etiam calidi. Sed hoc omnino nihil est: omnes enim fatentur iam, & in confesso est, vt dici solet in pestilentibus morbis abscessus fieri. Ea igitur ratione natura abscessum molitur, quod perfectè dominari nequeat: atque ideo in diuturnis morbis, & materia crassa existente, eadem ratione, quia nō concoquit materiam in morbo pestilenti, abscessum generari necesse est. Impossibile est enim perfectam crisim fieri absque concoctione: perfecta crisis autem est ex genere illarum, quæ materiam extra protrudunt. Ideo eadem ratio in vtrisque, & in longis morbis, pestilentibus militat. Alius dicet, ab initio sectionem venæ factam hoc non prohibere: nam & in his quæ per sudorem terminantur morbis nunquam conueniret: attamen conuenit: ratio enim principij alia est à ratione temporis, in quo morbus solet iudicari, hoc autem est consistentiæ, aut etiam finis augumenti. Respondeo igitur, in morbis pestilentibus crisim quæ fieri solet celerem esse: ab initio autem naturam ad cutim propulsare materiam: motu quidem tunc initium habente, sed finem non assequitur adeò celeriter: quia natura non concoquit vt in aliis morbis, sed continuò conatur vt rem noxiam expellere: quare necessarium est vt sectio venæ sit contraria motui naturæ: modo illo quo, si hora sudoris in morbo qui coctionem admittit, fieret. At in morbo qui non est pestilens, proculdubio ab initio materia quiescit, & ob id venæ sectio nec noxia est, nec materiam auertit. Esset etiam mirum, quòd Galenus in nullo loco de sectione venæ in hoc morbo fecerit mētionem, cùm tamen in lib. 9. de Simplicibus medicamentis c. de terra Samia dixerit: Eos qui non liberantur luto, quod vocamus Armenum, in irritum tentare, cætera auxilia. Inquit autem, quotquot celeriter, vt per initia intelligamus, non igitur sectionis venæ in his, sed Alexipharmaci tantum meminit. At hoc vt generale,

lib. 5. cap. 29. — *lib. 13. c. 10.* — *4 pra. cap. 17. cap. 31.* — *lib 5. c. 3. sexta quarti trac 4 c ap 9. 8. ad Alman. cap. 1. & 20. com. cap. 2.* — *1. Aphor. 21.*

generale præsidiũ supponebat? imò eandem patitur, quam apud illum Erasistratus, ipse ab aliis reprehensionem, cùm inquit: Neque enim ille, in libello de venæ sectione aduersus Erasistratios, fol. 2. cùm alia quæuis enarraret, auxilium sectionis venæ, tanquam rem parui momenti, prætermisisset. Turpe enim eadem ratione fuerit, cùm non omnes sectione venæ curarentur, terræ samiæ meminisse, tanquam vnici præsidij, cùm neminem alio auxilio seruatum scripserit: septionem verò venæ vt inutilem prætermisisse. At rursus obiicies, Anaxioni vni ex laborantibus pestilenti constitutione venam secuit Hippocrates, & seruatus est. Respondeo: Ex sexdecim soli illi ægro venam secuit Hippocrates: quanquàm & alij seruati sint ex his, pauci licet. At hunc phlegmon potius lateris, quàm pestilens morbus, vexauit. Cùm verò phlegmon lateris & pestilens morbus iunguntur? aut etiam alterius visceris, tunc quid agendum sit in libro De peste docuimus. Accedit vltimo quòd nauseantem non minues? tales autem sunt qui peste laborant. Illud etiam quamuis πάρεργα adiecisse conueniet, Rasis autoritate candidam nebulam inter pleiadas pestilentiam portendere. Dictum igitur Principis ad præseruationem institutum ab aliis, curationi non conuenit.

3. Epid sec. 3. tex. com. 80.

quarta primi cap. 10. lib. Diuisionũ Rasis, c. 158.



TRACTATVS QVINTVS.

CONTRADICT. I.

Dolor an à mala temperie, an à solutione continui, an ab vtroque.



DOLOR secundum quamcunque corporis partem continui solutionem, aut subitam mutationẽ ostendit, inquit Galenus in secundo Artis medicæ, cap. 74. & 2. de Locis, cap. 5. c. 3. c. 7. tum alibi etiam sæpius. Vnde etiam in lib. de Inæquali intemperie, Dum permutatur & corrumpitur natura, dolores fiunt: permutatur verò atque corrumpitur, cùm frigescit, aut calescit, humectatur, aut siccatur aut vnitatis integritas soluitur. Et rursus in duodecimo Artis curatiuæ: Dolor omnis vel à continui solutione fit, vel à mutatione in primis, qualitatibus: sed non omnis mutatio in primis qualitatibus dolorem procreare potest: neque enim quæ sensim irrepit, sed solum quæ affatim atque simul. Idem etiam in secundo Regiminis acutorum, dum de lateris dolore agit: & hoc idem fatetur Auicenna dicens; Quod dolor est sensus rei contrariæ & quòd fit duabus ex causis, qualitate contraria, & continui solutione: idem repetit, & non semel. Quinimo rationes adducit non paucas in priore autoritate, quarum ferme hæc est sententia: Dolor aliquis est æqualis in aliqua parte, sed continui solutio necessariò inæqualis est, aliter membrum non esset vllo modo, si quælibet pars soluti esset diuisa: igitur dolor fit præter continui diuisionem. Secundò: In dolore à causa frigida, idem est quod dolet, & quod est perfrigeratum: sed solutio continui est in parte non perfrigerata, igitur doloris causa non est solutio continui, apparet enim quòd frigus condensat partes, & non diuellit eas. Vltima ratio est? Omnis dolor est, cùm fit sensus subitus contrariæ rei, sed mala qualitas est obiectum sensus tactus per se, & per se contraria naturali dispositioni, quia temperaturæ: igitur mala qualitas cùm sentitur, dolorem facit per se, & non medio solutionis continui: quare doloris causæ primæ sunt mala qualitas, & vnitatis solutio. Manifestum est autem, quòd ante nos (vt nec pleraque alia) nemo has tres rationes intellexit Auicennæ. Sed Conciliator tres putat esse, ac leues: Gentilis duas, ac quæ solui non difficulter possint. Igitur Auicenna in suo secundo de Anima declarat tertiæ rationis primam propositionem, quòd sensus fit cum immutatione quadam, dolor autem cum subita; nam calor hectici cùm sit tantus, quod dolorem facere deberet, non facit sensum, quia non immutat. Quòd igitur per se immutat, & dolorem facit per se, si subitò. Sed in oppositum est Galeni sententia his verbis: Delectatio ac tristitia omnibus sensibus, sed non ex æquo, communia sunt: nam tactus primò magis afficitur, inde gustus, pòst olfactus, inde auditus, omnium minimè visus. Contristantur enim omnes sensus à sensatis suis cùm diuelluntur: velut videndi, ab albo luminosòque audiendi ab acutis sonis, ac sic de omnibus, cùm instrumentum diuellitur aliquo modo. Huic respondet Auicenna, quòd & si hoc verum esset, quamuis alterius sit hæc disputatio contemplationis, ad medicum tamen spectat credere, quòd non solùm à solutione continui, sed etiam à mala temperatura dolor proficiscatur: nam ei si quandoque auxilia exhibuerimus non aliter succurrimus, quàm in vulneribus adhibita futura, & his quæ partes diuisas vnire queunt. Est & alia ratio pro Galeno; nam omnis causa per se est etiam de omni; sed non omnis qualitas facit dolorem: nam non humida, nec remissa; igitur qualitas non potest esse principium, & per se doloris causa: non igitur est qualitas doloris causa, nisi cùm in tantum augetur, quòd soluat continuum. Rursus, Omnia quæ sunt causæ vnius: & non sunt ex eodem genere, ordinem habent inter se: velut si ignis ex concussione, & à sole, & ab igne generatur non nisi generatur, quia calor

com. 1. secunda primi doc. 3. cap. 19.

prima tertij. trac. 2. c. 1. & in 2. de Anima, c. 3.

Differ. 76. in expositione.

1. de Sympto. causis, cap. 6.

calor communis est omnibus à quo ignis fit: sed calor est eiusdem rationis: ergo si dolor fit à solutione continui,& à qualitate contraria, non fit nisi quia vnum est alterius causa, vel ambo vnum efficere possunt, quod sit causa doloris:at nulla est proximior dolori, quàm altera harum: igitur ex his vna est alterius causa. Sed Auerroës aliter sentit: si quidem quòd sola mala qualitas doloris causa sit. Adducit autem rationes has: Solutio continui est,cùm malo motu,igitur cum mala qualitate:igitur dignius est vt cùm dolor fiat à solutione continui, fiat ab ea, vt iungitur malæ qualitati tantum, & non per se. Alia est delectatio, & dolor, & obiectum sensus sunt eiusdem generis,id est,in eodem genere rei: sed delectatio est in genere calidi,frigidi, & reliquarum qualitatum, quia non fit nisi per earum commensurationem, igitur & dolor. Addunt alij tertiam rationem, ab eo tantum sumptam: Effectus existentis consimilis est causa: at solutio continui quædam est priuatio, igitur non poterit esse causa doloris. Sed hæc nihil valet: nam eadem ratione multò minus causa esse potest qualitatis eius per quam dolor fit: nisi dicamus, quòd causa solutionis continui, & est malus motus, est causa malæ qualitatis.

3. Collect. c. 31.

Pro solutione videndum est, quid primò senserit Galenus: nam Auicenna illi imponit & Auerroës, quòd solam vnitatis solutionem causam esse dixerit: inquit enim & ipse in libro de inæquali intemperie. Ex his ergo fortassis nec illud durius videbitur, quod inquit Hippocrates, omnem morbum vlcus esse. Quippe vlcus vnitatis diuisio est: immodicus autem calor ac frigus proximè accedunt vt vnitatem soluant:Plurimus quidem calor, dum incidit ac segregat substantiæ continuitatem:summum verò frigus,tum stipãdo,tum introrsus trudendo etiam,quædam exprimit, quædam etiam quassat, ergo haud obscurum est, qualitates iuxta Galeni sententiam dolorem non inferre, nisi ob solutionem continuitatis. Haliabbas & ipse hoc Galeno tribuit, vt non qualitas doloris sit causa, nisi vt etiam solutionis continui. Auenzoar mediam quandam visus est tenere viam: dicens,quòd dolor est sensus quidam contrariæ qualitatis, qui cùm perseuerat, solutionem etiam continui affert. Sic igitur primas qualitates semper causas facit doloris cum Auerroë: & illi solutionem continui semper adiungit,iuxta Galeni sententiam:& vtranque adesse confitetur,licet non ex æquo iuxta Auicennæ placita. Rasis autem existimauit quòd Galenus tam malam qualitatem, quàm etiam continui separationem doloris causam dixerit, maximè ob autoritatem à nobis ex libro de Simplicibus medicamentis cap. 2. adductam. Sed tamen si quis, quæ ille adduxit in quarto libro, diligenter expendat,facilè intelliget, Galenum dum seriò rem hanc tractat, sibi prorsus constare: solamque continui separationem doloris causam constituere. Rabi Moyses putat Galenum mutasse opinionem, censuisseque prius, solam separationem esse causam doloris,pòst verò etiam malam qualitatem:quod non excusare est Galenum, sed grauius accusare: tum quòd primò errauerit, tum quod non pœnituerit erroris, sed velut obliuiosus contrarias sententias de eodem reliquerit posteris. Vnum sanè est quod non parum me torquet, quòd si mala qualitas vt continuum diuidit dolorem facit,cur non docuit quamobrem sola repentina mutatio cùm dolorem faciat, etiam solum diuidat continuum?ratio enim & experimentum docent,quòd cõtinuum etiam à mala qualitate sensim inducta diuiditur: nam in hecticis pulmo ob vehementem frangitur siccitatem, vnde ex hectica fit etiam transitus in tabem. Quidam imaginantur, quòd solutio continui sit causa doloris prima, iuxta Galeni mentem, non tamen sensus. Sed nos declarauimus, dolorem esse modum sentiendi, non autem quod sentitur: quare deerit proprium sensibile. Alij quòd sit causa doloris & sensus absque mala intemperiè, hi coguntur ponere solutionem continui, & vnitatem, esse proprium sensibile sensus tactus: quia communia sensibilia, vt motus, non possunt sentiri absque proprijs, iuxta Auerrois sententiam.Sed hæc est contra Galenum,quia sic non posset dolor esse in quinque sensibus, aut quinque sensus haberent vnũ proprium obiectũ omnibus commune: & sic non esset amplius proprium.Propterea dico,quòd semper cum solutione cõtinui est mala qualitas coniuncta, quæ est obiectum sensus:& solutio continui est causa modi sentiendi, id est doloris: & ideo est sensibile quoddam commune, non proprium: velut motus est causa imperfectè sentiendi, & non est proprium tamen obiectũ alicuius sensus Igitur opinio Galeni stat, quod semper dum dolor est,mala qualitas est, & solutio continui & mala qualitas, qualiscunque sit, est obiectum sensus & continui solutio causa modi sentiendi, & hoc sensibile commune est quandoque causa proprij sensibilis: sed tunc non iam est sensibile commune, vt in vulnere, sed causa, donec produxerit primum sensibile:cùm autem est effectus eius, fit sensibile commune quoniam proprium iam præcessit. Galenus igitur posuit veram causam doloris, idest proximam, & est solutio continui: quia est adæquata: quia tamen in sensu tactus impossibile est vnum esse sine altero stante dolore, & vicissim alterius alterum causa est, ideoque alterum quasi altero modo proximius,modo remotius:ideo separationem continui & etiam primas qualitates primum obiectum seu causam doloris in sensu tactus ex æquo quasi statuit, non autem in aliis sensibus, sed in omnibus proprium obiectum sentitur, solutio continui est causa modi sentiendi. Ad Auicennæ rationes dicimus, quod non necessarium est solutionem continui esse æqualem ad hoc vt sit dolor æqualis, cùm videamus etiam in vulneribus inæqualibus æqualem tamen dolorem: & causa est, quia primum sensibile est æquale:non enim,vt dixi, causa modi sentiendi sentitur eo modo quo proprium obiectum. Ad aliud dico, quod ex compressione etiam, non solum diuulsione in frigore fit dolor:secundo de locis. Ad vltimam non fit, quia subitus sit motus,sed quia cum

cap. 6.
6. Theorica cap. 16.
1. Theorica tract. 9. c. 19.
25. con. c. 6. fol 510. col 3.
25. Apho. par. aphor. 17.
Lib. 1. tract. 5. con 17.
cap. 5.

cum eo fit separatio continui: non enim in repentina immutatione ad contrariam qualitatem, sed vehementem tantum fit dolor semper. Assumpta igitur propositio falsa est. Docuit autem Galenus esse necessariam hanc repentinam immutationem, ad vellicandum partes. Sed cur sola repentina hoc facit? non equidem: sed & quæ sensim fit, soluit continuum: sed tamen dolorem non facit, quia ex diutina mora circumiacentes partes sensu priuantur ex toto, aut similes illi fiunt, quare non est quod sentiat: omnis enim sensus, vt rectè inquit ipse Galenus, cum aliqua fit mutatione. Ad Auerrois argumenta primum concluderet, vbi eodem modo causæ essent: præsupponit enim hoc, quòd dolor sit sensus quidam, sed est modus sentiendi: cuius causam par est aliam esse à causa ipsius sensus. Ad aliud: Falsum est assumptum: modi enim rerum non sunt in eodem genere cum rebus ipsis. Ad aliud: Dictum est, quod causa soluens continuum motu vehementi, malam excitat qualitatem, quæ proprium est obiectum sensus tactus: vnde fit, vt multi vulnerati nesciant se vulneratos, quoniam nedum refrigerati contraxerunt qualitatem, quæ est sensus proprium obiectum, qua sine non contingit habere sensum, quare nec sentiendi modum. At non contingit vehementem calorem non sentire, aut sine dolore sentire, quoniam est coniuncta causa modi sensus sensibili proprio. Ex quo patet, non solùm Galenum sibi ipsi esse concordem, sed Auicennæ & Auerrois opiniones aliquid continere veritatis. Ergo quamquam non sit in dolore mala qualitas absque continui solutione, nec solutio continui absque mala qualitate, tamen valet mala qualitas intensa, igitur dolor magnus: quia sequitur, igitur magna solutio continui: sed solutio continui potest esse magna quando sensim fit, & mala qualitas remissa. Et ideo qui torquentur, sentiunt solutionem continui, & nō percipiunt malam qualitatē quamvis tamen sentiant, adeo remissa est qualitas & paruus sensus. Et quòd solutio continui producat malam qualitatem patet, quia ex collisione leui quorundam lapidum fit ignis, & ex confricatione lignorum hederæ & lauri absque collisione similiter: & pueri cùm loro ceduntur sentiunt manifestam caliditatem, & postquam vapulauerunt quasi sit ignis. Omnis igitur exigua qualitas sufficit cum magna solutione continui ad dolorem magnum inferendum: sicut stat, velocissimum esse motum cum remota paruissima: nec tamen sequitur, igitur motus sine re quæ moueatur, esse potest. Sed dentes patiuntur solutionem continui, & sentiunt, vt Philosophus in Problematibus par. 34. probl. 2. & 3. declarat, & nos ostendimus in priore libro, & tamen franguntur sine dolore, & etiam teruntur lima. Hoc argumētum mouet Iacobus in suis quæsitis artis medicæ tract. 5. contr. 16. & propter autoritatem Galeni quæstione 59. 2. libri, quòd dentes sentiant in substantia & non per neruum, adductam à nobis, non leue nobis negotium exhibet. Dico tamen, quòd dens si sentit dolorem vehementem in substantia, quòd ibi etiam terebratus idem faciet: sed in superiore parte impossibile est vt hoc accidat: sed videtur accidere ob hoc, quòd caliditas & frigiditas penetrant ad radicem eius, & ibi faciunt solutionem continui, & ideo dolorem magnum, vt quilibet potest experiri, non in summitate. Solutio verò continui non facit magnum dolorem in summitate, quia ibi dēs parum sentit: nec in radice, quia mala qualitas non potest descendere ad eam, cùm sit modica: igitur ex atritione dentis in summitate fit leuissimus dolor. Sed cur dentes à frigidis magis torquentur, cùm solutio continui magis fiat à calido? Respondeo: Frigidus dens magis comprimitur, densus enim est rara à calidis separantur, vexantur tamen & ipsi calidioribus. Quicunque autem dixerunt vehementes dolores solùm fieri necessario à solutione continui remissos qualitate, Galeno contradicunt.

CONTRADICT. II.

Siccitas, & mala qualitas humida, an faciant dolorem.

Calidam & frigidam intemperiem capitis vehementissimi dolores consequuntur, siccam moderati, humidam omnino nulli: secundo de Compositione medicamentorum secundum locos. Quod dictum Princeps accepit hac verborum serie: Calidum & frigidum secundum essentiam dolores pariunt: siccum per accidens: humida autem temperies nullo modo dolorem facit. Et in tertio: Temperatura humida, vt temperatura humida est, dolorem non facit: imo nec calida & humida, nec frigida & humida faciunt dolorem, nisi vt sunt calidæ vel frigidæ: nam vt humidæ sunt, dolorem nullum faciunt. Non sic autem calida & sicca, vel frigida & sicca: vtrisque enim qualitatibus faciunt dolorem. Sed dolor qui fit à sicca, vt sicca est, vt sciuisti, paruus est, ac leuis. Et antea humida temperies dolorem non facit, nisi sit cum materia quæ motu suo continuitatem soluat. Et ego etiam legam vel multitudine, vt codices antiqui multi, nam pro mota multam legebant. Auerroës quoque, dum enumerat doloris causas, inquit: Et dolor est malus sensus, qui fit à temperatura mala calida vel frigida, materiali, id est cum materia, aut sine ea. Ex quo videtur velle, quòd ab humida nullus fiat dolor. Verum ista non est eius sententia, cùm sic non enumeret siccam temperaturam, quæ tamen facit dolorem, vt visum est ex Galeni & Auicennæ dictis. Præter hæc subiungit: Et quælibet qualitatum passiuarum potest esse causa huius accidentis: quamuis quælibet istarum qualitatum, sit potius nata pati, quā agere. Vnde clarum est, quòd ab humido potest fieri dolor: & non videtur Iacobus bene intellexisse Auerroëm in illa autoritate, cum dixit. Et temperatura humida vel sicca dolorem non efficit, nisi paruum: humida autem cùm sola fuerit, solam efficit grauitatem;

cap. 1.

secunda primi doc secunda, summa 2. cap. 19.

fen 1. tract. 2. cap. 2.

cap. 1. eiusdē.

3. collect. c. 31.

Quæstione 60. 2. artis medica.

4. collect. c. 46.

uitatem : nam dolor grauans est dolor & ipse vt ostendi : sed tamen leuis. Mesue verò existimat, quòd humidum non excedat gradum secundum, & ob id quòd dolorem nequeat efficere. Concordat igitur in re ipsa, non autem in causa. Haliabbas autem assignans causas doloris inquit, vel à caliditate, vel frigiditate, aut aliqua materia : quare non solum humidum, sed & siccum explodit. Galenus etiam in Arte medica inquit, Dolores fiunt vel ob continui solutionem, vel ob permutationem: permutatur autem membrum à calida, frigida, humida, & sicca qualitate. At in Methodo medendi cùm ter repetat doloris causas, & medelam etiam afferat : nec, quod mirum est, humidæ, nec siccæ qualitatis mentionem facit. quam sententiam accepit autor libri de Oculis ad vnguem. Sed tamen libro de Inæquali temperie mala, in sententiam libri Artis medicæ descendit, dicens, quòd dolor ab omni mala temperie fieri solet: hoc etiam exemplo docens : nam qui fame torquentur, humidam patiuntur & frigidam intemperiem : qui siti, calidam, atque siccam. Longus nimis, ac inexhaustus labor esset, si vellem omnia loca, in quibus de causis doloris Galenus agit, ac sibi contradicere videtur, recitare. Sed sit modus rebus, quanto magis verbis. Aëtius videtur quandoque secutus sententiam Galeni in methodo, vbi de doloribus ac eius speciebus tũ illius causis satis diffusè agit: inquit enim, Dolores à continui solutione, vel à calore, aut frigore nimio fiunt. Alibi autem inquit: Vehementissimi quidem dolores fiunt à caliditate & frigiditate, à siccitate moderati: ab humida autem qualitate nulli. Quod dictum à Paulo: qui, vt dixi, à Galeno sumpsit. Sic etiam Alexander Trallianus dum libro primo varias doloris capitis causas connumerat dixit. Respondeo igitur, Quòd causæ doloris, qui curam ad se trahat, sunt tantum ex qualitatibus caliditas & frigiditas : causæ autem doloris omnes, cùm dolorem etiam leuem intelligimus, sunt caliditas, frigiditas, & humida mala qualitas : & sic intellexit in secundo de compositione medicamentorum secundum locos : sic Aëtius cum Paulo. Sed humida qualitas & ipsa cùm superabundat in via Galeni, non vt qualitas dolorem facit, sed vt soluit continuum : cùm enim aliud non sit qualitas & quale apud ipsum, humido aucto soluitur continuum : quia materia augetur. Sed non videtur hæc solutio stare, cum in libris artis medicæ & de inæquali intemperie, illico adiungat continui solutionem : quare mala qualitas humida sub continui solutione comprehenditur. Melius igitur dicendum, humidam qualitatem dolorem ex se posse procreare, licet leuiorem quàm etiam sicca: sed nunquam contingit, vt rectè dixerat Mesue, adeò augeri, vt dolorem procreet. Igitur tribus modis Galenus locutus est : Vel de causa doloris ad se curam trahentis, vt in libro Artis curatiuæ : & in primo de Humoribus, velut recitat Rabbi Moyses. Vel de causa cuiuscunque, & sic sub ea etiam qualitas sicca, non tamen humida continetur. Aut de causa quæ ex se posset generare dolorem, non tamen vnquam augetur, adeò vt illum possit efficere, & sic humida qualitas sui natura & ipsa dolorem procreare potest. Contingere autem hoc, declarat Aëtij sententia, qui Voluulum tantum à frigiditate fieri posse scripsit: non quòd caliditas etiam illum, si adueniret, non posset & longè validiorem procreare, quàm frigiditas: sed quòd in collo ob secum frigiditatem nunquam contingat adeo valida intemperies calida. Et ideo cùm dixit Galenus, Quòd dolor fit, cũ subita fit permutatio fit autẽ illa quãdoq; ad calidum, frigidũ, siccum, & humidum, intellexit causas doloris per se, non autem quæ illum efficere possunt : nam deest in humida qualitate semper excessus. Conciliator aliam solutionem affert, vt existimat ex Galeni verbis sumptam primo de Symptomatum clausis : dicente: Siccum autem & humidum, nisi calido, aut frigido copulentur, dolorem non afferunt. Igitur videntur qualitates passiuæ non per se afferre dolorem, sed cum actiuis iunctæ augere illum : velut cùm humida compressioni frigoris fauet recipiendo, & dilacerationi caloris: sic & sicca maiorẽ efficiens penetrationem. Sed si sic esset, non dixisset Galenus, siccam moderatam humidam temperiem omnino nullam efficere : nam si de copulata loquitur, humida qualitas etiam efficit, si de sola nec sicca iuxta illius sententiam. Quare dicendum, Galenum in primo de Causis symptomatum (quod planè docent illius verba) loqui de causis ibi tantum exterioribus, non autem insitis membro. Quod si liceat ab his discedere, dicemus, passiuas nunquam per se grauem efficere dolorem, atque hoc ibi sentire Galenum : per se tamen siccitatem leuissimum, humidam qualitatem nullum efficere solere : natura tamen etiam ipsam hoc posse si augeatur. Accedit aliud concordiæ genus: nam Galenus vult quod ad dolorem concurrat subita mutatio : At humectare non licet nisi longo tempore, vt Methodi septimo, & quarta primi.

At dices, Adhuc manet non leuis discordia inter Principem & Galenum : nam hic Galenus vult quòd humida temperies calori vel frigori iuncta vehementes possit dolores excitare : sed Princeps iam, vt diximus, hoc de siccitate fatetur: de humida qualitate omnino negat, etiam in paruo dolore. Sed Princeps intellexit, quod ipsa humida qualitas dolorem inferat, non tamen negaret quin corpus calori aut frigori magis subiiciat: atque sic non ex se dolorem auget. Verùm hæc Auicennæ sententia obliterat Conciliatoris, quam oppugnauimus, concordiam.

Superest vt Auerrois sententiam videamus: ipse parum, vt dixi, differt à Galeno: nam tres ordines facit : primus est earum qualitatum, quæ dolorem vehementem efficiunt, & hæ sunt caliditas & frigiditas. Secundus est earum, quæ faciunt dolorem, & in hoc ordine comprehenduntur omnes. Tertius est earum, quæ dolorem efficiunt propriè dictum : & sic humida qualitas facit improprium dolorem, id est, grauitatem. In duobus primis concordat cum Galeno ad vnguem : sed in tertio differt, quia Galenus vult

6.theor.c.16.
lib.1.trac.77.
lib.11.cap.7.
par.6.cap.3.
cap.3.
lib.5 cap.100.
lib.6.cap.40.
lib.3.cap.4.
cap.16.
lib cui titul. est, an qualitates sint in cer.
7.Aphorism. eiusd.11.
lib.9.c.18.
1.regim acu.
Differenti 76. cap 6.in prin.
1 de Sympto. causis c.6. cap.5. cap.1.

vult,quod non possit augeri,adeo vt sola vel coniuncta faciat dolorem, nisi vt dixi præparando membrum vt magis suscipiat calidum vel frigidum. Nam de grauitate constat, quòd est genus doloris propriè sexto Epidemiorum, & in secundo de Locis, quamquam neget eum venis accidere, vel arteriis. Est etiam ratio ad hoc:nam grauitas & leuitas sunt sensibilia propria: sed vbi sensibile, ibi etiam modus sentiendi: quare dabitur dolor grauis,leuitas autem deliciam parit. Sed hoc argumentum videtur etiam ostendere,quòd qualitas humida facit dolorem: quia cum sit proprium obiectum tactus, habet etiam modum sentiendi secum deliciam in temperantia, & dolorē in intemperantia. Nec obstat, quòd leuitas non faciat dolorem,eo quòd leuitas non per se propriè, sed quasi per accidens sentitur, sicut etiam sanitas. At non sic de humido, per se enim, & proprie sentitur. Sed responsio clara est ex dictis: non enim tantum augetur, vt dolorem possit inferre, quod facilè in quinto de Simplicibus medicamentis cap. vlt. colligitur: neque enim ibi humidorum, quæ ad gradum excellentem perueniant, vllam facit mentionem: docetque in primo vel secundo ordine etiam calefacientium vel infrigidantium, nedum humectantium, nihil prorsus esse, quod molestiam afferat. Sed dices, Aqua, vel aër saltem, in vltimo sunt humida: elementa enim vel vnam saltem in sommo obtinent qualitatem. Respondeo: Aërem hunc, qui nos ambit, non esse purum, imò nec puritati proximum: ex assuetudine etiam nimia nos immutare non posse: cùm in eo nascamur,viuamus, ipsum denique respiremus, eam igitur sententiam quæ ad artem attinet medendi magis, vt scilicet calidum tantum, aut frigidum doloris causas statuamus, ipsi qui exercitationem tradiderunt sequuti sunt, vt Alexander Rasis, & ideo subiungebat ipse: A siccitate non fit dolor, nisi leuis: ab humida qualitate nullus omnino, sed cùm superabundauerit,fiet sola grauitas: & est sententia,vt patet, Auerrois ad vnguem. Sed & Auerroës ob hoc cum Galeno magis concors est, quia & ipse existimat, non esse sine corpore qualitatem: ob quam causam Auicenna ab vtrisque multum dissentit: ipse enim vult, quòd nullo modo, etiam iuncta aliis actiuis,vt caliditati,vel frigiditati, augeat dolorem. Differt solum in hoc, quòd etiam si excedat, non vult vt dolorem excitet. Sed possumus conciliare nolentem, dicentes, quòd loquatur de eo quod fit, non quod fieri posset. Vel etiam, quòd ipse non vult hoc posse contingere vt tantum excedat. Sed sententia tamen eius est,quòd quantumcunque aucta,nullum nec per se, nec alteri iuncta qualitati, possit creare dolorem,per accidens tamen, iuxta etiam aliorum sententiam, potest. Et sic cum Galeno & Auerroë concors est. Philosophus autem dicet absolutè, quòd dolor etiam ab humido fit. Galenus in Arte medica lib.c.3. vt Philosophus agit diuisionis via. Fuchsius non videtur in sua medendi methodo Galenum secutus, cùm grauitatem à qualitate in humorem referat: nam & frigidus omnis humor grauis est:sed de sola qualitate Arabes intelligunt. Nec, vt dixi, propriè iuncta humida, qualitas plus facit dolorem, quam per se sola.

[Margin: Lib.2.com.6. cap.7.]

[Margin: Lib.1.c.16. lib.Diuis.c.3.]

CONTRADICT. III.

In pestilenti febre an purgatio ab initio conueniat.

Summa curationis pestilentis febris est exiccatio: & illa fiat cum purgatione à qua incipere debemus,inquit Auicenna Idem etiam Auenzoar, datq; fimum columbinum, cum agarico & aloë. Aëtius quoque inquit, Bona est etiam per vrinas purgatio, & quæcunque aliæ,quæ verba suscepit à Paulo Ægineta, qui pilulas etiam ponit ex aloës, & ammoniaci partibus duabus, Myrrhæ vna, quas vulgus medicorum mutata lachryma ammoniaci in crocum, sequuti Auerrois errorem tum etiam turbatis ponderibus vitiarunt. Sed in oppositum est sententia Rasis, qui de huius cura tractans in duobus locis, nusquam purgationis alicuius meminit. Sed reprimentia qualitatem prauam, tam occultam, quàm manifestam recurrit. Galenus etiam in octauo de Simplicibus medicamentis inquit: Illos qui Samij luti potu nequiuerunt sanari, omnes mortuos fuisse.Quo sanè constat,eos pugnationibus non iuuari. Dictum etiam Principis pro nobis facit,quia nec ibi explicat cum quibus purgandum sit: nec pòst in toto capite meminit purgationis. Summam verò curationis in regimine victus,in euocatione caloris ad exteriora, in aëris permutatione, & in resistentibus veneno collocat. Quin etiam in tertio Epidemiorum hæc habet, de pestilenti loquens morbo in generali, Hippocrates cap. de Terra Samia: Nam purgationes multos offendebant: quorum qui sic habebant, multi subito peribant:aliis autem multis malum producebatur:vnoque verbo longis,vel acutis etiam morbis detenti, ventris vitio omnes præcipuè sunt exanimati: cunctos enim venter sustulit. Sed & antea descripserat tres ægros vltimos secundi segmenti,qui omnes cùm perierint,aluum solutam dixit eos habere, cumque expediret turgente ibi materia (si modò vnquam) illos purgare, non purgauit.Galenus etiam, cum dixisset Hippocrates, Nec erat remedio locus: exposuit per Remedium sectionem venæ:purgationis autem minimè meminit.Sed neq; in narratione sexdecim ægrorum tertij lib. nec quatuordecim primi, quod illorum quēquā purgauerit adiecit.Nec omissum negligentia, aut arte quadam,cum in primo & tertio vtrinque clysteris meminerit:nec præteriit in Anaxione venę sectionem,cum phlegmone interno vexaretur. Quare manifestum est, nullam nec ab Hippocrate, nec à Galeno in pestilentibus morbis rationem purgationis haberi. Quod & planè in historia eius, quæ in Dealcis horto habitabat, fecit conspicuum tertio Epidemiorum, cùm dixit:

[Margin: prima quarti trac.4 c.4. 3.Thesir tra. 3.c.1.]

[Margin: lib 5.c.95.]

[Margin: lib.1.c.36.]

[Margin: 6.Col.c.18.]

[Margin: 10 ad Alman. 16 & lib diuisionum 158.]

[Margin: Sec.3. tex. co.57.& 58.]

[Margin: tex. com. 7.8. & 9.]

[Margin: sec.2. 3.Epid com 6. fee 3.c 18.]

[Margin: Sec.3 75. Sec 3.60. Sec 1 text. com 15.]

dixit: Aluo subiectis balanis nigra excrementa reddidit. Manifestum est enim, quòd auxiliorum meminit: quamquàm id Galenus negare videatur: & quòd hæc oratio eius est, qui consecutus fuit sanitatem, non qui obierit: & quòd si modò vlli conueniebat purgatio ob illum morbum, huic maximè, cùm antea docuisset retrimenta fuisse nigra, turbata cum vomitu & veterno: quæ omnia erant indicia & materiei furentis, & ad intestina etiam decumbentis: quo in casu maximè necessariam esse purgationem, docuimus in primo libro. Igitur hæc videtur esse Hippocratis & Galeni sententia, tum Rasis. Sed est autoritas Hippocratis dum de his agit his verbis: Quæ suppurationem abscessumque molita essent, aut si commodè aluus turbata esset, aut bonarum vrinarum extitisset excretio, bene terminabantur. Manardus etiam in suis Epistolis rationibus aduersus autoritates & experimentum agit: similem ferme adductæ inducens ex Galeno his quasi verbis: Propterea qui hoc vitio laborarunt facilè mihi sanati ob hoc videntur, quòd perpurgatum illis ac præsiccatum totum fuerit corpus. Quippe cùm nonnulli vomuerint: & omnibus etiam venter profluxerit: seu igitur arte, seu natura purgatio est salutaris. Accedit, quòd medicari in acutis si materia turget eadem die bonum est: at pestilentia morbis, materia plerunque turgens subiicitur, vt nos ostendimus in primo libro, est etiam morbus peracutus, vt dici solet: quare & in eo, & maximè, purgatio conuenit, iuxta Aphorismi adducti sententiam. Deinde dicit, cum materia ex toto genere humorum naturalium recessit, purganda est, vel etiam nobis testibus. Tales autem apparere in morbis pestilentibus, liquidò constat his verbis ex Hippocratis serie traductis in tertio Epidemiorum: Deiectiones variæ erant, nam vel nigræ paucæ & virulentæ. Et alibi rursus, Aluus turbata biliosis excrementis, paucis, meris, tenuibus, mordacibus. Manifestum est autem talem propriè humorem esse debere, qui sit purgandus ab initio. Et in eodem rursus: Aluo subiectis balanis reddidit nigra stercora. Hæc adeò sunt frequentia, vt turpe sit pauca in medium adducere. Posset etiam Hippocratis autoritatem ex tertio Epidemiorum ad se trahere: cùm dicat Galenus in commento: quomodo purgationes prodesse poterant, cù essent omnino morituri: igitur in non morituris vtiles fuissent: si ob hoc tantum oberant, quòd essent morituri. Cùm etiam debilis virtus breui futura sit, tentandum erit ab initio validiora adhibere auxilia. Sed singula diluenda sunt: quandoquidem rationibus fallacibus incumbitur, potius quàm autoritatibus quæ ex experimento processerunt. Igitur cùm adducitur ratio, quòd medicari in valde acutis eadem die bonum est: Respondeo, Veneni qualitatem obstare: intelligi verò in calidis frigidísve humoribus eam autoritatem cùm turgent: neque omnem turgentem materiam purgandam, nisi secundum qualitatem manifestam tantum turgeat. Nec etiam omnem, vt docuimus suo loco, quæ turgens est ac veneni expers.

à text. 17. ad 22. — tra. 6. cont. 15. — 3. Epid. Sec. 3. text. com. 29. — lib. 13. epist. 1. — 5. Artis cura. c. 12. — tra. 6. cót. 15. — par. 4. Aphor. 10. — Sec. 3. text. 85. — Sec. 2. text. 2. — Sec. 1. tex. 25. — Sec 3 text. 57. & 58.

Sed contrà, quia veneno sumpto purgatio conuenit: Dicebat enim Princeps, Ad venena conuenit dare agarici drachmas duas cum vino. Sed dico, quòd agaricus datur ratione proprietatis, non ratione purgandi: tum verò Aëtius nullum tale exhibet medicamentum. Sed & hoc pestilens venenum non est simplex, sed quod ipsum auget contagio: venena autem ebibita non augentur contagio. Pestilens etiam venenum, potius habet rationem eius quod morsu serpentis homini inditur. At in his non purgat Aëtius: quamuis dicat Princeps, Et ingreditur hoc capitulum sectio venæ: & purgatio. Et ideò difficile videtur tueri dictum Principis in hoc, sed satisfaciunt aliæ responsiones, etiam apud ipsum Principem: clarum est enim quòd in potu veneni præter agaricum, vt dixi, nec solutionis ventris nec medicamenti alterius meminit. Cùm verò dicitur, materiam esse in eo morbo toto genere alienam à naturali, atque ideò purgandam iuxta placita nostra. Respondeo, Materiã crudam, qualem in his morbis vbique adesse prædicat, non esse synceram, ac totam malam. Sed ob hoc cruda dicitur, quia nec separationem, nec conuersionem accepit, talis autem purgatione non debet duci. Sed dato quòd mera esset, quia veneni particeps & contagij, ideò frustra purgabitur. Ad Galeni interpretationem dico primò, quod exposuit causam veritatis dicti Hippocratis, non tamen adæquatam. Illis etiam morbis contagio non aderat, vel perexigua, Galeni iudicio, vt alias docuimus. Vbi autem non adesset contagio, forsitan de purgatione caderet aliqua dubitatio: quamuis nec vel sic. Cum etiam ibi multi essent pestilenti in constitutione morbi qui non essent pestilentes, vt etiam nostris temporibus accidit: atque in pestilentibus rursus alij coniuncti, quorum causa purgatio poterat conuenire, vt etiam de venæ diximus sectione. Cùm verò diximus multos sanatos eo morbo, Hippocratis & Galeni testimonio, spontanea purgatione: Respondeo, aliam esse rationem naturæ, aliam autem medici. In morbi consistentia per summos ardores sanguine eiecto, natura morbos finit: igitur medicus hoc facit? In morbi declinatione mouet hemorrhoidas natura: igitur & medicus? Natura expurgat empicos per vrinam: igitur medicus hoc aggredietur? per auris vlcera, per surditates, multi cerebri morbi terminum accipiunt: in cerebri igitur morbis conabimur hæc inducere? Sed ad rem magis: cùm materia sic expellitur, non sanitatis & vitæ casua est, sed signum, indicat enim venenum finem accepisse: neque materia, quæ insignem, habet veni qualitatem, in naturæ arbitrio est, ac expulsioni illius paret. Ergo multa purgatio finem ostendit veneni, non facit, si à natura fiat: ab arte autem nullum commodum cum præstet, neque etiam signum. At cum dicitur, Virtus citò ex hoc morbo exoluitur. Fateor: sed velocius inita purgatione. Auicennæ autoritas intelligi debet, vt dixi, in initio morbi, vel etiam antè: quia hæc verba sumpsit à Galeno, qui de

præserua

sexta quarti tract. 1. summa 1. cap 5. — lib. 13. c. 48. — lib. 13. c. 10. — sexta quarti tract. 4. 1.

præſeruatione intellexit: vt etiam diximus, dum ſententiam Auicennæ de venæ ſectione in peſtilenti febre declararemus. At ſi dicas, Non ſic exponendum? fruſtra conaris illum, experimento, & Græcis omnibus cogeret vt contradicat. Aëtij verba etiam in regimine præſeruatiuo intelliguntur. Pilulæ Pauli, quamquam eodem reſponſo poſſent in aliam trahi ſententiam, proprietatis cauſa debent admitti: neque enim ille agaricum, aut colloquintidam, vel ſcamonium, aut veratrum conſulit exhibere nobis velut in aliis morbis: ſed hoc vnum tantum longo vſu probatum, quod etiam omnes ſanare ait eo morbo laborantes, in his autem ſolus Aloes purgat: ſed ibi vel non purgat omnino, velut nec in vocalis pilulis alefanginis vulgò, vel adeò magna eſt compoſitionis aduerſus ſerpentis venenum vtilitas, vt purgationis leuiſſimæ noxa meritò ſit negligenda. Sed Auenzoar alterius eſt ſententiæ, quamquam & ipſe per propria procedere conetur: experimentum etiam ſuum potius poteſt in oppoſitum contorqueri, quàm quòd probet propoſitum. Si enim illos tantum ſuſcepit curandos, quid medico credendum, qui duos tantum curauit ægros eius generis in vita? ſi verò ex multis quos curandos ſuſcepit, duos tantum ſanauit, deteriore etiam conditione res agetur. Denique tanta poſſet eſſe in fimo columbi vis aduerſus eius temporis peſtem, vt agarici & aloës noxa occultaretur. Rationes autem, quæ in oppoſitum faciunt, omnes ſunt euidentiſſimæ. Nam, vt diximus, in venenis nulla conuenit purgatio, nec ebibitis, nec eiaculatis, quare nec in peſtilenti febre. Purgationes etiam vnum aut duos humores detrahunt, at vero hic morbus adeò patet, vt etiam quandoque in ipſis membris conſiſtat, vt in ſequenti oſtendemus contradictione, tum aliàs clarius: non igitur purgabitur humor qualis purgari debet. Cum etiam in omni purgatione iuxta Principis dictum melius ſit infrà ſubſiſtere, quàm exquiſitiſſimè euacuare: quicquid relinquetur, & ſi minimum ſerpente veneno, nihilominus augebitur, vnde iam afflictis viribus mors ſuccedit, omnis etiam humoris purgatio coctionem illius aliquam præſupponit aut quòd ſit turgens, multa verò non turgent: & ſi turgeant, euacuatione tamen non indigent. Quæcunque verò non turgent, ob veneni qualitatem non concoquuntur, niſi finito veneno, at tunc amplius non eſt peſtifer morbus. Rurſus vt aliàs declaraui, febres hæ, cùm magis vulgaris peſtis, per abſceſſus finiuntur, qui fiunt materia mota à centro ad ſuperficiem: at purgatio in diuerſum mouet, ſiquidem ad centrum ex ſuperficie. Iubent etiam Auicenna & Aëtius ac Paulus euocari calorem in his morbis ad ſuperficiem: quomodo igitur illum atque humores ſimul intro trahimus? Accedit vltimo, quòd purgatio venenū trahit ſuper cor & quę ſunt inter cor & iecur ſupra iecur: igitur occidit. Nam illas materias natura ad ſuperficiem pellit, aut non niſi finito veneno: aut per aluum ſolum, quod eſt citra iecur: quod vltra, per vrinas: quod vltra cor, per ſudores.

quarti primi c.3 iuxta finem.

Deiicit & præter hæc appetentiam cibi, qua nihil eſt melius in peſtilentibus febribus: miſcet pura impuris, & calefacit: vnde venenum celerrimè & latiſſimè diffunditur. Vires etiam debilitat, vt diximus. Quare tandem in peſtilenti febre fugienda prorſus omnis purgatio. Sultum igitur eſt, Rhabarbaro, aut triferæ perſicæ iuniti. Cùm verò peſtilentialis febris ſit ab aëre, tunc omnis purgatio præſentem affert mortem, nihil enim ex humore peccante minuit: quòd & ſi minuat, venenum nullo modo finit, à continente autem aëre corrumpitur humor, & ſpiritus: vnde etiam in quodam genere febris peſtilentis, quod ad hecticam pertinet, nihil poteſt excogitari pernicioſius. Errat itaque Conciliator, qui dicit eam curari curatione febris putridæ.

differētia 94. artic. 3.

CONTRADICT. IIII.

Peſtilens morbus an omnis cum febre.

IVxta prædicta contingit dubitare, An omnis peſtilens morbus ſit cum febre? inquit enim Galenus tertio ſuper tertium Epidemiorum, Cùm mortales vel citra febrem peſtis corripiat. Memini me alias de hoc ſcripſiſſe: ſed in eadem ſententia ſunt verba Hippocratis ex eodem libro: Ex his quos febres tenebant, inquit ille, aliáque, nemo circa potum intempeſtiuus erat. Et hæc videtur etiam ſententia Raſis, cùm dixit Morbum epidemialem, & febrem epidemialem. Sed ipſe confundit epidemialem cum peſtilenti: & in hoc deceptus eſt in linguarum permutatione, declarantur rurſus peſtilentes fluxus ventris, corruptiones extremitatum, vt in tertio Epidemiorum ab Hippocrate, qui febres non ſunt: tum etiam oculorum morbi, ac multa huius generis. Vnde ibi multis eorum febres non erant. Et rurſus paulò poſt, dum de vlceribus ageret. Quibuſdam ante febres, aliis cum febribus, aliis poſt febres ipſas hæc euenerunt. Oppoſitum huius oſtendit ſeries tractationis: nam Paulus, Aëtius, Auicenna, Raſis, Peſtilentem morbum inter febres collocant: non inter vlcera, profluuia alui, aut lippitudines. Ratio tamen eſt vt quod ſine febre fit ſatis clara. Quid enim prohibet vt in venenis quæ bibūtur, aut quæ animalia iaculantur, ne mala ſit conſimilis in aëre qualitas citra febrem quæ homines perimat? Rurſus ſi peſtilens morbus febrem neceſſariò adeſſe poſtularet, eſſet febris ipſa peſtilens morbus: atque etiam vnius generis ob id: at vt docebimus, earum febrium quædam tabificæ, quædam continuæ, quædam intermittentes. Vnde Hippocrates de conſtitutione peſtilenti loquens, cùm dixiſſet, Febrium ardentium, quæ vigebant, hæc erat natura, poſt pauca ſubiungit: Erant præterea febres aliæ de quibus iam acturus ſum. Explicat autem eas non ſtatim, ſed poſt pauca, dicens: Multa præterea alia febrium genera vulgabantur, tertianarum, quartanarum, nocturnarum, cōtinuarum,

com 58. *text. 51.* *17. con, c. 6.* *par. 3. text. com. 25. & 71* *tex. com. 28.* *3 epidem ſec. 3 com. 35.* *com 47. com. 65.*

rum. Apparet igitur febres comitari pestem, non autem pestem esse febris genus. Sed in oppositum est ratio, & experimentum. Ratio quidem, quoniam pestilens morbus est acutissimus. Docuimus autem aliàs, nisi sint à multitudine materiæ vel ratione loci acutissimi, tales febribus sociari. Sunt etiam contagiosi, contagio præsupponit putredinem vt explicat Galenus in primo de Differentiis febrium per exempla scabiei, lepræ, lippitudinis. Et rursus post hæc habet: In pestilenti autem aëris statu inspiratio plurimum est causa: fit enim & aliquando ob eos qui sunt in corpore humores ad putrescendum paratos, cùm breuem aliquam occasionem ad febris originem ab aëre ambiente acceperit animal. Magna autem ex parte incipit ex aëris circunstantis inspiratione à putrescibili vapore vitiati. Ideo concludit, (quod mirum videtur) Sed quoniam de febribus pestilentibus facta est mentio, quæ omnes à putredine ortum habent. Ideo clarum videtur ex ratione, quod hic morbus nunquam sit sine febre, & etiam putrida. Hoc etiam experimento dilucidum est, necessarium enim his temporibus, ex his qui peste laborant, sine febre inuenies. At vt dixi aliquod genus pernitiosum ad hecticas reducit ipse Galenus, in quibus calorem febrilem inuasisse corpus cordis docet. Sed conciliatio in hoc apud me non est difficilis. Nam omnis pestilens febris à putredine sumit initium, cùm verò processerit, nihil prohibet, vt quemadmodum in cæteris, quin in hecticam transeat. Maior dubitatio est in principali quæstione, an omnis morbus pestilens cum febre sit. Constat enim ex argumento tacto, quòd vitiato aëre qualitate aliqua mala, aut aqua, quòd morientur homines passim, quia elementa sunt communia, & poterit hæc qualitas esse non putrida, vt in aliis venenis. Et si quis dicat, quòd erit necessariò calida, ideo inducet febrem: nam qualitas frigida lentè occidit. Respondeo, quòd poterit esse sicca, & item frigida intensa, & tunc celeriter occidet. Poterit etiam esse occulta, pendens ex astris, & non habens ortum ab aliqua prima qualitate. Sed forsan dicet aliquis, hoc esse verum, vbi non communicaretur aliis: at si debeat aliis communicari: tunc necesse est vt adsit putredo, vel saltem calor externus: quare febris aderit ex eius dispositione. Communicari autem ex homine in hominem celeriter, ac maximè pestilentem morbum, fatetur philosophus ipse. Respondeo igitur pro concordia horum, Duplicem esse pestilentialem morbum: alium qui non facilè communicetur, & hunc quandoque posse carere febre: sufficit enim ad hoc quòd sit pestilens morbus, vt sit epidemius, & pernecans: est enim hæc sententia sæpius à me ex Galeno repetita. Voluit enim omnia pestilentis morbi genera sub vno verbo Galenus comprehendere. Sed Aristoteles intelligit per pestilentem morbum eum, qui apud nos pestis vocatur, facillimè ex vno in alterum transeuntem, & hic cum febre semper est: potest enim, vt dixi, in aëre esse mala qualitas, quæ multos perimat citra febrem, quia citra putredinem, nec tamen facilè communicabitur, esse tamen quæ communicetur citra putredinem facilè, hoc est ex his quæ nondum experimento comperta sunt. Succedit tamen plerumque & in his, qui non facilè ex altero in alterum transeunt, morbis pestilentibus ipsa febris, etiam si ab initio non sit: ob hæc hic morbus febribus adnumeratur. Galenus in libro de Differentiis febrium, loquitur de causis febris pestilentis, non autem morbi pestilentis: ita quòd in ea tractatione iam præsupponit esse febrem: hanc autem manifestum est fieri à putrido humore. Sed hoc declarato adhuc restat longè maior difficultas, & est; An pestilens morbus, qui est cum febre, sit ipsa febris, sic vt pestilens morbus sit species quædam febris: an potius sint duo morbi, scilicet pestilens, & febris illum consequens: nam si sic non erit, nunquam transibit in hecticam: si enim est modus quidam putredinis, nemo dicit putrescere membra in hectica. Quòd si dicas, putridas alias in hecticas transire. Respondeo: Impropriè hoc dici: nam ex putrida exoritur hectica, nunquam putrida transit in hecticam. Siue enim finiatur putrida, seu non, hectica nihilominus succedit. Igitur vna ex altera non generatur in his quæ transmutantur per generationem, generatio vnius ad vnguem est alterius corruptio. Sed tamen in hoc genere febris posset defendi, quia vt dictum est ex autoritate Hippocratis in tertio Epidemiorum, etiam membra ipsa in febre & morbo pestilenti secundum substantiam suam putrescunt. Et ideo dico, quòd vt declaraui in libro De febre pestilenti, infiniti sunt modi pestilentis morbi: quidam enim sunt ipsa febris, quia causa eorum est modus putredinis: & de his loquitur maximè Auicenna dum de febre loquitur pestilenti. Quidam cũ febre, vt in Apostematibus seu Phlegmonibus: de quo genere loquitur Princeps, cùm de Althoim sermonem habet. Quidam etiã febre carent. Sed quid dicemus de eo, qui febrem patitur pestilentem, nemine alio in ea regione consimili laborante? Respondeo, Lis est de nomine: erit enim febris venenosa, non tamen pestilens. Cura erit eadem, sed non dicetur pestilens, quia nec vagatur, nec ortum habet ab aëre vel aqua, sed ab humoribus qui id genus prauitatis contraxere. Et in hoc bene respondet Gentilis, cùm ferè idem dicat: sed postmodũ aberrat, volens quòd febris quæ ex vno cadauere putrido in domo existente orta est, vocetur pestilentialis, cùm non sit epidimialis: sed difficultas est solum in nomine, est enim venenosa, & habet aliquid plusquam prima commune cum vera pestilenti. At maior est difficultas de ea quæ transfertur de regione in regionem, per halitum & contagionem, aëre non corrupto existente, vt frequenter in Italia accidit. Respondeo, quòd est verè pestilens, grassatur enim in multos, & est perniciosus. Hic tamen modus est quasi medius, & fuit incognitus antiquis: vix enim persuadere potuit Galenus, migrare morbum ex homine in hominem, tam celeriter necantem, absque aëris cõsensu. Hoc autem melius intellexit Philosophus & experientia nunc clare

cap. 2.
cap. 4.
cap. 5. in initio.
3. de causis pul. c. 3.
1. Probl. 7.
prima quarti tra. 4. c. 1.
prima quarti tra. 4. c. 1. & expositione

clare docet, cùm in multis vrbibus nulli prorsus pereant, qui hoc vitio affectos & illorum socios diligenter vitauerint, & tamen in his, qui se immiscent, maximus numerus hominum peste desideretur. In hac tamen est ritum aëris, sed omnino communis: ideo, &c.

CONTRADICT. V.

Purgatio in Vere, an in initio eius, an in fine conueniat.

QVidam alius tempore æstiuo febribus tertianis corripiebatur: sed multis iam annis non febricitauit, quoniam à nobis purgari circa finem veris anticipauit: sic enim melius est tales euacuare: sicuti illos, qui morbo comitiali, apoplexia, & melancholia, articularíque, atque aliis huiusmodi qui ex crassis gignuntur humoribus, præstat circa veris initia euacuare, inquit Galenus. Et ante hæc verba dicebat: Sic & mulierem quandam singulis annis Vere inchoante similiter euacuans, cùm aliquando tumorem cancrosum pateretur in mamillis, valido ac frequenti medicamento, quod atram bilem ciere posset, ad sanitatem perduxi. Dixerat & in initio; Hos enim oportet vt anticipemus purgare adueniente Vere. Sed cùm sermo etiam ad eos qui bile abundant amara, extendatur, interpretari debet sic, vt anticipemus antequam adueniat morbus, & adueniente Vere id est, iam veniente, seu in fine seu in principio, vt etiam Græca lectio sonat, ἦρ@ εἰς βάλλοντ@. Sed in libro de Venæ sectione hæc habet: siquidem nonnullis amaræ bilis succus plus cæteris colligitur, quibusdam bilis atræ, aut pituitæ, aliis ex æquo omnes, in quibus sanguis abundare dicitur, quos omnes euacuabis, vt etiam arthriticos & podagricos Veris principio, exhibito videlicet aut purgante medicamento, aut venæ sectione facta. Hic liquet, quàm sibi apertè contradicat in redundantia amaræ bilis, vbi etiam in initio Veris purgationem præcipit, cùm antea docuerimus in fine esse faciendam. Sed de humoribus crassis sibi concors videtur in his duobus locis, nisi esset quòd in prima Aphorismorum sic scripsit: Cæterùm vt ex plurimo alimento oblato, quod non solùm in ventriculo bene conficiatur, sed etiam in venis & toto animalis corpore vnumquodque animal carnosius reddatur, & sanguine abundet, habent homines ipsa experientia satis compertum, non in seipsis tantum, sed etiam in iumentis. Nam ante æstatis initium, circa vltimam Veris partem, sibi & illis sanguinem detrahunt. En vides, quòd non initium Veris probat, sed finem illius, verba tamen Aphorismi sextæ particulæ quasi ad vnguem recitat in libello Quos & quando purgare oporteat, vt exscripta prorsus videantur: quo fit, vt hæc potius Galeni sententia censeatur. Hanc sequitur Aëtius etiam: sed Paulus tam de purgatione, quàm de venæ sectione totum Ver laudando, nihil mihi distinxisse videtur: itaque meo iudicio se ad Galeni sententiam refert: quam etiam expressit in consilio de morbo comitiali, cùm dixit: Primò Vere purgetur puer, & in sexto de Tuenda sanitate: Qui vitioso sunt corporis habitu, purgatione leuentur in Veris initio. Sed nec obstat quòd alibi dixerit Hippocrates medicari æstate superiores, hyeme verò inferiores: de coacta enim loquitur purgatione, quæ etiam extra Veris tempus fieri debet. Quòd si quis obiiciat, quòd Veris initium simile est hyemi ex dicto Galeni, & quomodo in hyeme poterimus frigidos & crassos humores expellere. Respondeo, quòd intentio Galeni est ab humoris abundantia sumpta: nam initio Veris si abundat pituita, expurganda est? si non, nec in fine, quomodo enim verisimile est illam nocituram calido iam facto tempore, quæ dum frigidum esset nocuit? aut si iam nocuit, manifestum nos malè fecisse, noxium non expurgando humorem antequam noceret. Quòd igitur pituita vel in initio Veris, vel nunquam in Vere sit expurganda, satis patet: tum etiam de aliis frigidis humoribus. De sanguine etiam, cùm plurimi morbi ex ipso fiant (vt Hippocrates docet & Galenus) in Vere, patet, quòd traducta sectione venæ ad illius finem nulla erit vtilitas. Relinquitur igitur vt declaremus, quomodo amara bile superabundante, purgatio iuxta illius finem conueniat. Galenus enim declarat, bilem æstiuo tempore abundare, itaque cùm nondum in initio Veris multa sit, tunc purgata difficilius cedet, & corpus frigidis obnoxium morbis relinquet. Hoc enim declarauit Hippocrates, 1. de Natura human. trac. cap. 21. Incolumitatem nostram æqualitate ipsorum humorum constare. Rei igitur veritate intellecta, verba Galeni concordemus. In libro de Sectione venæ non tractat nisi de illa, quæ humores euacuat, potentia, non actu existentes: ideo non in fine, sed in principio euacuare oportet Veris, propter iam dictas rationes, etiam si biliosus redundet sanguis. At in humoribus iam existentibus secus est: conuenit enim, vt dixi, bilem medicamento iuxta finem Veris expurgare: quòd expressit in libello, Quos & quando purgare oporteat. Sed dices, Non sic: nam in libro de Sectione venę addit purgandos etiam medicamento. Respondeo: Verum est sed vbi negotium illud non tractat, verba ad loci, vbi tractatur materia, interpretationem sunt deducenda. Et ideo mihi bene videtur Rasis dixisse, cùm synache Vexat in vere, tunc præuenire oportet morbum sectione venæ. Sed hic non potest loqui de sectione in principio Veris, aliter oporteret diuinare futuros huiuscemodi morbos. Rasis igitur solùm intelligit, vt fiat in Vere ipso ante morbi aduentum, non in principio illius, vt credit Antonius Gazius Patauinus, quamuis vir celebris. Eandem negligentiam Auerroës habuit, qui in Callectaneis, dum de purgatione & venæ sectione loquitur, Ver tantum proposuit, non illius partem. Auicenna etiam laudauit omnem diminutionem succorum in Vere: verba eius apponere libet: Nulla autem est res quæ adeò hominem ab ægritudinibus

6. aphor. 47.

aphor. 15.

ad fi finem.

iuxta finem.

Aphor. 4.

1. Aphor. 16.

3 Aphor. 20.

3. Aphor. 21.

4. ad Almans. cap. 25.

Veris tueatur, ficut sectio venæ, & purgatio, & cibi diminutio, & vinosi potus, cuius loco syrupi assumantur. Vnde liquet, quàm malè fecerint, qui Quadragesimam sustulerunt, etiam si non peccent: plurimos autem impietatis suæ dare ob id pœnas morte præcoci, multa enim cùm à Mose in sua lege, & à nostris altiore consilio nobis tradita sint, leuibus quidam suffulti suspicionibus, euertere studuerunt. Sed ad propositum reuertor Princeps alibi ostendit, quòd in Veris principio purgationem ac sectionem venæ molliri oporteat: verum non exquisitè iuxta Galeni sententiam. Sed si sanguis abundet, vel etiam reliqui humores bile flaua excepta, Veris initio: at bile flaua iam actu existente purganda est in fine Veris. Igitur sectio venæ semper in initio Veris, at purgatio non semper, sed quandoque in fine. At in prima Aphorismorum docet regimen eorum, in quibus, non præ multitudine tantum sanguinis periculum imminet, sed etiam propter exercitationem: nam hi non in periculo sunt in vere, sed in Æstate, cùm mediocriter sanguis tantum exuberet, alioquin innoxius: nam solùm hi ægrotant, quibus sanguis est vitiosus in vere, iuxta Galeni sententiam, aliter non esset Ver saluberrimum. His igitur si sanguinem in initio plurimum detraxeris, non erunt idonei ad labores: si paucum, cogeris denuo iuxta illius finem scilicet Veris, sanguinem detrahere: quare in his sectio venæ finem Veris expectare debet. Hippocrates autem conuenire vocat, quod vel vitio multitudinis, vel prauitatis, purgationem exigit, aut venæ sectionem: non quando labores, aut exterior alia causa imminet. Liquet autem ex hoc, quam perperam veterinarij sanguinem equis in festo Beati Stephani detrahant.

secunda primi, doc.5.c.6.

tertia primi doc.5.c.1.

3. Aphor. 20

CONTRADICT. VI.

Citri semen an calidum.

Citri semen calidum est in primo, siccum in secundo, sicut & cortex, qui tamen est siccus in fine secundi. Caro autem est calida & humida in primo: quòd verò eius acidum est frigidum est, & siccum in tertio, inquit Princeps. Idem, si tamen idem est, in libello de Viribus cordis inquit, Cortex est calidus & siccus in tertio, semen frigidum & siccum in tertio. De cortice discordat in gradu, de semine etiam in natura. Rasis autem in Continentibus narrat opinionem Mesue, qui posuit corticem calidum & siccum in tertio, & concordat cum secunda Principis autoritate: carnem autem frigidam & humidam in primo, in quo dissentit à Principe, qui illam opinionem in suo secundo libro reprobat. Sed semen dicit esse calidum & siccum in tertio, & in hoc ab ambabus Principis sententiis dissentit. Narrat & Galeni opinionem ibi Rasis ex septimo de Simplicibus medicamentis non exquisitam satis: ait enim, quòd censet semina esse sicca & dissolutiua in tertio: Galenus dicit in secundo: refertque id, cùm dicit à temperamento recedere ad siccitatem non solum, verum etiam ad caliditatem. Sed non de cortice concordat litera Rasis cùm Galeno, siquidem siccum in tertio, in calido & frigido temperatum ponit, aut declinans ad calidum paululum, Rasis, sed Galenus siccum in secundo dixit, non in tertio: nec forsan error est Rasis, sed transcribentis librarij, quoniam per notulas numerus ille describitur, non per voces. Illud sanè certum est, quòd arida pars vtriusque consensu, frigida est & sicca in tertio. Vnde error transferentis, & literæ Latinæ Galeni est manifestus: horum enim verborum loco, Κατὰ μὲν τὸ σπέρμα, τὴν ὀξεῖαν ποιότητα καὶ ξηραντικὴν δύναμιν ἐπικρατοῦσαν ἔχον, ὡς τῆς τρίτης εἶναι τάξεως ἀπὸ τῶν ξηραινόντων τε καὶ ψυχόντων. Vertit ille, in semine quidem habens acidam qualitatem & siccam, vt ipsum tertij sit ordinis resiccantium refrigerantiumque cum debuisset potius transferre, Quod iuxta semen est, acidam habens qualitatem & siccam, ex tertio ordine est refrigerantium atque exicantium: vt scilicet ad succum verba potius, qui circumpositus est semini, quàm ad semen verba illa referantur. Ostendit primò hoc ita esse res ipsa, cùm semen nemo frigidum & siccum dixerit, nisi autor libri de Viribus cordis, tũ etiam Galenus ipse qui in eadem serie dicit, Semen, quòd est nucleus, ex secundo est ordine siccantium ac dissoluentium: vnde calidum ipsum ponit: siccum etiam in secundo, non quemadmodum succum in tertio. Et verba illa, τό θ' ὑγρὸν καὶ ὀξῶδες ὑπὲρ οὗ πρώτου διείλεγμαι Quod est, Humidum autem illud atque aci dum, de quo primum disserui, manifestum est nisi verba illa ad prius exposita referantur, illum de succo nullibi eo capite locutum fuisse: quare mendax simul esset ac obliuiosus. Dictio etiam κατὰ, μὲν τὸ σπέρμα iungitur accusatiuo, & significat secundum: vt sit census, Quod secundum semen est. Approbat hoc & Æginetæ lectio, cùm dixit, Interior pars, siue acida, seu aquosa fuerit, abunde refrigerat. Aëtij tamen interpres & ipse in eodem mansit errore, in quo & Theodoricus Gerardus: at forsan per semen intelligent primo loco, seminis corticem, quem frigidum & siccum in tertio nil repugnat, nucleo, quem propriè semen Galenus esse dicit, calido existente, atque sic interpretes & princeps defenduntur, nec Græca litera quæ à nobis insueto certe modo exponitur contorqueretur. At huic concordiæ astipulantur verba Galeni, cum dicat vere semen solùm esse nucleum, tum Pauli modus loquendi, Εἴτε ὀξῶδες, εἴτε ὑδατῶδες, nam si per acidum aquosum intellexit, debuit dicere, Interior pars quæ aquosa & acida est. At videtur aquosum ad succum, acidum referre ad seminis corticem. Sed huic concordiæ obstant, quòd nullum de succo verbum Galenus fecisset, qui tamẽ non tantum cortice seminis, sed vniuerso semine non solum longè valentior est, sed etiam copiosior: tum etiam quia testatur (quod etiam iam in medium adduxi) Galenus se de succo fuisse locutum, tũ quòd cortex ipse seminis haud acidus est, nisi

2. car. c.120.

trac.2. cap. de citro.

lib.21.c 21.

iuxta finem.

lib.1.c.81.

nisi forsan leuiter, sed potius astringens, ac quasi inutilis medicinæ, & modicarum virium. Galeni verba illa ad hoc tendunt, vt intelligamus, cùm de semine loquitur, ac illius viribus, non totum accipiendum, sed solum nucleum: non quòd aliam virtutem cortici seminis tribuat, vt forsan quidam interpretantur perperam, sed quòd cupiat semen mundum esse à cortice proprio. Æginetæ verba ad hoc tendunt, intelligamus, idem nos humidum intelligere, quod etiam acidum: nam & caro citri acida paululum est, & ideo frigida à Galeno & aliis censetur, repugnante solo Principe, vnde etiam Rasis proprium hoc illi inesse dicebat, vt ventriculi reprimat feruorem, nam crassa est substantia, non facile putrescit, & frigida ac humida temperie est, quibus omnibus exedenti calori aduersatur. Non ignoro esse quosdam, qui citrium à Græco nomine, qui citreum, qui malum medicam, vocent: mihi nunquam tanta de nominibus cura fuit, vt grammaticorum more res ipsas negligerem, cum tamen nihil intersit, male loquaris, nulla vox minus ambigua est, aut magis conueniens quam citrj: constat tamen apud Galenum citrium idem esse ac malum medicam, barbari eiecta vocalia, citrum vocant. Hæc non vidit Manardus adeo promptus ad coarguendum Auicennam, horum enim malorum sectæ causæ sunt. Etenim vt visum est error hic à Græcis tum à Galeni littera & eius interpretibus, non à Galeno, nec ab Auicenna ortum habuit: quanquam, vt sæpius dixi, liber de Viribus cordis non sit Auicennæ. Sed sit modo, nihil dixit, quod Galeni verba ferme non videantur significare. Dioscorides eius nõ expressit vires, nisi seminis quòd aduersetur venenis, & aluum moueat, quod & Rasis animaduertit, & mihi multis in causis vsui fuit, cùm vix queas simile inuenire. Sed ad rem reuertor, omissa de citrangulo quod Arantium solemus appellare disputatione. Serapio concordat cum Galeno ferme, sed acidam partem frigidam in secundo & siccam non tertio ponit, de semine & cortice concors: cuius etiam sententiæ est quasi Auerroës. Pro solutione igitur huius apparentis contradictionis dico, quòd Galenus non expressit quòd sit calidum in secundo, sed quod siccum & dissolutiuum de semine: corticem autem non negat paululum calidum esse, ideo Auicenna ipsum in primo gradu statuit. De carne solum est difficultas, nam Auicenna calidam statuit, hoc argumento, quòd non videatur vllo modo infrigidare. Hic nihil plus habet Galenus contra Principem, quam Princeps contra Galenum. Sentiamus igitur cum Galeno, quandoquidem etiam habet alios fautores. Dico tamen, quòd adeo parum recedit à temperamento, vt totum inter temperata citrium reponatur à Serapione. Quod verò Mesue dixerit, corticem esse calidum & siccum in tertio, vt refert Rasis, vel hoc intelligi debet, accipiendo solũ scobem tenuissimam, quæ forsan talis est, nam odoratus est cortex valde, vel ob regionem accidit, vel quia sub citrio Adami poma comprehendit, quæ & ipsa habent carnem quæ manditur, ac corticem, nec tamen sunt citranguli. Est igitur cortex citranguli calidus in initio primi, siccus in fine secundi gradus: semen calidum & siccum in secundo, per semen medullam intelligendo. Caro frigida paululum, & non leuiter humida: succus frigidus & siccus in tertio. Cortex autem pomorum Adami & citrangulorum calidus est & siccus in tertio. Medullã citrij aduersus venena esse præstantissimam plurimi referunt, adeo vt mirabilis Serapio, Mesue, vt Rasis refert, Auerroës, Dioscorides. Illud non prætereũdum, colligi ex dictis, Mesuẽ librum scripsisse de simplicibus medicamentis, qui ad nos minime peruenerit. Obiiciuntur & alia, quòd dixerit Citri semen impinguare corpus hoc non vidit Galenus, non vidit Paulus, fateor perperam igitur adiectum: eo egregium hominem. Sed forsan etiam Galenus hoc dixit in aliquo libro, qui ad nos non peruenit, peruenit ad Auicennam: neque enim locus de simplicibus medicamẽtis hoc postulabat, cum non de his ibi agat, quæ à proprietate operantur, conditum nutrit pulmonem & pectus, non de succo, sed de carne loqui Auicennam palam est, vel iniquo iudice: at hoc verum est. Vnde patet, doctrinam Manardi vtilitatis parum, persæpe damni multum afferre. Vnde Brassauolus in suo libro de simplicibus, dum de citrio loqueretur, Auicennam quibus potest modis excusat, & rectè, indignum ratus tam euidentem illi obliuionis notam inurere. Obiicit & Manardus de morbo mulierum incerta primo, deinde etiam his quæ vera sunt, quanquam silentio à Græcis prætermissa, vt gloriam solum quæsisse videatur.

lib. 11. epist. 3.

lib. 1 cap. 136.

par. 2. de simp. cap. 1.

5 collect. c. 42.

CONTRADICT. VII.

Nubecula in vrina rubea an breuem morbum declaret.

QVibus septima iudicatur, iis nubeculam habet quarta die vrina rubeam, dixit Hippocrates. Et rursus alibi: Si vrina fuerit subrubra, ad sedimentum subrubrum & leue, diuturnior hic morbus quam primus, sed admodum salutaris est. Galenus in commento huius textus docet causam, quia sola pars aquosa seu serosa sanguinis expellitur, igitur cum coctio præsupponat substantiæ mediocritatem, erit necessario morbus longus. Ipse etiam in expositione Aphorismi meminit huius difficultatis, dicens, hoc signum significare dimidium coctionis solum, ideo si celeriter vt in quarto die appareat breuem morbum denuntiat, vt pote in septimo finem habiturum, non sic si in 11. vel 14. nam ferme conduplicabitur tempus, atque vt celerius apparente tali vrina in 14. terminabitur in 20. eadem ratione dico quod si in 20. appareat in 34. vel in 40. die finietur. Sed meo iudicio his seruatis, adhuc longe difficiliores relinquuntur dubitationes: nam in Aphorismo loquitur de nubeculæ colore, in libro de Morbis acutis de vrinæ substantia cum sedimento. Prima igitur breuitatem morbi,

4. aphor. 71.

2. pronost. 27.

morbi, secunda longitudinem significat. Sed hæc responsio non videtur de mente Galeni, qui inter hæc non distinguit. Et rursus Princeps: Et sedimen rubeum significat abundantiam sanguinis cum tarditate concoctionis: & associantur ei in febribus ardentibus tristitia & anxietas, non igitur hæc significat morbum breuem. Et rursus alibi: Vrina rubea in acutis morbis significat velocitatem finis morbi, bonam cum bonis, prauam autem cum prauis iudicationem ostendit. Hæc quis non videt pugnare cum iam dictis? Subdit etiam: Et generaliter vrina cum substantia rubea significat vehementem inflammationem. Sed quod magis mirum est in fine capitis, quasi obitus priorum, hæc subiungit: Et ad summum vrinæ rubeæ substantiæ, & rubei sedimenti, significant materiæ cruditatem, & ipsam esse non coctam, & significant longitudinem, propriè quando rubedo non est vehemens, & fuerit decliuis ad turbulentiam. Oedipum hîc quæramus oportet, adeò omnia sunt intricata. Sec in hoc cum Galeno videtur cócordare, quòd nullam inter vrinæ & sedimenti rubedinem differentiá facit: cùm tamen prius opposita significare contendat. Forsitan ex illo soluitur, cum dixit: In tenui autem vrina color intensus, ac tinctura multa, significat quòd non est ob concoctionem, sed bilis admixtionem. Sic igitur crassa substantia existente rubeóque sedimento, vel etiam vrina, morbus breuis erit: subtili autem breuis non erit, sed inflammationem multam significat. Sed expositio hæc ad mentem Galeni non est qui dimidiam coctionem significare illam semper contendit: cùm vrina rubea sub ratione coloris, non substantiæ consideretur. Respondeo: Nostra differentia data conciliat Principis verba: pro Hippocrate autem Galeni expositio satisfacit. Ostendit autem hoc dictio Hippocratis, qui rubeam vrinam facit salutarem, hic autem loquitur de mala Auicenna. At dices: Hoc non videtur concordare cum dictis Galeni, qui subtilem rufam facit salubrem, & ex serosa sanguinis parte absque inflammatione: quod & Aëtius confirmat. Autor libelli de Vrinis dicit, crassam rubram multitudinem sanguinis prætendere: rubram subtilem non inueniri vnquam: quia sanguis non fit nisi exacta coctione: at talis nequit esse cum subtili substantia. Respondet autem tacitæ obiectioni, quæ subtilis est non rubea, sed quasi rubea dicenda est. Ad hoc diceret Galenus, illam appellari, & si non sit, exquisitè rubeam. Auerroës autem dixit, vrinam rubeam significare sanguinis abundantiam & virtutis debilitatem. Et manifestum est, quod præterit illam quæ fit à dolore, vt in coli dolore etiam frigido. Et hoc declarauit etiam in Cantica, sed non dixit, nisi quòd significat abundantiam sanguinis: debilitatis autem nullo modo meminit. Hoc tamen superest, quòd cum Galenus ponat vrinam rubeam fieri ex sanguinis serosa parte, nulla erit? crassa, sed omnis vrina rubea subtilis erit? Aliud dubium superest: Quòd si rubra in proximo die significat indicatorio salutem, quæ concocta erit absolutè quando significabit? Respondeo: quod omnis vrina rubra est necessariò subtilis: nam si crassa sit, erit sanguinea, non rubea tantum, cùm à sanguine sola differat substantia: concocta autem vrina iam præsentem & imminentem significat iudicationem: aliàs plura dicemus.

secũda quarti tra. 1. cap. 88. *ibidẽ, cap. 86.* *secunda primi doc. 3. sũma 2. c. 3.* *lib. 5. c. 33. c. 13. & 8.* *4. Coll. c. 22.* *parte 1. text. & c. 296.*

CONTRADICT. VIII.

Fluxus ventris, fluxu curandus: vomitus, vomitu: & an omnis cura per contrarias.

Vomitus quandoque vomitu prohibetur, & fluxus fluxu: inquit princeps ex autoritate Hippocratis, dum de cholera morbo loquitur. Hunc cholericam affectionem vocant, qui Arabicos autores verterunt. Ea forsan Hippocratis autoritas credita est à Principe, cum autor secundi Epidemiorum inquit, Εμέτε λύσις, ὕδωρ θέρμον διδόναι πίνειν, καὶ ἐμεῖν. id est, Vomitus solutio fit, calida aqua in potu data, vomituque eiecta. Vel illa sexta Aphorismorum: A longo alui profluuio vomitus sponte superueniens morbum soluit. Similiter Aëtius cùm inquit: Adiuuare etiam oportet excreatione per sedem, alienum enim velut venenum insidens & ventrem ac intestina rodit, & humores ex vniuerso corpore trahit: per vomitus etiam opportunam prouocationem vomitus ipse soluitur, & cessat. Quinimo in eodem loco fermè, dum de vomitu à bile ageret, consuluit, ciendum esse vomitum. Et Princeps ipse ante ea verba in fluxu propter pituitam à cerebro descendentem facto, consuluit & alui deiectionem. Paulus tamen vomitum solùm excitat, cùm cholera à cruditate fit non autem à bilis abundantia. Sed nullus melius Alexandro, dum enim cruditatibus angitur, & in choleram deuenit, vomitu facili soluendus est æger: dum autem bile nimia purgandus est, inquit, Picra cum Scammonio. Et hoc, inquit, si nausea & tinesmus infestent: æger tamen parum tum vomat, tum deiiciat. Ex quo manifestus est error pudendus medicorum nostri temporis, qui malè intellecta Auicennæ autoritate, vomitum vomenti, & purgationem nimium deiicienti adiiciunt: cùm solùm in conatibus hoc liceat facere, natura non assequente, vel in cruditatibus. Hanc eandem sententiam Alexander, dum bilis coaceruata est in intestinis, nec tamen pellitur, secutus est, purgandam docens: si fluat, nequaquam. Illud solum mirum, quòd infrà in dysenteria cum torminibus venæ sectionem consulat. At Galenus his contradicere videtur, primo ad Glauconem, dicens: Sed neque si fuerit febris cum profluuio ventris, alia opus est euacuatione. Verùm hæc sola sufficit, quamuis non sit pro multitudinis ratione. Quicunque enim his plus adimere necessarium existimantes sanguiné mittere, aut ventré mouere tentauerunt, in grauiora pericula deduxere. Non est mihi propositũ nunc, vt discordiam è dysenteriæ cura natam dissoluam: nec vt abusum, de quo aliàs dixi in libro

decima sexti tertij, tract. 1. cap. 13. *Sec. 5.* *Aphor. 15.* *lib. 9. c. 12.* *cap. 15.* *decima sexti tertij, tract. 1. cap. 9.* *lib. 3. c. 39.* *lib. 3. c. 14.* *lib. 3. c. 19.* *sec. 1.* *lib. 1. c. 11.* *c. 14. in princ.* *abusu 44.*

bro de Malo medendi vsu, repetam: sed vt declarem, an fluxus solùm astringentibus curetur. Non est confugiendum ad id quod minus demittat aluus, hoc enim iam excipit Galenus. Sed cùm nihil sensu dignum, aut cùm febris non coniungitur, aut forsan cum vtrumque adest, tunc corpus purgandum. Cum quibus non cum cassia, seu silica Inda, sed picra, haud admoto scammonio. Ita in cholera, & aliis influxibus generale præceptum erit, vt non purgemus, nisi natura torpeat, febris non adsit: nam febris medicamentis aduersatur: ob id illa minimè exhibenda, vbi ea vrget. Sed non videtur regula seruari, quòd contraria sint curanda contrariis: Est autem Axioma medicum scriptum ab Hippocrate in Aphorismis, & ab Aristotele in prima Problematum sectione, Probl. 2. Adeo verò vulgatum, vt Aristoteles in secundo Ethicorum ad mores id retrahat. Sed & ante scripserat hoc Hippocrates in libro de Flatibus dicens: Hoc generale præceptum est, contraria contrariorum esse remedia, vt cibum famis, potum sitis: indolentiam doloris. Tum verò in libro de Humana natura: In summa medicus repugnet præsenti tempestati, Morbis, formis, anni temporibus, ætatibus: contenta laxet, contendat laxata. Galenus etiam in tertio Artis medicæ inquit: Curatio verò vnam præcipuam ac communem habet intentionem ad id quod est dispositioni auferendæ contrarium. Et in de Constitutione artis medicæ: Fueritque generalissimum quod ab Hippocrate dictum est, contraria contrariorum remedia: sigillatim autem sua cuique singularia, frigido morbo calidum, calido frigidum, humido siccum: atque eadem in similaribus, ac instrumentariis, contraria morbosæ immoderationi in quouis quatuor generum moliri oportet. Idem libro de Sectis, & quinto de Tuenda Sanitate, aliisque infinitis penè locis: vt facilè intelligamus, nullum præceptum esse magis in medicina famosum. Sed & Princeps, quem non obiter hîc induco, declarauit eandem propositionem non solùm in qualitatibus, sed etiam in repletione & euacuatione. Vnde Auerroës co. 110. co. 107. dixit: Hæc est radix curationis, vt quælibet dispositio cum suo contrario curetur, non solùm in genere, sed deducendo per singulas species, vt calidum cum frigido, & repletio cum euacuatione, & per modos ac singularia: & extendit hoc etiam ad regimen præseruans, vt ante parum sequens dictum Principis, quòd debemus vnumquodque suo contrario in tempore præseruare ab imminente dispositione. Et hoc ostêdit quasi Galenus in libro de Inæquali intemperie, & sumptum est primo physici auditus, nam contraria contraria expellunt, expulsio morbi sanitas est: igitur curatio fit à contrariis. Hic non licet dubitare, an aliqua curatio à contrario fiat, quæ enim in contrarium adduci possent, sophistica sunt: sed an omnis cura à contrario fiat? & si fiat, quomodo fiat? Nam Auerroës, c. 2. in prin. in septimo Collectaneorũ inquit: Deinceps dicendum est qualiter agendum sit, secundum magis & minus, aut quando nihil fieri debet, & maximè in euacuationibus, & curationibus, quæ fiunt per contrarium. Nam in pluribus locis euacuatio, & aliæ contrarietates non competunt, quamuis natura ægritudinis illud requirat. Vnde videtur, quòd non omnis cura contrario fiat. Idem Princeps, cùm dixit: Et scias, quòd non omnis cura indiget contrario: sed sæpe sufficit sola regiminis bonitas. Hippocrates etiam quinta Aphorismorum: Quæcunque refrigerata sunt excalefacere oportet, exceptis iis quibus sanguis fluit, aut fluxurus est: sed Galenus rectè in commento respondet, hoc Theorema non euerti; Contrariorum contraria sunt auxilia: quia aliud est magis efficax, scilicet: Illa prius curari oportere quæ magis vrgent. Alibi autem dixit Hippocrates, frigidam aquam reuocare calorem, ac distentionem neruorum sic soluere. Sed Galenus dicit, hoc non facit sua vi, sed ex accidêti. Ad quod responsum plerumque refugiunt, dicentes: Curam per se à contrario, ex accidenti autem etiam ab aliis fieri. Quinimò difficultas est de morbis in quantitate ac numero, nam quantitati nihil est contrarium vt Aristoteles in lib. de Decem vocibus refert: quomodo igitur morbus in magnitudine vel numero curabitur. Calor etiam naturalis morbos curat, qui nullis causis propriè contrarius est. Minus autem calidis. Dolor etiam dolore discutitur, vt voluulus crurum dolore & labor labore: & duorum dolorum, qui non secundum eandem partem fiunt maior minorem obscurat, vt inquiunt Galenus & Hippocrates. Auicenna etiam curat dolorem capitis à mala temperatura frigida & humida absque materia purgante medicamento. Coitus etiam, iuxta Hippocratis sententiam, pituitam curat, nec tamen est ei contrarius. Curat & melancholiam cui minimè aduersatur. Temperatura etiam calida & sicca cauterio ex igne soluitur, vt inquit Albucassis: quomodo igitur cura omnis est à contrario? Solet etiam adduci, quòd cùm æqualia in gradu, vt dicunt, conueniant, incipientibus hecticis frigida & humida adhibenda sunt, quæ modicum distent à temperamento. At si naturalis temperies similia postulat, non parum calida & sicca iuueni debentur. Quæ igitur hecticam incipientem curare poterunt ad calidam & siccam intemperiem declinabunt. His & similibus penè nugis atque inanioribus etiam, Axioma medicum infringere conatur: vt alij non esse generale, alij per accidens à simili posse curari morbos interpretantes. Sed non sic est: Galenus namque XI. Artis curatiuæ his vtitur verbis: Nunquam tamen propterea præceptum illud; Quòd contrariorum contraria sint auxilia aliquando verum erit, aliquando falsum: imò id perpetuò verum est: quando fieri non potest, vt eorum, quæ præter naturam sint, quicquam per aliud remediorum genus curetur. Non tamen ex vsu est semper omnibus, quæ præter naturam sint, mederi: sed cùm sola per se subsistunt. Hoc in loco profectò mihi Galenus videtur veram huius precepti explicationem posuisse: nam non semper conducit in complicatis affectibus, ad contrarij exhibitionem properare, quandoquidem neque ad curam. Velut non ad vlceris, quòd canis rabi-

com. 3. in principio.

21 c. 2. cap. 6.

cap. 12.

quarta primi cap. in fine. aphor 19. & 21.

cap. 7.

lib. 3. fen. 1. tra. 1. c. 29. iux. fin.

dus intulit consolidationem: morbi enim aliqui auctione indigent, alij vt seruentur maioris periculi effugiendi causa: vt hæmorrhoides in iecore iam duritiem contrahente. Cùm igitur morbi curandi non sunt tunc, quis dubitat neque tunc contraria esse remedia adhibenda. Maneat igitur fixum illud: Cùm curare volumus, tunc contrariis auxiliis insistendum, in cæteris generale præceptum erit. Quidam autem putant veram curam, esse solum causæ morbi ablationem, vt videtur sentire Princeps, dum de morbis agit ex materia pendentibus. Nam in hectica secus est: & videtur sumpsisse hanc sententiam à Galeno quarto Methodi cum dixit: Præcipitur ab omnibus ferè antiquis medicis, quicunque ratione quadam, aut Methodo de vlcerum ratione scripserunt: causas quæ illa creant esse abscindendas, æquè profectò vt cæterorum omnium morborum. Ergo sententia Galeni est, quòd morbi qui fiunt curatione causæ auferuntur contrario suo, facti autem contrario ipsius morbi, non autem causæ. Quale autem sit hoc contrarium, dicebat Galenus XI. Artis curatiuæ. Quod Hippocrates & Plato Contrarium vocant, Aristoteles Oppositum appellat: est enim Contrarium quod maxime distat in vnoquoque genere: non solùm calidum frigido, sed etiam magnum paruo, & multum pauco. Sed hîc cùm loquimur de medici cura, non de opere naturæ intelligimus. Vnde illa Conciliatoris anxia inquisitio cum nihil ad mentem Hippocratis aut Galeni: nam contrarium à contrario curatur ope medici, qui in vnoquoque indiget natura operante, ipse autem adhibet solùm accidentia, substantias autem propter illa. Quare necesse est, vt contrario naturam nostram iuuet ac impellat. In cura autem quæ à natura fit, non est hoc necessarium, cum illa fiat à principali agente calore naturali, de quo nunc prorsus nulla est disputatio. Semper igitur quod primò intenditur contrario perficitur. Si enim, vt dictum est, vomitum excitet materia causa vrgens est repletio secundum virtutem dicta, seu humor in quali peccans, hic igitur euacuatione indiget, cumque sit in ventriculo per vomitum, causa igitur morbi fientis non aliter hic quàm in putrida febre tollitur. Ob hoc autem rectè dixit, in putrida febre curationem esse euacuationem humoris noxij: deinde quod supercalefacti fuerat, refrigerationem: nam febris causa, est humor putridus: & ipsa, calor superadditus. Sed Auicenna febrem aut totam, aut maxima ex parte, cum ex humore consistit putrido, fientem morbum censet, quod verò factum est illius quasi ad hecticas pertinet. Certè non alia cura tollitur, quàm hecticæ. Balneo siquidem, & frigidæ potione, ac humidioribus alimentis. In his autem quæ à proprietate curant, oppositio non minus inuenitur, quàm in manifestis: seu enim lapis confringatur cathetera, seu hircino sanguine, seu petroselino macedonico, quod plus erat auferTur. At non necesse est operationem omnem à contrario fieri actu: sed virtute quandoque tantum, velut & cùm solis radij ignem accendunt. Sex autem præcipua sunt quæ medicus

cap. 4.

2. Aphor. 22.

cap. 12. in fin.

different. 153.

11. artis cur. cap. 10.

peragit, atque in vno tantum contrariis minime indiget. Conseruatio enim quæ in sanis ad vnguem corporibus adhibetur similibus solum perficitur. Quæ verò in impeditis negotiis publicis, aut priuatis, non tamen sanis præseruationem quæ per contraria fit requirit. Sic & præseruatio pura quæ sanis, sed non modo sano degentibus, vt in aëre pestilenti, vel in itinere, per contraria non ipsis quidem corporibus, sed causis quæ morbum gignere possent perficitur. Sic & reducimus lapsa parum corpora per contraria, cùm liberè emendationi vacare possunt: & cura rursus morborum, & quæ præseruationi admixta est, vt in podagra contrario suo perficit. Quòd si Auerroës dicat, non competere: quandoque intelligit, cùm maiore impedimento res detinetur: vt in vlcere à rabido cane consolidatio: in fluxu corruptæ bilis retentio. Sic rectè Galenus excusat Hippocratem: Sed Princeps nihil plus voluit, nisi quòd non omni repletioni debetur euacuatio, sed tamen euacuatio per inediam, balnea, exercitia, vt inquit Galenus libro de Sectione venæ. Hoc autem nihil aliud est, nisi quòd sæpe natura curat absque medicaminum auxilio. De frigida aqua non est mehercle dubitatio: nam per se causa morbi est caloris naturalis debilitas, ex raritate corporis, hanc tollit proculdubio aqua frigida: contrarium igitur est causæ morbum facienti. Perabsurdum equidem est, si intelligamus Hippocratem voluisse inanitionem repletione, aut repletionem inanitione tolli: Sed hoc docuit eo Aphorismo, tum aliis locis, quibus hoc scripsit Theorema, Detrimentum quod ab inanitione fit, tolli repletione: vel vel versa vice, quod à repletione, per inanitionem, hoc autem proculdubio multos latebat. Ergo vt ad rem reuertar, non in frigido tempore, aqua super infusa leuat distentionem: est enim contraria solum ei caloris debilitati quæ ab æstiuo feruore ortum habet. Sed si quid est quod obiiciatur de morbis, nam in his palam contrarium solum delet contrarium: vtpote febri frigida prosunt. Verùm non de hoc loquitur Hippocrates, sed de consequentibus: sunt autem consequentia morborum symptomata, vt causarum morbi. Per contraria igitur morborum symptomata tolluntur, quæ sunt actionum ipsarum vitia, ergo in omnibus Hippocrates hoc intendit, quòd sublatis anterioribus per contraria tolluntur & consequentia. Sic dolor obscurat dolorem, non tollit: labor autem causam aufert lassitudinis, quæ est in musculis repletio. Sic coitus dolores aliquando curat, ac pituitam dolorum causam, & melancholicum morbum, humore purgato, aut flatu discusso: non equidem per accidens, vt dicunt, sed propriè, ac per se. Albucasis autem docet, quonam pacto calidus ac siccus morbus igne curetur: nam calidus ac siccus humor dissoluitur, tum etiam mala membri temperies. Est igitur inanitio hæc replentis humoris, vnde ad proprium statum reditus. Verùm in temperatura quæ ab influente minime pendet humore, hoc haud facile quis tueri poterit. Sed dictum Principis est potius ad præseruationem: quia vt

cap. 10.

vt dicebat Gentilis, facillimè cadunt in morbum cui materia associatur. In temperato verò corpore, cùm primùm hectiua laborare incipiet, humida quidem modicè ac frigida conueniunt curandi causa, præseruandi autem non adeo parum. Quare in iuuene etiam si immodica sit siccitas naturalis, & morbus in initio & nulla incrementi cura, siccis curabitur hectica, sed non ad proprium temperamentum collatis. Hic autem casus iuxta imaginationem contingere potest: non autem secundum ordinem naturalium causarum.

CONTRADICT. IX.

Venenum an detur quod sub certo tempore operetur.

Medico an pertineat scire venena.

An in cura venenorum conueniant medicamenta.

ET omne quidem quod interficit cum permutatione temperaturæ, aut cum putredine, aut aduentu super membrum, possibile est vt effectum producat post tempus: licet putrefacientis effectus, eo deterior sit, quo plus moræ in corpore duxerit, inquit Auicenna. Ex quo palam est, dari venenum quod vocant terminatum. Et hæc videtur esse sententia etiam Galeni, cùm dixit, quòd corpus illius, quem rabidus canis momordit antequam, in rabiem deueniat, ægrum dici debet, quoniam causam in se continet, qua in morbum decidet, quamuis interim nullum laborantis corporis signum ne vel pusillum contineat. Sed alibi non solùm mehercle de cane rabido, sed etiam aliis venenis, quæ citra noxam interim agunt ad tempus, adeo clarè locutus est, vt ipsius disputationis caput dictum eius facturus sim. Quamobrem ne operam me lusisse existimauero, si totam seriem hic verborum eius subiunxero: hoc autem quamdoque licet, cùm volumus laborem lectoris tollere: tum præcipuè, cum breuitas temporis medicum plerumque ad languentis salutem solicitum habeat. in his verò quæ clariora sunt, nec in verbis dubitationem nobis relinquunt: sufficit, vt plerumque feci, solam adiecisse sententiam. Ea igitur verborum series sic se habet: Quæcunque lethales causæ tractu temporis læsionem fixam & indissolubilem confecerint, reuertentur pro malitiæ suæ magnitudine, periculi magnitudinem afferentes. Nam causæ aliquæ eorum, quæ in corpore procreantur, potentia virtutéque virus rabidorum canum, tum lethalia medicamenta repræsentant, quæ etsi in affecto loco nullum quod euidens sit symptoma pariant, post quatuor tamen aut sex menses, vel longinquiorem temporis cursum hominem perimunt. Scimus autem aliquos à cane rabido morsos, qui postea aquas formidauerunt: inde etiam à morsus initio post duos, tresve, aut quatuor menses interierunt. Noui sanè & quemdam, qui exactò anno eum incurrit affectum, quem ὑδροφόβον, id est aquæ timorem vocant. De quo medici omnes existimabant, quòd immodica siccitate in solidis partibus laboraret. Atque vna est adaucta naturalis caliditas, ac in igneam conuersa. Hunc affectum caninum virus longo cum tempore paulatimque efficit, atque ob id difficilius potest corrigi, quòd partium solidarum substantia in aliam transeat naturam: veluti in vitiliginibus, quas leucas vocant, euenire consueuit: nempe altius hic affectus descendit, qui præter naturam est. Cùm autem permutent hæc solida corpora, nondum tamen permutauerunt, simul vt vacuata sunt, solidorum quoque permutatio cessat: interdumque die vno, interdum citius ad naturalem reuertuntur habitum. Nempe fiente & nondum facto affectu separata causa quæ illum efficit breui sedatur. Si autem compleatur affectus, quamuis vacuata fuerint corpora quæ affectum procreauerunt ab humido quod illius causa fuit nulla tamen sanandi ratio amplius superest. Simile quippiam lignis ipsis contingit, quæ prope mediocrem ignem sunt apposita: calefiunt quidem valde, sed nondum inuruntur: quæ si prius quàm accendantur, aut inurantur, ab igne seperaueris, celeriter contractam exuunt caliditatem. Si verò tantum in se caloris exceperint, vt inuri incipiant, etiam si ab igne tollantur, nihil minus inuruntur. Quòd si humidum lignum in ignem coniiciatur, non protinus accenditur, velut si calamum siccum in eum inieceris. Et si paulò pòst lignum, quod iniecisti, exemeris ex igne, breui interuallo eam, quam ab illo contraxerat caliditatem, deponet. Non est igitur absurdum, vt paulatim consimilis humor in corpore generetur, qualis rabidorum canum, & longiore temporis tractu corrumpentium medicamentorum: ita vt plerosque medicos lateant. Quemadmodum in eo qui ob lassitudinem febriit, atque vt videbatur valde parum: qui post quartum diem vrinam secreuit substantia tenuem, colore tamen nigram: vt in vtroque eam quæ ex modico attramento scriptorio multæ immixto aquæ formam repræsentaret. Atque modo alio si non attramentum ipsum dilutum intellexeris, certè eam quæ fuligo dicitur imaginare. Visus est his æger quarto die bene se habere, ita vt sequentibus diebus leuaret: deinde die septimo vesperi cùm febrire cœpisset, tabefactus obiit. Hæc sanè ille: quæ ego vberius descripsi, quoniam ea oratione tota ferme mihi opus est. Nam quòd canis rabidi morsus, & medicamenta post tempus interficiant, sanè clarè ostendit: quòd etiam tempore intermedio nullum sit signum quo veneni vim dignoscere queamus, & illud, quod maximè erat dubitabile declarauit. Quòd etiam purgantibus medicamentis ab initio opus sit antequam vis veneni confirmetur, & illud docuit. Accedit quòd per talia medicamenta non humores tantum, sed ipsa membra solida infici apertè existimat. Contrarium tamen huius videtur Princeps sentire, cùm dixit: Et si toxicum non conuerteretur in cibum ac nutrimentum in turdis, sed perueniret celeriter ad cor illorum, sicut peruenit ad hominis cor, interficeret. Alij omnes

Marginalia: sexta quarti trac. 1. cap. 2. — 1. Prorrhitici, com. 17. — sexta quarti trac. 1. c. 2.

omnes legunt iuxta codicum literam, non interficeret, cuius literæ nullus omnino est sensus. Ergo & ibi rursus: Toxicum ob id, vt Galenus inquit homines interficit, turdos non interficit: quia in turdis antequam ad cor properet, propter arteriarum angustiam moram trahens, in alimentum conuertitur. Si igitur quod moram in corpore trahit euinci necesse est, & ob id non interficere, quomodo venenum intra sex menses occidere poterit. Quòd si dicas, loqui de veneno calido non à substantia, certe toxicum primo non tantum sui caliditate, sed magis propria substantia perimit, vnde Dioscorides: Toxicum linguæ & labiorum inflammationes gignit, & mentem variis imaginibus repletet, illud genus insaniæ procreans, quod minimè curari possit. Manifestum est autem, hoc vel contrariorum esse argumentum, vel propriè cuiusdam naturæ. Accedit, quòd etsi caliditate sua occidat, euincitur tamen, aut lædit non euictum, quæ par ratio est in eo veneno, quod à propria agit natura: quomodo enim non euictum tandiu perseuerabit, vt noxam inferat quæ minimè sentiatur? Ob hoc etiam iustè Gentilis ac meritò dubitabat, quomodo posset putrefaciens venenum eo magis corpus inficere, quò diuturniorem morã in capite traxerit: cũ omne agens agendo, si pati aptum sit, repatiatur. Respõdet vtique, quòd hoc est in comparatione tantùm ad frigidum venenum, hoc autem extra propositum est: nam non interficeret, aut raró: vel quòd cùm non euacuatur perpetuò agit: quandoque enim euacuatur à naturali, tertio de Temperamentis: & tunc actio illius cessat, aut minuitur. Sed dubitatio pulchra est, responsio autem non ad propositum: cùm illud non doceat, cur non finiatur actio, aut minuatur veneni putrefacitenis, si agens naturale agendo debilitatur. Dicamus igitur, quòd quicquid à putrido tangitur, putrescit. Licet igitur ratione principalis veneni actio putrefaciendi semper remittatur, aliter enim esse non potest in agentibus generalibus corruptibilibusque: cum tamen humor iam putridus & solida membra à veneni qualitate deprauata, & ipsa putrefaciant, non secus actio earum augetur, quàm cùm ignis accenditur, prior enim & si retundatur genitus tamen ignis de nouo non minus accendit, quàm qui prius lignis admotus fuerat. Quomodo autem non sentiatur hęc interim actio, infra docebimus: itaque putrefaciens venenum quantò magis in corpore perstiterit, eò magis putrefacit, tum etiam magis deprauatis in dies humoribus, & malis succedentibus coctionibus & obstructionibus aduenientibus, nam partem continuò putrefacit, aliam autem præparat: nisi protinus è corpore expellatur. Sed adhuc quis dubitabit iuxta Galeni placita, nam insensibilem permutationem ponere cogimur: mutatur enim corpus interim, nec tamen sentit. Respondeo, interim procedere hanc mutationem in humoribus, esseque hoc iuxta Galeni sententiam: sed tamen non omnino Galenus negat patientem quicquam sentire sed non extare signa quibus possit medicus hoc percipere: quod & verum est, interim enim tamen molestiam quandam sentiunt, & in somnis turbationes, ac imaginationes. Sed cùm hoc prorsus naturæ contrarium sit, cur non vomitum illico concitat? Respondeo: Omni veneno ad tempus noxam trahente, non solùm præsentaneo, vim inesse vt nauseam concitet: sed ob paucitatem veneni, aut ob admixta dulcia & bene redolentia, aut propter conuiuij hilaritatem, quandoque, imò persæpe latet.

lib.6. c.20. *epist 3.*

Sed dicet quispiam, cur si dantur talia venena, nemo vllum adduxit exemplum? Apparet enit toxicum cantharidas, Argentum sublimatum, leporem marinum, ac pleraque alia omnia esse præsentaneæ necis, non autem tandiu opus suum proferre. Respondemus itaque apud omnes patere exemplum de morsu canis rabidi: tum inter medicamenta sanguis menstruus & leprosi, sunt de illis: existimant etiam quidam scobem ac ramenta adamantis ex hoc genere esse: sed falluntur, nam omnino venenum non est, imò egregium ac singulare cuiusdam difficillimi morbi medicamentum. Scio enim quendam Gammarium, qui mihi fassus est, dedisse pluribus in vicibus ad pondus drachmæ vnius, quod maximum est cuidam (existimo autem, sed dicere noluit, vxorem illam fuisse mœcham) sub pulueris forma, sub scobis, sub ramenti, nec obfuisse magis, quàm si panem dedisset. Postmodum alius cùm insaniret plures acies, ac frustrà, deuorauit adamantis, nec quicquam passus est detrimenti: vocabatur autem ille, Franciscus Todeschinus. Siendum tamen, maximam partem horum venenorum, quæ ad tempus constitutum agunt, esse factitiam, non naturalem: nam naturalia partim rarissima, partim non interficiunt, sed fascinant, vt sanguis vterque dictus: qui tamen cùm putrefaciant, nisi succurratur, tandem occidunt.

Sed non licet medicos hæc docere, imò nec scire: vnde Zoar: Medicus, vt medicus est, venena non debet scire, sed solùm vt auxilietur. Intellige quòd quantitatem quærere haud debet: multò minus docere, iuxta sententiam Hippocratis. Et tamen Princeps docet quantitatem croci quæ interficit, & colocyntidæ, & lapidis rubei, & aliorum multorum: Dico, quòd hoc facit in rebus quæ venena non videntur, quia vtilitas iacturam superat: nemo enim bibet tres aureos croci: nec dare poterit alicui faciliter, hoc tamen præcepto vitabit eius multitudinem in cibis ac medicamentis, sciens esse genus veneni. Genera autem docemus medicos, vt possint auxiliari: sed pondus, nec vulgares, nec medicos docere decet, nisi in his, quæ nos vt innocua tractamus.

1. Theisir, tr. 1. c. 5. *in sacram 1. can. c. 130. 131.* *sexta quarti tra. 1. 5. 1. a. 1.*

Sed cur Galenus confundit venenum putrefaciens cum veneno à caliditate occidente? cùm dicat: At quæ corporis naturam rodunt, liquefaciunt, ac putrefaciunt potestate calida nominantur. Dico, Venena, vt docet Princeps, sunt duorum generum: quædam quæ à qualitate occidunt, quædam quæ à tota substantia, seu proprietate. Quæ à qualitate prima, vt calefaciens, aut infrigidans: nam euforbium adurendo, & opium infrigidando interficit. Quædam obstruendo, vt

gypsum

gypsum & plumbum vstum: & quartum genus quod erodit & putrefacit, vt lepus marinus. Hoc autem facit caliditate sua: vnde tertio de Simplicibus medicamentis inquit Galenus: Proinde longo post tempore, à quo sumpta sunt, nonnulla interimunt: potissimum quæ crassa, ac terrena sunt substantia. Hæc enim corpori diutius inhærentia dein temporis spatio putrescentia, erodunt, corrumpuntque vicinas corporis partes. Vnde duo nos ibi præcipua docet: alterum, quòd venena talia putrescentia ad tempus proferuntur: reliquum quod ex his quæ à qualitate agunt, sola hæc fermè sunt, quæ opus suum ad longum proferunt. Docet præterea modum quo putrefaciunt: nam prius à natiuo calore corrumpuntur, inde corrumpunt. Palam igitur, hæc non esse debere vehementer calida. Causam etiam docet putredinis corporis humani cōstitutionem calidam & humidam: nam talis putredini maximè obnoxia est. Hæc etiam à toto genere venena dicuntur. Porrò quod omnia talia potestate calida sint, prius explicauerat. Sed dubitatio ex dubitatione, sicut homo ex homine plerumque oriri solet: nam Galenus veneni à proprietate nullam fecit mentionem, quale est Napellus apud Auicennam, seu Toxicum, vel Aconitum. Nec veneni obstruentis vt Princeps; sed etiam ponit venenum humidum, inquit enim: Si calidum sit venenum, à frigidis auxilium petendum est: si frigidum, à calidis: si humidum, à siccis: si siccum, ab humidis: si frigidum & humidum, à calidis & siccis. Et quidam adducunt Auerroëm in libro de Venenis dicentem, Opium esse frigidum & humidum venenum. Sed nos docuimus aliàs Opium inter sicca potius medicamenta referri à Serapione, inquit enim, Papaueris nigri succus magis infrigidat, & crassescit, ac exiccat, quæ fermè verba à Dioscoride sumpsit ad vnguē. Auerroës tamen Opium humidium existimat, dum de Cascasi seu papauere loquitur. Certum est, quòd Galenus humidum & frigidum venenum diceret lactucæ lactescentis agrestis tamen, etiam satiuæ lachrymam. De humido tantum veneno non facilè est exemplum inuenire. Sed tamen Galenus voluit ponere quoniam poterat inueniri. Animaduertendum tamen, quòd rarò dabitur venenum quod humida qualitate occidat tantum, sed medio caloris, aut frigoris poterit relaxare corpus, aut somnum letiferum, vt opium, aut lactucæ lacryma prouocare: opium autem humidum proculdubio censeri potest: siccat tamen, quia frigiditas tanta est, vt comparatione humidæ qualitatis condenset humores, & spiritum vitalem destruendo, congelet humores & membra. Sicut & glacies, nam ipsa humida cùm sit potentia, à frigido tamen immodicè concreta exiccat. Vel dic quòd opium resoluta humidiore ac subtiliore parte concretum esse siccum, humidi tamen veneni nomen præteriit Princeps, quia rarissimum est: opium enim ratione frigiditatis potius perimit: quæ humida occidant rarissima sunt. Sed quod Auicenna obstruendo occidere dicit, Galenus siccum appellat: vnde etiam Serapio talia frigida & sicca in extremo esse docet, vt gypsum & plumbum. Sed de proprietate non erat locus Galeno dicendi, cùm nec proprietates salutares ibi explicet, vt aliàs docui: quantò minus venena quæ sic perimunt.

cap. 11. — *cap. 11.* — *5. de Simplic. med. c. 18.* — *tra. 3. contr. 15.* — *de Sim. c. 375.* — *lib. 4. cap. 63. 5. Collect. c. 41.* — *de Simplic. c. 378. & 379.*

Sed cur non etiam sunt venena purgantia, vt helleborus: vnde Beniuenius narrat, duos ex superpurgatione è vita excessisse, & alludit ad illud: Conuulsio ex helleboro lethalis est: & etiam de herba purgante sanguinem, de qua Galenus in libro de Purgantium medicamentorum facultate. Sed Galenus in commento Aphorismi non negat posse dari medicamentum quod superpurgando occidat, quamuis in helleboro adducat præter superpurgationem tres alias causas mortis inferendæ, nocumementum oris ventriculi, ac malam qualitatem hellebori exicantis neruos: nec non violentiam attractionis quibus conuellantur nerui, non sola euacuatione. Hic igitur modus ad siccitatem pertinet ex parte. Qua autem superpurgat medicamentum venenosum appellari solet, non autem venenum: cùm prius purget, quàm occidat. Talia sunt Scammonium, elacterium, colocynthis, helloborus, & titimallorum omnia genera graciola, & multa alia. Sed herba illa erat medicamen venenosum putrefaciens, vel reduci potuit ad venenum dictum à proprietate. Manifestum est autem, quòd iuxta Galeni sententiam aliud dicendum est venenum à proprietate, & à tota substantia, quod multos fallit: quandoquidem putrefaciens à tota sustantia venenum dici debet iuxta illius sententiam, non tamen à proprietate.

lib. 1. contr. tra. 1. contr. 11. cap. 51 & 52. 5. aphoris. 1. — *cap. 3.*

Est autem venenum, vt Hali scribit, humidum, subtile, aquosum, horribilis qualitatis. Sed hæc diffinitio valde absurda est: cùm, vt dixi, etiam metallica prædura & sicca venena sint. Melius est igitur dicere cum Auicenna, quòd est id quod à corpore non mutetur, & ipsum mutat. Et hæc verba ex Galeno sumpta sunt in tertio de Temperamentis: quamobrem & sub eodem prorsus sensu, quo ab illo prolata sunt intelligenda erunt: scilicet, quòd non mutatur venenum ad naturam humanam: ad aliud tamen immutatur tum putrefaciens maximè vt declaratum est: ipsum enim prius quàm agat immutatur, & quomodo per tempus manes putrefacit, iam est declaratum: in aliquibus tamen putrescit substantia sanguinis: velut in muliere quæ laborare videbatur laterali morbo Anno M. D. XL. ad quam vocatus cùm iam haberet spirationem grauem videreturque moritura eadem die, consensu medicorum priorum rogantibus affinibus cùm certum esset bibisse venenum iam aliquot antea mensibus, secui venam, prodiitque nō sanguis, sed virentis herbæ succus perseurauitque vsque ad vncias nouem: quod ego prodigium videns, nec proficere ex hoc certus, iussi sanguinem sisti, magna cum astantium admiratione: vixit tamen adhuc triduo, quasi alleuiata venæ sectione. Manifestum est autem, quòd iecur tale esse debuit. Veluti cùm hæc rescriberem Anno M. D. XLVI. ætatis autem XLV. Thomas Iseus amicus noster misit

1. Artis med. cap. de ventre com 27. secunda pri. doc. 2. ca. 15. cap. 2. in prin.

ſter miſit ſanguinem viri nobilis ad me, cui venam ſecuerat, lacti adeò ſimilem, vt nihil fuerit expreſſius. Manifeſtum eſt autem, quòd vel putrefaciens hic bibit venenum, aut hepar tale diutino morbo factum eſt, ſiquidem lacteum: ſimilia enim à ſimilibus generari neceſſe eſt. Porrò venena putrefacientia maximè, vt dixi, proferunt vim ſuam, ſed quæ obſtruunt, non ſimiliter: quamquam enim occidant tardè, celeriter tamen inferunt tale detrimentum vt ſentiatur. Pleraque autem venena, quæ vim ſuam procraſtinant, ſitim, & mentis alienationem inferunt: calida enim, aut ſicca, aut putrefacientia ſitim inferunt corrupto humido innato: vnde etiam aqua intercute laborantibus ſitis adeſt, quamuis ſuperfluo abundent humido, & tabidis, & ſenibus: frigidum etiam vel congelato natiuo humore, vel ſiccitate iuncta excitat ſitim. Quæ à proprietate agunt corrumpendo humidam ſubſtantiam, & ipſa generat ſitim. Carere igitur omnino ſiti, maximum eſt argumentum non bibiſſe venenum. Mandragora tamen & ſuccus lactucæ perimunt abſque ſiti, ſed hæc copioſa eſſe oportet: & pauciſſimis contingit, vt his pereant venenis. Cicutam nunc ſciens prætermitto. Sed mentis alienationem faciunt omnia venena ferme, vt de Toxico ſuperius diximus: ſic Sardonia herba, Pharicum, Apollinaris, Mandragora, palicaria, coriandrum, pomum ſpinoſum, Aconitum, Dorycnium, Ixias, ceruſſa, menſtruus ſanguis, tum leproſi, Herculeus lapis, & cæruleus, ſuccus albæ vitis, Bryoniæ dictæ, tum Rhododaphnes, tum mel anacardi, fibri teſticuli corrupti, & felis cerebrum, & nux vocata methel, & baccæ lauri corruptæ, nuceſve, aut auellanæ, & extremitas ceruinæ caudæ, & aſſatura ſuffocata, & ſanguis hominis bilioſi irati, & fel leopardi, & cicuta: vnde rectè Plato conſtare mentem Socrati deſcribit in Phedone, cùm ex veneni vi laborare debuiſſet, pro miraculo. Ergo frigida id per ſe faciunt: obturbantia mentem, calida putrefacientia & quæ à proprietate agunt, plurimum atræ bilis generant, & ob id mentem loco mouent. Sicca ſomnos tollunt, vnde mentis alienationes, hæc autem magis, quæ cum tempore perimunt: inde faſcinati, præſtigiati, lunatici. Sed non ſolum in potu ſumpta ſed morſu & ictu inficientia mouent alienationes, vt ſcorpij ictus, & morſus canis rabidi. Sed Galenus in libris de Temperamentis, videtur ſentire illius ſpumam non eodem modo afficere: inquit enim, Neque enim viperæ venenum, aut rabidi canis ſpuma, aut aſpidis virus, quæ tamen ſi extrinſecus occurrant offendere creduntur: parem vim habent vel ſoli cuti applicata, vel intrò aſſumpta. Quare hæc venena intro aſſumpta iuxta Galeni mẽtem haud videbuntur. Nos tamen vocati ſumus anno M. D XLIII. quarta noctis vigilia, ad Alexandri Braſcæ patritij viri curam, cùm in alterius medici manibus eſſet, deprehendimuſque rabidum eſſe, erat enim hydrophonus: cùm autem cæteri medici ſimul aduocati, & qui prius aderat fateretur, quæſitum eſt de cauſa: aſtantes confeſſi ſunt oſculaſſe rabidum canem antequam emitteret ſuffocandum: mortuus autem eſt ſequenti die vt nos prædixeramus. Conſtat igitur ſpumam rabidi canis venenum eſſe peſſimum, etiam intro aſſumptam. Sed hoc Galenus non negat, non tamen ſemper occidit: aut enim immixta cibis retunditur, aut paucitate ſua euaneſcit. Ille tamen cùm ieiunus eſſet exoſculatus canem mortem momordit, aut forſan per nares ad cerebrum raptum venenum eſt, offendebat enim plurimum in inſpiratione. Quid igitur? an auxilium aduerſus venena hæc temporanea? Certè ſic: vnde Tranquillus in Nerone: cùm deſtinaſſet occidere matrem, venenóque ter tentaſſet, ſenſit antidotis præmũnitam. Quale id eſſet Antidotum docet Scribonius largus. Sed noſtro tempore difficillima compoſitio: noſtra melior, de qua in libello Experimẽtorũ, & paratu facilior: numquam tamen abſoluere potui, præſeruare enim poteſt abſque dubio ab omni veneni genere, ille tamen duas connumerat herbas Hierabotane & ὀξυτρίφυλλον. Satis hoc conſtat, præaſſumpta omnem vim tollere veneni, neque enim illud probarim.

lib. 3. c. 3. — *compoſitione 177.* — *compoſitione 164.*

> *Profecit poto Mitridates ſæpe veneno*
> *Toxica ne poſſent ſæua nocere ſibi.*

Sed ex Antidotis potius ea ſecuritas parata eſt. Non eſt conſilij mei, vt hîc ea deſcribam quæ aliâs aduerſus venena, vel paratu facilia, vel præſentiſſima conſcripſi. Illud potius quærendum eſt: cur viuenti iumento, vt mulo, includi aduerſus præſentanea venena ſit vnicum ac non fallax auxilium, ſi celeriter adminiſtretur. Conſtat ſanè, venenum aut per paruas arterias maxime, quod iaculatur in ſiniſtrum cordis ventriculum, aut per cauam quod bibitur in dextrum elabi, atque ſic interficere. At ſi immodico calore exterius auocetur, non calefacto pulmone, aut viſceribus, per paruas venas aut arterias à corde auocatum defertur ad cutim, atque eo modo liberatur æger. Conſtat igitur cur neque in hypocauſto iuuatur æger, nec in veneno ad tempus, nam nihilominus illud hæret membris: & virtus in qua vnicum ſperatur in talibus auxilium, calore exenterati iumenti debilitata, corpus veneno depaſcenti abſque vllo præſidio exponit. Horum igitur venenorum, quæ temporis tractu ſenſim ac latenter interficiunt, alia quidem ventriculum terebrant, vt acus, vitrum, ac claui.

Nuper hoc Martio menſe, Anni vt dixi M. D. XLVI. ſacra virgo inſana, vinculis ſoluta, vitrum ciceribus confractum miſcuit, inde multæ ex his abſque detrimento euaſere, duæ tamen hydrope extinctæ ſunt: vna cruciatu ventriculi peritura laborat: ad quam nos, cùm alij nihil proficerent medici, vocati ſumus. Alia autem congelantur in ventriculo, & lapidis formam induunt: & duo meo tempore exciſi ſunt, quorum ventriculis inerat lapis oui ferme gallinæ magnitudine, quorum alterum vidi, defunctum tamen, ac cùm diuideretur. Hi ambo intolerabilibus ventriculi doloribus mortem obierant. Sed alia putrefaciunt iecur, & ſanguinem totum corrumpunt. Sunt & quæ erodant pulmones vnde emoptris violenta: alia

poſt

post modum erodunt vesicam, vt cantharides: sed hæc subitò deprehenduntur: cum enim membrum sit neruosum, illico dolet, & patitur.

Contigit res mira Gallarate oppido Mediolanensi, de qua aliàs scripsimus, sed non pigebit hîc referre: Cùm quidam hominem necare destinasset, essetque in oppido seditio, minister quidam ecclesiæ venenum immiscuit tortæ, quam tartaram vocant, ex lacte & ouis constat, mortui autem sunt ex eo nouem conuiuæ, alij intra mensem, alij intra sex menses, quidam intra quatuor: omnes tamen tempore maiore quàm mensis, minore quàm anni dimidio. Attulerat ex Roma id veneni genus, vbi CHRISTI sacerdotes ei clarissimæ industriæ operam dant: sic ille, mortuo quem destinauerat, sacerdotio functus est: lege enim sibi inuicem succedunt. Igitur hi donec crustas in capite emitterent, nihil prorsus sentiebant: inde grassante veneno etiam febris superueniebat, quæ occidebat. Erat autem venenum id, vt illi mihi retulerunt, puluis cineris similitudinem referens. Galenus itaque veneni notas docere volens inquit: Cùm enim secundum illorum qui melius de his sentiunt placita, eadem symptomata quæ à veneno fieri possunt exhibito, fieri etiam queant ex humore aliquo interius genito: si tamen in homine natura probis humoribus abundante, victúque sanorum mente, mors repente qualis his qui venenum sumpserunt contingat, deinde corpus aut liuens, aut nigricans, aut varium, aut diffluens, aut præ marcore fœdum reddit odorem, ac molestum, hunc venenum sumpsisse aiunt. At hæc præsentanei veneni signa sunt: diuturni autem quod dixit in Tiberio Tranquillus, cor igni non cedere. Sed hæc longinquiora sunt, quàm, vt medicum instruere possint, in præsentaneis igitur præter Galeni signa, quæ parum prosunt, cùm de mortuis agant, & Aetij fabulosa deliramenta, ponam, quæ experientia ipsa comperi. Aurichalcum cùm venenum erodens sentit, tum etiam aliorum plura genera, colorem immutat, hæc est insignis vtilitas pauperum, qui securius quàm auro vel argento comedunt ac bibunt. Præstat igitur furculam ex illo splendente habere. Dixerat Plinius electrum natiuum stridere, sed vix est verisimile, & nunc illud rarum inuentu. Nec nisi à putrefacientibus patitur, qualia etiam sunt, quæ aurichalcum certo immutant experimento: velut auripigmentum, & cætera huius generis. Aliud cautionis genus: omnia sunt aut fœdo odore, aut sapore tetro, aut sub dentibus strident: quamobrem si quis considerate comedat, & lente, tum ab his abstineat in quibus hæc latere possunt, ea autem sunt prædulcia, & odorata, & quæ saporem acrem aut magnum habent, facile vitare poterit. Et scias, Princeps illustrissime, quòd ex decem qui venenum bibunt vix vnus, nisi repetatur, moritur. Dico autem vulgaria, aconitum, cicutam, opium, auripigmentum, atque eiuscemodi. Scio multos qui plusquam quindecies venenum dum ægrotarent biberunt potens, quorum aliqui vix periere, aliqui etiam seruati sunt. Quæ autem occidunt factitia sunt, & magni pretij: nec tamen ex illis quæ ea sumpserunt vix pars tertia moritur. Ob hoc periculum solum ferme in domesticis. Nam & Arideus quamuis venenum ab Olimpiade nouerca accepisset, superuixit tamen: & si mente oblæsus. Sic plures alij venenis regiis epotis. Sunt qui lapidem porcelanam, figulini genus est, ac in India factitij, prodere venenum affirment, quod nequaquam verum est: cùm enim tot sint venenorum genera, impossibile est ab vno omnia eadem pati, atque ideo detegi. Factitia autem & ipsa retinent odoris aliquid, aut saporis, vel ob materiam si absque igne fiant: vel ob ignem, si cum ipso præparentur. Pleraque etiam eorum strangulare videntur cùm sensim deuorantur, vt quæ ex argento sublimato, ex toxico, ex fungis, ex spuma bufonis, aut serpentum fiunt. Cùm verò deuorata sunt vomitum cient, tunc summum præsidium est, vt euomat. Quod euomuit si suspicio subest, ieiunis gallinis detur: hæ si contristantur, venenum est: si autem etiam moriuntur, valde exitiale. Hoc idem in fungis ac ranis (si quis casus deuoratus euomuerit) fieri debet. Cùm talia prætermittant medici qui custodiæ principis præficiuntur, ne glorientur, quòd illis neglectis, ac eorum salute dicentur. Non intellecti enim nulla est curatio morbi. Sed Principes suo malo plectuntur, qui fucum pro roseo colore natiuo diligunt. Tu verò sapientissimus es fructúmque sapiētiæ, velut Cæsar noster feres. Sed cùm non hic locus sit curam tractandi venenorum, sed in quatuor libris huic negotio dicatis, quos canones curandorum morborum appellauimus: id solum dignum scitu est, an expurgantia medicamenta epoto veneno conueniant. Nam de vomitu ante distributionem, de prouocatione sudoris post distributionem, satis conuenit: sed de medicamentis expurgantibus est difficultas: dicebat enim Princeps. Et ad summum ex medicinis quæ bibūtur causa venenorum, aut quæritur confractio acuitatis veneni, sicut cum lacte: aut resolutio substantiæ eius, sicut cum alexipharmaco: aut exitus substantiæ eius, vt per lemniam terram: aut oppositio qualitatis, vt allium in vino damus ei, quem scorpius pupugit: constat enim venenum scorpionis frigidum esse, vt etiam ipse testatur, & Beniuenius de hoc se vidisse magnum effectum affirmat. Hic igitur non meminit expurgantis medicamenti. Sed nec in cura Calcis, & Arsenici, & Napeli, quæ maxima sunt venena, & auxilio hoc maximè indigere deberent, huius meminit. Et cùm de cura argenti viui tractat, enema exhibet, medicamentum non exhibet. Ratio etiam ad hoc facit, nam medicamentum sua caliditate venenum attenuat, & etiam trahit ad ventriculum, igitur cùm conturbet etiam vel occidet, aut valde nocebit. In oppositum est ipse, & bibat decoctum vrticæ cum butyro cocto ad expellendum venenum vomitu, & purgatione. Manifestum est autem quòd vrticæ semen purgat pituitam, & humorem crudum: non quòd purget, inquit,

lib. 13. c. 86.

sexta quarti cap. 4. in fin.

sexta quarti tract. 5. c. 3. cap. 56.

sexta quarti Summa 1. c. 9. & Sum 2. c. 1. Sum. 1. c. 2.

sexta quarti c. 4 in princ.

2. Can. c. 723.

quit,sed quod detergat: ideo verba quæ sequuntur sunt clariora. Oportet vt vtatur enematibus, cũ autẽ fuerit cõmotio supra illud, vtatur eo quod vomitu & purgatione educit Et rursus alibi, dum de spuma argenti loquitur: Et ad vltimum vtatur aperientibus, & prouocantibus, ac p rgantibus. Et in capitulo De gypso: Et indiget solutione ventris cum Scammonio, & similibus. Et in capitulo De scobe ferri: Et indiget aliquando lapide Herculeo, & lac cum eo quod violenter purgat Et rursus dum de cerusa loquitur: Et datur in potu scammonium cum aqua mellis, & hoc sumpsit ab Aëtio in eadem cura. Quo magis mirum est Aëtium nũquam alibi memoriam purgantis fecisse medicamenti: sed nec vbi generaliter tractat venenorum curam solum Bryoniam dat in perfrictionibus cum pipere, lasere, & similibus: opinor potius qualitatis ratione, quàm purgandi causa. Verùm haud difficile fuerit hos concordare: Quandoquidem venenum, vt venenum est, purgante indiget medicamento: sequuntur tamen ad purgationem calefactio, distributio, taliaque: quamobrem neq; in calidis, vt toxico & auripigmento, nec in liquidis, vt argento viuo, & cicuta, nec in purgantibus aluum, vt helleboro, aut elaterio, purgantibus medicamentis vti oportet: sed solùm in frigidis solidis, nec purgantibus qualia sunt, gypsum, & cerusa: & ideo in regulis generalibus purgationem laudauit Princeps, quæ tamen paucissimis conuenit venenis: ob id Aëtius non purgandum generaliter censuit, cùm paucissimis in venenis purgatio conueniat. Exceptio enim regula amplior est. Vterque igitur bene regulam docuit generalem: ille à ratione constituit, hic ab his, quæ occurrunt frequentius medico. Vnde bene dixit Galenus, quòd excrementa quæ subterfugiunt concoctionem in venenosis medicamentis, vrina, aluo, & sudore expelluntur. Est etiam dubium in medicamento ne adhuc veneni reliquiæ distribuantur per corpus, quæ in ventriculo manent: ob id nisi in his tutum est medicamentum, quæ iam dicta sunt: in aliis, si iam virtus penetrauerit, enematibus vtendum est: ob id etiam alexipharmaca in expurgando eligunt, quandoquidem calor naturalis est qui expellit. & hoc sæpe repetit Auicenna. Sciendum est autem, quòd ne quis in aurichalco decipiatur ipsum maculam etiam ab omnibus quæ acria sunt contrahere, vt aceto, ac sale, tum maximè si misceantur: verum non est similis macula: à veneno enim nigredinem & rubiginem contrahit, ab aliis autem palescit. Sed forsan quis requiret, vnde periodici ac lenti veneni signa sint? Sed rarius illa etiam præsentaneis, vt dixi, interficiunt. Faciunt autem plerunque febres sui generis calidum, & siccum, tertianas: humidum, ac valde frigidum, lentas, ac tabificas, instar pituitosæ: frigidum & siccum, cum periodis quartanis: quod etiam medicos fallit. Sed singulare signum est læsio in ventriculo cum voluntate euomendi: nec leuantur oleo, nec oximelite, sed minus oximelite. Cum igitur nausea vrget, & febricula, nec vllo euomunt auxilio, tunc veneni suspicio adest: certius, si cum hoc erosionem cum vigiliis sentiant. Memini me, cùm Venetias fortè fortuna iuissem, ostenderunt mihi Ioannem Scottum, cui affinis ob intentatam litem, venenum diuturnum exhibuerat: febricula is afficiebatur continua, quæ tamen tertio die exacerbabatur: dolor in ventriculo & erosio perpetua, inde marcor & tabes cum vigiliis, & vomitus quasi lentæ pituitæ ac crassæ, & sitis, non tamen multum valida, & deiectiones albæ ac corruptæ. Hunc prædixi, cùm iam tabefactus esset, intra tres menses moriturum, sed nec duobus superuixit. Et hæc inquam de diuturnorum venenorum signis quæ ventriculo hærent. Quæ autem colliquant hepar, celerius perimunt, nec vnquam annum attingunt, cùm priora quandoque ad triennium extendantur. Signa eorum quæ iecur colliquant sunt, egestio fœda, tristitia, malus color, & vigiliæ.

sexta quarti Sum 1 cap. 3. cap 5. cap 8. cap 4. lib. 13. ca 77. c. 48 eius. li. 3. de Tem. c. 3. sexta quarti c. 4.

Nunc tandem reliquum est, vt de his dicam venenis quę solo contactu occidere creduntur, nam ea vt leuius inficiunt, sic tutò copiosius exhibentur, atque ob id non minus ebibitis sunt periculosa. Dum viderem parari mensam Cæsari, detergebant sedem, mensam, & pedum, pluteum sustentaculum, mappa: existimant enim venenum aliquod adeò esse potens, vt vel sub calceis vel ephippiis occidat: quod probè confirmatur, pestiferi experimento: ipsum enim ferro, vestibus, canibus, lapidibus, lignisq; contactu hærens persæpe necat. Hanc tamen tantam subtilitatem perfidia nostrorum temporum inuenit, quod antiqui ignorabãt. Celebre est hoc, vt fertur, apud Turcas efferam gentem. Hoc peremptum ferunt Ioannem Galeazium Mediolani ducem, qui Virtutum comes prius fuerat vocatus. Remedium est, cautio, vel Theriacæ electæ illitio. Præsentissimum ignis, modo celeriter adhibeatur. Verba autem Principis superius adducta de turdis hoc rectè ostendunt, quod etiam fateri debemus: Diuturna venena non esse venena cùm occidunt: neque enim ad cor permeant, sed corruptis corporis partibus per febres & phlegmonas interimunt.

CONTRADICT. X.

Aetas consistentiæ an ad XXXV. annum terminetur.

GAlenus tertio Prognosticorum inquit, Primus terminus cõuersionis ad habitũ frigidiorem est annus trigesimus, nouissimus verò trigesimus quintus. Multis verò propter naturam ab initio contractam, & quæcunque secundum casus, aut consuetudinis & arbitrij differentias permutantur in medio, ætas vigoris est circunscripta. Liquet igitur, quòd summi vigoris, vel ad 30. vel ad 35. annum iuxta Galeni placita terminatur. Et tertia Aphorismorum: Iuuenum ætas quinta septimana terminatur, & post pauca, Nam quæ iuuenibus ætas continuatur, ad duas sequentes septimanas extenditur: in qua ætate omnia vitæ munia,

com. 1. Aph. 30.

nia, æquè atque illi, quæ in viginti ætate consistunt, conantur peragere, non tamen eodem modo ad labores sufficiunt. Manifestum est, & luce clarius, vigoris ætatem non vltra 35. annum vt ad summum extendi. Vnde prius, dum de iuuenibus loquitur, in summo vocat vigore consistentes: talibus enim ardentes febres accidere refert. Ipse tamen Consistentem vocat à 35. ad 49. annum prima Aphorismorum, dum inquit, Appellat autem ætatem habentes consistentem, eos qui mediam habent ætatem inter iuuenes & senes, ita vt ab ætate quidem vigente recedant, nondum tamen habent sensum senectæ manifestum. Sic autem & Thucydides quosdam dixit, esse in ætate cōsistente. Verùm inter hanc ætatem & adolescentiam altera quædam est. Ostendit hic clarè, quòd consistentiam aliam faciat ab ea, quæ vigoris appellatur. Consonat ad id quod dixit alibi, Ætates quatuor sunt, Crescentium, Vigentium, Consistentium, & Senum. Iuuenum, atque vigentium alibi. Ætatem florentem appellat, quòd in illa operationes sint perfectissimæ. Auicenna autem posuit adolescentiam vsque ad 30. annum: Consistentiam, quæ est pulchritudinis, ad 35. vel ad summum ad 40. Primum senium, cum virtus non manifestè minuitur, ad annum vsque 60. Deinde Senectutem ipsam vsque ad vitæ finem. Manifestum est, quod Auicenna quinque annis plus florentem extendit ætatem, quam Galenus: & primum senium 11. plus, id est, à 49. ad 60. omissa ambiguitate nominum: nam Auicenna Consistentem vocat, quam Galenus secundo Aphorismorum vigorem in summo consistentium: quam verò Galenus simpliciter vocat Consistentem, Auicenna appellat Diminutionis non manifestæ. Sed lis in verbis apud nos nihil momenti affert, difficultas est in re, vt visum est. Perspicuum autem est ex his, crementum nostri corporis ad 30. vel 35. annum extendi, iuxta Galeni sententiam, non autem ad 21. vt, quidam putant. Veruntamen manifestius crementum in longitudine ad id temporis terminatur. Princeps autem vsque ad 30. vel 35. annum parum admodum in longitudine augetur, in latitudine autem ac crassitudine haud obscurè. Quin etiam Philosophus primo de Generatione animalium c. 18. Quinquennio nāque ferè corpus in homine dimidium capere quidem omnis magnitudinis videtur, quæ reliquo toto tempore comparatur. Id si ad longitudinem referatur, minimè verum est, nam triennio dimidium longitudinis plerunque absoluitur. Si autem ad totius corporis molem, octuplam esse oportet viri ad quinquennis pueri magnitudinē: extenditur enim longè minus in longum, quàm in latum, aut profundum. Sed nec dimidium molis intelligere oportet: nam necesse esset viri proceritatem quarta parte quinquennis pueri magnitudinem solum (sed nec plenè) superare: erit igitur puer ea ætate dimidio minor viro: quoniam quò longitudine exuperat latitudine & crassitudine superatur. Sed sit qualiscunque ratio huius, certè Aristoteles non

Aphor. 19.

Aphor. 13.

lib. de Differ. fol. 1. 1. de Tem. c. 2.

prima primi, doc. 3. c. 3.

Aphor. 10.

videtur, vt pleraque, quæ in his scripsit libris, ad vnguem fuisse assecutus. Haliabbas autem non obscurè terminum incrementi 35. annum statuit. Similis fermè sententia habetur à M. Varrone, sed non tempora eodem modo partitur. Ætatem enim primam pueritiæ, à puritate, ad 15 extendit annum: sequentem Adolescentiæ, ab incremento ad 30. vsque: tertiam Iuuentutis, à iuuando, vsque ad 45. quartam ad 60. extendit: quintam ad vitæ finem Senectutis: vt priores omnes 15. annorum spatio claudantur. Sic ille fermè à 30. ad 45. annum hominem consistere arbitratur, proxima sententia Galeno, vt constat: neque enim corpus nostrum, quin crescat, aut decrescat, vnquam quiescit. Finem igiter incrementi suscipiente anno 30. vel ad summum 35. proximis 15. sequentibus annis homo consistere videtur, vt nec labi vires, nec crescere videantur. Censorinus tamen refert in suo libro de Die natali, Hippocratem in libro de Septimanis, qui ad nos non peruenit, constituisse ætates septem. Primam ad septimum vsque annum: alteram succedentem ad 14. tertiam ad 21. quartam ad 35. quintam ad 42. sextam ad 63. extremam vsque ad vitæ finem. Vnde satis constat, à 60. anno supra omnibus hoc conuenire, vt ætas illa deplorata quasi habeatur atq; inutilis functionibus corporeis prorsus, aliis autem etiam parum vtilis. Arabes Astrologi, & quidam etiam Græcus, vt Brasauolus refert, ætates pro planetis distinxerunt: Lunæ quatuor annos primos, sequentes sex Mercurio, octo succedentes Veneri, septem post hos Soli, 17. Marti, sequentes proximos 21. qui 63. terminantur Ioui, extremos Saturno tribuentes. Quæ opinio vt naturalis nō est, ita etiam à nobis in Astrologiæ placitis reiecta & impugnata est. Galenus certè in prima Aphorismorum parte, sed statuit ætates, quibus si septima, quam præteriit, Infantiæ, adnumeretur, tunc septem numero erunt, atque totidem, quot planetæ, ac quot ab Hippocrate numerantur. Meminit enim pueritiæ, Adolescentiæ, Iuuentutis, Consistentię, Senij primi, & Senectutis perfectæ. Hîc igitur in re manet difficultas, quonam pacto Auicenna ad 40. annum extendat florentem ætatem, Galenus ad summum tantum vsque ad 35. Et rursus Princeps ad 60. consistentiam, Galenus ad 49. Responderi solet in regione Auicennæ diutius viuere homines, atque ob id in longius extendi ætates, quam in patria Galeni. Sed regio Principis calidior est. Aristoteles autem in libro de Iuuentute & senectute, censet ob id parum viuere animantia, quòd nimio æstu humidum à continente naturale consumatur. Sed ille idem non hoc censet de calido, quod humido coniungitur: in libello enim de longitudine ac breuitate vitæ, dicit: Calidum cum humido iunctum & vitæ & incrementi causam esse: quo fieri potest, vt habitantes in calidissimis regionibus diutissimè viuant. Atque hoc alibi nos declarauimus. Esse igitur potest, vt in regione Auicennæ diutius proferantur ætates: nam & Auerroës suam, quàm Galeni facit regionem temperatiorem. Vel dic, quòd Auicenna extendit ætatē ad 40. floren-

4. Theorica c. 1.

aphor. 13.

c. 3. in fine.

cap. 2.

tem, quia nihil omnino quoad vires homo debilitatur, ad patientiam autem laborum non suffert: à 40. autem debilitatur, etsi non valde conspicua sit iactura. Vel forsan Galenus vires corporis solas contemplatur, quæ à 35. minui incipiunt. Auicenna totum hominem, qui quamuis labatur viribus corporeis, ingenio tamen eo magis pollet: quò fit, vt à 40. ad 60. consistere videatur: à 35. autem ad 40. manifeste ingenij vires augentur, quod decedit è corporis viribus, omnem sensum interim effugere solet: quo fit, vt ætas à 35. anno ad 40. ad hominem collata ad florentem referri debeat: ad humanum autem corpus ad consistentiam. Sed cur hominis corpus viribus celerius, quàm intellectu senescit? Nobis animum immortalem statuentibus facile iuxta philosophorum sententiam in libro de Animi immortalitate responsum est. At si animus non immortalis statuatur dicendum esset, intellectum esse quandam ἀποφύσιν animi humani. Hæc cum fundamentum receperit ex se immortalis est, & ideo semper augetur: quia primis ac paucissimis extantibus formis rerum struem ex strue agit, ac facit superstructionem: quæ quandiu manet initium, semper augetur. Sic fit, vt anima ac corpus in dies debilitentur, immaterialis autẽ intellectus augeatur: quoniam natura sua immortalis est: videturque separata ἀπόφυσις illa ab anima ipsa & corpore: cùm tamen corpus adeo consenuerit, vt prima illa fundamenta perturbentur, aut obliuione delitescant, tota ἀπόφυσις illa, & superstrues corruit simul, nec amplius redire potest: sic fit, vt quibusdam intellectus incrementum ad 60. vsque, aliis etiam vsque ad 70. annum extendatur: quæ enim posteriora sunt, & magis ab initio animi remota, magis in pretio habentur: videntur enim priora omnia includere: atque id potentia verum est, vt quod octaedri solidi ad tetracedri ratio, eam quæ lateris recto angulo oppositi æqualem potentiam continet. Sed quonam pacto intellectus iste noster esse potest? Ob hoc dixerunt quidam, præparationem nostram esse, quæ est potentia intellectus. Hoc autem ad librum de anima referatur. Cæterum id forsan dubitabit aliquis, quonam pacto Philosophus dicat, Longitudinem plus augeri latitudine ac crassitudine? afferatque rationem, quòd longitudo ter augeatur, latitudo bis, crassitudo semel: non igitur serius profunditas aut latitudo longitudine: sed nihil prohibet, longitudinem semper augeri dum crescit animal: posterius tamen minus latitudine vel crassitudine. Quòd autem seorsum augeatur longitudo, ab initio sic debet intelligi, vt reliquarum dimensionum incrementa ferme lateant, velut in arboribus. Natura tamen nobis proprie tres præfiniuit ætates, Incrementi, Consistentiæ, ac Decrementi. De causis horum iam superius diximus. Verum non sunt iidem omnibus fines: vnde Galenus in sexto de Sanitate tuenda: Nec tamen est has ætates numero annorum circumscribere, quemadmodum quidam fecerunt, sed in latitudine quadam: vt cum pubescere incipiũt

17 problem.
2. problem.
cap. 1.

aliqui anno 14. alij sequente, alij autem post, longiore adhuc tempore. Initium autem remissionis quidam habent statim post annum 30. alij autem post 35. Ac robur quidem statim minuitur post ipsam summi vigoris ætatem: non tamen hi sanitatem amittunt, tametsi minusquam antea laudabilem habeant. Cælius refert, Græcos quibus diligentissima cura horum fuit minutim ita concidisse ætates, vt cùm primum natus esset βρέφος, diceretur infans: cùm ambulare incipit, παιδίον: cùm disciplinis aptus est, παῖδα, cuius quasi diminutiuum παιδίσκος: cum nondum satis aptus habetur, πάλλικα insequitur encyclicarum disciplinarum ætatem iuxta Veneris titillationem: inde ἀντιπαίδα, vel βουπαῖδα cùm iam matura sunt in ephebia: pòst ἀποδρόμοι ephebi: ἄνηβοι autem impuberes communi nomine, ante pubem omnes: inde μεῖραξ adolescens, cuius diminutiua μειράκιον, & μειρακίλλιον: pòst νέος, iuuenis: sed ante ipsum est νεανίσκος, deprauata interpretatione plerunque (est enim iuuenculus) illi adolescentulum quandoque significant. Pòst est καθεστηκώς, consistens vir: inde ὠμολογέρος, virens senex & προβεβηκότας dicimus adhuc firmos senes sed πεμπέλους proximo morituros. Horum duo genera sunt, vltimi namque ἐσχαλόγεροι, priores autem πολιοκρόταφοι. Γενεάν autem dicunt ætatem validiorem generandi, pariendíve. Sic Græci expressius scribunt, quæ nos circunscribere cogimur. Ergo ad summum ætas nostra viget ad annum vsque 35. nec si quispiam postea ægrotet, verè pristinæ restituitur valetudini: nec decet se eisdem laboribus exponere: non solum autem robustiores fiunt à 21. anno ad 35. ob incrementũ, sed etiam ob soliditatem membrorum. Membra autem, ac partes, quæ non ex semine gignuntur, etiam senio quandoque, semper autem antè augentur.

lib. 19. c. 11.

CONTRADICT. XI.

In declinatione generali an contingat ægrum mori.

CVm aliquando illud euentu contingat, vt ægri nõ falsa morbi declinatione mitius se habentes attamen pereant: non ideò absurdè dubitari solet, an in veris morborum ac generalibus remissionibus æger mori possit. Nã de falsa remissione Auerroës dicebat, Et aliquando accidit mors in augumento, statu, vel declinatione: & declinatio in mortiferis morbis fit à debilitat virtutis, non morbi. Quo minus mirũ fiet, in his mortẽ contingere. Sed dubitatio est de vera declinatione, cũ dicat Princeps: Et tertia est mors facta in declinatione, & est pauca & rara, & plurimum illius est in declinatione particulari, non generali. Et causa mortis in declinatione accessionis est, quòd calor expãditur & diuiditur, & quod necessarium fuit ex vnione illius in principio dispertitur, quia natura ferè secura redditur. Et quidã ex his cum syncopi subito, alij autem sensim pereunt. Et fortasso

3. coll. c. 9.
secũda quarti tract. 1. c. 38.

tasse declinatio est mollificatio virtutis absque morbi remissione: & ideo existimatur, quòd sit vera declinatio: cùm tamen in ea pulsus mollior fiat, & inordinatus: in vera autem confirmetur,& ad ordinem redigatur. Vnde luce clarius est,hic loqui in prima verborum serie de declinatione vera, cùm sermo secundus à primo seiunctus sit, & etiam non esset verum quòd frequentius mors in declinatione accessionis contingeret, quàm in declinatione falsa: nam falsa declinatio frequenter accidit,mors in remissione accessionis rarò admodum, ac pro miraculo,vnde necesse est verba illa. Et plurimum illius: referri ad veram, non ad falsam generalem declinationem. Memini etiã me legisse apud Rasim,quarto Continentis,hanc sententiam: In morbis,vbi expulsio fit à virtute naturali, concoctio sanitatem prænuntiat, quoniam virtus quæ concoquere potuit, expellere etiam sufficiet:at vbi per voluntariam virtutem, velut in morbo laterali, quod concoctum est, expelli debet, sæpe concoctioni mors ipsa succedit. Alibi etiam in eodem morbo recitatur exemplum, cum concocta materia ex esu lenticulæ cũ aceto suffocatus est æger. Solet etiam adduci argumentum Nicolai de decrepito in declinatione,cui plus virtus ex ætate, quàm morbus à virtute decrescit:qui sic in vera, vt ille concedit, declinatione morietur. Mitto nunc nouos superueniẽtes morbos:nam hoc nil magis mirum, quàm si in morbi remissione cadente domo quis obruatur,nã si sanus à morbo corripitur ac moritur,quid oppidò mirũ est,iã languentem, licet in morbi remissione, nouo morbo opprimi? Non ignoro Gentilem existimasse verba Principis intelligi de falsa tantum declinatione: cùm etiam existimet in falsa declinatione morbum cum virtute remitti,cùm tamen Princeps falsam declinationem non morbi,sed solius virtutis remissionem habere dicat: non est enim necessarium vt morbus remittatur,sed ob id declinatio dicitur, quia morbus remitti videtur,non quia remittatur, attamen non semper ad virtutis declinationẽ falsa declinatio sequitur mortis præsentibus signis iam subeuntibus,aut quia morbus non in naturali calore viget,vt in fluxu,phlegmone,doloribus: aut etiam quia virtus omnino repente concidit, cum igitur morbus febris fuerit,nec in virtutis attenuatione signa mortis euenerint, sensimque, non repente à morbo virtus euincitur, falsò declinare morbus apud inexpertum medicum, aut etiam astantes iudicabitur: & hoc vbi amplior materia non efferbuerit. Quæ enim prius computruit, si non alia adiiciatur deficiente naturali calore speciẽ remissionis febris necessariò præbet. Memoria teneo,plurimos vidisse qui post remissionem obiere, morbum pestilentialem habuisse:atque id ratione, nam in eo morbo, vt Princeps ait, vrina aque calor non mala sunt:tamen pulsus, vt inquit Galenus, igitur remissus morbus est quo tempore perit. At dices,non hoc verè ita est. Fateor inquam:sed tamen cùm medicus artifex sit sensitiuus, vt dicunt, rectè ille dici potest in declinatione morbi periisse, quo tempore peritus etiam artifex remissum morbum iudicat. Sed videtur ratio nostra hoc etiam demonstrare: Ponatur morbus virium habens octo,virtus autem duodecim, ad concoctionem cibi virtus necessaria sit vt decem. In morbi consistentia fiat pugna, natura cibo nequaquam intenta superabitur morbus & remittatur virtus ad nouem,morbus ad vnum. Agens enim naturale agendo reparitur: tunc euictus est morbus, declinatio secuta est: proportio virtutis ad morbum creuit: cùm tamen sine cibo viuere nequeat, nec cibum concoquere sufficiat morietur in vera declinatione attrita virtute:atque tales plures videmus quibus morbus remissus est, ac sine cibo rectè habent, cùm tamen viuere nequeant, cibum recipientes torquẽtur,& in deterius labentes pereunt. Vnde nihil est deterius in declinatione quàm aut grauiter cibo ægros implere, aut procrastinare alimentum tenue. Hac ratione ego iura dare soleo. Hic modus non est, vt Nicolai argumentum,imaginarius: nam quòd decrepitus à morbo conualescat, deinde ætatis lapsu moriatur, esse non potest. Cum enim à pugna plus remittatur morbus, quàm virtus ætatis decursu, necesse est, vt qui sustinuerit morbum ante pugnam, ætatis decursũ interire non possit. Si enim magis lapsu ætatis virtus decresceret in declinatione quàm morbus, vt illi volunt, eo magis etiam in statu virtutis maior esset iactura quàm morbi, quare non fieret vera declinatio, sed falsa: itaquè in vera declinatione non cogimur hoc argumento fateri quemquam posse mori. Quòd si dicas, sanus existens morietur ex ætatis lapsu, quantò magis ex morbo quamuis in declinatione. Dicimus, argumentum non ostendere, nam in declinatione virtus validior præsupponitur, quæ morbum euicerit: in sano nequaquam: non igitur ex hac causa mori potest quisquam in declinatione. Quod Galenus etiam sensisse videtur ibi, cùm dixit: per accessionem te nunc oportet intelligere tempus deterius totius circuitus, quod est à primo insultu, vsque ad tempus consistendi: sicut reliquum declinationis est melius. Et in tertio de Crisi: In declinatione propter virium imbecillitatem moriuntur. Hoc enim pro verissimo habendum est, quòd in accessionum particularium declinationibus plurimi pereunt. Quod nonnulli videntes idcirco opinantur etiam vniuersalis declinationis tempore aliquem posse mori. Verùm non ita res se habet:vbi enim morbi status præterierit,natura quidem iam superior euasit:neque enim aliter morbus declinasset:nullus autem modus mortis aduenientis excogitari potest, præterquam ex errore. Sed de hoc haud considerare proposuimus: sed solùm, an morbi ratione mori contingat. Neque igitur id vnquam fieri vidi,neque id ratio docet. Sed particularibus declinantibus accessionibus multos mori vidi. Hæc & multa alia subiicit, docens,quonã pacto qui moriuntur in accessionis declinatione,ob caloris diffusionẽ pereũt ac imbecillitatem: alij quidem subitò, vt in syncopem incidisse credantur: alij autem veloci quasi subexistente declinatione plusquã par esset. Ex his quidam dum leuare ventrem conantur, alij etiam sine hoc. Itaque patet neque

cap 3 fol. 85. col. 2.

prima quarti trac. 4. c. 2.

1. Aphor. 12. iuxta med.

cap. 9.

neque aliam,vt dicunt posse putrescere materiam in vera declinatione, quàm æger pereat:nec aliis casibus euerti posse. Vnde excepti casus à Gentile non satisfaciunt veræ nec falsæ declinationi. Veræ, inquam, quia nec in illa relinquitur materia eiusdem generis: nec natura adeò deficit in vera,vt conetur erigere se:nec materia permutatur de loco ad locum, cùm sit resoluta in vera declinatione: nec potest esse morbi resolutio ob virtutis remissionem,vt clarum est:nec etiam diminutio morbi minor diminutione virtutis, vt in victoria Cadmica Etheoclis & Polynicis: nam non sic est vera resolutio morbi, nec declinatio, quare nullo modo hoc contingere potest in vera declinatione: & etiam sententia Galeni dicta his repugnat, dicit enim, quòd euicta materia non potest amplius homo mori. Attamen Gentilis rationem Galeni diuidit, dicens: Quoniam si materia non vincit in hora status,multò minus in hora declinationis, in qua est debilior. Secundò, quia in declinatione virtus vincit materiam,igitur vinci non potest, nec mori. Hæc ratio,vt visum est,Galeni est & satis euidens: prima autem non tenet, propter argumentum nostrum adductum,potest enim vicisse materiam,& tamen non sufficere: vera enim declinatio est, in qua morbus remittitur stante virtute quæ sufficiat ad cibi concoctionem: ideo ante cibi exhibitionem non possumus scire,nisi per coniecturam, an morbus sit inclinatus: præcipuè post abstinentiam in statu: & hoc ego frequenter vidi in aliorum ægris dum essem superuocatus: nam ego ad eam audaciam nunquam processi. In falsa autem declinatione, vt dixi, non videntur dicta Gentilis omnia ad propositum: nam de materia inæquali,& dissimili, dico quòd non erit nec vera nec falsa declinatio generalis, sed particularis quædam tantum morbi remissio. Nec etiam conatus ille est similis remissioni morbi, sed res modico tempore permanens, & quæ succedit post virtutis casum. In mutatione autem de loco ad locum, fateor aliquos decipi: sed tamen breui tempore durat: nec est similis declinationi quam supponimus durare per aliquot dies. Remanent igitur duo soli modi à nobis tacti:& de vltimo etiam qui concluditur argumento nostro, diceret Auicenna cum Galeno, quòd sufficit calor in quali ad concoctionem, nec requiritur quantitas illius,qui potest diminui cibus. Ideo pessimè faciunt,qui post declinationis aduentum copiosè cibum exhibent, cùm in statu summam tenuitatem adhibuerint. Præstat enim, vt dixi, paulatim cibum à summa incipiendo additionis tenuitate exhibere. Est igitur falsa declinatio apparens sola cùm virtutis defectu deficit & morbus. Nec mirum est cur Galenus neminem viderit declinatione vera pereuntem,cum pulsus notitiam perfectè teneret. Gentilis tamen alibi sequelam Galeni declarat, dicens: Si potest mori æger in vera declinatione,igitur natura à materia potest superari: sed iam præsupponitur victa, igitur idem erit comparatum ad virtutem victum ac vincens. Sed hîc pugnamus potius autoritate,quàm ratione:nã Auicenna loco priore expressè,& hic etiam, innuit, in vera declinatione hominem mori non posse. Declarat etiam proprietatem veræ declinationis hic,cùm dicat: Et quantò plus declinatio procedit, eo magis diminutio morbi est manifesta: quæ conditio si appareat,certè veram declinationem ostendit: in ea enim morbus perpetuo minuitur, & virtutes omnes augentur. Sed Gentilis ibi sentit, quòd in falsa declinatione possit mori & viuere: adducens verba Hippocratis: Non secundum rationem alleuiatis, sed in talibus potest contingere etiam salus. Attamen non videtur falsa declinatio secundum Principem nam non est alleuiatio morbi propter virtutis diminutionem. Ideo dico, quòd omnem falsam declinationem, sumptam secundum principem, sequitur mors: sicut omnem veram salus. Nec est differentia,nisi quòd mors nullo modo intercipi potest:salus autem multis modis,præsertim alio morbo adueniente,aut ex errore medici, aut astantium, vel ægri: ideo pronuntiatio de morte certior est semper,quam salutis. Et ego de salute nunquam absolutè in vita mea pronuntiaui, de morte frequentissimè. Nam mortem absolutè pronuntiare licet medico experto: salutem nunquam securè promittere potest. Quòd si dicas,Qui alleuiantur sic prę̨ter rationem possunt mori:dicuntur enim præter rationem, vt ibi inquit Galenus in commento,cum non solùm absque expurgatione, sed etiam coctione alleuiantur: tales autem constat mori posse. Respondeo, quòd hæc non dicitur morbi declinatio, quia non fit sensim:sed quædã remissio. Vel dic, quòd falsa declinatio morbi apud Galenum vtrumque admittit, mortem scilicet, & salutem. Sed falsa declinatio Principis semper est cum morte: & hoc, quia Princeps facit veram declinationem, cui semper salus succedit:& falsam,cui semper mors: & remissionem,quæ est communis, etiam illi tranquillitati,ad quam recidiua succedit,in qua contingit tam salutem,quam etiam mortem subsequi:vt in Hemitreteo sentit Princeps. Sed an Galenus id remissionis morbi genus vnquam attigit,quod ex virtutis fit dissolutione? Equidem sic censeo, cùm mortuum ex perpetuo sudore enarrat. At declinationem non esse morbi repentinam solutionem, cui postmodum succedat reuersio, ac recidiua, Galenus ipse declarat tertio de Crisi,cùm dixit, Nullam vnquam factam morbi solutionem repentinam absque crisi,quare hanc pro declinatione non accipiet. Causa tamen erroris quòd existimauerint,solam coctionem facere declinationem, fuit sumpta ex secundo super primum Epidemiorum, cùm dixit, concoctionem securitatem iudicii salubrem cum celeritate portendere. Cruda autem,& incocta, vel in malos abscessus conuersa, acrisias,dolores, diuturnitatem morbi, mortem,recidiuas. Expressius verò in tertio de Crisi,cum inquit:Sola cõctio crisis celeritatem, securitatemque salubrem ostendit. Neque enim vel animo concipi potest,quod post morbi exquisitam coctionem crisis mala sequatur. Sed de hoc aliàs:vnum nunc sufficiat ostendisse, quod ibi etiam,tum aliàs,vt dixi, manifestè

prima quarti tra.1.c.3.

Secunda primi.doc.1.c.7.

2. apho.17.

prima quarti trac.4 c.1 ... fine & 12.

1 Progn. ... 4. in prima di. cap.5.

1.c.45 & 46.

c.38 pri.

manifestè docet: non posse scilicet in declinatione quemquam ex morbo mori: verba eius sunt: Et nullum est mortis periculum tempore status elapso, quantum iudicio assequi possum. Et tamen quidam sunt, qui se putant multos vidisse ægros in declinationibus periisse. Sed si experientiæ vel rationi credere oportet, cognoui ipsos alia, quàm morbi ratione interiisse, omnes quidem erroribus interiere, præcipuè propriis ægrotantium ipsorum, sed & aliquando medicorum. Sic quidem experientia testatur, neminem vnquam vi morbi in declinationibus periisse. Sed adhuc magis ratio: neque enim possibile est, vt postquam causæ morbosæ iam coctæ sunt, ac iam natura superauerit, æger moriatur, modò rectam curationem medici exhibeant. Vbi enim natura superior euasit ac debellauit, & restitit vehementiori morbi conatui, & quæ infestabant oppressit (hoc enim est ipsa coctio) fiere non potest, vt deinceps succumbat. Quòd si à morbo natura non vincatur, mortem subsequi nullo modo contingit. Siquidem nihil aliud est mors, quàm omnimoda naturæ prostratio. Vbi verò ipsa perdurat dominatur ac vincit, hominem necesse est liberari. Alius igitur est sensus horum verborum, quàm præcedentium: nam sola coctio sufficit ad hoc, vt natura per crisim non succumbat, quoniam iam materia euicta est. Sola tamen coctio declinationem non facit, cùm necesse sit ad eam, vt habetur quarta Aphorismorum, adesse separationem, & expulsionem totius materiæ, vel maximè eius partis: quo in casu æger mori non potest vllo modo. Sola igitur coctio facit, vt per crisim non possit mori, vera autem declinatio quæ vltra coctionem, separationem, & expulsionem requirit, nec mortem per crisim, nec per resolutionem paulatinam admittit. Qui verò somniant (vt in quodam viro illustri, morbo laterali laborante, cùm post coctionis signa tenderet ad mortem) aliam motam esse materiam, præter Galeni mentem loquuntur: nam sic nunquam veræ declinationis indicia, nec idcirco veri status, & aliorum temporum habere possemus: sed omnia semper confusa manerent, imminente semper metu alterius materiæ putrescentis. Nec Galenus tam absolutè pronuntiasset, neminem se vidisse vnquam, qui in declinatione morbi obierit: necesse enim esset multos sic periisse, si noua materia de nouo putrescere posset. Et vt in phlegmonibus, sic etiam in febribus hoc quandoque contingeret: quod tamen nunquam videtur. Neque hoc etiam in phlegmone vnquam apparet, vt eiecta materia, sed solùm ante illius eiectionem, æger moriatur. At hoc si nouæ materiæ superuentu contingeret, non minus post prioris materiæ expulsionem, quàm ante contingere necesse esset. Itaque qui mortuus est, in declinatione fuit, coctionis ratione, non separationis, aut expulsionis. Quare, vt verè dicam, in statu morbi fuit, quem in declinatione esse existimabant, vnde adiecto cibo illum suffocasse haud obscurum est: quod enim declinationi debebatur, statui tribuerunt: sed hoc merito suo. Illud tamen etiam animaduertere decet, plerosque decipi circa materiæ coctionem: cùm enim in febribus vnam aut alteram vident vrinam quæ cocta videatur, existimant coctam esse materiam, cùm tamen haud cocta sit, nisi cum perseuerantibus signis coctionis imminet status. Atque ideo hic frequens est error, vt nulla in re magis medicos falli cernam: atque, vt vera dicam, hucusque neminem adeò oculatum animaduerti, qui hoc intelligeret: omnes enim, dico omnes, vt vrinam concoctam vident, aut sputum, aut aliquid simile, materiam coctam arbitrantur, ac expectant iudicium, qui prudentiores ex illis: aut purgant, qui magis imperiti, cùm tamen hæc signa sint concoctæ partis, non autem totius materiæ. Sed hæc alias. Ex hoc tamen planum est, materiam posse in dies magis concoqui, & tamen ægrum tendere ad mortem. In plena tamen coctione, vbi materia sinubus non vt in phlegmone continetur, mori quemquam vi morbi est impossibile: & hoc iuxta Galeni placita, quamuis rationes illius non ostendant. Quòd enim ipse non viderit, haud impedit, quin hoc contingere possit. Rursus, quòd euicta materia non possit succumbere, hoc probat certè, vbi reliqua paria sint, virtus, locus, & vbi homo à cibo abstinere posset: ratio tamen medica est, ac sensui innititur, quam Galenus affert. Iisdem tamen rationibus, quibus probamus, non posse mori in declinatione, ostendi etiam potest, non posse in syncopim incidere: nihil tamen prohibet, quin in animi deliquium incidat: differentia enim horum alibi est declarata. Differentia autem cur in generali declinatione homo nequeat mori, in particulari autem possit, ex parte virtutis est debilitatio propter expansionem in accessionibus: sed ex parte materiæ est, quia in generali declinatione concoquitur & expellitur, sed in accessione solum expellitur: declaraui enim in primo libro, quòd materia quæ in concauitatibus continetur, non concoquitur, si iam sit separata, sed protinus expellitur, deterior enim est materia febrium interpolatarum, quàm continuarum, quia purior: sed minus mala, ratione loci. Et ex hoc patet, cur in puris tertianis maior amarulentia, & sitis, & molestia, & vigilia, appareat, quàm in continua, quæ tamen aliquando tendit ad mortem. Causa igitur est materiæ synceritas, hanc causam non attulit Galenus, quia loci, vbi de declinatione loquitur, ad virtutem considerandam proprij magis sunt. Conciliator inducit duas rationes suas, quibus credit se ostendere, neminem in morbi declinatione mori posse: alteram, quòd omne quod mouetur parte quadam est in termino ad quē mouetur, parte verò in termino à quo mouetur, iuxta Aristotelis sententiam, igitur cùm in declinatione fiat motus quidam à morbo ad sanitatem, erit homo tunc quasi in termino ad sanitatem: sed motus naturalis velocior est in fine quàm in principio, vt idem fatetur Philosophus: igitur declinante morbo, homo semper ad sanitatem ocius mouetur. Reliqua est, quòd in declinatione vel moritur ob symptomata, vel ob virtutem, aut ob materiam: si primum, illa sunt remissiora, dicente Hippocrate, secunda

Aphor. 22.

1. con. trat. 4. cont. 12.

trat. 6. cont. 16.

differ. 107.

5. phys. 62.

Aphor. 30. da aphorismorum, circa initia & fines omnia imbecilliora: non virtutis ratione, quæ facta est validior cessante morbo: non morbi, qui iam declinauit. Sed hæ rationes non concludunt: nam si intelligit, quod dum declinat morbus homo mori non potest, quis dubitat? nam sic simul moreretur & sanaretur. Sed dubitatio est, an iam existente declinatione contingat ægrum mori, crescente tamen tunc morbo: nec propositio Aristotelis debet intelligi de hoc genere mutationis, quæ ad sanitatem, vel mortem tendit, sed solum de motu locali, in quo scripta est à Philosopho. Si autem dicat, regredi omnino morbus non potest, delato ad sanitatem tamen veloci motu ægro, diceret alter, materia illa potest esse facta deterior, vt videbimus. Cùm autem dicitur, materia euicta est, equidem ratione coctionis tantum, non autem expulsionis. Nam quod dictum est à Rasi, dicitur ferme à Galeno secundo Prognosticorum his propè verbis: Duplex enim est prima causa vacuationis, quemadmodum dictum est dum de causis ageretur, tum materiæ vitium, tum eius quæ principium habet motionis: itaque initium motionis in ea est facultate, quæ thoracem in tussientibus mouet. Manifestum est itaque, non solam sufficere coctionem in his morbis, vt declinatio iam aduenisse dicatur, sed robur mouentis facultatis: ea autem primò deficit inter alias, & debilior euadit, dicente Galeno: Morbo autem consistente cum iam natura concoxit, superfluum est euacuare, cùm propter alia, tum quia animalis facultas magna ex parte eo tempore est fatigata, licet quam maxime reliquæ duæ aliæ vitalis ac naturalis robustæ sint. Sed nec argumenta Conciliatoris, quibus probare nititur, hominem in declinatione mori posse, concludunt: nam cùm dicat, somnus lædens in declinatione accessionis, est letale signum, prima Aphoris. si igitur illa sit vltima accessio morbi, & in illa debeat mori, proculdubio si sit in declinatione generali, in declinatione generali morietur. Sed nō poterit tunc somnus lædere vbi vtraque accedat declinatio: sed solū vbi accessionis illius. Quærit autem, quasi causam, cur sit quòd in lucta virtutis vincente morbo, aliquando consurgit etiam virtus, & sanatur: vincente autem virtute, non contingit mori. Equidem declinatio non est solum succumbente morbi materia, sed penitus euicta, depulsáque: quo in casu si similiter victus succumbat, non poterit sanari. Sed meritò licet dubitare primò, cur restaurando virtutem etiam si succumbat, non possit sanari æger, cùm materiæ viribus quoquomodo attritis in pugna, & restaurata virtute, homo semper deberet sanari? Cur etiam quandoque sanentur quidam, alij autem nequeant euicta virtute sanari? Cur tandem non potest alia moueri materia dum morbus remittitur? præsertim cùm etiam moueatur in sanis: qui tamen natura seipsis ægrotantibus secundum vnumquodque virtutis genus sunt validiores. Respondeo: In morbis quandoque spirituum generatio prohibetur: & qui sunt, corrumpuntur, atque in his defecta virtus cibo restauratur: hoc autem maximè in pueris & adolescentibus: talis autem est syncopis febris. In aliis autem extinguitur spiritus, & humores corrumpuntur, in quibus difficilior est restitutio. In aliis autem etiam membra ipsa solida vitiantur, atque in his quicquid accesserit alimenti, fermè corrumpitur. Habetur distinctio hæc à Galeno fermè, sed non exquisitè. Cùm igitur succumbit virtus nondum facta in membris principalibus impressione (dico autem nunc principalia cor, hepar ventriculum, cerebrum) homo restauratur nouo alimento tenui, atque est præcipuè, quod à vino, vel ouis sumitur: euicta autem natura, atque membro principaliore, nullus vitæ locus relinquitur: tunc igitur quodcunque adieceris, morbo maius quàm virtuti adhibet fomentum, atque sic homo periclitatur. Cùm autem morbus in declinatione consistit aliam tunc moueri materiam est penitus impossibile: vt enim declaratum est quæ aduersus naturam propriam mouetur, à natura vniuersali impellitur. Si igitur in tempore quo morbus vigebat à natura indiuidui alioquin morbo impedita continebatur, quanto magis quiescere cogetur eadem existens remisso morbo vbi natura singularis seu propria validior est, & minus impedita. Si autem creuit mole interim materia, proculdubio erratum est in victus ratione, quod Galenus prudenter excepit: inquit enim: Non potest in remissione morbi æger mori, si in victu peccatum non sit. Si autem qualitate deterior facta est, necesse est vel hoc errore victus accidisse, & sic in priorem causam incidimus: vel aër deterior est, quo in casu & quomodo id fiat, inferius non negamus, aliam posse moueri materiam docentes. In sanis autem contingit moueri materiam, quia priore tempore virtus validior fuerat, & ex cibo crementum affuit, nec mundum est corpus: & plerumque illi errorem aliquem admiserunt: pauci enim absque errore nouo ægrotant. Qui tamen per aliquot præcessit dies, vnde lassitudo nuntia est morborum, aut fastidium cibi. Denique in sanis virtus non augetur, augetur materia. Est verò alia causa, cur homo iudicio peracto, superatáque virtute, necessariò moriatur: quoniā illa nunquā cessat deuicta virtute vt agens naturale, vt pōdus, vt ignis, virtutem opprimere, nihil temporis ad restaurationem dimittens. Quòd si talis est morbus, vt plus euicta natura virium ex cibo recuperetur, quàm ex morbi causa adimatur, tunc morbus ille salubris fuit, peccatum verò fuit in victus ratione iam dudum nimis tenui. Sic placuit Conciliatoris rationes discutere, quæ aduersus suam ac nostram opinionem erant. Hoc enim rectè agimus, si qua deducitur aduersus placita nostra ratio valida, vt illam diluamus. At verò quæ pro nobis erunt, si minus concludant, deinceps præterire eas in animo est, ne tempus teramus, & ab vtilioribus studiis lectorem reuocemus. Vita enim, vt rectè inquit Hippocrates, nostra breuis est. Quibusdam autem animus est, vt longa oratione folia impleant: nobis propperandum est, ob rerum necessariarum, aut valde vtilium, multitudinem. Sed ad rem reuertor. Quatuor sunt genera declinationum: Falsa, de qua dicebat Princeps: Quum homo

Marginal notes: *com.* 43. — 2. *Aphor.* 29. — *Aphor.* 1. — 11 *artis cur. cap.* 3. — 11 *artis cur. cap.* 5.

homo habet febrem ardentem, quæ alleuiatur, & quiescit, à priore calore subitò, sine crisi manifesta, per euacuationem, aut permutationem, & sine extinctione vltima, vel regionis, aut aëris permutatione, & quiescit pulsus à velocitate pristina, velut tranquillus existens, tunc iudica quod moritur velociter. Hic etsi multæ videantur conditiones, exprimitur tamen frequens euentus. Et ego dum vocatus essem ad aduocatum Petrum Antonium de Laude morientem, vt medico videbatur præter rationem, omnia signa hæc præfuisse ex astantium narratione intellexi. In aliis autem videtur declinatio cum euacuatione, præcipuè vrinæ, vt mihi quondam accidit, dum vocarer ad Bergomensem minutum mercatorem, quem curandum susceperat ignarus medicus, XXII. die dum post multam vrinam alleuiari videretur, repente factus sine sensu, ac mutus, cum vocassent me, die sequenti expirauit. Et mihi contigit anno ab hinc XIX. (eratque secundus quo artem profitebar) vt Piscator, cùm sudore triduano continuo perfunderetur, cuius initium in septima fuit, me bene sperante, vt cum eo sudore in fine nonæ expirauerit. Nec vnquam aliàs similem casum, neque etiam apud alium quempiam medicum vidi. At secunda declinatio est accessionum, in quibus mori aliquando contingit. Tertia autem est declinatio media in phlegmonibus, in quibus materia est concocta, non tamen planè eiecta: in hac contingit mori ægrum, nulla alia facta adiectione materiæ: hoc autem, vt dictum est, ex animalis virtutis imbecillitate, vel propter membranæ continentis densitatem, vt in pleuritide maxime contingit. Imò cum in interno phlegmone concocta materia expulsio tardatur, tunc valde timeas. Nam vel non tota concocta est, sed quæ in profundo est cruda, adhuc manet: vel aliquid latitat, nempe materia quæ loco coctionis malam adepta est qualitatem: neque id mirum pro partium materiæ varietate: aut tanta est illius multitudo, vt naturam ac vim animalem deterreat, at aggrauet: aut pars illius interim dum concoquitur versus cor penetrauit. Apparet enim manifestè phlegmones aliquos suppurari, qui tamen interiora erodunt propter quod incidi illos ante perfectam maturationem iubet Albucasis. Quod etiam Galenus sensisse videtur. Porrò quod non sit perfecta declinatio, nisi eiecta tota, vel maxima parte materiæ in phlegmonibus, audi ex Galeno: Quando cœperit expuere pauca cocta reliquóque tempore augumenti, vsque ad statum, plura meliora, ac facilius expuente, tunc cùm exquisitè cocta, & multa, & sine difficultate fuerint, tempus status erit: tunc verò declinatio, cùm iam multitudo diminuta, eiecta autem quæ fuerunt exquisitè non solùm cocta, sed etiam absque molestia educta, dolorque cessauit. Apparuit igitur hos nostros medicos haud intellexisse, quid sit declinatio phlegmonis: neque hoc, vt nec pleraque alia benè Galeni atque aliorum dicta vidisse. Neque id mirum: haud enim possent me eo odió prosequi, si amarent veritatem, aut agnoscerent eam: nec tonsores ac pharmacopolas in me

6. aphor. 27.

1. de crisi. ca. 11.

incitarent, adeò turpi insectatione, si veri essent studiosi: inquit enim Poëta Tragicus.

Εἰ πᾶσι ἔφυ σοφὸν θ᾽ ἅμα,
Οὐκ ἦν ἂν ἀμφίλεκτος ἀνθρώποις ἔρις.

Sed de exquisita, ac generali declinatione vnus est tantum modus, quo æger perire possit, siue phlegmõ, siue sine eo febris sit: Error victus, sub hoc tamen & pestilens aër, & tristitia, & timor comprehendi debent. Habitare enim in pestilenti regione, ad errorem victus pertinet, seu regiminis. Nihil enim prohibet naturam quæ morbum vicerit alium, dum illi vacat aëre in pernicioso alios infectos humores non posse perferre: tuncque in vera declinatione contingit mori. Atque hoc ego pestis tempore frequenter vidi: in remissionem enim tertianarum peste correpti moriebantur. Sed dubitatio est in illo, qui ex morbo laterali transit in cynanchen, & moritur. Duos autem sic perire vidi, & tamen nisi natura materiæ perfectæ dominaretur, non posset tota transmutari. Sed in his naturæ propriæ conatum adiuuat natura vniuersalis: quare non natura singularis materiæ dominatur, imò potius vincitur, turget enim illa. Palam autem est, nullo modò morbum dici in declinatione comparatione ad laborantem habita, sed solùm ad morbi genus. Qui verò ex sudore pereunt, non sudant ob materiæ concoctionem, sed tenuitatem, ac caliditatem, nam & calor malus ac perniciosus non naturalis tantum sudorem excutit, vt in syncopi, & in omnibus ferme ex febre pereuntibus, cùm iam mors appropinquat per paucas horas. Nec virtutis robur tunc sudorem excutit, sed magnitudo caloris corrumpentis. Aut dicas, quòd sudor accidit, dum vincente humore putrido calor naturalis ob contrarietatem refugit ad exteriora, extinguiturque, ac in sudorem conuertitur: sicut etiam in resolutione diurnæ febris, in qua etiam homo madet resolutis spiritibus. Aliquando etiam fit sudor, dum calor præternaturalis pugnat cum naturali & cor occupat: & tunc tales cum sudore moriuntur, vt quinta Aphorismorum scripsit Hippocrates. Sed dices: Quomodo materia potest moueri à natura vniuersali in humano corpore? sic enim in mortuo etiam moueretur. Respondeo: vel loquimur de putredine, & sic patet, quòd illa magis fit in mortuo, quàm viuente: vel de motu secundum locum, & sic non fit nisi à natura vniuersali per se, sed medio caloris præternaturalis, vt etiam docuimus aliàs: verùm hic non inuenitur in mortuo, cùm nondum putrescit: cùm autem putrescit, iam corrumpitur tota substantia, ideo cessat omnis motus, cùm nulla sit forma mixti, nisi in fine: & tunc quod aëreum est, difflatur: quod aqueum, fluit: quod terreum verò, subsidet. Corruptio autem in viuente retinet formam, quia calor naturalis reluctatur, & ideo mouetur à natura vniuersali per caloris illius vim, qui contrarius est naturali. Prohibet autem calor naturalis perfectam putredinem: quia si humor absolutè putridus, qualis est in cadauere, fiat (vt quamdoque accidit) in corpore humano, tunc putrefacit totum corpus, & est venenum perniciosissimum.

Aphor. 71.

1. Contradict. tra. 6. con. 16.

ciosissimum, illico necans, & cum contagio: & ideo nihil magis est aptum ad pestem inducendam cadauerum insepultorum corruptione: ideo pestis plerumque sequitur clades: vnde inuentum illud nepharium. Auenzoar autem cùm frangi existimat apostemata, in morte, vel ante mortem rectè sentit: nam extincto calore naturali relinquitur præternaturalis, nam victor debet superesse victo: ideo calor quo calent corpora mortuorum, non est naturalis, sed præter naturam: ideo eiectio quæ fit in mortuis, fit quandiu ipsa cadauera sunt calida, & hic motus est similis ei, qui fit à calore præternaturali in vita, cùm materiæ febrium malè morientur, aut phlegmonem generant. Sed dicet forsan quis, in febre pestilenti apparet quandoque vera declinatio, & tamen æger moritur. Dico, quòd hoc quandoque latet etiam perfectum medicum, est enim difficile tunc cognoscere morbi magnitudinem. Verùm non solùm in falsa declinatione, sed etiam in vera in hoc morbo contingit mori. Et hoc est certum, nec contradicit sententiæ Galeni, nec his quæ diximus: & hoc est, quia illa febris fit ab aëre, & aër ex constitutionibus siderum adeò vehementer agitatur, quod inducit nouum genus corruptionis in residuo humorum, qui iam erant euicti, & sic moritur æger. Et medici non in aliis rebus, quæ ad artem pertinent, quàm in hac causa prudentiores admirantur, & dicunt, quòd interim latitauit quasi esset cuniculus illa materia. Veritas igitur est, quòd sicut in Thermis, cùm homo videatur temperatè agere, volentes curatores sudorem prouocare, flabello aërem mouent, & sic homo quasi flammam sentire videtur, & protinus sudat ab eodem aëre moto, in quo prius quiescente algere sibi videbatur, & hoc maximè accidit in oppositionibus lunę & malorum siderum, etiam si non concedas astrologiam secundum vim naturalem, quam medici stellis tribuunt. Quidam etiam in declinatione moriuntur ex emissione seminis per somnum: sed si hæc fiat ex abundantia illius, aut virium robore, vix morietur: ille autem quem ego vidi mori, fuit propter imaginationem vxoris ei proximæ, & calorem plumæ, & ideo peccatum fuit in regimine. Multi etiam moriuntur in declinatione fluxus ventris, sed hæc declinatio non est propter virtutem retinentem & emendantem humorem, sed propter expellentis facultatis imbecillitatem. Sed Haliabbas in decimo suæ Theoricæ dixit, quòd homo non moritur in declinatione, nisi peccetur in victu, vel nouus accedat morbus: potest excusari de pestilenti morbo, aut in pestilenti constitutione, & hanc tamen ad regimen Galenus retrahere potest: stultum enim est, si per victum tantum cibum & potum velis intelligi, & non omnia illa, quæ numerantur in tertio Artis medicæ. Et sic Haliabbatem tueri licet, nec tamen dicemus contra Galenum. Ille tamen Arabs fecit errare omnes recentiores, qui ad beatam illam nouæ materiæ fluentis inuentionem recurrunt. Sed nunquid stante lethali aliquo morbo, alius possit declinare, vtpote tertiana iuncta phthoë vel hydropi lethali? Certè sic

cap. 4. in prin.

cap. 2.

ex Galeni sententia quia sicut in exterioribus sic in internis. Sæpe autem videmus turbercula & plagas phthisicorum sanari: & ego vidi etiam in tabescente curatam tertianam, in alio difficultatem intestinorum. Et hæc differentia in morbis, quorum natura est valde differens, clara est: vt in tertiana, & tabe: sed in his, qui sunt ferme similis terminationis, vt in hemitritæo & tertiana, vel semitertiana cum continua, accidit vt vnus morbus ad declinationem perueniat, altero tamen tendente ad augumentum: & tunc in hora remissionis illius morbus in declinatione videtur, imò est ipse æger, quamuis non verè, & tamen ex eo morbo moritur: & hic est vnus modus mortis in declinatione. Sed quod adhuc maiorem habet dubitationem est: quia, vt dixit Hippocrates, quæ relinquuntur in morbis post iudicationes reuersiones facere consueuerunt, & in reuersione sæpe contingit mori: vt in Hermocrate tertio Epidemiorum, de quo dixit, Quatodecimo à febre erat liber, non sudauit, dormiuit, omnino mente constabat, vrinæ eædem, id est, crassæ, rubræ, infra tenues, non subsidentes, quem tamen infra diem XXXVII. constat mortuum esse. Vel igitur ex toto fuit in XIV. liber, vel in morbi declinatione, vel in alio tempore. Circuitum autem exacerbationis vocat Galenus, vt iam diximus suprà, principium, augumentum, & statum, in quibus temporibus morbo principali carere non potest. Quomodo igitur hic, si caruit febre, in statu, vel augumento esse potuit? Relinquitur igitur vt fuerit in declinatione. Sed hanc fuisse falsam declinationem: & quomodo, adeò Galenus in expositione clarè explicat, vt nemini, qui seriem verborum illius animaduertat, dubitatio relinquatur. Et falsam igitur ibi declinationem aperuit, & latitantis materiæ ridiculum inuentum irridet: & quomodo intermedium tempus, & cur inter morbum & recidiuam ad declinationem falsam pertineat, ostendit. Verùm quod dixerat in Aphorismo nuper adducto, materiam post iudicium relictam solere febres accendere, dubitationem habet magnam. Primùm, quòd si perfectum est iudicium, iam sumus in vera declinatione absque dubio, & tamen homo potest mori succedente febre in debili iam corpore: & ideo bene dixit Princeps, quòd recidiua sua radice est deterior. Secundum, quòd materia relicta si putrida est, concitabit febrem, nec ille poterit absque febre esse medio tẽpore, quòd tamen frequẽtissimum est ante recidiuas: vel pars materiæ quę nondũ putruit relinquitur, quæ vt noua putredine in reuersione, sic etiam in declinatione ægrum potest occidere. Dabitur igitur, quòd iam adeò pertinaciter à nobis negatum est, nouæ materiæ motus in declinatione. Respondemus; Hominem, qui rectè vixerit medio tempore, in reuersione mori non posse, si concoctio præcessit. Sed cauendum, ne remissio illa, vt Galenus declarabat in prima super tertium Epidemiorum sectione falsa sit: declinatio enim quę iudicium subsequitur, iam concocta materia, illi protinus succedit, vt Galenus docet lib. de Totius morbi temporibus. Vel igitur rectè decernit natu-

2. aphor. 12.

Sec. 1. tex. 5.

tex. 8.

tex. 12.

com. 1. ch. [illegible]

Secũdo quarta. 1. c. 34.

cap. 4. in fin.

ra,

ra, nec error sequitur, nec recidiua: vel succedit error, nec tunc morbi causa reuersio fit, seu pereat, seu seruetur: vel praua fit eiectio materiæ, soluiturque morbus falsa declinatione, vbi tamen virtus valida sit concoquitur denuò residuum materiæ quod vicinum fuerat putrescenti, soluiturque morbus, aliter æger perit. Cur autem antea non putruit? in declinationibus non licet virtute facta validiore, at in tẽpore conualescentiæ decidentis, corrumpitur ob victum qui nunquam talis, qualis in morbo adhibetur, longum enim esset tam diu adhibere eam victus tenuitatem, quapropter si rectè viuat qui conualescit, coctáque materia desierit febris ob eiectionem, mori ægrum in reuersione est impossibile. Hoc est quod dixit Hippocrates non pura corpora quantò plus nutries, tantò magis lædes: & ideo tutum est conualescenti tenuiter ali. Sed etiam si tenuiter viuat, reuerti potest morbus alia parte materiæ putrescente quæ priori affinis fuit, sed hæsit illa in extremis inde à natura mota quæ impediebatur morbo, putrescit, concoquitur, & euincitur. Rursus ex Galeni sententia prima super tertium Epidemiorum sectione quandoque ac persæpe falsò videtur remitti morbus, ac sine febre, esse, materia iam putrescente vel in Gangrænam terminum habente, proximas enim erodit partes: vt in libro de Totius morbi temporibus habetur: sed hoc maximè in phlegmone. Hippocratis igitur præceptum est, vel cùm natura imbecillis non totam potest expellere materiam: vel cùm partem illius obiter relinquit nondum putrescentem, vt quæ in locis latis contineatur, & pauca sit: vel cùm nondum exactè materia concocta est in iudicio. At si sine iudicio morbus desinat, tantum abest vt securitatem portendat, vt etiam reuersionem minetur, & sæpe mortem: vt Epidemiis Galenus eo loco scripsit. Illuc potius nunc considerandum erit, quod Galenus scripsit in libello de Totius morbi temporibus, de statu morbi, & inclinatione, his penè verbis: Cùm in pus materia conuertitur, tunc status tempus est: in eo enim iuxta Hippocratis sententiam dolores ac febres fiunt: si autem fluor difflatur, aut concoquitur, minorem tumorem ac tensionem reddet, eritque huiusmodi declinationis principium. In febre autem similiter cùm ipsa concoctio maximè conficitur vigor est, inde ex hoc declinatio qua symptomatum magnitudò & humorum copia cessauit: restat verò modicum in ea humorum adhuc, qui concoctionem requirant. Sed de hac in vltima huius tractatus contradictione dicemus pars est enim eius. Nunc sufficiat lectorem admonuisse, aliam esse phlegmonis, aliam morbi in ægrotante inclinationem.

1. Aphor. 10.

com. 1.

cap. 6.

cap. 3.

CONTRADICT. XII.

Intestina an habeant virtutem attrahendi.

CHili subtilior pars trahitur à ventriculo & intestinis, & per vias venarum quæ vocantur mesaraicæ (& sunt duræ venæ intestinis coniunctæ) impellitur ad venam portæ, inquit Princeps. Et non obscurum est ex his verbis intestina habere virtutem attrahentem, etiam comparatione habita ad chilum, non solum ad proprium alimentum. Et rursus alibi: Quod penetrat ad intestina à duobus patitur, à ventriculi vi expultrice, & intestini attractrice. In oppositum est sententia Galeni, decima sexta tertij, trac. 1. cap. 1. col. 1. idem ferme etiam in 13. de natura animalium, cap. 6. quarto de Partium vsu, his ferme verbis: Quemadmodum igitur ventriculo vtrosque villos sortito duabus opus fuit tunicis, contrario inter se modo habentibus: ita & intestinum quodque cùm vnam habeat motus speciem propultricem, vnam pariter tunicæ speciem in transuersos & rotundos villos dissoluendam obtinuit. Quid tandem tunicæ binæ extiterunt, siquidem ambæ itidem se habeant? superflua enim altera esse videtur: at non est ita. Nam intestinorum tunica duplex fuit, partim vt facultas expultrix robustior esset, partim vt ipsa instrumenta ab exterioribus iniuriis essent tutiora. Inde post pauca: Nonnullis verò intestinorum quidam villi recti secundum longitudinem obtenduntur, ad transuersorum tutelam: idque animalibus tenues habentibus intestinorum tunicas, aut actiones vehementiores, potissimum inest. Periculum enim erat, ne transuersi villi à sese mutuò auellerentur, nisi extrinsecus à rectis, velut vinculo quodam fuissent deuincti. Quo fit, vt in recto intestino complures eiusmodi fuerint: quod multis ac duris alimenti sicci congestis excrementis, ibi eius intestini tunicas muniri valde oportuit. Extrinsecus igitur transuersis, seu ligamentum, villi quidam recti iniecti sunt. Hic manifestum est, noluisse omnino intestinis inesse attractionem: cumque constaret, in illis esse villos rectos, rectis autem villis vim attrahendi inesse, haud dubiè confiteri coacto vim attrahendi inesse debere: Respondet, nõ ea causa villos rectos intestinis inditos vt attrahant, sed firmitatis causa, & in quinto de Vsu partium: Porrò intestinorum tunicæ transuersos vtrosque in circulum planè circumactos. At vesicarum tunicæ rectos, ac rotundos, & obliquos habent villos: vna enim vtriusque tunica cùm sit, ad omnem motus speciem constructionem commodam adepta est. Siquidem motum quem attrahendi causa recti, & excernendi causa transuersi, & eum, quem vt retineant, quibus vndique apprimuntur villi obliqui, conficiunt. Atque hæc luce clarius explicant intentum: siquidem Galenum nullam attrahendi vim intestinis tribuisse. Sed verba quæ sequuntur Oedipode quodam interprete indigent, quamuis haud curæ mihi nunc sit de his, & si

prima primi doc. 4. c. 2. in princip.

cap. 17.

cap. 11.

si superioribus repugnare & rationi simul ac experimento: de his enim suo loco dictum est. Nunc autem prosequamur intentum, nam nec solum Galenus principi, sed vterque sibiipsi videtur contradicere. In prima enim Aphorismorum particula, quod & totis penè libris tribus de Naturalibus facultatibus, maximè tertio, ostendit, quatuor virtutes cuilibet parti esse necessarias, quæ nutriri debeat: quas Naturales, id est, ab anima non prodeuntes, seu etiam stirpidus conuenientes, quas animam non habere existimat, vocare solet. Certum igitur cùm sit, intestina nutriri, clarum est etiam facultate attractrice ea minime carere posse. Sed Auicennæ locus est & si fœdus, omnia tamen speculandi causa, ac contemplandi naturæ opera si non relinquitur Aristoteli locus defensionis animaduertere decet. Respondeo, Auicennam non dicturum in recto intestino esse attractionem, nisi in comparatione ad id quod in superioribus continetur intestinis, quia eo nutritur: & hic caderet dubitatio aliàs diluenda: an villi recti seu longi ex vtraque parte trahant. Galenus autem non sibi repugnat, cùm virtutem attractiuam etiam intestinis largitur, in comparatione ad proprium nutrimentum: quæ attractio fit naturali facultate absque villis, nam & ossa trahunt. Est enim attractio in animali triplex: Naturalis, quæ sola vi fit, à quolibet membro: Voluntaria, quæ à musculis, velut cùm trahimus nauim: & Media, quæ fit per villos: nam aliqua attractio per villos videtur volũtaria, vt cibi deglutitio: aliqua autem non, vt attractio vrinæ in vesicam, neque enim sentimus eam: quamuis aliquis posset dicere, eam quæ à ventriculo fit, etiam non esse voluntariam: sed nos sentire attractionem cibi in deglutitione non propter villos gulæ, sed etiã propter musculos. Et forsan aliquis dicet, quòd musculi ex villis componuntur, igitur musculis trahentibus volũtate, etiã attractio per villos voluntaria erit. Quia igitur non est locus tractandi hîc hanc difficultatẽ, sufficiat tria esse genera attractionũ, quoad sensum distincta per musculos, per villos, & per virtutẽ solam: seu voluntarium, & per naturam, & neutrum. Sic etiam Haliabbas, 3. Theor. cap. 26. sentire videtur, scilicet quòd intestina chilum non trahant. Sed tamen non leuis dubitatio emergit: nam si intestina nutriuntur ex chilo, oportet vt trahant ipsum. Omne enim membrum, vt declaratum est primo virtutum naturalium, trahit quod sibi est familiare. Responderet Galenus, non esse attractionem illam per villos: humidum tamen aliquid ac subtile intestina trahere ob id, non tamen totam chili substantiam. Habet hoc argumentum Galenus, quòd cibus si non concoquitur in ventriculo persæpe manet horis XXIV. in eo, nec tamen est impedimentum in transitu. Quòd si dicat alius, non trahere intestina quia nondum sibi conueniens. Respondebit Galenus, Renes trahere sanguinem à iecore, etsi non perfecte concoctum: & rursus vesicam à renibus: idque ratione, nam etiam eiicit ventriculus non concoctum cibum. Sed Auicenna dicet: Quomodo? cùm non videamus cibum exire ob validam expellentis vim virtutis in via Galeni, imo erit hoc propter vim attractricem intestinorum. Respondebit Galenus; Hoc est propter debilitatem continentis virtutis, & ita omnia ad contentionem reducuntur. Probabilior est iudicio meo Auicennæ opinio: nam si intestina non traherent, ex impulsu autem solo ventriculi reciperent, esset hic motus violentus, non naturalis, similisque morboso affectui. Et etiam quia confitemur quòd attrahunt nutrimentum, igitur & chilum: etenim omne quod trahit nutrimentum, trahit & superfluum illius: & si trahit chilum, & iam habet villos longos, cur non debent illi fungi propria operatione: nihil enim agit natura frustra. Et etiam quia in colica, & ileo facto absque obstructione, non bene descendit cibus, igitur cùm hoc non sit causa ventriculi impellentis, erit causa trahentium intestinorum. Hæc tamen quæstio, vt mihi videtur, à dissectione ortum habet. Propterea dicebat Galenus fol. 4. in initio, sexto Anatomicarum dissectionum, intestina ipsa paucula rectas habere fibras, has nos villos dicimus, plerasque circulares. Præstabat docuisse, vbi illæ sint rectæ, seu in longitudinem exporrectæ. Vesalius dixit, Crassis recto & colo ob firmitatem non paucos villos rectos adesse, forsan etiam vt violentius attrahant, in exteriore tamen tunica tantum, non in interiore, subtilibus paucos. Illud facit pro Galeno, quod ab eo animaduersum est, scilicet tunicas gracilium intestinorum esse transuersis ac orbicularis tãtum fibris intertextas, cum paucis iuxta ilei finem rectis in exteriore tunica tantum: necesse enim erat iuxta ventriculum illas esse, si attractionem iuuare debuissent. Dicamus igitur, quòd leuis est intestinorum vis attrahendi, eorum comparatione quæ in ventriculo continentur: & hoc ex dissectione cognoscitur: sensu enim dignam natura rectarum fibrarum multitudinem in intestinis, atque præcipuè in interiore tunica collocasset, si attractionẽ à ventriculo esset molita. Quæ tamen cum aliqua sit, etiam chili comparatione, non negligitur à Principe etiam rerum minimarum studioso: tum maximè, quòd ea vis, etsi per se sumpta sit obscura, iuncta tamen ventriculi impulsioni euidenter effectum auget. Nec tamen vllibi Galenus hanc virtutem expresse negauit, concedet tamen attrahentem vim secundum naturam, quæ perficitur absque fibris. Et hæc est valida, comparatione ad rem quæ in intestino continetur, & sic transmittitur pars vtilior ad nutritionem intestinorum: & hæc vis est maxima in mesaraicis, & iuuatur ab hepate. Reliquam, vt paruam neglexit, non negauit.

com. 22. c. 9.

4. Probl. cap 27.

cap. 12.

lib 5. c. 5. hu. fa.

CONTRADICT. XIII.

Circuituum in morbis causa an motus materiæ.

Difficillima, & obscurissima de morborum circuitibus, semper apud medicos quæstio habita est: cur scilicet tertianæ alternis,

ternis, quartanæ duobus interceptis, quotidianæ singulis inuadant diebus. Continuæ etiam exacerbentur, & phlegmones exacuātur. Vnde tertio de Diebus iudicatoriis: Quæ igitur causa sit, quod in acutis morbis tertio quoque die plurimum fiant accessiones, & in longis quotidie, vel quarto, non promptum est inuenire: nec in præsentia disquirere est necessarium. Quod verò sic eueniunt oculis vsurpare licet: & ad principia rationem ex principio habet. In secundo autem de Febriū differentiis sic inquit: Quæcunque per circuitus aliquos ægritudinū accessiones fiunt, ex membrorum dispositionibus ortum habent: namque hæc membra vel generant, vel suscipiunt, aut mittunt, vel attrahunt superflua, eo quo diximus modo. Itaque videtur Galenus hoc non in materiam traducere, vt conciliator existimat, sed potius in efficientē membrorum naturam. Nunc autem hæc sic dixisse sufficiat, nam penitiorem horum verborum sensum inferius perscrutabimur. Auicenna vero dixit, Et putredo bilis facit tertianam, & sanguinis continuam, & melancholiæ quartanam, & pituitæ quotidianam, & quæ sunt illis similes, & quando extra venas putrescunt, & non est phlegmon aut tumor internus, nec alia causa, faciunt circuitus quos diximus. Quando verò intra venas, fit continua febris, sed tamen ex illius vehementia cognoscitur accessio. Et accessiones festinant vel ob materiæ multitudinem, vt in quotidiana, cùm non est à vitreo humore, hic enim ob crassitiem est lenti motus: aut ob subtilitatem, vt in bile. Contrariis autem causis accessiones tardius adueniunt, & harum vtraque in quartana inuenitur. Et rursus alibi, loquens de sua Hepiala: Et ipsa non est quandoque seruans accessionem omni die, imò conuertitur in tertianam, & quartanam, & tamen est ex genere febrium à pituita pendentium. Quotidiana enim febris non est à pituita, quia singulis diebus illius accessio renouetur: sed quoniam ex frigida & humida materia pendet. Hæc est illius ibi sententia, licet litera sit corrupta. Duas igitur Princeps causas facit circuituum, materiæ multitudinem aut paucitatem, crassitiem aut subtilitatem. Quo magis mirum est de Gentili, qui relicto textu aliam ponit opinionem, quòd à proprietate oculta pendeat. Existimat autem duos esse circuitus, alterum proprium, quo bilis tertio die mouetur: alterum autem generalem, de quo vult locutum Auicennam in Capitulo generali febrium putridarum supra adducto, & Galenum in fine libri de Differentiis febrium, & hic pendet à multitudine, à subtilitate, à vi membri mittentis: & ita vult, quod ex melancholia quandoque possit fieri tertiana, & ex pituita quartana, & hoc ob paucitatem & humoris crassitiem, vt à Principe visum est in secunda authoritate inducta: & ideo credit se nulli illorum contradicere, quoniam hi descripserunt causam circuitus violentam, non autem propriam humori. In disputatione tamen de febre luculenta opinionem quam ex Galeni verbi expressi illi tribuit, & reprobare conatur. Hæc autem sunt illius rationes: Si ob paucitatem, aut multitudinem, aut membrorum vim consurgit circuitus, etiam in sanguinea febre circuitus erit. Et quamuis Galenus hoc argumentum effugisse videatur, cùm causas reddit, cur febris à sanguine continua existat: attamen dicit, illius responsum esse voluntarium. Accedit, inquit, quòd hæc causa Galeni non ostendit bilem de tertio in tertium diem moueri: sed solùm, quòd velocius quàm melancholia, & tardius quàm pituita. Vltimo concludit, quòd cùm hic effectus circuitus adeò sit constans, ac perennis, causam perennem & constantem inuenisse oportuit: Sed varietas in multitudine & robore membrorum est infinita, & ideo non satisfaciet circuituum ordini. Et quia pro Galeno quis respondere poterat, quòd effectus ille quamquam variationem suscipiat infinitam, semper tamen intra suos limites constantem, vtpote tertiana multiplex esse potest, sed tamen bilis nunquam nisi tertio die mouebitur, licet horæ non sibi constent, id conatur refellere, quoniam id est quod quærimus, quod scilicet bilem tertia die agat, nam si ad quantitatem refugias, iam illa nullum finem in varietate recipit. Sed argumentum planè sophisticum est: diceret enim Galenus, cum ad certam quantitatem ac vim perueuit, mouetur singulo die: si ad minorem, tertio quoque die. Sed illud præter reliqua videtur aduersus Galenum militare, quòd sic quintanas ac sextanas cogeretur ponere: quarum altera, vt rarissima, videtur non secundum rationem naturæ facta: alterius neque vnquam exemplum aliquod inuentum est. Hoc autem magis fatigat, vbi iuxta Hippocratis sententiam nonanam admittamus: nam vbi extrema, ibi & medium esse necesse est. Propterea Gentilis opinio in hoc constat, quòd proprietas occulta, moderata tamen & deducta, ad actum per calorem naturalem agit hoc: neque enim magnes quantumcunque minimus ferrum trahere potest, omnis enim proprietas indiget calore & debita quantitate. Ideo interpretatur verba Principis quæ sunt hæc: Et febres hæ non carent circuitibus secundum materias quæ ad tumores ipsos à quibus pendent effunduntur. Namque circuitus febrium sunt secundum generationem ipsarum materiarum, & motum illarum, & secundum attractionem caliditatis & doloris trahentium ad ipsos tumores. Vnicuique enim humori circuitus inest, qui illi conuenit. Dicit igitur Gentilis, Sicut scammonium & rhabarbarum bilem à proprietate trahunt, & tamen requiritur certa quantitas: sic etiam in circuitibus necessarium est. Et licet exemplum falsum sit in via Galeni, propositio tamen vera est generaliter in habentibus quantitatem, vt intellectum excipiamus. Galenus tamen suam opinionem probabat exemplo fluxionum auris, pedis, oculorum. Nam si videmus recurrentes lippitudines, gratia exempli, tertio quoque die, quamuis materia ipsa sit sanguis, quia in exangui membro, veluti cerebro, non potest tantum sanguinis generari, vt perpetuus fiat morbus: sic morbi qui ab humoribus fiunt, ob id non nisi statis temporibus redeunt: quia in minori tempore

c.3. ante med. *cap. vlt.* *differentia 38.* *prima quarti 1.c.1. in fine.* *prima quarti trac.1.c.49.* *Quæst.14.* *prima quarti tra.4.c.13.* *2. de Differ. febr. c.15.*

4.Collect.27.

tempore grauari natura nequit tantum, vt expellere cogatur. Auerroës autem Galeno tribuere videtur, quod senserit circuitum fieri à calore putredinis, non autem naturali, atque ipso per se solo: hocque illi adscribit in libro de Febrium differentiis, quem exposuisse se affirmat. Hic tamen nunc vsque ad nos minimè peruenit. Putat igitur hoc fieri propter caloris naturalis motum. Atque vtinam quomodo fieret declarasse: palam est enim Delio quodam nos natatore indigere. Nunc satis constat quatuor esse opiniones: vnam Galeni, quòd à motu membrorū & vexatione, quę etiā est Galeni: aliam quæ Auerrois est, quòd ab actione naturalis caloris cum materiæ natura: tertiam quæ à natura materiæ ac putredine quam ille conatur Galeno tribuere: extremam Gentis, quæ à proprietate cum naturalis caloris actione circuitum fieri censet. Auerroës etiam videtur contradicere Hippocrati, in quarta Aphorismorum particula dicenti: Quibuscunque accessiones fiunt, quacunque hora febris dimiserit, si eadem cras occupauerit, iudicium habent difficile. Dicit Auerrois: Cùm febres ordinem seruant, bene terminatur, quia significant calorem naturalem vincere, hic enim ordinem seruat, quæ autem ordine carent, malè finiuntur, aut non facilè: quare ad vnguem videtur contrarium Hippocratis sentire. & rectè inquam volenti suam opinionem tueri necessarium fuit hanc inuenire rationem: concedendo quòd febris quæ ordinem retinet, & eadem inuadit hora, facile finiatur: nam materia à calore naturali regitur. Sed & sensus est concors: febres enim quæ nullum certum habent circuitum longissimo tempore durant. Hæc inquam Hac, Illac, Istac, vt mos est, nulla certa ratione circunferuntur. Famam quærentibus Auerroë ac Gentile, Galeno autem veram causam haud explicante. Nam de Auerrois opinione quid prorsus curandum, qui non ausus est in tam ardua difficultate modum explicare: sed forsan in expositione libri illius hoc dixit. At Gentilis nihil dixit: reducere enim ad proprietatem omnia facile cuique est: & hoc non est quæstionem declarare, sed effugere: sic enim cuilibet licet quidlibet quæsitum dissoluere. Accedit, quod (vt aliàs docuimus) proprietas non inest, nisi rebus perfectis, & animatis: sed humores non sunt perfecti, ne animati: quomodo igitur poterunt habere certum motum à proprietate? Rursus non daretur febris vltra quartanam, datur autem quintana, & aliæ circuituum rariorum, inter quas gētilis affirmat se vidisse aliquam febrem habentem circuitum singulo die 14. reuertentem, & ad hoc etiam adducit authoritatem Rasis ex 16. Continentis. Nec daretur tertiana à pituita, quòd tamen Auicenna concedit in loco adducto, appareretque hic circuitus etiam in corporibus sanis si ab humore penderet. Ad hæc respondet ipse Gentilis, nam aduersus se hæc argumenta adducit, quòd proprietates non sunt æquæ ipsis formis humorum, sed solùm cum conditione quantitatis & magnitudinis, quibus variatis melancholia potest facere quintanam, & pituita crassa quartanam. Sed non respondet duobus argumentis ab initio à nobis adductis. Et etiam quia nos quęrimus proprietates singulares, & non adeò generales: velut, quod ignis sursum, & terra deorsum moueatur: nam hæ proprietates rationem omnem naturalem tollerent. Sed, vt habetur à Galeno in libro pro de Elementis, humores in animalibus habent rationem elementorum, igitur motus eorum non sunt tribuendi proprietati, Auerrois etiā opinio defendi nō potest, quoniā præter id quòd est incerta, faceret vt declinationis accessiones essent celeriores, hoc autem contra experimentum & Galeni sententiam. Nec in doloribus videtur posse causam circuitus, reddere cùm ibi non sit principium ex putredine & naturali calore. Quinetiam absque putredine, & in sanis, hi circuitus experimento comperiuntur. Et quamquàm hæc argumenta non ostendant Auerrois opionem falsa, illa tamen nec clara est, nec rationem habet, cùm à calore naturali sumat initium. Sed nec bene dicunt, qui Galenum propriam causam prætermisisse aiunt, generalem tantum apposuisse, cùm hoc longa serie verborum pertractet, & in loco qui huic quæstioni propius erat. Hoc igitur Galenus sentit, in iecore mala bilis generatur, hæc vis generandi ab initio vsque ad finem dierum 14. permanet, gratia exempli, hoc toto tempore iecur à bilis generatione haud vnquam cessat, non tamen accessionem facit singulis diebus, quia non tanta potest in vna die gigni quæ naturam grauet, quare secunda dies expectatur à natura, donec coaceruata multitudo accedente prauitate naturam vexans expellere illam cogat. In sanguine hæc semper adest multitudo, in pituita fermè, nam post sanguinem nihil est de quo plus gignatur, quam de pituita, post de flaua bile, vltimò cùm minimum de melancholia generetur, rariores etiam ab hoc humore fiunt accessiones. Sed hæc opinio potius est rhethorica quàm naturalis: meliusq; conuenit Oratoribus, quàm Medicis, habet enim probabilem causam, non tamen veram. Primum illud præsupponit, materiam morborum per singulos dies generari: quod & absurdum est, & vel ipso teste etiam falsum: cùm enim de cibo febrientium ageret, inquit: Quicquid non concoquitur ex cibo non solùm non nutrit, sed etiam febres accendit. Absurdum verò, quia nil edente homine cessaret à prima die febris: quod tamen & ipse negat, & experimento contrarium est. Et etiam in omni febre esset mala intemperies calida & sicca iecinoris, si à bile oriatur: cùm tamen haud ita sit ab initio, sed quæ habetur potius contrahitur ab ipsa febre dum permanet. Et etiam talis mala temperies certis finiretur: quod tamen in aliis generibus malæ temperiei falsum plerumque esse videmus. Et cum bilis sit molestior pituita, quāquàm paucior, celerius expelleretur, & frequentiores faceret accessiones. Quid tandem? nonne videmus abundante bile non continuā, sed potius duas fieri tertianas, quoniam naturæ humoris continuitas febrē fouendi repugnat. Declarauimus etiam in primo libro, quonam pacto humores sunt in potentia in sanguine, & cùm ad

Marginalia: Aphor.30. — tra.1.contr.2. — Quæst.14.de Febre. — 1.de Cris. c. 3. in princ. — 11. Artis curatiuæ 15. in fin. 11. Artis cur. cap. vlt. — tra.4.q.4.

ad actum reducuntur expelluntur à natura si valida sit,& fit febris interpolata. Difficile etiam est seruare motum accessionis tertiani in continua & quartani, quem ego non semel vidi. Et etiam quomodo in duabus tertianis accessiones accessionibus per tertium conueniant, non autem illius febris quæ proximo inuasit die. In febre etiam ex pituita, dum inclinatur morbus in extremis diebus, accessiones ad tertium diem extendi deberent, materia pauca & parum virtutem vrgente, vt quæ modum quendam coctionis acceperit: sed hoc contingit minimè, itaque difficillimum est Galeni opinionem tueri. Quinimo & ipse in commentario primi Epidemiorum, volens reddere rationem, quòd quintana, aut septimana febris non inuenitur, dixit: Quoniam nulli humores tales habent circuitus: oportebat autem adesse si paucitas materiæ & crassities ad constituendum circuitum sufficiunt.Hugo Senensis & alij hanc mouent quæstionem: in qua præter longitudinem cum Fuchsio dicere nolim,cæcos à cæcis legi:dicam tamen,plerumque illos absque vtilitate multa verba profudisse. Nihil tamen oberit in tanta bene scribentium in Medica arte autorum inopia illos ad ordinem, ad subtilitatem, ad claritatem,ad iudicium denique imitandum legisse. Hoc enim omnibus anteponendi sunt, qui nunc fermè scribunt, quòd res ipsas primò, deinde autorum placita inspiciunt. At hi qui se adeò Galenicos profitentur, cum Galeno errare volunt, bene autem sentire cum illo non plerumque illis concessum est. Nostris temporibus nihil deest, si volumus: illi sibi deesse nihil voluerunt. Quamobrem ne quis me culpet, quòd prolixior in enarrandis rationibus Gentilis fuerim, quas vt negligam adduci non possum. Causa tamen circuitus vera est,cùm tamen liceat, sed quorsum volenti Galenum tueri, quòd velut in primis elementis Aristoteles locum inuenit habita comparatione extremorum, & numerum ex qualitatum mixtione, sic ex numero humorum & numero circuituum sibi æqualibus coniectari facile cuilibet licet, quòd singulis humoribus singuli conueniunt circuitus. Nam sanguini continuitas,pituitæ quotidianus,bili flauæ tertianus,melancholiæ quartanus: nec vllus præter hos(vel Galeno,vt diximus, teste)circuitus inuentus est. Fuerint sanè quintanæ, quartadecimanæ, atque aliæ: nonne etiam monstra sunt,& infantes bicipites? atque hi rariores haud sunt illis febribus:plures enim bicipites infantes vidi, & trioculos,quã perseuerantes quintanas, aut alias rarioris accessionis quàm quartana sit,febres: & quilibet sic experietur, modò ne tres casu aduenientes pari interuallo, aut quatuor ephemeras pro vna computet febre. Quare iam constet tibi,nullos esse præter hos quatuor, quos dixi, circuitus: scilicet, perennem, & singulo die, & tertianum, atque quartanum. Quibus accedit ratio sanè manifestissima: namque cum sanguis calidus sit,& humidus, continuam faciet febrem,cùm vtraque,qualitas putredini astipuletur. Rursus pituita singulo die commouet febrem, nam frigiditas celerius à calore vincitur, quã siccitas humida euadat,vel ipso Galeno testetatque ideo bilis diem saltem integram ad putredinem requirit. Atra bilis autem, & melancholia, cum vtraque qualitate putredini resistant, non nisi quarto die, id est,duobus interiectis diebus integris putrescere possũt.

Par.3.com.2.

prima quarti, tra 1 quæst. 2. In expositione 52. Aphor. 5. par.

7. artis cur. cap. 5.

Hæc est sanè totius negotij ratio: nunc obiecta diluenda sunt sunt. Primum obstat, quod etiam absque putredine mouentur humores per circuitus: quare ad proprietatem erit confugiendum. Respondeo: Motus ille non fit nisi cum humor ad actum ex potentia reducitur:ea deductio est via quædam ad corruptionem:purum autem sanguinem per circuitus confluere, est penitus impossibile. Si quis rursus dicat, quòd tali existente causa circuitus, in declinatione non deberet esse tardior: Respondeo: Quòd est tardior accessio, quia motus habet initium à materia, non à natura: materia cùm sit paucior, serius obit munus: facto tamen principio à natura vniuersali, adiuuatur & perficitur à singulari. Quòd si dicas, ex quarta Aphorismorum debere inuasionem firmam ordinem naturæ, & breuitatem morbi prænuntiare: dico, quòd Galenus ibi manifestè à veritate coactus confitetur, motum fieri à natura vniuersali, tanquam ab initio: sed iuuari post modum à calore naturali: quare non solum iniustè ab Auerroë accusatur, sed non rectè interpretatur illum. Eadem ratione licet respondere his, qui dicunt,quomodo fit accessio in continuis:nam fit, quia humor ille in tanto tempore non minore calorem putrefacientem suscipit. Eodem modo ratio manifesta est, cur dixerit Auicenna, Epialam transire in tertianam & quartanam: condensata enim materia & iusto frigidiore quàm in pituita, tardè putrescit, rarumque efficit circuitum. Et ideo bene dixit Auicenna, quod humores proprios habent circuitus. Cùm autem dixit, multitudinem & vim membri esse in causa, secutus est Galenum, qui de circuitu non firmo, sed contingente loquitur.Quin etiam ipse Galenus hoc testatur, se diuersa in libris suis persæpe scripsisse ex occasione. Vel dicas, quòd ibi loquitur solum de circuitu continuarum: aut quod verius est, humorem considerare tantum ex naturæ suæ ratione, non vt putredini obnoxius est. Sed si vera fateri volumus, causam generalem omni humori conatus est inuenire communem,tanquam quod in dolore influit putridum non sit:& tamen quod spõte fluit putridum est: quod autẽ vi doloris trahitur sola,haud putre est,sed nec circuitum seruat.

aphor. 30.

vt Rabi Moy. par. 10.

1. de victu in acutis c. 6. 42

Quorsum autem hæc dubitatio:dicet aliquis. Ha quantum refert ad contemplationem scire rerum causas, etiam si nulla esset vtilitas! Nunc autem quod & in aliis pro exemplo afferamus causæ huius cognitionis vtilitatem,imò necessitatem.Nam si de nouo materia generaretur, inedia esset medela morborũ. Si,quod existimant,venarum affectus causa est redditus,sũmè frigida tertianæ accessionẽ ex toto prohiberent.Si proprietas, nullum esset auxilium, vel quod aduersaretur ei proprietati solum. Si autem putredo ipsa,

ipsa,& transitus ex humore in potentia ad humorem actu existentem, auxilium erit sectio venæ,quod & ipse Galenus adhibet:vnde huius opinionis saltem fuit, cùm ætate prouecta scriberet artem curatiuam. Et nos quoties curauimus tertianam, sola venæ sectione. Clarum est autem, hanc solam opinionem auxilium afferre ad curationem, quare sola vtilis existit, etiam si vera non esset. Sed si quis dicat, cur igitur qnartanæ parum conuenit venæ sectio? & cur ante accessionem granatorum vinum ebibitum plerunque liberat à tertiana? Respondeo: Nigra bilis cùm iuxta splenem fuerit non educitur: grauitas enim prohibet ne ascendat, ne egrediatur: præparatio etiam frigida est, sectio venæ semper calorem per se naturalem minuit,vnde etiamsi liberetur à febre, transibit in scirrhum visceris alicuius. Vinum autē granatorum prohibet quandoque (neq; hoc enim semper facit) vt humor potentia in humorem actu non transeat. Itaque etsi haud me lateat quàm constanter Galenus in prima perstiterit opinione, dum Platonem octauo de Placitis reprehendit: dicam tamen cum Aristotele vulgatum illud in Ethicis, Amicus Socrates, amicus etiam Plato, sed tamen magis veritas amica nobis est: atque vtinam hac in causa ipsum non cogerer Galenum relinquere: verum in tam euidenti causa potius retrahendus est ipse ad nostram sententiam, quandoquidem etiam quamplurimum ad rem medicam hoc intersit, quàm illius gratia relinquere veritatem. Sed cùm demonstratio ipsa verorum,etiam causam ostendat eorum quæ circa illa contingunt, pulchrè fecerimus si cur morbi aliqui accessione, longas, aliqui breues habeant,edocuerimus. Quomodo etiam morbi ipsi longi atque breues euadant, ac rursus cur misceantur continuæ interpolatis. Nam haud dubium est, cùm materia ipsa, quæ expellitur, crassa est ac multa, quanquam non sicca, nec euidenter frigida erit, vt cum frequentibus accessionibus, vt tempora accessionum etiam sint diuturna. Et si accessiones raræ sint, materia autem multa, crassaque, erunt accessiones ipsæ longæ. Ac idem in aliis iudicium est: nam cum pituita parum frigida, ac tenuis, paucaque putret, singulo die leues & breues erunt accessiones. Sed serius augumenti accessiones fieri deberent, nam pars quæ tunc accenditur crassior est, longior enim accessio, atque ob id materia crassior, & abundantior: serius igitur aduenire deberet. Hoc verum est, quòd materia crassior est, atque abundantior. Sed & hoc bene Galenus dixit atque ad id tantum respexisse videtur: nam multitudine sua naturam magis stimulat: initium enim, vt dixi, motus in interpolatis à materia est: perfectio autem illius à natura. Putrescit autem celerius, non quia ab initio subtilior, sed quia per calorem præcedentis accessionis ad putredinem magis parata est. Sed declinationis accessio est tardior, licet præparatio caloris in statu iam præcesserit, quoniam initium motus est à materia, quæ pauca cùm sit, non potest celeriter moueri,nam illius subtiliores partes antequam putrescant, calor naturalis resoluit,vnde tardatur accessio. Indebili autem virtute ob hoc accidit, vt declinationis accessiones anticipent. En vides, quantum intersit verum iecisse in vnaquaque re fundamentum Rursus, vt ad rem reuertar, cùm materia quæ putrescit multa fuerit, & quæ parata est putredini etiam multa, erunt cum longis accessionibus morbi etiam longi. Sed si pauca est quæ parata est putredini, multa autem quæ putrescit,vt in tertianis quandoque accidit nothis, erunt accessiones longæ, ac morbus breuis. Vidimus & in quartanis è diuerso cum breuissimis accessionibus longissimos morbos. Palam autem,quòd ex multa materia putredini parata pauca putrescebat. Quomodo autem interpolatæ inter se, aut cum continuis misceantur,nunc accipe: Continua febris sedem & ipsa habet propriā, atque eam in maioribus venis: cùm enim in paruis materia coaceruatur,fieri non potest, quin parte illius eiecta non sequatur typus, horror,rigor,vel frigus. Age igitur, materia in caua iecoris parte putredini obnoxia contineatur biliosa,& in paruis venis quę à caua descendunt melacholica, tunc fiet continua tertiana & quartana interpolata: similiter si pars bilis in venis paruis iecoris dextris, alia in sinistris contineatur, quæ eodem tempore non putrescant,quia non sunt continuæ, duæ consurgent tertianæ interpolatæ: atque eodem modo in aliis. Mixtio autem ea quæ fit continuæ cum interpolata,difficilis est,iuxta Galeni sententiam. Sed forsan dubitabit aliquis, quoniam si frigidior materia tardius putrescit, quonam pacto non ex pituita velut ex bile fiat tertiana Equidem non facile est intra venas adeo frigidum humorem generari ac manere, sed qui fit pituita est, siccitas autem bili naturalis est: qui igitur humor est frigidissimus, præter naturam est,atque ideo rarissimus, ob hoc tertianæ rari à pituita fiunt: fiunt autem in iuuenibus nunquam fermè, in senibus frequentius, non solum quòd frigidum humorem hi soli possint coaceruare: sed quoniam cum ad summum frigiditatis non peruenerit hic humor, tardè tamen putrescit ob caloris innati imbecillitatem. Constat enim hyeme tardius putrescere carnes à calore interno, ob exterioris frigoris impedimentum. Aliud enim est agere, aliud non prohibere. Itaque febres hæ, cùm ob frigiditatem materiæ crassitiem etiam illius habeant, liquet longuas habere accessiones, adeò vt in tertium diem proferantur, atque sic secunda accessio ante primæ finem superuenit. Quo fit,vt tales febres ab aliquibus continuæ ob paruitatem frigoris,ab aliis tertianæ ob circuitum, ab aliis hæmitritei iudicentur: quoniam non finiuntur, & tamen vnam habent tantum accessionem in tribus diebus. Quidam verò notham nolunt esse tertianam producentes accessionem vltra modum. Qui verò semitertianam appellant,continuam ac tertianam iungentes,non possunt tantæ paruitatis reddere rationem. Medici igitur ad conspirationes intenti, ad maledicendum adeò sagaces, moribusque aulicorum

11. artis cur. cap 15.

fol. 5.

lib. 1. cap. 6. in princ.

1. de crisi[illegible]

aulicorum ornati hoc mirantur, nec tamen coarguere sciunt, nemine apparente qui ex febre in manibus meis mortuus fuerit, nisi illo puero, qui tamen ex vermibus potius perierit, quorum maximam manifestè congesserat copiam, quod dixerim neminem febre in nostris manibus perire, cum magna curationis pars ex hoc capite pendeat. Sed non apertius hic locuti sumus, quia solis eruditis ac veritatis studiosis scribitur hic liber: neque tamen quicquam deest ad dignoscendum febrium genera omnia, & materias à quibus proueniunt, tamen etiam virtutis robur. Constat enim primis qualitatibus circuitus distingui, magnitudinem autem accessionis & morbi ac diuturnitatem ex multitudine ac crassitie humorum pendere. Igitur vt ad rem reuertar, tales febres quæ tertianæ sunt à pituita frigida calidis indigent ac incidentibus. Et vt vnum exemplum dicam, apparuit in Marco Antonio Cagnolo ærarij præfecto: ad quem cùm essem supervocatus duobus medicis aliis fastu plenis, literis vacuis, non sum ausus hoc in medium proferre, cùm viderem his etiam, quæ palam scripta sunt ab antiquis, illos minime acquiescere: solum enim illud studio quærebant, ne illi placerem, non vt æger sanaretur: atque ea de causa cùm nondum essem in collegium ascitus frigide satis rem gessi, ne magis crabrones irritarem. Videant igitur qui præsunt, quantam communi vtilitati ansam eripiant, cùm non ex operibus, aut disputationibus, sex ex verbulis inefficacibus homines æstimant. Sed nihil aliud, vt reor, in causa est, præterquam quòd vbi fures sunt oporteat esse carnifices, euasit tamen ille succedente Vere post tres menses naturæ beneficio morbum, quem tam diu protraxerat artificum maleficio. Distinctè igitur de hoc propter rudes in nostra methodo medica scripsimus: vtque hîc nemo longam explicationem expectare debet, sic nec illic rationem vllam eorum quæ dicuntur: in secunda enim æditione methodi quicquid in aliis operibus à me conscriptum erat, quod ad exercitationem pertineret, ordine collegi, additis præcipuis ad vnamquanque morbi speciem per tempora auxiliis, itaque de illis ibi scripsi. Nunc autem typum à materia potius, quàm natura fieri ostendit Hippocr. cùm dixit: Si rigor incidat febre non deficiente, ægro iam debili existente, lethale est. Dicebat autem Galenus, quòd si frequenter incidat, quod tunc mortis est signum. Quomodo autem potest frequenter incidere, si iam debilis est virtus, nisi materia ipsa seipsam prius impellat, & naturam proritet? Neque enim rigor fieri potest, vt Galenus docebat, nisi materia ex venis supra neruos expandatur. Quo fit, vt nec à virtute debili frequẽter, nec ab illa solùm contingere possit. Ex his patet, Conciliatorem non rectè omnes causas, quæ sunt circuituum naturalium febrium ac phlegmonum, tum quæ celeritatem aduentus tarditatemve efficiunt, aut accessionũ longitudinem ac breuitatẽ in vnum miscuisse: sed secutus videtur Haliabbatem, qui ferme eas confundit: sed malè quidem, iudicio meo: nam cum grauem virum, qualis est Galenus, in medicina deserere in animo est, non nisi vel ob alterius in ea facultate viri non minoris authoritatis sententiam, vt cùm Auerroës pro Aristotele, vel ob sensum, vt Vesalius, vel cùm ratio valida illud nos docet, in causa quæ magnam vtilitatem hominibus afferre possit.

4. Aphor 46.

lib de Tremore le&ga c 7.

CONTRADICT. XIV.

In morborum initiis an possint apparere signa coctionis.

INter omnes tertianas ea simplicissima est, quæ cùm omnia exquisitæ tertianæ signa habuerit, in vrinis etiam subsidentiam & leuem & æqualem statim in primo die fecerit, inquit Galenus. Alibi autem dixerat. Hoc autem initij manifestus est indicium, cùm vrina solam albam nebulam, aut suspensionem æqualem, continuam, atque albam habuerit, & quidem rubens nebula, aut subsidentia: & sine subsidentia bene colorata vrina & crassitudine mediocris, principij finem manifestat. Rursus etiam ibi: Quòd si aliquod manifestum inspiciatur coctionis signum, quicquid temporis interiacet principium est ægritudinis. Et iterum Hippocrates: Vrina optima est, si candidum fuerit sedimentum, leuéque & æquale per omne tempus, iudicetur: Et Galenus in Commento: Vrina enim assiduè faciens sedimentum quale dixit, securitatem morbi indicat. In his omnibus partim vult ab initio in morbis putridis apparere signa concoctionis perfectæ, in quibusdam haud quaquam perfectæ: quò fit, vt hæc inuicem pugnare videantur: sed longè euidentius cum aliis quæ mox dicemus: nam in libris de Febrium differentiis docuit, signum coctionis apparere statim ab initio, proprium esse ephemerarum, quamobrem nunquam putridæ conuenire poterit. Et in primo de Crisi dum docet morbi tempora distinguere, initium vocat illius cùm coctionis signa non apparent: augumentum, cùm imperfectæ: statum, cum exactæ. Vnde tantum abest vt in principio perfectæ coctionis signa apparere possint, cùm non nec in augumento, nec imperfectæ rursus in ipso initio. Solutionem declarabat ad vnguem Galenus huius in primo de Crisi, dicens: Etiam si quis fulmine ictus intereat, eius morbi tria tempora pertransit, verùm momento initium distabit à statu. At morbi quidam adeò sunt breues, vt illico ad statum deueniant: & sic coctionis signa non in initio morbi, sed statim tamen apparebunt, quia morbus non secundam excedet accessionem. Eo fit, vt tertiana aliqua sit, quæ vrinas ab initio statim habeat concoctas. Cùm verò statim dixit in primo die, non partem diei dixit, sed statim ab initio quasi morbi, id autem prima die. Principium igitur si pro prima die capiatur, concoctionis signa admittit, sed pro tempore quolibet breui: si autem pro

2. de Crisi, c. 3. in fine.

1. de Crisi, c. 17.

lib. 1. c. 7.

cap. 8.

cap. 17.

pro initio morbi, nequaquam. Sed & initium symptomatum coctionis admittit signa: nihil enim prohibet symptomatum initium apparere iam aucto morbo. In morbis autem qui non ex putredine existunt, nihil prohibet apparere ab initio coctionis signa, quandoquidem nihil est quod concoquatur. Sed Galenus dicit proprium hoc esse diurnarum febrium. Rectè, inquam: nam ibi loquitur de febribus, quæ ab initio febres videntur: hectica autem vel ab initio non fit, aut si fiat, febris esse non videtur. Sed dicet quispiam, etiam diurna & hectica sunt à putredine, aliter caliditas iecoris hectica esset. Respondeo ad hoc alias in generali: nunc sufficit dixisse, quoniam non cõcoquitur calor ille, nec materia calori subiecta: sed vt in humoribus initium putredinis restauratur, non per concoctionem, sublata putredine, sic etiam hectica & diurna. Solet fieri argumentum, morbi materia existente à corde procul quamuis concocta leuissima fient symptomata ac qualia per morbi initia, dum materia cordi proxima est, igitur sub initio prioris morbi, cùm primùm febris & symptomata apparent, videbuntur coctionis signa. Rursùs etiã in phlegmone suppurato in extremis corporis absque febre si recurrat materia versus cor, erunt in initio illius morbi perfectæ coctionis signa materiæ quæ febrem facit. Et in Anaxione laborante morbo laterali initium recidiuæ fuit cum signis concoctionis tam vrinæ, quàm sputi, vt in tertio Epidemiorum habetur. Sed, vt dixi, hoc non fuit morbi initium: suprà enim ostensum est, quòd tempus remissionis & & quietis in morbo, cui successura est declinatio, nequaquam dici debet tempus in quo homo sanus fit. In phlegmone suppurato erit initium morbi, sed cum cruditatis signis: & de hoc diximus, vbi de sedimenti causis locuti sumus. Cùm enim materia putrida est & concocta, non potest moueri versus cor, quia est in potestate naturæ. Ad illud de phlegmone in corporis extremo, respondeo, quòd eadem fermè erant symptomata, sed in remoto facilis morbi & consistentis, in propinquo cordi difficilis & incipientis: & ideo dũ materia putrescit in phlegmone remoto à corde, videbuntur signa iam materiæ concoctæ, si præsupponamus cor illi communicare iam consistente morbo, non in initio. Si autem loquamur de diurna febre illi succedente, non sumus in casu, cùm de putrida sit sermo. Quòd si quis dicat, Morbo in quantitate peccante, concoctio ab initio apparet. Respondeo, quòd febris esse non potest à materia, sola quantitate peccante, sed oportet vt si calidior quàm naturaliter sit. Et ideo argumenta hæc Iacobi etsi laboriosa sunt, haud tamen valde vtilia ad doctrinam, cùm quædam imaginatione tantum verisimilia præsupponant. Illud solum difficile videtur in verbis Galeni, quod modò nullam initio, modò remissam tribuit coctionem, modò tamen fini initij. Sed Galenus vbi initio adscribit coctionem, de illius maxima parte loquitur: nam solus finis initij, qui augumento iungitur, initium coctionis ostendit, atq; hoc tempus est quasi augumenti initium. In accessionum autem initiis est euidens, non apparere coctionis signum: & tamen materiam natura exagitat: quo fit, vt sedimentum, quod & aliàs diximus, non sit pars materiæ peccantis, aliter non esset cruda cùm in materiam agat vrina. Sed nec in fine, cùm eiicitur, perfecta apparet coctionis significatio, vt in fine primæ accessionis tertianæ: quare in vniuersali initio alicuius morbi, quia consistentia est accessionis, concoctio potest apparere, & hoc interpolatis: aliter sudores primæ accessionis in tertiana essent symptomatici.

Sec.3. tex.80. — *Contrad. 11.* — *tract.3. huius contrad. 22.* — *1 de Cri. c. 8.*

CONTRADICT. XV.

Lateralis morbus an acutus.

IVxta dictum de Anaxione dubitari solet, quomodo vno existente morbo vsque ad 34. diem possit esset acutus. Princeps etiam morbum lateralem chronicum, seu diuturnum vocat. Sed Galenus exponens illud primæ particulæ Aphorismorum, Accessiones verò & constitutiones morbi indicabunt acutum eum vocauit. Et rursus contingit alia difficultas, quia Anaxion ex recidiua seruatus est, cum tamen dicat Princeps, Et cùm recidiua fit moriuntur. Posset quis effugere ad verba quæ subsequuntur, cùm dixit, Et hoc in calida & pura. Et hæc responsio est non vera, quia verba non vera, quia verba hæc ad regimen referuntur, de quo dixerat, non ad prædictionem. Nec Gentilis expositio satisfacit, quòd intelligatur vt plurimum: hoc enim reuersioni omnis grauis morbi conuenit, redditurque dictum fine arte, & Principe indignum. Dico igitur, quòd hoc intelligi debet de reuersione quæ fit per influxum nouæ materiæ ad locum, & est reuersio non naturalis, sed vitio regiminis contracta, quod indicant verba antecedentia, nam dixit, obserua regimen exquisitum hoc illud indicans, nam si recidiuent, id est, ex errore moriuntur. Reuersio autem in Anaxione fuit propter residuum materiæ ab initio confluentis. Galenus tertio de Crisi fermè in hanc sententiam dicebat, Quòd reuersio morbi post euacuationem est minoris periculi morbo ipso: fine euacuatione autem maioris. Ergo si non est educta materia, periculosa est reuersio: & rursus si educta contingat vitio regiminis ac victus. Si autem educta magna ex parte materia, nec errore subsequente in victu morbus reuertatur, necessariò leuior erit, ac fine periculo. Sed quomodo fuit morbus lateralis absque febre in Anaxione à die 21. ad 27. Respondeo, Hic morbus non fuit ex genere acutorum, & ideo potuit esse fine febre quandoque: & causa est, quia in tempore medio interiacente defluxum materiæ, & illius putredinem contigit laborare morbo laterali ratione materiæ, non tamen ratione proprij morbi lateralis, qui febrem includit. Sed quomodo acutus hic morbus potest quandoque non esse, dicente Principe, Lateralem morbum esse apostema calidum? Respondeo, quòd loquitur de exquisita morbi diffinitione. Nam subiicit,

decima tert. tract. 5. c. 3. iuxta finem. — *cap. 1.* — *decima tert. 5. 4. c. 1. in fi.*

subiicit, quod fit secundum plurimum à bile, vel bilioso sanguine. Sed dices, Igitur facta in membrana distinguente pectus collectione pituitæ putrescentis non erit morbus lateralis exquisitus? Respondeo, quòd non: & hoc etiam sensit Gentilis. Sed cùm putrescit pituita calescit, putatque Gentilis tunc debere lateralem morbum verum dici debere: sed non est, quia verus morbus lateralis necessario est acutus. Quòd si dicas, factus à sanguine pituitoso quomodo erit. Respondeo, acutus: quia sanguis pituitosus ad sanguinem purum etsi comparatus frigidus sit, per se tamen calidus est: & etiam quia intra quartum diem necessariò putrescit, vnde morbum acutum gignit. Sed dices, Igitur morbus Anaxionis fuit acutus, & tamen fuit sine febre. Dico, quòd fuit acutus conuersiuus à sanguine pituitoso, & hic potest quandoque esse absque febre. Et quamuis videatur in sexta Aphorismorum Galenus sentire, quòd à pituita possit fieri morbus lateralis: hoc tamen solum ad sanguinis discrimina transfert, non ad humorem purum.

Aphor. 33.

CONTRADICT. XVI.

Lateralis morbi signum an ab vrina sumendum.

SVpponamus ægrum aliquem à morbo laterali habitum, neque expuentem aliquid, & vrinas quidem mingentem tenues, sed bene coloratas. His verbis subiunxit, quod si vsque ad XI. diem talis perseuerabit, ad XI. vsque diem dicetur in principio, vnde in laterali morbo etiam ab vrina coctionis signum accipere oportebit. Simile quidem ferme videtur quod in prima Aphorismorum scribitur, dum dixit: Meminit non solum sputorum, sed & vrinarum, & excrementorum alui, & sudorum. Sed hæc forsan in vniuersum, non autem in solo laterali morbo. Hic etiam pulsum prætermittit, inter signa morbi demostratiua non adnumerans. Liquet autem quòd & in eodem commento, & in eodem primo de Crisi, non ponitur vrina, sed solum sputum à quo coctionis signum sumere necesse sit in laterali morbo. Sic & quinto de Locis, Pulsus primò inter assidentia ipsa, deinde etiam inter significatiua lateralis morbi signa adnumeratur. Et in libro de Constitutione artis medicæ, & alibi sæpe. Diximus & de hac ipsa re superius aliquid, distinguentes etiam signa in genera sex: quemadmodum in commento eiusdem aphorismi. Iudicatoria, quæ & critica: prognostica, quæ salutem aut mortem denuntiant: coctionis significatiua, seu Pathognomica, assidentia seu distinguentia morbi genera, & rememoratiua. quorum ibi vt minus necessariorum meminit: cùm peracta solum doceant. Igitur vt ad rem reuertar, cùm morbus lateralis exquisitus febrem secum necessario coniunctam habeat, cuius vrina est signum: est autem febris non solum contentæ in phlegmone, sed etiam in ambitu illius materiæ putredo, conuenit vt lateralis morbi signum ab vrina sumatur: cum tamen vrina non sit illius signum concoctionis, aut pathognomicum, aut assidens, aut prognosticum. Et ideo mala vrina super mortem significat in morbo laterali, bona haud significat salutem: dicente Galeno, vnum signum ad mortem significandam sufficere, ad salutem vniuersa requiri. Pulsus autem prætermittitur dum ad verba Hippocratis attendit: aut dum de his agit signis quæ ad coctionem, aut prognosticum pertinent: Nam neque pulsum curauit Hippocrates, nec magnum habet in prognostico vel coctione testimonium.

1. de crisi, 18.
com. 12. in fine.
cap. eodem.
cap 3. in prin. in fine.
cap. 15.
contrad. 9. trac. 1.
1. prognost. com. 56.

CONTRADICT. XVII.

Calor iuuenis an validior in operationibus calore pueri.

GAlenus in tertio de Symptomatum causis, Iuuenes, inquit, cibos siccos facilius concoquunt pueris, humidos autem æqualiter. Oppositum autem in sexto de Sanitate tuenda, cum inquit, Duobus existentibus operationum generibus corporearum, in quibus pueri præcipuam vim obtinent, & animalium in quibus ea quæ pueris succedit ætas vsque ad declinationem præcellit. Et in secundo Prognosticorum, dum declararet aquosam vrinam vt nullam aliam esse in pueris perniciosam, sicut in iuuenibus nigram: quòd aquosa contraria sit coctioni qua maxime pueri præstant: atque ideo maxime exitialem. Et rursus in prima Aphorismorum, cùm censet plus cibi pueris deberi hoc idem sentire videtur: validior enim calor est qui in singulos dies plus alimenti concoquit. Eademque sententia illius esse videtur in quinto de Simplicibus medicamentis, dum puellos admouere docet ventriculo ob concoctionis imbecillitatem. Respondet quidam, quòd iuuenes non ob caloris magnitudinem siccos cibos melius concoquunt, sed ob similitudinem instrumenti cum eo quod concoquitur. Sed per hoc non habemus quod pueri meliores habeant naturales operationes: pueri etiam humidiores melius concoquerent non æqualiter si instrumenti similitudo hoc faceret. Respondet, quod iuuenes melius retinent cibos humidos, vt quantum decebat ex similitudine, tantum accedat ex retentionis perfectione: at cùm retentio sit vis naturalis, erit vt validiores sint vires naturales in iuuene, quàm in puero. Aliter igitur respondet, quòd licet concoctio melior sit in iuuene, puer tamen præstat in reliquis operationibus corporeis, vt attractione, adiunctione, & assimilatione, ideóque plus crescit. Sed hæc responsio minime conuenit Galeno, tertio enim de Symptomatum causis dixit, eam vim quæ immutat in pueris esse validiorem reliquarum trium iuuenes functionem habere meliorem: in retentione quidem manifestissimo discrimine, in expulsione leuiore, in attractione penè leuissimo. Constat itaque hoc totum non solum responsioni contradicere, sed etiam aliis Ga-

cap. 3.
cap. 1.
com. 33.
com. 14.
cap. 6.

leni autoritatibus, quas suprà adduximus. Nec etiam responsio hæc his quæ in prognosticis dicuntur satisfacit: cùm neget pueris concoctricem esse validiorem quàm iuuenibus, ad alias autem naturales vires subterfugiat. Quamobrem ad Græcam lectionem quidam refugiunt: habet autem versio noua, quod & Græcè ponitur, pueros in ventriculi concoctione iuuenibus præstare: sed illi totam seriem verborum ab eo initio τὰ δὲ τῆς ἀναδόσεως, vsque ad illa verba, γέρουσι δὲ πρὸς, ad ventriculi referunt operationes, quibus imbecilliorem volunt esse puerum iuuene: at in operationibus iecoris, ac cæterorum membrorum, idem accidere negant: puer enim validior est ieuuene. Sed hæc responsio fundamentum suscipit falsum, ea enim verba, τὰ δὲ τῆς ἀναδόσεως, ὄργανα τοῖς πεπτικοῖς, εἰ καὶ μὴ σφόδρα ἰσχυρὰ, ταῖς ἐνεργείαις ἐστὶν, ἀλλ' ἱκανά γε καὶ οὐδαμῶς ἐνδεῆ: non de ventriculo, sed de venis intelliguntur: subiicit enim, Σύμμετρος γὰρ ἤδη σκληρότητα καὶ τόνον αἱ φλέβες ἔχουσιν, αἱ καθεκτικαὶ δὲ δυνάμει, &c. & ideo etiam ad iecur referri maxime ea oporteret, non ad ventriculum: nec vlla videtur ratio, ob quam melius iuuenis concoquat, ventriculo eo præter modum ampliore facto, calore autem nequaquam aucto. Deteriorem etiam vel sic retentricem facultatem fatetur in pueris vndequaque, quòd à verbis Galeni in sexto de Tuenda sanitate alienum est: propterea dicam cum poëta:

Πολλοὶ τοι ναρθηκοφόροι παῦροι δέ τε βάκχοι.

Responsio igitur in tribus constat: in celeritate operationis, in perfectione, & in comparatione ad proportionatum alimentum. Itaque quo ad proportionatum pro propria magnitudine alimentum pueri in in omnibus præstant iuuenibus tam celeritate quàm perfectione, ni forsan casu ob nimiam humidam substantiam non adeo bene contineant quod crassum est, & corpulentum: nam quod ad bene comminuta attinet, vt in secunda & tertia concoctione pueri præstant etiam iuuenibus: si verò ad proportionatum cibum pro vsu ac necessitate comparentur, cùm is sit longe maior quàm in iuuenibus proportione ad molem corporis habita, tunc perfectiores etiam habent pueri operationes iuuenibus, nutrimentum melius iuuenibus restaurant, quia simile ei quod habent: quod autem habent longe melius est eo quod in iuuenibus inuenitur: in celeritate tamen à iuuenibus in siccis longe superantur: in humidis sunt æquales: eò enim vincuntur mole cibi à iuuenibus, qui parem corporis rationi suscipiunt quantitatem, quo illos superant, quòd calor in iuuenibus etiam ad animæ operationes magis distribuitur: atque sic in tertio de Symptomatum causis locutus est. Aperte enim in primis verbis hoc fatetur.

CONRADIC. XVIII.

Calor naturalis & febrilis an vnus.

FEbris est affectus calidus & siccus: est enim conuersio natiuæ caliditatis in igneam, inquit Gelenus. [1. Aphor. com. 16.] Ex qua sententia clare habetur, quòd calor naturalis sit febrilis: nec supersunt duo calores in febre: & adducitur fundamentum pro hoc, nam aliter duo accidentia, id est, duo calores, solo numero differentia, in eodem subiecto simul inuenirentur. Et non esset febris rarior senibus, vt nec morbi alij frigidi, nam calor debilis illorum si alius est ab eo qui in febre accenditur, minus resistet quàm in iuuene ipsi febri: erit igitur frequentior febris in senibus, quàm iuuenibus. Cuius tamen oppositum scribitur prima Aphorismorum. [Aphor. 14.] Et Galenus extrema Hippocratis verba interpretaturus inquit. Cùm febris fiat conuerso calore natiuo in igneum, vix fieri potest, vt exiguus calor, qualis in senibus adest, in immensum illum acutæ febris transeat. Quòd si transeat, signum est à vehementi causa hanc tantam permutationem esse factam, atque ob id etiam signum perniciosum. Hæc ratio supposito duplici calore nihil planè concluderet. [cap. 2.] In libello etiam de Morborum differentiis, multiplex quasi ad hoc adducitur ratio: Namque videmus, inquit quòd ex ira & exercitatione calor accenditur naturalis, hæc eadem si sæuiant, magis febrem accendunt. Cùm igitur nemo in ira dicat alium accessisse calorem nouum, sed eum qui iam naturalis fuerat, animi affectu talem redditum, conuenit vt & in febre idem accidat. Præterea à frigido febris accenditur: nulla ait causa alia calida existente: oportet igitur non secus accidere quàm in prunis cum mediocriter suffocantur, vt scilicet calor ipsemet accendatur & immutetur. [cap. 3. & 4.] Quam etiam sententiam declarauit in libello de Vsu respirationis. Accedit ex priore loco aliud argumentum, quòd cibi acres atque acuti, & dolores etiam febres accendunt, cùm nouum tamen calorem minime inducant, sed solum naturalem diuexent. Et rursus in phlegmonibus pars putrida calore vnico continetur, inde paulatim progreditur calor in vicinas partes: cùm autem ad cor peruenerit obsederitque innatum calorem, sic vt accendatur, quemadmodum in patiente particula febris fit: itaque vt vnus in phlegmone calor, ita etiam in febre quæ ex illo accenditur. [cap. 3.] Itaque concludit, vt promptissime quodlibet corpus paratum est calori, ita in eo facillime febris accenditur. Vtque calor ipse innatus magnus extiterit ac in materia calida, sicca, atque leui, ita obnoxius est quisque magis febri. Sic & in primo de Febrium differentiis, dixit, Calorem qui causa est febris alium esse vel propter putredinem, vel motum, atque alia. Quòd alius calor febris esse potest, non vtique calor qui ex putredine oritur causa febris erit, sed ipsa febris: inquit enim:

Oportet

Oportet augeri calorem ipsum vt febris fiat. Potest autem augeri motu, vel putredine, vel adhæsione alterius caloris: quo fit, vt non nisi calor naturalis immutatus febri dici possit. Et rursus declarans quomodo ex pororum stipatione febris fiat, inquit: Calor naturalis perfrigerari nequit: atque ob id febris, ipsa accenditur si vapor acris ac mordax extiterit. Sed tamen in oppositum multa deduci solent, ac primò ex eiusdem loci initio, cùm dixit, quòd febris est vna intemperies, cùm in corde quædam caliditas præter naturam generatur. Liquet enim quòd si solum quod præter naturam est febris est, calor naturalis immutatus in igneum febris dici non debet: non enim totus, sed ex parte tantum non naturalis est: aliter febrientes neque concoquerent, neque respirarent, nec membra seruarent, nec denique viuerent. Accedit quod in illo capite dixit, si fuliginosa euaporatio acris non sit, & mordax, febris non gignitur, & tamen calor naturalis accenditur etiam in his. Et rursus quilibet febriens triplice genere febris laboraret: nam si calor naturalis in febriente immutatus est, cùm ille vnus sit, erit & qui in solidis, & qui in humoribus igneus, ac denique simul hecticus, & ephemera, & putrida laborans. Gentilis etiam hoc vtitur argumento, quòd in his qui febre per circuitus laborant, perfrigerantur in declinationibus cordis regiones, & ventris magis quàm extrema, eo quòd caliditas non naturalis vehementibus ibi ab innata oppugnatur ac extruditur ad extrema, vbi propter innati caloris imbecillitatem aliquandiu manet. Quòd si vnus esset calor, profectò necessarium esset celerius extrema refrigerari præcordiis: cùm in extremis minor, sit calor naturalis, ac etiam ob id præternaturalis. Philosophus etiam in Problematibus quærens, cur medici excessibus vtantur? Respondet, quoniam morbi in excessu constant contrariáque contrariis curantur. Itaque febris apud Philosophum erit superaucta solùm caliditas, aliter quicquid comederet febriens corruptioni obnoxium esset, nec esset à quo præternaturalis ille calor corrigeretur. Auerroës etiam in tertio Collectaneorum dixit, Febris est calor compositus ex calore naturali, & extraneo putredinali transmisso à corde per totum corpus: & lædit omnes operationes tam actiuas, quàm passiuas. Et subiungit: Et dicimus quòd iste calor est ipse calor naturalis permutatus in quantitate & qualitate operandi operationes non naturales, aut in materia non naturali. Sed hæc, vt patet, non est generalis diffinitio febris. At enim dubiùm non est, quòd putridæ, quæ in humoribus accendi solet non conueniat. Auicenna verò expressius cùm febrem diffiniret calorem non naturalem in corde accensum esse dixit. Et pro hac sententia videntur esse non leues rationes: nam febris suscipit magis & minus, cùm in qualitate consistat: igitur dato quòd etiam calor naturalis ipse immutaretur, non totus immutatur: quare pars quæ non immutatur, cùm naturalis existat, febris dici non potest. Medicus etiam est artifex sensitiuus intendens secundum Galenum conseruare calorem innatum, & febrem destruere: igitur febrilis calor, quem intendit destruere, non est innatus, sed superacquisitus. Et etiam quia dum frigiditas mala in membro abundat, morbum non vocamus calorem cum frigiditate iunctum, sed ipsam frigiditatem, ipsamque remouere conamur: igitur superadditus calor, & non naturalis superauctus, febris dici debet. Idem etiam apparet experimento: nam si quis sextum digitum habeat, non iam morbus est in alio, quam in ipso sexto digito, qui supperadditus præter naturam est. Esset etiam difficile imaginari duo genera febrium simul eadem hora, vt ponit Galenus in secundo de Crisi: quomodo enim idem calor naturalis erit sub duabus mensuris: imò sequeretur, quòd idem calor simul augeretur ac minueretur, velut singulis diebus cernimus in augumento continuæ febris tertianam interpolatam declinare. Nec sufficit dicere, quòd remittatur calor, comparatione habita ad vnam causam: & accendatur, comparatione habita ad aliam. Et nullum est argumentum validius pro Gentili, & miror quòd ipsum non viderit. Nam si calor intenditur, seu augetur, & febris quæ declinat non est nisi iste calor, igitur febris illa non verè remittitur, sed tantum causa febris. Et hoc est simile ei quod accidit laboranti febre tertiana continua, qui ponatur hora declinationis in aëre calido, adeò vt non remittatur febris, nec calor ille: & tunc licet causa remittatur, non dicimus morbum remitti: igitur, nec in priore casu & hoc est totam peruertere medendi artem. Sed illud sequitur, quòd febricitanti noua febris aduenire nunquam poterit: nam iam calor ille in igneum mutatus est, quomodo igitur erit permutatio caloris innati in igneum, cùm iam sit facta mutatio. Et etiam cùm remittitur calor naturalis, & moritur homo, iam remittetur morbus, & homo morietur, nam calor ille minor erit naturali: igitur non poterit facere febrem: & sic resolutio morbi mortem pariet, sed hoc solet dici, quòd calor ille est minor, sed habet proprietatem qua à naturali differt. Auerroës enim in secundo de Anima dixit, quòd ignis coniunctus cum quadam virtute est principium augumenti: & istam virtutem qualis esset declarauit Galenus: quoniam oportet vt sit humidum in eodem subiecto, & ideo corpora puerorum crescunt minus adolescentium nullo modo senum. Sententia igitur clara est Galeni quòd est tantum vnus calor, quoniam medicus artifex sensitiuus, & ipse non percipit nisi vnum calorem tangendo, & non duos: igitur non debet ponere nisi vnum. Et hoc etiam declarauit primo regiminis acutorum, cùm dixit: Febris ortus est natiui caloris conuersio in igneum: vnde Hippocrates febrem magnam ignem vocare solitus est, & in thorace accensa in caput flammam emittit. Et rursus octauo Artis curatiuæ: Febris fit, cùm adeò calor immodicè augetur, vt operationes lædat. Et in libro Diffinitionum, etsi ille Galeni minimè sit: Febris est innati caloris declinatio in statum qui præter naturam est. Et in Introductorio medicorum: Febris est natiui caloris

[Margin notes: Quæst. 4. — Par. 1. Prob. 1. & 8. — cap. 3. — Prima quart. tract. 1. c. 1. — 8. Artis curat. cap. 9. — cap. 7. — com. 41. — 1. aphor. 14. — com. 8. — cap. 1. fol. 4. — cap. 13.]

ris in ardentiorem conuersio, eo quòd intro auersus perspirare prohibeatur. Et rursus in libello de Morborum differentiis: Morbus in ea consistit intemperie, in cuius temperie sanitas posita est. Sed contrà, quia primo Artis curatiuæ febris est calor tantus vt operationi noceat: quod etiam dictum est in octauo eiusdem operis libro. Si igitur operationi nocet, igitur cùm operatio à calore fiat innato, præsupponit calorem innatum operationẽ propria fungi, sed illam ab externo vitiari. Sermo enim proprius esset, si sentiret, vnum esse calorem febris & innatum. Febris est mutatio caloris innati tanta, vt prohibeat ne operatio ipsa ab illo perfici possit. Sed vitiare actionem, est eius qui illam iam esse præsupponat. Sed hæc sophistica sunt: nihil enim aliud vult Galenus, quàm quod operatio perfici nequeat ob intemperiem. Nec est ponenda proprietas alia occulta, vt facit Gentilis, quando constat siccitatem nimiam esse causam corruptionis: quæcunque autem febris, vt declarabitur, siccitatem continet, comparatione habita ad proprium calorem innatum. Videant igitur qui volunt negare coniunctam causam in via Galeni, si febris est calor ille in igneum mutatus, & non calor nouus additus: quid velint esse calorem illum qui inest materiæ marcescenti. Nam in secundo de Natura humana, & alibi sæpe, vt etiam retulimus hîc, febres aliæ propter putredinem, aliæ ob alias causas: igitur calor ille putridus est causa, & non morbus. Isti autem qui negant causam coniunctam dupliciter peccant: primò, quia calorem putridum faciunt febrem, cùm sit causa: constat enim etiam præter Galeni autoritatem, non posse esse febrem: cùm materia existente pauca, & à corde remota, febrem non efficiat. Peccant etiam cùm causam tollunt coniunctam quæ est ipsa putredo. Nam cùm proculdubiò causa si non morbus, est enim vitians operationem, quia calorem naturalem corrumpit, & non absque medio, & etiam non est in subiecto proprio sanitatis, id est in membro: igitur rectè inquit Galenus; In putridis calor immoderatus, seu innatus in igneum conuersus est morbus, & causa illius est calor putridus. Non potest autem esse causa antecedens, vt patet: quoniam cùm tollitur, tollitur & febris, si de halitu loquamur. Sed non eo modo fit febris, vt declarabo: & sic etiam hoc modo peccant. Quòd si finita putredine remaneat febris, illa tunc carebit causa coniuncta, sed vel erit alterius generis, vel omnino hoc esse non poterit. Ergo qui moritur quantumcunque remissum, aut, vt melius dicam, paruum habeat calorem, si ex febre moriatur, sicciorem planè habet, atque acutiorem. Ergo, vt Galeni sententia nobis notior euadat, Calor febrilis est naturalis cùm in igneum mutatur. Cùm autem calor sit qualitas quædam, sensim acquiritur amitturque: & quantum ex propria forma decedit ab illo, tantundem ex ignea qualitate accedit. Quo fit, vt alius alio magis aut minus febrem pati dicatur. In qualibet igitur parte ipsius caloris naturalis iuxta subiecti magnitudinem, & iuxta etiam gradus ignea qualitas inducta est: non tamen in qualibet parte substantiæ caloris hæc est: nam sic totus esset exquisitè igneus calor innatus: velut in aqua omnes partes, cùm ad ignem posita calescit, calore præditæ sunt, omnesque frigidæ substantiæ partes caliditatem sentiunt non tamẽ in qualibet parte substantiali (vt ita dicam) minimi cuiuslibet calor inest: aliter enim ignis esset, aut aër non amplius aqua: eo modo si febrem pro noxa accipimus, est qualitas inducta, quæ calorem vitiat: sed si hæc pro calore putrido (gratia exempli) sumatur, non morbus est, sed causa: si verò pro eo quòd calori accessit naturali, ille morbus est, sed re à naturali calore nullo modo distingui potest, cùm sit vnus & idem. At dices: Igitur ex naturali & corrumpente fit vnum: hoc haud absonum est in imperfectis, sicut etiam de Elementorum forma in mixto iuxta Auerroëm. Sic neque absonum est duo accidentia, solo numero differentia in via Galeni, esse in eodem subiecto, sed imperfecta vtraque. Sicut igitur in mixto, cui terra prædominatur, cùm ex putredine leuius euadit, grauitas suo opere fungitur, sed imperfectè: sic imperfectè concoquit calor febrientis. Et tamen non omnis calor superauctus est febris, sed oportet vt vitiet proprias functiones. Febrium autem diuersitas ex hoc patet, nam qui ephemera laborat, solos habet accensos spiritus, absque putredine tamen, & tamen tantum, vt operatio vitietur, non vt in ira, vel cursu. Qui autem putridam habet, calidos etiam spiritus habet: sed quoniam calor ille putridus est, quamuis inflammentur spiritus, quamuis operatio lædatur, non tamen ephemeram patitur: deest enim tertia conditio quòd calor ille putredine careat. Ob hoc febrem sanguineam, quæ sine putredine est, ephemeram includere necessariò, diximus aliàs: & cur alteram cum altera Galenus confundat. Nam ex ephemera in illam transitur, & illa rursus secum ephemeram necessariò coniunctam habet. Sed putrida hecticam non includit, in via Auicennæ causam ostendere facile est, quoniam membra alieno calore solum, non proprio abundant: at in hectica proprio. Verùm iuxta Galenum dicendum, quòd calor ille non adeò inhæret membro, vt absque fouente causa putredinis manere possit: at in hectica manet: vnde ex quacunque putrida in hecticam facilis est transitus, cùm membra calida & sicca extiterint. Differunt igitur hi calores, non substantia, sed modo inhærendi. Differunt etiam, quia calor hecticæ putredine caret, vt etiam in ephemera dictum est: ob hoc tam facilè ex ephemera, & longè facilius in hecticam transitur, quàm ex putrida. Sed rarò id contingit, quòd rarò primam diem ephemera transit, putrida etiam in menses se extendente. Sed hecticus cur putrida non laborat, & ephemera: putrida quidem, quia etsi calorem contrahant humores, non tamen febrem faciunt, nisi calor ille sit putridus: at hecticæ calor, vt dixi, putridus non est. Relinquitur igitur solùm dubitatio, cur non quilibet hecticus ephemera laborat? Nam, vt diximus, vnus est calor naturalis, qui in igneũ transit totus, quare & qui in spiritus,

&ide o

contr. 25.

con. 23.

& ideo ephemera cum hectica semper aderit: quod & verum est, vnde hectici maximè ab ira nocentur. Et etiam quia calor multiplicatur vndequaque in circuitu, velut & lumen, & ideo spiritus & humores calescunt à membris, & sic fit ephemera. Et etiam quia cor est calidum in hectica, igitur & spiritus calescent in eo immoderatè. Sed tamen potest esse, quod modus caloris in membris impediat nutritionem, & in spiritibus, cùm natura calidiores sint, non impediat operationem, quia calor hectici in membris forsitan est minor naturali spirituum: & sic non poterit accedere illos, & erit hecticus etiam in tertia specie, nec tamen laborabit ephemera. Et hæc posset esse alia causa, cur laborans putrida non necessariò laboret ephemera: quia spiritus etiam non solùm membris, sed humoribus sunt calidiores. Modi igitur, quonam pacto cùm totus homo febriat, nunquam calor innatus accensus sit in omnibus febribus, nec tamen laboret triplici febris genere, satis manifesti sunt. Qui verò dicunt, quòd ex fundamento febrilis caloris primò febres distinguuntur, hoc bene declarant esse tria febrium genera: sed non, cur vno liceat laborare absque reliquis. Cur autem in circuituum remissionibus febres citius præcordia extremis relinquant, accidit, quia pars sana & membra præcipuè, partem delent quæ superinducta est, quoniam non manet nisi ex causa fouente, ideo nihil concludit. Nam, vt diximus, illi duo calores distincti sunt vt elementa in mixto, & contrarij etiam sunt inuicem: sed tamen sunt vnus calor. Nam calor febrilis est modus quidam, & non accidens nouum inductum, aliter in omni febre esset corruptio substantiæ membrorum. Mens igitur Galeni est, quòd calor putridus sit noua qualitas, hæc agendo modum nouum inducit in calorem naturalem, quo totus fit intensior ac siccior seipso naturali, adeo vt impediat operationes, & tunc vocatur febris. Aristotelis sententia nec est expressa de hoc, & posset dicere causam, non morbum: cùm dixit consistunt, non sunt. Auerrois autoritas est pro Galeno: nam primo docuit, illos calores esse ratione distinctos, inde in subsequentibus verbis ostendit, re & substantia non differre: sed illum naturalem immutatum, esse febrem. Auicennæ diffinitio non est ad mentem Galeni: sed si vis tueri, dic quòd posuit causam, quam vocant Barbari Formalem, febris pro febre: nam materia febris est calor naturalis, & modus ille forma, & totum est verè ipsa febris. De parte autem non immutata si illa distingueretur subiecto vel re procederet argumentum. Medicum etiam intendit reducere calorem ad proprium ac pristinum statum, & etiam conseruare partem quæ non est vitiata: sed, vt dixi, non differt à vitiata nec loco, nec gradu: vt si quis velit remouere putredinem à carne à carnem incipiente putrescere, non ex hoc sequitur quòd alia pars carnis sit putrida, alia non: sed solùm quòd est caro ipsa remisse ac parum putrida: & hoc idem ad vnguem in calore febrili ac naturali: nulla enim pars carnis est in actu pura à putredine, & tamen cùm sit parum putrida, hoc vnum totum, quod est caro putrescens, ad priorem statum reducitur. De sexto digito alia est ratio: est enim morbus in numero alterius generis à morbo in temperie. Sed etiam sextus digitus est causa morbi, vnum est quod distinguitur à parte sana subiecto & re. Cùm verò subiunguntur omnia illa, respondeo, quòd quamuis calor sit vnus, multos tamen habet modos differentes, & sub diuersis modis est febris alia, & alia: nec illæ febres aliter se habent, quàm Socrates, Grammaticus, Citharœdus, & Medicus: sunt enim vnum re inter se hæc, & tamen fiet magis Medicus, minus Grammaticus, & desinet ex toto esse Citharœdus: propterea dixi, quòd sunt modi caloris naturalis, & non qualitates: nam modi simul plures esse possunt qualitates, non nisi certo numero ac mensura. Quia in via Galeni, qualitas est elementum, & caliditas est corpus calidum, vt dixi. Cumque dicis, igitur simul calor poterit augeri ac minui. Respondeo, quòd in diuersis febrium generibus diuersos suscipiet modos: in duobus autem omnino similibus erit hæc varietas in diuersis partibus necessario, quia loci materiæ putrescentis diuersis.

CONTRADICT. XIX.

Temperatura sicca an ieiunio aptior.

Galenus octauo Artis curatiuæ describens temperaturas quæ difficilius ferunt inediam, difficillimè calidam & siccam, ab hac calidam & humidam, post quam est calida in humido & sicco temperata, inde sicca in calido & frigido temperata, post temperata in omnibus. Facile autem fert frigida & sicca, facilius frigida & in humido & sicco temperata, hac facilius vt etiam iuuetur humida quæ calore & frigore vacat, omnium facillimè frigida & humida, vt quæ non solum non patiatur ob inediam, sed etiam manifestissimè iuuetur, iuxta illud Hippocratis: Corporibus carnes humidas habentibus famem adhibere conuenit: fames enim corpora siccat. Sed huic contradicere videtur quod scribitur in primo Regiminis acutorum, cùm duos statuit homines, quorum alter omnem habeat ferendi ieiunium indicationem, & hunc temperamento sicco constituit: alter omnem indicationem difficulter ieiunium ferendi, & hunc humidum ponit: itaque humida temperatura hic indicabit de difficili tolerantia in prima autoritate de facili, adeò vt etiam vtilis inedia iudicetur. Ex priore etiam autoritate videntur melancholici longè facilius ferre ieiunium, vt qui sint in quinto ordine, sanguineis qui sunt in secundo ordine: & tamen secundo de Temperamentis inquit; Qui exiles sunt, & venis angustis, minimè inediam ferre possunt. Constat autem tales esse, qui melancholico sunt temperamento. Auicenna etiam videtur non statuisse modum generalem in his, cùm dixit: Et sunt de hominibus multam carnem habentibus, qui tamen ieiunium ferre non possunt: quasi dicat, ferre ieiunium humidis corporibus

cap. 8.

7. aphor. 59.

com. 44.

cap. 4. post princip.

prima quartí trac. 2. c. 8.

bus plerumque, sed non semper conuenit. Idem videtur velle de temperamento bilioso, cùm quibusdam ex his solum ieiunium nocere posse affirmet. Et rursus tertia primi dum inquit, Corpora humida naturali humido veloci resolutioni apta sunt, nec tantum ferunt famis, quantum sicca: nisi in eorum corporibus humidum non naturale, nutritioni tamen aptum, contineatur. Accedit, quòd idem videtur de ætatibus, quod de temperaturis, dicente Hippocrate, Minus ferre eos pueros qui sunt magis viuaces. Et hanc similitudinem videtur confirmasse in libro de Victu sonorum, dum inquit: Pueros si cibis siccis alueris, ab incremento prohibebis. Nullam aliam noxam tribuit ei qui ad temperamentum ætatem quemadmodum & temperaturam reducere conetur. Sed rei veritas est, quòd comparatio temperaturam cum ætatibus non est nisi ratione magnitudinis caloris naturalis, non ratione cæterorum: vnde etiam bene dixit Hippocrates; Quemadmodum pueri quòd innato calido abundent difficile ferre ieiunium, sic inter illos viuaciores eo quòd abundent & ipsi innato calore: quod clarè Princeps animaduertit in prima quarti, dum de cibo febrientium tractaret, dicens: Et qui vehementem habent calorem naturalem, hi autem pueris assimilantur, & qui valde debilem, nam hi extremè senibus sunt similes, difficillimè ferunt inediam. Si autem comparentur ætates temperaturis ratione similitudinis in temperamento, longe diuersam habent rationem ob duo: primum, quòd omnis intemperies indicat de reductione, vel saltem præseruatione: sed intemperies ætatis si bona fuerit, vt puerorum, & adolescentium, sui conseruationem postulat, propterea dicebat Hippocrates, Victus humidus pueris confert, soli senes reductionem & præseruationem postulant: vt in libello de Regimine, seu victu sanorum, Galenus loco adducto declarabat. Alterum in quo differunt est, ratione caloris qui ætatibus associatur, non autem temperaturis. Si igitur calor similis indicat similem tolerantiam, igitur cum in ætate consimili temperamento sit diuersus, aliam tolerantiam indicabit: vt in iuuene calor est validissimus, in calida & sicca temperie imbecillis, ob hoc in iuuene minus ieiunium fertur, & in calida ac sicca temperie melius. Quænam autem sint differentiæ ferendi, & à quibus sumendæ nunc dicendum est. Aliud est dicere, quòd facilius ferant: aliud, quòd pauciore cibo indigeant: aliud, quod si peccetur, minus noceantur. Sani enim pluri cibo indigent, & difficilius ægris inediam ferunt: si tamen noceantur, longè maius ægri plerumque sentiunt detrimentum (vt qui ex eo errore in mortem deueniant) quàm sani. Aliud etiam est loqui de præparatione ad febres, aliud de detrimento ieiunio proprio quod est exarescere corpus, ac vires ipsas prosterni. Alij rursus tales sunt corpore toto, alij ventriculo tantum: sed par ratio haberi in his debet, vt temperaturæ ventriculi temperaturis ventriculi, & corporis totius corporis temperaturis sibi consimilibus conferantur. Circa verò causas alij comparationem calidi ad humidum quæsiuerunt: nam vbi maior proportio, ibi maior resolutio atque maius detrimentum: ob id calidi & humidi plus nocentur, quia humidum illorum plus à suo calore, quòd subtilius sit, patitur. Alij rationem calidi supra frigidum, atque vbi maior ratio, vt in bilioso, ibi maius detrimentum. Sed, vt clarum est, Galenus in causas febris, & incendij caloris naturalis, caliditatem primò, vt proniorem ad agendum, inde siccitatem considerat: hoc solum excepto, quòd in calida temperie, cùm humido iungitur, nimiam humidi resolutionem veretur, in cæteris omnibus integram rationem ordinis seruat. Humida igitur corpora, si non calida sint, parum aut nihil patiuntur: iuuantur etiam cùm superfluo abundant & bono humido, vt declarabat Princeps: & hæc fuit mens Hippocratis in Aphorismo. Dictum autem Principis de sicca temperie intelligitur in comparatione ad propriam resolutionem, quæ proculdubio minor est, quàm in temperamento humido, non in comparatione ad febrem iam cœptam, de qua Galenus loquitur. Ex hoc tamen non sequitur, vt dixi, biliosus febriens ex inedia maiori subiicitur periculo quàm sanguineus, igitur copiosius nutriendus, cùm secus sit: plus enim sanguineo febrienti cibi debetur. Ad id quod dictum est ex secundo de Temperamentis, alia est ratio in comparatione eorum quæ merito substantiæ membrorum contingunt, vbi melius melancholicus sanguineo in ieiunium perferendo est præponendus: alia ratio est merito eius quod vtrique contingit. Melancholicus enim parum habens sanguinis & malum hoc illud quidquid habet ægrius fert ieiunium sanguineo in quo plurimum est sanguinis boni. Atque hæc verior responsio est quàm Conciliatoris, dum hanc difficultatem tractat, nam & in principali parum titubat. Ad illud primi regiminis acutorum, non periculum respicit accensionis febris, quod singulare est biliosis tantum, & ephemeris, sed proprium respicit tantum resolutionis substantiæ membrorum & virtutis, in quo sicca intemperies minus afficitur: vnde etiam simile ferè in regionibus quidam dicunt: nam Arabes, & Armeni, facilius ferunt inediam, vt etiam ad tertium diem vsque: Germanis, qui nec vnius diei facile. Sed hoc facit consuetudo etiam, & caloris paucitas natiui, vt declaratum est in habitantibus calidas regiones. Dictum itaque Hippocratis ex septima Aphorismorum in immoderato regimine tantum vtentibus circunscribatur. Verùm vbi detrimentum æquale ex ieiunio emerserit, haud dubiè ficciore corpore existentes maius sentiunt detrimentum, & qui imbecillli sunt calore.

1. Aphor. 13.

com. 8.

1. Aphor. 16.

differentia 117.

CON

CONTRADICT. XX.

Concoctio an melior fiat in somno.

PRinceps in primo Canticæ suæ inquit, Somnus calefacit corporis interiora, ex quo fit melior concoctio cibi, & laudabilior. Et in secundo: Longitudo somni congruit, ei, cui cibus concoctus non est, nec non super nauseatiuam satietatem. Et quòd somnus adiuuet coctiones, aliàs declarauimus. Et rursus secunda primi, Cumque somnus materiam inuenit aptam concoctioni & maturationi, ad sanguinis naturam eam conuertit, & calefacit ipsam, & transit calor per corpus, & calefacit corpus calore naturali. Sed in tertia primi hæc habet. In die dormire malum est, & generat morbos humidos, & descensum humorum, auget splenem, lassat neruos, corrumpit colorem, pigrum efficit, & desiderium debilitat: tumores & febres frequenter inducit. Quomodo igitur hæc contingere possunt, si somnus semper concoquit. Videtur etiam credidisse, quòd somnus tertiam coctionem non iuuet, cùm dixit: Amplius super vacuitatem dormire, est malum, & virtutem deiiciens. Gentilis exponebat prius dictum, quia somnus non est consuetus, nec profundus, qui fit in die. Solet dici, quod in consuetis, vel in causa doloris, vel in ventriculi debilitate, vel ad supplementum nocturni somni, licet. Sed Auicenna aliquid plus vult: nam si de superfluo loqueretur, conueniret etiam quandoque nocturno. Hæc igitur sententia ad diurnum solùm extenditur. Si igitur hic somnus nocet non concoquit, quòd sit præter consuetudinem, vel nimis leuis non facit, vt non adiuuet coctiones. Sed videtur hæc ratio, Qui dormit in die, vel dormit ad supplementum nocturni, vel vltra metam propriam cùm nocte bene quieuerit. Siquidem rectè quieuit nocte, incurrit detrimenta somni superflui: ea autem sunt ab illo descripta: si verò pro supplemento nocturni, cùm diurnus sit leuior, & in hora calidiore, in qua non adeò bene cogitur calor ac quiescit, & necessariò interruptus, eo quòd pars fit in nocte, & pars in die, & etiam præter consuetudinem: & si hoc non in omnibus, igitur concoctio non perfecta celebratur nec fida, igitur sequentur hæc omnia, hæc est ratio eorum, quæ ab Auicenna scribuntur, vnde patet, quòd deterius est semper dormire in die, quàm perficere debitam somni quantitatem in nocte, quam Auerroës dixit esse minimam quinque horarum, maximam nouem, mediocrem septem. Veruntamen ille idem censuit in suis Collectaneis, quòd somnus esset necessarius tertiæ coctioni, non solùm primis duabus. Conciliator videtur sentire quòd somnus si necessarius primæ & secundæ coctioni, non autem tertiæ, aliter nullum superesset tempus exercitationi. Respondeo: Somnus vtilis est omni coctioni, in tertia tamen si probè administrentur reliquæ duæ non est adeò necessarius, quia vtilitas exercitij, & expulsionis superfluorum vincit. Illud mirum de diurno somno, quòd Galenus dicebat, Consuetudinem plus posse, quàm naturam.

Text. 156. text. 39. tract. 5. com. 18. doct. 2. c. 13. doct. 2. c. 9. lib. 2. cap. 21. iuxta med. Differ. 121. 2. Prognost. com. 12.

CONTRADICT. XXI.

Superflua an melius per somnum expellantur.

SOmnus omnes validas retinet euacuationes, inquit Princeps: & subdit sententiam hanc, quamuis ancipitem, ex mala translatione, Vigilia melius expellit omnia ad superficiem corporis quàm somnus, licet in somno magis abundet sudor propter distributionem alimenti. Et videtur sumpta à Galeno autoritas, cùm dixit in duodecimo Artis curatiuæ, Somnus concoquit, & vigiliæ digerunt. Et ratio videtur sumpta ex libro de Dissolutione continua, cùm dixit, quòd calor in somno intus migrat. Et rursus in secundo Regiminis acutorum dixit, Nempe vigilia per halitum digerere & siccare, non quæ in imo sunt coquere nata est: Somnus verò humectare, spiritumque & effluuia cohibere. Attamen in tertio de Causis pulsuum inquit: Etenim excrementum succorum confectorum veluti fuliginosum excernere arteria per somnos, vehementius auet, quoniam copiosius sit. Cui subscribit illud Hippocraticum, Sudor multus ex somno factus absque causa manifesta, corpus vti pluri cibo significat. Dicebat Philoteus, referente Brasauola, Quare dixit in somnis: quia in somnis omnes naturales potentiæ operantur. Simile videtur voluisse eadem particula Galenus, cùm dixit, Per somnum operationes sensuum, ac voluntariæ quiescunt. Quasi de naturalibus non intelligat. Atque si Galeni verba rectè interpretemur tertio de Causis pulsuum, non obscurum ex duas esse somni partes: primam, in qua calor naturalis contrahitur perfrigerato corpore: postremam, in qua illo aucto corpus ipsum concalescit. In prima itaque parte somni nequaquam superflua expelluntur, sed si modò fiat in secunda. Galeni enim verba sunt: igitur toto somni tempore videtur animalis virtus quiescere, & naturalis vehementius operari. Liquet autem quòd expultix est virtus naturalis, & vna ex quatuor. In quarto etiam de Tuenda sanitate inquit: Id nobis agendum in his est, qui succum habent corruptum, nec concoctioni idoneum, vt sudore vrináque expellatur. Quod semicoctum autem est, vtile concoquendo reddatur: id autem somno atque quiete optimè fiet. Forsan quis hæc vltima verba, ad coctionem eius quod concoqui potest tantum referet. Sed obstat, quòd sudor melius per somnum prouocatur, ideóque etiam ad primam partem refertur: & in prioribus verbis laudat vinum, quòd concoquat, vrinasque, ac sudores prouocet, & somnum conciliet. Quomodo igitur illorum prouocationi consulit, si ea per vigiliam melior fit: vinum autem somnum inducit. Sed dicet differentibus temporibus vtraque hæc agit vinum: somnum enim conciliat &

Secunda primi, doc. 2. c. 13. cap. 3. c. 2. iuxta fi. com. vltimo. cap. 9. 4. Par. Aph. 41. 1. de Causis Sympto. c. 8. c. 5. iuxta fin.

concoquit, inde vigilia digerit. Veritas est, quòd expulsio triplex est: Voluntaria, quæ fit per musculos, vt cùm manu impellimus aut etiam respiramus: Media, quæ fit per villos, seu fibras: hæc enim naturalis est, cùm non assentientibus nobis fiat: non tamen pura naturalis est, cùm fiat ab eodem principio, & animæ conatus augeat, vel supprimat: vt in vomitu, ac compressione vesicæ. Tertia pura naturalis à calido fit, & secundum hæc tria genera distinxisse oportet: nam sudor cùm naturali tantum expultrice indigeat, melius per somnum protruditur. Quæ verò fiunt per voluntatem solam, fæcum eductio ex intestinis, & vrinæ ex vesica, melius proculdubio per vigiliam, cùm per somnum ex toto supprimantur. At mediæ quædam, vt descensus cibi ex ventriculo ad intestina, aut vrinæ ex renibus in vesicam, proculdubio hæc medio quodam modo fiunt per somnum: aliquando melius si virtus naturalis vincat per somnum: aliquando per vigiliam melius, vbi animalis vis maior requiratur, vt in vomitu & deglutitione: pauci tamen dormientes euomunt, nisi ebrij sint, ob motus violentiam quæ expergisci cogit. Generaliter propelluntur melius per somnum ad conceptacula sua superflua quæque. Galenus autem cùm dixit, vigiliā expulsioni superfluorum magis conuenire, de expulsione ex conceptaculis intellexit foras, vt meiendo, aut egerendo, non ea quæ corpus liberans vniuersum in conceptacula superflua impellit. Et sic etiam dictum Principis intelligatur. Et somnus nocet quando superflua expulsione indigent: nam palàm est, illum ibi intelligere de expulsione extra corpus. Vnde videant qui copiosiorem cibum suadent in cœna exhibendum, quanto periculo exponant homines, si quid vberius assumendo peccatum fuerit.

Decimatertia tertij, trac. 2. cap. 6.

CONTRADICT. XXII.

Medicamentum ex contrariis facultatibus compositum, an contrarios morbos curare posit. &, an in eodem membro contraria efficere, primisque viribus aliud quàm secundis facere.

QVod curare debet tantum, in contrariam partem debet declinare, quantum est qualitas morbi quæ à naturali statu membrum abducit: quo fit, vt temperatis cura perfici nequeat: tertio de Simplicibus medicamentis, quod præceptum non semel repetiit, vt tertio Artis medicæ: sed non est id primum propositum: Nempe quòd iuuentur à temperatis: & priore iam loco dixerat, tum etiam antè; Non tamen curare possunt. Atque id primò mirum, posse iuuari, curari non posse. Cæterùm eò illius tendit oratio, vt nos doceat, medicamenta contrarias simul habere facultates: exemplumque subiicit in eodem tertio Simplicium medicamentorum libro, de medicamento quod melle ac rhu constat, quòd planè astringit simul ac laxat. Inde de lacte brassicæque, sed non pari ratione subiicit, tamen idem de medicamento ex cotoneo ac scammonio, nec non de rosa quæ simul dulcescit in ore, & amarescit. Quo fit, vt non clarius quàm sequentibus verbis, quomodo id fieri posit, declarauerit. Mixta enim, inquit, qualitas est partium non similium in medicamento: immixta autem substantia dissimilarium: velut in rosa alia est pars quæ dulcis, alia est quæ amara, aut etiam mordicans. Dabat autem triplex exemplum ibi, atque adeò euidentibus hæc demonstrabat, vt non pigeat ad viri sententiam intelligendam ea recensere, quæ ibi adducit. Primum igitur est, cùm in tranquillam aquam duo lapides proiiciuntur, circuli fiunt sibiinuicem obuiantes, eodemque, momento aquæ eadem pars duabus contrariis figuris subiicitur. Similiter eodem tempore si quis pedem in calida, manum in frigida teneat, totum corpus calido simul & frigido perfunditur: nec tamen aut lapilli vnà sunt, nec pes cum manu: vt nec in lingua, cùm absynthium cum melle mandimus, ergo substantiæ dissitæ sunt loco, naturáqua qualitas tamen communis vbique. Nec absurdum videndum videtur contraria censere in eodem esse subiecto, modò non in summo. Quam sententiam ferme expressit primo de Elementis, in fine, dum docuit, substantiarum mixtionem ad minime fieri, qualitatum autem perfectam vnionem. Temperatum autem nihil prorsus agere in contrariis summis affectibus docuit tertio de Temperamentis, tum quòd haud valeat immutare, tum quòd immutetur, & tunc semper calefaciat, ob id prius dixerat, quòd medicamenta frigida non immutantur à natura, sic enim calefacerent, sed tamen calescunt qualitate quæ eis non naturalis est, cuius auxilio comminuta, ac in pristinam redeuntia natura refrigerant, actu frigida existentia: exemplumque dat pituitæ, quæ actu frigida est, licet in corpore nostro moram non paruam traxerit. Ex his planè constat, temperaturam esse qualitatem, non substantiam apud Galenum, prout etiam credidit Auicenna. Nam Galenus censet misceri qualitates, vt iam dixi, substantias autem ad minima, temperatura autem est qua agunt: est igitur temperatura qualitas, vt in medicamentis. In simplicibus autem qualitas non aliud est ab ipsa ferme substantia, atque ob id temperatura substantia quædam est. Differunt tamen, vt aliàs declaraui. Liquet verò, nec Auerroëm de actione medicamenti frigidi Galeni sententiam esse assecutum. Serapio igitur, vt ad rem redeam, sic explicat medicinæ compositæ auxilium: Nam medicamentum ad partem læsam sponte accedit, atque ea de causa ad vniuersum corpus: igitur pars illius minima ad læsum membrum, parumque iuuaret: supponit autem illius egregiam operam, quæ tamen nondum demostrari potest: nisi quis dicat, Capparim lieni, Eupatorium iecori strenuè prodesse. Sin autem trahitur à particula patiente vel sola ipsa qualitas ad ipsum peruenit membrum: quo fit, vt non similitudine trahatur: nam quod simile est, ideo est simile, inquit, quia mixtio quatuor elementorum cum

c.12. in pri. *c. 6.* *c. 7.* *c. 14.* *cap. 15.* *c. 16* *c. 10.* *cap. 4. & c. 4. in pri.* *prima primi doc. 3. c.* *contradict.* *c. 5. Antidot.*

cum attrahentis partis mixtione conuenit: quare non solam qualitatem trahi necesse est: neque etiam pari ratione sponte qualitatem diffundi: nam in primum incidimus inconueniens. Cur autem sanum existens similibus gaudeat, contrariis ægrum: & illud nos breuiter docuit: præter naturam enim cùm odio habeat qualitatem à qua læditur, contrarium diligit. Porrò quòd mixtio substantiarum non penetratione corporum fiat, sed minimis tantum, nullibi adeo expressit Galenus, quàm in tertio de Simplicibus medicamentis libro. Nam cùm ambas opiniones bis recitasset, hanc quam secundo retulerat loco veram esse, ac dictis à se, tum à Theophrasto consentaneam fore affirmauit. Sed vt ad rem redeam, dum de Antidotis loqueretur Galenus, recensens mithridaticæ inuentionem compositionis, inquit: Mithridates cùm in damnatis expertus esset, ad singula venena singula medicamenta prodesse, omnia in vnum cõmiscuit, vt sic fieret quod vniuersis venenis conueniret. Palam autem est ex 1. de Medicam secundum genera, venenorum alia vexare pulmones, alia vesicã, alia peculiarem atque præcipuam partem quandam: quo fit, vt necesse sit antidotum mithridaticam in illo auxiliari pulmoni, huius autem vesicæ. Quod & in libello de Theriaca ad Pisonem fatetur, cùm dixit: Nam morbi cuiusque differentia ac varietate comperta, naturáque medicaminum simplicium ac temperatura cognita, sic præparamus medicamentum, vt vnicuique morbo quod conueniat, varia compositione distribuatur. Inde paulò pòst, cùm quod dictum fuerat in primo de medicamentis secundum genera recitasset, subiicit: Contraria vice pleraque medicamenta quibusdam partibus curandis maximè sunt idonea, vt iecinori Eupatorium, Glans vnguentaria lieni, Saxifragia & Betonica renibus. Quin etiam paulò antè retulerat rem, vt dicit, miraculo similem, Trifolij speciem, quæ habet semen cnico simile, folia verno tempore hyacintho, dolores qui ex ictibus serpentum accidunt curare, si ex decocto locus foueatur: at sanis membris fotus idem, idem doloris genus creat, quod percussus serpente pati solet. Hoc primò Galeni grauitate indignum videtur, cùm verisimile non sit ab omni serpentum genere eundem procreari dolorem: at herba, ipsa quonam pacto, cùm vna sit, vniuscuiusque doloris similitudinem immitabitur: oportet enim eam omne genus doloris efficere, quod neque verisimile est, neq; ipse dicit. Quòd si de vno, aut paucis serpentũ generibus intelligit, haud video, quod non hoc miraculi' genus dici debeat, illo ita scribente quinto de simplicibus medicamentis: Siquidem facultates quæ deleteria medicamenta mutant, mediam habent naturam inter corpora quæ patiuntur, & veneni naturam: quò fit, vt largius sumpta, lædant. Quæ verba etsi Oedipo quodam indigeant interprete, nam id ostendere videntur prima fronte, quòd alexipharma ea opus alexiteriorum iuuare debeant, non curare: miraculum tamen Galeni hic soluunt. Sed iam ad propositum nostrum reuertamur: sententia Galeni est, quòd primæ qualitates in mixtione refrangantur aliis fermè integris relictis, quam in eo libello, antequam ad medicaměti Theriacei descriptionem perueniat, clarè expressit. Liquet igitur & quòd iuxta illius mentem, compositum medicamentum contrarias habeat facultates, contrariosque morbos curare possit: tum in eodem membro contraria simul efficere: aliáque primis, alia aliis facultatibus. Quæ cùm possem innumeris illius sententiis confirmare, ob illarũ multitudinem atque consensum supersedeo, contentus modum, quo id fiat, iuxta illius sententiam atque etiam causam explicasse. Auerroës tamen quinto Collectaneorum conatur ostendere, quòd medicina composita contraria non possit efficere, nisi vt est media inter illa, velut temperata calefacit frigida, & eadem ratio calida infrigidat, estque illius hæc ratio, hoc rationi repugnat, nec experimento potest demonstrari: igitur verum esse nequit, nam experimentum tuetur, vt dixi, repugnantia medij ad extrema, ratio non ostendit vt vna medicina possit habere plures formas, nec si habeat vt membra trahant quod contrarium est affectui. Respondebit Galenus, quod hoc experimento patet, quoniam non æquè bene curantur morbi contrarij à liquiritia, vel saccharo, aut his quæ penitus sunt temperata, vt oui luteum, sicut à medicamento Theriacæ Andromachi, Philonio, & talibus. Dicet Auerroës quòd talia medicamenta sunt subtiliora, & etiam magis inimica naturæ, & ob id in illam magis agunt, etsi in qualitatibus sint æqualia. Prętereà medicina, vt dicitur, non fermentata melior erit, qua tamen Galenus haud vtitur. Ad hæc ille dicet, meliorem esse proculdubio, sed pri nas qualitates obstare, quare fermentatio, vt dicunt, seu mora nihil addit, sed minuit ab operatione principali, innoxium tamen reddit medicamentum. Est authoritas Galeni primo de Antidotis: Antoninus cùm in grauem soporem ex vsu theriacæ incidisset, succum Papaueris ab illa amoueri iussit, verum cum in immodicam siccitatem incidisset antiquiore sed cum succo vsus est. Itaque, vt ibi dicebat, constat recentem ad somnum validiores vires habere: eadẽ ratione validius cuncta peraget munia. Respõdebit Auerroës, debilius agere proculdubio vetustam antidotum, sed non mixtionis ratione, sic enim prętaret nulla vnquã vti mora, sed quoniam quæ ingrediuntur imbecilliora euadunt. Sed hoc etiam Galenus fatetur dicens, nam causam imbecillitatis in succi vetustatẽ, non in mixtionem reiicit. Sed ad hæc in quã Galenus medicamentum mixvalidiores habet vires longè quàm vt appareat temperatum, nam tenuis substantiæ est cinamomom, nec tamen adeo bene excalefacit ventriculum, vt theriaca, quæ longè cinnamomo caliditate inferior est. Accedit, quod ad diuersa membra vim habet quandam præcipuam theriaca, vt in aperiendo iecoris obstructiones, curandóque coli dolores: quod & vidit Auenzoat: quomodo igitur hæc media existens facere poterit. Illud tandem luce clarius est, medicamentum mixtum, quod moram non traxit, validius esse tanto quanto periculosius: quod ego in Persico Philonio dum Emoptoi-

cap. 17. *lib 1. c. 1.* *cap. 1.* *cap. 3.* *cap. 4.* *cap. 18.* *cap. 4.* *cap. 57.* *1. cap.* *1. Theisir in procemio.*

cos curare vellem non semel expertus sum. Excipitur tamen functio, quæ simul colligere plura debet, vt si detergendum, inde agglutinandum sit: nam tunc operatio hæc multiplex atque iuncta longè melius ab vna forma fiet, hæc autem fit vna temporis beneficio. Altera ratio (vt ad Aueroëm redeam) hæc est: Galenus concedit formam vnam mediam in primis qualitatibus euadere, sed secundæ & tertiæ facultates in primis fundamentum habent, ergo & illæ vicissim immutantur, & in vnam redeunt formam. Succedit quòd forma vna in singulis agit, nec est agens perfectum in naturalibus donec formam vnam atque extremam receperit, eadem & in artificio compositis ratio est. Quòd si formæ plures sint, etiam diuersas esse partes in quibus fundentur esse oportet: quare mora, & mixtio erit necessaria, & ideo à forma illa quæ toti prædominatur actio ipsa non à diuersis partibus proueniet. Ad hæc Galenus vtique respondebit: fieri quidem formam vnam quia temperamentum, non autem sic vnam, quin partes diuersas retineant operationes, ac vires: vt in brassica edocuit, cuius succus soluit ventrem, substantia astringit. Qualitates autem primæ iuxta Galeni sententiam toti medicamento communes fiunt, non autem reliqua: neque enim actiuæ sunt, aut producere simile possunt, cùm non sint substantiæ elementi proximæ. Ergo medicamentum non miscere oportet vbi ex innoxiis constet atque propinquis temperamento. Respondeo: In via Galeni ob tria expedit fieri eam vnionem: primum, cum immodica fuerint quæ miscētur, ob idque maximè quæ succum incipiunt nigri papaueris: vel cùm plures operationes simul iunctas quærimus, velut in Philonio, cùm sputum sanguinis cohibere volumus ex pulmone, nam penetrare oportet medicamentum, atque id à calidissimis fit medicamentis: inde astringere, hoc autem à frigidis, aut temperatis: quod si vnio facta non sit, penetrabunt leuia: & tantum abest vt cohibeant sanguinem, vt etiam sine astringentibus existentia proritent acrius. Manifestum est autem quòd hic modus in plures diuiditur, aut penetrationis gratia, aut moræ in loco, aut vehementioris actionis, aut plurimum simul se consequentium actionum, aut expulsionis. Similiter & modus primus est, aut quia immodica est qualitas, aut quia membris obest principalibus. Tertium autem est in expurgantibus, in quibus mixtio non vna, non vnum affert detrimentum, sed multiplex. In morbis igitur cordis, iecoris, intestinorum & ventriculi, lienis, medicamenta haud vnam formam habere debent vt nec in renum morbis: & hoc, nisi in venæ fractura, atque neque in illa vbi ventriculus patiatur. Laborante vesica, vtero, capite, pulmonibus fermentari debent, ob viarum longitudinem: deferuntur à tenuissimis vel astrigentia vel mollientia, aut talia. Si mora concedatur, præstat & in cordis medicinis fermentata esse simul medicamenta. Porrò vt ad Auerroëm reuertar, contrarias qualitates, quæ à materia pendeant, in vno subiecto posse esse negat. Simplici autem ratione & immateriali non esse impossibile affirmat, sic enim in oculo imago candoris ac nigredinis. Verum hoc Galenus haudquaquam dicit, nam in mixto ab arte (cùm solius naturæ ac Dei existimet verè miscere opus) alias partes statuit quæ laxent, alias quæ astringant. Hanc autem distinctionem medicamentorum ostēdit Galenus primo ad Glauconem, dum tertianam notam curare docet ptisana cum pipere exhibita in cibo. Huius causam reddebat Auicenna in cura hemitritæi, loco etiam ptisanæ suo more hordei aquam scribens: inquit enim, quòd piper trahitur ad materiam, & illam concoquit: hordei vis ad cor, & ad membra calefactorum: & quòd vbi natura hoc facere non possit, tunc cadit. Sed iam videtur quintam ponere naturalem virtutem, de qua diximus aliàs. Ex hoc patet, quòd modus Auerrois, non satisfacit cum sua æqualitate: nam ab æquali cibo neque tantum concoquitur febris materia, nec calor adeò refrigeratur. Eandem habet sententiam in quinto Canonis, dum crocum medicamentis frigidis docet admiscere, quæ cordi sunt conuenientia: dicit enim, quòd natura illa expoliat à croci calore, inde illis vtitur: quam sententiam apertius declarauit in tertio libro, dum de corde loquitur, his verbis: Et in intemperie cordis calida, frigidis medicinis calidas admiscebimus: confidentes quòd si naturæ vires validæ fuerint, discernet inter id quod infrigidat, & id quod calefacit: & infrigidante quidem vtetur ad temperandum cordis substantiam, illudque ei applicabit: calefaciens autem spiritui transmittet, atque eo modo illum instaurabit. Hic non tantum duorum membrorum ratione, sed vnius vires medicamenti segregari docuit. Contra hæc pro Auerroë dicet quispiam; Si ita est, æquè facile fuerit ferme contrarias dispositiones curare, vt simplices cùm tamen experimentum maximum discrimen esse doceat. Quid enim negocij est miscere medicamentum calidum in tertio, frigido in tertio, & iecur calidissimum simul refrigerare, vt ventriculum frigidissimum excalefacere? Auicenna etiam quinto Canonis dicit, Vires quæ Theriacæ inexistunt non à mirrha aut alio simplici prouenire, quoniam ab vna forma procedunt, vnde neque immutare consulit Theriacæ descriptionem, damnatque Galenum quòd illam immutauerit ambitionis causa. Sequeretur etiam, quòd medicamenta vt magis composita eò ferme essent semper vtiliora: quare in non fermentatis Auicenna Galenum tuetur, vt in cura hemitritæi dictum est: at in compositionibus magnis vnam formam, à qua omnes illæ operationes, non secus quàm in homine ab anima, constituit. Hic rursus Galenus diceret. In hominis anima ratio non obscura est, illa diuersis corporis partibus vtente: at in medicamento si vna est forma, si vna qualitas, inde etiam vna substantia, vnde origo tantarum operationum. Causa cur morbi complicati non facilè curantur est, quoniam si qualitates immodicæ fuerint, in transitu corrumpunt obuiantia loca: si autem modicæ, medicamentum iam vetustate corruptum erit.

cap. 10.

Prima quarti tract. quarti, ca. 19.

trac. scientia. li & ca. 1.

tract. prima fen. 11. c. 7.

erit. Difficile etiam est in complicatis, contrariisque morbis causam præpotentem non inuenire quæ sanationem non impediat. Si etiam vnum membrum solùm laboret, vniuersis viribus natura vtitur ad instaurationem: pluribus laborantibus, auxilia diuidere cogitur, si quidem natura est quæ curat, non medicamentum. Ex hoc patet, quod tertio loco quæsitum fuit, medicamentum aliquod calidum & humidum astringere: & frigidum & siccum laxare, & emollire: nam cùm rei emollienti rem abundè frigidam addideris, siccamque, seu permiseris fermentari seu non: sed magis cùm permiseris temperatura vna proueniet frigida siccáque: pars tamen quæ tumore duro laborat, id quod laxat trahit: quare quod trahitur, simul laxat, atque infrigidat, & siccat. Et hoc est, quia secundæ & tertiæ virtutes non in impressiuis qualitatibus, sed in elementaribus manent. Porrò qualitates elementares laxantis medicamenti proculdubio caliditas sunt, atque humor. At dices, Galenus sexto de Medicamentis secundum locos, inquit: Hanc verò myrrhæ recursus velocis facultatem retardant astringentium mixturæ: non igitur in solis primis qualitatibus hoc accidit. Duo in hoc considerare oportet: primum, quòd & secundæ, & tertiæ vires, & quæ à forma mixti procedunt omnes hebetantur certè contrarij admixtione: sed non tamen velut primæ qualitates, cùm minimè inuicem agant: vel vt in vnum, quemadmodum illæ, coëant. At etiam, quod secundo loco dicendum fuit, cùm ad laborantem particulam medicamenti vis non comparatur, sed ad sanam, vel ad vniuersum corpus, mixtum ex diuersis ac contrariis facultatibus, nihil prorsus agit, altera alteram facultate retundente. Sic igitur scammonium citonio immixtum non adeò, vt per se solùm, violenter expurgat, neque ventriculus ab oleo rosaceo relaxatur aut confirmatur. At rursus recurrens, Galenus tertio Artis curatiuæ nos edocet, mixtum ex ærugine æris & oleo ac cera medicamentum salubre esse vlceribus putridis, nec colliquare æruginem, nec oleum aut ceram putrefacere: inquit enim, ex infinitis penè medicamentis cauo vlceri insensissimis, quorumque nullum generandæ carni est idoneum, vnum conficere possum medicamentum, quod nec dolorem excitabit, nec phlegmonem, nec putredinem, & carnem pulcherrimè generabit. Igitur in mixtis medicamentis ratione virtutum secundarum, etiam vna forma consurget, ex mente Galeni. Verùm hanc difficultatem ipse sustulit, dicens: Immodicè siccat ærugo, ab immoderato sicco fiunt erosiones, colliquationes, dolores, & phlegmones excitantur: ab humidis nullum est, vt à cera & oleo auxilium sordidis vlceribus: moderatè siccum nullum affert detrimentum, sed carnem generat. Itaque ærugo æris humido ceræ & olei moderatam siccitatem deducta hæc omnia facere potest, vt multum prosit, & nihil noceat. Quare hæc ex primarum qualitatum mixtione potius fiunt quàm subsequentium. Illud etiam diligenter considerare expedit; Non eandem esse rationem assumpti intra corpus, & inditi vlceri medicamenti: nam quod intrò sumitur, à diuersis membris primò in diuersas partes diuiditur: tum etiam à partibus aliis, atque aliis, eiusdem membri vnaquaque quod sibi conuenit ad se trahente, & reliquum relinquente: at quod vlceri immittitur, distribui nequit, aut separari: totum in totum necessariò agit. Quod etiam intrò sumitur in potestate est quoquomodo corporis ipsius: quod extra applicatur patienti particulæ quasi plenè dominatur: intrò nequaquam nisi venenum fuerit. Alia in vigesimaoctaua Contradictione de hoc subiiciemus: quæ ibidem repete.

cap. 1.

CONTRADICT. XXIII.

Hœdi carnes an facilè concoquantur.

Ex pedestribus animantibus suilla caro cibus est optimus: inde hœdina, pòst vitulina, libro de Cibis boni & mali succi. Declarat autem quòd non ex paruulis, nam excrementosam illam putat, sed mediocris ætatis eligendam suillam carnem. Agninam improbat deinde, quòd lenta sit, & mucosa: ab aliis autem pedestribus abstinendum ibi prorsus consulit. At verò cùm de hoc sermonem faceret, tertio de Alimentis, inquit: Cæterùm, ex suum carnibus, quemadmodum his qui ætate florent, validique sunt, & multum exercentur, florentium ætate sunt præstantiores ita aliis increscentium. Vnde hic videtur paruulos porcellos adultis præferre: cumque cæterorum animalium quadrupedum carnes damnasset, inquit tamen in eodem libro, Carnes animalium agrestium pauci sunt excrementi, multò validius nutriunt, & melius præbent alimentum. In libro autem de Attenuante victus ratione inquit: His, qui vitam degunt desidem, suilla caro non conuenit: solis hœdis innoxiè vtatur. In primo etiam Artis curatiuæ ad Glauconem inquit, de Cura loquens tertianæ: Paruorum etiam suum si carnes liquefactas dederis, nihil nocebis. Et rursus secundo de Temperamentis: Caprilli generis fœtus suillo, quòd nimis sit humidum ac mucosum, esui melius est, atque iucundius. Forsan quis hæc sic concordabit. In libro de Alimentis & de Cibis boni & mali succi, considerat quid melius exhibeat alimentum: atque in hoc genere suilla caro præcedit: si tamen ad attenuantem victum respicias, hœdina præstantior, cùm minus nutriat, & minus etiam lentum præbeat alimentum. Iuuenum tamen suum melius est alimentum, quàm nuper natorum: sed non adeò facilè concoquuntur, vt nuper nati: conueniunt tamen nuper nati ratione temperaturæ, tertiana laborantibus: similiter & in sicca ventriculi intemperie abhorret primò suillam, dum laborat homo, dare: quæ quamuis, vt dixi, nutriat copiosè: attamen crassum, & glutinosum, inquit, alimentum præstat, & difficilè concoquitur: cùm tamen conualescere illum fingit, à ptisana & piscibu ad porcelli nuper mactati carnes transit

cap. 4.

cap. 2. post. init.

cap. 14.

cap. 8.

c. 11. in fi. n.

ſit, duabus rationibus: quòd temperiem habeant maximè morbi intemperiei contrariam, vnde hœdinæ præferuntur: quòd adultis facilius concoquantur, vnde imbecilli ventriculo magis conuenient. Cæteris (dicebat Galenus quarto Regiminis acutorum) mediæ ætatis ſues conueniunt, non ſolùm ob ſuauitatem, ſed etiam ob concoctionem. Hic per concoctionem vel alimentum intelligere decet, vel etiam quòd nuper natis nimio humido difficillimis, vt ibi aiebat (cùm omnium animalium quæ ab homine eduntur, ſuilla caro humidiſſima ſit) melior ſit, ac facilior ea, quæ mediæ ætatis eſt. Hoc idem Hippocrates habebat in textu, cùm dixit: Porcelli caro praua eſt, ſuilla optima. Verùm antea caprillam bubula facit deteriorem, quòd acrior ſit, & calidior. Sed nihil prohibet, caprillam deteriorem eſſe bubula, vitulinam tamen œdina eſſe inferiorem. Quod verò de agreſtibus laudet, quæ iam damnaſſe videbatur, nihil eſt: nam agreſtes ſues, vitulos, hœdos, agnos, aueſque probat: non autem genera agreſtium, vt ceruos, lepores, capreolo. Refertur igitur dictum illud ad viuendi modum, non ad animalium genera. Multum tamen facit & regio: nam Auerroës Arabiæ agnos hœdis illico poſtpoſuit, autoritate etiam Raſis fretus: nec facit meliores ſuillis, quo ad nutrimentum: ſequitur enim Auicennam, & Galenum in hoc, ſed concoctionis facilitate conſiderata, quamuis non ſit adeò vt ſuillæ boni alimenti, eas tamen præponit ſuillis. Suillas robubuſtis ſuo loco primo relinquit. Nec de vitulina diſcordat: nihil enim prohibet, in Græcia vitulinas arietis carnibus proponi, in Arabia autem Auerroi arietes aduehebantur, Arietinas vitulinis præponi. Nuper igitur nati porcelli omnibus carnes deteriores adultis, increſcentis autem facilius concoquuntur adultis, non tamen melius exhibent alimentum, niſi à ſicca intemperie vexatis: optimè ſylueſtrium. Verùm quis nobis fortaſſe obiiciat, ex libro de Renum affectuum dignotione, ac curatione: Caro ſuilla maximè nutriens: corroboranſque corpus, optimique ſucci, ac hominibus maximè familiaris, ſed glutinoſum quid, ac craſſum continet: ob quod qui ea aſſiduè vtuntur, iecoris & renum obſtructionibus capiuntur: longiora igitur per interualla ea vtendum. Paruorum autem porcellorum carnibus (modò parùm) aſſiduè vteris, nihil enim nocebunt. Hoc in renum affectu conſulit, neque enim verum eſt generaliter: & quanquàm adultorum porcorum melioris alimenti caro ſit, ſi tamen peccetur, nec probè concoquatur, deterius afficit quàm increſcentium. Igitur hœdina & increſcentium porcellorum caro ſecuritate præſtantiſſima, non tamen alimenti bonitate. Procellos igitur ſemiagreſtes, & qui in montibus viuunt, Galeno conſulente, eligere decet.

com. 101. *ibid. com. 100.* *5. Colle. c. 10.* *cap. 8.* *lib. de Cibis boni & mali ſucci, c. 8. in princ.*

CONTRADICT. XXIV.

Piſces omnes an difficilis coctionis.

Piſces omnes ad concoctionem ſunt contumaces, tertio ad Almanſorem inquit Raſis. Subiungit præterea: Semper enim longam in ventriculo moram trahunt, & ſitim faciunt: & quamuis abundante bile, & in temporatura calida conferant, malos tamem etiam in his generant humores. Auerroës autem ſexto Collectaneorum (docens nos à peſtilentia præſeruare) inquit: Sanguis ex his rebus genitus, (de piſcibus loquens) eſt celeris corruptionis. Et ratio habetur ex dictis, & etiam ex Raſi, dum dixit, quòd eſt tenuis & humidus. Sed neque Galenus quinto de Tuenda ſanitate, commemorans ſenibus aptos cibos, tum iuuenibus, cetaceis, & oſtracodernis, auibuſque hœdi carnibus laudatis, piſcium vllo modo meminit. In oppoſitum eſt Galeni ſententia ſeptimo Artis curatiuæ, vbi ſaxatiles etiam laboranti ſumma imbecillitate vectriculi, exhibet. Laudat & illos in libello de Attenuante victu, ſemperque aliis proponit eorũ vſum. Et in hiſtoria Antiochi, quinto de Tuenda ſanitate, tum etiam Telephi Grammatici, qui ad ſummam ſenectutem peruenerunt, piſcium meminit, non ſolùm ſaxatilium, ſed etiam pelagicorum. Ideóque ſaxatiles commendauerat tertio de Alimentis, cùm dixit, eorum genera non ſolùm concoctione eſſe facillima, ſed quòd ſaluberrima ſint hominibus. Dico autem, inquit, ſaluberrima, quæ ſanguinem ſubſtantia mediocrem generant: quod & antè dixerat etiam de pelagicis, cùm eos poſt perdices aues collocaſſet. Illud ſanè mirum, quòd parum antè dixit, Pelagicos, tum cæteros piſces omnes ſanguinem tenuiorem eo, qui ex pedeſtribus generatur, procreare: vnde alimentum illorum cito diſſari. Sed non ſibi contradicit: tres enim ordines facit eduliorum in animalibus: Pedeſtrium, craſſum ſanguinem generantium: Auium, mediocrem, quibus proximos ſtatuit piſces pelagicos, & ſaxatiles, & cæterorum, qui cum fructibus & oleribus ſanguinem generant ſeroſum. Ex hoc non rectè in electo Galeni ſermone Arabum error prorepſit, exiſtimantium piſces omnes tenuem ſanguinem ſimpliciter gignere, cùm Galenus quadrupedibus comparaſſet. Quinimmo etiam de mollibus loquens, inquit: Omnium autem memoratorum piſcium alimentum hominibus ocioſis, ſenibus: imbecillibus, ægriſque accommodatiſſimum eſt. Qui verò corpus exercent, cibos poſtulant firmiores. Poſtea verò, cùm piſcium duriores carnes habentium meminiſſet, inquit: Craſſum hi gignunt alimentum. Tantum igitur abeſt, vt tenuem ſemper generent ſanguinem, vel vt ſiticuloſi ſint, velut Raſis dixerat. Optimum enim eſſe alimentum exiſtimandum eſt, nec immerito ab Apoſtolis vſurpatum, qui niſi vi intercepto curſu ad extremã peruenere ſenectutem. Iudas & Symeon ad annos cxx.

cap. 16. *cap. 18. in fin.* *11. com. c. 411. parum ante medium.* *c. 6. ante me.* *c. 8. ante me.* *cap. 18.* *cap. 25.* *cap. 30. in f.* *cap. 31.*

Petrus

Petrus ad LXXXIII. & tamen cruce extincti: Ioannes LXXXX. excessit. Propterea bene dicebat Galenus in libello de Cibis boni & mali succi, Pisces omnes febrè boni succi censentur, nisi qui in lacunis, aut paludibus viuunt. Differentiamque illam tum ibi, tum in tertio de Alimentis, scriptam ab Auerroë primo Canticæ, tria docente esse piscium genera à loco sumpta, decet animaduertere: Eorum qui in mari semper viuunt, qui & optimi sunt: Eorum qui in dulcibus aquis semper, qui pessimi: de quibus Rasis forsan intellexit, nam in lacubus, dixit, uel paludibus inueniuntur: maris haud meminit, quòd forsan ab illo plurimum distaret. In continentibus autem aliorum recitat opinionem, nec marinos vel ipse cognouisse visus est. Similiter & Auerroës, dum illos damnat, de his intellexit. Eorum autem & est genus tertium, qui modò in mari, modò in fluminibus viuunt, Galeni sententia est, vt alimentum, quemadmodùm & vita, media esset inter pelagicos & dulces. Hoc tament Auerroës v. Collect. multum laudat (quasi cum Galeno certare volens) quòd magna exercitatione vtatur, dum procul à mari aduersus fluminis impetum ascendit. In mari autem de gentium, dicebat Auerroës, tum aliorum, adhuc triplex est genus: quod in saxis viuit, optimum: quod circa littora, pessimum: & medium, quod in aquarum gurgitibus. Galenus autem præter hæc addit tria, vt bono alimento alantur, vt mollis sint carnis, vt friabiles. Sic igitur belle XXVII. genera piscium, tum verò cum contrariis LIV. & si ad veram normam deducere tentaueris, in vniuersum erunt piscium genera CLXXX. quæ ex hac regula Auerrois & Galeni dignoscentur: velut marinus pelagicus, mollis carne, ac friabilis, malo vtens alimento, vnum est genus: ac sic reliqua compone. Ex prima tabula nouem fiunt genera piscium:

cap. 7. — *cap. 30. com. 128.* — *cap. 33.* — *In cantica com. 128.* — *tertio de alimentis. c. 30*

Marinus	*Saxatilis. Pelagicus. Littoralis.*
Fluuialis	*Saxatilis. Gurgiteus. Ripalis.*
Amphibius	*Saxatilis. Gurgiteus. Littoralis.*

Mollis,	*Purus.*
Friabilis,	*Lentus.*
Euchimus.	*Cacochimus.*

Ex secunda, cùm tria semper assumpseris, nec inuicem contraria, viginti: ductis itaque viginti in nouem, exurgunt CLXXX. vt proposueramus. Verùm Galenus cùm copiam trium priorum haberet, scilicet marinorum, LX. tantum considerauit, reliquis CXX. ferme neglectis.

At nos omnia genera considerare oportet: & vt Saxatilis, mollis, friabilis, ac bono alimento vtens est optimus: sic fluuialis, ripalis, durus, lentus, & malo vtens cibo (velut tincha, quæ iuxta cloacas inuenitur) pessimi est generis, atque è directo oppositi primo generi. Quamobrem ne mirentur, si vel Rasis hos iure merito damnauerit. Sic & Auicenna, quòd non cognouerit marinos, vel quòd illorum paruam haberet copiam. Accidit autem aliquando, vt sub vno nomine quatuor omnes conditiones contineantur, vt dicebat Galenus: cùm dico Saxatilem piscem, dico simul mollem, & friabilem habentem carnem, ac bono alimento semper vtentem, vt qui nunquam ex solita habitatione discedat. Sic Pelagicus vnum viuendi morem obseruat. Sunt & aliæ differentiæ à cortice sumptæ, quarum meminit Galenus: sed si saporem loco corticis addideris, vniuersa genera comprehendes. Sufficiat igitur primam diuisionem in sex capita deduxisse. Marinos, Fluuiales, Amphibios pauco vel multo exercitio vtentes: tum vnumquodque horum in duo, habentes saporem dulcem, qui cibo conueniunt solum: & qui salsedine præditi sint, vt ostrea, conchiliáque, quæ præter quòd alunt, aluum etiam deiiciunt, medicamentíque & cibi simul habent facultatem. Erunt igitur in vniuersum genera duocim, quæ per viginti ducta, tot enim sunt membra secundæ diuisionis, genera omnia piscium constituent CCXL quorum ex Galeni historia facultas, quantum ad cibi rationem pertinet, perfectè nobis innotescit. Sed cùm in sermonem de alimenti perfectione inciderim, scire non ab re erit; Omnia mundi mixta quadrifariam, vt in libro de Subtilitate docuimus distingui: vel elementorum proportione, velut in pipere plus est de igne, quàm de aqua: & in lactuca plus de aqua, quàm de igne: vel refractione, & sic nobiliora sunt animalia plantis, & illæ metallis: vel mixtione perfecta, & sic Aurum ære nobilius est, quoniam mixtio auri ad minima redacta est. Huius ratione res fit perennis seu planta, seu lapis, seu metallum, vel animal. Differunt autem multum hi duo modi, nam in piscibus & si refracta sint elementa, vt in quadrupedibus, non tamen subtilissimè mixta est illorum compages, vt nec inter quadrupedia bonum: propterea minimæ vitæ bos est pro molis magnitudine. Sic & Smaragdus inter gemmas refracta habet ad temperiem elementa, & ideo nulla gemma homini ad medicinæ vsum commodiore: quia tamen non ad subtilissima miscetur, ab igne, ab æuoque, omnium fermè prima gemmarum corrumpitur, & collisa frangitur. Quæ vero vis à cœlo prouenit, animaliáque constituit, vt Philosophus dicebat, quartum differentiam, atque perfectissimam nobis nobis exhibet mixtorum. Quo in genere proculdubio homo omnia alia mixta antecellit: vellit: verùm hoc ad operationem, non ad vitæ diuturnitatem pertinet: nobis autem sermo de illa est institutus. Viuit igitur & permanet mixtum quodcunque pro mixtionis subtilitate. Ob hoc etiam qui validos ac bene contextos habent dentes diuturnioris sunt vitæ: nam & reliqua membra minimis contexta sunt; nam quod tale est rimas non habet, & in subtiliores partes diuiditur cibus, vt alere possit melius secundum minimas quasque partes. Non esse autem idem vel animam habere

2. can. c. 55. — *2. de generatione animal. cap. 3.* — *34. par. probl. primo Arist.*

habere nobilem, vel elementa ad minimum mixta, constat in canibus, & coruis. Proculdubio enim coruus canem vitæ longitudine superat, & ab illo ingenio superatur: Sic & canis cum camelo. Sus etiam refracta habet elementa, nec tamen ad minimum mixta, cùm parum viuat, nec animam nobilem: adeò tamē refracta sunt in illo elementa, vt etiam in homine, in quo maximè vt caro eius, teste Galeno, simillima sit humanæ: latueritque eodem hospites humanam suppositiciam pro suilla comedentes, donec digiti inter carnes sunt reperti. Vnde non solum refracta elementa pariter vt in homine, sed etiam proportio eadem fermè elementorum constat. Quamobrem & in corporeis affectibus nulli magis ex animantium genere quàm sui homo assimilatur. Aues autem fermè omnes mixtionem subtilissimam elementorum habent, & ob id diuturniores. Quod in minimis earum generibus perspicere facile licet. Carduelis ad annum 14. perueniisse visus est. Pisces autem, vt dixi, minimè. Deinde in medio quadrupedia. Liquet autem tum ex his, tum ex illis quæ superius dicta sunt, hominum naturam omni mixtorum amplitudini coæqualem esse: quotquot enim species fiunt animantium, vel plantarum, vel etiam metallorum, sub iisdem elementorum proportionibus, sed refractorum, ac ad minima deductorum potest humana forma constare: quare & omni mixto ali: velut omne mixtum alicui animali cibus est. Sic quælibet virtus piscis, aut plantæ, aut auis, aut serpentis, alicui homini conueniret. Elephantina igitur temperatura maximè ad vitæ longitudinem conuenit homini, quòd Elephas diutissimè viuat, quippe philosopho teste annis 300, Conseruatio igitur vitæ per ea quæ minimis constant, diutissimè seruantur. Ex carnibus igitur aues, vinum magis quam aqua, mel, oleum, ex fructibus quæ sponte seruantur vt vuæ passæ, pineæ, pistacia, auellanæ, panis, & hæc singillatim cum mixtionem ad minima quæramus. Rursus quia oportet alimentum carni humanæ assimilari, atq; cæteris corporis partibus: hæ autem refractæ, oportebit ex refractis esse cibos, horum autem nullum substantia durissimum, propinquissimæ igitur in hoc animalium partes maxi mesuis, vt dictum est, hæc autem attrita dentibus diligenter. Itaque & diligenter attritus cibus esse debet, & simplex, & rei viuentis, & quæ diu maneat incorrupta substātia, illius qui vitæ longitudini studet. Præter hæc autem moderatus, incorruptus, cum exercitatione, & quiete, & somno opportunis. Quæcunque autem ab his deficient melle & oleo condiantur. Manifestum est etiam quod alia aliorum. Namque validis membris, etiam sine carne, vt plerique in heremo olim vitam longissimam duxerunt.

com. 8.

10. de simpl. medic. c. 3.

tra. 2. cont. 7.

8. de natura anim c. 9.

CONTRADICT. XXV.

Febris an siccitatem contineat.

CAlidum, Frigidum, Siccum, atque humidum sunt corporis elementa: primæque ex eorum intemperaturis ægritudines constituuntur: è quorum genere febris est vna: est enim quædam in corde præter naturam caliditas genita, primo de Differentiis febrium. Ex quo clare liquet febrem solam caliditatem esse, cum simplicem affectum pronuntiauerit, nec siccitatis vllo modo meminerit. Quod & primo Canticæ Auicen. docet, eam caliditatem esse docens: & Auerroës in commenti illius fine, Caliditas cùm in vno membro præter naturam fuerit, morbum constituit, qui nomine caret: cum autem in vniuerso corpore, Febris nuncupatur. Et paulo pòst, Caliditas præter naturam humori iuncta febrem putridam constituit. Ideoque Galenus 1. de Differentiis febrium cap. 1. post principium inquit: Febrium substantia in ipso calore consistit. Clarius in libro de Morborum causis cap. 2. cùm enim connumerasset prius, morbos alios fieri à calore solum, vel frigore, tamen sicco, atque humido: alios autem esse compositos, qui à calido & sicco vel humido prouenirent, subiicit: Ac si calor in totum extenditur corpus, tunc huiuscemodi effectus febris nuncupatur, quæ est quasi totius corporis quædam immoderata caliditas. Vnde etiam in tract. 2. partis operantis Canticæ cùm explicasset morbi calidi vniuersi corporis curam, febrem illos significari ostendit. Rursus autem octauo de Morbis curandis, cùm differētiam morborum qui ex intemperie proueniunt explicasset, quoniam alij in vna sola peccant, alij autem in duabus, subiicit hæc penè verba: Sanè vnus quispiam morborum est febris, quos intemperies creat, & febris: vtique cùm adeò immodicè calor auctus est, vt hominem offendat, & actionem lędat. quando autem neutrum horum efficit quantumuis auctus calor sit non propter hoc febricitare homo dicitur. Arist. quoque prima Problematum particula: Feruens quoque inflammatio cùm non nisi caloris sit exuperantia, febres accendere potest, tum paulo post: Æstus in corpore febris est, velut in oculis lippitudo: namque à caloreaëris, vt simile à simili accenditur. Et magis apertè alibi: Austri sua natura calidi atque humidi, qua quidem re febris committitur, Quippe cùm non nisi per excessum ambarum harum qualitatum exoriri soleat. Igitur tantum illa à siccitate abest, vt etiam humida sit, si vera sunt quæ refert Aristoteles. Sexta etiam Aphorismorum inquit Galenus, Febris suam habet in caliditate substantiam: siccitatis haud meminit. Princeps etiam in prima quarti, dum febrem diffiniret, calorem dixit, non calorem cum siccitate. In prima etiam Aphorismorum, quamuis Galenus dicat, quod febris est conuersio natiui caloris, in igneum, attamen dicit, illam calorem esse: difficiléque ob hoc in senibus accendi quòd eorum

c. 3. in prin.

com. 160.

2. com. 161.

m. 6.

ap. 1.

probl. 6.

probl. 8.

probl. 13.

Aph. 5.

cap.

Aph. 14 in fine.

rum

eorum calor innatus exiguus ſit. Quòd ſi febris ſiccitatem contineret, & ſi caloris ratione in febres non facilè inciderent, ſiccitatis tamen ratione facilius quàm pueri. Hoc autem nemo concedit. Si etiam febris morbus eſſet ſiccus, non facilè videtur quomodo hecticus vel primæ ſpeciei curari poſſit: dicente Galeno ſeptimo Artis curatiuæ: Itaq; inſanabilis prorſus eſt ſiccitas, ſi fuerit conſummata: conſummata autem erit, vbi ſolida ſimilarium partium ſubſtantia reddita eſt ſiccior. Denique effugere non potes ſi febris omnis ſiccus ſit morbus, quin etiam febris omnis difficilis ſit curationis. In oppoſitum primo de Temperamentis morbus datur calidus & ſiccus, vt febris: & frigidus & humidus, vt Hydrops: & frigidus & ſiccus, vt melancholia. Et primo Regiminis acutorum. Si igitur contraria contrariorum remedia ſunt, vt viribus frigida ſit ac humida priſana oportet: namq; id febris eſt contrarium, quæ natura calida eſt & ſicca. Decimo etiam Artis curatiuæ, illam frigidis & humidis cibis, potibus, aëre, medicamentiſque curat, velut morbum qui in calido & ſicco ſit conſtitutus: Etſi fateatur quòd caloris maior cura ſit humida, in humidis tamen auxiliis minus peccari. Cùm autem dixit rurſus primo Regiminis acutorum, quòd febris ſit ex ardore caloris naturalis: illud planè intelligendum, quod ſuperius dixerat, & in prima Aphoriſmorum, ſcilicet febrem eſſe igneum calorem, hoc enim vbique fatetur. At in his locis igneum calorem explicat, id eſt, calidum atque ſiccum. Vnde ſuper Aporiſmo victus humidus febricitantibus omnibus confert inquit Galenus. Febri enim, quoniam calida & ſicca paſſio eſt (eſt enim conuerſio natiuæ caliditatis ad igneam) victum humidum cõſulit. Nemo hîc non videt, & quòd febrem ſiccum eſſe velit affectum, & quòd per igneum non calorem tantum, ſed cum calore intelligat ſiccitatem. Et rurſus ſecundo Regiminis acutorum: Coctio à calido fit humido & vaporoſo, non ſqualenti atque ſicco, qualis febrilis eſt. Nihil autem perplexius his verbis eſt, quæ nono Artis curatiuæ ſcribuntur: Ἐν δή τι τῶν ἐγγιγνομένων τοῖς ἁπλοῖς ἐστὶν, ἡ κατὰ τὸ θερμὸν δυσκρασία. ταύτης δ' εἰς ὅλον ἐκταθείσης τὸ σῶμα, πυρετὸς τοὔνομα, καὶ τοίνυν ἅπαντος πυρετοῦ καθόσον ἐστὶ πυρετὸς. ὑγρότης καὶ ψύξις ἴαματα, μόνου μὲν οὖν ὄντος αὐτοῦ, σκοπὸς ἁπάντων τῶν βοηθημάτων κοινὸς, ὁ νῦν εἰρημένος. ὥς τε οὐδὲν ἔτι δεῖ πρὸς τὴν ἴασιν, ἀλλ' ἢ τὰς ὕλας ἐξευρεῖν ἐν αἷς ὁ σκοπός, εὑρόντας δὲ τὰς ὕλας, τὸν μὲν καιρὸν ἐξ αὐτῶν τῶν τεσσάρων τοῦ πυρετοῦ λαμβάνειν καιρῶν, τὸ ποσὸν δ' ἐκ τῶν παραβάλλειν τῷ κατὰ φύσιν, τὴν νόσον, εἰς ὅσον γὰρ ἀποκεχώρηκε τοῦ κατὰ φύσιν, εἰς τοσοῦτον χρὴ ψύχειν τε καὶ ὑγραίνειν τὸν κάμνοντα. Placuit hæc ſic adſcribere, non quòd verſa aptè non ſint, ſed ne quis ſuſpicaretur in Græco codice aliquid plus, minuſve adeſſe, quàm Latinè tranſlatum foret: eſt igitur horum verborum ſententia hæc: Eorum ergo quæ ſimplicibus accidunt partibus vna eſt intemperies, quæ à calido fit: hæc autem cùm in totum diffuſa corpus fuerit, febris dicitur. Et ipſius omnis febris, quatenus febris eſt, humectatio atque refrigeratio remedia ſunt: ac ſi ſola hæc ſit, propoſitum auxiliorum commune omnium eſt quod nunc dictum eſt: vt nihil præterea ad curationem ſit neceſſarium, præter inuentionem materiæ, quæ propoſito conueniat, inuentas autem materias in tempore opportuno ex quatuor morbi temporibus adhibere oportet: quantitatem autem aſſumere earum, ſecundum naturæ & morbi conſtitutiones: quantum enim morbus à naturali ſtatu recedit, tantum oportet infrigidare atq; humectare patientem. Febrem hîc facit morbum tantum calidum, curat tamen infrigidantibus atque humectantibus. An hoc prorſus abſque conſideratione? Haud equidem: ſed ex hoc nodi diſſolutio, meo iudicio, habetur. Mirantur aliqui, quòd non tam clarè in primo libro locutus fuerim: extimueram, cùm librum illum emendarem, minus tunc adhuc exercitatus, ne quid veritati, atque his quæ in poſterum dicturus eram, diſſentiens in medium afferrem. Nunc huius rei experimentum habeto, quonam ſcilicet pacto ex prioribus poſteriora pendent. Itaque dictum eſt ſupra, quòd febrilis calor eſt idem cum naturali ſubiecto & re, nec niſi ſolo modo differt. Declaratum eſt autem in prima Aphoriſmorum, tum alibi ſæpe, quòd naturalis calor in humido fundatur, eſtque re vnum calor naturalis & humidum: quod & hic iam ex verbis Galeni in ſecundo Regiminis acutorum docuimus. Quamobrem his duobus fundamentis demonſtratis, ſi calor naturalis febri accendatur, humidus tamen adhuc erit: aliter tranſitus erit ex humidiſſima ſubſtantia in ſiccam protinus, & erit vita ſine humido. Quomodo igitur Galenus potuit febrem vocare morbum calidum & ſiccum abſolutè: cùm eſſet calor humidius. Ob hoc ſi quis rectè definiat febrem iuxta Galeni ſententiam, calorem potius humidum quàm ſiccum appellabit. Simpliciter igitur, Galenus febrem morbum ſiccum dicere non potuit: potuit, comparatiuè autem cùm enim omnis calor humidum naturale depaſcatur (vt Galenus inquit in libello de Vſu reſpirationis) longè magis febrilis: vnde ab opere ſiccus, quod exiccet, vocatus eſt. Quomodo autem exiccet, declarabat Philoſophus quarto Metheororum dicens, quòd calor putridus diſſoluit humidum, & difflare cogit, eoq; res ſiccior euadit. Eſſe autem febrem calorem tantum, qui vitiet naturæ opus, cùm toti corpori communicatur, ex hoc liquet, quòd ſi calor eſſet ſiccitati iunctus, tantus calor toti corpori vel cordi ipſi inſitus, atque ex eo in vniuerſum corpus deductus quòd operationes lædat, quis erit morbus? an forſan eſſe non poterit? Sed ſi dicas verſa vice, ſi febris eſt calor, & ſine ſiccitate, cum ſiccitate iunctus calor quis morbus erit? Dicimus & hunc febrem eſſe ſi cum comparatiuè ſumitur, ſed ſerò aduenit, ſimpliciter autem nunquam, nullus enim eſſet, vt diximus, naturalis calor tunc, ſi ſiccitas prædominaretur. Quia igitur pluſquam decet calor febrilis ſiccat, & calefacit, ideo humectantibus non minus quàm refrigerantibus ſemper indigent febrientes. Hac de cauſa igneum calorem Galenus

c.6. in initio. — cap. 3. — com. 18. ante medium. — cap. 7. 8. & 9. — com. 43. — Aphor. 16. 1 par. — com. 11. cap. 14. — Contract. 18. huius tract. com. 14 iuxta medium. — cap 3. — t. c. 6.

Galenus appellauit febrilem, ac febrem calorem cum ficcitate. At dices, Cur non omnis morbus hac ratione calidus etiam ficcus non est? immodica enim caliditas plus iusto sẽper exiccabit. Respondeo caliditas impressa cùm quieta fuerit, non exiccabit, nisi ficcitati iuncta: febris autem in calore influente motu semper ficcat, velut calidus aër semper plus iusto ficcat: non tamen eruca, vel indica nux aut caro.

CONTRADICT. XXVI.

Iudicium omne an in morbi consistentia.

com. 10 in fi.

MAgna ex parte morbo in suo vigore consistente, fiunt iudicationes, inquit Galenus prima Aphorismorum: non semper igitur illas tunc fieri docet: inde etiam Princeps, Et non fit crisis in principio morbi, nisi perniciosa: & in ea quæ statum antecedit non est securitas, sed ipsa diminuta aut mala. Crisis autem bona fit in hora status. Et rursus dixit parum ante, Completa autem crisis fit apud statum, & fortasse, cùm aduenit declinatio. Manifestum est igitur, quod iuxta Auicennæ sententiam, in quocunque morbi tempore Chrisis, seu iudicatio morbi fieri potest, etsi in principio sit pernitiosa semper: & plerunque etiam in augmento. Galenus autem prima Aphorismorum duo tempora solum assignat, in quibus iudicia iudicij apparere possint: non in principio, dicit sed in augmento & statu. Itaque iam constat dissidium, cum nec in declinatione velit fieri iudicationem, nec in principio. Dicet ad hæc forsan quispiam, quod quæ in principio accedit iudicatio, erit sine signis: & quæ in declinatione, erit cum signis in statu: ita quòd signa iudicationis in augmento significabunt iudicationem in augmento vel statu: & signa iudicationis in statu iudicationem in statu vel declinatione. Sed pars prima responsionis stare non potest, nulla enim crisis sine signis, saltem demonstratiuis esse potest. Quod infra Galenus docet, cùm dixit, vt sudores sanguinis fluxus, rigor, alui profluuium, & vomitus Quis ambiguit, nullum horum signorum, præter rigorem, esse futuræ iudicationis sed præsenti signum. Rigor autem ex proximo futuræ. Vnde Hippocrates secundo Epidemiorum demiratur Zoilum laterali morbo laborantem sine rigore iudicatum: & rectè, cùm in phlegmonibus iudicatio bona à suppuratione ortum habeat: suppuratio autem phlegmonis interni, etiam in continua febre rigorem adiiciat. Per iudicationem plerumque Hippocrates ad salutem repentinam intelligit mutationem, vt etiam in libro de medicis præceptis cùm ait: Iudicatio est morbi exolutio: Subiicit autem quam exolutionem intelligat illico, quoniam salutare: inquit enim, Paruos autem morbos medela exoluit. Neque potes dicere, quòd Auicenna intellexerit per principium primam diem, nam primo de Crisi quandoque in prima die morbus ad statum peruenit, & tunc poterit fieri salubris iudicatio, & non esset sem per perniciosa. Neque etiam Auicenna intelligente de principio generali morbi, in quo nondum coctionis signa manifesta apparent primo de Crisi. Galenus potuisset de prima die intellexisse in Aphorismo: cum, vt dixi, tunc etiam præsentis iudicationis signa quandoque appareant. Relinquitur igitur, vt vel Galenus loquatur in prima Aphorismi parte de prædicentibus iudicationem signis, & in secunda tam de prædicentibus quàm etiam demonstratiuis: vel quòd Auicenna non rectè admiserit vel perniciosam morbi iudicationem in illius principio. At ibi Galenus, si quidem primo de Crisi, inquit: Quòd si sudores in morbi principio apparuerint, vel profluuia alui, aut sanguinis, hæc nunquam morbos finierunt. Vult igitur hæc potius esse naturæ irritamenta, quàm iudicia: quod apertè docet quarta Aphorismorum. Declarat autem Galenus, Crisim non fieri, nisi in statu vel parum antè, non autem in principio, tertio de Crisi, cùm dixit, Crisis quidem non fit, nisi in statu, vel parum antè: mors autem contingere potest in tribus temporibus, scilicet principio, augmento, & statu. Sed nec in declinatione: inquit enim, si in statu crisis non fuit, multò minus in declinatione illam fieri continget. Est autem huius rei in his verbis contenta demonstratio huiuscemodi breuis: vel morbus proritare naturam ad iudicium atque certamen potest hora declinationis, aut non potest: si non potest, nulla erit in declinatione crisis: si potest, cùm acerbior fuerit in statu, illam proritare debuit, nec expectare declinationis tempus. Ad hæc, inquam, dicimus: declinationem crisim non admittere sui natura, ratio enim concludit. Defenditur tamen Auicenna, quia per accidens contingere potest, cùm hora status morbi impedimentum adfuerit: quod ego quandoque vidi, homine cui futura erat per sudorem crisis in hora status in frigido loco constituto: cùm autem quieuisset febris accenso igne sudor multus profluxit, ac liberatus est. Hocque in sudore frequentius accidit, quam in aliis generibus iudicationum. Nec quisquam existimet Auicennam posse tueri quod de declinatione accedentium loquatur, nam tunc cessat crisis causa, & est molestiæ materia. Per statum enim quid intelligeret, docuit Galenus primo de Crisi, cùm dixit, Vehementissimum enim morbi tempus statum dico. Constat autem vehementissimum esse tempus morbi cùm symptomata maximè fæuiunt. De principio autem sic Auicennam tuebimur, namque tertio de Crisi, docet Galenus, in principio quandoque ægrum repente mori, non tamen Crisi: quia dicit adeò morbus magnus est, vt natura non audeat morbum aggredi, crisis autem non fit sine pugna morbi naturæque. Hoc tamen mortis genus per crisim factum vocat Auicenna, quia subitò accedit, & cum pugna naturæ cum morbo: nam etsi natura (vt rectè Galenus) morbum non aggrediatur, morbus tamen illam adoritur: vnde fit aliqua pugna, quæ speciem quandam malæ crisis refert. Diximus autem perfectam iudicationem in summo morbi vigore fieri debere. Est autem absoluta

Marginal notes: *secunda quarti c. 2. in fine*; *com. 12. in medio.*; *post medium. com.*; *in fine.*; *cap 17.*; *cap. 18.*; *com. 11.*; *cap. 6.*; *c. 5 post princ.*; *cap. 1.*; *c. 9. in prin.*

com. 10. absoluta indicatio, prima Aphorism. quæ sex habet conditiones: quòd materiam extrudat è corpore, non per abscessum, aut transmutationem, materiamque peccantem, non autem aliam, & quæ per conuenientes regiones: nam crisis per sanguinis sputum haud erit laudabilis, quæ facile tolleretur, præcedente coctione, & decretorio die. Itaque rectè dictum, eadem signa cùm in principio apparuerint, quæ in augmento vel statu crises indicare solent, deliria ostendere. Namque, inquit, nihil statim ab initio iudicari potest. Hæc igitur atque repentinam considerans, quæ illis succedit signis, mortem Auicenna, tum quòd agentium naturalium esset contrariis semper quantum licet resistere, mutationem ab initio ad mortem factam etsi quicquam ad veræ crisis rationem deesset, crisim tamen appellauit. Crisim namque Auicenna vocat quamcunque subitam mutationem ad salutem, vel ad mortem, quemadmodum Galenus eam diffiniebat secunda Aphorismorum, & sic illam fieri in principio nihil vetat. At vt verè accipitur crisis, est agitatio materiæ facientis morbum à natura, & hæc in principio contingere non potest.

CONTRADIC. XXVII.

Morbi an virtutis maior in victu indicatio.

ALiquando etiam in ipsius morbi vigore, vbi casus aliquis interuenerit, robur naturæ dissoluens nutrire cogimur: prima Aphorismorum Galenus inquit. Quod & Auicenna docuit in prima quarti, cùm dixit: Et cum times casum virtutis tunc melius est ægrum nutrire. Et paulo pòst: Et corpora biliosa proprie cùm assueta fuerint plurimo cibo, nisi cibum sumpserint in principio accessionum, imò etiam in statu qui deterior est duorum alterum incurrunt: aut enim in syncopim cadunt, aut extenuationem illam quam Hippocrates primo Prognosticorum descripsit: sed tamen dixit in primo libro, quòd cum symptomata grauiora efficiuntur, minuere debemus cibum: quare non videtur conueniens vt illis virtutem prosternentibus debeamus dare. Et, vt ad institutum reuertar, nono Artis curatiuæ, dum de hoc ageret, inquit: Maxima igitur dignitas ipsarum est virium: quando nobis viuere ex ipsarum custodia constat: vt cùm vitam ipsas esse vires, aut earum actiones necesse sit. At vita ipsa nihil prius in animantis corpore esse potest, propterea quòd nec sanos esse citra ipsam vitam licet. Virtus ergo omnium prima hominibus custodienda est. Seruabitur autem si nec substantia illius inanis reddatur, nec mutetur tanta mutatione vt corruptioni sit propinqua. Atque huius custodiæ pars est, vbi vel temperiem ipsam præsentem seruamus, vel abscentem inducimus. A virium autem indicatione proxima est, quæ ab affectibus quos curare proponimus, nobis aduenit. In duodecimo etiam Artis curatiuæ, in syncope à crudis humoribus vinum exhibet cum pane, quorum vtrunque morbo euidentissimè aduersatur: Et paulò post in syncope à bile vinum, testatus iam tamen bili nihil vino amplius nocere. Et decimo eiusdem enarrat longam historiam illius, quem ab initio cibans febris, aut parum antè, quòd virtus succumberet ieiunanti à morte seruauit. In duodecimo etiam eiusdem dum de Syncopa agit quæ initio calidorum humorum cum febre prouenit, dat vinum aquosum, oui lutea, cerebrum suillum assatum, carnesque, etiam ante absolutam materiæ morbum facientis concoctionem: cùm tamen constet in febribus dare carnes, & vinum, esse victum monstruosum Petronæ primo regiminis acutorum. Atque in hoc ipso libro vnum statuit tam sanis, quàm languentibus communem scopum, vitalis virtutis conseruationem. Sed tamen oppositum subiicere paulò post videtur, cùm inquit: Morbus non de nutritione indicat, sed prohibet. Vbi igitur non prohibuerit, & facultas affuerit, tunc nutrimus. Et prima Aphorismorum Galenus rursus, In sanis intentio est virtutem seruare, vel etiam augere. In longis morbis raro augere, plerumque tamen seruare. At in acutis moderate debilitatas tueri, per moderatum intelligit, ne omnino decidant & moriantur. Quòd si hoc in vitali & naturali proponit, quàm parum curabit animalem, quæ celerrime ac maximè aliarum comparatione fatigatur? secunda Aphorismorum. In decimo etiam Artis curatiuæ cùm tria hæc comparasset, morbum, causam morbi, & virtutem, his verbis vtitur: Cum autem in his examinandis non parum visa est ad hominis salutem momenti habere vis ipsa, supple naturalis: itaque de ea non leuis ad agendorum considerationem cura habenda est. Hic liquido ex vi sermonis morbum & causam principalioris indicationis facit. Inde non multis pòst verbis subiicit: Si horum trium indicationes pugnabunt, eam præferes, quæ validior fuerit, aliis duabus non neglectis. Rursus in nono eiusdem, Vt in sanis principalior intentio est, illos in statu, in quo sunt, seruare: ita in ægris amouere affectum qui præter naturam est: quare in diariis febribus propemodum nullam de virtute curam habendam suadet. Quòd & in octauo iam libro dixerat. Vbi hanc prope paucis antè verbis definierat quæstionem, dicens: Si febris indiget frigidis atque humidis perpetuo, natura autem, & consuetudo, & anni tempus, ætas, ac reliqua omnia in vnum consenserint, calidaque ac sicca expostulent, febris verò mitissima fuerit: tunc neque calefaciemus, neque siccabimus, sed neque tunc infrigidabimus, humectabimusve: sed mediis vtemur. Liquet itaque illum morbum exiguum omnibus naturalibus causis simul coniunctis contrariis æquiparare. Igitur morbi validior est indicatio quàm virtutis in quali cibo exhibendo, non autem de quantitate, de qua iam nunc est sermo. Quòd autem necesse sit primam morbi habere rationem, patet in acutis, cum illius virtutis debilitas ex morbo proficiscatur, propterea rectè dixit Princeps, sæuientibus symptomatibus debere subtrahi cibum, non addi, nam tunc natura occupata est,

Marginalia: 1. reg. acut. com. 95. — com. 9. — 1. 4. c. 8. — Fen 4. c. 1. post prin. — cap. 13. — c. 1. in fine. — c. 1. in prin. — cap. 3. — cap. 6. — com. 13. — com. 44. — com. 4. — com. 19. — cap. 1. — cap. 9. — c. 9. in fine. — 1. com. 48.

est. Accepit autem hoc ab Hippocrate secundo Regiminis acutorum, dicente: Ingens quidem malum est, si cui ob morbi laborem aut acumen imbecillitate sorbitionem aut potum porrexerit. Dictum autem Galeni, quòd symptomatibus virtutem prosternentibus illico dandus sit cibus (nam sic solet adduci, parumque refert, si quis rectè pensitet) eo loco scriptum est, vbi intelligimus, ex nimia inedia hoc contigisse. Nam Hippocrates in textu dixerat: Coniectari autem oportet, an æger vsque ad morbi statum perdurare possit. Alio etiam in casu nutriendus est æger, cum imbecillitate ventriculi, tum maximè oris illius laborat: non quòd cibus iuuet per se, sed quòd immixtus lædenti materiæ, tum etiam sua qualitate læsionem illius mitiget. Ostensum est enim in sexto Contradicentium medicorum libro, neruos qui ad os ventriculi veniunt, eiusdem esse paris, atque substantiam vnam habere cum his qui ex cerebro in guttur, fauces, pulmones, ipsum cor, pectus, iecur, lienem, atque septum, & renes permeant. Quo fit, vt ore ventriculi affecto totum corpus compati grauiter necesse sit: tum magis quòd, vt ibi ostendimus, nec ibi profundi sunt, sed in superficie & magnitudine conspicui: eo factum est, vt cum aliqui sic laborantes cibo & potu iuuarentur, multi crediderint in syncope & viribus deficientibus conuenire cibum, nam & ille iuuenis ex decimo Artis curatiuæ ob ventriculi os compatiebatur. Tertius est modus, cùm materia praua exurensque extiterit, tum maxime mobilis aut pestilens. Sed nec hic alius est à primo, nam nisi nimis tenuiter ante cibo & potu erga illum vsus sis, non proderit in syncope cibi vel potus exhibitio, sed potius hominem ipsum enecabis. Nam si cibus aut potus virtutem augerent, mori hominem ex vllo morbo esset impossibile. Namque instauratione continua facta tenuis cibi, aut ouorum, aut vini, vel succi carnis, si virtus augetur pugnatque cum morbo assidue, illi non accidente auxilio, huic perpetuo, tandem morbus finietur manente virtute: Cùm igitur hoc non contingat, hæc duo necessaria sunt, primum vt dum coquitur cibus, morbus humores ac sanguinem interim depascatur atque inficiat: & quod non probè concoquitur ex cibo ipsi morbi materiæ, velut auctarium accedat. Quòd si ita est, aliis in casibus quamquam labentibus viribus quænam prorsus ex cibo spes adest: quin potius si qua superest eo suffocato tollitur. Quomodo autem hic agendum, & quòd nullus hoc modo nobis periit, in arte curatiua, quam quatuor libris scripsimus, edocuimus. Nunc autem tempus est vt doceamus generaliter, quod & aliàs dixi: quantum ad cibi pertinet non qualitatem, sed qualitatem, magis vires quàm morbum attendere oportere. Si autem morbus major sit quàm virium imbecillitas, nulla certa potest dari regula. Sed iudicio, in quo plerique decipiuntur ægri periculo atque iactura vtendum est: atque hæc est Galeni exquisita sententia decimo Artis curatiuæ, ac etiam nono eiusdem. Quòd si quandoque dixit, in omnibus præferendam esse virtutem, finis causa illud docuit. Nam quis adeò absurdus est, qui ignoret virtutem seruandi causa omnia fieri: cum, vt rectè dicebat, vita sine virtute esse non possit. Sic in nono Artis curatiuæ c. 13. etiam in ægris, vt fini propiorem, commendat virtutis custodiam, age exemplo: Pædagogus salutis puerorum præfertur, ac illis instituendis salutem magis habet commendatam, vt qua pereunte institutioni nullus prorsus locus relinquatur: num propter hoc sedulus magis erit ac magis laborabit circa salutem? totosque consumet dies in explorandis lacunaribus tegulisque ne incautè illos opprimant: an his potius animaduersis quasi per ocium, diligenter instituet pueros, atque assiduè docebit. Cæterum quod ad exemplum Galeni attinet, primo Regiminis acutorum, de duobus illis laterali morbo laborantibus, quamquam hic locus esset disputandi, quia tamen liber in immensum crescit, ad tertium librum vbi de venis latis agitur, reseruetur: hoc vno tantum addito, quòd prior non ob vitalis virtutis robur, vbi cibum assumpserit, mouetur: neque alter, ob imbecillitatem seruabitur, sed hic ob inanitionem seruabitur, alter ob repletionem morietur: reliqua posse aut non posse ferre indicabunt, priorisque exempli longè plures seruabuntur, quàm secundi: cùm quique debito quod ille ibi ex secundo exemplo supererit. Nunc autem ostendamus quod diximus, scilicet quòd plus possit morbi quàm virtutis indicatio in cibi quantitate exhibenda: inquit enim Hippocrates Aphorismorum prima: Æger ab initio nutriri debet, vt possit, vsque ad morbi statum sufficere, in quo tenuissimè nutriendus est. Si igitur parum in statu ob morbi vehementiam, cùm virtus tamen debilis sit: multum ab initio morbi, cùm valida est, quòd morbus sit imbecillis (inquit enim alibi, Circa initia & fines omnia imbecilliora, cùm verò consistunt fortiora) liquet, quòd morbi potius quàm virtutis curam gerit. Nam si virtutis rationem proponeret, affatim in statu & ab initio tenuiter ægrum nutriret: at oppositum è directo facit. At per copiosam nutritionem nutrimentum quod plurimum nutriat, vt oua, & carnes intellige non quantitatem: neque enim vnquam multa cibi quantitas vllo in morbo ex materia conuenit, nam si virtus valida est, haud eo indigebit: si imbecillis, non poterit concoquere. Solum igitur quandoque cibus multi nutrimenti conuenire potest.

CONTRAD. XXVIII.

Seni-ne, an iuueni laborantibus calidiora conueniunt.

Calidiores partes, si intemperie labantur frigida, calidioribus indigent auxiliis, vt quæ multum à naturali statu remotæ sint: frigidæ autem parum calidis indigent: parum enim à naturali statu recesserunt: septimo Artis curatiuæ. In octauo verò Artis

tis curatiuæ duos proponit homines eadem in regione ortos temperata, ægrotareque alterum iuuenem assuetum calidis siccisque cibis,& calida temperie, in regione autem frigida, hyeme & constitutione frigida atque humida:reliquum puerum frigida humidaque temperie, & assuetum humoribus frigidioribusque cibis,in calida autem regione, ac constitutione æstatis tempore,primo omni ex parte calidiora & ficciora conueniunt: secundo frigidiora atque humidiora: nisi quòd respectu ætatis puerilis calida non frigida competunt.Inde subiicit, Consuetudo de similibus semper indicat. Anni tempus, regio,& constitutio, semper sibi contraria, nisi fuerint temperata. De natura & ætate adeò obscurè ibi loquitur, sed tamen quòd similia postulent exemplo declarauerat, vt loci sententiam explicare hic non omnino tutum sit. Nono etiam eiusdem, docet plus omnibus his posse consuetudinem: namque frigidus natura, vel etiam iuuenis, calidis assuetus,à calidis non lædetur. Intemperiem autem duplicem nobis insinuauit: Naturalem, quæ sibi gaudet similibus & Acquisitã, quam palàm est, si consuetis natura gaudet, etiam similibus debere: at non debet, quia præternaturalis est ideo voluit aliquid dixisse, vbi propter difficultatem rei nihil tunc dicere ausus est. Nunc nulla mihi est cura, quòd senes humidis indigeant,ad senium retardandum, calidisque:nam in præseruatiuo genere longi periodi illud dictum est, cùm sermo noster de his quæ nunc maximè conferunt propositus sit: neque dubium est, si humidis valde senex vtatur, quin in anasarcam incidat: nam membra valde dissimile natura non concoquunt: sed moderata sint humida calidáque,& ex longo vsu.Quare rogo te lector, vt ex toto hanc ab illa disputationem seiungas. Igitur vt ad propositam quæstionem reuertar, Auicenna quarta primi de vtroque explicauit,scilicet de naturali & præternaturali intemperie,quòd similibus sit adiuuanda: ideoque seni frigida & humida,neque modice,nec sicca exhibet. In oppositum est Auerroës cum ratione quam adducit:si enim seni frigida valde exhiberimus febricitanti,morietur æger,ad vlteriorẽ enim trãsibit intemperiem:iuuenis verò non solùm non periclitabitur, sed etiam iuuabitur.Similiter sic sensisse videtur Auicenna, cùm dixit in prima quarti, Cùm dederis aquã frigidam in potu,non fit calor innatus debilis,nec iecur frigidum. Sed in vno est differentia,quia Galenus præsupponit quòd morbi sint æquales quo ad sensum, non quòd æqualiter recedant à temperie propria:tunc enim senex febriens si æqualiter febrire, vt iuuenis videatur, multò magis premetur,vehementioreque febre quàm iuuenis infestabitur, ob hoc itaque frigidioribus indiget, rectè inquit Galenus: & Auerroës rectè: nam vbi æqualiter à proprio statu recederent leuiter frigida curabunt leuem febremque in sene erit,adiuta etiam auxilia à natura erunt frigida atque humida:in iuuene nihil proficient, in quo febris quidem æqualis est senili,sed totus calor lõgè acutior ac maior: poteruntque (quemadmodum & febris accidit, ex conspersa aqua,vt ignis accendatur)leuibus frigidis irritare febris vehementia & magnitudo. Accedit quòd senes forsan à frigidis immoderatè patientur ob virium imbecillitatem, oportebat enim senem validum & iuuenem, imbecillem accipere: nam quæ ex ætate accidit in virium robore differentia, haud est præsentis considerationis:sed tantum quæ meritò temperaturæ.Est autem Temperatura quadruplex, Naturalis, & Æqualis,& Inęqualis,sed tamen naturalis: & Inęqualis cõsuetudine acquisita,vel ætatis necessitate,quæ aut non lædit,aut parum lædit, aut omnino est inemendabilis, vt valde senum intemperies: & quarta quam Malam vocamus intemperiem, quæ lædit, & naturalis non est, & merito sui est sanabilis: etsi non semper ob magnitudinem curari possit.Est autem duplex genus frigidioris calidiorisve, aliud quidem quod quantitate ac potestate maius,vt lactucę magna quantitas: aliud quod gradu & natura,vt modica mandragoræ portio. Senex igitur hoc secundo genere vtetur, sed modicè, tum maximè, cùm æqualiter videbitur febricitare: sed & tunc,si vires ferant,copiosè:parum autem si vel vires non ferant, vel si æquali lapsu à proprio recedat temperamento. At iuuenis primo genere vtetur, affatim scilicet modicè refrigerantibus, vbi febris æqualis sit: affatim autem vehementer refrigerantibus, vbi æqualiter à proprio recesserit temperamento. Auicennæ autem dictum de aqua frigida: est ob timorem, ne à corpore non possit expelli: cùm enim huius causa detur, scilicet vt expellatur, calore innato valido tum maximè iecoris indiguit, quare hoc temperamenti merito haud accidit.

Sed quoniam diximus, frigida iuueni febre laboranti minus conuenire,videbitur regula tertio Artis curatiuæ data vitiari:quod morbi æqualibus in gradu curentur,nam de curatione agit tantum vt à morbi ratione pendet: seu enim loci, seu temperamenti causa variationem suscipiat,eo loco non curat: sed tunc indicationes miscere oportet. Sed adhuc dubium est, nam si æqualiter recedant à propriis temperamentis senex & iuuenis ob morbi naturam æqualiter frigidis indigebunt: senex verò ob temperiem frigidioribus, igitur senex vtroque modò frigidioribus indiget, cùm tamen leui laboret febricula. Hoc verò iam discussum fuerat, nam tunc paucioribus frigidis, attamen virtute frigidioribus indigebit: iuuenis autem pluribus, at minus frigidis.Sed adhuc remanet dubitatio,quia laborante bilioso & pituitoso granedine, si frigidiora seu minus calida pituitoso exhibeantur,duo sequentur inconuenientia: primum, quod si vix sufficit concoquere biliosus: igitur pituitosus non concoquet materiam, quia minus habet de calore,& sic non sanabitur. Secũdò,quia generabitur facillimè noua pituita,quæ aggregabitur priori:in bilioso autem ob temperaturam nequaquam.Dico igitur quod in morbis materialibus vbi de causa consideratio habenda est aliud oportet statuere:nã ad cõcoctionẽ senex & pituitosus calidioribus indiges

c.13.in prin. c.9.

cap.16.

c.1.in fine.

7.Col.c.1.

tr.1.c.7.col 1.

cap.6.

2. Aph. 40.

diget quam iuuenis, & biliosus. Ideo bene egit, vt recitat Brasauolus, Leonicenus, qui annum agens LXXXXVII. tertium scilicet, seu verius quartum à centesimo, iure galli castrati, & vino dulci ac potentissimo à grauedine & raucedine, contra Hippocratis spem in eo Aphorismo declaratam, curatus est. Dictum igitur Galeni de Immaterialibus morbis, vel de morbis qui materia fiunt, illa non considerata, intelligendem est. Sed iam ad diuisionem de temperatura deuenio. Omnis intemperies, quæ non lædit aut modicè, in eo morbo qui ab illa non pendet, similibus indiget. Seorsum autem naturalis vel custodiri debet, si leuis, vel in homine occupato: vel curari, si grauis. Acquisita autem si melior est naturali, conseruanda est, quandoquidem non habitam quærimus, sexto de Tuenda sanitate. At si deterior aut æqualis illi in prauitate fuerit, abolenda: nec tamen immutanda consuetudo, aliud enim est consuetudinem mutare: aliud quod ex illa prouenit iam auferre: diximus autem de hoc alias. Sed nec existimares ob consuetudinem, quæ mutanda non sit etiam intemperiem custodiendam: voluimus & de hoc te admonere. Hoc verò de temperie dictum est, vt intelligas, illam amoliendam, sed sanitatis tempore non, cùm alios morbos, tum maximè præcipites & acutos. Cùm igitur morbus, causaque, ac temperies dissident, etsi dictum sit superius, quòd medicamentis indigent compositis, id etiam locupletius hic exponetur.

lib. 1. Contr. tr. 6. cont. 2.

Contrad. 22. huius tract.

Difficile autem hoc videtur: Primò, quia medicina composita est refracta, igitur cura non erit per æqualia in gradu, affectui enim frigido, vt duo si cinnamomum non mutatum competit, quomodo idem refracta, & imminuta ex compositione virtute curare poterit? Accedit, quòd Galenus primo de Temperamentis immixto, & Auicenna prima primi concedunt ex primis qualitatibus fieri vnam formam mediam, quòd & in primo de Elementis fatetur, igitur cùm secundæ & tertiæ ex primis pendeant, non poterunt esse distinctæ subiecto in medicamento iam ad minima commixto. Ad hæc superius iam diximus, & nunc quidem clarius, primas qualitates quæ secundarum & tertiarum virtutum sunt fundamentum, esse elementorum qualitates, quæ non miscentur magis, quàm quæ ex illis oriuntur, & quam ipsa elementorum corpora. Verum temperamentum est ab impressiuis quæ in vnum coëunt. Medicina autem refracta primas qualitates elementorum integras seruat, impressiuas nequaquam. Sicut igitur cinnamomum in niue infrigidatum humectatumque non minus calefaceret, post consumptam frigiditatem illam aduentitiam & exiccaret post humidum abolitum quod ex niue conceperat, atque ideo serius: sic & in compositione ad vnguem accidit: ob id serius operatur mixtum ac fermentatum medicamentum, non minus, nisi quantum vitio vetustatis ex illo virium decessit. Quoniam verò Auerroës quinto Collectaneorum exempla Galeni infirma reddit, vt de albo ac nigro colore simul in oculo existentibus, mirum est,

c. vlti. doc. 3. cap. 1.

cap. vlt.

cap. 57.

cur dissimulauerit exemplum de dulci & amaro in lingua, dum mel absynthio commisceatur: nam lingua dulce simul & amarum percipiente, non est quod de materia assumat argumentum: manifestum enim est has qualitates non vt in sensu colores à materia pendere, At rursus Auerroës quomodo membra trahent quod sibi conuenit, cùm non sentiat? primò, ob distantiam, vtpote pulmo medicamento in ventriculo existente: secundò, quia membrum insensibile sit, vt pulmonis caro, quæ sensus prædita non est: tertiò, quia qualitates elementares sensus non sunt obiectum, sed impressiuæ: impressiuæ autem iam in vnum coierunt: quartò, quòd vna impediet aliam: ad hoc Galenus ex Hippocratis sententia, secundo de Elementis respondebat, Plantas & sata omnia quod sibi conuenit trahere, respuere quod contrarium est eis: nullum autem est in animali membrum quod facultate plantæ careat, trahunt autem simile ex elementorum mixtione, non ex impressiuis qualitatibus: quare cur & quomodo trahant satis iam est manifestum. Et nisi ita esset, non minus à luteo oui vel macere aut glycyrriza, aut quouis medicamento temperamento proximo morbi omnes curarentur, quàm à Theriaca, vel Mithridato, vt dici solet, fermentatis: tamen Philonio, Athanasia, atque aliis magnis antidotis, cum ratione hac solum curent quòd temperata sint, aut temperamento proxima. Ideoque affectui extremo contraria. Sed quomodo idem membrũ sensu priuat, ac calefacit simul? velut in coli dolore frigido contingit ex theriacæ potu, calida enim ponitur theriaca in secundo ordine: nam si frigidum membrum trahit partes theriacę calidas, quonam pacto stupefiet, trahetque opium, quod frigidum est? Dixere quidam membra trahere ob dolorem, quod dolorem sedat: sed sic membra subirent vices operantis cum ratione ac electione. Alij dixerunt, quòd dolor accendit spiritus, qui frigidum medicamentum ad se trahunt. Ac sic totum corpus æqualiter obstupesceret, quòd minime verum est. Alij verò dicunt, quòd partes calidæ stuporem faciunt. At hoc primò reprobatur, quoniam antiquior theriaca magis hoc faceret. Respondemus, quòd etiam aliàs diximus, vires ex vetustate opij collapsas. Sed dicunt, stupor est, cùm spiritus ob frigiditatem fit insensibilis; vt secundo de Locis affectis, Frigiditas, somnum & stuporem facit, caliditas motus & vigilias. Ideque primo de Symptomatum causis, Frigida, inquit, & humida non somnum solum, sed coma, & caron, torporemque faciunt: at caliditas ac siccitas irritationes procreant, & vigilias Sed tamen vnguentum ex styrace calidum facit, & soporiferum, Dioscorides libro primo: & ibidē de Am. clarius, Calefacit, inquit, & siccat, astringitq; & somniferũ est, ac somno dolores leuat fronti illitum. Idem de Aloë, & apud Paulum de Anetho. Quid tandem dicet Galenus partem adesse frigidam, atque humidam, ideóque soporiferam: at calidum siccumque non hæc aget, non somnum, non stuporem inducit. Alij dixerunt, somnum conciliari à theriaca, ob idque solum stupescere locum.

cap. vlt.

c. 9 infra. vltim.

c. 7. c. 14.

Melius

Melius autem, (quandoquidem locum dolentem præter cæteros stupescere videmus) est dicere, quòd partes in quibus solutio continui ex dolore accidit calefaciunt, trahuntque frigidiorem theriacæ partem, hocque modo propinquitate locorum calidiorum ac frigidorum obstupescere totum. Indicio est, quòd calescant ex dolore partes, tum quia diu conflictatæ desinunt per se dolere: tum quia ad locum trahi calorem natura naturalem spiritum ac sanguinem non secus quàm ab ictu aliquo, tradit Galenus. Sed tandem quomodo iecur, si calida laboret intemperie, calida simul ob naturalem, frigida ob præternaturalem attrahet intemperiem? Respondeo: tum frigida tantum attrahet, donec laborat, vel moderatè calida: (sed de hoc alia est contemplatio suo loco discutienda) vt conualuerit calida trahet. Non ergo duo simul appetet, nisi diuersarum partium ratione

lib de vena sectione, c. 8.

CONTRADIC. XXIX.

Semitertiana an Typhode longior.

IN continuis incendentes acutæ sunt: quæ verò typhodes sunt longiores: mediæ inter has sunt semitertianæ: seu mauis Græcè sic: Ἐν δὲ τοῖς συνεχέσιν, οἱ μὲν καυσώδεις, ὀξεῖς, οἱ δὲ τυφώδεις χρονιώτεροι δ' ἀμφοῖν οἱ ἡμιτριταῖοι. Prima Aphorismorum inquit Galenus. Sunt autem à τύφω verbo Græco, quod est incendo, τύφον, atque τυφώδεις febres dictæ: vnde Suidas: τυφὼν οὐχ ἡ φλὸξ ἐκ τοῦ ἀέρος, ἀλλ' ἐκ τῆς ἀναθυμιάσεως συστροφὴ, περὶ τοῦ ἐκπρωθῆναι ὡς Πλάτων ἐν Φαίδρῳ. Quod est Tuphon, non est flamma ex aëre concepta, sed ex exhalatione obscuritas, quæ ex incendio procedit, vt Plato ait in phædro. Subiicit & id: τυφὼν, κεραυνὸς βίαιος, πολὺς καὶ πνευματώδης, καὶ πνεῦμα καπνῶδες ἐρρωγὸς ἀπὸ νέφους. Λέγεται καὶ διὰ τοῦ ο τυφῶς, id est, Tuphon est violentum fulmen: & vehemens flatus, & spiritus fumosus à nebulis findens. Dicitur & à τυφῶς, quod terræ filium, & multa alia significat. In hac fermè sententia est Hesichius, dicens, Τυφὼν, ὁ μέγας ἄνεμος, τινὲς δὲ τὰ ἐκ τῆς ἀναθυμιάσεως. Id est, Tuphon, magnus ventus, quidam quæ ex exhalatione. Galenus in septima Aphorismorum inquit: Ἐπ' ἐκείνων δὲ καὶ τὰς διαφορὰς τῶν πυρετῶν ἔγραψαν, ἠπύαλον καὶ λειπυρίαν, ἑλκώδη τε καὶ τυφώδη, καὶ λοιμώδη, καὶ καῦσον, id est, Ob hæc autem differentias febrium scripserunt Hepialam, & Lipyriam Helcodem, & Tuphodem, pestilentem & ardentem. Fuchsius vnam eandemque dicit Typhodem atque Helcodem: quòd neque verum est, nec ex nominis vi ostenditur. Aëtius autem libro 5. c. 89. inquit: Si circa ventrem erysipelas fuerit, lypiria succedit: si circa iecur, Typhodes: si circa pulmonem, crymodes. Quòd vt iacuit hausit Hermolaus Barbarus, cùm dixit ea ad vnguem, quæ nunc recitaui. Similis error decepit Fuchsium, cùm ἐχικώδην & ἑλώδην confundit: vir magnæ eruditionis: sed qui sæpe seu ob

com. 12. post principium.

com. 42.

lib. 2. correl. in Diosc. cap. de trin. no.

scribendi celeritatem magnis labatur erroribus, seu ob incuriam: Nam in Aphorismis editis, vigesimi quarti primæ particulæ, pulcherrimi sanè, ex toto obliuiscitur, vtque adeo etiam ipsius Hippocratis textum prætereat. In præfatione autem Ptolemæum Euergetem Iuliano facit plusquàm sexcentis annis antiquiorem, cùm vix quingētis ac nouem annis antecesserit: nisi de primo Euergete intelligat: sed decuit vel verbum addere claritatis causa. Scio hoc ad rem medicam nihil pertinere: sed tamen optarem illius maiorem diligentiam, vt maiore etiam fide opera illius apud posteros manerent. Simili desiderio teneor, ne quicquam proprio ingenio adeo fœcundus, suisque laboribus est. Sed & Leocenus Elodem pro Helcode transtulit. Legitur tamen in libello aduersus Iulianum καθάπερ οἱ τυφώδεις ἢ ἑλώδεις ὀνομαζόμενοι, quas dicit maximè humidas esse febres: seu igitur τυφώδη atque ἑλώδη vnum genus sit febris, seu diuersum, nō nisi humidarum febrium τυφώδη genus est, neque quod erysipelas iecoris necessariò consequatur. Manifestè primo illas Galenus septima Aphorismorum, ab hepatica ac aliis seiungit. Pòst etiam in prima Aphorismorum morbos alios connumerat, qui acuti secum coniunctam habent febrem, vt intelligamus de febribus, quæ sine phlegmone fiunt, tum locutum esse cum Typhodem connumerasset. Febris etiam quæ iecoris consequitur erysipellas acuta non parum est, hanc autem Gal. semitertiana longiorem facit. Aberrat igitur in hoc Aëtius? Hercle non: sed Typhodum febrium genera duo sunt, alterum quod ab incendio & fuligine dictum: quod acutum est, & iecoris sequitur erysipellas: aliud lentum, atque humidum, quod semitertiana longius producitur. Constat sanè Galenum variè vsum verbo τυφώδης, quandoquidem libro, quòd animi mores corporis sequantur temperaturam his verbis ex Hippocrate sūptis vtatur, ὧν ἡ φλὲψ ἡ ἐν ἀγκῶνι σφύζει μανικοὶ καὶ ὀξύθυμοι ὧ δ' ἂν ἀτρεμέει, τυφώδεις. Ea sunt scripta secundo Epidemiorum, quorum sensus est: Quibus venæ in cubito pulsant, hi furori sunt obnoxij, & iracundi: Quibus autem quiescunt, Typhodei. Bartholomæus Syluanius Salonensis vertit, Succenso stupori opportuni, quæ verba difficilius sonant Latinè, quàm Græcè. Cornarius Stupidum vertit, non seruata nominis qualitate. Rem ego docebo, tu modò quibus vis commodioribus verbis licet vtare. Scis eos qui in fumo obuersantur sensibus detineri, atque hebetudine quadam: huic similem affectum patientes mente Typhodeos appellauit. Sed quomodo Typhodes semitertiana longior esse potest? quandoquidem varietas dispositionis longitudinem morbi afferat, quarta Aphorismorum dicente Galeno. Variæ dispositiones serius vincūtur quamvna. Accedit ratio, nam in semitertiana cum humor mixtus peccet, vel à duobus membris diuersis, vel ab vno duplici intemperie laborante gignitur vtroque modo vt morbus curetur est perdifficile. Humores etiam crassi, atque tenaces, difficilius concoquuntur cæteris omnibus

post initium

cap. 8. in fine.

sect. 5.

com. 40.

nibus, sexta Aphorismorum: ac tales in semitertiana sunt. In Typhode autem, siue sit ardens febris, (vt Leonicenus exponit, qui eam appellat succendentem) seu humida, constat impossibile esse illam febrem, in qua sudor ab initio apparet, ex crassa constare materia: quomodo igitur semitertiana Typhode longior? Respondeo igitur, quod Typhodes est febris quæ nec hepiala est, nec lipyria, vt ex septima Aphorismorum à Galeno colligitur: est tamen ex his, quæ ex multa materia pituosa gignuntur: sudorque, qui in illarum initiis apparet, longitudinem morbi significat, scilicet ob materiæ multitudinem: scriptum est enim secundo Epidemiarum, Signa decretoria quæ non decernunt, mortem, aut morbi longitudinem significant: est autem sudor signum decretorium, quare tales febres, quæ cum illo adueniunt, valde prolixæ sunt: tum maximè dicente Hippocrate, Sudor multus ex somno factus, cùm homo victu moderato vtitur, humorum significat abundantiam: sudoris enim multitudo si quid aliud signum, materiæ ostendit multitudinem. Differt autem semitertiana (quæ & Hemitritæus Græcè dicitur) à duplici tertiana, vt à Galeno habetur in libro de Typo: inquit enim, Triplex semitertianæ genus: minimum, quod Typum habet horarum vigintiquatuor: medium, quod horarum trigintasex: maximum autem, quod quadragintaocto, quo continuæ proximum est, Nullum autem, vt ibi inquit, periculo vacat: aliquod etiam genus continuum est, aliquod intermittens. Nec solum inter acutos morbos, sed etiam inter diuturnos ab Hippocrate morbos adnumeratur. Vnde patet cur dixerit in prima Aphorismorum Galenus rectè semitertianam esse mediam inter acutos morbos ac diuturnos: non quòd media sit inter vtrunque verè, perabsurdum enim est, nisi velimus omnes semitertianam, esse acutam conuersiuam, cùm differant inter se genere, vt mox ostendetur, sed media est semitertiana, quòd quoddam genus acutum sit, aliud autem diuturnum. Affligit enim, vt ibi inquit, ventriculum, & neruosas partes, ac medias: tum etiam commouet lethargos, vigilias attonitas, animi deliquia, & syncopas. Nonnunquam autem in tertianam desinit, & quandoque in duas tertianas, & aliquando in duas quotidianas. Manifestum est autem, vt secundo de Crisi habetur, tertianam, si exquisita sit, duodecim horas pertransire non posse: cùm idem iudicium sit de duabus, vt parum ante iam dixerat: quare duæ tertianæ singulis diebus inuadent, plerumque typo non excedente in singulos dies horas duodecim: at rarissimè ad vigintiquatuor peruenient. Minimus verò hemitritæi, seu semitertianæ typus est horarum vigintiquatuor, vt iam docuit te Galenus: quare non minima inter duplicem tertianam & semitertianam, vel ex solo typo differentia erit manifesta. Neque tamen duplicem tertianam excedere horas vigintiquatuor est impossibile: verùm tunc à semitertiana aliis notis dignoscetur. Verú an semitertiana dicatur, Galenus in libro de typis satis dubitasse visus est: seu quòd, inquit, dimidio circuitus tertianæ reuertatur: tertiana siquidem singulis duobus diebus semel, hæc singulo die semel: atque sic hoc nomen etiam duplici tertianæ conueniret: vel quòd semitertiana sesquitertianam sonet, id est, dimidio longiorem tertiana: nam accessio tertiana duodecim est horarum, hemitritæi autem decem octo excedit: sed & hoc malè conueniebat: cùm, vt diximus, ad vigintiquatuor accessio etiam semitertianæ minima extendatur. Aliter quòd vigintiquatuor horas continens in singulis accessionibus dimidium obtineat amplius quàm sexdecim, qui numerus horarum est tertiæ partis typorum tertianæ, quartanæ, quotidianæque. Vel, vt Agathino placuit, dicta semitertiana, quòd à tertiana deriuetur. Hoc nunc recentiores sic explicant, nam hemitritæus tertiana & quotidiana constat: itaque hemitritæus tertianæ dimidia parte tertiana est: inde figura Metonymia dictus semitertiana: cùm tertiana potius sit hæmitritæi dimidium. Vel dic, quòd cùm tritæus horis XLVIII. absoluatur, hemitritæus dimidium spatij occupans, semitertiana, verè dici potest: verùm ad vtiliora transeamus: ostendit autem Galenus semitertianam in libro de morborum temporibus ex mixtione quotidianæ ac tertianæ fieri: eam tamen sine rigore incipere exactò fatetur, sed vel cum illius initio, vel cum horrore tantum: & nunquam intermittere, sic vt ad perfectam integramque febris solutionem deueniat. Quamobrem hoc de difficiliori hemitritæo est intelligendum. Quippe in secundo de Febrium differentiis dixit hemitritæum ex quotidiana haud intermittente, & tertiana constare. Exquisitum autem dicit illum esse, quotiens bilis ac pituita coæquantur: tunc enim bilis celeritatem cohibet pituitæ frigiditas, & pituitæ tarditatem atque hebetudinem ipsa bilis excitat. Quò fit, vt ex hoc argumentum quod in oppositum deduxeramus dissoluatur: namque breuior morbus erit hemitritæus quotidiana, quamquàm hæc vnico humore, scilicet pituita, ille verò duobus, siquidem bile atque pituita constet: nam calor bilis attenuat pituitam, & ipsam celeriori concoctioni reddit aptiorem. Vnde primo ad Glauconem, Quartana & quotidiana si non sint exquisitæ, non sunt longissimæ. Supererat verò aliud genus continui hemitritæi, quod ex tertiana continua & quotidiana sit intermittente: hæc duo verò sub genere hemitritæi contineri vult: quàdoquidem hemitritæum apud Hippocratem febrem, continuarum ex genere dici ostenderit. Tertium autem genus (de quo in libro de Typis, vt diximus, loquitur: & quòd in tres, vt docuimus, species diuiditur) ex interpolatarum febrium genere est, atq; ideo nec verè Hippocraticus hemitritæus. Primi autem generis, vt dixi, species tres sunt: Exquisitus, cū bilis pituitæ cōmista æquali mensura est. Altera species, cum pituita vincit: & vt in qua vincit pituita: nam ea est ex diuturnarum febrium numero: vbi bilis ex acutarum: exquisitus

Marginal notes: Aphor. 49. in com. — sect. 1. — quarta apho. aphor. 41. — quarta aphor. apho. 42. — c. p. 4. — c. 3. iuxta fin. — c. 2. in fine. — iuxta fin. — cap. 1. — c. 1. in fi.

quisitus in medio est. Semitertiana igitur media est inter acutas ac diuturnas febres, quandoquidem modò diu duret, modò parum, modò mediocri quasi spatio: vt acutæ vocatæ conuersiuæ. At Typhodem longam esse febrem constat, cùm pituitosa planè sit: inquit enim primo ad Glauconem, de quotidiana sermonem habens: Καπνώδη γὰρ τινα θερμασίαν ἅμα πολλῷ συμμιγῆ δόξαις ἀνιέναι. Quod est, Fumosa quædam caliditas cum multo vapore commixta exire videbitur. Ob hoc igitur liquet cur quotidiana typhodes dicta sit, quasi ex fumosa flamma constans febris: at at pituitosam febrem ex diuturnarum genere nemo dubitabat. Sed quomodo sudorificæ sint, cùm Galenus quotidianam sudore terminari ibi neget? Respondeo, Non omnem quotidianam vocat Galenus typhodem, sed madidam atque humentem: generaliter tamen tales sunt quotidianæ: sed non ad solutionem per sudorem veniunt: madescunt enim potius, quàm sudant: idque perpetuò quasi accessionis tempore: tum magis per initia & augumenta, minus autem cùm maximè sudore indigerent scilicet sub status fine, & declinationis initio. De his autem sudorificis febribus dicebat prima parte primi Epidemiorum: Sudabant semper, non toto corpore, frigebant extremitates multum, inquit Galenus in Commento, Febrium hæc sunt symptomata cacoëthum. Et rursus in secunda eiusdem libri parte, Sudores omnibus vndequaque multus plados, ibi Galenus: Quibus inquam multum per cutem effluxit, eo tempore natura fuit potens huc reiicere excrementum, vnde sudarunt hi. Superfluum enim humidum Pladon vocare solet. Cùm igitur aliis aliter, ac quibusdam multifariam humores collecti longo tempore euacuarentur, ob id meritò dicit, Omnibus vndequaque multus sudor. Declarat autem quòd hi, quibus hæc aduenerunt cum dolore, hi sunt sub autumno & hyeme facti tabidi: vnde argumentum hoc est longi morbi atque pituitosi: Etsi Galenus aliter interpretetur. At verò clarius paulo infrà, cùm dixisset Hippocrates, Sudores multi non solum laborantes non iuuabant, sed etiam lædebant, inquit Galenus: Causa manifesta est, nam crudis morbis sudores non prosunt, nec bonum prænuntiant: cùm copiam denuntient humorum vel virium imbecillitatem. Meminit & prima in parte sexti Epidemiorum Hippocrates febris humentis inter reliqua febrium genera: & Galenus in expositionis fine inquit: Καὶ τῶν συνεχῶν, τὸν μὲν Ἡμιτριταῖον, τὸν δὲ καυσώδη, τὸν δὲ ὑγρημώδη, τὸν δὲ τυφώδη, τὸν δὲ λοιμώδη, τὸν δὲ ἐλεώδη, τὸν δὲ ἠπίαλον. Quod est, Continuarum alia semitertiana, alia ardens alia algida, alia typhodes, alia pestilens, alia elcodes, alia hepiala. Constat igitur Typhodem non esse elodem, nisi inter ἐλεώδην & ἑλώδην differentiam facimus. At nos, vt diximus, ἑλώδην, & ipsi scriptum inuenimus. Quare seu Typhodes sit humens, vt non est: seu fumosa & à pituita genita febris (quam forsan Lipyriam quidam dicunt, vt Rasis decimoctauo Continentis, qui Tycorem pro Typhode corrupto nomine scribens, Lipyriam manifestè esse vult) ex diuturnarum febrium genere omnino est.

cap.7. — ar.14. — t.c.10. & 11. — t.c.13. — com.17. — t.c.19. — cap.3.

CONTRADICT. XXX.

Autumno an morbi acutissimi.

Scio τυφῶνας ventos esse, quos nos Turbines dicimus: quis igitur prohibeat esse febris genus turbulentum pituitosæ, quod Typhoden Græci vocarint. Vbi ergo de nominibus agendum est probabilia argumenta adduxisse sufficiat: rebus in ipsis, quoad licebit, adiiciam demonstrationes. At res iam penè comperta est, τυφώδην enim diximus febrem ex pituita continuam ac diuturnam. An verò ἑλώδη sit seu humens, seu à τυφῶν, ventosa, seu fumosa, quòd mihi magis arridet, quandoquidem ἑλώδην eam nunquam esse putarim, parum interest. At multum sanè hoc, quod ad rem ipsam pertinet, scilicet: An quemadmodum dicebat Hippocrates in tertia Aphorismorum, & Autumnus morbos gignat acutissimos, & maximè lethales? adducit tres causas in commento Galenus quæ ab hoc anni tempore sunt inseparabiles. Prima, quòd est inæqualis & inconstans. Dixerat autem iam, quòd in non constantibus temporibus inconstantes morbi, ac mali iudicij fiunt: & quòd temporum mutatio morbos parit: quãuis hoc ad generales potius anni partes pertineat. Autumnus autem inæqualis est, vt in primo de Temperamentis declaratur: atque ideo morbos acutissimos, & lethales gignere solet. Secunda causa est, quòd ob æstatis calorem humores multi superassati generantur, qui postmodum collecti sub Autumno morbos prauos procreant. Tertia, quòd frigus Autumni constringit poros, vnde facilis fit putredo, prout declarauerat sæpe dum de Causis febrium ageret. Inde adiicit quartam, quæ non est generalis, vt rectè ait, & est multorum fructuum, illius generis quod facilè corruptioni obnoxium est, vsus: vt declarauerat in secundo de Alimentis, & in libro de Cibis boni & mali succi. Potuit & quinta addi ratio, scilicet, Virium eo tempore imbecillitas: quas tales esse & Hippocrates insinuauit prima Aphorismorum, & ipse Galenus docuit in commento, cùm dixit: Æstate imbecillis calor noster est, atque exiguus post Autumno: sicut Hyeme validissimus inde Vere. Sed multa sunt in oppositum, primum quod in eadem particula connumerans Autumni morbos, inquit: Quartanæ, & erraticæ, & lienes, aquæ inter cutem, & tabes, & stillicidia vrinæ, & difficultates, ac leuitates intestinorum, & coxendicum dolores. Hi omnes diuturni sunt, nisi velis difficultatem intestinorum excipere, qui morbus est anceps. Connumerat & morbos comitialis & anhelationes, qui morbi longi sunt, & furores, & atras

Aphor.9. — Aphor.8. — cap.4. — cap.2. — cap.1. — Aphor.8. — Aphor.22.

atras biles, nec nisi ex acutis alios præterquam duos anginam, & ileon. Forsan excusabis, quòd dixerit, præter æstatis morbos: at illi acuti magna ex parte sunt. Fateor: sed tunc cogimur concedere, plures morbos æstate fieri acutos, quàm Autumno: nam comparatione habita ad vniuersum morborum genus quod vtroque tempore vexat, plures acuti ex natura morborum accidunt æstate quàm autumno. Quin etiam in sequenti Aphorismo tria connumerat prorsus morborum acutorum genera ex paucioribus quæ hyeme contingunt: Lateralem morbum, Pulmonis inflammationem, & Apoplexiam, seu Attonitum. Liquidò autem ex hoc constat, Hippocratem non in villis, sed vrbibus artem exercuisse medicam. Nam morbus lateralis, quem ipse non connumerauit inter veris morbos, longè in villis frequentior est Vere quàm Hyeme. Sed nec quo ad morborum qualitatem videtur Autumnus morbos efficere acutos, cùm dicat Hippocrates æstiuæ quartanæ breues sunt, Autumnales verò longæ, & Galenus etiam in prima Aphorismorum ipse, dum hunc adducit Aphorismum, apertè innuit, Autumnum prolongare morbos, & æstatem decurtare. Additur & quasi tacita ibi ratio, inquit enim: Accessiones fiunt in æstate de tertio in tertium diem: Autumno autem de quarto in quartum, qui circuitus à melancholia fieri solet. Manifestum est autem, morbos à melancholia longissimos esse: quod Galenus innuit in Commento Aphorismi illius æstiuæ quartanæ, cùm dixit Hippocratem longissimi morbi consulto meminisse. Quare non videtur, quomodo Autumnus acutos morbos possit, nec in genere, nec priuatim, (vt ita dicam) procreare. Respondeo, quòd solutio constat in tribus: Primum, quòd hic loquitur generaliter: nam etsi Ver acutos procreet morbos, non tamen nisi in impuris corporibus, vt dicebat Galenus: & ita æstas in calidis, aut imbecillibus: & hyems in humidis: Autumnus autem generaliter sui prauitate omnibus nocet, plurimosque generat morbos acutissimos ac lethales: quod etiam experientia ab Hippocratis æuo vsque adhæc tempora confirmat. Nam bene possunt lethalibus morbis alia tempora abundare quandoque: sed autumnum esse salubrem pro re mira haberi debet. Secundum est, quòd acutissimos dixit non in comparatione ad cæteros morbos autumni, cùm quandoque plures sint longi, ex natura quidem, vt dictum est, coxendicum dolores, tabes, quartanæ, & reliqua quæ superius sint connumerata. Ex numero etiam ægrotantium quandoque cùm autumnus fuerit salubris, morbi plerique longi euadent, & seruabuntur. Acutissimi igitur erunt comparatione reliquorum temporum, pluresq; ægrotantes, & plura etiam morborum acutorum genera habebit cùm æstiuos & proprios, & postmodum generaliter omnes: nam Hippocrates eo Aphorismo frequentiores describit, qui in Autumno accidere solent: non habita comparatione ad reliqua tempora: sed ad morbos qui autumno apparere solent: nam morbi rari autumni ferme adeo frequentes sunt, sicut hi qui peculiares sunt hyemi in hyeme: velut morbi laterales, qui non sunt ex mordis autumni, & sunt ex morbis hyemis, adeo frequenter accidunt in autumno sicut in hyeme: sed tamen rari dicuntur in comparatione ad morbos autumni: vt qui, verbi gratia, vix vnumquemuis ex centum ægris quos autumnus habet obtineant. Tertium autem est, quod acutissimos lethalibus iungere debemus: nam ex acutissimis qui ad salutem veniant plures proculdubio habet æstas. Nam autumni acuti morbi cùm non occidunt in diuturnos verti solent. Ob id fit, vt fermè morbi illius temporis in mortales ac diuturnos diuidantur: quod & in prouerbio est apud nos, Morbi autumnales longi vel mortales. Ex his facile liquet, quomodo plures acutos habeat autumnus lethales quàm æstas, pauciores salubres, simpliciter etiam plures: nisi apud rusticos, qui nimio labore per æstatem morbos sibi accersunt. Sed dices, Quomodo autumnus est morbificus generaliter, cùm dicat Hippocrates, Æstate & autumni prima parte senes bene valere: reliqua autumni parte, & hyeme, qui mediam habent ætatem. Respondeo, hìc Hippocratem autumnum considerasse vt partem reliquorum temporum, ac merito primarum qualitatum, non propriè inæqualitatis ratione. Constat autem, quòd ratione qua calida illius pars cohæret æstati conferre senibus, qui frigidi sunt: qua ratione parte frigida hyemi iungitur conferre in ætate media constitutis, cùm calorem augeat innatum, vt prima Aphorismorum dicitur. Ad id de melancholiæ generatione dicimus & atram bilem fieri, à qua acuti morbi.

3. Aphor. 23. *1. Aphor. 25.* *com. 12. post initium.* *3. Aphor. 20.* *3. Aph. 18.* *Aph. 15.*

CONTRADICT. XXXI.

Morbi & Symptomatum consistentia an eadem sit.

IN morbum peracutum patientibus statim incidit morbi vigor, qui nihil aliud est, quàm morbi, quantum ad casus attinet, summum: prima Aphorismorum inquit Galenus. Hippocrates quoque secunda Aphorismorum: Circa initia & fines omnia imbecilliora: cùm verò consistunt, validiora. Vel intelligit de consistentia symptomatum, & sic est sermo illo indignus: quasi diceret, Morbi in summo vigore, sunt in summo vigore. Vel intelligit de morbi consistentia, & sic habemus propositum. Et in de Totius morbi temporibus: Porrò cùm iam in pus vertitur maximi dolores apprehendunt partem, quoniam in puris generatione dolores ac febres magis infestant: vocaturque hoc tempus, Vigor morbi. Cùm autem fluor digeritur, aut in pus mutatur, tunc tumorem ac tensionem reddit, estque id declinationis principium. Et rursus infra: In puris generatione vigoris terminus est in inflammationibus. Sed hoc non adeò manifestum

Aphor. 17. *Aphor. 30.* *cap. 4.*

festum est, nisi præcedentibus verbis iungatur. Et rursus in de morborum, idest accessionum, temporibus singularibus, de febribus agens, habet hæc verba. Inde aliud atque aliud affectionis incrementum, ad perfectam vsque consistentiam excipit, quam in singulis rebus summam esse magnitudinem intelligimus. Et primo de Crisi: Optimum eorum quæ ad Crisim pertinent principium est futuri vigoris summi in morbi cognitio: sic enim appellatur vehementissimum totius ægritudinis tempus. Et alibi in eodem libro: Status, qui est vehementissima totius morbi pars. Vtar & ratione Galeni, quam innuit in libro de Totius morbi temporibus: Cauenda sunt media, in quibus morbus est validissimus: tresque adducit ad hoc Hippocratis Aphorismos. Sed si aliud esset tempus consistentiæ morbi & symptomatum, vel nulla penitus de morbi cura esset habenda, vel in excessu symptomatum essent ægri cibandi, medicamenta danda, mittendus sanguis: quæ omnino absona sunt: pessiméque fecissent Galenus atque Hippocrates, tum maximè in prima Aphorismorum, vbi tam tenui victu ægros iuxta statum extenuant qui alterum ab altero statum non distinxissent: ac insuper edocuissent de quónam status genere intelligant. Quin etiam si status est dum materia concoquitur, non cum concocta est, nam tunc incipit declinatio: igitur ex sententia Aphorismi secundæ particulæ, dum pus conficitur dolores ac febres fiunt, magis: quàm iam confecto. Accedit, quòd statum vocamus, dum consistit morbus ex symptomatum sæuitia. Vel igitur nondum concoqui incipit materia, vel concoquitur planè, vel ex toto concocta est. Si hoc vltimum, erunt symptomata declinationis tempore, quod nemo admisit. Si ante concoctionem, cùm nulla sit pugna illorum causa esse non potest. Si in ipsa coctione, vel dum incipit, vel dum inualescit: non primum esse potest, nam eadem ratione qua initium facit sæua symtomata, consistentia faciet deteriora. Si autem in consistentia status symptomata sæuiunt maximè, igitur in statu morbi: nam nihil aliud est Status morbi, quàm tempus in quo materia plenè concoquitur. Et ideò benedixit Auicenna prima quarti; Et status in febribus est hora in qua vehemens est pugna naturæ cum materia, altero eorum vincente, dumque pugna manet est status: ex quo liquet tunc esse grauissima symptomata. In oppositum Hippocrates primo Regiminis acutorũ inquit: At si os madescat, & quæ à pulmone expuuntur talia sunt qualia esse oportet, cibi liquidi quantitatem augere conuenit. Nempe quæ citius madescunt iudicationis celeritatem ostendunt. Itaque constat nondum factam iudicationem, quare statum morbi in his non esse absolutum: & cum augeat cibos, constat iam desæuisse symptomata: quare status symptomatum alius est à statu morbi. Secundo quoque de Febrium differentiis, & secundo de Crisi, & nono Artis curatiuæ, Tres sunt species sanguineæ febris, è quibus vna semper minuitur, quomodo igitur illa in suo statu grauior erit? Euidentior est authoritas, quæ habetur secunda Aphorismorum à Galeno, his omnibus, cum inquit: Dispositio ex qua casus generantur, quam morbum nominamus, non omnino dum morbus consistit validior est: sed in his qui seruari debent multò melior quàm in morbi principio. Auicenna quoque secunda primi, Hora status est, in qua ægritudo in vna manet dispositione. Et rursus prima quarti. Cùm apparet concoctio in excrementis, tunc est hora status propinqua. Et etiam antè dixerat; Et apud statum apparent signa completæ concoctionis. Quare non poterunt sæuire syptomata ex dicto Hippocratis iam adducto in secunda particula Aphorismorum. Cessant enim, vt alibi dicit, calor & continui solutio, à quibus febris & dolor fiunt: atque inde reliqua symptomata. Accedit ratio nostra, Iudicium omne, vt visum est, in morbi consistentia vel antè sit: sed si salubrem esse debet, iam factam præsupponit coctionem, prima Aphorismorum Galenus docet, ac toties, vt repetere tædium sit: igitur morbi status semper præsupponit coctionem vel existentem nunc, vel iam ante absolutam. Hac forte ratione factum est, vt Princeps existimauerit, statum non esse grauem ratione coctionis materiæ, quandoquidem necessario in illo iam planè tota concocta sit. Dicunt & quidam, virtutis casum in statu accidere non posse, cùm materia iam sit benigna: verùm posset ratione separationis, expulsionisve: & ideò hoc argumentum non est euidens. Hæc quæstio est apud multos difficilis, sed nos declarabimus illius veritatem, & causam difficultatis aperiemus, quæ fuit, quòd non viderunt Galenum, nec potuerunt illius mentem, quam nunc declarabimus, assequi. Igitur morbi quidam primo mortales, alij salubres habentur. In mortalibus cũ non contingat mors in declinatione, cõtinget, vel in statu vel ante. Si in statu, symptomatum tunc erit consistentia, cùm non dentur sæuiora symptomata quàm mortis. Si ante statũ, tunc status symptomatũ præcedit statũ morbi: nam homine moriente semper status symptomatũ adest. Quo tamen ad imaginationem coinciderent: idest, quòd si ille posset superuiuere vsque ad statum, adhuc sæuiora experiretur his per quæ mortuus est, symptomata, adeò quòd vir longe validioris quàm ille virtutis per illa oppor-tet mortem. Igitur in morituris status morbi semper est cum statu symptomatum: sed symptomatum status non semper est cum summo vigore, sed quandoque antecedit, cùm mors in principio morbi vel augumento aduenit. In hoc tamen sensu etiam in illis coincidunt hæc tempora, quòd si æger posset superuiuere symptomata illa lethalia vsque ad morbi vigorem augerentur. Cum dico Augeri: intelligo quatuor modis, Numero, Magnitudine, Perseuerentia, seu diuturnitate, & Specie: idest, quando nouum symptomatum genus, quod prius non aduenerat: accidit, vt post conuulsionem syncopis. Et hoc volui, vt intelligeres pro sequentibus cùm de augumento symptomatum loquemur. In his autem qui seruantur vel morbi sunt absque materia, vel cum materia. In materia carentibus per statum intelligendo summum

Marginal notes: post initium. — cap. 1. — cap. 8. — cap. 2. — Aphor. 47. — tract. 1. c. 3. — t. 23. — cap. 2. — cap. 6. — cap. 3. — com. 29. — doc. 1. c. 7 — trac. 1. c. 4. — cap. 3. — contrad. 26. — Aphor. 20.

morbi vigorem, erunt & tunc semper symptomata sæuissima, quia nulla est ratio quæ impediat, cùm symptomata à morbo solum pendeant. In his autem morbis qui à materia pendent, vel illa tota seruatur vsque ad statum, vel antea magna ex parte minuitur. Si tota materia, seu maxima pars seruatur, quia semper portio aliqua decedit subtilior omni tempore, tunc ipsa non augetur, nisi quis in victu peccet. Ex quo patet, quòd hi dicunt, materiam in dies singulos generari, nihil aliud dicunt, quàm quòd in victu aberrant, dando oua, contusa, carnes, & maiorem quàm oporteat cibi quantitatem: & in talibus non potest assignari regula generalis: imò si euadunt fortuna, & robore naturæ, & Dei beneficio, non medici euadunt. In his igitur qui recto vtuntur victu, aut parum ab illo aberrante, considerandum est, quòd contingunt tria genera symptomatum: vnum à materia, & vocatur Casus à Galeno: hoc autem fit duobus modis, vel materia ad benignum transeunte, vel ad oppositam coctionis qualitatem è directo, de qua dicebat Galenus primo de febrium differentiis, & de morbi totius temporibus. Si igitur ad benignum non transeat, symptomata status necessario difficiliora sunt, cùm materia magnitudine sit eadem, & qualitate, quam ab initio fuerat facta deterior. Et ideo separatio nec coctio non adsunt, sed sola expulsio improbi & benigni simul per abscessum: & sic seruantur (hoc enim iã suppositum est) pauci illi qui seruari debent: vt in febribus pestilentibus: & tales abscessus etiam postmodum lethales iudicantur, euadunt tamen facta corruptione, & excisa funditus ac radicitus carne, vt in illustri Triuultio contigit. Paucissimi etiam seruantur facta expulsione materiæ extrà: sed hoc rarissimum, vt dixi, est. Non transmittit autem extra in talibus, sed ad abscessum permutat, quia separationem moliri non potuit. Separationem non potuit moliri, quia non potuit concoquere: cùm autem benignum immiscetur corrupto, non expellit extra, quia membra vellent benignum, seu quod sibi vtile est, retinere: cùm autem expellunt, tunc signum est materiam adeò prauam esse, vt membra propriæ vtilitatis oblita, etiam vtile cum inutili reiiciant: atque ideo mortis hoc est signum. Moriuntur autem, quoniam ante finitur virtus, quàm expulsio. Qui autem ex his seruantur, ob id seruantur, quòd quanquam materia ab initio praua esset, coctionem tamen, etsi imperfectam, suscepit. Porrò huius etiam imperfectæ coctionis meminit Galenus, vt dixi, primo de Febrium differentiiis. Sed iure dubitabis, si materia facta deteriore natura potest expellere illam, & ægrum seruare: quanquàm, vt dixi, hoc rarum sit. Cur igitur ab initio non expellit, vel si expellat, non tunc æger vt in hora status, liberatur? Respondeo: quòd etsi materia illa haud concoquatur, interim tamen ad vias expulsioni commodiores dirigitur, atque ita facilius tota in abscessum à natura detruditur. Ob id liquet, cur bubones in pestilentibus febribus malè cedant curationi. In his igitur omnibus vigor morbi cum symptomatum vigore coniungitur. In morbis autem qui ad melius materiam dirigunt, duplex est differentia: quidam enim omnino ad vtile conuertunt cessante ipsius materiæ vitio: & in his etiam status symptomatum idem est, sicut in materia carentibus morbi consistentiæ. Est enim Morbi consistentia, cùm materia fermè computruit. Cùm autem mitigatur ac remittitur dispositio, iam non status est, sed declinatio, quo tempore symptomata fiunt minora: quare & in his symptomatum status ac morbi vnus est. Sed vbi materia concoquitur, tria sunt symptomatum genera, quæ iam declarare aggressus eram, sed non perfeci: vnum materiæ, se mouentis natura vniuersi illam impellente: secundum actionis caloris naturalis in illam concoquendo: tertium autem crisis & pugnæ. Hæc autem fiunt, dum materia corrupta separatur à benigna, & dum expellitur. Cùm autem in præcedentibus coctio nulla esset, vt dixi, in pestilenti febre, & ratione expulsionis & ratione materiæ quæ deterior facta est, in statu cùm tunc expellatur, vel etiam si non simul tota expelleretur, vt dictum est, morbi vigor cum symptomatum statu coincidit. At in his ratione materiæ cùm deterior sit in principio, quàm cùm concocta est in statu: ideo symptomata initij quo ad materię prauitatem deteriora sunt, quàm status vel augumenti. Sunt autem materiæ symptomata Grauitas, Præfocatio, Rigor, Frigus, Commotio, & quæ ad hæc sequuntur. At ratione coctionis deteriora sunt symptomata status, similiter & ratione separationis, & expulsionis: nam coctio fit in prima status parte absoluta, & in illius parte secunda separatio expulsio. Quòd si contingat crisim non fieri in secunda parte status, sed morbum paulatim dissolui, tunc æger eo tempore, vt rectè Galenus dicebat secunda Aphorismorum, melius se habebit quàm in initio: quia iam materia cocta existente non erunt coctionis symptotama: sed nec expulsionis, quare hoc in casu status symptomatum finitus erit in prima status parte morbi, atque coincidet. Et tamen cum hoc stat, quòd in secunda parte status melius æger se habeat, quàm in principio. Quòd & si succedat crisis, vel iudicium, tunc aliquando sæuiora erunt crisis symptomata, quandoque mitiora, quàm initij secundum materiæ multitudinem, ac locum, & genus iudicij. Nam iudicium sudoris, & sanguinis narium plerumque mitius est: vomitus autem, & fluxus grauius vrinæ medium. Sed de hoc non potest statui regula generalis. Vnum est, quòd status symptomatum in his coincidit cum statu morbi, scilicet priore illius parte, in qua materiæ coctio celebratur. Si verò crisis fiat in fine augumenti, tunc nondum perfecta erit coctio materiæ, & finis augumenti symptomata erunt grauiora principio, quia iungentur symptomatibus coctionis, separationis, & expulsionis vno eodemque tempore, & talia erunt grauiora symptomatibus materiæ solius. Sed hîc remanent duæ dubitationes: prima, quia dictum est, quòd vbi materia concoquatur in hora status, quòd in prima parte status erunt symptomata sæuiora respectu coctionis, & in initio morbi respectu materiæ,

cap. 6.

cap. 6.

cap. 6.

com. 19.

riæ : quænam modo erunt maiora absolutè? Secunda dubitatio est, quia si crisis fiat in augumento, igitur vel succedet status, aut non: & succedet, vel erit deterior augumento, aut mitior? Ad primam respondeo, quòd in seruandis materia rarò est mala, nisi turgeat à principio, ideo symptomata coctionis sunt grauiora, & ita verum est absolutè, quod status symptomatum coincidit cum morbi statu. Si verò turgeat, vel pars expellitur, & sic leuior status redditur: vel decumbit in aliqua parte, nec expellitur, & tunc iuxta loci naturam vbi decumbit, & reliqua molestiora redduntur, aut mitiora status quàm initij symptomata, nec de hoc potest dari regula generalis. Ad secundam dico, quòd valida existente virtute quandoque tota materia expellitur, & tunc sine statu declinatio subsequitur, & non coincidunt tempora morbi & symptomatum, & erit crisis perfecta quantum ad materiam peccantem, non tamen absolutè optima, quia erit laboriosissima, quare cùm maxima corporis & virium iactura. Ideoque aliquod iudicium est optimum in quo tota materia peccans non expellitur: & versa vice in aliquo iudicio tota materia peccans, expelletur: nec tamen erit optimum. Si verò tota materia in hac crisi non expellatur, tunc de hoc in sequentibus verbis dicemus. Cùm igitur tota materia non ad statum vsque reseruatur, hoc quinque modis fit, vel natura morbi hoc expostulante vt in sanguinea febre, quam nos decrescentem vocamus, Græci autem παρακμαστικὴν in hac cum decrescere incipit, nam statim ab initio id esse non potest, sed post quatuor, aut ad minus tres horas, statim tota febris sub quatuor temporis est: nam respectu eius quod putrescere incipit in initio: eius quod putrescit, nondum tamen concoctum est in augumento: eius quod iam concoquitur ex toto, ac resolui incipit in statu: eius quod vel ex toto, vel maxima ex parte resolutum est in declinatione. Status igitur huius morbi generalis: nam reliquum, vt dixi, vsque in finem totum ex quatuor constat temporibus, est antequam febris decrescere incipiat, & ideo symptomatum status idem est cum morbi vigore, quamuis post quartam aut sextam horam à morbi initio adueniat. Alter modus est, circuitum qualitate, vt in tertianis, quotidianis, quartanis, in quibus semper subtrahitur, facta per singulas accessiones crisi, aliquid de materia: & tunc cùm leuior expellatur, & grauior relinquatur, & in initio non putrescat ea quæ in statu putrescit materia, sed alia, erunt symptomata status grauiora quàm initij vel augumenti, & hoc ferme semper. Accidere tamen potest (quod bis in vita mea vidi) in tertiana, vt adeò magna pars putrescat in initio, vt quia subtilis ferme tota sit, quòd etsi deterior relinquatur, præ paucitate tamen minus molesta faciat in statu symptomata quàm in augumento vel in principio. Sed tamen & hîc statum morbi cum statu symptomatum coincidere dicemus: nam prima accessio statum continebit, aut prima cum secunda: nam maior materiæ pars in illis accessionibus concocta est, atque ideo tunc morbi status erit, sed & symptomatum, vt diximus quare & sic coincident. Manifestum est autem quòd paucæ in hoc morbo meritò ingruentis erunt accessiones. Nihil verò mirum, maiorem ab initio materiæ partem computrescere, cùm quandoque tota, etsi rarò, sub vna accessione constituatur: meritò ob id hæsitantibus medicis, an ephemera fuerit, an in tertiana: cùm non circuitus, sed symptomata nobis febrium genus declarent, vt Galenus dicebat: sed hoc loco suo videbitur. Tertium genus morbi, in quo materia decrescit est, dum collitur, vt in laterali morbo: & pulmonis phlegmone: nam in his vt paulatim concoquitur, (quòd tota vno in loco circunscripta non æqualiter possit concoqui, vt nec in furno panis, & in hoc à febrium materia differt; quæ vbique sparsa fermè simul tota concoquitur) sic paulatim digeritur sputis aut aliis modis. In his non semper deteriora sunt status symptomata, quàm reliquorum temporum, nec semper mitiora: sed pro materiæ, quæ iam ante statum expellitur, multitudine mitior est, aut grauior status initio. Et quanquam statum dicamus, cùm tota materia residua concoquitur, tempus tamen totum ab initio exsudationis expuitionisve vsque ad tempus illud quod statum vocamus, quemadmodum in παρακμαστικῇ febre ex quatuor constat temporibus. Quòd si vellemus statum intelligere in his non cùm totum residuum materiæ concoquitur, sed quando maior pars: tunc etiam status & symptomatum & morbi vnus esset. Sed quia statum intelligimus, cum tota materia phlegmonis quæ restabat, concoquitur, illa autem pauca est: fieri potest, vt symptomata motus materiæ ab initio sint grauiora symptomatibus coctionis in statu: quandoque etiam contingit contrarium, nec certa regula de hoc dari potest. Quod etsi accidat, vt ab initio magis à cibo ægri, quàm in statu prohibeantur: non tam ex sæuitia principij accidit, quàm ne materia in motu existente accessio phlegmoni fieret metu. Attamen grauitatem status ostendit hoc, quòd minimo errore longè magis quam ab initio admisso, pereunt: quod tamen non solùm efficit status periculosa constitutio, sed virium etiam imbecillitas Quartum genus est, cùm materia turgente natura expellit vel ars aliquid, aut etiam per venæ sectionem: nam tunc fieri potest, vt status symptomatum fuerit ante purgationem, vel venæ sectionem: status tamen morbi erit suo tempore ac post materiæ diminutionem: & de hoc etiam regula certa dari nequit: nam quantò materia detracta fuerit maior, & quòd relinquitur ex ea benignius, eo principij symptomata symptomatibus status erunt deteriora. Versa vice, cùm prauæ qualitatis extiterit, vel quod detrahitur modicum relictæ materiæ comparatione, tunc symptomatû status cum morbi vigore coincidet. Vltimum est, vt sub hora augumenti natura non perfectè materiam expellente fiat crisis: & tunc residuum plenè concoquatur hora status, & fiet recidiua quæ plerumque sua radice deterior est, & tunc symptomatum status cum statu morbi coincidet. Quandoque verò non erit tanta prauitas status, sicut augumenti,

menti,& tunc non coincident, quia maxima pars materiæ in crisi eiecta est. His igitur intellectis omnes autoritates concordes sunt. Cùm autem dicimus, Coctio præcedit statum, quia crisim bonam: dico, quòd præcedit, aut simul fit:& seu præcedat, seu simul fiat:ambæ tamen,tam crisis, quàm coctio instantis morbi tempore fiunt: sed coctio in prima parte, & crisis in secunda. In crisi autem augumenti non præcedit perfecta coctio, cum hoc tamen contingit, quòd perfecta fiat crisis: non iuxta verum significatum crisis, sed iuxta illud significatum veræ crisis, quæ est cum tota materia propulsa ex corpore æger perfectè liberatur, nec morbus amplius reuertitur, & in hoc significato dixit Galenus tertio de Crisi, crisim fieri solùm in statu, vel parum antè.



TRACTATVS SEXTVS.

CONTRADICT. I.

Ver an in tres partes diuidatur.



RIMVM Veris initium Hyemi similius est, finis autem æstati: quamobrem sic ver diuidemus, quod Hippocrates indiuisum reliquit: prima Aphorismorum Galenus inquit, nec hyemen diuisit. At primo Epidemiorum hæc habet quæ ab Hermano Cruserio corrupta sunt, atque inuersa: Principium veris secundum æquinoctium est: finis autem, qui & æstatis initium, Pleiadum ortus. Æstatis autem finis Arcturi ortus antecedens autumnale æquinoctium diebus duodecim. Occasus autem Pleiadum vt autumni finis, sic hyemis initium. Post pauca autem in hanc sententiam verba subiicit: Si quatuor tempora in differentias iuxta illorum magnitudinem disseces. Æstas in duas, Hyems in tres partes diuidetur. Quæ anni temporum diuisio ex ipsorum spatio efficitur. Est enim inter Vergilias & Arcturum tempus mensium quatuor. Plurium etiam quàm quatuor quod inter Vergiliarum occasum & æquinoctium vernum interest. Veris autem tempus nec duos integros menses habet, quo fit vt iure indiuisum relinquatur. Hinc etiam Autumni erat tempus, Veris maius quod in duos menses extenditur: hoc tamen ab æstatis ac hyemis tempore magnitudine longè superatur. Et ante etiam:Hippocratis nomen præferens liber de septimanis annum habet in septem diuisum partes: æstate quidem in duas, hyeme in tres partitis: vere autem ac autumno manentibus indiuisis. Sic è directo pugnat hæc cum priore in Aphorismis sententia: cùm ibi,vt dixi,diuiso vere hyemē relinquat indiuisam: hîc diuisa hyeme ver relinquatur integrum. Sed facile hoc dissoluitur impedimentum: in Epidemiis tempora diuidit penes longitudinem spatij stellarumque nobilium exortus occasusve, tum etiam naturæ temporum in eadem qualitate differentiam excellentem: nam æstatis secunda pars quam exortus Caniculæ inchoat, siccissima est, etsi tota æstas sicca sit: & pars prima hyemis quam sementem vocant & vltima quam φυταλίαν longe minus frigidæ sunt media parte, quæ solstitio hyemali vsque ad Fauonij flatum extenditur, cuius non meminit Galenus. Sed in Aphorismis cùm victum penes tempora instituat calida, frigidáve, par fuit vt ver quod prima parte frigidum hyemi erat affine, & reliqua postrema scilicet, calidum. atque æstati contiguum diuideretur. Atque ex hoc licet contrariis vicibus pariter autumnum diuisum etiam in duas partes intelligeremus. Hyems igitur cùm esset tota frigida, & æstas tota calida, nulla ibi diuisione indiguerunt. Tametsi de his aliis locis, tum in libris astronomicis qui æditi sunt plura dixerimus: septem tamen tempora iuxta medicorum sententiam nostro æuo sic distinguemus, variantibus syderum occasu atque ortu non solum, sed etiam solstitiis atque æquinoctiis. Veris initiis igitur die x. Martij, finis & initium Æstatis VIII. Maij. Initium Oporæ secundæ partis æstatis XVIII. Iulij Æstatis finis & Autumni initium XXVIII. Augusti quamuis Arcturus pluuiosus XVII. Septembris exoriatur. Autumni finis & Hyemis initium XXVII. Octobris, cùm Vergiliæ crepusculo oriuntur, nam illarum occasus matutinus fit die VII. Nouembris. Inde XIII. Decembris secunda pars Hyemis inchoat, cuius finis atque φυταλίας initium quinta dies est Februarij, cùm Canicula vesperi exoritur. Clarum enim sydus aquilæ XXII. Ianuarij vesperi occidit, multò ante Fauonij flatum nostra ætate. Et hæc ex Francisco Syrigato.

com. 15. in fi.

par. 1. tom. 1.

CONTRADICT. II.

Virtute debili existente, & humoribus prauis, an parum de cibo dandum, & reliqua.

ET quibus semel aut bis cibus dandus in die sit considerandum, prima Aphorismorum, & in commento: Si vires laborantis debiles fuerint & ea quæ in corpore est dispositio sit ex humorum corruptione vel defectu, parum ac sæpius de cibo dandum erit. Si autem cum virium debilitate neque defectus fuerit, nec corruptio, sed humores moderati, aut etiam abundantes, his rarò, & pauca. Si autem cum humorum defectu, corruptionéve vires validæ fuerint, sæpe ac multum

Aphor. 17.

tum de cibo dandum est. At si vires validæ fuerint cum humorum abundantia, rarò pauca offeremus, & hæc de viribus ac humoribus dicta sint. Inferius autem, cùm à temporibus anni sumit indicationem, inquit: Hyeme multa & rarò danda sunt: multa ob virium robur, rarò autem, quoniam minima fit in corpore resolutio. Sed hîc duo sunt difficillima: primum quidem, quòd iam dixerat, Virtute valida existente, & humoribus pluribus, quales sunt in hyeme, vt colligitur prima Aphorismorum, parum & rarò de cibo dandum est. Non igitur multum ac rarò. Secundum, quòd in Aphorismo Æstate & autumno, dicit; Quòd vere facilè ferunt cibum, & melius quàm autumno: & tamen in præsenti aphorismo dicit, Paucis, & ex longo interuallo nutrimus. Succedunt præter has difficultates duæ dubitationes: prima, quia vult, quòd virtute existente debili & humoribus abundantibus: item, virtute valida existente, multisque humoribus, parum & rarò de cibo dandum sit: atque idem debilis virtus & valida indicabunt. Altera, quo modo virtus valida esse possit cum humorum paucitate. Est etiam alia dubitatio, quia Hyeme plurimum de cibo dandum est, iuxta aphorismum, Ventres hyeme & verè natura calidissimi, & somni longissimi in his igitur temporibus, oblationes multæ dandæ sunt. Auicenna verò de æstate inquit, propter caloris resolutionem indiget additione cibi, & separatione. Sed forsan, imò certè, idem est cum eo quod dicit Galenus, Parum & sæpe: attamen vt adeò sæpe fit, quòd tota summa maior sit mediocritate atque eo modo indigebit pluri cibo quàm in vere, sed in pluribus vicibus exhibito.

Aphor. 15.

par. 1. aph. 18.

1. Aphor. 15.

Diximus alias de cibo ratione humorum corruptorum exhibendo. Nam tres sunt indicationes; Virtus, Quantitas, & Qualitas humorum. Hîc qualitatem prauam non per se, sed vt de quantitate indicat, considerat: nam prauos humores quod corpus ex his non nutriatur, tanquam non existentes, habet. Duas igitur hîc (nam tertiam eo in aphorismo edocebit non pura corpora quanto plus nutries tanto magis lædes) considerat indicationes: Virtutem, & humorum quantitatem. Sunt etiam duo scopi, Necessitas, ac Tolerantia. Itaque vt singula sigillatim dissoluam, ad primam dixerunt quidam, quòd si indigent, multum dandum est, sed rarò: si non indigent parum. Sed quomodo virtute existente valida in morbo possunt cibo plurimo indigere? Dico, quòd si calor sit validus, tunc rarò & multum dandum erit: si imbecillis parum & rarò. Quomodo autem virtute valida existente, calor naturalis possit esse imbecillis: tum rursus, calore cum valido virtus imbecillis, suo loco declarabitur. Ad secundam contradictionem dixit Galenus, in eo aphorismo Æstate & Autumno, Hippocratem loqui de ægris: multum tamen possumus dare in autumno, si virtus valida fuerit, At verò sæpius in autumno vtroque modo, seu æger, seu sanus extiterit: non multum autem nisi sanus & cum viribus validis. In vere autem nutrimus parum, & est longis interuallis, necessitatem intuentes: at si tolerantiam, multum possumus nutrire, quoniam virtus feret. Ad primam verò dubitationem si quis diligenter mentem adhibeat Galeni verbis, ille in commento respondet. Nam duplex est discrimen victus. Validarum virium cum humorum multitudine, & Imbecillium cum humorũ multitudine. Primũ, quia in validis viribus indicat de cibi paucitate, sed non necessario expostula, perfert enim & multitudinem: imbecilles indicant ratione multitudinis humorum: sed non bene ferunt nec copiam, nec inediam. Secundum discrimen est, quòd in validis viribus, cùm morbus adest, longe tenuiore victu (quamuis & in imbecillibus tenui opus sit) vtendum est. Quonam pacto autem virtus valida esse possit cum humorum paucitate, Galenus mihi declarasse visus est pulchrè duodecimo Artis curatiuæ, cùm dixit, Virtus in solidorum & spiritum temperie constat. Quare non est necesse adesse multitudinem humorum ad hoc vt valida sit virtus. At dices, nono Artis curatiuæ, inquit Galenus, quòd cum cremento sanguinis vsque ad certam metam crescit & virtus: licet ibi doceamur, quòd postmodum adeò sanguis possit crescere vt obstruat, nec tunc vires crescant. Vnde liquido patet membri diuisionis illius claritas, cùm virtutem debilem cum humorum multitudine posse esse contendit. At verò de virtute valida, & sanguinis paucitate, maior mehercle relinquitur dubitatio. Verùm dicemus, quamuis nec cum extrema sanguinis paucitate mediocres, nec cum paucitate etiam validæ vires esse possint: cum pauco tamen sanguine mediocres vires esse queunt: & hoc solùm Galeni autoritas expostulat. Reliquum est tandem vt doceamus, quonam pacto, cum hyems multum de cibo requirat, dicat Galenus rarò dandum. Sed hoc clarum: cùm enim plurimus, ideo raro, concoqui enim breui tempore multus cibus nequit. At etiam dictum illud: Ventres hyeme, ad sanos refertur ægri verò rarius & minore cibo alendi sunt. Hinc dissoluitur difficultas de duobus ægris.

aphor. 17. 1. par.

c. 5. in prin.

cap. 5.

1. regim. acutorum 44. com. in prin.

CONTRADICT. III.

Aqua hordei an in morbis conueniat.

INoleuit tantus aquæ hordei vsus, vt vix medicus dici nostro tempore debeat qui illa non vtatur. Meminit sanè eius Hippocrates tertio regiminis acutorum his verbis: De reliquis potibus, cuiusmodi est hordeaceus, & qui ab herbis viridibus, neque possumus dicere ptisanam intellexisse, vel illius succum, aut ptisanam colatam: quandoquidem hîc hæc subiiciat narrationi de potu aquæ simplicis, & vini aquosi, flaui, inodori; & etiam quia hoc dicturum se pollicetur vbi de morbi singulari curatione aget, & vbi etiam composita tractabit medicamenta. At de ptisana & illius succo diffuse iam tractauerat: quare hîc simplicem potum intelligit ex aqua hordeoque confectum. Meminit & in quarto libro eiusdem, vis verbis: Quòd si supra

tract. c. 43. tract. c. 71.

ſupra modum ſiticuloſi ſint, bibant aquam hordei. Quo in loco contradictionis anſa habetur, cùm Galenus dicat, melius feciſſet ſi expoſuiſſet an per aquam hordei zythum quo nunc homines paſſim vtuntur intelligat: an oporteat in ea conficienda ſolùm hordeum madefacere, vel quouis alio modo eam parare. Ex quo liquido patet, Galenum hordei aquam noſtri temporis ignoraſſe, Arabumque fermè inuentum eſſe. Quod autem inſalubris ſit & nunc oſtendant. Vnde non ſatis queo demirari Manardum, qui quaſi conſulto, ſed non conſulto per deos, imò potius craſſa minerua, atque peruerſo iudicio totam corrumpit medicinam: à laudatiſſimæ enim ptiſanæ vſu, quo nihil vel laudabilius excogitare, vel etiam nunc experimento ſalubrius poteſt, nos deterret. Ad infauſtum autem hoc potus genus (quod Hippocrates Vino, Oximello, nec non Mulſa, aquáque commemoratis præteriit: quod Galenus prorſus ignorauit: quod, vt oſtendam, non minimi eſt detrimenti) hortatur. Nonne hoc profectò eſt omnia medicinæ præcepta confundere? cùm præſertim in omnibus fermè, quæ ad humanam ſalutem ſpectant, talem ſe gerat. Ergo fertile ſolum vt medicamenta ſalutifera affert, ſic & venena: ſterile venenis caret, ſed nec boni quicquam producit. Ætas noſtra magna & præclara ingenia tulit, à barbarie bonas literas vindicauit, artes in immenſum auxit: ſed tamen quoſdam etiam ædidit viros, qui fucata doctrina & verborum lenocinio, cuncta corruperunt. Dum enim ambitioni nimis ſtudent, vt pulchrè magis, quàm verè dicant conſulunt. Neque vllum eſt genus hominum difficilius, quàm horum, qui ſummam gratiam in ſermonis elegantia ſtatuunt. Sine iactura hominum tamen in aliis diſciplinis errare licet, quamuis hoc turpiſſimum ſit, atque è directo contrarium his, qui ob inuentiones artium laudem ac præmia ab antiquitate promeruere. At in arte medica, omnis falſa doctrina multorum millium hominum inſontium morte, præter ipſius artis iacturam penſatur. Nemo me inuidia, quòd mortuus ſit: aut odio, quòd illum nunquam nouerim: ſed humani generis ſalutis gratia hæc dicere ſibi perſuadeat. Grauiter in illum ſum ſtomachatus, grauiter etiam inuehor, non alicuius ſimultatis cauſa, non gloriæ ſpe, cùm diſpar longè ſit certamen: ſed, vt dixi, ne gratia quam ſibi dicendi cura comparauit, mortalium generi plurimum noceat. Neque eſt quod quiſquam patriam forſitan illius odiſſe ſuſpicetur, cùm plus longè vtilitatis Leonicenus, & niſi vererer adulationis, mihi tamen incogniti, ſuſpicionem dicere, Braſauolus, quàm Manardus hominibus detrimenti attulerint. Sed ſit hoc longè maius beneficium, atque, vt ita dicam, decuplo, præſtat tamen & medicorum vulgus & ægros ipſos ac noxa carere. Sed iam ad rem reuertor, à qua me humanæ ſalutis amor dimouerat, nec quiſquam putet qui non veritatis ſtudio ſcribat: atque hominibus ſalutaria, ſeu viuat, ſeu etiam mortuus ſit bellum mecum internicinum non habere Sic enim Hippocrates, ſic Galenus, cæteríque qui veritatis dilectione flagrarunt, illiuſque dulcedine inebriati ſunt. Quòd ſi par illis eruditione eſſe nequeam, quid quæſo prohibet, non quantum illos amare veritatem? Oſtendunt libri noſtri de Conſolatione veritatis amore me pluſquam illos periclitatum, hoc certius eſt argumentum amoris illius, quàm præmij magnitudo. Itaque admirantur quidam, quòd Andream Veſſalium, mihi hominem è facie ignotum, alienæque gentis: & vt etiam quod illi obiiciunt addam) chirurgum, laudauerim, atque ſuſpiciam: eáque etiam de cauſa adeò quidam veritatem oderunt, me accuſant. Ego quidem non Italus potius quàm Barbarus ſum, non Mediolanenſis potius quàm Memphiticus, proborum mihi patria vna eſt, atque mundi ipſius ciuis. Veſſalium non amo, virtutem illius ſuſpicio, diligentiam admiror, vtilitatem amplector, denique fortitudinem ſuſpicio, quòd primus omnium pro veritate Galenum iam vetuſtate glorioſum, ac morte inuidia carentem, multitudinéque operum illuſtrem, aggredi hac ætate, quæ adeò liuori eſt obnoxia, auſus ſit. Itaque vt ille Diis gratiam habere debet, quòd ſatis feliciter negotium proceſſerit: ita nos illi decet quod fortiter aggreſſus ſit. Ergo, vt ad propoſitum reuertar, iam de duobus dicendum eſt: conſtat enim hordei aquam neque Hippocrati in vſu, nec Galeno cognitam fuiſſe. Cur igitur in quarto Regiminis acutorum dat? conſtat vt in tertio libro iuxta finem dicebat Galenus, eum non eſſe Hippocratis genuinum. Quid igitur noſtra refert, ſi cantharides, aut æris æruginem ſubditítio Hippocratis nomine alius quiſpiam adminiſtret? Sed in tertio potus illos nobis inſinuauit non eſſe communes, vt quatuor iam dictos Vinum, Aquam, Mulſam, Oximel, qui non ſolùm acutis omnibus, ſed etiam diuturnis conueniunt: non tamen ſic, vt vnus illorum omnibus, ſed omnes quidem omnibus. Alterum, quod mirum eſt, Galenum dixiſſe Hippocratem non ſcripſiſſe libros de Acutorum morborum curatione, nec horum potuum compoſitionem tradidiſſe, nec medicamentorum compoſitorum conficiendorum modum: cùm ſanè conſtet, omnia hæc in libris de Morbis abſoluiſſe. Vnde in tertio illorum, vbi de frigefacientibus potibus in ardenti febre agit, aquam hordei ſic deſcribit: Hordeum Achilleum & magnum ac plenum heminæ menſura ſiccato, & acutis ſpicis ablatis, vbi probè laueris, aquæ congio affuſo, coquito ad dimidias, frigefacito, ad bibendum dato. Subiicit & poſt pauca aliud conficiendi genus, his verbis: Hordei torrefacti probè loti chænicem dimidiam in aquæ congio bis aut ter feruere ſinito, & frigidam hanc exhibeto. Meminit in vtroque ablutionis ac exſiccationis: quæ duo ſi modò hunc librum pro Hippocratis genuino, aduerſus Galeni ſententiam quis recipiat, in aqua hordei conficienda adiicere decet. Conſtat enim non potuiſſe Galenum hunc librum ſi fuiſſet Hippocratis (cùm adeò diligens in illius voluminibus exquirendis extiterit, vt in primo de medicatrina apparet) latere. Neceſſe eſt igitur quandoquidem liber hîc antiquioris cuiuſdam eſt, nec obſcuri viri, Galenum illum

lib. 5. epiſt. 2.

iuxta finem.

com. 1.

illum Hippocratis esse non existimasse. Dictum est autem de hoc diffusè in Galeni vita: testatusque sum, me nihil vnquam solere repetere. Sufficiat solùm ostendisse quod ab Hippocratis maiestate plurimum deficiat: nam de stylo luce clarius est. Primum in quarti libri initio fontem sanguinis cor facit, splenem aquæ, quæ ab illius placitis abhorrent, falsaque sunt: nam splen atri humoris, iecur sanguinis est initium, etsi de corde illum tuearis, de liene non est dubitatio. Sed, vt dixi, sat pro argumento sit, hoc non censuisse Galenum. Quisquis autem fuerit ille qui librum hunc scripsit, seu ex Hippocratis filiis alter Thessalus aut Draco, aut ex nepotibus mentem Hippocratis secutus est: ac forsan etiam ex illius præcepto libros hos conscripsit. Nam vbi de hordei aqua agit, etiam decoctum ex herbis tamen pastis edocet. At non de cnico, pyris, punicis, Myrtis agit. Sat dicet quispiam, fuerit extremis in verbis, postquam de cotoneo docuerat vnum eundemque modum & reliqua conficiendi admonuisse. Sed sit modò Hippocratis quantumuis potum illum solum in ardenti febre admittit, nulla prorsus laude propria ei adiecta, cùm reliquos ibi diuersis laudibus singulis peculiaribus decoret. Ergo Arabum hoc inuentum iam nunc etiam iuxta illorum sententiam tractetur. Inquit Auicenna libro secundo, Aqua hordei inflat, & ventriculo nocet. Inde dicit, quòd hordeum est frigidum & siccum in primo, & quòd aqua illius humectat, & infrigidat: non sanè ratione hordei ipsius causa, quandoquidem, vt dixi, ipsum sit siccum: sed quoniam aqua non potuit ad contrariam propriæ naturam ex coctione cum hordeo conuerti. Sed si quis videat ipsum in prima quarti, vbi eam componere docet, aquæ hordei quæ citra illius admixtionem substantiæ fit modicas laudes præbet. Illud quod multos decepit est, quod & ibi Auicenna docet, per aquam hordei ptisanam aut ptisanæ succum intelligi, cuius non mediocres laudes sunt: quas qui abusum aquæ hordei huius nesciunt, perperam huic etiam tribuũt. Nam hæc tarde è ventriculo descendit, ventriculum vexat, inflat, & quod maximum est, concoctione materiæ delinquentis retardat. Fit enim concoctio, vt in primo libro docuimus, calefacientibus, & generaliter calorem naturalem, aut illius actionem roborantibus. Igitur hæc, cùm illud impediat, quod optimum est in morbis, saltem præparare debet illam, vt oximel, aut mulsa: sed ne id quidem: cùm enim præparatio fiat attenuando crassa, incidendo lenta, aperiendo obstructa, hæc incrassat, lentorem auget, viscidamque facit materiam, cùm hordeum ipsum viscidum sit per se: ob idque ptisana longissima coctione, duplicique, vt Galenus ipse docet, indigeat. Ab aperiendo autem tantum abest, vt etiam non parum obstruat. Solum igitur præparat materiam, cùm sine obstructione immodicè calida materia abundauerit, vt forsan in aliquibus exquisitis tertianis. Quibus igitur potibus reficiendus æger: oximel cum aqua admixtum in pluribus vomitum commouet: vbi id non agat melius: si id agat & reliqua consentiant, vinum album inodorum iam diu dilutum porrigito: si quid prohibeat, soleo ego aquam, in qua buglosi radix, aut passulæ acetosæ fuerint incoctæ, propinare. Est & aqua simplex cocta longè melior hordeacea Ergo nominis ambiguitas nos decipit, nam ptisana ipsa, vt Hippocrates nos docet, non mediocribus laudibus prædita est, inter quas est, quòd humectat. Hîc longè maior accedit dubitatio, quàm de aqua hordei: quomodo enim humectare potest hordeo existente sicco, vt in libello de Ptisana habetur: inquit enim, Hordeum frigidum est atque siccum. Et in primo exsiccantium ac refrigerantium illud collocauit septimo de Simplicibus medicamentis, adiiciens illud, Plus siccare quàm fabam. Quomodo igitur ptisana humida? Respondet Manardus, hoc illi ex aqua aduenire. Sed si sic esset, omnia quæ coquuntur aqua, frigida & humida existerent. Inde, quomodo potest hordeum in contrariam per solam coctionem transire substantiam: nam aqua non nutrit, sed ipsa hordei in ptisana existentis substantia: quare oporteret substantiam hordei humidam euadere: palàm enim est, elementa non nutrire. Hoc autem accidit his, qui omnino Philosophiæ expertes sunt, vt absurdissima dicant. Igitur hordeum totum cum cortice siccum est, sic Galenus in his duobus locis docuit. At primo de Alimentis inquit, Quomodocunque hordeum paraueris, nunquam excalefaciet, at pro varia præparatione exiccabit vel humectabit. Ex quo planè colligitur, farinam hordeaceam frigidam esse, & mediam inter exiccantia & humectantia: vnde cùm elixatur humectat: quantumuis enim modicum humoris ex aquæ consortio recipiat, cùm iam temperata sit, ac media prorsus inter siccum atque humidum illico in humidam temperiem labitur. Huic sententiæ consentire videtur, quòd Dioscorides libro secundo scribit, eius ptisanam lac proritare: & quod Hippocrates dixit, mediocriter illam humectare. Falluntur enim hac ratione prorsus, qui eam vehementer esse humidam arbitrãtur. Philosophus in Problematibus raram esse hordei farinam, & crassæ substantiæ existimauit, multoque antiquo tempore in vsu, ac longe frequentiori quàm nunc, Credo quòd tritici vbique vberior nostro æuo prouentus sit, tum siliginis ac milij. Antiquis hordeum magis curantibus, cuius etsi vsus non adeò esset vtilis hominibus, de seruis tamen non curantes, quorum propriè alimento destinabatur, equis ac asinis alendis commodius erat siligine ac milio, ea de causa sationi hordei intendebant. Sed vt ad propositum reuertar, primo Problematum scripsit, hordeum tritico humidius esse, de quo forsan cùm medici aliter sentire videantur aliàs dicendum erit.

cap. 538. — *tract. 1. c. 9.* — *1. Regiminis acut. 18.* — *cap. de Hord.* — *cap. 6.* — *cap. 78.* — *Problem. 9. 21. particula.* — *Probl. 37.*

CONTRADICT. IV.

Coctio an securitatem omnino portendat.

Concoctiones celeritatem iudicij portendunt, securitatemque salubrem: primo Epidemiorum inquit Hippocrates, hoc etiam primo de Crisi Galenus adducit: sed quinto de Locis, dum de suppuratis agit, fatetur viribus imbecillibus existentibus concocto purè ac in pectus effuso mortem ob id contingere, quod validis opus sit. Damascenus etiam in Aphorismis, Cuius vrina, inquit, in morbo diuturno sani hominis vrinæ similis perseuerauerit, is nunquã ab eo morbo liberabitur? Respondeo: Concoctio (tametsi superius de hoc abundè dictum sit) duplex: aut materiæ collectæ in vno loco, vel per totum corpus dispersæ. Si absoluta sit coctio & materia sparsa, æger non moritur: quia natura quæ fuit sufficiens ad concoctionem, multò magis erit ad separationem, & expulsionem, nisi error acciderit, igitur sanitas est expectanda. Sed si materia est collecta, poterit post coctionem mors contingere, quamuis enim absoluta sit coctio, attamen præ locorum angustia, aut multitudine materiæ, virtus non potest expellere, ac æger moritur. Contingit autem quatuor modis, existimare materiam coctam, & tamen mortem subsequi: quos quia frequentius videbis, quàm in capite capillos, ideò diligenter animaduertas. Primus est, in febre pestilenti, cùm vrina videtur similis ferme coctæ, & tamen æger est propinquus morti: Propterea dixit Auicenna; Et quandoque vrina parum abest ab vrina sani, & tamen æger moritur. Dixit, Parum abest: non absolutè, Similis est. Causa est, quòd (vt declarauimus) pestilens febris quandoque est de genere Hecticarum, aut eatum quæ solum in spiritibus accenduntur: vel quia natura non agit in materiam illam actione qua separet aliquid ex ea, quia non potest, ideo vrina relinquitur quasi nulla sit materia in corpore. Tertius modus habetur ex similitudine eorum quæ à Galeno dicuntur tertio de Præsagio ex pulsibus, de ipso pulsu. Nam calor pestilens calefacit vrinam, & tingit, summa virtutis debilitas aquosam efficit, ita ex horum duorum extremorum mixtione quæ perniciosissima sunt, vrina similis efficitur ei quæ à moderato calore, qualis in sanis est. Secundus modus est, cùm phlegmon latitat in internis, & homo existimat solùm adesse febrem ideóque coctionem febris præstolatur, interim à phlegmone crudo æger interficitur. Tertius modus est, cùm vrinæ quandoque concoctæ videntur, nec tamen perseuerant, indicatque materiam diuersarum qualitatum, vnde ex parte supra totum iudicium facientes decipimur. Quartus est, cùm materia non est in loco expulsioni apta ob virium imbecillitatem: ideóque maximè Hippocrates laudauit in morbis pectoris sputi facilitatem: nam præter materiæ coctionem, & qualitatem laudabilem, sputi facilitas vires validas & instrumenta operi apta declarat. Mitto nunc, in quibus errare contingat, vel quia morbus in venis non sit, vt in Damasceni casu: vel quia non probè noris exquisitam excrementi coctionem: aut quia error in victu succedat: nam hæc non boni medici errata sunt, priora excusantur. Sed tertius tamen, etsi frequentissimus sit nostro æuo, venia tamen indignus est: tum nunc magis, postquam te docui, non debere absolutam dici coctionem, in qua coctionis signa non perseuerant. Possibile est tamen, euictis à calore naturali causis morbificis (quod notatu dignum est) patientem mori ob alteram quæ lateat dispositionem, secunda Aphorismorum inquit Galenus. Vnde & concoqui periclitante viro materiam possibile videtur, & merito iam euictæ nullo modo posse perire. Sed hoc in sparsa iam intelligendum docuimus.

part. 2. t. com. 45. — *c. 5. in initio.* — *c. 3. in fine.* — *Aphor. 104.* — *contrad. 11. quinti tracta.* — *prima quarti. tract. 4. c. 2.* — *Aphor. 1.*

CONTRADICTIO V.

Somnus an à frigiditate fiat, & an habeat iuuamenta somni naturalis.

Ardor vigilias, refrigeratio soporem inducit. Nempe quod ad vtrumque attinet in morbis, calida frigidáque intemperies primas sibi vindicat partes: altera verò ab hac facultas ad humidum siccumque refertur: Galenus tertio de Locis affectis inquit: & eandem sententiam expressit secunda Aphorismorum his verbis: Fit autem somnus grauis refrigerata parte sensitiua prima, hoc est cerebro ipso. Cùm enim valida refrigeratio fuerit, mixta humido facit lethargicas passiones, cum siccitate autem eas quæ Græco vocabulo κατα[illegible] nominantur. Sic & vigiliæ fiunt propter calorem primæ sensitiuæ, vel ex sola intemperie, vel biliosi humoris abundantia. Et Princeps prima tertij; Cùm somnus grauis, seu Caros fit ab intemperie, fit à frigido primò, inde propter humidæ qualitatis abundantiam. Aristoteles etiam in libello de Somno & vigilia, quærit: Cur cùm somnus sit refrigeratio quædam, calida nonnulla, vt vinum, somnum concilient? At oppositum primo de Causis symptomatum. Ac quæ quidem tantum humectant medicamenta meritò omnia somnifera vocantur. Quæ verò perfrigerant, nec somnum, nec indolentiam afferre rectè dicuntur: sed pro somno Coma Caronque: pro indolentia, ob perfrigerationis excessum, sensus quidem abolitionem, aut saltem certè diminutionem. Dico solutio huius difficultatis est satis clara in vltima autoritate, nam inquit, Naturalis somnus fit ab humido, morbosus autem à frigiditate. Sed vt in morboso dicebat Galenus frigiditas primas, humidum secundas obtinet partes sic in naturali versa vice. Sed si ita est, frigida & sicca somno idonea essent: at Galenus nihil tale refert, sed solũ humida papauer, mandragoram, altercum seu hyoscíamum. Quin etiam Serapio refert Caphuræ vsum, quam in tertio ordine refrigerantium

c. 5. in prin. — *apho. 5. in ed.* — *trac. 4. c. 1. in fine.* — *cap. 3. in med.* — *cap. vlt.*

c. 144. in fine. rantium statuit, vigilias afferre. Quod etsi Solanum hypnoticum octauo de Simplicibus medicamentis referat esse somniferum, cap propi. 10. frigidum, & astringens, cuius radix ex cortice in initio secundi refrigeret, exiccet ex initio tertij, Hortense in extremo astringentium collocauit secundo de Alimentis, reliqua genera eiusdem temperaturæ cùm esse velit, impossibile est esse humidum. Quare fatemur humida etiam somno aptiora, sed & immodicè frigida si sicca sint caron possunt producere. At de Caphura alia ratio est, cùm pares habeat calidas ac tenuissimas: quæ autem crassiores frigidæ, nec mihi vsqueadeò de illius frigiditate compertum est. Aliud etiam potest vsus quàm præsens natura, vincente demum siccitate: vt magis quæstio circa medicamentum ipsum versetur, quàm circa generalem illius vim ac somni causas. Sed aliud est, quòd senes bene dormirent, si frigiditas potior esset siccitate. Hoc autem Galenus negabat, secundo de Alimentis dicens, Declinantium ætas ad vigiliam est propensa. Respondeo: quòd, vt dictum est, frigiditas non est causa somni naturalis: & ideo senes etsi bene dormiant de καταληψίαν, tamen sunt propensi ad caron ac coma. Sed si calor est causa vigiliarum maior quàm siccitas, & plus quàm somni humida qualitas, pueri non essent somniculosi, quod est contra Philosophum in de somno & vigilia, & ex experimentum medicorum. Respondeo primò, calor præternaturalis est causa vigiliæ non naturalis. Secundò, calor non multus, qualis est in pueris, sed intensus & acutus. Ostendit autem Galenus secundo Artis medicæ, cùm de calido cerebro tractaret non pertinere vigilias ad ipsum: de sicco autem inquit, ad vigilias prompti sunt, & vt illius verbis, ἀγρυπνητικοὶ δ' εἰσι. de calido tamen dixerat, Breuibus somnis hæc temperatura gaudet, miniméque profundis, sicut de calida & sicca ἀγρυπνητικώτατοι, id est maximè vigilantes. Itaque apud illum hic ordo statuitur: Frigida cerebri temperies, atque humida maximè, graui somno, & plurimo tentatur: humida somni multi ac profundi, frigida somnolenti, non multum tamen. Calida & humida somnos habet profundos, sed non diuturnos: nec tamen diu possunt vigilare. Frigida & sicca quasi in medio est, sed illam Galenus subticuit: varia enim est, & modò peruigil, modò nimis somno dedita. Inde Calida breuibus somnis, nec profundis, detinetur. Inde Sicca multum vigilat: omnium maximè Calida & Sicca. Sed nunquid somnus à frigido factus habeat iuuamenta veri somni? & iuuamenta somni declarantur secunda primi ab Auicenna, & sunt quinque: Primum, Caloris naturalis restauratio: Concoctio tam nocentis quàm iuuantis materiæ, seu cibi: Retentio eius quod præter naturam fluit: Sedatio malorum symptomatum plurima, vt tussis lassitudinis, & doloris, sitisque: Præparatio materiæ ad expulsionem. Et ad primum sequuntur reparatio spiritus animalis, lætitia, confirmatio virium: ad secundum humectatio, ventriculi robur, bona nutritio, pinguedo: ad tertium sanatio fluxus; ad quartum sanatio vulnerum, & fracturæ venæ: ad vltimum bona crisis. Ex quo patet, quanta mala inferant qui bonum somnum, quamuis profundum, impediunt. Neque enim omnis profundus somnus malus: secundo enim Prorrhiticorum inquit Galenus, Dormitatio succedens longæ vigiliæ, etiam si κάρος dici possit, vel etiam in pueris sine vigilia longa præcedente, non solum mala non est, sed vtilis, ac etiam signum bonum dici debet. O quod vidi conantes prohibere hunc somnum profundum longæ vigiliæ succedentem: & quibus successit iactura ægri vsque ad exitium voto potiti sunt: quibus autem non seruatus est æger inuito carnifice medico. Somni igitur profundi tres sunt species, κάρος, καρώδης, καταληψις, seu. Dormitatio, & Deprehensio, ac Stupor. Scio non verè hæc Latinè exprimi sed edocebo: quãdoquedem cogor Latinè aliquo modo explicare, quod Latinis ignotum fuit vno nomine: nam Celsus hæc circumscribit. Iraque cùm somnus profundissimus est, & grauiter euigilatur, ruitque in somnum denuo, sed non læditur sensus ac motus, tunc est dormitatio: & ad illam sequuntur omnia iuuamenta boni somni, nisi quòd præparatio materię ad expulsionem nõ adeò rectè perficitur. Nec semper calor naturalis augetur, imò quandoque debilitatur propter frigoris vehementiam: reliqua tria vt in perfecto somno succedunt, ἐν καταληψει tertium & quartum commodum succedit, nullum aliorum, ideo est via ad mortem. Regula enim generalis est, Somnus qui somni iuuamenta magna ex parte non præstat, est mortalis: vt etiam de verò somno eam iterauerit Hippocrates, secunda Aphorismorum. Ideo etiam bene dixit Princeps. Et somnus qui medius est inter somnum & vigiliam in omni dispositione est malus, iuuat tamen καταληψιν in dolorum maximorum sæuitia, nec in vllo alio casu, nec potest dici quòd iuuet, sed quòd magis noceat vigilia ob doloris acerbitatem: hunc ego stuporem nominaui, cùm homo iacet apertis oculis, nec sentit, nec mouetur. Dicas modò tu, me non satis bene accommodasse nomen, quid mea interest, nam hoc & Galenus de hemitritæo, qui Romæ erat frequens, excusat. In καρώδη autem, seu deprehensione, cùm læduntur cerebri ventriculi vulnere, vel compressione, vel nerui temporum, non succedit nisi tertium & quartum iuuamentum: sed calor naturalis adeo debilitatur, vt patiens sit in via aperta ad mortem. In hoc est quasi somnus, sed sine motu & sensu omni. Differt à καταληψιν, quia oculos tenet clausos, nec vllo modo euigilari potest.

cap. 49. cap. 40. cap. 3. c. 8. c. 10. c. 11. doc. 1. c. 13. com. 19. Aph. 1. Secunda primi, doc. 2. ca. 13. lib. de morborum temporibus in fine.

CONTRADICT. VI.

Enemata an nutriant.

AD ea quæ ventriculo sunt vicina, pertingere nequit quod per sedem infunditur, quinto Artis curatiuæ, dicebat Galenus. Rursus in tertiodecimo, dum enarrat curam phlegmonis, Iecoris in cauo, inquit, si scirrhosum aliquid remanserit, medicamenta validio

c. 11. c. 15.

validiora clysteribus admiſcebis. His fit, vt à iecore videatur poſſe trahere clyſter, à ventriculo nequaquam. Et infrà inquit; Ad ieiunum ipſum inteſtinum clyſteria non poſſunt attingere, imò etiam ſi nitaris ſolum ad tenue inteſtinum accedere ac ipſum tãgere queunt. Quarto autem Regiminis acutorum, dum curam anginæ tractat, Poſt venæ ſectionem iubente autore in textu clyſteria apponi, inquit Galenus. Quòd autem ſcopus ſit non ſolùm excrementa in eis repurgare, ſed paſſim corpus vniuerſum à morbificis humoribus, ſtatis palàm eſt. Nullibi ſanè meminit, quòd clyſteria nutriant: ſed neque Auicenna. Auenzoar primo Theiſir affirmat enemata nutrire hac ratione; Si quis à bile inteſtina pungente vexetur, nec modum habeat deiiciendi aluum, bilis reiicitur per os. De hoc dicebat Galenus, ſcribens tertio de Symptomatum cauſis ſub hac ſententia: Venter cùm pro lege naturæ ſe habet, trahit à ventriculo ſupernè, deorſum verò excernit: cùm autem præter naturam affectus eſt, etiam ab inferioribus aliquid capit: nam & clyſteris aliquid vſque in ventriculum aſcendit, adeò vt vomerent, præterea ſtercus aliqui in lethalibus ilei morbis. Si igitur hoc in re praua efficere poteſt, inquit Auenzoar, ſcilicet vel vt ad ſe trahat, vel vt recipiat, quantò magis rem dilectam enemate iniectam, qualis eſt ptiſana, lac, ius pulli. Docetque modum, vt bene vacuis inteſtinis aliquid horum quod diu contineatur, immitti debet. Inde reſpondet autoritati Galeni contrariæ, Enemata non aſcendunt niſi ad ilei initium, quæ enemata ſunt euacuantia: igitur enemata nutrientia non ingrediuntur ventriculum. Dicit, argumentum non valet, concedendo quod Galenus dicit; Quia expurgantia enemata à ventriculo reiiciuntur, & nutrientia attrahuntur. Iſta opinio falſa eſt primò, quia Galenus in hoc loco vltimo adducto hæc ſubiicit: Satius autem eſt ventriculum in huiuſcemodi affectibus vt exiſtimemus non trahere, ſed quod ab inteſtinis violenter retrudentibus aſcendit, duntaxat recipere. Quippe in inteſtinis, de quibus iam agere tempeſtiuum eſt compreſſiua eſt virtus, ſeu alibi oſtenſum eſt: qua vſa nutrimentum ad inferiorem ſuum exitum perpellunt. In quibuſdam tamen affectibus cum complectendi ac conſtringendi motus ab inferiore incipit parte, ea quæ in inteſtinis continentur, ſurſum feruntur. Qua ratione acer etiam ſuccus quiſpiam, qui ad ſedem aliquando delatus fuerat, ac vel in foro, vel in loco alio quopiam verſatis, aut negotio aliquo quod deſerere non licuit diſtrictis violenter retentus, rurſum aſcendit, ventremque mordens, caput etiam vaporibus impleuit. Principium quidem motus ab animali inſtrumento, in ano exiſtente, quod muſculus eſt, capiente: inde vnoquoque inteſtino quod iam receperat ſurſum trudente, ſimili modo in præceps repulit. Quo etiam modo crepitus infernè exire prohibitus, ſurſum retruditur. Ergo mirum non eſt, clyſteris aliquid ac ſtercoris, ex tam violenta inteſtinorum conſtrictione in ventriculum aliquando præter naturam aſcendere, indéque ad exitum properare. Hæc Galenus. Ita vt intelligamus, ventriculum non trahere eò vnde impellere nititur, id eſt, ex inteſtinis. Ad hæc tamen diceret Auenzoar, Galenum loqui de fecibus, & bile, ac enematibus non nutrientibus, quæ ſolùm vi inteſtinorum aſcendunt, cùm ventriculo ſint inimica: Non tamen eſſe Galeno propoſitum, oſtendere ibi ventriculi vires, ſed vitia: at attractio alimenti inter vitia computari non debet. Hæc tamen opinio, vt luce clarius eſt, Galenus placitis non conſentit: nam meminiſſet huiuſce rei, vel aliquando, tum maximè ibi, vel verbo. Accedit quòd poſſet ſic ſeruari æger pluribus diebus: at experimentum oppoſitum edocet. Teſtatur Braſauolus ſe mulierem angina laborantem vſque ad decimam diem ſeruaſſe enematibus: ſed ita tamen, vt ni contigiſſet morbum ſolui in eo termino, illam præ virium imbecillitate fuiſſe protinus interituram. Diceret ad hoc Auenzoar, Iſtud experimentum pro eo eſſe, quoniam ſatis eſt aliquandiu eſſe ſeruatam, partemque aſcendiſſe ad ventriculum & eandem eſſe totius ac partis rationem, modò celeriter ſuccurratur: in illa verò forſan prius decediſſe vires, tardatumque enematis auxilium, nec ad ipſum ventum niſi poſtquam alia irrita fuiſſe compertum eſt, quod tardè iam deprehenſum fuit. At eſt alia ratio, nam vix in biduo deſcendunt quæ in ventrem ingeruntur vſque ad anum: igitur longè tardius aſcendent ad ventriculum, igitur auxilium erit lentum & inutile: nam quod ingeſtum erit per enemata prius corrumpetur. Reſpondebit Auenzoar, naturam eſſe ſolicitam in neceſſariis: & ſicut conceſſum eſt à Galeno reiici bilem ab ano vſque ad ventriculum cum noxa patientis in momento temporis ex dolore ac punctione ita ventriculum in momento ob inediam poſſe trahere. Inde diceret Auenzoar; Si confiteris ob noxam, ſticteris (ſic enim muſculus ani vocatur) retrudi bilem, rem ventriculo ac inteſtinis ingratiſſimam, vſque ad ventriculum per inteſtina: igitur impoſito ſale acuto, vel re pungente, idem accidet de enemate nutriente & ſic enemate homo nutrietur. Et quamuis inteſtinorum longitudo in homine ſit iuxta communem naturam (vt ſæpe vidi) XXIV. paſſuum, ſeu XVIII. brachiorum, tamen ea ratione qua in momento ex ano in ventriculum retruditur bilis, eadem ratione etiam, ac maiore, cibus. Sed etiam quis inſtabit contra Auenzoar, quanquàm prædicta ratio non leuis ſit, quoniam in fame feces ſurſum aſcenderent, quod nunquam viſum eſt, nam nunquam ileos ex fame accidit. Reſpondebit Auenzoar, quòd materia, quæ trahitur ex iecore, eſt illi aptior: ideo in tempore famis trahit ex iecore, non ex inteſtinis, quia in illis non eſt niſi res quæ iam à ventriculo eſt reiecta. Et nos reſpondebimus rationi Auenzoar, quòd enemata iniecta, quæ pungant, poterunt certè vſque ad ventriculum aſcendere: ſed quia hoc non fit merito attractionis ventriculi, ſed expulſionis inteſtinorum, ideo etiam ſimul feces expellentur ab inteſtinis in ventriculum, & ita cadet in ileon & morietur, imò ſtrangulabitur protinus, quia ſumus iam in caſu, in quo non poteſt

cap. 17. *com. 20.* *tract. c. 18.* *c. 1. poſt med.*

rest deglutire: aliter frustra esset tentare enemata, cùm liceat nutrire per os. Ideo debemus ex hoc cauere in strangulationibus, vbi homo non potest deglutire enemata acuta. Atque ex hoc patet, viam Auenzoar esse difficile tueri, solùm tum ob Galeni autoritatem. Quidam conati sunt tribuere Rasi, quòd nono Continentis docuerit instrumentum, quo enema vsque in ventriculum propelletur: quod somnium nescio quando somniauerint. Ille docet instrumentum quo simul flatus extrudatur, & enema recipiatur: quod quia vtile est, & ibi obscurè ab eo qui vertit, non dico perperam, explicatum, ideo illud declaro: Canulla clysteris summa in parte diuidatur, eius pars qua immittitur enema non communicet alteri parti, verùm multò inferius foramen habeat reliqua, cuius in summo foramen sit: in parte autem crassiore vt tuba promineat: quam quidem figuram, ne longius procedat oratio, hìc depictam à latere damus. Cæterùm, vt ad rem, vnde digressus sum, reuertar: Alexander Benedictus libro secundo suæ Anatomiæ existimat, enemata nutrire, valido cerè argumento: Venæ mesaraicæ ad omnia veniunt intestina, rectum, colon, ileon, monoculum: (quod satis confusè Galenus in libello de Venarum dissectione, & in sexta Anatomicarum aggressionum explicauit: sed pulchrè Vessalius libro quinto de Humani corporis fabrica) sed vbi venæ mesaraicæ, ibi attractio iecoris ex intestinis: igitur nutrimentum existens in recto, colo, monoculo, & ileo, ad quæ ex Galeni confessione peruenit, nutriet. Ad hoc diceret Galenus, quòd secunda coctio præsupponit primam, & ideo venæ illæ possunt trahere ex fecibus vtilem succum, qui iam concoctus est in ventriculo, non tamen immissum per enema, quod nullam nondum recepit in ventriculo immutationem. Ad hæc respondebit qui alexandri Benedicti iam mortui viri partes tuetur, Intestina primo habere quandam vim concoctricem, quoniam ex ventriculi substantia vna atque continua sunt, habentque duas vt ille tunicas. Quòd si Galenus fatetur cibum mansum in ore quoquomodo concoqui, quod & testatur Auicenna illis verbis, Nutriens dum in ore atteritur, concoctionem quandam recipit, acciditque id repente, atque ob id quòd tunica oris interior gulæ substantiæ eadem est: gulæ autem substantia ventriculo continua, quid de intestinorum substantia dicendum erit, quæ coniuncta sunt substantiæ ventriculi, quæ diu feces continent, quæ eodem alimento quo & ventriculus ab interiore parte scilicet chilo nutriuntur. Accedit, quòd quidam sunt potus, qui in ventriculo nullam fermè moram ducunt, vt vinum: sic enim Galenus tertio de Temperamentis & secunda Aphorismorum, inquit de illo: Vinum facilè fit sanguis, & rursus: Vinum vt adsimiletur, mutationem minimam desiderat: quò fit, vt tum nutriat, tum roboret celerrimè, & etiam: Celerrimè igitur omnium, & confertim maximè, vinum alit. Ostendit autem hoc in fine, nam talia moram in ventriculo pro temporis totius portione, qua in nutrimentum transeūt, necessariò trahunt. Ad hæc igitur sequitur, vt vinum (dulce præsertim ac tenue) per enema iniectum nutriat. Galenus inquam dicet, in morbis longis tam tenue nutrimentum haud satisfaciet, in acutis vinum non competit: igitur nullum est vino auxilium. Præterea in tertio de temperamentis dicit, quòd nisi transeat vinum, & quæ facillimè nutriunt per omnes concoctiones, non poterit alere. Hoc igitur supposito: nihil omnino per enemata impositum nutriet. Respondebit Alexander, quòd est verum vbi per ventriculum transeat, & adducet hanc rationem, Hi aluntur, etsi malè, quibus ante tempus absolutæ primæ coctionis multò, incoctus cibus descendit ex ventriculo: igitur pari ratione cum tantò proximius sit vinum natura sanguini, quantum ille cibus incoctus beneficio imperfectæ coctionis: igitur sicut cibus incoctus nutriet, ita & vinum. Ad aliud dicet, Iura pulli, lutea ouorum, si vinum displiceat, hoc efficere posse. Præter id accedit, quod Galenus secundo de Compositione medicamentorum secundum locos, inquit: Clysteria valida reuellunt ea quæ ad caput feruntur, nec solùm quæ in intestinis & mesareo sunt, euacuant: sed etiam quæ circa iecoris sima hærent. Si igitur ad partem vbi concoctio fit res horribilis pertingit, multò magis cibus. Si autem pertingit, etiam nutriet, cùm cibus fuerit, leuis alimenti, & maximè quia commiscebitur his quæ nutrire iam solent, scilicet succis cum fecibus existentibus, ex quibus perpetuò hepar exugit. Accedit, quòd, vt dixi, videntur intestina concoquere, quod etiam sensit Princeps sextadecima tertij, dum de monoculo loquitur. Huic rei assentiri experientia videtur, quandoquidem enemata prolongent vitam in eo qui solùm ex inedia periclitatur, per aliquot paucos dies & non per multos. Quòd si nihil traheretur, non fieret prolongatio vlla vitæ: si etiam totum traheretur prolongaretur vita per menses: si autem traheretur ad ventriculum, posset perpetuò viuere: vt etiam per os assumpto cibo: cùm autem nullum horum contingat, sed solùm aliquot paucis diebus vita prolongetur: manifestum est, quòd nutriunt per partem subtilem tantum concoctam prius aliquo modo in intestinis, inde attractam per venas mesaræas. Ideo eportet euacuare intestinum rectum solum à fecibus, quia feces relictæ iuuant ad nutritionem, & non adeò debilitatur æger. Inde fiat enema ex iure pulli succoso, & oui luteo, & vini albi dulcis tenuis vncia, & sacchari semiuncia. Hoc est vltimum. Quòd si quis dicat, Nonne enemata plus debilitabunt ex motu, quàm confirmabunt ex nutritione? Dico, quòd in assuetis, non: in non assuetis, bene verum est: vel si parum contineant: oportet enim tepidum immitti, & eleuatis cruribus multum prono corpore, vel non tātum supino, quod rectum intestinum hæreat spinæ dorsi, saltem horis quatuor continere, & sit quantitas à quatuor ad quinque vncias: nam multa aluum irritabit, nec nutriet. Quòd & si saccharum irritet, lac illius loco addatur: atque sic nec Galeni sentētiæ hoc aduersatur: enemata, etsi parum

[Margin notes: cap. 1. — cap. 5. — c. 4. in princ. & cap. 1 in princ. Aphor. 18 in princ. — cap. 2. — tract. 1. c. 1.]

ac facilè resolutioni aptum, nutrimentum exhibere concludimus. Sed dices, Si Galenus existimat enemata non attingere nisi initium ilei intestini, cur in secundo ad Glauconem inquit: Non modica autem fit virtutis distributio ex ebibitis, intestinis crassis laborantibus, atque vicissim subtilibus ex his quæ per sedem iniiciuntur: igitur etiam ad graciliora perueniunt enemata, vt ad crassa medicamenta per os sumpta. Respondeo, quòd similitudo hæc non est omnino exquisita: vt enim medicamentorum per os sumptorum substantia tota, sed imminuta viribus, ad crassa intestina descendit, ita viceuersa parum de substantia, integris tamen viribus, ad intestina gracilia ascendit. Nec tamen ex hoc sequitur, quòd in ventriculum pars illa possit ingredi: nam cessat impetus retrudentis, & ascensus est arduus, quia duodenum rectè quasi ex pyloro prominet: & pyloro duæ sunt glandulæ constringentes os ipsum cum conclusum fuerit, & virtus ventriculi abhorret quod in intestinis natura continetur. Quòd si cogatur quandoque recipere, illico proritatur ad vomitum. Quòd si quando Galenus dixerit, acuta clysteria ventriculum offendere: hoc fit quoniam virtus illorum & vapores ad ipsum proculdubio ascendunt: conturbant etiam motu materierum. An verò ad caua iecoris accedant, vt ex illo iam audiuimus in secundo de Medicamentis secundum locos. Dico, quòd sic; neque enim sola continui ratione & consequentiæ quæ vacui timore fit euacuari sima iecoris ibi Galenus intellexit: quandoquidem sic etiam caput purgari concesserit: sed quoniam enematis pars tenuior aliqua, tum vapores ad iecur vsque pertingunt.

c. 6. in fine.

CONTRADICT. VII.

Prædictio in acutis morbis, an minus firma, quàm in diuturnis.

GAlenus super eo aphorismo, Acutorum morborum non omnino sunt certæ prænuntiationes salutis aut mortis, inquit: Morbi longi ob crassos ac lentos sunt humores, ac frigidos, qui non facilè concoqui possunt, & in patientibus partibus impacti sunt atque agglutinati, ita vt eorum dispositiones præduris tumoribus magis quàm inflammationibus assimilentur. Pauci verò ex ipsis fiunt absque loco patiente, in quibus venæ omnes æqualiter habent humores putrescentes: seu atram bilem, seu pituitæ naturam præferentes. In his igitur omnibus Hippocrates videtur fidere præcognitionibus: in acutis verò non omnibus, sed aliquando falli præcognitionem confitetur. Ex quibus verbis duo habemus, quòd cognitio finis morborum diuturnorum sit certior quàm acutorum, & etiam quòd sit absolute certa. Sed in oppositum sunt multæ difficultates: prima est ac minima, quòd tertio de Diebus creticis hanc scientiam & firmitatem exitus morborum venatur ex astrologia: igitur non habetur ex medicina, ibi etiam si quæ dicit vera sunt, habebimus exitum certum in acutis, & tamen hîc incertum plerunque esse fatetur. Item potest esse quòd luna stet iuxta locum planetarum in genitura malorum, tamen materiæ natura dominetur. Quo in casu aberrabimus etiam in diuturni morbi prædictione. Secunda difficultas habetur primo prognosticorum, cùm dixit Galenus, Fidi medici interest, vt in prædicendo frequenter verus, rarò falsus habeatur. Inde sequeretur post pauca, promiscuè omnibus confessum est, finem magna ex parte consequi posse. Nam alius, dicit, qui in viginti prædictionibus semel aberrauit, & si perpetuitatem interrupit, melius tamen prædicit, quàm ille qui in totidem bis deceptus est. Ex quo colligitur, prædictionem etiam in diuturnis, haud quaquam esse omnino firmam & securam: sed quandoque contingere in illa aberrare, quod etiam experimento deprehenditur. Tertia dubitatio est, quia Rases sextodecimo Continentis oppugnat Galenum quinque rationibus: ostendere conans breuiores morbos certioris esse iudicij. Prima est, signa iudicij morbi in acutis sunt euidentiora, maiora, & firmiora, quàm in diuturnis, primo de Crisi, cum inquit; Post quadragesimum diem omnes dies decretorij languent, concoctione potius & abscessibus quàm crisi morbum finientes. Ante ipsum verò nec adeò validi qui à vigesimo ad quadragesimum, vt qui à quartodecimo ad vigesimum intercidunt. Omnium autem, inquit, firmissimi vsque ad quartumdecimum. Si igitur signa crisis talia sunt in acutis, latent in diuturnis: ita etiam exitus morbi. Quis enim de morbo qui per abscessum sit finiturus, tutò audebit de salute aut morte pronuntiare, cùm nec locus, nec magnitudo nobis sit conspicua: Secunda ratio est, inquit ille, quòd in morbis longis materia magis latitat in profundo corporis, nec emittit partes sui, vt in acutis per vrinã, secessum, vomitus, igitur ipsa ęgritudo, & illius magnitudo, & materię qualitas magis incerta. Tertia ratio, vbi diuturnus morbus crisi sit cariturus, nullum habemus signum de futura salute aut morte, tales autem plurimos diuturnorum esse ostendimus. Quarta, non possumus incrementa adeò celeriter in diuturnis assequi, igitur nec signa cruditatis aut coctionis materiæ, à quibus salutis aut mortis signa pendent: vt sæpe ostensum est. Quinta, Non possumus in longo morbo dignoscere an materia ex toto eiecta fuerit è corpore, quia illius expulsio est lenta, & plerunque in pluribus diebus perficitur, ideo nunquam sumus securi in illa à reuersione, iuxta dictum Hippocratis secunda Aphorismorum; Quæ relinquuntur in morbis reuersiones facere consueuerunt, & accepit ex experimento, quia Hippocrates enarrat quosdam qui cùm viderentur liberi in longo morbo, tamen reuertente illo, alij seruati sunt, vt Epicratidis vxor die octogesima: & alij mortui, vt Parius die centesima vigesima. Ideo dicit: Hippocrates in eo aphorismo dicere voluit, in acutis non omnino certus est exitus morborum, quanto magis incertus erit in diuturnis. Sed etiam sine discrimine,

2. Par. 19.

cap. 6.

com. 4. in enarratione longa post medium.

c. 1 fol. 311. col. 4.

cap. 10.

Aphor. 11.

discrimine, & potius in acutis quàm diuturnis prædicere docet Galenus primo de Diebus iudicatoriis his ferme verbis: Hic morbus isto die soluetur, si ipse ratione à nobis instituta victus vtetur, nec alio medico, neque ipse peccet, sed omnia languens efficiat, quæ illi imposita sunt. Nec ex externis rebus aliquid sinistri inciderit. Manifestum est igitur, hîc certam salutem promitti: nam quæ illi prædictioni adiunguntur conditiones in diuturno morbo multo magis erunt necessariæ. Sed facilè quo ad hoc conciliatur Galenus sibi ipsi: nam paulò pòst edocet, quòd in quibusdam morbis licet diligenti medico non solùm mortem, & diem mortis, sed etiam horam prædicere. Inde subiicit, quòd si signa obscura fuerint, melius est silere: atque ob hoc inquit, mihi nunquam ad hanc vsque diem ex prædictione contingit aberrare. hæc igitur est sententia Hippocratis, iuxta Galeni interpretationem. In quibusdam acutis possumus certè salutem aut mortem prædicere, in quibusdam haud hoc concessum est. Sed de diuturnis hoc generaliter fieri potest. Ad autoritatem tertij de Diebus iudicatoriis, dico, quòd illud positum est pro accessorio & coniectura magna, multò tamen magis in coctionis signis confidit. Dictum autem Hippocratis in aphorismo intelligitur merito artis medicæ tantum, non eorum quæ ab astrologia decernuntur. Cùm autem supponimus morbi initium illud. Respondeo, quòd tunc æger morietur, sed non morbi sola violentia, sed ob errorem, vel casum: & ita vtraque scientia rectè prædicet: & ego vidi quendam, qui fuit percussus, vt videbatur, non lethali vulnere in capite, & medici pollicebantur salutem: & astrologus quidam dixit, quòd septima die apparebunt signa mortis, & ita euenit ad vnguem: & hoc fuit, quia illi non rectè curauerunt eum: & sic medicina & astrologia ambæ possunt esse veræ, & de eodem iudicare contraria: quia astrologia amplectitur morbũ, causam morbi, virtutem, & præter hæc quæ à medico omnia considerantur, etiam casus, quos medicus præscire nequit: & hoc de astrologia perfecta, & non de illa deceptoria, quæ vsque ad hanc diem viguit. Quòd si velles supponere vt luna esset in loco bonorum in hora natiuitatis, & cum hoc essent alia signa salutis ex astris, nam hoc vnum quamuis à Galeno quasi pro præcipuo & exemplo describatur, haud tamen est sufficiens ad salutem decernendam, & quòd materia sit longè potentior virtute, dico quòd hoc erit impossibile; Ad ea autem quæ à Rasi adducuntur intelligere decet, quòd concordia stat in hoc, Paribus diebus assumptis: puta vno, vel duobus, aut quatuor, in morbo tam acuto quàm diuturno, certius est iudicium in acuto: nec hoc voluit Galenus, vt existimabat Rases, & in hoc sensu intelligendo, procedunt rationes. Sed sumptis partibus morborum, vtpote principio acuti morbi ac diuturni, vel augmēto vtriusque: semper iudicium diuturni est vel æquè certum, vel etiam persæpe certius quàm acuti. Et hæc fuit sententia Galeni in expositione aphorismi. Et quòd non possit intelligere de paritate dierum, certum est: nam morbus qui terminatur in die septimo, certior est in ipso septimo die, cùm iam declinationem ingressus est, vt cùm iam sit in limite salutis, quocunque morbo diuturno, in quo septimus dies nec dimidium initij morbi impleuit: aliter possent futura esse certiora præsentibus, & præteritis: quod responsum neque idiota dignum est. Ad primam igitur rationem respondeo, quod non valet hoc argumentum, neque fidem facit: crisis est certior, ergo salus aut mors, contingere enim potest crisim esse certam, nec tamen salutem aut mortem: cum ex toto hæc signa distinguantur. Cùm dicis materia in morbis longis magis latitat in profundo. Respondeo, quòd morbi longitudo, non fit ob hoc iuxta Galeni sententiam, sed ex quatuor: ex virtutis debilitate, ex crassitie, multitudine, ac lentore materiæ, & hoc in salubri. In mortali autem ex eisdem, sed pauco materiæ excessu vires ægri superante, nec etiam magis latent reliqua, vt dixi, nisi paritate dierum supposita, non temporum morbi. Ad Galeni autoritatem in primo prognosticorum dico, quòd vult prædictionis esse duo genera, quorum vtroquo vtitur medicus, Coniecturatiuum, & Certum: & de vtroque exemplum explicat, & ideo morborum longorum prædictio ad certum genus pertinet, quantum vt dixi merito medicinæ. Sed contra, quia scirrhus in iecore paruus est sanabilis, magnus insanabilis, de mente Galeni, inter paruum & magnum est quoddam medium, à quo incipit esse insanabilis, ante illud autem est sanabilis. Constituantur igitur duo qui patiantur scirrhum: alter sanabilem, sed difficillime: alter insanabilem: licet in principio eius termini in quo sanari posse desinit: neutrius horum medicus poterit prædictionem veram ac tutam pronuntiare: quia dispositiones sunt conterminæ, adeò vt lateant sensum, & medicus est artifex, vt dici solet sensitiuus: igitur non habemus certam prædictionem in diuturnis morbis. Secundo in morbis qui partim sunt in membris, partim in humoribus, vt in elephantiasi, & morbo Gallico, in quibus maximè iecur inficitur, etiam dato quòd nos sciremus quantitatem morbi, non possumus scire omnia simplicia, quæ prodesse possunt illi membro: nam tales morbi, vt Galenus docet, per propria illi membro simplicia medicamenta curantur. Et dat exemplum de eupatorio in iecore, & cappari in liene. Cùm igitur talium simplicium non sit exquisita potentia nobis nota, necesse est vt non possimus certè prædicere de salute aut morte. Et do tibi exemplum in Gallico morbo: ab initio omnes peribant, pòst venit Ioannes de Vigo, & ratione deducta à scabie vnguentum fecit cum argento viuo, & innumeros curauit, qui antea pro desperatis habebantur. Pòst, aliqui remanebant qui curari eo auxilio non poterant, & desperata salute, quidam inuenerunt suffumigium quod erat validius vnguento, & qui curari non posse credebantur, multi ex his curati sunt, non tamen omnes. Rursus relicti cùm pro deploratis haberentur, ligni sancti decocto magna ex parte liberati sunt. Cùm tamen etiam multi neque hoc potu, nec aliis præsidiis

Marginalia: cap. 11. iuxta medium. — cap. 12. — 2. ad Glauconem. cap. 6. in princ. — 13. artis curatiua c. 17.

Fff 4

diis liberarentur. Illustris comes Ioannes Firmus Triultius Mediolanensis, innumeros ex his relictos pro desperatis, vini cum cortice eiusdem ligni atque aliis multis medicamentis simplicibus decocti, potu curauit. Rursum cùm non omnes nec sic possent curari, quòd nimis tenuibus viribus essent, & macilenti, inuenta est annis ab hinc sex, radix Cinæ, & ipsa ex India aduecta, quæ curat & impinguat, & potum etiam vini synceri & carnium esum admittit, vt etiam hectici qui antea nullo tali auxilio rectè vti poterant, curarentur à Gallica illa lue. Vltimò ab anno citra validissimum aliud Salze, vel Sarze, Pariliæ radicis inuentum innotuit. Patet igitur quòd sæpius deploratos iudicatos liberare licuit. Illud idem in Elephantiasi atque lapide vesicæ, & syrrho iecoris, vel lienis, dicendum erit. Respondeo igitur propter hæc, quod dictum illud Galeni, vt & ibi ipse explicat, de morbis intelligendum est, qui ex materia pendent sola mala. In morbis autem qui ex sola intemperie, vel in morbis qui ex numeri vitio, & generaliter in morbis compositionis non possumus certè prædicere, quamquam diuturni sint. Primò, quia termini morbi curatione recipientis, & non recipientis sunt vicini, adeò vt non possis discernere inter sanabilem & non sanabilem persæpe: non dico semper, nam quando morbus valde exiguus aut valde magnus est, in altero de salute, in altero de morte securè pronunciare licet. Alia causa, v dictum est quia cum talia curentur per propria auxilia, & proprietatibus rerum nulla meta imposita sit adeo vt Auenzoar existimet esse herbam quæ vlcera pulmonis consolidare planè possit, quòd idem in pecoribus manifestè operetur: & oleum quod frangat vesicæ lapidem, ideo non potest assignari meta in his, maximè ad mortem. Et si quis dicat, cognoscant ex processu, vt pote in scirrho, an tendat ad salutem, vel ad mortem: & ex parua mutatione faciam iudicium de toto processu morbi: nam si alleuiatur, igitur iisdem auxiliis sanabitur: si in deterius pergit, igitur eadem ratione morietur. Respondeo, quòd non: quia datur regimen præseruatiuum, in quo non potes inter hæc bene distinguere, an minuatur, an consistat, an paululum augeatur. Sed dices, tandem cognoscam, quis dubitat, post duos aut tres annos: sed hoc etiam agnoscunt idiotæ, nec est prædictio medico digna. Præterea, vt dixit, non potes esse certus, quin per aliquod nouum inuentum non sanetur, quamquam in manibus tuis semper morbus deterius se habuerit. Et forsan etiam sine nouo inuento, sed auxilio à medicis recitato, cùm tu vel non videris, vel si videris, non tamen ipsum è præcipuis in tali morbo existimans, ad magis laudata te transtuleris, & tamen his non curantibus, hoc derelictum pro inutili curabit: seu quod proportiones sint inter homines & medicamenta, seu quòd in tua regione alias & validiores obtineat vires, his quas illi Dioscorides, aut Galenus etiam tribuerint. Cum igitur tot modis errare contingat in his, satius est à prædictione abstinere.

1. Theil. tr. 10 c. 4. 2 Theis tra. 4 c. 7.

CONTRADICT. VIII.

Delicia an ad naturalem statum sensim reductio sit.

Galenus primo de Symptomatum causis hæc habet: Passio quæ in nobis violenter fit, ac præter naturam, Dolorosa est, si celeriter, & per magna incrementa fiat: quæ verò ad naturam rursus eodem modo fit, nec violenter, Delicia vocatur, & paulò pòst: Sic igitur omnis tristis passio in omnibus sensibus fit: contraria verò illi suauis ob contrariam causam. Regressus enim confertim eius rei quæ in periculo erat ne diuelleretur ad propriam naturam, voluptatem affert. Et iam etiam ex Platonis sententia docuerat eam mutationem quæ in sensu accidit sensim, dum ad naturalem statum redit, non sentiri. At rursus è directo contrarium dixit duodecimo Artis curatiuæ, his penè verbis: Videntur enim corpora non solùm cum in naturalem statum confertim veniunt, tristem mutationem sentire, sed etiam in ipso ad naturalem statum reditu, nisi paulatim eum recipiant, cruciari. Scimus enim qui in vehementi frigore fecerunt iter, cùm sese non sensim, sed simul calefacere properarent, dolore circa vnguium radices adeò vehementer affectos, vt eum ferre non possent. Manardus hanc mouet difficultatem, ab alio, vt & ipse fatetur, excitatam. Quod vero ad ipsum attinebat inuoluit scilicet responsionem. Sed quid mirum de homine omnis Philosophiæ rationisque naturalis expertè? inquit enim, Ηρέμα καὶ κατὰ μικρόν, quibus vocibus in libro de Causis symptomatum vtitur: id est, Sensim ac per modica: itemque κατὰ βραχύ, id est, per breue, relatiuè dici. Ergo comparatiuè aliquid & magnum, & paruum, & longum, & breue, dici potest. Id igitur quod adeo lentè ad naturam suam redit vt sensum effugiat, nec dolorem affert, nec voluptatem. Quod autem breuiter adeo tamen vt sensum non effugiat, potest & dolorem afferre & voluptatem. Calor igitur qui voluptatem affert, comparatus ad illum qui non sentitur, magnus dici debet: ad eum autem qui dolorem efficit, paruus. Hæc ille, vt sit sententia, quoniam in prima autoritate Galenus vult delicias fieri ex veloci mutatione, & per magna incrementa ad statum naturalem, in secunda ex veloci mutatione & per magna incrementa ad statum naturalem, fieri dolorem. Manardus vult per mediocria incrementa & per mediocrem velocitatem fieri delicias: per parua enim incrementa & lenta facto reditu nullum fieri sensum: per magna admodum ac velocissimè dolorem non delicias procreari. Sed dũ Galenum conciliat, illum in vtroque loco peccare facit, qui cum mediocriter aduerbio, seu mauis Græcè μετρίως vti deberet, in altero extremum vnum in reliquo aliud assumpsit. Vides, en lector, deliramenta Galenici medici, quonam pacto longè deterius eum quem

cap. 6.

cap. 7.

lib. 15 Epist.

quem profiteri affirmat, ac tueri, vituperet; quàm nos qui soli veritati studemus: & tamen antequàm nos audisses, rhetoris viri responsio probabilis videretur, ac nullius indiga, nisi quòd Galenum stupidum ostendit, ac omnino sui imparem. Nam quòd relinquat aliquid quod dicere debuisset, hoc commune est vitium, atque adeò tolerabile, vt Aristotele id sæpissimè faciente pro vitio haberi non debeat. Sed quod ambobus extremis, modò hoc, modò altero, medium significet, hoc prorsus insuetum est omnibus claris viris, Galenoque indignum. Præterea si calor qui inducitur non tantus est vt possit frigus propellere, delicias non affet, cùm non redeat ad naturam, membro enim adhuc frigido existente delicia non est, sed minor dolor: aliter omnis delicia esset cum dolore. Si autem est tantus vt propellat frigus, & si cuius comparatione paruus dici debet? neque enim latet quenquam si exuratur membrum non deliciari. Igitur Galenus non de caloris quantitate, sed de reditus velocitate ad naturalem statum sermonem habet. Et sicut extremus dolor fit in momentanea ad præternaturalem dispositionem mutatione, sic summa voluptas in reditu subitò ad naturalem statum. Quis enim vnquam conqueritur in seminis effusione, quod naturaliter esset dispositum, dolorem sensisse? quantumcunque velox esset, at necessarium hoc erat iuxta Manardi sententiam. Sed vide, si videre manes tui possunt, quid sit Consiliatorem Auicennamque spernere, imò Aristotelem: sed non ausus es illum adeò apertè calumniari, quàm leui in re non potueris te explicare, quid in difficillimis tibi continget. Nam mehercle dubitatio hæc, longè melius ab aliquibus ex nostris discipulis solueretur. Itaque videas primò quid dicat Auerroës tertio Collectaneorum: Et delectatio, quæ est contraria dolori, non est nisi comprehensio sensibilis temperati, & similium, & quasdam delectationes præcedit molestia, & illæ sunt naturæ iucundæ. Apparet igitur in delectatione adesse oportere temperiem: quomodo igitur vbi sentitur in lenta scilicet reductione, contraria qualitas, poterit esse delectatio? Necesse est enim finem esse cum temperie, transmutationem verò esse adeò velocem, vt tota intemperies sensum lateat. Quod in musicis quotidie experimur: primò quidem, cùm Diatessaron in acutis transiens, quod asperfit concentus: Diapente in grauibus relinquit, dulciusque resonat, quàm si sola Diapente absque Diatessaro audiatur, & rursus cùm ad Diapason venimus, facimus durissimam præcedere dissonantiam, quæ interuallo constat sex spatiorum duplici Diatessero, sed leuiter vt non audiatur dilabente perfectum efficit concentum. Igitur solutio contradictionis habetur à Galeno ipso, secundo de Locis, cùm causam doloris referret intemperiem: dixit enim, Vehemens frigus concitat dolorem, vt in his qui hyeme ambulant. Quod si conentur, vt quidam faciebant, manus illico ad ignem calefacere, vnguium radices graui dolore infestantur. Non igitur ibi voluit celerem reditum esse doloris causam, sed intemperiei magnitudinem. Celer igitur reditus voluptatem affert, nec sine illo potest esse voluptas: & quantò celerius fit, eo maiorem voluptatem parit. Vnde biliosi, seu calidam atque siccam testiculorum temperiem habentes, omnibus magis in venere delectantur. Sed cùm intemperies adeò magna est, vt reditus fieri non possit ad naturalem statum, tunc dolent ob vtranque qualitatem: altera quæ iam membrum læserat, reliqua quæ nunc lędit, affatim immutans: Nam & ex lenta calefactione dolent, nō voluptatē capiunt. Oporteret autem illos voluptatem capere aliquo modo, si mediocri velocitate reditu facto deliciæ constarent. Igitur deliciæ non fiunt, nisi cùm confertim ad naturalem statum reditus est. Sed non potest confertim ad naturalem statum redire, nisi membrum à naturali statu recesserit. Igitur in valida intemperie non potest haberi sensus voluptatis, sed solùm minoris doloris. Quòd si coneris per contrariam qualitatem celeriter remittere intemperiem, non solùm voluptatem afferes, aut dolorem minues, sed ipsum augebis: & hoc voluit Galenus. Igitur deliciæ semper fiunt, redeunte celeriter, & per magna incrementa membro ad naturalem statum, à quo parum discessit. Quòd si multum discesserit, leuiter quidem vsque ad naturali propinquum perducendum, inde si confestim ex hoc ad exquisitam propriam redierit temperiem, voluptas etiam generabitur. Causa autem doloris in radice vnguium ex repentina caliditate, est contractio frigoris, ita vt non iam redeat ad naturalem, statum, sed partes aliæ vrantur, aliæ magis frigeat per antispasim. Ex quo liquet, non esse mirum cur non adsit voluptas, cùm desit illius causa, scilicet reditus ad naturalem statum. Quod si celeritas ipsa dolorem afferret, voluptatem sentire illo eodem igne, eum qui modicè friguit, esset impossibile.

c. 31. post me.

CONTRADICT. IX.

Odoratus instrumentum an vocatæ caruncula mammillares.

Itaque si Ioannes Manardus ad res ipsas, quæ nobis subiacent, nostrisque sensibus oculos admouisset, in tam absurdam interpretationem haud facile incidisset, si quando enim aut vehementer doluit, aut frigore detentus est, intelligere poterat, nullam esse causam quæ illi posset afferre voluptatem: multas autem, quæ lenire dolorem. Quod si quandoque etiam æstiuo sole supercalefactus, aut aure in vmbra se exposuit, aut in lymphen pellucidi fontis intrauit repente, maximam fateatur necesse est sensisse voluptatem. Atque vt vno verbo hos Galenicos alloquar, illud saltem Lucani dum Cæsarem inducit loquentem imitemur: sic enim ad Pompeium, quasi verba vertens, ait:

Ille tuus saltem doceat discedere Sylla.

Sic vos Galenum ipsum imitemini, qui primo semper rerum naturas, inde sententias Hippocratis

Hippocratis, & aliorum est contemplatus. Leuis proculdubio res est in qua aberrat, sed tamen quinque in tam leui causa admisit errores. Primus, quòd vt dixi Galenum, quem maximè suspicit, adeò apertè vituperat, vt si Galenus resurgat malit inimicum Auerroëm amplecti, quàm hos viros. Nam plus gloriæ ab inimicis egregiis, atque æmulis claris, quàm ab adeo frigidis, atque absurdis defensoribus proculdubio aucupamur. Secundus est, quòd non animaduertit, quemadmodum prius dixerat Galenus si sensim reditus hic fiat, non sentitur, non dixisse, itaque cùm confestim reditus fit ad naturalem statum, dolor inuadit. Sed hoc voluit Galenus, quòd festina mutatio doloris causa est, nec dolor sine illa esse potest: adeò vt si in reditu ad naturalem statum coneris festinare, non modo voluptatem affert, neque dolorem lenit, sed etiam auget. Quoniam reditum non assequeris, sed partim priorem per antispasim auges intemperiem, partim contrariam illi inducis, ea in parte qua minimè opus est. Quod si Dialecticæ initia intellexisset Manardus, non aberrasset. Dolor, inquit Galenus, non fit nisi cum repentina mutatione: igitur quod fit per repentinam mutationem dolor est. Ac si quis dicat, Homo non est qui corpus non sit, igitur quod est corpus homo est: atque ita etiam asinus & lapis homines erunt. An non animaduertit si hoc sensisset Galenus, quemadmodum docuit, quòd dolor non sine repentina est mutatione, ita dixisset omnis repentina mutatio dolorem affert: quod neque dixit, neque dicere voluit: cùm intelligeret extemporaneam ad naturalem statum permutationem voluptatem afferre. Ideo bene dixit Princeps, Delicia non fit nisi ex subito reditu ad naturalem temperiem. Atque hi duo errores in hominem sunt, nunc autem tres qui supersunt in rem ostendamus. Primus horum est, quoniam existimat Manardus, illum qui ex frigore summo supercalefactus dolet ob reditum ad naturalem statum dolere, cum non ad statum naturalem redeat, sed alium. Quod si quis pergat eo calore, vt ab initio cœperat, se conficere, sentiet se vri, non ad naturalem statum redire. Secundus error est, quòd credat reditum ad naturalem statum posse esse cum dolore, cùm id nequeat: Omnis enim reditus ad naturalem statum, si repentinus sit, voluptatem affert: si autem sensim, affectum illum quem Epicurei Indolentiam vocatam miris laudibus extollunt. Tertius error est, quòd credit celeritatem esse solum doloris causam, cum summa fuerit: cum tamen, vt dixi, in summa celeritate, modo finem suum assequatur, summa sit voluptas. Et quantum à summa celeritate reditus ille ad naturalem statum dehiscit, eo leuior voluptas sentitur. Sunt etiam alia in hoc illius errata, quæ ne tædium legenti afferam relinquo. Ergo Deliciæ, vt rectè Galenus inquit (neque enim in re iucunda sermonem proferre piget) in omnibus sensibus constant. In Tactu quidem res venerea obtinet principatum. Inde si vnquam, vt dixi, sub æstu magno feruens, vmbram cum leni aura vel fontem ingressus voluptatem expertus es, quæ ex his consequitur, proximam venereæ, atque salubriorem sæpe inuenies. Venus solum addit imaginationem. Sed quod in tactus sensum attinet, vt minor est hæc venerea, ita longior. Vnde etiam quæri solet, Si deliciæ fiunt homine ad naturalem statum redeūte, quonam pacto cùm semel vel ex fronte, vel ex aura redieris, voluptas illa tandiu perseuerare possit? nam egredi denuo à temperie erit necessarium, & dolorem intermisceri voluptati. Sed tribus hoc modis fit: primò, quia non solum omnes partes redeunt, sed aliæ atque aliæ. Vehemens autem iucunditas redeuntium obscurat aliarum quæ nondum redierunt partium sensum: tum præsertim quòd iam confirmata intemperies dolorem non affert: sed quæ de nouo nobis aduenit. Secundò, quòd per calorem æstiuum aliæ partes vexantur, estque si diligenter animaduertis, voluptas illa permixta, leuissimæ molestiæ: sed non secus ac in musicis de diapasso succedente contingit, in hac voluptate aduenit: vt scilicet molestia breuis sit, ac minima: iucunditas autem perfecta & firmior, sui solum sensum ac memoriam relinquat. Tertiò, quòd etiam post temperiem ex sensibili suaui iucunditas percipitur. Quemadmodum qui cum virginibus concumbunt citra venerem. Quintum voluptatis genus est illorùm, qui non vehementi frigore vexati, aut in tepidæ aquæ balneum, aut in mollem atque calentem lectum ingrediuntur. Reliquæ autem voluptates tactus aut vix sentiuntur, aut sordidæ sunt, vt illorum qui pati venerea concupiscunt: aut cum dolore commixtæ, vt in his qui scabiem scalpunt. Proxima tactui est, quæ in Gustu: eáque duplex, Potus ac Cibi, alios alia delectantibus. Dulcis tamen generaliter sapor, inde subacerbus aut subacidus maximè iuxta naturæ cursum delectant. Indicio est, quòd talia maximè pueris placent. Visus varietate, & virenti colore, ac cœruleo oblectatur: Vnde prata florentia si cœruleos flores multos, intermixtis albis, rubrisque, ac aliorum colorum non paucis habeant, omnem visus iucunditatem implent. Auditus autem susurro aquæ, & leni voce delectatur: vnde etiam nutrices infantes cantu leni mulcent. Delectatur & harmonia postquam adultior fuerit. Medius inter omnes sensus Olfactus est, nam subtilior ac tenuior tactu & gustu, crassior ac magis hærens materiæ auditu & visu: diuinum autem quid obtinet, vnde etiam antiqui diis sacrificabant odoribus, thymiamata appellabant, quæ in altaribus incendi solebant. Fragrabant hæc incredibili suauitate, atque ideò spiritus hæc reparant, mirùmque in modum restaurant: vnde autor libri de Viribus cordis, odorata collaudat: tum etiam Auicenna plurimum ad reparationem virium, ac animalis spiritus prodesse putat. Et nos nulla in re, fatemur enim quam in odoratis maiorem voluptatem sentimus, vsque eo vt trahat quasi extra sensum: quia odoratus vis, omnibus aliis sensibus in nobis perfectior est. Videtur autem particeps tactus & gustus, dum per vapores sentit odores: at cùm sine illis eorum sensuum

secūda primi doc.2.c.23.

tract.1.c.9. secūda primi doc.2.c.19. & prima quarti t.4. cap.4.

sensuum qui per solas species percipiunt sensibilia, vt auditus, ac magis etiam illo visus: vt quasi duplex sit hic sensus, qui generaliter in hominibus est debilissimus, iuxta Aristotelis sententiam secundo de Anima t.c.92. Quamobrem vbi iaceat opportunum nũc arbitror quærere: neque enim Galenus sibiipsi, nedum aliis consentire videtur. Scribit namque octauo de vsu in hanc ferme sententiam de illo loquens: Solum ex omnibus sensorium hoc intra cranion positum est in ipsis cerebri ventriculis anterioribus, qui etiam vaporosum quid continent. Adducitur autem ratio subtilis ab illo hæc occlusis naribus vel operimento etiam illo vt in corizis, aër transit, non tamen odorem sentit, igitur primum hoc sensorium est in cerebro opus etiam erat odoribus ad spirituum animalium & cerebri confirmationem. Ex quo patet quod iam dixi, cerebro ex odoribus miram tum voluptatem, tum vtilitatem accedere. Videtur igitur sentire quod & Philosophus ipse dicebat secundo de Anima, c.4. scilicet, quòd homo non odorat, nisi dum spiritum ad se attrahit. Eandem igitur opinionem tenuit Galenus primo de Symptomatum causis, scilicet quòd in ventriculis fiat cerebri: quam etiam illi tribuit Andreas Vessalius, vt suo loco videbitur. Sed in quarto de Simplicibus medicamentis c.22. dixit, odoratum fieri in cerebro per nares delato vapore, locum tamen non explicauit. In libello autem de Odoratus instrumento ferme idem concludit, sed quomodo, id ostendamus, primum inquit non potest esse os nasi, cum ossa sint sensus expertia. Sed nec tunica interior, tribus ex rationibus, quarum prima est, in omni sensorio est substantia, ipsa quodammodo similis ei quod recipitur, vt crystallinus humor luci, auditus tympanum sono: igitur cùm vapor recipiatur in odore, decuit tunicam esse mollem, atque humidam, at ipsa est prædura & ei similis quæ ossi capitis proxima intus hæret. Altera ratio est, quòd natura in omnibus sensoriis maximos pro sensorij magnitudine neruos impertiit: vt in auditus instrumento & oculis: sed tunica interior nasi, minimos ac exiles suscipit neruos, tum pro sui magnitudine adhuc magis, quare illa, non potest esse odoratus instrumentum. Tertia ratio est, quòd nisi spiritum trahamus repletis quantumcunque odore naribus, non olfacimus: igitur sensorium olfactus in tunica nasi interiore esse non potest. Quartam ex libro de Vsu partium sumere licet, quod obstructa via quæ est inter nares & cerebrum, homo odores non sentit, vt in corizis apparet: igitur in tunica illa vis sensus odoris esse non potest. quod si diceres, non transmitti virtutem, hoc non satisfacit, quandoquidem virtus illa per neruum deferatur, qui impeditus minime est. Post Galenus ostendit neque in palato, nec in vlla oris aut faucium parte odoratus sensum vigere, quandoquidem occlusis naribus diligenter, ore autem aperto nihil omnino odoris sentiamus. Sed neque in membrana quæ ossa illa cauernosa subcingit, at potius in cerebri substantia: primum, quòd in valida attractione acutarum rerum per nares aliquid vsque ad ipsum cerebrum, quod etiam lædat, pertingit: igitur & vapores vsque ad cerebrum ascendunt. Secundo, quòd supercalefactum à sole cerebrum, ex rosarum odore iuuatur. Tertium, quòd in grauedinibus contento spiritu cerebrum incalescit, emisso refrigeratur: igitur respiratio ad substantiam ipsam cerebri vsque peruenit, quare & odor ipse: ergo & in cerebro odoratus functio perficitur, ibi enim species sensibilis finitur, ibi sensorium suum est. Neque verò, inquit, quod arbitratur Aristoteles operculum aliquod est, quod huic sensorio superpositum modò claudatur, modò reseretur: sed perpetuo, vt reliqui sensus, qui in abdito sunt, apertũ manet sensorium, quod longissima oratione ostendere nititur. Vbi autem fiat in cerebro non ostendit deficiente fine libelli: quamuis videatur velle ex his quæ dicit, quòd in cerebri potius ventriculis. Operimentum igitur illud adesse testatur octauo de Vsu partium dum de olfactus instrumento loquitur: patere tamen semper, non autem modo occludi, modò reserari putat. Sed & Philosophus in quinto de Generatione animalium c.2. & si obscurè videtur sentire quod in cerebro sita sit vis percipiendi odores. Clarius inquam longe in libello de sensu ac sensibili, dum dixit, Odoratus instrumentum in cerebro situm est: videturque hactenus Aristoteles Galeno cõcors, quod & Galenus existimauit de operimenti clausione solũ ab illo dissidens. Neque enim si claudi operimentum odoratus iuxta Aristotelis sententiam potuit, in naribus vbi neque operimentum erat, neq; claudendi modus, odoratus sensorium esse, iuxta illius sententiam credi debet. Sed tamen Philosophus in secundo de Partibus animalium c.18. in princ. inquit: Sensorium verò olfaciẽdi non longè euariat in cæteris quadrupedibus viuiparis. Quibus enim maxillæ oblongę in acutum exeunt, his nares in rictu appellato continentur. Et rursus infrà: Cumq; meatus olfaciẽdi habeant, de auibus enim loquitur, nares habere non possunt. Hanc illi aduersante Galeno opinionem audacter tribuit Auerroës, in Paraphrasi secundi libri de Partibus animalium, & in secundo Collect. vbi tres pro hoc adducit rationes. Par est autem in re valde dubia tantum audire Philosophũ. Inquit igitur, Si alibi vigeat hic sensus, aëre attrato, per palatum occlusis autem naribus homo olfaceret: quod experimẽto falsum est, & falsum à Galeno concluditur: igitur non potest in cerebro vel eius parte esse vis sentiendi odores. Nam occlusis naribus aër ad cerebrum, per foramen in palato quod iuxta vuulã situm est ascendit: sternuentibus enim nobis, cibus (adeò lata via est ab ore in nares per palatum) quem comedimus eiicitur è naribus aër & vapores in cerebrum ascendunt, etiam ex palato ascendent, salte via nariũ, si nulla esset alia via, & sic odor sentiretur. Nã clauduntur nares solum manibus in extrema sui parte. Itẽ via qua descendit pituita ex cerebri ventriculis in infundibulum: inde in glandem pituitæ quæ basi ossis cerebri superposita est, atq; inde in palatũ, aër potest subingredi proculdubio, cũ lõgè pituita tenuior sit: igitur fieret sensus odoris clausis naribus.

Secunda

t.c.in fine. | t.c.98. & 100 | fol.1. & post longa serie. | c.3. & 2. in fi. | c.13. | c.17.

Secunda ratio, vt Auerroës inquit, est Auenzoar: Nisi odoratus instrumentum in naribus esset, homines dum comedunt, & dum concoquunt cibum, sentirent odorem illius, quod tamen falsum est. Patet autem sic futurum: quoniam, vt declarauimus, aër & vapores per palatum ascendere possunt ad cerebrum. Tertia ratio est contra Auicennam, vt videbitur, Carentia animalia carunculis mammillaribus odoratu carerent, quòd tamen apertè falsum est. Ideo dixit in primo Collectaneorum c.7. ante medium, Odoratus instrumentum est in neruis quintis paris, qui exeunt ex foramine vocato Orbus, sed Orobus, & pars illorum ad aures etiam, pars ad mandibulas tendit. Et in tertio Collectaneorum c. 36. declarauit, quod etiam animalia exanguia, & quæ respiratione carent, odoratum habent. Sed differt ab odoratu hominum & respirantium animalium, quia in homine & his animalibus, non fit sensus odoris nisi cum attractione aëris: sed in non respirantibus clarum est, quòd si odorant, odorant sine aëris vllius attractione. Docet autem nos ibi, quod postmodum declarabimus, & cur ita sit, scilicet, quòd odoratus vis in homine est imperfectissima. Gustus autem perfecta, sed tactus perfectissima omnium animalium: quod etiam sumptũ est ab Aristotele in secundo de Anima. Auicenna verò, quinto de Anima, & Quinta Tertij, tenet tertiam opinionem quòd odoratus instrumentum in caruncolis mamillaribus situm sit. Sunt autem duæ partes cerebri promittentes altera à dextra, altera à sinistra parum supra neruos visorios magnos, rubeæ, rotundæ, duriores quam cerebri substantia, paulò maiores cicere, in anteriore cerebri parte, persimiles valde papillis mulierum, quas dum sugunt infantes lac in ore continent: à quibus etiam propter similitudinem nomen sumpserunt. Vessalius libro primo hæc habet, suæ Anatomiæ: Octauum id os censebitur, quod sedes cõstituit, quibus duo non absimiles neruis cerebri processus incumbunt: quos ferè olfactus instrumenta nominamus. Os autem octauum illius sensorij sedem seu fundamentum, non dico sensorium, proculdubio facit. Nam & perforatum est, & processibus susternitur, & quæcunque habet huic officio necessaria. In capite autem eiusdem libri duodecimo enarrat quartam opinionem volentium odoratum consistere in cauitate, quæ est inter duo ossa squamosa frontis, in qua aër continetur, & si fractura ossis eo loco contingat, adeò valida ex eo loco exufflatio fit, vt candelam accensam extinguat, vt igitur in aure ab aëre sub tympano contento sonus ipse excipitur, fitque auditio: sic in hac cauitate vapor, fitque odoratio: iuxta illorum sententiam, molliusculum autem corpus ibi membranaque obductum affirmat esse, quasi hoc sit ipsum sensorium. Rursus libro quarto inquit, Neque enim olfactus organa nerui appellantur, quod dictam nuper Caluariæ amplitudinem non excedant. quasi iuxta suam sententiam potius in illis processibus olfactus ipse constituatur. Demum in eodem libro, sed posterius cùm quintam illorum recitasset imaginationem, potius quàm opinionem, dicentium, olfactus organum esse alios duos ventriculos cerebri sub prioribus atque notissimis existens, ipsæ quænam sint illius sensus instrumenta declarat, supponens quòd ex dissectione habetur ventriculi superiorem & anteriorem partem vocari A, posteriorem autem atque superiorem B, posteriorem autem inferiorémque ac se anterius reflectentem, coangustantémque C, demum anteriorem inferiorémque ac arctissimam vbique extra cerebrum prominet, licet cranei os non exeat, D, partem hanc, D, C, instrumentum olfactus esse affirmat. Hi sunt processus quos etiam antea esse instrumenta huius sensus prædixerat. Nec tamen vult processus hos cauos esse, sed ductu colore formaque haud neruis absimiles, qui à tenui membrana spoliati, in octaui ossis sæpius memorati cauernas se condunt, duriore membrana tamen illos circumambiente. Et quamuis hic parum obscurius, an hi idem sint cum vocatis caruncolis mammillaribus, declarasse videatur: eos tamen non illos esse in septimo libro figura 3. edocet: nam tubera illa mammillaria CC, litteris inscripsit, instrumenta autem olfactus LL. multoque anterius exporrigũtur mãmillaria tubera ipsis processibus olfactus: suntque maiora, & rubicũdiora, & sublimiora. At processus ipsi olfactus instrumẽti ex eadẽ sede ad vnguẽ enascuntur ex qua etiã visorij nerui, quò fit, vt iam facile sit hos inuenire processus: tamẽ magis quòd vt ille refert, in ouibus ac canibus longè magis quàm in homine sint manifesti ob illorũ magnitudinem. Reliquum igitur est, vt primò ostendã quare olfactus instrumentũ in nobis debilius sit aliis sensibus. Inde ex sex, quas recitaui, opinionibus quinta reiecta, quænam possint inuicẽ concordari. Post hæc edocebimus argumenta illa quæ adducuntur non demonstrare. Vltimo quænam sit omnium verisimilior opinio. Igitur sensus animalibus cæteris aliter quam homini dati sunt. Sensus enim belluis salutis gratia dati sunt, secundum Aristotelis sententiam, tertio de Anima t. c. 60. sed in hominibus & propter salutem, vt animal est, & propter scientiam, vt rationis particeps. Secundo enim de Anima t.c. 128. volens ostendere quòd sensus tactus omnes differentias tangibilium agnoscit: dicit, Aliter intellectus non posset eas congnoscere quæ sensu laterent. Manifestum est igitur, ob intellectus operationem & sciẽtiam, tum etiam ob salutem hominibus datos esse sensus. Duobus autem modis cùm sensus sensu eiusdem generis perfectior dicatur, quinto de Generatione animalium c.1. in fine: aut quoniam omnes rerum differentias comprehendat, aut quòd ex maiore distantia ac exquisitius, multitudo differentiarum cùm ad scientiam non ad salutem pertineat, necesse est hominem perfectiores, quò ad comprehensionem differentiarum sensilium, sensus cæteris habere animalibus: atque etiam sic odoratum: propterea dicebat Auerroës, quod & in lib. de Animi immortalitate recitauimus, cętera animalia de sẽsilibus fermè cortices solũ parcipere, cũ homo medullã attingat. Sed dices, Canes odoratu homines,

c.8. post med. & 1.

c.6. fol. 30 & 32.

fol. 51. in expositione x litera 3. & 4 figura.

c. 2.

c. 3.

nes, tum dominum præcipuè agnoscunt: atq; sic differentias quasdam odorum quas homo non agnoscit. Nemo enim est qui hominem ex odore possit agnoscere. Respōdemus odorem hominis tenuem esse, sed tamen sub speciebus odorum hominibus cognitorum proculdubio contineri, adeò tamen esse leuem, vt ab homine perceptus, cùm sensum parum afficiat, memoriam nō pariat. In cane autem, in quo non parum odoratum afficit, memoriam parit: tum magis, quòd canis memoria non adeò tot rebus implicita est vt hominis. In sentiendi autem præstantia, cùm oculorum sensus & ad salutem non parum conferret, & plurium rerum nobis ostenderet differentias, vt primo habetur primæ Philosophiæ, satis validum & acutum illum in hominibus esse decuit. Sed tamen potius salutis causa, quàm scientiæ: cum scientia possit ex propinquis sensilibus atque admotis sensui percipi. At ob salutem oportebat vt posset & feras, & serpentes, & hostem procul prospicere. Quamobrem mediocriter acutum, etiā plusquā mediocriter hunc sensum obtinuit homo, non tamen ad salutem neque multò minus ad rerum scientiam necessarium erat illum esse perfectissimum: tum magis, quòd prospiciens à longè multis modis ac longè facilius se tueri poterat, quàm cætera animalia si quid ei inimicum videre contigisset. Atque eadem est ratio de auditus sensorio, quæ de visu: cùm sit & auditus disciplinæ sensus: non enim necessarium erat disciplinæ causa vt esset acutissimus, cùm proprius ad audiendum accedere posset. Reliquum est igitur, vt de tribus aliis sensibus agamus, & primum de tactu, quem proculdubio oportuit esse perfectissimum vtroque modo, in pluribus quidem eorum quæ tanguntur differentiis cognoscendis ob scientiam: in minima sensilia percipiendo, ob carnis & cutis summam mollitiem. Si enim talis non esset, vtique totus semper esset vlceribus scatens: à minimis enim læderetur, nec tamen ea perciperet: quò fit, vt qui stupore per totum corpus detinentur infelicem agunt vitam, nihil audentes tangere. Cætera autem animalia cutem habent duriorem, & præterea pilos, aut plumam, aut squamas. Oritur autem hæc sensus perfectio ex illius æqualitate non solùm, sed etiam cutis mollitiæ: quò fit, vt cùm gustus esset quidam tactus, vt etiam hunc valde perfectum sensum homo obtineret: tum etiam quia ad salutem ei erat necessarius, vbi ratione, non adeò periculo prospicere poterat. Vbi enim rem in os intruseris, nisi saporem percipias, nec sensibus aliis te iuuare potes, nec rationi tempus datur, vt de illo decernere possis: quamobrem gustum perfectum etiam homo habuit. At in odoratu cùm cætera animalia duos haberent sensus pro cibo, alterum cùm iam maderent, scilicet gustum, alterum ante, odoratum scilicet, nec liceret eis ratione vti, propterea perfectissimum pleraque adeò vt etiam muscæ & formicæ sensum odoratus acceperunt: neque enim fermè alio modo absentem cibum quærere licebat, quàm ipso odoratus sensu. Homini cum multis modis hoc liceret, iam etiam inuentum aut reiicere aut sumere ex multis coniecturis, propterea sensus odoratus obtusior illi fuit. Vis autem hoc videre ex priuationibus? Si quis visum amittat omnibus periculis obnoxius, adeò vt ab inimicis non nisi aliorum ope, vel contemptu tutus sit: & si etiam oculis parum videat non leuem iacturam subit. Idem de auditu, de gustu, res corruptas deglutiunt: de tactu rarum est, sed totum periculo plenum: at odoratu plures carent, qui nullum sibi detrimentum accidisse putant: cùm quosdam viderim, qui etiam optarent: ne malos sentirent odores. Igitur natura ne homini acutiorem odoratum daret, cùm in aliquo necessarium esset humanam naturam minus acutè sentire, diligenter admodum prospexit, accedebat, quòd alij sensus, qui sine contactu fiunt: vel, vt clarius dicam, qui non optatis facilè occurrunt, vt visus ac auditus nihil habent quod afficiat vehementer corpus: at odoratus cùm prauum odorem percipit multum hominem contristat. Melius igitur fuit obtusionem esse, nam in cunctis quæ vitare non facilè licet, vbi voluptas & tristitia maiores euadunt iacturam tristitiæ & prauæ occasionis, voluptas ipsa nequaquam pensare potest. Neque enim vulneris iacturam vnguentum pari velocitate tollit, qua accepta est: neque calamitas ex cadaueris fœtore, vllo mosco vel ambare leniri potest. Sed iam his relictis ad ipsas de Olfactu opiniones accedamus, in quibus fas est ex quinque Aristotelem omnibus accommodare. Nam cùm dixit, esse in cerebro ipso, seu mammillaribus tuberculis, seu in processibus sit, illis omnibus satisfactum est. Quòd si obiicias, quinto de Animalium generatione c. 2. in pr. eum dixisse, quòd omnes sensus in corde fundamentum habent. Respondeo ibi de primo sensorio, non de instrumento loqui. Cùm autem dixit, nares instrumentum esse, intellexit ex communi loquendi modo. Quinimo ibi potius colligitur oppositum, vbi videbatur nares sensorium olfactus dixisse. Nam de elephantis promuscide loquens inquit, duas habere functiones, respirandi, & capiendi: ac si sensum odoratus in naribus statuerat, palam est res opportuisse promuscidi functiones tribuere: capiendi, respirandi, & olfaciendi. Potest & Auerrois accōmodari sententiæ: nā cùm dixit in cerebro esse olfactus sēsoriū, ibi distinxerat sensus in eos qui in corde fundantur, vt tactum, quē corde constanter esse affirmat, & gustum: & in eos qui in cerebro, vt odoratum, & visum. Si tamen vera fateri velimus, Galenus melius interpretatur Aristotelem quā Auerroës in hac parte. Nam modus loquendi in libro de Sensu & sensili, ostēdit oculum videre, cerebrum verò per oculum: cerebrum autem per seipsum odorare potius, quàm per aliud, atque ea de causa si quis tamen velit Auerroëm tueri, tuebitur: sed mentem Aristotelis non videbitur assequi. Atque eo magis, quòd Aristoteles secundo de Anima, docuit quòd olfactus nō fit nisi attrahendo aërem, & quomodo poterit esse in naso vis odoratus. Et quod maius est, dicit quòd est operculum huic instrumento quod aperitur,

in Proæmio.

aperitur in attractione aeris:sed manifestum est,nullum esse operculum in naso,quo modo igitur sensus olfactus potest esse in naso de mente Aristotelis? Et miror quomodo Auerroës,qui illum locum exposuit,non animaduertit.Sed alia opinio quarta quæ ponebat hunc sensum inter ossa cauernosa in molli substantia, posset tueri in via Philosophi, quia est iuxta cerebrum & super nares, & supra velamen illud. Sed tamen non potest esse vera, nisi de præparatione aeris in loco illo,non de proprio sensorio:quia non est ibi neruus,igitur neque sensus,loquendo de sensu perfecto. Relinquuntur igitur quatuor opiniones:prima Galeni,quòd in ventriculis: secunda Vessalij,quod in processibus cerebri: tertia Auicénæ,quòd in tuberculis mammillaribus:& quarta Auerrois,quod in naso. Et Aristotelis sententia prioribus tribus concordari potest.Sed iam videamus argumenta Galeni quantum concludant: dicit igitur, Tunica dura est,igitur non est aptum sensorium. Respondebit Auerroës, quod nerui molles sunt, nam idem est de auditus sensu: probaret hoc argumentum eadem ratione auditum non fieri in aure. Cùm dicis, pauci sunt nerui: diceret Auerroës, hoc facit pro me,quia sensus hic homine est obtusus propter hanc causam.Vnde si ponas odoratus sensum in cerebro, deberet esse acutissimus,quia cerebrum hominis est maxime aptum sensui,eo quod est tenuissimæ substantiæ. Quod si velis refugere ad temperamentum, dicet, sunt animalia habentia calidius & siccius cerebrũ, vt canis,quæ tamen melius odorant:& habentia frigidius ac humidius, vt pisces,quos tamen videmus procul, quamuis sint in aqua,sentire odores. Ad aliud,quod nõ est Galeni, sed Aristotelis, diceret Auerroës:Si nõ obstaret Aristotelis autoritas, non fit hic sensus nisi cum quodam motu,sicut & alij:& ideo quamuis odor sit in naribus,non percutit sensum nisi cum attractione aëris,vel expulsione, & ideo non sentitur. Et ad hoc adduceret rationem, quia si esset in cerebro non fieret nisi cum attractione aëris,sed quidã sentiunt etiã in emissione saniei fœdum quiddam. Hoc tamen experimentum negarent Aristoteles & Galenus.Ad alias autem rationes diceret Auerroës, demiror quod audeas dicere cerebrum sentire: principium enim sensus non debet sentire,& etiam cerebrum neruis caret, & tu vis quod nõ sit sensus fine neruis,& nemo est vnquam conquestus de cerebri dolore,sed membranæ senserunt nigellam non cerebrum ipsum.Ad experimentum de rosis refrigeratis,quæ primo incalescunt, dolent, sentiunt, videtur cerebrũ,id est totũ quod sub cranio continetur, melius se habere.Ad id de grauedine diceret, quod sternutatio non fit à ventriculis,& hoc est verum: primo quia ventriculi à naribus plurimum absunt:secundò,quia non habent exitum,nisi ad lacunam pituitæ,inde in glãdem,quomodo igitur sternuentes non emitterent ita ex palato,sicut etiam ex naso: tertiò,quod oporteret vehementer lædi ventriculos ante sternuitionem,ob repletionem illorũ ex spiritu,imò sternutitio esset epilepsia quædam:quartò,quod maius est,quòd nullæ sunt membranę in ventriculis,vt clarũ est,& ne animaduertit Vessalius, quare oporteret concuti ipsam cerebri substantiam,& sic læderetur cerebrum mirum in modum in qualibet sternuitione,& perueniremus ad illam historiam,seu fabulam, in qua dicitur,quòd olim sternuentes illico moriebantur. Vnde inoleuisse dicunt genus illud dicendi, quo sternuentibus bene precamur. Et quamuis hoc potuerit esse verũ, non fuit tamẽ mors ex sternutione,sed ex cerebri morbo qui sternuitionem inducebat.Propterea dico,quòd sternuitio fit aëre impulso per palatum à pulmone quandoque,aliquando ex cauo illo quod est inter duo ossa,à membrana dura cerebri, & nullo modo vnquam à cerebro,& ex hoc aduenit,quòd sæpe homo dum tussit sternutat,& si cibum in ore habet emittit per nares:igitur tunc sternuitio à pulmonibus procedit, vel ab eorum altero. Et certum est, quod motus omnes validi à pulmonibus fiũt, qui sunt naturales & cum strepitu:vt tussis, clamor, & sternuitio.Et iam ego te liberaui ab errore antiquo:nunc venio ad argumenta Auerrois in quibus conatur ostendere,odoratum fieri in naso.Nam dicit in palato est locus transitus aëris & vaporum, respondeo quod non exporrigitur ad narium locum supremum,nisi cum impulsu,& tunc propellitur extra. Diceret enim Galenus, quòd odoratus sit,quia aër & vapores recipiunt quandam præparationem à loco cauo supra nares,vel etiam in naribus ipsis,sed verisimilius est,vt in loco superiore,eo quòd via narium est valde lata,& libera,& agens agit per contactum. Cùm igitur aër defertur ad palatum, si cum impetu, propellitur foras extra nares, & sic non potest odoratum efficere: si verò leniter, transit ad cerebrum, non transeundo cauitatem illam, nec nares: & sic sine præparatione, & ideo non potest odoratum facere, eadem responsio satisfacit secundæ rationi.Vel dic ad vtranque, quòd non fit sensus nisi cum motu, & quòd motus non fit,qui ad cerebrum tendat, nisi per nares,& cùm respiratione.Sed melior longe est prima responsio: quia in attractione quantumcunque leni aëris,fit odoratus. Ad id de tuberculis mammillaribus diceret sicut Galenus in testiculis respondet Aristoteli: imò sicut ipse Aristoteles secundo de Anima:non enim sequitur,Respirantia animalia nõ odorant,nisi in attractione aëris: igitur quæ carent respiratione nõ odorabunt.Et similiter, Sanguinea viuunt per cor,igitur omnia animalia sine corde, carent vita. Sufficit enim, inquit Philosophus, quòd habeant cordi proportionale: ita testiculis,ita respirationi, & tuberculis mammillaribus.His intellectis, ratio est pro Principe validissima:Cerebrum, vt ostensum est clarè, non potest esse subiectum sensus odoratus,neque instrumentum: imò cùm careat sensu tactus, carebit etiam iuxta Philos. regulam,odoratu,& omni alio sẽsu.Sed neq; nares,tũ ex ratione Galeni adducta ex lib.de vsu partiũ,quòd occlusis naribus sine nerui vitio odor non sentitur,tũ quia etiam quod inspires violenter aërem in nares odoratũ aut aquam, dummodo non attrahas anhelitũ,nõ sentis odorẽ:ideo vltima respõsio

sio pro Auerroë non tenet. Si quis enim impulsorio instrumēto aëre odoriferum impellat in nares, vt expertus sum, dum hæc scriberem, odor non sentitur, nisi attractio fiat: & ideo oportet vt fiat in loco propinquo cerebro, inter nares & cerebrum. Tubercula autem mammillaria sunt eiusmodi, ideo erunt instrumentum sensus odoratus. Accedit quòd natura nihil facit frustra, sed nulla vtilitas, nec à Galeno, nec à Vessalio, diceret Auicenna assignatur his tuberculis, quæ sunt adeo magna vt etiā perfunctoriè cerebri dissectionem agentem, & qui nunquam alias viderit, minimè lateant. Est etiam ratio vero similis, quòd ex odoribus acutis oculi illacrymātur, quia tubercula illa proxima sunt locis neruorum, quibus visus constat: quare credendū est, talia esse proprium visus instrumentum. Galenus igitur in ventriculis cerebri odoratum fieri sentit. Sed veritas ostendit, si eam amplecti velimus, quòd in tuberculis mammillaribus, vt Auicenna vult, vel in processibus ventriculorum solidis, quos nos neruos mutilos appellamus ex Vessalij sententia, facta tamen prius præparatione aëris in cauitate illa, quæ media est inter ossa squamosa, vel in naribus, odoratus sensus absoluitur: & sic Galenus & Auerroës aliquid veri dixerunt: hi verò rem, vt dici solet, acu attigerunt: neque quicquam obest, quin his ipsis Aristotelis sententiam coaptemus.

CONTRADICTIO X.

Attonitus morbus an aliquando in corde.

SCio quàm difficile sit omnibus placere: quòd enim paucis verbis Galenum tueri velut & Aristotelē, potuerim, nec voluerim, accusabunt. Ea autem sunt in ima ventriculorum cerebri parte, iuxta Galeni sentētiam, & iuxta veritatem, dum ventriculi angustior pars antrorsum reflectitur, fit odoratus. Ecce adieci, liuide, modò quid accusas? Sed haud noueram processus illos qui caui, vt dixi, non sunt, quique ob id haud ventriculi nomen merentur, an Galeno cogniti essent, interciderunt enim libri de Dissectionibus, qui hanc ostendere partem poterant. Sed si nouit, cur non dixit? si non nouit, quo modo significare nobis id potuit. Sed hæc garrulis relinquamus, qui dum Galenum tueri, id est ruditatē suam velle se simulant, illius clarissimam doctrinam præceptaque saluberrima euertunt. Ad rem propositam redeamus. Dicebat Hippocrates quarto Regiminis acutorum t.c.23. Si quis repente obmutescat, id venarum interceptiones atque occlusiones faciunt. Galenus in libro de Causis morborum c.3. locū hunc exponit per morbum attonitum. Igitur attonitus morbus fit quandoque interceptis venis atque occlusis, tales esse non possunt nisi quæ à corde ad cerebrū feruntur: vel enim moreretur protinus, vel nō posset animal priuari sēsu, & motu, nisi venæ illæ ad cerebrum tenderent. Et in principio libri de Vsu pulsuum, & in secundo de Dogmate Platonis & Hippocratis, si ligentur nerui soporarij ani- *c.6 in prin.*

mal euadit stupidum & mutum: neque hoc contingere potest, nisi quia hi nerui per cor transeunt: nam in reliquis hoc neruis non accidit, neque cerebrum est læsum magno detrimento. Igitur attonitus morbus & stupor vitio cordis euenire possunt. Vnde Princeps prima tertij tractans curam comitialis morbi, inquit: Nisi timor esset, ne in attonitum morbum incideret, venas soporarias incideremus. *tr.1.5.c.11. in fine.* Quare manifestum est, illis interceptis, vel etiam neruis: nam nerui, vt in sexto contradicentium medicorum declaraui, medij sunt inter interiorem soporariam & arteriam, contingere attonitum morbum seu apoplexiam. Secunda etiam aphorismorum Galenus dixit comitialem morbum, apoplexiā esse diminutā, *aph.45.* liquet autem comitialē morbum persæpe ex aliorum membrorum consensu fieri, quare & apoplexiam. Quinta etiam Aphorismorum com.5. super his verbis Hippocratis: si quis ebrius repentè obmutuerit, declarat Galenus fieri hunc morbum neruorum consensu: at hunc morbum sexta Aphorismorum com.51. declarauit esse persæpe apoplexiam, inquiens: Mutos non tantum eos appellat Hippocrates quibus vox læditur, verum per exuperantiam quandam vna cum illius læsione omnes quæ sunt secundum electionem operationes, intelligere nos vult. Quos igitur mutos vocat, contingit esse sentientes: sed plerunque vtraque patiuntur, & talem affectum ipse apoplexiam vocat. Auicenna quoque in capite proprio huius morbi scilicet attoniti, inquit: *prima tertij t.5 c.12. ante med.* Et cùm obstruuntur venæ & arteriæ in meatibus spiritus ad cerebrum, ex vehementia repletionis, & sanguinis multitudine, accidit apoplexia: quia spiritus non habet transitum, quare non moratur, vsqueque præfocet & cadit in eo sensus ac motus non secus quàm in illo, in quo venæ apopleticæ constringuntur. Et hæc videtur etiam sententia Hali, vbi dixit in secundo Artis medicæ in expos.t.71. quòd ex subita effusione materiæ super cor, homo potest repentè mori. Et prima quoque Problematum Philosophus ait: seniores stupor attonitos reddit: vbi vniuersus humor resolutus incubuit, & ex caloris natiui imbecillitate concreuit. Quasi velit attonitum morbum fieri cùm calor in corde innatus debilitatur, & ex eo humor superingruit. Quam sententiam Auerroës tertio Collectaneorum c.41. col. vlt. sic expressisse videtur: Cùm apoplexia sit amissio motus, & sensus generalis ac proprij. Et motus habeat duo principia, Cor, & Cerebrum: & non potest euenire ratione cordis, quia subitò morerentur: relinquitur vt fiat vel ratione obstructionis in cerebri ventriculis, vel in venis soporariis. Liquet autem quòd per venas, tam eas quæ pulsant, quas arterias vocamus, quàm quæ non pulsant intelligere oportet. In oppositum Galenus in lib. de Sympromatum differentiis declarat, quòd apoplexia sit morbus cerebri vitio proueniens, non tamen dicit quòd non *c.3. ante mé.* possit fieri illud vitiū interclusis venis à corde venientibus. Eodē modo in tertio de Locis c.7. in fin. docet quod fit apoplexia vitio cerebri, vt lethargus, & phrenitis ac mania neq; tamen dixit, quin hoc vitiū ex obstru-

ctione inter inter cor & cerebrum facta accidere non posset. Rursus in quarto eiusdem c.2. ante med. cum pars cerebri anterior occupatur, sic vt spirandi facultas vitietur, caros nominatur. Si autem cùm hoc, etiam spiratio fiat, difficilis apoplexia est, quæ plerunque cùm sanatur, terminatur in resolutionem, non dixit semper. Apparet igitur vitio cerebri fieri apoplexiam. Sed quòd hoc vitium ex venarum à corde venientium obstructione fieri non possit, nullibi dixit, ex his, quos adduximus locis. Dixit tamen in secundo de Decretis: quo etiam loco prius eum adduximus, arteriis præcisis non obmutescere animal, non stupidum fieri, videre, & audire, ac vocem emittere ac mouere se, multò etiam minus si arteriis illæsis præcidantur vel laqueo venæ non pulsatiles intercipiantur. Quin quod plus est venis, arteriis ac neruis simul præcisis, nihil aliud præterquam quòd obmutescat animali contingere. Eadem, vt dixi in libello de Pulsuum vsu, fatetur: & quandoque sub vesperam cùm manè præcidisset, aut colligasset, iugulasse animal. Tertia verò Aphorismorũ com.23. dixit vertiginem & apoplexiam fieri cerebro pituita repleto. Sed clarius secunda Aphorismorum com.42. dum dixit causam apoplexiæ cuiuslibet esse, vel cerebri phlegmone similem dispositionem, aut illius ventriculorum ex pituita repletionem. Quare merito eos irridebimus qui apoplexiam ob cordis detrimentum fieri posse suspicantur. Nam corde patiente illius palpitatio & syncopis superuenit, qua defertur in mortem: non autem apoplexia. Sed neque interceptis venis tale quicquam fieri contingit, quòd pulsatiles nullo modo ab humore obstrui possint, rarissimè non pulsatiles. Sunt enim latæ adeò vt digitus ingrediatur, locoque profundo & calido sitæ, quatuor etiam non pulsatiles, duæ arteriæ, quare obstrui nisi ob nimiam sanguinis repletionem non poterunt. At tunc cerebrum ipsum prius repleri necesse est: eumque morbum consequi, quem Galenus inflammationi similem esse dixit. At si præcidatur vt laqueo intercipiantur tandiu animali superueniente, signum est partem quæ in cerebro spiritus seruatur non esse exiguam. Si igitur nihil præueniat, tandem apoplexia corripi animal necessarium est. Sed vereor ne Galenus non omnia simul sex vasa, quæ à corde in cerebrũ per collum feruntur simul præciderit, aut ligauerit. Nam vno relicto, etsi vena non pulsatilis sit, quod relinquitur, transfunditur ex vena in arterias cerebri, spiritus ac sanguis, etenim hoc Galenus in libello de Venarum & arteriarum dissectione concessit, diuque & si ægrè per vnum tantum vas animal seruatur in vita. Sed iam de his non est consideratio. Arabes tamen cùm pro neruis venas legerint, in hunc deciderũt errorem. Apoplexia igitur neque ab alio membro fit quàm cerebro ipso: neque cerebrum ob venas interceptas hoc pati potest, nisi laqueo, & omnes simul validè intercipiantur. Sed in Aristotelis Problematibus, perperam cor adiectum fuerat. Multis igitur erroribus ob falsam lectionem Conciliator, & Nicolaus inuoluti deceptique sunt. Auerroës causam simpliciter rectè considerauit, sed non animaduertit, venarum tum multitudinem tum magnitudinem, quæ nullo modo, nisi manibus ac industria non leui intercipi poterant, facilius plura occides animalia quam omnia hæc vasa strictim admodum vinculis exceperis. Nam si tria ac tria simul colligare tentaueris, non poteris venam non pulsatilem quæ in medio est ita constringere diligenter, vt nihil ex corde ad cerebrum permeet, itaque interceptio hæc, vt ab hominibus fieri potest difficillima est, & à Galeni consideratione remota, cuius institutum est de spontaneis loqui apoplexiis. Si autem, vt à natura principium habere potest, fabulosa & commentitia. Sed & hic error Auicennam decipit. Galeni autem sententia quæ illis subscribere videtur in libro de Morborum causis, hoc vult quod interceptiones venarum cùm illæ immodicè sanguine repletæ fuerint, vel animal suffocant, nec est hæc apoplexia, sed suffocatio; vel implent cerebrum apoplexiamque efficiunt, simili in cerebro qualis est inflammatio oborta dispositione, de qua etiam exponens Aphorismum dixerat. At horum vtrumque plurimum differt ab illa venarum inceptione, in qua Auicenna & Auerroës spiritum à corde ne ad cerebrum deferatur prohiberi putant. Hanc enim ex exemplo soporariatum venarũ ligamento obstrictarum Auicennam intellexisse palàm est, at hęc nulla prorsus est: reliquæ duæ quas Gal. adducit frequenter contingunt.

Differ.181. 3.tra.3. summ. fe.14.

CONTRADICT. XI.

Cerebrum an possit tumorem pati.

Neque ex cerebro & pulmone inflammatis pulsus æquè duri vt ex menyngibus, quarto de Præsagiis ex pulsibus, inquit Galenus. Subiicit autem post pauca. Pulmo autem & cerebrum ne scirrhum fortassis admittunt. Quò fit, vt Galenus censuerit cerebri substantiam verè tumorem calidum posse contrahere. De frigido tamen dubitauerit. Et alexander Tralianus hæc habet de Phrenesi loquens: trahit igitur phrenitis originem ex bilis flauæ copia cerebrum occupante: & phlegmonem inibi cum incensa febre constituente, vel in membrana cerebrum velante cui μήνιγξ, nomen est. Rasis quoque in libro Diuisionum dixit phrenesim fieri in cerebro, sed quia non distinguit inter cerebrum & membranas, esset forsan autoritas ambigua, nisi quod in primo continentis dixisset quod fit in cerebro expresse, & ex sententia propria. Idem etiam iam dixerat ex sententia Pauli. Sed verba Pauli habemus ab ipso, quæ sunc hæc: Ἡ φρενῖτις φλεγμόνη ἐστιν τῶν μηνίγγων ὁ θερμὸν, καὶ αὐτοῦ τοῦ ἐγκεφάλου συφλεγμονοῦντι, ὅτε ἐξ παρὰ φύσιν θερμάσιν σύστασις ἐν αὐτῷ. Quod est, phrenitis est membranarum phlegmon calidum: & ipsius cerebri tumor, cum ex præternaturali caliditate cõcretio fit in ipso, sic Paulus ipsum concedere videtur. Auicen. autem contra negantes inuehitur, hac ratione: omne quod nutritur ac

c.9. l.1.c.13. c.6. c.9. fol.10. col.1. c.9. fo.19. l.3.c.6.

extenditur,

extenditur, potest tumorem pati, nam etiam augetur, cerebrum autem nutritur & augetur ac etiam extenditur, quare cerebrum poterit tumoré pati. Alia ratio, dicit ossa possunt pati tumorem vt in tractatione dentium ostendetur, igitur multò magis etiam cerebrum. *lib. 6. c. 2.* In oppositum est autoritas Aëtij dicentis: phrenitis est inflammatio membranarum cerebri cum febre acuta delirium, & mentis alienationem inducens, nec meminit quòd sit inflammatio cerebri, & similiter infrà dum de Catalepsi, *c. 4.* & Cathocho agit, *c. 5.* dicit fieri sanguine cerebrum implente, non dixit ex cerebri phlegmone. Et de Caro, quòd fit ex humoribus frigidis & humidis cerebrum occupantibus, & hoc videtur voluisse *Aphor. 42.* Galenus secundo Aphorismorum cùm pòst ea verba: omnes apoplexiæ fiunt virtute animali non potente defluere in partes infra caput existentes, subiicit: ἤ τοι διὰ φλεγμονώδη τινὰ διάθεσιν ἐν αὐτῶν τῷ ἐγκεφάλῳ συστᾶσαν, ἢ τῶν κοιλιῶν αὐτοῦ ἐμπιπλαγένων, ὑγροτάτου φλεγματώδους. Id est, aut propter aliquam dispositionem phlegmoni similem quæ in ipso cerebro constituta sit, vel ob ipsorum ventriculorum repletionem ex humidissimo pituitoso humore. Noluit dicere, διὰ φλεγμονὴν, id est, propter phlegmoné: sed διὰ φλεγμονώδη τινὰ διάθεσιν: id est, ob phlegmoni similem affectum, vt videatur sensisse cerebrum phlegmonem concipere non posse. Serapio etiam non obscuræ inter Arabes autoritatis, negat cerebrum posse tumorem vllum pati, adducitque rationem hanc, *1. Breui. c. 20.* Quæ in vltimo dura sunt vt ossa extendi nequeunt, quæ in vltimo mollia ac tenacia. Cerebrum autem est tenacis substantiæ ac mollis, ideo tumorem concipere nequit. Consistit hæc ratio in experimento, cum res mollis ac viscida dicit Serapio diuellitur, diffluit, nec in tumorem potest attolli: vt lacrimæ abiectis laricisque, tale autem est cerebrum, est enim viscidum si quid aliud in corpore, egregiéque molle. *c. 2.* Alia ratio Conciliatoris: omne quod plegmone corripitur, *c. 3.* vt Galenus docet in libro de Tumoribus præter naturam, & de Inæquali intemperie, sanguine primo venas habet, aut arterias plenas, post ex illis in cauitates sanguis exprimitur, quod etiam affirmabat tertio Artis medicæ: & tertiodecimo Artis curatiuæ: *c. 11. in prin.* at palàm est cerebrum non excipere venas, sed esse exangue, de Animalium historia primo, iuxta Philosophi scientiam: igitur phlegmoni cerebrum minimè obnoxium est. *c. 3.* Ad hæc Conciliator dicebat, quòd ex superfluorum aggregatione potest tumorem pati, non autem ex influxu per venas. *c. 16 in init. Diff. 96.* Hæc responsio non satisfacit rationi Serapionis quæ valida est, item videretur ex hoc, magis posse concipere durum tumorem, quàm phlegmonem, quod est directè contrarium Galeni sententiæ in initio adductæ. Nec ista responsio satisfacit Aëtio. Alij dixerunt, quòd potest phlegmonem pati, non tamen tumorem, & est responsio communis. Hi auferunt partes diffinitionis à definito: cum phlegmon sit tumor præter naturam, vt in libro de Tumoribus habetur. Alij è quibus Gentilis est, dixerunt cerebri primo membranas longè frequentius pati phlegmonem, & alios tumores quam ipsius cerebri substantiam, & hoc etiam Auicennam ipsum concessurum. Sed tamen dicit non demonstrare argumentum hoc est apostema igitur tumor: quia in igni sacro, Græci Erysipelas dicunt, est apostema, & tamen non est tumor. Sed hoc est contra Galenum expresse quarta Aphorismorum, aphor. 34. & ideò coincidit cum prima. Et etiam vt patet ratio Auicennæ ad hoc tendit, vt ostendat cerebrum posse intumescere, quia Serapio negabat hoc quod possit contingere, non autem quòd aliena materia non possit in cerebrum influere, igitur si ratio Auicennæ debet esse contra Serapionem, erit de tumore, & non de apostemate, sub illo sensu suo nomen apostematis intelligendo. Et ideo Gentilis damnat Auicennam, quem tueri nititur. Et quia dicebat quòd poterat fieri tumor ratione nutrimenti secutus Auicennam: respondeo quòd Auicennæ ratio non ostendit: quia nutrimentũ & augumentum, fiunt ab anima, sed tumor ille fit reluctante vi membri, ideo non sequitur, membrum hoc nutritur & augetur, igitur potest tumorem contrahere in mollibus etiam mēbris, multo minus sequatur, quia non consistent cum fuerint inæqualiter aucta. Itē concesso quod non possit fieri tumor durus in cerebro, aut saltem non facilius quā phlegmon, igitur, cum durus tumor fiat sensim & in longo tempore, & ex materia consimili nutrimento cerebri, multo minus fiet phlegmon. Respondeo igitur quod tumor durus in cerebro non potest fieri, non quia non possit materia ingredi, sed quia cerebrum cum sit mollissimum natura, antequam in scirrhum transeat morietur animal seu homo: & hæc est mens Galeni in illo loco, transire enim membrũ principale ex vno extremo in aliud, stante vita non potest, vt cor ad frigiditatem vel iecur ad siccitatem, vel cerebrum ad caliditatem vel duritiem, cum enim dicimus cor frigidum factum, intelligimus ad id quod prius erat habita comparatione. De calido autem tumore, dico quod non fit res collecta simul, & ratio est, quia hoc fit venis & arteriis plenis: & illæ sunt minutissimæ & sparsæ, ideo materia illa spargitur vndequaque, & ita totum cerebrum in suis extremitatibus & in medio intumescit æqualiter ferme, & ideo dixit Galenus dispositionem hanc esse phlegmoni similem, & non phlegmonem, & tunc homo apopleticus cadit. Cum autem loquutus est de cerebri phlegmone, cum ibi rem illam obiter nec ex proposito tractaret, intelligendum est, de ista dispositione phlegmoni simili. Et ex hoc patet cur hi qui ex hac dispositione cadunt in apoplexiam, nullum penè antequam cadant sentiunt detrimentum, nam cerebrum æqualiter in ambitu suo, & in medio vbi à membranis tangitur, leniter afficitur, inde simul totum adeo læditur, vt repente priuetur homo sensu & motu. De tumore autem molli dico & Erysipelate, quod possunt fieri, quia sunt tumores hi tales vt alter fiat sensim & ex materia proportionata cerebri nutrimento: alter

alter est tumor exiguus non dico nullus vt Gentilis: & ideo hæc possunt quanquam raro cerebro contingere. Sed Erysipelas magis lædit membranas, & fit semper in superficie cerebri, ideo non potest dici apostema cerebri, apostema etiam molle cum diuidat cerebri substantiam, celeriter occidit: ideóque Aëtius non egit de vllo cerebri apostemate, & rectè. Ratio Serapionis est bona, tendit enim ad hoc quod non fiat apostema, id est tumor conspicuus & permanens in vna parte, nam partes procidunt cerebri ob mollitiē, cum sensu digno tumore inuicē diuelluntur. Auicenna ad contingentiam recurrit, quæ res proculdubio lata est, velut si quis vellet affirmare hominem nasci posse cum iecore in sinistro latere.

CONTRADIC. XII.

Ventriculus an chilo nutriatur.

GAlenus in tertio virtutum naturalium (*cap. 13.*) dixit ventriculum sibi primo concoquere, inde sumpto ex eo quod concoxit alimento, reliquum aliis membris impartiri, quam sententiam quoad nutritionis modum declarauit etiam in secunda aphorismorum (*com. 18.*), tum etiam Auerroës secundo Collectaneorum (*cap. 9. col. 2.*) & Princeps ipse dum dixit occultum autem ventriculi primum nutrimentum quod est in eo tangit, & per ipsum contactum nutritur, clarius autem in tertiadecima tertij hoc declarauit (*prima primi doc 5 cap de vena porta tract. 1. c. 1.*). Sed oppositum habetur tertio de Temperamentis cum dixit, oportet, quod nutrit primo in ventriculo & iecore ac venis aliquam traxisse moram: igitur cum chilus non fuerit in iecore (*c. 2. in prin.*), neque in venis nutrire non potest, adducuntur & duę rationes non leues à Iacobo, quarum prima est, quod ex iisdem nutrimur dum sumus in vtero matris & extra, at tunc nutriri non licet ventriculum nisi ex sanguine deducto ex vtero matris per venam vmbilici in iecur, igitur etiam ex sanguine dum est extra vterum nutrietur à iecore deducto. Et ideo si dicis pars interior ventriculi non potest nutriri quia ad eam non pertingunt venæ ex iecore: respondemus quòd si venæ non pertingerent interius, tunc non posset nutriri illa pars & crescere dum infans est in vtero, quia tunc nullum assumit cibum. Similiter & ratio Galeni adducta in tertio virtutum naturalium, quòd omne membrum sibi laborat, non concludit, quia à natura diceret aliquis est institutum, vt ventriculus concoquat iecori, vt postmodum mutuam ab illo gratiam recipiat nam & dentes molunt cibum, & tamen non ex illo tunc nutriuntur. Quòd si dicas quod hoc non faciunt naturaliter sed à redundante: respondeo quòd & ventriculus recipit cibum per motum voluntarium. Alia ratio est, quòd ex iisdemmet nutrimur quibus etiam generamur, primo de Semine inquit Galenus (*c. 17. in fine.*), sed ex sanguine ventriculus est genitus non ex chilo, igitur etiam ex sanguine nutrietur. Est etiam autoritas Galeni sexto de Placitis Hippocratis & Platonis (*fol. 3.*) dicentis quòd omne membrum quod alij præparat totum quod præparat ad illud transmittit: quare si ventriculus præparat cibum & chilum iecori, non retinebit quicquam ex illo, nam vt in exemplo adducit, testes præparant semen glandulæ, ideo nullum habent alium meatum aliò tendentem. Pro prima tamen opinione adducuntur etiam tres aliæ rationes, prima quia si ex sanguine etiam nutriretur, nutriretur à chilo & à sanguine, quod esse non potest, ad hoc responderet aliquis quòd à solo sanguine nutritur pars interior ventriculi & nullo modo à chilo. Secundo sequeretur quòd natura mitteret chilum à ventriculo ad iecur per easdem venas per quas sanguinem traheret. Respondeo quòd hoc argumentum potius concludit oppositum, nam si ventriculus nutriretur à chilo, idem nutriretur & à sanguine & à chilo. Dico igitur quòd venæ quæ nutriunt ventriculum, non sunt illæ quæ exugunt chilum, sed chilus transmittitur prius in intestina, & ibi à iecore exugitur per venas mesaræas, in intestina non in ventriculum terminatas. Tertia ratio est quòd vacuum à vacuo traheret, nam cùm ventriculus est vacuus traheret à iecore vt nutriretur, idem contingeret ipsi iecori. Sed hoc nihil concludit, nam posset trahere vt dixi vtrumque membrum vicissim, sed diuersis modis, ventriculus à iecore per venas portæ fundo illius insertas, & iecur à ventriculo per intestina. Ita quod ab intestinis trahat per venas mesaræas. Sed hoc esse non potest, cùm intestina careant virtute attractiua. Ideò quamuis ad hoc dictum sit, quòd intestina habent virtutem attractiuam naturalem, & si non trahant per vilos, attamen mens Galeni primo de Symptomatum causis (*cap. 7.*) est quod iecur per venas illas à ventriculo ipso non ab intestinis sine alio medio trahat. Quamuis igitur dissectio non ostendat venas illas in partem interiorem penetrare, ex tribus tamen cognoscimus argumentis: primum quòd in hora famis fit suctio à iecore per illas ab ipso ventriculo: Secundum quòd pars interior ventriculi rubet: tertium quòd vt dictum est, ventriculus ex illis nutrimentum suscipit dum infans est in vtero, quia aliter interior ventriculi pars nutriri non potest. Accedit quòd bilis à iecore reiectatur ad ventriculum per has. Sed alius diceret quòd per intestina ascendit, motu naturæ contrario, sed propter impulsum. Solet adduci argumentum quòd post mediam horam ab assumpto cibo cessat fames, & nondum est genitus sanguis nouus, igitur ventriculus ex chilo assumpti cibi nutritur, ad hoc responderet aliquis quòd ista non potest esse ratio, quia pars quæ nutritur est fundus ventriculi, à chilo: sed fames fit in ore ventriculi, quod est elatius palmo ipso fundo, imò ex hoc sumitur vnum fundamentum quòd ventriculus à chilo non nutriatur, nam venæ pertingunt ad gulam vsque à quibus illa nutritur. Sed ab iisdem nutritur & ventriculus à quibus gula, igitur ventriculus à venis nutritur. Neque potest gula cum ei non hæreat chilus à chilo nutriri. Scimus etiam quòd fundus ventriculi habet sanguinem & venas,

venas, & hoc etiam Vessalius in sua dissectione testatur, sequeretur igitur quòd nutriretur sanguine simul & chilo. Hoc idem videtur Galenus concessisse dum dixit iecur trahere à ventriculo chilum per venas: & non dixit per intestina. Et Princeps etiam tertiadecima tertij dum de sanguinis vomitu qui fit ab erosione ventriculi agit. Neque est verisimile quod tota interior tunica erosione corrupta sit, ad hoc vt sanguis ex exteriore euomi possit. Sed hæc parum referunt, nisi esset quòd si Galenus vult, quòd ventriculus ex chilo nutriatur, cur dat olera & quæ habent subducere ventrem in initio cibi: vt etiam recitat de Telepho grammatico & Antiocho medico, qui ambo olera in prandio primo sumebant, & secundo de Alimentis omnia quæ aluum subducere possunt & corruptioni obnoxia sunt, ante alios cibos sunt sumenda, etenim ipsa facilè descendent, & viam aliis cibis munient, exemplumque videtur esse id de quo nuper egerat, malum persicum, & in tractione de cappari, quod magis medicamentum esse vult quàm alimentum, inquit, Vti autem oportet eo ante alios omnes cibos, & rursus de sycaminis postquam idem ferme quod nunc dixi præceperat, inquit: neque hi ordinem ciborum ignorare videntur, cum rectè in quibusdam illum obseruent, vt cum radiculas oliuas & fœnumgræcum ex garo sumunt, post hæc maluam & betam & alia id genus olera cum oleo & garo. Et in sexto de Tuenda sanitate, qui biliosum habent ventriculum, cibis aluum deiicientibus vtantur ante omnes alios, vt malua & oleribus ex oleo & garo, erat exemplum de rhetore secundo de Alimentis, atque alio cui ex consilio Galenus talia dedit ante cibum aut prohibuit, diffuse autem hæc ibi tractat nescio, si cura est habenda ventriculi, quomodo ex his non ad senectam quam primum dilabetur, vbi ex chilo nutritio fit. Dicunt quidam hoc solum in cibis quæ aluum subducunt agendum: sed cum quotidie id Galenus consulat, difficile est hanc tueri opinionem. Omnes in re tanti momenti cogitent, vnum scio, quòd à carnis esu incipere magnum ventriculo auxilium affert, talia igitur quæ aluum molliant raro accipere oportet, nam post validiores cibos sumpta totum corrumpunt: vnde melius est minorem iacturam ferre. Nutritur autem interior ventriculi tunica cibo, sed ab ipsis ventriculi venis in sanguinem transmutato, ob id cum venæ illæ etiam gulæ communicent, gula & ipsa magna ex parte à chilo nutritur, indicio est non secus cibo sed aliquanto serius famen extingui, vt potu sitim, possunt autem venæ ille sanguinem generare, inquit enim Galenus secundo de Placitis, sanguis primo in venis quæ à ventriculo ad iecur tendunt generatur, est igitur sanguis sed imperfectus, ex quo interior ventriculi tunica nutritur: scilicet non in iecore, sed ex chilo, in venis ipsis ventriculi genitus, quamobrem pars illa rubet, simile aliquid habens iecoris calori, quoniam in substantia neque ex toto absimilis est. Ad Galeni autoritatem in libro de Placitis Hippocratis, intellige quòd non transmittitur pars aliò, sed bene potest retinere pro se, vt in exemplo de iecore, quòd nutritur sanguine, quod fit ex eo quod defertur ex ventriculo & intestinis, & in reticulari plexu cerebri, nam palàm est venas plexus illius sanguine nutriri, & tamen dicit quòd præparant nutrimentum cerebro.

3. virtu. naturali. c. 13. in initio. — *tract. 5. c. 11.* — *cap. 19.* — *cap. 34.* — *cap. 11.* — *fel 3.* — *cap. 22.* — *cap. 7.*

CONTRADICT. XIII.

Hecticarum an duo genera tantum.

Galenus primo de Naturalibus facultatibus, ponit quinque genera humidorum quæ non sunt humores: primum, quòd in vasorum extremis continetur: secundum quòd dispergitur, vocaturque apud Auicennam rosa: tertium quod adiungitur: quartum, quòd agglutinatur: & quintum quòd assimilatur, ostendit autem tria hæc vltima genera inuicem differre, quasi manifestè aliis primis duobus tum inter se, tamen ab aliis differentibus. Nam dicit cùm λεύκη morbus sit in quo corrumpitur humor agglutinatus non autem assimilatus in ἀνασάρκα autem adhæres, & nondum agglutinatus: verùm tabes, & ἀτροφία ex quolibet horum generum consumpto fiunt, vt septimo Artis curatiuæ, & in libro de Tabe, tum etiam in primo Prognosticorum edocet: ideo & humidorum genera quinque præter humores, & totidem hecticarum esse videntur. At Auicenna ponit tantum quatuor genera humidorum præter humores, & tria tantum hecticæ genera hoc exemplo claro ea distinguens, in lucerna est oleum, quo lucerna repleta est: est oleum quod iam in licinio imbibitum est, est ipsius licinij humidum, proprium quo licinium continuum est atque vnum, cùm in oleo lucernæ ignis accenditur, fit species prima hecticæ: cùm in oleo imbibito secunda: cùm iam ardet licinij proprium humidum tertia. At decimo Artis curatiuæ dicit ardentes huius generis, nisi prius mors occupet, in hecticas primo, & pòst in marasmodes transeunt. Pòst clarius etiam duo tantum illius genera esse declarat, dicens: Nam primum huiuscemodi febris proprium humidum ex quo nutriuntur partes inuadit: hinc verò ad carnosum genus transit, quod circa tamen fibras tum menbranas quæ solida sunt nostri corporis membra hæret, ita deinde ipsas solidas depopulatur, docet autem has partes carnem membri vocari posse. Atque in his verbis magnus quidā vir deceptus est. Paulus in hoc sensu duo genera tantum constituit, hecticam quæ curationi cedit, & marasmum insanabilem: vult autem primum genus aliquando sponte oriri, aliquando ex febribus ardentibus. Sed hoc ad causam pertinet, non ad febrium hecticarum species. Quam sententiam videtur sequutus ad vnguem Alexander Trallianus, vt nulla ex parte ab hoc discrepet. Actius tamen ex Græcis quatuor illius genera docuit: primum, inquit, cùm calor febrilis eliquat & reficcat substantiam in partibus velut ex humore concretam, vt pinguedinem ac carnem: deinde proprium humidum

cap. 11. — *lib. 2. c. 32.* — *lib. 5. c. 22. in init. lib. 5. cap. 93. in princip.*

midum consumit ex quo corpora nutriuntur, quod circumfusum sanè atque dispersum est instar roris circa omnes animalis partes, hinc verò ad carnosum genus transit, quòd fibris ac membranis quæ solidæ sunt animalis partes circumiacet, quod sanè discindentes coqui abiectis membranis ac fibris tollunt. Exactum autem eius complementum in hoc est, si ipsa solida partium similarium substantia siccior facta est: atque tunc tabida febris nominatur, primum igitur in humido carnium, secundum in humido quod solidorum concauitatibus inest, nondum tamen illis adhæsit, tertium in carne ipsa, quartum in humido quod iam agglutinatum est solidis: vocaturque hoc genus tabes. Ioannes Damascenus quoniam Arabes omnes sequuntur tria illius genera docet, inquit enim, humor quadrifariam in nobis continetur in venis & arteriis, quo succenso putrida febris exoritur: in vacuis partibus membrorum, quas Græci πόρυς vocant, hoc succenso fit hectica primi generis: sin humidum carnium secundum genus, quod μαρασμός: sin humidum solidorum proprium, tertium genus quod μαρασμώδης à Græcis appellatur. Auicenna in hoc à Græcis differt, quòd ipsas tres species distinguit humidi ipsius ratione, non partium aut solidorum, & sic cogeretur quinque efficere, verùm, cùm accenditur in humido, quòd adhuc est in ore venarum hectica est: quia primo non est ex certo humoris genere: secundo, quia lenta: tertio, quia consumit corpus, illud proprio Priuans alimento: quarto, quia illico transit ad humidum sparsum. Tertij autem generis hecticæ Auicennæ, quia aliquando constat calor febrilis in agglutinato humido, sed nondum assimilato: aliquando autem in assimilato duæ iterum erunt species, quarum prima erit sanabilis, etsi admodum ægrè: secunda, prorsus insanabilis, aut forsan quispiam, neque primam sanari posse affirmaret, cùm Galenus solidam partem sicciorum ex humido proprio factam, nolit posse restaurari. Verùm hoc indiscussum relinquatur, nam consumpto quod continetur in meatibus humido, curam edocet in septimo Artis curatiuæ libro, consumpto quod assimilatum est, cura est impossibilis, dixit, de eo autem quod agglutinatum est, nondum tamen assimilatum, non satis apertè locutus est, existimo autem sanari posse, quia & ratio ostendit, & quia duos nobiles in nostra ciuitate alterum de Casate, alterum de Roma, sanatos ita vidi ac impinguatos, vt multis etiam postea annis superuiuerent, vt non iam fuerit transmutatio tabis, sed vera sanatio. Sed Galenus non distinguit ab humidorum substantia hecticarum species, sed ab ipsis quæ consumuntur partibus, & quanquam duo tantum genera videatur constituere, si quis tamen seriem illius non conniuentibus vlla ex parte oculis inspiciat, quam in decimo Artis curatiuæ diuisionis posuit, tria genera atque apertissima, longéque aliorum qui eum secuti sunt, diuisionem faciliorem inueniet, primum, cùm siccatur caro: secundum, cùm caro consumitur: tertium, cùm solida ipsa membra siccantur: patet autem illa consumi non posse, quare, quartum genus dari non potest. Primum curatur: secundum, vt magis processerit, eò fit difficilius: cùm autem tota caro absumpta est, vix fieri potest vt etiam solida substantia membrorum non sit siccata, atque sic in tertio genere iam sumus quod insanabile est, ideóque illius eo loco sententia videtur perdifficilis, quoniam secundum genus curare docet idem, sed iam exactum dixit insanabile, quòd vix fieri possit, vt tertio non coniungatur, cùm ipsum finem suum attigerit. Circa humidorum quæ secunda vocat Auicenna, iuxta illius sententiam tractationem, quatuor genera ponuntur: primum, in osculis vasorum: secundum, sparsum in concauis partibus membrorum: quæ ambo, iuxta Galeni sententiam, describuntur: tertium autem, est quòd agglutinatum est atque assimilatum, quo ad accidentia, non autem quo ad substantiam, atque in hoc à Galeno dissidet: primo, quia huius sunt duæ species, quòd apponitur, sed nondum est agglutinatum: & quòd agglutinatum est. Secundo, quia Galenus hoc non vult esse assimilatum, nec quo ad substantiam nec quo ad accidentia. Nec enim (& est tertium in quo dissidet) concederet Galenus posse aliquid secundum accidentia assimilari & non secundum substantiam ipsam. Quartum genus, quòd quinto Galeni correspondet, Auicenna facit seminale, vt ita dicam, humidum: Galenus autem nouiter genitum putat, vt etiam in primo de Tuenda sanitate, atque id rationi consentaneum: nam si nondum assimilatum humidum tertij generis aut quarti est, iam assimilatum in aliquo ordine collocari etiam debet, vnde mirum est de Auicenna qui loco illius seminale ponit, neque dicendum est ipsum intellexisse quòd consumatur antequam assimiletur: non enim augumento locus esset, quid igitur, an oblitus est? certè non, ergo existimat illud quod in nobis humidum agglutinatum atque assimilatum est, nostrorumque membrorum pars est, nunquam tamen fieri simile seminali secundum substantiam, secutus in hoc Philosophum vt credidit volentem, vt à diuersis agentibus specie ac producentibus diuersa specie efficerentur. Sed non differunt specie homo qui semen generat, & genitus qui alimentum transmutat, ob hoc superstitiosa ac nullius vtilitatis est hæc Auicennæ differentia. Galeno igitur magis credendum est, tum de hecticarum tum de humidorum diuisione scribenti, & si primo Prognosticorum oscitanter hanc humidorum diuisionem tractanti, quòd ibi exquisita dignotio non tam esset necessaria: quartum illorum genus, quòd apponitur, sed non agglutinatur prætermiserit. Veritate igitur patefacta facilè est intelligere, quonam pacto Galeno cæteri Græci accommodari debeant.

lib. 2. c. 11. post princip.

cap. 2.

CON

CONTRADICT. XIV.

Corpus temperatum an omnes operationes habeat perfectißimas.

tra. 6. cont. 9. Existimo te meminisse quod iam declarauerimus dari corpus temperatũ in superiore libro: tum verò in hoc tria esse quæ ad elementa pertineant, per quæ corpus corpore perfectius euadit. An igitur corpus quod æqualiter ex elementis, quo ad vires constat, omnes habeat operationes perfectissimas dubitari solet? demiror autem eos qui illud esse posse negabant, hoc de illo quærentes, nisi forsan, propinquiorum rationem habere voluerint, non exactè temperatorum, esse autem duplicem perfectionem in sensibus ex verbis Aristotelis iam te docuimus. Igitur Galen. in libro de Optima corporis constitutione inquit: Quòd verò huiusmodi corpus rectè ad vnamquanque se habeat actionem, difficiliusque cæteris corporibus morbis corripiatur, id facilè à quouis deprehendi potest, inde in subsequentibus verbis, quod de omnibus simul operationibus, & non singillatim intelligat, intemperatóque præferat temperatum, edocuit, dicens: quòd siccum (licet humidis causis, & humidum siccis, & densum exterioribus) magis resistat temperato, nihilominus tempatatum & siccis & humidis, & exterioribus, & internis melius omni alio corpore resistit, tandem quod generatum intelligendum sit in fine illius libelli docet. Quod etiam non singillatim possit habere omnes operationes perfectiores ostenditur: primo, quia eadem est comparatio hominis perfecti ad imperfectum (perfectum autem nunc ac deinceps temperatum volo intelligi) quæ imperfecti ad belluas, nam humana constitutio belluarum comparatione proxima est medio temperamento ex elementis: igitur homo primo deterius odorat quàm reliqua animantia multa: igitur non in omnibus vincit. Docent hoc præterea quæ superius deduximus: etiam in auditu verba Philosophi, quinto de Generatione animalium, dicentis: Homo pro sui magnitudine minimè procul audit. Tum elephas vitæ longitudine antecellit, vt superius demonstratum est, omitto nunc de leporibus quòd velocius currant: de capreolis, quòd leuius ac vehementius saltent: nam hæc non intemperiem, sed in formam membrorum referri possunt, quamquàm & ad hoc non parum videatur conferre sicca calidáque temperies. Sic sensuum robur secundo Artis medicæ, & claritatem, siccis temperamentis aut calidis ac siccis tribuit Galenus, cum prius tamen de his siluerit temperati cerebri signa describens. Id vero dicunt vix effugere licet: quòd puer temperatum habens cerebrum non iuxta ætatis rationem, sed simpliciter, si deterius discit puero temperato, cerebrum habente pro totius corporis ratione, igitur humidum cerebrum. Nam tale est pueri exactè temperati, promptius est ad operationes temperato. Si autem melius, non igitur operationes corporis temperati, sunt semper intemperati operationibus meliores, cum in pueritiæ ætate superentur. Quinetiam Aristoteles in Problematibus fatetur illos qui studio artibus administratione que claruerunt, natura non temperatos sed melancholicos fuisse. Secundo quoque Prognosticorum, & tertio de Symptomatum causis, ac etiam sexto de Tuenda sanitate, docet Galenus naturales puerorum functiones validiores esse imò validissimas, primo cum vrinarum subtilium redderet rationem exitiũ, decernentium secundo cum eas reliquis comparat operationibus, tamen etiam ætatibus, at luce clarius est pueros intẽperatos dici posse collatos ad iuuenes, iuxta Auicennæ prima primi sententiam. Accedit quod ex Galeni sententia, secunda Aphorismorum quælibet virtus à propria qualitate sibi congenita iuuatur, vt à calore attractiua, igitur calida temperies melius temperata attrahet, atque eadem ratione in aliis functionibus dicendum erit, propter hæc quærebat Philosopus in libello de Memoria & reminiscentia, cur qui plurimum valent memoria, reminiscentiam habeant imbecilliorem? manifestum est igitur non posse aliquem hominem omnes operationes perfectissimas habere, & sicut in compositione, qui cauos habent oculos melius, id est magis procul vident, quinto de Generatione animalium, & qui longa habent crura celerius currunt, ita in temperatura quædam intemperies, absoluta temperie, quibusdam functionibus sunt aptiores. Si etiam perfectissimæ essent operationes temperati, vt propinquius homo accederet temperamento, ita melius ac perfectius functiones suas ageret, at hoc falsum est, melius enim concoquit ventriculus calidus in secundo ordine, quàm frigidus in primo, meliusque appetit frigidus in secundo, quàm calidus in primo, vt Galenus secundo Artis medicæ docet, quidam etiam dicunt tactum subtiliorem aranearn habere quàm hominem, nam ipsa sentit leuem motum fili suæ telæ, quem proculdubio nullus homo sentiret, & si diceres quòd perfectio sensus consistit in cognoscendo plures sensibilium differentias tantum, non in acutius sentiendo: obstat Galeni sententia primo de Symptomatum causis dicentis, perfectio sensus constat in sentiendo minima sensibilia & procul, quàm sententiam videtur confirmasse Auerroës tertio Collectaneorum, cum dixit tinnitus fit vel propter auditus acumen: quia etiam sentit omnem paruum motum qui fit in aure, vel propter aërem ibi præter naturam existentem. Auicenna tamen suo more retulit quandoque tinnitus causam, in auditus acumen, & quandoque in instrumenti debilitatem. Sed hoc illis sufficere videtur quòd sensus perfectio, tamen hæc exigat, vt procul & minima percipiat: & si hoc ad aliam causam quandoque referri possit. Est & alia dubitatio quia æqualis temperies non est vitæ longioris omni alia, cum calida & humida in hoc vincat, teste Galeno, vel etiam humida tantum sexto de Tuenda sanitate dicente: Quod ad ipsius temperamenti rationem attinet, qui maximè humidi sunt, maxime etiam sunt

Marginal notes: tra. 5. cõt. 14. — cont. 9. huius tract. — c. 1. — c. 3. — cap. 4. — cont. 9. c. 2. — tra. 5. cont. 14. — c. 10. & 11. — cap. 7. — par. 30. problem. 1. — com. 35. — cap. 30. — cap. 1. in fine. — doc. 3. c. 1. — com. 10. — cap. 2. post med. — c. 1. in fine. — tex. 56. & 57 — c. 2. in fine. — cap. 37. — quarta tertij cap. 9. — fol 2.

sunt longæui. Iidem vbi corpus ad robur peruenit, sanitate plus cæteris fruuntur: & cæteris qui eandem ætatem agunt validiores vsque ad senium extremum manent. Ideoque medicis omnibus tum Philosophis, quanquam hoc vnum temperamentum ab initio aliis imbecillius sit, secundum naturam esse præ cæteris omnibus probaríque videtur. Et Philosophus in libro de Longitudine & breuitate vitæ docet calidum bene pingue quoniam putrescat minimè, & plurimum humidum, quòd tarde siccetur, vitam efficere longissimam. Illud etiam ferme exemplo regionum habetur, vt in libro de Philosophorum historia, seu is Galeni, seu Plutarchi, seu alterius inclyti viri fuerit; nam non in regionibus temperatis, sed in Britannia, vita hominum est longissima, vt quæ pluribus vltra centesimum annum, nonnullis etiam vsque ad centesimum vigesimum producatur. Ratio id confirmat, nam cum corpus semper siccescat ab initio natiuitatis, refrigeretur etiam à summi vigoris tempore Galeno teste, necesse est vt calida & humida temperies aliqua post mediam ætatem tunc temperata sit, cum quę ab initio commoderata fuit, iam frigida & sicca non parum existens, senectutis limites ingressa est, atque idcirco in calida & humida omnes ætates magis proferri consentaneum: vt longior sit pueritia, adolescentia, iuuentus, atque senectus, eóque totus vitæ cursus diuturnior. Et vt nihil prorsus intactum relinquatur morbosiora etiam videntur temperata corpora quibusdam intemperatis: siquidem Philosophus quinta Problematum quærit cur temperata corpora & quæ modicè constant, sæpius in morbum incidant, octauo etiam Artis curatiuæ & prima quarti Auicenna, volunt quòd temperatis corporibus, vt quatuor sunt proniores intẽperies, ita quatuor aliæ minus pronæ ad febres: frigida & humida, & quæ ex his componitur, tamen etiam frigida & sicca, laborat & homo pluribus morbis quàm cætera animalia teste Philosopho. Et si etiam temperatum morbus inuadit, quandoque facilius perit, rariusque liberatur quibusdam qui non admodum sunt temperati, nam ex apoplexia, qui frigida sunt temperie, & facilius seruantur, & tardius quàm qui temperati sunt moriuntur.

cap. 1. — *cap. vlt.* — *problem. 22.* — *cap. 8.* — *cap. 2.* — *8. de histor. animal. c. 24.*

His tot tantisque suffragiis Trusiani opinio de temperati corporis functionibus fulcitur. Quinque enim modis operationes in corpore temperato possumus comparare, vel vt singulæ singulis intemperati perfectiores sint. Vel vt aliquæ tantum, quibusdam tamen corporibus intemperatis generatim sumptis perfectioribus operationibus tẽperatum vincatur. Vel vt aliquibus intemperati corporis functionibus melior, vniuersè tamen sumptis omnia corpora intemperata operationum perfectione vincat, vel etiam vt omnia intemperata corpora vincat generatim operationem perfectione, nullam tamen obtineat perfectissimam, sed in singulis modo à calidis modo à frigidis vincatur, vltimo quòd nullus est ausus affirmare, vt nullam operationem perfectissimam habeat: nec generatim etiam omnia imperfecta corpora operationum perfectione vincat. Sed nec quòd nullam habeat perfectissimam operationem, neque quòd vniuersè sumptis ab alio corpore vincatur, vllus ausus est dicere. Relinquitur igitur vt vel generatim solum operationibus sumptis præcellat, vel etiam singillatim. Horum vtrumque duobus modis contingere potest, vel perfectione quæ in exquisito sensu operéve contingit, vel in robore: vt cum procul audimus, vel celerius non tamen firmius currimus. Ergo temperato homini vitales operationes in summa perfectione omnium ferme consensu insunt. Cæteræ pro qualitate etiam ac perfectione, non tamen quòd validiores sint intemperatorum operationibus, singillatim sumptis, verum vt dixi generatim tantum. De hoc igitur prima quæstio erit. Altera an eadem sit comparatio hominis ad belluas, quæ temperati hominis, ad eum in quo qualitates duæ vel vna vincit, vltima an etiam vt ad actiones se habet, sic etiam ad morborum ingruentium resistentiam. Itaque quod homo temperatus habeat singulas operationes perfectiores operationibus cuiuscunque intemperati, ostendo ex sententia Galeni in libro de Optima corporis constitutione dicentis: quòd non nisi per longa temporum interualla hic inuenitur: si igitur generatim solum haberet perfectiores operationes, cum necesse sit aliquem semper esse quæ omnes alios operationum perfectione antecellat, aliter esset processus absque fine, vel enim ego sum vel Socrates & si quisquam melior Socrate: tandem ad eum deueniemus, quæ vniuersè sumptis operationibus erit præstantissimus. Semper igitur erit homo temperatus, nec longis temporum interuallis indigebit. Respondebitur forsan semper dari hominem qui sic præcellat, non tamen omnis talis erit temperatus: neque enim conuertuntur. Sed quomodo agnoscam temperatum hominem illum, si nec singillatim operationes omnes habet perfectiores neque quæ præcellit omnibus vniuersè sumptis, ob id temperatus dici debet, nam operationes faciunt instrumenta alia esse, secundo de Anima inquit Philosophus, & Auerroës dixit illas esse principium cognoscendi virtutes. Accedit quòd Galenus in eodem libello cum proposuisset de corpore temperato duo, alterum scilicet quòd operationibus præcelleret, & quòd minime morbis esset obnoxium, horum postremum generatim in sequentibus verbis intelligendum edocuit, de primo nihil dixit: quare absolute & singillatim hoc erit dictum, quod & secundo de Temperamentis his verbis declarabat: temperatum corpus omnes tum animales tum naturales virtutes inculpatas habet, cum & sensuum facultatibus, & membrorum motibus, optimè præditum sit. Quòd etiam luce clarius ostendit secundo Artis medicæ, cum dixit: tale corpus esse veluti Polycleti statuam, quam liquet nõ vniuersè sed sigillatim ex omnibus membris fuisse absolutam. Mirumque videtur cum omnia intemperata corpora fermè quibusdam operationibus præcellant, nam id omnino necesse iuxta illorum decreta solum temperatissimum nullam habere optimam.

cap. 3. — *t. c. 31.* — *1. collect. c. 7. ante medium* — *c. 4.* — *c. 1. in fin.* — *c. 45.*

At

At dicent vitalis atque alia quæpiam forsan in illo optima est, imperite igitur admodum Galenus fecit, qui intemperatorum functiones optimas descripsit, temperati corporis omisit. Forma etiam iuxta Galeni sententiam corporis animati anima est, ex illius mixtione producta, quod satis in libro de Animi immortalitate ostensum est. Temperati igitur hominis anima vndequaque absoluta, illa vero operationum principium, & quâ ratione vnam perfectam efficiet, eadem & omnes, operationibus enim vt dicebat Philosophus tertio Cœli, corpora distinguuntur & dignoscuntur. Ipsi etiam qui sic credunt coguntur contraria propriæ sententiæ ex suis fateri decretis, nam si quis temperato vniuerso ad amussim corpore, membrum vnum ex exterioribus, tale habeat, quale ipsi prædicant ex intemperie optimæ functioni paratum, vt vel aurem iusto sicciorem, vel oculum humidiorem, habebit hic generatim, cum in reliquis æquales temperato habeat membris, functiones illo ipso meliores. Sicque intemperies temperiei præstabit, nec in hoc finé postmodum imponere licebit, hic manus, ille aures etiam, altero & oculos superaddente. In primo etiam de Tuenda sanitate cum Galenus docuisset quòd quamuis homo non sit robustus vt Milo Crotoniates, nec videat vt lynceus lupus, tamen debet dici robustus & bene videns, quando hęc plusquam mediocriter illi adsunt eodem modo inquit de sanitate dicendum est, quamuis enim non omnino sit illa perfectissima, tamen homo debet dici sanus, si igitur homo temperatus perfectissima vtitur sanitate atque etiam solus: & perfectissima sanitas non est, nisi cum operationibus perfectissimis tam vitalibus & naturalibus pro toto, quam etiam sensibilibus pro sensibus & rectricibus pro cerebro ac motiuis, igitur corpus temperatum omnes operationes perfectissimas habet. Auicenna quoque quem iam prædiximus vbi non Gelenum citat sequi illius opinionem, cuius se facit expositorem inquit: Quum enim operationes secundum naturalem cursum procedunt plenè perfectè, significant temperaturam æqualem. Quod si mobiles sint plusquam decet caliditatem abundare significant, & deinceps luce clarius docet, si quis eum diligenter legat, ab intemperie nullam perfectam functionem proficisci posse. Vnde post dum temperatæ temperaturæ signa declarat, dicit quòd ipsa functiones perfectas habet, vtiturque nomine complementi, quòd & si durum sit, euidentius tamen absolutam operationum perfectionem nobis declarat Scio quemuis libenter manus daturum modò liceat tot in contrarium adducta euadere, dico igitur quòd corpus temperatum omnes operationes habet perfectiores, quolibet intemperato corpore, seu mauis Latinè magis dicere inæquali singillatim, non tantum vniuersè operationibus omnibus sumptis, meliusque omnibus morbis resistit, & omnes operationem tam communes, proprias perfectiores habet singulis animalibus, modò non sit differentia in instrumentorum compositione, ideo non curret magis quam lepus, quia non habet quatuor crura, neque duo longiora posteriora anterioribus, & habebit etiam operationes perfectiores perfectissima planta, & multas cùm hoc seorsum ac sibi proprias, quæ nulli alteri conuenient, & erit quasi ad similitudinem Dei in terra, oportet autem quòd in tali sint elementa in vltimo refracta, & æqualibus viribus mixta, & ad partes minimas. Hæc autem omnia sic ostendo argumentis satisfaciens, omnes fatentur quod virtus vitalis in illo robustior est, & melius etiam concoquit, quia calor est validissimus, id est, ob multitudinem partis igneæ: nam tale corpus erit densissimum, quo ad solida, vt ostendi in libro de Subtilitate, non dico quoad cutem: nam in hoc erit mediocre, & humidum illud erit pinguissimum, & calor in vltimo refractus minimè consumens, & minimè ad morbos paratus: igitur talis homo erit longissimæ vitæ inter homines. Sed & inter animalia cætera, nam Aristoteles solum elephantem diuturniorem facit homine: hoc autem generaliter est intelligendum, elephas ad summum viuit annis iuxta illius opinionem, vt dictum iam est ccc. at prætermissis fabulosis aut antiquioribus historiis. Ionnes de Temporibus sic vocatus. ccclxi. annis vixit. Nam is sub Carolo magno Cæsare sub quo militauit, mortuus est Lotharij Imperatoris temporibus: iuxta annum salutis nostræ M.CXL. eiusdem Caroli magni ætate Ricardus quidem CCCC. quoniam tamen, vt dixi, hæc rara sunt, Aristoteles pręlulit elephantem, moritur & homo longè celerius quàm ei naturæ necessitas imponat, ob curas, labores & voluptates. Galenus calidam & humidam prætulit, quoniam facilè possit inueniri, huius operæpretium fuisset curam instituere, si hæc fuisset illius iudicio diuturnior, sed & in primo, & in quinto, & sexto de Tuenda sanitate testatus est se temperati hominis vitam, non calida & humida temperie præditi instituere. Sic etiam cùm dixit corpus hoc magis à calidis morbis vexari, quàm frigidum: & rursus, ab externis magis quàm densum, verum est qualitatum ratione, non tamen facilius ægrotat: quia calor validior, & membra firmiora magis resistunt, ibi autem solùm docere voluit quod meritò temperaturæ accidere consueuit, quò fit, vt lædi dicat facilius non auté ægrotare. Sic & iuuenes à calore quem exercendo immodicè concipiunt, senioribus facilius læduntur, non tamen facilius ægrotant, ob virium robur. Quod ad odoratum auditumque attinet: dicebat Auerroës quod vultur habet oculos carbunculo similes: ideo maximè procul videt, causa igitur prima perfectionis sensus est temperies, secunda constitutio instrumenti: ideo Aristotelis dictum de oculis cauis intelligitur, partibus aliis causis existentibus. Quia enim humana natura, vt declaraui, omnium viuentium implet latitudinem: ideo in omnibus fermè viris aliquid est minus validum, natura autem cùm in aranea nulli alteri rei studeat quàm tactui, & in apro quàm auditui, & in cane quàm odoratui, & in vulture quàm visui: ideo videntur generaliter hæc animalia præstare homini, in genere illo sentiendi, cùm tamen homines aliqui

1 cap. vlt. — *cap. 5.* — *4. de Genera. animal. ca. vlt. in princ.* — *3 collec. c. 38.*

aliqui longius perspiciant vulturibus, vt de Strabone vocato narrat Plin. qui ex Lilibæo naues in Carthaginiensium portu nnmerabat, & de illo qui Iliada Homeri, qui nuce contineretur, in chartha scripserat, idem de aliis sensibus, concoquit,& melius Struthio aue, & si ferrum non concoquat, illa enim pomum in substantiam suam vertit, homo in humanam, quæ elementa ad summum haber refracta, faciliusque longè aliquid ferri concoquet homo, quam Struthio pomum in humanæ substantiæ æquè perfectam carnem vertat,iuuaturque dissimili instrumento auis, cùm longè crassiorem habeat ventriculum, pari igitur instrumento, manifestè omne animal ab homine superatur impari, interiore tamen,etiam semper,sed occultè. Declaratum est autem temperatum hominem omnes alios sensibus atque aliis functionibus superare, vt qui omnia bona in se colligat, quare etiam reliqua omnia superabit animalia, vincit igitur & elephantem vita, quoniam nobilissimam ac maximè necessariam actionem, nobilissimum animalium,quod est homo,par fuit habere perfectissimam ac maximè constantem, hæc autem vita est, non tamen excedit plantas:non est enim in his calor qui cum motu consumat humidum, quare neque paria instrumenta,vincitur igitur vitæ longitudine à quercu & oliua & non paucis aliis arboribus. Sed cerebrum siccum sensus habet claros comparatione aliorum inæqualium corporum,& Meritò qualitatis tantum, non autem formæ atque substantiæ. Dixerat enim prius, Ingenium tenuem cerebri substantiam,memoria firmam, discendi facilitas formarum facilè susceptiuam ostendit, hæc igitur non qualitatum, sed substantiæ propria esse declarat. Puer ille melius discet qui temperatus est,ea de causa,quòd substantiam habet meliorem, non autem is qui ad puerum comparatus iustò siccior est, nec enim sic intelligendum est temperati nomen,quòd temperiē habeat ætati non proportione respondentem. Aristoteles autem ab initio non negat fuisse temperatos illos sapientes, neque Galenus pueros præponit viris, sed æquat: at de hoc aliàs cùm dictum sit,nihil etiam ad institutum pertinet. Iam verò si de functione vitiosa agendum sit,immoderantiam consequi potest: si de vtili tantum temperamentum. Memoria plerumque quòd tarditate quadam constet, à reminiscentia optima seiungitur: non tamen semper, regulæ autem necessariorum. Quod verò medij eadem ratio sit, & eorum quæ medio sunt proximiora,nondum concessum est: si tamen concedatur quæ magis procul absunt,deterius concoquent, modò ea æqualitas ad vitium operationis non ad qualitatis magnitudinem referatur. Neque calor adeò concoctionem euertit,vt frigiditas. multò tamen minus discrimen est, quàm multi existiment: si de calore elementi, & non de naturalis caloris magnitudine aut paruitate intelligamus. Ratio regionum rationi substantiæ corporis non par est,cùm in illa solùm modica resolutio ad vitæ longitudinem quæratur: in hac autem est consistentia firmior humidi, & caloris robur, soliditasque membrorum, ideo in frigidis regionibus atque humidis, modò putredine vacent, vita est longissima hominibus. Cùm verò dicimus temperata corporis prius sicca euadere, falsum est ob quinque causas prius enarratas caloris moderationem, humidi pinguedinem, membrorum soliditatem, meliorem in dies restaurationem, morbosque rariores. Per modica autem & temperata corpora, facilius & ægrotant,& liberantur, Aristoteles non intellexit temperata, nisi temperatam, id est, moderatam magnitudinem intelligamus, iacent enim verba Philosophi hoc modo Διὰ τί τὰ σύμμετρα τῶν σωμάτων κάμνει τε πολλάκις: id est, propter quid magnitudine commēsurata corpora sæpius ægrotant: cùm σύμμετρα, & commensurata significaret,& etiam temperata, ille ambiguo nomine titubans, vtrunque significatum explicuit,quo errore Gaza, alioquin magnus vir, libro de Animalibus omnes Aristotelis inuoluit. Solet autem Philosophus cum ambiguo nomine aliquid explicat subiicere id cuius cōtemplatione facilè sit intelligere, quo in sensu debeat arripi, itaque non de temperie agit in solutione Problematis, sed solùm de magnitudinis commensuratione. Quò factum puto, vt hoc errore decepti sex expositiones alij dederint, quæ omnes præter id quod non satisfaciebant literæ Philosophi, neque ipsius rei difficultatem tollebant. Quod verò de febribus dicitur ad qualitatis tantum rationem referendum est, velut & illud secunda Aphorismorum, quòd quisque facilius in consimilem labitur intemperiem, & facilius sternatur, non tamen facilius ægrotant temperata corpora febribus,ob virium robur,& si qualitatibus ipsis minus frigidis atque humidis, quæ à febrium incursionibus magis remota sunt omnibus aliis resistant. Apopletici autem frigida temperie, si æquali morbo detineantur cum temperato celerius suffocabuntur, magis læsis respirationis instrumentis, si autem æqualiter læsa sint, haud æqualiter ægrotant: quare argumentum nullum est. Hominem autem pluribus morbis subiici par erat cæteris omnibus animalium generibus:cùm, vt dixi, omnium animalium temperiem subeat, dico autem leonis, formicæ piscis, atque ideo etiam maximè variis morbis laborare, imò omnibus his, qui animali cuiquam, vel etiam placitæ contingere possunt, cùm enim temperiem vires & propria cuiusque tum munia tum miracula viuentis subeat, necesse est & cuiusque viuentis morbos sentire, at omnibus resistit temperatura æqualis, quæ cum Strabone melius videat, subnatet aquis melius quàm Nicolaus Ligur, audiat vt longissimè, odoretque, Cyneæ memoriam possideat, viuacior sit elephanto, persanet splenis vitia digito pedis, ingenio superet Archimedem, eloquentia naturali Ciceronem,multaque alia innumera efficiat, quæ singula pro miraculo haberi soleant:his omnibus in vnum collectis, palàm est eum qui tali temberie præditus sit admirationem maximam populis præbiturum, próque diuino homine habendum, ac quasi Deum inter mortales cohabitaturum: præsertim virtutibus sibi inuicem suffragātibus, vnde prodigia

2. Artis. med. c. 6.

digia miraculáque efficere poterit. Rarò autem talis homo nascitur, vbi autem quomodo & quando in aliis libris à me dictum est. Sed hæc medici considerationem excedunt.

CONTRADICT. XV.

Virtus sensitiua & mouens an cum spiritu per neruos necessariò diffundatur.

MEmbris ipsis virtus innata est vitalis ac naturalis, quæ si diu potuisset per se conseruari nullo auxilio indiguissent. Sed cùm seruari diutius virtutes hæ nequirent, arteriis ac venis indiguerunt. At virtutem sensitiuam membra ipsa ex se non habent, sed veluti splendor quidam Solis virtus illa per neruos eis ex cerebro influitur: inquit Galenus primo de Locis affectis, & antè etiam clarius longè his verbis. Præterea aliteris affectus videtur cui meatus ex cerebro ad oculos descendens obstructus est: aliter ille cui propter spinæ imflámationem (etsi quodam modo affectus huic similis sit) resoluta sunt crura: atque aliter ille cui vox aut periit aut vitiata est. Etenim ad crura facultas quædam, sed citra essentiam descendere prohibetur: ad oculos autem etiam cum essentia: verùm ad guttur, etsi materia perueniat, non tamen illius sufficiens quantitas est. Ex his verbis clarum est Galenum voluisse, quòd virtus mouens, quæ ex cerebro membris per neruos aduenit sine spiritu deferatur, videndi tamen facultas cum ipsis spiritibus ad oculos venit. Et rursus, in sextodecimo de Vsu partium, reddens rationem cur nerui visorij sint caui, & è ventriculorum cerebri finibus explantati, dicit vt spiritum splendidum haurire ex cerebro possent, molles autem quia prima sensus operatio fit patiendo, qui autem nerui mouent duri ac parui & ex spina explantati, nec manifestè caui, igitur velle videtur solam virtutem in motu, non spiritum esse necessarium: nam & ipsi eodem modo ex cerebro saltem, si non propè ventriculos illius, non ex spina exorirentur. In primo quoque de Semine astruit, neruos sensibili carere cauitate. Primo quoque de Vsu partium inquit, Venæ deferunt sanguinem, calorem autem arteriæ, vt conseruent eum qui innatus est membris: nerui autem sentiendi & mouendi facultatem à cerebro acceptam membris impertiunt. In secundo etiam de Symptomatum causis, cùm de mouente virtute diutius verba fecisset, nulla spirituum habita mentione, inquit, tandem: Iam crassi glutinosique succi, cum sic viam virtutis obstruunt, vt parcior influat, tremoris causæ sunt ac potissimum cum prorsus obstruentes, reliquorum etiam neruorũ partes aliquas resolutas efficiunt. Hoc autem, vt mihi videtur, etiam clarius declarauit in primo libro, dum de corporis causis agit, his verbis: Atque quòd animalis quidem virtus siquidem meatum aliquem, tanquam certam viam, à cerebro per neruum habet, hoc obstructo impedietur, cuius arbitror pateat. Quinetiam compresso extrinsecus neruo angustia meatui eius continget, ne id quidem vllum lateat. Quòd autem & si nullus sit meatus, sed tanquam per aquam vel aërem solis radij transeunt, sic principij vis per ipsum corpus neruorum permeat. Dubitat igitur hîc Galenus, an per cauitatem certam neruorum, an sine cauitate neruis existentibus per ipsam substantiam nerui animalis virtus deferatur: quæ dubitatio nulla esset, si spiritus virtutem illam defferret. Rursus etiam in primo de Semine qualis lux soli, talis cordi virtus quæ in arterias, & cerebro quæ in neruos infunditur, & quæ à testiculis in vniuersum corpus, tum etiam à venenis lethalibus. Accedunt his autoritatibus quatuor rationes: Prima quòd quum volumus sentimus & mouemus: igitur virtus illa cùm subito transmittatur, non potest in spiritu esse: certum enim est, quòd nullum corpus subito mouetur. Et addunt, quòd si membrum ligatum, atque ob id insensibile redditum, soluitur, tunc illico mouetur & sentit, quare virtus illa quæ ligamento impediebatur, illico descendit per neruos. Secunda ratio est, quòd ligato neruo, qui motus minister est, repente motus membri concidit: at par erat si in spiritu ea vis animali erat, quandoquidem ille adhuc asseruatur, nec tamen perit, aliquandiu etiam virtutem mouendi asseruari, atque hoc exemplo reliquarum duarum virtutum ostenditur, cùm naturalis virtus ac vitalis membro ligato non paruo tempore seruentur, quòd per spiritus ad ipsa membra deferantur. Necesse etiam esset ligato membri neruo, membri virtutem corrumpi, vtpote vitiato calore sublatóque animali spiritu. Accedit, quòd phreneticorum robur causam non habebit vllam manifestam: nam cùm in his ob morbum, magna ex parte resolutus sit spiritus animalis, aque hic est motus ac sensus instrumentum quonam pacto poterunt in motibus, quemadmodum experimentum tamen ostendit, esse robustiores? Oppositum tamen videtur Auicenna tenere in prima primi, cùm dixit, Spiritus animalis defert virtutem sentiendi ac mouendi per totum corpus. Quam sententiam longe clarius explicauit in libro suo de Anima: duabusq; rationibus declarauit ac firmauit: quarum hæc est prima: Nerui sunt caui, & si non admodum manifestè, & cùm cauitas illa non sit necessaria, nisi ob transitum spiritus, vel nutritionem, igitur cum replebitur vt in resolutione, non priuabitur virtutis illius transitus per neruos, quia obstructio non impedit nisi corpus: quare membrum resolutum sentiet & mouebitur: quod tamen est falsum. Ad hoc respondebat Galenus, quòd assumpta propositio manifestè falsa est, scilicet, Obstructio non impedit nisi corpus: nam dicit, radij solis in aëre impediútur manifestè & à nebula & à fumo ac nube, & in aqua à luto ac limo. Ad hoc diceret Auicenna, quod radij solis impediuntur, quia rectè procedunt, & talis virtus nunquã ex toto ac penitus: sed virtus cerebri sensitiua descendit circunuolutis neruis ac tota igitur, oportet quòd cum corpore deferatur. Secũda ratio, Spiritus est instrumentũ propriũ animę ex sentent. Gal. in libel. de Vsu respirationis: sed

cap 7. c.6. in med.

c. 5.

c. 2. post med.

cap. 5 post princ.

Doc. 6. c. 4.

lib. 5. c. 8.

1. de Sympt. causis. c. 5.

cap. 5.

sed omne agens producit actionem suam per proprium instrumentum ac proximum: igitur anima producit sensum & motum in membris per spiritum. Diceret ad hoc Galenus, quòd verum est, quòd virtus sensitiua quæ in initio neruorum ab anima infunditur, per spiritum infunditur, & sic de mouente: nec tamen ex hoc sequitur, quòd illius extensio per omnes nerui partes per spiritum fiat. Velut primum lumen quod diffunditur à sole, diffunditur lucis medio, non tamen lux ipsa descendit cum lumine ad inferiora: sed ipsa cum sole manet. Adduco modo ego non paucas rationes pro Auicenna. Nam in his qui fluxu laborant, etiam sub die mortis stat ratio & memoria? igitur temperamentum cerebri non est corruptum, & tamen virtus mouens est debilitata vsque ad extremum: igitur si illa virtus sine spiritu deferatur, adhuc in illo virtute mouente nulla ex parte corrupta, esset ille validus fermè in motibus, sicut antequam ægrotaret. Neque enim potest ratio assignari, cur sensus parum lædatur, & motus multum, nisi qui ad mouendum multi spiritus necessarij sunt, ad sentiendum pauci. Et si dicas, quòd corrupta est neruorum temperatura: istud est falsum: tum quia sensuum non est corrupta, & nerui sensuum sunt molliores: & si esset corrupta esset maximè ex siccitate: sed siccitas vsque ad certam metam adiuuat ad validos motus, vt in phreneticis, igitur fuissent aliquando validiores ac robustiores in morbo illo, quàm ante morbum. Accedit quòd dictum illud sextodecimo de Vsu, de neruis visoriis quòd caui sint valde, vt ipse affirmat, falsum est experimento: & hoc Vesalius diligenter se animaduertisse, dum de humani corporis agit fabrica, testatur: & nos non raro vidimus. Si igitur per tam densos neruos copiosus spiritus ad oculos defertur, iuxta Galeni sententiam, id neque in aliis à veritate fieri abhorrebit. Neque verò dixerim impossibile, quòd vbi alimentum transit, etiam animalis spiritus non permeet. Apparet autem omnia nostri corporis membra esse poris plena, ossa, cutim, neruos, neruosamque substantiam, nec quid membranis ac cartilaginibus solidius videmus, membranis etiam ipsis cartilagines videntur esse solidiores. Cauitates etiam non sunt nutritionis causa: aliter corpora ex superficiebus constarent, quod Aristoteli repugnat: sunt igitur spirituum per illas transeuntium viæ: nam neque ob solam virtutem hoc erat necessarium, quæ in solidissima penetrare corpora potest. Si etiam sola virtus in neruos penetrat, non delassaret motus: nam hoc quod resoluitur cùm virtus sit materiæ expers, neque multam afferet iacturam, nec restauratione indigebit. At videmus eos qui laborant & fatigantur, non minus cibum ac potum desiderare, quàm quietem. Ipse etiam Galenus dum causam assignare nititur, cur amisso motu remaneat sensus: aut contrario modo, sublato sensu motus remaneat: in partium neruorum diuersitatem eam retulit. At non oportebat, si duæ erant facultates in cerebro distinctæ, & sine spiritu transmissæ, velut neque illud admiratione dignum; Cur ventriculus retineat cibum, & non concoquat, cùm alia sit virtus quæ concoquit, alia quæ retinet. At dubitatio ex hoc magna videbatur, quia quum per spiritum defferrentur ambæ, corrupta vna spiritum corrumpi necessarium erat, atque ideo etiam alteram. At si sine spiritu, quid prohibebat, vnam corrumpi, alteram seruari? Denique si virtutes essent distinctæ nec ex spiritibus pendentes, nulla ratio adduci potest, quæ ostendat, cur debilitatis sensibus per virium resolutionem, semper motus ipse necessario debilis euadat. Clarum enim est, quòd cum pauciores spiritibus sensui quoniam patiatur quam motui necessarij sint: si adeò resoluuntur vires vt non adsint spiritus pro sensu, multo etiam minus aderunt qui motui satisfaciant. Quietiam quod mirum est, illi quoque, qui Galeni partes tuentur, fatentur transire spiritus per neruorum cauitates, sed nec motus aut sensus gratia, quod ridiculum est. Dico igitur mentem Galeni esse, quòd virtus illa transeat per neruos subito, sicut lumen: ad hoc tamen vt recipiatur, & conseruetur, necessarius est spiritus animalis in cauitate nerui contentus: & hoc parum differt ab opinione Auicennæ. Nam solum in hoc, quòd Auicenna vult, eam virtutem per spiritum transferri: vterque autem in hoc concordat, quòd & spiritus & virtus sunt necessaria. Ratio tamen Galeni de neruis opticis vocatis falso innixa fundamento perit. Reliquis autem satisfaciamus: Cùm enim dicitur, nos posse subito mouere, declarauimus hoc in libro de Animi immortalitate, quòd spiritus omnes vni parent in quo anima ipsa sita est: & spiritus ille non tunc ad locum sensus & motus transmittitur, sed asseruatur, cum sua facultate: inde sublato ligamento fungitur operatione sua illico, modo non diu ligamentum manserit: nam tunc si diu manserit, membro stupido effecto, non statim vis sentiendi vel mouendi redit. Cur autem ligato neruo illico pereat virtus vtraque, quamuis spiritus seruetur? Hoc ideo euenit, quia non transit virtus ad spiritum ipsum ex cerebri spiritu, & hoc de sensu perfecto, nam imperfectum sensum membra etiam habent sine sensu, vt aliàs te docui. Quod vero ligato membro, quin vitietur membrum, si diu maneat vinculum, nemo dubitare debet. Phrenitici autem robustiores sunt ob neruorum siccitatem, cum nondum in spiritibus facta fuerit euidens iactura, cùm tamen fuerit resoluta spirituum pars magna, tunc debiles euadent: robur etiam illorum est in retinendo, non autem in mouendo corpus celeriter, ac leuiter: at hoc roboris genus ex manifesta pendet siccitate: Igitur virtus & spiritus per neruos transeunt, virtus autem ipsa velut radius, perpetuo illis cum spiritibus iuncta hæret. Iuxta autem Galeni sententiam, quæ meo iudicio verior est, per neruos defertur: iuxta Auicênæ placita per ipsos spiritus. Verũ hoc discrimen pendet ex his quæ aliàs demostrauimus, scilicet quód Auicenna existimat, spiritũ esse primũ sensus instrumétum. Nos autem arbitramur primum esse sensus instru

lib. 4. c. 4.

3. cæli 61.

1. de locis. c. 6. post med.

1 contradic. trac. 5. contradic. 1.

sus instrumentum, sed non primum quod recipit speciem rei sensibilis.

CONTRADICT. XVI.

Testes an generationi necessarij & an membra principalia.

TEstes non sunt necessarij absolutè in generatione: quia multa animalia quæ generant, vt pisces, ac serpentes, illis carent. Sed neque in habentibus: quia taurus cùm iniisset à castratione illico generauit. Sunt igitur vt vasa seminaria lata contineant, & vt morando seminis effusionem, diuturniorem coitus delectationem efficiant, indicio est, quòd quæ testibus animalia carent, celeriter venerem absoluunt: inquit Philosophus primo de Animalium generatione. Et rursus tertiam vtilitatem addidit alibi, dicens, quòd velut textrices pondere tendunt fila, sic testiculi tendunt appensi venæ ex corde venienti ipsum cor. Vt enim dixerat prius, quæ à natura fiunt, alia necessitate, alia ob vtilitatem: testiculi igitur ob vtilitatem, non necessitatem facti sunt. Aduersus Philosophum consultò inuehitur Galenus primo de Semine dicens, si testiculi non sunt necessarij generationi seminis, cur est quod nimis infrigiditatis testibus, aut scirrho laborantibus, aut auulsis, infœcundum fit animal? & quia ad hoc videbatur Aristoteles respondere, quòd vasa seminalia, partim qualitate, vt in scirrho, vitiantur: partim contrahuntur. Contra hoc, inquit Galenus, testes in auibus abdominis membranæ hærent, & in summo vasorum seminalium, igitur ibi non faciunt tensionem: & tamen auulsi animal infœcundum efficiunt: non secus quàm hominibus & quadrupedibus. Accedit, quòd si ita auellantur testes, vt membrana supergeminalis relinquatur, vasa ipsa illæsa manent & tamen sterile euadit animal: nec solùm, inquit, sterile, sed veneris desiderium amittit, glabrum totum corpus efficitur, venæ angustæ, vox exilis, & caro odoris est expers illius quem integra animalia retinent, tot & tanta igitur nobilitatem huius membri cordis nobilitati fermè faciunt coæqualem. Imò dicit, nobiliores sunt testiculi, cùm debent bene esse, (vt illorum verbo vtar) corde dante solum esse: quantò nobilius est bene esse, quàm esse. Quartam subiungit inde rationem: Si tendendi cordis causa testiculi facti sunt, validius cuniculum poterat natura moliri, arteriam magnam spinæ per ligamenta valida tensam, aut supra iugulo nectendo, aut iecori etiam, quod illi vinculo recto venæ cauæ alligatum est: fuissetque tensio hæc cordis non solùm maior, sed & securior. Quinta his subiicitur ab illo ratio, quòd quæ circunflexa sunt, nisi dirigantur, tendi nequeunt: at vasa seminaria circunflexa sunt. Quibus etiam magis tensa forent, his validior virtus, vt senibus: iuuenes autem, cùm his contrahantur, imbecilliores euaderent. Et sunt etiam animalia in quibus testiculi ventri astricti, nec pensiles, vt sues quibus nullam prorsus vtilitatem præstarent, essent etiam in hoc lien & renes cordi vtiliores, tamen quia maiores testibus, & cordi propinquiores, ac etiam venæ quibus annectuntur rectiores: cùm hæ, quæ ad testes tendunt obliquæ sint, ac etiam varicosæ. Vltimo dicit, esset hæc tensio prorsus cordi violēta, nec obstat quòd vtilis esset animali: nam sic diceremus animali necem vt boui esse naturalem, quia vtilis esset hominibus. Propterea concludit, Nihil tale optarem ab Aristotele dictum, declaransque vtilitatem seminis, quòd testibus alendis sit necessarium, quodque ab his in vniuersum corpus virtus quædam, quæ illud totum immutet procedat, etiam supergeminalis membranæ, quæ media est inter vasa seminis & testiculos, non solùm loco, sed substantia docet. Atque sic testes esse membra principalia clarum est: non solùm, vt dici solet, ratione conseruandæ speciei: sed ipsius singularis hominis, cuius corpus, animam, ac mores adeò immutant. Sed vt mihi videtur, non admodum rectè imponit Aristoteli, quòd consuerit testes solum tendendi vinculi cum corde causa esse creatos, sed vt vasa seminaria melius firmarentur inuoluíque possent: ac sic pondere suo aperta manerent. Inde etiam huic accedit vt cor tendant: sed non ob hoc principaliter sunt facti. Debuerat Galenus argumentis Philosophi respondere, nec non illius mentem verè non perperam declarare. Sed hoc studio contradicendi ei contigit. Aristoteles tamen non negat testiculos non adiuuare in seminis generatione, inquit enim, Aues testiculos maiores habent, dum tempus aduenit quo coire solent, nec tamen coiuerunt, ex quo patet quòd vult semen in testibus gigni ac perfici: non tamen simpliciter esse necessarios in generatione, imò etiā neque in generatione habentium testes. Auerroës quinto de Generatione animalium dicit, quòd testes non sunt necessarij absolutè, vt diximus, ad generationem: in habētibus tamen illos dicit, quòd si experimentum de tauro esset verum, non essent necessarij: vbi autem non esset verum, res esset dubia, ista determinatio non est clara, vt ad primam attinet partem: diceret enim Galenus quòd & si generasset, hoc fuisset quia iam erat concoctum semen in testiculis, & delatum ad glandem, quæ est in radice membri genitalis, & ita detractis testibus semen illud non fuit læsum, & potuit pro vna vice generare, nec etiam sequitur, testiculis auulsis non potest generare: igitur testiculi sunt necessarij ad seminis generationem, vt causa agens. Nam esse potest quòd non generet cessante fine, nam si animal castratum generaret, vel generaret animal castratum aliud, vel integrum, si integrum, esset in effectu quod non fuit in causa: si autem castratum, igitur generaret animal alterius speciei, ab ea cuius fuit prius generans. Nec est similitudo si dicas, quòd carens oculis generat habentē oculos, hoc infrà ostendemus. Dico igitur propter adducta, quòd testiculi non sunt necessarij ad generationē animaliū absolutè, cùm, vt dixit Philosophus pisces & serpentes generent, carentes illis, in habētibus autem reflectūt calorem ad cor, & ab ipso recipiunt

cap. 4.

lib. 5. de animal. gener. c. 7.

c. 15. & sequentibus.

cap. 17.

1. de Generat. animal. c. 4.

in Parap. c. 1.

cipiunt vim, & ideo sunt necessarij, vt voluit Galenus, non tamen verè necessarij, id est, per modum principalis causæ, & hoc voluit Philosophus, est igitur ac si diceres sunt necessarij,& hoc concedit Philosophus, quia sublati, non generat animal; exemplum de tauro est ad ostendendum quòd non sunt principales, & hoc etiam concederet fermè Galenus, & si non concedat, hoc tamen verum est, non sunt tamen necessarij in homine, quia generatio est hominis vt animal est, non vt animal perfectum: Cùm verò dicit Philosophus illud de tesione, intellexit vnam vtilitatem quæ erat minima, sed tamen ibi necessaria: alias autem vtilitates iam prius declarauerat. Sed cùm influant super totum & vocentur principalia membra secundo Artis medicæ iuxta initium, cur dum in eodem libro enumerat membra à quibus totius temperatura pendet, solùm cor ac iecur adducit cerebro & testibus prætermissis? Respondeo quantum ad testes attinet (nam de cerebro hic locus non est) illi influunt super totum, sed medio cordis, communicant enim cordi & iecori vires suas, & ab ipsis in totum corpus vis illa distribuitur, iecori quidem per venas & cordi per arterias, quia igitur non habuerunt seruientia, ideo non potuerunt dici principalia in influendo. Et ob hoc sedatur contradictio quæ videtur esse inter Rasim secundo ad Almansorem commemorātem omnia quatuor membra principalia in cognitione temperamenti totius, & Galenum qui connumerat cor & iecur solum. Nam Rasis connumerauit quæ plurimum influebant seu per se, seu medio alterius: Galenus autem solum ea quæ per se influunt. Et si dicas quare igitur vocauit membra principalia testes? Respondeo quia iuxta illius sententiam, sunt principales in generatione seminis, & ideo in conseruatione speciei. Et si dicas, Galenus primo de Semine dixit, quòd sola virtus per totum multiplicatur, & tu dixisti quòd per venas & arterias. Respondeo quòd sicut venenum, solam vim multiplicat absque substantia aliqua, illam tamen primò communicat spiritibus ac sanguini, quorum medio totum postmodum inficit corpus, ita de vi testium. Merito enim agentis, id est testium, sola vis multiplicatur: merito modi producendi per sanguinem & spiritus.

c. 3. c. 44.

c. 15. in initio.

cap. 17.

CONTRADICT. XVII.

Semen an animatum: an spiritus animatus: an vtrumque à toto decidatur. Semen an nutriat. Pullus an ex vitello oui.

ARistoteles secundo de Generatione animalium de semine loquens iam proposita quæstione an viuat, hęc habet: Semen habere animam & esse potentia palàm est. Propius autem ac remotius idem à seipso potentia esse potest, vt Geometra dormiens remotior quàm vigilans, atque hic contemplante iam. Secundo autem de Anima inquit, non est id potentia viuens quod anima caret, semen autem potentia est corpus quod viuit: exponit Auerroës, intelligit quòd quia dixerat in animæ diffinitione potentia vitam habentis, quòd hæc potentia non est illa, qua semen est potentia viuens: nam semen est potentia viuens, quia potentia corpus quod viuit: hoc autem & fructus non habent animā. Et potest formari ratio manifesta sic: Corpus animatum potentia vitam habet, sed semen non est potentia vitam habens hoc modo, quia est solum potentia corpus animatum, igitur semen non est animatum, & ideo bene dixit Auerroës duodecimo primæ Philosophiæ: Virtutes igitur quæ sunt in seminibus quæ producunt animata, non sunt animata actu, sed potentia, sicut domus quæ est in anima ædificatoris, nō est domus actu, sed potentia. Et rursus quasi exponens subsequentia Philosophi verba in secundo de Generatione animalium adducta Auerroës septimo primæ Philosophiæ inquit: Formans virtus non agit nisi per calorem qui est in semine, non eo modo vt hæc virtus in illo calore sit, vt anima in calore naturali: sed est vt intelligentia in corpore cœlesti. In his omnibus patet quòd semen non habet animam, nisi in potentia remota de qua nulla est quæstio, rursus, secundo de Generatione animaliū quærens Philosophus quomodo animæ corpori adueniant, inquit: Animam igitur vegetalem in seminibus, cōceptibus scilicet nondum separatis, haberi potentia statuēdum est non actu, priusquam eo modo, quo conceptus qui iam separantur, cibum trahant, & officio eius animę fungantur. Principio enim hæc omnia vitam stirpis viuere videntur. De anima quoque sensibili pari modo dicendū est: atque etiam de intellectuali, omnes enim potentia prius haberi, quàm actu necesse est. Et Auerroës in Paraphrasi inquit: Semen enim videtur excrementum alimenti, non autem res animata: nec virtutem habens nutritiuam in actu, tandem concludit quòd in semine solùm relinquitur calor, qui effingit animā, ex virtute quę est similis arti, quę proficiscitur ab intellectu separato, qui est alius à primo Motore declarato octauo Physicorum, & hæc virtus cœlestis est: quam intellectus ille calori largitur sine instrumento corporeo. Sed in oppositū videtur esse quòd spiritus est animatus, seu animam habens: & etiā quia semen nutritur, augetur enim quod concrescit in vtero ante generationem cordis, vt etiam Hippocrates confiteri videtur, & non à virtute membrorū: igitur à virtute seminis, igitur nutriens virtus, & ideo anima in semine ipso est. Et hæc est sententia Auicennæ & illius ratio ad hoc ostendendum, quam etiam Auerroës illi tribuit. Nunc autem ostēdamus spiritum esse animatum, vnde protinus sequitur semen animam habere. Aristoteles igitur secundo de Generatione animalium post ea verba quæ superius adduximus, quærens quidem corpus illud proportionem habens cum elemento stellarum, quod animæ coniungitur, respondet nō igneus, sed naturalis calor, cùm igitur anima sit cum calore naturali, & hic in spiritu, vt ibi dicit, manifestum est animam esse in spiritu. Galenus quoque quattodecimo de Vsu partium,

cap. 1. in fine.

t. c. 10.

com 18 satis post med.

com 31 circa fi.

cap. 3.

2. de Gener. animal. c. 3. in princ.

In Paraph. 2. de gen. anim. c. 2. pag. 2.

tium, inquit semen ipsum totum vitali spiritu plenum est. Et autor libri de Spermate, sed hic Galenus non est, ait: semen emittitur completum & animatum. Ipse autem auicenna cùm dicit quod subiecta sanitatis & ægritudinis sunt membra vel spiritus, subiecit postmodum virtutes in spiritibus ipsis sunt, & alibi: spiritus secundum Aristotelem recipit principium primum & animam primam: ex qua aliæ profluunt virtutes. Et duodecimo suo de Animalibus, dum fassus est esse primum instrumentum sensus. Et rursus, Galenus in libro de Vsu respirationis, vult spiritum esse primum animę instrumentum. Accedunt non leues his rationes, atque prima Philosophi in secundo de Generatione animalium, omne quod fit, ab aliquo tali actu existente fit, animal sensitiuum ex semine fit, igitur semen actu est sensitiuum. Altera est sumpta ex dictis Principis dum vult rationem reddere vertiginis: inquit enim; Et quando voluuntur spiritus, videtur homini quòd res ipsæ voluantur: nam hæc inuicem æqualia sunt, quòd mundi partes aliter se habeant ad spiritus, & quòd ipsi spiritus aliter se habeant ad mundi partes, liquet igitur quòd spiritus sunt ipsum sentiens: addit enim illico, idem est seu sensatum seu sentiens moueantur, quod etiam in ebriis contingit tertia problematum. Rursus extremum extremo non iungitur nisi per medium, sed animæ substantia remotior est à substantia membrorum, quàm spirituum: quare multi crediderunt animam esse spiritum, nullus credit esse caput, aut cor, igitur anima est in spiritibus potius quàm in membris, mouentur etiam spiritus vndequaque, nec motus hic naturalis est, cum sit planè omnis talis ad certam metam circularis rectusve nec violentus, neque enim animalia sic haberent suum principium, relinquitur igitur vt sit ab anima quæ in ipsis sit. Galenus tamen oppositum aperte declarauit in septimo de placitis Platonis & Hipocratis dicens, seu anima corporea sit seu incorporea, ipsa in cerebri substantia non in spiritibus sita est, adducitque rationem vacuato vt in vulnere ventriculi cerebri vniuerso spiritu sicut concidit sensus ac motus, vacuata animata mori hominem necesse esset, quod tamen falsum est. Ratio hæc præter multiplicem solutionem quam recipit, etiam concludit oppositum, nam vtroque ventriculo vulnerato ita vt exhalet vniuersus spiritus, homo moritur, igitur experimentum est contra ipsum, nisi velit nos intelligere quòd vno vulnerato, dimidium animæ amittatur, omitto quòd in arteriis plurimus seruatur, alius etiam qui sensibus delegatus est regredi posset, & sic anima denuo instaurari, ipse etiam spiritus qui animæ est fundamentum est in corde. Sed & si demonstratio hæc non ostendat, opinionem tamen Galeni qualis sit, aperte docuit. Sed sunt quatuor rationes validæ in oppositum: anima nutriens est in membris, tum quia ipsa sunt quæ nutriuntur, tum quia plantæ carent spiritibus, sed ipsa continetur in aliis animabus sicut trigonus in tetragono, secundo de anima, igitur etiam sensitiua & intellectiua sunt in membris, respondeo quòd anima nutritiua est in spiritibus aut proportionali ipsis in plantis & eodem modo aliæ animæ: & licet membra nutriantur & augeantur, hoc ei euenit per calorem à spiritibus manantem, anima in spiritibus manente, & hoc vt dixi iuxta Auicennæ sententiam & veriorem opinionem, nam vt dixi Galenus vult quòd nutritio fiat in membris virtute propria illis insita, non ex spiritibus prodeunte. Alia ratio est quoniam corpus & non spiritus accipitur in diffinitione animæ ab Aristotele data secundo de Anima. Sed ibi declarauit animam per notissima, neque illi curæ fuit vt distingueret corpus à spiritu. Rursus Philosophus in primo de Plantis cum declarasset opinionem Anaxagoræ, Empedoclis & Platonis, qui voluit plantas desiderare, nam multum nutrimentum ad se trahunt: inquit non desiderant quia non lætantur nec contristantur, huius indicium est quoniam primo non habent discrimen eius quod fugiant sequantúrve. Secundo quia non sentiunt, apparet autem vtrumque quia non habent instrumenta nec motus nec sensus, & hanc vltimam rationem declarabat secundo Cœli dum probat sidera non moueri cum careant motus instrumentis. Sic igitur de spiritibus pari ratione, non habent instrumenta sensus neque delectantur aut tristantur, igitur non sentiunt. Rursus non habent instrumenta motus, igitur non mouentur. Respondeo quòd ista argumenta tenent de plantis & sideribus quia sunt vnum totum, sed spiritus sunt partes: & ideo sufficit quòd id cuius sunt partes, id est animal habeat instrumenta, dico etiam quòd lætantur & contristantur, quia habent animam, non tamen inest sensus in actu quando sunt in semine separati, sed virtus sentiendi sopitur, remanente vi nutriente in actu vt apparet ex demonstratione adducta Auicennæ, hoc autem tenemus de mente etiam Philosophi, non Auicennæ solius, Galeno parum in hoc tribuo, quia quæstionem solum obiter tractat non ex proposito. Nec tamen valet illa ratio, mouetur ad omnem partem, igitur animam habet, sufficit enim quòd ab anima impressionem receperit: nam & ferrum à magnete contractum ferrum trahit, nec tamen animam magnetis aut substantiam habet, sic spiritus posset imperio animæ parere, anima autem carere. Concludo igitur animam & vitam plantæ inesse seminibus omnibus, indicióque est quòd breui corrumpuntur. Verum animalium seminibus, etiam anima sensitiua sed quasi sopita inest, ideóque spiritibus. Hoc viso quærimus an ex toto decidatur semen? Hippocrates in libro de Semine in initio dicit quòd venæ, arteriæ & nerui ex toto corpore in pudendum tendunt, atque ideo pinguissimum humidum quòd est in toto corpore, ad renes prius venit, inde per testiculos in virgam donec emittatur, huiusque causa in coitu totum corpus delectationem sentit, & in fine libelli inquit in mutilatis pars quæ ad mutilum pertinet membrum debilis effunditur, quo fit vt aliquando integri quandoque mutili ex mutilis euadat infantes, Arist. quoque quarta Problematum quærit cur clunes & oculi

[Margin notes: c.9. in fine. cap. 1. — Doc.6.c.4. — cap.6. — c.5 in initio. — c.1. in fine. — prima tertij. tract.5. c. 1. — problem.9. — fol. 2. — t. c. 31. — t. cap. 6. — in princip. — t. cap. 50. — in primis verbis.]

oculi maxime in venere patiantur, respondendo autem inquit oculos tendi dum semen ex cerebro aut aliud emittitur, itaque ex cerebro atque aliis partibus decidi putat. Clarius cum rationem assignat cur venerea res adeò delectet. Dicit enim semen vel ex toto deciditur vt antiquorum quidam existimauerunt, vel saltem venæ ex vniuerso ac meatus omnes in partem illam tendunt. Firmiter autem hoc inferius declarat cum docet cur maximè imbecillis fiat homo ex venere, inquit quia ex toto corpore semen ipsum prouenit, aliter autem necesse esset partes aliquas nihil pati quòd experimento aduersatur. Auicenna quoque hæc habet: Et mihi videtur quòd semen non sit ex solo cerebro, imo ex omni membro principali illius fons & ex aliis etiã resudet, nec totum est ex cerebro ipso, quamuis in illo concoquatur, & quamuis videatur tribuere Hippocrati quòd senserit ex cerebro decidi tantum, non tamen ausus est hoc pronuntiare. Et recte, nam Hippocrates (cum superius adducta autoritas videatur esse Polybij ex Græca inscriptione) in libro de Aëre & aquis dum de Macrocephalis agit inquit. Semen ab omnibus corporis partibus prouenit. Ideòque ex caluis calui oriuntur. In secundo etiam de Generatione animalium, inquit Philosophus quòd semen ipsum mouetur eo motu quo totum corpus augetur, omnes partes illius potentia continens. Præter rationes autem duas ex Hippocrate deductas alias etiam subiicimus, nam vt ostensum est animali castrato totum corpus vitiatur, hoc autem non contingit nisi quia testes ipsi non amplius virtutem influunt in corpus vniuersum, hæc autem virtus non est nisi attractio seminis, immiscetur enim semen alimento membrorum cum non trahitur, ipsâque tota immutat ac vitiat, quare à toto corpore decidi illud necesse est. Rursus omne quod potentia tale est, ab aliquo quod tale actu sit fieri necesse est. Semen est vniuersum corpus potentia, igitur tale actu, id est, à quo deciditur, non est autem corpus vniuersum actu nisi totum corpus, à corpore igitur toto deciditur. Philosophus etiam primo de Animalium generatione adducit quatuor rationes quarum duæ primæ ex Hippocrate sumptæ sunt, tertia etiam, cum dicat quòd nulla ratio potest assignari cur filij patri assimilentur in vniuersis corporis partibus, nisi fateamur à toto etiam corpore semen decidi. Quarta est quòd velut totius corporis semen totum est principium, sic partium corporis partes seminis: hæ igitur à consimili corporis parte genitæ sunt. Adducit autem exemplum de Chalcedonio puero, qui cum pater in brachio ex punctura vestigium haberet, consimile licet & minus euidens in brachio habuit. Sed hanc sententiam Aristoteles paulò infra explodit singula singillatim excutiens. Quod enim inquit similes sint parentibus filij, non ostendit semen ipsum ex vniuersis partibus decidi. Nam & voce & pilis & motibus filij parenti similes sunt, nec tamen semen ex voce pilis ac motibus deciditur. Adde quòd similes sunt etiam in his rebus quæ nondum patri inerant, vt in canitie celeri, caluitie, & barba. Redditur etiam post plura genera similitudo in Elide, cum mulier ex Æthiope concepisset filiam peperit candidam, illa autē filium peperit Æthiopi similem, vel igitur semen primum nigredinis causa fuit, oportuitque filiam nigram esse, vel si non nepotis nigredo aliam habuit causam. Quarta ratio à stirpibus sumitur quæ de truncis ramis insitæ arbores tamen procreant perfectas, & cum fructum non ferant tunc, neque tulerint, generant tamen fructiferas, nec si fructum habeant, tamen ex fructu semen deciditur. Rursus ait, si semen ex toto deciditur vel ex omnibus partibus similibus tantum, vel ex instrumentis, vel ex vtrisque. Si ex instrumentis solum, non ex toto neque vniuersis partibus deciditur. Si autem ex vtrisque, bis ex eisdem generabitur, nam instrumenta ex similibus partibus constant, vt manus ex carne, nerno, esse. Si igitur ex osse & carne & neruo atque ex manu, cum manus non sit nisi neruus, os, caro, bis ex osse, neruo & carne semen decidetur. Si autem ex similibus siquidem figuram non habentibus, figura non poterit seruari in filio, quare nulla erit similitudo, neque enim est quod ordinet. Si autem figura ipsa ac partium adest distinctio: genitus erit antequam generetur. Erit enim semen homo paruus, quo fit etiam vt animalium semen ex hoc iuxta Aristotelis sententiam dicere sit necesse. Nam aliter ratio non ostenderet. Subiicit etiam quoniam si partes illæ simul sunt: erit semen animal; si diuisæ, viuere non potest semen. Sexta ratio est quòd fœmina à patre gigni non potest, cum pater vtero & vulua careat, si autem ab vtroque semen deciditur, generabitur androgynus: qui & hermaphroditus dicitur, vtroque semine suum sexum afferente. Si etiam ex toto secedit semen fœmina absque viro poterit generare, nam vim habebit semen illud membrorum omnium, cum habeat & conceptaculum vterum, nihil ei ad generationem deerit. Octaua ratio illius est quòd si non sanguis ex sanguine, nec caro ex carne, sed aliquid potentia, tale actu autem dissimile secernitur, necesse est vt superflua sit hæc ab omnibus membris separatio. Cum ex vno tale potentia omnibus conueniens segregari possit. Nona si tale actu est, quomodo in vtero à sanguine matris augebitur? cum sanguis talis non sit, si autem solum potentia est, non indiget vt à toto decidatur, nam similitudo quæ potentia est, etiam ab vno membro pro toto corpore potest effingi. Quædam etiam animalia ex dissimilibus vel ex nullis prorsus gignuntur vt muscæ ex putredine, vt vermiculi ex papilionibus, quod si semen ex toto prodiret essent vermiculi illi papilionibus similes. Vndecima accedit ratio quòd non semper mutili ex mutilis, tum maxime si casu oculus effossus sit, aut pes abscissus, gignuntur, at hoc prorsus erat necessarium. Est etiam inquit impossibile quòd in plantis hoc fiat, nam motu vno generatur omnes fructus ac semina, at si ita esset vna secretione fructus vnus, alia deinde alius, atque ita singillatim singuli fructus singulis ex toto secretionibus fierent, at hoc falsum est, simul enim eduntur, augentur, ad perfectionem veniunt ac maturescunt,

fol. 5. — *c. 3. in fine.* — *cap. 17.* — *cap. 18.*

maturescunt, etenim si dicas singulis crementis ex toto incidi materiam: vel tota feretur ad vnum, quod experimento falsum est: vel in ventre arboris diuidetur: atque sic erit vt perfectus fructus non autem seminis pars, aut fructus, quæ multis augetur diebus. Demum & est ratio tertiadecima, quædam animalia sine seminis effusione gignuntur, vt cartilaginea tertia de Animalium generatione, & testacea, quædam enim illorum coitum absoluunt fœmina in masculum genitali immittente, clarius hoc declarauerat etiam in primo de generatione animalium, quare tandem inquit, non ex cunctis partibus, sed ex creatrice tantum virtute, neque vt à materia, sed vt ab agente semen deciditur? Causam verò voluptatis refert in pruriginem, quæ toti tunc accidit, non esse autem ob secretionem indicat, quoniam frequenti vtentes coitu, minus delectantur, cùm tamen secretio maneat, fit etiam in fine coitus: at necesse esset si ex secretione fieret in initio potius aduenire, aliisque ante alias partibus, quod scilicet procul à membris genitalibus aliæ distent, aliæ illis proximæ sunt, cùm tamen vbique simul contingat, hoc delectationis genus, dicit igitur senem esse excrementum vltimi alimenti vtilioris, atque ideo dicit, potentia est ad omnia mébra, vnde problematis affert eam adducti solutionem, cur eo emisso vniuersum corpus patiatur: namque cum esset paratum toti corpori alimentum, quòd mirum si eo substracto etiã corpus vniuersum patiatur, hoc igitur modo decidi semen, iuxta Aristotelis sententiam intelligendum est, vt scilicet parata res transmutationi in singulas corporis partes semen vocetur, causam similitudinis diluit, sed nobis hic locus non est, vnum solum sufficiat, vt Aristotelis sententiam ab his diuersam decima Problematum explicemus, inquit enim quòd semen à cerebro maxima ex parte deciditur, quod ab Hippocrate sumptum videtur in lib. de Ossibus, dum dixit maxima seminis pars ex medulla spinæ effunditur, & in libro de Locis, in homine venæ post aures præcisæ infœcundum reddunt hominem. Sed Aristoteles ex aliorum opinione ibi loquitur, quoniam, vt dixi, ex corde potius semen, quàm ex cerebro decidi putat, est enim cor potentia omnia reliqua membra, non cerebrum. Aduersatur igitur Hippocrati Aristoteles, neque enim Hippocrates ad illum sensum retrahi potest, cùm velit decisionem hanc à toto similitudinis illius esse causam quam filij referunt, ad parentes. Sed & Auicenna quintodecimo de Animalibus videtur subscribere Philosopho, propriam seu negligens sententiam, seu quòd Paraphrasim quandam Aristotelis ibi conficit. Iacobus Forliuiensis quatuor adducit rationes præter eas quas Philosophus adduxerat contra Hippocratem: prima est quòd si semen ab vniuerso corpore decideretur diuersarum esset partium, sed hoc Hippocrates non negaret. Secunda quòd in superfluo coitu etiam sanguis emittitur, igitur ex sanguine semen procreatur, ad hoc Hippocrates fatetur etiam ex venis materiam seminis aduenire, tum maximè necessitatis tempore, latere autem in sanguine vt in rubro alba latere solent. Tertia quod trahunt vasa seminis secundum genus proprium: cùm igitur sint ex venis & arteriis trahent sanguinem, non autem superfluum membrorum. Respondetet Hippocrates quod hoc eis contingit testiculorum causa, atque ea de causa testiculi principium in generatione præstant, quia illis præcisis solus sanguis ad vasa trahitur, non autem excrementum tertiæ coctionis. Quarta, quòd pingues parum seminis emittant, quia à venis deciditur nam pinguibus modicus inest sanguis, secundo de Temperamentis c.4. si autem à membris multa materia superesset. Eadem fermè quæstio est de spiritu an ex toto decidatur, verum vt rectè inquit Philosophus, cùm spiritus agens sit, minimè necessarium est, vt ab omnibus partibus decidatur. qui enim semen ex toto prodire affirmarunt ipsum materiam etiam geniti constituebant. Galenus autem in primo & secundo de Semine, docet vasa seminaria ex emulgentibus inde illas ex magnis venis, tursusque illas ex vniuersis venis, vasisque trahere semen. Et in quinto de Simplicibus medicamentis c.23. post pri. inquit, semen ex superfluo bono alimenti conficitur, videtur igitur existimare quod tale superfluum in venis magnis contineatur, inquit enim in sextodecimo de Partium vsu lac & semen ex sanguine exactè cocto generantur, in vasis autem ex longinquo deductis ac multis cum circumuolutionibus, vt perfectam transmutationem assequi possent. Quò fit, vt nihil secretum ex vnoquoque membro Galenus existimet. Neque enim oportebat imò, nec erat opportunum diu permanere in vasis si à membris decideretur, nam quantò diutius maneret, eo minus esset aptum generationi, amissa magna ex parte ea qualitate qua ab initio mébra singula referebat. Quin etiam huius rationem declarat in eadem disputatione, cum inquit: Incisis his vasis supra sanguinea apparet materia, & quantò magis versus testiculos descenderis, eo candidior videtur, dealbatur enim in vasis, quare si alba esset ab initio, non satis aptè iterum in sanguinem verteretur, ac denuo dealbaretur. Sed voluptatis illius causam in serosam sanguinis partem refert, ob id, inquit, emulgens sinistra ex caua deriuatur antequam ad renes perueniat, vnde semen sinistri testiculi serosius redditur ac frigidius. Dicimus autem nos quemadmodum in scabie, si prohibeamur scalpere vniuersum corpus vsque ad cor molestia afficitur, atque è diuerso, si contingat acrem illum humorem extrudi, tranquilitas quædam toti accedit corpori: quamquàm humor scabiosus haud ex toto corpore ad locum illum descendat, sic in venere voluptas ob excretionem vniuerso corpori accedit, quamuis quod excernitur, non ex toto descendat, imò tunc ne vlla quidem pars sed à glande sola quæ in penis radice posita est. Concluditur tandem à Galeno, quòd semen ipsum ex syncero sanguine qui ex magnis venis deriuatur constat. Atque iam cum Aristotele concordat quod ex excremento optimo alimenti, quòd non ex partibus mébrorum, sed ex sanguine ipso, quod ex toto

c.7. c.11. c.16. Vigesimi primi quarta partis. prob.56. fol. vlt. in ini. c.2. In quæst.36. de Artis med. c.17. c.2. 14. de vsu. c. 10. & 9. 9. de vsu par. c.4.

quoddam secretum non autem ex singulis partibus conficiatur. Sed tamen hac in parte Hippocratem Galenus nimis manifestè relinquit. Sed sic difficilè est proculdubio experimenta seruare, nisi dicamus, quod testiculi attrahunt à singulis membris non materiam illam, sed vim generandi quam in materiam communem sanguineam concoquendo imprimunt: atqua ita à toto vt Hippocrates vult semen deriuatur, nec tamen seminis materia, sed forma tantum, seruaturque illæsa Aristotelis opinio tum Galeni ac experimenta. Solum illud ambiguum relinquitur, quomodo ex vltimo alimento si ex sanguine generatur, cùm non sit sanguis vltimum alimentum: respondeo, quod ob id dicitur vltimum alimentum, quoniam iam in venis paratum erat transmutationi in membra: at dum conficitur, testiculi trahunt quod vestigium iam accepit membri, membrum enim in sanguinem in illo contentum agit, ob id auulsis testiculis mutatur totum corpus, vt iam dictum est, sed hoc dilucidius explicabitur, dum de similitudinis causis dicemus. A carne autem an etiam decidatur satis ostensum est quòd sic, sed tamen minus efficax. Iuxta id dubitatur an semen ipsum si retineatur nutriat, quod semen ipsum nutriat testiculos & vasa seminaria hoc abunde in libro de Semine priore demonstratum est, illo generali præcepto quòd vnaquæque pars, primo sibi: deinde aliis nostri corporis partibus concoquat. Sed quæstio est, an totum corpus nutriatur, atque in hoc videtur difficultas triplex, prima, quia si est alimenti excrementum, quonam pacto alimentum esse potest? secunda, quòd iam vlteriorem in vasis concoctionem receperit, atque etiam regredi ex illis ac distribui ipsum oporteret in vniuersum corpus, tertia, quòd senes quibus modica est restauratio semen habent, igitur vt in pueris si in alimentum transire posset, & ipsi illo carerent. At oppositum patet in pueris, vnde Aristoteles in Problematibus, & Galenus, fatentur seminis materiam in alimentum in illis transire, ob id neque effundunt, & si effundant, læduntur, pinguescunt etiam plurimi à coitu abstinentes. Ex eisdem etiam nutrimur quibus generamur, dicebat Galenus in primo de Semine, cùm autem generemur ex semine, iuxta illius sententiam, ideo etiam nutriemur. Validiores etiam sunt senes à coitu abstinentes, & vacua tunc habent vasa semine: quare, si superfluum esset solum alimenti, quemadmodum in allis excrementis, abstinentibus à venere senibus noxa potius quam robur accederet. Igitur ex semine iam peracto nemo nutritur, nisi secundum eam partem, quæ ad vasa illius, & testiculos attinet, ex seminis materia antequam ad testiculos trahatur proculdubio, neque enim, vt reliqua excrementa, sic excrementum est, vt non possit esse alimentum, quod etsi manifestius, iuxta Galeni sententiam, quòd ex illo ex quo generamur, etiam nutriamur, in Philosophi autem via non generemur ex illo, sed ex sanguine menstruo: attamen & iuxta illius sententiam, semen in alimentum transit, quia antequam semen fiat, sanguis est porrò ex sanguine generamur, iuxta illum: igitur, vtroque modo, seu sit materia generationis, seminis materia in alimentum transit, his qui à venere abstinent, ob id lethale est diutius à venere abstinuisse, iuxta senium: deinde ad illam reuerti, quod nos in pluribus vxorem post longam viduitatem ducentibus obseruauimus, pars enim iam membrorum restaurationi delegata absumitur, & membra tamen maximè principalia in eam decidunt iacturam, de qua dictum est Artis curatiuæ duodecimo. At obiter illud in dubium vertitur, quod Hippocrates dixerat in libro de Pueri natura, scilicet pullum ex oui vitello generari, cùm dicat Philosophus tertio de Generatione animalium, pullum oui generari: vitellum autem oui esse illi alimento vt crescat, velut in Viuiparis lac ipsum, huic sententiæ suffragatur Auerroës in Paraphrasi, & ipsa ratio cum experimento. Sed tamen pro Hippocrate sunt rationes etiam. Semen enim maris in vitello est, non in candido oui: palàm autem illud esse quòd fingit pullum. Dicit etiam quòd respirat, per meatus corticis aëre deducto, sed sic par est, potius pullum ex albo, quod cortici hæret, constitui. Arist. autem hanc opinionem, quòd pullus ex vitello gignatur, alatur ex candido, quæ, vt dixi, Hippocratis fuerat Alcmæoni Crotoniati ascribit: veritus forsan proauum suum, seu tritauum Hippocratem damnare, virum haudquaquam etiamsi pietas non obstaret, talia merentem: tametsi in vno aberrasset. Igitur hic concordia non opus est, nisi dicamus exteriora quidem membra ex candido generari: interna, vt iecur ac cor ex vitello: quod etiam color ostendit in vtrisque partium consimilis & genituræ masculi locus. Nempe difficilè est cor imaginari deductum ex oui candido, non solum ob colorem ac genituræ magis locum, sed ob ipsius cordis situm, qui in medio oui est, vbi & vitellum, quare & Aristotelis, & Hippocratis sententia satis videtur probabilis, partem tamen vitelli alimentum esse necessarium est, eo quòd intus constitutum sit, at alimentum intus esse debet: nisi forsan & ipsum per vmbilicum trahatur, at & vmbilicos fatetur Aristoteles, quamobrem & sic candido ali pullus posset, vt vero Galeni placita sequamur quandoquidem in viuiparis non omnia ex sanguine generantur matris, sed etiam alia membra ex masculino semine, alia ex fœmineo: sic pullum ex genitura maris semine, sanguinea membra ex vitulo, ossa nerui, cartilagines, membranæ ex candido, atque ita meo iudicio res se habet.

c.17. in prin.

3 Virtu natu c.17. & 12. in prin.

4. Prob. 11. subobscurè insinuat.

c.17. in fine.

c.5. iuxta finem cap.

lib.3.c.1. in prin.

CONTRA

CONTRAD. XVIII.

Fœmineum semen an generationi necessarium vt materia: an vt agens. Masculinum an vt materia. Causa similitudinis in sexu an Calor & siccitas. Causa similitudinis filiorum cum parentibus an seminis victoria. Semen calidum & siccum an fœcundius. Cur semen in animalibus factum: fœmina in viro calidior.

SEmen fœmineum ingredi generationem dubitat Philosophus primo de Generatione animalium, ac coarguit. Hoc primum fundamento: quòd menses in fœmina proportionem habeant ad maris semen, ex vtrimoque sanguineo alimento decidatur: vtrunque argumento primo est quod eadem ætate ferme semen è maribus menses è fœminis effluant. Deinde quòd ætate consimili, id est, in senio finiantur vtraque. Et quod eisdem symptomatibus socientur illorum initia, mutatione vocis, mammarum tumore. Sed & fœminæ cum fluunt rite menses nec marisc s nec varicibus nec sanguinis è naribus profluuio capiuntur facilè. Cumque mulier obscuriores venas habeat, & palleat magis mare, totoque corpore minor sit, palam est tandem menses esse superfluum vltimi alimenti in fœmina, non secus quàm in mare genituram. Non igitur aliud semen habet mulier, neque par est, inquit, vt duo sint eiusdem rei vltima excrementa. Eadem ratione docemur semen esse excrementum vltimi alimenti, quodque si pinguedo, quoniam & ipsa ex quodam simili non tamen vere tali excremento fiat, abundet, semen deficiat, indicio est si menses verè excrementum sint in mulieribus, nullum prorsus mulieribus semen inesse, atque ita quæstio de muliebri semine vnáque inanis est, scilicet an ingrediatur generationem vt agens, an vt materia, neque enim vllum tale semen datur. Proxima huic ratio est, sine voluptate concipit mulier, sed serosa illa substantia sine voluptate non effluit, igitur sine muliebri seminis effusione fit generatio, non igitur tale semen erit generationi necessarium, vel vt materia vel vt agens. Quod si effluat ac delectatur mulier in coitu, generatio non fit, nisi menses fuerint moderati, at hoc erat necessarium vbi fœmineum semen generationem ingrederetur, quippe causis existentibus vt fit protinus effectus necesse est. Quarta ratio est, quòd etsi emittant dum coëunt fœminæ, voluptatemque capiant, non tamen ea parte emittunt semen, sed foras vbi & testiculi illarum iacent. Cumque in animalibus non sanguineis nulla prorsus fit emissio, nec in sanguineis ouiparis, nec in his quibus vterus hæret septo transuerso, & tamen fit generatio, constat semen fœmineum non esse generationis partem aut causam. Tangitur & secundo de Animalium generatione alia ratio, non par est eiusdem rei duo esse principia secundum idem causæ genus, at genitura viri efficiens, menses materia, itaque genitura fœminæ nullas partes implere potest. Atq; eodem modo haud par est idem duas præbere causas, fœmina igitur materiam præbente, non præbebit effectricem, subiicitur & octaua si quoquomodo fœmineum semen generationem ingrederetur, duorum alterum contingere necesse esset, vel vt sine mare mulier per se posset concipere, vel sine mensibus, at vtrumque falsum prorsus esse cernitur, nam si vim haberet effectricem cum menses pro materia mulier habeat, quid prohibet virgines non generare. Vltimum est argumentum, quòd in feminibus semen vt agens concurrit solum, & quod in semine continetur vt materia quædam, quæ vt deficit, ex terra postmodum semen mutuatur alimentum. Hæc inquam ille. Sed Galenus secundo libro de Semine c. 1. adducit vnam rationem quo vtile sit semen in generatione, qua vasa seminaria ante coitum in mulieribus repleta inueniuntur, post vacua igitur excernitur semen muliebre in coitu: dicit secundo non solum excernitur sed in matricem ipsam eiicitur. Hoc probat experimento mulieris viduæ, quæ cum diu continuisset semen, ob idque passa foret symptomata conuulsioni similia, per titillationē in vulua factam excreuit semen foras, crassum & pingue cùm voluptate simile ei quæ in coitu percipitur. Ideoque multæ mulieres libidinosæ habent membra vitrea similia virilibus aqua plena, quibus impositis vuluæ, non secus ac in coitu deliciantur emittuntque semen, quod si semen non intra vterum emitteretur è vulua nequaquam posset egredi: constat igitur quòd in coitu mulier & semen emittit, & in ipsum etiam vterum. Dicit Galenus hoc cognito tribus de causis hoc semen emitti potest, vel vt fiat ex eo fœtui inuolucrum, vel vt nutriat quoquomodo virile semen, vel vt placuit Hippocrati in lib. de Natura infantis in prin. dicenti: Si genitura quæ ab vtrisque exiit in vtero manserit, primum quidem cum mulier ipsa non quiescat, cogitur ac crassa euadit, post etiam à matre spiritum concipit. Deinde vbi spiritu repleta fuerit, foras per genituram ipsam spiritus erumpit, atque sic vicissim quod in vtero est perpetuo spiritum trahit atque emittit, trahit autem ob calorem. Hæc Hippocrates pueri nobis prima generationis initia docens tradidit, ex quibus liquidò nimis manifestum est quod Galenus dicebat Hippocratem sentire, quòd semen muliebre fœtus ingrediatur generationem. Ergo Galeni hæc prima ratio est contra Athenæum, tum etiam Aristotelem. Sola materia non est sufficiens principium assimilationis, sed menses sunt materia tantum iuxta Aristotelis propriamque nostram sententiam, igitur fœtus propter menses solos non potest assimilari matri. Sed assimilatur quandoque vt experimentum docet, igitur oportet aliquid præter menses à matre ipsa decidi in fœtus generatione quod efficientis vim habeat, tale igitur semen fœmineum erit. Et quia Aristoteles & Athenæus affirmabant materiam

materiam esse causam ipsius similitudinis, exemplo sumpto à seminibus quæ translata degenerát in secũda aut tertia satione,& animalium quæ perpetua mutatione in fœminæ tandem speciem vertuntur. Ideo Galenus dicit istud non est verum quantum ad speciem ipsam spectat, sed solum ad speciei qualitates,nam arbor persica in Ægyptum translata in aliam speciem non degenerauit,sed solum veneni qualitatem amisit retinuitque formam. Ad hæc diceret Philosophus quòd videmus hoc in aliis plantis vt Theophrastus in quarto de Plantarum causis generaliter primo deinde de lino quòd in lolium vertitur, & tritico & tipham: clarius etiam in secundo de Plantarum historia tipha in triticum vertitur, & triticum in lolium, nec non hordeo & tritico vicissido est, vt alterum in alterum mutetur, tum si symbrium in mentam, & ex arboribus mutuo mutantur olea & oleastrum,punica dulcia & arida,caprificus & ficus;tum ficus candidum fructum emittens cum ea quæ nigrum.At maius hoc est discrimen diceret Philosophus quàm maris & fœminæ. Neque enim sexus mutatio speciei mutatio est,quin tu diceret Aristoteles Galene facis masculum à fœmina calore solo differre. Alia rursus Galeni ratio est quod agit aut dat formam exactam aut non, sed à materia exacta fit tum maximè in delineationibus. Si primum, omnes fœtus erunt patri similes nihil conferente materia, si secundum, omnes erunt matri similes, cum menses à sola matre impartiantur,horũ neutrum cum eueniat necesse est prorsus fateri,aliquid etiã à matre decidi cuius victoria alterna modo matri, modo patri, modo vtrisq; similes efficiantur filij.Inde subiicit,perabsurdũ est posse fieri vt si solum semen paternũ agat,vt non ad amussim efformet filium patri similem, quod si modo deficiat fortuitò à patris forma declinabit, non quòd in matris formam degeneret, velut si Polycletus statuam effingat aut qualem efficere voluerit delineabit, aut imperfecta & absurda delineatio relinquetur non luto ex quo efformatur similis. Ad hæc Philosophus diceret materiam naturalem ab artificij materia differre,quòd iam in plantis & animalibus ostensum est.Sed de animalibus diceret Galenus accidere hoc merito seminis fœminei, non autem ipsorum mensium.Quare vt dixi in plantis vis inest vt cũ non vtuntur materia exquisitè idonea vn in proximam formam degenerent, sic masculus in fœminam vertitur reluctante mensium materia, indicioque est fœminam casu quodam fieri quòd ferme omnes viribus & ingenio à mare multum deficiunt. Quòd non esse posset,si solum ob victoriam fœminei seminis contingeret. Captio autem est ac sophisma cum dicitur vel ex materia, vel ex agente exacta habetur similitudo. Nam ab agente tantum habetur simitudo,vestigio tamen eo relicto in mensibus, vt si quicquam deficiat ad actionis perfectionem, in formam matris degeneret. Sed solum hoc pro Galeno relinquitur quòd est quod delineet?nam tu,dicet Galenus, ô Aristoteles delineationem ipsam ab aliquo agéte fieri concedis, nec ob agens vis esse menses,nec potest esse paternũ semen. Tum Philosophus ad hæc, quid igitur vel auo vel patruo assimilabit, cum nihil fit ab his quod in formam fœtus continend à agat: Respondet autem in eodẽ secundo lib. de Semine c.3. Galenus Philosophi rationibus sed haud omnibus. Sed ei primum, quòd si vis in fœmineo semine esse, oporteret aliquando fœminam solam posse per se generare, ergo dicit Galenus post propositam quæstionem ac multa verba primum membra ipsa genitalia in fœminis testes scilicet & vasa facta esse ad coitus desiderium, ostenditque hoc suum exemplo tum etiam in primo libro c.16.quæ exectæ pinguescunt, vt mares etiam castrati, ab appetentiaque coitus destituuntur non secus quàm illi, non tamen per se fœminas generare,neque enim genituram esse fœcundam,nec tamen ob id fore superfluam generationi. Ergo primam vtilitatem præbet semini maris quod ipsum spargit humidius existens ac liquidius: secundam quod illud nutrit,tertium quod membra quædam efformat non magis hæc quàm illa, sed immixtũ masculino semini illa effingit in quibus præualet. Vt vero hoc ostendat sic inquit: partes seminis quæ primo eiaculantur validiores,crassiores ac magis concoctæ,pòst secundo loco eiectæ imbecilliores ac tenuiores atque ita deinceps, si igitur ex vltimis gratia exempli efformetur facies,in illis semẽ muliebre præualebit, fietque caput ac facies matri simillima,quartam vtilitatem declarauit in primo libro c.10. dicens, quòd ex semine matris intestinalis membrana quæ infantem circuntegit generatur. Cum enim prima quæ fœtum integit vocetur amnios, extima quæ vtero crassior hæret aliudque quàm membrana Chorion,mediam inter has intestinalem Galenus vocat. Sed si diligentius rem vis intelligere,quàm à Galeno explicetur,qui totam hanc historiam transcribere obscure visus est, atque sub erroris timore inuoluere. Vesalium libro quinto de Humani corporis fabrica consule. Igitur ob calorem deficientem negat Galenus fieri posse vt fœmina per se concipiat, oportere enim illam recrementum multum generare quo nutriatur infans, nec hos efficere posse nisi frigidam habeat intemperiem, quamobrem semen id erit iusto frigidius nec generationi aptum. Negaret autem mulieres absque voluptate posse concipere,nisi forsan ob dolorem vt dum deflorantur virgines aut ob metum voluptas non sentiatur. Sed postquam Galenus vt video parum se in hoc tuetur, alias ego addam rationes. Si non esset semen fœmineum generationi necessarium, esset potius impedimento: quo fieri necesse esset vt plures conciperent absque voluptate quam cum ea,quod manifestè sensui repugnat. Secundo muli qui ex tauro generantur dentes habent superiores,& tales cum ex semine fiant, non possunt à semine tauri generari, cum taurus superioribus dentibus anterioribus careat,nec à mensibus quæ materiæ vicem subeunt,igitur ex semine matris.In libris autem de Vsu partium l.14.c.7.totã hanc sententiam tribus verbis explicauit. Semen habere

c.4.

c.5.in initio.

c.17.

habere fœmineum vim aliquam efformandi clare apparet in hypenemiis ouis, quæ ex toto reliquis quæ ex concubitu maris nata sunt assimilantur: nec tamen aliquid tale est in hominibus, nam mola sine concubitu fieri nullo modo potest, verùm etsi semen fœmineum aliquid ad generationem conferat, non nisi tamen masculino immixtum, ita vt masculinum primo moueat, fœmineum autem aliquam leuem vim ad formationem habeat, nihil tamen per se. Auerroës autem secundo Collectaneorum c. 10. & primo de Generatione animalium c. 4. in Paraphrasi declarat quasdam Philosophi rationes ac diligentiùs vt primo illam quòd fœmina posset sine masculo generare, nam si dicas, inquit, non generat, quia seminum mixtio necessaria est, dicit ille, mixta hæc habebunt rationem materiæ, quare etiam formam erit necessarium inuenire, & sic vterus formæ vicem subibit. Superaddit vnum, quòd Philosophus non dixit eo modo quo Auerroës interpretatur, scilicet, in quò mulier concipit femellæ semen effluere. Adducitur autem subtilis ratio ad hoc ab Auerroë quæ talis est: si generatur caro ex sanguine, & nerui, & venæ ex semine matris, neque enim actiuè concurrere potest, quod & Galenus fermè fatetur, essent enim vnius rei duo actiua principia, alia verò membra ex patris semine, essentque hæc membra similia, etiam in generatione priora instrumentis. Et sic animatum ex inanimatis componeretur, vt volebat Empedocles. Ad hæc Galen. diceret, vel loqueris de tempore, & sic non est necessarium vt similia præcedant composita, quamuis & Philosophus ipse faciat cordis generationem præcedere generationem aliorum membrorum. Si verò de natura loqueris omnino concedere cogeris similia membra præcedere composita. Dicitque, si semen muliebre est semen, non sunt menses: si menses, igitur nõ semen, si vtrumque, igitur alterum superfluit. Galenus ad hoc respondet, quòd non oportet negare apparentia sensui ob rationes sophisticas, sed concessis apparentibus quærere rationem. Concedit autem Auerroës facta esse membra in mulieribus similia virilibus àd generandum semen, serosam partem generationi tamen inutilem, sed solum delectationi. Contra hoc instat Galenus, exectis testibus in fœmina tota permutatur, vt mas castratus, igitur testiculi habent vim manifestam in fœmina, vt etiã in mare. Ad hoc dicit Auerroës quòd habent vim magnã, vt tamen in oculo talpæ solum deest vna pars parua, vt aranea membrana, propter quam prorsus oculus ille non est oculus, quia non videt, ita in testiculis mulieris ac seminariis vasis, vna modica res est, per quam solum generat serosum humidum, non autem semen. Solùm illud vellem intelligere ab Auerroë & Philosopho, quid est, cum disputatio sit de corporis forma quòd det formã ouo hypenemio? cùm non sit ibi mas: & si dicunt quòd materia, igitur materia se effingit. Propterea Philosophus concessit in secundo de Generatione animalium c. 4. post pri. quod corporis forma à materia procedere potest: sed vtinã docuisset ipse vel eius expositor Auerroës modum. Ideo Galenus dixit, quòd forma oui, non est forma generati, sed materiæ, ac seminis: nec potest hoc modo sine maris semine fingi animal, imò nec mola, & hoc quia non videbatur semen in auibus fœminis, igitur hæc victoria est in magno fluctu. Nam hypenemia fiunt sine semine maris & fœminæ, & tamen sunt similia ouis prolificis in totum: ideo dicit Galenus, quòd non sunt primum intentum à materia, sed pullus. At dicet Aristoteles, Sufficit mihi quòd absque semine potest dari forma in substantia, & etiam in figura & delineatione. Dicet ad hoc Galenus, quòd cùm Gallinæ in coitu delectentur, habent autem testes, aut aliquid illis simile, & vasa semen generantia. Alteri rationi Galeni Auerroës respondet, quòd propositio illa effectus communis duobus fit ob causam communem in illis duobus inuentam, vel intelligitur in eodem genere causarum, & sic non est generalis, vel in diuersis, & sic est generalis, nam si dicas, Communis est causa efficiens, falsa est, non enim mater vt efficiens concurrit: si autem dicas, est aliquid commune in matre & patre, quod potest assimilare, verum est: & in vno est efficiens, in alio materia. Quia igitur menses deciduntur à sanguinis vltima concoctione ipsi continent potentia omnia membra, cùm igitur semen masculinum non vincit, in illis generant partes similes matri, ex quibus postmodum totum videtur ad matris similitudinem delineatum. Sed Galenus ad hoc diceret, Istud non sufficit, quia delineatio est opus veri agentis & non materiæ, primo de Facultatibus naturalibus c. 5. dicebat clarè, Substantia ad materiam pertinet, delineatio & forma ad aliã virtutem. Addit vnum experimentum Auerroës quod per se concluderet si verum esset, scilicet quòd ab initio embrio totus est sanguineus sine vlla distinctione, sed hoc diceret Galenus falsum est, & ideo potius oppositum concludit. Dicente Hippocrate in libello de Natura fœtus in princ. quod pars extima quæ membrana erat candida fuit: igitur oportuit ex aliquo illam candido generari, & non ex sanguine, igitur ex semine maris aut fœminæ, & quamquam intus rubrum totum appareret, diceret Galenus (quod & verum est) album nec syncerum nec multum latere in rubro multo atque syncero: breui tamen apparere etiam seminalia membra, & illorum substantiam. Auicenna verò dixit, quòd membra formantur à fœminino semine, & quòd ipsum concurrit fingendo etiam & vt agens, sed tamen cùm prius vim à masculino semine receperit. Et ita facit semen viri vt formam primam, menses vt materiuam, semen fœmineum vt instrumentum quoddam, visus est autem medius inter Philosophum & Galenum, & ob id ab Auerroë reprehenditur. Sed alibi dixit, quòd semen fœmineum est semen imperfectum, & medium inter menses & semen viri: & ideo semen viri agit in semen fœmineum, respõdet rationi Philosophi dicentis, quod aliquæ mulieres concipiũt absq; emissione proprij seminis, dicit, quòd primò potest aliquando emitti absq; delectatione. Secundò, quòd tale semen potuit esse effusum ante

ante coitum: & sic mulier non potest concipere absque effusione proprij seminis, nam ipsum est materia generationis membrorum & medium inter menses, & semen viri, & interim dum formantur membra ex semine fœmineo, sanguis mensium paulatim transmutatur ad naturam seminis fœminei & ad corporis substantiam inde, ac membrorum seminalium, quod autem transmutari non potest, efficitur caro: excrementa autem expelluntur. Addidit autem vnum, quod inueniuntur oua quæ carent albo, & habent semen masculi, & quod ex his pullus generatur. Sed cùm album oui referat fœmineum semen, videtur hæc ratio potius contra Auicennam, & ideo, ego lego potius cum negatione, & talia oua non generant. Neque enim auctor vnquam vbi verbo tantum sensus deficit culpari debet. Nam si velis affirmatiuè legere præter id quod contradicit dictis ab eo, non est etiam verisimile, quandoquidem vix possit de hoc sumi certum experimentum, & tanto magis quod in superiori Contradictione ostendimus, oui album esse membrorum seminalium, velut & in mulieribus fœmineum semen, materiam constitutionis: igitur oui candidū seminis materiā referat, luteum mensiū, genitura genitură viri. His visis ostendo semen fœmineum esse generationis partem agentem, vt enim dicebat Philosophus in secundo de Generatione animalium c.4. si quod ex vulpe & cane fit ineat canem, ac rursus genitum canem fœminam, tandem dicit corpore canis exquisitè euadit: quoniam corporis forma à matre efficitur, si igitur corpus habet canis, aut etiam operationes, aut non, si operationes habet vulpis, contradicit his quæ dixit in primo de Anima t.c.53. nam nihil prohibet fieri transitum animarum ex vno corpore in aliud vt volebat Pythagoras Samius, quandoquidem anima vulpis erit in corpore canis. Si vero habet animam canis vt consentaneum est, & ratio docet & experimentum ostendit, cùm pater primus vulpes fuerit, atque ideo anima primigeniti vulpis, atque ideo secundi, necesse est tandem vt dicas formam & animam sicut & corpus ab ipsa matre contractam ac immutatam, igitur mater ipsa effectiuè concurrit, ac non solùm corporis, sed etiam animæ causa est, quandoquidem videmus pueros non solùm forma, sed etiam moribus plerumque matribus similes fore, quare necesse est tandem fateri semen fœmineum in generatione vt agens concurrere, quod est propositum. Nec in omnibus animalibus, eadem enim esset captio quæ de testiculis, sed solùm in perfectis animalibus in quib. mater semē eiicit. Sed & vt materia quod ex membrana circumgenita illi genituræ ab Hippocrate visa demonstratur. Illud solum superstitiosum videtur quod Galenus ex tribus mediam illam intestinalem elegerit, cùm nec rationi consonum, nec demonstrari possit argumentis vel experimento. Sed ad Philosophum redeo: Forsan dicet animam producti animalis aliam esse ab anima canis ac vulpis, & si ita est, vel semper mutantur, eruntque duæ animæ adhuc canis, & illius animalis formæ similium corporum, id est, caninorum, & species animalium infinitæ, quod prorsus naturæ repugnat. Vel dicemus, quod à primogenito eadem seruatur species, quamquam neutra, nec canis, nec vulpis: palàm autem est quòd & sic corpora eadem à diuersis animis reguntur, & quod ex commixtione duarum specierum, tertium genus non producitur. Hæc itaque atque alia ex his absurdiora sequuntur, Rursus, si semen fœmineum generationem non ingrederetur, castratæ fœminæ concipere possent, at non possunt: sic enim experimento deprehensum est eas non minus masculis steriles euadere.

Ex his habentur quædam corollaria non inutilia ex Aristotelis ac Galeni sententia: primum, licet mulæ non concipiant, muli tamen possunt generare, eadem enim ratio de his ac vulpibus procreatis à cane fœmina & masculo vulpe, licet facilius parua generent animalia quam magna. Secundum, hinni sūt animosiores mulis, quia hinnus ab equo & asina generatur, & mulus ab asino & equa, muli autem hinnis maiores erunt atque robustiores, mulæ tamen non generant, vt autor est Aristoteles quoniam vterque parens à sterilitate parum abest. Tertium, filij tauri & equæ, sunt valde robusti atque audaces: assimilantur enim patri. Quartum, pro generando multum confert protinus mulier menses finierit. Nam siccus vterus facit ne fœmineum semen à sanguine corrumpatur. Sed ipsum fœminæ semen transit illico in fœtus substantiam: atque interim sanguis sensim accedit, nec fit mensium impetus antequam confirmetur genitura. Quintum, si mulieri multum fluant menses, in ipso fluxu iuxta finem facilè concipiet: sic enim quantum oportet relinquitur, si autem parum, antequam effluant, quædam autem concipiunt in ipsis mensibus, quibus os vteri à purgatione concludi solet, retinetur enim ob hoc semen iniectum purgationis tempore, quòd si morentur occluso vtero, non concipiunt, ob id pauci cum vxoribus, ob temporum omnium occasionem, non concipiunt, nisi vitium in mare ipso fuerit. Sextum, iuuat igitur plurimum ad concipiendum vt fœmina prius semen emittat ante marem, atque illico mas sequatur: sic enim ad cornua vteri semē maris annectitur: facilèque nutritur fœmineo, inde concrescit. Septimum, semen fœmineum concurrit vt agens, debile tamen, præbet autem materiam membris seminariis, neruis, venis, arteriis non totam, sed commixtam masculino, fiunt etiam ex vtroque semine duæ interiores membranæ circumambientes fœtum, extima vero ab illis ac sanguine. Sed dubium est, an masculinum semen vt materia quædam concurrat: videtur hoc quæsisse Aristoteles ac breuiter pertransisse his verbis. Hoc inquam genituræ semen dissoluitur, in spiritumque versum euanescit, cum naturam humidam ac aquæ persimilem habeat. Quamobrem quærendum non est an semper foras exeat, neque an pars vlla sit formæ constitutæ, vt neque de succo à quo lac cogitur, quæri tale, quid conuenit. Nam is quoque mutat, & nulla pars constitutæ magnitudinis est. Huic sententiæ hæ rationes suffragantur, ouum generat pullum, & semen

men quod in eo est, exiguum adeò est vt nemo iure dubitare debeat, quin ipsum non sit materia aliqua membrorum. In cartilagineis quoque vt iam dictum est, nihil in fœminam mare immittente fit generatio, non igitur in illis materia ex mare subministratur, esset etiam idem efficiens ac materia, imo duæ materiæ corporis, imo tres, semen fœmineum menses & semen masculinum, atque hæc compagno inartificiosa, & non naturalis. Adducunt in oppositum quidam experimentum Hippocratis in libro de Natura fœtus, vbi in sex diebus vidit membranam albam circunductam, quare cum illa ex sanguine gigni non possit, relinquitur vt ex semine maris: sed hoc non concludit, nam posset ex sanguine etiam gigni, & ex semine fœminæ vt censet Galenus. Igitur Galeni prima ratio in primo de Semine habetur, animalia & mulieres si concipiunt retinent semen, & si non retinent non concipiunt, necessaria igitur est genitura masculi vt conceptus materia. Responderet Philosophus, quod retinetur, sed in spiritum conuertitur. Contradiceret Galenus cum aqua in aërem vertitur, ampliorem occupat locum, quare fieret vterus spiritu plenus, quod tamen non cernitur. Ad hæc Philosophus posset dicere, quòd vel insensibili modo paulatim spiritus foras exit, vel semen ipsum superfluis immiscetur atque cum illis vnà foras eiicitur. Contradiceret Galenus vel sanguis ille menstruus permutatur in venis, & sic non indigeret seminis virilis virtute, vel extra venas: & sic euaderet trumbus & res sine forma. Ad hoc Philosophus diceret quòd virtute seminis primo in venis pòst extra sensim immutatur. Rursus diceret Galenus si resoluitur semen, igitur generatio est violenta, quia imbecillior perpetuo actio euadet, agente corrupto ex parte donec totũ finiatur. Responderet Philosoph. adhoc quòd duobus modis actio validior fit procedente tempore, primo quia ex spiritu spiritus genitiuus efficitur, vt etiam in ignis propagatione, vnde copiosus spiritus ad generationem magis facit. Secundo quia materia ipsa magis est præparata: ideo à debiliori agente magis tamen immutatur. Galenus ad hoc diceret si spiritus gignens ex alio gignitur, nunquam cessabit hæc actio in corpore. Responderet Philosophus quòd cessat quia adeptus est finẽ. Alia Galeni ratio, natura nihil frustra agit, sed materia seminis cum sit tenax & candida est aptissima generationi neruorum & ossium, igitur non debet illam cõsumere vt ex sanguine producat postmodum hæc membra. Ad hoc diceret Philosophus quòd natura non facit nisi ea quæ potest, sed quia semen concurrit actiuè, ideo non potuit esse materia, quamuis fuisset melius hoc si esse potuisset. Ad hoc Galenus diceret quid prohibet quemadmodum in seminibus plantarum, ne duæ sint partes spiritus generans & semen quòd sit vt materia? Nam triticum sine terra producit germen, nec inconuenit materiam esse agenti iunctam, bene esse non potest vt agens & materia sint idem, quia idem ageret in seipsum. Ad hoc Philosophus diceret quòd postquã videmus quòd sanguis conuertitur in neruos: neque enim possent ex solo semine in tantam crescere magnitudinem quòd prohibet ne statim ab initio ex sanguine nerui & ossa procreentur. Quod verò de seminibus adducatur exemplum. Responderet semina arborum gerere vim maris ac fœminæ simul, ideóque partem illam quæ germinat menstrui sanguinis vicem subire. Causa autem quòd semen plantæ contineat naturam fœminæ & maris est, quia non poterant simul congredi cum mot[illegible] carerent. Adducitur alia ratio in primo de Semine membra seminalia vocata vt os & nerui præcisa non regenerantur sed quicquid ex sanguine generatur præcisum ex sanguine regenerari potest vt de carne apparet, igitur ossa & nerui ex sanguine minimè generatur. Assumpta propositio habetur in sexta Aphorismorum. Hic inquam Philosophus reflecteret argumentum, si non regeneratur os quia generationis materia deest, igitur etiam nutritionis, quandoquidem ex iisdem quibus generamur nutrimur. Ideo diceret Philosophus quòd vocantur seminalia à similitudine, tenuior enim ac purior sanguinis pars ex toto à semine euicta in illius similitudinem transiens ossa & neruos effingit, causa autem quare non regenerentur hæc membra in hoc libro iam declarata est. Rursus semen est materia vtilis & naturę dilecta, sanguis mẽstruus est excrementum, igitur mẽbra ex semine magis quàm ex illo sanguine fiunt. Hic Philosophus respõdebit semen esse nobilius, est enim agens: verũ sanguis menstruus est superfluus ratione indiuidui, non autem fœtus. Quædã enim sunt minus vtilia nobis vt lac in mulieribus, quæ tamen sunt præstantissima. Est & nostra ratio: Semen vel cogitur trahens aut non trahens, aut quocumque modo contingat non cogitur. Si ab initio nihil trahit manifestũ est prima membra ex semine ipso generari. Si autem trahit ab initio ac cogitur, adhuc manifestum est ex semine ipso aliqua mẽbra generari. Si non cogitur & diffluit cõtinuo vniuersum, nulla prorsus fiet generatio, cũ neque sit agens. Rursus igitur quod solum reliquum est maneat & non diffluat nec cogatur, aut igitur sanguine nõ impletur atque sic generatio erit ab exteriore agente non naturalis. Si autem impletur aut non euanescit atque sic partes corporis ex semine constabunt: vel tandem euanescit postquam opus absoluerit, & tunc à quo fit hæc resolutio nõ à calore cum sit humido coniunctus, & etiam quia pars terrea resolui nequit, aliter vt declarauimus, daretur retrocessus in ætatibus. Et etiam in generatione & nutritione quælibet pars partis fluit & refluit. Alia ratio nostra est quòd homo non nutritur ex semine perfecto vt superius docuimus, cum sit alterius speciei ab eo quod erat præparatum nutritioni mẽbrorũ, sed ex eisdem nutrimur ex quibus generamur iuxta Galeni sententiam, igitur non generamur ex semine tanquam materia. Et sic videtur opinio Aristotelis adhuc stare. Respõderet Galen. quòd generatio fit ex actu tali & nutritio ex potẽtia tali, modo illud quòd nutrit est semen imperfectum & potentia semen generans, igitur nos generamur ex materia seminis. Pro Philosopho etiam facit argumentum Auerroïs de semine fœmineo quod

cap. 11.

aphor. 10

tr a 3. cont. 9.

quod deducit ad Empedoclis absurditatem Turisanus in artis medicæ expositione sequutus est Philosophũ in vtrisque quęstionibus, existimans quòd fœmineum semen non concurrat, quia magis concurreret fœmina masculo duplici materia & vno præterea efficiẽte, sed hoc nihil est, nobis cõcedentibus quod plus confert fœmina ad generationem pueri quàm mas, ideò etiam assimilatur magis matri quam patri, vnde adagium. Vxorem talem accipe qualem optatis esse filium: nec tamen principalius concurrit, cum mas sit primum agens. Sicut & Sol principalius concurrit ad plantarum generationem illarũ semine, cum nulla sine solis virtute multæ sine semine generentur, nec tamen plus sol in plantarum generatione confert virium quàm semen, atque vt generaliter dicam hoc in omnibus agentibus quæ ordinem habent accidit. Eodem modo quia dicit semen putrescit in terra fit plantæ generatio, nõ ex semine nisi vt agẽte ita in animalibus. Respondeo assumptam propositionem esse falsam, quinimò solus seminis cortex euanescit, quod intus est in plãtæ primordio absumpto. Cum autem dicat quod idem esset principium cum parte effectus, iam dixi principiũ esse spiritum, partem autem facti semen. Dico igitur quòd semen masculinum ingreditur generationem vt materia, solo spiritu generante vt efficiens iuxta Galeni mentem. Nam vel efficit totum semen vel solus spiritus: si totũ erit aliquod animatum homogeneũ seu similare, imo quod erit nutrimentum & excrementum. Si vero solus spiritus, oportet vt materia seminis non sit frustra. Diceret Philosophus quòd est ad contemperandum spiritum: sed hoc non sufficit, videmus enim quòd natura semper generat materiam proximam agenti, vt lac in fœmina pariente, & primum subiectum generationis in semine plantæ, igitur prima actio, vt non sit cum contrario est spiritus seminis in suam materiam, vt maximè generationi, & impressioni aptam, & hoc modo agit etiã in fœmineum semen vltimo in sanguineum menstruũ quem interim præparauit, & hæc est veritas ipsius rei, facile est his quæ in oppositum adducuntur respondere. Sed iam grauius vrgemur nempe Galenus secundo Virtutum naturalium inquit, semen maris opificis naturam habet, sanguis autem fœmineus, vt cera quædam ad Phidiam comparata materię vices subit, nã etsi ossa, nerui, cartilagines, membranę atque alia eiusmodi exanguia sint, omni tamen ex sanguine ipso sunt genita. Et rursus prima Aphorismorum substãtia innati caloris nostri velut & seminis aërea est & aquea, reliquum autem nostræ generationis principium sanguis menstruus, ex quo videtur hanc materiam generationis illud efficiens existimasse: cum calor naturalis non possit procul dubio esse materia, & primo de Tuenda sanitate cum dixit: Sanguis semenque genitale generationis nostræ principia sunt: ille seu materies apta, hoc vero vt opifex. Et Auicenna dixit, odor seminis viri tantum ingreditur generationem iuxta Philosophi mentem, velut etiam in ouis prolificis videmus in quibus post absolutionem à mare ros solum quidam aduenit, esset etiam generatio auctio quædã cum principium mutationis esset in eo quod mutatur, apparétq; id in artibus, vbi nunquã artifex est pars facti. Verum vt dixi, neque veritas est propter hominem relinquenda, neq; sensus ob rationem, nec autoris, opinio ex his quæ obiter tractat exploranda. Nam & Auicenna alibi fatetur semen masculinum partẽ esse fœtus, & Galenus dum hæc ex composito tractat edocuit, ratio ipsa ostendit ita esse. Vnde etiam prima Aphorismorũ inquit, tria sunt quæ substantiam nostri corporis ab initio complent, Sanguis, spiritus, semen, ex quibus ab initio vt in lib. de semine dictum est, membra nostri corporis solidiora cõstituuntur: & rursus 2. de Temperam. inquit, constitutio nostri corporis sanguine ac semine ab initio cõstat. Sed Auicen. existimat quòd spiritibus seminis agat in semen, & conuertat in ipsum perpetuo, & hoc modo semen masculinum sit pars fœtus, nec euanescat, nec sit materia, & quòd Philos. hoc crediderit, quàm opinionem sequitur Conciliator. Sed præter id quòd non sequuntur veritatem, nec apparentia, cum sic natus esset semper in moribus patri similis, neque hoc Philos. dixit, nec etiã Auerr. illi tribuit, habet etiam duas rationes contra se: prima quia spiritus ille semper generaret cum sit agens naturale, nam esset spiritus similis illi qui est mutatus in testiculis, & sic non posset perficere fœtum, si perficeret generaret etiam. Secunda quæ difficilior est, quæ posset spiritus generari sine corde, hoc autem est impossibile penitus: cum non possit esse alibi tantus calor, adducit etiã Gal. in manifestã cõtradictionem. Cũ igitur dixit Galen. quæ ossa & nerui & talia sangine constant in lib. de Virtutib. naturalib. verissima dixit, nec vlla ex parte iam dictis repugnantia: siquidem maxima illorum pars ex sanguine mutato genita est, sed non potuisset mutari sanguis ab initio, si non fuisset prima illorum generatio ex semine. Dicant mihi quæso cur sit quòd ossa ab initio cum fœtus est minimus sunt rubicundiora, successu autem tẽporis dealbantur. hoc non est nisi quòd pars quæ ex semine constat tẽporis successu quod sibi adiectũ est, sibi assimilat perfectè, at oportebat si ibi non erat semen contrarium euenire. Sed iam dicamus, cur senum filij maximè patribus similes sunt: quia rarò coëũtes multum seminis emittunt, quod quanquàm debile sit, molis tamen ratione membra efficit similia patri, at si sola virtus maneret, similiores essent filij iuuenum, cùm robustius semen sit, ob hoc ad generationem multum refert, vt rarò pater coëat.

Nunc modò videndum est, cur filij masculi euadant. Hippocr. quarta Aphorism. inquit, fœtus mares in dextris, fœminæ in sinistris magis, Galenus exponẽs dicit, quoniam calidior est vteri pars dextra, eo quòd iecori vicinior, semen quoque à dextro effusum testiculo fœminæ, vtpote repurgatũ à serosa parte calidius est: vt ex dissectione satis constat. & in sexto Contradicentium declarauimus. Hanc igitur sententiam Hippocr Philosoph. quarto de Generatione animalium Anaxagoræ ipsi tribuit. Alia opinio eodem recitante fuit Empedoclis, quòd [illegible]erus calidus masculos, frigidus fœminas pareret, esse autem cali

Marginal notes: cap. 3. — aphor. 14 post initium. — c. 2. — aphor. 15. post princ. — c. 2. in prin. — Aphor. 48. — c. de Vteri. c. 1. in princ.

tem calidum vterum, vel ob iuuentutem, vel ob menstrui sanguinis naturam: contrariis rationibus frigidum. Tertia Democriti vt victoriam seminis sequatur. Vincente masculino masculus, fœminino fœmina oritur. Contra hos Philosophus inuehitur: nam sæpius visum est in geminis, masculus in sinistra, & fœmina in dextra vteri parte, sæpius etiam masculus & fœmina in eadem vteri parte, quàm masculus in dextra, fœmina in sinistra, nec hoc Hippocrati contradicit, dicenti, quòd magna ex parte. Sed neque Empedoclis ratio stare potest cùm in eadem parte vteri, vt dictum est, mas ac fœmina generentur. Si igitur pars illa calida est, non potuit fœmina, si frigida mas generari, plus etiam videtur mas à fœmina differre, quàm sola caliditate. Democriti autem sententia si vera esset, oporteret masculos patribus, fœminas matribus semper esse similes. Neque etiam verum est quod Leophanes dicebat, à teste dextro masculum, à sinistro fœmineum semen decidi, ob idque obligato sinistro testiculo semper masculos progigni, hoc enim experimentum refellit. Quinta opinio Philosophi est in qua præsupponit: primo, quòd mas fœmina sit calidior: refellitque opinionem Hipocratis dicentis, quòd mulier viro calidior est, quia sanguinem habet calidiorem, alij dixerunt, quia sanguine magis abundat, primum Philosophus ipse negaret, nam tenuior est sanguis fœminæ ac aquæ magis persimilis quàm viri, abundantia verò sanguinis excrementitij caloris ostendit imbecillitatem, in qua sententia etiam Galenum habet consentientem. Dictum verò illud in libro de Mulierum morbis Hippocratis non est. Nam vt testatur autor libri de Semine ipse etiam condidit libros de Morbis muliebribus, quare liber de Morbis muliebribus, vt dictum est Polybij, aut etiam forsan, vt quidam existimant, Herophyli. Cuiusuis modo sit, non est Hippocratis. Igitur vincente semine masculino, inquit Philosophus, mas qui per se à natura intenditur, generatur, vbi autem non euicerit fœmina, est enim fœmina mas oblæsus: & contraria illi, ob id cùm in cordis generatione vicerit masculinum semen, masculus generatur: si autem non vicerit, in contrarium mutatur, id est, fœminam. Ista responsio non videtur satisfacere, quoniam oporteret vt masculus esset similis patri, & fœmina matri. Item non datur agens fingens membra fœminæ, nec potes dicere quòd masculi membrum solum deficiat perfectione à membro fœminæ, cùm dissectio ostendat, quòd in vtero sunt multa quæ non sunt in membro virili. Et ideo hæc ratio etiam militat aduersus Galenum, qui posuit quod causa masculi & fœminæ sit ex calore, dicit ille, natura primò absoluit membrum: deinde protrudit illud foras frangendo septum, velut in ortu infantis, genito igitur membro virili intus si calor deficit, non protruditur foras, sed intus manet, atque ita vocatur vterus. Si autem calor viget, exit membrum virile & fit masculus. Similitudo habetur à talpis quæ habent oculos paulò vitiatos, ac ab aliis deficientes animalibus: Ista ratio est persuadens, sed non demonstrans: primò, quia nullo modo possumus fingere animal quod habeat vterum persimilem membro virili quomodocunque inuertatur, nam testes in mulieribus sunt extra scrotum, seu vterum: in viris autem intra. Deinde, coles ipse solidus & vterus est inanis ac tenuis, nec potest calor esse causa, contrarium enim potius efficeret, dilatat enim calor, & si dicas, quòd inuertitur in exeundo, oporteret vt scrotum esset magis remotum à pectine, quàm coles, in multis etiam animalibus est magna differentia inter membrum virile & fœmineum. Quòd si dicas, quòd aliquo modo differunt, quærendum est igitur, cur natura ab initio membrum virile formauerit, & non fœmineum. Si dicas, quòd ob calorem, istud contradicit Galeni placitis. Si dicas, quòd à virtute formam dante: igitur vbi calor deficeret, aliqua mulier haberet vterum cum testiculis intra, & vbi abundaret post constitutionem vteri exiret vterus cum testiculis extra scrotum, quod tamen nunquam visum est. Alia igitur opinio fuit autoris libri de Semine scilicet, quòd tam semen masculinum quàm fœmineum haberet vim generandi masculos ac fœminas: si igitur vincit pars perfecta ex vtroque semine partem imperfectam, efficitur masculus, si imperfecta fœmina, & hoc modo vincente masculino semine fit fœtus patri similis, fœmineo autem matri, & ita perfectio seminis est causa masculi, & fœminæ imperfectio, sed victoria seminis est causa similitudinis: Ista opinio non est vera, quia masculi essent omnes fœminis præstantiores, quod falsum est, videmus etiam aliquos bonæ temperaturæ qui generant fœminas & imbecilles masculos, & etiam cum frequenti coitu. Pro horum igitur solutione respondeo, quòd masculus est calidior fœmina, quo ad membra generationis, vt declaratum est, nec obstat quòd fœminæ cùm vterum exierint sint celerioris incrementi, & celerius ad veneris vsum perueniant masculis, primum enim est ob abundantiam humidi, secundum, quia semen fœmineum illa perfectione non indiget qua masculinum, indicio autem est non esse ob caliditatem, nam celerius fiunt etiam impotentes ad generationem, & celerius longè senescunt masculis. Ratio autem menstrui sanguinis, est quòd non contraxerunt tantam caliditatem, id est, æquè perfectam in iecore, ob id transmittit, & etiam quia humidus est, ideo plus de sanguine generat, indicio est quòd à suppressione mensium celerrimè transeunt in hydropen, natura non ferente tantam vim sanguinis imperfecti, cùm igitur virtus effingens membra generationis fuerit maior in semine masculino, generatur membrum simile masculo, quòd si vincat pars seminis fœminei quę delegata est generationi membri fœminei fiet fœmina, si vtrumque semen par fuerit, cùm non possint hæc membra esse similia vt in corde & iecore & pedibus generabitur Androgynus: habens vtrumque membrum. Et quia ad conseruationem fœminei seminis vterũ generantis iuuat multum semen fœmineum delegatum generationi iecoris ac cordis, ideo generatur hepar conueniens fœminæ quòd re-

1. de Morbis mulier. in pri.

fol. 2.

2. de Semine c. 5.

fol. 2.

secet multum de sanguine, & ita cor etiam proportionatum, aliter vincitur semen fœmineum vteri causa aliquando à semine delegato coli generando, non merito eius, sed merito cordis, & tunc generatur homo audax, sed ad venerem impotens, & si vincat semen fœmineum vteri, & semen masculinum cordis & iecoris, generatur mulier moribus virilibus, & carens menstruis, ac plerumque sterilis. Nec minor, imò maior est differentia fœminæ à masculo in humido, quàm in frigido. Et ita hæc octaua opinio nostra omnia seruat apparentia. Et quia calor iuuat ad conseruationem virilis seminis magis, ideo masculi, vt bene dicebat Hippocrates, fiunt magis in dextra parte quàm in sinistra, & à testiculo dextro quàm sinistro, & à calida & sicca testiculorum temperie, quàm à frigida & humida, vt dixit Galenus secundo Artis medicæ, non igitur malè dixit Galenus aut Philosophus aut Hippocrates, sed solùm imperfectè. Cõstat igitur quòd ad generationem multum confert vt mulier exiccet corpus, & vterum, comedendo phu & artemisiam per aliquot dies, purgatio etiam cum turpeto confert, & ideo plures steriles post morbos conceperunt. Eodem modo hæc conferunt ad generationem masculorum, & in coitu pendeat super dextrum latus, & illico complete post absolutam venerem, mulier se super ipsum vertat, & hoc multi experti sunt, qui non poterant habere masculos filios. Iuuant & ad conceptum pulegium & scandix & castorei modicum. Sed & venus à tergo iuuat multum ad concipiendum, teste Paulo. Ratio est, quòd semen non tam facilè diffluit: neque enim anterior vteri pars tot venas excipit, sinuosóque vesicæ ingressu obstaculum fit: aliis ob prauam imaginationem vehementior seminis eiaculatio.

c. 39.

lib. 3. c 74. in vltimis verb.

Sed hic cadit dubitatio, an testiculi fœminæ possint esse calidiores masculis: dico quòd non, tametsi possint in libidinem pronæ esse magis ob serosam partẽ & renum ac circumiacentium partium caliditatem, quanquàm perfectio seminis in masculo nõ fiat ob calorem, sed ob refractionem, & membrorum generantium formam atque figuram. Caliditas tamen ac siccitas temperaturæ testiculorum ad generationem confert, cùm talis temperatura crassum habeat semen, & sit fœcundissima iuxta Galeni sententiam secundo Artis medicæ. Sed quomodo calor & siccitas cogunt? cùm quanto Meteororum attenuent, propterea & sanguis qui arteriis continetur, tenuissimus est. Respondeo, quòd concoctio incrassat vbi nulla fiat separatio velut in semine. Sanguis autem arteriarum non est subtilis ob concoctionem, sed quia transit per septum cordis densum, dum ex dextro in sinistrum ventriculum trahitur. Sed maior exoritur difficultas: nam quinta Aphorismorum cùm dixisset Hippocrates, quòd mulieres non concipiunt vel ob nimiam caliditatem, vel siccitatem vteri, Galenus in Commento dicit hoc idem verum esse etiam de temperie testiculorum. Quapropter, inquit, oportet, vt Plato ait in Theœteo, tunc tales mulieribus iungere contrariam qualitatem vteri habentibus, quomodo igitur calida ac sicca testiculorum temperies fœcundissima esse poterit? Respondēt quidam, quòd comparata ad vteros frigidos & humidos: ista responsio non satisfacit, quia hoc esset par accidens. Dico igitur quòd aliud est ratione qualitatum, aliud substantiæ, merito qualitatum, calidum, & siccum semen est infœcundum, vt habetur in autoritate Aphorismi adducti, sed quia ad caliditatem & siccitatem testiculorum, sequitur seminis substantia densa & concocta, & spiritu plena: ideo tale semen his de causis est fœcundissimum. Quod si postmodum in vterum incidat frigidum & humidum, nihil potest esse fœcundius.

cap. 40.

Aphor. 62. post med. com.

Superest modò difficultas, quonam pacto parentibus filij assimilentur. Galenus in secundo de Semine inquit, quoniam & menstruus sanguis aliquid agit, & semen masculinum aliquo modo & patitur, & materia est. age igitur, vincat masculinum semen, tunc patri assimilabitur: si autem fœmineum, atque cum illo menstruus sanguis matri. Sed satis mihi videtur obiter tam difficilem tractasse quæstionem, cùm in aliis facilioribus tot verbis vtatur. Sed agedum veritas illa sit: quomodo oculis patri assimiletur, naso matri, non explicat? & rursus, cur auo materno, vt ego qui Iacobo Miherio materno auo moribus, ingenio & corpore sum persimilis? at decebat magis patri, videtur etiam difficile, vt inquit Philosophus, hoc tueri nisi vtrumque semen ex toto decidi affirmemus, at non deciditur. Neque si decidatur, fieri potest vt simul & mas sit & matri persimilis. Ergo Philosophus ipse tria supponit, primum quòd motus alij actu, alij potentia vnicuique insunt. Secundum quòd cum degenerant in cõtrarium abeunt. Tertium quòd in proximum. Igitur Socrates & hic homo est, & masculus, & homo & animal & viuens. Si igitur semen sanguinem matris euicerit, procreabitur puer patri persimilis. Quod si paulo defecerit, paterno auo, sin autem minus adhuc validũ est patruo, tum vero si multum vincitur vt dictũ est, fœmina procreabitur, at si adhuc minus possit non ex humano genere sed solum animal, atque ideo monstrum, at si minus viuens tantum vt mola. At verò quomodo mas matri similis aut fœminina patri: Respõdet motum qui à patre & ab vniuersalibus causis semini inesse actu: potentia autem qui à matre atque auo, residet enim vis assimilans in matris sanguine ipsi matri tum auo materno, atque auiæ, & in semine patris potentia motus aui ac auiæ paterne cæterorumque maiorum suorum. Cum igitur semen à proprio vigore destituitur, quod potẽtia est agit ad assimilãdum, formas enim plures veritus actu ponere, potẽtiam finxit, velut intellectiua quę sensitiuam habet ac nutritiuam, igitur in proximam formam mouentem transit, cum à validissima destituitur, earum autem formarum nullus est ordo ob id alij aliis similes efficiũtur. At hæc Philosophi ratio dubia est: nam quomodo patruo similis efficitur? cum nullum semen potẽtia patrui formam aut fratris contineat. Deinde quomodo refert quòd iam diximus pedibus, & toto corpore patrem,

delineatione

delineatione autē vultus ipsa matrem? Tertio quomodo cicatrix patris velut de Chalcedonio viro dixerat in filium transibit? tum verò quonam pacto si vicit semen vt masculus fiat: nunc etiam victum matri aut alij assimilabitur? Deinde si non exciditur à partibus quæ iam consistunt, sed à nutrimento, vnde illi causa similitudinis? an in corde totius corporis similitudinem contraxit? difficilia sane hæc & prorsus miraculis similia. Benéque meo iudicio fecisse videtur, qui tandiu solutionem quæstionis distulit, nam cum in primo libro eam mouisset in quarto soluit. Dicamus igitur quòd quilibet tā pater quam mater cōstat ex vtroque semine suorū parētum, & in diuersis membris est vtrius alteriusve seminis superabundantia. Cum verò deciditur semen à patre, si quidem validæ omnes partes fuerint decidetur validum atque filius patri assimilabitur. Si autem semen quod ex patre deciditur capiti pertinens inualidum fuerit, vincatque ibi matris semen quoniam processu temporis paternum est debilitatum, cæteris autem in mempris validum fit, generabitur puer aut puella similis patri in omnibus membris, solo capite auiæ paternæ assimilato. Quod si ex toto semen paternum quòd à capite deciditur debile fuerit, vincatque vxoris semen, natus matri capite, cæteris in membris patri similis erit. Quòd si semen quod ex patris capite deciditur debile fuerit: patris tamen ac matris eius seminis vis valida, natus caput simile patruo paterno habebit. Nam patrui caput ex paterno & materno compositum est, vel altero vincente, eodem modo si imbecillia omnia ex patre fuerint exinanitáque etiam in illo maiorum virtus, natus pro membrorum ratione in quibus semen matris, aut patrui materni aui vel auiæ vincet persimilis erit. Sicut igitur in anima est vis imaginandi & ratio & memoria, sensus, ita in corpore sunt multæ formæ, non solum natura sed loco distinctæ. Velut cor meum assimilatur in natura patri meo & auo pate no Antonio Cardano & ita proauo facio alteri & atauo Aldo cum intercesserint ab illius ortu ad hanc vsque diem anni CCXX. fuerunt enim omnes viuacissimi, non tamen vt audiui forma similes. Sed dices hic relinquuntur quinque dubitationes, prima quomodo possit cicatricis vestigium transire ex patre in filium, & Hieronymus Cardanus medicus affinis noster habet in brachio sinistro vestigium nigrum pilosum in parte sylueſtri radij seu cubiti, quòd contraxit ad vnguem ab auo paterno Iacobo. Secunda est quonam pacto cum semen non decidatur à toto neque à partibus in actu, sed sit solum nutrimentum quomodo potuit efficere sibi simile? Tertia si masculus à masculo fit quoniam membra genitalia vincunt, oportet esse genitale filij semper simile genitali patris. Quarta quia si corrumpitur forma membri aut debilis redditur quomodo potest ibi esse forma seminis alicuius parentis valida? Quinta quia poterit patruus nulli parentum suorum assimilari, & tamen natus patruo assimilabitur. Addūt aliqui ex quibus est Auicenna, quòd ob imaginationem filij etiam alienis assimilantur, & adducitur exemplum de Iacob qui decipiens Laban socerum suum, quotiens vellet procreari agnos albos ponebat baculos decoriatos vbi pecudes bibebant, nam ibi arietes cum eis coibant: nascebanturque agni non parentibus sed ligno quod præ oculis habebant dum concumberent persimiles. Et Philosophus dum reddit rationem cur minus filij hominum quàm belluarum parentibus suis similes reddantur, in hominum imaginationem refert. Sed hoc responsum est secundum vulgi opinionem, vt pleraque quæ in Problematibus continentur, Illa autem opinio ab adulteris inducta est: quippe cum impossibile sit tamen maxime si quid sit in patre præcipuum boni, aut perspicui mali, quin vel moribus vel membris aliqua ex parte filius non referat patrem. Quod verò attinet ad sacram paginam mihi vt medico curæ non est, ad dubitationes, igitur dico quòd quamuis semen non decidatur à membris, impressionem tamen ab illis recipit, quoniam mutatur, sed nondum mutatum est, ideo potest efficere simile & non simile. Sicque patet ratio duarum primarum dubitationum, illud adiicito quòd quandoque trahit aliquid iam assimilatum membro secum, tuncque fit perfecta assimilatio, & si dicas est homogeneum semen, ac sibi ex toto simile, respondeo, quòd substantia simile quidem est, aliter parte pereunte homo mutilus non raro nasceretur. Sed tamen in qualibet parte mixti est tota vis, quæ postmodum distribuitur. De genitali respondemus si à corde vel iecore, vt diximus non iuuetur simile efficere. Sed repatitur etiam à semine matris & à sanguine, & quandoque debile est, sed virtus paterni seminis ipsius patris in eo vincit, has omnes ob causas frustratur similitudo. Corrumpitur autem forma membri generantis semen, quia ab aliis vincitur formis, nec est necesse vt si victus vincitur, vt victor etiam vincatur, de patruo parentibus non simili si filius fratris ei similis fit, casu accidit. Memento tamen vt in solidis ac seminalibus membris filius plerumque patrem refert, sic in carne matrem, fallitque hoc delineamenta sæpe. Quæ quando multum confunduntur à multisque maioribus secundum diuersa membra capiunt similitudinem casu quodam, licet non sæpe, citra adulterium alienum virum exquisita similitudine referunt. Sed dubium est cur semen factum sit in animalibus perfectis à natura: dicebat Auerroës duodecimo primæ Philosophiæ & in disputationibus quòd à putredine genita generantur à corporibus cœlestibus, vitamque ab illis sortiuntur. Verum secundo de Generatione animalium & in tertio eiusdem, & rursus in quinto de Natura animalium, vbi differentiā posuit eorum quæ semine & quæ sponte generantur subiectam materiam loco seminis ponit: alia enim ex aliis insecta generantur, vt maxime in quinto de Natura Animalium multis exemplis docet. Calorem autem syderum causam esse vult. Verum quomodo illud est intelligendum quòd ab Auerroë scribitur septimo primæ Philosophiæ si à forma separata anima generatur,

[margin: 10. prob. 12.]

[margin: cap. 1. cap. 11. c. 1 & 19. com. 31.]

cap. 14. tur, igitur absque materia. Themistius itaque in expositione secundi de Anima dicit, animalium duo sunt genera, quorum enim perpetua est generatio, vt quæ semine procreantur, illorum est particeps magis natura immortalitatis: quæ autem solum ex putri materia ortum habent, cum illorum non sit adeò perpetua generatio, nec erunt talia immortalitatis adeò participantia naturam, vt quæ solis ac statis quibusdam temporibus appareant sintque. Vnde liquidò apparet, semen esse ob perpetuitatem generis & immortalitatis speciem quandam. *1. & c. 17.* Philosophus autem & eius interpres Auerroës dixerunt quòd tam animata quàm quæ anima carent, ab exteriori mouentur motore, tametsi animata videantur sponte moueri, lateatque quomodo animata ab alio moueantur, nam quòd per se mouetur simile est mundo. *cap. 1.* Sed Auicenna quintodecimo de Animalibus existimat omnia animalia ex putredine posse generari, & dat exemplum de Bombycibus qui peruenerunt in vrbem Scalicam: & est quasi dicas sancti seminis post pluuiam magnam, & tegebatur tota terra & fecerunt sericum. Et hoc animal fuit cognitum etiam Philosopho quod nos nunc putamus nouum quinto de Natura Animalium: refertque primam Pamphilam Plantis filiam in Co insula ex illorum cotto texuisse telas, atque inde vestes, ergo non hoc nostrum sericum est quo vtimur, neque dum sericum erat in pretio apud veteres fuit. Igitur vt ad propositum reuertar Auicenna aliud dat exemplum de scorpionibus amici industria genitis qui alios generauerunt, tum de piscibus in noua aqua, quod nos singulis experimur diebus, magna etiam piscium iactura Lucius innascitur, cum nemo tam amens sit qui illum cupiat inesse vbi redditum sperat ex piscium prouentu. Sed quòd maximum est de Fibro animali enarrat historiam, hunc Castorem quidam vocant. Hic genitus videtur ex putredine, cum visus sit solus in prouincia quæ multis millibus passuum distabat, vbi ea animalia procreari solent, mitto quòd lepores & capreolos in Ægypto procreari post Nili fluminis inundationem plerique fidedigni historici, non solus Auicenna affirmant. Auerroës tamen vt dixi duodecimo primæ Philosophiæ contra Platonem ac Themistium inuectus, inquit, non esse formas separatas quæ animalia possint generare, aliter possent generari absque agente eiusdem rationis seu semine. Sed dicit in vtriusque animalium generibus sufficit sola materiæ præparatio. Dicit virtutes igitur hæ sunt in vtrisque similes, nisi quòd præparatio in materia putri est à solo sole, sed in semine à sole & à patre, ista igitur præparatio inquit à sole ipso in vtrisque ad actum reducitur generatioque ipsa perficitur, nec requiritur ad hoc forma separata. Cum igitur animal ex semine genitum primo à natura intenderetur, non potuit sol supplere solus ad materiæ præparationem, sed proprium agens requirebatur, cuius ope nunquam cessaret talis præparatio, aliter non primo ac principaliter, sed casu quodam velut quæ putri natura constant, animalis huius conseruatio à natura intenderetur. Qui igitur posuerunt ideas, vt Plato & Themistius atque Apharabius Platonem sequentes, sustulerunt præparationem hanc, quoniam poterat idea non solum quemadmodum solis calor educere, quod erat præparatum ad actum: sed ipsam præparationem sine proprio agente perficere, atque ita non solum omnia animalia ex putri materia generare, sed ex qualibet materia quodlibet animal. Differt igitur opinio Platonis ab opinione Auerrois in tribus, primum quòd non omnia animalia possunt sine semine generari. Secundum quòd Idea non est sufficiens sola in genitis à semine inducere præparationem. Tertiò quòd agens incorporeum, vtpote Deus benedictus, licet contineat in se vires omnes, non tamen agit quicquam nisi medio corporis, & idem de Ideis erit statuendum, primam enim causam omnes formas continere concessit Auerroës duodecimo primæ Philosophiæ, pro his autem explicandis, licet ex Themistio & Auerroë multa possemus adducere, hæc tamen sufficiant. *com. 14.*

Reliquum est tandem, vt paucula his adiiciamus materiæ necessaria, velut de senibus, diximus quòd similes sibi procreant: quoniam non solùm, vt dictum est, multum seminis effundant, sed etiam quia concoctum, si tamen humidius sit, fœmina generabitur, non enim, vt diximus, magis confert ad masculi generationem calidum, quàm siccum, qui autem multum concumbunt, aut fœminas procreant, aut sibi dissimiles filios. In expellendo autem semine, hic ordo seruatur, vt validissima pars sit iuxta Galeni sententiam, vt dictum est, quæ primò eiicitur, debilissima quę vltimò, ob id qui arctum habent virgæ foramen, vt adolescentuli, rarò generant, & fœminas, & infirmos, plurimum etiam ad generationem obest, si non intentus coles valde sit, sed flectatur, accidit hoc vitio nerui cuiusdam sub cole existentis, qui glandem ad se inflectit dum membrum tenditur, frangitur autem in coitu bona fortuna quibusdam, aliis autem integrum manet, impeditque generationem magna ex parte, debilesque procreat natos. Hæc igitur tot ac tanta de his dicta sufficiant.

CONTRA



CONTRADICENTIVM MEDICORVM, LIBER TERTIVS.

CONTRADICTIO I.

Febris an sit morbus cordis, an totius, an venosi generis.



ALENVS libro artis Medicæ cap.77 dicit, quod ex febribus cognoscibus morbos cordis: item primo de differentiis febrium cap. 1. vbi ponit diuisionem febris, eam cordis partibus applicat. Et tertio de præsag. ex pul.cap.5.febres omnes in cordis nimio calore consistunt, & quarto de præsag. ex pul. cap. 1. morbi qui cordi accidunt in quibus sunt omnes febres. Sed contra, quia primò de Crisi cap. 7. in fin. febris est affectus venosi generis dicit intelligendo per venas etiam arterias, igitur non solius cordis. Sed in secundo art. curat. cap.7. in fine, & octauo eiusdem cap.1. expressius nono eiusdem cap.14. caliditas cum per totum fuerit diffusa corpus febris nominatur. Difficultatem hanc auget Gal. septimo methodi febris cap. 8. vel in toto corpore est, vel in solo corde. Igitur tribus modis Galenus posuit subiectum febris cor. Venosum genus & totum corpus. Respondeo febris in via Galeni est calidum & substantia, sed quia hoc difficile videbitur nobis assuetis viæ Aristotelis, dico quòd subiectum quoddam est principale, quoddam proprium, & quoddam adæquatum: principale igitur est cor, quia nisi calor in corde accendatur non fit febris adæquatum est totum corpus. Et ratio est, quia totum corpus viuit calore naturali qui communicatur toti corpori à corde secundum Hippocratem & Galenum, igitur cum febris sit calor naturalis mutatus in igneum in corde necesse est, vt totum corpus sit calidum calore præternaturali aliter daretur vita absque corde, quod est contra Philosophum, & Galenus quinto de locis cap. 1. non tamen est necesse quod talis calor percipiatur in corpore quia potest impediri sensus. Tertium subiectum est proprium, quia cum arteriæ & venæ influant corpori tales sunt subiectum deferens febrem à corde, & ita cessat contradictio.

CONTRAD. II.

Tractatio febrium an prior tractatione reliquorum morborum.

HAsen sic enim propriè appellatur qui corrupto vocabulo Auicenna videtur peruertisse ordinem tractando de morbis singularum partium in tertio libro, & post in quarto de febribus qui sunt morbi vniuersales: at in posterioribus & in Procemio Physicorum, & in primo eiusdem Auerroës docet, quòd doctrina vniuersalis specialem præcedere debet ob tres causas, tum quia vtile magis, magis notum est, tum quia declaratio generalior redditur, tum ne cogamur repetendo principium petere. Sed sunt aliæ rationes etiam cur febrium doctrina præcedere debeat velut quod febres sunt simplices, vt dixit Galenus septimo methodi morbus in intemperie est primus, quia primo conuenit mẽbris quæ vocantur similia. Et Paulus libro secundo. Secunda ratio sunt faciliores cognitu secundo de locis, deceptus est Galenus in seipso de dolore colico credens esse renum. Tertia ratio ab autoritate Galenus primo tractat de febribus in arte curatiua in septimo, octauo, nono, decimo, vndecimo, &c. de aliis morbis ab vndecimo ad quartumdecimum in primo artis curat. ad Glauconem de febribus, in secundo de aliis morbis. Rursus in arte med. de febribus in cap. octuagesimonono post de omnibus aliis morbis. Paulus in primo de sanit. tuenda, in secundo de febribus in sequentibus de aliis morbis. Aëtius cum tractasset in primis quatuor libris de communibus auxiliis in quinto tractat de febribus, in sequentibus vndecim tractat de aliis morbis, Celsus quoque in primo & secundo de communibus, & ad sanitatem spectantibus initio tertij de febribus post de aliis morbis. Sed & Haliabbas quamuis Arabs Galenum sequẽs, in oppositum est authoritas Hasen quam sequitur Rasis qui in nono ad Almansorem tractat de morbis membrorum in decimo de febribus. Et Auenzoar in primis duobus de morbis membrorum in tertio de febribus; Serapio etiam in primis quinque libris tractat primum de morbis, cum in sexto agat de febribus. Nec solum Arabes, sed & Alexander Tralianus in primis quatuor de diuersis morbis in quinto de febribus. Ratio est etiam apud quosdam quoniam febris adducit plurima secum

 sympto

symptomata, vt dolorem capitis deiectionem appetitus, ideo oportet tractantē curā febris scire hæc prius. Vnde Aëtius & Paulus coacti sunt in tractatu de febre, hæc & alia permiscere, quod etiam fecit Gal. primò ad Glauc. sed est alia ratio quæ potest colligi à Principe prima quarti: febris quædam est accidens & quædam per se: accidens non cognoscitur absq; principali, & multominus remouetur, igitur vel oportebat diuidere tractationem de febre vel repetere, idem bis quod fuisset frustra. Ad rationes in oppositum, facilitas cognoscendi per sensum non est causa, quod debeat præcedere in tractatione cum vna cognitio non fuerit alteri necessaria. Ad secundum febres per se sunt magis simplices, non tamen totum genus febrium vt cum pendēt ex abscessibus. Ad tertium dico quod in libro art. med. præposuit libros de medicamentis compositis in quibus docetur cura membrorum patientium libris methodi, in quibus docetur cura febrium. Ideo dico quod quidam ordines sunt necessarij vt ab vniuersalibus ad singula, item à simplicibus ad composita. Sed febres & alij morbi non sic se habent. Quod si dicas febres sunt causæ aliorum morborum, vt dixi, igitur posterius curantur & præsupponunt curationem illorum. Respondeo argumentum potest reflecti, quia causa prius effectu debet cognosci, dico etiam curari vt liquet, nam cura morbi est destructio causæ. Ideo dico quod Galenus sequutus est rationem tractationis; Auicenna autem actus medendi. Nam vt dictum est pleræque febres quæ magni sunt momenti alios sequuntur morbos, & licet sint simplices in consideratione, in opere tamen sunt maximè compositæ: adducunt enim molestiam, vigilias, vomitum, sitim, capitis dolorem, deiectionem, appetitus lassitudinem.

CONTRAD. III.

Ars an de æternis.

SVpererat ratio dissoluenda quòd scientia esset de necessariis atque ideo de æternis; ars autem de his quæ corrumpuntur mutanturque; ideò non de necessariis nec æternis: subiicitur ratio à Philosopho sexto Ethicorum c. 3. & 4. licet etiam in tertio eādem attigerit. Ars omnis est vt de his quæ fiunt, vt fabrilis, vel aguntur vt citharistica: sed horum nullum est æternum aut necessarium, igitur de his quæ corrumpuntur & mutantur non est scientia, sed semper ars: Apparet autem quod sanari est mutatio quædam: medicina igitur est ars, & de eo quod mutatur. At contra Philosophus in primo philosophiæ primæ in Proœmio dicit, artem esse de vniuersalibus, experientiam de singulis. Adduco rationem; ille qui docet mathematicas nec nouit declarationes vt plerique magistri ludi Arithmetices, docet quod duo in tria deducta faciunt sex, & non docet sciētiam, quia non habet declarationem, igitur vel ars est de necessariis vel oportet ponere sextū habitum. Responderi potest quod est habitus scientiæ sed imperfectus, & vt non est habitus ex declaratione, ita nec necessarius illi, quia connectio illa extremorum si debet haberi pro necessaria necesse est, vt sit vel per se nota, & sic erit habitus qui vocatur intellectus, vel ex declaratione, & sic erit scientia. Si ergo sub neutro eorum comprehendatur non erit illi necessaria. Ad primum declaratio Aristotelis docet solutionem: nam Ars fit collectis multis experimentis in vniuersalē orationem: aliud igitur est generaliter cognoscere, aliud cognoscere generalia seu vniuersalia, hoc enim scientiæ conuenit: dico autem generalia & indiuidua sine magnitudine, loco, tempore, motu, diuisione & numero. Ideo ars non est de æternis quia non est de generalibus. Et per hoc potest responderi ad obiectionem quæ est, ars est habitus animæ, igitur est vniuersalium: nam sufficit intellectui quod generaliter comprehendas, id est sine loco, motu, ac cæteris, non quod comprehendas vniuersale: vel dic quod distinguit habitus animæ non mentis, anima autem humana qua parte cogitat etiam vnumquodque cognoscit, non sola vniuersalia. Concludo ergo quod artifex habet cognitionē, id est quæ extenditur ad singula: non autem quæ sit de vniuersalibus, nō enim de calceo generaliter cōsiderat.

CONTRAD. IV.

An in statu phlegmonis conueniant mollientia?

PRinceps prima primi dans exemplum de curandi ratione dicit, quod in statu phlegmonum conueniunt mollientia, seu quæ molliunt cum his quæ resoluunt, quod repetit tertia quarti, dum de cura illorum agit, & sumpsit hoc à Galeno tertio de Simplicibus medicamentis, vbi inquit, in vigore phlegmonum calefacere atque laxare; in inclinatione autem laxare atq; valenter discurrere, conuenit. Et clarum est quod laxare idē est, quod mollire: sed resoluere seu discutere, aliud est quam calefacere: & quod istud tribuit inclinationi, non vigori. Rursus Princeps in quarta primi in statu solis resoluentibus debemus esse contenti: littera autem Bellunensis habet in inclinatione seu declinatione vt in nouis editionibus, hoc sumpsit à Galeno tertio de Simplicibus medicamentis. Rursus in quarta primi in capite de cura abcessuum inquit vtere ab initio astringentibus, & post addit quæ resoluunt donec in statu astringentia, & quæ resoluunt ex æquo permista sint. Quam sententiam accepit contra Galenum in nono de Simplicibus medicamentis: Ab initio inquit astringentibus vtere in augumento permisce quæ resoluunt, donec ad illa sola transeas; atque ita differt ab Hasen. Sed in sexto de compositione Medicamentorum secundum locos inquit: Didicimus quod à principio calidorum abscessuum reprimere atque repellere, oportet materiam influentem, præterquam si

ad partem aliquam principalem recursurus sis sanguis seu influens humor. Et hoc idem dicit Princeps in prima autoritate adducta. Et Galenus rursus ibidem proponit in augumento & vigore inflammationis oris astringentia non repellentia cum concoquentibus,ita vt concocta materia etiam discussoria addantur, vbi ponit crocum & Myrrham non pro repellentibus sed solum astringentibus. Idem verò in tertiodecimo artis curatiuæ, vbi ex professo hanc tractat curandi rationem,primo proponit,in glandosis partibus, postquã subsederit inflãmatio, & rubor ille digerendam materiam etiam si pus fuerit : aliter si tam multum fuerit vt siccare posse non speres excidere locum qua parte in tumorem magis attollitur : ibi enim (inquit) cutis tenuior erit. Paulo post autem dicit vacuandã esse materiam etiam ex loco: non solum digerentibus sed astringentibus euacuari, quæ cum hoc quod euacuant intemperiem calidam sanant. Sunt enim talia frigida, & sicca, per initia autem principalium membrorum(dico principalia quorum vsus est vitæ necessarius vt iecoris cerebri testium,pulmonis, ventriculi,vesicæ) astringentibus & odoratis calida applicando,quod perpulchrè etiam inferius ostẽdit dum Attalum reprehendit, indeque suadet vt etiam cum nihil influit, nihilominus repellentibus astringentibusque vtamur, tres adducens causas multitudinem & crassitiem influxæ materiæ, laxatam membri substantiam, & vires membri factas imbecilliores. Solutio igitur difficultatis constat his : In initio abscessus conueniunt astringentia quæ robur addunt membro & repellentia, ea enim differunt ab astringentibus quod frigida sunt, in siccitate conueniunt : Et hoc nisi periculum sit ne materia ad principale membrum recurrat : quod imminet cum vel materia à principali membro deriuatur,vel cum membrum principale est imbecille, & materia in loco ad quem ex eo solet deriuari,vel in crisi, vel cum est multa materia & calida:si verò abscessus sit in membro principali repellentia ab initio, sed & astringentia semper conueniunt & si materia calida sit etiam repellentia addes. Si in alio membro ab his fuerit in vigore solis vtemur discutientibus: ea enim sola necessario conueniunt : sed conueniunt quandoque quæ molliunt & quæ calefaciunt,& quæ astringunt:hæc quidem vt membrum robustius reddatur, temperetur,& vt portio materiæ tenuis expellatur. Calida vt quod crudum adhuc restat concoquatur : mollire oportet vbi tenues solum partes digeruntur. At demum si ista non suffecerint pusque crassum abundauerit secare oportet, itaque constat internorum abscessuum curam plerumque perfici nullo adhibito rupturæ medicamento, sic omnes conciliantur autoritates.

Quid sit medicina astringens emolliens suppurans repellens digerens, vide quarto contradicentium.

CONTRAD. V.

An expediat Deo gratias referre.

IN primis Deo gratias agamus secundum quòd sui celsitudo meretur inquit Hasen in initio sui operis medicinæ. Quod exemplum sequuti sunt aut præcesserunt Mesue in nomine Dei misericordis, & Ianus : Supplico Deo vt mentem meam instruat : & Rasis Primo ad Almansorem : vt autem hæc explere valeam diuinum imploro auxilium. Et Philosophus octauo Ethicorum:vltro gratia referenda est,non vt beneficium expetas. Et nono : reddendum est semper par beneficium. At in quinto tamen ait solum beneficium impendi debere compensationis causa. Verũ loquitur iuxta communem vulgi sententiam. Sed dices quis fructus huius rei : parua res est : & si paruus esset fructus non læderesis, at fructus est bene agere, quod vt dixi in libro Tetim ob sex causas fieri omnino debet. At dices si Deo placere debeo,multas vtiles res prætermittere oportet?Respondeo vt in Tetim vel Deus curat, vel non : si non ? non cogeris prætermittere vt Deo placeas,cum id non curet:si sic ergo compensabit,vtrum verò expediat prætermittere hęc lucra vt sequaris iustitiam,si veram velis determinationem,quartum & quintum Theonosti perlege.

CONTRAD. VI.

Deus an singula quaque cognoscat.

DEus si inferiora singula cognosceret, motus in eo esset, & numeraret, & vis quædam esset imaginandi,dicebat Auerroës disputatione duodecima contra Algazelem. Intellectus enim has substantias singulas non comprehendit, vt cum magnitudine loco motu ac tempore sunt,sed sola vis imaginandi,igitur mens diuina esset huiusmodi vi prædita : sed mens diuina quicquid habet est, cum sit simplex,igitur mens diuina esset virtus imaginandi : cumque singula hæc moueantur : oriantur & intereant, esset etiam mutatio in Deo. Nam si præsentes vt præsentes intelligunt,igitur mortuos vt non iam præsentes,atque ita mutatio esset in Deo,his autẽ vt futuros deciperetur Deus : si sine tẽporis differentia : igitur non singula vt sunt, sed ratione generali. Singula etiam numero cõstant,igitur numerum intelligeret. Et rursus in Paraphrasi primæ philosophiæ, si Deus singula hæc cognosceret iniustus esset atque impius quidem, quòd mala multa in bonos euenire, sinit iniustus quod non vlciscitur improbos. In oppositum Galenus libro de prædictione ad posthumum : viri, (inquit) sapientes quique medicinam legitimè exercent,tametsi vulgò ignoti,summo tamen rerum opifici Deo noti primum, & amici sunt. Testatur autem se somniis monitam

monitum, vt venam pulsatilem incideret quæ est inter pollicem & indicem pro dolore hypochondrij dextri leuando, atque ita liberatus est libro de venæ sectione. Et quod scriberet de oculis, de vsu partium decimo. Sed & vndecimo de simplicibus medicamentis dicit, virum Thracem diuitem, monitum per somnum ab Æsculapio quod elephantiasi laboraret, vt medicamentum ex viperis biberet venisse ea de causa Pergamum, atque vt Deus ille monuerat eo medicamento liberatum. Et in libro de ordine librorum propriorum, & nono artis curatiuæ, claris in somniorum monitis à patre medicinæ addictus, ac traditus sum: vult autem Galenus primo de victu in acutis somnia à Deo proficisci. Vbi adducit Homeri carmina. Auerroës ipse in duodecimo primæ Philosophiæ ait Deum singula cognoscere, vt sub vniuersalibus continentur, atque ita generaliter illa cognoscit: adeoque etsi illa mutentur, tamen non mutantur, vt sunt contenta sub illio generali. Dicit autem in sexta disputatione contra Algazelem quòd scientia Dei omnino diuersa à scientia nostra, & quod est magis similis scientiæ, id est, cognitioni quam habemus de singulis, quia ista sunt in actu, & est magis perfecta quam scientiæ de vniuersalibus quæ sunt in potentia. Hasen quoque idem ferme dicit octauo suæ primæ Philosophiæ, Deus comprehendit omnia generaliter, & ex eo comprehendit singula quæque & illorum propria quæ ex communibus illis consurgunt. Sed hoc dicit, non comprehendit homo nisi subtilis ingenij. Et affert exemplum ipse nouit omnia deliquia Lunæ & Solis quoniam nouit motus omnes exquisitissimè illorum planetarum. Sed hoc videtur difficile, quia sic compararet: cognoscat etiam locum & tempus. Aristoteles vult in primo de anima, quod Deus cognosceret omnia generaliter tamen, sed in duodecimo primæ Philosophiæ hæc habet: [Ad vnum coordinata sunt omnia: verùm quemadmodum in domo liberis quidem minimè licet quodcunque facere, sed ea omnia aut plurima quæ ordinata sunt, mancipiis verò & bestiis parum quod ad commune conferat: sed vt plurimum quodcunque contingit (tale namque principium cuiusque eorum natura est) dico autem pariformiter quod necesse est omnia in discrimen venire: & alia ita sunt quibus omnia communicant ad vniuersum complendum: sed clarissima videtur in decimo Ethicorum confirmans Galeni sententiam, ne minus Philosophi habeatur forsan hoc modo. Nam si Dij curam humanarum rerum, vt existimatur, habent aliquam; rationi consentaneum fuerit ipsos eo gaudere quod est optimum, maximéque sibi cognatum: hoc autem fuerit ipsa mens: & in eos qui maximè hoc amant atque honorant, beneficia vicissim conferre tanquam curam iis quæ sibi sunt chara, ac diligentiam adhibentes, & rectè beneque agentes.] Verùm si quis hanc tractationem diligentius requirat Theonoston quartum & quintum librum diligentius reuoluat. Videbit enim Deum singulorum curam gerere: nam si mortalis est, dicemus nullius curā gerit: quare nec sapientum: quandoquidem sapientia nostra res exigua sit, & plus erroris quam veritatis continens; sin autem immortalis curam gerit omnium, præcipuè bonorum non sapientum: nam bonum esse infinita res est, quisquis enim bonus est, aut malus est optat, quod ad se attinet omnibus bonis benefacere, omnibus miseris succurrere mali contra: igitur ad bonos ac malos se conuertit magis cura Dei, non ad sapientes inanes: concordat hoc cum omnibus historiis, nā nō ad Platonis obitum, aut Aristotelis prodigia 7. edidere, Dij sed Cęsaris, Antonij, Bruti, atque huiusmodi virorum quos pessimos fuisse, haud dubium est. Par etiam est Deos odisse improbos, probos autem amare ex naturæ similitudine ac dissimilitudine, at hanc nostram sapientiam omnino despicere, vt prorsus inanem & irridere, tum magis fructum quē quidam ex gloria capere se existimant. At verò quomodo cognoscat Deus hæc, hoc opus hic labor est. Si Deus non cognosceret nisi hominem & non singulos homines quid prohiberet ne totum humanum genus posset interire? at quod fieri potest, quandoque fieri necesse est: atque ita destrueretur humanum genus: quod nulla arte posset reparari, nisi eo veniamus quò Auicenna, vt per putredinem possit generari atque restitui. Quod si Deus singulorum curam agit, immortales animos esse necesse est, aliter & curam arenæ, & numeri fluctuū maris eū gerere pari ratione dicendum esset. Propterea maxime momenti hoc quæsitum erit. Ergo opera nostra nosque geniis quibusdam nota sunt, refertque Ludouicus Viues Aristotelem scripsisse de Diis qui vrbibus ac locis præsiderent citans antiquos Ciceronem, Isidorum, & Seruium Grammaticum. Si igitur hæc sunt nota geniis, essent & superioribus atq; tandem Deo. Ad nos quoque peruenit libellus quem libro de secretis inseruimus de morientis genio inuocando, quem constat fuisse Laudensis Pontificis è Sfortiadum familia quem nos agnouimus, cuius familiaritate geniorum aliorum, & qui viuunt hominum, & qui mortui sunt facta dignosci possunt: Hæc non apposuissem nisi oratio ad vnguem congrueret, his quæ pater meus de genio suo referebat. Nam genius ille nihil ad animam, adeoque mira arte ea res extructa est, vt fidem omnino faciat, eo magis argumento quod & patrem & eum pontificem referunt certè habuisse huiusmodi genios, nec licet horum consuetudine lucrifacere quicquā, aut moliri quippiam contra inimicos, aut sciscitari de Animæ immortalitate. His mediis proceditur ad diuinam sapientiam. At multo absurdius est dicere Deos fauere sapientibus, etiam quam quod eos agnoscat vt Aristoteles & Galenus aiunt: nam & Socrates miserè periit, & Aristoteles in exilio, & Cicero infelicissimè, atque id meritò accidit, quòd aut falsò iactarunt se esse sapientes, aut si modo hoc illis des, an ergo male vsi sunt accepta à diis sapientia. Sed vt ad rem redeam Augustinus Suessanus Philosophus egregius in expositione 3. disputat. Auerrois contra Algazelem

gazelem inter multa tria enarrat pertinentia ad hoc primum quòd vidit librum Necromantiæ Auicennæ, in quo ille testatur dæmones transtulisse homines de regione in regionem & ipse Suessanus dicit se scire mulieres translatas: ista sunt indigna tonsore nedum Philosopho: quia spiritus carnem & ossa non habet, nec actio furti in eum qui solus domum introiuit iure posset intendi. Aliud quod recitat de Ioanne Neapolitano chymicam exercente, cui barbatus dæmon apparuit in somnis, & dixit vt inspiceret in arcam & inuenit chyrographum, ex quo fecit iuxta illud argentum purum, quod ipse Suessanus vidit. Dico quod omnia ista sunt commenta, ad decipiendos simplices, nam cum Chymistæ non habeant quo possint artem suam suadere, his mendaciis homines trahunt in spem faciendi aurum & argentum; atque ita faciunt socios impensarum. Et similiter de libro Auicennæ licet ex Sorsano habeamus quod scripserit libros de Magia: aliud enim est Magia, & aliud Necromantia. Indicio est quòd Auicenna in libris primæ philosophiæ affirmaret dæmones dari vt visos, sicut affirmat in libris de animalibus Fibrum visum ex putredine genitum cum solus esset, nec prope duo, vel tres fibri alij inuenirentur. Sed qui pecuniæ causa tales conscribunt libros hominum nomina ab ea arte non abhorrentium imponunt: Salomonis, Alberti magni, Petri Aponensis, Auicennæ, Artesij, & talium: quamuis nec Salomon, nec Albertus, quoque tale cogitauerint. Illi tamen eo nomine venduntur. Tertium est, quòd dantur genij singulorum qui ad vnguem tantum sciunt, quantum illi vt genius Auerroës, quantum nouit Auerroës in vita: & Auicennæ, quantum Auicenna seu Hasen: Et hoc est valdè verisimile ob ea quæ in ea inuocatione habentur, & concordat ad vnguem cum experimentis primis. Et quod narrauimus de illis duobus disputantibus, credendum est quòd fuerint Genij Auerrois, & Algazelis: Et quod genius Auerrois fuit ille qui minor videbatur corpore, & colore subnigro: Et Algazel fuit maior & rubicundior, & disputauerunt super quarta disputatione, scilicet de Mundi causa efficiente. At dices, illi genij non videbantur excedere annum quadragesimum, etiam supposita vitæ longitudine; Auerroes autem floruit anno Domini DCCCC. LXVII. igitur iam sunt anni penè sexcēti, aliter anno Domini M. XXII. tollamus nunc quinquaginta annos quibus præcessit ea visio, relinquentur anni saltem quingenti; ergo genius Auerroës non tam diu superesse potuit. Dico, quòd vel sunt perpetui, vel sunt mentes hominum vehiculo aëreo imbutæ, aliter essent duo in nobis qui idem intelligerent, anima & genius. Præterea id concordat ad vnguem cum nostris principiis, qui volumus animam non esse in nobis, nec vllibi: sed corpus esse in ea, & in corpore esse vitam, & forsan animam nutricem quæ alit illud. Sed sensus & mens idē sunt quod genius: & assistunt corpori. Et hoc quasi innuit inuocatio illa. Sed dices, anima mea seu genius cuius ætatis doctrinā habebit? Si enim infantiæ nullam, si mortis nullam, si præsentem qua ratione magis, quam alterius temporis? Et etiam quia nunc multa scio, quæ iam annis viginti nesciebam: & rursus multorum sum oblitus quæ iam benè noueram. Respondeo, quòd omnia quæ vnquam noui, licet enim oblitus sim: ratio tamen & experimentum docet quod dum illa recogito recordor sensim: nec obliuiscor nisi ex impedimento corporeo: liberata igitur à corpore, omnium quæ acquisiuit recordatur. Et hoc est quasi quod innuit Aristoteles duodecimo primę philosophiæ, vbi vult animam non esse ante corpus, sed post obitum remanere: cum ergo opinio illa famosa recitata à Suessano, & opinio Plotini, & historia patris cum illius opinione, & opinio nostra de anima, & experimenta quæ accidunt, & in somniis, & in vigilia, & inuocatio illa in vnum consentiant: cogor secundum naturalia principia ita determinare. Et si quis dicat inuocatio illa quomodo potuit inueniri? respondet Suessanus, quod dæmonum relatione aut Prophetarum: sed neutrum verum est. Christus talia non docuit, nec Propheta vllus dæmones, non tam longas nectunt orationes, hæc igitur casu & ratione à cupidis inuenta sunt. Vt ergo ad primum deueniam propositum genij isti norunt facta nostra, & nos ipsos & in eis potest cadere mutatio, & hi cognoscuntur à vitis quæ cognoscunt quicquid est in geniis, & in vitis non cadit mutatio primi obiecti sed secundi, & Deus cognoscit facta vitarum & vitas & ita cognoscit quod est: & non fit mutatio in Deo quia ipse intuetur vitas primos in quibus relucent facta nostra cum nobis, nec est inconueniens quod mutatio hoc modo coram Deo contingat: nam quod de tempore & motu dicendum est, quæ Deus cognoscit vt sunt: non tamen in eo est, mutatio. Sicut non sequitur, Deus cognoscit vniuersalia & illa mutantur in suis suppositis: igitur Deus mutatur. Ostendo modo quod Deus cognoscat singula: nam Deus producit singula, & est causa omnium & producendo intelligit, & intelligendo producit, ergo Deus intelligit omnia distinctè. Mirum est quod philosophi fateanrur Deum cuncta producere, & horreant fateri illum cuncta intelligere: quādo solū intelligēdo producat.

CONTRAD. VII.

Generatio an detur? Et an resurrectio mortuorum?

PHilosophus in primo de ortu & interitu cap. 5. quasi præsupponit generationem dari ex sensu ipso, quia quotidie videmus aliqua gigni quæ non erant, & quæ erant interire: ostendit in duobus illam ab incremento differre, primùm, quia in incremento mutatur dum res augetur locus saltem ex parte, in generatione quòd ad eam attinet idem prorsus manet locus: secundò, quòd in incremento est aliquid iam actu in generatione, nihil eius quod generatur præ-

est

est cum nec vsquam præfuit aliàs: & propterea dicebat in secundo eiusdem in fine, si aqua ex aëre, ex aqua genito (vt in aquæ destillatione) genita eadem priori esset aquæ, nulla aquæ esset generatio: nam cum mundus sit æternus eadem aqua sæpius antea fuisset: nam differentia temporis vnius horæ vel mille annorum, & quòd sit facta per vnam mutationem, aut intercedentibus mille mutationibus nihil refert, cum ratio sit eadem magni temporis quæ parui, & multarum mutationum quæ vnius. Hippocrates autem primo de Diæta hæc habet: [Equidem nullum omninò corpus perit, neque fit quod prius non erat; verùm permista & discreta permutantur. Homines autem putant hoc quidem ex orco in lucem auctum generari: illud verò ex luce in orcum imminutum perire ac corrumpi. Oculis autem magis credere oportet quàm opinionibus. Ego verò hæc ex sententia exponam. Animalia enim sunt & illa, & hæc: & neque animal mori potest non cum omnibus (vnde enim moriatur) neque quod non est generari, cum non sit vnde generetur. Sed augentur omnia, atque minuuntur ad summum & ad minimum, quantum eis fieri potest. Quid vero dicam generari, vel perire, vulgi gratia interpretabor. Habet autem res hoc modo: generari & corrumpi, idem est quòd commisceri atque secerni: nam generari est commisceri; perire verò ac corrumpi, idem quod secerni, atque comminui vnumquodque ad omnia, & omnia ad vnumquodque idem sunt. Consuetudo enim in his natur[illegible]ntraria est: seorsum autem omnia, & diuina & humana sursum, ac deorsum vicissitudinem habent ac transeunt, dies & nox ad summum ac minimum. Sic & Luna ad summum, & ad minimum. Igitur accessus est & aquæ. Sol ad longissimum & ad minimum. Rursus hæc, & non hæc. Lux soni tenebræ orco; lux orco tenebræ soni: accedunt & transmutantur illa huc, hæc illuc. Omni tempore transigunt, illa res horum, hæc autem illorum: & quæ quidem faciunt, non sciunt: quæ verò faciunt scire sibi videntur: & quæ quidem vident, non cognoscunt. Attamen omnia ipsius fiunt per diuinam necessitatem, & quæ volunt, & quæ non volunt. Accedentibus verò illis huc, his verò illuc, & inter se permistis vnumquodque destinatum fatum explet, & ad maius & ad minus. Corruptio autem omnibus inter se est mutuo maiori à minore, & minori à maiore. Et augescit maius à minore. Reliqua autem omnia, & hominis anima & corpus, velut anima ornantur ac gubernantur. Irrepunt autem in homines partes partium, & tota totorum temperaturam habentia, ignis videlicet & aquæ, partim acceptura, partim datura: & quæ quidem accipiunt plus faciunt, quæ verò dant minus. Et paulo pòst: Semper autem anima & maiora & minora huius suas ipsius partes circumambulat: non appositione, neque detractione partium indigens, verùm augumento & decremento earum quæ iam sunt opus habens. Et rursus paulo pòst concludit: Quapropter anima hominis in homine augetur, in alio vero nullo, & aliorum magnorum animalium similiter.] Multa alia prætermitto tanquam à nobis in commentariis exposita, sicut & horum expositione quæcunque ad propositum non sunt necessaria, sed vt continuaretur oratio adiecta sunt. Duo igitur proponit Hippocrates, tria argumenta ad demonstrandum, non esse generationem neque corruptionem, nam si vnum tollatur, alterum necessariò etiam interit: aliter aut nihil relinqueretur, si corrumpi possent, non generari: aut nihil posset amplius esse, sed essent infinita si generari non corrumpi: ergo vno admisso aliud admittere necesse est, vt etiam vno sublato, alterum auferri. Inquit ergo, omnia ex quibus generatur aliquid, antequam generaretur præfuisse, videmus terram, aquam, aërem, & cum corrumpitur manere: Et quia dubium erat de anima dicit, non minus diuina quam corporea manent, vt de elementis, ita de diuinis; igitur generatio nihil aliud est quam permistio, & additio quædam vnius ad alterum. Et corruptio pariter, ergo secretio vel diminutio. Secundum est, quòd videmus omnia reuerti ad idem etiam in cœlestibus, & circuitu agi, & postquam ad summum peruenerint, vtpote propinquitatis ad nos: aut discessus retrò agi, ita etiam de generatione, augetur ad summum vnumquodque inde retrocedit, ac dissoluitur. Et vt intelligeremus qualiter docet, quod etiam anima ipsa per additionem suæ substantiæ augetur, ac minuitur donec depereat: sed sola humana, non aliorum animalium: quia mens augetur successu ætatis, vt intelligeremus eam à superiore magis illustrari: nam substantia animæ manet eadem, etiam in magnis animalibus. At dices sexto Epidemiorum scripsit: [Anima hominis vsque ad mortem semper producitur. Si verò efferbuerit vnà cum morbo, etiam anima corpus depascitur: inde adiicit.] Animæ deambulatio est cogitatio hominibus. Dico quod constat animam ex Hippocratis sententia in libro de Septimestri partu esse immortalem, vt ibidem, & in Theonosto docuimus. Et rursus constat ex Democriti auctoritate in libro de Humana natura, quem scripsit contemplationem Hippocratis. Et Galenus in eodem 6. Epidem. affirmat. Hippocratem in lib. de Septimanis clare locutum fuisse, (si modo, inquit, liber ille Hippocratis legitimus est) de anima substantia. Tertium est, quòd corrumpi est secerni, hoc enim sensu est manifestum, igitur generari est misceri. Sed modo addo alia argumenta, quæ ostendunt generationem non dari. Nam omne quod generatur à simili & principio intrinseco generatur: hoc secundum patet, quia à natura quæ est principium eius, in quo est, non ab arte: primum patet, quoniam vnum est hoc tãtum opus naturæ, assimilatio. Sed si ita est, igitur quod generatur, à simili priore parte iam generatur, est ergo generatio est incrementum. Rursus Aristoteles fatetur, quòd si aqua secunda est eadem, primæ nulla est generatio, quia aliàs ante fuit: sed est eadem, igitur nihil generatur. Etenim hydrargirum cum

cum in summum vertitur, & denuò adhæret laquearibus, in hydrargirum reddit, & argentum, atque chalcanthum in aquam, & ex aqua chalcanthum vel argentum, quòd quotidie in vsu est. Quis dubitat, non esse idem hydrargirum argentum, atque chalcanthum quæ primo erant? aliter ex igne solo hoc nostro hęc fierent contra eundem Philosophum secundo de ortu & interitu. Præterea si aqua secunda habet eandem materiam & formam quam prius, & eadem fuit potentia in materia ad formam, quomodo secunda distinguetur à prima? & rectè sanè fecisset Aristoteles si causam differentiæ addidisset. Si etiã hæc aqua differt ab alia per materiam solam, ergo ab ea quæ eandem habet materiam non differt, nihil enim differt ab alio nisi per id quod est idem illi; cum ergo essentia aquæ constet ex materia & forma, & nullo alio: si materia & forma sint eædem, erit etiã essentia eadem. Præterea vel differunt propter tempus, vel commutationem, vel accidentia: non propter primum, neque tertium; multo enim magis differret homo senex à seipso puero, maior non est distantia temporis, & accidentium differentia quàm inter aquã & aquã: sed neque propter mutationem. Quia est accidens & quod non manet: & si res non differunt per accidens coniunctum, quantò minus per accidens quod non manet. Rursus omne quod generatur simul fit sicut arca: sed nihil generatur simul, imò videmus quòd sensim omnia fiunt, & augentur vt de fœtu in vtero; igitur nihil verè fit aut generatur. Quæcunque etiã fiunt, vno modo fieri vidẽtur, vt fœtus semper augetur & siccatur, ergo motus vnus est; sed motus totus est incrementi, igitur ab initio etiam fuit incrementum. Illud etiam magis perspicuum est in plantis, & maximè quæ repastinando proueniunt vt vite, salice, & quæ surculis auulsis ac plantatis proueniũt; in his enim manifestum non aliam esse generationem, quam incrementum: idem ergo in aliis, nisi quòd magis obscura ratio est. Quæcunque in eodẽ genere sunt media, ex extremis condiscere licet tanquam manifestissimis: at in repastinatione & surculorum plantatione manifestum est generationem non aliud esse ab incremento, continuato motu; nec differunt nisi quòd generari dicimus postquam auulsum est, augeri dum coniunctum manet. Itaque non vt Galenus faceret statim eò refugiendum, vt dicamus Hippocratis eum librum non esse, absurdaque in eo contineri: cum magis absurdum sit generationem admittere, aquam secundam à prima differre, atque alia huiusmodi. Sed quòd ad Aristotelem attinet lis fermè, quantum est de generatione, in verbis est; nam Aristoteles ad materiam primam se refert, Hippocrates ad secundam & elemẽta. Vt verò Aristoteles hoc suum dogma defenderet coactus est negare elementa esse actu in mixtis, videbat enim certo certius tolli omnem generationem: vndè suæ opinionis imbecillitas perspicua est. Vt ergo generationem admitteret, negauit elementa in mixtis esse, & aquam ex aëre ex aqua genito factam eandem esse; nam sublata generatione, statim resurrectio omnium in lucem prodit. Sed nec illis duobus concessis generationem tueri potest, namque duo adhuc maxima obstant; primum continuitas ipsa omnium quæ fiunt, cum homines ex hominibus proueniant, vt vt pars ex toto; ita vt habeant incrementi potius rationem, quàm generationis. Licet enim ex semine generentur seménque pars dissimilis homini videatur, est tamen homo nec quicquam ex matre concurrit; sed forsan illud semen ad generationem necessarium est, vt masculinum semen conseruetur, si modo contendat esse necessarium, ideo illæ partes sunt in materia molli, alba, pingui, spumosâ, vt renouari possit: continuat ergo generatio & in semine sunt tres partes quæ in homine ipso, sed pusillæ, molles dissimiles tamen, vt etiam in homine perfecto: vnde non malè dixisse videtur Poëta ille:

Istud quod digitis Pontice perdis, homo est.

Cum ergo generatio ista sit continua, erit incrementum, non generatio: accedit quòd cum nutrimur fit trãsmutatio ex eò quòd est in potẽtia, ad id quod est actu, & tamen non est generatio; igitur generatio nulla est. Si dicas quòd præest simile, illud non est aliquid illius quod generatur seu alimenti, nisi specie non numero ergo nutritio esset generatio. Præterea cum musca resurgit quod palam est, & à Luciano refertur; vel redit anima, ergo separata erat ideoque immortalis; vel generatur eadem rursus, & ita datur resurrectio mortuorum: vel alia, igitur duæ formæ numero distinctæ & eiusdem speciei in vno corpore, & ita vnum & duo. Ne tamen videamur Hippocrati, aut immortalitati animi, vel resurrectioni addicti, respondebimus his quibus ab Aristotele responderi potest: ad hoc diceret muscam non esse verè mortuam. Ad id de argento, hydrargiro & similibus, non esse conuersa in fumum, vel aquam, sed similia his. Ad illud de aqua, quod non in aërem, sed in vapores conuersa sit, sed manente substantia licet sub alia forma sensili, vt & de metallo & cera liquefactis. Sed de aqua iam supponitur quod in aëre conuersa sit non solum in vaporem ideo argumentum probat, vt prius sicut illud de materia prima. Ad principale Hippocratis diceret animam esse genitam ex illa mixtione, & illam interire seu communicari ad aliam formam: sed hoc modo generatur substantia quæ in nihilum redigitur, propterea vide in quinto Theonosti. Ad tertium diceret Aristoteles corruptionem non esse secretionem, licet ex secretione fiat corruptio, & ex corruptione sequatur persæpe secretio, nõ tamẽ semper: nam cum ex homine fit cadauer, remanent elementa simul: & quod ista etiam manent & non secernuntur: ergo corruptio non est secretio. Dicit Hippocrates sufficit quod anima secernatur, nam si non secernitur mutatur in formam cadaueris, igitur cum producatur substantiæ forma, & quæ erat in potentia, & non sit mutatio loci, nec cadauer antea vnquam fuerit, aderunt 4. conditiones veræ generationis. Responderet Arist. quòd deest 5. conditio, quæ ab illo ponitur 1. de ortu & interitu, scilicet nullo manente sensili, vt materia, manet enim corpus illud mixtum ex elementis, ideò non est generatio.

CONTRAD. VIII.

Iecur an venarum principium?

GAlenus in lib. Art.Medicæ, ait: [Principia igitur sunt cerebrum, cor, hepar, & testiculi; ab his verò ortum habent, atque eisdem subministrant nerui quidem & spinalis medulla cerebro, cordi verò arteriæ, hepati venæ. Idem repetit 1.de vsu partium, & in 4.eiusdem hæc habet: Caro enim hepatis quæ est ipsius proprium corpus, primum effectionis sanguinis instrumentum, est etiam venarum principium. Quapropter & venis quæ ad ventriculum, & reliqua intestina pertinent inest facultas quædam sanguinis effectrix, qua succum qui ex cibis distribuitur venis, in sanguinē mutare naturale est priusquam is ad hepar perueniat.] Hinc primam rationem sumeret Galenus, venæ quæ ad meseræum totum sparguntur, ex iecore oriuntur, & nullo modo pertinent ad cor, nec ad illud perueniunt, ne vel minima quidem propagine: igitur verum est quòd venæ ex iecore oriuntur. Sed omnes venæ sunt eiusdem substantiæ & functionis, igitur omnes venæ ex iecore oriuntur. Idem affirmat paulò pòst. Idem in septimo, & in sextodecimo, & in quintodecimo, vbi insinuat rationem secundam, dicens tria principia cor, iecur, & cerebrum, ante ortum infantis maxima sunt comparatione aliarum partium; sed omnibus tamen maius est iecur, quia venarum inquit principium in quibus sanguis continetur ex quo formari debet corpus. Antequam igitur cor formetur cum infans viuit vita plantæ: vt 2.de generat.animal. est iecur, sunt venæ, & vnum est alterius principium, non enim possunt esse ante principium suum; cum ergo tunc cor non extet, iecur autem extet: liquidum est iecur esse venarum principium, non autem cor. Sexto quoque de decretis Hippoc. & Platonis, vbi hanc materiam ex professo tractat, alias adducit rationes: scilicet quod sit vena caua maxima in iecore, sicut arteria in corde; & etiam quia in carentibus dextro cordis ventriculo apparet caua vena quæ per cor non transit, igitur non oritur ex corde. In auibus etiam vena caua scinditur antequam ex corde oriatur, ergo non tota saltem vt nec stelechia, seu portæ ex corde orientur. Demum inquit si venæ orirentur ex corde, etiam ipsæ pulsarent, velut arteriæ, quoniam dexter cordis ventriculus, & ipse pulsant. Nec est opinio magis vulgata, quam hæc apud illum. Et Hippocr. in lib. de aliment. radix venarum iecur, radix arteriatum cor. In oppositum Aristot. 2. de partib. animal. cor est venarum principium, & adducit primam rationem huiusmodi. Sanguis si non incalesceret ex principio gelasceret, & hoc etiam concederet Galenus, quia est per se manifestum: sed principium caloris est cor, quia calor solū in eo per se primo inuenitur: nulla enim planta calorē habet, tametsi habeat principium nutritionis, quale iecur: igitur calor sanguinis conseruatur à corde; sed si venæ non oriantur ex corde, hæc conseruatio non erit per se, neque naturalis, sed per accidens: igitur si est naturalis, & per se venæ à corde oriuntur. Hanc eandem sententiam etiam prius attigerat in 3. eiusdem hæc habet: [Sanguinem effici in corde sæpe iam diximus: sed cum duæ venæ sint principales, altera maior, altera minor, aortaque appellata quæ sparsa ramorum serie cæteras minores venas producant, atque inter se differant, vt post hac exponemus: melius sanè est etiam initia earum esse distincta: quod fieri potest si sanguis diuersus distinctusque sit. Quamobrem vbi fieri potest sanguinis conceptacula duo habentur. Et post: Cum in vna parte sit principium sensus & caloris, sanguis etiam ex vno suam originem ducit: vnitate autem sanguinis fit vt venarum, & capita ex vno eodemque oriantur. Duæ autem sunt quia animal bipartitum est. Dextra, sinistra, ante retro, sursum, atque deorsum.] Ex quibus patet Arist. vtrumque sanguinis, genus tamen venarum quæ pulsant, & quæ non pulsant agnouisse. In secundo autem de generatione animalium cap. 4. inquit: [Quo circa ex corde primum venas illas duas descripsit natura, de quibus venulæ dependent in vterum: ex quibus qui vmbilicus vocatur constat.] Ex quibus secunda excipitur ratio. Venæ ex eodem principio oriuntur, sed quæ pulsant palam ex corde oriuntur, igitur & quietæ. Secunda quæ assumitur, ab omnibus medicis concessa est, prima etiam per se nota est, quoniam eiusdem sunt naturæ licet vna crassior altera. Et etiam tertia, quoniam duplex ventriculus in corde, duplex sanguis, & duplex venarum genus. Et quarta, quia eadem sunt principia ante perfectionem fœtus, & post; sed ante perfectionem dicit quandoque nisi vna vena præreptat ab vmbilico ad cor: igitur cor est principium venarum solum per se, quia altero principio carere potest; & si carere potest non est principium. Principium enim est necessarium. In libro autem de somno & vigilia dicit venas à corde exori, alimentumque per ventriculum intestina descendere vt ad cor permeet per venas; igitur cum nutrimentum sit gratia cordis, igitur & venæ. Quare si cor indiguit venis, eas ergo necessario procreat. In libro demum de respiratione. Adducit sextam rationem ad hoc: venæ perueniunt ad cor, & per ipsum non transeunt: igitur ab illo oriuntur; nam si ad ipsum perueniunt, vel cor est initium earum, vel finis, vel via; si via igitur pertranseunt, & si finis: igitur distribuerentur in partes minimas, esset enim nutriendi causa: at ibi vena est latissima, igitur ibi etiam est origo eius. Et sententia Philosophi est quod materia sanguinis deferatur ex iecore in dextrum ventriculum cordis, & ibi fiat tanquam in lacuna sanguis, & inde per venam cauam corpori toti distribuatur. Et similiter arterias exsugere ex venis materiam sanguinis quam deferant in sinistrum ventriculum cordis, & ibi fieri puriorem sanguinem, qui postmodum per totum corpus distribuatur per arteriam magnam. Ad hoc sunt duæ aliæ rationes, prima

prima est, substantia venarum est similis substantiæ cordis, non iecoris nigrior, & durior, & fibrosa: igitur cum orta similia sint his à quibus oriuntur, ideò venæ oriũtur à corde non à iecore. Præterea Galenus concedit quod venæ sunt causa generationis sanguinis, caro iecoris est sanguis congelatus etiam per ipsum, cuius indicio sunt foramina illa in caua dum permeat iecur quæ non sunt nisi propter iecoris nutritioné; quare venæ erunt principium iecoris, & non iecur venarum. Sunt etiam argumenta pro vtraque parte, etiam aliàs adducta in primo & sexto libro. Dico quòd vt Vessalius dicebat in suo opere, de Humani corporis fabrica; quatuor sunt venarum genera, & duo arteriarum, magna & venalis, quæ oriuntur à corde: & differunt, quia venalis arteria tenuis est valdè comparatione cæterarum, nec est coniuncta illis, & oriuntur ex finistro ventriculo, nec est dubitandum de illis nec Galenus negat: venarũ autem primum genus est vena arterialis quæ oritur à cordis dextro ventriculo, & ipsa velut, & arteria venalis in pulmones tendit: & hanc non negat Galenus oriri à corde, aliud est venarum quæ ex porta oriuntur iecoris: de quibus Galenus diceret non etiam dubium quin ex iecore oriantur: Aristoteles diceret oriri ex cauæ ramis, difficultas est quia non constat committi hos illis. Tertium genus est venarum quę ex vmbilico procedũt quas palam est ab illo, non à iecore, nec corde oriri, diceret Galenus, sicut arteria tendit in cor, ita vena in iecur: ergo sicut cor est principium arteriarum, quia oritur ex arteria tendente à placen[illegible] matris ad cor; ita iecur est principium vena[illegible]um, quia oritur ex vena vmbilici tendente ab vmbilico, & placenta matris ad iecur. Quartum genus est venæ cauæ, de quo est disputatio. Respondeo ergo quòd venæ oriuntur à corde ortu iuxta omnia genera causarum. Materiæ quia sunt similis substantiæ illius, non iecoris. Efficientis quoniam caro iecoris secundum Galenum decimo artis curandi παρέγχυμα est venarum eius, igitur à corde fiunt non à iecore. Quod ad finem attinet palam est venas factas esse propter cor ipsum; est enim finis in animali, & perfectio, & cuius causa omnia fiunt. Et vitæ auctor est, ideoque sensus & motus, nec est planta vlla quæ moueatur aut sentiat, quia caret huiusmodi principio. Neque hoc negaret Galenus nisi opponeret cerebum, palam enim est iecur esse propter cor, & non cor propter iecur, & ratione formæ etiam, quia vis caloris est in corde, tanquam in principio, & in venis tanquam in primo quod recipit pro conseruando calore sanguinis, aliter gelasceret. Cor ergo producit venas, & est causa prius quidem naturâ, non tempore. Iecur autem est principium proximum, & coniunctum venarum: ita quòd cor producit venas, & venę iecur: sed primum intentum est iecur, tanquam finis operationis venarum; non venarum, vt ipsam generet materiã sãguinis pro corde: ne operatio cordis interturbetur, ideò creauit ipsum procul à se, velut & cerebrum. Sed quia sunt quatuor argumenta validiora pro Galeno partim hîc, partim locis citatis adducta, propterea ad illa respondeo.

Ad id quòd vena vmbilici terminum habeat id iecore; dico quod factum est id, vt iecur generaretur ab illa, quia ex sanguine generatur, sicut cor ex arteriali: non tamen sanguis ille tribuit vim iecori generandi venas: sed vis illa generandi cor, & venas vtriusque generis est in sanguine perfecto, id est arteriali. Ad illud quòd ostiola cauæ aperiuntur ab extra intus in corde, non contra: ne possit effundi sanguis: dico quòd dum aperitur exit, sed maior tamen pars attrahitur: quoniam cor expellit & attrahit: non tamen dum comprimitur expellit, præterea sanguis transfunditur per anastomosin ex arteriis in venas vbique; & ita nihil facit argumentum ad ortum venarum: potius faceret aliquid ad sanguinis generationem. Cum verò dicitur quòd partes inferiores nutriuntur, ex sanguine qui non attigit cor, & ideò non indigent venæ motu reciproco sanguinis: respondeo quod ille sanguis est missus, vt superior, tum ob anastomatin, tum ob reciprocationem, quanquam hæc quæstio sit alia à præsenti. Ad illud quod cor non recipit nisi ramum cauæ venæ ascedentis, & ita non potest esse principium eius. Respondeo quod caua oritur à corde, & vbi paululum processit diuiditur in partes duas, quarum vna venit ad iecur descendẽdo, alia ad cerebrũ ascẽdendo. Demum cum dicit, vena antequam cor generetur, principium habet: tunc enim fœtus viuit vita plantæ. Aristoteles negat iecur ante cor generari. Et licet fœtus non habeat nisi vitam plantæ, habet tamen motum arteriarum, & in hoc à planta differt. Et vita illa est in corde, quia est eadem vitæ animalis, sed nondum ad vltimum actum deducta. Concludo quod vel tu vis intelligere principium quod tempore antecedit, vt truncus ramos, & sic nec cor, nec iecur potest esse venarum principium; vel dignitate, vel origine, & sic cor debet præponi.

CONTRAD. IX.

Aloës an totum corpus purget.

ALoës purgat totum corpus, Galenus in libro de theriaca ad Pisonem. Idem dicit Paulus Ægineta, sed addit largiùs epota. Oppositum septimo artis Curatiuæ purgat solum intestina & ventriculum, aut si quid vltra mesereum. Clariuis exponit hoc in octauo de medicamentis secundum locos: Aloës purgat solum intestina & ventriculum, sed largiùs pota, etiam circa iecur. Responsio, in duobus constat, primum quod, vt habetur ab Hippocrate in libello de medicamentis, cibus etiam copiosè ingestus corpus purgat, ita aloës copia sui etiam sima iecoris, non tamen vltra. Attamen succedentibus humoribus, inuicem subtractaque alimenti facultate totum corpus, ex multiplici assumptione purgatur: differentia igitur est quia non à toto corpore purgat aloës, totum tamen corpus purgatur.

CONTRADICT. X.

Hieræ quantitas qualis.

MEdiocris quantitas Hieræ, ſeptimo artis curatiuæ, eſt duorum paruorum cochleariorum; maximus autem modus dandi, eſt duorum cochleariorum magnorum cum aquæ cyathis tribus temperatæ, ita minimus vnius parui: ſupple cochlearis. Idem ſeu alter, in libro de ponderibus, cyathus drachmas decem continet, cochleare drachmam vnam, non tamen meminit alterius cochlearis, neque an hoc magnum ſit aut paruum, ita adhuc res eſt dubia. Sed in ſecundode compoſitione medicamentorum ſecundum locos, dicit maxima huius quãtitas eſt drachma vna, cum aqua cyathis non plus tribus; minima vero drach. media; inter hos modos datur etiã iuxta ætatẽ & reliqua. Hîc contradicit priori loco, nam ſi cochlear magnum eſt drachma, maxima quantitas eſt plus vna drachma, quia duæ, dat enim duo cochlearia. Sic etiam minima quantitas erit minor media drachma, quia cochleare vnum paruum, non magnum. Si verò cochlear magnum ſit media drachma, falſum eſt dictum: primò in libro de põderibus, quod cochlear ſit drachma, ſecundò minima quantitas erit minor quarta parte drachmæ. Sin autem cochlear paruum eſt drachma, maxima quantitas excedet duas drachmas? non igitur erit vna drachma. Rurſus octauo de compoſitione Pharmacorum ſecundum locos, dantur ieiunis cochlearia duo, ſed tum illa conſtat ex Aloës.c. drachmis; Aſari, Cinamomi, Croci, Maſtiches, Nardi Indicæ, Xilobalſami, floris iunci odorati ſingulorũ drachmis ſex; vndè præter communem deſcriptionem, Andromachus florem addidit iunci odorati. Hîc igitur videtur fermè conſentire cum prima autoritate, datque vocatis ſtomachicis. Ætius verò libro ſextodecimo, integra purgatio alui, fit ex drachmis quatuor cum mulſæ cyathis ſex; partita verò ex drachmis duabus mulſæ autem tribus cyathis. Sed Paulus rurſus diſſentit ab his qui libro tertio, vbi de eadem vteri ſtrangulatione agit, cum mulſa Hieræ drachmam tantum dat. Quam ſententiam Ætius rurſus libro nono ſecutus eſt, qui non non ſolum ad nauſeam; ſed etiam vteri ſtrangulationem dat drachmam. Hæc mirum cum etiam de Aloës menſura diſſentiant; nam Dioſcorides inquit, & trium obolorum pondere, felle ſuffuſos curat: ex drachmis autem tribus purgat egregiè. Cum tamen Paulus dicat Aloës ex drachm. vna ventrem purgat: ex tribus obolis non flauam bilem, ſed ſola excrementa. Conſtat, Galeno teſte in libro de ponderibus, vncia ex octo drachm. quod etiam nunc eſt in vſu. Drachm. ſcrupulos habet tres, ſcrupulus obolos duos, obolus, ceratia ſeu ſiliquas tres: ſiliqua autem grana quatuor: igitur tres oboli ſunt dimidium drachmæ. Reſpondeo igitur quod Hiera ſi copioſior exhibeatur, longiùs trahit; ideoque non ſolum non iuuat ventriculum, ſed etiam nocet. In affectibus igitur ventriculi ſi humores tenues ſint, drachmę pondus eſt maxima quantitas: ſic in ſecundo de compoſitione ſecundum locos: cum agat de capitis dolore cauſa ventriculi bilem continentis, ſic Ætius in 9. lib. de nauſea à bile: verba tamen ibi de vteri ſuffocatione debẽt referri ad medicamentum, non ad quantitatem eius. In arte autem curãdi loquitur de humoribus vitioſis qui ventriculo inhærent, imbibitique ſunt illius tunicis, quo fit vt maior copia ſit neceſſaria: nam triplex ſcopus eſt membrum remotum, aut propinquum; humoris natura craſſi atque tenacis, aut ſubtilis ac friabilis, & quod in concauitate iaceat, aut ſit imbibitus. Propter hęc dat in vteri affectu plurimũ Aëtius, eſt enim locus remotiſſimus. At Paulus parũ dat in eodem caſu: ſi error non eſt in lib. dicendũ, quod Paulus Hieræ & Aloës ſemper reformidat ſiccitatem, quod ſumpſit à Galeno in 8. de compſit. medic. ſecundũ locos. Igitur in ſecundo de medic. ſecundũ locos, materiam in concauo uentriculiílioſam contineri præſupponit: in ſeptimo artis curatiuæ, in tunicis tam bilem quam alium humorem, cochlearia igitur duo magna dat.

CONTRAD. XI.

Balneum an totum corpus purget.

EVacuatio omnium humorum æqualiter, primò fit per venę ſectionẽ, proxima huic per tibiarũ ſcarificationẽ, & quæ per frictiones, balnea, & exercitia; ex accidenti autẽ per inediam 2. Aphoriſ. Ex quo liquet balneum totũ corpus poſſe euacuare. In 1. autẽ de tuẽda ſanit. vult quod vim humectandi tantum obtineat: quamobrẽ infantibus ad conſeruationẽ ea adhibet: de dulcium aquarũ balneis, ſermo eſt. In lib. de ſalubri diæta, vult quòd commutet humores, tùm cibũ, quia à cibo adhibitũ obſtructiones in iecore pariat. Quamquã nec hoc ſit generale, ſed 6. tuendæ ſanit. doceat immodicè calidis cõuenire à cibo balneũ: reddiq; ob id pinguiores: nec omnibus ex his obſtructiones generari, ſed ſolum quibuſdã à quibus etiã balneũ prohibet. Non prorſus extenuare, ſed potius pingue facere in lib. de ſalubri diæta colligit: inquit enim Polib. gracilibus magis quã pinguibus balneũ conuenit. Idem 3. de tuenda ſanit. vbi balnei cõmoda enumerat. Excrementũ putreq; ſi quid ad cutim hæret, euocat, tenſaſq; partes emollit. In lib. quoq; de renum affectibus balnea dulciũ aquarum calida excalefaciũt quidẽ, & humectant; ſed vires exſoluunt, tametſi dolores leniãt. In 11. quoque art. curat. docet balnea euacuare humores: ſed videtur dicere per aluũ, vrinas, & ſudores; cum tamẽ proprium eorũ ſit exteriùs quod vitioſum eſt auocare. Sed & in eodem lib. balneum, inquit, duo cõmoda febrientibus præſtat, & quod febrilis caloris multum tranſpirabit, & nonnihil humoris copia euacuabitur. Indè paulopoſtqua. ſi videatur ſibi contradicere, inquit: quippe balneum tum totum corpus vacuat, tũ quod fuliginoſum eſt, ac fumi inſtar digerit. Et rurſus in 10. method. dum cõnumerat balnei cõmoda, ſolũ hæc tria ſcribit, ſicca humectare, corpus ad temperiem deducere, quod fuliginoſum eſt ac fumidum euacuare. Item in libro

libro de tabe, balneo curant putridas febres, à coctione si adhibeantur prosunt, & hecticis omnibus, & similiter à coctione: Ergo si curant putridas febres, euacuare possunt totum corpus. Potest & debet his maximè adijci, quòd ex octauo Methodi colligitur, Diarias scilicet, & celerrimè, & tutissimè, & vel hoc solo præsidio febres curari. Quid quòd expresse artis curatiuæ vndecimo: Ego verò eorum qui ex putrescente humore febricitant, ante purgationem neminem lauerim: non igitur ipsum per se purgat balneum humores vitiosos.

Pro solutione sciendum, quòd, vt habetur decimo artis curatiuæ, balneum quatuor habet partes (nunc autem, vt dixi, sermo totus est de balneo dulcis aquæ) feruentem, media temperie, tepidam ac frigidam: vis feruentium, inquit 3. tuendæ sanitatis, excalefacit, non tamen ferè humectat; si media sint temperie ex æquo fermè humectant, & excalefaciunt: quæ verò is frigidiores sunt vocantúrque tepidæ, humectant atque refrigerant. Frigidæ autem confirmant corpus, atque astringunt: ob id verò solent & sudorem quoque prohcere, & euacuare excrementa. Atque hæ solæ, vt Galenus dicebat, hecticis conueniunt. Harum igitur proprium est tertio modo inter aquas, hecticis prodesse, firmaréque vires. Alia vis ex tempore etiam habetur: vnde in 3. de tuenda sanitate, cum balnea temperata calefaciant, & humectent; attamen ex quantitate earum aduenit, vt per accidens in habitum humores digerant: & humores rursùs fluere faciant in partes, alios concoquant, aut molliant dura, aut vires reddant robustiores, aut infirmiores.

At dices contra, quia primo de vsu partium, nihil est quod promptiùs possit excalefacere refrigerata, & refrigerare excalefacta, quam balneum; non igitur semper excalefacit: ibi enim de moderatè calido loquitur solùm, non de frigido. Palam est quod per se calefacit refrigeratos, auocat & sanguinem ad exteriora; sicque per accidens rursus refrigeratos excalefacit. Verùm calefactos refrigerat solum per accidens, digestis exhalationis fumidis ac fuliginosis. Sicque Galeni sententia primo de vsu partium debet intelligi, sed in febribus Galenus tres excipit casus in quibus Galenum non conuenit. Primus, si multitudo crudorum humorum adsit, funduntur enim & obstruunt. Secundus, si imbecillis sit aliqua particula, periculum est enim, ne in illam confertim humores confluant. Tertius, si horror excitetur ex balneo; nam & quia febrem accendere, & excitare potest. Erat autem mos, vt decimo artis curatiuæ narratur, antiquis quadruplicem sedem balnei facere. Primam quidem calidi aëris, non autem aquæ ne vrerentur, quæ insanabilis est febricitantibus plerumque non parum. Secundam temperatæ aquæ, tertiam frigidæ, frigidique aëris, quartam aëris temperati, & absque aqua vbi siccabantur. Igitur balneum euacuat quidem ex summa superficie corporis, auocat ex profundo: sed si frequentiùs adhibeatur purgare etiam poterit, de calido loquendo.

CONTRAD. XII.

Caput paruum an necessario malum, & magnum bonum.

PAruum caput vitiosæ constitutionis cerebri proprium est indicium: magnum verò non necessario indicat bonam cerebri constitutionem, sed si ob insitæ virtutis robur tale fuerit: Galenus in lib. art. Med. sed aliter sentire videtur, sexto Epidem. cum dixit, valdè paruum caput semper malum est, læsam hominis rationem: magnum verò aliquando bonum, etsi raró vt in Pericle Atheniensi. Et ita legit Rasis 2. ad Almanz. scilicet caput valde paruum. Philosophus quoque 1. de natura animal. facies quibus parua mobiles, quibus magna segnes, quibus rotunda iracundi, quibus lata apti moueri mente. Quarto quoque de partibus, homo sapientissimus est, quia superiorem partem habet leuem & erectam, Pumiliones, quos Nanos vulgus vocat, & pueri minimè sapiunt, quia caput magnum habent, & belluę, etiam quia pronæ sunt capite: In qua sententia videtur Problema illud 30. part. Propter quid homo est animalium sapientissimus: Respondet, quia corporis sui comparatione minimum habet caput. Et inter homines, dicit qui paruo sunt capite sapientissimi. Adijcit autem ἢ ὅτι ἀνωμάλως ἐλάκιστον: quæ verba nullus ad hanc diem interpretatus est. Sensus autem est eorum, quoniam minimè planum, id est, non quale asinis, bobus, & equis; sed angustum habet. Sed ad rem reuertor, nam neque ipse sibi cōstare videtur, cum dicat 2. de partib. homini plus inest cerebri quam cæteris animantibus. Atque mores videtur referre potius in cor: nam 3. de partib. animal. inquit, cor magnum timidis, paruum aut moderatum fortibus animalibus inest. Paulus lib. 1. & Aetius lib. 4. secuti sunt Galen. & Princeps 1. 3. his verbis explicat illius mentem dicens: Physiognomi existimant quod caput paruum significat iracundum, timidum, perfidum, & hæsitantem. Sciendum quod læsio in cerebro maxima est, quia apud Gal. 3. de Decret. cerebrum corpori toti imperat, cor autem, dicit ipse, obedit: ideò pedes etsi parui sint, & quamuis lædatur operatio, non tamen multum refert: sed si cerebrum paruum sit, lædi rationé & reliquas virtutes, quæ cum sint nobilissimæ, ideò capitis paruitas magnum affert detrimentum. Gal. igitur cauet ne caput paruum sit, Arist. ne inane, ideò neque magnum, neque planū esse vult: talia enim capita plerumq; sunt inania, quia cerebrum natura rotundum cum sit, in capite plano inane aliquid relinquet. Non igitur laudat Aristoteles caput paruum per se, nam sic non laudasset magnū cerebrum, sed quia completur cerebro: ob id etiam Galen. quod caput magnum raró bonum est. Aliud est discrimen, quia Aristoteles paruum dixit in cōparatione ad iumenta, hoc autem corporis proprij est moderatum. Galenus hoc modo dānat paruum. De corde ipsum est principiū audaciæ & fortitudinis, & timoris, non autē morum. Facies intelligitur apud Philosophū

talis comparatione capitis non corporis. Litera autem Galeni sexto Epidemiorum, duplicem recipit sensum, quòd quæcumque magna capita bona licet raro esse possint: vel quæcumque valde magna, in quo ego lego, tum quod scientia Periclem immensum, non solum magnum habuisse caput: tum quod Galenus ibi subiiciat adeò magnum fuisse, vt coniici illius magnitudinem dicteriis lacesserent. Hoc autem multum refert, nam sic nec moderate paruum, nec moderatè magnum, Galenus improbare videtur.

CONTRADICT. XIII.

Caput an propter cerebrum.

PHilosophus quarto de natura animalium inquit, mollibus omnibus euenit, vt caput inter ventrem, & pedes habeant. Et quarto de partibus, Testacea omnia caput infrà vt plantæ habent, quia cibum ea parte capiunt. Nam cum talia fermè motu careant, vesci par est maris limo: Et in eodem natura, caput in omnibus sanguineis propter cerebrum creauit, & quosdam sensus in eo collocauit, ob sanguinem qui ea in parte tepidior est, quàm in corde; tertiò propter os. Secundo quoque de Generatione animalium capitis magnitudo ob cerebrum, cerebro autem oculos inesse necessarium fuit, quod oculi frigida, & humida substantia sint, loquitur autem de fœtus generatione; igitur caput non est factum oculorum gratia saltem primò, sed potius cerebri atque oris. Galenus octauo de vsu partium nititur ostēdere quod non gratia cerebri caput, sed oculorum factum sit, quòd Princeps, maximus Galeni interpres prima tertij expressit, Galenus autem duo ad hoc demonstrandum præsupponit: Primum ne more Græcorum ἐγκεφαλίτην ab ἐγκέφαλον; sed Romanorum, cerebrum proprio nomine non à capite deriuato appellemus. Secundum, quod vbi sensus, ibi cerebrum: vel ei proportione respondens. Ergo in cancris est cerebrum, vel ei proportione respondens, quia sensus habent ex secundo supposito. At ex primo supposito cancri non habent caput, intelligendo per caput molem magnam quæ collo supereminet, igitur caput non est cerebri causa: neque aliorum sensuum quos illi habent, puta saltem gustus, & tactus. Indè dicit modus venandi causam cur factum sit caput, esse vt videamus, quod nam sit opus oculorum & est speculari, speculatores autem solent altissimis locis collocari, in turribus vrbium, in malis nauium; igitur oculi debuerunt collocari in sublimiore parte corporis, quod etiam fit in cancris; igitur sublimior corporis pars est propter oculos; caput autem in animalibus est in sublimiore corporis parte, igitur caput, oculorum causa factum est. Nam dicit aliter, non tuto poterant quam in osse collocari, igitur in capite. Conciliator hanc tangit difficultatem. Ista ratio ostēdit de situ capitis. Ad id de mollibus, cum essent in aqua, & imperfecta, indiguerunt commodo magis cibi, quam visus, ideò etiam oculi iuxta ventrem. Aristoteles verò capitis causam cerebrum dixit, non situs ipsius capitis. Discordia solum igitur est in verbis.

CONTRADICT. XIV.

Quis sensus magis ostendat cerebri bonitatem.

GAlenus sexto Epidemiorum, & in libro artis medicæ, sentire videtur, quod acumen videndi magis significet super cerebri perfectionem aliis sensibus: Aristoteles secundo de anima, præponit hominem intellectu aliis animalibus, quod tactus sensum habeant perfectissimum. Olfactus autem cum in cerebri parte constituatur, octauo de vsu partium, & in libello de odoratus instrumento, videtur esse maiore argumento cerebri perfectionis aliis sensibus. Igitur dico quòd tactus ostendit omnes operationes esse perfectiores simul, quæ in corde & cerebro perficiuntur quia melius temperamentum. Oculi perfectiores eas quas vocant animales, quia non fit acumen videndi absque tenuitate, & multitudine spirituum, quòd hæc operatio copia spirituum indigeat, vndè soli illi nerui manifestè perforati, vt alias ex Galeno docuimus: sed olfactus perfectio principalium solum cerebri operationum perfectionis argumentum est, quia cerebri substantiā bonam significat, eo quod solus hic sensus in eius substantia fundetur.

CONTRADICT. XV.

Virtutes principales an tantum tres.

VIrtutes principales seu rectrices facultates, esse tantum tres docuit Galenus libro de symptomatum differentiis: & hoc pulchrè conuenit cum his quæ docuit de memoria, tertio de locis affectis, & de ratione ac imaginatione quarto eiusdem. Et concordat, cum Auerroë tertio collectaneorum, & expressiùs in secundo, vbi addit reminiscentiam quam vult esse imperfectam memoriam. Sed oppositum habetur septimo de Decretis, vbi præter has addit intellectum; Ex quo patet Auerroëm tertio de anima deceptum, affirmantem Galenum censuisse inintellectū esse cogitatiuam, id est, rationem, sed Princeps ponit sex, sensum cōmunem, & imaginandi virtutem, cogitatiuam, & æstimatiuam, memoriam, & intellectum. Discrimen ponit inter sensum communem, & imaginandi virtutem, quod hæc conseruat diu species, sensus communis non. Inter æstimatiuam, id est, Iudicium, & cogitatiuam, id est, rationem discrimen est, quod Iudicium seligit, quod ratio discursu præponit. Igitur Galenus, vt medicus, non ponit intellectum, quia non pendet à corpore vt subiecto, medicus

medicus autem omnia considerat in ordine ad finem scilicet vt possint curari, & hoc est quia à subiecto corpore pēdent. Princeps ponit sensum communē qui est imaginandi virtutis imperfectæ pars, & est proximus aut idē phantasiæ, de qua secundo de anima. Sic & ratio diuiditur in discursum, & iudicium; eadem ratione memoria, in integram ac cōtinuam, quæ suum retinet nomen: & reminiscentiam quæ est memoria interrupta, vt dictum est. Sed in libro artis medicæ ponit quatuor, memoriam, discēdi facilitatem, stabilitatem, aut mobilitatem, & ingenium; dictum est de hoc in expositione libri artis medicæ. Ibi Galenus considerat voluntatem & scientiam rerum: voluntati mobilitas aut stabilitas tribuitur, sed hæc non pertinent ad facultates cognoscentes licet principales. Principalium enim facultatum aliæ cognoscunt vt ingenium, aliæ non, vt voluntas. Et si dicas quod voluntas cognoscit finem, istud est aliud; satis est quod non est virtus separata ab aliis cognoscens: cognoscentes autem facultates sunt illæ tres quas ibi memorat, sumit autem differentiam earum aliter, vt dixi in expositione illius loci.

CONTRAD. XVI.

Medulla an pars sanguinis.

MEdulla sanguinis quædam pars est, non autem seminis quod in nuper genitis apparet, in quibus ea rubet vt sanguis, secundo de partibus animalium inquit Philosophus. Author libri de dissectione viuorum dicit quod est excrementum ossium, non nutrimentum, probatque duabus rationibus, tum quia ossa sunt frigida & sicca, medulla calida & humida, igitur est excrementum, non nutrimentum. Secundò, quia abundat in animalibus frigidis & siccis, simile autem abundare solet in simili, si sit pars vtilis. In leonibus dicit non abundat quia calor consumit eam. Sed Galenus tertio de naturalibus facultatibus vult, quòd medulla sit alimentum non excrementum ossium, loquens tam de contenta in ciuitatibus magnis, quàm paruis ossium. Auerroës secundo Collectaneorum dicit quod est superfluum nutrimenti ossium, non nutrimentum. Respondeo quòd quæ in paruis continetur cauitatibus est nutrimentum, quia similis in colore & substantia ossibus, & hoc fundamentum tangitur à Galeno. Auerroës loquitur de contenta in magnis cauitatibus: quod sit verum, loquitur de medulla spinæ etiam. Sed quia & hæc censetur pro nutrimento à Galeno, dico quod est nutrimentum ossium, id est, quia ex nutrimento constat, & parata nutrire. Comparatione enim prioris actionis est superfluum, posterioris autem nutrimentum sicut & pituita, & sanguis biliosus, & sanguis niger, sunt superflua antequam vlterius concoquantur post alimēta, pinguior enim pars medullæ, & immoderatè calida & humida, est excrementum, tempore contenta in ossibus fit alimentum.

CONTRAD. XVII.

Cerebri rectrices facultates an loco distinctæ? Et an Medico scire hoc sit necessarium.

PRinceps prima primi, & Auerroës secundo Collectaneorū, ac tertio, collocarunt memoriam in posteriore cerebri parte. Quod etiam visus est sentire Aetius, dum libro sexto in memoriā amissa consulit, vt occiput castoreo, & oleo inungamus sinapismumque applicemus. Idem docet quod amissā memoriā præter rationem significat syderationem comitialem, aut resolutionem, qui morbi sunt postremæ partis cerebri. Serapio lib. primo qui, & I. Damasc. vt aliàs docui, videtur hoc demonstrare ratione, nam senes prius amittunt memoriam, quia frigidior cerebri pars frigiditate prius afficitur: inde dicit si ad mediam cerebri partem peruenerit detrimentum, fiunt stolidi; vnde adagium (bis pueri senes.) Auenzoar primo Theisir ponit primo curam læsæ imaginandi virtutis, inde rationis in qua adhibet auxilia mediæ parti cerebri, docens ea debere esse leuia ob tres causas. Prima quia pars est nobilis, secunda quia cerebrum ibi est mollius, tertia quia futura ossis rarior est; At contra in occipite pro memoria validis vtitur auxiliis. Et post dum agit de aqua in anteriore cerebri parte, dicit quod tales sunt quasi absque intellectu. Haliabbas quoque magnus Galeni interpres, huius sententiæ fuisse videtur, & Mesue in suo Grabadin. Sed in libro artis medicæ, & in octauo de vsu partium, dum harum virtutum meminit, cerebri non partis vllius seorsum mensionem facit. Dicebat etiam in libro quod animi mores corporis sequantur temperiem, pituitam in cerebro facere memoriæ iacturam. Et tertio de locis dum accusat Archigenem, quod non locutus sit de affectu, nec meminerit an vellet cucurbitulas apponi cum incisione an non, de loco non reprehendit quod prætermiserit, nec eius rationem habet dum veram docet curam. Sed nullibi clariùs quam paulo inferiùs, verba eius sunt: Sanè cum ea quæ per dissectiones apparere solēt accuratè consideraremus, consonum rationi videbatur animā in cerebri corpore sedem obtinere, atque in ipso & rationis vim, & sensibilium imaginum memoriam residere: At primum ipsius instrumentum, tum in sensibilibus operationibus omnibus, tum in his quæ à consilio & voluntate prodeunt esse spiritum, qui in ipsius ventriculis, maximè in postremo continetur, quamuis non contemnendus sit ventriculus medius quasi non nobilissimus sit: multis enim rationibus inducimur vt hunc amplectamur, duos verò anteriores deseramus. Verum exacta horum notitia ad curandi inuentionem nihil ferè conducit. Nam satis fuerit ad probè curandum nosse sedem

affectum esse cerebrum, atque in eius ventriculis humorem crassum vel viscidum comprehendi. Satis apertè quid velit Galenus, de comitiali morbo sermonem habens, in virtutibus rectricibus cognoscere licet. Nūc ad Philosophi mentem transeamus. Hic in libro de memoria dicit paucos bene discere & memorari. Hoc non verum esset, vbi sedes essent diuersæ, nam postrema pars sicca esse posset, anteriore humidâ existente. Paulus quoque dum medicamenta ad obliuionē docet, nullam partium corporis rationem habet. Iam verò magis hæc clara videntur, quod suturæ coronali auxilia semper adhiberi soleant. Difficultas hæc magni est ponderis, etsi Galenus dicit non referre ad curam exquisitam huius rei cognitionem, loquitur de sententia nobilitatis ventriculorum, non sedis virtutum, quam absque dubitatione in toto cerebro locat, nec ipse vnquam verbum fecit de hoc, aut in mentem illi venit tam absurdum commentum; quòd Arabes, indè Latini Thomas, Albertus, ac Scotus, aliisque omnes somniarunt. Initio facto ab Arabibus qui falso authoris nomine hoc Galeno tribuerunt; cum manifestè septimo de decretis, ventriculos cerebri, postremum & medium, ac totam substantiam ipsius instrumentum, & sedem animæ, ac virtutum constituerit.

CONTRAD. XVIII.

Intellectus an ex cerebri temperie.

INtellectus non compositionis, ac perplexam varietatem consequitur, sed potius cerebri temperiem octauo de vsu partium. Sed alibi seu pro intellectu ingenium in tenuem cerebri substantiam, seu facilitatem discendi, in facilè concipientem formas reducit, non in temperiem. Et primo de natura humana, Animi dexteritas, & prudentia à bilioso humore procedit: integritas & constantia à melancholico sanguis stupidum & simplicem reddit, pituita nulli est vsui. Item trigesimo problematum, sapientes viri vt plurimùm fuere melancholici. Respondeo quod maxima horum pars ad mores, non ad ingenium pertinet; sed & ingenium aliqua ex parte ab humorum qualitate pendet. Ad aliud, temperies tria habet significata, vel pro qualitatum impressarum capitur mistione, vel elementarium, neutroque modo in has refert ingenium; vel pro certa substantia quæ sine temperie secundo modo dicta esse non potest, illa tamen non est. Hæc igitur distinguitur à compositione, prout perplexum illum, atque varietatem significat. Vt ergo distinguatur, vocata est temperies, cum sit tamen substantia. Hoc autem melius intelliges, si primum de vsu partium vbi de hoc loquitur consideraueris, & quæ nos circa hoc, dum quærimus an elementorum qualitates substantiæ sint disputauimus.

CONTRAD. XIX.

Temperati cerebri signa, an à Galeno bene posita.

SIquidem cerebrum sortiatus bonam primarum qualitatum temperaturam, omnia quæ diximus habebit moderata. Galenus in libro artis medicæ, ponit signa septem temperati cerebri, primum ingenij mediocritatem, secundum memoriæ, tertium discendi, quartum opinionum mobilitatis, quintum excrementorum, sextum occursantium, septimum capillorum. Sed Auerroës quarto Collectaneorum addit signum à somno sumptum, & Princeps prima tertij, dicit quod habent robustas operationes sensiles, & rectrices; cum Galenus prætermittat sensiles, aut mediocres statuat. Aëtius & Paulus cum Galeno consentiant. Respondeo quòd de somno prætermissit, quia sub operationibus sensitiuis naturalibus continetur; neque erat dubium quin oporteret esse mediocrem, quod dubium est de excrementis, nam temperata deberent esse magis absque excrementis, quam sicca: Galenus tamen docet quod non: volens plus facere temperaturam membri quam robur. Sed & de intellectu videbatur dubium, quia docuimus aliàs temperaturam æqualem robustiores debere habere operationes, non æquali. Dico quod Galenus non vult intelligi de illis, quia pendent ex substantia non ex qualitatibus; ideò Aëtius & Paulus decipiuntur, vt etiam Princeps. Vel dic quod tota operatio quæ est perfecta, & est iudicium, est melior intemperato, non autem partes oppositiones.

CONTRAD. XIX.

Odor quomodo producatur.

PRinceps posuit quatuor opiniones de odoris generatione: primam quod ex vaporibus, nam non sine illis fit, vndè quæ frigida sunt admodum, quia non producunt vapores non olent. Secundam quod ob mutationem medij, nam aliter si per vapores tantum, nimis absumeretur quod odorem emittit. Tertiam quod per vim solam vt in lumine & colore, & hoc etiam probat, quia aliter non posset tam procul produci, & dat exēplum de vulture aue, quamuis error sit in littera. Quartam ex his tribus cōficit opinionem quæ Principi propria est. Aristoteles de sensu & sensili, declarat quòd odor non est vapor nec exhalatio, & declarat quòd exalatio est humor quidam ab aqua procedens, vapor autem vt fumus communis aëris & terræ; sed dicit est affectio quædam sicca in humido quod saporem habet. Sed dicetis oppositum iam superiùs dixerat, diffiniens odorem esse exhalationem instar fumi quæ ab igne proficiscatur; sed clarum est

est, & Alexander in commento explicat ex aliorum antiquorum sententia loqui ibi Aristotelem, quamuis clarum sit odores à calore vapores excitante gigni, vt in his quæ igni superponuntur, & floribus calefactis. Albertus vult quod non per vapores quia illi procedunt vsque ad sensum, sed sensibile supra sensum positum non sentitur, igitur vapor non est odor. Vult igitur quod multiplicetur vt lux. Respondeo quod non producitur, vt lux absque medio, sed in medio vt sonus. Galenus lib. de odoratus instrumento docet quod aër quamuis ad cerebrum per palatum penetret, odor tamen non sentitur, quia non aperitur instrumentum odoratus: sed ego argumentor ratione clara, quia semper cerebrum respirat; nec tamen perpetuò sentit odores, igitur cum videam ob obstructionem in naribus hominem carere odoratu per multos annos, non solum menses, erit necesse vt odor vapore indigeat. Ad Alberti rationem, non supra sensum fertur odor sed supra corpus in quo est sensus. Ad Principis argumentum dic quod vapores se mutuo inficiunt non tamen recipitur absque vaporibus. Vel dic quod aër per nares non penetrat in illis sed solum per palatum. Sed quid dicemus de his qui ore occluso respirant, nec tamen odorem sentiunt.

CONTRAD. XXI.

In cerebri calida dispositione an aromatica conueniant.

NOcentur autem à calidis non solum odoribus, sed etiam aëre loquens Galenus de calida naturali intemperie libro artis medicæ, & quinto Aphorismorum: omnia odorata calida apta sunt facere capitis grauitatem, adeò vt non solum in calido cerebro, sed in omni noceant. Sed in arte medica loquitur de calidis odoribus, in aphorismo de calidis, & bene olentibus. Vnde allij odor grauitatem excitabit in calido cerebro, non in omni: sed in abscessibus viscerum aromatica laudantur, quartodecimo art. curatiuæ; per halitum digerunt materias, non tamen conueniunt capiti, quia nocent in intemperie, iuuant tamen ad concoquendam materiam. Et etiam quia nocent, quia caput sentit odores ideò per sensum fit mutatio, vt in prouocando sanguinem, & morbillos purpuram, & lucem coram oculis ponimus. Sed quòd ratione materiæ conueniant calida, patet apud Principé prima tertij, qui administrat medicamentum exteriùs ex pastillis de croco, & Paulus libro tertio dat in potu exteriùs adhibens cardamomum, mentham, ozimum, folia persici, pulegium. Et si dicas quod miscet frigida, illud non sufficit; sed causa vt dixi est, quoniam cura est doloris materiam habentis. Aëtius quoque vtitur oleo camomelino. Et Alexander Trallianus libro primo simili modo procedit: Est autem hoc magis dignum admiratione cum Galenus secundo de medicamentis secundum locos, referat crocum adeò inter lædentia caput, vt velit ipsum perturbare mentem. Vult & myrrham ibi nocere capiti. Hæc eadem Aëtius eodem lib. docet mouere dolorem capitis. Alexander verò pastillorum vsum prætermisit; sed intelligendus est vsus eorum tamen etiam apud Principem ac descriptio reuocanda ad synceriorem Pauli historiam, qui eam ex fonte proprius hausit. Pro solutione considerare oportet primo annexa frigida quæ à calidis tanquam vehiculo ad caput deferuntur, secundò alia est ratio doloris, alia intemperiei solius. Tertiò alia est ratio intemperiei naturalis, alia præternaturalis. Quartò alia est ratio iunctæ materiæ quæ discuti postulat, vndè etiá in phrenitide lauacra cum sisymbrio & rutha resolutionis causa adhibentur prima tertij à Principe; alia solius intemperiei. Denique alia ratio cerebri, alia aliorum membrorum quæ à vaporibus minimè patiuntur. Alia quoque ratio est quod grauetur multum, vt cum cerebrum iam sponte ac ex natura illi propria calidum est. Aromatica dicuntur libro de attenuante victus ratione, calida & bene olentia; quæ tamen non est necesse esse acria nec erodentia, talia omnia etiam calida esse docuit secundo de Alimentis. Et talia confirmant iecur præcipuè si subastringant libro eodem. Sed & ipsa vrinas, vt inquit, proliciunt, vt ibi fatetur.

CONTRAD. XXII.

Odor omnis an à calido? & an nullum amarum suauiter oleat.

GAlenus declarat quòd omne odoratum est calidú meminitque de rosis, & quod nullum amarum suauiter olet, nec omne quod odore pollet, est suaue, quæstiones has ex proposito tractans quarto de simplicium medicamentorum facultatibus. Docetque quod ex odore non possumus facere argumentum temperamenti cum rosa sit iucundi odoris, & tamen frigida & amara, quia suauitas illa & odor sunt in substantia tenui atque acri; sed amaritas & frigiditas in substantia frigida, ac terrea. Et ideò dicit quòd in quibusdam quod etiam ostendit experimentum, rosæ odor dolorem capitis excitat. Frigida igitur omnia vel omninò non olent, vel parum, vel in his est substantia quædam calidior quâ olent. Theophrastus sexto de causis plantarum dicit, quòd amarum est initium grati odoris vt dulce saporis; sed Auerroës quinto Collectaneorum vult, quod omnia bene olentia sint calida, & male olentia frigida. Et ratio pro Auerroë est, bonus odor fit à bonâ concoctione; sed bona concoctio fit calore superante, igitur bonus odor fit calore superante, & ita malus à frigore, & à mala coctione. Galenus diceret, quòd violæ benè olent & tamen sunt frigidæ; Allia quoque, & caro putra malè olent, & tamen sunt calida. Responderet Auerroës quod in violæ parte quæ benè olet calor vincit,

cit,& hoc fatetur de rosa, vt dixi, Galenus. Sed de allio & carne putrida,quod calor naturalis superatur à non naturali & ab humido, licet non sint frigida. Galenus diceret, satis est quod per odoris differentiam non possum concludere, nec de toto nec de parte temperiem, cum malus odor sit cum caliditate. Auerroës rationi Galeni responderet facilè,dicendo quod à calore externo,non à temperamento odor eleuatur ac vapor.Ideo ratio Galeni solum concludit,quod odor est in calido actu,non potentia.Auerrois igitur sententia est de calore naturali victore, seu de bona & mala coctione, quod non negaret Galenus. Concordant etiam in bono odore quod sit semper à calido.Theophrasti sententia videtur propior experimento. Sed diceret Galenus, quod amara plurima bene olent quia acria, acris autem sapor dulci non iungitur, quia fit ab modico calore, & si fit bonus odor, humidum tenue est & exiguum. Sed amarus quia terreus est, facile & frequenter acrem etiam admittit.

CONTRAD. XXIII.

Qualitates omnes an actiuæ.

GAlenus tertio artis curatiuæ, & in arte medica vocat omnes qualitates effectrices;& secundo regiminis acutorum inquit, permutantur ab efficientibus qualitatibus dum siccantur & primo de elementis,qualitates primæ ab aliis differunt quæ tactu percipiuntur:scilicet caliditas, frigiditas, siccitas,& humidum,quòd hæ solæ totas substātias permeant ac penetrant. Idem Princeps secunda primi. Auerroës quoque quarto Metheororum, sicut calidum producit calidum, & frigidum frigidum; ita siccum siccum, & humidum humidum, & non dicuntur hæ qualitates passiuæ, nisi quia sunt medium ad patiendum. Et tertio Collectaneorum dicuntur actiuæ, quia magis agunt; & passiuæ quia magis patiuntur. Contrarium tamen habetur à Philosopho quarto metheororum qui caliditatem & frigiditatem actiuas, humidum & siccum passiua vocat. Galenus primo de facultatibus naturalibus vult,quod vt hæ qualitates sunt animæ instrumenta, vt in animalibus & stirpibus distinguuntur: quia caliditas & frigiditas magis agunt, cæteræ magis patiuntur, sed in aliis rebus omnes sunt actiuæ, id est vt actu quidem duæ actiuæ, duæ passiuæ: vt potentia omnes agunt & patiuntur. Gentilis dedit septem solutiones, sed nulla probatur, nisi illa quam ex Auerroë loco adducto accepit. Galeni igitur sententia est quod in generatione calidum agit in humidum,& vt sic calidum & frigidum agunt,siccum & humidum patiuntur, vt verò sunt qualitates omnes,agunt & patiuntur. Aliter & redit ad idem calidum & frigidum agunt, humidum & siccum patiuntur, sed ipsæ qualitates omnes sūt actiuæ,atq; etiam passiuæ.

CONTRAD. XXIV.

Simplices temperaturæ inæquales an dentur.

GAlenus primo de temperamentis, ponit quatuor intemperies simplices expresse hoc argumento inductus: datur calida & humida, & calida & sicca; igitur dabitur calida,in qua nec humidum sicco, nec siccum humido dominabitur. Et in libro artis medicæ ponitur neutrum vt semper in vna qualitate, igitur hæc intemperies simplex poterit esse perpetua. Ipse etiam sexto de Tuenda sanitate videtur ponere frigidam intemperiem simplicem permanentem. Sed Aristoteles tertio problematum inquit, multum humidum cum fuerit refrigeratum, magnam affert frigiditatem. Et Princeps prima primi, dicit quod caliditas maior quā oportet reddit corpus siccius, & frigiditas humidius; & siccitas ac humidum reddunt frigidius, & ibi loquitur de intemperiebus simplicibus.Hanc sententiam sumpsit à Galeno sexto de tuenda sanitate, nisi quòd Galenus dicit siccitatem dum augetur corpus calidius illud reddere, sed dum minuitur frigidius: Princeps autem simpliciter frigidius reddere illud dixit. Sed septimo artis curatiuæ, siccitati solidorum celeriter frigiditas adiungitur, nec diu potest permanere cum æqualitate calidi & frigidi. Idem videtur,voluisse in arte medica cum dixit, calida & sicca temperies, in ætate decrementi in frigidam & siccam transmutatur. Vt hæc mutatio sit propria quibusdam temperiebus non autem generalis. Sed in quinto de tuenda sanitate vult quod immodicè calida tantum, non simpliciter calida celeriter transmutetur in siccam, vt sit vitium magnitudinis, non autem generationis temperiei. Auerrois verò simpliciter eas posse esse negat in secundo Collectaneorum,& in Cantica, adducitque duas rationes. Prima qualitates actiuæ passiuis respondent, igitur quod est calidum,erit necessario siccum vel humidum. Secunda quælibet intemperies ab aliquo conseruatur secundo Metheororum; Sed quæ conseruant anni tempora & humores habent temperiem compositam & sunt quatuor tantum,igitur temperies erunt tantum quatuor & compositæ. Conciliator dicit quòd momento temporis solùm manent hæ; & adducit duas rationes. Prima siccitas auget calorem & calor consumit humidum, & ità de aliis; igitur non manebunt. Secunda quia oportet vt sit principium actionis vt decimo primæ Philosophiæ, & ideò in generatione oportet vt calidum dominetur. Solutio colligitur à Galeno primo de Temperamentis, frigidum si modice exuperet, temperamentum reddit, si plus morbum, si maximè mortem. Cum igitur hæ intemperies leuissimæ fuerint manebunt; cum autem tales vt auxilio medici indigeant, vt sexto de tuenda sanitate, non manebunt,

nebunt diù, sed illicò in non manifestam decident intemperiem alterius coniugationis: sed si excessus fuerit in calore vel siccitate, illicò in manifestam decident intemperiem, vt 5. de Tuenda sanitate, & septimo artis curatiuæ. Maior propositio Auerrois in primo argumento negabitur, & negatur à Galeno. Imò etiam si adduceretur Philosophus, Galenus non vereretur illius authoritatem reiicere, quandoquidem hoc sit proprium Medicorum inuentum. Et in quo à plerisque antiquis dissentit. In secundo argumento dico, quòd simplices intemperies à coniugatione temporum, & humorum conseruantur: vt sicca ab æstate cum Automno, & bile cum melancholia. Ad primam Conciliatoris rationem, non agunt hæc reluctante regimine, ætate & etiam quia paruæ. Ad secundum generantur à calore cœlesti, vt in libris de subtilitate declaratum est; aliter omnia mixta essent calida, quod est falsum.

CONTRAD. XXV.

Qui lapsus est deterior in cerebro.

AVerroës sexto Collectaneorum, & 7. docet, quòd intemperies est frigida in cerebro quàm calida, & quòd maius imminet periculum ex infrigidatione vehementi, quàm calefactione. Et tamen dicit ibidem quòd morbus à frigiditate in cerebro, est leuior quàm à caliditate. Et videtur hoc esse iuxta Hippocratis sententiam secundo Aphorismorum; sed tamen Auerroës vult quòd generaliter calida, & frigida temperies in cerebro sint deteriores siccâ & humidâ. Et hoc ex ratione ducit originem, quia cerebrum est debile membrum, & illæ qualitates magis agunt, scilicet calor & frigus, quàm humidum & siccum. Galenus tamen septimo Artis curatiuæ dixit, quòd tempus calefaciendi & refrigerandi est æquale fermè, sed periculum maius in refrigerando, & consentit in hoc cum Auerroë: sed dicit Galenus in humectando & siccando periculum æquale est, tempus tamen humectandi est longius. Differunt tamen in hoc quòd Auerroës refert causam frigiditatis ad cordis contrarietatem quod est calidum: & verè ista causa mihi multum satisfacit, quia calor transmissus à corde conseruat omnes membri operationes: Et loquuntur de calido & frigido potentiâ. Aliàs egimus de calido actu & frigido; Aphorismus autem secundæ particulæ de intemperie præternaturam, non naturali debet intelligi, præter tres rationes: tum quia naturalis intemperies est principium & non effectus, tum quia Galenus refert hoc ad causam, non ad morbum, tum quia præsupponit transitum ad qualitatem contrariam naturæ membri, qui non potest fieri in naturali intemperie, libro artis Medicæ, cap. 15. Sed quoad auxilia Galenus videtur contrarium sensisse, tertio artis curatiuæ cap. 3. 5. & 9. Humida corpora humidioribus indigent auxiliis, semper enim quod naturale est similibus indiget. Et post vult quòd verum sit in omnibus qualitatibus. Respondeo quòd hoc verum est, quòd cerebrum indiget frigidis vsque ad metam suæ intemperiei, sed vltra, maius est periculum in frigido in hominibus, quàm in calido, & maius in calido, quàm sicco vel humido. Conciliator tractat hanc difficultatem & Vgo; sed est alia, nam hîc de exteriùs applicandis, & naturali temperie, & membrorum differentia agitur, vt & aliàs, sed de ætatibus & febribus suo loco dictum est.

CONTRAD. XXVI.

Quæ vitia à singulis cerebri intemperiebus fiant.

AEtius libro sexto ponit, morbos cerebri fieri quinque modis, tribus quidem simplicibus: intemperie, vaporibus, & materiâ: duobus autem compositis materiâ, & intemperie, & materiâ cum vaporibus, & loquitur de doloris causis; estque ibi illud mirum morbum esse à materiâ, & absque intemperie. Idem ante dixit eodem libro, fatuitatem à frigiditate fieri: Posterius dixit ab humido, & paucâ frigiditate, vbi etiam obliuionem ponit ab omni qualitate fieri posse, præter caliditatem, scilicet ab humida, à sicca, à frigida, atque ex his coniunctis. Sed Princeps videtur his contradicere, nam prima tertij tract. 4. cap. 7. inquit, omnis affectus in diminutione est à frigiditate, & omnis in perturbatione & agitatione est à calore, igitur obliuio non fiet ab humido vel sicco solo. Infrà autem docebat quòd si obliuio sit à frigido erit omnium æqualiter: si à frigido & humido erit præteritorum, non præsentium, vt in pluribus pueris: si à frigido & sicco erit præsentium, non præteritorum, vt in senibus docet vlterius, quod sicut memoria læditur maximè ab humido & frigido ita imaginandi, virtus fiet à calido & sicco; sed tamen magis à calido: videntur autem loqui de præternaturali intemperie, non autē naturali. Nam & Galenus in arte medica, à naturali temperie nullum horum signorum proficisci scripsit. Idem lib. quòd animi mores corporis temperiem sequantur cum declarasset quod facultas rationis est in cerebro; & cum ea, solertia, memoria, ingenium; irascendi in corde cumque illâ gloria, victoria, potentia, honor, imperium; concupiscendi autem ac deliciarum in iecore; quatuor rationibus declarat mores hominum sequi corporis temperiem: prima sumitur à puerorum exemplo, qui vt post docet, eisdem institutis & pædagogis imbuti; varios tamen retinent mores. Secunda temperamentum à qualitatibus permutatur, & anima est corporis temperamentum, in hoc sequutus Alexandrum; igitur & functiones mutabuntur, quia facultates quæ ab anima procedunt illicò. Tertia sumpta est à differentiis

rentiis sanguinis, positis ab Aristotele, secundo de partibus animalium : calidus & terrestris; vt taurorum ad robur, & audaciam; tenuis & frigidus, ad ingenium; calidus & tenuis: ad ingenium, simul, & fortitudinem. Quarta sumitur ab authoritate Hippocratis libro de Aëre & Aquis: Homines diuersarum regionum diuersos habent mores, & diuerso sunt ingenij acumine. Cum verò declarasset à naturali intemperie mutari mores, docet & à cibis mutari, in eodem libro. Pro solutione dico, quòd Galenus quo ad ingenium existimat cerebri substantiam, vt aliàs dictum est proximiorem esse; eam tamen vt primo de vsu, pendere ex temperamento. Mores potiùs à corde & iecore, ideòque totius, non cerebri temperie: libro enim artis medicæ hoc declaratur. Ad id de fatuitate respondeo, quòd vt est defectus, fit à frigido, vt autem simplex fatuitas, ab humido velut pueri & senes: in his præternaturale, in illis naturale abundat. Nam Princeps prima Tertij, tria genera ponit similia; in hoc genere stoliditatem, amentiam, fatuitatem: sed hæc magis ab humido. Ad id de obliuione, fit ab humido & sicco; quia per frigiditatem intelligit quòd sit manifesta, vel occulta, & intelligit caloris naturalis diminutionem. Illud etiam dictum Principis magis pertinet ad mores quàm ad vires ingenij, quæ sunt memoria, intellectus, & discendi facilitas.

CONTRAD. XXVII.

Color an à cerebri temperie.

COlorem bonum dicit Galenus esse in calida & humida cerebri temperie, libro artis medicæ. Et tamen octauo de Medicamentis secundum locos, vult quòd sequatur temperiem iecoris. Quod etiam colligitur tertio de spirandi difficultate. Et alludit ad hoc dictum Principis: Et color est signum vehemens dispositionis ventriculi & iecoris secundum plurimum, & quartadecima tertij idem dixit, sed primo Aphorismorum vult, quòd pendeat ex homoribus. Quarto verò super sextum Epidemiorum, ex ciborum natura. Item Hippocrates in libro de humoribus dicit quòd permutatur iuxta ætates, & tempora. Et in libro de ossibus; color permutatur iuxta constrictionem & dilatationem cordis. Respondeo color permutatur præternaturam, & fit ob hoc cordis dilatationem velut in ira, vndè totum rubescit corpus: vel constrictionem, vt in timore cum homo totus impallescit: vel parua mutatione, vt in ætatibus: pueritia & vere homo est rubicundior; in iuuentute, & æstate magis flauus; subniger primo senio, & Autumno; & Pallidus vltimo senio, & hyeme. Permutatur etiam sic ex constitutionibus, tertiò Aphorismorum. Sed naturaliter ex humoribus in in toto, hi proueniunt à cibis, & iecoris temperamento; vndò hæ sunt causæ primæ, & remotiores. Sed in partibus propinquis variatur è membrorum naturâ, vt his de cerebro dictum est.

CONTRAD. XXVIII.

Venæ oculorum an cerebri temperiem indicent.

GAlenus in libro artis medicæ, dum ponit signa calidi & humidi cerebri dicit quòd venæ oculorum sunt latæ: Idem, postmodum ponit earum venarum magnitudinem, signum proprium temperamenti oculorum. Respondeo, sunt signum commune cerebro, & oculis: Carolo-Stephanus vult mores oculorum nutriri venis, à choriformi plexu venientibus per araneæ telæ explantationes. At venæ de quibus hîc loquimur à membranæ pericranij venis exoriuntur; origine igitur naturam cerebri sequuntur, illicò autem oculi. Par autem est si cerebrum calidum extiterit, venasque in dura membrana extenderit, ortas ab illis fieri latiores.

CONTRAD. XXIX.

Calor preternaturalis an concoquat.

GAlenus libro artis medicæ vult quòd calida temperatura cerebri habeat multa, & mediocriter cocta excrementa. Sed tamen calor humidus est propriè concoctionis auctor, secundo regiminis acutorum. Febrilis etiam calor videtur concoctionem euertere, primo de crisi, & secundo de facultatibus naturalibus. Et si dicas quòd deteriùs concoquit; quòd sentire videtur etiam de calore qualitate aucto, etiam secundum naturam, quinto de tuenda sanitate; cur igitur in arte medica dixit loco adducto & ante, quòd habeant excrementa concocta? Et Primo Problematum, in intermittentibus confert calor magnus ante accessionem, quia auocat paruam flammam, & extinguit. Et paulò post de quartana, victus ratio instituenda quæ ignem accendat in corpore. Respondeo calor naturalis propriè concoquit: sed concoctio alia in cibo, & hæc optima à calore temperato, quinto de tuenda sanitate: alia in excrementis, & hæc etiam bona in intemperie calida naturali. Non naturalis autem calor, vt aëris, & balnei, iuuat ad coctionem in morbis, non quidem per se, sed colliquando materiam, sic Aristoteles vult, & secundo Aphorismorum, & tertio de crisi. Quædam sunt media, vt calor medicamentorum qui non per se iuuat, sed per accidens, vt piper; tollendo malam intemperiem, discutiendo flatum, colliquando humores crudos, & cibum nondum planè concoctum. Præternaturalis autem nullomodo concoquit primo Prognosticorum, & secunda primi à principe.

CONTRAD. XXX.

Calida & humida cerebri intemperies, an morbosa.

CAlidam & humidam cerebri temperiem morbosam dicit, si excesserit multum: Galenus in libro Artis Medicæ. Sed idem dixit de tali temperie, in 6. de tuenda sanit. quòd hoc est verum tantum in prima ætate, sed quod dum consistunt, sunt robustiores. Item Galenus vult, quòd omnia quæ putrescant sint calida & humida, & malè perflata, nono artis curatiuæ, igitur non sufficit sola temperies. Respondeo loquitur in 6. de tuenda sanit. de moderatè calida & humida; in arte medica de ea quæ ab ætate non reducitur ad temperamentum. Nec vult quod semper laborent morbis, sed quod sint parati ad illos cum, non perflantur benè. Quod si dicas, & aliæ intemperies à putridis propter obstructionem corripiuntur, non igitur calida & humida tantum. Respondeo cum corripiuntur, iam tales factæ sunt præter naturam.

CONTRAD. XXXI.

Calida & humida cerebri intemperies, an in aquilonibus benè se habeat.

GAlenus in libro Artis Medicæ cap. 19. dicit, quòd calida & humida cerebri temperies, in aquilone optimè se habet, vt in austro pessimè. Sed tertio Aphorismorum dicit, quod oculos mordent hæ constitutiones Hippocrates, & quod augent pectoris dolores in his qui eos patiuntur, igitur nocent. Et quamuis dicat Galenus in commento illo, quod hoc est paruum detrimentum austri comparatione, non tamen optimè se habebunt. Item in eadem particula dixit de aquilone vento; quod facit tusses, & costarum ac pectoris dolores, horrores, fames, aluos duras, vrinæ difficultates. Item prima tertij dicit Princeps, detrimentum hi recipiunt, & à calido & à frigido. Item Mesue in cura catharri dicit, quod nocent eis auster & boreas. Dicunt quod intelligitur de ventis, hoc verò de constitutione. Sed Galenus tertio Aphorismorum inquit, frigida & sicca constitutio aëris, superueniens calidæ & humidæ temperaturæ, exprimit quod concretum est, & multa damna infert. Propterea cum hîc de constitutione, & non de ventis loquatur; dixerunt alij quod intelligitur vbi materia adsit? Sed hi non respondent authoritati Hippocratis in 5. Aphorismorum tertiæ particulæ, qui nullam ibi materiam præsupponit. Ideò dico, quòd hic error accidit ex mala Galeni interpretatione, non distinguentis inter quintum, & decimum septimum Aphorismum tertiæ particulæ; cum Hippocrates quatuor discrimina posuerit inter hos Aphorismos: primùm quod in quinto loquitur de ventis, in decimoseptimo de constitutione, in quinto ponit solum mala, in 17. mala & bona: in quinto plura mala, quàm in decimoseptimo, nec prorsus eadem. Et cum Galenum aliqui recentiorum, qui solum authoritati innituntur, nec rationem inspiciunt sequuti sint; factum est, vt si cæcus cæcum ducat ambo in foueam cadunt. Et more pecudum submergantur ad aliarum exemplum. Melius igitur est iustè Galenum hac in parte deserere, quàm iniustè accusare Hippocratem. Solutio igitur est: quod dictum in arte Medica intelligitur in sola intemperie naturali calida & humida, & de sola constitutione, non de ventis; & quod sit absque materia hæc intemperies, propter Principem & Mesuem, & quod ratione dispositionum à capite pendentium intelligatur. Ita vt hæc quatuor simul ad eius dicti veritatem sint necessaria. Quæ tamen intelliguntur ex Galeni verbis; cum loquatur de capite, & de intemperie naturali ac sola, & comparatione constitutionis, non ventorum: nam venti sunt cum mutatione temporum valida, tertio Aphorismorum, & hæc parit morbos.

CONTRAD. XXXII.

Calidum & humidum cerebrum an habeat sensus turbulentos.

VIsus eis turbulenti nec satis sensibus vigent, dum de iisdem loquitur, sed septimo de decretis Hippocratis & Platonis, ponitur instrumentum sensus visus, aër auditus, vapor olfactus, humidum gustus, terreum tactus. Igitur non omnes sensus debent fieri turbulenti; sed olfactus ob vapores, & gustus ob humidum melius se habebunt. Respondeo quòd licet ibi dicat instrumentum, non intelligit quod sit instrumentum absolutè, sed in propria substantia temperatum, & tenue: vnde secundo de Temperamentis dicit, quòd iuuenes habent gustum perfectiorem pueris, & tamen sunt sicciores illis.

CONTRAD. XXXIII.

Antiades, Paralides, Epulides, Paristhmia quid sint.

AD tonsillas quæ post inflammationem induruerunt ἀντιάδας Græci nominant. Sic apud Paulum lib. 3. cap. 26. sec. ante penult. sed ego antiadas in codice meo manu scripto non inueni. Sed Andernacus exponens in suo commentario, ita affirmat. Idem dicit in expositione trigesimi capitis, sexti libri esse παρισθμίων, affectum. Paruulis abscessus gingiuarum à παρὰ καὶ οὖλη, quod est iuxta gingiuam, sicut epulis gingiuæ caro adnata, seu carneum tubercu-

 lum:

lum: Paulus lib. sexto. Sed Aëtius lib. octauo hæc habet: omnibus hominibus carunculæ quædam extant naturales exiguæ iuxta tonsillas quas Græci antiadas vocant, vt iam non sint antiades morbi, sed res naturalis παρίσθμια à παρὰ καὶ ἰσθμὸς: id est prope spatium quod est inter gulam & os, tertio Aphorismorum. Differunt igitur Antiades apud Aëtium, quod sint res naturales & iuxtà tonsillas; apud Pauli expositores, durities paristhmiorum. Galenus quinto de Tuenda sanite: παραπλησίῳ δὲ τρόπῳ, καὶ ὅσοις παρίσθμια ῥαδίως, ἢ ἀντιάδες, συνάγχαι γίνονται: Quod est: Simili modo quibus facilè paristhmia vel antiades aut synanche fiunt: dixerat non conuenire his capite inclinato exerceri; manifestum est igitur hos esse morbos, non corporis partes Quod etiam magis ex sequentibus manifestum est. Sed illa omisi quod clara sit mens Galeni. Igitur παρίσθμια nomen est homonymum, parti & morbo commune. Antiades autem etiam partem significant, sed plerumque morbum. Vt apud vulgares etiam glandulæ; imò & apud Latinos tonsillæ, & pro morbo, & pro parte accipiuntur. Contingit autem hoc in partibus illis quæ solo morbo innotescunt vulgaribus, vt glandulæ, paristmia, & talia, quæ cum laborant tunc primum orta esse videntur. Constat igitur antiades non esse paristmiorum affectum, sed partium ipsarum antiadarum.

CONTRAD. XXXIV.

Quis color oculorum ad videndum sit aptior.

ARistoteles primo de natura animalium, facit quatuor oculorum genera colorum ratione; glaucos & nigros, pro extremis caprinos, & fuluos pro mediis. Probat autem caprinos quod morum bonitatem & acumen videndi habeant, ac idem sentire videtur Auerroës primo Canticæ, qui dicit Arabes odio habere glaucos oculos. Idem tamen tertio collectaneorum probauit similes pyropo, quod optimè videant vultures, tales habentes oculos. Sed Galenus in arte medica videtur probare glaucos, quod fiant ob splendidi luminis abundantiam. Respondeo, Galenus non ob hoc dicit quòd sint optimi, sed splendidissimi. Dictum Auerrois de oculis rubeis concordat de splendore, sed de colore tenet in auibus. Mirum quod in Cantica dixerit glaucum oculum frigiditatem magnam ostendere.

CONTRAD. XXXV.

Senes an à remotis melius videant, quam propè.

SEnes meliùs vident procul, quam propè; experimento & authoritate Philos. trigesima prima sectione Problematum, & secundo continentium Rasis: sed idem anteà dixerat in eodem libro, senibus dispositio accidit, quâ vident res prope existentes, non autem procul. Solutio est, quod priùs cornea tunica contrahit squalorem, & humores conturbantur, quàm deficiant spiritus: & tùnc procul meliùs vident, ob copiam luminis in medio existentis. Indè successu decrepitæ ætatis, spiritibus sublatis, meliùs vident propè quàm procul, etsi malè.

CONTRAD. XXXVI.

Pectoris magnitudo an cordis magnitudini necessariò respondeat.

GAlenus libro artis medicæ præsupponit cor posse esse calidum, thoracem paruum & cor frigidum, cum thorace magno. Sed sexto Epidemiorum vult, quod pectus cor, & pulmonem magna, habeat si magnus; parua, si paruus. Posset dici quod cor calidum esse potest, & tamen paruum; sed Galenus aliter respondet in eodem sexto Epidemiorum inferiùs, dicens quod regula de corde, & pectore, & vasis, contentis in pulmone, & caliditate cordis, est in plerisque vera, non semper; & ideò est contractio propter solutionem.

CONTRAD. XXXVII.

Pulsus an vtilitatem corpori præstet.

GAlenus in libro de Pulsuum vsu demonstrat, quòd pulsus nullam copori vtilitatem præstant hoc modo, ligata arteriâ quæ à corde ad cerebrum tendit, quamuis sit principalissima, non læditur caput euidenter, & tamen caput pulsandi functione priuatur; igitur pulsandi functio est corpori inutilis: nam eâ sublatâ animal non læditur. In oppositum ipse in libro de vsu respirationis docet, quod per arterias in suffocationibus homo quandoque respirat, quamuis anhelitus cesset, vt in morbo attonito; igitur arteriarum pulsus vtilis est. Respondeo quòd pulsus est vtilis cessante anhelitu, ideò dictum in libro de pulsuum vsu, intelligitur de vtilitate principali quæ apud Galenum vocatur necessitas. Nam Galenus vsum, & vtilitatem, pro necessitate saltem ex supposito vocat,

ſed quia poſt,initio ſcilicet libri de Pulſuum vſu, Galenus contra ſe argumentatur, dicens per pulſum hominis vita & mors ſignificantur; igitur pulſus præſtat vſum vitæ. Reſpondet ibidem quod eſt ratione ſigni, non cauſæ, vt etiam de nigredine vnguium, quæ mortem ſignificat; & tamen vngues ad vitam nihil conferunt. Secundò adducit aliam rationem, quia pariter mutantur, eodémque modo, eiſdémque cauſis, pulſus & reſpiratio; ſed reſpiratio vitæ neceſſaria eſt, igitur & pulſus. Reſpondet,non concludere rationem, ſed addi oportere quod parem noxam pereundo pariant. Indè paulo infrà diſcutit rationem tertiam ſumptam ex libro de vſu reſpirationis, vbi docebat reſpirationem duplicem vſum præſtare; ſcilicet inſiti caloris cuſtodiam reliquam,nutritionem animalis ſpiritûs. Reſpondet igitur quod cerebrum reſpirat per nares, igitur non indiget arteriarum motu pro illis duobus vſibus. Sed quia ibidem inſinuatur argumentum huiuſmodi: corde patiente impedimentum refrigerationis caloris, cor perit; igitur idem erit in cerebro; ſed cerebrum arteriarum pulſu refrigeratur, ſicut cor anhelitus motu, igitur ſublato arteriarum motu, cerebrum patietur. Reſpondet Galenus quadruplex eſſe vitium in hoc argumento;primum, quòd cerebrum refrigeratur reſpiratione propriâ, velut & cor, non arteriarum pulſatione. Secundum, quòd cor maiori indiget perfrigeratione, velut caloris naturalis fons, alia membra non adeò aſſidua, cum magis tepeant.Tertium,quòd calor etiam conſeruatur, vt in domo in qua ignis extinguitur, quæ diu calida remanet. Quartum,quòd penetrat calor à corde per membranas nouus, vt non deſinat membrum eſſe calidum. Cum igitur hæc ſint, non erit arteriarum pulſatio neceſſaria ad caloris conſeruationem, eodem modo vt reſpiratio ipſi cordi. Sed Veſſalius videtur accuſare Galenum in primo argumento,qui cum omnes arterias præſcindere profiteatur, quæ à corde ad cerebrum tendunt eas omittit: tamen quæ per tranſuerſos vertebrarum ceruicis proceſſus, in duos membranæ duræ ſinus procedunt, non parum vitalis ſpiritûs cerebro inde ſubminiſtrantes. Reſpondeo Galenum comparatione magnitudinis arteriarum carotidarum, quæ decuplo ſunt maiores illis ceruicis; animaduertiſſe motum,non pari nec ſatis proxima proportione impediri. At non Galenus omnem ſpiritum tolli his tanquam ſolis arteriis, ſed maximè veluti maximis affirmat.

CONTRAD. XXXVIII.

Cordis frigidi, an pulſus neceſſariò paruus, & tardus.

Frigidioris cordis ſigna ſunt,pulſus parui, non tamen neceſſariò tardi aut rari,libro artis Medicæ. Sed tamen in primo de Pulſuum cauſis, dicit quòd deffectûs innati caloris familiares pulſus ſunt tardi, & parui præcipuè, mox etiam rari. Et confirmatur, quia ibidem ante dixerat quòd crebritas non ſit niſi deffectu aliarum differentiarum pulſus, ſcilicet celeritatis aut magnitudinis. Igitur quomodo poterit hîc eſſe creber, ſi fuerit tardus aut paruus. Præſupponit enim Galenus quòd natura ſuppleat magnitudine & celeritate ſi poteſt; inde autem vbi non potuerit, addat frequentiam. Reſpondeo, quòd ex Galeno primo de cauſis pulſuum loco adducto, iam ibi anteaque, ac poſt etiam clarius duo intelligere oportet; vnum, quòd pulſus aliquando dicuntur neceſſariò conſequi,vt durus,arteriæ duritiem: imbecillis, inualidas vires; & hoc modo dicit Galenus, magnitudo vel paruitas caloris nullos habent pulſus neceſſarios. Alio modo familiares, & hoc modo pulſus magni conſequuntur magnitudinem caloris, & parui paruitatem, ſeu deffectum: Et hæc omnia intelliguntur de magnitudine caloris non naturali, aut præternaturali, ac deffectu, non autem de naturali de quâ agit in libro artis Medicæ; quia naturalis cum præſupponat robur virium, & inſtrumentum paratum, cum homo ſit ſanus,non ægrotus, ſed ſolum æger, ideò non poſſunt fruſtrari, & pulſus familiares fiunt neceſſarij. Alterum eſt, quòd calor naturalis auctus naturaliter, auget pulſum in vnaquaque differentia magnitudinis, celeritatis, ac crebritatis: quia ſtant cauſæ illarum differentiarum,tùm quia perpetuum eſt hoc argumentum, tùm quia virtus & calor fingunt ſibi inſtrumenta, tùm quia ſunt validæ vires. Sed in præternaturali, ac non naturali, ſimul creſcunt celeritas, & magnitudo, non tamen æqualiter; ſed magis magnitudo, crebritas poſteriùs aduenit. Ita in deffectu caloris naturalis, paruitas ſola neceſſariò aduenit, in non naturali autem nullus, vt dixi, pulſus neceſſarius: familiares tamen parui,& tardi,inde etiam rari.Differunt igitur ratione neceſſitatis, & familiaritatis, item modi accedendi ſimul, aut vna poſt aliam: item æqualiter, aut magis vel minus: Dictum eſt autem de hoc aliàs. Verùm Princeps vndecima Fen tertij, tùm in pulſu, quàm anhelitu addebat raritatem, & tarditatem: ſed dicit quòd declinant, noluit dicere perſæpè: cum rarò contingat, vt tantò anguſtior ſit thorax, quantò cor eſt frigidius. Sed de pulſu eſt difficiliùs cum arteriarum magnitudo ſit pro ratione caliditatis cordis, velut & venarum iecoris. Sed adhuc relinquitur dubitatio ex Galeno, quia primo de pulſuum cauſis, vbi ponit illas quatuor coniugationes, virtute validâ, & calore imminuto fiunt pulſus tardi,& rari; magnitudo tamen erit moderata. Hic autem calor eſt paruus cum virtutis robore. Tertio etiam de pulſuum cauſis,pulſus ſenum ſunt tardiores, & rariores præcipuè in contractionibus,pulſibus puerorum: ſunt autem ſenes naturâ frigidi. Reſpondeo,quòd hoc eſt etiam propter magnam refrigerationem ſtante inſtrumento, nam ſenes habent pectus maius, & arterias, quàm vt calori reſpondeant; quo in caſu Galenus in arte medica fatetur pulſus fieri tardos, & raros.

CONTRAD. XXXIX.

Orta an principiis atteſtentur.

HÆc enim ſe inuicem indicant atque atteſtantur, & quæ à principiis oriuntur, principij virtutem ac vitium; & principium, ea quæ ab ipſo naſcuntur teſtatur, libro artis medicæ capite vndecimo, dum de capitis forma & magnitudine agit. Quod etiam declarat exemplo cordis ſiccioris à quo fiunt pulſus duri, *ſcilicet ob arteriarum duritiem. Sed* tertio de Præſagio ex pulſibus, capite tertio, capite quarto in principio, ponit primò cor calidum & arterias frigidas; poſt, cor frigidum, & arterias calidas. Quòd ſi dicas loqui de intemperie non naturali; ſubiicit Galenus, eodem etiam arteriæ modo ſi natiuo conſtent temperamento, mouebuntur. Nam ſi cor fuerit frigidius, hæ calidiores æquo ſint: à cordis pulſu tantum mutabuntur, quantum ab illius naturâ deſciuerit. Reſpondeo quòd in ſicco & humido hæc diuerſitas contingere nequit; in calido, & frigido etiam naturaliter ſi incidat, erit modica: ideo parua varietas, & error in pulſu. Sed in præternaturali eſt ibi propriè intentum, & diuerſitas magna conſurgere poteſt.

CONTRAD. XL.

Iracundia an à calore.

GAlenus in libro quod animi mores corporis ſequantur temperamentum, dicit quod iracundia fit à calore; ſed ſecundo in primum de vulgaribus morbis commentar. 78. dicit, quòd iracundi ſunt frigidiore temperamento: Et quod ab iratis differunt nomine ὀξυθύμων, iracundis θυμώδεσι, etiam iratis: & re, nam iracundi puſillanimes, irati autem magnanimi. Sed iracundiam gigni à corde, libro artis medicæ, capite 29. 30. & ſequentibus, ſæpius intelleximus. At in ſexto Epidemiorum, parte quarta, commentario 25. dixit, quòd iracundia fit ipſum affecto ore ventriculi; quod ſi cor ipſum afficiatur, fiunt (inquit,) iracundiſſimi. Non igitur iracundia. Fit à frigidiore temperamento, nec à ſolo corde. Idem in fragmento Commentariorum commentario 2. ſuper Timeum Platonis dixit, cor ſedem eſſe iræ, & virtutis pulſatilis, ac caloris innati. Poſſet aliquis dicere, quod cum libri, (quòd animi mores temperamentum corporis ſequantur,) pars illa in Græco non habeatur, iratos dicere debere. Sed in ſexto Epidemiorum, iracundiam ad calorem transfert qualiſcunque ſit; ſed tamen in ventriculo loquitur de calore præternaturam, in corde igitur & ventriculo fit à calore iracundia; ſed ira temperamentum cordis calidum requirit: iracundia ſi fiat, bile in ventriculo dominante, non neceſſario fit in calida cordis intemperie. Sed rurſus eſt difficultas, quia Galenus iram tribuit in libro artis medicæ capite 31. & 32. ſiccitati cordis, & humidæ qualitati: igitur non ſoli calori. Reſpondeo quòd calor eſt cauſa iræ proxima, ſed tamen humidum, & ſiccum ſunt ſigna caloris recipiendi promptè, aut difficulter; vel dic quòd calor eſt cauſa cum ira actu ſit, ſed affectus cordis ſunt cauſæ generationis.

CONTRAD. XLI.

Calidi & ſicci cordis pulſus, an magnus.

CAlidioris autem ac ſiccioris cordis ſigna ſunt, pulſus duri, magni, veloces, & frequentes libro artis medicæ capite trigeſimo tertio. Sed quarto de cauſis pulſuum capite octauo, inquit, quod durities magnitudinem impedit dans exemplum de morbo laterali. Et clarè primo de pulſuum cauſis, dum in vltima coniugatione cauſarum continentium inquit. Cum vſus & durities paria fuerint, erit pulſus nec magnus nec paruus; ſed celer, atque creber, quòd ſi durities maior fuerit, erit paruus; ſi vſus ſuperauerit duritiem, erit magnus. Hic autem ſupponitur ſiccitas æqualis calori, non eſt etiam ſignum proprium, imò neque familiare. Princeps quoque ſecunda primi, minus facit ad magnitudinem virtutis robur, quam durities inſtrumenti ad paruitatem. Reſpondeo, plus poteſt durities, quàm virtutis robur in quantitate pulſus; Durities verò ad calorem comparata, æqualiter poteſt: ſed durities inſtrumenti, eſt minor ſiccitate. Galenus autem docuit ſigna familiaria quæ ex ſe ità ſignificant, non autem propria.

CONTRAD. XLII.

Inſpiratio magna, quæ.

GAlenus primo de ſpirandi difficultate dicit, quòd inſpiratio magna dicitur in qua membra ſpiritûs multum diſtenduntur. Idem infrà dicit, quòd cum in naturali inſpiratione tanta ſit diſtentio, quanta aëris moles quæ trahitur, non autem in præternaturali: quandoquidem conſtat pectus multum dilatari, & tunc modicum aërem attrahi, ideò non debere dici magnam in qua pectus ſolum multum diſtenditur, ſed in qua aër qui trahitur eſt copioſus;

copiosus; sicut cibationem magnam, non ex ventriculi distentione, sed ex assumptis cibis solemus diiudicare. Respondeo quod soluitur ex his quæ ibi dicit: licet inquit, pectus multum dilatari possit absque attractione multa aëris, non tamen aspera arteria, quæ est proprium spirandi instrumentum & proximum; sed cum illam inspicere non liceat inspicimus aërem: in inspiratione igitur semper aëris attracti multitudo principalis instrumenti dilatationi respondet, non pectoris. Sed dicetis, Galenus 4. de locis, duplicem facit inspirationem; magnam alteram ob vehementem pectoris dilatationem, reliquam ob multi aëris attractionem. Diuiditur & ibi prima, quia vel fit sine superiorum musculorum actione, vel ipsa concurrente. Respondeo, quod hîc Galenus sequitur morem antiquorum, cum non sit proprius locus tractationi; in primo de spirandi difficultate; sed rursus ibi dicit: Animaduertere oportet ne aliquando decipiamini, putantes eam spirationem quæ ob virium imbecillitatem omnibus agentibus musculis efficitur, eandem esse cum magna, quam Hippocrates nomine sublimis spiritûs vocare solet. Et tamen hanc sublimem paulo post facit membrum alterum magnæ spirationis. Respondeo quòd sublimis spiratio duplex, magna quæ fit cum robore virtutis, & sublimis tantum quæ fit à virium imbecillitate.

CONTRAD. XLIII.

Caliditas an pulsus vehementes faciat.

GAlenus in introductorio pulsuum dicit quod caliditas facit pulsus celeres, magnos, frequentes, vehementiores non ita. Sed primo de causis pulsuum, & & primo de præsagio, vehementes pulsus semper à robore virtutis fiunt. Respondeo, solutio est expressa à Galeno tertio de causis pulsuum, vbi prima authoritas declaratur: inquit ibi Galenus, etsi vehementia non fiat à calore, quia tamen vehementem pulsum comitantur celeritas, & magnitudo, ne tyrones confundantur hac distinctione, tùm quia quidam Medici scriptum reliquerunt vehementiam non esse nisi celeritatem cum magnitudine, ideò vehementem hûc placuit appellare; quoniam incerta & confusa quando sunt recepta, & facilia inquit Galenus: præstant certis, & definitis; sed profundissimis, in docendo, tyronesque erudiendo.

CONTRAD. XLIV.

Pulsus crebri, & celeres aut inæquales quid significent, Quid sit Rythmus in pulsu.

GAlenus secundo de Præsagio ex pulsibus, declarat raritatem in pulsu duplicem esse, alteram ob longitudinem quietis post distentionem, alteram quietis post contractionem; vtramque autem dupliciter fieri posse, vel breuitate motus prioris, vel retardato posteriore. Vnde raritas sex modis simplicibus fiet, compositis autem ex vtraque quiete nouem; vt sint modi vniuersi quindecim, totidem oppositi iuxte causas in crebritate. De eâ igitur loquens habet hæc verba. Quando syncerus, paucissimisque iniquitatus excrementis distentioné concitat maiorem, simulque celeriorem, contra qui confusus est excrementis putribus, contractionem. Vbi magnitudine distentionis pulsus crebrior fit, calorem purum indicabit multum in corpore esse. Hîc Galenus sibi contradicere videtur, nam anteà dixerat: contra protenduntur si vel breuior fuerit prior motus, vel si remoretur posterior: Sed celeritas facit breuiorem motum; igitur est causa raritatis, non crebritatis. Sciendum quòd littera illa est confusa, & difficiliorem reddidit, qui addidit; non intelligés Galeni sententiam. Hæc verba: (Ex anticipatione) vel debuit potius addere, (Ex longitudine) sensus tamen Galeni est clarus, crebritas quæ fit post distentioné, fit vel distentionis ipsius magnitudine, quæ & si celeritatem adiungat; manet tamen distentio longior, túncque distentio erit magna, celer, & crebra: & significabit caloris synceri abundantiam. Si verò ob anticipationem contractionis, erit etiam celer ratione contractionis & frequens, indicabitque caloris impuri, seu fuliginis ipsius copiam. Externam autem quietem vocat quæ distentioni succedit. Sicut è contrario interna est, quæ contractionem sequitur. Rursùs est dubium in sequentibus verbis cum dixit: si quies illa quæ distentioni succedit, magna fuerit ob distentionis celeritatem, calorem purum imminutum demonstrat. Et tamen primo de pulsuum causis, dicit familiares pulsus caloris innati defecti, esse paruos & tardos. Idem infrà, cum facultas robusta fuerit, & calor innatus defecerit pulsus erũt magnitudine moderatâ, sed tardiores & benè rari. Respondeo, littera illa legi debet. Ob distentionis celeré finé seu breuitatem, non celeritatem; In interna auté quiete crebrior pulsus, ob contractionis longitudinem: excrementa fuliginosa aucta ostendit: si ob anticipationem distentionis, abundantiam caloris puri. Eodem modo de raritate interna quæ contrarias ob causas contraria significat. Et pariter si compositæ fuerint compositionem causarum decernunt. Sed dicit quietem externam facilè sensu dignosci posse, internam autem obscuram. Atque hæc dubia dissoluuntur circa litteram: sed circa rem quatuor

alia emergunt. Primum, quia si pulsus est rarus in externa quiete ob breuem distentionem, igitur vel distentio celer? & ità calor natiuus auctus cuius oppositum docuimus significari: vel distentio parua, igitur contractio aut necessario parua, & ità non dabitur membrum diuisionis positum à Galeno, raritatis externæ, & internæ quietis crebræ, nam si contractio breuis est per Galenum, quies interna necessariò erit breuis? vel non necessario breuis erit contractio, & ita spatia contractionis & distentionis non poterunt esse inæqualia, quod in continuo motu impossibile est nisi arteria disrumpatur: Secundum, si distentio gratia exempli postponit, & facit pulsum rarum in interna quiete, igitur producetur, tũ ob id quod serò incœpit, tũ quia tarda; igitur in externa quiete pulsus necessario creber, & sic rursùs perit membrum diuisionis. Galenus enim vult posse esse rarum in vtraque quiete. Tertium, quia Galenus nihil dixit de crebro, & raro in vtraq; quiete, quid significet. Quartum, quia nos possumus scire ob quid pulsus sint rari vel crebri, an per anticipationem vnius motus, an retardationem alterius, cum circuitus sint æquales, nec cognitum sit initium mutationis. Ad primum distentio erit parua, contractio tamen poterit esse magna, cum hoc: Pro quo declaro modum, & quomodo



distentior vocatur, tum contractio magna vel parua. Sit igitur terminus naturalis distentionis in aliquo homine in carpo bracchij putà arteriæ qui plerumque est cutis superficies, A, terminus naturalis contractionis C, imum arteriæ quo carni iungitur, D, quod non mouetur, tum quia annexa carni, tum quia Galenus vult arteriam moueri solum à lateribus, & in suprema parte primo de dignoscendis pulsibus. Si igitur arteria distendatur vsque ad E, dicetur distentio aucta, & si reuertatur vsque ad C contractio non dicitur aucta, licet spatium contranis sit æquale spatio distentionis. Quod si distendatur tantum vsque ad A, contrahatur autem vsque ad D, dicetur contractio aucta, seu magna absque distentionis magnitudine. Quod si distendatur vsque ad B. contrahatur autem vsque ad D, dicentur distentio, & contractio auctæ; Quia augmentum intelligitur ratione finis seu termini proprij, non autem ratione spatij. Quarto igitur de præsagio ex pulsibus docet contractionem absque distentione, & distentionem absque contractione augeri posse. Ad secundum cum postponit est paruus, ideò licet sit tardus, finitur tamen ante tempus quàquam & sic poterit etiam esse rarus in secunda quiete. Ad tertium compositæ coniugationes compositarum, sicut compositæ ex simplicibus habentur. Ad quartum Galenus, ipse quasi respondere videtur cum dixit, ex celeritate & paruitate prioris motus iudicamus raritatem esse ex breuitate prioris motus, sicut ex paruitate & tarditate sequentis motus, quod raritas illa fit ob id quod sequens motus postposuit. Contrariis rationibus dico de crebritate.

Concludo igitur quod ratio quietum reducitur ad rationem motuum, vt in secundo de præsagio ex pulsibus antea declaratum est; distentio enim velox & magna, puri caloris abundantiam significat: Contractio, talis impuri seu fuliginosi excrementi. Sed discrimen est, quoniam paruitas distentionis detrimentum in virtute significat, contractionis non ita, quia dicit in morbis qui ex putredine ortum habent, arteria ob vaporibus acuitatem magis contrahitur. Licet hanc magnitudinem impossibile sit cognoscere. Sed de Rythmo alia quæstio surgit, primo enim de pulsuum differentiis dicit quod est proportio temporis vnius motus putà distentionis, ad tempus alterius putà contractionis, conueniens ætati illi, sexui, temperaturæ, vt pote secundum Herophyli sententiam falsa licet, secundo de præsagio ex pulsibus, tempus contractionis in senibus quintuplum erat tempori distentionis. Oppositum tamen dicit primo de differentiis pulsuum iuxta finem, Rythmus est proportio cuiuscunque temporis ad suam succedentem quietem. Respondeo quod in prima authoritate comparatur distentionis tempus cum sua quiete; vel forte quietem vtramque adiicebat contractioni ex antiquorum sententia & ita consurgere poterant illæ proportiones. In secunda authoritate loquitur ex propria sententia, quia Galenus separat duas quietes à contractione. Nam antiquorum plerique negabant contractionem posse à quiete distingui, quia sentiri non posset, primo de pulsuum differentiis. Cognoscuntur autem sic, vt primo de dignoscendis pulsibus colligitur. Per quantitatem compressionis ab vltimo termino sensus distentionis superioris, vsque ad vltimum inferioris: cognoscuntur termini distentionis quidem in superiore, & contractionis in inferiore. Magna pars distentionis cognoscitur in vehementibus pulsibus, magnis, tardis, & cum magna compressione manus; parua in contrariis. Latet magna pars distentionis in magnis, languidis, leuiter tactis; mediocris in mediocribus. Contractionis autem magnitudo est in vehementibus, & profundis dum valde comprimuntur. Parua, in languidus paruis. Quòd si magna sit contractio, & languidus pulsus vtrouis modo comprimas, necesse est illius magnam partem latere; mediocris in mediocribus. Sentitur autem contractio, vt inquit Galenus ibidem, quia dum comprimis manum, & quousque non repellitur sicut in distentione: ità habes rationem cognoscendi contractionem, & quantitatem & tempus illius. Sed non perfectè cognoscitur, primo enim de dignoscendis pulsibus, initium distentionis, & contractionis, finé impossibile est cognoscere. Paulo enim post docet, quod distentionis solum tanta pars sentitur, quanta est à principio ictus donec finiatur, id est, ab A,

vsque ad E, imò ante A, incipit sentiri, erit enim initium vltima superficies exterior arteriæ. Contractionis autem tanta pars aut fermè, initium eius est à fine ictus, velut ab E vsque vltra A parum; reliquum vtriusque latere necesse est cognito spatio vtriusque, & tempore transitus, habes velocitatem & tarditatem. Tempus enim magnum cum spatio paruo declarat tarditatem, contraria celeritatem. Raritatem & crebritatem à temporibus quietis. Cum igitur octo sint secundum naturam in pulsu, magnitudo, vehementia, celeritas, crebritas, durities, qualitas, rythmus, & Æqualitas; totidem erũt vitia præter naturam; Sed magnitudinis tres sunt partes, longitudo, latitudo, profunditas. Ita fient decem vniuersæ differẽtiæ. Causæ sunt tres, calor, virtus, & instrumentũ. Durities ad instrumentum, qualitas ad calorem, vehementia ad virtutẽ semper pertinent. Reliqua signa sunt familiaria, non propria. Imbecillitatis igitur, pulsus languidus proprium est signum. Familiares parui, maximè breues, & tertio inæquales. Vndè 4. de præsagio ex pulsibus: Inæqualitas in vehementia diuersorum temporum, significat naturam humoribus onerari. Si verò inæqualitas hæc fit comparatione partiũ, ostendit partem quæ languidum habet pulsum solam esse humoribus plenam. Quòd si pars vltima pulsus languida sit, vincitur natura ab humoribus; si vehemens sit, virtus superat. Sed si inæqualitas tanta sit vt intermittat, obstructionem dicit: significabit 2. de præsagio ex pulsibus, propter multitudinẽ aut crassitiem humorum oscilla venarũ cordi vicina claudentiũ. Intermittentibus, dicit, aut valdè raris, minus perniciosi sunt crebri. Intermittentes periculosiores quibus intermissio duarum pulsationum tempus attingit, nec ex his dicit quisquam seruatur. Parua intermissio vnius pulsus occupat tempus, familiaris hæc senibus; pueri difficilius seruantur. Iuuenes nunquam, & quantò robustiores, eò magis repentè velut in apoplexia concidunt. Ventriculi affectum ex potu aquæ frigidæ intermittentem pulsum, & languidũ, & crebrum, & inæqualem adeò facere vidimus vt de morte suspicaremur, cum tamen aqua reiecta senex ille illicò seruatus sit. Nec id explicauit apertè Galenus sed languidi & inæqualis solũ meminit, 4. de præsagio ex pulsib. Altus pulsus excretiones sẽper significat, modicas si sine inæqualitate, & parum altus extiterit. Si verò multũ, & cum magna inæqualitate magnas. Cõtractionis paruitas materiã concoctã: ideo si aliis duabus conditionibus iungatur, perfectã nunciat crisim. Nã à materia concocta paruus & minimè molestus vapor eleuatur, à cruda plurimus & molestiss. ob id in accessionis initiis cõtractio maxima, & distentio parua; idẽ sed minus in morborũ principio, statu autẽ accessionũ & morborũ cõtractio minima est: distẽtio autẽ maxima.

CONTRAD. XLV.

Tuberculis pectus occupantibus qualis spiratio.

GAlenus 1. de difficultate spirandi docet generaliter in tuberculis, & cruda materia pectus occupantibus, tamen in hydrope, abscessu iecoris, splenis, ventris, coli, & generaliter septo transuerso mẽbris coniunctis, fieri spirationem paruam, vel ocem, & densã: sicut etiam si tuberculum asperam occupet arteriam. Idem dicit contingi ab immodico cibo, & generaliter vbi membra spiritûs cõprimuntur, ita vt exiguum spiritum trahere cogantur; Non autem hoc ratione doloris, nam ibidem dolor facit respirationem paruam, tardam, & densam: sed nec totam respirationem tardam facit, dicit Galenus, sed solam inspirationem, expiratio enim velox est. sed 4. de locis, dicit quod tubercula pulmonis faciunt magnam respirationem. Hoc superiùs est declaratum ex loco illo: dicit enim magnam respirationem, non aëris attractione, sed pectoris dilatatione. Sed & multum aërem trahentes vocat anhelosos tertio de spirandi difficultate; meminitque Antigenidis vxoris quæ 2. Epidemiorum scribitur habuisse tuberculum. Sed Galenus ibi se exponit, anhelosam à pectoris dilatatione vocatam, non à multa aëris attractione.

CONTRAD. XLVI.

Calida & humida temperies an maximè febribus obnoxia.

CAlida & humida intemperies putredini maximè obnoxia est, inquit Gal. 8. art. cur. Idẽ statim subiicit, calida & sicca tẽperies ex diaria promptissimè in putridam nisi cibetur incidit; calida verò & humida licet in aliis deterior sit, huic tamen quantum ad hoc attinet succedit. Princeps vidit hanc cõtradictionem, & conatus est soluere: sic quod quantum ad febrem putridam incipientem paratissima sunt calida & humida corpora, quantum ad successum in Ephemeram, & in acutam transitum calida & sicca. Vndè facit differentiam inter acutam & putridam; & inter inchoantem, & ephemeræ succedentem. O quanto veterno, & quam graui nunc vsque laboratum est, non solum ab Arabibus qui malis translationibus non potuerunt videre lucem veritatis, sed etiam ab his qui nostro tempore aliquos se videri volunt, cum non sint. Galenus nihil aliud vult quam quòd ob inediam calida & sicca corpora in putridam incidant faciliùs, ratione causæ, non naturæ; quia contra diatriton Methodicorum sermonem instituit. Vt sermo ad inediam sit solum contrahendus, non autem pateat ad omnem transitũ ephemeræ in acutam, seu putridam. Neque enim aliter ad putredinem paratissima esset calida & humida intemperies, neque acuta alia est à putridã, cum sub ea, vt species sub genere, contineatur. Et qui in his litigare volet in tã clara luce, non iam medicus sed homicida est. Sed quonam pacto calida & humida temperies meliùs aliis autumno degit, vt 3. Aph. habetur cum autumno morbi sint acutissimi, ac maximè exitiales vt ibidem Hippocrates testatur? Respondeo plus facit contrarietas qualitatum ambarum ad conseruationem, quã vtriusque scilicet intemperiei & temporis anni, propria & singularis prauitas.

CONTRAD. XLVII.

Pulsus an habeat æqualem distentionem, in latitudine & profunditate.

GAlenus 1. de pulsuum differentiis ponit pulsum latum & humilem; tum altum, & angustum: idem in primo de præsagio ex pulsibus inquit; Arteriæ latitudo semper æqualem altitudini distentionem habet. Solutio colligitur ibi; quòd verum est æqualem esse distentionem; quia vnum ab vna causa in eadem parte mouetur, sed propter adiacentes quæ vario modo comprimunt, videtur posse dari latus & humilis, sicut altus & angustus. Ideò dicebat naturalis pulsus causa altior videtur, quam latus, tum quia partes à lateribus sensum tactus velut remotiores ab illo magis fugiunt: tum quia caro & reliqua, quibus arteria circumdatur, altior interponitur. Et si dicas, quorsum igitur ponere altum & angustum, vel humilem atque latum? Respondeo, quòd per has differentias scimus dispositionem corporis; velut latior pulsus quàm altus in naturali dispositione non rotundam arteriam declarabit, secus autem maximam corporis extenuationem.

CONTRAD. XLVIII.

Intemperies frigida, an respirationes faciat tardiores & rariores, verùm magnitudine moderatas.

GAlenus libro artis medicæ in corde frigido arteriæ habent pulsus minores, non tamen necessariò tardiores aut rariores. Idem dicit de respirationibus; modo pectus magnitudine, paruitati caloris cordis respondeat. Oppositum tertio de præsagio ex pulsibus; intemperies frigidæ faciunt pulsus paruos, tardos & raros. Idem fermè secundo de spirandi difficultate cum dixit, quòd paruitas necessitatis facit pulsus paruos & raros. Atque ibi dabat distinctionem de respiratione, quæ illius omnia membra quoad raritatem & densitatem, magnitudinem & paruitatem ostendebat per causas dicens: Magna respiratio & densa, fit à caloris magnitudine: parua & rara, ab eius paruitate: magna & rara, à delirio: parua & densa, à dolore. Diximus suprà de pulsu. Responsio eadem erit, solum restat quòd ibi pretermissum est ne repeteretur, vt ostendamus cur paruitas caloris naturalis secundum qualitatem non faciat pulsum, aut respirationem tardam, vel raram; non naturalis faciat? Colligitur ex libro artis medicæ cùm dixit loquens de frigido corde: si thorax fuerit proportione respondens cordis calori, respiratio erit minor solùm, non autem tardior neque rarior: sed si fuerit maior, erunt respirationes tardiores & rariores. Sed in refrigeratione non naturali, arteriæ & thorax sunt maiores, quam pro caloris magnitudine, quia plerunque thorax, & arteriæ semper respondent magnitudini caloris cordis naturali, igitur calore diminuto per ea quæ demonstrata sunt in quinto elementorum Euclidis, erit pectus, & arteriæ maiores, quã sit pro ratione caloris necessarium, vel saltem maiorem, quam in sanitate ad calorem obtinebant proportionem, igitur pulsus & respiratio in non naturali, & preternaturali refrigeratione non solum fient minores, sed tardiores & rariores, & in naturali tantum fient minores; quod erat demonstrandum.

CONTRADICT. XLIX.

Frigida & sicca cordis intemperies, an magis glabra.

GAlenus in libro artis medicæ loquens de corde frigido & sicco inquit: Habent autem maximè omnium nudum pilis pectus; cum in frigida & humida intemperie dixisset, habent pectus glabrum; & in frigidâ tantum, & nudum pilis habent pectus. Infrà autem dum agit de totius temperie frigidâ, & frigida & humida, & frigida & sicca: æqualiter protulit pilorum nuditatem. Sed secundo de Temperamentis, hunc ordinem posuit: Nuda maximè frigida & humida temperies inter omnes; post, frigida tantum; post, frigida & sicca. Abundat autem pilis sicca tantum, indè calida pilosior omnium, magis autem pilosissima calida & sicca. Quis non videt apertam contrarietatem; omisit tamen duo genera temperiei, humidã tantum, & calidam & humidam. Iacobus dixit quòd verba illa, omnium maximè nudum pilis pectus habent, ad eos qui pilosum pectus habent referri debent. Sed Græca lectio sic iacet, εἰσὶ δὲ ἄτροχοιςα ςέρνα πάντων μάλιςα. Quod est, sunt autem pectore nudo, pilis omnium præcipuè. Oportet autem relictis quorundam aliorum absurdis opinionibus, si modo littera rectè iacet, quandoquidem primæ haleni authoritati non satis lubens hac in parte, refragante experimento, subscribo: differentiam hanc sumere à corde, & totius naturâ, aut à loco, scilicet pectore & totius ambitu. Si ergo Iacobi responsio non placet, dicemus cum pectus sit plenum neruis, ossibus, ac cartilaginibus ob siccitatem cordis: reddi adeò duram cutim, vt cum pili imbecilles iam prodire apti sint, propter frigiditatem, non prodeant. At in frigida & humida prodeunt sed exiles ob mollitiem partium, & hoc est, quia cor semper caliditate sua semper pilos producere aptum est, quoniam quantumcunque frigidum sit, calidius est iecore cálidissimo; vt colligitur primo de temperamentis, & in libro de fœtus formatione. Igitur cor nunquam potest esse adeò frigidum, quin possit generare pilos suo calore. Quando igitur ità est, videamus quid pilis exilibus magis obsit an humidum an siccum; humidum nocet quia non permittit cogi materiam in pilum, sed hoc non potest

cum

cum iam caliditas cordis ſit tanta, vt poſſit cogere materiam in pilos pluſquam iecur calidum & humidum, quia vt dixi cor frigidum & humidum, excedit caliditate iecur calidū & humidum; ſed ſiccitas benè prohibebit exitum pilorum tenuium. Sed video quid dicas, eadem ratione quâ iecur calidum & humidum, vel calidum & ſiccum, generat pilos craſſos: eadem cor frigidum & humidum, & cor frigidum & ſiccum, cum tale cor ſit calidius iecore calido. Reſpondeo quòd pili in corde fiunt exiles propter tenuitatem materiæ, non ob frigiditatem ſolam: in toto igitur corpore non ſit tanta caliditas, & in capite & in iecore, & teſticulis frigida & humida temperies; indè frigida tantum erunt aliis, & frigida & ſicca nudiores.

CONTRADICT. L.

Animi mores an corporis ſequantur temperiem.

GAlenus ſecundo de ſemine inquit. Mores & facultates ex ſubſtantiæ temperatura habet ex quâ prima ipſius generatio extitit vbi dabat cauſam cur aliqui filij matribus aſſimilentur. Idem ex Hippocrate in libro quòd animi mores corporis temperiem ſequantur, vult quòd varientur regionibus, idem à qualitatibus primis, à ſanguine, demum etiam ab alimento, eodem libro. Sed in arte medica à corde, nec meminit cerebri aut iecoris, aut temperamenti totiùs, nec quando infra meminit de totius temperamento; ſecundo etiam de Temperamentis, in totius temperiem mores refert, hæc habens de temperato homine loquens. Idem animo quoque medius erit audaciæ & timoris, cunctationis ac precipitationis, miſericordiæ & inuidiæ, fuerit verò talis alacer, amicorum amans, humanus & prudens. Idem in prius de Natura humana dixit: ſucci quatuor ex vſu ſunt vt mores idonei euadant: non hîc ad totius temperiem, neque cordis minus, imo potius iecoris tranſtulit morum originem. Diſſidet etiam ibi dum enumerat mores, nam inquit, animæ intelligentia, & acies erit per ſuccum biliosſum, conſtantia & firmitas per melancholicum, per ſanguinem ſimplicitas atque ſtoliditas, pituita ad mores nō eſt ex vſu. Aliàs de hac ſententia ſumus locuti, cum de cauſis ingenij verba facerem. Solutio eſt quòd per mores aliquandò Galenus intelligit vim animæ rationalis, vt is quæ ſequitur humorum, naturam tametſi humores etiam veros mutent mores. Mores autem trium ſunt generū, ingeniti, ſtudio acquiſiti, & qui pro temporum mutatione adueniunt: ſtudio aquiſiti habentur à diſciplina. Qui temporum mutatione adueniunt ab ætatibus, & ab humoribus pendent, & variantur. Ingeniti autem fiunt à regione & temperaturâ totius: ſed in totius temperatura magis eminent qui à corde proueniunt. Horum autem cor eſt cauſa remotior: nam proxima per ſe eſt ſanguis qui in eo continetur, vt ex Ariſtotele ſuperiùs diximus.

CONTRAD. LI.

Iecur calidum an cibi multi appetentiam faciat.

GAlenus quinto de locis dum de calidâ agit iecoris intemperie hæc habet. Calidas quidem iecinoris temperies nunquam comitatur ciborum appetentia, ſed ingens cibi faſtidium, & ſitis vehemens. Sed Princeps dixit quòd in calidâ temperie iecoris eſt validus appetitus cibi & potus. Faciliter occurritur huic contradictioni, cum Galenus loquatur de præternaturali intemperie, Princeps autem de naturali. Nam & Princeps infrà dum loquitur de intemperie calida iecoris prætér naturam inquit: Et paucitas appetitus cibi cum ſiti vehementi. Sed quæſtio eſt cur in naturali ſit appetentia cibi, in præternaturali autem faſtidium, & tamen concordant in ſiti? Reſpondeo quòd calor ſolus naturalis adiuuat ad coctionem, vt clarum eſt apud Galenum ſecundo de naturalibus facultatibus: præternaturalis autē impedit, vterque tamen imo præternaturalis magis reſoluit, igitur in potu concordant.

CONTRAD. LII.

Corpora calida & humida an facilè putreſcant.

QVæ calida ſunt & humida facillimè putreſcunt, maximè ſi in calidis locis extiterint, Galenus libro de ſectione venæ. Idem octauo artis curatiuæ, & aliis in locis innumeris; ſed ſecundo de Alimētis, videtur velle quòd ex ſuccis frigidis in venis collectis minima ex occaſione generatur putredo, ex quâ febres malignæ. Solutio eſt quòd calidum in quali faciliùs putreſcit, ſed frigidum per viam cruditatis eſt deterius. Quandoque verò iſta conſentiunt quando, que diſſident.

CONTRAD. LIII.

Intemperies iecoris & venarum an eadem.

GAlenus in libro artis medicæ dum de iecore ſicco agit, ſupponit eandem intemperiem in venis neceſſario vigere quæ in iecore. Oppoſitum, octauo de Medicamentis ſecundum locos intemperies quandoque in iecore, quandoque in venis & arteriis fiunt. Solutio eſt quia in naturali conueniunt, quia iecur & venæ fiunt ab eadem cauſa, in præternaturali quandoque quia inter reliqua vt, docetur octauo de locis ſtat humorem biliosſum in venis contineri, & pituitoſum in iecore, vel ob loci propinquitatem: propterea dicebat tot ſunt intemperies, quot venæ ipſæ.

CON

CONTRADICT. LIV.

Oculi an supra totius corporis temperiem significent.

OCuli vt valent, ita & corpus: & color in deterius aut melius labitur, dicebat Hippocrates sexto Epidemiorum. Et Galenus in commento docebat quòd oculi significant supra totius corporis dispositionem. Et in arte medica ex sola siccitate iecoris supra totius corporis siccitatem argumentum facit. Sed secundo de temperamentis reprehendit; eos qui ex vnius membri naturâ, supra totum iudicium faciebant, dabat propriè exemplũ de oculis. Respondeo distinguendum est, primo de non naturali, & naturali intemperie; de non naturali possumus vt sexto Epidemiorum, de naturali rursus distinguẽdum: vel est cor & iecur, & possumus facere; de aliis autem non licet, & ita loquitur secundo de temperamentis. De corde rursùs, & iecore distinguendum; nam vel simul iuncta sumuntur, & ità semper licet iudicium facere vel seorsum; & tunc rursùs bifariam, vel de siccitate iecoris sic licet facere, vt eodem libro artis medicæ; vel in corde aut aliis qualitatibus, & non licet.

CONTRADICT. LV.

Sanguis arterialis an semper venali magis flauus, & tenuior.

GAlenus sexto de Decretis Hippocratis & Platonis dum declarat sanguinis iecorarij & cordis discrimen, dicit quòd cordis sanguis seu arterialis est siccior venalis, magis flauus, subtilior, spiritibus abundans, & calidior. Prius tamen dixerat quòd hic sanguis semper est calidior, sed non semper tenuior, aut magis flauus. Similis quidem, inquit, in dextro ventre cordis sanguis ei qui per omnes totius viuentis, velut & qui per arterias omnes similis est ei qui in sinistro ventre. Hoc igitur plerunque tenuior est atque flauior, est & quandoque contrario modo crassior & nigrior, semper tamen ipso calidior est. Qui verò in dextro cordis ventriculo simul eandem speciem habet cum omni alio, & ei qui in hepate continetur. Causam subdit, quoniam moram paruam in corde traxit qui in dextro est cordis ventre; igitur comparat sanguinem sinistri ventriculi in tertia comparatione sanguini venarum, non arteriarum. Respondeo in hac authoritate facit comparationem generalem in animalibus, in priore loco adducta in hominibus solum, vel dic quòd comparat sanguinem sinistri ventris cordis, sanguini arteriarum in hac authoritate, in alia ad sanguinem venarum.

CONTRADICT. LVI.

Amarus sapor an acri calidior.

GAlenus quarto de simplicibus medicamentis docet amara ab immodico calore fieri. Idem paulo post declarat quòd amarum est calidius dulci, & dulce austero; hoc argumento quòd vina primò sunt austera, indè dulcia cum acredine, indè exquisitè acria, deindè amarescere donec fiunt amara. Attamen infrà declarat testimonio etiam Platonis, ac Aristotelis, & Theophrasti acria esse calidissima omnium, quòd & experientia docet. Dicere cogimur, estque vna tantum responsio, amara esse calidiora ratione actionis, acria ratione magnitudinis caloris. Quo fit vt amara necessariò sint acribus
 ficciora ob diuturniorem caloris actionem: Acria autem simpliciter calidiora possint etiam esse humida.

CONTRAD. LVII.

Membrorum mutua actio an detur.

COntra operari iecur cordi, & cor iecori multis in locis medicæ artis; cum Galenus scripsisset tùm maximè capite de signis calidi & sicci iecoris, & primo de locis, & tertio de Temperamentis. Sed tamen Galenus octauo de vsu partium, dicit quòd cerebrum non refrigerat cor; igitur multo minus reliqua membra agunt. Item vtor argumento Gentilis fulginatis: si datur vel est per tempus aliquod tantum, & sic est frustrà; vel est semper, & sic alia membra potuerunt similia generari: Item corpus esset in perpetua pugna. Super omnia est argumẽtum Calculatoris quod ab eius ætate vsque nunc solutionem non inuenit. Et est, Ponatur A, calidum cuius medietas B, versus C, patiens frigidum refrigeretur ab ipso C, & sequitur quòd B, statim fiet frigidius A, igitur cum sit illi proximum & dissimile calescet B, ab A, & refrigerabitur A, C, eodem tempore, quare simul B, calescet & infrigidabitur. Respondeo datur operatio hæc mutua. Ad primum non vult Galenus nisi quòd cerebrum sit factum causa modicæ refrigerationis, non quòd penitùs nihil faciat ad cordis refrigerationem. Ad secundum est perpetua vel necessitate consequente ad multitudinem membrorum: vel etiam vsu, quia qualitas impressa, à naturali differt. Ad tertium iuxta Galeni sententiam haud inconuenit qualitates impressas contrarias eodem tempore in eodem subiecto augeri; vel dic quòd B, impeditur, vt non incalescat ab A, propter C.

CONTRAD. LVIII.

Sanguis supra reiectus, & nigra deiectio an mala.

SAnguis quidem qualiscunque fuerit suprà malum, infrà autem nigra deiectio bonum est. Quarto Aphorismorum. Galenus in commento excitat contradictionem, quia superiùs dixerat deiectiones nigræ qualis est sanguis, spontè venientes, seu cum febre, seu sine febre pessimæ. Dicit Galenus in commento bonum id est non malum, vel minus malum, id est melius; vel intellige nigra deiecta id est hæmorrhoïdes, quæ expurgant totum corpus ab atro sanguine. Alia contradictio quia septimo Aphorismorismorum dicitur: Quicunque sanguinem euomunt, si quidem sine febre salutare: si autem cum febre malum, curare autem astrigentibus. Quomodo igitur hîc salutare contra malum distinguit, anteà verò malùm omnem sanguinem superius reiectum esse dixit. Sed nec prima Galeni responsio satisfacit, pace tanti viri dixerim, duo significata simul nimis peruertentis, bonum id est melius. Deindè melius de pessimo dici volens. Inartificiosum faciendo nimis Hippocratem. At nec in secunda responsione satisfacit, cum non reddat causam cur deiectiones vt sanguis, nigræ pessimæ sint, cum tamen Galeno teste, si fiant propter hæmorrhoïdas bonæ sint. Itaque Hippocrates meo iudicio distinxit rectè in duobus Aphorismis: in primo dicens deiectio id est, cuius substantia tota nigra est, qualis sanguis, cum manifestum sit non posse talem esse propter hæmorrhoidas, imo nec intestinorum vlcera, sed solo assato hepate pessima est, si verè adiectum fuerit aliquid deiectioni quale est sanguis niger, tunc bona est; seu ex hæmorrhoïdibus seu aperto aliquo lienis vase corpus hoc modo expurgetur. Nam talia non permutant totam substantiam excrementorum. Aliam contradictionem Galenus minimè attigit, sed per salutare intelligendum est, non bonum, sed quòd salutem sperare potest: hoc autem malum. Igitur cum sanguinem per os reiectum ex inferioribus partibus, non ex capite intelligat: per ea verba (Qualiscunque fuerit suprà) salutaris est solum is qui per vomitum eiicitur ac sine febre, reliquus autem omnis perniciosus.

CONTRAD. LIX.

Febris an morbus toti corpori communis, de signis generalibus Febrium.

GAlenus libro artis medicæ ponit febrem inter morbos cordi proprios, nec vllibi meminit morbi alicuius, vniuersalis. Quinimo si esset morbus aliquis vniuersalis maximè esset hectica: sed Galenus hecticam morbū ponit proprium, libro de tabe, dicens quòd hectica & erysipelas in ventriculo oriuntur, quæ tamen si cordi non communicentur tabem non creant. Quantumuis igitur absumatur totum corpus, non fit morbus toti corpori vniuersalis, nisi cordi priùs communicetur: quod etiam declaratur septimo artis curandi, dum hecticam ventriculi curare docet: similiter & septimo Collectaneorum eundem affectum docet curare in ventriculo. Ideóque dicemus morbum esse vniuersalem toti corpori; vel quia naturâ suâ talis sit, atque sic sunt multi morbi calidi & sicci proprij ventriculo aut iecori, & tamen non sunt febris: vel quia sint affectus cordis: neque hoc, quia palpitatio cordis non est morbus vniuersalis, aut quia totum afficiatur; & sic nec hoc modo, nam malus habitus in toto corpore, non est morbus vniuersalis. Rursus. Quarto etiam de præsagio ex pulsibus febris est affectus cordis, potestque pulsus mutari vt ibi docuit, ex medicamento vel alia causa citra febrem. Tertio quoque Collectaneorum, febris propinquum subiectum est cor. Et septimo artis curandi: calida & sicca intemperies in ventriculo est idem quod febris cordi, vel toti corpori, igitur videtur distinguere inter affectum calidum & siccum cordis, & totius corporis. Decimo quoque artis curandi nulla febris consistere potest citra cordis intemperiem. Vndecimo quoque eiusdem: febris est veluti focus cuiuslibet particulæ obstructione vel phlegmone vel putredine tentatæ. Item in febribus non omnes partes cordis calescunt, sed in putrida humores, in hectica solida substantia cordis, in ephemerâ spiritus accenduntur primo de differētiis febriū: ergò febris non est vniuersalis toti corpori, imo ne toti cordi. Rursus si esset morbus vniuersalis maximè esset calidus & siccus: sed in intermittentibus contractionis tempore non incalescit corpus vt sensus ostendit, & Galenus etiam docet libro de morborum temporibus, in lipyriis quoque, & epialis nunquam totum corpus incalescit, & tamen sunt febres. Rursus si morbus qui toti corpori communicatur ob cordis intemperiem, est febris (omitto modò simplices intemperies) erunt saltem quatuor morbi vniuersales, vnus à frigida & humida intemperie, & gignitur anasarca vt tangitur vndecima tertij. Et in Ascite inquit Galenus quarto de causis pulsuum, nam pulsus mutantur ob frigidam & humidam intemperiem in corde genitam. Item tertio de Præsagio ex pulsibus Atrophiæ gignuntur ex sicca cordis intēmperie, & tamen non numerantur inter morbos toti corpori communes sed agitur à Principe seorsum. De tabe & simili affectu non dixerim quæ fit à frigiditate & siccitate: nam de illa & Galenus in decimo artis curandi, & Princeps prima quarti simul cum aliis febribus agunt. Item pono quòd aliquis patiatur febrem, & in crure dispositionem frigidam & humidam ratione œdematis, tunc erit febris; nec tamen calidus & siccus affectus erit communis toti corpori, oppositum tamen habetur à Galeno primo de crisi: febris est affectus venosi generis & per venosum genus etiam venas mobiles,

biles scilicet arterias intelligere oportet. Et prima quarti, febris est calor non naturalis accensus in corde, & ab eo per arterias & venas, sanguinis ac spirituum medio in vniuersum corpus diffusus, sic vt membrorum vires naturales eo calore vitientur. Et in libro de causis morborum inquit, hæc autem vbi tum corpus concalefecerint (de herpete & erysipelate loquens) febrem excitant. In Proœmio etiam sui operis Princeps dum explicat quæ in quarto libro tractaturus sit, inquit, explicabo etiam morbos qui nulli membro sunt proprij. Et palam est quòd de febribus loquitur. Primo quoque problematum febris est morbus toti corpori, qualis lippitudo oculis. Auerroës tertio Collectaneorum: febris est calor qui continet totum corpus. Et pro hoc rationem adduco ex libro de Symptomatum differentiis quod lædit operationes absque medio, est morbus; sed febris lædit operationes in toto naturales, totum enim redditur ex febre macilentius, & per se hoc facit: igitur febris est morbus totius. Hęc quæstio à Gentili in quæstione de febre tractata est, indè à Cōciliatore, & post ab Vgone sed paucis adiectis. Est ergo opinio fermè generalis quòd febris sit morbus in toto ratione subiecti, sed ratione originis in corde. Sed obstant duo, primum quòd sublato fomite vt materiâ putridâ adhuc oportere tolli calorem in toto corpore accensum, vt octauo & vndecimo artis curandi habetur. Et rursus in hectica non est necesse corde sanato, totum corpus sanari: Est enim aliquo modo magis febris hæc in toto corpore, quàm putrida vt libro de Inæquali intemperie: nec diù tamen potest seruari sanato corde. Cum igitur omnis febris sit morbus vniuersi corporis ratione operationis, est etiam hectica ratione subiecti: quia est iam infixus membris; sicut enim ex hectica ventriculi transitur in hecticam cordis, ità si cor refrigeratur posset hectica ventriculi, absque hectica cordis diù manere: in toto autem corpore non posset manere, quin cor rursus accenderetur. Ad argumenta igitur, atque authoritates: quòd cum non minus offendat frigus operationes quàm calor, vt octauo artis curandi habetur, cur non constituetur morbus vniuersalis frigidus tantum, aut frigidus & humidus, sicut frigidus & siccus, aut calidus & siccus? Respondeo quòd repentina, frigiditas in corde est via ad mortem, vt primo Prognosticorum. Sed si sit sensim inducta & maximè cum humida qualitate, gignitur anasarca est morbus ad vnguem contrarius febri si contingat vitio cordis, & fit vniuersalis toti corpori. Sed quia anasarca etiam fit vitio iecoris & aliorum membrorum, & licet non sit adeò generalis toti corpori; non tamen tractationem illius, à tractatione eius quæ vitio cordis fit distinxere. Est autem genus id vt par est familiare decrepitis: Et multis est senibus qui vel ob pauperiem indigent bonis cibis, aut qui in seruitute viuunt, aut sunt intemperati: aut coguntur ad se sustentandum vigilare. Est ergo morbus lethalis valdè, succedens diuturnis morbis etiam. Et hoc quia est è regione contrarius naturæ cordis, quæ est calida & sicca: Et in morbis minus periclitantur ægrotantes quorum naturæ consuetudini, & reliqua quibus secundum nihil istorum congruit. Ob generis igitur communitatem anasarca non reponitur inter morbos toti corpori communes, licet aliqua eius species talis sit: Et frigiditas pura etiam cum anasarcam generet, statim humidam intemperiem sibi adiungit. Ergo vbi proponit Galenus febrem esse propriam cordi, de illius origine loquitur. Cum dicis vel est ratione qualitatis, vel affectus cordis, vel subiecti. Dico quòd est vniuersalis ratione subiecti & originis, nam palpitatio cordis non lædit operationes totius corporis. Cum ergo dicitur quòd in intermittentibus, & lipyriis, & epialis non incalescit corpus? dico quòd totum corpus læditur in operatione, licet non incalescat. Vel dic quòd calor ille non apparet in naturali calore. Ità ergò vel vitiatur operatio in toto, propter calorem cordis vitiatum, licet non sit diffusus per totum: vel est diffusus per totum, sed non sentitur ob naturalem imminutum De Atrophia vt Anasarca ad vnguem; fit enim etiam aliis ex causis. De febrium autem generalibus signis dicebat Galenus primo de differentiis pulsuum: quòd proprium est, vt arteriæ locus sit calidior. Vndè falluntur qui existimant hoc solis hecticis conuenire. Secundum est crebritas ipsius pulsus: nam magnitudo & velocitas non sunt necessariæ vt in hectica, propter debilitatem virtutis & arteriæ siccitatem. Tertium est caloris acuti qualitas, quæ minus euidens est in ephemeris. Quartum est mala coctio vt secundo de facultatibus naturalibus, & ideò processu temporis necesse est vt corpus tabescat.

CONTRAD. LX.

Materia ad Pulmones defluens, an ex cerebro veniat.

Serapio de tussi loquens inquit, materia illa vel generatur in membris spiritui fermentibus, vel à cerebro descendit, vel venit ex membri nutritiuis: Et dabat exemplum de iecore. Et hoc videtur consonum ei quod dicebat Princeps & quandoque materia faciens asthma transmutatur ad iecur, & facit hydropem. In oppositum est Galenus qui septimo Aphorismorum irridet eos qui existimant ex pulmone in ventriculum transire pituitam: & adducit rationem quam etiam quinto de locis, dicens, oportere vt prius ea transeat per sininistrum cordis ventriculum, indè arteriam magnam, aut cauam venam ingredi. Aëtius quoque libro octauo videtur hoc voluisse quod Serapio cum dixit fieri etiam difficultatem spirandi cum materia ex vicinis partibus confertim confluxerit in pulmones. Illud etiam videtur sentire Galenns in libello de enematibus cum dixit, materiam transmutari quandoque ex membris spiritûs, ad genitalia; quòd hæc membra plurimum inter se consentiant.

tiant. Respondeo, quòd materia quæ ad pulmones defertur, aut ex cerebro aut ex corde defertur, aut in pulmone generatur? Quæ autem ex iecore, vel vtero, aut ventriculo defertur; rarò & non in tanta quantitate ad pulmones venit.



CONTRADICENTIVM MEDICORVM, LIBER QVARTVS.

CONTRADICT. I.

Influxus an dentur.

AVerroës secundo cœli, & Aristoteles etiam dicunt quòd cœlum agit in hæc inferiora, medio motus & luminis: quare non videtur quòd detur influxus; Et tertio Collectaneorum dicit quòd causa dierum criticorum à Galeno posita à lunâ scilicet sumpta est causa remota. Præterea si daretur vel esset causa corporea; & ita aget priùs in medium, quam obiectum: & sic aër fiet & rex, & carnifex prout erit influxus: vel incorperea & ita vitæ poterunt agere sine cœlo: quod ipse negat octauo Physicorum, & septimo primæ Philosophiæ, & rursùs daretur sensile sensum fugiens: quod negat etiam Aristoteles octauo Physicorum. Præterea vel erit cum ipsis primis qualitatibus iste influxus, quare illæ erunt superfluæ, vel sine illis? & ità erunt secundæ, & tertiæ sine primis, vt pote faciet exulcerationem sine calore & siccitate, quo fiet vt Galeni doctrina pereat quinto de simplicibus medicamentis. Erunt etiam quinque genera causarum, nã efficiens sunt primæ qualitates, materia, elementa, actu, potentiáve. In oppositum est Galeni autoritas tertio de diebus iudicatoriis, longâ experientiâ deprehensum est quòd morbi quorum initium est cum luna fuerit prope beneficas seu planetas temperatos tempore natiuitatis ipsius ægri, ad sanitatem terminantur; si prope maleficas ad mortem: at hic nullo pacto cum ad constitutionem natiuitatis referatur non potest effingi quicquã quo influxum vitemus. Præterea occultæ proprietates velut Herculei lapidis ferrum ad boream dirigentis non possunt reduci ad primas qualitates, igitur oportet ponere influxus. Et forsan illud innuit Hippocrates primo Prognosticorum: Et si aliquid diuinum in morbis sit, cõsiderare oportet: quamquam Galenus exponat per diuinum quod per aërem fit, non videtur congruere, cum Hippocrates θεῖον, nouerit ab aëre distinguere. Conciliator etiam vir magni iudicij hos admittit, & Hippocrates & Galenus astrologiam extollunt: ille quidem in libro de aëre aquis & regionibus, Galenus autem libro, quòd optimus medicus sit optimus etiam Philosophus: Et primo de Facultatibus naturalibus. Propterea ad Auerroïs argumenta omnes optimas opiniones conatus est, vt vel admirabilis posteritati videretur, vel homines cogerentur illius memoriam saltem contradicendo colere; conatus est enim immensum illud sapientiæ pelagus in angustum vas detrudere, non contentus reiecisse inutilia etiam ad viuum resecuit. Dico influxus non esse primas qualitates, sed tamen illis vti atque agere tanquam instrumento, nec esse rem corpoream, sed velut lumen in radiis solis modum quemdam & proprietatem corporearum qualitatum. Et non est quinta causa, sed est causa agens eorum quæ in inferioribus non pendent ex primis qualitatibus. Quæ enim argumenta aduersus influxus deducuntur, eadem etiam possunt aduersus illuminationem.

CONTRAD. II.

Dulce vinum omne an nigrum.

DVlce quidèm vinum continuò & nigrum existet, non tamen nigrum omne continuò & dulce, tertio de victu in acutis. Idem paulò post: duplex siquidem fuluum vt nigrum; aliud siquidem dulce, aliud austerum. Vbi manifesta est repugnantia, sed verba quę sequuntur licet non contineant repugnantiam, obscura tamen sunt, & sunt eiusmodi: [Atque cum tertium præter vtrumque existat ex vtriusque qualitatis permixtione cõstans: attamen quod vnâ est præditum qualitate id colore vtroque duplex existit.] Sed vt ad propositum redeam in eodem libro hæc habet. [Neque tenue exquisitè neque album vinum vidisti quod dulce sit, sed plus minus à dictis recedit & neutrum horũ habet. Dulcia autem vina maximè sunt Theræum & Scybeletes, crassa vtraque & nigra. Dulcia quoque & ea in Mæonia sunt; Therinum & carginum tantò à dictis & crassitie & nigritie differunt, quantò & dulcedine inferiora. Præterea quod hepsima & sireon à Græcis, à Latinis sapa appellatum; ex cocto musto conficitur quo dulcius vino efficitur, eo & colore nigrius, & substantiâ crassius apparet. Et quinto de Tuenda sanitate, si quis senum dulci vino vti velit post balneum, vbi mane comeserit sicuti Antiochum solitum facere dixi

diximus; huic optimum Faustianum Falernum fueris, aut si eius copia non est, simile aliquod. Porrò similia fuerint,quæ dulcia,simul & pallida sunt: Proxima his sunt Therenum & Cyrienum.] Propterea velle videntur quidam quod vina dulcia perfectè omnia sint nigra. Quæ verò dulcedine participant, ad nigrum etiam colorem ac crassitiem accedant. At verò apud nos videmus vina flaua dulcissima. Et ipse Galenus quarto de simplicibus medicamentis docet à colore non posse decerni de viribus medicamentorum. Dico, Galenus quinto eiusdem docet quod quodlibet quod dicitur aut simpliciter dicitur,vt mel dulce,glacies frigida:aut vt ad genus suum comparatum; vt ossa in homine dura dicuntur, nihil enim durius:& vina nigra dulcia in vinorum genere, quoniam eo in genere illa sunt dulcissima:aut vt ad quoduis comparata, vt vinum quoduis quod dulcedine participat dulce dicitur:& colchicon inter venena licet parum dulce. Sed cum vina dulcia nigra sint & crassa,quantò crassiora sunt, eò sunt dulciora tum & si nigra non sint. Sunt etiam ob crassitiem inodora,quòd tangitur ab Aristotele tertio problematum: Alba ergo cum tenuia sint minimè sunt dulcia:hoc sanè mirum est quòd flaua sunt dulciora rubris, cum tamen flauum sit remotius à nigro,quā rubrum. Atheneus primo Dimnosophistarum libro: vinum inquit aliud album,aliud flauum, aliud nigrum, vt videatur rubrum excludere: sed rubrum puto sub nigro collocare. Idem nigrum videtur velle solum esse dulce, quamuis expressè id non dicat.Dulce sanè fit ab humido benè concocto, atque id potest esse tenue vt mel saccharum: & crassum vt lac & vinum.Vinum tenue dulce esse non potest: quia substantia illius diluta nimis,ac tenuis est per se;quo fit vt crassius esse necesse sit.Definitio istius quęstionis ne aliundè petatur, est in libro de attenuante victus ratione: [Vina quæ admodū dulcia sunt, nigra etiam sunt, & consistentiā crassa. Nullum autem album dulce comperies,quēadmodum nec flauū quoduis admodum dulce est;similiter nec clara & pellucida,colore pallida ac flaua,minimè dulcia sunt.]

CONTRADICT. III.

Liber de compositis medicamentis, an posterior arte curandi?

GAlenus in fine libri artis Medicæ dicit, quòd libri de simplicibus medicamentis & compositis debent legi ante artem curatiuam. Quam sententiam in libello de ordine librorum propriorum, confirmat libros de compositione medicamentorum statim subnectens libris de simplicibus medicamentis. Oppositum tertio artis curandi, cum cognouerimus quænam medicamenta calida fuerint, aut frigida sicca vel humida,& morbi naturam ac membri; methodo ipsa ad compositionem deueniemus congrui medicamenti: Propterea inquit doctrina medicamentorum simplicium anteit methodum medendi: compositiorum autem subsequitur ipsam methodum: vnde rationem etiam explicat. Idem secundo de compositione medicamentorum secundum locos expresè docet, volens doctrinam compositionis medicamentorum sequi methodum medendi. Et in tertio eiusdem rursùs. [Quare medendi methodum, doctrina simplicium medicamentorum præit vndecim libris tradita:quam sequitur ars medendi, quam quatuordecim libris scripsimus,hos demum doctrina de componendis medicamentis,quam nunc præ manibus habemus.] Atque hunc modum sequuti sunt Aetius, Paulus, Hasen, Rasis, Serapio, Auenzoar. Dicitur quòd intelligit Galenus de compositione medicamentorum ad morbum vnunquemque vt in ægris singulis, hæc enim præsupponunt methodum:sed magnæ compositiones ac generales,vt theriaca,antidota,mithridatium non præsupponunt hoc. Sed hæc responsio falsa, tum quia Galenus loquitur de compositione medicamentorum secundum locos de medicamentis generalibus, & tamen vult quod postponantur methodo medendi. Item quia oporteret facere duas tractationes de compositis medicamentis, vnam de his quæ conferrent generaliter quibusdam morbis vt de theriaca, mithridatio; aliam, de his quæ conueniunt speciatim calidis ventriculi intemperiebus,aut frigidis quod non videmus fecisse Galenum. Præterea omnes authores hoc fecerunt vt dixi: Præterea & est argumentum quod demonstrat Galenus dat rationem:nam si voluero componere medicamenta ad iecur oportet vt sint ex odoratis, & similiter ad ventriculum oportet vt sint odorata, quia talia membra habent operationem necessariam vitæ, & toti corpori: Et omnia medicamenta auricularia oportet vt sint calida, quia auris est membrum frigidum, & non potest hoc sciri nisi methodo: igitur talis compositio quamuis sit generalis præsupponit methodum.Aliter ergo dicendū quòd in arte medicâ, & libro de libris propriis docet modum legendi, vt simus parati ad curationem; & sic vtraque doctrina tam simplicium, quam compositorū medicamentorum debet legi ante methodū cum voluerimus exercere artem vtriusque generis, medicaměta parata habeamus. Neque enim necesse est, vt methodum sciamus in cognoscēdo medicamenta composita, sed in componendo tantum;Vndè cum illa iam sint composita poterimus illa legere ante methodum: Sed conficere atque conscribere non possumus ante methodi cognitionem;vnde autoritates methodi,& de compositione medicamentorum secundum locos intelliguntur de conscribendis libris. Et sic hoc sæpiùs repetit,vt octauo libro eiusdem:nam semper loquitur de inuentione, non de iam inuentis. Medicamenta igitur noua præsupponunt artis curandi notitiam;nec licet vti illis ex experientia alterius,vt quidam faciunt.Qui verò classes ordinarūt,ordinem operandi ac legendi rectè secuti sunt, non tamen Pauli vel Hasen qui magis confusus est:attamē si rectè consideremus vtilior,cum rationem compositionis eorum aliter non liceat intelligere.

CONTRA

CONTRAD. IV.

Cerebrum an sentiat.

CViusque sensus permutatio quæ à sensibilibus fit, in singulis perficitur instrumentis: Eius autem sentiendi vim habet ipsaque permutatur particula: ex eo quòd à cerebro per ipsum neruum ad eam particulã virtutem recipit: ipsum namque cerebrum instrumentum sentiens à naturâ minimè factum est, sed vt ea quæ sentiunt sentire possit; Galenus primo de causis Symptomatum. Græca lectio ἀλλ᾽ αἰσητικῶν αἰσητικὸς ἐγένετο, Latinè vix reddi potest; barbarè dicimus, sensitiuus sentientium factus est. Idem Hasen duodecimo de Animalibus volens membranas tantum sentire. At in libro de multitudine Galenus hæc habet. [Etenim & pulmoni, & hepati, & renibus sensus quoque grauitatis accedit; & quidam in osse sensus grauitatis obscurus percipitur. Secundum cerebrum autem etiam sæpè numerò non solum obscura, sed euidens quoque grauitas sentitur. Ipsis autem sensu carentibus partibus, sensus non contingit grauitatis, neque alterius symptomatis sensus. Expertia igitur videntur esse quędam ex ossibus: pinguedo, & glãdulosæ carnes quædam: si non forsan medullæ omnes etiam ex hoc genere sint. Cerebrum verò & medulla dorsi, vt quidam aiunt, sensum habent; affirmant autem de carne quæ circa iecoris gibbã adnascitur, quàm multi medicorum affusionem appellant, hoc esse manifestum. Neque enim alicundè neruus illi innascitur, & tamen sensum grauitatis retinent, vt etiam simæ partes, splen, renes, ac multò magis pulmo. Sed videtur hîc sensus non eorum esse membrorum, sed circumdantium potius illa membranarum. Et præsertim in iecore & pulmonibus, quòd suspensa pendent, nec firmam sedem habeant, nec consistant.] Videtur igitur Galenus proponere quæstionem an cerebrum sentiat. Et adducere rationem quòd sic primo, quoniam & alia membra quæ neruis carent sentiant: sed postmodum respondet quæstioni dicens, illa membra non sentire, sed potius membranas, tum magis quoniam ab illis suspenduntur. Aristoteles quoque secundo de partibus animalium dicit cerebrum non sentire; hocque probat experimento, & ratione: experimento quidem, quòd si tangatur non sentit: ratione quòd sit tamquam excrementum quoddam, velut etiam sanguis: Hasen autem quinto de Anima, & prima tertij tribuit illi sensum, & est ratio huiusmodi: in conuulsione cerebrum dolet, sed nerui non ad membranas, sed ad cerebri substantiam terminantur, igitur cerebri substantia ipsa dolet, Galenus quoque secundo de compositione medicamentorum secundum locos inquit, de dolore loquens: [Affectio ipsa quandoque arteriarum, quandoque venarum, aut cerebri, aut membranarum, vel neruorum, vel etiam cutis.] Dico quòd ibi per affectionem intelligit Galenus causam doloris, non dolorem, quandoquidem constet venas & arterias doloris omninò esse expertes. Ad Principem responderet aliquis dolere membranas propter causam conuulsionis, non conuulsionem. Sed dicet Hasen in vulnere nerui, conuulsio sequens inducit dolorem in cerebro: Ideo quamvis possimus respondere auctoritatibus & rationibus, tamen melius est dicere cerebrum non habere sensum vllum quo cognoscat, vt in lingua gustus, in manu tactus, habere tamen sensum grauitatis & doloris satis hebetem. Ad Aristotelis experimentum non potest tangi cerebrum quin vulneratæ partes, longè maiori sensu sint præditæ, ideò tunc dolor illarũ tollit sensum doloris in cerebro. Vel dic tuendo Aristotelem quòd & ipse loquitur de sensu quo cognoscit, non dato ad animalis salutem quo dolet. Ad illius rationem dic quod est excrementum, sed vt idem alibi ait principalem vim obtinet in vita animalis: ideò habet sensum doloris ad tuendam vitam necessariam.

CONTRADICT. V.

Forma Elementi, an Qualitas.

GAlenus primo de Elementis. Qualitas summa, inquit, materiæ adueniens constituit elementum. Et tertio de Temperamentis, temperantia est forma. Et Auerroës quinto Physicorum tribuit hanc opinionem Alexandro. Et ipse etiam quarto Metheororum virtutes per quas elementa sunt elementa. A Conciliatore etiam adducitur Authoritas ex tertio cœli. Ignis non est ignis, nisi per caliditatem & siccitatem quæ sunt in summo. Item, hæ qualitates ingrediuntur deffinitionem ignis, igitur sunt ex illius essentia. Item, operatio facit vt formam cognoscamus: sed nos non cognoscimus in igne nisi quòd calefacit, & exsiccat; igitur forma illius est eiusmodi, scilicet calor & siccitas. Oppositum, Galenus nono de dogmate Platonis & Hippocratis, distinguit inter substantias, qualitates & virtutes: igitur non sunt idem. Aristoteles etiam secundo de partibus Animalium, vult quòd in mixto maneant qualitates, non elementa: igitur forma posset esse absque suo subiecto. Auerroës quoque quinto Physicorum ibidem dixit quòd qualitates cum sint accidentia in mixtis, non possunt esse substantię in elementis, quod enim vni est nulli accidit: primo Physicorum. Indè etiam illud obstat, quòd substantia nõ suscipit magis & minus, sed calor & frigus suscipiunt: igitur non sunt substantiæ. Ad substantiam etiã nõ est motus: sed ad calorem & frigus est motus, igitur calor & frigus non sunt substantiæ. Præterea vel sola caliditas erit substantia ignis, & siccitas accidẽs; igitur terra nullam habebit substantiam: quia non frigiditatem, quæ est substantia in in aqua, nec siccitatem quæ est accidens, Pręterea secundo de anima, grauitas & leuitas sunt formæ elementorum. Et clariùs quarto cœli, graue & leue sunt in prædicamento substantiæ; calidum autem & frigidum, in prædicamento qualitatis; & in

in prædicamentis caliditatem & frigiditatem inter qualitates enumerat. Respondeo breuiter quòd qualitates non sunt in elementis vt dixi in libris de subtilitate: Et solum sunt ibi raritas ac densitas; liquatum & concretum, vt loco fluidi humidum, stabilis siccum dicamus. Sed quia cogimur declarare hîc quid senserint auctores de veritate. Dico quòd qualitates non sunt formæ elementorum, sed ipsi formæ coniunctæ: in mixtis autem nec in summo, nec in ipsis nisi per formas elementorum. In genitis autem non in summo & non solæ, sed cum proprietatibus, elementa autem quidquid habent, ab ipsis habent qualitatibus. Itâ in elementis sunt côiunctæ etiã formæ, & solæ & in summo. In mixtis autem imperfectis nec solæ, nec in summo, nec formæ eorum coniunctæ: sed per elementi formam, habent enim talia mixta secundas & tertias qualitates quæ ab illis pendent. In genitis verò, nec in summo, nec solas, nec causas omnium; licet sint coniunctæ formæ: Ad auctoritates loquitur Gal. vt medicus ex his quæ sensibus deprehenduntur. Ad Alexandrum dixi quòd parum fidendum est Philosophis, qui sibi non constant vlla in re. Ad Auerroëm; in quarto Metheororum, & tertio Cœl. indicans necessitatem illarum, non autem quòd sint de essentia: quasi dicat nisi ignis esset calidus & siccus in summo, non esset ignis, non tamen sequitur ex hoc quòd caliditas & siccitas sint de illius essentia. Ad rationes, ambæ non ostendunt nisi quòd ipse sint maximè intimæ igni, vel elemento; non enim forma propria sensu dignosci potest, ideò etiam tanquam notior in definitione ponitur. Hîc tamen licet demirari eos qui tantum tribuunt Galeno atque Auerroi, cum illis sit ignoscendum, (atque id vt semper, & vbi expedit commemoratum volo) quòd cum multa scripserint, nec esset illis, vt nostra ætate, ob typographicam & chartæ copiam modus relegendi atque corrigendi scripta sua (quod non norunt nisi quæ multa scribunt etiam hodie, & quam difficile sit emendare sæpiùs idem exemplar, & quam confusionem pariat) in multas coacti sunt, ex obliuione, incidere, in contradictiones, quæ verè sunt errores, nam si illis contigisset animaduertere eas, & fas fuisset relegere, proculdubio emendassent. Nos ergò illorum errata dum in rectum sensum trahere conamur, mirum in modum contorquemur & nouos sensus effingere conamur. At quanto satiùs esset in tanta vitæ nostrę breuitate non ipsas inuentiones damnare, vt fecit Argenterius: hoc enim, & nigrum est, & damnosum, sed vbi à seipsis dissident aut absurdi aliquod scripserunt, sola veritate inspecta, neglectis paucis illis verbis quænam sit res ipsa docere. Etenim vt vno exemplo agam, vno addito à Philosophis & Medicis elemento, & ipsis elementis addendo præterea qualitates, infinitas suscitauere quæstiones, à quibus ne Oedipus ipse se explicaret.

CONTRAD. VI.

Febris putrida, an ex humoribus putridis.

FEbrem putridam è putrescentibus fieri humoribus docet Galenus tot in locis, tum etiam Princeps vt pudeat referre. Adducemus tamen locum principaliorem ex primo de differentiis febrium, vbi præter auctoritatem, addit exemplum his verbis. [Humoris putredo quæ in vasis fit similis est ei quæ in inflammationibus atque abscessibus, accidit, aliisque collectionibus; duplex quidem secundum genus. Ex duorum autem generum miscella, tertia secundum speciem euariat.] Inde subdit paulo post. [At duorum generum quidem alterum fit superante natura, alterũ superatâ. Ex superante quidem sicut in inflãmationibus & similibus collectionis tumoribus omnibus pus; in humoribus autem qui in venis continentur atque arteriis, quoddam quod puri proportione respondet subsidês in vrinis.] Omitto modò auctoritates sine numero: cũ in abscessibus pus contineatur & factũ ab humoribus palam est, etiã in venis putrescere. Præterea ægri moriuntur, ideò etiam ex putredine humorum, non ichorum: nam ex his corruptis homines non perirent. Accedit quòd in crisibus humores expelluntur, peccant igitur humores, non ichores. Oppositum, Galenus secundo in sextum Epidemiorum. [Quòd si vitiosi alicuius succi non modo sanguinis serum in sanguinariis vasculis contineatur; & deliria, & furores, & phrenitides pariet.] Ex quo videtur hanc putredinem potius in ichoribus, quàm in sanguine constituisse. Et primo in sextum de vulgaribus morbis: [Pestilentis febris calor, ab aliis per putredinis excellentiã differt.] Et sunt rationes claræ, si putreferent humores adesset prauus odor: sed non adest in febribus quæ non sunt pestilentes vltra solitum taliũ excremẽtorum. Ad hoc quis posset respôdere, quòd in concoctione non est necessarium vt fæteant, quia neque pus; vt habetur à Galeno in primo de differentiis febrium, & ab Hippocrate in prognosticis: Rursus quia putrefactis humoribus fit colliquatio; at in huiusmodi febribus non apparet colliquatio, sed in pestilentibus, vt colligitur tertio in tertium Epidemiorum. Diceret aliquis quòd colliquatio intelligitur de solidis particulis, non humoribus: duodecimo artis curandi. Præterea quod Galenus in priore auctoritate, non vult colliquationem esse propriam pestilentibus febribus quarto modo, sed conuenire omni. Hoc non facit ad rem nostram ea ratione qua adest in pestilentibus, quia humores putrescunt etiã in aliis in quibus non est: nec sufficit prima responsio quia & si sit colliquatio solidorum, est etiam colliquatio humorum. Adduco aliam rationem quia humores in excrementis videntur sub colore, substantiâ, & forma quâ sunt naturaliter: igitur non putrescunt. Et est

confir

confirmatio præcedendum duarum. Tertia ratio in solutione huiusmodi febrium quandoque apparet solus sudor: igitur soli ichores corrupti. Exemplum habet primo Epideniorum in Herophonte & Cleanactide cum in Cleanactide materia crassa fuerit, vt qui octuagesima die sit iudicatus. Diceret aliquis etiam humores per sudorem ex cerni, quamdoquidem etiam difficultas fit de vrina, per quam tamen educitur humor. Alexander quoque Trallianus idem fatetur hoc argumento, quod in febribus non generantur omnia quæ in omni putredine oriri solent, præterea ichores putrescunt aliquando sine humoribus & tunc faciunt febrem, & non nisi simplicem facere possunt. Accedit validissimum argumentum quòd dicit atram bilem putrescere in venis, & non bilem flauam nec pituitam, est res somno similis, tum magis quod illa ægrius putrescit. At dicere ichorem putrescere vniuersum, eum verò esse biliosum aut melancholicum, est res satis euidens, atque ita formari quatuor febrium genera. Galenus etiam de inæquali intemperie, dicit calor adueniens spiritibus, solidis partibus, & humoribus constituit febres; sed priores sunt absque putredine, igitur & quæ in humoribus; & certè Galeni sententia ibi est clara. Verum sententia Principis prima quarti est expresse, vt dixi quòd humores putrescant. Est etiam ratio, quia si ichores putrescerent, vrinæ essent corruptæ in febribus simplicibus, & claræ in pestilentibus; cuius oppositum experimentum ostendit: rursus in tertianis videmus vomitum bilis, non ichoris tantum. Propter hæc, respondeo quòd Galenus fuit quasi dubius, vel quod esset alius modus putredinis in humoribus & quòd tepor illi febris non esset nisi quia calor nō trudebatur foras, non quòd fit ex naturâ febris pestilentis, ideò adducit & probat verba Thucydidis huiusmodi: [Et tangentibus corpus non valdè calidum extat exteriùs, nec viride; sed subrubrum, liuidum, pustulis exiguis atque vlceribus efflorescens, interiora verò adeò vrebantur vt nec valde subtilium vestimentorum, nec linteolorum velamenta, neque aliud quicquam præter nuditatem ferre possent] In secundo etiam de naturâ humana dicit quod morbi qui fiunt ex exhalatione, fiunt magis ob substantiæ totius proprietatem, quàm ob manifestam qualitatem: Igitur febres ille fiunt corruptâ substantiâ, aliæ à qualitate solum, igitur humores tantum incalescunt, & ichores putrefiunt. Propter hoc dicendum est, omissâ opinione Galeni, qui vt dixi incertus fuit, quòd est inflammatio in humoribus, & putredo in ichoribus: sed si morbus sit sanabilis eius generis in quo natura euincit, sicut apparet in sedimento, & ob id vrina est similis in substantiâ vrinę sanorum. Putrescit ergo tenue humidum humorum simul, & est substantia quia differt à parte serosa per totum sparsa, humores autem solum incalescunt, si putrescant fit pestilens febris. Hæc autem declarata sunt in libris de vrinis: Ad id de humoribus dico quòd vomunt solum ichores & aliter nunquam vidi. In fine autem eiiciunt etiam calefactos humores.

CONTRAD. VII.

Putredini an calida & humida maximè obnoxia.

PHilosophus quarto Metheororum definit putredinem interitum calidi natiui in humido ab externo calore. Indè docet quòd calida difficulter putrescunt. Et ratio est clara etiam de calidis & humidis; quia si quæ putrescunt fiunt frigida & sicca, igitur calida & humida difficulter putrescunt. Et in libro de longitudine & breuitate vitæ, dum reddit rationem cur homo diu viuat dicit quod abundat pingui humido quod difficulter absumitur. Et hoc etiam docet experimentum, adeps enim, & oleum & quæquæ calida sunt & humida, non putrescunt. Imo ibi addit rationem: [Pinguia, inquit, seruantur imputrida quòd aër eorum auctor sit qui ad reliqua elementa se habet, vt ignis.] In oppositum Galenus mille locis, tum præcipuè octauo artis curandi: [Calida, inquit, & humida temperies putridini maximè obnoxia est: tum ipsis morbis; atque id nil mirum, cum etiam, inquit, per ipsam sanitatem maximè ad putredinem accedit.] quod ex sudoribus, vrinis, excrementis quæ malè illis olent tum etiam respiratione coniectari licet, cum vtrumque horum sit euidentissimum experimento: clarum est de calido & humido reipsa distinctis ipsos intelligere. Ideò quod calidum & humidum duplex est; aliud quod est concoctum, & tale minimè est putredini obnoxium, aliud quòd mixtum ex humidò aqueo & calido quasi externo, quia nondum factum est vnum per coctionem, & tale facilè putrescit.

CONTRADICT. VIII.

Febris pestilens an cum calore acri, ac mordaci.

GAlenus secundo de differentiis febrium, cap. 11. ante Med. dicebat quòd putredo facit calorem, acrem, atque mordacem, quod etiam dixit in libro de venæ sectione, cap. 5. & ratio etiam est clara quia putredo fit à calore igneo. Consonat & dictum primo in sextum Epidemiorum, com. 19. vbi ex sententia Thucydidis dicebat, quòd languentes interiùs vrebantur, loquens de peste laborantibus: pestilens enim febris inquit ibi, calore differt ab aliis per putredinis excellentiam. Si enim calor ille maximè putridus est: & putridus calor maximè mordax est & acris, sequitur vt pestilentis febris calor sit acris & mordax. Cuius tamen oppositum ibi dicit, namque ait [Exterius neque calidi neque perurentes tangebantur.] Idem nono de simplicibus medicamentis. [Scio quod posset dici scilicet quòd non sit vehemens exterius, sed tamen acris & mordax.]

Verùm hæc responsio non satisfacit quandoquidem nolit Galenus per hoc posse dignosci: imò in tertio de Præsagio ex pulsibus, coarguit medicos qui non dignoscebant hanc febrem nec ex calore, nec pulsu, nec vrinis: nec reprehendit ex hoc, sed quòd non ex aliis postmodum signis, tum quibus imperiti cognoscebant, scilicet fœtore respirationis eam agnoscerent. Dico ergo quòd si quis rectè animaduertat; responsio est Galeni tertio de præsagio ex pulsibus quod huiusmodi febris est hectica, hectica autem ab initio videtur cum calore miti, & hoc quia parum recedit in magnitudine à naturali: attamen est valde siccus & mordax, vbi paululùm manum sustinueris. Cum ergo dicit neque calidi, neque percutentes tangebantur, intelligit de magnitudine caloris, non qualitate. Scias tamen quòd nonnunquam pestilens illa contagiosa, valdè ab initio est perurens quia coniungitur febri ex ichoribus. Sed verè putredo non est causa mordacis caloris, nisi vt est in materia mordaci scilicet ichoribus, tum etiam in bile: sed non ratione quâ putredo; quoniam incendium est mordax & acre, non putredo: proprium autem putredinis est malus odor, & dissolutio virium.

CONTRAD. IX.

Alexipharmacis an venena à totâ substantiâ miscenda? Cantharides an venena à tota substantia? Alexipharmacum idem an plurium possit esse venenorum.

ALexipharmacis quæ Latinè propriè antidota vocantur, possunt commodè misceri venena velut cantharides quæ vrinã proliciunt, atque sic venenum educunt, tertio de simplicibus medicamentis cap. 23. nec solum posse, sed debere affirmat. At in quinto libro capite 19. dicit, non esse miscenda medicamenta illa quæ à totâ substantia naturæ humanæ aduersantur, & dat exemplum de Solano maniaco & Pityocampe: At Pityocampe primum est, ex genere cantharidum 11. de simplicib. medic. Pityocampe eruca quæ in Picea nascitur cantharidibus facultate fermè similis. Sed & Solanum maniacum 8. de simplic. medic. frigidum esse in tertio, & vt papaueris succum nocere, atque occidere docet. Non igitur à totâ substantiâ, quæ enim à frigiditate occidunt non sunt venena, inquit ipsemet 3. de simplic. medic. Quin etiam cantharides ait esse ex his quæ proprietate agunt expressè: atque ob id verè venena, & à substantiæ contrarietate primo de medicamentis secundum genera. At verò & illud mirabile, quòd inter ea venena quæ proprietate agunt enumerat Dryopterim quæ est quercina filix, seu rectiùs filicula, vt in sexto libro exponit. Sit sanè medicamentum scepticum, vt in quinto de simplicibus medicamentis dixit: quomodo venenum illud adeò reformidat, cuius magnam quantitatem sæpè Pharmacopolæ per incuriam decoctis admiscent & sine noxa. Hanc etiam agnouisse videtur vt vulgarem herbam Amatus Lusitanus in suis commentariis super quartum Dioscoridis cap. 187. vt sit sanè vulgaris & nota omnibus gentibus, nam nomina addit. Accedit his tot difficultatibus quòd cum alexipharmacum statuat medium inter naturam humanam & veneni, quinto de simplicibus Medicamentis cap. 18. & id iure meritò, nam educere debet venenum atque euacuare, quod est verè alexipharmacum: sed quod educit aliquid, est medium naturâ inter naturam humanam, & id quod educitur, tertio de simplicibus medicamentis cap. 25. igitur oportet vt alexipharmacum sit medium, substantiâ inter humorem & naturam humanam, & dabat ibi exemplum de cnico & pituita quæ alba ambo sunt. Quin imò addit quod si non purget medicamentum humorem quem purgare debet, nutrit corpus: Et conatur ostendere quod conuertitur in pituitam. Si ergo sic est, quomodo Theriaca potuit omnium venenorum esse alexipharmacum, vt tamen colligitur in libro de Theriaca ad Pisonem, cap. 16. & in libro de vsu Theriacæ ad Pamphilum, cap. 1. Hæ igitur sunt dubitationes. Et respondeo ad hanc primùm quòd cum theriaca sit calida, & venena omnia calida, vt demonstraui in libro de venenis, erit media: sed non per æqualem distantiam, verùm quouis modo licet per inæqualem excessum, neque enim illa æqualitas requiritur. Quòd si contendas dari venena frigida, vt nos alibi in his libris scilicet lib. 9. contrad. 5. docuimus: erit non propriè alexipharmacum, sed cuiusmodi piper & castoreum opij, vt apud Paulum & Galenum libro 5. cap. 43. de pipere secundo de Antidotis, & de Castoreo ad corrigendam intemperiem, vt tertio de compositione medicamentorum cap. 7. secundum locos. Ad principale dico, quòd cantharides agunt totâ substantiâ: ad auctoritatem in quinto libro intelligit pro temperando medicamento, vt quando ponimus opium: non autem quando imponimus venenum ratione proprietatis, vt de cantharidibus. Vnde subdit in tertio: [Atque id genus medicamenta composita, si aptè mixta sint, efficacissima sunt.] Et quòd sic debeat intelligit, patet clarè ex libro de Theriaca ad Pisonem, cap. 5. 7. 8. 9. vbi miscet carnes viperarum Theriacæ; at quid est venenosius illis, & à totâ substantiâ? neque enim de hoc dubium esse potest. Reliquum est de Dryopteri, & Solano dicamus. Solanum maniacum tametsi frigidum sit, vult tamen refugiendum nisi ob singularem, vt dixi, aliquam vim; cum aliud Solanum, etsi venenosum sit, non tamen adeò aduersetur naturæ humanæ, nec tantam efficiat læsionem. Vt tandem dictum 3. de simplic. medicament. eò redigatur, vt non nisi ob euidentem aliquam vtilitatem misceantur venena. At in quinto appellat venena non sub vero sensu, sed vt Princeps,

quæ

quæcunque seu substantiæ proprietate vt cantharides, seu ob immoderatam qualitatem omninò aduersantur naturæ humanæ, sic vt agant & nō patiantur, & tandem perimant. In quo sensu, & vt etiam diffiniuit venenum tertio de temperamentis. De dryopteri refugit, quia vim habet putrefaciendi, & meritò. Adeò vt per illa exempla omne genus veneni exploderit, & quod immoderata qualitate perniciosum etiam vt solanum, & quòd substantiâ vt hydrargyrium: & quòd proprietate solum malefica licet non occideret, vt dryopterim: & quod etiam maleficum simul proprietate & occideret, vt Pityocampe; ideò adiecit saliuam, & fel venenatorum animalium. Thapsiam verò vt etiam dryopterim, quanquam thapsia adeò acris sit, Galeno teste, vt eam vix quisque gustare sustineat.

CONTRAD. X.

Calor naturalis an idem quod vires, seu virtus.

GAlenus primo de victu in acutis inquit, vitalis facultatis imbecillitas vnicum est illud quod indicat de exhibitione cibi, cum cætera omnia nos auertant. Et Hippocrates in textu: [Nam detractio cibi sæpe numero expedit, cum vires suffecerint donec morbus concoquatur; sed vbi calor magnus est, dandi sunt plures cibi, primo Aphorismorum, aliter inquit corpus absumitur.] Igitur vires differunt à calore. Galenus quoque in libro de bono corporis habitu negat athletas vires habere validas quod ad ferendos morbos attinet; at vt in Aphorismo, iidem plurimum habent calorem innatum, igitur calor innatus differt à viribus. Rustici etiam robustum habent calorem naturalem non tamen vires vt colligitur primo de Alimentis: igitur calor à viribus differt. Infantes quoque, vt dictum est, abundant maximò calore innato, & tamen facultates saltem animales imbecillas habent, & vitales etiam non validas, vt tertio de causis pulsuum colligitur de pulsu, & primo de tuenda sanitate, de animali. Et patet etiam experimento, nam nec vident, nec audiunt vt iuuenes, nec recordantur, nec imaginantur: omitto modo de moribus quos liceret referre in instrumentorum mollitiem. Præterea mortes repentinæ quæ illis accidunt, hoc declarant. In oppositum secundo ad Glauconem [Natiuus calor qui fortassis vt nonnulli arbitrantur plurimi philosophi ac Medici in substantia virtutum existit.] At in primo de præsagio ex pulsibus, & in quinto de locis ponit eam in temperamento totius corporis, verum in duodecimo artis curandi ponit eas in solidorum temperamento, atque spiritibus; & videtur sanè Galenus voluisse vires in abundantiâ natiui caloris consistere primo Aphorismorum. Respondeo quòd vires consistunt in temperamento primùm membrorum, secundo in densitate solidorum ac etiam duritie, tertio in abundantia caloris: propterea subiicit secundo ad Glauconem: [Et si non hoc, saltem primum & maximè necessarium earum in strumentū.] Ergo cum calore valido possunt esse vires imbecilles: vt cum viribus validis passiuis calor imbecillis etiam esse potest, cum actiuis autem minimè.

CONTRAD. XI.

Febribus an frigidus aër melior? succinum an calidum & siccum?

GAlenus nono artis curandi docet aërem esse refrigerandum, & humectandum subterraneis domibus ab Septentrionem versis ac ex Euripo aliquo auram traducētes atque inspirantes: nec noc pauimentum aquâ irrorando, & flores ac germina facultatis frigidæ spargendo; & hoc in febribus, quoniam affectus est calidus atque siccus; sed si affectus id non exigat, solum remittere iubet excessum. In oppositum primo Problematum febres ardentes potius per autumnū hyemēque conflictāt, quoniā calor pulsus à frigore, introrsus se contrahit. Et infrà quamobrem corpus, cum secundā procuramus valetudinē studemus, non densum sed rarum efficere studemus: caliditas autem rarefacit, corpora frigus densat.] Princeps in secundo canonis ponit populum arborum calidam in tertio & calidiorem eâ florem, & lachrymam calidissimam. Quanquam posterius dicat lachymam quæ succinum apud nos vocatur esse modicè calidam, sed siccam in secundo; potest etiam esse temperata in calore, modicè sicca. Sed differentiam prima est quoniam haurrum est populus, haur autem succinum; & non est succinum lachryma populi. Iubēt autem sterni frondes populi in calido aëre, vt Conciliator refert: igitur non volunt aërem esse refrigerandum & humectandum, nam & siccam esse refert Princeps. Præterea Galenus decimo artis curandi in cura hecticæ iubet nos esse contentos aëre modicè frigido, nam frigidissimus inquit, cordi quidem per respirationem attractus confert, at ambiens nocet constringendo meatus, prohibendo exitum vaporum, & ita auget febrem. Quòd si hoc in hecticis, quātò magis in putridis vbi calor & copia halituum est longè maior? Præterea cura debetur causæ libro de optima secta ad Trasybalum: sed multarum causa potest esse frigida & humida, & aër debet esse contrarius illi, igitur in multis saltem febribus conueniet aër calidus siccus, aut calidus & humidus vt in quartana. Haliabbas etiam tertio practicæ in tertiana notha, & Alexander Trallianus in duodecimo libro in continente febre balneum adhibet tepidæ aquæ, sed Haliabbas concoctâ materiâ; aliter dicit, à calore balnei tria sequentur incommoda, obstructio ex fusione humorum nondum putridorum: putredo maior ex permixtione fusi humoris putridi cum non putridis, & crassities resolutis partibus tenuioribus. At Trallianus in ardente ex bile, quam notham vocat ardentem ad sanguinis discrimen, consulit vt corpus refrigeretur

extra quam intus: igitur & iuxta non solum febrium genera, sed etiam tempora aërem adhibere conueniet. Nam & vndecimo artis curandi in putridâ concoctionis signis visis, balneum adhibere conuenit. Manifestum est autem balneum esse, fuisseque tunc temporis cum aqua, non solum calida sed etiam aëre, vt antea docuerat. Itaque aër calidus conueniet, & vtilis erit in putrida febre. Tum etiam consulit mergendum in in aqua frigida ægrum; in superiore loco loquitur de ardente febre in aëre æstuoso, calido scilicet vehementer, ac sicco. Pro solutione huius difficultatis quæ cum maximè necessaria sit: non ob socordiam, sed difficultatem ab autoribus omissa est; nam duplicem includit repugnantiam, calidus enim aër vt iuuat ad coctiones iuxta illud secundo Aphorismorum, [Æstiuæ quartanæ breues sunt, autumnales verò longæ] sic etiam ad digestionem & exhalationem, & eò magis si materia sit frigida, temperat eam: ità dissoluit vires, facit obstructiones, miscet pura impuris, ac omnia corrumpuntur; Et vt caliditas auget morbum, similiter & siccus ità reuocat ab interioribus ad exteriora, aperiendo meatus cutis, & febrem æstumque minuit. Quo circa nemo ausus est determinare in hac difficultate: clarè tamen Galenus decimo artis curandi, in hecticis frigidissimum præponit non solum calido, sed etiam frigido duabus rationibus: altera quòd plus iuuatur cor, quàm lædatur corpus ex constipatione meatuum; altera quod licet iacturam frigidi aëris in corpore, linteis ac vestibus circumpositis emendare. Et licet Paulus in putridis factâ coctione consulat vti inunctionibus calidis, ac relaxantibus; non tamen eadem est ratio oleorum, quæ aëris; quia olea non trahuntur ad cor. Ergo stat regula generalis, vsque ad statum debemus vt aëre frigido: quia vtilitas est manifesta ex corde, propter autoritatem decimo artis curandi adductam: dato quod non prohibemus quin tegatur corpus; & vt temperetur calor & siccitas febris, quæ nocent etiam coctioni ciborum, & ne materiæ crudæ diffluant & sequantur tria illa in conuenientia dicta ab Haliabbate: tû etiam vt vires non resoluantur. Sed in statu melior est aër calidus, ob digestionem & coctionem humorum. In ephemeris eadem ratio fermè quæ in hecticis. Excipiuntur tempora crisium per sudorem, & status accessionum cum expectatur sudor. Et similiter in fluxu sanguinis narium, tunc enim calidum aërem præponemus. Sanguis enim æstate magis profluit & aëre in feruido. In pestilenti autem non dicunt Auctores de calido nec frigido, sed sicco & odorato. In hoc igitur recurrere oportet ad regulam dialecticam: quia homo moritur per resolutionem caloris innati, & seruatur per expulsionē veneni ad exteriora. Sed hoc est proprium & illud commune, & cōmune commune, vt non est pestilens, nec lethale; igitur aër calidissimus est optimus, post frigidissimus, qui autem est prope temperamentum est inutilis: sed eo deterior qui declinat [illegible] frigidum vel calidum, oportet verò in frigidissimo vti vestibus plurimis. Quòd ad populi arborem attinet septimo de compositione medicamentorum secundum genera ponitur populus nigra pro sampsucho vt videatur satis calida. Idem in tertio ponit oleum è floribus populi inter non parum digerentia. Quarto autem de Tuenda Sanitate oleum è floribus populi inter acopa numerantur, vt Princeps deceptus sit, si Haurrum pro populo scribendo adeò calidam existimauit; sed Haur populum significat, Haurrum autem alia est arbor genere toto calidissima. Succinum autem ipsum astringens est moderatè calidum vt colligitur ex septimo de compositione medicamentorum secundum locos. Vel dic quod Princeps ex verbis Pauli Æginetæ in libro sedptimo deceptus est: & cum enim Paulus dixerit popopulus nigra in primo ordine calefacit, modicè exsiccat; illius verò lachryma floribus calidior: ipse quasi ordinem secutus esset plantæ, florum, & lachrymæ, nec meminisset primi ordinis statuit illam vndique calidissimam. Sed Aëtius in primo difficultatem auget, qui flores populi nigræ calidos in tertio ordine constituit: de alba omnes conueniunt, sed Aëtius propter discussoriam facultatem quæ à tenui substantia proficiscitur, ad tertium ordinem illam frustrà traduxit. Oleum certè ab eo inter acopa cum numeretur, immerito tertio loco calefacientium constituitur: quod cum etiam somnum non parum prouocet, vt in vnguento è populi flore, non est verissimile siccum esse, nec vehementer calidum.

CONTRADICT. XII.

Carbunculus, Anthrax, & Dothien an idem.

[PAulo & Q. Martio censoribus primum in Italia carbunculum venisse animalibus conscriptum est, peculiare Narbonensis Prouinciæ malam: quo duo consulares obiere. Nascitur in occultissimis corporum partibus, & plerumquè sub lingua; duritiâ rubens variis modis, sed nigricans capite, aliàs liuido: corpus intendens, non tumescens: sine dolore, sine pruritu, sine alio quam somni indicio; quo grauatos in triduo aufert: aliquando & horrorem afferens, circaque pustulas paruas, rariùs feriens stomachum: faucésque cum manserit ocyssimè exanimans.] Hæc Plinius. At Q. Serenus diuersum, & doloris non expertem facit.

Horrendus magis est, perimit qui corpora carbo
Vrit inclusus vitalia rumpit acerbus.

Marcellus inquit, Ad carbunculos oculorum quos anthracas dicunt: Celsus autem libro quinto hæc habet: [Rubor est, superque eum non nimium pustulæ eminent maximè nigræ, interdum subliuidæ aut pallidæ. In his sanies etiam videtur, infrà color niger est; ipsum corpus aridum & durius quam naturaliter oportet, circa quem quasi

quasi crusta est: eaque inflammatione cingitur; neque in eo loco leuari cutis potest, sed inferiori carni quasi affixa est: somnus vrget, nonnunquam horror, aut febris oritur, aut vtrumque, idque vitium subter actis quasi quibusdam radicibus serpit, interdum celerius, interdum tardius; supra quoque procedens inalbescit, dein liuidum fit circumque exiguæ pustulæ oriuntur, & si circa stomachum faucésve incidit, subito spiritum sæpe elidit, nihil melius esse quam protinùs adurere: neque id graue est, nam non sentit ea caro mortua est.] Vt appareat quam oscitanter dum breuis videre studet Plinius, bene dicta à Celso, ipse Plinius referat. Galenus autem de anthrace hæc habet quarto decimo methodi: [Est & aliud vitium quod ex humore crasso feruentique nascitur, incipit hoc plerumque à pustula, aliquando & sine hac. Cæterum inter initia, quibus hoc instat, scabunt particulam omnino, mox oritur pustula quædam, qua vlcus cum gignitur. Sæpe verò non vna oritur habentibus pustula, sed multæ exiles, veluti millij semina, crebræ in particula residentes: quibus perruptis, similiter crustulosũ vlcus prouenit. In carbunculis verò qui per aliam populatim sunt grassati, etiã citra pustulas, nonnullis excoriata statim cutis est, omnibus tamen, vt dixi, crustosum vlcus fit, modo crusta ipsa cineris colorem præferente, modo nigrorem. Omnibus præterea his, circumposita caro in summam peruenit inflammationem, non tamen colore aspicitur erysipelatis, imo qui adhuc phlegmones colore fit nigrior: veluti si plusculo rubro, minus misceas nigri. Quod autẽ necessariò febricitent, qui ità affecti, idque non minus, imo magis, quam illi quibus erysipelatosa est phlegmone, id vtique latere neminem potest.] Ponitur à Galeno vt omittam parum controuersa necessaria febris à Celso, minimè à Plinio: negat pruritum adesse Galenus maximũ, Celsus indiscussum omittit. Nec solus Plinius hoc malū sine febre esse negat, sed & Paulus posse affirmat dum dixit multis febres simul accidunt, quasi dicat aliquibus etiam non accidunt. Hunc etiam videtur dothienem Rasis appellasse, sed & dothien alibi non pro carbunculo, sed furunculo scribit idem Paulus non procul in eodem libro: vt quod ad Rasim attinet sit nodum (vt dici solet) in scirpo quærere. Aut enim verum dothienem descripsit Rasis, aut deceptus in nomine; pro carbunculi nomine furunculi accepit, vt non sit consideratione dignum. Accedit solum quòd Plinius dicat non intumescens, cum Galenus inter tumores præter naturam ortos illum numeret. Respondeo igitur ad hoc quòd carbunculus & anthrax idem sunt: sed vtrumque fit vel à pestilenti qualitate, vel non. Galenus & Græci eum qui fit, non à pestilenti qualitate describit, vt ab alio distinguatur & qui communiter accidit in Græcia: at Plinius & Celsus eam speciem solùm lethiferam, pestilentemque quæ in Italia oriebatur: nam ob impuram & sordidam victus rationem, hoc malum Romanos infestare cœpit; tum maximè causâ externâ adiunctâ, vt apud Plinium. Q. Licinius Bassus ex punctura acus pollicis sinistri, & Iulius Ruffus medicorum inscitiâ sectus. Hoc genus ergo & quòd pestiferum esset, & quòd in Italia vbi victus ratio fædior, quàm in Græcia; & quasi sine pruritu fuit, & sine febre sæpè, & absque tumore sensili. Sed hoc quasi commune omnibus carbunculis generalibus numeratur inter tumores, non solum quòd caput exerat, quod commune est etiam omnibus carbunculis; sed quòd quia pestilẽs est etiam, vt dicit Plinius, corpus intendat licet non intumescat. Quòd verò pruritum non pariat, fit vi mali obsessa parte: cum enim partes omnes qualitatibus primis mutentur ad dolorem, à putedine autẽ non permutantur, nisi vt ei calor, aut siccitas, aut frigiditas adiungitur: vbi qualitas nulla putrida adsit, necesse est maximum pruritum sentire, & etiam aliquem dolorem: sed si putredo eueniat, prius particula emoritur, quam aliquid sentiat. Licet ergo non agat putredo nisi vi caloris, potest tamen esse tanta, & tam sæua vt prius extinguat calore, innatum caloris exigui auxilio tanquam instrumento, antequam illa quidquam sentiat; quod in aspidum morsu contingere affirmat Dioscorides libro sexto, & de cicuta Theophrastus: vnde tunc neque dolor, neque pruritus sentietur. Simili ratione vbi pestilens valde fit carbunculus, febrem adeò remissam mouet, vt nec Celso, cum tunc febrium ratio nondum clare innotuisset, sed ex calore & horrore eam diiudicarent; multo minus Plinio qui à Medicina prorsus abhorrebat nota esset. At cum adeò lethalis esset morbus, laborare eos vehementi febre cum Galeno censendum est? quandoquidem & qui pestiferus non est, necessariò talem febrem sibi adiungat.

CONTRAD. XIII.

Venena exteriùs an intùs aßumpta occidant.

CElsus libro quinto: [Venena animalium exsugere loco calido, & ægro procliui decet. Nam non sũt venena nisi gingiuæ aut palatum exulceratum sit. Vndè Psillis nihil præcipuum præter audaciam. Colubra enim tutò estur ictus eius occidit.] Et in eadem sententia fuit Princeps sexta quarti cum dixit, & non habeat gingiuas corrosas, sic enim legi debet. Quasi dicat, suctio illa nocere non poterit. Videtur etiam Galeni fuisse sententia cum reddit rationem cur cœpe & similia quæ dulcedinem habent admixtam cum coquuntur comesci ob interioris caloris magnitudinem, exteriùs propter substantiæ tenuitatem admota exulcerat. Contra animalia quæ terrea sunt, exteriùs quidem admota, licet calida non exurunt, quia nec subtilissime tuta sint, nec à calore externo ob imbecillitatẽ comminui possint in minutissimas partes, vt primo de simplicibus medicamentis colligitur. Eadem sumpta interius à valido calore elaborata cum consumi nequeant, putrefaciunt & colliquant. Quarto de

de simplicibus medicamentis vbi enumerat tres ordines illorum crassissimorum chalcitis, misy, soris, arsenicum, hydrargirum, lithargyrum. Mediorum, calcem, cantharidem, leporem marinum quæ omnia sunt venena: tertij ordinis subtilia vt venena non sint prorsus velut iris, & aristolochia. Circa quod notandum, prima genera dicit esse non potestate solum, sed actu calida; & addit æruginem, calcem, & stercus columbinum, modo inquit magna sit quantitas. De calce & stercore columbino palam est, sed est alia causa; at de aliis non adeò certum volui admonere lectorem, cum non sit hic locus. In oppositum, Galenus quinto de simplicibus medicamentis: [At sunt (inquit) quæ tota essentia nobis contraria sunt, proindè si vel minimum eorum assumptum fuerint, omnino lædat necesse est velut dryopteris, & pityocampe, & solanum maniacum, & hydrargirum, & fungorum nonnulli, præterea saliua, & fel venenatorum animalium.] In hac sententia est etiam Matheolus in commentario sexti libri Dioscoridis: vbi etiam addit exemplum de rustico qui dum proprium vulnus ab aspide illatum sugeret, repente corruit mortuus. Proterea diceret ad hoc Celsus, quòd mortuus est vi vulneris, non propter suctionem: vel quod rusticus ille exulceratas haberet gingiuas. Diceret etiam quod experimentum est pro se quia nullus mortuus est ex his qui suxerunt. Respondeo quòd talia venena etiam intèriùs sumpta enecant: non tamen necesse est vt sugendo interficiant, quia primum expuitur virus illud; nec dicit Celsus quod deglutiatur: secundo quia iam est imminutum quantitate propter partem quæ tendit iam ad cor: tertio quia est immutatum à calore demorsi, de cane rabido tamen non esset tutum. Quia sutor dum dentibus strinxisset suturam vestis quam canis lacerauerat, correptus est rabie & interiit intra paucos dies. Ad reliqua dico quod acria illa non vincuntur à naturâ quia tenuia, sed quia dulcis aliquid admixtum habent, dicit Galenus: nec sunt toto genere aduersa naturæ humanæ.

CONTRAD. XIV.

Medico ad defensionem patriæ, an liceat venena docere.

Galenus secundo de antidotis damnat illos qui venena docuerunt, dicens munus hoc esse improbi viri, non medici. Et in libro de medicinis purgantibus dicit non esse docenda venena, & narrat de quodam qui publicè ob hoc plexus est: idem in libro de causis catarticis narrat de quodam qui veneno absumptus fuit à nouerca, & quatuor dederunt pœnas; & quod maius est ipse Hippocrates in iuramento. [Neque verò vllius preces apud me adeò validæ fuerint, vt cuipiam venenum sim propinaturus, neque ad hanc rem consilium dabo.] Oppositum, Galenus in prima auctoritate docet, plurimos egregios viros docuisse venenorum compositionem atque inter cæteros Orpheum Theologum, aliosque plures Poëtas: fuitautem Orpheus sacris Proserpinæ initiatus, & ob hoc creditur descendisse ad inferos & Euridicem vxorem à Platone vt ad vitam reduceret impetrasse. Est etiam illud animaduertendum naturam plura effecisse venena alicuius sanè vsus gratiâ. Nec tot illius species genuisset, vt nulla pars, nullus locus vacet venenis. Viscera terræ non alio planè referta sunt thesauro, quàm veneno; maria non carent illis, non plantæ, non animalia: quin etiam voluit hominem homini esse venenum. Quin etiam Thessalus apud Athenienses in oratione pro patriæ suæ defensione quam verissimile est ostendisse patri viuenti, tum & paulò post ab Atheniensibus damnatur, quasi pro egregia laude maiorum suorum refert hæc verba: [Nabrus é maioribus nostris cum Crisæi latrones in vrbe propria obsiderentur, aquam quæ in vrbe deferebatur medicamentis infecit vndè ventres Crisæorum corrupti sunt & sanè multum contulit ad hoc vt ciuitas caperetur.] Si igitur licuit ad expugnandam alienam ciuitatem, quanto magis ad propriam patriam defendendam. Vnde manifestum? vitiosam fuisse illam orationem, & ad patriæ euersionem: cum in eo maximè laboret orator vt maiorum suorum merita, non patriæ extollat. Vndè meritò fit vt eiusmodi legati nihil impetrarint, despiciunt patriam qui nihil habent egregij præter vnam familiam, oratorem autem odio habent vt nimis ambitiosum, & patriæ suæ potius proditorem, quam defensorem; decebatque oratio illa potius quemquam alium ciuem, quàm Thessalum. Sed vt ad rem redeamus, aliud est officium medici, aliud militis: militi & ciui licet aquas inficere, medico non licet, etiam ciui & periclitanti cum familia neque facere, neque docere nam potius est sacramentum artis in arte omni alia lege. Extra artem autē vtpotè quòd ad mœnia armatur, accedat machinas bellicas, excogitet licet: de venenis à naturâ editis altèrius est artis, quam medicinæ considerare.

CONTRAD. XV.

Argentum viuum an lethale medicamentum apud Galenum.

[Ferro & lapidi ignito similia sunt medicamenta quæ per erosionem interimunt velut hydargirium.] Quarto de simplicibus medicamentis. Post quod satis mirum est in nono eiusdem quasi oblitus dicti sui inquit de eodem. [Non est ex sponte nascentibus medicamentis, sed quæ præparantur, velut ærugo & lithargyros, nullumque feci periculum an vel si deuoretur vel foris admoueatur interimat.] In tam paucis verbis tria absurda dicit, primum contradicitur his quæ prius dixerat, quòd erodendo interimet; Secundum quod dubitet

tet an foris admotũ interimat, hoc enim est quasi præter fidem: maximè in substantia tam crassa, nec vllum hucusque tale inuentum est: sed sunt huiusmodi venena Regum seu Tyrannorũ aut viuentium serpentũ, morsus, ictusue. Tertium est quod existimat hydrargyrium omne artificiosum esse. Quod si intelligatur nominis habita ratione, verum esset; sed cum loquatur vt Medicus, & per hoc nomen intelligat quicquid vulgari appellatione dicitur argentum viuum, vera non dicit: nam Plinius, [Est & lapis in his venis cuius nomina liquoris æternæ argentum viuum appellatur, venenum omnium rerum. Inde paulo post, ex secundario minio inuenit vita hydrargyrum in vice argenti viui paulò antè dilatum.] vt liqueat argenti viui duas esse species, vnam fossitiam quæ nomen suum retinet, aliam quæ ex minio per artem detrahitur, hydrargyrum vocatam. Dici potest Galenum in prima autoritate loquutum ex communi aliorum sententia, velut etiam sexto in sextum de morbis vulgaribus, vbi argentum viuum inter venena commemorat. Tum verò artificiosum magis in vsu erat: nostra ætate fontes fermè integri inuenti sunt. De secundo intelligitur noxium medicamentum posse in vulnus inditum tandem, licet non adeò præsenti letho, interimere.

CONTRAD. XVI.

Venarum fibræ, an opus peculiare habeant.

VEsalius lib. tertio in initio hæc habet, Galenum secutus vt video sexto de vsu Partium: [Quamobrem cum sciret venam necessariò sanguinem admissuram, rectas illi communicauit fibras quibus vena sanguinem in ipsius alliceret cauitatem. Deindè quia sanguini ad subsequentem venæ partẽ tanquam per riuum propulsione opus erat, transuersis quoque fibris eam donauit. Ne verò statim vniuersus sanguis in proximam venæ partem citra moram ex alia assumeretur propelleretur ve, obliquas etiam fibras venæ corpori implicuit. Hanc opinionem vulgatam imo ab omnibus receptam, Fallopius vir omnium post Vesalium in anatomia admirabilis, in suis obseruationibus ita conuellit dicens: omnis attractio fit aut per se, vel proprietate quadam, & non corporeo modo: vt habetur septimo Physicorum, nec aliam inuenire licet. Siquidem vt ita dicamus quæ fit per contactum dum corpus se contrahens, corpus trahit: nam huiusmodi omnis actio per contactum fit vt octauo Physicorum: alia verò per vim solam & est attractionis genus aliud, solo nomine illi commune vt cum vel raritatis seu vacui fuga, aut proprietate vt Herculeus lapis ferrum trahit, vel vt alimentum à membro trahitur. Si ergo fibræ hoc modo trahunt, vt simile sibi simile ad nutritionem, hoc negari non potest: sed hoc non fit motu fibrarum, sed quiescentibus illis. Nec magis à rectis quam transuersis vel obliquis, nam omnes pariter indigent alimento; igitur ob hoc, hac diuersitate opus non fuit, sed vel nullis fibris, vel vnius tantum generis in venis qualibuscumque. At si vt dicunt fibræ trahunt situ suo ac corpore & verè, vt boues currum (vt ità dicamus,) Philosophus ibi docet quòd, id quod sic trahit magis mouetur, quam quod trahitur; ergo fibræ illæ mouebuntur magis sanguine qui trahitur: at fibræ illæ nec mouentur, nec moueri possunt vt quæ fermè potestate secernantur ab aliis, & quæ connexæ sint nimium: quomodo ergo magis moueri poterunt, quam sanguis ipse? Sed neque expulsione per transuersas: si enim vi naturali, non per motum fiat fibrarum, non est magis opus transuersarum quàm obliquarum vel rectarum; sin autem illis se constringentibus, vt dicunt, hoc fiat: non possunt id facere vt dictum est ob connexum, & coniunctionem cum aliis, tum densitatem. Præterea si expellunt constringendo, hoc accidit quia angustiorem efficiunt locum, vndè quod continebatur contineri amplius non poterit: at hoc idem continget de quibusuis aliis non trahentibus se constringitur locus Idem dico de obliquis, nam si naturali vi retinent, quod conuenit & finis gratiâ vt nutriantur, idem continget cæteris: sin vt constrictæ retineant, nequaquã; propellent enim potiùs, quia eadem ratione angustiorem efficient locum. Quod si dicas paululum constringuntur ideo retinent, non expellunt? idem ego dicam, inquiet Falloppius, de aliis generibus fibrarum. Propter hæc dico quòd venæ trahunt & expellunt sanguinem non alimenti solum causâ, neque enim tantum qualitatem traherẽt aut retinerent, ideo corpore ipso non vi sola, & fibræ sunt factæ à natura; igitur ob vsum, aut necessariò ob id quod ad vsum consequitur & ob vtilitatem, licet non ob vsum. Ista non sunt manifesta Philosophis. Quod si Fallopius dicat quod renes trahunt naturali vi vrinam plusquam sit pro nutrimento. Dico quòd coguntur vt eliciant quod opus est, sed non retinent: at de venis non coguntur trahere tantum sanguinis vt nutriantur & retinent, postea igitur oportet vt constructio talis sit vt possint retinere. Et hoc ipse Falloppius fatetur dicens quod verum est datas eis esse multiplices fibras, vt in omnem impetum sanguinis qualiscumque esset sinuarentur, nec disrumperentur & hoc est verissimum. Cum verò etiam trahant venæ, necesse est vt trahendo constituant fibras, non quod fibræ trahant, vt inferiùs declarabo.

CONTRAD. XVII.

Ventriculi tunica interior an trahat.

GAlenus tertio de naturalibus facultatibus conatur ostendere non solum in musculis, sed in naturalibus quoque membris motus fieri iuxta fibrarum situm, longis enim trahit, transuersis propellit: circularibus autem intestinis constrictis intestina dilatantur, quia fiunt longiores: contra dilatata eorum substantia fiunt breuiores, & ideo intestina angustiora redduntur quartodecimo quoque de vsu partium: longis membra attrahunt fibri, transuersis protrudunt, vtrisque autem simul retinent. Et in quinto hanc autoritatem mancam, dum de vesicarum tunicis agit; & ventriculi & intestinorum, inquit, rectis fibris opus fuisse ad trahendum, transuersis ad prodendum, obliquis ad retinendum, sed in retentione omne fibrarum genus constringi oportere. Idem Fallopius conuellere hanc opinionem nititur, negatque interiorem ventriculi tunicam vllo modo trahere posse. Et ratio eius est: omnis operatio in membris fit per fibras carnosas, de his quæ fiunt per fibras sicut videmus in musculis in œsophago quæ sunt planè carnosæ, quia sine carne non potest conseruari tantus calor, vt possint fieri huiusmodi operationes; Et hoc etiam apparet discurrendo per singula membra quæ fibras habent, sed non carnosas: & primo de tendone in musculo qui non mouet, quamuis habeat neruos, & componatur ex fibris, & habeat sensum; sed non mouet nisi à carnea parte moueatur, quia principio motûs caret. Idem de membranis quarum quæ carneæ non sunt licet neruos habeant & fibras, non mouentur per se, vt quæ cingunt cerebrū; contra carneæ omnes mouētur & quæ carneæ sūt vt ceruicis, vteri, ac vesicæ exterior tunica. Dico dubium est quomodo vomitus fiat, Galenus secundo de symptomatū causis dicit [in vomitu ventriculum moueri, velut in partu vterum, & esse opus virtutis expultricis.] Tertio siquidem de Naturalibus facultatibus dicit sentire nos quod verum est resupinari ventriculum cum ad vomendum incitamur. Ità tandem quamuis ægrè constat, non solum naturali facultate fibrisque, si modo id contendat fieri solere, (de quo est quæstio proposita, propelli noxia, sed motum quendam fieri voluntarium vt ita dicam quo ventriculus in vomitionibus subuertitur, quamquā cum illum à musculis fieri oportere Galenus prodidisset, nec haberet quibus fieret, vt posset ostendere more suo partim silentio, partim dubiis, & ambiguis atque imperfectis sententiis rem inuoluit. Ea de causa & Vesalius præteriit tantam rem: rogo qua ratione? an quia res ignota, vel quia rarò accidat, vel parui momenti. Ideò Falloppium & subtilitate inuentorum, & pudoris ingenuitate, omnibus hac in parte præfero, quod veritati magis studuerit, nec veritus sit vulgi voces, vt noua principia non proferret. Sed eum breuitas vitæ fefellit, & improba illa opum, & ambitionis cupiditas. Ego sanè non noui vmquā è facie hominem; sed probaui iudicium, diligentiamque in eo: paucula tamen inuenit ob causas dictas. Sed ad rem redeo quam nec Princeps ausus est tangere, videtur enim vomitus res violenta, vt ascendat imum ventriculi manifestè, tametsi sit annexus aliis ipsum deorsum trahentibus. Diceret ergo Galenus fibræ non operantur, quomodo potest fieri vomitus? cum nec per musculos id facere non possit cum non adsint: nec est simplex expulsio, cum sentiamus ventriculi fundum subuerti. Respondebit Falloppius, ergo non per fibras quia illæ non possunt totam tunicam inuertere, imo in motu fibrarum transuersarum, præsupponitur quòd rectæ & obliquæ quiescant: dicetque fieri vomitum, musculis abdominis transuersis se comprimentibus, quod experimentum docet. Etenim hoc prouidit natura, quod in sequentibus apertè docebimus, quòd ventriculo auersante quidpiam, musculi abdominis (illo inchoante motum) totā substantiā comprimunt intestina, & imum ventriculi superius, adiuuantibus etiam obliquis descendentibus à lateribus, qui inferiorem ventris partem comprimendo ad superiora propellunt quæ peritonæo continentur. Fibræ autem ventriculi iuuant vt faciliorem & perfectiorem motum ventriculi efficiant, vt videbitur in sequenti.

CONTRAD. XVIII.

Musculi an moueantur à fibris.

GAlenus duodecimo de vsu partium inquit, loquens de attractione musculi ad originem suam: [Etenim fit pro fibrarum positionis modo, quemadmodum millies iam diximus. Docuimus etiam quòd omnes musculi fibras habent vt plurimum secundum sui longitudinem porrectas: nec minus rarò reperias in eis fibras transuersas aut obliquas, si earum spectes multitudinem qui fibras secundum longitudinem habent.] Rursùs in secundo ex sexto Anatomicarum administrationum inquit [musculus motum suum efficit iuxta situm quem habet rectus rectum, obliquus obliquū, transuersus transuersum.] Quomodo autem docebat in primo ac octauo eiusdem operis libro dicens, motus fiunt in musculis iuxta fibrarum situm: vndè si transuersim præcidantur necesse est eos tādem perire: nō ità sanè si per longum diuidantur. Quod etiam confirmabat, vt superiùs dixi, tertio de facultatibus naturalibus. Hunc sequuntur omnes Medici, gaudentque tanto inuento. Solus Falloppius rursus vellicat hanc opinionē omisisque aliis fibrarum generibus, quòd obliquæ non retineant hoc fundamento nititur ostendere, cuius tamen partem superiùs attigimus,

tigimus,

rigimus. Vel enim inquit quiescendo retinent, vel motæ: si quiescendo agent quod absurdissimum est semper enim retinerent, & nihil agerent: sin autem agendo, igitur cum non habeant alium motum fibræ omnes, & musculi etiam peculiarem & proprium, quam vt dilatando se fiant breuiores, breuiores fient: constingent igitur locum, igitur locus ille angustior factus, minùs quam anteà continebit. Igitur iam protrudet quod contentum est, tantum abest vt retineat. Quod si quis dicat verum esse quod ex vehementi contractione expellunt; sed ex moderata retinent, sicut si quis arenam moderatè in manu comprimat, retinebit alioquin perfluxuram: sed si comprimat vehementius protrudet. Dices, fateor hoc, sed idem continget in fibris rectis atque transuersis: non ergo quippiam habent maius obliquæ fibræ, transuersis aut rectis ad retinendum. Secunda difficultas est ex Vesalio qui libro secundo primùm docet musculorum capita etiam si neruis prædita non sint, exactissimum tamen sensum habere, post subiungit: [Spiritus animalis vi, & debitæ peculiarisque musculi constructionis gratia, musculum laxari contrahique sentio; neque aliter suo munere fungi qua oculum & reliqua sensuum organa, quæ singula propriam peculiaremque fabricam obtinet, & animali spiritu (quem per neruos cerebrum ipsis porrigit) imbuta, suis funguntur muniis.] Paulò post declarat qua in parte arbitretur musculi esse vim, dicens: [Carnem ergo musculi eo animali spiritu imbutam præcipuum motus organum existimo esse, nec solum tam esse fibrarum thorum ac fulcimentum; Perindè sanè ac cerebri, cordis, iecoris, pulmonum, lienis, renum, atque ventriculi propriam substantiam primarium suarum functionum autorem esse suo loco dicemus.] Videtur ergò ratio in hoc consistere, quod cuiuslibet instrumenti vis in vna parte, quam similarem vocant, consistit vt secundo artis medendi habetur; igitur vis motrix in musculo, vel est in carne, vel fibris, cum ex his duabus tantum partibus propriis constet: at non in fibris, quia ad illas quandoque neruus non peruenit, nec videntur esse peculiaris substantiæ musculi; sed quod exemplis probat: igitur vis motrix est in carne musculi, & non fibris ipsis. Tertia difficultas est nostra, quoniam si membrum moueretur motu fibrarum in motu voluntario, notum per ignotum moueretur, & vnum per plura; At demonstratum est in libro de vno & in Hyperohen, naturam procedere ordine ex vno ad plura, & formam esse vnã, operationem autem multiplicem. Accedit aliud quod dicunt fibram contrahi, quoniam dilatatur: cur hoc magis quam, quod dilatetur, quia contrahunt cur enim cum per se intendat contrahere natura membrum, per accidens autem persequetur dilatari; vel potius dicendum est contractionem etiam dilatationis causam, dilatarique musculum & fibram, quia contrahatur; quàm quod in longitudine cnntrahatur, quia dilatetur in latitudine? Quin etiam in dilatatione necessarium est corpus quod ingrediatur. Imo ob id creditum est quòd contrahatur, qua dilatetur, quoniam in morbis istud contingit; conuellitur enim neruus ac musculus quia impletur, vndè sexto de locis contrahitur musculus, quia impletur spiritu atque dilatatur. Sed aliud est de naturali operatione, & operatione contra naturam; clarum enim est quod homo quærit contractionem membri primo, & quia hæc non potest fieri nisi contracto musculo, quærit secundo contractionem musculi, & hæc percipitur: dilatatio verò consequitur ad hæc, nec percipitur. Si ergo à cognitione est motus voluntarius, quomodo poterit procedere per motum incognitum. Propter hæc dico primum musculos non moueri per fibras: Quid enim stultius esse potest quã cogitare quod musculus qui plusquã decem millia fibrarum debeat moueri ad motum illarum? Vbi primum id est periculi, ne si aliquæ non ad cõcentum aliarum moueãtur, musculus distorqueatur nec fungatur munere proprio. Deinde quomodo & quæ sollicitudo tot fibrarũ mouendarum? Quare manifestum est musculum primo moueri vt hominem, & ad motũ illius moueri cuncta quæ in eo continentur. An cum homo currit, ob id currit quia omnia membra currant & agitemur? An potius omnia illa currant & agitentur, quia homo currit? Fibræ igitur illæ, aut factæ sunt commodi causa vt melius possit extendi musculus & contrahi, sicut videmus in opificiis quę minutissimis cathenis constant, commodius enim producuntur & contrahuntur; quę enim continua sunt vbi conuelluntur aut cõtrahuntur disrũpũtur facilè. Vel omninò non sunt fibræ factæ à naturâ, sed vt lineæ in manibus ex assidua plicatione & rugæ in cruribus: non tamen plicatio manus fit à lineis. Indicio etiam est quod in infantibus & viris non exercitatis vix apparent, quia non sunt secundũ naturã; sed retinent vestigium propter patrem, auum, atque ita de aliis qui eas contraxerunt. Videmus enim expresſè quòd res præter naturã transeunt ad filios vt calli pedum, & cutis rugosa & dura in filiis rusticorum. Ideò videmus per contrarium infantium & otiosorum in quibus apparent, in valdè exercitatis ac senibus euidentes esse. Videmus etiã quòd apparet in his quæ distendunt membris, licet careant motu voluntario vt dictum est: vt in membranis regentibus cerebrum, succingente costas, ac peritoneo, tum ventriculo, & vesica, ac corde; omnia enim hæc cum sæpè distendantur variis de causis, necesse est vt conuellantur sensim, & in corpora fibris scatentia degenerent. Et similiter videmus quòd tam in musculis, quam aliis membris sunt secundum naturam motus: quia enim musculi mouentur vno motu secundum suam longitudinem, ideo omnes retinent solum fibras iuxta suam longitudinem. Et qui habent plura genera fibrarum qui pauci sunt aut alium habent motum à principali propter connexos musculos, aut subsidendo diuelluntur. At cor propter motum illum varium ac quasi circularem, omne genus fibrarũ habuit: & ità ventriculus, & vesica & quicquid vndequaque distenditur. At nullum horum membrorum

mouetur à fibris, sed ipsum distenditur à contentis: ergo fibræ ipsæ non mouent. Præterea si fibræ essent propter motum expellendi & trahendi, essent solum circa concauitates vt in corde: attamen videmus quod sunt in toto corde, & etiam in superficie quia totum cor mouetur, nisi vellemus dicere quòd cor mouetur à fibris quod est ridiculum. Si igitur cor non mouetur à fibris, & fibræ sunt vbi cor non attrahit neque expellit; liquet quod fibræ illæ factæ sunt à motu cordis. Prætereà quorsum diuidere instrumenta in quibus quærimus robur, hoc sanè non esset Sapientiæ Diuinæ. Clarum igitur est fibras oriri necessitate motus, & iuuare postmodum facilitatem, atque perfectionem operationis. Natura enim fecit totum corpus vnum ac solidum, nisi vbi necessaria fuit cauitas vt in pulmone, pectore, ventriculo, ventre, cerebro, vt esset firmius. Et illa manserunt solida, quæ non sunt diuulsa vt iecur, & cerebrum: illa verò quæ motu indiguerunt, iuxta naturam motus successione temporis ac stirpis diuisa sunt. Varietatem enim substantiæ natura effecit, tum figuram meatus ad nutritionem; in reliquis quantò solidius efficere potuit corpora animalium, tantò effecit, Fuerunt enim quædam concauitates necessariæ, velut propter excrementa orni & vesicæ: ad percipiendos odores & sonos in auribus, & naribus. Ad defluxionem pituitæ in palato: reliqua contigerunt ex necessitate motus, & propagata sunt continuitate illius. Sicut etiam videmus quod columbi qui nunc apparent in insulis noui orbis, fugiunt ab hominibus, & primi non fugiebant. Et ideò res omnes reuertuntur ad naturam suam, si omittatur quod auertis ab illa. Vndè si per centum rursus annos illas insulas nemo incoleret, nec quisquam accederet ad illas, non fugerent ab hominibus. Et si quis abstineret ab omni exercitatione, & filius, & nepos, & pronepotis corpus ab infantiâ dissecaretur, areret omnibus fibris in musculis aut saltem non essent euidentes. Vndè in hoc benè dixit Epicurus omnis generis facta animalia fortuitò, & solum superfuisse quorum naturæ casus ità fauit, vt se tueri possent ab incommodis, vel fugâ vel robore, vel aliâ viâ; eorum vero quæ superfuerunt vsum ad melius traduxisse. Quæ certè negari non possunt, quia in dies ità experimur esse quandoque in hoc errauerit, quòd nullâ prouidentiâ facta illa existimauerit, sed casu tantum & concursu atomorum. Nam si ità esset, primum non est esset optima ratio constructionis nisi in necessariis ad vitam: sed videmus etiam habitam rationem non necessariorum vt labiorum ad decorem, asperæ arteriæ ad modulationem tot vocum. Præterea quia videmus hoc vnum feruari in in rebus naturalibus inconcussum dogma, vt simile à simili generetur; non minoris ergo, imo maioris Sapientiæ Diuinæ est argumentum, tot motus & tam varios seruari in corpore solido, & vt ita dicam rotundo, quam si per tot adminicula fibrarum moueretur. Videamus ergò vlterius quomodo vis illa moueat musculum, & membra: nam membra mouet per se primò, musculos per se, sed non primò; fibras autem neque per se neque primò, sed per accidens. Commentum autem Galeni de ipsis fibris somnio puto simili, nunc detectâ veritate ità celebrabatur vt omnes non solum posteriores sequuti sint & collaudarent, sed gauderent tanquam de pulcherrimo inuento; cum tamen sit omninò falsum, absurdum, inane, & è regione pugnet cum Sapientiæ Diuinæ ratione. Nec tamen ob id Galenum damnare debemus, sed gratias habere: Et vt Philosophus dicebat secundo primæ Philosophiæ si Phrinis non fuisset Thimotheus non fuisset. Ita si Galenus hoc commentum fibrarum non protulisset in medium, nos neque refellere illud potuissemus, neque veram rationem motus membrorum inuenire. Equidem deuorare hunc calicem oportet, tametsi non adeò bene dixerit Galenus postquam tot illo meliores de quibus dubitandum non est periere. Euriphontis scilicet monumenta, Theophrasti, atque Oribasij, quos nemo sanæ mentis Galeno non prætulerit. Nam Euriphon Hippocrati par certè, vel melior & paulo antiquior habitus, cuius senecta, Hippocratis inuentam excepit. Theophrastus vna in pagina plus habet, quam Galenus vno in libro; atque id ratione comprobatum acutum efficax nil vulgare aut protritum, nil superfluum, pudeat comparasse hominem non prætulisse. Similem iacturam passi essemus, si Dioscoridis volumen periisset. Quis credat tantum assurgere breuitate, sententiis, ordine, perfectione, eruditione, iudicio, grauitate, copiam; sed & hunc conuellere nixus est Galenus. De Oribasio non aliud afferam argumentum, quam Paulum Æginetam quem vocant Galeni simiam: is tamen Oribasij, non Galeni se breuiarium fecisse dixit. Vesalius verò etiam, Marinum præferre videtur in anatomicis, quem conscripsisse de eâ materiâ viginti libros refert. Ego in hoc quid dicam non habeo, cum videam Oribasium in vigesimo quarto, & vigesimo quinto libro qui soli de dissectione supersunt, Galenum solum sequi, cum tamen ætate suâ commentaria Marini non solum, sed & cæterorum extarent. Vt quod ad scientiam rerum & copiam, laborem, sedulitatem, ordinem dicendi leporé, atque iudiciũ in re medica, nullũ ab Hippocrate eorum quorũ extarent monumenta, ætate Galeni illi prætuleris: nisi quos meminimus Theophrastum, Dioscoridem, atq; Euriphontem, post autem Oribasium. Neque parem existimato illi fuisse Archigenem, aut Antillidem, vel Rufum; siquidem omnibus Medicis, vt rectè animaduertit Oribasius, ipse præstat Galenus: quòd rectè distinguat singula, & dictorum reddat rationem, & viam sequatur Hippocratis. Cæteri etiam ab eo longiùs absunt, Praxagoras, Agatinus, Philagrius, Lycus, Herodotus, Philumenus, Andromachus, Crito, Asclepiades: nam omnibus his tum superioribus Antonius Musa, Scribonius

bonius, ac longè magis Celsus, maioreque interuallo antecellunt. Sunt qui & Dioclem, & Zopyrum laudent; de Erasistrato quia nihil vidi nisi apud Galenum ipsum, non habeo quod dicam. His omnibus adhuc iudicio meo longè inferiores sunt Atheneus, Philotinus, Xenocrates, Mnesichus, Dieucher, Soranus, Sabinus, Iustinus, à quo antidotum, Damocrates autem Empiricus, Herophilus, disceptator egregius. Alexandrum Trallianum quis comparare Galeno velit aut Nicolaum Myrepsium, aut Aretæum, vel Horatianum, aut Celium Aurelianum vt orba sanè Medicina fuerit absque Galeno: nam quantum in dissectione antiquioribus fuit, quòd simias pro hominibus dissecauerit, tantum præstitit diligentia, iudicio, assiduitate. Quod si sibi temperare potuisset, & hominum corpora videre licuisset, abstinuisset que à subtilibus dispuiationibus in quas quoties impingit, toties labitur, nullus conferri ei poterat. Equidem si sibi temperasset Hippocratis scripta melius exposuisset, & tantum aduersus antiquos nugarum merarum præcidisset, in quo decor illi, & legentibus compendium temporis, & voluptas in legendo accedebat: Sed homines sumus. Atque nos hoc vltimum de Galeno iudicium attulimus, quoniam multi nos ob id insectantur: alij deterius me de illo sentire, quam sentiam volunt. Fortuna bona illum nobis seruauit: nam plura bona perierunt, inutilibus seruatis. Ridet Plinius Martialem sperantem monumenta sua futura æterna, & fuerunt meo iudicio scripta nec accuratè, nec Latine satis, periere quæ tum probabantur. Ergo ne conuellamus cuiusque opinionem, sed rem ipsam ostendamus; voluntas seu appetitus qui in anima residet seu illa sit in corde vt censet Aristoteles, seu in cerebro vt Galenus, seu nullibi vt nos sæpe demonstrauimus; cum pedem exempli gratiâ mouere vult, imaginem illam in pede figit atque eam nullo medio: neque enim statim figere posset, vt etiam Aristoteles docebat Secundo de anima dum inquit. [In paruo quidem spatio motus fortasse lateret, sed ab ortu solis ad occasum tanti corporis motum latere, magna nimium profectò est postulatio.] Nec obstat quod Galenus forsan opponeret quoniam crure ligato vel resoluto, pes moueri non potest; non igitur vis illa absque medio transit. Hoc enim videtur innuere primo de locis, cum comparat eam vim vini quæ per neruum transit, lumini solis: sed aliud longè est voluntatem, seu motus appetitum esse in pede qui eo transit quandiu pes viuit, frustratur tamen à motu, quoniam spiritus vi nerui temperatur, neruo impedito ad pedem transire non potest. Ideò hoc ipsum demonstrat non transire vim animæ quæ appetit per corpus vllum, præterquam quòd subito transeat; quoniam omnino impedita transit, nititurque per se ipsum mouere, vis tamen non transit, atque ideo frustrà nititur. Et si dicas quod Galenus loquitur de facultate aut functione, cum dixit illam impediri neruo obstructo, non de naturali desiderio: habeo quod quæro, quia non est propositum meum Galenum damnare, imo nec alium quemquam, sed solum inuenire veritatem: nec damnabo vllum nisi coactus, quoniam veritati cognoscendæ reluctetur. Et si etiam velit eam vim appetendi motum transire per corpus, modo cum Galeno subitò illam transire fatearis postque hoc principali proposito nil obest, ne moram in demonstratione pariam, facilè admittam. Quinimo etiam optarem vehementer vt quæ dico, etiam Galeno consentirent, ac cæteris Peripateticis, non metu infamiæ vt quidam putant; nam omnis hæc falsa calumnia, postmodum breui finem est habitura; nec illorum solum gratiâ, quamuis id etiam cupiam, vt qui de posteritate eos laboribus bene meriti sint, sed quòd illis dissentientibus cogatur dogmata illorum euertere atque conuellere, nouaque principia & nouam constituere doctrinam: in quo peragendo multum temporis vt pereat necesse sit. Ergo vt ad rem redeam, vbi pes meus concupiscit moueri, mouetur à facultate quæ ei inest, vt forma in materia: mouetur autem totus vt forma in materia. Hoc principium motus quod absque cognitione non est, & ex intento statim vt sentit pars quæ ei motui famulatur musculus scilicet, se contrahit ad originem suam, & ideò dilatatur. Hìc quis bifariam dubitare potest, primùm quomodo in pede sit appetitus ad motum? & quamuis id clarè ostendat lacertæ cauda præcisa quæ etiam ignobilior est pede. Dico quòd videmus pedem quem iam pupugit Chirurgus infecto opere, vbi denuò pungere illum vult quamuis nobis reluctantibus se retrahere; hanc vim, hunc appetitum non habet à voluntate, proficiscitur ergo à particula ipsa. Secundum quomodo musculus pedi obtemperet: id vero à naturâ partim, partim ab vsu contingit. Indicio est quod, vt dixi infantes non bene mouent membra; quia solum naturâ, non vsu membra quæ inseruiunt illi motui, non perfectè neque promptè obtemperare norunt. Ortum autem motus hic atque obedientia ex titillatione quadam habet: dum enim membrum, putà pes ad eam partem mouetur musculum premit simul & agitat, quo ille initio se contrahit, atque ità motum perficit: vndè patet motum hunc totum cum cognitione esse; liquet etiam initium motus in vnaquaque particula operari sine musculi auxilio & propria vi atque hoc principium retinet etiam resolutionis tempore. Exemplum habet huius à Rege cuius primus motus est, illius autem nutu perficiunt mandata ministri; neque enim dubium est musculos suis membris quæ mouent famulari; fibras autem obsequi motibus musculorum non illorum esse originem, aut causam. Si quis obiiciat quòd fibræ sint intentæ per se à naturâ, quia sunt in omnibus? dicam ego idem de rugis & lineis.

CONTRAD. XIX.

Musculi abdominis an octo.

Octo in abdomine sunt musculi, vtrinque quatuor, inquit Galenus libro de de dissectione musculorum, & quinto anatominarum agressionum, & quinto de locis. Et quinto de vsu partium: vbi docet rationem quod non possint esse plures, neque pauciores. [Nam (inquit) Quatuor sunt positiones omninò, recta, transuersa & duæ obliquæ: constat priores quatuor omnem fibrarum positionem in seipsis continere. Porrò cum corpus, tum in dextris, tum in sinistris fit ad amusim ad omnes geminum atque æquale, vtrinque quidem quatuor omnes, autẽ simul octo extiterunt.] Quam sententiam sequitur Vesalius ad vnguem: At Falloppius hæc habet, [In interiori abdominis parte, inter lineam illam albam in quam concurrunt ferme omnes musculorum chordæ, atque principium neruosum rectorum; oritur musculus quidam totus carnosus, principio non admodum lato ab osse pubis quasi à parte ipsius exteriore, qui obliquè ascendens versus lineam dictam in acutum desinit; totusque fibrarum ductu in ipsam inseritur. Longitudo huius musculi non admodum magna, neque enim ad vmbilicum pertingit, nec quatuor excedit digitos. Vsus eius meo iudicio, est vt nerueam illam lineam deorsum trahat, comprimatque subiectas partes ad inferiora.] De musculis his dubiũ non est, an augeant numerum est difficultas; siquidem Vesalius multiplicem vnius, & multorum causam affert: vt continui sint, an non eandem habeant operationem, fibrarumque ductum, ortum, figuram, tendones in quos finiant, implantationem, originis substantiam, an membrana intersepiantur. Sed nihil statuit nisi quòd cum ex eodem vẽtre musculi, diuersi tendines in diuersa ossa implantantur tametsi ad eandem operationem, diuersi tamen esse censeantur; veluti tendiones duo pollici ex vno musculo inseruntur, atque ex eodem alius brachiali ossi pollicem sustinenti, ad euersionem tamen digiti omnes facientes; at nihilominus hic alius à primo geminato, ab anatomicis esse censetur. Contra musculi secundi paris caput mouentes, cum à diuersis oriantur ossibus, & diuersis constent fibris, diuersamq; obtineant in suis partibus figuram, prælongique sint, vnus tamen esse dicuntur. Causam reddit Galenus primo de motu musculorum dicẽs, quòd musculi præcipua pars est tendo; adeò vt qui plures habuerint tendones, plures etiam esse musculi credantur. Respondeo quòd ratio vnius debet sumi propriè à functione, quia ratio quæ distinguit est eadem ratio in qua aliquid est in genere: veluti animal est quod sentit & mouetur, si aliquod animal potest non moueri, nec sentit, erunt illa duo animalia. Cum igitur musculus sit musculus per motum, ille erit vnus musculus: quo moto necessariò alius mouetur eodẽ motu. Et si quis dicat quòd oẽs musculi qui concurrunt ad vnã actionem essẽt vnus musculus, quia simùl necessario mouentur? Dico quod nõ possunt esse diuersi, nisi aliquo modo vel in principio vel in fine, vel ex motu leuissimo alter possit quiescere; & sic musculus qui mouet duas partes nõ est vnus, quia parte quã mouet vnam partem, non mouet aliam, quam alius mouet: igitur non est vnus. Omnium igitur harum differentiarum quæ sunt numero nouem, quædam prorsus non impediunt, quin sit vnus musculus velut ortus figura, originis substantia: cum enim coierint in vnũ, & idem membrum eodem motu mouerint, erunt vnus; Quia à fine vnũquodque denominari iustum est: Finis autem est motus vnus per se intentus vnius membri. Quædam prorsus faciunt plura vt sunt diuersitas moti, diuersitas prima motus, & diuersitas corporum: non enim idem eodem motu per se, & ex intento mouere poterunt, erunt ergo plures. Reliquæ conditiones vt tendonum multitudo, & membrana intersepiens, (nam fibrarum diuersitas vbi sit in vna parte & non alia est ex diuersitate motus vt declaratum est, igitur facit diuersos musculos: si verò in eadem, fiet à motu inæquali, & non erit causa varietatis aut multitudinis musculorum) sunt causa multifidi musculi, sed si initium & finis sint diuersa etiam multitudinis. Cum ergo musculi illi infimi aliud moueant, scilicet neruum illum medium, seu albam lineam & ibi finiantur diuisi membrana & constituantur exalio fibrarum genere erunt alij ab his octo. Nec hoc repugnat demonstrationi Galeni, quia illa demonstratio probat de musculis totius ventris, non autem partis. Erunt igitur musculi generales ventris octo: ventris autem decem. Ad hoc solet opponi quòd tales musculi non semper inueniuntur, ergo non faciunt numerum. Prætereà non habent peculiarem motum quia adeò exigui sunt, & recti quibus incunbant adeò magni; vt illorum operationem, nec impedire queant, nec erigere. Ad hæc inquam primum falsum est non inueniri aliquando: & si hoc contingeret, vt benè respondet Falloppius, illud non ostendit delendos ex albo musculorum, quandoquidem multis hoc accidat qui non semper inueniuntur vt tamen reliquis adnumerentur, velut musculus tendinis in manu. De operatione comprimunt viscera infra; Nec obstat paruitas sicut neque temoni quod dirigat nauim. Sic etiam tertium par musculorum pedis, id est, pedem mouens, à Vesalio inuentum, à Valuerda etiam depictum cum sit admodum exile, magnam tamen opem affert primo, secundo, & quarto pari musculorum pedem mouentium. Quin etiam proprium quoddam munus horum est moderari vesicæ operationem.

CONTRA

CONTRAD. XX.

Musculi recti abdominis, an ab osse pubis oriantur.

GAlenus sexti artis curandi dicit quod musculi recti ex pectore originem ducunt,& ad ossa pubis porriguntur.Idê quinto de vsu partium.Sed videtur hoc etiam verisimilius, primum quia nerui veniunt ex superiore parte; sed vndè nerui, ibi principium musculi, igitur musculi ex superiore parte oriuntur. Præterea musculi sunt duriores & robustiores in parte inferiore pubis, igitur cum sint molliores & minores, in ortu,quam vbi respondent, orientur ex superiore parte. In oppositum Vesalius libro secundo, [Singuli (musculi recti) ex osse pubis nati inuicem contigui sunt rectâ sursum porrecti, donec ad vmbilicum perueniant, ibidem enim interse distantes paululum modicèque ampliores facti ad pectus vsque feruntur:cui supra mucronatâm cartilaginem, ad ossis pectoris lantera, illiq; connexas cartilagines lati carnosique implantantur.] cui etiam Falloppius subscribit. Rationes pro Vesalio duæ claræ sunt: os pubis est immobile, os pectoris mobile est, & ipse Galenus concedit quòd musculi ventris faciunt ad vehementem vocem emittendam, quod etiam admittit Oribasius; igitur tendines sunt in parte superiore. Secunda ratio est quod nerui oriuntur ex vertebris lumborum, & prima ossis sacri;vt in quarto libro & figuris,& annotationibus diligêter explicat: sed suprema lumborum vertebra est longè inferior ensiformi furculâ, nec vi autem recti ad vsque supra ensiformem furculam procedunt vt visum est: igitur nisi recurrant à parte superiore,ingredi non possunt: sed vbi inseruntur nerui, ibi est origo musculorum, quia declaratum est quòd musculi semper se contrahunt in motu suo versus originem illius: hoc enim prorsus contra naturam contrahere se ad partem oppositam principij eorum, igitur principium musculi est versus ingressum neruorum; sed nerui ingrediuntur ex parte inferiore, igitur musculi oriuntur ab osse pubis. Circa quod est notandum: Negat autem omni capiti musculorum inesse neruum, ideò non est necesse vt nerui à pubis osse ingrediantur, sed solum sufficit vt ingrediantur: & ideò ingrediantur: & ideò ingrediuntur à parte inferiore, tamen & feruntur versus partem superiorem: quare tendo & motus erunt in parte superiore, & origo & caput musculorum in parte inferiore. Et si quis obiiciat, igitur non sentiet? Respondet vt etiam superiùs dixi, quod non est necessaria præsentia nerui ad sensum,sed sufficit spiritus temperatus ex neruo veniens, & ingressus musculum. Propter hæc vt superius dixi, cum musculus moueatur per vim, à cerebro per neruos receptam: vt secundo de decretis Hippocratis & Platonis, & clariùs in libro de multitudine, musculus mouetur à spiritu per neruum delato. Et hoc est proximum opinioni Vesalij, ibi erit origo motus, vbi neruus ingreditur, verissimilius ergo est, quod sit in parte inferiore: Potest tamen in hoc Galenus defendi, quia authoritates illæ de vehementi voce adiuuanda, non intelliguntur de rectis, sed aliis musculis diceret Galenus. Et ad hoc facit quod subiicit Oribasius quia dicit iuuant vomitum; sed recti non iuuant vomitum, igitur intelligit de transuersis & obliquis, potiùs quàm rectis musculis quod vocem iuuent. Ad id de ortu neruorum diceret, quod est argumentum neutrum. Cum dicitur quod os pubis est immobile, & ossa pectoris mobilia; diceret Galenus quod non sunt facti ad os pubis mouendum, sed membra subiecta præcipuè vesicam. Ex demonstratis autem à nobis quoniam & à superiore parte, & ab inferiore ingrediuntur nerui qui pertingunt vsque ad septum ipsius musculi, vt apud Vesalium libro secundo hi musculi habebunt duplicem ortum, & duplicem finem; & ita erunt concordes.

CONTRAD. XXI.

An musculi recti sint superiores obliquis?

GAlenus sexto artis curandi describens ordinem musculorum abdominis inquit, primi qui sub cute occurrunt recti sunt,inde descendêtes obliqui ex pectore oriuntur,& ilibus implantantur, post hos obliqui ascendentes in ilibus orti & pectori implantati, intimi omnium & prope peritonæum transuersi: Et quinto de locis, [sunt verò abdominis musculi octo numero, quatuor contenti coniugationibus, quarum prima ex musculis constat rectis.]quem ordinem collaudat Vesalius libro secundo; quinto tamen de vsu partium post rectos, primos ponit transuersos,indè obliquos;cum superius transuersos in vltimâ interiore sede collocauerit. At in quinto anatomicarum administrationum.[Atque ideò etiam vocentur, vt modo narratum est, siquidem partim obliqui musculi,partim verò primi & secundi,sub his autem ad longitudinem expansis tertius, sub quo quartus musculus transuersus peritonæo coherescens.]Palàm hic est illum intelligere de obliquis, sed audi clarius in libro de dissectione musculorum: [Octo in abdomine sunt musculi,vtrinque quatuor omnium quidem exteriores ac primi, qui à thorace primi defendunt, maximi omnium qui inibi sunt musculorum: secundi sub his qui ab ilibus ascendunt: Tertij istis contigui recti sunt.Quarti peritonæo connati,positione transuersi sunt,] Sed hanc difficultatem ac triplicem contradictionem facilè est dissoluere; Quod enim primo ponat rectos, indè obliquos, post transuersos; & post, transuersos statim constituat à rectis nulla est contradictio:in prima enim autoritate ordinem rei sequutus est cum incidentibus primû recti,deindè obliqui descendentes occurrât.At secundo loco rationê habuit doctrinę; opposita enim iuxta se posita &descripta lucê maiorê afferût:trâsuersi autê è regione rectis, nô obliqui opponûtur. Verû contradictionê inter sequ. & vlt. verba id est quòd obliqui

primum occurrant, quam recti: vel recti quam obliqui; dissoluit pulchrè Vesalius ipse qui & variè de hoc locutus est. Inquit enim libro secundo, [sub obliquorum itaque neruosis tenuitatibus recti abdominis musculi reconduntur, singuli ex media ossis pubis regione, duplici quodam modo principio ducentes originem. Et paulo post: recti itaque musculi duobus huiusmodi principiis ad pectus vsque feruntur.] Patet ergo rectos musculos oriri sub initiis obliquorum, in medio tamen ventris prominere; eadem enim ambiguitas in verbis Vesalij quæ Galeni, sed nulla contradictio.

CONTRAD. XXII.

Musculi substantia an caro, vel fibra & tendo.

SVpra visum est carnem, iuxta Vesalium, esse præcipuum motus instrumentum, & propter hoc etiam principalem partem musculi; hoc tamen negat Galenus primo de Articulis, dicens quod propria musculi substantia sunt fibrę, licet etiã caro adnata illis sit de substantia ipsorum musculorum. Nec obstat quod dixerim fibras non esse secundum naturam, quia aliud est de figura & diuisione fibrarum, quam nego esse naturalem; aliud de substantia fibrarum quæ procul dubio est alia à substantiâ carnis, & est naturalis. Propterea. Dico quod musculus est instrumentũ voluntarij motus, primo de motu musculorum. [Eorum autem substantia (inquit in arte medica) propria carne simplici constat ac fibris: quæ verò ad ipsos vasa pertingant non eorum substantiam complent, sed eis subministrant, vt in vita permaneant.] Et rursus in eodem primo de musculorum motu, exquisitiùs illorum substantiam declarat his verbis. [Quin etiam quia nascitur quidem tendo ex fine musculi, inseruntur autem in caput eius & neruus, & ligamenta, deindè in totum musculum disperguntur; rationabile est ex ambobus tendonem esse factum.] Cum ergo musculus constet ex tribus partibus principalibus, carne, neruo, & liganento; ex ligamento etiam & neruo fiat tendo, meritò quæritur in quo sit prima vis illa mouendi? Et si esset facultas vt videndi, esset in similium partium particula, Diximus autem de hoc in vndecimo libro; vbi est sensus, ibi motus, dicebat Philosophus in libro de plantis: sed in neruo est sensus: dicet Galenus, ergo in tendone, & non in carne est motus. Vesalius negat in neruo esse eam vim, sed in spiritu per neruum delato, ità vt nec forsan vim acquirat à neruo, sed velut spiritus vitalis defertur per arterias, fit tamen vitalis in corde, non in arteriis: ità de spiritu animali qui fit causá sensus & motus in cerebro, non neruo. Argumentum pro Vesalio est quòd multi musculi, teste etiam Galeno, mouent sine tendone, at in primo de motu musculorum oculorum, labiorum, & ventriculi. Dicet Galenus quod non finiuntur in tendonem carne nudum, sed quòd carni est admistus tendo: verùm argumentum Vesalij huiusmodi est, maior pars musculorum & maximè paruorum vt in femore & manu nullum recipit neruum, igitur motus est potiùs in carne quam ligamento. At pro Galeno rursus, tendo mouet quia ille plerumque finit musculos & implantatur ossibus; sed si mouet per se habeo intentum; si mouetur à carne, ergo non mouebitur secundum voluntatem, quia in motis secundum voluntatem oportet vt mouens tangat motum, aliter moueret per angulos fallaces. Et si dicat recipit tendo hanc vim à carne; dicet Galenus, iam fateris quòd caro recipit à spiritu animali, & caro non est vehiculum iuxta te, sed neruus: ergo tendo recipit hanc vim per se primo: & ita existimandum est quod ligamentum sit pars principalis, quia nullus musculus potest carere ligamento, nec carne etiam, teste Vesalio ibidem.

CONTRAD. XXIII.

Musculus quilibet an in tendonem finiatur? Ligamenta an sentiant & valdè. Musculo cuique an oppositus musculus factus est?

OStensum superiùs plerosque musculos neruum non recipere, tum in præcedente plures in tendonem non finire, etiam ex Galeni sententia: Quinto tamen Aphorismorum inquit: [Musculorum capitibus nerui inseruntur, ex eorum autem finibus oriuntur chordæ.] Et duodecimo de vsu partium, musculum omnem ait ob tendonem esse factum, quia ille trahit (vt dixit) carnem vero quòd sit substratum molle & propugnaculum, & ab omnibus illum iniuriis; non solum tueatur, sed etiam calefaciat. Intelligit tamen vt dixi, de his solum qui ossibus implantantur. Excipit etiam vndecimo eiusdem, musculos temporales, quos solos dicit extremis in partibus carneos esse, in medio habere tendonem contra omnium aliorum morem. Animaduertendum verò Galenum velle quod causa finis in tendonem sit, quod musculus ossi implantetur, tum quia ratio id suadeat vt durum à duro moueatur, & experientiâ id comprobante. At Vesalius reprobat hanc rationem, dicens tendonem habere omnes qui longo ductu producuntur musculi, qui breues posse carere: atque id probat, quoniam qui primum pollicis articulum flectunt, & qui pollicem ad indicem admouet: & ex magnis quadratus scapulam dorsa ad mouens, & à scapulæ basi enatus, & octo elatioribus costis implantatur, omnes quia breues sunt tametsi ossibus iungantur, tendine tamen carent: quidam etiam in larynge tendinem habent, quamuis ad os mouendum non sint delegati. Hos velle qui contrarij esse velint concordare, stultum fuerit; tueri Galenum facilius fuerit, non tamen multum in his laborare debemus, cum ratio

tio Galeni satis euidens sit: Duriora enim duris debent alligari, cum natura non soleat repente ad contraria, sed sensim transire; nec valdè dissitâ duritie atque mollitie copulare inuicem. Dicet ergò Galenus, nullus horum carere tendine seu ligamento (quandoquidem vt dictum est & ipse Vesalius fateatur) ad musculi constructionem, ligamentum vt partem principalem & maximè necessariam concurrere) sed ob duci illis carnem, quoniam ob latitudinem necesse sit vt in minima tendo diuidatur: quamobrem aut carnem obduci erat necessarium, aut tendinem tam crassum esse, vt musculus à temperie suâ ob nimiam frigiditatem excideret. At de minutis musculis, ea facta sunt commodi causâ: Et verè, vbi robore opus fuit vt in longis & ossa mouentibus, ligamento opus erat; vbi verò exquisito ductu & ad amussim; vt dicunt, carne. At pollicem quòd omnibus concurrat digitis quaqua versum moueri, & ad vnguem conuenire necesse erat, & ob id finē musculorum carne natura clausit: neuter ergo errat, sed cum vtram causam non doceant, ob id dissidere videntur. Similiter nec magnum discrimen est in hoc, quòd omnes musculi in tendones finiantur, cùm vt dixi vel carne contectos vel nudos destinant necesse est: si enim ligamentum musculo inseritur, necesse est vt totam permeat longitudinem, seu modo nudus procedat, seu non nihil refert. At quòd ligamentum sensu prorsùs careat, vt in primo de decretis Hippocratis & Platonis habetur: habeat & excellentem, vt antea visum est ex Vesalio; certè magni imò maximi momenti est, seu ad contemplationem, seu etiam ad curandi methodum referatur. Certè tendones quòd ad curam attinet Galenus maximo sensu præditos fatetur, eius verba sunt. [Vbi tendones, & nerui, & carne vacua, atque ossea loca sunt, hîc doloris, vigiliarum, conuulsionis, & delirij periculum instat.] sed hoc est laboris quod Galeno id propter neruos accidere qui ibi commisceantur credit; atque eo argumento mouetur, quòd ligamenta solum id faciunt quæ in musculis sunt, non quæ iungunt ossa:] vndè in sexto eiusdem inquit. [Ligamentum verò vulneratum, si id est quod ab osse ad os permeat, & maximè sine periculo est, & quod omninò siccans quibuslibet medicantis nihil hominem offendes. Quòd si id fuerit quod in musculum se inserit, quantò neruo est, ac tendone minus periculo opportunum, tantò vtique ni rectè curetur, reliquis ligamentes magis nectere debet.] Mirum est Galenus non viderit in huiusmodi omnibus vulneribus adesse vehementissimum dolorem, maximè cum domi curandis gladiatoribus præpositus esset. Respondeo quòd Vesalius non dicit ligamenta ossium, sed musculorum solum sensu magno prædita esse: vnde illud: [Commune omnibus ligamentis est obtuso admodum sensu (nollem autem dicere nullo) participent; ne propter crebrum, frequentemque motum, & continuum affrictum dolore vexentur.] Et forsan non immeritò quis admiretur quomodo idem, & tam paruo verborum interuallo velit musculorum capita etiamsi solis ligamentis prædita sint, tamen acri sensu vigere; nam & illa assiduè mouentur. Sed postquam in re concordes sumus, hoc ipse Vesalius qui viuit & diutiùs etiam superesse potest, annum ni fallor agens prope quinquagesimum, vt sententiam suam dicat, consuli potest. Satis ergo ligamenta ossium sensu euidenti prædita non esse: de aliis rursùs conuenit, quòd vehementi, idque satis est ad curationis rationem. In causâ modo non consentiunt, sed postquam Galenus antiquior est, & vir maximus, cur conuellere opinionem illius conabimur nisi euidenti ratione, aut præcipua vtilitate, vel experimento re deprehensâ, aut erroris causâ inuenta. At nullum horum nunc vrget: quare melius est, vt cum illo sentiamus quòd ob neruos ligamenta sentiant; Vesalio concedamus multos ad musculos vt dixi, neque ad ligamenta neruos peruenire: vt Galeno rationem & iudicium deferamus, Vesalio vt diligentissimo experimenti fiduciam. Nec temerè quicquam, nam & id mihi persuadet ligamentum à neruo vim suscipere sentiendi, quòd vis illa statim transeat: spiritus autem temperamentum motusque eorum tempore perficitur atque indiget; quare non solum neruuum vehiculum esse eius virtutis dicendum est, sed etiam principale, spiritum autem conseruationis gratiâ tantum: illicò enim ligamenta sensum recipiunt vis tamē illa permeat, nihil tale in spiritu; vis ergò sentiendi à neruis promanabit. Et quamuis superiùs diximus vim eam nancisci à cerebro, non autem à neruo spiritum, liquet de vi illa nos loquutos, etiam quam habet spiritus; vt neruus, vena, arteria sint vehicula & facultatis, & instrumenti ad conseruandam facultatem. Quibus expositis concludimus musculos à musculis differre origine, velut carnei neruei ligamenti substantia: Principio ab osse, cartilagine, membrana, ligamento, vt qui in pollice primum flectunt internodium: à musculo alio vt qui ab ani musculo, à pluribus ossibus simul, aut osse & cartilagine, vel etiam à nullo cum substantia, in substantiam sensim degenerat: non variatur velut in collo, facie, testibusque. Similiter cum desinunt vt in carnem & tendinem, aut tendinem solum, sed eum vnicum tantum aut multiplicem; vel cum in ossa, vel cutim tendunt: vt labiorum musculi qui eidem implantantur. Propriū est autē vniuscuiusque musculi præterquam ventris partem mouere per se cui implantatur; nam musculus quatuor motus habent, primumque hunc per se & & euidentem. Aque hic fit musculo ad originem suam contrario: Secundus non ex intento cum laxato musculo membrum ad suum primum ac naturalem situm reditur; Tertium qui tonicus vocatur distentis vtrinque ex aduerso musculis, sic vt membrum etiam vtrinque motum distendatur, velut in vocato tetano: Et de hoc agit Galenus primo de motu musculorum. Quartus est cum motui per se intento membri vel aliarum partium motus consequitur; Galenus verò tantum triū meminit, tertijque obscurè satis: illud ibidem adiiciens. Quòd cuique musculo natura contrariū mollita est musculū, per

quem ad naturalem statum reduceretur, quasi nolit vt sponte id fiat à membro; sicut videmus in pectore: quod vbi distentum fuerit musculorum vi, suapte naturâ residet ac descendit. At hoc Vesalius negat adducitque musculos quibus nulli oppositi facti sunt: ratione quâ dictum est generali, quorum scilicet membra pondere suo deorsum sponte feruntur: velut musculis qui laryngis operculum eleuant, vel rectum intestinum, vel testes sursum trahunt, nulli sunt dati à naturâ oppositi musculi. Idem de musculis testium quos vocat κρεμαστῆρες infra repetit. Neque hoc conra Galenum qui vt dixi, de pectore quòd sponte grauitate suâ subsideat aliquando confessus est: licet in omnibus hoc generale sit vt violentiùs distracti indè laxati, reuertantur saltem maiore ex parte. Sed ad ordinem redeo: Differunt etiam musculi substantiâ, quamuis enim omnes carne atque ligamento constent, quidam tamen venas, arterias, neruos, adipem recipiunt; vnum exhis, aut plura, au omnia, aut nihil, vt qui latum in manu educit tendinem; sunt etiam variæ figuræ, triangularis, vt qui brachium attollit: quadrati, incurui, vt qui deorsum superiorem palpebram trahit: turbinati vt septimus oculorum: Palmitem referentes, vt qui costarum racibus tendines exporrigit: alij securis, alij cucullæ, & alij simplicis lineæ, qui propriam formam à quâ nomen sumpserunt, exprimunt: duo præcipui, vnus ad radicē post brachialis ossis quo sustinetur index: alter in osse pedij, cui digitus magnus dearticulatus insectus est, perforatus septum transuersum. Maximi quinti paris femur mouentium: inde primi, minimi laryngis propriè cartilaginis tertiæ, inde penis. Colore rubri vbi caro est, alioquin albi vel liuidi. A situ: A fibrarum genere, quod vnum plerumque est iuxta situs longitudinem vt dixi, situs autem iuxta motum. Sunt tamen qui omnia hæc habent multiplicia, labiorum, genarum, scapularum par vnum, & eius qui brachium pectori admouet. Sed omnium maximè variæ sunt linguæ fibræ, quòd multiplicibus moueatur motibus, & vicem plurium musculorom referat. Indé fibræ densæ, raræ, tenues, crassæ. Prætereà ab inscriptione quarumdam linearum, vt in musculis qui sub stomacho latitant; vnus quoque musculus plures emittit tendines, vt in cubito locati ad quatuor digitorum flexionem faciunt: contra quandoque plures musculi in vnum tendinem coeunt, vt qui in sura tres maximi efficiunt illum qui calcaneo implantatur, & qui cubitum etiam extendunt.

CONTRAD. XXIV.

An in curatione à leuioribus inchoandum?

[IN ægritudinibus in quibus est timor, & tardando securi non sumus quin virtus deficiat, nec quòd morbus alleuietur à validis medicamentis incipere debemus. In his verò in quibus timor non est, sensim ad validiora procedendum, si debilia, non suffecerint.] Quarta primi. Et videtur quasi sumptum ex quinto artis curandi. Sed Galenus vult quod adsit timor non solum casus virium, sed ne in morbum incidat insanabilem: sed in reliquis vult quòd curatio incipiat ab æqualibus vt in arte medica, imo dicit si membrum sit remotum à loco medicamenti vt interius pulmo à ventriculo, exterius si sit in profundo, oportet vt sit etiam calidius quàm debeat esse, vel frigidius tantò, quantum est illud quod ei decedit ratione longitudinis viæ ad locum patientem. Idem quoque tertio de simplicium medicamentorum facultate ostendit tum alibi etiam. Propterea dico quòd Principis dictum illud generale primum vt quidam putant non est, sed loquitur ibi de euacuationibus. Et quamuis videatur generaliter de omnibus, ratio tamen est clara: quoniam in euacuationibus maius est periculum, quàm in calefaciendo vel refrigerando. Quamquam neque Galenus dicat quòd statim debeamus vti æqualibus in contrariâ qualitate, sed quòd debemus; nam mutatione illâ sensim facta, natura minus perterretur.

CONTRAD. XXV.

Virtus hominis si esset infinita, an homo perpetuò victurus.

PRinceps prima primi hæc habet. [Amplius si virtus infinita foret & semper fieret restauratio loco eius quod resoluitur, æqualiter & secundum quantitatem vnam; fieret tamen resolutio non secundum quantitatem vnam: imo augeretur semper omni die, tunc restauratio, illa nō resisteret resolutioni & resolutio finiret humidum nostrum vitale: quantò magis cum duæ causæ iungantur, diminutio scilicet & retrocessus.] Oppositum ab eodem duodecimo de animalibus. [Et si ista virtus esset infinita, & quod resoluitur æqualiter restauraret semper, tunc res ipsa remaneret: Sed dissolutio ipsa augetur, qui cum virtus non sit infinita, est enim corporea, ideò operatio eius non est perpetua.] Respondeo quòd vbi credendum esset vni & non authoritati, præponere oporteret illam prima primi: quia librum illum confecit senior, & tractat rem accuratè cum sit locus proprius; & etiam negans cum assumit quod affirmat videtur maioris fidei, cum videatur tetigisse quod obstabat. Sed

conci

conciliare possumus, & res consistit in hoc quod quadrifariam potest intelligi restauratio. Primus modus est vt semper restauretur deterius: & hoc est verum quia quæ restaurat virtus est finita, & ideò homo properat ad mortem duplici causa: & propter consumptionem quæ efficit deterius semper humidum, & propter restitutionem deterioris alimenti. Secundus modus est vt virtus esset infinita quæ restauraret, & non fatigaretur, & intelligitur de infinito in vita non potestate:& ideo addit etiam quod restauraret æquale in quantitate & qualitate scilicet humido quod est & tunc etiam in dies humidum mistum fieret deterius:quia pars quæ est contracta à natiuitate fit perpetuò deterior, & magis terrea, & quod generatur etiam est terreum:igitur totum mixtum fiet impurius, tum ob terreum quod siccatur in humido innato, tum quod additur in genito nuper humido. Tertius modus est vt restauretur à virtute simpliciter infinita potestate humidum æque bonum,quale est illud quod consumptum est; quoniam nulla vis naturalis potest efficere tale humidum, quia cum sit mixtum perfectum, non potest esse absque terrea parte,sicut est illud quod consumptum est. Sed concesso modo quod esset, & posset restaurari, adhuc senesceret homo quia primum humidum quod est innatum fit deterius in dies, & quod miscetur est æquale ei quod consumitur igitur totum mixtum euadit deterius quàm priùs: ergo homo senescit & moritur. Et hoc intellexit in authoritate primæ primi. Quartus modus est vt restauretur humidum, ita vt mixtum euadat simile ad vnguem priori:& hoc non potest fieri nisi à potestate infinita simpliciter, omnipotenti tantum, quæ quaqua versum sit infinita. Et in hoc casu homo perpetuò viueret. Et hoc modo loquitur in duodecimo de Animalibus.

CONTRAD. XXVI.

Febres putridæ an in humoribus, an in ichoribus sint.

Hippocrates in libro de Natura humana inquit [sanus quidem maximè est homo, cum sanguis & pituita, vtraque bilis temperamentum habuerint, tum facultate, tum copiâ & vbi inuicem bene permista fuerint:Ægrotat autem per eadem, cum in aliquo horum peccauerint. [Ex quo patet illum intelligere febres putridas, ex his fieri. Et in fine eiusdem libri. [Febris continens à meracissimâ bile fit, ac plurimâ; post quam quotidiana etiam à multâ fit: Tertiana à pauciore.] vbi animaduertendum est, per quotidianam hoc in loco duplicem illum intelligere tertianã. Febris autem quartana inquit,ab atrâ bile indicio est quòd maximè abundent quartanæ his,ætatibus & temporibus quæ eum generant humorem: temporibus quidem Autumni, ætatibus à vigesimo quinto ad quadragesimum quintum. Et in septimo Aphorismorum.[Si Febrẽ non ex bile habeat, multa aqua capiti super infusa calida soluit morbum.] Igitur vult vt febres etiam ex bile fiant. Galenus quoque primo de febrium differentiis inquit: [nunc earum febrium quæ ex putredine humorum accenduntur differentias omnes persequar. [Et in vndecimo artis curandi: [Cum ex obstructione glutinosorum,& crassorum humorum putredo oritur, ipsi febri potus aquæ frigidæ non conuenit.] Hîc non solum humores putrescere,sed etiam crassos vult,& glutinosos.Idem cum dixit crassitiem humorum esse causam longitudinis febris,quomodo verum erit si humores non putrescunt in febribus, neque hoc necessarium est si humores crassi obstructionis causa fuerint:nam tum validis auxiliis sanari breui poterunt, quia dissecare & attenuare longè magis artis operibus subiiciuntur, quàm concoquere. Idem quarto aphorismorum. [Febres quæ non ex malignâ aliquâ humorum putredine ortum habent.] Igitur non differunt malignæ à mitibus subiecto, sed qualitate putredinis, seu modo: Et primo in sextum de vulgaribus morbis. [Febres pestilentes per putredinis excellentiam à cæteris differunt. Et cracissime secundo de febrium differentiis; Et quidem pro varietate humorum in quot conuertitur sanguis,febres fiunt.] Et antea dixerat quod tenuior illius pars in flauam bilem, crassa in atram conuertitur: Ergo humores verè putrescunt. Idem clarè in secundo de differentiis febrium, vbi loquitur de pituitâ & bile putrescente; sed quid plura, cum innumera sint loca vbi hoc dicit,nec nihil tritius.In ea sententia est Princeps prima quarti. [Et humorum putrescentium alius est bilis alius pituita,& reliqua quod repetit mille locis.] Sunt etiam rationes. Humor educitur per medicamentum, & febris leuatur: ergo humor peccat. Galenus etiam addit rationem, quia ne decumbat in membrum nobile, hoc autem conuenit humori propriè quia abscessus ex humoribus tantum fiunt. In eadem etiam primâ particula iubet concoqui,si non turgeant: ergo humores putrescunt; concoctio enim diffinitur quòd putredinem finiat. Vnde etiam tanta molestia & periculum vitæ si soli ichores putrescunt. Demum ex eisdem fiunt febres in venis,ex quibus abscessus extra venas: sed abscessus fiunt ex humoribus & febres: Et non oporteret vti in cura febrium nisi medicamento aquam trahente,vt brassica marina. Et in tertio in tertium de morbis vulgaribus.] Peiores, enim erant si humor ignem sacrum faciens, in profundum se mersisset: nam præter reliqua,febres acutas generabat. Quibus autem putrescebat in cute, hi citra febrem marcescebant. [In oppositum secundo in sextum Epidemiorum:] Quòd si alicuius succi non modo sanguinis secum in venis contineatur, & deliria, & phrenitides, & furores pariet. Adest & ratio;illud putrescit, & ex venis expellitur,quod in initiis tertianarum & quartanarum apparet per vomitum:sed in vomitu tantum apparent ichores (nisi sint humores crudi in ventriculo) nam ex substantiâ & multitudine id dignoscitur. Nuper matrona quædam cum tertianam

nam pateretur euomuit ichorem bilis flauæ ad quantitatem duarum librarum, quomodo potuisset contineri hoc in vesica fellis; & erat sicut aqua. Et si humor exiret è venis necesse essent vt solum portio extruderetur per vomitum, quod vt dixi nunquam accidit nisi sit humor in ventriculo genitus. Illud idem ostenditur in vomitibus continuatum per quos soluitur morbus. Vndè Hippocrates nusquam dixit in his qui seruati sunt vomuit bilem, sed biliosa vt primo Epidemiorũ de Epicratidis vxore & muliere ad hortum decumbente, & in tertio de Chærione. Rursus plurimi ibi sanati solo sudore narrantur. Quare cum eo nihil crassum excernatur; vt Galenus fatetur libro de constitutione artis medicæ. Et in libro de atra bile, dicit quòd constat serosâ parte sanguinis igitur solum serosa excernuntur. Præterea si humores putrescerent fieri non posset ob continuitatem & permixtionem quin tota humorum compago non putresceret: at non est ità, dantur enim febres biliosæ, pituitosæ, & melancholicæ, quia totus serosus humor putrescit; & ille est quandoque biliosus, quandoque pituitosus, aut melancholicus. Et ideò dantur rarò febres mixtæ, sed febres ex humore seroso mixto frequentissimè, quia ille est mixtus ex pluribus ichoribus. Sed in omni febre fæterent excrementa, hoc autem cum accidit febris est pestilens, aut humor plurimus crudus qui verè putrescit in vêtriculo (quia ibi seruari à naturali calore non potest) abundat. Demum non daretur febris pestilens, nam ille modus putredinis est imaginarius, non res. Imo febris pestilens est cum putrescunt humores: ideò in eis necessario adest fętor, quia omne calidum & humidum quale est omnis humor sanguini permistus, cùm putrescit fætet: Et eandem ob causam generantur vermes, & accidunt colliquationes; hæc plerumque, non vt de fętore semper. At dices, si totus ichor putrescit in omni putridâ febre; quomodo gignentur duæ & tres tertianæ, & hæmitritæi? nam si hoc docuero res est manifesta omninò. Dico ergo quòd fieri potest vt primum pars serosa tenuis biliosa, & ob id expellatur: crassa autem pituitosa sit, atque retineatur in venis, & ità fiet hemitritæus verus sæpè & facilè, alij autem modi vix possunt contingere, & hoc respondet experimento. At multiplex tertiana, aut quartana sæpe fiunt, & hoc est signũ abũdátiæ materiæ, & maximè cum ichor est crassus: neque potest expelli, ideò rarò duæ tertianæ exquisitæ. Sed in nothis & quartanis hoc sæpe accidit, cum materia diuersis in locis retineatur: & tunc putrescunt diuersæ partes loco distinctæ: nam totus ichor non simul putrescit quoniam esset febris nimis valida, & vna accessione finiretur: sed illud est imaginarium quod ipsi dicunt, scilicet quòd in eaparte putrescat vnus humor, & non alius vt dixi.

Concludo igitur quòd soli ichores putrescunt in intermittentibus semper; attamen & humores ipsi feruent, & ob id expelluntur quia sunt à naturâ separati: sicut videntur in sectione venæ expressè. Esset enim miraculo proximum quòd illa materia si esset humor ità expelleretur, vt nihil prorsus ne vestigiũ quidem sanguinis ostenderet; deinde quòd spargeret super omnia membra sensu prædita & musculos & in tantâ quantitate, quantâ aliquando euomitur & secernitur: Et quòd tota posset expelli per sudoré, & quòd per sudorem illum liberaretur æger, si esset humor verè & nó ichor, & quòd nó fæteret. Sin autem aliquid humoris secum putrescat retinetur; fit continua, sed mitis. Si auté planè sanguis putrescat in toto ambitu, fiunt febres ardentes magnæ; si autem in vnâ parte tantum velut & in abscessu, tunc totus putrescit qui est in ea parte: Quòd enim portio putrescat, & portio non, cum sint mixta, profectò est somnium; sed nomen assumit à dominante humore: & ideò omnis febris continua est ex mixtis humoribus, & omnis generis: Et ideò frequenter accidit, vt fiat continua cum intermittente eiusdem generis, quia sanguis retinetur, & ichor expellitur. Et tunc sentitur frigus, & fiunt vt dixit febres continuæ frigorificæ, vel in quibus apparet quod non adeò potest esse manifestum ob calorem perpetuum. Ideò primò ad Glauconem Galen. inquit si cum paruo rigore fuerit non solum intermittentium aliqua alia à tertia nã esse potest, aut hemitritæus, sed etiam aliqua ex continuis. Ex quo genere loquendi patet in quauis continua posse adesse rigorem, quòd & experientia docet, & Hippocrates attestatur; cum frigorificat, & hæmitritæos, & tetarteos ponat. Habet autem peculiare hæmitritæus, vt ichor sit materia vtriusque: quia materiâ scilicet bilis & pituita, est diuersa & etiam modus febris: aliæ autem cum sint eiusdem generis continua cum intermittente, necessarium est vt sit humor qui retineatur, & ichor qui expellatur. Ad authoritates Dico quòd Hippocrates, non distinguit ibi humores ab ichoribus, sed totum sub humoris nomine comprehendit. Ad Galeni authoritates: vel concludunt de vehementibus continuis in quibus putrescunt humores simul cum ichoribus, vel intelligit ipse per humores ichores vt Hippocrates: quamquam crediderim latuisse hoc & illum, & Principem, & omnes qui secuti sunt Galenum: velut Oribasius, & post Oribasium Paulus. Et quia vt dixi Galenus parùm exercuit medicinam physicam, fuit enim magis chirurgus quam physicus: quòd facile est deprehendere si quis vbi de se loquitur attentè legat, & hoc inuenit ab aliis; ideò cum non scripserit nisi inuenta ab aliis: quod etiam deprehenditur, ex libro de medicamentis secundum locos, ideò hanc rem pertransiuit sicco pede, nec attigit nisi eo loco adducto. Qui ergò secuti sunt cum eo senserunt; cum tamen hæc scientia sit maximè necessaria Medico: Imò ex hoc scimus cur intermittens plerumque discernaturper vrinam à continuâ; cum in continua infectus sit sanguis, si sit continua, vt dixi valida. Et etiam cur adeò dissuadet fructus horarios, & ab his abstinuit; & cum abstinuit ex præcepto patris non incidit in febres, vt ipse testatur in libro de cibis boni & mali succi: nisi quia tales fructus, eo teste secundo de alimentis generat ichores. At id de humoribus

moribus crassis; Respondeo quòd sunt causa putredinis, non autem subiectum. Et si quis dicat quòd tamen videntur febres lentæ, & longæ continuæ. Dico quòd illæ fiunt ex ichoribus crassis: Nec inconueniens est in aliquibus putrescere partem sanguinis, vt dixi mixtam quæ sit crassa. Ideò & ex hoc habetur aliud corrollarium quare tales sunt in magno discrimine, quia rarò accidit vt talibus totius sanguis non sit huiusmodi, quâ de causâ non illius partis solum morbus redditur longissimus; ideò tales homines indigent valdè attenuantibus & dissecantibus, quòd Medici negligentes, & nutrientes, & purgantes, eos perimunt alioquin seruandos. Pestilens autem febris dices adhuc subiecto non differet à continuâ, & erunt continuæ cum fœtore non pestilentes. Dixi quòd tales continuæ differunt ab intermittentibus, quia putrescit humor, non solus ichor; à pestilentibus quia toti humores & sanguis putrescit in pestilentibus, non in aliis quæ fiunt per modum abscessus, putrescente parte humoris interceptâ per obstructionem à diuersis finibus illius partis, vt in riuis cum aqua cogitur stare. Est in continuis huiusmodi est fœtor necessario ob causam dictam, & quandoque magnus: non tamen tantus, quoniam modica portio ex humore peccante restat, imò ex hoc colligitur aliud vtile præceptum, quòd ex medicamẽto excremẽta valdè fœtida plerũque liberationẽ portẽdunt; quia materia febris educitur sicut discisso abscessu. Materia etiã illa si cõcoquitur parum fœtet: si multum fœtet nec educta sit, sed sponte veniat, est lethale signum, quia non concoquitur. Ad rationes Dico quòd in turgente educitur ichor, & non humores plerumque. Et fieri potest vt dixi sed vix vt humor putridus sit in turgente materia, sed sunt mali ichores: sed tam in turgente, quàm in aliis etiam intermittentibus si talis putredo diu perseueret ex intermittente fit continua mala humoribus putrefactis. Ad id quòd decumbant in membrum Dico quòd periculum est ne ichoribus in illud transeuntibus, etiam humores secum ducantur, qui non anteà putridi, postmodum putrescunt ratione loci: sunt enim extra venas & conculcati. Idem accidit in podagra, fit ab ichoribus quibus tamen sanguis postmodum succedit: Et ichores illi aut sunt nimium tenues acidi; aut tenues calidi; & ideò & ab acidis & à vinis potentibus excitatur podagra, & rarò multum sudantibus, & exercentibus aduenit. De concoctione Dico quòd in intermittentibus non indigemus coctione, imò in singulis accessionibus liberatur patiens, quia materia non est humor, sed ichor: Exigitur tamen tempus illum ad separationem ab humoribus, & ideò si natura impediatur periculum ingens, & est quasi necessarium vt transeat in continuam febrem. Idem de continuis mitibus, indigent tamen præparatione: at in acutis de quibus loquitur Hippocrates; indigent præparatione & coctione. Aliud animaduertendum si acuta sit ex ichore: superueniente rigore soluitur continua febris, & ità transit in intermittentem; vel etiam liberatur: ichore extra venas eiectio, ideò solet sequi sudor more aliarum intermittentium & æger liberari, vt Hippocrates testatur. Sed si febrem iam continuam sequatur rigor, continuâ non desinente, signum est quod totus ichor ob putredinem humoris computruit, & tunc solet sequi frequens rigor, & mors. Idem dixit Hippocrates. [Si rigor incidat febre non deficiente, ægro iam debili facto lethale est.] cum verò dicit vndè tantum periculum, imò Dico quod hoc concludit oppositum; dicebat enim Hippocrates. [Febres quocumque modo intermiserint periculum abesse significat.] Et ratio clara est quia ichores solum peccant. Eatenus quatenus ergo febris cum sua causa consideratur fieri non potest vt ex intermittente moriatur homo, ex aliis autem causis adiunctis contingere potest. Nam quòd prauitas humorum & abscessus suspicio absint, id non sufficit vt sit sine periculo; si enim esset humor qui putresceret & multus, posset homo mori, non solum esse cum periculo: sed est sine periculo, quia eorum ichor solus computruit. Quòd verò adiicias ex eisdem fieri abscessus & ichores, falsum est: nam abscessus initium habent ab ichoribus propter ichores è venis exeant, necessario non propter ichores, sed propter locum putrescunt, non autem in venis: ideò febres possunt esse ex solis ichoribus, abscessus numquam nisi iuxta cutim, vt tuberculis quos sanies generat; in quibus per sæpè solus ichor continetur. Ad id de medicamento trahente aquam Dico quòd damus medicamentum trahens humorem, quia illud idẽ & validius trahit & ichorem: secundò quia vt dixi, affinis humor efferuescit, licet non putrescat ex sympathiâ: cum enim vt dictum est, ichor ille maiore ex parte vni humori assimiletur, licet totus in illa parte computruerit, etiam affinis humor qui illi propior est & cuius ichor est, tum ex propinquitate, tum ex similitudine à supercalefacto ex putredine ichore incalescit, & in periculum vertitur ne putrescat; ideò in contingit si non celeriter expellatur. Hoc autem fit quoties rigor leuis est & longus, sin autem breuis & validis, & accessio anticipet; quia minorem trahit moram ichor cum succo suo, periculum abest transitur in continuam. Quòd si dicat in fine febris videmus naturam expellere humorem biliosum per se cessum, aut alium pecccantem igitur humor ille fuit materia febris. Dico quòd parùm humoris secernitur, & is est supercalefactus: verùm ichores fæci admixti præbent speciem humoris. Ità adeò oscitantes hoc tractant Medici tractaruntque, quòd quotidie præ manibus habent vt fæces tinctas ab humoribus secernere nesciant, & humores appellent. Humores videmus excerni in febribus pestilentibus, in lue indicâ, & hi tantum differunt ab his quæ in intermittentibus excernuntur, quantum lupus ab oue. Solent etiam appellare humorem verè humorem illum pituitosum, qui circunuestit intestina tinctum humore peccante, vel non tinctum; at hic humor est vt dixi, sed non humor peccans. Vides modò maiores nostri in quanta caligine ad hanc vsque diem versati sint, & quot

quotidie

quotidie admiserint errores; vt vel hoc solo plures errores, quam rectas actiones. Indicio etiam esse potest medicamentorum opus tam celer quod non fieri posset si humores educerentur: sed cum vt dixi fermè semper ichores educantur, nec mixti humori plerumque vlla ex parte, imò ne tincti quidem ab illo; quandoquidem rubri si hoc contingeret persæpè necessariò prodirent, sed tamen eiusdem coloris cum humore ob qualitatum similitudinem, & ichores ex morâ & præparatione vt dixi, ab humoribus sint seiuncti: ideò tum quia liquidi & tenues, tum quia separati facillimè educuntur. Sed si separati non sint, tunc fiunt tormina, anxietas: & natura adeò vexatur, vt maximum patiantur ægri ex errore incommodum: At vt dixi humoris in huiusmodi vix stilla exit: quamquam Galenus putet in regio morbo exire bilem, sed falsò vt multa alia: ichores enim sunt in causa, & modica bilis quæ retinetur cum illis, indicio est quòd regius morbus scabiem aut impetiginem persæpe generat. Quod verò adducitur ex tertio Epidemiorum, iam dixi huiusmodi humores si intùs redeant putrescere, & excitare febres acutas: non tamen ob id semper acutas generant febres, quia putrescunt: & à calore enim naturali in venis magis construantur, quàm extra. Verum persæpè acutas excitant putrefactis ichoribus; Quòd si omninò etiam humor ipse putrescat non solum acutæ febres, sed acutæ perniciosæ necessario generantur: à quibus non nisi robusti & ægrè etiam euadunt.

CONTRAD. XXVI.

Bilis æruginosa & porracea, an vtplurimum in venis generentur?

QVæ in ventriculo generatur duplex est, quæ similis est porro, alia viridi æris quam Arabes Zinariam appellant. Et mihi quidem videtur quòd quæ porro assimilatur generetur potius ex vitellina cum aduritur, sicut quæ viridi æris ex porracea cum vlterius uritur. Cum enim citrinum aduritur, efficitur nigrum; quod citrino permixtum euadit viride. Idem cum vlterius etiam vritur, fit candidius, exhalante humido: nam calor humida nigra reddit, sicut dealbat sicca; sicut contra frigus denigrat sicca, & dealbat humida. Hæc tamen que diximus de modo generationis vtriusque bilis solum est probabile, non quod demonstret. Verùm quæ viridi æris assimilatur, omnibus bilis rubræ speciebus calidior existit, & peior ac magis pernitiosa: adeò vt reponatur ab aliquibus inter genera venenorum. Prima primi dixit Princeps. Et hoc quod dixit de generatione bilis in ventriculo, sumpsit à Galeno secundo de temperamentis. Ità Princeps contradicit Galeno non perfectè, sed ex sententia; videtur autem sententia hæc Principis Arabum communis, nam & Auerroës eam sequutus est Tertio collectaneorum. Haliabbas tamen primo Theoricæ vult quod ex superflua exustione generatur ea quæ assimilatur ærugini, sicut quæ porro ex alimentorum corruptione maximè calidorum vt porrorum, allij, & cæparum, quod testatur Galenus: tum etiam frigidis oleribus plerumque dicit generari, vbi dicit quod etiam quandoque etiam generatur in venis absque vitio alimentorum. Est ergo primum concordia de porracea quæ potest generari & in ventriculo, & in venis; sed in ventriculo vitio ingestorum, in venis per exustionem. Sed æruginosa non nisi per exustionem generatur: aut ergo in venis & hoc maximè quia in ventriculo non potest esse tantus calor vt hoc efficiat, nisi vehementis putredinis causa. Et ob id adeò concordes, vt alias existimauerim indignam esse vt hîc locum inueniret. Sed de his infrà.

CONTRAD. XXVIII.

Ossa an sustinendæ carnis causâ.

OSsa muniendi causâ carnem, & mouendi data esse docet Philosophus secundo de partibus animalium: Est munimentum illud non solum ad carnes, sed ad reliquas partes & calorem ipsum extendit, velut etiam in ostris. Auerroës idem sensit, sed, addit tres vtilitates multitudinis eorum; formam scilicet, motum, & transpirationem. Galenus vndecimo de vsu partium, vsum multitudinis & generalem ossium confundere visus est, in quatuor diuidens; tutelam, motum, discrimen, & perspirationem: sed de motu, & perspiratione, ac tutela non est vt dicam, notissima enim sunt. Verum discriminis priùs meminit, dicens capitis ossa in lateribus squammosa facta esse vt vincula possent ei inferi: hic & ossa alia sunt cum capitibus quæ multâ medullâ prædita sunt instar operculi. Verum de generali vtilitate ossium quam ille appellat, substantiæ illorum vt subtilius aliquid dicat, meminit in sextodecimo eiusdem eandemque docuit quam Philosophus: scilicet duplicem. Non meminit discriminis Galenus vt ante dixi, quod Aristoteles prætermittit. At ossa refert Aristoteles, quæ Galenus ad multitudinem, scilicet motum. Propterea nota quòd Aristoteles distinguit motum ab hoc motu; Quòd enim pars moueatur hoc habet ob osse, quod sustinet carnem, quòd moueatur illo motu, habet à multitudine; quia ab articulo sub quo etiam forma, situque comprehenditur, discrimen consequitur ad multitudinem, non ad substantiam ossis. In vniuersùm ista quæ pertinent ad vtilitatem parum referunt, vt in anatomicis dictum est quomodo referantur. Vesalius idem ferme sentit volens ossa pro fulcro facta esse, & pro munimine subiectarum partium, ac pro innectendis vinculis quibus mouetur corpus, vt hæc vtilitas cum prima maximè primæ Philosophiæ respondeat.

CONTRA

CONTRAD. XXXIX.

Atra bilis quibus signis dignoscatur?

[CVm dicimus bilē flauam, intelligimus cum atram melancholicum.] Septimo Aphoris. inquit Galen. Idem in 6. partic. ait, [Dictum est autem quòd eam quæ est veluti fæx sanguinis, cum volumus exquisitè loqui, nondum atram bilem nominamus, sed humorem melancholicum: nominibus verò abutentes & atram bilem vocamus; quoniam si non euacuetur priùs, paulo post & ipsa futura sit atra bilis.] Hucusque perspicuum est hoc interesse quod atra bilis exusta fæce sanguinis, aut spuma illius scilicet flaua quæ duo excrementa sunt sanguinis 2. natural. facul; fit atra bilis velut exusto sanguine toto, vtraque pars transit in bilem 2. de differ. febr. Ex quo liquet vt rectè dictum est, duplicem esse veram atram bilem; scilicet quæ fit ex flaua exusta, & ex nigra provt ex libro de atra bile habetur: vbi docet differentiam inter bilem atram, & sanguinis fæcem; quòd bilis atra semper sit liquida nec concreta, fæx autem sanguinis concreta. Rursùs ab humore nigro seu atro, quoniam acida sit & acris amara bilis, & erodat, atque fermentet terram vt acetum, quod alibi pluries repetit. Sed nullibi melius quam in 14. Artis curandi vbi se exponit, quòd fermentet terram, id est, attollat; intellige parum, non multum; nam & panis fermentescit exiguum quiddā attollitur. Ita intellige etiam quòd eradit atra bilis & acetum terram, non quod partem illius auferat vt ferrum, quid enim absurdius; sed quòd veluti limunij fructus, succus permutat corij colorem illum eradendo: ita & acetum & atra bilis. Quæ tamen cum ad excrementum referuntur, obscura adeò sunt vt notum per ignotum quærere videamur: sed ita inuenisse scriptum Galen. & in suum lib. transtulisse constat, velut & illud in eod. lib. de atra bile: [Atque idcircò exitialis eius generatio esse videtur, vt quæ ab atro humore superassato generetur. Multo verò etiam perniciosior censenda est certè bilis ea atra, quæ à flaua bile superassata gignitur, quantò nimirum humor humore efficacior est.] Vbi pluribus modis Gal. delinquere videtur: testatum quasi faciens se non vidisse vnquam atram bilem ex flaua per exustionem factam. Deinde quòd falsa ratione concludit, cum in his quæ secundum naturam procedunt, verū sit iuxta materiæ malignitatem augeri humoris etiam prauam qualitatem: at si vrātur cantharides & lapis, nō eadem est ratio imò ex lapide calx & vinum fiet quia terreum; ex cantharidibus cinis euadet innoxius penè: quia terreū cum ignescit fit acre & igneum: igneum autem amittit ab igne acredinem quod etiam ipse non negat, fitque terreum & penè insipidum. Quin quod eam atram bilem quasi non viderit, quæ frequētissima est in omnibus continuis febribus ex flaua bile. Quis non videt quod sæpè dixi parum exercuisse eam partem Medicinæ quæ pertinet ad partem interiorem, quam vocamus Physicam; sed in Chirurgia fuisse expertum. Et Princeps dum illum sequitur peccat licet minùs absurdè, rationem infidam pro verâ & sine sensu secutus. Inquit enim vt Galeni sententiam tueretur: [Et melancholia quæ fit ex bile est maioris prauitatis & velociùs corrumpitur, quam quæ ex melancholia fit exustâ aut pituitâ: verumtamen faciliùs curatur, quam vtrauis illarum.] Quis sani sensus vir non videt has omnes nugas, similesque chimeris Philosophorum; qui dum sine experimentis audent disserere, nec habent veras rationes, in chaos quoddam impingunt: cum hîc vt docebo veritas ipsa si modo & sensui & rationi euidenti operam dare non pigeat, perspicua sit: & quoniam hæc parerga sunt, sequamur in proposito. Ille enim idem quarto Aphorismorum super illis verbis Hippocratis deiectiones nigræ quales est sanguis: inquit, [De deiectionibus nunc ipsi est sermo, quæ à priscis Medicis nigræ nominantur; bilis verò nigra exquisitè non sunt: nam neque acidum, atque acre, ac corrodens habent: nec quod multo minus est, effusæ in terram fermentant; sed sunt vt planè earum distribuam imaginem, velut sanguinis limus: qualis etiam vinis crassioribus consistentibus solet subsidere, quem fæcem nominant. Hæc si diutiùs in corpore moretur, & neque occultè, nec manifestè excernatur, fit bilis nigra exquisitè. Antequam verò hæc genita sit, splen eam trahit qui est veluti sanguinis fæx, iecur expurgans: abutitur autem & hoc melancholico humore splen ad sui nutritionem, & eius excrementum ad ventrem vt deiectionibus misceatur expellit. Si quando ergo aut abundantior limosus hic humor à iecore transmittatur ad splenem, vel splen ipse non concoxerit, tunc illæ fiunt nigræ deiectiones: de quibus apud Hippocratem nunc sermo est; vt liqueat hunc humorem non esse concretum.] At in libro de atra bile bile, inquit: [Quoniam verò non concrescit (atra bilis scilicet) à sanguinis fæce distincta est.] Est ergo duplex fæx sanguinis & humor melancholicus, naturalis omnis qui etiam in venis est concrescitque, atque hunc propriè sanguinis fæcem appellamus. Hic idem translatus ad lienem, & postmodū excretus seu naturaliter, seu quia superabundet, vel quia non elaboratus liquidus est, non concretus, sanguini nigro, scilicet nondum concreto, persimilis vocaturque niger humor. Quid ergo prohibet vtrumque exuri vt ex fæce sanguinis ipsa, seu in venis adhuc retenta, seu iam ad lienem transmissa fiat duplex atra bilis. Dicere oportebit vt Galen. sibi ipsi conciliemus, eam solum fæcem quæ in venis residet, non quæ est in splene, exuri: sed fæcē sanguinis in ipsis venis modo exuri & fieri atram bilem, modo transmitti non exustum ad lienem, tuncque appellari non atrā bilem, sed humorem nigrū. Quod si quis obiiciat verba adducta ex 6. Aphoris. quòd retentus humor melancholicus mox sit transiturus in atram bilem. Vt eum tueamur dicemus intelligi debere hæc solum de ea fæce quæ adhuc in venis residet, non quam natura propulit ad splenem, nam de illo tunc Ga-

leno sermo non est, vt qui extra propositū sit Hippocratis in textu; Non solum agendum de eo vbi de deiectionibus nigris sermo est, quia illis adnumeratur. Sed ad vtiliora redeo: flaua bilis cum exuritur in æruginosam transit primo prorrhitici, indè in nigram hoc ergo est quod fallit multos parumque abfuit qui in eo Princeps deceptus sit, quòd nigra fex vbi statim exuritur, in atram transit: bilem flauam autem, Galeno teste, in viridem. Sed si vera fateri volumus priùs in alios persæpè colores, ac velut post cæruleam; sed non tamen vt dixi sequitur vt nigra sit viridi deterior, aut ea quæ ex fæce sanguinis fit, sed ipsa viridis teterrima est: nigra tamen facta magis perniciosa est, iam debilitato ægro; & quoniam indicium est quòd causa quæ exurit perseuerat tanto tempore confirmataque est; vndè verius dictum est Galeni in hoc, quam Principis. Neque ob accidentia scilicet imbecillitatē virium, & causæ pertinaciā, faciliùs curam suscipit, imò prorsus lethalis est: cumque atrabilis fiat à calore semper, niger humor à frigore: persæpè Author libri quæsit. in Hippoc. vnū ab altero, dicēs quod si niger humor fiat à calore præcedit flauum; dic etiam rubrum vel viride: si à frigore leuidum: idque certum signum est, ideoque miminimè aspernandum. Ergò vt ad Galenum redeam aliquando Galenus per atram bilem incertus sui vt in tertio prognosticorum, solum intellexit atram bilem quæ fit ex flaua, non ex sanguinis fæce exusta. Hoc autē vt sæpe dixi, quia aliena transcripsit non sua, quæ viderit scripsit: ideò memoria constare non potuit, incidit enim in grauem difficultatem; nam si quartana fit ex fæce sanguinis, ergo cum febris exurat, erit, humor qui relinquitur nigra bilis seu atra necessario: sed non fit exustio nisi fex in venis retineatur, neque tum semper, sed non nisi ab excellente calore. Hæc amplecti oportet si nolis in euidentes errores incidere, aliter enim ex omni melancholica febre ægrum perire necessarium est quod falsum est, cum multi præsertim his corripiantur, & cum lentæ sint licet continuæ tamen benè curati euadunt: ex minimo tamen errore pereunt. Hæc volui te docere ex quibus magnū fructum feras, non nugas quas isti Galenici solo nomine afferūt. Sed prosequamur: Galenus tertio de locis declarat hanc fermentationem dicens quod materia effusa in terram bullas emittit, etiam præter id quòd attollat terræ superficiem: quod clariùs docet secundo Prorrhiticorum illud addēs quod permisceretur terræ atra bilis, & cōuersa in ampullas eleuat illius superficiem quasi ferueat. Illud mirum de egestionibus forsan videri poterit, quomodo saporem earū describat; neq; enim puto illum aut quemquam alium Medicum degustasse, neque ægrum. Sed alibi ex locis iam adductis rationem reddit, deprehēsum id ex vomitibus esse. Sed ô Galene, dicet illius æmulus, quid hoc ad cognitionem egestionum quas vis per sapores distinguere à nigro humore: Responsum puta ab illo: non hoc ipso volo docere hanc differentiam dignoscere, sed solum magnum esse discrimen: sed differentiam docet infrà in eadem particula, cum atram bilem docet dignoscere sex conditionibus: quod nigra sit, aceti sapore odoreque (nam hoc etiam sapor dignoscitur qui cum aceti instar sit acidus necessariò est & acris) & terram fermentet, & erodat; sit præterea liquidus, non concretus, & splendens. Prima ergò conditio omnibus tribus humoribus communis est; secunda, tertia, & quarta, plus habens in specie, quam in re: nam nec illis omnibus à nigris humoribus, nec à sanguinis fæce distinguitur, quæ ambo acida sunt: sed sanguinis fæx si pura sit tum astringit, auget humor etiam acris, aut fædi, atque amari est saporis. Quinta verò à sanguinis fęce quæ concrescit vt sanguis, distinguitur: sexta verò scilicet splendore à nigris humoribus. Hæc cum senex scripserit apparet illum hæc omisisse in lib. de atra bile, quod tū scripserit vt iuuenis aliena. Quamquā enim subiecerit neminem seruatum vidisse, scio nam nunquam eundem viderat: cum neque fermentatio illa conspicua sit, nec eam vidisse crediderim, cū humor is egregiè splendidus sit. Quî fieri ergo potuit vt tam diligens circa notam quæ vix accurratè inspicienti apparet: quod verò adeò euidens erat signum non omnino animaduerterit? Splendida est ergo atra bilis, & eo differt à nigris humoribus, & liquida; hocque differt à sanguinis fece. Vnde sanguinis fex dum in nigrum humorem transit, concretionem & splendorem simul amittit per quæ ab eo differt. Præter ergo Galeni authoritatem (quam si quis seruare velit in lib. de atra bile, dicat non voluisse docere vt dixi differentiam sed potius ex natura rerum ipsum probare: ad quod sufficiebat ille sapor atq; fermentatio.) Præter experimenta, rationes etiam id docent; nam vt dixi atrabilis fit aut ex sanguinis fece, aut viridi bile æruginis simili, quæ cum ambo valde splendeant, nec misceatur, nec segregetur, necesse est vt splendida maneat: nam in transitu fæcis sāguinis in nigrum humorem propter hoc adimitur splendor, quia quod tenue est & clarum, in alimentum lienis transit. Præterea humectatur à sordibus prioribus atque coinquinatur; nigra autem bilis siccatur & seorsim manet, vndè mera sicut & æruginosa solet excerni.

CONTRAD. XXX.

An medicamenta frigida, actu frigida magis refrigerent.

Galenus in libro de marcore in erysipelate ventriculi dat lactucas teneras aquâ frigida recens ablutas: exteriùs vero applicat emplastrum ex omphacio & succo portulacæ cum modico farinæ, omnibus in aqua frigida prius refrigeratis, additâ ipsi aquæ etiam niue. Et vbi adsit suspicio phlegmonis amouet frigidorum potestate partem, eam quæ actu est totum intactum relinquit. Imo vbi tepuerint iubet statim amoueri, & aliud loco eius frigidissimum ex iisdem applicari. Et rursus ibidem febris sua ratione semper & balneo, & potione frigidæ iuuatur; licet aliarum affectionum febri iunctarum causa

persæpè

persæpè ab eius vsu cogamur abstinere. In oppositum, emplastra debent imponi calida vt eo calore magis vis ad actum deducatur, Galenus 14. methodi vbi curat carbunculum cataplasma tandem imponit ex plantagine ambigens an calida an frigida potestate primum applicet: deindè omittit, cum multum referret dicere an calidum an frigidum actu sit imponendum. Et certè non obliuione, sed quia non sine magnâ prolixitate explicari potuit, laudoque hominem, qui in difficillimo iudicio potius siluerit, quam inconsulté proferendo causâ periculosi erroris dederit. Ipse certè in 1. de simpl. med. vult, quod frigida aqua per se refrigeret, per accidés cõtracto calore excalefaciet; post subiicit si aliter adhibeatur vel vt ex sole tepés séper refrigerabit. Idem etiã post si téperaté calida aqua perfusum corpus temperatum nisi frigidã adhibueris semper refrigerabitur. Ergo vult quod frigida potestate vt tutò refrigerent, nec aliquo modo excalefaciant, aut tepentia velut à sole, aut prorsus tepida; aut dicit ibi quouis modo calida modo non ferueant applicentur. Idem in primo ad Glauconem inquit de phlegmonis in genu curâ loquens: [sic etiam cataplasma ex arnogloso lente pane & oleo rosaceo aut ex oleo rosaceo passo & cera liquifacta, oportet hoc lanis excipere sordidis, & quæ plurimum œsipi habeant; æstate quidem frigida, hyeme verò tepida imponendo. Paulo autem supra patientem particulã spongiam suppones vino austero, aut aquã frigidã madefactam; melius autem erit si aceti modicum iungas.] Hic visus est ad cohibendum solum actu frigidis vti, in phlegmone sequutus est rationem temporis. Princeps quarta quarti in cura phlegmonis sequitur Galenum in methodo, etiam in libro ad Glauconem. Idem paulo post in cura Erysipelatis spargit locum aqua frigida. Cõcilianda sunt hæc omnia, quia actus medicamenti tam exterioris, quam interioris similis esse debet facultati: cuius ratio euidens est, nam cum facultas ad actum sit deducenda; ergo quærimus actum, igitur actus debet esse similis potestati. Calida plusquam tepida, temperata tepida, frigida quæ frigefaciunt sunt applicanda, non igitur indiguit alia regula in eo quod per se notum erat. Excipiuntur tamen quæ hyeme applicanda sunt frigida: oportet enim tepefacere ne vel naturam absterreant, vel congelentur. Secundo si non velis assiduè permutare melius est ab initio tepida apponere, quoniam omninò breui ad id peruenentura sunt, & periculum mali sensus effugies & calefactionis, quæ per meatuum stipationem contingere posset. Et si periculum fuerit vt materia cogatur in membrum, propter multitudinem, aut crassitié, vel lentorem, vel membri imbecillitatem: Etsi periculum sit ne retrocedat ad membrũ principale propter propinquitatem, vel ob prauitatem materiæ, vel eius mobilitaté. Demum si periculum fuerit ex parte membri, vel quia necessariam habent operationem vt cerebrũ, vel pulmo & pectus, quæ motu perpetuo indigent: vel ob imbecillitatem vt cũ ex percussione debilitatũ fuit: vel quia exangue vt auris, in huiusmodi casibus fugimus frigida in actu. Generaliter tamé actus debet esse similis potentiæ; qua si immodica sit intemperies non sufficient medicamenta solũ potestate calida, tum quia prohibebuntur vt ad actum veniant, tum quia antequam agant forsan membrum corrumpetur: sin auté mediocris operatio perficietur per mitiora medicamenta: quia temperies potentia in mixtis magis corrumpit operationem, quam actus.

CONTRAD. XXXI.

Carcinoma an ex melancholia.

CArcinoma (nam sic appellari quod vulgo vocant cancrum aliàs docui) generari ex melãcholia docuit Gal. 14. meth. & in 4. Aph. & in 7. eiusdé super eo verbo Hippoc. [Si lingua repente incontinés fiat tale est melancholicum.] Et in lib. de cibis boni & mali succi. Cũ tamen oppositum dicat 1. Aph. volens ipsum oriri ex atra bile, vt etiam in 2. ad Glauc. & in lib. de atra bile, & lib. de Tumor. At differt atra bilis plurimũ ab humore melancholico, quamquam non me lateat Gal. id protulisse suo more absque discrimine; fretus propriâ authoritate quam etiam superiùs adduxi. Scilicet vt cum dicit atram bilem, melãcholicum humoré intelligere voluerit, quãquam per melancholicũ humoré, atram bilé nõ liceat intelligere; vt potius ex his videatur consistere, quam ex atra bile. Animaduertendum tamen est, quod in lib. de tumor. scripsit his verbis: [Cũ vero in carnem bilis atra decubuerit, & mordax est, circunductam cutem perrodit vlcusque efficit: cum verò molestior fuerit, efficit cancrũ qui sine vlceratione est.] vt videatur cancer ex humore nigro fieri, non exusto: dico auté carcinoma sine vlcere ideoque sanatur, vt in methodo docuit Galenus; sed cum vlceratum est fit ex atra bile nec curam recipit. Et ideo benè dictum est illud ab Hippoc. [Carcinomata occulta melius est nõ curare,] curatione enim niger humor aduritur & transit in atram bilem.

CONTRAD. XXXII.

Ossa an frigida?

PRinceps prima primi cõnumerat ossa inter membra frigida; & sumpsit à Galeno primo de temperamentis. Verum cum ipse Galenus dicat, & princeps loco eodem quod nutrimentum est simile ei quod nutritur, & velit ossa nutriri medullâ ibidem, quam constat esse calidam authoritate Aristotelis. Eadem difficultas & forsan etiam maior est de humido; nam medullam constat humidam valdè esse, vt etiam vndecimo de simpl. med. & tamen iisdem locis ossa inter siccissimas partes connumeratur. Quî fieri ergo poterit vt ossa ex medulla nutriantur, aut ipsa sint frigida & sicca? Vndè author libri de Anatomia viuorum dicit, medullam ob id potius esse excrementum quam alimentum ossium, cum sit illis contraria: Indicio est ait quòd in animalibus frigidis & siccis maior est copia medullæ. Princeps secundo Canonis dicit quòd calefacit

calefacit & nutrit plurimum si probè concoquatur. Quam sententiam fermè accepit à Galeno tertio de alimentis, sed non dicit quòd multum nutriat. Posset ferri sententia illius authoris, nisi esset quòd eandem patitur difficultatem excrementum, quam nutrimentum, oportet enim cum fuerit secundum naturam esse simile membro. Authores non posuerunt temperaturam eius, quoniam non est membrum, nec pars principalis, sed alimentum potiùs membrorum: quamquam posuerit & adipis & humorum quæ non sunt nec ipsa membra. Respondeo quòd medulla est frigida & sicca prout est animalis pars, quia destituta calore naturali, & posita in loco frigido & sicco, vt cibus, vt medicamentum calida est & humida. In comparatione ad id quod nutritur, est frigidior ac siccior quouis sanguine, & crassior; maximè postquam diu elaborata fuerit, nam longo tempore manet antequam in os conuertatur, dicebat Galenus loco adducto ex tertio de facultatibus naturalibus.

CONTRAD. XXXIII.

Tendones an neruis constent.

GAlenus sextodecimo de vsu partium inquit, [Superuacuum erat ligamentis ipsis neruos addere, quibus neq; opus erat sensu neque motu sed veluti funiculi aliarum partium, quasdam cum ossibus & ossa cum aliis colligat.] Idem tamen prius de ossium motu loquens hæc habet: [Neruis autem solis vti non poterat, vt qui propter mollitiem tanta onera transferre nequeant. conuenienter igitur vbi membrum solo ligamine indiget, ibi solum est ligamentum: vbi verò sensu solo neruus: vbi motu voluntario est opus, vtrumque ibi reperias: neruum quidem, qui missum à ratione imperium perferat, motusque principium præbeat: ligamentum vero, quod robur ad ea, quæ à neruis mouentur gestanda suppeditet. Mistum ergo ex ambobus motus instrumentum quoddam efficere oportebat, quod omninò neruo quidem durius, ligamento autem mollius erat futurũ.] Soluitur ex lib. de ossib. ab eodẽ. Ossa cum ossibus inquit dupliciter coniunguntur, quædam per articulum cum mobilia sũt & de his intelligit in hac secunda authoritate: per symphysim & sunt immobilia, & de his in prima loquutus est: cum enim motu non indiguerint, neq; sensu; motus enim datus est propter sensum, vt in libro de plantis author ille docet: propterea neruo neque propter motum, neque sensum ligamenta illa indiguerunt. Et hæc de sensu maximo & exquisitissimo intelligenda sunt: nam & ligamenta omnia sine neruo sensum quendam obtusum habent, vt aliàs docui: & quidam articuli ex solis tendonibus, quamuis illis neruus non inseratur magno sensu præditi sunt. Sed hoc contra Galeni mentem proditum à Vesalio.

CONTRAD. XXXIV.

Ligamenti nomine quæ intelligantur.

GAlenus explicans primo de motu musculorum quibus sit ligamentum, dicit quod sũt per quæ musculi ossibus coalescunt & colligantur musculis; fibras inserentes, ossibus autem membranas circunuestientes. Sed author libri de diffinitionibus dicit quod qui ex musculis prodeunt tendones, vocantur qui ex ossibus ligamenta. Idem in libro de ossibus, videntur etiam tendones esse inter duo ossa, vt dictum est in præcedenti contradictione. Quia si tendo est id quod componitur ex neruo & ligamento, ergo ossa quæ coniunguntur per articulum, sunt coniuncta per tendinem, non per ligamentum. Idem primo anatomicarum aggressionum meminit ligamentorum inter ossa & musculos; in duodecimo verò de vsu partium ponit vtilitatem ligamentorum, in quo admiratur naturæ solertiam, quòd illa & dura & mollia, & robusta & imbecillia fecerit. Est autem genus ligamenti membranosi quod tendinem vestit, ideoque multo tendine durius sicut & aliud quod est simile cartilagineo neruo, secundo anatomicarum aggres: quale est illudquod femoris caput coxæ acetabulo inserit. Dicebat sexto de vsu partium omne ligamentum cartilagini, aut ossi cartilaginoso annectitur: Et illius vtilitatem declarauerat iam in tertio eiusdem quod esset iuxta motus validi necessitatem. Solutio est quod ligamentum habet tria significata primum quod solum vincit: & ità inuenitur solum inter os & os per symphysim iuncta. Secundo vt solum circunuestit neruum aut tendinẽ ipsum expers eorum, ideoq; ab eis distinctum; tertio modo vt ligat tantum & sic est tendini commune, nã & tẽdines qui duplices sũt & ipsi inter os & os, & inter os, & musculũ vinciũt inuicẽ partes.

CONTRAD. XXXV.

Sanguinis multitudo an efficiat vires robustas?

SAnguinis multitudinem nõ efficere vires robustas colligitur 1. Aph. vbi damnatur habitus athletarum. Vbi nota quod vult illos abundare humoribus non dicit bono sanguine. Et quod tales sunt obnoxij suffocationi & rupturę vasorum. Idẽ in lib. de opt corp. constitutione tria sub illa comprehẽdit, saluberrimum statum, robur virium, & vt non facile morbis corripiatur. Sed Athletarum damnat in lib. de bono corporis habitu, vbi vult quod abundẽt bono sanguine; quia dicit in robore viriũ & succorũ bonitate cũ optimo corporis habitu conueniunt: at in his est bonus sãguis, ergo & in athletis. Magis mirabile est quod dicit in lib. de mult. [Quare cũ sanguinis affluentia robur viriũ non necessario augeat, nec decremento minuatur. Et paulo post; tametsi virium robur, & operationum firmitas se consequantur, non tamen si vberior sit sanguinis copia quam priùs, ideò vires

sunt

sunt robustiores : neque si paucior imbecillior:neque si æqualis,æqualis.Paulo etiã antea clarissimè tametsi aucto sanguine contingat vires augeri,nõ tamẽ hoc est necessariũ.] Oppositũ 2. Aphor. vbi à sanguinis missione cibus defuturus est vires dissoluuntur : & in 2.de victu in acut. vires deiicit , sanguinis eruptio.Eandem in tertio connumerat inter ea quæ maximè debilitant vires.Solutio habetur de habitu athletarum ; primum potest esse cum bonis succis tantum,hoc tamen rarò contingit : nam plerumq; etiã est cum abundantia omnium humorum , satis tamen est quod potest esse cum illis solum;& tunc conuenit in hoc cum optima corporis constitutione,sed differt immoderata abundantia,nã & bona constitutio & optima & possunt esse cum abundantia, sed non extrema differunt etiam abundantia carniũ.De sanguinis multitudine dicebat Galenus 9.Meth.[Sanguinis missio aliquando alleuiando confert viribus, quandoque verò nocet, quandoque parũ nocet,quãdoq; multum.] Aliud est autem loqui de euacuatione in qua mutatio adest,aliud de simplici statu:euacuatio multa vt sãguis paucus relinquatur debilitat necessario vires,nõ tamen si paucus sit generaliter;vbi enim paucus fuerit ob victus moderationem cũ exercitatione , non est cum imbecillibus viribus quia restauratur in dies. Attamen sanguinis multitudo boni est indicium roboris per se, quoniam non generatur nisi à multo calore naturali:& etiam continet multum calorem, non tamen est cum viribus validis necessariò quia potest onerare naturam.

CONTRAD. XXXVI.

Abscessus quomodo fiant & ex quibus.

[DVarum verò concoctionum remanentium superflua per resolutionem quæ non sentitur,& per sudorem,& per sorditiem extrinsecam egrediuntur. Cuius pars exit per sensilia foramina velut os & nares, pars per oculta veluti poros aut extra naturam vt abscessus cum aperiuntur aut quod additur per ortus modum,sicut pili & vngues.]Prima primi Princeps. Verùm Galenus lib.de inæq. intemperie vult quod fiant abscessus ex sanguine profluente ex venis eo modo quo dictũ est ibi,tum aliàs. Hasen autem non ex sanguine, sed ex excrementis tertiæ vel quartæ coctionis. Respondeo quòd per duas concoctiones reliquas intelligit eam quæ fit in venis,& tanquam in membris & quòd abscessus fiunt non ex excrementis tertiæ coctionis, sed quod abscessus cum suppurat transit illius materia in excrementum tertiæ coctionis,& ideo dicitur excrementum impropriè.

CONTRAD. XXXVII.

Os cuius causâ.

PHilosophus tertio de partibus animaliũ proponit vtilitates oris,cibum mandere : respirare in his quæ respirant,tutellam animalis maximè in his qui dentes habent validos,& sermonis causâ in homine. Idem in secundo de partibus animalium os factum ad comminuendum cibum vt facilius concoquatur concisus, non quod vim vllam habeat concoquendi. Princeps autem dicit oppositũ in prima primi. Idẽ quarta decima tertij;medici dicũt quod in ore ipso est concoctio aliqua : ostendit autem hoc primum, quia tunica oris & ventriculi est eadem , & sumpsit hoc à Galeno quarto de victu in acutis:& quod cibus mansus amittit odorem & saporem proprium , & triticum maturat abscessus mansum, & saliua delet lichenas , & occidit scorpiones , quæ omnia accepit à Galeno tertio de facultatibus.Concordia est quod os tribuit præparationem cibo , merito saliuæ in his animalibus quæ mandunt : non tamen hæc vtilitas est generalis comparatione generis animalium:nam pisces plerique & aues omnes deuorant non mandendo : sermo autem Aristotelis est de animaliũ genere,non homine. Cum ergo hæc vtilitas non sit generi animalium in ore generalis neque prima,ideo omissa est, est ab Aristotele.Nam respirare,loqui,tueri se,licet non sint generales vtilitates, sunt tamen primæ id est perfectæ.

CONTRAD. XXXVIII.

Melancholia an frigidior pituitâ.

FRigidius quod in corpore est pituita prima primi : & accepit à Galeno primo de temperamentis: Quod verò frigidissimũ humidissimumque in corpore, pituita est. Non animaduertit forsan posse legi coniunctim,nõ disiunctim.Iacobus adducit tres rationes ad oppositum, prima quòd in pituitâ fundatur calor naturalis octauo de decretis Hippocratis & Platonis ; igitur pituita non est frigidior melancholia,aut saltem non est frigidissima Respõdetur quod in melancholia etiã continetur calor naturalis vt est pars sanguinis, 2. de facult. nat. non tamen dicit quòd sit pars caloris naturalis, sed necesse est esse partẽ ipsius vt est pars sanguinis.Dices non potest conuerti fęx sanguinis in sanguinem,pituita potest conuerti 2. de victu in acutis : concedo,ergo pituita non est frigidior, nego:quia melãcholia pro fæce est pars caloris naturalis. Dices ergo pituita non est frigidissima concedo , quia hæc non est pituita apud Galenum sed sanguis potius pituitosus. Cum ergò dixerunt quo pituita sit frigidissimum eorum quæ sunt in corpore nostro , intelligitur de genita in ventriculo. Adducit aliud argumẽtũ pituitæ sapor naturalis sunt, dulcis & insipidus prima primi: ibidẽ dicitur quod melãcholię est inter dulce & astringens:ergo cũ astringens sit frigidius insipido , quarto de medicamentis simplicibus, erit ex regula Geometrica temperatura melancholiæ frigidior, temperaturã pituitæ. ad hoc dico primum quod pituitæ sapor frigidioris est acidus : Quod dicit Princeps intelligitur de sanguine pituitoso ; sed quia aliquis

aliquis posset obiicere quod intelligeretur etiam de pituita naturali extra venas sicut experimur in saliua. Respondeo ergo quòd argumentum nō probat, quoniam oporteret supponere quòd tantum melancholia participaret de sapore astringente, quantum pituita de insipido: sed hoc non est verum, nec potest demonstrari, ideò non possunt supponere quod E, idest melancholia sit frigidior D, id est pituitā; quia oporteret supponere quod E, esset adeò propinquum B, vt D, propinquū C. Tertia ratio in Quartana quæ fit à melancholia dicebat Galenus secūdo de differentiis febriū in quartana præcedit rigor quasi ex gelu ingens: cum in quotidiana pręcedat horripilatio. Idem libro de tremore dicit quod rigor quartanæ est veluti illorum qui ex maximo frigore rigent, vel qui iter agunt tempore frigidissimo. In secundo de Crisi dicit quod sentiunt confractionem vehementem ossiū cum frigore, non tamen dicit magno. Iacobus respondet quòd frigus verum magis sentitur in quotidiana: & hæc responsio est Galeni in eisdē locis, qui fatetur quod in quotidiana sentitur diù frigus putum, quod non sentitur in quartana. Frigus etiam in quartana sentitur à patiente magis, quam astantibus: in quotidiana contrario modo. Quarta ratio sumitur à causa, princeps enim post dicit quod melancholia fit quadoque à frigore congelante: igitur cum pituita congelata transeat in melancholiam, se habebit ad illam vt glacies ad aquam; glacies enim & ipsa est sicca. Et si dicas quod hoc est de præternaturali, respondebit ille quod illa quæ est frigidissima & propter quam cōclusum est quòd pituita sit omnium frigidissima, vt ab initio diximus est etiam præternaturalis. Ideo respondeo quod hoc est dubium in via Galeni, nam de principis verba sunt nimis clara: Et frigiditas quidem pituitam generat: Et valde magna melancholiā, propter id quod vehementer congelat humorem: vndè expresso humore exsiccatur residuum & fit terreum.] Dico quòd non vult pituitā congelari, sed humorem crudum ex quo expresso humido fit melancholia, sicut in magnis frigoribus de glebis terrę; nec sequitur ob hoc quod gleba terræ sit frigidior luto, imò contingit experimento oppositum. Argumentum enim illud non ostendit nisi in generatione, non in congelatione. Et forsan quod principis est quod possit esse frigidior melancholia, priuatione caloris propter pertinaciam morborū qui ex ea contingunt: Pituita vero est frigidior actu, & tactu, & generatione. Et si quis requirat in quo differt frigiditas quæ est priuatio caloris, à frigiditate in actu quā nos esse negamus. Dico iuxta nostra principia quòd frigiditas in materia tenui quoniam penetrat, ideo agit, & ob id videtur qualitas, non priuatio, sicut grauitas: sed in materia crassa quia non agit, aut parum agit, dicitur priuatio tantum caloris.

CONTRAD. XXXIX.

Venæ portæ rami an septem.

GAlenus in lib. de dissect. venarum & Arteriarum ponit septem ramos venæ portæ; primum ad duodenum, & pylorum: & pancreon. Secundus qui bifariam diuiditur parte vna ad concauum ventris ex tensus, parte autem altera ad lienem, & iuxta positas omenti partes, vt tamen statim ab initio cum iecur exit hæc fiat diuisio. Tertius ad intestina magna & etiam mesenterium: Quartus ad pylorum & gibbam ventriculi partem ex dextra parte comparatione ad tertium ramum fertur. Eiusque rami ex ventriculi in omentum conuerso modo ferūt quo ex liene in omentū propagines secū æ partis rami secūdi. Quint. à dextra parte superioris intellige, ad mesenteriū quod coli partibus substratur, defertur. Sextus ad ieiunum & ileon fertur, ac meseræi partes illis suppositas. Vltimus cōplectitur cæcum intestinum, & partem exiguam coli illi proximiorem. Ita fit vt vena portæ ambiat omnia intestina præter rectum: non ergo meminit recti, neque vesicę fellis vt Vesalius. vnde notandum quod vt ab illo habetur vena portæ trifariā distribuitur intus ad gibbam iecoris per venulas minutissimas & capillares: & per ramulos extra in vesica fellis vt dictum est, & ad ventriculum iuxta pylorum, & per caudicem magnum. At sic vbi extra prodiit bifariam diuiditur, quorum qui superior est idem ad sinistram vergit & minor est, inferior longè maior & ad dextram partem magis declinat. Adeò verò in rectū ex dextro ramo per propagines exporrigitur vt fæculentus sanguis hæmorrhoidarum per illum propelli soleat. Princeps autē prima primi ob id coactus est diuidere portę venæ truncum in octo partes, duas paruas & sex magnas, & emitit vnum ad rectum intestinum, & est propior veritati. Nec in hoc Galenus culpandus esset, vt neque Aristoteles; in his enim quæ tempore deteguntur non est vitium multa ignorare, quoniam non nisi sensuum beneficio deprehendi possunt: solum turpe est vel errare in generalibus quæ rationi subiiciuntur, & solis communibus sensibus indigent vt per rationem ea detegantur: vel si contendant esse quod non est vt in falsi testis suspicionem deueniant: vel si constanter negent sola ratione falsâ ducti quod postmodum sensibus deprehendatur.

CONTRAD. XL.

Dulcia an bilem generent? An obstructionem pariant vuæ passæ an iecori conferant.

DVlcia facile in bilem verti receptum est à Medicis, Galenus 2. de facult. nat. & 1. de Crisi, & 3. de victu in Acutis, & 1. de alim. ac tertio loquens de melle, & in lib. de dissol. continuā. Verū hoc multas habet difficultates; prima quia omne quod nutrit est dulcedinis particeps, quarto de simplicibus medicamentis, & addit rationem quæ est huiusmodi: quod nutrit debet reparare substantiam similem ei quod nutritur, sed hoc non potest facere nisi quod iucūdum est, id autem est dulce. Sed relicta Gal. ratione possumus ex maiore inferre cōclusionē dupliciter melius, quā ex Galeni verbis. Quod debet reparare nostrā substantiam oportet vt naturaliter appetatur: quoniā natura dedit sensus omnes

ad

ad salutẽ animalis, dulce autem maximè appetitur, vel simile nutritur ex simili: sed sanguis est dulcis, ergo nutrit ex dulci: sed quod nutritur, nutritur ex sanguine: igitur animal indiget simili medio nutrimenti sui. Quidam ob hoc dixerunt quod dulce nutrit, valdè dulce in bilem conuertitur: sed Galenus vult quod lac quod dulcissimum est benè nutriat, & quòd bonum corpori præstet alimentum quinto de tuenda sanitate, & dicit coctum non amarescit (quarto de simplicibus medicamentis, vt mel. Et in tertio de alimentis vuę passæ alimentũ pręstant sibi simile: dulce dulces: austerũ austeræ. Et quæ quidẽ dulces sunt copiosius alunt austeris. Idem tamen in libro de attenuante victus ratione inquit [Vuæ passæ dulces, & non astringentes iecori & lieni tumentibus non conducunt.] Atque eo magis quod dicat in octauo de compositione medicamentorum secundum locos, in hepaticorum curatione conscribens medicamenta: [Cæterùm vua passa contemptilis videri possit ob familiarem eius vsum, at verò hoc ipsum eam facit vtiliorem, nam cùm familiaris nobis sit, in tantum adstringens est, quantum opus habet viscus affectum. Habet autem & vim concoctoriam crudorum humorum, & vim coercendi maligna, sitque ipsa haud facilè putredini obnoxia, & vltra hæc secundum totam substantiam visceri ipsi familiaris est & propria. Dicimus enim quòd alimenta secundum totam suam substantiam, proprietatem ac familiaritatẽ habent cum iis quæ aluntur, quod maximum est in huiusmodi affectionibus curandis quæ iuxta intemperiem fiunt.] Quin imo subiungit eandem esse mellis facultatem, quod detergit & aperit, & puros reddit meatus, cietque vrinas, nutrit scilicet benè concoquit, & omnia peragit quæ vua passa, præter quam quòd non roborat membra. Princeps quoque in prima primi emunerans bilem generantia, calida dicit tenuia, acria, pinguia, & dulcia. Et hoc sumpsit à Galeno quinto in sextum de morbis vulgaribus de pingui & dulci. Quinetiam subit difficultas, quia dulce obstruit tertia primi: Quæ ambo mala collegit quartadecima tertij, & accepit à Galeno in libro de cicis boni & mali succi. Respondeo quod dulcia non vt dulcia conuertuntur in bilem, sed quia tenuis sunt substantiæ quatenus dulcia, ideò vuæ passę & lac, non vertuntur in bilem quia tenuis substãtiæ, terreum est admistum multum in passis, in lacte aquei, dulcia etiam vt dulcia aperiunt bifariam; vel quia crassa rapiuntur ante coctionem ad venas, vt lac bubulum, mel autem hoc non facit quia tenuis substantiæ: iunctum cum crassis eduliis obstruit maximè. Dictum ergo illud quòd dulcia obstruant intelligitur ratione cibi & vsus communis: quòd aperiant medicamenti; vuæ passæ non obstruunt cum astringunt diù manent in ventriculo; ventriculus enim diù retinet ob vim astringendi, non tamen aperiunt quoniam sunt humidæ & crassæ substantiæ, non tamẽ terreæ: licet enim multum habent terrei, est tamen terreum diuisum in minima & multo humido commistum.

CONTRAD. XLI.

Si tristitia an refrigeret? Ira an calorem naturalem augeat.

GAlenus quarto de tuenda sanitate docet per tristitiam humores intro ferri: non dicit quod calefaciat aut refrigeret. Quod etiam tabe afficiat hominem & perimat, narrauit in sexto de medicamentis secundum genera. Verùm quod refrigeret docuit quarto de causis pulsuum Galenus, & ob id dicit quod efficit pulsus paruos raros, & tardos: Id affine est illi quod dicit in duodecimo artis curandi tristitia & ira vires resoluunt, cum tamen dicat de ira primo de præsagio ex pulsibus, quod auget robur facultatis: similiter dicit in secundo de tuenda sanitate, quòd tristitia febres accendit; sed & primo de febrium differentiis connumerat tristitiam inter causas quæ accendunt febres. Et paulo post volens docere huius causam inquit. [Quæ autem ex tristitia fit febris ex solo motu, non ex feruore generatur.] In secundo autem de crisi ponens causas ephemerarum inquit. [In tristitia calor potius acris, potius quam mordax contabefactusque homo & oculi concaui; non eadem in ira.] Et primo ad Glauconem pulsuum magnitudo in his destruitur: sed cum loquatur de febribus comparatiuè, non simpliciter est intelligendum: idest, quod non est tanta magnitudo, quanta exigeretur febre eadem alia causa laboranti. Quòd verò dicit tertio de tuẽda sanitate corpus gracilescere verissimum est. Sed si quis alius veterum dixisset ex motu magis humorum fieri febrem, quàm ex feruore: quàm illum exsibilasset Galenus dicendo, non ne ex motu feruor generatur? Princeps innuit quod verissimum est prima primi ex tristitia generari melancholiam non naturalem frigidam, sicut etiam ex congelatione quod verissimũ est: nam ex magna tristitia ac diuturnâ homines pereunt, vel breui ex febre maligna, aut abscessu, vel in insaniam incidunt, quod vidi plurimis contingere: vel contabescunt, vel vt qui minimè patiuntur in quartanas difficiles incidunt; horum vt dixi causam iuxta principem assignare non esset arduum: at secundum non adeò pronum, beneque fecisset Galenus si hoc docuisset. Dico primum iram vbi sit pituitosus sanguis bonus plurimus, calorem & vires certè augere, ideo illa verba ex primo de præsagio expulsibus coniuncta legi debet: sicut concoctio auget vires in morbo, ita ira in sanis vbi plurima pituita bona seu semicocti humores qui concoquuntur, vel si ab iræ calore concoquantur sicut & concoctis iuuat in morbis; adeò vt faciat geminas comparationes coctionis & materiæ: coctionis quidem ac semicoctos aut morbi materiam: materiæ autem humorum semicoctorum ad duplicem calorem naturalem qui concoquit, aduentitium ab ira. In reliquis autem temperaturis scilicet siccis cum ira exsiccet multum, adeò debi-

litat vt multi statim pereant, alij incidant in morbos acutos & ipsi statim ex quibus moriuntur quod sæpius vidi. Distingue ergò de corporibus siccis & humidis: robustis saltem mediocriter & omnino imbecillibus, vt etiam in Aphorismo Hippocratis (idem enim est iudicium) [Corporibus humidas carnes habentibus famem adhibere cõuenit, fames enim corpora siccat.] Sed de tristitia dico quòd ipsa non est cum motu manifesto vt in ira vel timore, sed congendo calorem statim illum auget semper, & maximè si non sit magna nec calor ipse magnus: & hoc principium intelligitur iuxta mgnitudinem tristitiæ & caloris naturalis: in his enim est per quam breue: sin autem vtrumque magnum sit longum, sin autem tristitia sit magna & calor modicus tunc etiam principium est b eue, & persæpe occidit: vt in valde senibus, mors filij aut simile. Mediocris ergo tristitia in exiguo calore, & humido corpore, & habitu & eiusmodi quæ præceptis Philosophiæ leniri possit, aut cum spe bona alterius commodi confirmat calorem naturalem & meliorem reddit habitum. Ideò ab initio augendo calorem ex collectione facit febrem persæpe ephemeram. Sed perseuerans tristitia semper refrigerat corpus ex eo quod calor suffocatur & extinguitur, & ideò vires debilitantur, & exsiccat quia calor ille est turbulentus & fumo plenus, & facit ob id voluntatem suspiriorum & fletus, & hoc est melius bifariam: tum quia est signum humidi corporis & corpora humida minus patiuntur, tum quia cum lachryma exit pars caloris, & minuitur tristitia seu saltem affectus tristitiæ. Et ideò verbera & vulnera non sinunt contabefieri adeò corpus, vt cum tristitia manet sine dolore corporis. Et ego in dolore filij mei virga cædebam mihi crura obequitando per loca syluestria & proderat, quoniam flere nequibam ob ætatem & pudorem, excitabam & fletum. Ergo Homerus lachrymam ob id meritò sæpe appellauit salsam, nonnunquam calidam. A tristitia enim recenti fluit calida ob coactum calorem intus: & à diuturna iam refrigerato corpore aut à lætitia excidit frigida, iam calore resoluto: vel omninò non calefacto corpore vt in gaudio in quo difflatur calor. Istud ergo principium si tristitia sit moderata, & corpus humidum, & calor imbecillis, aliquando durat per annum in aliquibus, cum calor fuerit magnus, corpus siccum, tristitiæ causa violenta non durat per tres horas. In principio semper calor augetur secundum qualitatem, & si corpus habeat incoctum sanguinem multum etiam secundum quantitatem, & in hoc casu confirmat vires: parum tamen quia & si calor augeatur, remanet tamen impurus & vt dixi fumo plenus. Et non est adeò perniciosa tristitia, neque periculosa cum lachrymis, nec tantum iacturæ affert, quantum si sit sine lachrymis & sicca. Sed in processu tristitia semper exsiccat multum, & extenuat vires, & adurit occultè humores; licet enim calor sit modicus, est tamen immodicè siccus ideo generat atram bilem etiam de mente Galeni. Et si dicas hæc atra bilis est frigida? Dico quod Galenus hoc non negaret, neq; enim negaret Gal. quòd atrę bilis alia nõ sit valdè calida, alia moderatè, alia frigida: neque rursùs exustio omnis fiat à magno calore sed sufficit quòd calor ille sit valdè siccus, ideò in tristitia potest minui calor imò minuitur semper cum transit suum initium, & tamen augetur exustio. Verum signum magnitudinis tristitiæ, & impressionis eius est vigilia perseuerans. Nihilominus facta magna resolutione spirituum & in corporihumidis succedit somnus profundus, maximè post lachrymas purgato vt dixi calore: & hoc minuit multum detrimentum tristitiæ. Quòd ad motum attinet motus in tristitia est paruus semper comparatione timoris, & iræ, & etiam spei: aliquando tamen potest dici magnus. Et quia tristitia est perturbatio adeò homini inimica: Dico quod ferre lapidem granatum suspensum collo, & est ex genere carbunculi valde splendidum & rubrum, colore inter flammam & sanguinem; sed valdè perspicuum lucidum & magnum, adeò vt vix aspectus eius ferri possit multum confert. Et credo etiam quod puluis ex quatuor gemmis pellucidis leuigatis conferat; scilicet carbunculo granato, hyacintho orientali, smaragdo orientali, vel etiam margaritis puluis scythicus noster seu tetrapharmacum styracis optimi, croci orientalis singulorum drachmas duas, succi helenij & radicis apij siccatorum singulorum drachmam vnam, leuigata misceantur; sed non debet seruari plusquam per octo dies, & in vase aureo aut argenteo puro, loco humido vt non respiret, drachmæ dimidium cum aqua hilarem admodum reddit hominem: drachma integra facit somnum profundum & insomnia turbulenta: drachma & dimidia accendit animum ad pugnam, parit contemptum mortis & omnium malorum, & etiam tormentorum: duæ drachmæ faciunt insaniam. Et hoc iuxta temperaturam singulorum augeri vel minui debet. Et si bibatur cum vino inebriat, turbat mentem magis.

CONTRAD. XLII.

Somnus Meridianus an conueniat & sit vtilis? Et an in somno calor semper contrahatur.

Galenus tertio de causis pulsuum dicit quod oportet pulsum consequi contractionem caloris quæ fit in somno ad concoctionem cibi. Et in Quarta particula sexti Epidemiorum Hippocrates. [Vigilans exterius calidior, interius frigidior, in somno contra.] Et rursus in quinta eiusdem somnus visceribus confert. Et septimo artis curandi. [Debent qui imbecilli sunt ventrilo plus cibi sumere in cœna, quoniam coctio à somno iuuat.] Et in primo de symptomatũ causis, dormientibus nobis, nutrimentum non solum in ventre, sed in tota corporis mole concoquitur. Et in secundo de victu in acutis. [Vigilia vehemens potus, cibos crudos

crudos atque incoctos reddit.] Sunt & infinitæ vt dicam autoritates de hoc Pauli, Aetij, Oribasij, Principis. Et non videtur apponi exceptio in nullo horum. Princeps tamen quem semper sequitur experimentum in tertia primi damnat somnum meridianum dicens quod facit morbos ex pituita, ergo non tunc iuuat coctiones; similiter Galenus loco adducto dicit quòd somnus in prima parte contrahit calorem intus, post in secunda spargit illum, & quòd tunc pulsus crescunt. Hoc ergo est contra dictum Hippocratis generaliter sumptum. Respondeo, Hippocrates secundo prognosticorum dicit. [Dormire à prima luce vsque ad tertiam diei partem si noctu vigilauerit; qui vero somnus ab hoc tempore est, deterior est. Pessimum verò si neque noctu, neque interdiu dormierit.] Constituit quatuor ordines primum si noctu bene dormiat: & tunc si nox sit breuis etiam interdiu à prima luce ad tertiam diei horam. Secundus si noctu non dormierit, sed à prima luce ad tertiam partem diei: Tertius si interdiu dormierit pessimum; postmodum si omninò non dormierit. Dictum ergo Principis intelligitur vbi quis dormiat nulla necessitate addactus. Hæc autem quadruplex vigilia in nocte dolor magnus, imbecillitas ventriculi, consuetudo longa in die dormiendi. Hippocrates, loquitur de somno nocturno aut matutino dicto, aut necessario: Princeps de eo qui fit à prandio & importunè; de contractione Dico quòd in prima parte contrahitur, in secunda expanditur: est tamen contractus comparatione ad vigiliam; neque enim necessarium est quod si expandatur vt sit expansus; sin autem transierit debitum temporis spatium, tunc etiam poterit esse expansus: sed Hippocrates intelligit de somno moderatum tempus non excedente, & debitè facto: nam & si desint integumenta erit corpus in somno frigidius non solum exteriùs, sed etiam interiùs & erit minus malum vigilare.

CONTRAD. XLIII.

Exercitium an debeat fieri ante perfectam primam coctionem?

PRinceps tertia primi postquam posuit opinionem Galeni exercitatione cõmuni docet secundum mentem tamen aliorum quod exercitatio valida scilicet, vehemens & diuturna debet fieri ventriculo non omninò à cibi reliquiis expurgato: & corpore potius pleno quam vacuo. Atque hoc duces belli intelligunt qui haud impransos educunt milites in bellum, iubebant enim pugnaturos mediocrem sumere cibum, non tamen repleri; quod quidam prætermittentes victoriam, hostibus concessere. Inter quos Terentius Varro cum multa apud Cannas stultè commisisset, ieiunum exercitum eduxit à prima luce: & cum frustra ad meridiem in armis continuisset expectans Hannibalem exhaustis viribus cum nuper refecto pugnauit. Sic Iphicrates prandio diluculo militibus imperato Lacedemonas producto ad vesperam prælio, cæcidit. Quod etiam Chabriæ Alteri Atheniensium duci contigisse aduersus eodem memoratur. Sed Galenus secundo de tuenda sanitate docet quod non nisi celebrata secunda coctione, nedum prima inchoandum sit exercitium. Idem in libro de cibis boni & mali succi inquit [Exercitium post cibum assumptum trahit illum ad membra, & quod præparat homines ad graues morbos.] Satis actum est de hoc alibi. Nunc tantum monuisse sufficiat, aliud esse munus gymnaste, aliud ducis militum, aliud Medici; & etiam apud Medicum considerandum quod minus periculum affert, nam ex graui & longo exercitio maius posset sequi periculum in ieiuno, quam in eo qui sumpserit cibum licet intempestiuè. Ad hoc etiam facit consuetudo longa vt in messoribus qui iam coguntur exercere se: pro quibus regulæ medicinæ silent, velut etiam primo de alimentis & sexto de tuenda sanitate.

CONTRAD. XLIV.

Cibi calidi incocti an generent bilem.

GAlenus tertio de temperamentis dicit quod si vinum abundè bibatur vt plusquam possit à calore naturali euinci, tantum abest vt corpus calefaciat vt etiam illud abundè refrigeret: Igitur ex cibis calidis non superatis, frigidus humor gignitur. Oppositum in secundo eiusdem: [Quæ verò bilis porrum refert, his solum gignitur in ventre, qui malè concoxerunt.] Et in libro de cibis boni & mali succi morborum cruditas maximè causa est, seu mali: deterior tamen ea quæ mali succi: & ea est duplex tenuium ex qua herpetes & erysipelata gignantur; igitur cibi calidi non cocti gignunt succos calidos. Respondeo quòd cibi & potus calidi gignunt semper humorem calidum seu concoquantur, seu non: sed si benè concoquitur augent calorem naturalem, si autem non concoquantur refrigerant ipsum, non qualitate, sed mole obruendo calorem naturalem & ipsum consumendo, quia corpus non nutriunt; in oleribus tamen velut porris & cepis est etiam semper pars frigida quæ in alimentum frigidum vertitur.

CONTRAD. XLV.

Carcinoma quid.

CArcinoma morbus est in quo illud quod de eo sperare possumus, est vt dum incipit fortasse, nec augeatur, nec vlceretur; sed conseruetur in statu suo in quo erat. Et accidit in quibusdam horis vt incipiens sanetur, confirmatus verò non; Princeps tertia quarti vbi sententia est quod Carcinoma (Et non est cancer latinè, hic enim cacoethes est, vt

vt patet apud Celsum libro quinto) nam cancer fit ex vlcere malè curato, sanari solet, vt apud illum: est enim duorum generum cancer de quo in capite de vlcere oris & gangrena, de qua anteà. Quod si quis velit separare cancrum prorsus à gangrena laudo, modo sciamus cancrum esse vt dixi vlcus κακοήθες male curatum; Carcinoma autem, & tumorem, & vlcus in iecore dicit, vel liene, sedem habentem, quem cancrum vt dixi perperam vocant): Cum est magnum, curari non potest, cum autem incipit: quoddam est confirmatum idest iam factum & hoc curari non potest: quandoque non est, curarique potest. Et quia hoc accepit à Galeno, videamus quid Galenus dicat de illo. [Hunc morbum per sui initia sæpe sanauimus, sed vbi in molem insignem euectus est; nemo sine manus opere potuit curare. Itaque vniuersæ chirurgiæ tumorem præter naturam intentio est totum excidere: qua partibus sanis adhęret circuncidendo. Sed ob vasorum magnitudinem cum præsertim fuerint atteriæ, profluuij sanguinis statim periculum imminet: quod si laqueis comprehendas passiones per consensum insequuntur. Quòd si radices exurere statuas, neque huic periculum deest, si apud principes particulas exustio fiat. Hunc igitur morbum à principio curauimus præsertim si humor melancholicus ex quo fit non admodum crassus fuerit. Nam qui non est adeò crassus, mendicamentis purgantibus prompte succumbit ex bus sanitas sequitur.] Idem fermè de curatione dicit in xiiij. methodi. Sed & Princeps idem ferme censet cum dixit. [Et in quibus quæritur destructio carcinomatis, penitùs requiritur resolutio eius quod collectum est, & expulsio illius quod est præparatum.] Ergo quod carcinoma curari non possit Arabes videntur sentire magis, quam Græci, edocti experientia quòd in sua regione quæ calidior est magis crassescit humor ille quàm in Græcia. Sed cur non sanetur multæ causæ adduci solent: Prima est dicta à à Galeno quòd ob crassitiem humoris atri: cum iuxta hoc sit concedendum quod aliqui possint etiam ex magnis sanari vt etiam Galenus fatetur, sed quodnam dicatur carcinoma confirmatum; certè illud est in quo medicamentis adhibitis exacerbatur, aut apparent in ambitu venæ nigræ aut fuscæ: vel cum est dolor acutus cum duritie glandulæ. Alia causa est quoniam humor ille exustus est: sed in quartana vbi ille peccat, morbus est breuior si fit à bile flauà, igitur non est propter hoc solum. Tertia ratio adduci solet quia humor est separatus à sanguine, ideò non potest concoqui. Omne enim quod concoquitur, à calore naturali concoquitur, hic est sanguis permistus materiæ peccanti. at si humor separatus sit, non potest superari. Verùm nec ob hanc causam solum, nam sic nulla quartana sanari posset: cum in omni tali fiat separatio à sanguine. Ideò alij dixerunt quod hoc contingit quoniam intruditur locis angustis in quibus putrescit: Et cum sit prauus humor & extra venas, nõ potest extrahi medicamento? sed sic vbicunque posset præcidi posset sanari: sed hoc non est verum, solet enim redire vel alio loco quam vnde præcisum fuit. Dixerunt alij quòd hoc contingit quia morbus est in iecore, vel liene consimilis; sed sanatur morbus Gallicus quamuis habeat huiusmodi radicem. Alij dicunt quòd est quia est infectus, quodam genere putredinis prauo, vt non possit superari à naturâ, sed corrumpit sedem affectam, vel dicas quòd concurrunt omnes hæ causæ, maximè natura humoris atri exusti inde corrupti & separati, id est, in actu & ad actum deducti. Et intrusi in loco absque concauitate; vndè impressionem facit & fomentum vt & ratione radicis, id est, iecoris aut lienis: aut materiæ, id est, melancholiæ exustæ aut bilis flauæ: Et ratione separationis, non loco, sed substantia, à bono sanguine, & ratione densitatis membri, vndè putredo acquisita: & ratione colluuiei & & fomenti partis circùcirca ex liquefactione membri redditur insanabile; Curam tamen scripsimus in primo promptuarij. In vniuersum concludo quod præter supradictas difficultates illa est maxima quòd etsi rectè curetur intus, extra non, nihil proficimus: si bene intus, non recte extra nidus ille, & corruptionis sedes corrumpit partem quę per venas complices communicatur iecori, & ità non potest prauitas & radix auferri: Ergo omninò non sanabitur; inuenire autem duos Chirurgum & Physicum qui benè intelligant & cognoscant quod, & quando, & quomodo, & quantum agendum, & quod summum est vt eodem tempore simul: imò momento hoc faciant: at hoc impetrare arduum est, ideò res ita se habet. In grassius autem adeò se oculatum exhibens non videtur rectè supposuisse pro κακοήθη, cancrum quamuis in propriis vlceribus membrorum, id est, velut oris vt vnum pro alio ponat, vt neque conciere potuit Galenum rectè dicentem cum frustrà reprehenderit, nimis gloriæ studio ductus, principiis: autem à nobis inuentis & nondum traditis carens alioquin inter primos nostræ ætatis & valde paucos numerandus.

CONTRAD. XLVI.

Corporis temperatura an ex duobus membris.

PRinceps prima primi volens ostendere corpus humanũ esse calidum & humidũ sic ostendit. Cum tria sint mẽbra principalia cor, iecur, cerebrum: & ex his duo calidã cor & iecur, & duo humida iecur & cerebrum: & vnum tantum frigidum scilicet cerebrum; & vnum tantum siccum scilicet cor, quod etiam dicit est modicè siccum: igitur temperies totius hominis ad calidum & humidum manifeste declinabit. In oppositum Galenus in arte medica vult quòd corporis totius temperamentum sequatur cordis ac iecoris temperiem. Et adest ratio quia cor subministrat sanguinem subtilem tenuem ex arteria, iecur ex vena, cerebrum nihil; igitur temperies totius hæc tantum duo membra

bra sequitur. Contra diceret Princeps si sic corpus humanum penderet valdè ad calidum, & ad humidum fermè nihil. Diceret ad hoc Galenus ex primo de temperamentis quòd cor est calidum & humidum licet parum, non autem siccum vt Princeps ponit, & ideò totum corpus est calidum & humidum. Deinde diceret, si vis vt cerebrum constituat temperiem totius corporis eo quod transfundat temperamentum suum per totum corpus, ergo etiam testes, nam & illi calefaciunt corpus totum & barbam produci cogant, & saporem, at odorem carnis totius corporis in verrecibus & aliis animalibus immutat, primo de semine. Resp. quòd Princ. diceret quod si sic esset adhuc corpus humanum, esset multo calidius quàm humidius, quia cor est calidissimum, iecur calidum valde; cor parum humidum, & iecur etiam non valde humidum vt quod post, cor à Galeno statim inter humida in ordine collocetur. Ad id de testibus responderet Princeps quòd licet producat cum calore proprietatem quandam, & ad certa loca vt ad mentum & pubem, non tamen per vniuersum corpus calorem, de quo sit curandum, at cerebrum frigidum cum sit, per neruos temperat suâ naturâ calorem corporis vbique, & etiam temperat calorem cordis per se; in hoc secutus Aristotelem, & humectat pari ratione corpus: ità augendo humidam qualitatem & remittendo calorem immensum, reddit totum corpus ex æquo ferme calidum & humidum. Sed Galenus dicet ad hoc quòd corpus humectabitur à sanguine, ita fiet æque humidum vt etiam calidum. Contra dicet Princeps sanguinem tu ponis calidissimum omnium quæ sunt in corpore, igitur multum adhuc calidum superabit humidum in corpore. Dicere ergo possumus vel quod opinio Galeni sit verior, & quod Princeps secutus sit Philosophos vt sæpe facit, maximè quod ibidem dicit. [Medicus autem Philosopho naturali credere debet quod non datur corpus æquale temperatum & reliqua sic etiã in hoc.] Si autem volumus tueri Principem, possumus dicere altero duorum modorum vel quòd Galenus loquatur de temperatura elementari, & Princeps de impressa quæ qualitatem absque substantia etiam comprehendit, velut si quis cõsideret manum calefactam apud ignem, vel quod Princeps de innata loquatur sola; Galenus de innata cum influxa per sanguinem & spiritus.

CONTRAD. XLVII.

Cor an siccum, an humidum.

IVxta hoc quæritur an cor sit siccum vt ponit Princeps, an humidum vt ponit Galenus loco adducto. Diceret Princeps quod sanguis qui est in arteria, est siccior sanguine qui est in venis, & non nisi à corde, igitur cor est siccum. Et Galenus septimo anatomicarum aggressionum dicit quòd caro cordis est durior quolibet musculo: Et similiter sexto de vsu partium cordis caro dura est, & ægrè patibilis, & rursus quarto de differentiis pulsuum caro cordis est vti musculus durus. Idem tertio de alimentis caro cordis dura est atque fibris plena, igitur sicca: omni enim durum siccum vt habetur secundo de temperamentis, licet non semper sit hoc inquit necessariũ. Ille idem eodem loco obscurè de cordis carne, dicit enim caro iecoris, renum, & lienis est humidior cute cordis, autem tanto his siccior, quanto durior. Respondeo solutio constat in hoc & ibi colligitur caro cordis sine fibris etiam per se dura est, non tamen adeò quin sit humidior cute; & sic locutus est primo de temperamentis, cum fibris autem est sicca: quia valde dura & sic à principe consideratur: & sicca appellatur; est autem aliud dicere cor est siccum falsum hoc, caro autem cordis etiam vt dixi dupliciter intelligi potest.

CONTRAD. XLVIII.

Cor an recipiat vim aliundè.

INter hoc etiam dubitatur an cor aliundè vim aliquam suscipiat, nam Princeps prima primi dicit quod cor vires aliis membris tribuit, ab illis non suscipit, sequuntur Philosophos. Et vt hoc suum dogma (quod apud me verum est, tueatur; quinto naturalium dicit quod [Non est inconueniens quòd aliqua virtus sit in corde, quæ tamen careat instrumento ibi; velut sentiendi.] Et hoc etiam verum est. Galenus vero ostendit libro de dissectione neruorum quod nerui ex sexto pari ad cor perueniunt: igitur non nisi sensum largiendi causâ: quia natura nihil facit frustra primo cœli & tertio de anima. Respondeo quòd vt declaratum est à me in arte medendi parua, omnes virtutes sunt in corde præter eam quæ ad nutritionem pertinet; cerebrum enim est purum cordis instrumentum, & nullo modo principale, nerui tamen illi non sunt ad cor transmissi, sed oriuntur primo ex illo vt infrà docebitur. Ortus autem facultatis & aliorum neruorum à cerebro, velut cocus deducitur ad principem vt præparet obsonia; ille tamen vt possit præparare habet facultatem à principe. Et similiter Sol recipit absque dubio lumen à luna quod illi transmisit: Hæc non possunt benè intelligi nisi ex arte medendi, ibi attulimus demonstrationem, virtutem autem quam à iecore accipit, recipit non vt sedes animæ, sed vt corpus viuens tantum.

CONTRA

CONTRAD. XLIX.

Co an primo generetur.

PHilosoph. secundo de generatione animalium dicit quòd cor est primum quod generatur & vltimum quod moritur, Galenus autem in primo de semine vult quòd tria principia simul generentur: posterius autem quæ ab illis oriuntur. At nec idem videtur sibi concors; in libro enim de fœtus formatione dicit, cor ante cerebrum, & iecur ante cor generari; & addit rationem: fœtus primum viuit vita plantæ, quam animalis ex ipso Philosopho secundo de generatione animalium; igitur indigebit prius iecore, quam corde, vel cerebro. Sed Princeps hanc rationem Galeni suppresso nomine vigesima prima tertij verbis contumeliosis accusat; & adducit pro Philosopho duas rationes vnam ab experiméto, & id habetur ab ipsomet Gal. loco adducto vbi dicit quod apparent primo tria principia valde propinqua & exilia; quomodo igitur potuit iecur ante alia discernere, nũ si vnum erat tantum ante, igitur minus minimo; ergo non poterat dignosci quod esset iecur poterat dignosci: ergo iam fœtus maior erat, ergo tria principia iam conspiciebantur; ergo non potuit dicere quod esset iecur ante alia genitum. Galenus tamen fatetur duo, primum quòd hoc de iecoris generatione habet ex sola ratione, non experimento, secundum quòd fœtus respirat, quia hoc dixit Hippocrates in libro de Natura fœtus, etiam à sexta die generationis per vmbilici arterias. Demiror autem de Aristotele qui dixerit fœtum viuere vita plantæ primò, cum constet ex Hippocrate respirare statim ab initio. Et ideò illo suo pulchro dicto causa fuit erroris Galeno, & id fecit callidè vt negaret quod nos sæpiùs docuimus maximè in Theonosto; vim quæ format fœtum esse in anima, quæ anima est in semine: ideò talis anima cum separatur à parte, indiget respiratione: quod postmodum est deprehensum ab Hippocrate. Si ergo respirat & format, ibi verè est anima. Ad Galenum dicendum est quod vel errauit secutus Philosophum; vel si velis etiam iniquè illum tueri, dicas tria principia simul fieri, licet postmodum iecur ante cor, & cor ante cerebrum absoluantur. Aristoteli sufficit quod cordis vis primum appareat & si non absoluatur: quia ab initio respirat. Dicit Galenus per arterias: Aristoteles respondebit harum principium est cor, in quod omnes feruntur arteriæ: ergo non arteriæ ante cor, quia iam est illa coniunctio ab initio, & vis prima generalis omnibus arteriis in illo loco; ergo ibi cor, licet non absolutum. Sed non vidit quòd se confodiebat suo vero inuento, nam si cor primum est quod viuit: ergo fœtus statim ab initio viuit animalis vitâ ostendo modo sine fraude ex dicto Hippocratis: fœtus respirat ab ipso initio, ergo mouetur motu locali vt vocant, igitur viuit vita animalis. Nulla planta vllius motus secundundum locũ particeps esse potest, sed solum incrementi vel ipso teste Aristotele. Ità non omnia possumus omnes, dicebat sapientissimus Poëta.

CONTRAD. L.

Temperatura an actionis principium.

ARistoteles primo de historia animalium inquit tactus à consimilibus & reliquæ omnes passiuæ qualitates: indè in secundo subiicit, actiuæ operationes autem ab instrumentis. Et adducuntur etiam rationes pro eo, actio enim est entis quod est nono primæ Philosophiæ: at temperatura potentia tantum est, est enim ex qualitatibus quæ postea in generali inueniuntur, solæ enim formæ videntur esse in actu cum sint substantiæ. Præterea operationes animæ sunt primo animati; sed animatum est corpus quod est instrumentum secundo de anima, igitur operationes sunt instrumenti, non partis similis, quare nec temperaturæ. Actio præterea est formæ, non materiæ: at instrumentum vt pes est velut forma, nerui ossa & caro vt materia, quoniam in illum palam ordinantur: sicut quædam partes etiam solum ad conseruationem vt venæ arteriæ, aliæ ad meliorem constructionem vt ossa si famimina, quædam etiam ad decorem vt pili. Princeps quoque prima primi inquit. [operationes sunt virtutum seu facultatum.] Fuit etiam sententia Galeni libro sexto de medicamentis simplicibus [Operationes quæ à totâ procedunt substantia, non possunt cognosci ex qualitatibus.] Et primo artis curandi [dico visum oculorum esse actionem, & loquelam linguæ, & ambulationem cruris.] Primo quoque de tuenda sanitate, & quòd formam habent inquit functione maximè idoneam. Et in arte medica cum connumerasset operationes similium partium, subiicit: [At præterea earum quæ in ipsis sunt, virtute operationum.] verum in oppositum est Princeps primi: omnes functiones membrorum compositorum ab vna parte principali pendent, vt in motu ac sensu declarat ibi. Et hæc fuit sententia eiusdem etiam quinto de anima, cum dixit quòd temperatura est forma & substantia membrorum quæ sunt instrumenta. Galenus quoque in libro de morborum differentiis inquit; [ostensum est quòd partes quæ sunt instrumenta vnam habent partem quæ functionis est causa principalis, aliæ vtilitatis solum] quòd etiam paulò obscurius dicit tertio de locis, & in sexto eiusdem. [actiones ab essentia, non à situ peruenire consentaneum est. Quod etiam libro de optima constitutione affirmauit. Idem exprsesè secundo artis curandi. [Actio videndi non in toto oculo, sed vna illius parte scilicet crystaloide constituta est.] Et in septimo eiusdem, ac decimo. Adducuntur etiam multæ rationes pro hac opinione quæ Galeni proculdubio est; destructâ temperaturâ destruitur actio, non sic destructa forma: nam aliqui iaciunt hastam

hastam pede vt vix alius quispiam manu. Et hoc vidi; Conciliator quoque vbi tractat hanc quæstionem dicit vidisse mulierem nentem pedibus, ego virum vidi suentem pedibus.

Temperatura quoque est causa formæ mébri: cum enim bona fuerit melius vis illa diuina & comptius membrum format; si contra deterius, vt videmus in rusticis & morbosis parentibus tum filiis. In cunctis etiam rebus videmus vnum quo & aliud quod velut homo intelligit anima: igitur & in instrumēto erit aliquod quo agit principaliter. Protera actiones omnes fiunt per qualitates temperatas: vndè videmus quod membrum congelatum non potest aliquid agere, nec manus apprehendere, nec benè ambulare. Calor etiam naturalis qui proximior est temperaturæ, quam compositioni est auctor omnium operationum vt primo Aphorismorum habetur. Videtur etiam vna auctoritas Aristotelis in quinto problematum reddens rationē cur ambulando per loca duriora magis defatigamur: respondet quoniam lacerti & nerui magis læduntur. Respondeo quòd de passinis operationibus nulla est difficultas quod fiunt per similes partes: de actiuis verò principium est in parte simili, operatio verò perfecta est in toto instrumento, de oculo autem est peculiaris quædam ratio; quoniam Aristoteles putat esse passionem & ideo fit à crystalloide, Galenus tamen sui oblitus ponit eandem in crystalloide cum tamen velit esse actionem vt suo loco dictum est.

CONTRADICT. LI.

Quænam deterior melancholia.

PRinceps prima primi hæc habet: [Malæ bilis nigræ species sunt tres, prima cum rubra bilis aduritur & eius subtile resoluitur & hæc est maioris prauitatis, & velocius corrumpitur, veruntamen facilius curatur quam illæ. [Vix post intelligi ad referatur, illæ, nam de pituitosa locutus est tantum. Quòd referatur ad genitas ex melancholiâ, non conueniunt verba ea, de aliis vero duabus diuisionibus: videtur autem comparare pituitosæ & sanguineæ. Sed obstant tria, primum quòd de sanguinea non est locutus continuo sermone sed inter illam & verba ea. [malæ bilis nigræ.] Inter iacent hæc: [Alia est quæ est cinis melancholiæ naturalis.] Secundum quod illas duas non numerat inter prauas species; igitur praua esset facilioris curationis, quam non praua. Tertium quod melancholia ex bile à Galeno in libro de atra bili ponitur pro pessima. Et hîc ponit eas que fiunt ex melancholiæ naturalis exustione his verbis. [Quæ est cinis melancholiæ naturalis, si subtilis fuerit, & quod de ea adustum est valde acre sicut acetum, quod cum super terræ superficiem cadit ebullit; & eius odor est acris à quo muscæ fugiunt, & alia. Et hæc est deterior aliis: si tamen in eius principio auxilium præsto fuerit, citius medicationem recipiet. Quæ verò crassa est, minoris est acredinis, sed acerba est cum amaritudine; hæc super terram minus ebullit, & minus in membra penetrat, tardiusque perimit: veruntamen ad resolutionē, ad coctionem, medicationemque contumacior existit.] Sic coacti sumus verba viri clarissimi ordinare, cum ille morte præuentus non potuerit: Hanc sententiam à Galeno accepit quartodecimo artis curandi: sed non meminit diuisionis in tenuem & crassam, quin potius omnem illam prauitatem crassæ melancholiæ, exustæ tribuit. Dissidet igitur in hoc, & in eo quod in libro de atra bile inquit. [Multo verò hæc profectò perniciosior censenda est ea bilis atra quæ à flaua bile superassata progignitur, quantò nimirum & humor humore efficacior est; nempe flaua bilis, quam ea quæ sanguinis veluti subsidentia existit, quam amurcæ fæcique similem obtinere generationem prodidetunt illi qui circa artis opera studiosè versati sunt.] Respondeo quòd Princeps exponit Galenum: quia licet sit perniciosior, attamen facilius potest curari quæ bile flaua est. Et etiam aliud discrimen quòd illam atram bilē quæ fit ex bile flaua Princeps ponit inter species bilis, non atræ bilis ibi vnus est vt bilis in se aduratur & fiat ex ea cinis, sed ille non separetur ab eo quod aduritur; sed cum cinere coniungatur, & hæc est peior. Itaque dissidiō est in solo nomine vt liquet; sed dices proponamus quod tota exusta sit? tunc dicet Princeps, non erit nisi cinis tenuis; igitur non erit deterior cinere crasso qui fit ex melancholia. Ideò ad hoc respondebit Galenus quod non est tantus calor in corpore humano qui possit traducere in cinerem totam materiam, quin reliquantur partes acres valdè ac feruidæ. Dicet Princeps, ego non nego: sed si separentur & solum cinis vocetur melancholia, non erit adeò praua vt quæ fit ex melancholiâ. Et licet non separetur, facto tum ratione separantur; & itā sermo Princeps est vt Philosophi, & Galeni vt medici, & conformis experientiæ, & vterque verus: nec contradicunt, differuntque nomine solum & ratione, non re quæ esset necessaria vt contradictio esset inter eos. Ad aliam dico quòd per eadem Galenus considerauit quod fit, Princeps à ratione distinxit & eo quòd contingere potest.

CONTRAD. LII.

Atra bilis an possit excerni in morbo sanabili.

GAlenus libro de atra bile dicit quòd atra bilis nunquam potest excerni nisi lethaliter: at in quarto Aphorismorum dicit quòd non potest ante coctionem excerni, nisi lethaliter. Nec post dici quòd intelligatur dictum illud de atra bile, vbi cocta non fuerit materia, quoniam dicit humorem nigrum posse vtiliter excerni, nigram autem bilem non: sed non cocta materia, nec humor niger potest vtiliter excerni; igitur intelligendum est gene

generaliter, non de cruda tantum atra bile. Dicendum quòd dictum in libro de atra bile est verum, & experientia comprobatum: sed hoc contingit quoniam vix vnquam tamdiu potest contineri vt coctio perficiatur; sed si perficeretur sanari posset. Nam si quis vellet dicere quòd cum concocta est, non retinet formã atræ bilis; frustrà dixisset, [Inchoantibus morbis si atra bilis, vel supra vel infra exierit lethale est.] Sed sufficiebat dicere: [In morbis si atra bilis supra vel infra exeat lethale est.] Sine morbo autem visa est à me eiici à quibusdam per circuitus succedentibus symptomatibus prauis, exinde tum liberabantur.

CONTRAD. LIII.

Sanguis solus an nutriat.

SVperfluum inquit Auerroës non potest nutrire, humores autem reliqui à sanguine sunt superflua iuxta Galenum secundo de naturalibus facultatibus; igitur reliqui humores non nutriunt. Quæ etiam differunt materiã, formã differunt octauo Physicorum, & quarto cæli, & ab Aristotele octauo primæ Philosophiæ. Et rursus mixtum non generat simplicia ex quibus componitur: sed humores generantur ab humano corpore, ergo humanum corpus non constat ex humoribus. Præterea necessarium non debet pendere ex fortuito: sed fortuitum est generari humores, quia non sunt primum intenti à natura: igitur nutritio corporis uon debet pendere ex humorum generatione. Demum nihil constat ex eis in quæ per corruptionem resoluitur: sed sanguis resoluitur secundo de differentiis febrium, in flauam & nigram bilem; igitur non constat ex illis. Hinc Auerroës duas sumpsit rationes: Dicens, homo è solo sanguine menstruo generatur, igitur etiam nutritur. Præterea pituita non nutrit nisi post in sanguinem conuersa fuerit, igitur multò minus reliqui humores qui sunt magis remoti à naturã sanguinis. Item quarto de generatione animalium, & quarto de simplicibus medicamentis: quod dulcissimum est & perfectissimè decoctum, est alimentum animali. In oppositum Galenus secundo de elementis dicit quod quæstio an corpus nutriatur ex omnibus humoribus est difficilis nihilominus quod probabilior est quam sententia contraria. Secundo etiam de facultatibus dicit quòd lien trahit partem crassam, & vesica, & flaua omnia: at membra singula trahunt nutritionis causa tertio de naturalibus facultatibus: igitur talia membra ex his humoribus nutriuntur, Hippocrates quoque; primo de natura humana vult quod corpus humanum generetur ex quatuor humoribus, igitur ex eisdem etiam nutrietur: Princeps quoque prima primi, & accepit à Galeno quarto de vsu partium ex parte (nam vt aliàs diximus de vesica fellis est ambiguitas, non autem de liene nec renibus quinto de vsu partium; verùm difficultas est in quibusdam. Primo quia partes illas sanguinis Galenus secundo de facultatibus naturalibus vult esse in actu, & à sanguine distinctas adiiciens commodum, contra ea quæ docuimus aliàs in duodecimo libro, tum alibi. Responsum est aliàs argumento quod solet fieri de liene quomodo nutriatur excrementitio: nutritur enim vtili mixto excrementitio. Dictum est etiam ibidem quomodo euacuetur humor in actu solum, & quid ad Hippocratis auctoritatem libro de natura humana. Sed difficultas etiam est de chilo ex quo nutritur ventriculus tertio de facultatibus naturalibus, & ei Responsum est: quod chilus ille prius in sanguinem transmutatur. Super sunt ergo duæ difficultates; prima quia vt dixi videntur humores secundum Galenum esse actu in venis, & quamquam vt recitaui ibidem responsum sit: dilucidioris tamen doctrinę causa, addo quod partes illæ sunt partes in actu crassa, tenuis, calida, frigida, tamen totius comparatione sunt vnum; vt in homine manus & pes sunt in actu, faciunt tamen vnum per se hominem, quia nõ habent actum perfectum & vt partes, sed vt in toto: ità humores in sanguine non habent actum perfectum. Ad argumenta ergo superfluum non vult Galenus esse humorem in venis simpliciter, sed comparatione ad id quod est optimum. Humor enim principaliter dicitur de sanguine arteriali: secundò de omni puro sanguine arteriali ac venali: Tertio de excrementitiò qui est in venis; quarto de excremento vtili vt de melancholia quæ delegatur ad lienem nutritionis causã: vltimo de inutili excremento, & hi omnes sunt naturales. Dicitur & dupliciter de preternaturali, cum est superassatus, aut crudus & hic potest esse cum sanitate: Demum de humore corrupto & per putredinem facto: Ad aliud, membra nec humores non differunt specie, vt primo de anima habetur. Nec est dicendum quod corpus humanum constet ex humoribus; sed quod nutritur. Nec humores in sanguine fortuitò sunt, verùm necessarij; licet non per se primò à naturã intenti. Et illi in quos resoluitur sanguis per putredinem, non sunt eiusdem naturæ cum his quibus nutrimur; cum hi sint tertij vel quarti ordinis & naturales, illi septimi ordinis & non naturales. Ad Galeni autoritatem ibi solum vult generari corpus ex humoribus qui sunt partes sanguinis, non excrementis: & ita lien generabitur ex sanguine atro, non excremento: atque sic nutritur vt dixi ex excremento ratione sanguinis excrementitij coniuncti. Ante quam enim perueniat ad lienẽ, est sanguis excremẽtitius, non excrementum, quicquid autem ibi non potest superari, transit in excrementum. Et hoc voluit Galenus tertio de facultatibus naturalibus, licet verba videãtur aliquo modò ambigua. Itaque Auerroës habet totum quod vult, scilicet nullum membrum ex humore in actu generari, nec nutriri, sed à solo sanguine puro vel cum suis partibus. Cum verò dicimus de pituita quæ est separata à sanguine: fatemur quod nõ nutrit, nisi transeat ad venas, quia indiget transmutatione illa in rorẽ & humida: si autẽ intelligamus per pituitã sanguinem pituitosũ, esset falsũ quod assumitur; sed hoc Auerroës nõ intendit demonstrare. Ad auctoritates sunt

pro

pro nobis,nam humores qui sunt secundum naturam in sanguine sunt dulces, vt non liceat bilem gustu, aut melancholiam à sanguine secernere;igitur si dulcissimum nutrit, & totus sanguis est dulcissimus, igitur sanguis totus nutrit:& ità lis solû est in verbis.

CONTRAD. V.

Bilis an ad ventriculum perueniat?

HIppocrates & Galenus sexto Aphorism. in dissectione cerebri, recurrit bilis ad ventriculum dicit Galen.etiam in fame præsertim in biliosis.Rasis in diuisionibus ponit tres meatus ex vesica fellis; vnum ad iecur, alterum ad intestina, tertium ad ventriculû. In oppositum Galen.2.de temperamentis dicit quod hi quibus meatus ex vesica fellis in vẽtriculum adest sunt infælices;& quod natura rectè disposita, non in ventriculum,sed intestina bilis ipsa defertur. Idem clare ostẽdit quinto de vsu partium docens causam: quia sic subuerteret ipsum & cogeret cibum ante coctionẽ descendere:& ita quod est singulare etiã,picrocholis scilicet, vt per inediã sitiant,amarescat os,& etiam animo deficiãt omnibus accidat. Idem fermè libro artis medicæ vbi de pituitoso agit bilem copiosam euomẽte,hoc tamẽ pro singulari. Omissa solutione de his,in quibus meatus peruenit:itẽ quod fiat per recursum bilis, per duodenum vt 6. & 7.aphorismorû de ileo:nam vt in illo fæces,ita bilis sponte ob leuitatem & impedimentum excrementorum solet duodenum recurrere ad ventriculum:sed quia hic modus non est nisi cum malo affectu, non satisfacit his quæ in tertio facultatum naturalium dicta sunt. Resp. quòd Gal. 6. anatomicarum aggressionû satisfacit huic quæstioni dicens. [Meatus bilis qua doderadactilo inseritur exiguum de se ramum supra pilorum emittit,quin & particulam simul paruã cum vena quæ ad viscus sursum progreditur in mẽbranam extrinsecus ambientem, absque eo quòd profundius cum ea diuaricetur deferri spectabis.] Quam sententiã Carolo-Stephanus in secundo suæ anatomiæ figura expressit.Sed huic concordię tria obstant,primum quod Vessalius lib.5.hoc negat adducens experimẽtum quod ex innemuris cadaueribus, non inuenit hunc meatum nisi in cadauere vnius remigis.Addit præterea duas rationes, prima quod non esset tutum tam procul talẽ vt dicunt meatum traducere;secunda quod si adesset procisusque lateret, dum cõprimitur nequaquã latere posset.Obstat & authoritas Princ.15.tertij quę iacet,vt etiam 2.de temp. scilicet:Et in pluribus hominibus nõ est nisi meatus perueniens ad duodenum. Obstat 3. quod Gal. 2. de temper. vult quod solum in aliquibus. Et si dicas quod intelligit de meatu qui penetrat;cõtra,quia sic in fame & cerebri læsione nõ fieret recursus bilis ad ventriculum. Resp. quod recursus hic violentus non fit per meatum, sed per doderadactilon. verùm cõmentum illud Gal. de meatu inter tunicam & tunicam absurdum est, quoniam bilis illa non nutrit ventriculum nec habet exitum, igitur corrũperet fundum ventriculi. Propterea dico quod Arabes secuti sunt Galen. errantem in anatomia: Ipse verò anceps fuit in eo munere cû legeret solum scripta aliorum;cum tamen in aliquibus meatus sit,& penetret,aut etiã dum redundat per dodecadactylon purgat ventriculû & calefacit, videtur enim literã Gal. posse intelligi,quòd nõ in ventriculum ordinariè permeet,sed parum infra pylorum & supra ipsum; sed vt non penetret, vtilitatum quas recensuimus gratiã, in quo sensu videtur intellexisse Princeps. Quod autem in ventriculum veniat id certè extra ordinem est.



CONTRADICENTIVM MEDICORVM,

LIBER QVINTVS.

CONTRADICT. I.

Aqua an cum cibo,an post cibum bibenda.

PRinceps Prima primi inquit: [Et non facit penetrare cibum per venas portæ angustas nisi bona commixtio aquæ bibitæ, supra id quo indiget corpus.]Et prius dixerat de aqua quæ necessaria est ad chylum perficiendum ac diluendum: vt videatur velle quod vtamur potu aquæ, perfectã primâ cibi coctione. Quam sententiam confirmauit in tertia primi dicens:[Amplius donec cibus in ventriculo fuerit,non est bibendum ne cibus supernatet,& concoctio corrũpatur:sed postquã descenderit è ventriculo tunc bibendum est.] Idem confirmat Rasis quarto ad Almansorem cuius hæc sunt verba:[Non bibat ieiunus aquam neque cum cibo, sed solum postquam comederit & membra superiora alleuiata fuerint:Quod si cum cibo cogatur assumere,paucam & frigidam assumat: postquam autem cibus descenderit & superiora vt dixi alleuiata fuerint, ipsa vel vino satiari debet.]Et hæc authoritas sumpta est à Gal. septimo artis curatiuæ dicente. [Cauendum est ne illicò à cœna bibant, nam interposito humore innatant cibi in ventriculo nec ipipsum tangunt sed vt durum est ex toto prohibere:danda est portio tanta potus quæ sitim leuet,indè postquam nutrimentum concoxerint, abundè bibere sinantur.]Et quamuis de conualescentibus loquatur intelligit tamen de omnibus, subiicit enim paulò post: [Verum

[Verùm in omnibus conseruanda est consuetudo, quæ maximam in omni victus ratione facultatem obtinet.] Haliabbas etiam primo practicæ: [Non bibant aquam dum comedunt, nec postquam comederint, quoniam concoctio fit per contactum, & potus prohibet ne ventriculus cibum tangat; sed postquam inceperit descendere cibus, tunc enim assumpto potu celeriùs descendet & melius penetrabit.] Rursùs tertia primi de infantibus loquens. [Prohibendi sunt à potu aquæ post cibum quantum possibile est, ne cibus crudus ad venas penetret.] Deterior est etiam vini potus à cibo & cum cibo, ipso teste. Vinum quoque post cibum, inquit, maximè impedit coctionem; quoniam velociter concoquetur & penetrat, & ducit cibum secum ad venas nondum concoctum; vndè producit obstructiones & putredinem. Vndè caueant diligenter qui vinum post cœnam bibunt, sunt enim alia eius detrimenta. In oppositum Galenus sexto de tuenda sanitate dum recitat modum quem tenebat ipse dum comederet quarta hora dicit. [Solum panem edo, nec à tali cibo bibo; alij verò palmulas sumunt & bibunt.] Adeò vt non videatur potum improbare cum cibo, sed solum in simplicissimo cibo prohibere, maximè propter exercitationem quæ ei succedit, dum negotia diurna ex consueto obire solet. Et rursùs primo eiusdem; [minime, inquit, permittendus est bibere post cibum quem balneum excipit, quandò ità præceps magis fiat distributio eorum quæ ventriculus in se continet.] Et paulopost: [A frigidæ potione prohibendos huiusmodi pueros omnino non censeo, quod tamen aliqui faciunt: Verùm à cibo plerumque & per calores, cum ipsi cordi fuerit vti permittito, potissimum si copia fontanæ recentis cui nulla sit qualitas praua affuerit.] Illud idem habetur ex his quæ passim scripsit cibum potioni iungens semper. Et quinto de tuenda sanitate inducit cibum senum, nec meminit potus, vt si non fuit insufficiens, vel deffinire debuerit potus horam, vel intelligere debeamus eandem illam fuisse cum hora cibi: præsertim cum dixerit Telephum sumpsisse vesperi panem cum vino. Malè etiam mehercle dixisset Hippocrates primo Aphorismorum, [Victus humidus febricitantibus omnibus confert.] Quandoquidem ptisana quam toties collaudat liquida sit, & nihil à pane, si post illum bibat, differre videatur. Et secundo de victus ratione in acutis consulit in cœna minus atque meracius bibendum: libro etiam de veteri medicina non solum ægros, sed & sanos siccis cibis ac validis lædi affirmat. Nullibi autem clariùs quã in quarto regiminis acutorum: [Potius dilutiores inquit non adeò ad vrinas permeant, & circa hypochondria innatantur, maximè autem quiescat donec cibi concocti fuerint. Illud idem secundo aphorismorum. Gal. dans in prandio ædulia pinguia, & ex oleo præparata, indè vinum etiamsi non sitiuerint, non austerum sed potens. In libro etiam de diæta priuator, [imperat prius bibere vel vinum ab exercitatione, indè anhelantes adhuc sumere cibum.] Et infrà [cibus panis coctus maximè & vinò intinctus, & potus quã paucissimus.] Et tertio in primo de morbis vulgaribus quidã calescens cænauit, & potauit largius. Respondeo breuiter quod potus debet admisceri cibo, & tunc peractã coctione nihil bibendum, quod etiam tenuit Cõciliator; nam tunc potus ille erit nimis copiosus, nec Gal. eius meminit. Duobus in casibus seu tribus vitandus est potus cum cibo in debilitate ventriculi vt septimo artis curatiuę dicebat Galen. Et quod à Græcis solis aquæ poteribus imperatum fuerat. Arabes ad generalem regulam, quia vino ob legẽ non vtuntur, traduxerunt. Secundus casus vbi exercere cogimur, vt sexto de tuenda sanitate dictum est: propter id veterum multi in prandio abstinebant à potu, in cœna numquam. Tertius est ob consuetudinẽ, qui & ipse à Gal. 7. artis curatiuæ docetur. In omnibus his tunc necesse est bibere peracta coctione cibi; aliter fierent obstructiones in venis illis angustissimis portę, quod docuit nos Princ. Ad rationes Princip. respondeo quod illæ concludunt de aqua, nõ vino: nam tria sunt in vino quæ non sunt in aqua; calefactio ventriculi vnde concoctionẽ iuuat; & quia statim trahitur à iecore ad venas, vires confirmat, quod etiam experimento deprehenditur: & quia vinum penetrat, nõ sic aqua, ideò cibus non adeò diluitur ab eo sicut ab aqua, tum quia minus ex eo bibi solet, vinum enim penetrat per pilorũ clausum & venas, non tamen penetrat cibus. Et quod istud sit verũ patet, quia Gal. 12. artis curat. dabat bucellam panis in vino infusam ad restaurandã virtutẽ in febre ex humoribus crudis, & hoc quia pręsupponit vinum penetrare manente pane; aliter vel adderet multum causæ, vel nihil iuuaret virtutem. Ex hac autem ratione colligitur, quod tutior est aqua vino, & quod vbi exercendũ sit, minimè dandum vinum, & quod optimum quod etiã austerũ: nam diutiùs in ventre moratur, velut ex prima ratione assequimur, quod non tantus debet esse potus vt fluctuet, sed de potu ieiuno prohibetur vinum vt secundo Aphor. & in lib. de diæta sanorũ, namq; dare vinum ieiunis periculosum; tentat enim caput ideoque etiam conuulsiones facit. Vndè 2. de locis recitatur historia pueri qui cum liberaliter vinum antiquum bibisset, non dicit tamẽ quod ieiunus biberit, primo correptus est perenni, vigilia, indè febre ex qua mortuus est. Et Princ. 3. primi: [Sapiens non bibet vinum dũ est ieiunus & calefactus, aut exercitatus, aliter si ante quam refrigeratus fuerit, vel ante potum aquæ illud hauserit maximum cerebro afferet detrimentum, ac neruis; vnde amẽtiam, vel conuulsionem, vel aliam prauã calamitatem ægritudinem excitabit.] Sed de aqua Rasis excipit duos casus in quibus frigida vti possumus dũ sumus ieiuni: primus vbi homo sit ebrius, secundus vbi homo sit supercalefactus; hoc autem vel ex anni constitutione, vnde quidam æstate decocta frigida bibunt, quod tamen non laudo, nisi appareant alia signa caloris, sed & ex vehementi siti & æstu iste calor deprehẽditur; tertio post exercitationẽ; quod tamen periculo nõ vacat, nisi sensim, & ab ea quæ nõ admodũ frigida est incipiamus. 3. casus in quo licet, est cum quis post potũ aquæ illã euomit cũ excremẽtis: quã

tis: quâ consuetudine scio quodam amicos meos, imo affines perpetuò vixisse sanos. Sed à cibo vinum numquam nisi post coctionem in casibus dictis, & vocat potum delatiiuum, & ante perfectam coctionem, num absolutè. Namque à cibo bibere vinum, amarum os reddit maximè à cena, & fœtorem parit oris, & corrumpit cibum propter incommoda ab Auicenna recitata. Diuersa potus aquæ ratio, nam vt Celsus inquit. [Vbi expletus est aliquis facilius cocoqui: si quidquid assumpsit, potione aquæ frigidæ includit.] Paucæ intellige, nam aliter subuertitur ventriculus. In vniuersum ergò vt copiosus potus aquæ post concoctionem cibi in ventriculo penè nullus inter edendum est necessarius, & ideò à Maumethi cultoribus laudatius? ità diuersa ratione si quio vino vtens hoc effecerit, maximam noxam incurret. Quapropter nulla est contradictio. Sed qui vino vtuntur, inter edendum illud bibere debent: & si cœna sit & hora somni proxima, claudere oportet modicæ frigidæ potu. Qui aquam bibunt, modicum valdè aut nil omnino inter edendum bibere debent, diluitur enim cibus & ventriculus refrigeratur: nec vires ex eo potu restaurantur coctione absolutâ; sitis tancillos vrgere solet, ideò affatim aquam bibere debent vt cibus per angustas venas penetrare possit.

CONTRADICT. II.

Caluities quibus ex causis fiat.

CAluitiei causam expressit Hippocrates sexto Epidemiorum dicens: [Cerebri consumptio quapropter & caluities.] Dicebat Galenus in commento ex siccitate consumitur cerebrum, & abscedit ab osse, ob idque capilli cadunt, cum & ex immodica siccitate, & humido abundante defluunt. Idem videtur in libro de natura pueri velle quòd ob pituitam corruptam: vndè dicit nec pueri, nec enuchi caluescunt quoniam non his pituita agitatur, cum coitus sint expertes: Rursus secundo Epidemior. videtur velle quod ob atram bilem, cum dixit. [Morbos habent calui vehementes atrabilarios.] Et hanc sententiam videtur aliquo modo secutus Galenus secundo de temperamentis, cum dixit, naturam cutis in caluitie esse terream; & ob id tempora non caluescere, quoniam sint humidiora, & non siccentur. Idem primo de medicamentis secundum locos vult defluuium capillorum contingere posse, vel ob paucitatem humoris, vel cutis raritatem: Quod verò sub capillorum defluuio caluitiem intelligat, apparet quoniam ibidem proponit se tractaturum de caluitio, & non tamen tractat alibi. Sed adhuc consurgit maior dubitatio quia ibidem proponit curam, cum tamen sexto Aphorismorum proponat caluitiem vt insanabilem affectum. Dices at defluuium capillorum fit ex malis humoribus, & tale potest sanari. Philosoph. autem quinto de generatione Animalium dicit quòd fit propter defectum humoris calidi; & hoc probat tribus rationibus: prima quia pueri, castrati, & mulieres non caluescunt quoniam in coitu non excernunt: secunda quia non caluescunt in temporibus, sed in sincipite vbi calidus humor absumitur, & in hoc cum Galeno concordat; appellat enim Aristoteles humorem calidum, vitalem, & vtilem. Tertia quia plantæ caluescunt in hyeme deficiente calore, vt homines in senectute. Sed videtur Aristoteles sibi ipsi contradicere quarto problematum cum dixit, humidum spadonum ad crura descendere, quo descendente superiora siccari necesse est: ob id igitur in caluitiem plus aliis incidere deberent, & post etiam dicit quòd meatuum latitudo est causa ortus pilorum, & capillorum: vndè dicit nec pueris, nec spadonibus, nec cicatricibns pili innascuntur, igitur vult caluitiem oriri potius ex constricta cute, quam defectu humidi. Propter hęc Hasen dixit causam caluitiei esse quadruplicem: cutis soliditatem, cerebri ab osse distantiam, defectum materiæ, & causam quæ corrumpit. Respondeo quòd causæ caluitiei sunt in cute principaliter frigidâ, & siccâ propter defectum calidi & humidi humoris, & tunc cerebrum est consumptum, & ex siccatum, & abscedit ab osse, quia contrahitur, & fit minus quantitate. Et ita omnes sunt concordes, nisi in libro de natura pueri; & ideò Dico quod humidum illud vtile in cerebro est pituita, nam ipsa est similis substantiæ cerebri, & in ea est calor naturalis, vt octauo de decretis Hippoc. & Platon. constat & hac in parte Hippocratem sibi consentire. Ad id de meatuum latitudine. Dico quod meatur & à frigore non aperiútur, & hic est in pueris, & spadonibus, & qui iam sunt à defectu humidi innati constringuntur, & hic est in viris, non spadonibus, nec pueris. Ad aliam auctoritatem libri problematum Dico superiora esse sicca ob frigiditatem: neque enim attenuatur humidum vt oculorũ operationi satisfaciat: abundant autem humido terreo quod ad generationem pilorum est sufficiens: ideóque etiam ob grauitatem ad crura descendit. Estque hæc causa quòd calui cum sint destituti humido pingui illo crasso, calido, & humido; ob id incidunt in morbos atrabilarios. Princeps cõnumerat, causas distinctè, & concausas etiã simul: sicut causam quæ corrumpit; nam ea adiuuat, & est causa caluitiei non propriè dictæ per se, & est cum capilli decidũt, & formam caluitiei referunt, sicut ego sæpe vidi. Et ideò cum Galenus dicit caluitiem esse insanabilem, & defluuium capillorum fieri ex humoribus corruptis; rectè vtrumque, nam caluities propriè vt in Aphorismis arte non est sanabilis: cuius autem cura ponitur in libris de medicamẽtis secundum locos est caluities, idest, pro defluuio perfecto capillorũ: cum caput capillis prorsus denudatur. Cum rursus Hippocrates causam reddit cur etiam mulieres sunt glabræ, velut castrati, & pueri; intelligit quòd destituuntur calore, qui aperiat secundum qualitatem: vt sit remissio in magnitudine, & efficacia, non diminutio in quantitate: causa verò caluitiei est vtraque ratione illi opposita: destituuntur enim quantitate substantiæ calo-

ris licet efficaciâ maiorem, & acutiorem possint habere. Quòd si obiicias cerebrum distare ab osse, & defectum materiæ ad idem non pertinere? Respondeo quod defectus materiæ est causa caluitiei per se & causa causæ caluitiei idest siccitas cutis. Caluities autem recipit curam bifariam, primò à naturâ: & dictum est ab Hippocrate sexto Aphorismorum. [Quibus caluis varices magnæ superueniunt hi rursus capillati fiunt.] Et ab arte, non semper, sed in ipso statim initio, vt plerique morbi insanabiles, si fortiter, prudenter, grauiterque resistas, quòd obseruatione dignum est.

CONTRAD. III.

Canities an ex putredine.

PRinceps secunda primi dixit Galenum existimare causam canitiei esse putredinem, & hoc dixit Galenus secundo de temperamentis: Et Aristoteles conuersionem ad colorem pituitæ. Sed Aristoteles quinto de generatione animalium vult esse putredinem, concors Galeno, & à Principe malè meo iudicio intellectus. Dicit tamen Princeps quòd parum differunt: sunt qui existiment quintum caput superadditum in eo libro, sed quod in quarto dicit declaremus Duo genera putredinis facit ibi Philosophus alterum quòd in terreo consistit cui aër admisceatur, vocatque situm. Seruius situs est lanugo ex humore creata in locis sole carêtibus, vel vt Donatus corruptio ex humore & diuturnitate contracta vel vt Vala sordes & illuuies qualis inter opaca domus quæ non repurgentur solet oriri, vocamus nos Mediolanenses muffam. Sed dicit Philosophus sinciput ob abundantiam humoris non canescit facilè, copiosus enim humor non adeò celeriter putrescit, nec occiput ob inopiam humoris quia cerebro caret, sicca autem non putrescunt: sed tempora quia mediocri humido sunt prædita, ideò celerrimè canescunt. At Galenus loco adducto dicit tempora canescere quia humidissima sint cum in eis musculi plurimi subditi sint; alibi autem os ipsum & cutis quæ sicca sunt. Sed Philosophus in libro de coloribus dicit quod canities fit ob alimenti defectum adducitque tres rationes prima dicit quod in senectute canescit homo: secunda quia in summitate pilorum potius quam in radice tertia quod hirundines & talia quæ alba esse non solet quamquam cum imbecillia & imperfecta nata sunt, alba visa sunt; sed non discordat à dictis in quinto de generatione animalium: cum enim putrescit alimentum destituuntur eo, ideò in libro de coloribus docuit causam primam, quia enim destituuntur alimento, aër ingreditur, & dealbantur pili, destituuntur autem ob putredinem. Sed quia decimo problematum dixit quod quædam mutant colorem, quædam non vt corui, eo quod in coruis quod vesica careant, humor nullus est qui possit vinci, quasi dicat ob siccitatem, credendum est quod per vinci, putrescere etiam intelligat, nam solum humidum putrescit. Idem inferiùs docet hominibus non nasci pilos è cicatricibus, quòd omninò cutis deprauetur ex vulnere iumentis autem albos, quod cutis solum ex parte fit deprauata; vnde ex imbecillitate albi fiunt pili: Idem infra dum reddit rationem cur homo solus canescat, inquit quia plurimum homo viuit, & pilum non habet deciduum, ideò tempore senescit, & canescit. Ergò canescit quia situm vt dixi contrahit; contrahit situm quia humidum putrescit: Putrescit humidum quia color naturalis exhalauit ob senectutem: exhalat autem primùm ex cute vt pote parte imbecillissima. Sed Auerroës dixit hominem in temporibus canescere quia os illud est tenuissimum, quasi dicat quod à vaporibus cerebri cutis situm contrahat, & ità concors est in causa proxima cum Galeno, scilicet in humido, non tamen in humidi causa; cum Galenus velit vt dictum est musculos causam esse. Ostendit autem Auerroës quod os in temporibus sit tenuissimum, quia si ibi vulneretur homo ex minimo vulnere perit. Sed addit quod canescit etiam equus, & grus fit nigrior in senio, & quod prima & proxima causa canitiei est aëris ingressus, & hic fit ob frigiditatem & siccitatem, sed non siccitatem per se, quia non omnem sed contractam ob proprij nutrimenti diminutionem, & hæc diminutio fit ob putredinem, & putredo ob calidi naturalis exhalationem. Inde patet quòd dixit Aristoteles quinto de generatione animalium, pilos ob siccitatem canescere, quod inuncti aqua & oleo non canescunt, quod etiam à putredine, quia qui non teguntur capilli serius canescunt; sed tamen ob aliam causam pili in temporibus licet plerumque detecti celeriùs canescunt, fit autem pili color à cutis colore, sed non in homine qui candidissimus inquit habebit nigerrimos pilos ob cutis tenuitatem: At in aliis animalibus pili naturam cutis sequuntur, intelligendũ est magna ex parte; cum cutis corui non admodum nigra sit, pennæ tamen sint nigerrimæ. Sed quod equus canescat imo & mures, non canescunt tum in solo capite vt homo, nec semper senescentes vt homines sed aliqui, nec forsan verè: ob id aliquando canescere hominem & equum, quandoque solum hominem scripsit Philosophus.

CONTRAD. IV.

Distilationes in valdè senibus an concoquantur?

HIppocrates inquit: [Raucedines & grauedines in valde senibus non concoquuntur:] Idem dicit alibi: [Distillationem in ventrem superiorem intra viginti dies in suppurationem vertuntur.] Forsan distinguet quis dicens raucedines fieri non ex distillatione in ventrem superiorem, sed in asperam solum arteriam vbi calor minorem. Quod discrimen etiam habetur Græcè κατάρ-

ῥοι &

ροι & βρόγχοι: nam βρόγχοι ad fauces deriuatâ materiâ fiunt, catarri quando ad palatum vel os materia fluit; seu post modum ex his ad pulmones vel pectus descendat, seu ibidem retineatur, vt secundo prognosticorum habetur. Verum mirabile dictu est materiam etiam in faucibus contentam nunquam maturari, quandoquidem pauca saltem plerumque fit, & in calido loco. Propterea dico quòd per coctionem duo intelligi possunt, conuersionem in pus, & præparationem; vt cum crassa fit & vt expuatur apta. Quæque igitur materiæ extra viam communem deferuntur in pulmonum substantiam, necesse est vt saltem in viginti diebus ad suppurationem veniant: quæ verò ad fauces in valdè senibus non suppurant, quia non colliguntur, neque præparantur; sed perpetuò materiam nouam attrahendo semper manent: nisi dissoluantur per calorem qui eas dissipet atque discutiat; atque id ægrè.

CONTRADICT. V.

Marini pisces, an omnes fugiant aquam fluuiorum.

GAlenus tertio de alimentis hæc habet: [Qui in mari, stagnis, ac fluminibus gignuntur pisces magna ex parte id habent, vt marini fluuialem, fluuiales & in stagnis geniti, marinam fugiant. Mugil verò omnium maximè aquis vtrisque vtitur eaque ipsius natura est vt à mari longissimè discedens aduerso flumine natet.] Indè Paulò post oppositum dicit: [Pauci sanè fluuialium mare ingrediuntur, at marini omnes fluuiis gaudēt.] Quidam dixere Galenum duo efficere genera piscium; vnum in quo mugiles reponit ambiguum quod in vtrisque aquis perlibenter viuit, aliud quod aquas proprias solum libenter incolit; dulces si in dulcibus, salsas si in salsis educatum fuerit. At hic non iacet difficultas, sed in eo quod experientia docet; dicit enim marinos omnes fluuiis gaudere, quia dulcis ab illis facilè fertur: at de fluuialibus cum ad marinas comparantur non idem dici potest. Quomodo enim marini omnes fluuiis gaudent, si marini fugiunt fluuiatilem aquam? Ideò nodus idem vt prius manere videtur. Sed verè responsio satisfacit: in primo enim loco dicit quod eorum qui non ancipitis sunt naturæ vtrique ex æquo fugiunt alienas aquas: in secunda autem quod qui naturæ sunt ancipitis vt capitones seu mugiles, libentiùs qui in mari nati sunt dulces ferunt aquas, quam qui in fluuiis aut stagnis marinas.

CONTRAD. VI.

Medicus an accipiat à Philosopho quatuor esse elementa.

PRinceps prima primi dicit quod Medicus accipit à Philosopho naturali quod elementa sint, & quod sint; imo dicit cum aliquis medicorum voluerit ostendere aliquid ex his quę pertinent ad scientiam naturalem, bifariam errabit, quoniam primum tribuet medico quod ad illum non pertinet, deindè quia existimabit demonstrasse quod non demonstrauit. In oppositum Galenus primo de elementis, [Primus Hippocrates demonstrauit quatuor elementa esse, quem postmodum secutus est Aristoteles ac Theophrastus, secuti sunt tanquam expositores.] Similiter & primo Artis curandi, [Primus Hippocrates inuexit calidum, siccum, & humidum, tanquam elementa.] Solet responderi quòd Hippocrates primus inuenit, sed non demonstrauit: sed hæc responsio est contra Galenum, & quod maius est contra veritatem vt ostendam. Aliter responderi solet quod Hippocrates non vt Medicus, sed vt Philosophus ostendit quatuor elementa esse; ista responsio falsa est quia Hippocrates ostendit quinque rationibus medicis, non autem naturalibus plura esse elementa, quæ etiam declarantur ab ipso Galeno prima in primo de elementis. Si homo constaret ex vno elemento non doleret, & hæc ratio est ad hominem scilicet contra Democritum, quem deinde secutus est sed multo post Hippocratem Epicurus, qui ponebat hominem constātem ex atomis quæ dicebant esse impatibilia: dicebat ergo Hippocrates si homo esset ex atomis, esset ex impatibilis; ergo homo non doleret. Sed ego existimo ne grauiùs accusem Galenum qui adeo rudem facit Hippocratem, non rectè induxisse hanc rationem: nam quomodo fieri potest vt Hippocrates hoc genere argumenti vsus sit, homo constat ex impatibilibus, ergo homo est insensilis. Quot enim inanem reddunt hanc argumentationem, nam & si partes sint impatibiles, totum tamen pati potest quia dissoluitur: item totum aliud est ab omnibus partibus, sicut quinus à binario & ternario; sequeretur etiam quod homo quia constat ex elementis quæ sensu carent apud Galenum etiam ipse sensu careret. Præterea nos tenemus in Hyperchen, & in Theonosto quod homo componatur ex corpore & anima incorruptibili, & tamen hominem corrumpi nemo qui sensum habeat negare audebit. Multum etiam interest dicere incorruptibilia & insensilia, nam sensus & dolor sunt principium patiendi apud aliquos, & tamen non sunt passiones; quia per impatibile existimo illos intellexisse quod neque corrumpitur, neque in via esse potest ad corruptionem. Plotinus tenet impatibilem esse animam, tamen sentire religio nostra & dolere vult. Dico ergo quod argumentū Hippocratis consistit in hoc in omni eo quod patitur oportet duo esse; vnum quod alius à quo patiatur; & illa esse contraria & ex consequenti diuersa: sed si homo constaret ex vno elemento non constaret ex diuersis, ergo non posset dolere. Secunda ratio habetur à Galeno in eodem libro vbi recitans verba Hippocratis ex primo de natura Humana, inducitur autem hoc modo: si vnum esset, & passio vna; sed hic bifariàm vitiosum facit sermonem Hippocratis, primum quia iam

dixerat quod si vnum esset non doleret, postmodum supponit quod doleat; deindè quod velit si vnum sit, quod non habeat nisi vnam passionem, & si modo verum est in tanta re nullam adducit rationem. Sed res in hoc constat quia Hippocrates videbat quod tametsi vnum non doleret à seipso, tamen posset dolere ab aliis: dicit ergo Hippocrates etiam quod doleret ab aliis, non posset dolere nisi vno modo quia vnum vni est contrarium; & hoc est verum, & habetur primo de cœlo ab Aristotele. Concludit ergo Hippocrates quod medela esset vna, quòd multæ sunt medelæ calidum, frigidum, siccum, & humidum; ergo multi morbi, ergo multa contraria, igitur multa subiecta. Tertia ratio est, homo generatur, generatio est mistio quædam; mistio autem est plurium, & non solum plurium, sed bene temperatorum: ergo homo componitur ex pluribus. Quarta, homo generatur ex his, & reliqua etiam in qua dissoluitur: sed dissoluitur in plura vt experimentum ostendit, igitur constat ex pluribus. Quinta ratio, homo constat ex quatuor humoribus, hoc accipit tanquam clarum qui differunt colore & substantia. Item qui educuntur à diuersis medicamentis, & rursùs qui augentur & minuuntur diuersis temporibus: demum quod si vnus deficiat ex his humoribus homo moritur, & ita probat hoc assumptum quatuor rationibus. Et constat quod omnes hæ sunt medicæ, non naturales: igitur medicus probat humores quatuor esse vt medicus est, & ideò nescio quid Galenus sibi velit cum dicit probare quatuor elementa, & cum Aristoteles viderit vt verisimile est Hippocratem, non tamen declarauit quatuor esse humores; quinimò censuit humorem omnem alium à sanguine esse excrementum sanguinis, quod consonat ei rationi quod nulli humori præterquam sanguini facta sunt vasa per vniuersum corpus quæ illum humorem deferant: & etiam quia in vno loco non potest generari nisi vnum tanquam per se primo intentum: ergo seu humores generentur in iecore, seu in corde solum generabitur vnus per se primo: si ergo humores sint omnes vnus contra Hippocratem: si plures, ergo sanguis erit solus humor & reliqui omnes aberrasse. Princeps qui dixit spectare ad solum Philosophum, & non ad Medicum, cum spectet ad Medicum, & non ad Philosophum. Galenus qui male inducit Hippocratis rationes & concisè, & vult quod elementa probet Hippocrates esse, cum probet humores: cum velit constare hominem ex humoribus, cum sint inanimati; nec demonstrat id homo exclusis humoribus moritur, ergo homo constat ex humoribus. Sicut non valet homo excluso aëre moritur, ergo homo constat ex aëre; quia sunt causæ quæ conseruant, & non partes hominis: Et si dicas pro Hippocrate, si sunt causæ quæ conseruant, ergo homo non statim periret. Responderet aliquis, statim perit propter nixum. Concordia, Princeps vult quòd probare quatuor elementa esse, & à priori & generaliter spectat ad Philosophum: idem dico de humoribus, non tamen negat quin specialiter, & propriè in homine non possit conuenire medico, & licet rationes illæ Hippocratis sint speciales & propriæ homini: tamen cum possint applicari omni animali, etiam quod procedant ab effectu. Vltra causam pleræque sunt naturales, scilicet tres, nam illa de medela & medicamento sunt medicæ, sed sunt vt dixi speciales & à posteriori. De Galeno ille primum non dixit Hippocratem vt medicum demonstrasse quatuor elementa esse, sed primum demonstrasse cum fuerit multò antiquior Aristotele vt ostenderet quod admittitur Hippocratem non solum fuisse optimum medicum. Quòd verò attinet ad rationes licet fuerint quinque, assumpsit duas quæ erant magis dignæ scientia & quæ erant difficiliores & nobiliores, ne tam longam faceret repetitionem; non immemor se exposuisse omnes dum librum de Humana natura commentaretur. Quod verò tribuerit Hippocrati inuentionem quatuor elementorum docet ex loco primi Artis curandi adducto. Sed dicit quod appellauit calidum, frigidum, siccum, humidum, ab exuperante scilicet qualitate: calidum ignem, humidum aërem, frigidum aquam, siccum terram; & verè licet hæc opinio non sit vera vt demonstratum est à nobis, propior tamen est veritati, quam illa philosophorum. Intendit ergo Galenus quod Hippocrates per calidum & frigidum intelligit elementa, & non humores; quia Hippocrates ibidem dicit quod sunt humores. Galenus ergo benè dicit ad illa quæ obiiciuntur. De inductione rationis Hippocratis posset dici quod illa sufficiebat eo tempore, quia multa forsitan erant adiecta in libro Democriti, & maximè secundum interpretationem Epicuri quæ declarabant argumentum Hippocratis demonstrare quæ nunc cum desint efficiunt, vt non videatur ratio illa Hippocrate digna. Galenus autem omissit illa quia libri Epicuri maximè in quibus declarabatur opinio Democriti, erant sua ætate in manibus omnium, & etiam breuitatis causa: authores enim cum scribũt, sæpenumerò putant ea quæ sibi nota sunt, omnibus etiam aliis studiosis cognita esse, sed non est ita; omnes enim omnia sciunt, sed nullus homo cuncta nouit. Sic multa amissa sunt ex vetustate quòd olim essent nimis cognita, medicamenta, vestes, cõsuetudines, vasa adeò vt tũ verecundarentur illa describere, & qui descripserũt talia, tam olim fuerunt irrisui quam nunc sunt admirationi. Ad id Hipp. non potest bene intelligi nisi ex dictis in Hiperchen; finis tanquam operatio, & finis tanquam forma. Quatuor humores sunt distincti penes finem propter quem, id est nutritionis causâ; & sunt excrementa omnes præter sanguinem ratione finis qui est forma, id est, prout sunt generat in hepate. Hippocratis autẽ ratio consistit ex notioribus, homo componitur ex tribus sexto Epidemiorum membris, humoribus, & spiritibus tanquam necessariis, seu animatis, seu non nihil refert: ergo homo non est vnum, argumentum demonstrat.

CONTRA

CONTRAD. VII.

Grauitas & leuitas in elementis à quâ causa procedant.

DE elementorum quid quia deorsum grauia sursum leuia feruntur; sæpe dubitatum est vnde sit: Auerroës quarto Physicorum dicebat plumbum est rarius ferro, & tamen grauius vt tertio cœli dicit, idem Auerroës quod non omne graue est densum, quia gemmæ sunt graues, & tamen raræ: & similiter nubes leuis, & est densa. Sed rarū hîc pro perspicuo accipitur, aliter quarto physicorum cum dicat plumbum esse rarius ferro, neque enim plumbum vllo modo est perspicuum: eodem modo intelligit raritatem & densitatem pro perspicuo & opaco secundo de generatione & corruptione, vbi Auerroës vult quod sequantur calorem & frigus cum perspicuitas hæc non sequatur, sed potius vera raritas. Dicebat Ioann. Grammaticus in expositione secundi de generatione & corruptione; grauitas conuenit elementis vt frigida, non vt sicca vel humida, & leuitas vt calida. Sed Aristoteles dicit quod rarum & densum procedunt ex calido & frigido; igitur omne densum graue, & rarum leue. Videtur etiam diuersis modis locutus Auerroës, nam in paraphrasi Metaphysicæ dicit quod grauitas est priuatio leuitatis, & quod leuitas consequitur ad calorem qui fit propter motum: sed secundo de anima graue & leue sunt in prædicamento substantiæ, & quarto videtur dicere quod grauitas & leuitas sint substantiæ, sed non dicit & post lapis componitur ex materia & grauitate quæ est forma; & etiam dicit quod grauitas vt grauitas, in elemento est quæ mouet vt forma: & Philosophus dixit quod materia grauis & leuis propinquissima est substantiæ; obscuram causam dicit Simplicius reddere Philosophum quæ talis est cum sunt in loco iam forma habet perfectionem, sed iam cum sit in potentia in hoc differt materia à substantia quæ est in actu. Et ideò Auerroës tertio cœli posuit grauitatem terræ specie distinctá, à grauitate aquæ quia est simpliciter vna, alia secundum quid. Habet autem duo significata graue & leue pro habitu & pro actu, quarto cœli. Respondeo grauitas est quædam priuatio in comparatione ad leuitatem vt frigus ad calorem; per se tamen est forma vt in habitu. Ad aliud neganda est authoritas quarti Physicorum qui Aristoteles dicit solum quod non omne graue durum, non dicit densum: ideo errat Auerroës vt in aliis plerisque. Ad principale posuimus formam calorem, & ideò leuitatem; sed formæ propinquissima dicitur, quia in potentia.

CONTRAD. VIII.

Amarum vndè fiat.

GAlenus quarto de simplicibus medicamentis: [Omnia amara ab immodico calore proueniunt.] Et paulò post: [Non solum amara calida sunt, sed etiam sicca] Aristoteles autem, seu Theophrastus in secundo de plantis dicit amarus sapor quandoque fit ab abundante calore quam immodico humido, plerumque à mala coctione, & probat hoc exemplo quod plures fructus amari in ignem positi & cocti dulcescunt. Glandes etiam acerbæ sunt amarissimæ, & maturæ redduntur aut dulces, aut insipidæ, vel valde parum amaræ. Qui vellet tueri Galenum posset dicere quod non concocta etiam calida sunt & coctione exhalat pars tenuis calida & amara, & ita dulcescunt & refrigerantur. Sed & aliter posset respondere Galenus quia cichorium, & glandes acerbæ sunt frigidæ, quod amaritudo in in eis est in parte calida, frigiditas in astringente terrea: & quòd hoc sufficit Aristoteli amaritudinem contingere ob malam coctionem quæ est causa caloris. Sed sic esset putridus ille calor. Vel dic quod mala coctio non est cruditas, sed quæ fit à calore igneo; & ità omnia amara erunt calida, vel bono calore vel malo; sed veritas est quod amarum fit etiam à sicco non bene concocto. Possumus tamen tueri Galenum cum experimento & ratione. Diceret Galenus omne tale amarum aperit, & apertio non fit nisi à calore. Ideo opinio Galeni, maximè cum possimus tueri Theophrastum, est melior quia vtilis medicis, illa non tantum; licet & illam intelligamus vitanda esse amara omnia quæ ob malam coctionem fiunt.

CONTRADICT. IX.

Acris & dulcis sapor an sicco constent?

[ACidus & austerus sapor humido magis constant, contra dulcis & acris sicco.] Theophrastus sexto de causis plantarum. Sed Galenus quarto de simplicibus medicamentis non solum vult dulce esse in humido constitutum, sed etiam acre quod amari omnino est expers, humidum etiam, vt cepe & porri. Respondetur quod iuxta Galenum ibidem, acre & dulce fiunt humido amplius concocto: dulce quidem perfectè, acre verò immodicè: in eo verò quòd excoquitur fit siccius, non tamen sequitur est siccius ergo siccum: sicut neque dulce fit humido perfectè excocto, ergo dulce est humidum: nam saccharum & magis etiam mel sicca sunt, & tamen valdè dulcia. At acida & austera fiunt à sicco terreo; sed admisto crudo, humido scilicet aqueo. Galenus ergo causam quærit, Theophrastus sensum; nam in austero & acido humidum percipimus, in acri & dulci siccum. Sed tamen

men euidentius longè in amaro, ficut in acri caliditas est manifestior ficcitate : licet enim cæpa fit humida, tamen fensus gustus videtur potius ob mordacem faporem percipere ficcum quippiam quam humidum.

CONTRAD. X.

An in spiritibus elementa leuia dominentur.

PRinceps prima primi dicit:[Elementa leuia plus iuuant ad fpirituum generationem.] Philofophus fecundo de anima,quod ignis in omnibus corporibus genius dominatur. Sed Galenus quarto de fimplicibus medicamentis dicit quod in vno mixto prædominatur aër, in alio terra & ita de aliis. Solutio colligitur ab Aristotele fecundo de generatione & corruptione. [Viribus dum generantur mixta ignis in omnibus prædominatur, quia autor est mistionis : at mole terra & aqua, modo vnum, modo aliud : & ideo etiam defcendunt omnia mixta.] Placet autem postquam declarauimus eius mentem, ostendere quomodo probet omnia elementa effe in quolibet mixto. [Terra inquit neceffaria est vt fundamentum,aqua verò vt terra contineatur : ergo & horum contraria aër & ignis.]Hic tria fupponit Philofophus quorum nullum probat primum quod elementa fint contraria in qualitatibus, quod verum tamen non est. Secundum, quod fint contraria verè, itavt vnum aliud destruat : tertium, quod fi vnum contrariorum fit in mixto, adfit & aliud quam neceffitatem benè feciffet fi ostendiffet: nam in natura verum est, in mixto aliud dicendum fortè effet.Itaque vt dixi, fæpe hæc & fi ægrè defendantur, tamen à falfis principiis deducta funt.

CONTRADI. XI.

Concoctrix facultas an à ficco, an ab humido?

COncoctrix maximè fit à calido & humido prima primi, & fumpfit à Galeno in tertio de fymptomatum caufis. Verum ibi Galenus dicit quod iuuenes æqualiter concoquunt humida vt pueri, melius autem ficca; iuuenes autem ficci funt. Similiter Princeps tertiadecima tertij dicit quod ab omni intemperie debilitatur coctio,& vitiatur à contrario.Hæc ratio extenditur ad omnium membrorum intemperies. Dico ergo quod concoctio fit à moderato calore & humido in qualitate, quinto de tuenda fanitate. Sed fub certâ menfurâ & intra quandam latitudine, ideò vitiatur ab omnibus quæ educunt ventriculum ex illa temperie : nam & nimium humectando non concoquit ventriculus, ergo fanatur per oppofita.Primum dictum ergo verum est de qualitatibus naturalibus & in genere : fecundum de aduentitiis & ratione certæ menfuræ.

CONTRAD. XII.

De terra Lemnia.

GAlenus narrando historiam Sphragidis, fibi primum contradicit, deinde etiam Diofcoridi. Sibi quidem quia dicit quod terra Lemnia colligitur in colle fuluo infulæ Lemnos,in quo non est nec faxum nec planta. Paulo post dicit quod facerdos à lapillis mundabat terram; inde citat Diofcoridem qui dicit fphragidem cogi hircino fanguine. Galenus hoc irridet longo, vt folet, verborum circuitu; dicens nec fuis temporibus, nec multò ante hoc fieri folitum. Prima contradictio facilè,foluitur,quia dicit primo quod non est faxum; fed arena & lapilli, & quod illa terra videbatur exufta : fed de fecundâ nemo aufus est tueri Diofcoridem, inuidiofus tamen Galenus ostenditur, qui tam leuem errorem in homine tam benè merito de humano genere & de re literaria adeo acriter infectetur. Præfertim quod fieri potuit vt terra Lemnia fic præpararetur Diofcoridis ætate. Nec est quod obiicias de libro, nam inter Diofcoridem & Galenum anni penè interceſſerunt ducenti. Floruit enim Diofcorides, Suida teste, Cleopatræ & Marci-Antonij ætate. Galenus verò nonum fcripfit de fimplicibus medicamentis fub Seuero Afro; intermifit enim vt aliàs fcripfi. Sed vide Malignam infectationem Galeni in illum; neque enim aduertit quod fuo tempore tractabatur ab aliis atque præparabatur. Siquidem à Dianæ facerdotibus à quibus etiam Dianæ figillum imprimebatur, Diofcoridis verò ætate capræ effigies in ea erat. Vnde nihil probat Galenus, fi enim hoc ostendere debuiffet, oportebat docere vel quod tempore Diofcoridis hoc non fieret, vel quod mutato figillo non fit mutata præparatio. Est etiam indicium quod validior fuerit Lemnia Diofcoridis ætate, quam Galeni. Mathiolus putat eam effe quæ hodie ad nos defertur nomine boli Armeni orientalis, fed fine figillo, eadem cum arena mixta & cum figillo pro Lemnia terra.

CONTRAD. XIII.

Aqua an frigidior an humidior?

ARistoteles primo de generatione & corruptione dicit, quod aqua est frigidior, quam fit humida. Galenus primo de fimplicib. medicamentis dicit,quod aqua est omnium humidiffima, & quod frigiditatem amittere potest quod fit non humida quandiù est aqua effici non potest.Et afferebat fignum quod humida fit natura quia mollis admodum, & omnia quæ in ea funt mollia reddit. Sed dico, quod aqua potest magis ficceffere quam calefcere, feruatâ fubstantia, vt videmus in glacie.

Ideò

Ideo credo hoc autores quandoque scripsisse in alio mundo. Philosophus in quarto metheororum ficcissimum omnium vt terra, ita humidissimum aqua. Aqua ergo est frigidior quo ad operationem, quia frigiditas magis agit & est efficacior, humida qualitate: sed ratione proprietatis humidum est magis naturale aquæ. Et licet aër sit humidius potestate, actu tamen propter densitatem plus aqua aëre humectat.

CONTRAD. XIV.

Aqua optima an frigida valde?

CIrca aquas illud dubiũ cadit, quoniã syncera maximè probatur, ea autem est frigida, 1. de simpl. med. dum docet synceram aquam probare tribus sensibus: visu quod perlucida sit: gustu quod expers qualitatum: sic odoratu quod odoris. Quam sententiam habebat in libello de ptysana, & in lib. de renum affect. Sed & 1. de tuenda sanitate videtur eam quæ expers sit omnis qualitatis & omninò limpida sit, non tamen eam probare necessariò; quoniam hærere in præcordiis, quamquam suauis possit: ergo aqua etiam limpida, alio sensu indiget. Præterea vt dixi leuissimam partium in libello de Ptysana; at aqua vt purior est, eò frigidior primo de simplicibus medicamentis; atque ideo etiam grauior, & secundo de temperamentis docens quod humida mollia sunt, & quod non possunt esse adeò frigida vt durescant, frigiditatem facit duritiei & densitatis causam. Quare aqua pura erit grauis ac densa, & ideò non laudabilis. Propterea quinto Aphorismorum inquit quod ad hoc vt facile penetret & vt faciliter concoquat requiritur, vt citò caleat & citò refrigeretur, pro quo sciendum quod quæcunque tenuioris sunt substantiæ, talia citò amittunt & recipiunt impressiones, talis igitur aqua esse debet: non igitur frigida absolutè, sed quæ sic probatur vtilis est. Sed quomodo tenuis erit? respondeo aëream habet substantiam, non igitur pura simpliciter, sed ab omni mala qualitate aliena.

CONTRAD. XV.

Aqua an nutriat.

IVxta id dubitare expedit, quoniam simplex non nutrit; de sensu & sensili, in tertio regiminis dicit Hippocrates, quod aqua frigida non leuat sitim, & quod bilem generat. Galenus in commento dicit quod non nutrit, idemque de omnibus elementis quarto de simplicibus medicamentis, imò nec composita dulcedinis expertia: quomodo igitur generat bilem. Et tertio de victu in acutis dicit quod non nutrit, refocillat tamen malam subtrahendo qualitatem contrariam: igitur ex quod sequitur quod sedare potest sitim, quod experimento luce clarius est; ostendo etiam quod non nutriat, aliter valida corpora multum nutriret, est enim simplex: dicemus eam esse biliosam, non quod bilem augeat sic enim nutriret, sed quod per antiperistasim exacuat & illius distributionem retardet: sedat autem sitim vt ex Galenò colligitur sed non semper, quia vbi non possit sedare intemperiem vel vbi bilis adsit, auget eam, nec non & amarulentiam. Celsus libro secundo dicit aquam imbecillissimam nutriendo: sed nunquid diutius viuat cum potu aquæ frigidæ. Respondeo quod sic refrigerato calore naturali, vndè etiam tardiùs suffocantur aquis: sed contra quia in siti quæ in ardentibus contingit febribus vt Lãfrancus Bonipertus Rector Gymnasij opponebat ex Galeno primo de simplicibus medicamentis: aqua aceto mixta conuenit quia acetum dicit refrigerat, & aqua humectat & sitis illa est à calido & sicco: ideò nutrit si humectat. Respondeo quod per se non sedat sitim, cum aceto autem sedat humectando, non nutriendo. Eadem in vniuersum est sententia de omnibus elementis. Sed apud nos clarius quia elementa sunt impatibilia.

CONTRAD. XVI.

Aqua an tenuis substantiæ?

QVæritur an aqua sit tenuium partium quod non volens reddere rationem Galenus tertio regiminis acutorum cur aqua nõ cieat vrinas, moueat sputũ ac facit transpirationes inquit: [hæc sunt opera rei calidæ & subtilium partium cum aqua sit crassarum & frigidarum.] At primo de simplicibus medicamentis declarat quod sit subtilium partium duabus rationibus: prima quod per pilos & vestimenta perfluat, quod promptissimè digeratur à calore, & quod maius est celerius absumatur quam oleum cum simul ad ignem exponuntur: & si oleum subtilium sit partium, & naturæ ignis etiam affinitum quo fit vt aquam necesse sit esse in vltimo subtilitatis. In hanc sententiam dicebat Philosophus in lib. de sensu & sensili: [Aqua est omniũ madefacientium tenuissima, imo etiã ipso oleo tenuior: sed oleũ ob id quod lentũ est magis spargitur aqua.] Hoc quidem verum, cum tamen non sufficiat ad quęstionem dissoluendã, cum dictum sit aquam esse crassarum partium & tenuium. Aqua etiam oleo substat; igitur videtur esse grauior & ideò crassior, sed oleum ob lentorem magis resistit igni. Si dicas quod oleum superstat aquæ ob lentorem, aut quia aëris partes in se contineat velut & lignum quod & ipsum aquæ superstat. Contra quoniam aqua ardens superstat oleo, ergo non est illa causa, neque enim dubium est quin aqua ardens non sit tenuior omnifariam oleo, & ideò ratio illa de lentore & aëreâ parte minimè sufficit. Dico ergo quod tenue intelligitur quod potest diuidi ad minima, quod facilè concoquitur, quod superstat aliis, quod est leue

leue pondere, quod ab igne, celeriter dissoluitur: non conueniunt autem inter se: nam aqua quia cruda est non concoquitur, non quia crassa, sed quia non subacta à calore solis. Hæc enim est propria ratio facilitatis concoctionis à calore innato. Quod enim peruersum est, id est, corruptum aut intactum, seu tenue, seu crassum à calore solis & syderum, est omninò repugnans coctioni ab hominis calore. Leuitas autem significat raritatem, nec tamen rarum est tenue: ligna enim pleraque ob aërem admistum supernatant in aqua quæ sunt multò crassioris substantiæ quam aqua ipsa. Vt contra densum potest esse tenuium partium vt aurum: aliud est densum & crassum vt plumbum, plus tamen potest maior densitas in auro, quam crassities partium in plumbo, quia est cum minore densitate, ideò aurum est grauius plumbo. Quod verò est tenue substantiâ & condensatum, idem semper diuidi potest in minores partes vt aurum in metallorum genere, & oleum inter liquores. Resolui autem facilè ab igne hoc vnum est, quòd lenta minimè resoluuntur vt oleum inter liquores, & aurum inter metalla. Tenue ergo densum in minima diuiditur, & minimè ab igne resoluitur, quia non diuiditur: aqua autem celeriter resoluitur, quia diuiditur & confertim pellitur à motu ignis in vapores ad alta loca iuxta ignis impulsum. Causa ergo quòd aqua celerius ab igne absumatur quam oleum, non est tenuitas cum sit crassioris substantiæ, sed quia lentore omninò caret; ideò omnium celerrimè dissoluitur ab igne, sicut etiam quòd penetret in vestimenta & pilos. Sed oleum magis illa penetrat & vinum quia tenuioris substantiæ: non tamen oleum ob lentorem videtur adeò celeriter penetrare vt aqua, quia partibus suis non diuellitur ob lentorem. Quòd verò digeratur aqua à calore vtpote in sudorem, promptissimè causa est quæ etiam de aqua ad ignem quòd resoluatur. Dicemus ergo quòd aqua est crassiorum partium omni liquido alio: & ad hoc est ratio quia magis durescit in glaciem, vtpote & est expers caloris. Experimenta illa Galeni sunt fallacia quoniam eueniunt ob id quod lentoris omnis expers sit, non quia tenuis. Est etiam aqua nona parte grauior pondere oleo: ideo crassior.

CONTRAD. XVII.

Aqua quæ optima ex naturâ originis.

DVbitatur quæ aqua sit melior cum teste Aëtio libro tertio sint quinque aquæ frigidæ genera pluuialis, fluuiatilis, fontana, putealis, & stagni. Quæritur quæ illarum sit præstantior; Hippocrates libro de aëre & aquis aquæ pluuiæ sunt leuissimæ, tenuissimæ, splendidissimæ, dulcissimæ, nam Sol quod tenuissimum est ac leuissimum ad se trahit, inde quia percoquit dulcem reddit, ideoque etiam optima: putrescit tamen celerrimè & odorem malum habet, quia ex pluribus aquis diuersi generis à calore Solis hausta est & coacta. Ideo dicit percoqui debet & excolari, aliter odorem malum habet, & raucedinem & grauitatem vocis excitat. Paulus libro primo cum verba Hippocratis recitasset subiicit, non censendam eam aquam quia facile putrescat deteriorem, quinimò ob tenuitatem meliorem; nec obesse quod excitet grauedinem vocis & raucedinem, cum id agat cum iam putrescere cœperit. Ex his autem meliorem quæ æstate cum tonitru decidat, quàm quæ nimbis. Quam sententiam secutus est Aëtius libro tertio; sed Galenus septimo de compositione medicamentorum secundum locos, dicit quod ponitur aqua pluuia in conficiendo medicamentum ex capitibus papaueris quod vocant diacodion, quia aqua pluuia non putrescit, & hoc est contrarium eius ad vnguem, quod Hippocrates dixit item quarto de tuenda sanitate dum de Apomesi tractat, inquit: [Aqua pluuia apposuissem, si aquam pluuiam probarem:] Nec ibi vult vt quidam crediderunt, quod velit mulsam ex aqua pluuia fieri. Plinius libro 31. respondet dicens, non ob id leuissimam esse aquam quod sursum rapiatur, quandoquidem & lapides constet sursum rapi, cadens verò inficitur halitu terræ. Dicit etiam Brasauolus, quod ipsa non descendit & creat tormina, nec concoquitur vllo modo inepta vsibus humanis cum sit crudissima. Et defendit Hippocratem hoc modo quod sit simplicissima in genere aquæ, & proxima naturæ elementi, non tamen optima vsui humano. Sed hoc non est tueri Hippocratem, sed damnare, cum iam ipse dixerit optimam esse, & cur optimam? Non quod solum sit dulcissima & splendidissima, sed quod leuissima, tenuissima & à Sole cocta. Respondeo igitur quod aqua pluuia cocta non amplius putrescit: & ita Galenus benè dicit cum Hippocrates dixit quod facilè putrescit loquitur de cruda. Ad Galeni authoritatem dicit, quod non probat aquam pluuiam, quia non curat, imò optat quod Apomeli acescat quod dicit acescit, quia ex aqua pluuia non conficitur: Ideò perperam interpretatur Brasauolus locum illum cum Galenus vitet aquam pluuiam quod non permittat acescere, quod tamen optat Galenus. Ad experimentum dico quod cruda vtpote commixta variis partibus terrenis, & iam putrescentibus est deterior in istis regionibus, non Hippocratis vbi aquæ erant synceriores. Nam vt dicebat Theophrastus sexto de causis plantarum calor in frigidis regionibus in terra reconditur, vt in calidis est in aëre; ideo hic puteales bonæ & pluuiæ prauæ: at contra in regione Hippocratis cocta melior est pluuiâ imo optima, quâ Galenus semper fermè vtitur in variis compositionibus.

CONTRAD. XVIII.

Aqua quæ melior ratione situs vndè oritur? an melior calida in hyeme, & frigida in æstate, an contrario modo?

FLuentium aquarum quædam amnibus, quædam fontibus deriuantur, omitto quod cœnosa mala sit, quæ verò per lapides cruda, quæ per sabulum arenam & pinguem terram optima, talis ordo Hippocratis libro de aëre & aquis. [Optimus fons est qui ex alto oritur, ex terra non lapidibus, ex oriẽte versus. Secũdo loco probantur quæ inter æstiuum & hyemalem ortum nascuntur. Tertio loco quæ inter occasum æstiuum & hyemalem. Quarto quæ versus meridiem oriuntur: pessimæ omnium quę à septentrione ortum habent.] Hi sunt quinque ordines ab Hippocrate & ad hanc vsque diem non intellecti: posset & alius sensus dari vt in primo ordine intelligeret ortum in regione quorsum spectaret, probaturque spectans ad orientem. In secundo autem ordine locum ex quo venit. Et ita primo probatur qui venit ex oriente, secundo inter æstiuum & hyemalem ortum quasi transuersa. Video quid possit opponi, nam quæ ex occidente venit erit optima quia ad orientem tendit, & tamen ponitur tertio loco. Ex his igitur Hippocrates improbat magis aquas fluuiorum magnorum qui alios excipiant quod ex diuersis componantur. Fontium igitur erit secundo loco à pluuialibus, tertio fluuiorum vt dixi magnorum. Peiores quæ ex lapidibus nascũtur, inde quę ex glacie ac niue: argumẽto quod resoluta sit pars tenuior hoc probat quod glacies liquata non implet priorem locum antequam conglaciata esset: igitur resolutum est aliquid, non crassior, pars: igitur tenuior. Vltima omnium quæ est in paludibus, nam ea grauis, malè olens, calidaque, biliosa, & omnino praua: sunt autem metallicæ quæ in vsu non sunt, putealis quod sciam nõ meminit. Illud prius obseruandum quod non omnibus aquam leuem conducere vult, sed his tantum qui densiore sunt aluo; at mollibus crudas, sinceras tamen magis conducere putat. Hi igitur sunt duo aquarum ordines secundum Hippocratem. Sed quod maius est in hoc est quod Hippocrates in quatuor verbis eiusdem libri sibi contradicit: inquit enim. [Primo maximè verò laudare eas oportet, quarum fluxiones ad solis exortus erumpunt & præsertim ad æstiuos. Necesse est enim odoratas esse ac leues.] In textu autem Adriani Alcmani legitur λαμπρότερα, id est, claras seu splendidas, vltra textum Cornarij; sed hoc nihil ad rhombum. Quod verò attinet ad rem sunt verba quæ paulo post vt dixi sequuntur in hunc modum, [Quæ quidem aquæ fontes suos ad orientes habent, hæ præ omnibus optimæ sunt. Secũdum ab his locum habent, quæ inter æstiuos solis exortus ac occasus emergunt, & magis hæ quæ ad orientes.] In textu Adriani legitur χειμερινῶν quod est hiberno melius quam δυσεων quod est occidentales, quod ipse Alcmanus animaduertit, quis enim sensus alius esse potest inter æstiuos ortus & occasus, quam vt à meridie oriantur. Has autem statim postmodum reprobat, nec est vt laborem verba recitando, quæ in textu quisque videre potest vbi inter peiores reponuntur quæ fontes habent in meridie, præter labentibus aquis ad Boream. Sed hæc verba plenè discutiunt difficultatem de ortu aut aspectu. Verum contradictio clara est quod in prima authoritate præponit ex orientem ad solis æstiuum exortum, in secunda autem quæ exoriuntur sub æquinoctio orientali, qui locus longius abest à nobis & magis tendit ad meridiem. Dicendum quod intelligit in prima authoritate æstiuum ortum prout distinguitur ab hyberno, sed in secunda vult nos intelligere ex æstiuo ortu salubriorem esse qui fit, ad orientem inter tropicum cancri & circulum Arcticum. Ità erunt duę tantum bonæ; saluberrima quæ ab oriente prope tropicum Cancri: inde ab ortu inter æstiuum, atque hyemalem. In vniuersum obseruat Hippocrates vt quatuor hæc in vnum conueniant tempus anni, ventus, aquæ ortus, & situs vrbis veluti ver, ventus eurus, fluuij ex parte orientali, & vrbes, eodem modo. Et vt optimis pessima opponãtur veluti ex temporibus, pessimus autumnus, Zephyrus & ex occidente aquæ, & vrbes; quamuis in aquis paululũ euariet. Princeps vero seu mala conuersione deceptus quæ me etiam ancipitem tenuit multis annis, seu qnod ita sibi videretur, vult quod excurrens ad orientem non ex oriente optima sit: & currens ad septentrionem non ex septentrione, & adducit argumenta duo, primo quod aqua Nili talis sit quæ fluit ex austro, non autem ex septentrione: secundo quod à solis radiis, & à ventis orientalibus repurgatur, sicut inficitur à meridionalibus dicit quæ versus meridiem tendit. Paulus & Aetius dissident à Principe inter se & ab Hippocrate in hoc de situ. Princeps autem videtur secutus Galenum primo de sanitate qui videtur intelligere per eam cuius fons est positus ad orientem, illam quę fluit ad orientem: sed cum Oribasius sequatur Galenum quinto Collectaneorum, & videatur exponere eodem modo quo Galenus inde in exemplo de Nilo manifeste dicat fontem Nili esse positum ad meridiem: apparet eodem sub sensu intelligere Hippocratem aquas quarum fontes ad orientem positi sunt id est quæ ex oriente fluunt ad occidentem, pro quo vide tertio comment. in librum de aëre aquis & locis vbi hoc plenè distinximus. Princeps de his agens proponit octo conditiones optimæ aquæ quoad situm: primò quod oriatur è terra non lapidibus, secundò ex locis altis, tertiò quod sit fons non fluuius permixtus, quartò quod currat non stet, quintò quod fluat versus orientem, sextò per terram bonã non cœnum, septimò quod sit detectus soli & ventis, nõ à montibus obumbratus, octauò quo [illegible] cul à suo fonte deriuetur. Hæc conditio [illegible]t non sit ad bonitatem aquæ, & ideò ab Hippoc. prætermissa est, tamen conditio melioris de qua

loquitur Princeps ideo in hoc est differentia in describendo inter Principem & Hippocratem, concordat quasi cum Hippocrate: Sed contra quia argumentum de aqua Nili concludit etiam de nascente aut tendente ad orientem cum ipsa tendat ad Boream. Respondeo quod intelligitur cæteris paribus, nam ad bonitatem aquæ Nili faciunt alia quatuor longitudo itineris, caliditas regionis per quam transit, solum quasi arenosum, & salubritas fluuiorum ingredientium. Sed cur ex oriente optima quia neque ex toto destituitur à Sole, nec ex toto suscipit. Qua in re decipitur Princeps, nam ex toto contecta à sole cruda euadit, nimis etiam subiecta calida vtraque improbatur. Alia ratio est quod quæ ex oriēte profluit cursum cum solis imitentur, ferme perpetuò experiuntur illum tepidiorem, quæ ex septentrione paruo tempore & feruidiorem: sed ex meridiem etiam parum & debiliorem: Quæ verò ex occidente diù ac feruidum valde. Vt autem dilucidior fiat intellectus eorum quæ ad aquam pertinent intelligendum est, quod Princeps discordat aperte ab Hippocrate & ideò superfluum esset conari velle illos concordare, quinimo etiā ibi paululum dissidet ab Hippocrate de aqua pluuia maximè quia postponit eam fontanæ; cum Hippocrates præponat; sed Princeps non hăbuit exactam fidem codicum Hippocratis propter prauam interpretationem. Illud melius est vt adducamus conditiones ab experimento ibi collectas à Principe, & sunt nouem conditiones discutiendæ. Prima est quod sit expers odoris, secunda quod sit expers saporis ita tamen quod præ se ferat quandam dulcedinem, & hoc accepit à Paulo libro 1. dicebat, probatur quæ suauis est gustu. Et Aëtius laudans aquam Nili dicit quod est iucunda in potu; igitur non omnino absque sapore, dicemus igitur quod per aquam dulcem non solum distinguimus à salsa sed aliquid plus ostendit hoc nomen, scilicet iucundam & subdulcem. Nam Theophrastus sexto de causis plantarum inquit melleus, & lacteus, & aquosus, & vinosus sapor sunt species dulcis; non intelligit ergo de puro aqueo ille enim est insipidus, sed de iucundo & subdulci. Tertia quod sit syncera à vaporibus & turbulentia. Quarta quod citò calefiat & infrigidetur. Quinta quòd citò descendat ab hypocondriis: hæ quinque sunt vt dixi Galeni & Hippocratis locis allegatis. Sexta est quod sit leuis pondere; Galenus quinto Aphorismorum vult bene dari grauiorem & leuiorem, non tamen illud experimentum multum prodesse: Ideo Paulus negat esse signum per se sed coniunctum aliis. Plinius libro trigesimo primo negat esse sensibile ponderis discrimen inter aquas, pater meus affirmabat cui ego subscribo Galeni & Pauli authoritate, sed non magnum sufficiens tamen ad iudicandum de aquæ bonitate. Pro hac tenuitate dabat experimentum Hasen quod madescant duo lintea vel duo frusta gossipij, & siccentur diligenter & quod auctum est magis pondere illius, aqua est deterior. Septima quod multum calescat in æstate & frigescat in hyeme; intelligitur quod sit detecta, non de puteali, & quod defluat, nam nisi raræ substantiæ sit non patietur à sole dum currit. Sed Paulus legit calida in hyeme, frigida in æstate verum est de puteali quæ contrarium sequitur affectum aliter esse non potest: dicemus autem & hoc octaua quod parum sustineat vini, quid hoc potius dicimus vinum aquam ferre: sed quando valde cruda fuerit etiam pauca multo vino mixta sentitur & hæc est mala, necesse est enim quod vel qualitatem habeat prauam vel omninò cruda sit. Nona & vltima quod coquantur edulia celeriter in ea, nam signum est quod non resistit operationi ignis.

CONTRAD. XIX.

Aquæ puteorum an salubres.

PLinius aquas puteales modo agitentur optimas esse censet, vult autem vt plurima aqua exhauriatur, vndè cauendum est à puteis domorum iam diù non habitatarum quod expertus sum in meo puteo Mediolani. Sed Celsus libro hunc ordinem facit Hippocratem sequutus vbi sequi potuit: optima pluuialis, post fontana, tertio fluuij, quarto putei, quinto ex niue vel glacie, sexto ex lacu, vt pessima ex palude. Sed Aetius libro tertio putei aqua, frigida est, terrea, & difficile ac vix excernitur. Respondeo quod Princeps damnat aquas puteorum in duobus, primò quod sint constrictæ, deinde terreæ in comparatione ad fontes. Experimentum tamen docuit puteorum est melior quā fontium in regionibus frigidis, vt Plinius qui fuit Romæ; in calidis autem melior fontium quia à sole concoquitur vt ex authoritate Theophrasti supra adducta patet. Et ità Princeps & Aetius cum essent ex regionibus calidis rectè prætulerunt fontes; ita Celsus cum sit secutus Hippocratem qui habitauit in regione calida. Plutarchus quærit cur puteales aquæ minus alant pluuialibus & fontanis, id vero etiam accedit quod graues esse existimet atque minus salubres.

CONTRAD. XX.

Aqua an crassescat?

ARistoteles quarto Metheororum textu vigesimo quinto dicit quod aqua sola humidorum non redditur crassior, indè paulò post dicit quod aquæ non crassescunt sed solum coagulantur à frigido: vrina etiam perturbatur & crassescit quandoque. Primo de crisi, Item Hippoc. libro de aëre & aquis vt dictum est etiam euanescit quod tenuissimum, & relinquitur crassum & ponderosissimum. Et author libri de vsu anhelitus licet non sit Galenus vaporat aërea pars. Respondeo glacies cum non sit turbulenta non est crassa ad mentem Aristotelis, cum tamen fiat aqua ponderosior

derosior apud medicos crassescere dicit, in posteriore authoritate Aristoteles intelligit quod crassescant valdè, nam dicit talium proprium est coagulari non crassescere. Circa hoc dicebat Galenus primo de simplicibus medicamentis tantam habet vim frigus ad vnguem rei quæ congelari debet, quantum ipsa crassities; ità quod frigida tenuia & crassa calida æquali tempore coagulantur: post autem docet quod crassities & terrea pars ad coagulationem plurimum potest, quandoquidem licet pix & magis plumbum à frigido coagulentur attamen dum coagulantur adhuc feruent, causam tamen non reddit. Dicerem ego quod calor tantus est necessarius ad colliquationem quia terrea pars tanta est vt non dissoluatur nisi à calore vehementi: nam in frigus proprium referri nequit ob picem quæ natura calida est: quæ autem aquea sunt congelari non possunt à calore quia colliquantur: Colliquantur à solo calido vel ab humido, à frigido autem nequaquam; à calido autem quæ coagulata fuerant à frigido vt inter lapides Pyrimachus apud Galenum 9. de simplicibus medicamentis est pyrites vulgo Marchesita; si verò humidum euanuit mollescunt solum maxime cum duci possunt, vt cornu & ferrum si autem magis non mollescunt vt quidam lapides ita vt non mollescere igne argumentum sit summæ siccitatis. Quæ autem à calido sicco coagulata fuere aliquando non soluunt vt cum nimis resolutum est humidum, aut si resoluuntur ab humido dicebat quarto metheororum text. vigesimo sexto, vt sal & nitrum: hoc fit quia talia sunt porosa & rara adeò vt aquam excipiant, deinde illud humidum frigidum esse oportet. Sed contra quia saldissoluitur in aqua calida vt in his qui fercula præparant. Respondeo quod Aristoteles ponit solutionem in textu dicens in oleo non liquescit, ob id igitur intelligit de frigido potentia, non actu: addidit frigidum quia coagulata à calido sunt à calido sicco; quæ autem frigido & sicco coagulantur, soluuntur quandoque aut mollescunt calido & humido.

CONTRAD. XXI.

Quod coagulatur à frigido, an dissoluatur à calido.

PHilosophus quarto metheororum textu vigesimo quinto inquit: quodcunque coagulatur à frigido dissoluitur à calido, sanguis tamen cum coaguletur à frigido, minimè liquescit à calido sed redditur durius. Respondeo quod Aristoteles infrà declarat quod vbi fiat multa resolutio non liquescunt; sed dices saltem mollia redduntur, respondeo quod non coagulatur perfectè, ideò magis à calido sicco coagulatur, fit enim porosum vt dicunt resoluto humido aqueo antequam dissoluatur. Sed dices aqua coagulatur à frigore, igitur sanguinem non coagulari non probat esse aqueum. Respondeo quod aqua à magno frigore coagulatur, sanguis debet à modico si sit terreus. Et ideò dicit quòd lac quod caret caseo est aqueum & parum nutrit. Ex hoc apparet causa conturbationis vrinæ, crassior enim redditur à frigido, ideo à calido rursus clara fit. Quæ verò non coagulantur aut aquea carent substantia aut plurimum obtinent aëris vt oleum, pix, argentum viuum. Pro reliquis vide primo de varietate rerum.

CONTRAD. XXII.

Quæ non mollescunt an terra & aqua solis constent?

QVæ non mollescnnt terrea magis; sanguis & genitura, terrâ, aquâ, & aere constant; sed oppositum dixerat suprà lac & sanguis terrâ & aqua constant. Respondeo quòd hæc authoritas est de sanguine vt extra venas, sed in superiore loquitur de sanguine viuentis animalis.

CONTRAD. XXIII.

Aer an in propria sphæra grauis sit?

PRinceps prima primi dicit quod aër est factus propter leuitatem, & tenuitatem, & raritatem, & ideò facilitatem ad motum. Sed Auerroës & Philosophus quarto cœli dicit quod aër descendit ad locum aquæ sponte, ergo erit grauis plusquam leuis; vnde dicit & hæc est declaratio Aristotelis quod aër est grauis. Secundo loco etiam probat quatuor rationibus; prima humidum est causa grauitatis, & calor leuitatis & humidum est maius calore: ergo descendet; secunda quia aër sponte ad locum aquæ & cum maiore difficultate mouetur ad locum ignis, igitur est grauis: tertia quia fulmina & φαινόμενα seu ὑπεκδύματα descendunt, igitur non nisi medio aeris. Quarta quis spiritus in animalibus non ascendit & ibi est pars ignea cum aerea. Respondeo mens philosophi est quod omne elementum præter ignem est graue propter communicantiam materiæ, & Auerroes non intellexit locum: voluit dicere Philosophus quod omne elementum faciliùs ascendit quam descendat, quia tria elementa grauia commuuicant in materia, ideo aer dicitur leuis solum in comparatione ad terram & aquam: Igitur elementum appetit exire locum, negatur consequentia. Themistius autem vt recitat commentator quarto cœli credidit quod lignum descendit in aere, quia habet duo elementa grauia & tertium quod non repugnat, in aqua verò repugnat. Sed commentator dicit quod lignum in aere habet tria elementa grauia, in aqua duo cum vno quod repugnat: sed melius est dicere secundum Themistium quod lignum in aere

acre habet duo elementa propter quæ descendit,& vnum quod non iuuat nec impedit; in aqaa autem vnum quo descendit, vnum quod impedit, & vnum quod non agit. Sed plumbum habet maiorem proportionem terræ supra aërem quã in ligno: ideo magis descendũt vnciæ duæ plumbi in aqua, quã libræ centum ligni. Contra in aëre Auerr. sic oppugnat, cum lignum sit grauius plumbo in aëre & plus habeat de aëre quam plumbum, igitur aër est grauis. Item si aër non agit dũ est in aëre, aqua non aget dum est in aqua, plumbum plus haberet de terra quam lignum, habetis autem authoritatem vigesimo primo Problematum, aër enim in aëre grauis est, alia littera noua legit cum aëre; sed vigesimo quinto problematum dicit oppositum quia quærens quare vtres inflati grauiores sunt cum aër sit leuis; item vndecimo Problematũ dicit propter quid est quod cum aër feratur in superiorem partem vox melius differtur à supra infra, quam ab infra supra: & videtur reddere causam ex humido voci propriè non aëris quare non grauitat; solutionem iam dixi. Simplicius quarto de cœli adducit Ptolomeum dum exponit textum ex sectione commentatoris & qui vertit obscurauit. Sententia est quod Aristoteles vult inflatum grauiorem, Ptolomeus verò & alius quidam leuiorem, Simplicius æqualem: Et vult propriam sententiam confirmare eo quod Ptolomeus fatetur aquam non esse grauiorem nec leuiorem in loco aquæ, & etiam quia dicit elementa quærunt locum, igitur eo adepto cessat appetitus: si verò leuior est plenus aqua grauis erit in sua regione. Sed non intelligunt philosophum tanti viri, nam hic & post voluit declarare quod terra est solum grauis, ignis solum leuis, reliqua duo grauia & leuia. Sed dicit si grauia & leuia, cur aër sponte magis descendit ad locum aquæ, & aqua ad locum terræ quam contraria vice. Respondet quia elementa grauia magis communicant in materia; hoc autem duobus modis, primo quia aër repletur vaporibus, non ignis aëre: & ità reddit causam primi quæsiti cur aër grauis sit in propria sphæra: secundo quia maior est differentia inter raritatem ignis & aëris, quam aëris & aquæ: ergo aër facilius descendit quam ascendat.

CONTRAD. XXIV.

Vacuum an detur.

PRinceps dicit locum esse concauum cœli, sed locum esse continentis terminus immobilis primus quarto Physicorum: mobilis est vas cœlum & terræ centrum sunt vniuersi reliqui manent corpore translato primus quia tangit contentum corpus: sed Themistius quarto Physicorum Galenum citat vacuum ponentem & coarguit, in libris editis Galeni non inueni. Hero in lib. de spiritu vacuum tuetur pluribus argumentis inter cætera autem; attracto aëre violenter trahitur, & aqua intus: igitur hæc attractio non fit ab aëre quia paucior minus traheret. Respondetur quod maiore nixu aër paucus plus trahit quam multus sine eo. Contra quia agentia naturalia agunt extremis viribus & maximo conatu: igitur appetitus non erit maior in pauco quam in multo aëre, & ità potest deffendi Galenus. Conditiones eius sunt sex quarto Phys. quod contineat locatum, & in hoc differunt à vacuo: secunda, quod non sit pars locati & in hoc differt à materia & forma. Tertia quod est æqualis locato. Quarta quod separabilis ab eo. Quinta quod differentiæ illius sunt superius & inferius. Sexta quod locatum naturale ad ipsam deffertur, & ideo locus principalis est concauum orbis lunæ & centrum mundi per elementis hic quidem grauis simpliciter alius leuis simpliciter & in capite de quantitate in prædicamentis habetur quod locus est quantitas habens positionem: continens autem naturaliter perficit contentum vt locus locatum & ideo ibi naturaliter permanet quarto Physic.

CONTRAD. XXV.

Elementorum qualitates an iuxta Principem extremæ sint.

PRinceps primo canticæ dicit quod ignis est in vltimo suæ qualitatis vt reliqua elementa, quod etiam dixit in libro de cœlo & ibi ponit quod in vtraque qualitate & terram frigidioré aquâ & elementa media cum qualitatibus remissis. Sed dices oppositum dicit in cantica loco allegato & Philosophus secundo de generatione. Ad Philosophum dicere possumus quod stat quod siccitas terræ sit maior frigiditate, & tamen aqua sit etiam minus frigida quæ terra ratione priuationis, non autem effectus de quo loquitur Philosophus. Ad aliud loquitur comparatione ad elementa in mixto: & hoc dicebat Auerroës in commento; sed in vno tantum errat quod putat Principem velle aquam esse frigidiorem terram, credens sequi philosophum & non animaduertit mentem Principis in libro de cœlo quod etiam tangetur in temperaturis: nam terra est densissima igitur frigidissima, & adduxit rationem quia est in vltimo quietis, igitur frigidissima: vult ergo Princeps quod ignis in vtraque qualitate exuperet tam simplicia quam mista; sed hoc est ratione operationis, non essentiæ quia siccitas est coniuncta calori sed terra in frigiditate de aqua autem & aëre non explicauit quod esset humidius. Sed dicetis aër non potest dici calidissimus comparatione ad mista quia poterit esse calidius ab igne compositum. Respondet Princeps quod oportet accipere ambas qualitates simul in cõparando simplex misto. Inde inquit Auerroës canticæ quod ignis qui est in concauo orbis lunæ est aptus generationi & hic corrumpit eam, & præter hoc etiam ille ignis ait non est actu calidus quia non est mistus terreæ parti, & argumentum est quod quantò videmus flammam ex tenuiore

tenuiore re vt aqua ardente eo illa est minus calida ideò nec lucet. Diximus autem & de hoc aliàs.

CONTRAD. XXVI.

Vrsus an habeat serratos dentes?

GAlenus sexto Anatomicarum administrationum enumerat inter καρχαρόδοντα, id est, serratos dentes habentia leonem, vrsum, feles, mures, & mustellas; at post vrsum distinguit à serratos dentes habentibus, eum illis præponens. Respondeo quod inter καρχαρόδοντα numeratur vrsus; quia tamen duobus pedibus procedit, natura quandoque similior est suibus & canibus: vt etiã felis & leo ob faciei similitudinem. Sũt enim magis similes homini quam habentia os longum.

CONTRAD. XXVII.

Musculi spinæ dorsi an quinquaginta octo.

[CVm enim in neruos octo ac quinquaginta spinalis medulla esset diuidenda, tantum ex cerebro produxit vt distributioni neruorum esset æqualis,] Galenus duodecimo de vsu partium. At Vesalius libro quarto affert diuersum numerum modo triginta paria, modo triginta vnum: Carolo-Stephanus quoque triginta vnum par esse affirmat in tertio suæ dissectionis. Attigimus hanc aliàs in tertio libro, sed non erat locus soluendi. Discrimen est qnod cum sint septem colli vertebræ; duodecim thoracis, & quinque lumborum, & quatuor ossis sacri seu lati duodecimo de vsu partium: hæ omnes cum sit XXVIII. atque extrema in his mucro inferius, superius caput fient spatia XXIX. ex quibus nerui oriuntur hincinde, horumque numerum Galenus obseruauit. Sed ex septima spondili ceruicis gemina pro vno paria, atque ex quinta lumborum totidem. Hæc duo non placuit adnumerare Galeno sicut nec vnicum neruum, qui ex mucrone prodit cum substantiam retineat ac colorem mẽbranæ; erunt igitur ortus ratione 58. substantiã LVIII. forma nerui spinalis medullæ.

CONTRAD. XXVIII.

Septem neruorum paria à cerebro prodeuntium.

GAlenus in libro de neruorum dissectione septem enumerat neruorum paria longo processu. Idem Nono de vsu partium. Vesalius tamen nouem paria neruorum explicauit, nam in explicatione tertij paris aliud adiungit tenuius ac durius ex quo quatuor rami prodeunt: vnus in oculorum adipe per proprium foramen in frontem; secundus in maxillam & labrum & nasi pinnam: tertius per interiorem oculi angulum in nasi cauitatem ac pinnam; quartus in intimam sedem musculi tempo is per foramen quod est inter maxillæ superioris os & cuneum prodit: omnes præter hunc rami peculiarem habent in osse locum à naturâ perforatum quo exeant. Alter in musculum qui in ore delitescens inferioris maxillæ motus ad superiora causa est iuxta quinti paris originem, ex media spinalis medullæ sede nascitur. Hic & proprium habet foramen quo permeet, cuius etiam alibi priùs meminerat Carolo-Stephanus: affirmat vbi incipit medulla dorsi desinitque cerebrum infinitos propemodum ramulos neruorum exoriri qui omnes interiori spinæ inuolucro inserti, nullibi tamen vlterius prodeunt. Horum igitur non meminit Galenus quoniam vsus non admodum erat conspicuus, et neque illos separauit à suis truncis propter propinquitatem tantam vt adnati viderentur, tum quia qui ante eum scripserant, numerum hunc non perturbauerunt. Cuius causa & ipse Vesalius septem tantum, non nouem neruorum affert coniugationes.

CONTRAD. XXIX.

Breuitas digitorum iecoris paruitatem significat.

[BReuitas digitorum hepatis significat paruitatem,] inquit Princeps secunda primi. Oppositũ Auerroës dicens: [Et homo quidem quem tu scis dicit quod breuitas digitorum significat paruitatem hepatis:] Et hîc apparet quod nesciuit vbi esset virtus quę fingit, & non considerauit nisi materiã. Respondeo dictum Principis est in pluribus verum quia ab experientia sumptum; non tamen est signum firmissimum quia breuitas digitorum cum crassitie potest esse propter virtutem quæ finxit, non materiæ paucitatem. Hæc igitur membra ex eadem materia fiunt.

CONTRAD. XXX.

Vermicularis Epiphysis an mobilis, & an vna.

VErmicularẽ epiphysin supra meatũ qui est à medio seu tertio cerebri ventriculo ad parencephalidis sinum mobilem posuit Galenus 8. de vsu partium; atque huius causa circumuolutam inquit fuisse, vt dum retrahitur meatum aperiat & illam descẽdere ad meatus angustiam, vt spiritui viam ex toto occludat. Vesalius ponit hanc epiphysin super meatum qui ex tertio ventriculo in medullæ spinalis cauitatem exporrigitur ita enim videtur Vesalius Parecephalidis sinum

interpretari. Sed immobilem hanc epiphysin statuit: aliam etiam addit super meatum positum inter tertium ac quartum ventriculum seu posteriorem, atque & hunc immobilem; dissidet igitur numero & vsu. Sed Galenus addidit eam motus seu potius signum scilicet plexum; Vesalius necessitatem docet ne meatus obstruatur, scilicet medullæ spinalis officium siquidem motum assiduum quo perpetuò spiritibus indiget. Sed Galenus dicet expedit occludi ne nimis resoluantur. Carolo-Stephanus libro secundo vult quod coextensa natibus hæc epiphysis tegat meatum ex tertio id est medio cerebri ventriculo in posteriorem, id est, quartum. Nascitur hoc corpus vt idem docet inter ventriculos anteriores cerebri illos distinguens & extenditur medium toto cerebro illud quasi diuidens & natium interuallum complens. Claudit autem meatus quia crassescit contractum vt vermis parte qua contrahitur, extenuatur alia: non igitur hic facile fuerit vel in altero horum Galenum reprehendere.

CONTRAD. XXXI.

Oculi quæ tunicæ.

SEptem tunicas & tres humores Auerroës in oculo posuit. Humores quidem albugineum, vitreum, & grandinosum. Telas seu tunicas, seu membranas coniunctiuam, inde corneam, post vueam, inde araneam, inde in posteriore parte retinam, inde secundinam: rursus in anteriore parte, omnium maximè intimam statuit quam vocat pannosam seu fortem. Idem in secundo libro grandinosum humorem glacialem aut crystallinam appellat, & tunicam ante crystalloidi superiacentem araneam, in quibus visum fieri secundum Galeni opinionem optimè tradidit. Ibidem fortem tunicam appellauit coniunctiuam quam tamen constat ex prima sententia longe aliam esse, & vt breuiter dicam errorem in litera esse credendum est; quamobrem ad Galeni historiam vnde ille sumpsit licet corrupta vt reor trãslatione nos conuertamus. Primum igitur sciendum quod vt à Galeno decimo de vsu partium habetur, pars oculi rotunda atque colore nigro, vel cæruleo, aut cæsio prædita in ipsius medio iacens στεφάνη Græcè seu corona irrisuè ac magis propriè vt ibi Galenus docet vocatur ἶρις enim & Græcè dicitur. In hac ille inquit septem sunt circuli quos dissecto oculo videbis ex fine septem tunicarum in idem coëuntium, diuersa tamen crassitudine videbis. Harum ergo prima vocatur vt dixi coniunctiua, Vesalius adhærentem vocat vel albam Carolo-Stephanus autem cohærentem. Tenuis est Vesalio teste, & alba vt cuique sensu patet, nec nisi in anteriore oculi parte posita, nec iridis locum vlla ex parte tegit sed illam circumambit; nascitur ex membrana quæ interius palpebras tegit atque illa ex pericranio. Vndè percussi in capite ruborem in alba oculi tunica præferentes læsum pericranium ostendunt: musculos oculi hæc contegit & ipsum ossibus illum ambientibus alligat, vndè à Vasseo adnata vocatur. Hæc vltimum circulum iridis perficit & superior omnibus est, at magis extima. Secunda tunica sub hac iacet, & vt dictum est diceturque, nulla præter arachnoidem iridi obtenditur tunica. Sed & hæc nomine proprio caret: oritur autem ex aponecirosibus seu musculorum neruosis tenuitatibus, qui musculi in angulis oculorum iacent. Hæc secundum interiorem atque profundiorem facit circulum. Hanc Vesalius & Vasseus cum prætermiserint in numero tunicarum cum Galeno non concordant. Tertiæ quæ sub hac iacet Galenus prætermisit originem, Carolo-Stephanus tamen ea credit oriri ex aponeurosibus musculorum superiorum. Sed & huius Vesalius & Vaseus cum non meminerint, aut omnino subobscurè quinque, potius quam septem tunicas in oculo statuunt. Galenus cum ordine contrario procedat ab intus ad extra sextam & quintam quam nos secundam & tertiam diximus vocat. Tertium igitur hæc tunica circulum in iride facit & omnes super corneam iacent, nullaque harum perspicua est vt nec alba. Sub hac est quarta tunica cornea seu selerolica dicitur: à sęleros quod est durum seu asperum, nam licet exterius sit leuissima intus tamen aspera est atque rugosa. Dicitur autem cornea quod cornibus in quinque conditionibus assimiletur. Prima quod est perspicua: secunda quod est coloris quasi cærulei; tertia quod est durissima; quarta quod est vt cornu leuis exterius; quinta quod ex laminis constituatur. Hæc non vt tres reliquæ partem anteriorem amplectitur, sed totum oculum ante & retro tum etiam iridem vndè prima tactui occurrit exterius & perfectum orbem complet. Vesalius affirmat antiquo tempore deradi solitam in senibus ad visum restituendum, quod ætatis vitio pars exterior scabescat. Oritur hæc à dura cerebri seu crassa menynge, medio obticorum neruorum. Nam obtici nerui primum quidem tenui cerebri membrana, indè crassiore circumuestiuntur. Atque vt à crassa menynge illos vestiente cornea, ità à tenui vua seu rhagoides vel choroides nascitur. Hæc est tunica quinta quæ oculum totum minimè ambit sed ante ac retro extẽditur parte posteriore fermè candida, anteriore in quibusdam nigra, in aliis autem cærulea pro oculorum coloris varietate. Quo fit vt cum colorem habeat nec sit perspicua, vt iridem nulla ex parte integat alioquin videndi facultatem ablatura. Sed tamen ipsam vt conspicuum est pro coloris sui magnitudine variæ adumbrat. Exterius autem mollis est & densa, intus autem fungosa & aspera. Annectitur autem corneæ asperitatibus de quibus dictum est ne concidat, & humores contentos comprimat. Rhagoides dicitur à ῥάγιον quod est paruus acinus. Dicitur & choroides, quod in similitudinem chorij seu membranæ, quæ cerebrum & infantem tegit vasis pluribus sit ac vinculis referta. Inter hanc

igitur

igitur & corneam humor aqueus qui ab aliquibus vt dictum est albugineus dicitur, continetur. Intra verò alia est tunica sexta numero arachnoides seu aranea à telæ araneæ similitudine ob leuitatem ac subtilitatem dicta. Oritur hæc à choroide quinta ac illi per processus palpebrarum pilis nec non ciliis similes. Sed vuea à cornea vndique fermè tangitur posteriore scilicet ac media parte,adnascitur enim illi. Sed anteriore vbi cornea maximè est perspicua altera ab altera manifesto distat interuallo. Vnde solum aqueus humor inter corneam & rhagoidem continetur, reliquum eius humoris inter vueam & arachnoidem tum etiam retinam situm est. Arachnoides igitur tenuissima candidaque substantia ac dura corneaque constat. Similis telis ceparum illis tenuissimis quæ sub earum corticibus inueniuntur; distat hæc ab vuea eo interuallo quo humoris vt dixi aquei reliquam sedem habet. Oculum anteriore solum parte complectitur: superiacetque crystalloidi humori parte ea qua vitreo supereminet tantum. Vasseus ergo videtur iniustè accusare Galenum, quod cum Galenus obtendi arachnoidem solum dixerit crystalloidi ea parte qua à vitreo humore crystalloides non cingitur, Vasseus dicit vbique illum circundare. Cum Vesalius etiam & rectè affirmet inter vitreũ & crystalloidem seu glacialem (vnum enim significare docuimus) nulla sit tunica nullumque aliud corpus interpositum. Ait præter hæc non rotundam esse vt aliàs hanc tunicam, sed multis planis superficiebus constare. In hac tunica Galeno & Auerroë testibus idola omnia rerum quæ videntur velut in speculo relucent. Vnde visum fieri in hac tunica & subiecto illi crystalloide humore constanter affirmant. Ergo illud dubium primo occurrit quomodo ex cornea vel arachnoide circuli fiant in iridè,cum hæ duæ tunicæ crystalloidem & totam oculi partem anteriorem amplectantur. Sed intelligendum est vnum sub alio esse horum circulorum, non autem intra comparationem centri iridis. Sed dissecto oculo quod est sub altero intra illud etiam esse videtur: non igitur hi circuli intra sunt vnus alteri nisi intra, pro sub accipitur. Manifestum est igitur suffusionem fieri inter corneam & hanc araneã telam loco eo quo vuea patet. Sed septima tunica ἀμφιβληστροειδὴς vocatur quasi retina ab ἀμφίβληστρον, quod rectè significat: dicta, oritur ab ipsa opticorum neruorum substantia: nec retiformis dicta est quod plexum retis habeat, sed quod oculum parte posteriore solum amplectatur, vt anteriore arachnoides. Ergo forma hemicyclij retibus quibus cancri & pisces etiam in vorticibus capiuntur solum similis est, non contexta; cum sit continua nisi forsan frequentium venarum & arteriarum quæ illi in sunt nutriendorum humorum causa complexum à similitudine rectè appellare velis. Cæterum vtvt sit quamquam non eadem substantia prædita sit quâ arachnoides, sed molli & cerebro simillima; nihil tamen prohibet quin eam tunicæ & inuolucri nomine dignam censeamus. Demum crystalloides crystallo similis perspicuus & exactè rotundus ac quasi candidus, durusque vt consistat in vitreo velut sphæra in aqua medius ferme prominet anteriore parte, vt dixi vitreus vitro fuso; nec consistens, nec plane tenuis est vt albugineus. Continentur igitur hi arachnoide ante, retro autem retiformi, inter quas & vueam passim, propriè verò ac specialiter ante corneam aqueus humor continetur. Nerui autem optici vt dixi triplici substantia constant, & retiformi inseruntur procedentes à basi cerebri innititur, vt etiam Vesalius author est. Sed & eorum processus vsque ad postremum ventriculum pertinere videtur. Oculis præterea septem musculi inseruiunt vt Galenus decimo de vsu partium docet, Horum singuli primi quatuor oculum vnico motu mouent, primus ad cantũ exteriorem, secundus interiorem, tertius sursum, quartus deorsum, quintus & sextus in superiore palpebra alter, alter in inferiore circũuoluunt oculum. Septimus qui maximus est illum continet, Hic si relaxetur prolabitur exterius oculus: si frangatur præter id quod prolabatur oculus etiam videndi functio perit magna ex parte. Porro hi omnes Vesalio teste à dura cerebri membranâ exoriuntur.

CONTRAD. XXXII.

Temperaturæ cognitio an necessaria Medico.

Quod temperaturæ cognitio necessaria non sit Medico vt est artifex dicebat Galenus in libro de subfiguratione Empirica, [hunc librum inquit scripsi vt ostenderem medicam artem empiricè posse constitui dimissa omni cogitatione de rei substantia.] In contrarium primo ad Glauconem.] Non potest sciri morbus nisi quis temperaturam nouerit, neque cura parari.] Respondeo sine cognitione vniuersali potest, non sine cognitione ad sensum per significata. Est tamen in contrarium ipse in introductorio medicorum qui dicit empiricos physiologiam prætermisisse, imò etiam morborũ & causarum cognitione. Propterea posset dici quod ars sic tradita sit imperfecta, sed melius quia dicit quod transeunt ad similia etiam in ætatibus & corporibus quod loquitur de substantia morbi, nam symptomata cognoscunt. Dico modicus non potest esse perfectus absque cognitione temperaturarum: potest tamen curare perfectè, id est, totum tollere morbum non perfectè curare ratione modi; scilicet tutò, celeriter, & sine dolore empyricus.

CONTRAD. XXXIII.

Elementa in mixtis an inuicem agant.

DVbitatur an elementa in mixto inuicem agant, quod non Galenus primo de tuenda sanitate. [Duæ sunt causæ corruptionis intrinsecæ in animantibus: defluxus materiæ quo necessarium est corpora fieri continuo sicciora: secunda est excrementorũ copia.] Oppositum colligitur à Galeno quinto de tuenda sanitate vbi probat quod vehementer calida temperies cum æquali in humido & sicco diù stare non potest, quoniam siccatur à vehementi calore naturali istud esset etiam verum in temperata, & etiam secundo cœli Aristoteles declarat mortem accidere animalibus propter hoc quod elementa existentia extra locum proprium nituntur redire ad suum locum & molliunt dissolutionem. Respondeo quod de mente Galeni non est hæc actio. Ad autoritatem vult quòd calor naturalis agit in membra, & cum sit acutior exsiccat & similiter qui est in membris calefacit sanguinem à quo calefacta membra alia exsiccantur.

CONTRAD. XXXIV.

An dentur minima naturalia.

QVæ ex mutua inter sese, & reliqua. Hic adnotandum est fuisse de rerum natura duas opiniones, alteram quæ mixta censuerit componi ex minimis, aliam non. Princeps autem cum ponat elementa ingredi mixtum ne faciat corpora penetrare quamquam hoc non sit necessarium, posuit tamen minima naturalia. Sed Galenus ponit mixtionem fieri per qualitates, ad quam non sequitur penetratio corporum, sunt igitur quatuor modi: vnus vt dentur in animatis & non in inanimatis. Secundus in mixtis & non in elementis. Tertius vt in elementis & non in qualitatibus. Quartus vt etiam in qualitatibus. Deinde illud potest considerari tripliciter, vel quod dentur respectu continentis: non autem in se; nam resoluitur quod minimum est incontinens, in de sensu & sensili ex diuisione Alexandri, & dat exemplum de minimo sapore in mare proiecto; secundus vt dentur in se, sed tantum ratione formæ quia sui natura sub minore quantitate non possit existere, & tangitur primo de Generatione & corruptione; Tertius vt tam ratione formę, quam materiæ possit dari, & tunc diuisio illa in minima procedat secundum rationem tantum, non rem: primo modo Philosophus; certè ponit secundo de anima quia vult animata habere certam rationem magnitudinis, non autem inanimata quæ tandiù crescunt, quamdiù materia suppeditatur & dat exemplũ de igne: clarius autem primo Physicorum de animatis & partibus animatorum. [Manifestum est inquit quod metam habent tam magnitudinis quam paruitatis.] Et post loquitur non solum in primo modo vt per se possit subsistere, sed omni modo, per formam: inquit enim. [Si minima est caro & ab ea potest auferri aliquid, non erit amplius caro.] hoc autem tenet secundum formam ipsam cum materia, nam si ratione formæ tantum intelligeret diceret manere non posse. Sed ad hoc deducit quod sit minus minimo & ducit ad hoc inconueniens quod non esset minima magnitudo; hoc autem est generale etiam simplicibus corporibus. Difficultas prima est solum in qualitatibus, secunda in materia vt sit minimum naturale materiæ solius idest an repugnet materiæ soli, seclusa omni forma, per se diuidi in infinitum an verò habeat sua minima. Sed aliquis diceret rationem esse ad Anaxagoram qui poneret talia minima; sed non est verisimile quod vellet postmodum ea diuidi. Differentia autem huius quod est ratione materiæ, & ratione formæ est quod minima essent diuersi generis vbi diuideretur si solum ratione formæ. Sed si etiam ratione materiæ erit minimorum minimum vbi diuidantur.

In qualitatibus autem videtur etiam quod dentur ex commentatore sexto physicorum; quoniam inquit. [Omne quod fit, fit per qualitatem & quantitatem terminatam.] Et clariùs octauo physicorum cum dixit solus motus localis est continuus: & quod dictum est in sexto physicorum quod ante omne moueri est mutatum esse; intelligitur in potentia non in actu. Si igitur non darentur minima in qualitatibus, esset mutatio in qualitate motus continuus. Sed nos hoc reiecimus quod commentator dicit item sexto physicorum datur minimus calor, & clariùs commentator datur primum mutatum esse vt iam diximus & est exemplum Philosophi in litera; igitur minimum acquisitum in ipsis qualitatibus. Sed contra quia octauo physicorum datur primum instans rei quæ fit in generatione & mutatione, sed si daretur minimum caloris daretur vltimum mutationis; non primum & esset illud minimum, igitur minimum qualitatis non datur & est prima ratio Doctoris subtilis: Secunda quia Philosophus declarat: Tertio physicorum quod magnitudo est diuisibilis in infinitum, non tamen est augmentabilis in infinitum; quia mundus est finitus; & Auerroës in cõmento dicit quod augmentatio procedit solum secundum quod magnitudo non est in materia & ideò soli Geometræ conuenit subdiuisio & diminutio vt est sine materia, vel etiam cum illa: & ideò communis naturali, igitur non dantur minima naturalia. Respondeo quod diuisio conuenit ratione magnitudinis continuæ etiam in materia existentis, non tamẽ ratione formarum & ita non datur minimum ratione materiæ. Tertia est quia si ignis vnum minimum inducit caliditatis vel continuabit post, & sic non videtur maior ratio vnius quam alterius cum ab initio simul & post successiuè inducat nullâ factâ mutatione: Si verò non, igitur quiescit & prius non quieuit. Respõdetur quod quiescit,

sed

ſed inducit præuiam diſpoſitionem, cõtra igitur dabitur mutatio mutationis. Quarta omne quod mouetur eſt partim in termino à quo, & partim in termino ad quem ſexto phyſicorum, & elicitur ex textu: igitur dum remittitur frigus; calor intenditur; ſed primum remiſſionis frigoris non datur quia ſucceſſiuè remittitur, igitur nec primum generationis caloris ſimpliciter licet detur in eſſe quieto. Quinta daretur motus in inſtanti in qualitate. Reſpondetur quod non eſt inconueniens niſi in motu ad locum dari motũ in inſtanti: contra quia ſic quieſceret diſponendo & interim recipitur ſexta, & eſt declaratiua contra illos qui tenent vt Auerroës quod qualitates impreſſiuæ neceſſariò inducant formas quod mixtum non eſſet mixtum quia illa minima non miſcerentur, & eſt ratio Auerroïs contra Principem tertio cœli quæ militat contra Auerroem ipſum & non contra principem quia princeps tenet quod qualitates impreſſiuæ poſſint eſſe abſque ſubſtantia proprij elementi à quo producuntur. Galeni autem ſententia vt dixi in hoc ex primo de elementis eſt quod dentur minima ſecundum ſubſtantiam, ſed quod quo ad qualitates perfecti miſceantur. Sed vt dixi minima in ſubſtantia non dantur in mixtione, quia elementa non retinent corpoream formam. Ad Galenum dicemus quod loquitur de mixtione medicamentorum in qua mixta retinent formam corpoream cum fiut ſicca, & ſiccum cum humido non facit veram mixtionem primo de Generatione & corruptione.

CONTRAD. XXXV.

An medicamenta mixta ex ſimilibus ſint validiora ſuis ſimplicibus.

DVbitatur an ex ſimilibus temperatura poſſit eſſe diuerſa. Reſpondet Galenus in libro an qualitates incorporeæ ex æqualibus in gradu mixtis prouenit vnum inæquale & diuerſum, & in ſexto de compoſitione medicamentorum ſecundum locos docet etiam modum dicens quod crocus impellit mirrham aſtrictionem ſua, & mirrha ſua ſubtilitate deducit crocum & ita dicit ex duobus ſimilibus fit medicamentum validius vtroque; hoc idem fatetur Auerroës quinto collectaneorum. In oppoſitione tertio methodi dicit quod, non auget mixtio vires, ſed potius etiam in ſimilibus aliquid impedit: quinimo docet per ſimplicia adhibere auxilia, ſoluitur hæc cõtradictio ex ſecundo de ſimplicibus medicamentis vbi docebat quomodo medicamentum mixtum ex oleo & aqua plus humectet oleo & aqua; & dicit quod oleum facit vt aqua trahat moram, & ità iuuat aquam vt plus humectet quam per ſe ſola. Ex quo colligo canonem curatiuum de mente Galeni, quod etiam medicamentum mixtum ex æqualibus plus poterit agere ſimplici etiam valentiore: ſed enarrat tres principales vtilitates componendi medicamenti, vt cum volumus medicamentum in quarto, & non habemus niſi in tertio & quinto iſta commiſta reducunt: ſecunda cum indigemus contrariis operationibus vt cum ex oleo & erugine æris ad vlcera mala: tertia cum ad multa ſimul vt in theriaca ad multa venena. Dicit quod poſt has ſunt aliæ vtilitates leuis momenti; ſed circa primam vtilitatem Auerroës quinto Collectaneorum ponebat ſex regulas quarum tres concordant cum Galeno, & tres diſcordant. Prima quæ concordat eſt ex æqualibus ſimilibus fit ſimile: Secunda ex æqualibus contrariis fit temperatum; tertia ex maiori quantitate fit maior qualitas & ideò maior remiſſio in remiſſa, vel minor in intenſa? Quarta quæ diſcordat à Galeno eſt duplicata in quantitate aſcendit ad alium gradum, hæc eſt falſa; nam ſic libra mellis occideret & eſſet venenum: Quinta gradus æqualiter diſtat, iſta eſt dubia apud Galenum quia credo quod quartus diſtet plus à tertio, quam tertius à ſecundo, & tertius à ſecundo plus quam ſecundus à primo: Sexta quæ eſt contra Galenum ſed ipſe dicit quòd eſt ſolum contra Medicos & tribuit eam Alchindo, eſt quod medicina frigida in primo remittat calidam in tertio ad ſecundum gradum caliditatis, & reprobat opinionem Galeni quam neſcit eſſe ſuam. Sed vt dixi putat eſſe medicorum quod calida in primo remittat calidam in tertio ad ſecundum gradum: hoc modo ſi calida primo remittit calidam in tertio ad ſecundum gradum, igitur frigida in primo deducet eandem vel ad primum, & hoc eſt abſurdnm quod tantum remittat calida in primo, quantum frigida in primo vel ad primum deducet, igit frigida in ſecundo deducet calidam in tertio ad temperamentum. Præterea dicit calida in primo & temperata remittunt calidam in tertio, ſed minus quam ad ſecundum gradum. Sed argumentum hoc nihil concludit quia opinio Galeni eſt quod debeant ſimilia iungi, & diſſimilia auferri; & quod fit diuidatur per numerum medicamentorum, exemplum medicina calida in tertio, alia in ſecundo, & alia temperata; & vna frigida in primo, iunge tria & duo fiunt quinque, aufer vnum pro frigida fit quatuor, diuide per quatuor fit vnum, & ità erit calida in primo gradu, & hoc quia aucta quantitate diminuitur denominatio, vt de vncia mellis proiecta in vncias quatuor aquæ licet aqua non ſit amara, dulcedo tamen ſpargitur quæ erat in vncia in quinque vncias, & ità fit minus dulce remittitur ſecundo ea contrario & hoc tantum fermentatis.

XCONTRAD. XXXVI.

Semen an imbecilliſſima pars plantæ.

THeophraſtus quarto de cauſis plantarũ ait imbecilliora eſſe ſemma partibus plantæ: at primo de cauſis plantarum dixerat ſemen eſſe validiſſimã partem plantę adducens rationem quod ſit finis omniũ plantarum,

rum & post dicit ob id serius pulpa perficitur quod primum intentum à naturâ, vltimò absoluitur. Respondeo quod semen est semper res validissima in comparatione ad suam plantam, non ad semina aliarum; alterius quæsiti affert causam quarto de causis plantarum, scilicet quod partes validæ arborum trahunt ad se nutrimentum, quoniam in debilibus agens est aër; sic videmus homines & animania robusta minus fœcunda, cum tamen in his virtus sit in membris; at partes plantarum dicit non à terra, non à seipsis, sed ab aëre perficiuntur: vndè imbecilles melius. Igitur dico quod semina robustiora sunt triplici causa, aut quod melius circumuestiuntur vt milium, aut quod sint pinguia vt sesamum, aut quod acria vt Lupini quarto de causis plantarum dicit. Animaduerte tamen quod non est idem habere magnam vim quod ad generandum, & vtile esse vsui: nam aliqua sunt diuturniora in vno quam in alio, quarto de causis plantarum. Aliqua verò dicit sunt adeò contumacia vt non nisi à quinquagesimo die erumpant vt Apij quod euenit ob corticis duritiem, partim ob diritatem quandam: idem addit quod sæpe accidit vt semina tempore perficiantur, excoquantur, robustiora atque fæcundiora euadant.

CONTRAD. XXXVII.

Facilè ardere an caloris rei indicium.

Theophrastus vult primo de causis plātarum quod facilè ardere sit indicium caloris plantæ; sed hoc videtur Galeno repugnare, nam primo de simplicibus medicamentis vult quod tenue sit quod ardet & tunc calidum; si non ratum potest esse frigidum & densum quamuis calamum duplici causa ardere dicat. Respondeo quòd Theophrastus considerat causam concipiendi ignem, Galenus quod celeriter ardeant, vel dic quòd attrita rara euadunt.

CONTRAD. XXXVIII.

Legumina an triticeis concoctu difficiliora?

QVærit Theophrastus quarto de causis plantarum cur legumina triticeis difficiliùs concoquantur cum tamen celerius proueniant, item cur hordeum difficiliùs concoquatur tritico ab homine: at contra in cæteris animantibus causam facilis coctionis quòd minus morentur in terra, quia dicit non adeo terreum trahunt alimentum. Secundò quòd in locis apricis non ab aëre melius implentur & agitantur. Tertiò quòd in gracili solo, nam minus superflui humoris hauriunt. Sed de tritico in animalibus causam reddit dulcedinem atque ideo pabuli copiam, demum consuetudinem & proprietatem, nam cerui dicit viperas edunt absque noxa vt sint in vniuersum sex causæ. Sed in quæsito non consentit Galeno, nam Galenus primo de animalibus ponit frumentum coctum longè difficiliùs concoqui quā cicer. Verum Theophrastus ad animalia retulit, cumque duriora sint legumina cruda triticeis crudis ob hoc protulit legumina duriora etiam homini quod falsum est: vel dic quod de crudis eadem ratione intelligendum est, de coctis autē à Galeno; sed etiam grana dura concoctu cur sint causā explicat Theophrastus libro quarto de plantarum causis, quòd coctile est calidum, humidum molle, & rarum; incoctitle autem contra, & quòd coctile intelligit quod ferueefactum ac coctum facilè mollescit, atque hoc ex soli calidioris natura ac leuioris prouenit, stercoratio etiā faciliorem reddit sic & aër, & sol, & & locus apricus; sed dicit nihil mirum velut in metallis venas esse in eadem terra, alias feraces, alias non: sic etiam alias esse partes quæ coctilia generent legumina in eodem agro, alias quæ incoctilia: sed contingit etiam in eadem planta ob diuersas partes plantæ, nam alia semina valida erunt, alia inualida; coctile igitur est quod coqui facilè potest ab igne. At Galenus propriè ad hominem refert plerunque cum iungantur, non tamen semper. Similiter vt dixi de tritico & hordeo Galenus primo de alimentis ponit hordaceos panes minus alere & friabiliores esse triticeis, & etiam celerius excerni, vndè etiam faciliores erunt coctione.

CONTRAD. XXXIX.

Temperatura an qualitas.

PRinceps prima primi diffiniendo temperaturā dicit quod est qualitas, in hac desfinitione ponitur genus quod est qualitas de quo est dubitatio, quia illam posuit substantiam vt apparet primo de vsu partium carni esse ac neruo neruum accidit ob primarum qualitatum certam temperiem, & de vsu respirationis inquit vnius cuiusque membri propria substantia est temperatura quædam calidi & frigidi, & in de secretis in initio, complexio est substantia & natura cuiusque corporis. Sed hic liber apocriphus; est aliàs declaraui quod Galenus nihil plus vult quam quod sit quoddam proximum valdè temperaturæ substantia ipsius membri & quod ab eo proueniat. Dico igitur quod hoc noluit manifestè Galenus determinare quia pendet ex hoc quæsito an qualitates sint formæ substantiales elementorum; nam si sunt, temperatura est substantia, sin autem aliud erit qualitas vt vult hic Princeps, & in re dubia magis est assentiendum Principi, cum Galenus hoc non determinet. Nec placet responsio Conciliatoris quòd per substantiam intelligat essentiam, nam idem incidit. Quare deuenio ad declarationem quoniam Princeps secundo Canonis inquit quod temperatura quædam resultat ex primis elementis, & hæc est propria quædam ex aliis temperaturis

raturis vt in lacte cum sint colostra, butirum serum, & caseus, quamuis secundum Galenum sint tres tantum partes, erit temperatura lactis ex illis resultans quarum quælibet: haud dubiè inquit ex mixtione quatuor elementorum prouenit. Sed si quis diceret quod potest adesse & abesse præter subiecti corruptionem est accidens; temperatura est eiusmodi. Responderet Galenus quod eo modo quo potest abesse temperatura, eo modo reliqua: si tota, totum corrumpitur; si ex parte, ex parte: an verò temperatur sit anima, iuxta Alexandrum & Galenum libro de animi Immortalitate declaraui. Confirmatur ergo hoc ex ipsomet Principe: nam duodecimo de animalibus sic definit, temperatura est qualitas accidens ex operatione primarum qualitatum contrariarum in particulis minimis diuidentibus & permutantibus se; & in primo sufficientiæ temperatura est qualitas proueniens ex reciproca passione qualitatum contrariarum in corporibus mixtis. Et quando nihil melius est quam principem per principem intelligere: nam boni expositoris officium non est afferre demonstrationes, sed verba & sententiam autoris declarare, primo regiminis acutornm. Dico in simplicibus elementis sunt duo, vt ibi dicebat Princeps loco vltimo adducto, natura & forma differunt sola ratione, nam vt est principium operationis natura & forma vocatur, vt est constituit speciem, primæ autem qualitates inquit à forma ipsa profluunt: sed in compositis sunt tria re distincta, natura, forma, & temperatura. Natura dicitur pars formæ vt in homine anima, forma autem est à qua omnes operationes proueniunt vt humanitas, quamuis hoc exemplum non sit secundum philosophum; sed & quia hæc verba ante diffinitionem adiacent, qui autem ponit naturam esse formam facit vt in simplicibus vt natura sit illorum essentia, & in compositis vt sit temperatura: igitur vult temperaturam esse formam mixtorum.

CONTRAD. XL.

Calidum an agat in frigidum, seu contraria in se inuicem.

SEd vt habet primo de generatione calidum agit in frigidum; responde corrumpendo, sed non generando, nam agit in siccum & humidum quarto metheororum contra quia sic calidum non corrumpet per se humidum, & tamen corrumpit consumendo primo de tuenda sanitate. Respondeo quod agit in humidum per se attenuando primo metheororum. Contra quia Princeps dicit quòd humidum non per se patitur, neque per se creatur. Respondeo quòd intelligit per se id est à seipso, quia subiicit quod patitur ab anima medio caloris naturalis, & ità facit pro nobis authoritas prima primi ibi quod autē dixit secunda secta. Ratio demōstratiua quod caliditas non agit in frigiditatem pro Aristotele contra Ioannem Grammaticum conantur trahere Aristotelem in Galeni sententiam primo virtutum naturalium est: omne agens per se naturale intendit assimilare sibi passum, quia naturalissimum omnium entium est generare sibi simile secundo de anima; sed calidum non intendit assimilare frigidum octauo Physicorum, contrarium non mutatur in suum contrarium. Sed dicit ex illo fieri, inquit Auerroës, non tanquam ex subiecto, sed tanquam ex termino vt dicimus diem ex nocte fieri.

CONTRAD. XLI.

Caliditas & frigiditas an æqualis actionis.

SEd dubitatur an caliditas & frigiditas sint æqualis actionis quod non secundo virt. naturalium, & in de constitutione artis med. caliditas magis agit quam frigiditas. Oppositum septimo artis curandi tempora calefaciendi & infrigidandi fermè paria sunt. Idem quarta primi & decima tertia tertij Princeps dicit vnum absolutè. Resp. quod aliud est loqui ratione impressionis recipientis, aliud est dicere ratione operandi; nam cum leuioribus calidis calefaciemus & cum minore quantitate: vel dic quod Galenns in prima authoritate loquitur de calido in mixto, sed aliæ de medicina & in animali.

CONTRAD. XLII.

Æqualitas primi modi an propinqua æqualitati veræ?

PRinceps dicit quòd quandocumque membrum assequitur temperamentum maximè oportunum ad functiones, & secundum hoc consurgunt octo modi quos ponit in litera, circa quam est contradictio manifesta, quia in primis verbis dicit quod talis æqualitas multum est propinqua æqualitati ad pondus, in primo autem modo dicit quod est magnæ latitudinis: quomodo ergo potest esse valdè propinquus æqualitati. Respondeo quod intelligit de medio, idest iustitiali secundi modi.

CONTRAD. XLIII.

An latitudo temperamenti humani possit cognosci.

PRinceps latitudinem temperamenti humani posse comprehendi perfectè, prima primi: idem quinto canonis & primo canticorum. In oppositum Auerroës primo de generatione & corruptione nihil est homini naturaliter ignotum; & tertio de anima, anima est omnia intelligibilia per intellectum & sensibilia per sensum, solet responderi quòd intelligitur de incomplexis; sed istud non est verum eo quòd non omnia incomplexa

incomplexa sunt nobis nota velut non omnes species piscium. Et si dicas quomodo possunt sciri: dicam quod & de incomplexis, & ideò. Dico quòd veritas rei hæc est quod in genere omnia possunt sciri, ideò dicebat Auerroës in cantico loco allegato quod singularia non possunt sciri, neque modus proportionum qualitatum, quia sunt infiniti. Et si quis dicat igitur infinitæ species erunt nobis ignotæ. Respondeo quòd sphæra humani intellectus vel sensus occurrit in aliquo tempore, indiuiduum tamen necessario aliquod latet quia non permanet, & etiam quia est valde remissum: ideò mens Principis est potius ratione infinitatis, quam complexi, & sic explicantur verba illa ità vt in deffinitione comprehendi nequeat termini specierum sciri non possunt; tamen sciri omnia possunt vel actu ab vno, vel ab omnibus, vel à specie humana, vel quia possunt sciri. Etsi nunquam sciantur: Archimedes tamen in libro huic rationi dicato demonstrat numerum arenæ maris.

CONTRAD. XLIV.

Homo an calidus & humidus, an temperatus.

HOminem esse calidæ & humidæ temperaturæ dixit Auerroës volens quòd omne sanguineum sit calidæ & humidæ temperaturæ; ideò videtur homo multum excedere ad calidum & humidum, & etiam dixerat ante infra quod omnia terræ nascentia & animalia sunt in quibus dominatur calor. Idem dicebat in libro de longitudine & breuitate vitæ Auerroës. Galenus in libello de formatione fœtus dicebat quod nullum exangue plane est calidum, exangue dico eo quòd Galenus distinguebat in tria; in habentia sanguinem arterialem, & talia dicit pulsant & sunt valde calida: secundo in habentia sanguinem iecoralem, & ille solum tepidus est & comparabat illum Galenus calori æstatis. Ex quo patet quòd calor arterialis est longe maior, & illud declarabat Galenus in libro de inæquali intemperie, quòd calor cordis est tantus vt vix homo possit continere digitum in corde animalis viuentis. Tertium genus est carentium vtroque genere, & hoc dicit esse frigidum, & ratio stat pro Galeno secundo de temperamentis vbi declarabat quòd sensus tactus est iudex primarum qualitatum: diceret enim Galenus limax est frigida tactu, dico tetigi in æstate media & vidi quod obstupefacit digitum si diù contineat: dico vidi salamandram vel erat simile salamandræ diù iacuisse super ignem & prunas ardentes illas extinxisse, ergo salamandra erit frigida. Hîc sunt duæ contradictiones, prima an exanguia sint calida an frigida; secunda quod si omne animal sit calidum & humidũ homo non potest esse temperatus. Ad hoc solent dari tres responsiones, prima quod intelligenda est ex primo & secundo de temperamentis, quòd intelligitur in comparatione ad seipsum mortuum. Ita responsio non satisfacit quia vt vistis Auerroës & Galenus absolutè loquuntur, nam idem esset de exanguibus: omitto quod cantarides sunt calidiores mortuæ quam viuæ: de salamandra etiam videtur quod sit magis frigida viuens quam mortua. Secunda responsio habetur ex tertio de simplicibus medicamentis cum dixit quamuis salamandra animal sit, nutriatur, crescat, & moueatur, quæ omnia à calido fieri solent; nihilominus nemo tamen salamandram calidam dixerit esse quia in comparatione ad hominẽ sunt frigida; subiicit meritò cuius omnia vel calida vel frigida dici debent. Ita responsio satisfacit illi loco, sed nihil valet quia nos quærimus absolutè an omne animal etiam. Ideò respondeo quòd ratione contentorum omne animal est calidum & humidum, non tamen totũ per se, & ideò homo cum habeat calidiora & humidiora solida. Et si dicas ad tactum apparent calida; Dico quòd non nisi iuxta cor, ideò dicebat secundo de temperamentis quod muscæ, & formicæ sunt frigidæ, sed est dubitatio quia primo de temperamentis dicit quòd animalia sunt calidiora stirpibus; sed stirpes aliquæ valdè calidæ vt cinamomum. Respondeo quod intelligit in actu. Resoluendo igitur, Auerroes loquitur de contentis; Galenus in libro de formatione fœtus de omnibus. Ad aliam dico quòd exanguia & stirpes sunt calida non tamen actu, nam calor dominatur in mouendo. Hæc responsio habetur sexto de vsu partium cum dixit quòd pisces habentes multum sanguinem vt balena, & delphinus sunt calidi; reliqui pisces cum frigidi sunt: attamen dicit cor illorum refrigeratur, vt enim declarabat quartodecimo de vsu partium animal vt est calidius, eò perfectius & ideò masculus calidior fœminâ: & cum loquatur de leone videtur præferre calorem hominis leoni, dico ratione cõtentorum. Non abs re fuerit enarrare quod scribitur tertio de vsu partium, dicebat Galenus reddens rationem cur exanguia animalia multos pedes habeant quia imbecillia: homo igitur cum erectus stare deberet, bipes necessario fuit: ergo validissimus, ergo calidissimus. Animalia igitur dupliciter calida dici possunt; primo ratione elementorum & sic cantarides sunt calidiores homine: secundo modo ratione dominantis partis, & sic omne quod viuit est calidum quia mouetur, vel augetur, & vita est pabulum caloris in humido.

Nunc modo videndum quomodo homo sit temperatissimus de mente Galeni, & dico quòd ipse explicauit tertio de simplicibus medicamentis, & primo de elementis, & in libro de theriaca ad Pisonem, manentibus partibus inæqualiter mixtis, qualitates impressiuæ diffundantur, & ità fit vna temperies in animali. Ex quo patet quod in homine est temperamentum æquale ad pondus, non ratione elementorum quia prædominantur grauia, neque dominij quia leuia, sed qualitatum: nec Galenus dixit dari æquale in mixtione elementorum vllibi. Ex quo patet quod Galenus, Princeps, & Auerroës sunt concordes quia homo habet æqualitatem ponderis in qualitatibus in cute, & sic potuit esse iudex, & æqualitatem iustitialem habere

in elementis

in elementis, quæ tamen est proxima ponderali: exuperant tamen elementa grauia mole, leuia virtute; vt in exemplo tertio de simplicibus medicamentis capite 15. de scamonea & citonio; sequitur etiam quod calor in homine est copiosior quam in omni alia re quæ generationem admittat. Notandum tamen est quod aliter cutis est temperata, aliter homo totus; nam homo totus temperatus potestate, cutis autem actu.

Hæc volui dixisse vt conciliarem authores, sed verè in magnis nubibus Galenus versatus est. Ipse ergo putauit hominem esse temperatum in actu, & præcipuè volam manus secutus Aristotelem benedicentem quarto Problemata septimo & secundo de partibus animal, capite septimo, & libro de respiratione. Sed Aristoteles vult quòd homo sit calidissimus & sanguine abundans, non temperatus. Ideò dico quòd homo non potest esse temperatus actu primùm quia cutis manus est temperata actu, sed ipse intentiùs est, multo calidior & humidior vt experimentum docet; ergo non est temperatus, & ità conficitur suo telo. Deindè statuit illum medium inter animalia, sed vbi est animal calidius & humidius homine? ideò rursùs dictis suis conficitur. Præterea si sic esset corpus, ergo est frigidum & siccum, & ità non temperatum. Dum igitur statuit temperatum vno modo, alio modo frigidum & siccum: at iuxta nostram opinionem est temperatum vno modo, alio modo calidum & humidum; at quanto hoc est præstantius quam primum. Adde quod si pisces essent frigidi, & limaces, & formicæ, non vterentur operationibus vitæ: sunt ergo solum frigida hæc in actu vt comparantur ad hominem. Accedit quod si medius est homo actu inter animalia, & in tota substantia rerum, ergo extremum vnius erit extremum alterius; saltem extremum frigidum, vel ambo extrema sunt diuersa, & ità vel dabuntur mixta non animata calidiora animatis quod est absurdum: vel nullum mixtum inanimatum erit frigidius animato, quod falsum experimur manifestè in hydrargyrio, & ferro, & crystallo, sed maxime in hydrargyrio. Quod autem mouit Galenum ad hoc credendum est quòd limaces & pisces sunt frigidi tactu: & tactus est iudex calidi & frigidi, humidi & sicci secundo de anima, text. 116. tactus autem noster est temperatus. Respondeo quòd non valet dantur animalia frigida in cutè, ergo sunt frigida intus. Sicut enim cutis hominis est longè frigidior interioribus omnibus membris, dico etiam ossibus & his quæ frigida appellamus velut cerebro, ità illa animalia frigida sunt in cute intus temperata scilicet in principio vitæ. Et concesso quod possent esse frigidiora temperamento, nihil hoc facit ad demonstrandum hominem esse medium temperamento in actu inter omnia animalia. Sed concedam si vis quod homo sit medius temperamento quoad compositionem elementorum & potestate, quamuis hoc si negem non possis probare nec experimento, nec ratione verisimili, imo declinat ad frigidum & humidum: actu verò possum ostende quod est excellenter calidus & humidus propter abundantiam caloris cœlestis: Et hoc idem vt dixi sensit Aristoteles: Cœtera sunt nugæ aniles. Et si dicat quod medicamenta ad illum referuntur quæ dicuntur calida vel frigida, transeat. Quid ad rem? Primò enim est contra ipsum, nam medicamenta comparantur ad eius temperamentum in potentia, non actu vt est manifestissimum. Si ergo est temperatus homo ex mixtione elementorum, ergo calidus & humidus in actu, cum sit multo calidior & humidior actu, quam potestate. Neque etiam tenet argumentum sunt calida vel frigida in comparatione ad hominem, & ità dici debent, ergò sunt calida vel frigida verè. Sed sequitur, ergò sunt talia in comparatione ad hominem. Imo vitellus oui est temperatus ad hominem & est humidus manifestè in rerum ordine, vt nemo negare possit; ergo etiam potestate corpus humanum est humidum. Propterea viuus homo est humidus valde; & per vitam adiicitur calor cælestis non humida substantia; ergo homo potestate etiam humidus est, non temperatus. Quod si quis dicat leonem & canem esse calidiorem actu homine. Respondeo quòd homo est calidissimus & humidissimus simul, non seorsum. Et quòd leo est calidior homine quia caliditas sua non est adeò refracta vt hominis, non quod sit maior.

CONTRAD. XLV.

An Regiones Meridiem spectantes, an Orientem, salubriores.

E Regionibus quæ ad meridiem sunt in omnibusque anni diebus, ac per totos fermè dies solem habent, sunt maximè salubres, quæ decliues ad septentrionem sunt, vt pote quæ non omnibus annis diebus solis splendorem recipiant, perexigua diei parte illustrantur, & quandoque lux maximè inclinata, atque imbecillior eis incidit, ideóque minime sunt salubres: id quod est sanè perspicuum, nam si omnis quæ ad meridiem est sita regio, odoratior est quam quæ ad septentrionem est posita, magis etiam concocta est & matura. Quin omnium quoque arborum fructus qui maiorem solis partem nacti sunt, præstant iis qui minoris participes fuerunt: sunt præterea maiores, odoratioresque, & celerius maturescunt, & gratioris sunt gustus. Cu-

iusque etiam arboris pars quæ ad meridiem vergit, humidior, rarior magis tenera, flexibilior, leuior, efficacior, & fabro accomodatior est, & in latitudinem plus augetur, quæ verò versa ad septentrionem est siccior, densior, grauior, difficilior, ad flectendum, & fabris incommodior, minus in ambitu augetur: Quibus quidem fit, vt non solum planum sit quæ ad meridiem sunt versæ decliues regiones, causa eius relaxationis quam habent ad solem, esse ijs quæ ad septentrionem vergunt salubriores; sed hoc etiam, eas quæ decliues ad orientem aut occidentē solem versæ sunt minus salubres esse iis quæ decliues meridiem spectant: esseque salubriores, quam quæ in septentrionem vergunt, causa est quoniam magis participes solis sunt quam hæ: sed minus quam superiores, quæ meridiem spectant.] Oribasius nono Collectorum cap. 19. sugillans Hippocratem in quo sensu videtur Virgilius tertio Georgicorum fuisse secundum Seruij expositoris sententiam dum dixit:

Et stabula à ventis hyberno opponere soli
Ad medium conuersa diem, cum frigidus olim
Iam cadit, extremoquæ irrorat Aquarius anno.

Seruius inquam exponit ad meridiem oportere esse conuersa. In oppositum Hippocrates libro de aëre, aquis, & locis. [Quæcunque quidem ciuitas ad ventos sita est calidos, (puto autem eos qui inter brumalem solis exortum itidemque occasum perflant) huic hi venti sunt peculiares, à septentrionalibus autem ventis tuta ac protecta ea ciuitas existit. Aquæ verò eius multæ & subsalsæ sunt, & necessario non sublimes, æstate quidem calidæ, hyeme frigidæ. Et quæ quidem vrbes bene sitæ sunt, ad solem, & ad ventos, & aquis bonis vtuntur, hæ minus à talibus mutationibus afficiuntur.] Et rursùs de Asia loquens. [Siquidem in medio solis exortu sita est ad auroram, à frigiditate ac caliditate omni remotior. Incrementum autem & benignitatem indè proficisci omnibus in confesso est, quum nihil sit præcellens & cogens violenter, sed per omnia æqualitas vigeat quamquam nón habeant vbique per omnem Asiam omnia secundum eundem modum. Quæcumque enim in ea regio in medio sita est calidique & frigidi ea omnium fertilissima existit, & arboribus refertissima, & maximè serena, aquisque vtitur & cœlestibus, & ex terra promanantibus. Neque enim à calore combusta est valdè, neque à squalore & aquarum inopia exsiccatur, neque à frigore oblæditur. Verum austris perflatur & irrigua est, tum propter imbres multos, tum propter niues. Fructus autem suo tempore maturos multos, in ea nasci par est, siue ex sparsis seminibus hi proueniant, siue terra ipsa per se spontè producat eorum plantas quarum fructibus vtuntur homines, eas ex agrestibus cicures & domesticas facientes, & pro commoditate sua transplantantes. Pecora etiam ipsa pleniora proueniunt, quæ & pariunt sæpius & pulcherrimè educantur. Quin & homines habitiores esse, ac specie pulcherrimos, & magnitudinis eximiæ differentes, quantum ad formam ac corporum proceritatem attinet, constat. Certumque est hanc regionem proximè accedere ad naturam ac temperaturam optimæ constitutionis: Verùm virilitatem laboris, tolerantiam, & audaciam non verisimile est huic naturæ innasci, sicut neque diuersi generis constantes, ac perpetui sunt amatores, vincit enim in ipsis voluptas, quæ ratio est multiformes generari partus præcipuè in feris. Atque sic quidem de Ægyptiis ac Libycis mihi habere videtur:] Vitruuius videtur diuersis modis locutus in sexto libro capite septimo, primum cum de bibliothecis ageret. [Cubicula & bibliothecæ ad orientem spectare debent: in bibliothecis enim libri non putrescunt, nam in his quæ ad meridiem & occidentem spectant, à tineis & humore vitiantur, quod venti huiusmodi aduenientes eas procreant, & alunt: infundentesque humidos spiritus pallore volumina corrumpunt.] Idem aliter de stabulis decernit dicens: [Equilia, quam maximè in villa vbi loca calidissima fuerint constituantur; dum ne ad focum spectent. Item, non sunt inutilia præsepia, quæ collocantur extra culinam in aperto contra orientem. Cum enim in hyeme anni sereno cœlo, in ea traducuntur matutino boues ad solem pabulum capientes fiunt nitidiores.] Princeps autem secunda primi sequutus est Hippocratem ad vnguem, in hoc quod præposuit regionem orientalem omnibus, & post septentrionalem, post tamen collocauit occidentalem, vltimam & pessimam statuit meridianam. Et hoc maximè quia ipse habitauit in regione. Calida & sicca, scilicet in Bucharam Persidis prouinciæ triginta duobus circiter partibus ab æquinoctij circulo distantibus: atque ideò sequutus est Hippocratem laudantem orientem, & præponentem Boream Austro. diceret Hippocrates Oribasio quòd illa quæ affert non sunt argumenta quæ probent, cum sint de lignis, & herbis ac plantis, quæ cum non habeant auxilia quibus se tuantur à frigore, ideò melius proueniunt sub aperto sole quam in aliis partibus. Diceret Virgilium non voluisse stabula exposita meridiei, maleque à Seruio interpretari, sed hyberno orienti vt cum maximè frigori obnoxij essent, aqui & iumenta recrearentur sole ab oriente ad occidentem hyberno: vel si de omni tempore intelligat, velle solum oriens hybernum, atque ità etiam interpretandum esse Vitruuium; diceret Oribasius nec Hippocratis rationem ostendere, neque Vitruuij cum loquantur de rebus inanimatis; Pro se esse rationem quòd in India vbi calor superabundat, diutissimè viuunt: Igitur exemplum illud non facere contra ipsum, postquam in animalibus

mantibus contrarium experimur. Præterea regionem Asiæ non solum orientalem, sed meridionalem, & illa commoda sequi quia sit meridiei non orienti exposita. Vt Persia & sibi propinquæ regiones velut Arabia fœlix. Oriens esse rem cogitatione inuentam, cum quælibet regio orientalis dici possit, & occidentalis ad diuersas comparata. Sed esse meridionalem aut borealem, hoc est ex natura situs in mundo, cum vna sit calida, alia frigida. Ad hæc Hippocrates responderet quod Garamantes, & Numidæ sunt breuis vitæ quamuis sint meridiei expositi, & quod illi tamdiù viuunt in India propter temperamentum & bonitatem aëris, & bonitatem ciborum & quia abstinent à carnibus, ouis, caseo, & vino; non propter caliditatem aëris. Ad hæc Oribasius diceret in nullis regionibus non valdè calidis inueniri hanc longam adeò hominum vitam: cum etiam cameli, & magis elephantes diutissimè viuant, & non viuant nisi in regionibus calidissimis. Adeò vt summa illa caliditas sit necessaria, non tamen per sola sufficit. Sed omnes alias causas hoc non posse si hæc desit. Ostendere etiam id rationem: quia à calido illo calor noster conseruatur, est humidum innatum, neque excrementa congelantur, imò resoluuntur, vt non possint suffocare calorem naturalem, & ideò ob illas quatuor causas homines peruenire ad tam longam ætatem in illis regionibus. Maleque fecisse Hippocratem in hoc quòd omisso principali quod est vitæ diuturnitas, laudauerit regiones ob alias causas: vtpote quòd homines essent incolumiores, formosiores, magis proceri, robustiores, fortiores, aut magis industrij: Sed fuisse præponendam omnibus conditionibus vitæ diuturnitatem, quam non inuenisset adeò magnam & frequentem in aliis regionibus ab his in quibus solis vis est efficasissima. Ipse etiam est author viuæ omnium viuentium, propterea censendum est vt etiam sit author maximæ vitæ: præcipuè cum videamus plantas & reliqua animalia quæ longissima vita fruuntur non nisi in calidissimis regionibus nasci. Esseque iamdiù & semper fuisse id vulgatissimum in India homines diutissimè viuere, & saluberrimum etiam esse aërem. Quod obiicitur homines posse arte reparare naturæ defectum & caloris indigentiam dico falsum esse, nam quinque modis frigori resistimus: primum per caldaria quæ stufas solemus appellare, id modus morbos multos parit & vitam breuiat, facit enim fluxiones, corrumpit humidum innatum, & ipsum consumit; igneus enim ille calor conclusus fœtidus vitæ naturæ est maximè inimicus, ideò cum hic modus sit communis toti septentrioni & maximè Germanis, ideò vix Germani septuagesimum annum attingunt. Sed neque ignis liber qui in vsu est Italis vtilis est; nam magnus exurit, exiguus non calefacit, & si anteriora moderatè calescant, latera & dorsum frigent, & generaliter calor igneus vrit, & ideò vitam minuit: Tertius modus est ex exercitatione; hic in valde senibus est perniciosus; nam dilatat arterias præter modum, & ideò dissoluit robur cordis, inducit fluxiones, consumit humidum innatum, facit lassitudines, excitat appetentiam immodicam cibi: quam si satiaueris malè est: si non satiaueris vires absumuntur. Quartus modus est vt pannis integaris. Istud non facit vt humidum maximè in cerebro non congeletur: & non euadant apopletici aut resoluti: quamquam tegere caput seni non sit incommodum. Præterea vt dixi & humidum cordis, & excrementa congelantur: & saltem non minuuntur, & propterea benedixit Hippocrates tertia Aphorismor. 18. [Æstate senes optimè degunt.] Vltimus modus est, vt quis in cubiculo ligneo ex latice, scilicet (nã cupressus nimium exsiccat) vitam agat, sine igne sit cubiculum magnum, & senex deambulet in eo, nihilominus aer ille erit suffocatus; nec deambulatio sufficit, pauca non calefacit, interiora multa exhaurit vires: atque ità nullus est modus, meliorem tum existimo grandem casam larice totam vestitam, ex lignis cedrinis atque iuniperi, ac similibus qualia sunt cerasi qui quæ remittunt lachrymam, cum fenestris amplis à meridie oriente & septentrione, ità vt solem admittant, & donec clarus fuerit sinere vt excipiant, singulo etiam die aperire per horam fenestras oppositas à septentrione, & meridie, & fœnum bene siccum spargere in pauimento, singuloque die mutare & vt sit odoratum: præterea flores ibi habere & herbas odoratas, ozimum, sampsuchum seu amarachum, rosas, violas, styracem belzoi seu assam dulcem, gummi eleni, thus, crocum orientalem, ladanum, moschum, & muscum, ambram, zibetum & quæ ex india afferuntur; lachrymæ suaue olentes & refrigerantes, aut saltem caput non lædentes: similiter olea & aquæ odore imbutæ & fragrantes; mihi autem moschus, & crocus orientalis, & oleum de lilio benè fragrãs sufficere videntur, nec quicquam melius certa ratione ductus excogitari posse puto. Pro Conciliatione autem dico quòd cubicula non debent esse opposita septentrioni, neque occidenti à meridie vsque: nam colligunt quæ opposita sunt septentrioni aërem crassum, & adeò humidum vt madeant parietes & qui dormiunt in illis influxiones insanabiles deueniunt: quæ verò ad occidentem etiam respiciunt calida sunt immodicè & impura, nam occidente sole vapores eleuantur & aer obtenebratur. Optima ergo cubicula debent esse in loco valdè eleuato vt sint re motissima à terra & à vaporibus, & ideò pura; quod etiam intelligo de conclaui illo hyberno dicto: & debent cubicula illa exposita esse orienti toti vsque ad meridiem, id est tam hyberno quam æstiuo. Regio verò debet esse meridionalis sub hoc sensu quod sit sub torrida zona aut valde ei propinqua. Et hoc est quod voluit Oribasius. Sed tamen quoad situm debet esse exposita orienti soli, &

& hoc vt sit temperata & cum puro aëre, & iuxta mare & aquas dulces, bonas & claras; sic enim erit calida, suauis, æqualis, & ideò temperata in calido propter ventos, & constantiam temporis: & humida secundum substantiã propter vtrasque aquas, & temperata in humido & sicco propter siccitatem aquæ maris; fructus quoque & omnia sata & olera benè concocta erunt, & suauia, & odorata: & carnes similiter animalium, & volucrum, & piscium; optimè ideò Hippocrates hanc æqualitatem & constantiam aëris prætulit, vnde sunt concordes. Nam regio dicitur borealis, vel australis loco, & situ.

CONTRAD. XLVI.

Cor siccum an poßit contra operari iecori, & cerebro humido.

Cor est siccum, sed eius siccitas non eo peruenit vt humidum cerebri & iecoris temperet, prima primi. Oppositum Galenus in arte medica. [Iecur humidum totius corporis temperamentum efficit humidius, nisi cor contra operetur.] Forsan dicitur quod cordis siccitas contra operatur iecori humido, non tamen iecori & cerebro vt à Principe proponitur. Hæc responsio non satisfacit, quia Galenus paulò post vult, quòd totius corporis temperamentum constituatur ex temperamento cordis & iecoris, igitur cerebrum non obstabit quin cor non possit efficere corpus siccius temperato etiam quòd iecur sit humidum. Aliter dicitur quòd diuersimodè loquuntur Princeps & Galenus: nam Princeps vult quòd semper corpus humanum declinet ad calidum & humidum, Galenus ad quamuis intemperiem vult vt possit declinare. Ità ergo Princeps comparat hanc temperiem ad rerum communem naturam, Galenus verò ad corpus humanum temperatum. Reponsio hæc vera est, sed non satisfacit quæsito: quoniam non reddit rationem cur in temperamento humano cor possit contra operari, in genere rerum non possit. Huc referenda sunt quæ diximus supra de totius temperamento Ratio tamen cur cor non contra operetur in temperamento vniuersali, & contra operetur in temperamento proprio vnius hominis: est quia secundum Principem longè latius est temperamentum humanum & distantantia eius ab æquali temperamento, quam distantia hominis alicuius à temperamenti humani medio. Sed veritas est quòd præter id cor est natura humidum, reddit tamen temperamentum totius minus humidum sicut aqua calida remittit feruentem.

CONTRAD. XLVII.

An sit vitium in robore facultatis.

Magni excessus & defectus, terminant, verba sunt Principis in fine quinti modi, erat doctrina Galeni in libro de morborum differentiis, cap. 2. [Si sanitas est moderatio, ægritudo est immoderantia non potest referri ad symptomata.] libro de differentiis symptomatum, licet latinè obscurè versum quia actio non potest lædi propter robur de mente Galeni, quia daretur triplex symptoma auctum, diminutum, corruptum. Princeps secunda primi, [Retentio fit propter debilitatem expulsiuæ, aut robur retentiuæ.] Et infra & euacuatio eius quod retineri debet fit vel ob robur expultricis, & pro exemplo habentur verba principis decima tertia tertij, tract. 3. cap. 3. ibi & hic quidem descensus ante horam quandoque fit, sed videtur Galenus libro de symptomatum differentiis cap. 4. & primo de causis symptomatum ponere vitiosam actionem ob robur, & dat exemplum de nimia appetentia: item & secundo Aphorismorum, com. 20. [Quidam habent siccam aluum ob robur retentricis.] Dico quod princeps & Galenus sunt concordes, virtus non potest vitiari nisi quia diminuta vel corrupta; auctio enim non est vitium virtutis per se; sed solum vt aliam corrumpit operationem oppositam. Verè tamen si quis benè & rectè consideret, facultas aucta nunquam esse potest vltra debitum ideo quæstio nulla est; sed bene functio vel ob casum: vt expultrix ob nimium sensum, & retentrix ob hebetiorem, & membri duritiem.

CONTRAD. XLVIII.

Cutis an careat omnibus facultatibus.

De cute est vna dubitatio quia Galenus in libro de morborum causis dum vult docere cur natura superflua ad cutim mittat, dicit quòd est vilissimum membrum nullum habens opus, enumeratque singula naturæ opera, sed solus vsus & velandi causâ; cur igitur fuit temperamenta? Respondeo quòd ibi intelligit per opus actiones, aliter qui non sic intelligunt non possunt tueri Galenum; ideò hoc conuenit cum superioribus quod dixi Galenum omnem operationem & omnem sensum præter tactum existimare actionem, non passionem: fuit tamen temperatura passionis huius causa maximè necessaria. Sed cum causis pars habeat quatuor illas virtutes, vt ibidem testatur Galenus, quomodo cutis nullam habet. Respond. ex Galeno

ex Galeno quod est imbecillissima dicit: sed contra quia dicit quòd non concoquit alimentum intellige aliis iecur & ventriculus non sibi, quia enumerat ibi functiones nobiles & communes, non proprias.

CONTRAD. XLIX.

Spiritus vitalis an ex aere nutriatur.

HIppocrates libro de flatibus inquit. [Tria sunt ex quibus nutrimur cibus, potus, & spiritus idest aer.] Galenus quoque libro de vsu respirationis idem vult, licet aliqua sit difficultas in recitando Erasistrati opinionem. Eandem sententiam sequitur septimo de vsu partium, & duodecimo artis curandi. Princeps quinta tertij dicit quòd aer solum trahitur ad temperandum calorem cerebri: sicut ad cor quod pulsu etiam refrigeratur. Quam sententiam confirmat Auerroës secundo Collectaneorum, additque rationem nihil nutritur ex simplici; igitur nec spiritus ex aëre. Princeps decima tertij videtur sed paulò obscurioribus verbis respondere huic rationi: eius verba sunt.] Hæc & vtilitas aeris præparati est vt perflando temperet cordis caliditatem, restauretque substantia sua spiritum; cum temperies eius maiore ex parte aërea sit, non quod solus aer sicut quidam existimant in spiritum ipsum conuertatur, sicut nec aqua sola in membrum conuertitur. Verùm vnumquodque eorum aut est pars nutrimenti, aut causa vt ipsum nutrimentum distribuatur.] vult ergo princeps quòd aer commixtus sanguini sit nutrimentum spiritus sicut aqua non autem per se solus. Sed contra Galenus octauo de vsu partium vult quod spiritus in ventriculis cerebri ex aere nutriantur, & non ex sanguine, cum ibi non sit; & nec ex vapore cum solus aer transeat, nec odor sentiatur: & si aer non transeat non potest diù animal superuiuere, principis ergo opinio est media inter Galenum & Auerroëm. Aliud fundamentum pro Auerroë, si deberet nutrire oporteret vt etiam concoqueretur, & transiret per ventriculum, & iecur. Galenus præterea adducit illud ex libro de alimento. [Principium alimenti spiritus, nares, os, guttur, pulmo, & reliqua respiratio.] igitur aer nutrit. At Philosophus in libro de inspiratione expiratione ostendit calorem non nutriri aere, sed cibo & potu; absurdum est enim dicit calidum ex frigido nutriri. Addit quod multa animalia non respirant vt vermes in quibus nihil trahitur, nec aer, nec aliquid loco aeris: oporteret autem aliquid aeri saltem simile trahi ad nutriendum calorem; respondeo quòd Galenus adducit argumentum de vesica ad hoc vt ostenderet quòd aer qui recipitur in pulmone parũ distribuitur in arterias, nam si magna ex parte distribueretur, non potuisset puer ille tandiù sufficere vt non fuisse suffocatus, deficiente aere. Ideò dicit spiritus animalis vel nutritur ex aere delato per arterias, vel per nares: non per arterias quia vinctis carotidibus quæ sunt in collo animal diù viuit sine noxa; igitur hoc contingit quia cerebrum respirat aerem per nares. Respondeo ergo quod spiritus nutritur ex aere quatenus ex eo constat, non quatenus est corpus mixtum perfectum, sed vt viuens ex eisdem generamur & nutrimur.

OCNTRAD. L.

An frigiditas sit operationis principium.

FRigiditas an sit operationum principium dubitatum est, quoniam tertio de symtopmatum causis inquit Galenus. [Frigiditas nulli functioni est accommodata.] Vndè subiicit. [Concoctio fit à calore, humidum ad nutriendum facit, siccum ad robur membrorum.] Et primo prognosticorum. [A calore concoctio fit.] Et libro de tremore & conuulsione. [calor ex naturæ intento operatur, frigus autem solum retrahit illum & ad moderationem deducit.] Et Princeps. [Frigiditas omnibus naturæ operationibus per se contraria est, nec iuuat nisi per accidens.] Et idem in suo primo de anima. [frigiditas non habet ordinem in causa operationum.] Oppositum Philosophus quarto metheororum. [Generant caliditas & frigiditas, cum autem non superauerint passiuas qualitates fit incoctio.] Et infra, [quæ fiunt à calore, dissoluuntur à frigore; & quæ à frigore, dissoluuntur à calore.] Et secundo de generatione animalium dans rationem differentiæ actionis qualitatum primarum. [A primo generante, inquit, dura, mollia, lenta, rigida à calido & frigido fiunt, caro & os à generante.] Et post etiam ait.] Vtitur natura calido & frigido ad hoc vt alterum illud faciat.] videtur autem vna ratio quæ ostendat frigidum nihil agere; Quoniam omnis operatio fit cum motu quodam; frigidum immobile reddit, vt in problematibus habetur; igitur frigidum nullius actionis causa est. Auerroes hanc difficultatem quarto metheororum in commento magno dissoluebat ex Galeno, dicens. [frigiditas nihil per se generat, sed facit ad generationem tribus modis. Primum temperando calorem & hoc sumpsit à Galeno in libro de tremore vt dixi. Secundo confirmando eum; & hoc etiam sumpsit à Galeno primo Aphorismorum. Tertio coagulando vt carnem, ossa, gemmas, metalla; & hanc sumpsit à Galeno secundo de temperamentis.]

CONTRAD. LI.

Aër an aqua magis ad temperiei mutationem faciat.

GAlenus nono de simplicibus medicamentis recitat quod quidam eundo in Lybiam sunt à phtisi persanati: hoc non potest fieri ab aquis, igitur mutatio temperiei maior est, & validior ab aquis. Albericus Vesputius in vltima sua nauigatione narrat de quibusdam habitantibus vltra æquinoctij circulum partibus quinquaginta ad Antartici circulum qui viuunt annis centum quinquaginta. Et Iosephus Carangonensis narrat de sua patria quæ à Camane in sinu Barigazeno indiæ posita est millibus passuum nonaginta distat, homines esse centum annorum qui totum ordinem dentium integrum habeant. Alius de quo aliàs feci mentionem qui trecentorum esset, & ensemdentibus eleuarit; sed hoc incredibile; hæc autem ex aquarum diuersitate fieri non possunt. Galenus quoque in tertio de symptomatum causis narrat de persea arbore quæ in perside venenosa est, ad Ægyptum translata minimè. Tamen videtur hoc potius in alimentum transferre, quandoquidem dicat quòd duobus stadiis translata naturam mutat. Illud idem videtur sensisse Aristoteles primo problematum, & octauo de historia animalium vbi dicit quod pisces languent, non tamen peste moriuntur ob aquarum corruptionem. Quæ videntur ab Hippocrate longo processu tertio Aphorismorum confirmari vbi docet quanta ex aëris mutatione eueniant. Galenus quoque libro artis medicæ videtur aërem omnibus aliis causis simul sumptis, & in contrarium affectum tendentibus æquare. Oppositum Philosophus primo problematum vult quòd maior fiat mutatio ab aquis; non quia aqua sit potentior, sed quoniam aër cum sit continuus paruam suscipit varietatem: aqua autem cum seorsum maneat, & non ità aliis partibus coniuncta sit, & quia est alimentum plus potest. Dantur etiam aquæ, quæ mutant colorem pilorum, non ita aër; videtur etiam Galenus prætermisisse in conseruatione sanitatis, & cura intemperiei mutationem aëris. Est etiam vna ratio satis euidens: si quis vtatur cibis calidis in hyeme dum febris sicut est aër æstatis calidus mouetur, igitur cibi, potusque plus aëre possunt.

Respondeo quòd in morbis & affectibus membrorum spiritui inseruientium plus potest aër, sed quod ad ventriculum & iecur aqua, & similiter renes & vesicam, vt colligitur libro de aëre & aquis: similiter quod ad restaurandum corpus, & vitæ longitudinem plus facit aer: sed quoad mortem inferendā plus facit aqua vt de stygia, verùm id cōtingit quia aer vbi fit pessimus statim necat, vt de speciebus de quibus in libris de subtilitate diximus: aer enim plus potest pluribus causis, primum quod non potest emendari facilè vt aqua coctione maximè: Deinde quia cum sit subtilis magis penetrat ad intima cordis & cerebri: tertiò quia maior ex eo longè quantitas & assiduè hauritur die nocte dum vigilamus, & dormimus. Præterea quoniam intus quasi vt alimentum & extra vt res circumdans ambiensque nos. Accedit quòd maximas recipit mutationes quas describit Princeps secunda primi, ventorum, & ortus & occasus syderum, & temporum, anni atque terrarum situs ac varietatis, exhalationumque ratione. Sed si comparemus aërem liberum ad aquas loco aliquo collectas, illæ plus poterunt agere. Quòd verò dicitur Gal. non docuisse de aeris mutatione. Respondeo quòd Galenus docet primo de tuenda sanitate eligere aërem in eadem prouincia, & dicit quod debet esse cōtrarius in qualitatibus temperaturæ hominis. De aëre autem regionis non erat necessarium, cum anteà docuisset se scribere hæc Græcis qui in temperatis regionibus, aut saltem temperamento proximis habitant. Ad argumentum de febre respondeo quòd similitudo non est vna cum aer sit calidus actu, cibus & potus potentia, Et cibus ac potus manent propter nutrimentum, ideo magis temperiem elementorum mutant.

CONTRAD. LII.

Insania an sine vitioso humore fieri possit.

[DIximus in prognosticis quòd caliditas adiuncta aliis, supple causis, ad excitandam insaniam aliquid facere potest, caput scilicet exhalationibus replens: ipsa verò per se sola nequaquam idoneum insaniæ & præsertim phreniticæ signum est. Præterea & in febrium impetu summo quoniam caput repletum est multi delirant.] Dicit Galenus tertio in sextum de morbis vulgaribus. Idem tamen ille sexto Aphorimorum inquit. [Fiunt omnes desipientiæ patiente cerebro siue per seipsum, siue per compatiendi rationem; differunt autem per causas ipsas efficientes. Quæcumque enim ex sola fiunt caliditate absque humore vitioso, similiter quodammodo sunt eis quæ ex ebrietate fiunt: quęcunque verò ex flaua bile cum studio perficiuntur.] Rursus primo prorrhitica dicit fieri desipientiam ex sola caliditate, ex carbonibus supple accensis, ex potu vini. Responsio est satis clara ex sola caliditate absque vaporibus non fit insania. Hoc tamen neque expresè affirmat, licet innuat in prima autoritate: sed vt intelligimus ex sola caliditate absque humorum vitio tunc proculdubio fit, quia illa potest eleuare vapores vt ex vino, vel humoribus ipsis.

CONTRAD. LIII.

Viticis semen an calidum? an caput tentet?

Viticis tum folia, tum fructus gustantibus acre & sub astringens apparet. Edendo fructus est verum, tamen perspicuo calefacit & capiti dolorem affert. At si frigagatur (nam & sic editur cum tragematis) minus caput tentat; paulòpost subiicit. Itaque vitex est in tertio excessu calefacientium & exsiccantium admodumque tenuium partium, flatus ventris discutit, & multò magis fluxus. Hæc inquam in sexto de simplicibus medicamentis post initium libri; at in primo de alimentis diuersa sentit: inquit enim ibi Galenus. [Viticis semen frixum præbet, corpori alimentum, siccans ac refrigerans.] (Sed Aetius vt etiam ille adnotauit in margine legit calefaciens) flatus dissipat non ferit quemadmodum cannabis. Paulus quoque videtur legere vt Aetius cum ille referre videatur verba ex primo de alimentis. Sed quia non solum adest contradictio in hoc de calore, sed etiam an caput tentet; ideò longius rem prosequi oportet. Princeps videns hoc dixit calidum in primo, siccum in secundo; medium sumens inter calidum in tertio, & frigidum in primo, dixitque siccum in secundo vt etiam pro ratione caliditatis aliquid detraheret siccitati. Porrò cum Galenus de vitice sæpius agat vt in secundo de alimentis dum de germinibus tractat, & in libro de attenuante victus ratione vbi nihil plus habet quam quod ventriculo conferat. In secundo de medicamentis secundum loetiam dicit frigida esse folia quæ superius ex eodem esse calida, tanta est huius hominis quem pro Deo quidam colunt inconstantia. Sed agedum videamus an aliqua via eum à contradictione triplici liberare possimus. Prima est an calidum sit semen, an frigidum? Secunda an tentet caput? Tertia an folia sint calida. De semine dico esse errore in codice ob autoritatem Pauli & Aetij; de foliis considerat in secundo de compositione secundum locos simpliciter illa & sic sunt moderatè frigida ex applicatione totius substatiæ. In sexto de simplicibus medicamentis considerat illa in ordine ad florem & semen, ideò cum sint omnia acria sunt etiam calida: scilicet in prima operatione. Eadem dicas rosa emplastri loco posita refrigerat, plus enim habet terrenæ substantiæ & aqueæ quam igneæ: nihilominus cum sit amara dicetur calida ex manifesta qualitate & prima operatione. Ità etiam causa in octauo libro reponit inter medicamenta calida ea ratione, quamquam quòd in toto sermone de simplicibus medicamentis sæpiùs de illa fecerit mentionē, illius totam substantiam diligentius considerauit, quod in viticis foliis, quoniam illorum non erat vsus in medicina nec cibis, sed seminis tantum; eam curiositatem neglixerit; similiter si quis velit contendere nutrimentum viticis esse frigidum etiam si ipsum pro medicina sit calidum, defendi potest, quoniam nutrit parte terrea, & exhalat pars tenuis calida. Ideò multum differunt quod dicas vitex frigidum est inter alimenta: vel quòd dicas viticis alimentum est calidum. Dum enim nutrit calefacit: nutrimentum tamen exhibitum est frigidum. At id de capite comparatiuè dictum est quoniam non vaporibus caput repletur cannabis: sed solum calefacit; hoc enim declarat ibi in sexto de simplicibus medicamentis.

CONTRAD. LIV.

Febris tertiana an in septem circuitibus finiatur.

Febrem tertianam exquisitam in septem circuitibus tanquam longissimo termino finem habere scripsit Hippocrates quarto Aphorismorum, & confirmauit Galenus primo ad Glauconem. At secundo de crisi. [Si verò vrina mingente ægro subrussa vel subflaua fuerit, & crassitudine mediocris; paulòpost nebulam albam aut suspensionem bonam fecerit, si ignores eam esse tertianam & exqusitam quæ vltra quartam accessionem non progreditur.] Inde subiicit. [Rufiore verò vrina existente, neque suspensione aliqua, neque nebula in primo circuitu apparente, ad septem circuitus extendetur. Inter omnes autem tertianas illa simplicissima est, quæ, cum omnia illa nuper à me dicta exquisitæ tertianæ signa commostrauerit, in vrinis etiam subsidentiam & leuem, & æqualem statim in primo fecerit die, neque enim hæc vltra tertium progredietur circuitum.] Respondeo quòd pura tertiana seu exquisita non excedit septimam accessionem: si tamen cum hoc, vt inquit Aetius, etiam apparuerint signa exactæ coctionis ab initio seu prima die non excedet tertium circuitum, sin autem non adeò exactæ, non excedet quartum; hæc autem priuilegia sunt non exquisitæ tertianæ, sed adiectæ coctionis.

CONTRAD. LV.

Phrenitici an perpetuo delirent.

Phrenitis differt à delirio quòd phrenitis perpetua est, delirium cum febris declinatione intermittit dicebat Alexander. Galenus autem primo prorrhitic. Videmus & phreniticos esse qui comatosi cum sint sapiunt: sed & delira loquuntur, atque expergefacti stupefactis similes esse videntur.] Idem docet solutionem huius difficultatis quinto de locis dicens. [Quo tempore ad phrenitidem accedunt, & oculi eorum euadunt squallidi & ex altero eorum lachryma acris effunditur: ac deindè lippitudo innatat, & venæ ipsorum sanguine plenæ videntur. Et sanguis stillat è naribus; quo tempore nihil quod ad prudentiam exactè pertineat exactè respondeant.] Aetius libro sexto distinguit de

de triplici genere dicens. [Cum memoria amittitur, tunc pessima est affectio.] Sed distinguit vires cerebri penes partes. Vnum sat est, confirmatam esse cum perpetuò delirio, eam quæ fit habere dilucida interualla.



CONTRADICENTIUM MEDICORUM, *LIBER SEXTUS.*

CONTRAD. I.

Ira an augeat calorem naturalem.



ALENUS secundo in primum de morbis vulgaribus inquit, [magnanimi sunt irati, & humilium rerum contemptores: contra iracundi pusillanimes, quòd generoso virilique animo non sint: Quare iracundi temperamento sunt frigidiore.] Ac quinto in sextum quasi idem sint hæc habet. [Nempè prædictorum cognitio vtilis est, vt ira euitetur nonnumquam, nonnunquam de industria excitetur: vitetur quidem, cum cor & caput naturali intemperie supra modum calidiora sunt aut aliquo aduento calido affectu laborant; excitetur autem in frigidis vitiis, & natura frigidiore corde & capite. Eodem modo & totius corporis temperatura, si calidior quam par sit, aut natura fuerit, magnoperè iracũdiã offendetur ille; autem contraria magnoperè hac iuuabitur.] Id enim & in secundo de morbis popularibus ab ipso fuisse traditum ostendimus, vbi dicebat, [Danda est opera, vt ira excitetur & coloris & succi recuperandi causa.] Idem in Tertio de difficultate spirandi: Iuxta hanc igitur rationem in secundo morborum popularium consuluit diligentiam adhibendam esse vt excandescentia inducatur, & coloris reparandi & sanguinis in vasa subter cuticulam colligendi causa, tãquam sanè ex candescentia calorem naturalem excitare queat. At verò quod densiorem omninò reddat respirationem ipsa animi excandescentia nemo ignorat. Assumemus igitur ipsam in perfrigeratis, & decoloratis, ac gracilibus, ex quibusdam interuallis & temporibus opportunis, non sanè ità continenter vt valdè facultatem offendamus, sed velut exercitatione innatum calorem corroborante, non immoderatas facere iubemus, sed tum oportunè, tum moderatè assumimus. Aliter in secundo de Tuenda sanitate si modo & iratis, & perturbatis, & pudore affectis naturalis etiam calor augetur: Quandoque iratis haud calor augeatur, sed veluti ferueat in corde. Verecundis autem augetur insitus calor, ex motu enim intro extraque dumque cogitur crescit. Ita planè quod ad motum attinet & spiritus eorum qui perturbantur. Et in secundo de symptomatum causis & ex affectibus animi. [Ira calefacit excrementa, & ob id ad motum ea excitat cum antea quiescerent, tum & attenuando, & in spiritũ digerendo.] Et in libro de renum affectibus curandis præcipit ad custodiam ne lapis generetur, & vt humores crudi concoquantur vt interdum irascantur. At in secundo de victu in acutis enumerans ea quæ vires debilitant, iram recenset. Princeps verò secunda primi inquit, [Et ira secundum omnem dispositionem modo superflua non sit, calefacit corpus.] Et ibi recenset ea quæ calefaciunt corpus naturali caliditate. Et in primo canticæ. [Ira animæ excitat calorem, & interdum facit alia detrimenta.] Quasi innuat quod & excitando illum calorem noceat. Hippocrates rursus sexto Epidemiorum inquit, [Excandescentia retrahit cor & pulmonem in seipsa: Et ad caput calidum & humidum.] Quod est, Ira retrahit sanguinem & calorem quæ sunt cordi & pulmoni propria ad cor, vt sit vnus sensus: Ira auget qualitatem caloris, non autem quãtitatem: & ideò conuenit perfrigeratis & humoribus crudis ac frigidis vt attenuentur, meritò tamen solius naturæ debilitat calorem, quia exsiccat, ideò consumit: calor enim in humido constat loquendo de naturali, debilitat igitur calorem & maximè in febrientibus & magis acutâ febre, ob id dixit in secundo de victu in in acutis quæ recensui. Dico quod etiam auget verè calorem naturalem si moderata sit ac libera propter motum duplicem & contractionem; Nam homines rubent dum irascuntur in facie maximè, & toti, ac calescunt. Eadem igitur causa quæ in verecundia, tum quod videam plures ex his diù viuere & esse robustos; Et huiusmodi iram Galenus perturbationem appellat.

CONTRA

CONTRAD. II.

Ossa an abscessum pati possint?

HIppocrates septimo Aphorismorum inquit, [Ex ossis corruptione, abscessus ossis.] Sed non habet ambiguitatem Græca lectio cum dicat ἐπὶ σφακέλῳ, ἀπόστασις ὀστέου, id est discessus sui separatio. Vnde demiror eos qui ad apostema traduxerunt. Est tamen authoritas secundo Epidemiorum: [Abscessus per venas, aut per ossa:] Sed non dicit in illis. Princeps septima tertij sed de dentibus solum dicit quod abscessum patiuntur, & adducit rationes duas; prima nutriuntur, ergo extenduntur, ergo abscessum pati possunt. Et quia aliquis posset dicere recipiunt vtile tantum; dicit fiunt virides & nigri, ergo recipiunt etiam excrementa. Sed clariùs prima tertij & loquitur generaliter de omnibus ossibus quamquam adducat Galenum qui idem de dentibus solum fatetur. Quinto de compositione medicamentorum secundum locos. Idem secunda primi bis. Et mirum est quod in quatuor locis rationem eandem repetat. Et hoc est quoniam non potuit emendare suum librum: Et in primo libro priore loco dicit quid simile apostemati, non apostema; in posteriore autem addit quod os putrescit, hoc enim clarius est, ideo etiam concipit abscessum seu vt ille Græco nomine vocat apostema. Et septimo Aphorismorum hunc locum videtur Hippocratis Galenus attigisse dum dixit: [Cum nouerimus Hippocratem opinari semper materiebus naturam traducendis viam inuenire quando valida fuerit, etiam si quando maximè fuerint crassæ; & per angusta foramina debeant permeare: quando & in ossibus fiant inquit abscessus:] Et sexto Methodi: [Nec sanè miror si phlegmone quippiam simile ipsis fractis ossibus accedat.] Idem videtur libro de tumoribus sentire. Idem Auenzoar in 2. sui Theisir: & hoc repetit. Sed Serapio oppositum sentit, & rationē hanc adducit: [Quæ abscessum pati debent, oportet vt extendit possint, nec sint durissima velut ossa.] Hæc primo Breuiarij. Dicendum est hic rationem Serapionis demonstrare, quandiù enim os suam naturam retinet abscessum ob duritiem pati non potest. Nec Hippocrates hoc censuit, sed abscessus nomine, vt etiam Galenus in primo Epidemiorum sæpiùs exponit, effluxiones intelligere oportet; per ossa autem illas fieri Hippocrates censet: quandoquidem totum nostrum corpus permeabile sit vt ita dicam, illo teste in libro de locis in homine, non tamen ossa abscessum, id est, apostema pati dixit. At si ossa mollia fiant vt ex morbo gallico, & corrumpantur, atque putrescant, cur abscessum pati non poterunt? Cum iam nomen & naturam ossis exuerint, vt de illo narrat Ingrassius, qui ex gallico morbo multos abscessus in ossibus capitis & costis contraxerat: alioquin sana ossa abscessum pati nequeunt prima affectione, sed necesse est prius illa corrumpi. Quod si secus contigerit, non artis est medicæ illa considerare quæ pro miraculo habita rarissimè contingat. Hoc verò præcipuo indicio sit ossa non concipere abscessum, quòd nullibi Hippocrates eius meminerit, cum adeò diligenter omnes illorum affectus descripserit, & in libro de articulis, & fracturis, & vulneribus capitis, vbi etiam suppuratorum mentionem facit tum alibi vt perspicuum sit ossa abscessum non posse pati nisi priùs corrumpantur; atque eo modo Principem, & Galenum, & Auenzoar debere intelligit planam est. Conciliator mouet hanc dubitationem & proponit alias duas responsiones: vnā est quod potest fieri abscessus largo vt dicunt modo intellectus, id est tumor quiuis cum totum os tumeat; sed tumor circumscriptus, id est in certa parte fieri non potest. Aliter dicit etiam quod per materiam influxam non potest fieri, quia Galenus libro de inæquali intemperie docet abscessum omnium fieri tumentibus venis quæ ad locum ipsum veniunt vsque ad capillares descendendo; sed ad ossa non veniunt tales venæ, ergo eo modo non potest fieri abscessus. Præterea diceret Serapio Principi si tumet dicis quòd fit simile abscessui in ossibus, ergo non fit vere abscessus, & hoc sufficit mihi. Præterea non omnis tumor præter naturam est abscessus, vt dicebat Galenus in libro de differentiis morborum, vbi declarat multos esse tumores præter naturam qui non sunt abscessus, vt de Nicomacho Smyrneo qui in tantam creuit magnitudinem toto corpore vt moueri non posset, & de carne quæ in vlceribus crescit, & cum mammæ ex lacte nimis distendantur, & membrum in Priapismo, & caro in angulis oculorum, & testiculi absque læsione dum tument, & strumæ. Et peculiariter ait se vidisse linguam eructam admodum tumore qui non cedebat, ideò non erat œdema, neque admodum durus erat, ideò non potuit dici Scirrhus, nec dolebat ideò neque phlegmon poterat appellari dicit Galenus: ideò concludit non fuisse abscessum. Ex quo patet quod argumentum Principis non probat abscessum fieri posse in ossibus, sed solum tumorem: quia nec erit œdema cum sit durus ille tumor, neque phlegmon cum dolore careat; nam ossa aut non sentiunt, aut homo non sentit dolorem in ossibus vt visum est, liquet ergo quod non possit esse nisi Scirrhus, sed Scirrhi materia crassa est & melancholica, ideo eam non possunt ossa recipere. Quòd verò in equis quædam additamenta fiant in ossibus, & tophi in ossibus hominum fractis haud dubium est: sed addicamenta nec viuunt, nec sunt pars ossium; tophi vero in concauitatibus iam fractorum ossium generantur, non in solida substantia sani ossis. Ideò luce clariùs est quòd error qui accidit Principi & Conciliatori illum sequenti est, quoniā crediderunt quòd omnis tumor præter naturam posset dici & deberet, abscessus; quod neque verum est, neque ad mentem Galeni. Reliquum ergo est solum vt dicamus de dentibus quos Galenus in priore autoritate dum de suo dolore dentium loqueretur fassus est abscessus laborasse. Et dico breuiter quod ea qua ab aliis ossibus seiunguntur, scilicet quia soli inter ossa sentiunt,

eadem

eadem ratione etiam ſoli abſceſſum patiuntur, & maximè quia totam ſubſtantiam habent per viam. Ideò eis poteſt cótingere abſceſſus diuiſa ſubſtantia per impulſum ſpiritus, vndè diuiduntur & dolent; eſt enim mẽs Hippocratis quod fluxiones à flatibus contingant: ideò dicit oſſa, nerui, fibræ, aquâ intercute non corripiuntur quia non ingreditur in cauitatem illorum aqua.

CONTRAD. III.

Abſceſſus & apoſtematis ſignificatum.

CORnelius Celſus libro quinto inquit. [Communem autem & iecinori, & lieni & abſceſſibus & ſtrumæ, & quæ ſequuntur.] Idem paulo poſt: Prodeſt minutis maioribuſque abſceſſibus: & clarius libro ſecundo. [Abſceſſus corporis quæ ἀποστήματα Græci nominant.] Marcellus autem habet. [Ad ſtrumas & apoſtemata, quaſi affines affectus.] Idem inferiùs. [Apoſtemata etiam, & omnia intrinſecus collecta.] Idem infra. [Apoſtemata vt remolliantur, vel vt mollia diſpergantur:] Plinius ſecundus de re medica. [Apoſtemata interiora (inquit) quæ vomicas vocamus.] Idem paulò infra. [Ad omnia apoſtemata vel tumores.] Hæc in titulo: intus autem. [Ad omnia apoſtemata maxime ad parothecas.] Galenus ſecundo ad Glauconem hæc habet. [Transeamus ad ἀποστημάτων tractationem. Sic enim vocant eas diſpoſitiones in quibus inuicem diſtant quæ priùs ſe contingebant corpora. Spatium igitur aliquod in medio fieri oportet in quo aliqua ſubſtantia ſpirituoſa aut humida comprehendetur. Transmutantur autem in abſceſſum (dico ἀπόστημα) inflammationes quædam atque ex inflammationibus eryſipelatis participantibus, & ex eryſipelantibus inflammationis parcipantibus non pauca. Sine his verò etaim abſceſſuum diſpoſitio conſiſtit ex multitudine quorundam hudrum aut ſpirituum vaporoſorum, ſiue in ipſis patientibus partibus in medio generentur: ſiue ex aliis confluant ea ratione qua fiunt illa quæ apoſtemata, decubitus vocantur: nominantur verò ſic huiuſmodi diſpoſitiones cum quæ priùs vnum membrum infeſtam humores, eo relicto ad alterum tranſeunt. Quocunque verò modo fiat abſceſſus, id ſpatium quod abſcedentes interiacet partes humida ſubſtantia quæ ipſum faciunt repletur. Quæ vbi aliquando perdurauerint multiformes habent mutationes. Nam & lapidibus & arenis, & teſtis, & lignis, atque carbonibus & limo, & ſorditiei balnei fæci, & amurcæ, & multis aliis talibus, ſimilia in abſceſſibus corpora contineri ſæpe numero inueniuntur.] Et quartodecimo artis curandi de iiſdem loquens, poſtquam talia in illis contineri docuit ſubiicit. [Frequentiſſima autem ſunt huius morbi genera tria, quorum ſingula propriam appellationem ſunt ſortita grecè Atheroma, Steatoma, & Meliceris. Hoc enim ſubſtantiam continet melli ſimilem, ſteatoma veluti ſeuum, Atheroma veluti pultem.] Et in tertio ſuper ſextum Epidemiorum. [Sæpius non ſolum quæ in aliquam partem corporis ſeponuntur, ſed etiam quæ expelluntur abſceſſum appellare inuenimus.] Sed ibi ἀποστάσιος nomine vtitur, non dicit ἀπόστημα: quamquam enim ab eodem deriuentur ab ἀφιστάναι enim quod eſt abſcedere deriuantur, velut & abſceſſus ab abſcedo & ob id interpretes abſceſſum tam pro ἀπόστημα quam pro ἀπόστασις conuerterunt; & ἀφιστάναι ab ἀφίστημι deducitur quod eſt abſcedo, non tamen ἀπόστημα; idem eſt quod ἀπόστασις: nec idem ex vſu ſignificatum obtinuit. In primo autem de ſymptomatum cauſis videtur abſceſſum diſtinguere à phlegmone & ſcirrhis cum dixit: [Siquidem phlegmone, & ſcirrhi, & abſceſſus, & alij id genus morbi.] In ſecundo quidem ſuper primum Epidemiorum dum dicit abſceſſus nomine intelligi non ſolum quæ fiunt decumbendo, ſed etiam effluendo: Et paulò poſt in eandem ſententiam vtitur nomine ἀποστάσιος ſeu ἀποστάσιος, non ἀποστήματος. Idem in libro de tremore & palpitatione: iam in inflamatione cum in abſceſſum mutatur. Inquit autem Græcè ἀλλα καὶ φλεγμονῆς εἰς ἀπόστημα τρεπομένης. Hæc oſtendum apoſtematis nomine ſeu abſceſſus, nec phlegmonas, nec œdemata, nec ſcirrhus ſignificari. In oppoſitum videtur Paulus dum inquit. [Abceſſus ἀπόστημα eſt carnium ſeu partium carnoſarum nempe muſculorum, venarum, & arteriarum corruptio, mutatioque. In eorum genere quidam tunica comprehenduntur, vt Athercomata, Steatomata, Melicerides: alij ſine tunica conſtituuntur quæ generis vocabulum vſurpant, vndè ſermo hic noſter procedit. Porrò abſceſſuum generationem, maiore ex parte inflammatio præcedit, de qua diſcepta tum eſt. Interim protinus ab initio quemadmodum dicebamus enaſcuntur. Comites abſceſſuum ſunt igneus loci feruor, tumor eminens, ruberque magis quam antea, duruſque cum dolore punctorio pulſu, & grauitate, vt aliquid ex particula ſuſpenſum eſſe videatur. Quod ſi etiam locus in ſignis exciterit febris accedit, & rigor inordinatus: noctu potiſſimum dolor & febricula fatigat. Eſt cum inguinis inflammatio, proximis in glandulis excitetur, vbi verò abſceſſus in totum fuerit abſolutus, magna parte decreſcit, punctus eueniunt pruriginoſi & leuiter ſtupidi, tumor in mucronem acutum magis fatigiatur.] Sed hæc verba ſi quis rectè interpretetur potius cum prioribus conſentiunt; quam aduerſentur. Nam illud: [Eſt cum inguinis inflammatio, proximis in glandulis excitetur: vbi verò abſceſſus in totum fuerit abſolutus.] Priùs loquitur de mole, poſt de qualitate quæ eſt ſuppuratio, ità vt inflammatio in abſceſſum conuertatur. Similiter nec ignoro autorem libri de oculis apoſtema intellexiſſe nomen commune phlegmoni, œdemati, ſcirrho. Galenus ſecundo artis curandi enumerat apoſtema ſeu abſceſſum inter reliquos tumores præter naturam, phlegmoné, ſcirrhum, œdema, & huiuſmodi; vt eo in ſenſu capiat pro ſuperato iam tumore. Imò quod maius eſt vbi rem ex profeſſo tractat in libro de tumoribus dicit, loquens

quens de tumoribus suppuratis:[Communiter vero omnes hi à pluribus Medicis abscessus vocantur,& maximè qui intus in profundo sunt.Nonnulli verò non omnes sic appellandos putant,sed eos solum qui non in consuetam mutationem, neque in bonum pus, sed in corruptionem aliam conuersi sunt.] Et in arte medica, dum tractat curam tumorum præter naturam communem,nullo communi nomine illos vocat,sed inquit.[Ostensum est siquidem in libro de differentiis morborum quod & inflammationibus duris, laxisque tumoribus, & siccitatibus aliquando immodicis: & reliqua.] Tandem curat vnam speciem pro exemplo omnium, quòd si genus aliquod habuisset apostema, vel abscessum;curare præstabat genus ipsum velut Arabes faciunt,vt mox dicemus.Aëtius quoque hæc habet:si inflammationes producantur & ad suppurationem conuertantur & infra suppuratorium abscessuum. Ibidem tamen de abscessibus tractans inquit: Philosophi ad omnes inflammationes discutiendas facit priuatim ad mammillas & glandulas inflammatas. Vult ergo tumores suppuratos & exconsequenti abscessus ipsos vocari posse inflammationes, quod etiam ex Galeno ostendemus. Ibidem inquit, aliud ad abscessus discutiens aut rumpens, Vt planum fit suppurata sic vocari ab omnibus Græcis, aut quæ decumbunt præsertim si vna in tunica priuatim contineantur. In oppositum sunt omnes Arabes vnanimi consensu, & primum Hasen secunda primi apostema aliud sanguineum, aliud cholericum & reliqua, & hoc millies, repetit: nec ab hac sententia vllibi vel vngue discedit. Et Rasis autoritate Galeni sæpiùs cum in libro de morborum differentiis vigesimo septimo continentium & passim etiam ipse, imò ab illo accepit Princeps. Et Haliabbas Octauo Theoricæ. Quos sequuntur Auerroës, Serapio reliquaque turba. Et pro illis est multiplex ratio: atque prima est à Galeno sumpta in libro de totius morbi temporibus cum dixit tempus primum inflammationis est quo particula inflammationi subiecta impletur: secundum cum cessauerit influxus,& materia putre fieri seu concoqui cœperit, & tunc conuersa in spiritum materia contenta magis illam extendit,estque tempus incrementi. At cum in pus conuertitur tunc est vigor inflammationis: quo tempore vt Hippocrates inquit dolores & febres intenduntur & augentur. Si autem tumor qui suppurationem iam consequitur minorem habeat tensionem imo minuatur, hoc est declinationis initium: vult ergo suppuratum iam tumorem & abscessum esse inflammationem. Ex quo sequitur quòd abscessus etiam de inflammatione dicetur, eademqne ratione de aliis tumoribus cum eosdem concoctos esse contigerit, de œdemate & Scirrho. Idem in primo de locis affectis:[Haud aliter inflammatio (inquit) in quacunque animalis particula fuerit,siue maxima siue minima,vnus idemque affectus specie erit, sola magnitudine differens.] Si ergo abscessus & apostema de quouis tumore suppurato dici potest, dicetur etiam de eo qui nondum est suppuratus. Alia item ratio quoniam si materia quæ decumbit facit abscessum, & apostema vocari debet, cum materia cuiusque generis decumbere possit,& verè facit phlegmonem, Scirrhum,œdema; cur abscessus non dicetur seu apostema de œdemate, Scirrho, ac phlegmone? Imò omnes tumores præter naturam aut ferme omnes decumbendo fiunt. Quinam enim sunt qui generati possint dici ex cibo, si benè illorum generationem ex influente materia considerare voluerimus descriptam libro de inæquali intemperiè. Quare & si opinio hæc Galeni vera esset nihilominus adeò curiosa est vt sophisma redoleat. Præterea quod ad rem magis facit, dicerent Arabes cum quædam sint in quibus omnia apostemata conueniant(petimus enim dicent illi & si non rectè,claritatis gratia hoc modo nunc illa comprehendi scilicet quæ ab vno ex illis quatuor humoribus fiunt aut aqua aut flatu) vtpote quod ab initio repellentia, in incremento repellentia & concoquentia,in vigore concoquentia & mollientia, in declinatione vt diuidantur aut discutientia, quæ tamen non omnibus præter naturam humoribus debentur vt carni superfluæ in vlcere nouæ,aut pinguedini nimium auctæ quo nam pacto curam hanc tractabimus dicent illi? Itaque necesse est quatenus communem expetunt & vnam eandemque curam aut saltem melius erit vnum omnibus eius generis tumoribus nomen imposuisse. Sententia tamen Galeni videtur satis huic proxima, & potius tractus in diuersam opinionem ob id quod dicebat in libro de morborum temporibus primo. [Lex quædam est communis omnibus Græcis, vt quorum nomina imposita inuenimus,his vtamur; licet etiam si velis nec consueta Græcis seruare si id facere oporteat; atque hic mos est recentioribus Medicis. Itaque id permittamus vt vt velint appellare, quoniam contentiosi sunt & impudentes. Vt liqueat Galenum hoc nomine sic vsum, non quod non melius fuisset vti eo vt Arabes postmodum fecerunt ob rationes adductas, sed quia iam vsus veterum medicorum id obtinuerat.Vnde mutatò significato multas & immensas tenebras legentibus offudisset. Verum quam parum opinio sua ab illa Arabum dissentiat & in quo, & qualis propriè sit nullibi melius quam in libro de inæquali intempetie expressit. Cum enim docuisset phlegmonas seu inflammationes in musculis fieri: atque etiam materiam protrudi in concauitates quæ ipsa corpora interiacent,ita vt omnis inflammatio etiam hoc modo dici possit abscessus: demum rationem subdit cur propriè cum suppurata est materia abscessus vocetur.Subdit ergo hæc verba:[Esto igitur prius victa fluxio, (rectius enim à mitioribus incipitur) duplex hic incidit curationis genus,quod vel digeretur, quicquid humoris in particulam procubuit, vel concoquetur. Verum digestio optanda maximè curatio est concoctionem hæc duo necessariò sequuntur, puris generatio, & eius in aliquod spatium abscessio.Abscedit aliquando in capacitatum, quæ propinquæ sunt,tum maximam, tum minimè momentaneam,

quod

quod sane abscessionis genus optimum est. Alias in nõ momentaneam quidẽ non tamen maximã. Interim in maximã, non tamen non momentaneam. Intelligit per momentaneam capacitatem quæ nuper facta sit vi materiæ, non autem sit naturalis. Sententia igitur est eius quòd abscessus fiat quoniam materia illa ne omninò corrumpat solidas corporis particulas à natura segregatur absceditque in alias partes capaces, & ob id dicatur abscessus. Id etiam videtur voluisse vt parum aut nihil differrent abscessus, & tumores illi quos Arabes dicunt apostemata in libro de cibis boni & mali succi cum dixit. [Si viscera laborare præterea phlegmone paululum cœperint, hanc ipsam valde adaugent, ficuti sane affectus flatuosos, Scirrhososque & exortus abscessuum irritant.] Quamquam enim capi posset pro alieno quodam genere abscessus; clarum tamen est quod de eisdem loquitur scilicet phlegmone, & Scirrho, ac œdemate, vt ad suppurationem ventura sunt. Idem septimo Aphorismorum: [Vrinæ verò difficultatem (inquit) siquidem cum dolore fuerit inflammatio, & abscessus, & vlceratio, & inæqualis intemperatura, & spiritus flatuosus facit.] Vt potius nomine quam re differre videantur, cum vnum ad aliud sequatur ex inflammatione abscessus, ex abscessu autem vlceratio. Idem secundo de locis: Dico autem inflammatorium affectum vt simul cum inflamatione, & erysipelas & abscessus intelligatur. Adeò vt nihil aliud esse velit abscessum quam ipsummet apostema Arabum, sed ad suppurationem conuersum. Atque lis est de nomine tantum vt dixi ob abusum veterum. Cæterum & in secundo de his quæ in medicatrina fiunt hæc habet. Quæ abscesserunt hic appellat omnia, quæcunque, cum corpus secundum naturam sese habet, vel vnica aliquibus aliis partibus sunt vel eas attingunt cum præter naturam affectum est, vnionem vel contactum non amplius seruant. Vnio in omnibus fracturis, vlceribus rupturis, contusionibus: contactus in abscessibus, quæ ἀποςήματα dicuntur, sinibus, inflationibus, & tumoribus interruptus est expansa autem vocat, quæ plurimo interuallo inter se distant: id quod duobus modis contingit: vel in toto, vel in labris tantummodo. Ita vt generaliter abscessus etiam quem vis tumorem circumscriptum & præternaturam siue phlegmon sit, seu œdema, seu Scirrhus contineât, atque significet. Quòd ad rem ergo attinet Arabum sententia excellit, Galeni autem subtilior & ad veterum mentem interpretandam accommodata magis.

CONTRAD. IV.

In vrinæ difficultate an secanda vena poplitis seu tali?

[Difficultatem vrinæ atque stillicidium vini potio, & venæ sectio soluit. Incidere autem interiores.] Septimo Aphorismorum & repetitur etiam in sexta particula quòd ad hanc partem de qua hic est dubitatio attinet. Vbi Galenus suo more Hippocratem intelligi vult de poplitis aut tali venis, non interiore id est, iecoraria brachij. Ego verò non Hippocratem qui bis idem dixerit, sed Galenum aberrasse contenderim. Verùm quia non solet dicta repetere legantur quæ in priorem aphorismum commentando scripsimus.

CONTRAD. V.

Vesicæ musculus an supra parastatas.

Omnes Anatomici vesicæ musculum qui illius collum constringit extra ipsum & sub parastatis collocant. Vt etiam Vesalius libro secundo docet, Et Galenus sexto Anatomicarum administrationum, Et quinto de vsu partium, & secundo de motu musculorum, tum etiam primo de tuenda sanitate. At verò Falloppius huic opinioni aduersatur negatque primum hunc musculum inueniri, sed pauculas duntaxat fibras, sed supra parastatas seu glandulosas carnes & in exteriore tunica intra rectarum fibrarum coniunctionem atque connexum. Addam autem verba illius, atque rationes ex libro Anatomicarum obseruationum huiusmodi: [Quoniam si ipsum constituant vt faciunt infra glandulosa corpora, numquam poterit egredi semen absque lotio in coitu. Nam si debet egredi semen opus est quod musculus cum infra sit dilatetur; ipso autem dilatato vrina etiam egredietur, aut saltem aliqua illius gutta quoniam eo tempore & abdominis, & ani musculi contrahuntur, & ob id etiam, vesicam comprimi necesse est. Præterea in diuturno seminis profluio cum ipso semine lotium egredi etiam oporteret cum sit ipso valde tenuius. Tertio si hoc esset lotium semper versaretur circa meatus illos per quos ingreditur semen in canalem atque eosdem corrumperet, ac perpetuo semen impurum exiliret: quæ tamen incommoda cum non superueniant, apertè ostendunt musculum dictum non esse infra glandulas sed supra in prima vesicæ ceruice collocatum.] Hæc ille, adiicit autem hunc musculum non posse videri vllo modo nisi in vesica semicocta, non cruda nec planè cocta, quod suspicionem facti exhibet: sed rationes non leues sunt. Videtur tamen omisisse præcipuam scilicet quòd si glandulosæ carnes supra essent, musculus autem in vesicæ collo iuxta finem, necesse esset plena vesica collum etiam illius plenum esse, idque percipi: at non ita est, multi cum exonerant vesicam illã plenam esse experiuntur, attamen non sentiunt collum vesicæ distendi. Respondeo quòd musculus ille est in ore colli vesicæ provt etiam depingitur affabrè à Vesalio libro quinto. Huius

vero

vero glandosi corporis vsum inferius, in eodem tamen libro docuit, tum etiam constructionem his verbis: [Est autem corpus id vnicum & subinde testibus ipsis grandius: at non ad amussim rotundum, sed anterius & posterius depressum, à lateribus autem rotundum instar globi cernitur. Per ipsius verò medium vesicæ canalis procedit: qui hic paulò quam in reliquo progressu latior, ampliorve existit, non tamen quòd manifestè conspici possit, à semen deferentibus vasis feratur, sed asper duntaxat, ac inæqualis, & rugosus, idque potissimum in posteriore ipsius sede, vbi interdum deferentium vasorum ingressum accurato studio secantes conspicuè deprehédimus. Deinde vesicæ ceruix qua per glandosum corpus fertur distincta ab illo corpore membrana neutiquam est, nam solus glandosi corporis sinus communem hic vrinæ seminique meatum conficit. Per reliquum autem processum canalis ille priuatum est corpus orbiculari musculo statim à glandoso corpore circundatum. Et dein duobus quæ penem præcipuè constituunt corporibus adnatum.] Liquet ergo ex hac serie verborum constare vim argumentorum Falloppij quandoquidem in coitu necessarium sit per vesicæ collum semen vt etiam vrinam cum mingitur deferri. Demonstrant igitur Falloppij argumenta vbi solum musculus in colli vesicæ extremo ponatur. Dicendum est ergo etiam in superiore parte iuxta initium & vbi vesicæ adnascitur ceruix ab interiore musculo, alio quem Falloppius tradit magisque concludi: atque id natura effecit vt tanta multitudo quanta est vrinæ, tam liquidi atque acris humoris duobus munimentis contineretur, & musculo superiore sub glanduloso corpore & inferiore, simul & situ colli vesicæ quod in viris inflectitur ad superiorem partem tanto minore commodo ad illius plenam expurgationem, quanto maiore vt vrina in vesica facilè contineatur. Hic etiam fit vt qui coierint cum seminis portio quamuis vehementi impulsa motu hæreat in ore colli vesicæ in primo lotio à coitu vestigium seminis in illo ostendat. Rursus fit vt in magna retentione vrinæ laxato superiore musculo collum vesicæ plenum sentiant: & tunc vbi mingere volunt statim mingunt, quia iam vrina est propè os vesicæ, alioquin cum nondum apertus est atque laxatus musculus superior, antequam mingere incipiant morula quadam opus habent. Similiter quod senibus à mictu virga quæ tendebatur mollis fit, tum loco refrigerato, tum laxato musculo inferiore vt per canalem spiritus illius flatuosi qui virgã tendebat pars exeat. Quod si dissectionis ratio non obstaret argumentum illud Falloppij quo nititur ostendere vrinam cum semine descensuram potius concludit oppositũ: nam si infra esset vas seminis eo adaperto necesse esset etiam vrinam profluere, at non si superius vas seminis statuatur. At quoniam vltima illius ratio arcui Scythico assimilatur, militat enim vbicunque musculus ponatur: propterea illi seorsum



facilè esset respondere collum vesicæ tametsi madeat vrina propter tamen seminis impetum non vitiat generationem. Ex quo sequitur eos qui paruo impetu semen emittunt vel si plena vesica, vel non generare omninò, vel fœminas generare.

CONTRAD. V.

Saliua an medium in sensu gustu.

Averroës 3. Collect. inquit, gustus sentit per humidum quod est in ore & quando hoc ipsum corrumpitur etiam gustus corrumpitur, vt in in ægris; generatur autem illud in duabus glandulis quæ sunt sub lingua. Et accepit à Galeno tertio de alimentis. Sed Princeps secundo de anima vult quod sit causa facilioris gustus nõn necessaria. Galenus secundo de semine vult glandulas factas esse ad irrigandum os vt sit humidius, non dicit quod saliua ad gustum sit necessaria. Præterea est medium in sensu gustus aliud vt secundo de anima siquidem apposita inquit super linguam sentiuntur igitur lingua est medium non sensus. Dico ergo quòd saliua est necessaria ad conseruandum sensum gustus nõ ad gustũ: est etiam necessaria per accidens ad gustũ vt dissoluantur partes siccæ aut vt sapor in ea recipiatur: quia gustus est secundarum qualitatum non primarum: cum ergo solæ qualitates primæ permeent corpora, vt dicebat Galenus 1. de Elem. & sensus gustus instrumentum sit intimo, necesse est vt sit quod dissoluat corpus siccum aut in se recipiat vim, & hoc est saliua, ergo saliua in sicco duplex præbet emolumentum, in humido solam conseruationem.

CONTRAD. VI.

Fœtus masculus an in triginta diebus formetur.

Hippocrates in lib. de nat. Pueri hæc habet: [Multæ mulieres puerum masculũ paulo ante trigesimum diem perdiderunt, & inarticulatus apparuit: qui verò posterius perditi sunt aut simul cum trigesima die, omnes articulati apparuerunt. In fœmella itidẽ iuxta rationem quadraginta duorum dierum habet: nam vbi his absolutis perditur, articulatio membrorum apparet; siue ergo priùs, siue posterius perdetur puer iuxta hanc rationem apparet. Nam & secundum rationem & necessitatem articulatio contingit in fœmella in diebus quadraginta duobus, in masculo in triginta. Testimonium enim præbent abortus puerorum, & à partu purgationes.] Idem oppositum scripsit libro de septimestri partu his verbis: [At verò quadragenarij primum in fœtibus iudicant. Quisquis enim primo quadraginta dies transmiserit, abortus effugit ex quauis causa fieri solitos: Plures autem fiunt abortus in primo quadragenario, quam in omnibus aliis. Hoc autem tempore præterito fœtus fortiores sunt, & ipsorum corporis per singula membra discretio fit; & masculorum qui-

dem partes omnes valdè conspicuæ fiunt, fœmellæ verò in hoc tempus carnes apparent exhortus & processus solum habentes.] Vt definitum tempus in masculis formationis in vno loco statuerit dierum triginta, in alio autem quadraginta. Magis autem constat de libro de septimestri partu quod genuinus sit Hippocratis quam de libro de natura pueri. Nam & in titulo hi posuerunt & de hoc dubitat Galenus Polibij sit an Hippocratis. Hanc siquidem dubitationem inuexit Galenus in libro de formatione fœtus; sed tamen cum de numero dierum in quibus fœtus formantur, hunc sequuntur alterius obliti. Ibidem enim fatetur visum fœtum discretum in diebus triginta duobus, quamquam neget vel formationis, vel motus, vel absolutionis, vel ortus vllum esse præfinitum tempus. Verum quod vbique fatetur & præsertim in secundo de semine est marem in omnibus quod calidior sit præcedere dico formatione, motu, absolutione, atque ortu. Liber enim qui de Spermate inscribitur in quo Galenus illud de triginta diebus in masculo fatetur, non est genuinus Galeni: imò nec alicuius memoria digni viri. Sed auget difficultatem hanc in libro de Natura fœtus Galenus qui ibidem docet incertum hoc formandi tempus esse de mente Hippocratis etiam in ipso libro de natura pueri, cum Hippocrates contrarium vt dixit doceat. Quasi efficit vt suspicaremur duorum alterum, vel vt non viderit Galenus totum illum librum, vel vt qui peruenit ad nos eo titulo, is non sit qui tunc temporis à Galeno habebatur, atque citatur. Obseruandum, quoque est quod Princeps ponit minimum tempus in formatione triginta dies, sed pro miraculo quasi scilicet vt primum tempus, natiuitate anni dimidium sed vult ordinatium esse in triginta quinque diebus, vt primum etiam in duplo moueatur, scilicet in septuaginta diebus: plerumque autem extendit tempus formationis fœtûs ad quadraginta quinque dies: & in hoc differt ab eodem & Galeno simul cum dixit: [Terminatio autem dispositionis masculi & fœminæ in distinctione temporum est res quam quidam medicorum indicat temerè ac absque ratione.] Et addit in hac consideratione duo notatu digna: primum quòd prima constitutio fit in sex diebus, & est sperma, & res alba concretus tantum ex vtroque semine. Post apparent tria puncta pro tribus principiis vsque ad nonum diem: post per sex dies penetrat sanguis, quia decima die suggere incipit ità vt quintadecima fit sanguis concretus totus, & post formatur caro, ita vt vigesima septima die totus sit carneus. Secundum notatu dignum est quod tempore quo primum fœtus mouetur in vtero, lac etiam in mammillis matris primum generatur. Est igitur triplex contradictio in Hippocratis verbis, Galeni cum Hippocrate, & Principis cum vtroque eorum. Respondeo igitur quod formatio accipitur vel pro initio, & sic fit in triginta diebus in masculo, & absoluitur in quadraginta: Et in fœmina inchoat post quadragesimum, & absoluitur iuxta quinquagesimum. Et ideò quia sunt quatuor termini nil firmũ statui posse decernit Galenus, tum maximè quia singuli paululum euariant. Hippocrates autem distinguendo quod frequentissimè euenit docet. Præterea Galenus à similitudine temporis nascendi putat inconstantes esse terminos etiam formationis, & motus, & absolutionis fœtus. At Hippocrates docet illorum esse tantum quadruplicem differentiam ortus autem multiplicem. Nam vel fœtus medio modo absoluitur in formatione atque distinctione maiorum partium in trigintaquinque diebus, & mouetur in duplo; vel mouetur planè in duplo perfectæ distinctionis, scilicet in quadraginta quinque diebus, & ità mouebitur in septuaginta vel nonaginta diebus, & tunc triplicato dicit perficitur (sexto Epidemiorum) non dicit oritur. Ideò aliud est fœtum perfici, aliud est oriri. Perficitur ratione vt dixi aliàs non errante circa tempora absolutionis: sed in modo vt secundo super secundum Epidemiorum commentario decimonono docuimus. Esse autem aliud tempus in quo parit mulier, aliud in quo fœtus absoluitur docent verba illa in libro de natura Pueri pagina vndecima: [Quando vero mulieri partus appropinquat; tunc puero se mouente, & manibus ac pedibus calcitrante pelliculam quandam internam rumpi contingit: rupta autem vna; etiam aliæ debiliorem vim habent, & rumpuntur, primum quidem illi contiguæ & cohærentes, postea extrema. Quum autem ruptæ fuerint pelliculæ, tunc fœtus à vinculo exoluitur & agitatus foras procedit. Neque enim amplius robus habet pelliculis amissis, neque vterus amplius puerum continere potest, pelliculis velut dixi amissis, & ab ipsis abruptis. Cohærent enim pelliculæ etiam vtero, vbi circumpuerum obuoluuntur, non adeò vi valida ac multa. Quando autem procedit puer, violat, & dilatat vterum, in exitu vtpote. Procedit autem in caput, si secundum naturam prodierit, grauissimæ enim sunt ipsi supernæ partes, si ex vmbilico perpendantur. Quum autem in vtero est, magis continens existit vsque ad pellicularum rupturam simul cum decimo mense, quando partus matri propinquat, & adest. Si verò violentam affectionem perpetiatur puer, etiam ante præfinitum tempus ruptis pelliculis prodit. Quin etsi alimentum à matre priùs puero defecerit, etiam sic partus matri priùs aduenit, & ante decimum mensem puer prodit.] Intendit ergo tria tempora partus nouimestris, Perfectum, quod est in nouem mensibus & decem diebus scilicet diebus ducentis octuaginta, completa septima quadragenaria, id est, impari: & in eo tempore sol peruenit vltra secundum quadratum signi in quo est vt ex Ariete in Capricornum: Luna verò decimam ingreditur reuolutionem, id est, complet decimum mensem, vt etiam sol, & vltra peruenit ad locum sextilem à priore vt ex ariete ad Geminos: quo fit vt comparatione ad solem recipiat habitum ferme contrarium, vt ex vacua fiat plena,

plena, & ex plena luminibus vacua, & ex quarta priore succedens, & ex succedente antecedens: & hoc est tempus absolutum naturale ac perfectum. Secundum tempus est absoluti fœtus sed non perfectum à fine noui mensis vsque decem dies decimi, nam fœtus est completus & absolutus sed non astrorum circuitus neque septima quadragenaria: & hoc contingit ob alimenti inopiam. Tertium tempus est per totum nouum mensem à die ducentesima quadragesima, vsque ad ducentesimam septuagesimam, in quo fœtus non est perfectus, nec absolutus: ideò ægrè viuit & est imbecillis, viuere tamen potest dicit Hippocrates, quia est in mense & quadragenaria impari & validissima: scilicet in mense nono, quadragenaria autem septima. Et sol est in quadrato signo aut trihono saltem à priore loco generationis; vt si in ariete fuit tempore generationis, erit in sagitario vel capricorno. In hoc tempore non nascitur cum non sit absolutus nisi ex violento aliquo casu, morbo, timore, tristitia labore, atque cibo inimico vt multo croco: adiiciunt præpterea astrologi signum ascendens hora generationis est signum in quo est luna tempore ortûs: & vicissim quod signum in quo est luna tempore generationis, est ascendens hora natiuitatis. Hoc posset esse verum, sed id demonstrare nulla ratione aut experimento possunt. Sed quia istud pendet ex commutatione illa quam præsupponunt; quæ cum falsa sit, erit & hoc secundum dictum omnino absque ratione. Quod autem commutatio illa non sit vera ostenditur Archimedica, vt dixi in dialectica, ratione: nam primum dictum falsum est, igitur & commutatio. Siquidem hoc esset verum maximè esset in his qui absoluti & perfecto tempore nascuntur: at hi vt visum est oriuntur luna procudente ad tertiam vel ad summum ad quartum signum ab eo in quo erat hora generationis: ergo oportet hora generationis ascendere illud signum, sed hoc non contingit nisi per tres horas aut ad summum quatuor in vna die, igitur perfecta generatio non posset contingere in vna die, nisi tribus quatuorve certis horis, id est, vt luna esset in vndecimo loco cœli seu domicilio vel decimo, tunc enim ascendit tertium aut quartum signum post lunam: hoc autem est absurdissimum, constat enim plurimos generari silente luna per noctem, atque ad legitimum tempus gestationis yteri, dies scilicet ducentos & octuaginta dies peruenire.

In septimestri autem partu est alia ratio nam completur in diebus ducentis decem fœtus vt visum est, sed non potest nasci nisi à dimidio anni propter imperfectionem nisi vsque ad ducentesimum diem vt sit in quadragenaria impari, vt visum est aliàs; igitur necesse est vt omnis fœtus septimestris oriatur saltem decem diebus antequam absoluatur; igitur omnis septimestris partus est ante absolutionis tempus, tempus autem perfectissimum est dies ducentesima & ante quanto propior. Princeps verò videtur non ponere, imò negare discrimen inter generationem masculi & fœminæ; sed non est ità, verba enim illa referri debent ad ea quæ sequuntur. [Dicunt enim quod primum quod aduenit fœtui est respiratio, & primum quod operatur, vis quæ format est locus in quo calor congregatur.] Quasi dicat hæc incerta sunt. Quod autem ita sit apparet, quia ista verba, posteriora nisi prioribus iungantur nullum habent sensum, ergo ad illa referri debent. Sed & Princeps non contradiceret Hippocrati nisi nomine illius adducto, & maxime consentiente Galeno & ratione in medium adducta, contra illum: Deinde quia Hippocrates quod docet demonstrat hoc modo in libro superiùs adducto. Tempora purgationis sunt æqualia temporibus congregationis, sed tempora purgationis sunt diuersa in masculo & fœmina: in masculo quidem dierum triginta, in fœmina in diebus quadraginta duorum; igitur & formationis. Et si quis dicat maiorem propositionem esse falsam, aut saltem non per se manifestam: dico quod istud etiam in artibus adiuuatur experimento, quoniam compertum est quod masculus citius absoluitur, & quod tempus purgationis est proximũ tẽpori formationis: igitur ex his duabus in artibus concluditur, etsi non sit demonstratio exquisita quod tempus formationis sit æquale tempori purgationis. Circa quod notandum quod masculus distinguit membra maiora quæ dicta sunt in triginta diebus, & absoluit in quadraginta, & tunc incipiunt distingui minora quæ distinguuntur in decem diebus sequentibus, aut paulo plus & postmodum perficiuntur membra minora, & diuisio eorum vsque ad absolutionem de qua dictum est. Et non oportet prætermittere quod tria sunt tempora in vnaquaqne operatione; initium & hoc apparet in trigesima die: perfecta distinctio, & hæc apparet in quadragesima in membris magnis & non est perfecta quod sit absoluta cohærent: & absoluta quæ fit in septem mensibus cum etiam membra absoluuntur. Idem iuxta rationem dico de fœmina in quadraginta duobus diebus: & de distinctione minorum membrorum in masculis in diebus quadraginta, & ità de aliis; vt sint tria tempora, & duæ distinctiones membrorum maiorum & minorum, masculi & fœminæ.

At & illud cognitione dignum est quod cum mouetur fœtus animam nanciscitur quæ sentit; hoc enim est declaratum in primo de plantis quod motus est datus sensus gratia: & omne quod mouetur sensum habet, & quod sentit mouetur. Et nos declarauimus quod anima illa est quæ intelligit est ab initio in semine, sed odiosa, inde deducitur ad actum. Et pulsus est prima res quæ aduenit etiam prima die: Et postquam absolutus fuit in ventre oriatur vsq; e ad horam ortus, nisi alimenti necessitas eum cogat. Et non videt neque plorat nisi monstrosum sit. Et persæpè oritur vi & casu septimo

septimo mense intra terminos vitæ & viuit, sed difficillimè; vi autem & extra terminos non viuit: qui verò natura nascitur huiusmodi, hi sunt qui à parentibus similiter natis oriuntur facile educantur. In omnibus autem terminis formationis, aut motus, aut perfectionis aduenit discrimen vnius diei, plus vel minus. Quod si videmus hoc in natura æterna, sol enim in vna medietate circuli duobus diebus celeriùs mouetur, in alia tardiùs mediocri motu, & hic maximè æqualiter morietur. Et luna similiter, & fixæ stellæ: quanto ergo magis (vt prætermittam eas quæ retrocedunt etiam) id accidet in natura inferiore. Huic ergo conditioni nemo existimet Hippocratem voluisse præscribere. Hinc liquet causa cur multæ mulieres quibus suppressi ex toto sunt menses concipiunt, & causa est quod primis nouem diebus non confluit sanguis menstruus, interim verò concalescit vterus, & vtraque genitura coniunctione corroboratur, & ita trahit sanguinem ex venis vteri violenter, & fœtus gignitur, & robustus quia dum trahitur violenter optimus solum trahitur, & præ copia non suffocat.

CONTRAD. VII.

Spiritus sublimis quis, seu qualis.

GAlenus tertio de spirandi difficultate exponens illud secundi Epidemiorum, [Spiritus autem his non valdè sublimis inquit: siquidem igitur paruus & sublimis nihil diuersum significat, iuxta rationem, vtique sublimis spiritus factos esse dicit: non tamen valdè, & ante parum: spiritus his non valde sublimis tanquam videlicet vt plurimum sublimis spiritus anginosis fiat. Sic autem vocare mos est ipsi paruum, velut alicui videri possit, eo loci vsque ad fauces ingredientem, non autem ad thoracis profunditatem descendentem.] Aliter autem exponens septimi ægri historiam ordinis primi tertij Epidemiorum erat autem anginosa apud Bitonem: itaque contendunt qui suffocantur exurgere, & toto thorace externum aërem magna vi attrahere: atque idcirco in his censeas qui anginâ laborant spiritum sublimem appellatum esse. Declarat autem etiam quid hoc nomine sublimis spiritûs intelligat etiam sine affectu aliquo præternaturam in nono de medicamentis secundum locos cum iubens ex Archigene quoddam propinari medicamentum ad ictericos inquit: [Deindè vbi plurimum deambulauerit probè fricato, & spiritu adhuc sublimiore bibendum dato.] Et rursus in quarto de locis: [Ea spiratio quæ ob virium imbecillitatem omnibus agentibus musculi, efficitur, quam clarioris interpretationis causa aliquando sublimem vocare volui: hicque mihi facilè fuit intelligere Hippocratem sublimem vocare spiritum qui sublimioribus thoracis partibus inspiratur.] Alia fuit opinio Fabini de hoc quam recitat secundo in tertium Epidemiorum loco adducto, vbi ab initio expositionis maximam partem temporis consumit circa hoc nomen, quod sublimis spiratio ea esset quæ per pinnas nasi fieret quod nescio quomodo etiam à Galeno suo more interuertitur. Atque id quod spiratio fiat attracto aëre ad fauces quidem, non autem in profundum ob idque sublimem appellatam, speciosum quidem dictum est, sed nullam habet vim: neque enim in os plus trahitur aëris quam ex illo in imum pectoris, cum ea attractio ratione vacui contingat, Magnumque quid atque artificiosum docuisset Hippocrates, aut docere conatus esset. Itaque sublimem respirationem dico quæ quasi ex alto aërem atttrahit. Tum verò si qui iam patiuntur in anginis superiores commouent partes velut omoplatas, & summum pectoris vbi collo annectitur molem, quin etiam & nares ipsas. Et Princeps huiusmodi difficultatem respirationis numerat inter species anhelitûs præparationis, vt non possit respirare nisi extenso collo, & ad superiora vt post se declarat: & ob id vocatur spiritus sublimis. Aliud est ergo signum quo proditur; & est quod partes superiores solæ vel maximè occupatæ in hac operatione esse videntur, & ita est cogitur quandoque patiens surgere: aut causa propria docetur, & est pauca attractio aëris in profundum non comparatio eius qui trahitur ad fauces, sed qui verisimiliter trahi deberet à tanto nixu. Hocque modo intellexit in libris de spirandi difficultate, priore autem in Epidemiis. Proprium ergo signum & vnde desumpta est appellatio sublimis spiritûs, est quod videantur partes superiores multum laborare in attrahendo: maximè omoplatæ & narium pinnæ, tum os etiam quandoque diducitur & æger cupit ceruice manere eleuata. Sunt qui omoplatas scoptulas vocant, & cum his etiam iugula intelligas: vt lis non sit de nominibus, neque partium propinquarum differentia. Plerique autem horum naribus strident dum aërem inspirant, quod laborem functionis indicat.

CONTRAD. VIII.

Febri cum fluxu quæ cura conueniat.

DIximus in quinto libro contradictio. 51. non semper contraria contrariis curanda esse, adduximusque verba ex Galeno primo ad Glauconem: [Sed neque si fuerit febris cum profluuio ventris, alia est opus euacuatione: verùm hæc sola sufficit, quamuis non sit pro multitudinis ratione. Quicunque enim his adimere plus necessarium esse existimantes aut sanguinem mittere, aut ventrem mouere tentarunt in grauiora illos duxere pericula.]

In

In eandem sententiam scripsit Aëtius ex philumeno probans dari oportere non lac extinctum cum lapidibus, sed ante imminista quarta parte aquæ indè transit ad astringentia. Princeps quarta primi dixit. [Et quandoque febri cum dolore capitis cui esset necessaria venæ sectio, superuenit fluxus ventris, & excusat ab ipsa venæ sectione.] Cæterum illud mirabile dictu ac quasi supra fidem, quod cum nullus morbus sit frequentior tam ex vulgaribus, quam sporadibus fluxu ventris cum febre, Medici omnes & præsertim Princeps meminit omnium aliorum symptomatum, præterquam huius coniugationis & breuissimè: quasi hic morbus non sit lethalissimus. Hali septimo practicæ docet in fluxu per circuitum purgandum esse; & in eo qui fit per defluxum à capite per sectionem venæ, & cucurbitulas totum corpus euacuandum præcipit. Neque illud dictum vt in alia contradictione Hippocratis generaliter verum erit, scilicet quod vomitu curatur, & fluxu. Verum in Coacis prædictionibus dicebat. [Alui fluxio biliosa & qualis in dysenteria fieri solet, & genuũ ac coxendicum dolor & vrina concocta soluunt febrem.] intelligit si septima, aut nona, aut quarta decima superuenerit, non si simul inchoauerit. Et in fine: vna cum febre aluus turbata salsuginoso modo soporosos, torpidos non valde comitatur. Hic solum patheticum signum docuit velut & illa verba, [Alui egestio pura superueniens soluit febrẽ acutam cum sudore.] Rursus septimo Epidemiorum: [Thyni filio in febre ardente inedia macerato, alui egestio multa, verum cum bile, animi deliquio & sudore multo refrigeratur voce destitutus instillato ptisanæ succo sapiebat, bene spirabat.] Omnis præterea caterua Medicorum astringentibus curat, & vt dixi quod mirum febris non meminit, quasi soleat quod verum est velut cholera fluxus humorum absque febre aduenire. Quarto de victu in acutis hæc habentur: [Quibus autem aluus per febres perpetuò liquida est, his pedes maximè calfaciens, ceromatisque contegens, atque fasciis obuoluens; ità attende, vt reliquo corpore frigidiores non sint. Si verò pedes calent, calorificum nullum exhibe, sed, ne frigescant, obserua. Potu est vtendum quam minimo, aqua frigida vel mulsæ. Quibus per febres aluus liquida est & mens turbata, horumque multi floccos vellunt, naresque fodiunt, & parum quidem interrogatis respondent, sed ex se nihil, quod compositum sit, dicunt: talia his melancholica esse arbitror. His igitur ità habentibus, si venter liquidus fuerit contabefaciens, sorbitiones frigidiores, crassioresque exhibendas esse arbitror, potusque qui sistant, vinosioresque, vel etiam astringentiores.] In his cum nullum à Brasauolo qui hæc exposuit auxilium habeatur nisi quantum ex tertio de symptomatum causis habetur, dicemus duo quæ à Galeno ponuntur: primum quod alui fluxus fiunt vel in febre ardente, vel à phlegmone: secundum quod etiam in phrenitide solet consequi alui fluxus. Ex quibus colligo si ita est quod venæ sectio in vno conueniat in duobus scilicet phlegmone & phrenitide sit etiam necessaria. Quomodo ergo verum esse potest quod Galenus dicit. Est & alia authoritas Hippocratis septimo Epidemiorum: [Mnesianacti alui egestio ante febrem, & postea ad multum tempus sequebatur, multis albis mucosis prodeuntibus: quandoque pauco sanguine, citra dolorem, Strepitus autem in ventre. Post febrem abscessit circa sedem tuberculum durum, quod multo tempore incococtum comitabatur, erupit ad intestinum, & foris fistulosum fiebat. Deambulante vero ipso in foro, splendores præ oculis obuersabantur, & solem non valde ferebat. Quum autem parum discessisset, extra seipsum erat, & collum conuulsum est. Postquam autem domum deportatus est, vix suspexit, & ipse vix suiipsius erat. Primum autem collustrabat circunstantes, & corpus perfrigeratum est, vix verò recalefactus est vtriculis & fomentis adhibitis. Postquam autem ipse intra seipsum esset, & exurgeret, non volebat exire, sed timere dixit. Si verò quis de grauibus morbis dissereret, subducebat se præ timore. Quandoque caliditatem sibi ad præcordia allabi dixit, & oculorum splendores comitari & alui egestio multa, & sæpe, & similis hyeme contigit: facta est venæ sectio, datum est veratrum, bibit lac bubulum, prius autem asininum: contulit, & alui egestiones sedauit. Aquæ potus ab initio, deambulationes quoque & capitis purgationes.] Cum dixit alui egestiones sedauit, signum est quod veratrum non solum exhibitum est fluente aluo, sed etiam facta sectio venæ, & bene successit. In tertio Epidemiorum in constitutione pestilenti dixit: Quotquot aluus turbata est perierunt omnes. Et hic est morbus frequens qui hoc tempore accidit & perniciosus. Oportet ergo distinguere multifariam. Si fluxus iam cœptæ febri superueniat maxime in die critico, tunc secandus non est. Plerumqne soluit febrem, surditatem, capitis dolorem. At dices, in coacis prædictionibus: [Si in febre ardente aluus eruperit mortale est:] Intelligendum non concocta materia, nam aliquando solet etiam hæc febris per aluum solui maximè si prius in morbum regium inciderit, vt primo Epidemiorum. [Quibus (inquit) ex ardentibus febribus morbus regius sexta die superuenit, his aluus exturbata profuit, quod maximè senibus accidit:] Aliquando incipit cum ardente febre vt quarto de victu in acutis vndè petenda cura primæ speciei febris cum fluxu: causi aliud genus (inquit) aluus soluta, sitis magna, lingua aspera, sicca, salsa: non tam verò ab illo autore, quam à Principe & etiam aliis, nam curatio illa est valde confusa præter solitum illius Autoris. Tertius modus est cum febri alij non ardenti ex acredine humorum vel cruditate: cuius causæ declarantur tertio de symptomatum causis, imbecillitas iecoris, ventriculi, vel intestinorum, & acris humor seu ex veneno, vel ex cibi qualitate, vel corruptione, vel influxu aliunde velut distilatione

à capite, vel à pulmone velut in tabidis, & in vlceribus, addit etiam sensus acumen. Sed huius curam solam preposuit Galenus primo ad Glauconem, & est diarrheæ veræ cum febre coniunctæ. Alius modus est in febribus quæ colliquant & pestilentibus. Ab his ergo expetenda est cura decimo & duodecimo Methodi; & Paulus libro secundo; Princeps autem retulit illum in tertium librum vbi de fluxibus agit, quartus morbus seu quintus modus est cum fluxus, & febris proueniunt ex abscessu in membris naturalibus de quo prima quarti; Et modus docetur à Galeno tum præsens tum antecedens octauo de compositione medicamentorum secundum locos. Ex quibus liquet quare autores non tractarunt hanc curam, vt multiplicem adeò & variam. Et scias quod de colliquatiuo parum agunt vt lethali: videntur autem in eo qui fit ex aëris pestilentia vel ardente febre adhibere frigidæ potum vt præstantissimum auxilium: in abscessu dubium non est conuenire venæ sectionem. In humoribus acribus purgationem.

CONTRAD. IX.

Medicina astringens an omnis frigida, repellens, molliens, suppurans, discutiens.

[Astringentia certè terrena sunt, & crassâ corporis consistentia, qualitate verò frigida: acida verò tenuia sunt substantiâ, sed perinde vt astringentia refrigerant.] Ostendit autem duobus modis primo quidem ratione satis incompta (venia sit nomini) acerba (non iam de astringentibus) duplici calore interiore, & externo scilicet solis dulcescunt. Hîc duo errores: primum quòd concoquens fructum est natura, & vis radicis & rami propria appellata caloris nomine, non tamen calor in qualitate; alter quod non sequitur, concoquitur ab externo calore, ergo fit calidius. Imo Aristoteles quarto metheorum dicit quod externus calor dissipando interiorem refrigerat. Et ne quis credat parum interesse hoc; Medici hac ratione dant cichorium coctum existimantes minus refrigerare, cum tamen longè magis refrigeret experimento, tum ratione quia est minus amarum, tum etiam quia coquitur cum aqua, & euanescit pars tenuior, inde homines immodicè refrigerantur; & si valido ventriculo sint magis læduntur quam à crudo. Et multi fructus frigidiores sunt maturi quam acerbi velut cucumeres & corna. Deinde quæ forma ratiocinandi est maturi sunt, dulces sunt & calidi; igitur anteà cum essent acerbi, erant frigidi; nam potuerunt esse etiam calidi sed minus calidi. Eademque ratio ostenderet amarum etiam frigidum, acerbi enim fructus, id est immaturi amari sũt vt glans quę est amarissima & matura dulcis est; similiter & sorba. Altera ratio est; quia quę astringunt densant linguã, & densatio fit à frigore, igitur in secunda figura affirmando tamen quod inusitatum est acerba & astringentia frigida sunt; hæc quarto de simplicibus medicamentis, in quo illud verè dictum acerba esse frigida, & ipsam licet acidis sint crassiora & media quasi substantia inter astringentia & acida. Oppositum plane de multis medicamentis constat, & primum de croco qui calidus est & astringens: septimo enim de simplicibus medicamentis ponitur calidum in secundo ordine, siccum in primo & leuiter astringens. In quarto etiam de compositione medicamentorum secundum locos vbi enumerat mediocriter astringentia medicamenta connumerat crocum. Et dum loquitur de oculorum morbis, & in sexto eiusdem, & in octauo vbi commendat ipsum ad vitia iecoris: nec non in quinto methodi, vbi vult sanguinem sistere manantem ex intimis locis; in quo nescio cur in huiusmodi leuiter astringentibus vti velit. Et in quartodecimo methodi inquit. [Sunt mediocriter astringentia medicamenta quæ ex Glaucio componuntur & croco, & quæ nardina appellãtur.] Vt etiam nardus astringat & non mediocriter, sed in ore contentum sistit fluxionem pituitæ magis quam diacodion, estque egregiè calidum astringit & melilotum quamuis calidum vt in septimo de simplicibus medicamentis. Sed quid plura in eodem loco nonne enumerat plurima medicamenta quæ potentissimè astringunt, sed & non solum calida sunt quæ exurant cuiusmodi Misy sori, Chalcitim, Chalcanthum, & æris Squammam. Ad hoc ergo facile respondebunt primum non necesse etiam vt si glaucij medicamentum, aut ex croco mediocriter astringat, glaucium aut crocum idem posse: sed fieri potest vt & modicè, & mediocriter, & egregiè astringat; sicque dissolui potest quod secundo obiicitur. Ad id de calido videtur vbique respondere Galenus dicens duas inesse talibus substantias vnam minorem frigidam qua astringit, alteram exuperantem calidam, qua calidum dicitur medicamentum; nec solum quæ dicta sunt, sed inter reliqua ventriculo accommodata aloës vtraque scilicet succus herbæ sic appellatæ, & lignum quod inter aromata nobilia numeratur, & absinthium præcipuè Macedonicum omnia præstantissima ventriculi medicamenta quæ astringunt & calefaciunt. Sed si ita est quomodo ego colligam acerba esse frigida in fructibus? Fieri enim potest vt cum eo sapore substantia calida dominetur. Et certè in oleo sulphuris acerbus sapor vehemens & qui linguam vsque adeò offendat percipitur, cum tamen sit ex adurentium genere. Causa est quod licet sulphur sit calidissimum, dum tamen oleum elicitur, absumitur tenuis substantia penè tota, & quæ iam exusta est: relinquitur terrea concoctu cum aquea quæ saporem habet acerbum. Nondum tamen acerbum aliquid inter fructus calidum inueni, inueniri acerbum & calidum nihil prohibet. Quod ad rationes Galeni attinet sufficit illum demonstrasse quod omne acerbum astringensque ex frigido id adipiscitur: per quod venimus in cognitionem esse in oleo sulphuris partes egregiè frigidas, non tamen id ex illo sequitur, igitur oleum sulphuris frigidum est: nam

nam falsum ex vero sequeretur. Est enim id oleum non solum calidum sed egregiè etiam calidum.

An verò repellentia atque astringentia idem sint dicebat Galenus primo ad Glauconem. [Repellunt ophacium, oleum rosaceum, oxyrodinũ,& quod præparatur ex papauere, vel oleæ germinibus teneris hederæ; tum menta viridi,atque sisymbrio. [Et sexto de compositione medicamentorum secundum locos: [Genus repellentium pharmacorum in initio inflammationum in refrigerantium materia situm est. Hæc autem ipsa cum duplicia existant, vt didicimus, quæcunque astringendi natura prædita sunt,efficaciorem ad repellendum influentem humorem vim habent.] Videtur ergo longè aliud esse repellens ab astringente;repellit enim,vt frigidum; vt verò astringit etiam melius quia membrum densatur ac roboratur. Vnde etiam quarto de compositione medicamentorum secundum locos. [Astringentia & repellentia in principiis prosunt, velut est cicuta, psyllium, apium, solanum,lentes palustres, serpyllum,sambucci,folia vitis coriandrum, portulaca,semperuiuum, folia papaueris,vrtica. In his tamen tria sunt non frigida, sed calida & non mediocriter, apium in secundo,& semen in tertio. Præterea sambuccus & vrtica,ideò astringentia calida esse possunt quia mixta, & referuntur ad linguã; at in repellentibus necesse est frigiditatem dominari. Videtur autem quinto de simplicibus medicamentis id clarè ostendisse his verbis: [Attrahit enim perpetuo calidum,repellit verò frigidum: Sed quod cum caliditate coniunctam habet partium tenuitatem trahit vehementius: quod vero cum frigiditate partium crassitudinem veluti astringens, id violentius propellit.] Rursus in quarto de compositione medicamentorum secundum genera dicit quod quæ astringentia sunt repellunt, videatur mutasse sententiam,sed non hoc vult:reprimere enim ibi vt cohibere intelligit. Verùm in quinto eiusdẽ dicit quòd validè astringentiũ vis,est humores influentes in ipsam partẽ repellere. Consistit ergo concordia, quoniam aliud est constringere seu astringere, hoc potest etiam calidis medicamentis conuenire: nam plus astringit frigida pars ac terrea, quam dissoluat calida cum siccitati qualitas iungitur. Sed est cohibere: & quæ cohibent cum astringentibus eadem sunt,ideo etiam calida esse possunt differunt ergo talia ab astringentibus sola ratione. At quæ repellunt frigida sunt necessariò, materiam enim retro agunt: cum verò calidum semper attrahat etiamsi siccum sit, repellentium nullum medicamentorum calidum esse potest. Potest tamen aliquod frigidum attrahere, quia calidum plus trahit, quam frigidum repellit. Quòd si frigidum sit astringens non ob id magis repellet,sed tutius ne influat prohibebit, si quidem astringentia cum crassæ sint substantiæ non adeò longè repellunt vt tenuia velut acerba atque acida. In hoc ergo sensu intelligenda sunt illa verba. [Frigida quæ astringunt, euidentius propellunt, & item efficaciorem vim ad repellendum habent.] Id est,quia nihil permittunt influere & magis cohibent, non quia longius repellant. Ita hæc affinitas persæpe fallit incautos, & maximè cum ratio non adeò perspicua se offert velut cum idem dicit quinto de simplicibus medicamentis quod medicamenta quæ molliunt sunt calidiora, quam quæ suppurant;imo etiam nonnunquam sicca cum ea quæ suppurant sint semper humida & calida temperatè, quæ autem molliunt calida & sicca,etiam velut lachrymarum ferme omnia genera bdellium, styrax, galbanum, thymiama, ammoniacum; medullæ, ceruina, vitulina; adeps præterea taurinus, atque caprillus;ita verò talia cum vehementer calida sint aliquid etiam resoluunt:at quę suppurant omninò calorem atque humidum humanæ naturæ simillima retinent. In superiore tamen autoritate dixit mollientia omnia esse calida & humida. Quis non videt plus tributum autoritati illius quam scriptis, palam enim est lacrhymas strenuè, non solum mediocriter exsiccare, quamquam haud obscurè emolliant. Itaque dicendum esset (si rebus ipsis manifestè non repugnaremus) emollientia omnia esse calida & humida, verùm exsiccare interdum ob vehementem caliditatem. Vel dicamus & veriùs vt etiam Galenus defendi possit; mollientium duo esse genera, vnum quod per se emollit idque minus calidum est & semper humidum, natura proximum medicamento quod suppurat, calefacit tamen aliquanto plus ac minus humectat,vndè aquea non emolliunt: aliud quod per accidens emollit idque attenuat & calefacit multum, calefaciendoque trahit ad locum alienum, humidum siccitatemque habet retusam vt quæ possit dissoluere, sed parum admodum resoluere cuiusmodi sunt lachrymæ supradictæ. Ad discutiendum enim (quoniam omnia calida quæ non discutiunt suppurant, si omnino nil resoluant aut emolliunt si quod tenuissimum est tantum resoluant; namque dum id resoluunt, reliquum totum, attenuant atque liquant, igitur emolliunt) quatuor necessaria sunt quæ omnia caliditas facit; vt attenuetur quod intus est; vt dissoluatur, nam coactum extrahi noa potest; vt ad cutim trahatur, neque enim aliter difflari potest? & vt pori & cutis meatus aperiantur vt inde possit exire. Quòd si tenuè etiam sit non solum calidum, nec meatus obstruet, & penetrabit in profundum, & melius diuidet quod concretum est: ideò Quinto de simplicibus medicamentis discussorium medicamentum dicitur debere esse calidum, atque tenuium partium, primum vt necessarium, hoc minimè (nam, etiam crassa multa discutiunt modò non sint emplastica) sed vt vtile.

CONTRAD. X.

Anima humana an immortalis ex Medicorum sententia?

HIppocrates videtur animam nostram censuisse immotalem cum in libro de carnibus hæc scripsit. [Et videtur sanè mihi id quod calidum vocamus immortale esse,& cuncta intelligere,& videre, & scire omnia, tum præsentia, tum futura. Huius igitur plurima pars, quum turbata essent omnia, in supernam circunferentiam secessit. Et videntur mihi ipsum veteres Æthera nominasse. Altera pars inferna, appellatur terra, frigidum quid &, & siccum, & multis motionibus obnoxium, & in hac sanè multum calidi inest. Tertia pars aëris, medium locum occupauit, calidum quid ac humidum existens. Quarta verò pars terræ proximum locum cæpit, humidissimum quid, ac crassissimum.] Cum ergo censeat hominem ex his quatuor constare & animam esse calidum illud, haud dubiè animam immortalem esse voluit. Idem in primo de diæta hæc habet quæ etiam aliàs à me, sed ad aliud propositum recitata sunt. [Et quidem nullum omnino corpus perit, neque fit quod prius non erat: verum permixta & discreta permutantur. Homines autem putant hoc quidem ex orco in lucem auctum generari, illud verò ex luce in orcũ imminutum perire ac corrumpi; Occulis autem magis credere oportet, quàm opinionibus. Ego verò hæc ex sententia exponam. Animalia enim sunt & illa & hæc: & neque animal mori possibile est, non cum omnibus: (vnde enim moriatur?) Neque quod non est generari; quum non sit, vnde generetur. Sed augentur omnia ac minuuntur, ad summum, & ad minimum, quantum eius fieri potest. Quid vero dicam generari & perire, vulgi gratia interpretabor: hæc autem commisceri & discerni significare declaro. Habet autem res hoc modo. Generari & perire siue corrumpi, idem est. Idem est commisceri & secerni; Generari idem est quod commisceri. Perire corrumpique minui idem est quod secerni: vnum quodque ad omnia, & omnia ad vnumquodque idem sunt. Consuetudo enim in his naturæ contraria est; seorsim autem omnia & diuina & humana sursum ac deorsum vicissitudinem habent, ac transeunt: dies & nox ad summum ac minimum: sic & luna ad summum ac minimum. Ignis accessus est & aquæ: Sol ad longissimum ac breuissimum. Rursus hæc, & non hæc. Lux Ioui, tenebræ orco, Lux orco, tenebræ Ioui. Accedunt & trasmutantur illa huc, hæc illuc: Omni tempore transfigunt illa res horum, hæc autem illorum: & quæ quidem faciunt, non sciunt, quæ verò faciunt, scire sibi videntur: & quæ quidem vident, non cognoscunt. Attamen omnia ipsis fiunt per diuinam necessitatem, & quæ volunt, & quæ non volunt. Accedentibus autem illis huc, his verò illuc, & inter se permixtis, vnumquodque destinatum fatum explet, & ad maius, & ad minus.] Cum ergo Hippocrates censeat nihil corrumpi, sed solum separari aut dissipari; liquet animam iuxta Hippocratem esse immortalem, nec posse corrumpi, forsan nihil vetat eam dissipari, sed quod non dissipetur videtur pulcherrimo argumento, & est tertium demonstrassem in lib. de septimestri partu hoc modo: Infans à prima die in sõnis sapiẽs est, idest cognoscit & iudicat, & probat hoc quia in somnis dicit ridet & plorat: sed dum vigilat non ridet nisi exacta quadragesima die, probat quoniam ante illam non ridet etiam si titilletur, ergo risus ille fit ex cognitione; & sapientia in somnis eorum quæ cognoscit non motu corporis, nam plorat à prima die; in vigilia non ridet quia ploratus contingit ob molestiam corporis; igitur ante cognitionem per sensus exteriores, cognoscit per interiores; ergo anima natura est antequam in corpus infundatur, & est substantia quæ cognoscit omnia, & est calidum illud sempiternum & immortale omnia sapiens.

Princeps verò in libris de Anima idem docuit, sed dilucidius in compendio docens primo sine demonstratione quòd anima hominis intelligit ex sola coniunctione cum Deo, & absque ratione vlla, & vocatur spiritus sanctificatus (ita enim ille vertit) quæ cognitio solum conuenit Prophetis & eorum apostolis. Hoc autem contingit ob vehementem amorem diuinum; Et potest etiam infundi per species absque coniunctione substantiæ; sed opinio Principis videtur verior. Postmodum ostendit animam esse immortalem hoc modo & appellat logicam rationem: Intellectus cum intelligit aliquid, non intelligit vt hoc ipsum quia hoc pertinet ad sensum, sed generaliter; & non vt comprehendit singula, tum quia illa sunt infinita, extenderetur enim ambitus non solum ad præsentia, sed ad præterita & futura & illa etiam non sunt digna vt intelligantur igitur intellectus obiectum caret omni diuisione, & non recipitur nisi in intellectu quia non est forma per se subsistens, ergo non recipitur in aliquo habente magnitudinem, cum vniuersale non possit diuidi nisi in genus & differentiam, & in hoc etiam sit necesse vt perueniant ad formam omninò indiuiduam scilicet supreme genus, se ergo reciperetur in forma materiali posset diuidi ad diuisionem subiecti cum ergo non recipiatur nisi anima intelligente seu humana, erit anima humana substantia indiuidua & materia carens, quare immortalis. Et est substantia, aliter oporteret aliam substantiam inuenire in qua reciperetur quæ materia, & diuisione careret, & esset immortalis tandem quæcunque illa foret. Inde ostendit quoque rationibus quod anima est substantia, virtus cuius instrumentum est corporum, debilitatur ab excellenti obiecto; velut visus à luce solis, auditus à fragore descensus nili, & strepitu machinarum ignearum bellicarum. Sed intellectus ab vltimo obiecto quod est Deus perficitur, ergo intellectus instrumentum non est materiale, sequitur autem ex hoc quod intellectus apprehendat per se vt non

sit

sit facultas, aliter vteretur instrumento, & ità instrumentum corrumperetur; at non corrumpitur, igitur non est facultas, sed substantia. Tertiò ostendit eundem intellectum esse substantiam, quia actiuè operatur, & sine auxilio corporeo; nam transmutat se ex vna contemplatione in aliam. Quarta ratio est quoniam homo ad quadragesimum annum nulla virtute corporea augetur; sed tamē augetur intellectu quasi inciperet: cum enim primum quasi sapere videtur, igitur intellectus est substantia non facultas corporis, & hoc est quia præsupponit, quòd nō possit esse intellectus, nisi corpus & hoc non, quia non reciperet formam indiuiduam; nec facultas corporea, quia diminueretur diminuto robore corporis; nec facultas incorporea quia non potest recipi in corpore nec per se esse, igitur relinquitur vt sit substantia incorporea. Quinta ratio virtus corporea non potest super infinita, & hoc ostendit sic: sit virtus exempli gratia A, C, diuisa per æqualia in B, cum ergo plus possit A, C, quam A, B, erit A, B, virtus finita; sed & B, C, eadem ratione, ergo tota A, C, sed intellectus est virtus infinita quia

A
C
B

sciendo quod omnes numeri quadrati fiunt ex aggregatione ordinata imparium, cognosco omnes numeros quadratos qui sunt infiniti. Et ita dicit de figuris & aliis quæ sciri possunt. Et redit ad idem argumentum: non est facultas corporea neque corpus, ergo vel est substantia incorporea, vel facultas, cuius est subiectum substantia incorporea. Adducit post argumentū principale, & cōuenit omnibus animalibus; si animal est compositum ex corpore & anima, & sunt duæ substantiæ sicut non est necesse parte quòd corrupta anima si potest corrūpi corrūpatur corpus, hoc enim ostendit experimentum & ratio docet; igitur eadem ratione & multo minus non est necesse vt corrupto corpore toto anima corrumpatur, igitur remanebit post mortem, nam corrupto corpore mors vt videmus, imo multo antequam corrumpatur totum subsequitur. Inde ostendit animæ immortalitatem ex cognitione principiorum, quia illa cognitio vel est à sensibus, vel à Deo: si à sensibus non potest esse vniuersalis: quia ista propositio seu oratio, (animal mandit cibum mouendo mandibulam inferiorem) non potest fieri generalis ex sēsibus: oporteret enim vidisse omnia animalia cum edunt: Et etiam quia falsa est vt in crocodilo qui mouet superiorem: Ergo hæc notitia est à Deo. Si ergo esset cum aliquo medio illud medium oportet vt contineat formas vniuersales, ergo est substantia immateriaria, sed anima recipit eas formas, ergo iam est subiectum emanationis ipsius, ideò ea emanatio est absque medio, quare anima humana est immateriaria & immortalis. Ipsa ergo anima semper esset iuncta illi substantiæ æternæ si non auerteretur à corpore sicut etiam videmus dum viuimus quia distrahimur à contemplatione Dei, ergo in morte sublato impedimento anima tota redit ad coniunctionem cum Deo, & perpetuo contemplatur sicut vir doctissimus; imo sicut Proph. maximus & etiam longè melius. Et hæc est sententia Principis de anima humana. Et sentit quòd à morte remanet vis viuendi & sentiendi, non vt est in corpore, sed vt habet comparationem corpus: velut si denuo ad illud reuerti deberet: & hic est nucleus animarum mortalium quæ sentiunt & viuunt in anima humana separata, vel appellat nucleū scientiam acquisitum in hac vita, per incrementum corporis factum viribus istis animæ rationalis; licet anima non recordetur in corpore corrupta parte cerebri certa eorū quæ vidit aut audiuit; (nā hæc sunt vilia, imperfecta, tumultuosa, inordinata, infinita,) tamen meminit extra corpus scientiarum acquisitarum in hoc mundo eodem modo ad vnguem anima hic nouit prima principia sine auxilio sensus aut rationis. Sicque animæ eruditorum præstant animabus infantiū, etiam imperitorum. Et in libro Aphorismorum nihil aliud pręsupponit, & tanquam clarissimum; Et longè clariùs in transitu quem vocat Mahad. Quantum verò ad verisimilitudinem, alias diximus in Theonosto; neque est locus hic de his agēdi tanquam veris aut verisimilibus, & quātum rationi consentanea sunt. Sed quid senserit author ille & quam valida sint illius argumenta, vult ergo quod anima ab obitu iungatur diuino cuidam intellectui sempiterno tempore, absque inclinatione ad corpus vllum.

Galen. autem in quinto super sextū Epidemiorū negat pertinere ad medicū vt sciat, hoc an anima sit mortalis, aut immortalis & qualis sit eius substātia, idemque in fragmēto de substantia facultat. natural. Imo dicit hoc scire nihil etiā cōfert ad moralē Philos. De morali philosophia est apertè falsum, sed neq; de medica arte illud simpliciter est verū: nam si corpus esset instrumentum animę, aliquæ operationes poterunt esse validiores quam pro natura corporis, & ita non erit necessarium temperaturam esse bonam si functio sit bona, quoniam vt videmus in tonsoribus, tonsor vnus melius tondet alio cum eadem nouacula, & scriptor vnus melius scribit alio cum eadem penna, atramento, & papyro, & discrimen hoc est notabile: Et est mirum de Galeno. Et plurimum etiam iuuaret in multis morbis curare animam. Quæ omnia falsa essent vbi anima sit forma corporis ipsius: omitto modo etiā de auxiliis diuinis. Sed quoniam non est propositum nisi declarare opinionem medicorum & illorum fundamenta, & conciliare ipsos inuicem ideò supersedeo. Fatetur autem ingenuè se ignorare animæ substantiam quæ sit, libro quod animi mores corporis sequantur temperamentum. Dubitat autem an sit spiritus ipse animalis in libro de vtilitate respirationis, & in septimo de dogmate Platonis & Hippocratis; In quam fermè sententiam locutus est sect. de morbis vulgatibus, loco prius enarrato, quin etiā in secundo de symptomatum causis inquit. [Est igitur ex primis, ac (vt sic dicam) qui maximè principales sint notæ motibus, ipsa naturalis caloris intra forasque delatio, multas animi perturbationes passionesque sequens. Simul autem cum ipso spiritus quoque ac sanguis, alias

intro

intro & ad ipsum principum feruntur, ac contrahuntur, alias foras tendunt & funduntur. Ipsius namque animæ substantiam, vel alioquouis opere definisse fortasse sit audacia: in eo verò quod nunc proponitur, non solum audacia, sed etiam superuacuum; videtur tum quæcunque ea fuerit, duorum alterum, vel primis ad omnem actionem instrumentis spiritu sanguineque præterea calore, tum qui in altero, tum qui in vtroque est vti, vel in his ipsis esse: Licet autem motus eius euidenter contemplari cum in aliis multis tum maximè in ipsius perturbationibus. Timor enim intro & ad principium, tum spiritum, tum sanguinem vna cum refrigeratione eorum quę in summo corpore sunt abducit ac contrahit: ira vero & foras agit & fundit & calefacit: quæ vere composita ex ambobus est, quam Græci agonian dicunt, inæquales habet motus. [At rursus nescio qua ratione nono de dogmate Platonis & Hippocratis, ex Platonis sententia sic explicauit dicentis. Mundi conditorem Deum filiis suis iussisse, vt ratione hominum genus fingerent, sumerentque à se immortalis animæ substantiam: sed illud tamen adderent, vt generabilis efficeretur.] Hancque opinionem dicit non excedere probabilitatẽ & verisimilitudinem: suã autem opinionem prodit multis in locis, nec vt dixi satis constanter; in libro enim eodem de vtilitate respirationis dicit. [Animæ substantiam & si non semper maneat eadem (scilicet quousque ad homo viuit) multo tamen tempore perdurare.] Et in septimo de decretis. [Omninò animam fateri cogimur aut spiritum esse, aut incorpoream substantiam spiritu vti tanquã primo instrumento.] Et tertio de locis. [Anima vel est temperamentum in actiuarum qualitatum, vel ex temperamento mutat.] Et in libro eodem de substantia facultatum naturalium parum ante priorẽ locum. [Animam an immortalis sit an non, fateor me ignorare illud tamen scio quòd & si de foris immigret, attamen temperamento ex elementis ancillari.] Vndè non obscurum est librum cui titulus est. An animal sit quod in vtero est, Galeni non esse cum ibi dicat delabi ex superno choro, & omnium elementorum vires superare. Profitetur solum se posse ostendere triplicem esse animam, numerumque ob id earum, tum singularum vires, atque affectus, demum & triplicem sedem. Reliqua quæ addit cum etiam inutilia sint; hæc verò quæ scire & demostrare posse gloriatur & Medicis & morali philosophiæ inutilia, demonstrare se scire, vel posse prorsus negat nono de dogmate Hippocratis & Platonis, paulò post ascriptum locum. Et animam quidem immortalem esse de mente Platonis in libro; quod animi mores corporis sequuntur temperaturã apertè fatetur: verùm seruire corpori propter senium & puerorum mores, ac stultitiam, tum morbos, & medicamenta quæ ad id cogunt: Tandem in hæc verba erumpit: [At cum videre se putat quæ nequaquam cernuntur, & quæ effatus nemo sit audire, & turpe quid, aut nefandum, aut quod omninò amentium sit effutire, non cognatas modo quarum compos erat anima, facultates interiisse; verùm etiam contrarias superuenisse primum indicium est. Itaque magnam hoc iam suspicionem tollit de tota animæ substantia, ne non incorporea sit. Nam quo pacto posset à corporis societate in contrariam sui ipsius naturam traduci, si nec qualitas, vlla est corporis, nec species, nec affectus neque etiam facultas.] Græcè autem clariùs sonant; & enim sensus hoc ipsum aufert suspicionem quæ solet haberi ne non anima sit incorporea, quod est perinde ac si diceret hoc prorsus declarat omninò animam esse corpoream, vbi magis pie locutus est, est in libro de formatione fœtus vbi inquirens quid sit causa quæ format fœtum: Respondet non posse esse naturam seu corporea sit, seu incorporea; sed Deum vel animam, vnde patet animam esse nobiliorem etiam incorporea substantia: quare incorpoream esse necesse est; nulla enim substantia corporea potest esse nobilior incorporeâ. Et hoc argumentum concludit iuxta Galenum idem sensisse de omni anima. Verùm ibidem negat posse adduci vt credat tantam rem ab anima quæ in materia sit perfici posse. Quasi nolit hanc nostram in materia esse, aut si est, ad Deum hoc potius refert. In nono autem artis curandi dicit quod facultatates quæ animal gubernant sunt tres quas Plato animas vocat; verum propriam sententiam videtur declarasse in libro prędicto scilicet; quòd animi mores corporis temperaturam sequantur his verbis: [Si ergo etiã quod ratiocinatur, species animæ fuerit mortale erit, nam & ipsum quoddam cerebro temperamentum est: itaque animæ species partesque omnes, temperaturæ comites facultates habebũt, talisq; erit animæ essentia.] Et infrà: [Enimverò Andronicum peripateticũ quòd omninò intrepide, vt vir ingenuis animæ essentiã nihil obscuritate inuoluens enũciauit, & multum commendo, & viri dicta recipio, nam & in aliis pluribus talem eum comperio. Certum quòd temperaturam eam esse dicat aut facultatem temperaturæ comitem facultates additamentum vitupero. Siquidem autem facultatum compos multarum est, cum substantia quædam existat: idque rectè prodidit Aristoteles, recteque ante hoc æquiuocationem distinxit. Cum enim & materia, & forma, & vtraque simul substantiæ nomine dicantur, formalem substantiam esse pronunciauit.] His omnibus nescio quam sui memor conatur ostendere animam esse temperaturam, temperaturam autem vocat mixti formam, rationemque quadruplicem astruit priore loco. Primam est, mutantur refrigerato corpore & temperatura seu calefacto animæ operationes & morte, igitur anima est temperatura ipsa. Secunda ex larga effusione sanguinis, ex cicuta ebibita, aut refrigerato immodicè corpore aut calefacto vt in febribus anima corpus destituit, igitur anima à corporeis patitur, corporea ergo est. Tertio anima extenditur per totum corpus, nutritur quælibet pars, viuit, mouetur, sentit, igitur incorporea esse non potest. Demum inquit, multas cerno differentias temperaturarum facultatum, functionumque corporearum, inter tot corporea cum diligentissimè

simè inspexerint nihil incorporeum, nec quod functio sit incorporei cerno, nam omnia quæ apparent partes sunt, aut corporis, aut partium functiones, vt pote motus ille perennis ignei caloris indicium est: nam & flamma sic mouetur quam constat animatam non esse. Hæc igitur est opinio Galeni ad quam inclinauit seu quia ita esse sibi persuaserit, seu vt gloriam ex hac nouitate sibi compararet cuius supra omnes immodicè cupidus erat. At cum ille non omninò affirmet esse mortalem, Hippocrates, & Hasen immortalem est dicant, constat etiam Medicorum opinionem ad immortalitatem accedere, demonstrat autẽ Princeps animam non esse temperaturam: Primum quia temperatura est quæ fit in generatione, & si ipsum esset anima faceret ipsam temperaturam, igitur idem fieret & faceret: aut si temperatura facit animam, & anima est temperatura; igitur idem faceret seipsum, & omnino ex his quæ dicta sunt temperatura est instrumentum faciendi animal: seu ergo agens sit anima, & non erit anima temperatura quia non erit agens & instrumentum: vel Deus, ergo si Deus facit animatum per temperaturam, erit temperatura antequam sit scilicet quia ipsa temperaturæ ergo fit. Aliud hoc modo: quod sentitur, mouetur, quod sentit quiescit; si ergo anima sentit, intemperiem, continui diuisionem, & reliqua: ipsa non est nec temperies, nec coniunctio, nec forma membrorum. Et Princeps hæc habet de anima: [Felicitas animi est subito à morte cum illa separatur à corporeis impressionibus, & nuda fit illius essentia, vndè intuetur eum qui summam habet potestatem, & incorporeas substantias quæ Deum adorant, & considerat illarum essentiam & perfectiones earum, atque ipsarum iucunditatem, ac delectationem. Cruciatus verò cum hæc percipere non potuerit, quam constat tanto maiorem, quanto id ex quo excidisse se cognoscunt maius etiã est. Etenim sicut in vita hac non corpus impedit animæ fœlicitatem, sed corporeæ impressiones quas perturbationes vocamus velut ira, amor excedens; ita cum hi affectus adeò hæserint animæ vt in habitum transierint, post mortem impediunt illam cognitionem. Et ideò hi in quibus perturbatio non superat animæ nostræ rectum iudicium etiã in hac vita, illius diuinæ fœlicitatis possunt esse participes. Et sicut substantia animæ nostrę ex incorporearum vitarum genere est, ita delectatio à morte tanto maior est omni quã in hac vita habere possumus, quandò delectatio vitarum quæ pura est excellens, sempiterna, sublimis in actu ea quæ est iumentorum turbida, humilis, breuis, tenuis, & in potentia. Est enim operationis nobilitas ex operante obiecto, modo agendi, & coniunctionis diuturnitate. Quæ igitur ab obitu est cum obiectum habeat excellentissimum, & ipsum quod operatur longè præstantius, scilicet animam nudam, & operationem sempiternam, & non impeditam; liquet nullam huius mundi delectationem qualiscumque sit immortali posse comparari.] Sed de hoc in Theonosto. Non addã igitur nisi respõsiones ad argumenta Galeni. Dico igitur quod sicut nouacula in serra modum redacta tonsor vulnerabit eum qui tondetur, ita corrũpuntur operationes animæ corrupto corpore, operationes sunt vitæ non animæ, ad animam tamen referuntur. Et in hoc decipitur Galenus: cum verò tollitur corporis symmetria, anima relinquit corpus vt inutile, non tamen est necessarium sicut Apiamis recitat de illo milite qui iugulatus superuixit per diem donec moneret amicos sex, Pompeij, sic bonus tonsor; corruptam abiicit nouaculam. Animam igitur non operari necesse est, quæ operatur cum motu, calor autem naturalis est motus principium. Non tamen necessario relinquit corpus, quin imo opinio plurium veterum fuit quod animæ quæ non sperant beatitudinem adhærent corpori, quia amant ipsum licet inaniter, vt qui amant eas à quibus non amantur. Et hæ sunt vt manifestum est animæ improborum, & ob id circa cadauera illudunt hominibus, non motu aliquorum corporum, sed sympathia animæ cum anima. Et ob id etiam non omnes istiusmodi vident, sed vnus inter multos, & aliquando multi & non vnus. Et Fortunius Affaytatus medicus Pont: Pauli tertij credidit corpora multorum maximè qui violenter obierint & fuerint iuuenes, per multos annos viuere omni vita, sed plantarum solum quoad operationem, indicio quòd vngues, & pili verè ad multos annos augeantur: Et non potui ad scientiam huius peruenire an verum an sit falsum. Cum verò dicit quòd si incorporea esset non coextẽderetur corpori. Dico quod posset, esse corporea, & cum hoc æterna vt cœleste corpus. Et item alibi docui quod omnia corpora sunt æterna: Et nil etiam perhibet animam esse incorpoream, & tamen totum corpus sentire per illam, & hoc dixi esse de mente Aristotelis expresè, vt hoc suum argumentũ multipliciter claudicet: nam dato quòd animam etiam esset forma corporis seu temperatura, adhuc non oporteret extendi vt ille putat per totum corpus sentiendi saltem causa, multò minus intelligendi, sensus enim omnes, vt Theophrastus docet, diuidi non possunt. Cum vero dicit se non comprehendere in homine nisi corpora vel corporea: Dico oblitum sui, & narrare mirabilia, nam facultatem generandi ipse cuiusdam sapientiæ in corporeæ esse vult: tum rationem sensus cognitionem principiorum constat non corporea esse, quamuis nonnulla per corpus fiant. Homo igitur multorum errorum causa fuit, Miscetque medica cum Philosophis omnia confundens; Meliusque longe fecisset si in medicis se continuisset: Excusandus tamen est quòd omnia à Deo veniunt: Nam secus somniorum illam admonitionem qua medicinæ studiis addictus fuit, qua scribere impulsus est de oculis: Idem in secundo de humoribus. [Quòd si illa tertia pars mentis eluceat: seque ad somniandum aërem prebeat, tum maximè veritatem attingit: neque ei visa absurda accurrant.] Male coaptabit cum anima mortali, aut postquam talia ipse admittit, bene fecisset si eorum causam cum animo corporeo consentientem tradidisset.

CONTRA

CONTRAD. XI.

Cur filij masculi vel fœminæ nascantur.

Hippocrates quarto Aphorismorum inquit. [Fœtus mares in dextri, fœminæ in sinistris magis.] Galenus exponens dicit, quoniam calidior est vteri pars dextra, eo quòd iecori vicinior. Semen quoque à dextro effusum testiculo fomeniæ, vtpote repurgatum à serosa parte calidius est: vt ex dissectione satis constat. Hanc igitur sententiam Hippocratis Philosophus quarto de generatione animalium Anaxagoræ ipsi tribuit. Alia opinio eodem recitante fuit Empedoclis, quòd vterus calidus masculos, frigidus fœminas pareret: esse autem calidum vterum, vel ob iuuentutem, vel ob menstrui sanguinis naturam; contrariis rationibus frigidum. Tertia Democriti vt victoriam sanguinis sequantur; Vincente masculino masculus, fœmino fœmina oritur. Contra hos Philosophus inuehitur: nam sæpius visum est in geminis, masculus in sinistra, & fœmimina in dextra vteri parte; sæpius & masculus & fœmina in eadem vteri parte, quam masculos in dextra, fœmina in sinistra, nec hoc Hippocrati contradicit, dicenti, quod magna ex parte. Sed neque Empedoclis ratio stare potest, cum in eadem parte vteri, vt dictum est, mas ac fœmina generentur. Si igitur pars illa calida est, non potuit fœmina, si frigida mas generari; plus etiam videtur mas à fœmina differre, quam sola caliditate. Democriti autem sententia si vera esset, oporteret masculos patribus, fœminas matribus semper esse similes. Neque etiam verum est quod Leophanes dicebat, à teste dextro masculum, à sinistro fœmineum semen decidi ob idque obligato sinistro testiculo semper masculos progigni, hoc enim experimentum refellit. Quinta opinio Philosophi est in qua præsupponit: primo, quod mas fœmina sit calidior: refellitque opinionem Hippocratis dicentis, quod mulier viro calidior est, quia sanguinem habet calidiorem. Igitur vincente semine masculino, inquit Philosophus, mas qui per se à natura intenditur, generatur, vbi autem non euicerit fœmina; Est enim fœmina mas oblæsus, & contraria illi, ob id cum in cordis generatione vicerit masculinum semen, masculus generatur: si autem non vicerit, in contrarium mutatur, idest, fœminam. Ista responsio non videtur satisfacere, quoniam oporteret vt masculus esset similis patri, & fœmina matri. Item non datur agens fingens membra fœminæ, nec potes dicere quòd masculi membrum solum deficiat perfectione à membro fœminæ, cum dissectio ostendat, quòd in vtero sint multa quæ non sunt in membro virili. Et ideò, hæc ratio etiam militat aduersus Galenum, qui posuit quod causa masculi & fœminæ sit ex calore dicit ille, natura primò absoluit membrum: deinde protrudit illud foras frangendo septum, velut in ortu infantis, genito igitur membro virili intus si calor deficit, non protruditur foras; sed intus manet, atque ita vocatur vterus. Si autem calor viget, exit membrum virile & fit masculus. Similitudo habetur à talpis quæ habent oculos paulo vitiatos, ac ab aliis deficientes animalibus. Ita ratio est persuadens, sed non demonstrans: primò, quia nullo modo possumus fingere animal quod habeat vterum persimilem membro virili quomodocumque inuertatur, nam testes in mulieribus sunt extra scrotum, seu vterum: in viris autem intra. Deinde coles ipse solidus & vterus est inanis ac tenuis, nec potest calor esse causa, contrarium enim potius efficeret, dilatat enim calor; & si dicas, quòd inuertitur in exeundo, oporteret vt scrotum esset magis remotum à pectine, quàm coles, in multis etiam animalibus est magna differentia inter membrũ virile & fœmineum. Quòd si dicas, quod aliquo modo differunt, quærendum est igitur cur natura ab initio membrum virile formauerit, & non fœmineum. Si dicas, quòd ob calorem, istud contradicit Galeni placitis. Si dicas, quod à virtute formam dante: igitur vbi calor deficeret, aliqua mulier haberet vterum cum testiculis intra, & vbi abundaret post constitutionem vteri, exiret vterus cum testiculis extra scrotum, quod tamen nunquam visum est. Alia igitur opinio fuit autoris libri de semine scilicet, quod tam semen masculinum quàm fœmineum haberet vim generandi masculos ac fœminas: si igitur vincit pars perfecta ex vtroque semine partem imperfectam, efficitur masculus: Si imperfecta fœmina, & hoc modo vincente masculino semine fit fœtus patri similis, fœmineo autem matri, & ita perfectio seminis est causa masculi, & fœminæ inperfectio, sed victoria seminis est causa similitudinis. Ita opinio non est vera, quia masculi essent omnes fœminis præstantiores, quod falsum est, videmus etiam aliquos bonæ temperaturæ qui generant fœminas & imbecilles masculos, & etiam cum frequenti coitu. Pro horum igitur solutione respondeo, quòd masculus est calidior fœmina, quo ad membra generationis, vt declaratum est, nec obstat quòd fœminæ cum vtero exierint sint celerioris incrementi, & celerius ad veneris vsum perueniant masculis, primum enim est ob abundantiam humidi: secundum, quia semen fœmineum illa perfectione non indiget qua masculinum, indicio autem est ob caliditatem, nam celerius etiã fiunt imponentes ad generationem, & celerius longè senescunt masculis. Ratio autem menstrui sanguinis, est quod non contraxerunt tantam caliditatem, id est, æquè perfectam in iecore, ob id transmittit, & etiam quia humidus est, ideò plus generat; indicio est quod à suppressione mensium celerrimè transeunt in hydropem, naturâ non ferente tantam vis sanguinis imperfecti, cùm igitur virtus effingens membra generationis fuerit maior in semine masculino, generatur membrum simile masculo, quòd si vincat pars seminis fœminei quæ delegata est generationi membri fœminei fiet fœmina, si vtrumque semen par fuerit, cum non possint

hæc

hæc membra esse similia vt in corde,& iecore,& pedibus generabitur Androgynus: habens vtrumque membrum. Et quia ad conseruationem fœminei seminis vterum generantis iuuat multum semen fœmineum delegatum generationi iecoris ac cordis, ideò generatur hepar conueniens fœminæ, quod resecet multum de sanguine,& ita cor etiam proportionatum, aliter vincitur semen fœmineum vteri causa aliquando à semine delegato coli degenerando, non merito eius, sed merito cordis; & tunc generatur homo audax, sed ad venerem impotens,etsi vincat semen fœmineum vteri, & semen masculinum cordis & iecoris,generatur mulier moribus virilibus & carés menstruis,ac plerunque sterilis.Nec minor, imò maior est differentia fœminæ à masculo in humido, quam in frigido. Et ita hæc octaua opinio nostra omnia seruat apparentia.Et quia calor iuuat ad conseruationem virilis seminis magis, ideò masculi(vt benè dicebat Hippocrates) fiunt magis in dextra parte quam in sinistra, & à testiculo dextro quá sinistro, & à calida & sicca testiculorum temperie, quam à frigida & humida,vt dixit Galenus in arte medica, non igitur malè dixit Galenus, aut Philosophus, aut Hippocrates, sed solum imperfectè, constat igitur quod ad generationem multum confert vt mulier exiccet corpus, & vterum, comedendo phu, & artemisiam per aliquot dies, purgatio etiam cum turpeto confert, & ideò plures steriles post morbos conceperunt. Eodem modo hæc conferunt ad generationem masculorum, & in coitu pendeat super dextrum latus,& illico complete post absolutam venerem, mulier se super ipsum vertat, & hoc multi experti sunt, qui non poterant habere masculos filios. Iuuant & ad conceptum pulegium & scandix & castorei modicum.

CONTRAD. XII.

Hectici calor à cibo cur augeatur.

GAlenus huius reddens rationem secundo prognosticorũ inquit: [At calore iugiter quodam modo in nocte crescente: id accidit omnibus febricitantibus hectica febre, non ratione affectionis nocte augente illis febrem, sed ex quodam accidenti quod inquam tale existit,Per febres hecticas nomine partes ipsæ corporis solidiores ignitiores euadunt. Ob id assiduè febris in seipsa similis manet calorem obtinens perinde vt calx debilem contingentibus. Itaque quoties esitent ac bibant simile quiddam accidit quod in calce euenit aqua perfusa:quo fit vt contingentes exterius ægrum multo calidiorem persentiant. Ego verò vobis eam rem persæpè ostendi in ægris aliàs alio tempore alendo ita febricitantes vt crederetis id illis propter alimentum euenire, non ratione affectionis. Perspicuè enim apparet incidere calorem febriculosum vnà cum tempore alimenti? statimque adhibito augeri cibo,& quàm maximè vehementem per diductionẽ illius apparere.]Idem primo de differentiis febrium in eandem sententiam ait: [Id enim hecticis contingere videtur quod in calce ac lapidibus calefactis:si enim aquam frigidissimam infuderis multo calidiores sentiuntur nutriente vt videtur in ipsis humida substantia aridam caliditatem. Sed quam sit huius rei causa rationem studiosos inquirere oportet. Quod autem ità fiat, cuicunque voléti discere licet; si enim intra manus recipias calcis glebam eiusdem parui facies caliditatem quam neque senties: quòd si ad terram deponas atque aqua perfundas,videbis quam primum vehementer calefactam, atque feruentem sicuti lebetes,quando ingenti adhæserint flammæ, vapores etiam non paruos ab ea efferri conspicies: quod si & tangere ausus fueris, facile ex hoc deuri continget. Adeò si ad sensus iudicium referatur humida caliditas vires habet non parum quam sicca euidentiores. Siccam verò in hecticis febribus esse caliditatem quas tabes consequitur eo constat argumento.]Auerroës autem quarto Collectaneorum irridet prorsus hanc causam,& dicit quod est fabula similis his quæ à Poëtis narrantur, & reddit rationem: quia quod accidit calci ex aqua, contingit quia sunt in extremo contraria sicut calx est prope ignis naturam potestate & ideo accéditur ex contrario.Et latet sub hac ratione efficax argumentum, quia ignis ab aqua inspersus magis accenditur vt fabris consuetum est. Extremum ergo ab extremo confirmatur per antiparistasin, non autem medium ab extremo, nec medium à medio, aliter collæderentur actiones per se & relinquerentur solæ per accidens. At alimentum cum corpore hectici non sunt in extremo contraria. Et id euidentiùs apparet ex his quæ ibi dicit Galenus qui distinguit tabidos ab hecticis,& dicit expresè quuod non omnis hectica est cum siccitate, sed solum cum transierit ad tabem; & tamen vult cum hoc quod hoc signum sit commune omnibus hecticis,non autem proprium tabidis: ergo cũ calx sit siccissima, & aqua humidissima liquet exemplum non esse vllo modo ad propositum. Dicit ergo quod hoc contingit quia nutrimentum quod est potestate solum calidum si modo etiam tale sit dum debet nutrire oportet vt actu incalescat & ideo etiam membra agendo, quod non contingit in putridis febribus quia calor non est in membris fixus. Et ideo notandum est aliud pulchrum sub hoc præcepto quod nutrimentum patitur bifariam,aut à calore influxo à corde, & sic in putrida corrumpitur: aut à membro, & sic benè restaurat quia licet membrum sit calidum externo calore, calor tamen naturalis membri non est corruptus vllo modo; solum enim est qualitas, ibi, sed non mutauit substantiam: sicut manus pueri tempore hyemis benè nutritur,licet calor eius sit refrigeratus secundum qualitatem externam. In alio etiam dissidet Auerroës à Galeno quia cum Galenus dicat ad summum peruenire calorem hectici intra duas horas ab assumpto cibo,Auerroës dicit tangendum esse pulsum ægri post tres horas ab assumpto cibo,quamquam hoc parum referat. Princeps autẽ prima quarti suo mo-

re amplectitur ambas causas dicens quòd à cibo calor hectici augetur sicut superfuso oleo flammæ,& est causa Auerrois: & vt superfusa aqua igni in oleo accenso vt non supponeret iam siccitatem quam supponit Galenus in calce. Sed tamen licet oleum non sit siccum, ignis tamen in eo accensus est siccus. C. autem Vega multa dicit contra Auerroëm innitens huic fundamento, quòd calor hecticæ sit siccus,cum Galenus id apertè neget esse semper verum. Ideò dico quòd calor auctus est principium motus in agente si seipsum sustinuerit,& in patiente si ab alio sustineatur sicut docui in secundo de dentibus. Cum ergo calor hectici sit proprius iam maiorem habet motum in coquendo,& ideo membrum magis incalescit: & hoc est quod voluit Auerroës, & tamen ille motus fit à contrario quia humidum & frigidum est contrarium calido, in eo quòd vtraque qualitate aduersatur calori naturali: frigido quidē per se,humido autem per accidēs.Cum ergo calor in membris sit triplex; impressus qui non habet motum, & impressus qui habet motum; sed præter naturam & naturalis qui habet motum naturalem, adeò vt cum augetur aut superabundet gliscat ad motum vehementiorem: indè oritur appetitus exercitationis qui est optimum signum & vigoris naturalis; vnde etiam apud Comicum Mercurius sub serui forma inducitur dicens.

——— *Gestiunt pugni mihi.*

Appetit enim & efficit motum calor naturalis vt homo gestiat.

CONTRAD. XIII.

Animalia è putredine genita, à qua putredine generantur.

AVerroës duodecimo primæ Philosophiæ & in disputationibus dixit, quod à putredine genita generantur à corporibus cœlestibus vitamque ab illis sortiuntur. Verùm secundo de generatione animalium, & in tertio eiusdē,& rursùs in quinto de Natura animalium vbi differentiam posuit eorū quæ semine & quæ sponte generantur subiectam materiam loco seminis ponit; alia enim ex aliis insecta generantur, vt maximè in quinto de natura animalium multis exemplis docet, calorem autem syderum causam esse vult. Verum quomodo illud est intelligendum quod ab Auerroë scribitur septimo primæ philophiæ si à forma separata animal generatur,igitur absque materia.Themistius itaque in expositione secundi de anima dicit. Animalium duo sunt genera, quorum enim perpetua est generatio, vt quæ semine procreantur, illorum est particeps magis natura immortalitatis: quæ autem solum ex materia ortum habent eum illorum non sic adeò perpetua generatio,nec erunt talia immortalitatis adeò participantia natutam, vt quæ solis ac statis quibusdam temporibus appareant sin que. Auerroës tamen vt dixi duodecimo primæ philosophiæ contra Platonem ac Themistium inuectus inquit non esse formas separatas qua animalia possint generare, aliter possent generari absque genere eiusdem rationis seu semine. Sed dicit in vtrisque animalium generibus sufficitsola materiæ præparatio.Dicit virtutes,igitur hæ sunt in vtrisque similes nisi quod præparatio in materia putri est à solo sole, sed in semine à sole & à patre;ista igitur præparatio inquit, à sole ipso in vtrisque ad actum reducitur, generatioque ipsa perficitur, nec requiritur ad hoc forma separata. Cum igitur animal ex semine genitum primo à natura intenderetur,non potuit sol supplere solus ad materiæ præparationem, sed proprium agens requirebatur cuius ope nunquam cessaret talis præparatio,aliter nō primo ac principaliter, sed casu quodam velut quæ putri natura constant animalis huius conseruatio à natura intenderetur.Qui igitur posuerūt ideas vt Plato,& Themistius, atque Alpharabius Platonem sequentes sustulerunt præparationem hanc quam poterat idea non solum quemadmodum solis calor educere quod erat præparatum ad actum,sed ipsam præparationem sine proprio agente perficere; atque ita non solum omnia animalia ex putri materia generare,sed ex qualibet materia quodlibet animal. Differt igitur opinio Platonis ab opinione Auerrois in tribus, primum quod non omnia animalia possunt sine semine generari,secundum quod idea non est sufficiens sola in genitis à semine inducere præparationem.Tertio quod agēns incorporeum vtpote Deus benedictus licet contineat in se vires omnes, non tamen agit quicquam nisi medio corporis,& idem de ideis erit statuendum; primā enim causā omnes formas continere concessit Auerroës duodecimo primæ philosophiæ.Pro hoc autē videatis quæ scripsimus clarè in quarto Theonosti doct. prima vbi apertè declaraui quod omnia animalia gignuntur, aut gigni possunt non ab idea, sed à sua anima. Auerrois autem argumentum est sophisticum cum dixit,ergo sine præparatione materiæ:ostendi enim modum ibi quo calor potest præparare directus ab anima. Ideo nec opinio Principis potest esse vera, quia tribuit omnium animalium generationē vni vitæ vt & præparationē omnium soli, sed hoc verū esse nō potest nisi ponantur omnia animalia eiusdē speciei & quod differāt solū vt numeri re.Ideò relego ad illum locū & etiā ad primū librum commentariorum in primam primi de mixtione element. capite primo 1. fen. sed reuertendo ad principale institutum dico quod senes generant sibi similes: est etiam alia contradictio fermè eiusdem tituli in vndecimo libro, sed parum ad hoc propositum: quoniam non solum vt dictum est,multum seminis effundant,sed etiam quia concoctum. Si tamen humidius sit fœmina generabitur; non enim, vt diximus, magis confert ad generationem masculi calidum, quam siccum; qui autem multum concubunt, aut fœminas procreant, aut sibi dissimiles filios.In expellendo autem semine, hic ordo seruatur, vt validissima pars sit iuxta

Galeni

Galeni sententiam, vt dictum est, quæ primo eiicitur, debilissima quæ vltimo ob id qui arctum habent virgæ foramen, vt adolescentuli, rarò generant, & fœminas, & infirmos plurimum etiam ad generationem obest, si non intus coles valde sit, sed flectatur, accidit hoc vitio nerui cuiusdam sub cole existentis, qui glandem ad se inflectitur dum membrum tenditur, frangitur autem in coitu bona fortuna quibusdam, aliis autem integrum manet, impeditque generationem magna ex parte, debilesque procreat natos. Hæc igitur tot ac tanta de his dicta sufficiant.

CONTRAD. XIV.

Fames an inimica febri?

MAlum febriculosum inimicum fami, inquit Hippoc. sexto Epidemiorum; Non solum de febre intellexit, sed de omni febrem coniunctam habenti morbo intelligit. Et primo prognosticorum. [An fames illum teneat:]id est quoniam ex fame possunt incidere in faciem Hippocraticam etiam ab initio. Vbi Galenus hæc habet in commento; [Si igitur regio calida sit & tempus anni æstiuum, & temperatura bile abundans calida insuper & sicca sit, corpus vero quod facile difflatur, & os ventriculi imbecille, confestim in huiusmodi vultum exitiosum deueniet, nisi vires & ventriculus firmentur idoneis alimentis.] Antea verò hæc dixerat. [Vbi debilitas detentoriæ in animalibus facultatis pariter sit, atque humores tenuiores cum febre calida: præ debilitate excernitur subinde aliquid inuisibile propter paruitatem extra cutem vtpote tenuioribus humoribus effluentibus: At verò febris etiam magis consumit tenuissimos humores, minus verò tenues extenuat; ita vt nunquam vacuatio desinat sed similetur continuis vomitionibus, aut alui fluoribus, aut ex vrina immodicis vacuationibus. Verum interest, quod eæ sensibiles sunt: ea verò quam nunc commemoraui, præ tenuitate fluoris inuisibilis est. At ratio etiam huic subscribit fames exsiccat & resoluit vires; idem facit febris, ex siccitate fiunt vigiliæ, ex eadem etiam impeditur coctio, quoniam coctio fit à calore humido; igitur fames non conuenit febri. Et Galenus duodecimo artis curandi c.6. Dicit vbi humores tenues sunt & qui difflentur hos paulatim & assiduè nutriemus. Febris ergo vt febris est resoluit per insensilem transpirationem, & exsiccat vt nutrimentum exposcat: At contra Hippocrates primo Aphor.7. [Vbi morbus peracutus est, statim extremo habet labores, & extremè tenuissimo victu vtendum est.] Et palam est illum loqui de febre & omnibus morbis febrem secum coniunctam habentibus. Ratio quoque hoc declarat; calor febrilis non concoquitur, igitur non indicat de cibo exhibendo: Et cum quanto acutior est, eo minus concoquat; febris vt acutior est, eo minus de cibo exhibendo indicabit. Respondeo quòd hæc quæstio licet leuis videatur, est tamen vtilis admodum ad exercitationem & finem artis. Febris indicat bifariam vt calor est siccus præter naturam & sic indicat de abstinentia à cibo, quia non benè concoquitur. Hippocrates tamen nec propter hoc prohibet cibum, sed propter symptomata quæ accidunt febribus sæuis quoniam illa impedunt coctionem cibi & opprimunt virtutem: assumpto enim cibo pulsus fiunt minores, celeriores, & crebriores (quamuis me non lateat quid de hoc scribat Galenus tertio de causis pulsuum c.16. & quarto eiusdem c.23. quasi quotidie bis id non posset experiri qualis sit pulsus statim assumpto cibo) est enim velox & creber natura properante ad coctionem sic & extrema fiunt frigida; sed statim atque eò celerius, quò cibus est calidior & concoctioni aptior, fit magnus donec ad perfectã concoctionem deuenerit. At in febricitantibus & grauibus symptomatibus oppressis hæc noxa in ventriculo diù manet. Verùm ratione resolutionis & siccitatis qui sunt effectus febris, ipsam indicat de nutritione, & eo magis si reliqua absint de calore regionis, & temporis, & temperiei, & abundantia bilis & corpus rarum, & ventriculus imbecillis. Adde quod maximum est omnium & à Galeno prætermissum assuetus multo cibo, & multum nutriente; tunc omninò de cibo, & assiduo, & satis copioso & nutriente indicabit. Dat verò Galenus ibidem panem cum alica & oua, & testiculos gallorum, & cerebrum suillum: & hæc ab initio, & in incremento morbi. Quid ergo si in tali statu sit æger, & sæuiant symptomata? dico quod erit in extremo periculo, non tamen dabis panem nec oua, sed alicam cum granis punici mali medii saporis, & ius pulli tenue. Concludo ergo quòd febris est inimica fami; sed ob symptomatum magnitudinem, & materiã quæ augetur oportet à cibo abstinere Hipp. autem loquitur in prognosticis de fame non necessaria: & maximè quia ibi loquitur de morbi princio in quo si quando conuenit vberior cibus, vt etiam primo Aphorismorum.

CONTRAD. XV.

Hectica an fiat incipiendo.

GAlenus secundo de crisi inquit: [De Hecticis autem non est præsentis temporis sermo; nulla enim earum in primis diebus sed in progressu temporis fit.] At in primo de differentiis febrium tres cum sint febres quę ex intemperiebus constituuntur; vel enim in ipso cordis corpore, vel in humoribus, vel spiritibus accéduntur: Præincipere autem in omnium febrium constitutione causas quæ ab omnibus manifestè noscũtur necesse est. Hoc Conciliator tanquam quod incipere per se talis febris possit, ex Galeni sententia adducit. Porrò Galeni verba quæ ille adducit satis mihi clara videntur dum in primo de differentiis febrium inquit: [Hecticæ autem quando sine causis præincipientibus generantur, numquam ab initio

inuadere consueuerunt.] Adeò vt vel febrem aliquam, aut causam præincipientem seu externam; vt iram, tristitiam, laborem, aut vigilias præcedere velit, velut & insolationē balneum siccum, & inferius clariùs: [Incipit autem cordi hæc passio nonnunquam ex seipso, sicut in excandescentiis, vehementibusque tristitiis ac diuturnis, nonnunquam verò ex ardentibus febribus:] Tandem concludit quod ex quorumlibet viscerum inflammationibus diuturnis, & ex pulmonis ac pectoris suppurationibus fit. Princeps tamen prima quarti. [Longissimum est vt hectica accidat incipiendo, quasi sint membra semine genita iam inflammata, & non inflammetur humor seu spiritus ante illa; imò oportet vt illa ante hæc calefiant nisi sit causa valde patens.] Dico sententia est clara, sed pro prima authoritate ἀποτελεῖται perficitur, malè interpretatum est, fit: aliud fieri. Vult enim omnem hecticam perfici progressu tēporis, quoniam & si transeat ex inflammatione vel ex ira in illam, cor tempore longiore perficitur. Ob id & Auenzoar, & Auerroës dixerunt rarò fieri nisi post febres alias; quia rarò causæ externæ sunt adeò potentes.

CONTRAD. XVI.

Signa principij morborum exitialia, an certiora signis status.

Signa initij esse validissima ad declarandam mortem docet Hippocrates primo prognosticorum tum per ea verba, lethale est. Et maximè cum in sequenti dicat. [Si vero vetustior sit morbus, appareantque talia tertio vel quarto die; tunc de his interrogare oportet de quibus dixi, item alia signa cōsiderare, (quæ cum enumerasset inquit) mala omnia sunt, & perniciosa.] vt longè minus mala esse velit, tum quia serius perimunt, tum quia dicit ὀλέθρια, id est, perniciosa & prius dixerat θανατώδες, quod est aliquid etiā magis quam lethale, cum aliud sit solum perniciosum, id est, ad exitium inclinans: tum ex modo loquendi, quia ad ὀλέθρια præponit τὰ πάντα κακά, id est omnia mala: indè subiicit & exitialia. Et huic sententiæ astipulatur Galenus vt etiam in commentariis diximus. Vt concludendo dicam Hippocratem signa existimare ad mortem visa esse maximè horrenda & lethalia, cum in ipso initio, ingressu morbi apparuerint; posterius verò mitiora. At contra Epidemiorum: [Coctio iudicij celeritatem ostendit, securitatemque salubrem, cruda verò quæ ibi enumerantur mala.] Et recitatur in libro de constitutione artis medicæ: & prima Aphorismorum, [Coctionis signa semper bona, iudicatoria non ita.] Et in primo de crisi: [Coctionis signa nunquam malè apparent.] Et in tertio de crisi. [Eorum quibus interfui neminem ex crisi periisse vidi quam coctionis signa præcessisset.] Eadem millies repetuntur à Galeno velut quarto Aphorismorum bis. Respondeo quòd solutio huius difficultatis pendet ex his quæ dicuntur in primo Aphorismorum. [Signa mortis solent apparere in principio morbi; signorum autem salutis nullum est tam potens quam coctio,] Coctionis autem nunquam signa apparere possunt in initio morbi, vt ibidē habetur. Itaq; signa lethalia ab initio apparere possūt salutaria nō nisi procedente morbo, quia pēdent ex coctione non absolutè sed confirmata; vt in secundo prognosticorum: [Vrina optima erit si candidum sedimentum fuerit, leueque & æquale per omne tempus, dum morbus iudicetur.] Dixerat & de nota confirmata coctionis quarto de victu in acutis. Verùm quidam dicerent quòd signa mortis ab initio essent certiora quam in statu morbi: quod verum non est: siquidem inclinante morbo & resolutis viribus sunt certiora signa lethalia, quam ab initio cum adhuc vires stant. Sed Hippocrates illa principij præponit quia sola illa sunt artificiosa, & Medicum ab infamia liberant: signa autem lethalia in fine etiam astantibus nota sunt, nec Medicum ab infamia liberant. At signa mortis in principio sunt firmiora signis incrementi, & status, & iudicij & aliis huiusmodi ob vehementem agitationem quæ contingit in illis: In principio autem materia si non omnino quieta est, parum abest à quiete, & ideò cum procedente morbo necesse sit naturam eo magis affligi, ideò & mortem sequi incrementum illius cuius principium non fert.

CONTRAD. XVII.

Labij superioris tunica an vna cum ventriculi tunica.

Galenus docens causam tremoris labij inferioris ante vomitum solum illius meminit, eiusque tunicam vnam & eandem esse commemorat cum tunica interiore ventriculi primo Prorhiticorum, & secundo de victu in acutis: Sed tertio Prognosticorum dicit postquam de tremore labij inferioris sermonem habuit in eiusmodi casu, quòd labra tremunt ante vomitum vt videatur intelligere de superiore etiam. Et subiungit causā quia ventriculi tunica est eadem & palati, & gulæ, & linguæ, & totius oris; adeò vt eadem ratione vtriusq; labri cōprehendat substantiam. Aliud est quod confirmat hoc scilicet quia materia in febribus licet magis ad labium inferius (scilicet intermittentibus) ad vtrumque in declinatione labrum propelli solet, & apparet quædam exustio. Et in secundo de differentiis febrium vult quod non à ventriculo, sed à capite descendat. Respondeo quòd tunica illa non est eadem prorsus sed intelligit per coniunctionem, ideò ante vomitum bilis tremit labrum inferius manifestè; & hoc citat Galenus ex Hippocrate qui hoc dixit secundo de victu in Acutis. Quamquam ambo tremore soleant, sed superiùs solum obscurè & per consensum. De capite autem dixi causam quia non ad cutim sed ad substantiam labiorum materia transfertur. Verùm cutis est

causa

est causa tremoris labij, quia vt Galenus docet adeò se cuti inserunt musculi vix per dissectionem separari possint: ideò mota tunica motu inuoluntario, labia connexa mouentur.

CONTRAD. XVIII.

Dolor an variet pulsum, vt efficiat paruum aut tardum.

GAlenus in primo de spirandi difficultate inquit: [Dolor in pulsu efficere non potest vt sit tardus aut paruus quemadmodum in spiratione, quia spiratio à virtute animali & cum cognitione,] Et dat exemplum de crure & ambulatione, vt de phlegmonibus in quibus pulsant vehementer arteriæ dolorem inferentes, cum si in potestate voluntatis essent, non solum vehementius sed remissiùs pulsarent. In quarto autem de causis pulsuum inquit: [Vt in omni molestia facultas, ità in doloribus sese solet ad depugnandum & reiiciendum id quod sese infestat concitare. Optimo igitur iure in magnitudinem & celeritatem, vehementiamque pulsus mutat.] Ad illud dici potest quod dolor potest reddere pulsum magnum & velocem concitata facultate, sed non ob sensum animalis partis efficere minorem, aut tardiorem: sed tamen fatetur facultatem sentire dolorem, & si sentit cur non fit etiam quandoque minor aut tardior? seu enim cognoscat vitalis facultas, seu non cognoscat, mutat tamen pulsum. Et ibidem de lætitiæ & timoris pulsu quæ quotidie videmus, & in de prædictione ad posthumum de Domina illa quæ Pyladis amore flagrabat quantum pulsus varietur edocuit. Et in primo prognosticorum pulsus variantur ex animi perturbationibus, quomodo ergo dolor pulsum non mutat. Mihi autem visum est quod in doloribus magnis adeò euidentem sentirem inæqualitatem, vbi minuerentur paruam & occultam; ostendique hoc ægris atque astantibus non sine magna admiratione. Quinimo illud maximum est quòd spiratio non tam facile mutatur, nec tam euidenter vt pulsus in animi affectibus, & tamen animi affectus maximè animali parti noti sunt. Hæc maria difficultatum Galenus aut non vidit, aut dissimulauit. Et quamquam ea via effugere liceat, quod pulsus vt per dolorem, cognitionem, & animi affectum mouet, etiam pulsum moueat, nihilo secius: adhuc dubitatio stat, cum nec à pulsu nec ab animali cognitione pulsus possit fieri tardus aut paruus. An eo refugiemus erimusque tam absurdi vt dicamus mentis commotionem posse efficere pulsum magnum & velocem, paruum & tardum efficere non posse? Dico ergo quòd cum sint duæ facultates animæ cognoscentis rectrix & sensus exterior: rectrix communicatur cordi necessario ob uoluntatem & deliberationem quæ est in corde, & ideò cor permutatur à rectrice, & ideo etiam pulsus & hoc secundum Medicos, sed secundum Philosophos istud est etiam euidentius quia vis illa est in corde ipso. At vis sensus exterioris est in cerebro ipso secundum Medicos, ideò cerebrum afficitur quia fit per instrumentum vt pote per sensum tactus, ideò principale quod sentit est cerebrum; & ideo mouetur vis motrix quæ est coniūcta cum ea quæ sentit: igitur anhelitus qui pendet ex vi motrice cerebri permutatur. Est enim vna vis motrix vniuersi corporis & sensus, quare etiam cum fiut coniunctæ, vna cōsentit alteri. Sed in via Philosophorum dicendum erit quòd particula non potest mutari, quia motus voluntarius est distributus in singulas partes, ità quòd quis potest mouere manū & quiescet pes ideò dolor in manu potest prohibere motum voluntarius in manu, & non prohibebit in pede: at motus pulsus est totus in principio id est in corde; ergo non facta permutatione in principio, non fiet mutatio in motu pulsus. Causa autem quare anhelitus non mutetur sine animæ affectibus est quoniam ipsi sunt in corde, ergo non mutatur nisi prout cerebrum consentit cordi. Et ex hoc patet quòd opinio Philosophorum est vera de principio sensus motus etiam voluntarij; Variatio igitur pulsus ad magnitudinem & celeritatem, non est vera; aut non per se in doloribus.

CONTRAD. XIX.

Tumor iecoris in parte caua an sentiatur.

PAulus libro tertio hæc habet: [Priuatim cum caua iecoris inflammatio obsederit nausea, & vomitus, ac cibi fastidium, & flammeus ardor intenditur, anima deficit, & sæpe membra perfrigerantur, vt aqua subter cutem transfundi indè incipiat. Rursus si gibbam ipsius regionem inflammatio corripuerit præter reliqua superius commemorata, tumor quoque manifestus in superficie oculis, & tactui conspicuus est. Hæc quidem magnam & validam inflammationem testantur sin obscura quædam fuerit, ægro imperabimus vt magnam ædat respirationem: & si dextra parte doluerit, moderatam esse inflammationem dicemus.] Ponit ergo tres ordines si magna sit inflammatio & valida in gibba iecoris, tumor, erit conspicuus in superficie tactu ac visu. Si in gibba & mediocris non dignoscetur ex dolore in magna respiratione, si in caua neque si magna neque si parua vllum prorsus signum tumoris apparebit. Hoc totum sumpsit Ioannes Damascenus qui & Serapio, cum tamen Aëtius lib. 6. cap. 2. dicat: [Inflammato iecore dextri ilij (sed melius præcordij) tumor consequitur, & maximè si gibbosa parte inflammatum fuerit, faciliùs per tactum tumor dignoscitur grauitasque coincidit ilium.] (id est præcordium) totum distrahens:) Ità vt velit etiā in caua maximè si phlegmō sit magnus tumorem apparere. Cui consentit Princeps cum

cum dixit. [Et in tumore partis gibbosæ tactus illum deprehendit manifestius.] inde subiicit: [Et si sit in parte caua non cadit sub tactu indicium de quo sit curandum.] Alexander Trallianus longè aliter sentit, nam vult quòd neque in gibba neque in caua sentiatur nisi sit magna inflammatio, atque in hoc consentit cum Paulo & aliis, sed vult quod si sit magna sentiatur tam in caua quam gibba, vt nil intersit pręter locum, cum in caua tumor sit in humiliore in loco. Haliabbas quædam addit, nam in principali cum Paulo consentire videtur quæ subiicere decreui: [Et si in gibba iecoris fuerit phlegmon, percipietur tumor calidus forma luna renascentis. Et vt hoc deprehendas melius collocabis ægrum supinum vt nil capiti supponas, contractisque genubus componas pedes iuxta.] figura respondet cum his que dixerat Princeps cum Aëtius dixerit rotundæ, non lunaris. Et ideò Aëtij senteniia exploranda est distinguentis abscessum iecoris à musculorum abscessu, primùm in forma quæ rotunda est vt distinguitur ab oblonga abscessus musculorũ ventris, vt rotũdum generaliter capiatur; quod etiam continet lunarem effigiem, sic enim contra opponitur oblongo, non lunari quæ forma etiam rotunda est, non recta. Secundo quòd tumoris iecoris proprium vt homine super latus sinistrum reuoluto tumor euidentior appareat, iecore extra costas protenso. In tumore præterea iecoris cutis non tenditur quoniam tumor profundus etiam, secus in musculis: Demum ex tactu, nam in iecore mollior est & profundior. Sunt præter hæc, signa Galeni, sumpta à febre, colore faciei, & tussi. Pro concordia ergo dicendum quòd tumor euidens absque inquisitione non apparet in caua iecoris phlegmone laborante ob duas causas, prima quia pars illa introrsum conuersa est: secunda quia cum cauum sit tumor efficit æqualitatem quandam, gibbæ autem se sponte offert, at in caua vbi magnus fuerit inquisitione facta quandoque se offert, quandoque non, cum se occuluerit sub costis; ideò diuerso modo locuti sunt.

CONTRAD. XX.

Iecoris dolor an solum grauis, an magnus esse poßit.

GAlenus secundo de locis inquit: [Quocirca grauitas in iecore & renibus sentitur, cum tumoris alicuius præter naturam genus ea membra infestauerit, nam in horum viscerum quolibet circum ambitus membrana per quam neruus dispergitur sensu potitur quia verò à tumore qui est in viscere ipsa extenditur doloris speciem appellatione dotauit; Proinde Hippocrates primus omnium scripsit: In renem dolor grauis. Post hunc verò optimorum Medicorum non pauci, nom acuti doloris sed grauitatis sensum in prædictorum viscerum inflammationibus fieri dixerunt.] Atque hanc opinionem etiam confirmasse visus est quinto de tuenda sanitate: At in sexto de tuenda sanitate inquit: [In iecinore aut ponderis sensus, aut distentionis, aut vtriusque percipitur.] Dolorem etiam hunc iecoris dixit Auenzoar esse quandoque in membrana acerbissimum ob multitudinem neruorum qui illi inseruntur, & quod curauit illum oleo nucum & ex vitellis ouorum æqualiter mixtis; sed ex curatione incidit in morbum regium. Et videtur concordare cum Principe. [Et sentit dolorem vehementem, quandoque non sicut in obstructionibus.] Et non multo post. [Et cum abscessus fuerit in parte concaua dolor est vehemens propter compressionem.] At Galenus secundo de locis inquit: [Sed nec violentus est iecoris dolor, sed potius grauis.] Et quarto de vsu partium: [Minimum autem sensum iecori natura dedit quòd neque ad motum illud, neque ad sensum animali præparabat.] Hic multi periclitarentur addicti atque iurantes in verba Galeni, nam intestina sæuissimis torquentur doloribus si quæ alia membra, siue colicis seu iliacis; & dentes, & tamen exiguos excipiunt neruos; adeò vt pro dẽtibus coactus fuerit sua ipsius dogmata desere, dixeritque illa ex substantia ipsa sensum habere absque neruis, scilicet animaduertens substantiæ dẽtium adeò dense neruum inseri non posse. Sed quid de intestinis & vtero: Ad de iecore nugas agit vt qui medicinam non exercuerit, nam constat ibi acerbissimos in membrana excitari dolores: quod non potuit latere Auenzoar qui in seipso id expertus sit, quamuis in reddenda causa longè latemque aberret, nam verum minimè est in iecoris membranam spargi multos neruos. Quamobrem dico iecur exiguum habere sensum admodum, quoniam crassæ sit substantiæ calidum & humidum, & neruis destitutum: membranam autem ex consensu, parui doloris solum esse participem. At si laboret ob iecoris obstructionem, tunc cum cogantur illud sustinere, dolorem percipit solum grauitatis speciei: verùm is rarò magnus est non quia parum illa sentiat, sed quoniam rarò intumescit iecur, adeò vt distendat violentius tunicam qua suspenditur. Si tamen ad id peruenerit, immensum sentit dolorem cum sit tunica illa tenuis & neruus itidem qui ei inseritur: quò enim tenuior, eò magis & violentiùs dolore afficitur tur, quia magis laborat & dissoluitur, vnde nulli maiores dolores quam digitorum manuum, quod & nouere mali tortores, vt etiam Olaus magnus testatur. Sed nemo negare potest interponi quandoque flatum inter tunicam iecoris & iecur, & tunc fit tensiuus dolor non ratione iecoris sed membranæ. Vt dolor, non sit magnus qui grauat in iecore, sed in tunica potest esse quamuis rarò, tendens aut longè maior esse solet. Galenus autem loquitur solum de eo cuius causa est ex phlegmone iecoris qui paruus est non solum ob consensum, sed ob loci caliditatem: paucitas autem neruorum est causa obtusioris sensus si non diuidatur neruus in minimos ramos, ideò est causa per se.

CONTRA

CONTRAD. XXI.

Iecur an œdema contrahere poßit? an ſchirrum magis quam lien?

GAlenus quarto de præſagio ex pulſibus. [Nunquam ex thoracis,vel iecinoris tumore fit mollis pulſus , eo quod nec innaſcitur his inſtrumentis œdema pituitoſum;compactio enim thorax eſt quam qui eam fluxionem admittat : iecur autem non modo compactius eſt , ſed & innata facultate permutat pituitam.] Idem quaſi ſui immemor inquit:[Qui pulſus cerebri aut pulmonis gratia molles ſunt,ita ſunt molles aut nullus alius. His præ cæteris vicinior eſt ille qui ex iecinore & liene oritur œdemate affectis.]De ſchirrho 13. artis curandi : [Quippe iecinoris ſubſtantia ſcirrhis maximè opportuna eſt,vt pote quæ naturaliter lutoſum quippiam continet ; veluti Medicus quidam noſtri temporis per iocum dixit : lienis verò rarior ſubſtantia quam iecinoris eſt,cæterum crebrius ſcirrhoſis vitiis affligitur propter nutrimenti quo vtitur ſpeciem. Monſtratum namque eſt , quod craſſo nutritur ſanguine, qui veluti limus purioris eſt, facillimeque : nigrabilis efficitur:ideoque etiam ipſum melancholicum ſiue atrum appellamus excrementum : atque hæc duo viſcera ſchirroſis tumoribus, vel experientia ipſa claré iudicat. Renes verò quòd conditi ſint tactum effugiunt. Cæterum hos quoque facile ſcirrhis deprehendi ratio docet , atque idcirco nephritidas aliàs facile ſolubiles aliàs ægrè ſolubiles eſſe cum renes ambo habeant quæ in viſcerum vtroque prædicta ſunt ineſſe tum ſubſtantiæ qualitatem,tum excrementorum, quæ per ea dilabuntur vitium, quo fit vt qui craſſi ſucci cibis veſcantur calculi vitio corripiantur ; Ergo quantum trium horum viſcerum ſcirrhoſi affectus difficilius curantur, tanto magis eſſe ſollicitos oportet ne quis in hos incidat. Maximè autem (vt dictum eſt) incidunt qui ipſis phlegmone vexatis iis cibis vtuntur qui craſſos lentoſque ſuccos efficiant. Secundo quoque prognoſticorum videtur velle quod ſcirrhi iecoris à liene priùs indurato ex morbis longis trahant originem:in acutis autem non ità:Princeps quoque videtur fateri quod iecur facilem â ſcirrho corrupiatur cum dixit. [Et ſcias quod hepar velociter contrahit duritiem lapidi ſimilem,præcipuè cum in phlegmone quæ aſtringunt & craſſum reddunt ſuperfluè adminiſtraueris. Et infra ter repetit quod facillimè dureſcit, in vltima autem authoritate hoc additur:[Et ſcias quòd ſicut hoc membrum velociter contrahit duritiem lapidoſam;ita eſſe facile recipit reſolutionẽ.] Vt videatur mirabile hoc dictum , tum præſertim quòd dicat Galenus ſcirrhum iecoris in multos dies extenſum , neque ego ſanaui, neque alium qui ſanauerit vidi ; ab initio autem ſœpiùs ſanaui. Vt meo iudicio Princeps dictum ad initia ſit referendum ſicut de œdemate vt intelligamus in ſubſtantia illius fieri non poſſe ſed inter ipſum & tunicâ quod non omnino rarò contingit:frigida enim eſt pars illa membrana contenta. Et licet non dixerit de facilitate duritiei in liene Princeps,quod dixit de iecore fuit quoniam iecur faciliùs dureſcit ob ſubſtantiam duram;lien autem cum ſit laxus non tam facilem in duritiem peruenit:habet tam cauſam duritiei promptiorem:ſcilicet terreum alimẽtum ſicut iecur carnoſum. Et ideò lien nonniſi longo poſt tempore ad lapidoſam illam duritiem peruenit celerius tamen ſui comparatione dureſcit quam iecur , ſed non peruenit à tantam duritiem.

CONTRAD. XXII.

Tympaniti an medicamenta purgantia conueniant.

PAulus libro tertio cap. 48. in fine , hæc habet. [In eo morbi genere quæ venter ſonitu edit Tympania vocant , purgantia & quæ vniuerſim corpus emaciant vel colliquant releganda ſunt.Item & his quæ vrinam mouent efficaciora. Illis autem quæ extenuare & diſcutere ſpiritus poſſunt , tum intus extra vtendum eſt. Aut cucurbitulæ leues toti ventri crebrò ſuffigentur.] Princeps autem qnartadecima tertij tract.4.c.15. incipit ab his verbis. [Regula in curatione eius eſt vt euacuetur humor humidus ſi retentio eius fuerit cauſa inflammationis;adeò vt quamquam indigeat euacuatione atque & inciſione ſicut in aſciti. Nec tamen oportet vt multiplicent medicamenta purgantia, ſed potius conueniunt quod vrinam prouocant,quamquam & illis oporteat modum adhibere:ſiquidem exceſſus eorum generat flatus copiam.] Aëtius quoque libro decimo cap.21. ad 27. miſcuit curam totam aſcitis cum tympanitis curatione. Haliabbas videtur ſequi Principis curam , nam lib. 7. Pract. 38. purgat & cum calidiſſimis medicamentis. Eandem rationem iniit Alexander Trallianus ; & quod magis mirum eſt Oribaſius non ſolum in Synopſide , ſed & in Euporiſto libro nono capite primo ſecundo & tertio , vbi eadem fermè refert vtroque in loco (ac ſi quis ad verbum tranſcripſiſſet) cum tamen Paulus qui ab eo feliciſſimè hac in parte recedit teſtetur ſe illius etiam Paraphraſten. Hippocrates libro de internis affectibus. [Aqua intercus fit æſtatis tempore cum ſiti vexatus aquam multam biberit (nam & hoc maximè fieri ſolet) & pulmo expletus fuerit & indè ad pectus tranſmittit, vt cum ibi ſit calorem exhibeat vehementem ; vnde pinguedo quæ in arterias eſt colliqueſcat , indéque dum perſeuerat aqua intercus generatur ; cum verò multa genera enumeret ſiccæ non meminit.Rhaſis decimonono continentium tribuit Galeno quod cenſuerit ſiccam hydropem fieri vitio ventriculi , & inteſtinorum ; aſcitem hepatis. Et interpre-

tatur dictum Pauli releganda sunt non abundanter vti illis oportere, & ponit curam prouocantium vrinam, & per suppositoria, seu balneos flatus discutientes. Ibidem & in nono ad Almansorem cap.2. fol.194. col.4. curat vt Paulus sine purgantibus per aluum, sed sola prouocatione vrinæ. Verùm in diuisionibus curari præcipit cum leuiter aluum subducentibus, vt non videatur sibi constare. Colligitur solutio in continentibus in vltimò adducta authoritate fol.200. col.1. si tympanites exquisita sit (quod rarissimè accidit vt nullius aquæ signa appareant.) Venter immodicè tendetur, nec subsidebit, nec aqua resonabit in motu, tunc nulla per aluum purgatione opus est,& hoc vult Paulus cap.65. sin aquæ modicum adsit,curabimus vt etiam per vrinas educatur; sin non possit ob habitum corporis minus ad hoc paratum,curabimus vt leuiter euacuantibus id modicum aquæ purgetur: Et hanc sententiam rectè Leonarthus Iachinus sequitur.

Cura ergo eius quæ pura est, & incipit à voluulo & hæc sola est sine aqua; voluulus autem à coli dolore distinguitur, & si confirmetur ad hydropem siccam necessariò perducit. Primum ergo vinciemus strictè fasciis ventrem à superiori inferius; & glandibus assiduè vtemur, ruta, nitro, centaurio minore, cyclamino, cucumeris radix cum absynthio decocta,aloës bitumen. In omnibus fouere podicem calidis spongiis iuuat; & indè apponendæ cucurbitulæ ad locos inanes, post supra demum scarificandæ vlceraque sale inspergendo, & post imponendum emplastrum è lauri baccis. Potus anetum decoctum,à potu panis ex aqua feruente, victus tenuis ac leuissimus.

Cura verò compositæ cum ascite adhuc est difficilior, quia vt dixi non distinxerunt vnam ab altera; & cum distinxerunt, curam non posuerunt & vna est alteri contraria; cum ascites indigeat exsiccantibus & purgantibus; tympanites neutro, cum vt Paulus inquit fiat à ventriculo colo, & siccitate peritonei & vteri, & post febres longas;intellige ex acutis relictas ex Hippocrate 2. progn. 1. sicut ascites ex lienis schirro, aut iecoris: semper autem cum eius vitio nisi ob renes accidat, aut venarum emulgentium naturam. Illud etiam indiscussum relictum est, an omnis tympanites, ex vitio iecoris fiat? Emplastra autem vtrique noxia ex æquo sunt, calorem enim naturalem dissoluunt, præternaturalem accendunt, transpirationem quæ maximè necessaria prohibent,imò inflammationem in visceribus, & maximè iecore accendunt,vt vndecimo artis curandi cap.15. habetur. Vbi dici deteriùs curari diuites pauperibus, & cum hi prope sanitatem sunt, illi sunt in initio phlegmonis viscerum,neque conueniant etiam extenuantia secundum Paulum, per quæ intelligo quæ vrinam prouocant, & sudorem.

Vt tamen aliquid agamus cum frequentissimus sit hic casus complicationis vnius cum altera, rarissimè inueniantur simplices; tribus modis obuiam eundum est. Vel per ea quæ vtrique prosunt; & hæc sunt optima, & inedia, cibi leues, moderati, pauci alimenti, quasi spongiosi: potus per quam exiguus, oleum recens amygdalarum & pistaciorum, mala punica, cancri, testudines; & exercitatio moderata. Ex medicamētis filix & anethum de quo etiam supra: cibi autem medicamento si plantago, apium, hyssopus, cyperus, cinnamomum, hederam ferentem aureas baccas chameleam & ebulum,aristolochiam, scopam regiam, anethum plurimum. Duo illa antidota Pauli; vnum ex garyophilis, aliud est xv. rebus asaro, amomo, balsamo, cassia, calamo aromatico, cumino, dauco, gliciriza, iunco rotundo; lego ego odorato hiperico, mirrha, petrosilio, pipere, seseli, sphondylio; sed hæc duo ego potius in secundo genere auxiliorum ponerem, id est, qui plus iuuant vni quam alteri noceant. Velut etiā vinum absynthites quod ab Alexandro laudatur? Et scilla cocta cruda & eius acetum adeo laudata à Theodoro Prissiano ab Apuleo propter consuetos authores. Illud animaduertere decet plures ob impigritiam periclitari quam non sensim hic plerumque traducitur vt alij, & vt optarent patientes. Sed post aliquod dies quasi irrita opera repentè exonerata materia detumescit venter sufficit ergo vt non crescat. Vnde & mensura illius & comparatio potus & vrinæ fieri præcipit. In tertio genere sunt quæ plurimum prosunt vni, licet alteri parum obsint atque ideo propinanda cum exuberauerit velut tympanite pastillus noster tetrapharmacus crocus origanū spica anethum in aceto triduo macerata inde aceto subacta: quandoque spicæ loco anisū aut fœniculus: superante autem ascite tetrapharmacum Apulei chameleon chamedaphnen chamedryn chamepythin. Item helleborus niger ritè exhibitus maximè autem ex æthere resolutus per longos circuitus sicut per vrinam halicacabum. At si plurimum ascites præualuerit, & spes decidat tentabimus valida, & securiora medicamenta Principis validissima & securissima. ℞ feri equini pro camelino ℔. II. pytuisæ. ℥. v. salis gemmæ ℥. I. terantur & bulliant, & incipiet à libra semis augendo ad ℔. I. Aliud validius ℞. cotonici dimidium, infundatur in aceto, & post tundatur cotoneum cum tantundem fol. chamæl. in vmbra siccator. Exemptis omnibus neruis; acetum autem cum saccaro bulliat vt in mellis spissitudinem redigatur, inde addatur cotoneum cum camelea & ab igne tollatur. Exhibeatur à ℥. ß. ascendendo vsque ad ℥. II. deambulet, nec cibum accipiat; donec deiecerit quantum est quod accepit. Tertium est hiera Pacchij descripta à Scribonio Largo, & à Marcello, & vt tutior salubriorque, debetque accipi cum ptisana, & nihil aliud sumat æger,neque bibat donec sanetur.

CONTRAD. XXIII.

Hydrops an ab intemperie frigida.

GAlenus quinto de locis affectis de aqua intercute loquēs hæc habet verba: Proindè

dè rationi magis consentaneum est vt ob visceris refrigerationem cibus quæ reliquis partibus distribuitur in sanguinem transmutari non possit. Quin & refrigerentur cum ipso vniuersi corporis venæ, idque maximè vbi nullo plerumque tumore in iecinore apparente laborans aqua intercutem molestari videtur, vitio existente vel in liene, vel ieiuno, aut tenui intestino, aut mesenterio, vel pulmone vel renibus, aut etiam vbi plurimus per hemorrhoidas sanguis excernit, aut ob muliebre profluuium, aut cum retinentur menstrua, aut ob aliam ingentem vteri dispositionem. Nam per omnes huiusmodi affectus aqua intercutem hominem vexari contingit, vel nullo existente in hepate præternaturam tumore. Id verò præcipuè intelligitur ab iisque didicerunt quando ex intempestiua aquæ frigidæ potatione iecur affatim refrigeratum statim aquam intercutem inducit, antequam scilicet in durum tumorem attollatur verum sic affecti vehementi ciborum desiderio tenentur: nec mirum, quippe ob refrigeratum os ventriculi huiusmodi cupiditates accidere iā ante didicimus. Et rursus: At verò, tractu temporis quamuis magis increscat Schirri tumor: non tamen facile fuerit per tractum ipsum cognoscere, intercipiente scilicet iudiciū aqua inter cutem, quæ illico schirrum sequi consueuit. Quippe nisi hepar afficiatur, haud quaquam fieri potest huiusmodi affectus: non tamen semper ob primariam eius affectionem excitatur quamuis præcipuè admodum ob hoc fiat. Etenim, quia ipsum eius facultatis, quæ sanguinem gignit, instrumentum est; consequens est, vt vitiato hoc viscere actio quoque eius vitietur. Accidit autem, (vt dixi) quum alias aliam partem frigida admodum intemperies afficit, vt hepar quoque refrigeratur; igitur si vel lienis causa, vel ventriculi, vel intestinorum vniuersorum, maximè ieiuni, mesentericæ venæ omnes habituali intemperie afficiantur, facilè etiam vnà refrigerare possunt omnes simarum iecoris partium venas; quo fit vt ad hepatis quoque corpus vniuersum intemperies ipsa perueniat. Si verò vel pulmonis, vel septi transuersi, vel renum occasione id accidat imprimis, venæ, quæ in visceris huius partibus gibbis consistunt, per consensum afficientur: deindè tractu temporis totum hepar quoque eadem dispositione infestatur. Hæc tanquam ab oraculo prodita omnes prodidere.] Vndè Paulus lib. 3. cap. 4. [Cum iecur vehementer perfrixerit, interim sanè primario aut inflammatione, aut schirro, aut alio implicitum vitio, interim lege consortij quod cum aliis partibus habet, sanguinis elaboratio non succedit ac vitium aquæ intercutis quod ὕδρωψ græcè dicitur; inde contrahitur in quo nonnunquam spiritus copia cum humidi momento intra membranam, quæ peritoneū appellatur, & intestina colligitur, vt abdomen percussum tympani modo crepitum elidat: qua ratione etiam tympanias nuncupatur; qui stomachi, alui, & coli inflationibus, febribusque longis superuenit: nonnunquam verò ex duritie peritonæi, aut vuluæ in mulieribus, aut ex schirro generatur. Aliquando contra hnmorum abundantiam cum paucissimo spiritu in eisdem regionibus collecta tanquam in vere quoddam conseruatur; vndè malum, ascites nominatur hydrops; & ipse ex causis quas comprehendimus, contractus. Plurima verò ex parte, ex duritia, & Schirro lienis, iecinoris longisque intestinorum profluuiis, in quibus fit vt venter quidem intumescat, reliquum autem corpus quòd alimentam non sentiat, consumatur. Nonnunquam etiam in tota corporis mole frigidior pituitosiorque sanguis continetur, qualis partim ex tota carne corporis veluti in aquam resoluta emanat, adeò vt corpus albido, & pituitæ colore emortui instar appareat, vocaturque hydrops leucophlegmatias, hiposarcidios, vel anasarca. Quem lentæ febres, malus stomachi habitus, hemorrhoides diù suppressæ, fluxus muliebris, spiritus difficultas, vigiliæ, sine ratione oborientes, causæque his consimiles mouerunt.] Quam sententiam Oribasium haud dubiè à quo Paulus excerpsit sequutum fuisse in locis iam in præcedenti contradictione adductis constat. Quin etiam & Alexander Trallianus in initio libri noni in hæc verba scripsit: [Aqua inter cutem, quæ græcè Hyderos dicitur, & ipsa longus quidam affectus est; iecore adeò refrigerato proueniens, vt ipsum non amplius deinceps cibos in sanguinem, sed in alienam qualitatem, aut in aquam, aut pituitam, aut flatum transmutare possit. Atque idcircò trifariam aquam inter cutem constitui diximus, ac vocant eam sanè; quæ à tenui & seroso humore contrahitur, Asciten: quæ verò à flatu in toto corpore generatur, tympaniam: quæ rursus à pituitoso humore per totum corpus excitatur, Anasara, alij leucophlegmaticam appellarunt.] Sed nemo turpius lapsus est ipso Aëtio velut etiam in præcedenti, is enim nullum excusationi relinquit locum; inquit enim: [Consequitur autem aqua intercus omnes morbos qui habitum corrumpunt: vna est enim ad hydropem aptitudo, coagmentatæ corporis miscellæ demolitio & ruina. Contingit autem hæc aut ob superexcellentem hepatis frigiditatem, aut ob aliqua alia membra vehementer refrigerata, quæ hepar in eandem dispositionem deducere valent: citra enim hepatis refrigerationem impossibile est aquam congelari, & aliquem in hydropem incidere. Coafficitur autem hepar spleni refrigerato, aluoque, & intestinis, maximè his quæ iuxta ieiunium intestinum sunt, pulmonique, & renibus, ac septo transuerso. Congregatur etiam ex immodica hęmorrhoidum euacuatione, aut ex fluxu muliebri, aut ob menstruorum retentionem, aut ob aliam quandam magnam vuluæ affectionem; In his enim omnibus nullum præter naturam tumorem hepar habere conspicitur, & tamen aquæ inter cutem morbo corpus apprehenditur, ex sola refrigeratione, hepate in his in principio affecto. Post verò aliquando & durum fit, quod palam in his videre est, qui ex intempestiua frigidæ aquæ potione hepar aceruatim refrigeratum habent, vt statim aquæ suffusionem operetur priusquam ipsum in schirrosum tumorem eleuetur.

His

His autem qui ex frigidæ potu aquam inter cutem incurrerunt, vehementes ciborum appetitiones fiunt, propter oris ipsius ventris frigiditatem. Multi autem & à podagra, & coxendicum dolore vexati, aquam inter cutem inciderunt; Frequentissimè autem eos qui cibum non sentiunt, & malo corporis habitu præditi sunt: itemque obarguato infestatos, hydrops consequitur, cœliacam item affectionem & dysenteriam. Nouimus etiam quosdam qui ex recta spiratione quàm orthopneam vocant, in aquam inter cutem sunt deducti.] Hæc inquam Græci sed & Haliabbas cum his, non tamen adeò aperte sentire videtur: dum dixit. [Quæ in aliis fiunt membris passiones ex hepatis compassione omnes sunt hydropisis species, quæ ex virtutis eius debilitate sanguinem generantis oriuntur, cum à sua breuiatur actione: hoc autem aut ex incommodo fit quod hepati accidit, quod eius est fornax & sedes, frigescit eius cōplexio & cibi non immutat succositatem in sanguinem bonum.] Hæc Arabs transfuga, non tamen ignorasse videtur omninò veritatem. Rhasis cæterique ex eorum schola apertè intellexisse hunc errorem videntur; Primaque gloria Rhasi vt qui ante Principem fuerit debetur, & à quo Princeps ipse sumpserit. Verùm in declarando rem tanto præcelluit, quanto diligentiùs rem tractauit. Adducant ergo primum ex Rhasis Decimonono continentiū vbi rem ex proposito tractat loca huic disputationi quæ adeò saluti miserorum ægrorū est vtilis, & necessaria. Et primum Galeni authoritate. [Accidit hydrops post morbos acutos si indè hepar intemperiem calidam contraxerit. Et forsan ob siccā potius.] Vt videamus Galeni sententiam quàm infirma sit, quoniam cum statuisset omnem hydropem fieri à frigiditate iecoris, ne cogeretur dicere quòd ex morbis acutis fieret, ex calida dixit ex sicca: adeò vt talis hydrops prouenerit ex frigida & sicca intemperie. Sed vndè melius quam ex Galeno ipso sexto de locis, (hoc enim intelligit cum dixit de sexto capitulo: idest ex sexta parte. Haud secus hallucinari consueuerunt in ea quoque intercutis specie, quæ ad acutos morbos sequitur, quippe ad iecoris calida & sæpenumerò quoque sicca intemperie tam grauiter afficitur, vt cibum in sanguinem transmutare nequeat.] Ergo neque Galenus hoc ipsum quod illi imponunt voluit, neque Rasis rectè Galenum ob malos interpretes Græcarum literarum intellexit; vt iam Galenūm magna ex parte pro nobis non cōtra nos habeamus. Et rursus autoritate Ioannitij quod apparet experimento febres longæ pariunt hydropem. Et hoc cum videamus esse generale, non autem consequi ad morbos frigidos, sed ad febres aut fluxus cum materia corrupta retinetur, dubium non est causam talium morborum esse calidam. Et rursùs fit hydrops à causa calida vt in intemperie calida iecoris aut phlegmone, quoniam vis & robur iecoris ab his dissoluitur. Et authoritate Georgij quod videmus quotidie scilicet ex morbo regio incidere in hydropem (maximè tympanitem) est autem morbus regius cum calida iecoris intemperie. Et rursus inquit: Dico quòd credendum est hydropem aquosam esse calidam, quoniam fit obstructis venis in gibba iecoris quæ angustiores sunt quam in caua illius parte, vt vrina non possit permeare ad renes; vndè vel ex abscessu vel obstructione cum istud contingat iecur impedito cursu venarum potius incalescit quam refrigeretur, & maximè putrefacto in eo excremento tam aquoso quam sanguineo tametsi abscessus durus frigidus sit. Hoc igitur diligenter considerandum.] Hæc est sententia illius loci licet obscurè scripta ob malam translationem; & subiungit post quædam alia: Galenus dixit, vidi plures laborantes hydrope ex causa calida qui per refrigerantia sanati sunt.] Post hæc etiam dum de cura agit. [Dico quòd indigent purgantibus per aluum, & per vrinas in quibus non sit caliditas; Et indè danda est aqua endiuiæ, & solani si fuerit cum caliditate, & si cum frigiditate aqua lactucæ & apij.] Et dat lac camelarum quod propriè refrigerat subiicitque: [Et si fuerit ab intemperie calida Serapio dabat myrabolanos citrinos cum aqua solani, sacchato, & cassia nigra. Et cum dat theriacam aut fellis elephanti drachmam mediam, exhibet cum vnciis tribus aquæ solani.] Et ibidem describit medicamentum quod appellat valdè bonum ad hydropem calidam. Et rursur si hydrops non fuerit ex caliditate: & de quodam medicamento applicito: hoc malum est valdè quia maiorem excitat caliditatem quam si sumptum esset in potu. Et iterum medicamē valde vtile hydropicis in quibus non est caliditas. Et post, [vbi fuerit hydrops cum febre, exhibe aquam endiuiæ & solani hortensis & agrestis. Et rursus, [si hydropico caliditas superabundauerit catapotia ex latiride nocebunt ei.] Et ob hoc iubet vt in eiusmodi casu post illa catapotia refrigeret hepar cum emplastris, & sumat syrupum de citoniis. Elmisiam dixit se sanatum lactis camelarum potu cum sacchato el hasar idest manna. Si fuerit caliditas vehemens optimum est per se dicit infra, sed hæc admisceat aqua solani. Adeò probat illam quia refrigerat vehementer, & prouocat vrinas, & sudorem. Et infra se exponit quòd intelligit de halicacabo. Et in quibus caliditas est vehemens fac catapotia ex semine laureolæ. Inde Galeni authoritate quam habemus, acetum extinguit sitim hydropicorum, quia illa fit à calida & humida intemperie. Et quod lac camelarum confert hydroipsi valdè calidæ authoritate Artigenisij: & volens laudare medicamen suum & loquitur de omni causa hydropis inquit. [Quia nullam excitat caliditatem.] Sed nunc videamus quid de hoc dicat Princeps, hic enim, vt dixi hanc difficultatem plenius attigit, & subtilius quam vis alius verba eius sunt. Et non quidem accidit hydropisis absque ægritudine hepatis propria: aut propter communitatem eius, licet quandoque ægrotet hepar, & non accidat hydropisi, & causa hydropisis omninò; aut sunt proprie hepaticæ, aut sunt cum communitate. Et causarum propriarum dignior, & cōmunior est debilitas digestionis hepaticæ, & ipsa est, quæ causa coniuncta.

causæ verò antecedẽtes sunt omnes ægritudines hepatis, complexionales, & instrumentales: sicut paruitas,& opilationes,& apostemata calida frigida,& mollia, & dura, oppilantia orificium venæ (alhaleb) & durities siphac continentis ipsam,& complexionales sũt inflamãtes:& faciunt hydropisim plus illis cũ gradatione resolutionis innati caloris, aut extinctionis eius subito. Intelligo autem per resolutionẽ huiusmodi illud,quod sciunt Med. quod calori innato acidit resolutio paulatim,aut extinctio siue sit ex calido,sicut potu aquæ frigidæ in ieiunio, & post balneum, & coitum: & humectante superfluo, & exiccante post liquefactionem. Et euacuationes superfluæ per sudorem,& vrinam,& solutionem ventris,& menstrua, & hæmorrhoides, & nocibilior euacuationum est euacuatio sanguinis. De ægritudinibus verò officialibus dictum est in capitulo cuiusque earum, qualiter perducit ad hydropisim. Causæ autem hydropisis cum communitate ad ipsum, aut sunt per communitatem cum corpore toto,ita vt calefiat sanguis eius valde, aut infrigidetur valdè propter aliquam causarum: Aut est propter frigus stomachi,& malitiam complexionis eius: & proprie cum succedit diarrhea: Aut est propter mesaraicam: Aut propter communitatem splenis, propter magnitudinem suam, propter apostemata in ipso dura:aut lenia:aut calida:aut multitudinem euacuationis melancholiæ. Et perducit superfluitas eius ad debilitatem hepatis per illud,quod expanditur de virtute melancholiæ motæ ad hepar, & ad infrigidationem, eius, & applicationem nocumenti eius ad ipsum: sicut peruenit ad cerebrum, & fit quesques: Et magnitudo splenis perducit ad hydropisim, & ad debilitatem hepatis, propter duas causas: vna eorum est multitudo eius, quod extrahit de hepate, & remouet virtutem eius: & altera est cum debilitate virtutis hepatis secundum semitam, qua ei contrarius est, & quod prohibet ipsum generare sanguinem bonum. Et quandoque est per communitatem renum, & propter frigiditatem renum,& propter caliditatem eorum propriam, aut propter oppilationem in eis; & duritiem: quare non attrahunt aquositatem, quamuis hepar ægritudinem non habeat. Et quandoque fit propter intestina, & ægritudines eorum:& proprie ieiuni, propterea quia est ei propinquum. Et propter vesicam,& matricem,aut pulmonẽ, aut diaphragma: Et non est omne,quod accidit propter communitatem renum, propter complexionem eorum, immo quandoque est propter oppilationes eorum & apostemata ipsorum: quare non attrahunt.Et similiter est dispositio in eis quæ accidunt propter communitatem intestinorum: Non enim omnia sunt propter alterationem dispositionis intestinorum in qualitatibus tantum, immò quandoque sunt propter dolores intestinorum ex punctura,& rasura, colica vehementis doloris & aliis; quare debilitatur hepar propter lla.Et similiter illud, quod fit pro pter communitatem matricis non est in qualitate eius tantum,immò propter dolores eius,& retentionem menstruorum in ea. Et quandoque fit propter communitatem fiſteris propter retentionem sanguinis hæmorrhoidarum: similiter in membris aliis prædictis. Et plurimum quidem communicant membra fæcis cum concauitate: & membra prouocationis, & anhelitus cum gibbositate. Verùm plurimæ communicationes perducentes ad hydropisim, sunt communicationes cum renibus & intestino ieiuno, & splene, & mesaraica,& stomacho. Haud dubium quin Princeps benè intellexerit Galenum, & quã perspicuum sit Arabes longè plures posse curare ægros cum Græci vix quemquam seruare possint. Ità ex hac tàm clara luce græcarum literarum plura emersere bonis aduersa: hæc est mortalium conditio, si non commodis prudenter vtamur. Facundia odium, diuitiæ insidias sapientia inuidiam pariunt;bonæ literæ contemptum veritatis, orbis noui cognitio luem indicam, typographica ars hęreses pepererunt. Nihil miserius nunc hac cura Galenicorum, qui Galenico fastu turgent, Galeni doctrinam ne vel à limine attigerunt, ne dicam salutarunt.Ergo vt ad rem redeam iam satis liquet Galenum Principem & Rasim concordes esse: nam hydropisis est quæ cum calida intemperie coniuncta est. Primum si ex febre acuta diuturnaue ortum traxerit aut cum illo connata fuerit;sed & si à morbo regio, à vehementi obstructione, à putredine, originem duxerit. At dices non aliæ, imò omnis dico.Primum illud animaduerte cum author aliquis celebris duas orationes pronunciauerit specie oppositas, vniuersalem & specialem, nec vniuersali exceptionem aliquam addiderit necesse est vt diuerso sub significato intelligantur,aliter verę ambæ esse non possent. Pronunciauit Galenus hydropem omnem saltem ascitem atque tympanitem, sed verè omnem fieri refrigerato iecore: pronunciauit rursùs hydropem quæ fit post febrem acutam à calida intemperie prohibita sanguinis boni generatione fieri vel etiam à calida & sicca.Exceptionem nullam cum tot proposuisset causas hydropum apposuit, necesse est vt sub diuersis sensibus hæc dicta pronunciata sint. Specialis nullam recipit interpretationem,'generalem, ergò ità intelligemus vt per intemperiem frigidam imminutum naturalem calorem intelligamus. Iam ergo de intemperie illa quæ est qualitas Galenus sermonem nullum habuit:Causa ergo principalis est calor naturalis imminutus qui est substantia quædam vt ipsemet non vno loco docet præsertim primo Aphorismorum 14. com. Oportet vnum adesse modo instrumentum quod apud Philosophos & Medicos vno consensu est qualitas vna prima aut duæ. Dico hanc semper esse caliditatem: hoc autem est ostensum in commentariis secundi prognosticorum com. 28.Si causa propria instrumentumque in vna est caliditas vt in ea quæ sequitur ad febres acutas necessariò erit in omnibus; neque enim nunc loquor de causa principali quæ est imbecillitas vis illius quæ sanguinem in iecore generat: neque de causa illa quæ est causa imbecillitatis quæ tam multiplex est vt vix eius species numerari queant.Primum non solum vnaquæque ex octo intemperiebus

bus iecoris,sed scirrhus,obstructio,putredo, phlegmon,sphacelos,morbus regius,sanguinis corruptio, lien, renes, vterus, ieiunum, veutriculus, pulmo, hæmorrhoides, potus aquæ, mensium retentio, podagra impedita, esus multæ carnis suillæ, caseus proprie vt Rhasis testatur,venenum,aqua corrupta,potus aceti, & mille alia; vt de his causis non intelligendum sit, sed de qualitate quæ est proprium instrumentum. Patet ergo curam deberi in hydrope quatuor rebus causæ hydropis;primæ & per se,& est aqua,vel flatus, aut humor crassus:& hæc indiget euacuatione.Causæ perse ipsius morbi non primæ,sed primæ comparatione causæ primæ:idest imbecillitatis caloris naturalis iecoris, & hæc vt dixi tam multiplex est vt etiam diuersa requirat auxilia. Causæ principali primæ causæ & est imbecillitas caloris naturalis: & hæc indiget alimento tenui, bono, facilis concoctionis,pauci alimenti, exercitatione: Demum causæ quæ est instrumentum generationis illius materiei siue sit aqua, seu flatus,aut piruita: & hanc dico semper saltem in ascite & tympanite esse intemperiem calidam, & ad hanc respiciunt semper Medici. Et Princeps in hac parte fuit in omnibus oculatus distinguens secundam intentionem, idest causæ remotæ à tertia intétione quæ est causa secunda idest imbecillitas caloris;non tamen agnouit causam quæ est instrumentum & est qualitas prima, sed illam existimauit eandem esse cum causa remotissima, quæ vt dixi non semper est qualitas. Ideò Medici curando obseruant quatuor:vt alantur leuibus ob vires imbecilles, vt purgentur per vrinas,aluum, sternutationem, crepitus ventris,quia hæc est vera curatio morbi auferre primam causam. Et hoc debet fieri faciuntque cum quibus possunt: sed optimi eorum faciunt cum temperatis aut frigidis. Tertium vt tollatur causa remotissima vt obstructio, scirrhus, sanguis corruptus; & hoc cum contrario seu calido seu frigido, semper tamen magis ad frigiditatem declinante. Quartum est tollatur causa quæ est qualitas efficiens morbum,& hoc semper faciunt cum frigidis, solano, endiuia, cancris, lacte camelino, & myrabolanis citrinis, atque malis punicis. Et si dant theriacam non exhibent vt calidum medicamentum, nam & dant semper cum aqua endiuiæ vel solani, & darent piper, aut zinziber theriacæ loco.

Auerroës in lib.de theriaca cap.3. dubitat quare Medici dent theriacam in ascite & non vult quòd detur cum est à causa calida, neque cum est coniuncta cum febre: & de hoc rectè sentit quia tunc duo sunt calores præternaturam, scilicet instrumentum corruptionis aquæ & sanguinis, & causa imbecillitatis caloris iecoris:Neque enim in collectaneis lib.3. cap.21. dubitat quin hydrops ascites fiat tam à causa calida quam frigida, & in hoc est concors cum Principe;sed in hoc etiam est magis concors nobiscum quod vult tympanitem omnem à calore fieri. Et ponit ibi calorem vt primum instrumentum generationis flatus. Sed non animaduertit hoc idem esse necessarium in ascite: neque enim esse potest vt ipsemet fatetur causa in calore nisi per qualitatem coniunctam.& illa non potest esse qualitas anterior quæ fuit causa imbecillitatis iecoris, quia idem præcederet & sequeretur eiusdem comparatione. Et ideò benè miscuerunt acetum scilicet temperando illius calorem: de quo miratur Auerroës multum cum nesciret causam quæ à nobis solùm inuenta est, scilicet quòd omnis hydrops fit à causa calida: neque illud experimento didicisset cum non fuerit Medicus,nec artem exercuerit.Imo in eodem loco dum de theriaca ageret dixit standum esse experimento. Et ideò Ascitici lædũtur à calidis,& magis etiam à siccis: Sed cibi debent esse parum humidi vt carnes auium: & facilis coctionis, ideò iuuenum & paruarum vt passerum. Exsiccatio autem conuenit euacuatione facta, & cum linimentis confirmantibus membra naturalia, & leuibus vt spongia vsta, lachryma iuniperi, arena leui, & santalis ac rosis bene siccis. Et si quis dicat quomodo ex calida & sicca intemperie potest generari aqua quæ est humida & frigida? Hoc voluit addere vt intelligeres generationis hydropis præsertim asciticam. Dico quod non plus generatur de aqua imò minus in hydrope ob intemperiem quæ necessario est calida & sicca,sed generatur aqua corrupta & crassa: nam videmus quòd in æstate aquæ corrumpuntur & moriuntur pisces,maximè in æstate sicca: Et ita etiam corrumpitur sanguis & fit crassior ex parte, & tenuior ex alia; ideò cum fiat horribile vtrumque, neutrum trahitur à renibus & ità aqua illa corrumpit iecur, indè penetrat in vacuitatem ventris, & fit hydrops. Ideò in omni hydrope necessariò (dico ascite) vitiata est vtraque functio iecoris in permutando,& renum in trahendo; Et omnis hydrops est cum paucitate vrinæ comparatione eius quod necessarium est, & cum corruptione aqueæ partis sanguinis, & etiam ipsius sanguinis; Et ideò etiam cum athrophia.Et ob id est morbus multiplex indigens prudenti Medico,obediente ægro, & viribus validis cum processerit,nam ab initio si non fuerit à causa difficili facilè potest curari, non tamen vnquam ab illis qui putant fieri ab intemperie frigida. Illi enim eos solum curant in quibus hydrops facta est absque vitio facultatis iecoris, vt non sit causa nisi prima, idest aqua quæ euacuata medicamento, relinquat corpus sanum. Hæc est gloria istorum Medicorum qui se Galenicos profitentur,Arabes aspernantetes: Et verbis, non sapientiæ & rebus studentes; non iam reprehensione sed supplicio digni ob pertinaciam quemadmodum Galenus de methodicis illis triduanis asserebat. Sed hos humani generis proditores relinquamus, salutareque præceptum potius tradamus,scilicet causam hydropis maximam & præcipuam esse crapulam,& præcipuè ciborum abunde nutrientium, & alimentum crassum exhibentium vt carnium assatarum,ouorum,casei, & potum vini plurimi præsertim nigri:nam penè idem seu concoctio iecoris imbecillitate frustrata ad corruptionem vergat: seu ob molem & naturam cibi tantum nutrimenti in se-

cunda

cunda coctione offeratur iecori vt illum concoquere nequeat, sed corrumpat iam transmutatum non perfectè. Atque ideò ab oleribus & leguminibus vt caulibus pisis, fabis cæterisque huiusmodi quantumuis durioribus, difficilisque coctionis; quia tamen parum nutrimenti præstare valet, ideo rarissimè ex his hydropes generantur.

CONTRAD. XXV.

Testes an habeant vnum musculum an duos.

NOn me præterit videri posse omnes disputationes quæ ex sensu pendent esse superfluas & inanes; seu aliquis malè senserit, seu verba sint peruersa. Sed oportet ex malis interpretationibus sensum aliquem vtilem educere, malè tamen ageretur in huiusmodi diutiùs immorando. Galenus itaque quarto decimo de vsu partium capite decimo quarto in fine ait: [Quod autem musculorum testes essent penduli, & ad vtrumque illorum singuli musculi ob id ex ilibus peruenirent, vt ij etiam voluntarij motus sint participes. Quam sententiam secutus est apertè Vesalius in secundo libro, capite trigesimo tertio, dicens: [Vnicum enim musculum in musculis ad testes deferri hactenus obseruaui.] Et post capite trigesimo quarto: [Gracilem testis musculum quo tunica velut enutritur conspicies; hoc musculo ab humillima vasis semen deferentis liberatos condisces qualiter testem ipsum sursum trahat.] Miratur autem de Arabibus qui duos singulis testibus musculos tribuunt. Princeps sanè inquit, prima primi doctrina quinta capite vigesimo tertio: [Testiculorum virorum musculi sunt quatuor, vnusquisque scilicet habet par proprium.] Qui castigauit errauit adducens Galenum loco descripto sub contrario sensu. Sed rectè ex primo de dissectione musculorum: [Duo graciles musculi in vtrumque testem perueniunt, vnus à pubis, alter ab ilium osse.] Vndè non Princeps, sed Galenus errauit. Soluitur contradictio quoniam vt ibi declaratur musculus ille degenerat in erythrocidem membranam, ad quam non solum ex iliis & pube membranæ perueniunt, sed ex peritoneo aliisque locis quæ imaginem referunt plurium musculorum. Vndè cum Galenus hoc non viderit alios secutus dum iuuenis esset vnum sensit: aliud cum ex propria mente vt in libris de partium vsu, quos senex conscripsit, locutus est.

CONTRAD. XXVI.

Vrina oleaginosa an lethalis?

GAlenus tertio in primum Epidemiorum commentario vigesimo nono inquit: [Conspicuum erat illi imminere mortem præter alia symptomata reddiderit vrinas oleagineas, cum non solum quinto sed septimo apparuissent, mortuus est autem in vndecimo.] Et in primo super tertium commentario octauo, de Dromedai vxore: [Meritò mortua est in sexta, quòd vrinam habuerit oleagineam in quarta.] Et in primo de crisi, capite duodecimo: quod si velut oleum mingantur, colliquationis est signum; tales quidem vrinæ prauæ sunt.] At in tertio super tertium epidemiorum commentario septuagesimo secundo hæc habet: [Quod de vrina scripsit oleosa in præsente ægro sexto die: Nam quidam pinguem vrinam ita censuit ab eo dictam esse, quæ liquescente pinguedine per morbum feruidum & adurentem fit: Nonnulli colore, & crassamento olei simile. Equidem talem sæpe vrinam nullo ægri detrimento redditam conspexi, immò vero interim planè è contrario, in morbi concoctione. Haud tamen est ità visa prorsus, vt oleum, pinguis vrina. Nam ea, quam modo narraui, vrina oleum & colore & crassamento representans, minimè pinguis videtur & ipse autem in Præsagiis Hippocrates, dicit pinguedines aranearum similes innatantes esse considerandas: nam colliquationis sunt signa. Nos verò pinguitudines fluitantes vidimus frequentes, verum nunquam excreta talem prorsus vrinam, neque in medio pinguia pendere, quominus subsidere. Nam ità est comparatum natura omne pingue, vt reliquis humoribus inuehatur. Ac ne in præsagiis quidem Hippocrates verbum de his vrinis fecit, quamuis omnia sit, quæ in acutos morbos cadunt, sedulò & aperte persecutus. Iam etiam die eodem sexto ægrum dicit de quo hoc loco agimus, biliosa atque pinguia deiecisse, quæ videntur aperte fundendi pinguedinem febri esse consequentia; Atque videbitur his, qui pinguem putant esse vrinam oleosam, suffragari. Potest autem ad contrarium etiam referri; nam omninò Hippocrates vrinas pingues diceret, siquidem hæ quoque oleo similes sunt. Iam cum diuersa in vrinis & excrementis nomina vsurpauerit, innui videbitur suam vtrisque significationem illum tribuisse. Mihi ergo probabilius videtur vrinam olei referentem colorem & crassitiem, hic oleosam dici.] Demum cum Sabinum reprehenderet hæc adiicit: [Ad hæc vt colore & crassitie similis oleosa vrina oleo, non pinguitudine tamen vel olfactu vel gustu.] Ædepol quid sibi velit hîc Galenus non intelligo; nam si vrinam quam sæpe vidit colore tantum & crassitie similẽ oleo esse velit, quomodo illa verba simul stant? [Equidẽ talẽ

vrinam ſæpe ſine detrimento vllo redditam eſſet conſpexi: immò verò interim planè è contrario in morbi concoctione; & merito illam eſſe mortuam in ſexta cum vrinam reddiderit oleaginam in quarta.] Et conſpicuum fuiſſe homini illi inſtare mortẽ quod oleoſam minxiſſet vrinam, non ſolum quinto, ſed ſeptimo die. Sin autem verè oleoſam fuiſſe vult illam ex qua tam breui hi obierint, quomodo, id poteſt dici: [Haud tamen viſa eſt prorſus, ità vt oleum pinguis vrina:] Cum Hippocrates bis viderit, & ipſe loca illa interpretatus ſit. Et quod maius eſt paradoxum affert dicens: [Nam eam quam modo narraui vrina, oleum colore & craſſamento repræſentans minimè pinguis videtur.] Vellem iſtos egregios Galenicos talia exponere, nec laudare quæ non intelligunt, aut malè dicta ſunt. Sententia tamen eius eſt, quoniam non vult dari vrinam oleagineam pinguedine, quia pingue omne ſupernatat quòd non poſſit dari vrina oleaginoſa ſecundum ſubſtantiam. In illis ergo duobus apparuit oleaginoſa vrina in ſuperficie ſuperiore, non in ſubſtantia vrinæ: & huiuſmodi eſt lethalis, quia fit colliquatis membris ſolidis. Reprehenſio ergo illa de vrina oleaginea non eſt quoniam non detur, ſed quod non detur ſecundum ſubſtantiam, cum omne pingue in vrina ſupernatet, vt etiam in cæteris liquidis.

CONTRAD. XXVII.

Vrina ſimilis vrinæ ſanorum in ſuſpicione peſtis an tuta.

GAlenus tertio de præſagio ex pulſibus de febre peſtilenti ſermonem habens hæc dicit: [Et vt rem difficiliorem faciam, ne ex vrina quidem petere in eiuſmodi affectibus firmam notitiam ſemper licet: ſed eſt etiam ferè anceps colore & ſedimento ſimilis naturali: Indè paulo poſt ſubiicit: [In ſpicienda porrò præ cæteris vrina eſt: etenim cõturbata quorundam videtur eſſe, & aquoſior, ac nonnullorum multo, quàm pro natura, tenuior atquæ hæc quidem certiſſima eſt: nec non quæ naturalibus vndequaque ſimilis eſt colore & craſſitudine, hæc etiam ad ſecundam ſpem certiſſima eſt: quæ ſi ſublimamento probo ſit prædita, multo etiam eſt certior: ſi quando ſedimen tum ſit candidum, læue, & æquabile. Præcipuè verò ſublimamentis animus eſt adhibendus; Nam quædam, quæ ſubliuida quodammodo ſunt latent, & item alia, quæ aranearum latas telas referunt in modum lanæ congeſtæ At ſi quid tale animaduertas, aut nullum planè ſublimamentum innatare vrinis, in peiorem partem hoc interpretare. Si contraria videas, quæ retuli modo, non poteſt fieri, vt male affectus homo ſit:] Hic contradictio primum in verbis manifeſta eſt quod vrina ſanæ ſimilis anceps eſſet, & deindè quod certiſſimæ ſalutis indicium. Accedunt difficultates, quod eam quæ cum ſublimanento eſt videatur omninò præferre ſimili naturali, id eſt, quæ eſt cum ſedimento. Tum verò cum dicat atque hæc quidem certiſſima eſt (loquendo de tenuiore quam pro natura ſit) liquet ad contagium referri oportere: cumque ſubiiciat: Nec non quæ naturalibus vndequaque ſimilis eſt: vt eadem contagium præferat.] At quomodo cohæret cum ſequentibus: [Hæc etiam ad ſecundam ſpem certiſſima eſt.] Sed hoc mendum eſt interpretis, nam ſenſus eſt. [Conturbata, & aquoſa, & tenuis certiſſimum eſt indiciũ peſtiferi cõtagij velut quæ naturali omninò ſimilis eſt colore ac craſſitudine ſanitatis.] Sed ad cõtradictionem facilis eſt reſponſio: vult enim Galenus verè ſanæ ſimilem vrinam eſſe ſecuram, & certæ ſanitatis indicium: verùm facile in his falli Medicum cum fuerit ſubliuidum ſublimamentum, aut vt dicit lanæ ac telæ araneæ latiori ſimile, aut aliquantò tenuiore ſubſtãtia naturali; tũc videbitur prorſus ſanæ ſimilis, ſed verè non erit, & homo peſte corruptus erit, ideo admonet nos vt diligẽter animaduertamus. Quod verò de ſublimamẽto ait: Dico quod illud eſt tutius, quia minus fallax; non ex ſe, ſed quoad nos: in eo enim facilius deprehenditur ſi qui praui latitet ob ſubſtantiæ tenuitatem: Et etiam quia vrina in ſuperiore parte clarior eſt.

CONTRAD. XXVIII.

Conualeſcentes an neutri? & an ſenes?

PRinceps conualeſcentium corpora inter neutra reponit ſecunda primi & alibi. At Galenus in libro de optima ſecta ad Thraſibulum ponit tria genera ſanitatis ſanitatem boni habitus in qua non firmas nec tamen debiles & in affectu imbecillas. Conualeſcentes igitur ſub ſanis comprehenduntur. Notandum duo eſſe genera conualeſcentium: vnum quod non verè ſanatum eſt de quo loquitur Galenus quarto Aphoriſmorum, & hoc nullo modo ſanum dici poteſt. Aliud in quo nulla pars materiæ relicta eſt, ſed ſolum vires imbecillæ: de quibus dicebat Galenus quinto de tuenda ſanitate, *hi* ſunt medio habitu inter ſanos & ægros: aut ſi malis appellare ſanos non firma ſanitate, non refert; nam quæſtio de rebus inſtitui debet, non de nominibus. Idem de ſenibus dici & quæri poteſt quorum ſunt priuilegia multa eodemque modo ſoluitur: quamuis de priuilegiis conſtet quod ſint non per ſe: ſaltem præter vltimum.

CONTRAD. XXIX.

Bilis praſſina an ex eduliis calidis? Beta an ventriculo amica?

[BIlis pallida vt naturaliter ſe habẽtibus gignitur, ità porracea præter naturam, vel

vel esculentis olerum qualia sunt beta, cœpa, aut brassica in ventriculo, interdum in venis absque talibus cibis ob calorem præter naturam, inde decumbant in ventrem superiorem aut inferiorem tale significans excrementum qualis horum olerum succus est. [Galenus secundo Prognosticorum. At secundo de temperamentis hæc in diuersum habet:[Præterea quibus in ventriculo bilis illa gignitur quæ porri colorem imitatur, debet omnino his, cibus fuisse non panis, non suilla caro similéve aliquid, sed necessariò quod hic calidius fuerit neque id boni succi.] Quomodo ergo ex beta aut caulibus gignetur porracea bilis;nam betam loco cucurbitæ & lactucæ exhibet in febribus quarto de tuenda sanitate. Idem in libro de cibis boni & mali succi. [Brassicæ substantia crudum crassum frigidunque succum gignit.] Dicendum quod substantia harum herbarum frigida est, succus tamen est calidus,imo totum olus in primo ordine, quod etiam confirmatur à Principe in secundo Canonis licet de beta videatur dubitare ob magnam misionem, vnde in libro de salubri Diæta Brassica ponit inter olera quæ calefaciunt & siccant. Serapio de brassica etiam consentit: sed de beta eam reposuit inter frigida. Sed vt dixi decipitur quoniam etsi alimentum substantiæ sit frigidum, tamen totius est calidum. Et quia videtur absonum quod bilis sit qualis succus ille,Dico quòd eiusmodi succus est calidus & prauus, maximè cæpæ & brassicæ. Sed de beta est dubium, quia secundo de alimentis dicit; de beta sermonem habens, haud de succo: [Idque edulium est stomacho noxium si largiùs sumatur:] Et vult quod etiam si modicè vt eum vellicet, cum tamen eam in affectu proprio commendet octauo de compositione medicamentorum secundum locos. Dico quòd in supino ventriculo de quo ibi loquitur confert; in mundo & exacti sensus inutilis est quia mordet.

CONTRAD. XXX.

Torpor an doloris species?

GAlenus sexto Aphorismorum enumerat inter species doloris eum qui torporem inducit. In quinta verò particula dixit Hippocrates quod modicus torpor dolorem soluit: Et Galenus in commento dicit quod moderatus sensum hebetando. Respondeo quod torpor primum non est dolor, sed datur dolor qui est cum torpore. Aliud etiam est quod superueniat dolori,hebetat enim illius sensum: sed si per se adueniat dolorem secum affert.Aliud etiam est de medicamento seu auxilio, aliud cum à causa interna aduenit:prior soluit dolorem, posterior affert. Seu cur dixit modicus torpor soluit dolorem, quasi magnus hoc non agat, cum tamen magis id faciat. Dico quòd Hippocrates intelligit sine alia noxa: nam magnus torpor corrumpit particulam.

CONTRAD. XXXI.

Medicamenta quæ molliunt an sicca?

GAlenus quinto de simplicibus medicamentis de emollientibus verba faciens hæc habet: [Emollientia sunt calida & humida,vt etiam pus mouentia: sed emollientia calidum augent naturale non nihil etiam humidum.] Oppositum:[Sola igitur ea quæ calefaciunt sed non admodum eaque exsiccant non valde, ea sola eiusmodi sanare affectus possunt, vocantque ea medicamenta græcè μαλακτικά (Latinè emollientia & recte exposuit.) Inde subiicit: [Qua propter calida sunt huiusmodi medicamenta,nec admodum sicca,atque a pus mouentibus eo dissidentia quòd calidiora sint ac ficciora.]Paulo post vtrique contradicit dicto enumerans medicamenta emollientia: [Sola tamen ea quæ conuenientem & symetrum calorem possident,vnaque illi respondentem habeant siccitatem, mollire quæ scirrhi instar indurata sunt possunt:quale est bdellium, styrax, galbanum, thymiama amoniacum medulla tum ceruina, tum vitulina, adeps caprinus, & taurinus,& quæ sunt huius generis.] Vtinam in aliis non magis aberrasset quam in hoc, etsi videatur incompositus & parum ordinatè attulisse verba. Quamuis enim hic sint medicamenta & sicca vt lachrymæ omnes,& humida vt medullæ & adipes,ipse tamen prius docuerat triplicem esse causam scirrhi, tum duritiei; repletionem, resiccationem, & concretionem, Concretio fit à frigido, concrescitque humidum plurimum, ideò in huiusmodi duritie calida & sicca cõueniunt velut sicca quæ humida sunt:in ea quæ facta est ob repletionem euacuatio.Plura possem hic adiicere: sed cum res clara sit, quæ adderentur maiorem parerent obscuritatem: certè omnino essent superflua.

CONTRAD. XXXII.

Sternutatio an omnibus vtilis prӕterquam in grauedinibus.

HIppocrates secundo Prognost. hæc habet: [grauedines & sternutationes per omnes morbos qui in pulmone fatigẽt,præire aut subsequi malum est;sed de aliis exitiosis morbis sternutamenta vtilia sunt.) Cuius rationem reddit Galenus in commento:(Sternutamentum per alios morbos non simul prehendit, procedente verò morbo si existat ostendit salutem:quamquã exitiosus per alia signa is habeatur. Indicat enim concoctionẽ ac robur secretoriæ in cerebro facultatis, ex qua impulsus in nasum flatuosus spiritus nõnunquam & alio humore modo tenui & vix sensili modo crasso & perspicuo sternutamẽtum excitatur.) At 5. Aph. inquit: At in vterinis exulcerationib. aut erysipelate seu phlegmone,aut abscessu ne vtiquam dxeriit quis sternutamentum vtile esse.]Responsio clara, hic

hîc loquitur de vtilitate & causa in qua non potest esse bonum nisi in cerebri morbis, aut ad promptius eiiciendum quod eiicere necessarium est; at in prognosticis de signo. Cur autem malum sit signum in hoc, in commentariis illis est explicatum.

CONTRAD. XXXIII.

In capitis fluxione calida, an emplastrum ex thapsia & stercore columbino, aut sinapi conueniat.

GAlenus quinto methodi, inquit: [In cura destillationis salsæ & erodentis & calidæ hæc verba: [Quoniam longo omnino tempore est opus, vt succi corrigatur vitium; in tempore autem necesse est duorum alterum sequi, aut siccando vlcus ceu callum fieri, eoque omninò fieri insanabile, aut non siccando ipsum putrescere, atque quæ circa ipsum sunt partes depascere, vt spatio temporis pulmonis corrumpantur.] Idem tamen sexto de tuenda sanitate: [Nec committere vt quod nonnulli Medicorum faciunt qui omni capiti medicamentum quòd ex thapsia & sinapi componitur applicant, id ipsi quoque faciant quando si ex calida intemperie caput malè habet, talia medicamenta noceant. Expedit igitur hos frequenti balneo potabilis aquæ fouere, quo & calidos vapores qui in capite sunt euocemus, & totum capitis temperamentum melius reddamus:] Alexander Trallianus itidem inquit: [Miror autem quomodo diuinissimus Galenus nullo humectante & refrigerante medicamento vsus sit, sed contra statim ab initio siccitantibus & calefacientibus, etsi causam reiectionis quæ ob erosionem fit abunde nouerit. Si igitur hæc ita habent an non præstaret etiam efficienti causæ resistere? & potius humectantibus atque refrigerantibus inter initia vti? Deinde ità si sic copiam humoris vitiosi esse suspicetur, vacuare per ea quæ acribus ac biliosis recrementis purgandis sunt idonea; & caput intemperatum non adhuc intemperatius reddere, & ea quæ in thorace sunt acriora efficere, tum theriaca, tum tapsia, tum colombarum stercore, & balneis siccis vsum:] Hæc ille. Ego autem diuinissimum hominem immundum non appellabo, nec tamen illum vt ipse facit frustra damnabo. Verùm dicam non errasse cum in methodo respiciat ad occasionem & maius periculum, in sexto de tuenda sanitate ad veram curam. Et si quis dicat vt Alexander nihilo minus fluxuram destillationem, eamque acrius infestaturam ægrotantem. Dico quòd non vbi auocauerit extra materiam. Vnde duplicem rationem inire hic necesse est quam nullus alius animaduertit, vna quòd necessarium est auocare destillationem, aliter lacerabitur pulmo: ergo auocare oportet omnino: idque vel medicamento, vel continente medicamento, vel reuellente: contineri non poterit loco ipso dum manet, nec euacuari medicamento, tum quia non præparationi tempus datur: nec etiam si præparat educatur tutum est ne irruat: igitur non euacuare cum non liceat neque sistere, reuellenda est, id non licet nisi cum calidissimis ac siccis. Altera est quòd in reuulsione etsi incalescat cerebrum reuocata materia. Idque sufficere poterat ad defendendam veritatem præcepti quod vtilissimum est: sed illud addere libet quod verum est, cerebrum ex huiusmodi emplastris refrigerari, cum adeò trahunt vt calor quiuis vna cum materia attracta expiret.

CONTRAD. XXXIV.

Rhaphanus an ante cibum edendus.

DIoscorides libro secundo de Raphano verba habens inquit: [Grata gustui, inimica ventriculo, ructus excitat, aluum & vrinam prouocat: nihilominus à cibo, nam sic concoctionem iuuat; ante cibum suspendit, vndè vomituris eo modo exhibetur.] Quam sententiam videtur secutus Trallianus, confutat autem ex intento Galenus dicens: [Mirari autem subit eos Medicos atque idiotas qui post cœnam coctionis iuuandæ gratia, crudas ipsas esitant: ipsi quidem experientia hanc rem sibi satis exploratam esse affirmant, qui tamen ipsos sunt imitati omnes læsi sunt.] Paulus & Aëtius; at hic & verba illius recitans eum sequuntur. Princeps dicit quod à cibo lenit ventrem, & quod Mesangue qui est Mesue dicit quod concoctionem adiuuat, & ante vomitum mouet: atque ita sequitur (vt par est) potiùs Dioscoridem in enarratione simplicium medicamentorum qui longo experimento veterum rem comprobauit. Sed & Rhasis ad Almansorem, & Serapio idem affirmāt, quod Princeps qui ab eis sumpsit. Meminit huius contradictionis Amatus Lusitanus in suis commentariis super Dioscoridem qui vt ait accepit ex Symone Sethi. Verum maturius hoc idem dispungit in secunda centuria quod antea dixerat. Truncusque solutionis verus est, multa tamen frustra addit de coctionis & digestionis differentia, volens radiculam non ad coctionem laudatam, sed ad distributionem à Dioscoride. Sed Galenus quomodo id damnaret in illis cum non de digestione sed concoctione loquatur, coctionis melioris εὐπεψίας gratia: aut si id Dioscorides non intellexit quem illi sequebantur? Verùm Galenum hac in parte relinquere non debemus exēplo improbissimi viri illius qui rem ad numerum Medicorū & vota traduci volebat cū speraret ob tyrannidē quòd ratione tueri nō poterat, nec experimēto vt qui omnes ægros perderet alios tanto se meliores superare, sed si vtilia dicit cū sequi. Diosc. ergo coctioni vtiliorem post cibū, non simpliciter quā ante refert: minusque nocere vētriculo sic sūptū Gal. hoc nō negat, sed illos dānat qui malè Diosc. interpretantes illū sumūt coctionis iuuādæ causa à cibo, cū lōgè melius

melius esset eo non vti crudo, cocto autem modice & ante cibum velut medicamentum vnus ergo comparat crudum cocto, & crudum simpliciter damnat: alter comparat sumendi modum in crudo qui minus malus est post cibum quam ante.

CONTRAD. XXXV.

Febres inflammationem consequentes, an putridæ sint, & an sint accidentia? vel omninò semper morbi.

GAlenus quarto Aphorismorum inquit: [Cum Hippocrates morbos appellat febriles ipsas febres, intelligit quando febres ipsæ sunt passio, & non casus partis alicuius quæ aliquando dictorum affectuum scilicet obstructionis, erysipelatis, aut inflammationis, vel abscessus laboret.] Idem post: A febribus molestari dicebant antiqui illos qui absque inflammatione, vel abscessu, vel dolore, vel erysipelate, aut (vt simpliciter dicam) absque aliquo membro præcipuè affecto ægrotabant. Quod si ob lateris, aut alterius partis inflammationem febricitarent, non febricitantes ipsos nominabant, neque à febribus molestari dicebant; sed esse pleuriticos, aut peripneumonicos, aut lienosos.] Et rursus sexta particula: [Quin quanto grauior fuerit ac maior inflammatio, tanto augeri conuenit febrem cum casus sit inflammationis.] Oppositum in libro de differentiis morborum: [Illos potius quispiam iure meritoque taxabit, qui suam non seruant hypothesin. Sed licet aberrent, plus se tamen cæteris sapere existimant. Audire enim licet eos cum interdum distinguere conantur, dicentes: si neruorum distensio sequatur inflammationem, ipsam esse aduentitium quoddam, atque accidens inflammationis: si vero solam intemperiem, ægritudinem. Hæc de febre ipsa arbitrantur, nimirum si post sensibilem alicuius membri aduenerit affectu, accidens esse. Alioquin, ægritudinem ac passionem esse censendam. Qui quidem ob id sunt accusandi, quod non expectantes donec, ab aliis confutentur, ipsi se ipsos reuinciunt. Qui vero supponunt operationum læsiones appellari morbos, neque à primo discedunt instituto; vel etiam aliud quoddam simile parum aduertunt in nominibus tantummodo decipi, res vero ipsas rectè assequi, sunt existimandi. Sed de omnibus ad medicinam pertinentibus nominibus est à nobis alibi plenius explicatum. Et si quis rectè his vti cupiat librum illum curiosius inspiciat.] Rursus febres quæ phlegmones consequuntur putridarum è genere constituit non paucis sane locis. Primum decimo artis curandi dicens quamuis confuso sermone, & ancipiti sententia id prodat: [Monstratum vero nobis est in iis quæ de febribus scripsimus phlegmonas quoque propter putredinem humorum qui in ipsis habentur febres subsequi. Quocirca si quando dicam febribus quæ ex putredine accenduntur, tale quippiam conducere vel non conducere etiã eas quæ à phlegmone excitantur, in communi putredinis genere comprehensas intelliges, sicubi vero deinceps vtrasque nominare videris, scias eas quæ ex phlegmone ab iis quæ ex sola putredine ortum habent, tum discerni.] Simili ambiguitate ac perplexitate locutus est secundo de crisi vt cum té tenere putes & comprehendisse, illum statim effugiat sic enim inquit: [Nam sicuti febres ita & patientia loca mistionem recipiunt, vel quia differentia membra propriam singula febrem accendunt, vt exempli gratia lien & iecur: vel quia dispositio mista, veluti inflammatio cum erysipelate, aut erysipelas cum inflammatione miscetur. Sed in his omnibus mistionibus dignoscendis exercitari oportet, quando iam exquisite omnes earum formas simplices tenuerimus. Alia enim est forma febris ex inflammatione membranæ cerebri, & lateris, & pulmonis, atque hepatis ortæ, sicut etiam omnes aliæ febres quæ ex inflammatione partium nascuntur diuersificantur. Sed & aliæ rursus formæ sunt earum quæ ex erysipelate accidunt; & febris ardens maligna vel pulmonis, vel hepatis, aut ventriculi erysipelatibus aduenit. Distinguere autem oportet in singulis ægrotantibus primum quidem si sine loci passione sit febris, vel ex humorum putredine, vel quia solus spiritus sit alteratus: deinde si membrum affectum febris sit causa, & quænam sit eius dispositio.] Similem penè sententiam colligimus differentiis febrium, sed clarius his verbis: [Partes etiam quæ inflammationem patiuntur ratione putredinis febres accendunt: intrusus enim in ipsis influens humor cum non benè diffletur putrescit. Cum igitur fluxio fuerit exquisite biliosa, calor erysipelatosus partem occupat: cum verò sanguinea phlegmonosus: quando verò ex ambabus mista fuerit, fit vel erysipelas phlegmonosum, vel phlegmone erysipelatosa, nomen quidem ab humore superabundante suscipiens, cognomen autem ab altero. In hisce autem omnibus communicationis ratione febris accenditur: semper enim calefactæ proxima pars simul calescit donec ad cor dispositio pertingat. Nam & in carbunculis id quod continuum existit vna calefit: fiunt autem ex sanguine quidem satis calido, sed ad atræ bilis naturam propter adustionem conuerso. Idem penè in secundo capite vndecimo pagina tertia dum dixit: [Statim verò inflammationes huiusmodi febres accendunt, quando videlicet ob magnitudinem vel vicinitatem earum caliditas ad cor vsque peruenerit. Putrescunt igitur in inflammationibus omnibus congestæ superfluitates ob eas quas ante commemorauimus causas. Non æquè enim omnes putrescunt, cum ex eis non nullæ quidem sint ex pituitæ speciebus, nonnullæ atræbilis, aliæ amaræ. Cum verò putruerit calor præternaturam inflammatione patientem occupat partem, simul autem ab eadem præter naturam caliditate corripiuntur quæcunque proximæ partes, atque

hæ rursùs vicinitatis ratione sibi continuas calefaciunt, illæque rursus alias donec tandem per successionem ad cor vsque aliquando caliditas permeat. Quisnam verò sit in partibus inflammationem patientibus affectis, in libro de inæquali intemperatura monstrauimus, atque in altero qui de tumoribus præter naturam inscribitur in hoc vero ostendemus, necessarium esse sanguinem in eisdem contentum vnà cum superfluitatibus influentibus plerunq; putrescere. Quæ ab vna particula infertur ad aliam superfluitas, est adeo multa aliquando ac vitiosa vt recipientis particula potentiæ afferat detrimentum: nonnunquam vero adeo mitis & pauca vt suscipienti corpori nullam inferat noxam. Si igitur ità potentiam læserit vt iam dissoluatur, neque iam conuincere possit ea quæ priùs conuincebat, tunc iam sanguini necessarium est putrefieri idque duplici ex causa: quia videlicet humor quem proprius calor non conuincit nil habet reliquum nisi vt ad putredinem transeat, & quia cum superfluitatibus putrescentibus vnà putrescit, quod si non adeo potentiam lædat vt dissoluta penitùs quiescat, semiputridus omnino in tali statu redditur sanguis, ex vicinitate quidem putrescentium superfluitatum ad putredinem raptus, tantum vero in sua natura perseuerans, quantum in eius à qua exornatur potentiæ ratione consistit.] Oppositum tamen huius primo ad Glauconem his verbis: [Reliquæ vero febres nonnullæ ex inflammationibus, nonnullæ ex humoribus accenduntur: & quæ ex inflammationibus fiunt veluti quædam accidentia partium phlegmone laborantium: & morbus magnus ex parte ab instrumento patiente denominatur, phrenitis aut, peripunemonia, atq; pleuritis, aut aliquid tale. Sed de his postea dicemus.] Ex humoribus dicit quasdam fieri, quasdam ex inflammationibus, non ergo ex humoribus febres inflammationum consistunt. Sed maius argumentum sumitur ex ipsa rei constitutione, quod antequam phlegmon suppuret febrem habet & euidenter magnam, quæ tamen non potest ex putredine ortum habere. Propterea dico quòd veritatem magis quam nugas in huiusmodi diligere debemus, febris enim phlegmones consequens est triplex iuxta tria tẽpora antequam putrescere incipiat sanguinea non putrida acmastica de qua Galenus nono Artis curandi tractat: cum enim in abscessu sanguis incalescat non soli spiritus, calor ille ad cor per venas & arterias permeat, accenditur humor donec cor incalescat, maximè si prope ipsum cor phlegmon oriatur, ideò fit febris sanguinea absque putredine: si verò procul absit tantum ephemera. Rursus cum putrescit humor si vapores ad cor deferuntur fit febris putrida: deferuntur autem ad cor vel ob multitudinem, vel ob propinquitatem loci, aut magnitudinem caloris; & si omnia hæc defuerint, defertur solus calor fitque ephemera vt prius. Quod si phlegmon disruptum iam fuerit, materia tota conuersa in saniem; tunc fit febris de qua dixi in tertio prognosticorum: aut si deficiant conditiones omnes fiet ephemera, vel etiam cessabit prorsus febris. Hæc est causa quòd tam variè locutus est Galenus. Alia contradictio est difficilior quia non ex re sed verbis Galeni insectantis antiquos (quàm iustè nunc non dico) procedit scilicet an talis febris sit accidens seu casus cum alium morbum sequitur. Dico ergo quod mens Galeni est quòd febris quæ consequitur phlegmonem sit morbus, & meretur nomen febris non tamen simpliciter, quia à principali appellatio sumitur, velut morbus lateralis aut pulmonia; illi enim duas in factiones scilicet antiqui secabantur: quidam volebant febres consequentes ad alios morbos ità esse accidentia seu casus vt non essent morbi: vt pote febris morbi lateralis non erat morbus, sed solus lateralis plegmon erat morbus: alij dicebant læsionem operationis ipsum esse morbum. Dicit Galenus primi errant in re, quoniam etsi talis febris sit casus seu accidens, est tamen morbus quia lædit operationes seorsum à phlegmone, licet nomen morbi debeat sumi à principali, id est, morbo rectè dicunt, sed in re errant confutantes seipsos, quia cum dicunt esse febrem dicunt morbum; omnis enim febris est morbus: qui enim dicit speciem, dicit & genus. Secundi autem inquit non errant in re, sed in nomine: nam læsio operationis, non debet appellari morbus sed symptoma seu accidens, ideò conuerso modo alteri peccat. Et hæc est sententia illius loci: non ergo reprehendit illos primos quod dixerint esse casus seu accidentia, & nominauerint eos à nomine principalis affectus puta morbi laterali, nam hoc faciebat Hippocrates & erat in vsu antiquis: sed quod in re ipsa errabant quia putabant postmodum ex hoc quod febris non esset morbus: & ideò perindè errat ac si dixissent est homo, & non est animal: siquidem febris est species morbi.

CONTRAD. XXXIV.

Cur filij assimilentur parentibus.

SVperest difficultas, quonam pacto parentibus filij assimilentur. Galenus in secundo de semine inquit: [quoniam & menstruus sanguis aliquid agit, & semen masculinum aliquo morbo & patitur & materia est, age igitur, vincat masculinum semen, tunc patri assimilabitur: si autem fœmineum, atque cum illo menstruus sanguis matri. Sed satis mihi videtur obiter tam difficilem tractasse quæstionem, cum in aliis facilioribus tot verbis vtatur. Sed agendum veritas illa sit: quomodo oculis patri assimilentur, naso matri, non explicat: & rursus, & cur auo materno, vt ego qui Iacobo Miherio materno auo moribus, ingenio & corpore sum persimilis:] At dicebat magis patri, videtur etiam difficile, vt inquit Philosophus, hoc tueri nisi vtrumque semen ex toto decidi affirmemus, vt non decidatur, fieri potest vt simul & mas & matri persimilis. Ergo Philosophus ipse tria supponit, primum quod motus alij, actu, alij, potentia vnicuique insunt. Secundum

quod eum degenerant in contrarium abeunt. Tertium quod in proximum. Igitur Socrates & hic homo est, & masculus & homo, & animal, & viuens. Si igitur semen sanguinem matris vicerit, procreabitur puer patri persimilis. Quod si paulo defecerit, paterno auo sin autem minus adhuc validum est, patruo, tum verò si multum vincitur vt dictum est, fœmina procreabitur: at si adhuc minus possit non ex humano genere sed solum animal, atque ideò monstrum, at si minus, viuens tantum vt mola. At verò quomodo mas matri similis, aut fœmina patri? Respondet motum qui à patre & ab vniuersalibus causis semini inesse actu: potentia autem qui à matre atque auo; residet enim vis assimillans in matris sanguine ipsi matri, tum auo materno, atque auiæ, & in semine patris potentia motus aui ac auiæ paternæ, cæterorumque maiorum suorum. Cum igitur semen à proprio vigore destruitur, quod patientia est agit ad assimilandum; formas enim plures veritus actu ponere, potentiam finxit, velut intellectiua quæ sensitiuam habet ac nutritium, igitur, in proximam formam mouentem transit eum à validissima destituitur, earum autem formarum nullus est ordo ob id alij aliis simile efficiútur. At hæc Philosophi ratio dubia est: nam quomodo patruo similis efficitur? cum nullum semen potentia patrui formam, aut fratris contineat. Deinde quomodo referet quòd iam diximus pedibus & toto corpore patrē, delineatione autem vultus ipsa matrem? Tertio quomodo cicatrix patris velut de Chalcedonio viro dixerat in filium transibit? tum verò quonam pacto si vicit semen vt masculus fiat, nunc etiam victum matri aut alij assimilabitur: Deinde si non exciditur à partibus quæ iam constitūt, sed à nutrimento, vnde illi causa similitudinis? an in corde totius corporis similitudinem contraxit? Difficilia sane hæc, & prorsus miraculis similia, beneque meo iudicio fecisse videtur, qui tandiu solutionem quæstionis distulit: nam cum in primo libro eam mouisset, in quarto soluit. Dicamus igitur quod quilibet tam pater quam mater constat ex vtroque seminē suorum parentum, & in diuersis membris est verius alteriusve seminis superabundantia. Cum verò deciditur semen à patre siquidem validæ omnes partes fuerint decidetur validum atque filius patri assimilabitur. Si autem semen quod ex parte deciditur capiti pertinens inualidum fuerit, vincatq; ibi matris semen quoniam processu temporis paternum est debilitatum; cæteris autem in membris validum sit, generabitur puer aut puella similis patri in omnibus mēbris, solo capite auiæ paternæ assimilato. Quod si ex toto semen paternum quòd à capite deciditur debile fuerit, vincatque vxoris semen, natus matri capite, cęteris in membris patri similis erit. Quod si semen quòd ex patris capite deciditur debile fuerit: patris tamen ac matris eius seminis vis valida, natus caput simile patruo paterno habebit; nam patrui caput ex paterno & materno compositum est, vel altero vincente. Eodem modo si imbecillia omnia ex patre fuerint, exinanitaque etiam in illo maiorum virtus; natus pro membrorum ratione in quibus semen matris, aut patrui materni aui vel auiæ vincet persimilis erit. Sicut igitur in anima est vis imaginandi, & ratio, & memoria, & sensus, ita in corpore sunt multæ formæ, non solum natura sed loco distinctæ, Velut cor meum assimilatur in natura patri meo, & auo paterno Antonio Cardano. Sed dices huic relinquuntur quinque dubitationes, prima quomodo possit cicatricis vestigium transire ex patre in filium & Hieronymus Cardanus Medicus affinit noster habet in brachio sinistro vestigium nigrum pilosum in parte sinistri radij seu cubiti quòd contraxit ad vnguem ab auo paterno Iacobo. Secundum est quonam pacto cum semen non decidatur à toto, neque partibus in actu, sed sit solum nutrimentum quomodo potuit efficere sibi simile? Tertia si masculus à masculo fit quoniam membra genitalia vincunt, oportet esse genitale filij semper simile genitali patris. Quarta quia si corrumpitur forma membri aut debilis redditur quomodo potest esse ibi forma seminis alicuius parentis valida? Quinta quia poterit patruus nulli parentum suorum assimilari, & & tamen natus patruo assimilabitur. Addunt aliqui ex quibus est Princeps quod ob imaginationem filij etiam alienis assimilantur, & adducitur exemplum de Iacob qui decipiens Laban socerum suum, quoties vellet procreari agnos albos, ponebat baculos decoriatos vbi pecudes bibebant; nam ibi arietes cum eis coibant: nascebanturq; agni, non parentibus sed ligno quod oculis habebant dum concuberent persimiles. Et Philosophus dum redit ratione cur minus filij hominum quam belluarum parentibus suis similes reddantur, in hominum imaginationem refert. Sed hoc responsum est secundum vulgi opinionem, vt pleraque quæ in problematibus continentur. Illa autem opinio ab adulteris inducta est: quippe eum impossibile sit, tamen maxime si quid sit in parte præcipuitur boni, aut perspicui mali, quin vel moribus, vel mēbris aliqua ex parte filius non referat patrem Quod verò attinet ad sacram paginam mihi vt Medico curæ non est ad dubitationes: igitur. Dico quòd quamuis semen non decidatur à membris, impressionem carnem ab illis recipit quoniam mutatur, sed nondum mutatum est, ideò potest efficere simile & non simile, sicque patet ratio duarum primarum dubitationum, illud adiicit eo quòd quandoque trahit aliquid iam assimilatum membro secum, tuncque fit perfecta assimilatio. Et si dicas est homogeneum semen ac sibi ex toto simile Respondeo quod simile quidem est, aliter parte pereunte homo mutilus non raro nasceretur. Sed tamen in qualibet parte mixti est tota vis, quæ postmodum distribuitur. De genitali filij respondemus; si à corde, vel iecore vt diximus non vincitur simile efficere. Sed reparitur etiam à semine matris & à sanguine, & quamquam debile est, sed virtus paterni seminis ipsius patris in eo vincit. Has omnes ob causas frustratur similitudo, corrumpitur autem forma membri generantis semen quia ab aliis vincitur for mis; nec est necesse vt si victus, vin-

cetur vt victor etiam vincatur de patruo parentibus non simili si filius fratris ei similis fit casu accidit. Memento tamen vt in solis ac seminalibus membris filius plerumque patrem refert, sic in carne matrem, fallitque hoc sæpe delineamenta.

CONTRAD. XXXVII.

Suppurationis initium quando?

HIppocrates quinto Aphorismorum tex. 8. inquit. [Quicunque morbo laterali laborantes in quatuordecim diebus non repurgantur ad suppurationem vertuntur.] Cui illud iungitur ex eadē particula. [Quicunque ex morbo laterali suppurantur, si in quadraginta diebus ab initio eruptionis repurgantur sani euadunt. Si non, ad tabem transeunt. Si ergo ità est quomodo verū erit illud ex tertio prognosticorum tex. 18. & 19. [Aliæ verò puris eruptiones fiunt plurimæ quidem vigesima die, quædam verò trigesima: quædam autem ad sexagesimum vsque perueniunt. Considerare autem oportet principium suppurationis fore ex ratiocinatione à prima die qua homo febricitauit, si quando primum rigor ipsum præhendit; & si dixerit in parte quæ dolore vexabatur pro dolore ipsū pōdere grauari, hæc enim in principiis fiunt suppurationum. Ex his igitur temporibus eruptionem suppurationum fore sperandum est prædictis temporibus.] Quomodo enim si post quatuordecim dies statim ad suppurationem perueniunt ad vigesimam diem vel etiam vltra, & hoc ab initio suppurationis peruenire possunt. Nam si per suppurationem intelligas eruptionem puris cum ex prima authoritate illa fiat necessario in quattadecima, non poterit tandiù tardari. Sin autem in prima authoritate intellexit per supurationem solam conuersionem in pus, in aliis autem eruptionem; non eodem modo locutus est. Deindè mirum est quòd de hoc tempore intermedio inter suppurationem & eruptionem quod solet esse satis amplum Hippocrates ne verbum quidem fecerit quomodo ægri degant. Præterea tertio in tertium Epidemiorum tex.79. De anaxione primum parum concocta in decima septima expuere cœpit: in vigesima septima solum concocta tum primum, & tamen non transiit ad suppurationem licet non expurgatus fuerit in quartadecima iuxta Hippocratis Aphorismum. Deinde videtur qnod suppuratio & concoctio sint diuersa, quia si ante quartum decimum diem spuunt concocta, & non repurgantur in quartadecima, transeunt ad suppurationem; sed hæc non est eruptio puris per demonstrata, igitur supuratio est alia à coctione. Coctio etiam semper est ad salutem vt primo Epidemiorum: at suppuratio plerumque tendit ad mortem vt tertio prognosticorum. Aggrauant hanc difficultatem verba Galeni in secundo prognosticorum secundum illius diuisionem, dicentis signa illa principij esse febrem, dolorem grauem, rigorem, & difficultatem spirandi; at rigor, & febris, ac dolor sunt symptomata maturationis & suppurationis abscessus posita vt vides ab Hippocrate in tertio, & hæc vult esse symptomata hic initij eruptionis, igitur initium eruptionis & suppurationis sunt vnum & idem. Hoc torsit & meritò C. Vegam adeò vt coactus sit venire in hanc sententiam vt signa sint eadem vtrorumque, nisi quòd in eruptione adduntur aliqua alia ex dictis supra, vel additis à Galeno quarto de locis respiratio magna seu sublimis. Et secundo in tertium Epidemiorum vbi anginosis, peripneumonicis, & suppuratis statuit communem respirationem sublimem, quæ fit toto pectore, dicit & omoplatis ac narium pinnis. Et ideò si quis videat Galenum in loco adducto quinto Aphorismorum, intelliget illum fuisse ambiguum quid per suppurationem intellexerit Hippocrates. Et vere hoc totum contingit quia Galenus cum videret in abscessibus externarum partium idem esse concoctionem & suppurationem, existimauit idem esse de interiorum partium phlegmonibus. Sunt & aliæ difficultates etiā in verbis Hippoc. velut ex secūdo de morbis vbi vult sonitum audiri in latere suppurato dum mouetur ob pus, quod in prognosticis reliquit. Indè subiicit quod etiam in tertio libro pag. 10. non esse necessarium vt concusso humero pus resonet, quoniam si crassum fuerit non resonabit, sed alia signa sufficere ad declarandum pus esse; ad declarandum autem locum vtitur terra Eretria madefacta. Et quo patet quòd sonitus non est signum vt vocant inseparabile: nam neque proprium est cum possit accidere ob pituitæ multitudinem, & ideò est prætermissum ab Hippocrate in prognosticis, sicut & illud de terra: quia non intendit docere in prognosticis modum operandi in curatione, sed solam prædictionem. Reliquum est vt videamus de Anaxione an fuerit suppuratus, id est genitum pus in abscessu: nam si non, non ergo verus est Aphorismus supradictus: si sit, igitur cum tales non sanentur nisi rupto abscessu, non appareat autem quod abscessus rumpatur nisi vigesima die post rigorem; necesse fuisset vt ruptum esset in trigesima quarta, & in quartadecima riguisset, quorum neutrum contingit, imò à vigesimaseptima cœpit spuere cocta, & ideò Galenus non exposuit Hippocratem, sed nugatus est in perspicuis, obscura omnia prætermisit intacta. Dico ergo quòd Aphorismus ille intelligitur de numero dierum à quo repurgari incipiunt. Cœpit autē decimaseptima solum repurgari, & in tregesima fuit repurgatus perfectè; sed ob febrem coniunctam liberatus est solum die quarta post repurgationem. Et ex hoc patet numerus dierum ab initio morbi lateralis vsque ab initium tabis scilicet ad finem vsque repurgationis puris; Et constituitur ex quatuor temporibus: primum est generationis phlegmonis, & hic numerus dierum est incertus; nam in Anaxione incrementum fuit vsque ad septimam vsque, & status perdurauit ad decimamseptimam vsque, in qua incepit initium concoctionis: in quo ægri expuunt purulenta, & hoc non

potest

potest excedere quartamdecimam diem: & ita peruenit in trigesimam & tunc finitur coctio & incæpisset cum rigore suppuratio si non fuisset plenè purgatus & potuit hoc tempus esse à viginti diebus ad minus & ad sexaginta ad plus,& ità eruptio potuit extendi ad nonagesimam diem: à quâ postmodum tanquam initio expurgationis puris numerantur rursus quadraginta dies vt incidat terminus vltimus in centensimam trigesimam. Et hæc est illa ex qua incipit tabescere omninò (sed & multo antea quacumque die) tabescere.

CONTRAD. XXXVIII.

Inspiratio an fiat pectore dilatato, expiratio constricto.

Galenus in libro de prædictione ad posthumum cap. 6. iuxta finem inquit: [Et ego ostendissem nec inspirationem dilatato pectore fieri, nec expirationem constricto.] In oppositum inquit libro de thoracis motu: [Demonstratum est pulmonem nullum habere motum sine thoracis motu: nam immoto pectore pulmo etiam immotus manet: non tamen si pulmo immotus manet, pectus necesse est immotum manere: Et si pereat pars motus in pectore, perit & in pulmone; nec tamen si in pulmone perit, in pectore perit; igitur pulmonis motus consequitur motum pectoris. Hoc forsan est quod voluit dicere posse quandoque pectus dilatari, nec tamen pulmonem haurire aërem: & similiter constringi pectus, nec tamen fieri expirationem. Sed vide quæ dicat in de vocalium instrumentorum dissectione cap. 8. [Inspiratio fit dum thoracis musculi intenduntur, & costas in sublime attollunt, & totam internam capacitatem latiorem maioremque reddunt. Interim autem accidit vt pulmo dilatatur thoracem dilatatum insequatur, cum autem ea quæ in pulmone est capacitas maior reddita fit ambiens aër per asperam arteriam,& os, ac nares necessitate attractionis ad vacuum consequente quemadmodum in fabrorum folles ingreditur.] Idem docet de expiratione. Si quis ergo sic dicta conciliare voluerit non potest reprehendi: attamen modus orationis primæ non id ostendit: aliud enim est dicere nec inspiratio dilatato pectore fieri, nec expiratio constricto, quasi quod possimus inspirare aërem nequaquam dilatato pectore,& expirare non constricto, quod manifeste pugnat cum illius præceptis, & de hoc aliàs egimus: aliud est quod dicamus inspirationem non semper sequi dum pectus dilatatur, nec expirationem dum constringitur quod haud dubium est. Difficile autem est ariolari cum non sibi persæpe constet, modo longissimus vbi non decet, modo breuissimus vbi multis agere oporteret.

CONTRAD. XXXIX.

Fistularum an labia necessario callosa.

Paulus libro quarto cap. 49. diffinit fistulam dicens: [Fistula est sinus callosus qui magna parte ex abscessibus fit ab arundinearum fistularum translationem appellatur.] Idem Aëtius in quartodecimo cap. 55. Oppositum in libro de tumoribus cap. 5. [Fistula est sinus angustus & longus quæ sicut alij sinus coërcetur, nulla callosorum labiorum habita mentione.] Clariùs secundo ad Glauconem cap. 8. his verbis: [Vidisti verò & medicamento cirrho sanatas fistulas aliquando, in quibus cum angustum ac longum foramen esset, cum nondum intus callum haberent sed sorditiem solum: vt constet fistulam esse posse absque callo. Verba vero ænigmatica prope libro definitionum pag. 13. [Duæ fistularum differentiæ sunt cœcæ quæ osculum in profundo sinum ad superficiem habent, occultæ quæ & os & sinum obtinent in profundo.] Sed reuertamur ad rem, Princeps quarta quarti tract. 3. c. 1. inquit. [Vlcus profundum cum habuerit carnem in ambitu duram, vocatur fistula, si non est dura vocatur cauerna.] Dico solutio non est obscura, Galenus si quidem primo de compositione secundum genera cap. 7. inquit: [hoc medicamentum prodest ad omnes fistulas quæ nondum callum durum habent:] Vndè callus duos habet significata carnis incrementum circa cutim,& idem sed cum duritie manifesta: in quo sensu appellarunt Princeps & Paulus, etiam & ipse Galenus secundo ad Glauconem cum dixit. [Quæ nondum callum contraxerant.] Idest durum; De primo sensu intelligitur cum Galenus appellauit fistulas generali nomine, dicens quòd habent callum. Ità nominauit author libri de definitionibus medicis, vocaturque apud Græcos Syrinx. Quòd ad verba attinet obscura intelligit os per quod effunditur virus, cœcæ enim habent os per quod effundunt saniem extra, & illæ sunt minus malæ; occultæ habent duo ora, vnum exterius quod parum aut nil emittit,& internum quod corrumpit membrum; vel si in occulta etiam nullum sit os exterius nihil refert: adeò vt commune sit omni fistulæ meatus angustus profundus cum ore quod effundat saniem siue intus, seu extra. Inueniuntur enim vbi plures fuerint quæ etiam sint occultæ, & sunt valde prauæ. Quid autem sit callus declarat Paulus in sexto libro cap. 77. docens quod est caro alba, vide illum. Satis est quòd contradictio est solum in verbis.

CONTRAD. XL.

Expositoris officium quale sit.

[Non enim simpliciter dicendum est per enarrationes quidquid nobis videatur verum,

verum, sed quod sit secundum sententiam scriptoris quanquam fuerit falsum.] Primo prognosticorum. Et in primo de victu in Acutis: Sed hoc in libro dictiones prosequi est opus nempe is expositionis scopus existit: nam si quis inter exponendum demonstrationes scripserit sermonem protrahet, & præcipuam quæ sanationis morborum causa existit dimittet partem, quæ maximè ad morborum lethalium curationem excellit ac præstat. Summa quidem præsentis dictionis hæc est: propria verò dictionis deinceps explicabo. Quid cum hoc sæpius repetat id agit quod de Tiberio dicebatur: Cæteros quod polliciti sint tardè præstare, seipsum quod præstaret tardè polliceri; nam totis prognosticis atque Aphorism. nihil aliud affert quam vocum exilem etiam quandam interpretationem. In primo etiam de fracturis com. 1. hæc habet: [Antequam ad particularium explanationem veniamus melius est, vt in vniuersum de tota explanandi ratione quippiam dicamus. Vis enim eius ea est, vt quæ in operibus auctorum obscura sunt, dilucida ac clara efficiat, aliquid autem eorum quæ scripta sunt, aut verum esse demonstrare, aut falsum conuincere, aut si captiose quispiam accusarit, defendere, licet separatum quid ab explanatione esse videatur: fieri tamen ab omnibus ferè consueuit, qui commentaria conscribunt, & nihil vetat, quo minus explanator etiam hoc quoque exequi mediocriter possit. At de auctoris decretis prorsus cōtendere, illud verò explanationis terminis excedit. Quocirca ego non ad hunc scopum, sed ad antedictum spectans pauca quædam confirmandorum eorum quæ dicuntur, causa veris ac propriis explanationibus subinde adiungam. Simile est quod dixit. Proprie vocata expositio in obscuris fit dictionibus, sed & ex interpretum consuetudine causas obscurè dictorum per abusum expositiones appellamus. Quod nos hoc loco vincentem consuetudinem sequuti facimus, nempe orationem, quæ manifesta est, nullaque indiget expositione proferentes causas eorum quæ ab ipsa significantur, apertè referre conamur.] Velut & illud. Cum interpretum officia duo sint, & vt libri mentem seruent, & lecturos libri cōmentarios commoda doceant.] Verissimile est vafro consilio inuidentem Hipp. gloriæ istiusmodi scripsisse; Primum enim ad quem spectabit inquit de authoris decretis si non ad explanatorem? deinde quis fructus colligetur ex sola nominum dignotione, si non putat eadem verba eandem habere sententiam. Siquidem Boëtius in secundo de interpretatione inquit ad explanatorem pertinere non solum explicare verba, sed etiam sensum orationis. Quid quod ipsemet Galenus toties reprobat eos qui solum verbis & de illis litigant; inquit autem, si quidem tertio in primum de morbis vulgaribus com. 4. pag. 6. [In explanationibus, propositum est sententiam eius, quod vetus est cognoscere. Qui ergo ante singula exactè didicerit, hunc denique ad veterum librorum explanationes accedere oportet: vt tamen primum veteris sensum valeat inuenire: secundo loco, rectè ne ille, an secus sit assertus: simulque admoneat demonstratorum in operibus de vnoquoque medico præcepto. Qui verò interpretes suis dictis nequeunt demonstrationem inferre auditores loquacitate obtundunt: itaque à scriptoris sententia retrahunt, volentes sua verba ex illis fidem habere. Quamobrem de capite ad caput transeunt, quæ ne ipsa quidem quicquam ad rem propositam referunt. Porrò fieri non posse, vt in explanationibus demonstrationes disputationum, quibus pariuntur scientiæ, scribantur ex iam dictis planum est. Nam quando Hippocrates non in Tythione modo, verum in multis etiam ægris prædictorum symptomatum meminit, si quidem nusquam demonstrationibus comprobes placita, nullam animis discipulorum, quæ scientiam pariat, doctrinam infundes. Quod si tradas in quibusdam ægris demonstrationes, in quibusdam prætereas, atque in primo morborum vulgarium. Verbi gratia eas omnes persequare, in aliis ad illas reiicias, facies tu quidem, quod diximus vno in libro absolutissimam tradendo cum demonstrationibus doctrinam, in cæteris eius conclusiones adducendo. Sed id ipsum tamen vtroque est modo absurdum. Nam in primum vulgarium morborum librum, si hunc enarres, primum quinquaginta commentaria sit necesse scribere, & singula aut bina in singulos alios. Itaque cogeris, si aut præsagia, aut aphorismos legere velis, ante 50. illos lib. euoluere interpretantes primum librum morborum vulgarium. Haud secus si ab alio quopiam cœperis commentaria scribere, in illum quinquaginta scribes. Qui autem alium legere volet, ante omnia necesse habebit quinquaginta illos libros legisse. Atqui multo præstabat singulas quæstiones, vel præcepta, vel quolibet nomine appelles, esse singulis descripta libris; atque hos tantum consulere, vbi firma imbui scientia de iis voles, quæ in ipsis prodita sunt. Ideóque cum de tremore, conuulsione, palpitatione, & rigore, tum de aliis omnibus lucubrationes edidimus separatim, & demonstratorum in interpretando vsurpamus conclusiones.] Sed vide postmodum quæ dicat, primo de crisi cap. 4. in fine: [Dialectici munus est de nominum rectitudine disputatare. Gramaticorum & Rhetorum inspicere nomen an in vsu sit apud illos qui ea lingua vtuntur: hoc autem nonnulli Medicorum factitant propria artis omittentes, & aliena male tractantes in vtroque grauiter peccant.] Et in primo de pulsuum differentiis cap. 1. sic exorditur: [Optarē res absque nominibus posse tradi, quandoquidem nominus distinctione non egemus nisi propter Sophistas: nos autem Deorum ipsorum notitia non nominum opus habemus.] Millies hoc prædicat nec scio cur cum de hoc alios adeo damnet, ipse tamen in exponendo Hippocratem non aliud agat quam de nominibus disputare, res autem negligat vt in vtroque delinquat. Et quartodecimo methodi cap. 9. [Nominibus contemptis, ipsam rerum scientiam exerceas.] Nec solum hoc dixit vbi de parte operandi tractat, sed in contemplatione principiorum

piorum vt in libris de vsu partium, & vbi de morbis aut annexis tractat. Quid plura? Nihil frequentius apud illum, aut tritius. In quibus locis quod mirabile est, etiam discedendum in nominibus ab illorum vsu apud antiquos consulit, adeò nomina negligit atque contemnit. Sed forsan occurret aliquis statim dicens solum in explanandis authoribus non in doctrina tradenda nomina debere contemni. Hæc excusatio bona non est, quandoquidem si velit declarare Euclidis propositionem. [Datum angulum per æqualia secare.] An volet dicere angulus est quoddam spatium quod intercipitur à duabus quibuslibet lineis, sed hic solum de rectis intelligit (quanquam ne hoc quidem expediret apponere) quinetiam diuisio per rectam intelligitur & æqualis diuisio in hoc constat, vt vnus alteri superpositus non excedat nec superetur: quis non rideat talia nugantem. Et similiter omnis trianguli maius latus maiori angulo est oppositum. Per latera exponat etiam basim posse comprehendi, demonstrationem autem omittat. An sic Theon, an Hutotius in Archimedem? An non hoc est delirare non explicare. Et Auerroës summus Philosophus consideratio de nominibus in prima philosophia sola pertinet ad scientiam ipsam per se, sed in aliis artibus non est pars scientiæ sed oportet scire causas & demonstrationes. Et ideò Philosophi longè meliores fuerunt erga suũ Aristot. tribuentes ei omnia quę ab illo dicta erant fideliter & ad eum referentes quã Galenus qui cuncta bona suffuratus ab Hippocrate transtulit admixtis mille nugis & erroribus in sua commentaria; vnde in eum intendere liceret actionem non solum malæ fidei, sed etiam furti neque inuentis nouis artem locupletauit sed veterum eam fraudauit dum nimis cupidè in sua Commentaria transfert, non Hippocratis methodum, sed suam secutus, quam à Platone vt longè leuiorem didicit. Vt tamen ad conciliationem deueniam quamuis nunquam ipse sibi constet, quod ei à propriis sectatoribus obiicitur, scire oportet quadruplex interpretandi genus ab illo institui, quod tamen ipse solus dicit vt furto liceret frui minus turpiter. Vnum quod nullus vnquam scripsit scilicet vt sola nomina exponerentur, quod ipse proposuit vt omnes antiquos qui commentaria in Aphorismos, & librum prognosticorum, & morborum vulgarium volumem, tum etiam de victu in Acutis Hippocratis vno verbo damnaret, quasi superflua adiicientes cum ipse non haberet quod melius adderet, nec vellet alienis acquiescere. Nec scio præter Grammaticos etiam plebeios qui sic exponant; nam Seruius & Donatus Virgilij sensum etiam præter verba exponunt. Quinetiam Brasauolus in primum de victu in Acutis interpretatur Galeni dictum de sensu. At Galenus non patitur qui toties impingit in hunc lapidem maximè in Prognosticis, vt totum illum librum non aliter exponat. Secundus exponendi modus est vt sensus explanetur: Sed nec id vt dixi sufficit, Galenus tamen putat in authore adeò celebri & securo hoc sufficere. Tertius est vt tueamur authorem à falsis calumniis, vt quæ dicit comprobemus experimentis ac rationibus, hoc licere putat, sed tamen non pertinere ad explanationem. Vltimus est quem prorsus explodit vt disputet de decretis illius authoris an vera sint. Tot inuexit absurda palam vt detestabile suum propositum tegeret; nam omnia hæc singuli explanatores in Aristotelem faciunt. Verùm puto Galenum non vidisse aliquem eorum qui in Aristotelem scripserunt; cum primus eorum fuerit Alexander Aphrodiseus qui Galeni ætate vixit cum vterque floruerit Philosophi Antonini Imperatoris temporibus. Vituperantur Poëtæ, Latinisque Homerus præponitur à Seruio quòd non committat καλλωπισμὸν quæ est cum non tota fabula narratur, & tamen affert decorem. At Galenus non vult sensum in seriis intelligi. Dico ergo quòd debent explicari verba & sensus, & demonstratio etiam dictorum addit respondere dubitationibus & difficultatibus quæ accidunt vel in re, vel in littera; hæc omnia pertinent ad interpretem, solum extra munus illius sunt quæ ex illo deducuntur, & ob id Auerroës in hoc casu efficit digressiones. Credendum est autem magis Alexandro, Auerroi, Ammonio adeò inclyto interpreti, simplicio, Philopono, totque aliis Philosophis quorum hoc est proprium munus, & qui syncere rem hanc & post ipsum Galenum pertractarunt, quam Galeno soli, & cuius non est proprium hoc munus, & qui vitio inuidentiæ, ac corrupto desiderio hæc affirmat; neque sibi constans, & in manifesto crimine deprehensus. Neque etiam sperauit futurum vt eius libros adeo prolixos quisquam exponeret. Vt ergo breuiter doceam quodnam sint partes expositoris secundum Philosophos, atque Dialecticos quorum est propriè hoc munus docere breuiter; aperiam postquam nemo ad hanc vsque diem hoc aperuit, nisi in præfationibus Auerroës in Procemio totius Philosophiæ haud territus magnis nominibus vanis Galeni. Dico quòd primum munus interpretis cuiusuis authoris, seu explanatoris, aut commentatoris, aut qui exponat aliquem librum quomodocunque velis appellare; est sensum ipsius authoris explicare: & hoc est primum perse & principale. De quo valdè demiror (magnitudo autem flagitij me cogit nolentem prorumpere in hoc verbum) de amentia Galeni qui ob proprium commodum ausus sit tam absurdam proferre sententiam, quòd prima intentio sit circa voces: cum res quæramus, non voces: nec voces nisi vt res discamus. Secunda est vt discamus causam, & rationem quæ induxit illum authorem ad hoc dicendum quia scire est rem per causam cognoscere: non vt sciamus (ne fallaris) an verum sit; hoc enim est aliud prorsus, sed vt sciamus hanc fuisse sententiam verè illius authoris. Ista duo sunt munera per se & primo. Tertium est perse non primo vt intelligamus verba, & modum dicendi propter duo: primum vt sciamus quòd hæc est verè illius sententia, & qualiter explicata sit ab illo: secundum vt propter alias sententias discamus in quo sensu capere soleat hæc verba

verba hic auctor, & etiam quomodo soleat verba connectere. Præcipue autē hoc obseruare decet in antiquis nominibus iam obsoletis, & in homonymis vt etiam docet Auerroës;demum in fictis ab illo authore, si qua talia sint. Quartum munus est disputare contra eos qui id dogma conantur euertere, aut calumniantur sententiam illam atque etiam id per se est. De quinto oportet distinguere scilicet de veritate dogmatis nam si author ille perfectè tradidit disciplinam, ad interpretem hoc etiam munus spectat cum non ad alium, neque ad eundem nisi vt interpres cum non aliena videri vult sibi ascribere:in quo tam grauiter Galenus vt dixi peccat erga Hippocratem, quam religiosè obseruatum est hoc ab omnibus Aristotelis explanatoribus magna Galeni infamia. Sed vbi author ille non nisi particulam artis tradiderit, tunc non pertinet ad interpretem disputare inter exponendum de hoc:sed si breue sit negotium & paucis potest absolui in præfatione operis hoc facere: sin autem magnum negotium sit, & volumen vt ita dicam exposcat,debet vno in libro hoc agi,cum mentione illius auctoris, velut dicendo, quod animæ fabricant sibi corpora propria in Platonem contra Aristotelis sententiam. Sextum munus etiam diuiditur, & est quòd cum explicamus ea quæ deducuntur ex sententia illa authoris, non pertinent hæc ad expositionem vllo modo: sed si statim ex illis pendeant in digressionem vt dixi more Alexandri, & Auerrois sunt conferenda; & similiter si aperire necesse sit opinionem totam aliquorum aliorum antiquorum qui ab authore redarguuntur:tunc si breuis sit enarratio ad expositionem pertinet, si longa ad digressionem, & ita vtroque modo tamen munus est interpretis & inseri debet illi libro, quoniam aliter liber intelligi nequiret, sed vbi quòd narratur pendet ex sententia authoris, sed non statim verum longa indiget deductione, tunc non pertinet hoc vllo modo ad opus illud, neque ad illa commentaria:sed est seiunctum prorsus id ab eo, & est extra illius expositionis limites & eos egreditur, licetque tunc sola mentione facta ab initio illius authoris opus seorsum conscribere. Hæc sunt viri ingenui librum alienum exponentis munera.

CONTRAD. XLI.

Vrina crassa an turbida.

PRinceps secunda primi inquit. [Vrina multum crassa significat concoctionis priuationem,cuius quidem alia est clara,alia turbulenta.] Galenus autem primo de crisi cap.12. [Nam quæ mediocri crassior est aut tenuior, coctionem imperfectam significat, siquidem altera nondum in humorem conuersa est, altera verò adhuc conturbata est.] Siquis obiiciat difficultatem solum esse in verbis quanquam id notum, non tamen ita est: nam videtur Galenus tria confudisse quod aliàs dixi, substantiam crassam vrinæ, vrinam turbidam,& quæ à frigore condensata fit opaca.Nec scio an forsan in Græcia hoc non accideret, aut non ea ætete aut vnum pro altero accepit.Sed si vera fateri volumus cum nullā claram videret turbidam fieri, nec vllam opacam mingi, putauit turbidum & opacum esse vnum: vt clara micta fieret turbida, & turbida micta clara. Dictum est de hoc affatim in primo libro de vrinis. Turbidæ quæ clarescceret meminit sæpe Hippocrates vt in Sileno minxit aceruatim subcrassam subsidens. De ea autem quæ permanebat turbida si moueretur in Philini vxore, & Epicratis etiam quæ sanata est; sed in Philini vxore & Dromeadis verba illa aliter à Cornario vertuntur: crassam albam qualis est ex his quæ subsiderunt,vbi multo tempore sita fuerint, conturbata non subsidebat. Laurentianus lōgè aliter:Crssæ albæ cuiusmodi quæ in matellis diù steterunt cum agitantur non subsidebant. Sed postquam de clara nullibi loquitur,nil interest ad præsentem disputationem cuiusmodi legantur duo illi loci penè inter se similes. Verum cum numquam huius condensationis meminerit Hippocrates, nec verisimile sit tamen non mutatas vrinas aliquando, necesse est vt hoc prorsus nihili duxerit: vt etiam Galenus excusandus sit: sed ipse vt dixi melius forsan fecisset quam eam opponere ei quæ turbida cum mingitur clara euadit. Tres ergo Medicinæ principes cum in eadem re diuersa senserit,omnes laudandi sunt:Princeps quod rem obseruans turbidum ab opaco distinxerit; Hippocrates quod turbidum aliud esse ab opaco crediderit: Galenus quod mutationem vrinæ ex clara in opacam initium coctionis indicare intellexerit.

CONTRAD. XLII.

Somnus an frigidis, an calidis prouocandus.

GAlenus secundo Aphorismorum dicit quod somnus fit refrigerato cerebro, sed si immodicè refrigeretur cum humida qualitate facit lethargum, si cum siccitate catalepsim. Aetius tamen adhibet in suffumigio cum opio & mandragora bdellium, styracem, amomum. Solebam dicere quod emendandi alia medicamenta vtpote vt attenuarentur, vt ascenderent, ne læderent, causa ea adiici solerent: sed perse multa calida conciliant somnum velut styrax, crocus, aloës, amomum, iris, amygdalæ amaræ, anisum: & quod magis mirum est pleraque ex his etiam sicca valde sunt, certè omnia sicca. Dixi etiam aliàs opium esse calidum & non parum, est enim amarum non parum, & exurit os,& venerem excitat, & furorem inducit: & iam nunc cum totus oriens, & Turcæ milites eo vtātur adeò copiosè, dubium non est quin sit calidum & non parum. Hæc quæstio est alia longè à superius tractata cum illa spectet ad contemplationem principaliter, hæc ad exercitationem. Nam fieri somnum à frigiditate dubium non est;

est: quomodo tamen tot medicamenta calida & sicca profundos excitent somnos, hoc certè est dubium; præsertim quod non videamus nec cucurbitam, nec plantaginem inducere somnos, & quod nunc innotuerit opium etiam esse calidum, & de cicuta etiam vt aliàs dixi non leuis coniectura sit. Vinum quoque magis excitat somnum quam aqua: de quo dubium quod non sit illa calidius ac siccius. Dubium etiam est quomodo si somnus fit à frigido & humido cum tam grauem soporem excitent medicamenta calida & sicca. Primum ergo accipere oportet quod Philosophus dixit in libris de generatione animalium, in libro de somno & vigilia, somnum non esse eum qui non possit solui; vndè cataphora grauis somnus non est: sed neque quæ ex hoc genere tum enim est credere equum magnum & pullum equi non esse eiusdem naturæ, vt etiam grauis illa dormitatio ac stupor somnus non sit. Differunt in hoc quod somnus est quies, vt dixi in libro de animi immortalitate spiritus animalis: At cataphora seu lethargus est impotentia vigilandi: nec quiescunt qui sic detinentur; nam in melius commutarentur, at contrarium euenit potius. Si ergo quiescenti etiam aliquid eueniat, quod spiritum detineat, fit mixta affectio somni atque stuporis. At vinum videtur præcipuè nouum somnum gignere, quoniam vaporibus suis deprehendit spiritus, & eos immobiles reddit. Quocirca non propriam causã referunt somni: labor enim vigilias facit in me quia resoluit quod humidum est: in quibus autem inferiora sunt humida somnum facit quoniam colliquat; parua enim loca & angusta cum opplentur, immobile habent quod continetur. Quibus ergo angustæ sunt venæ & partes inferiores humidæ, in his somnus magnus atque profundus excitatus ab his quę caput replent, maximè à cœna: vel ieiunis si ventriculus sit plenus cruditatibus. Cum ergo frigiditas immobilem detineat spiritum, ideò inter causas somni numeratur tum verò magis quoniam succedit somno. Ex somno enim extrema refrigerantur, & totum corpus humectatur: humidum autem multum frigoris speciem refert. Fit ergo somnus & à frigore & ab humidis cibis, ac potibus, & ab his quæ ad caput feruntur, & ex his quæ calorem ipsum corrumpunt: paucus enim immobilis redditur. Opium ergo & mandragora cataphoram gignunt & somnum, multos enim vapores & substantiam ferunt ad cerebrum, ipsum verò calorem extinguunt. Quæ ergo extingunt, aut calorem refrigerant, somnum non efficiunt sed cataphoram: quæ autem replent & humectant, somnum non cataphoram efficiunt: Opium ergo & mandragora somnum simul & cataphoram efficiunt, humores praui, cataphoram sine somno vinum dulce & violarum odor, tum vapor ac cibus somnum sine cataphora, vt etiam labor & venus: velut ea quæ numeraui benè odorata, crocus, & lilia, & amomum, ac styrax vt & lactuca. Hoccine autem est scire verè, quæ autem tradita sunt ad hanc diem à Galeno qualia sint quisque videre potest. Etenim nugis proxima sunt. Neque enim obscurum est quædam ex somniferis velut in siccis natura corporibus vigilias magnas excitare posse.

CONTRAD. XLIII.

Febris acuta an remißionem habeat.

Galenus primo in primum Epidemiorum inquit. [Febres quæ ad apertam veniunt remissionem neque tamẽ corpus relinquunt integrum, has Hippocrates vocat continuas & acutas quarum circuitus è quadraginta octo horarum vt plurimum: velut etiã semitertiana sed ad integritatem non veniũt, & altero die minorem afferunt accessionem absque reduplicatione, sed quæ ægrè incalescat & ad vigorem perueniat. Estque illius proprium circuitus non æqualiter esse acutus ac perindè ac primum sed ad vigorem intendi atque augeri.] Oppositum secundo Aphorismorum dum inquit. [Adeò vt morbi continui acuties non possit plusquã quatuordecim diebus vnquam obtinere: Et si quis faciat in ægrotantibus obseruationem, omnes inueniet qui per duas septimanas velociter mouentur nunquam vlteriorem progredi terminum.] Antea autem dixerat. [Quicumque igitur morbi intra quartumdecimum diem integrè iudicantur, hos solet Hippocrates acutos simpliciter nominare: Quicumque verò imperfectè iudicati seruati fuerint in sequentium aliquem ad quadragesimum diem vsque hos non solet acutos simpliciter nominare; sed appellatione composita his nominibus: acuti in quadraginta diebus iudicantur verum manifestius illi qui acutos ἐκ μεταπτώσεως, idest decidentia vocant.] Et in quarta eorumdem particula: [Febris quæ non est acuta, sed moderata permittit tempore longiore à natura multitudinem concoqui; acuta verò prompta est ad dissoluendum corpora.] Clariùs autem secundo in sextum de morbis vulgaribus. [Si qua febris tertio quoque die exacerbetur, neque per minimum interuallum ità mitescat vt febricitant in eo prope sinceram integritatem esse videatur, hanc acutam febrem nominabimus, idipsum quod est dicentes scilicet quod tertio die exacerbatur.] Hippocrates cum dicit acutam febrem intelligit quæ intenditur semper, licet alternis diebus magis, alternis minus, nec vnquam peruenit ad remissionem, adeò vt prope quietem sit: atque hęc intra quadragesimum diem finitur, imò plerumque intra vigesimum. At cum dicit continuam & acutã febrem, intelligit continuã quæ similis est acutæ symptomatum sæuitiã, nam praua est; quomodo est semitertiana & tritæophyes & hãc intra 40. diem finiri existimat. Cum autem dicit morbum acutum, intelligit morbi substantiam, atque hoc modo definit eos primo de morbis & primo de victu in Acutis tex. 8. exponit autem vtroque loco febrem ardentem quia hæc non solum acuta est si magna sit aut acumen quod habeat, & praua sympto-

mata, sed quòd toto genere & genus ipsũ huiusmodi sit: indè peripneumoniam, & morbũ lateralem, & phrenitim: in lib. autem de morbis vnam & anginam; in lib. de victu in acutis horum loco lethargũ super addit vt priori loco enumeret sex, sed posteriore tantũ quinque; verum idem est quoniam vtrobique addit & huiusmodi, cum palam sit pro exemplo illos enumeratos, non pro speciebus ipsis cũ sint longè plures. Nec quis obiiciat de phrenitide quòd ad vigesimum diem possit extendi: nam hoc minimè contradicit Hippocrati, cum Galenus intelligat non natura sua sed quomodocumque. Igitur discrimen intelligere oportet cum Hippocrates nominat morbum acutum idest toto genere talem febrem acutam: idest specie eiusmodi: Et continuam acutam idest quæ symptomata praua habet & mali moris est.

CONTRAD. XLIV.

Vrina nigra an lethalis semper.

Galenus primo de Crisi inquit: [Pessima igitur est omnis vrina denigrata, adeò vt neminem ex iis qui talem vrinam minxerũt vnquam seruatum viderim. Minus verò perniciosa si solũ id quod subsidet nigrum fuerit.] Oppositum Hippocrates tertio Epidemiorum. In Abderis Heropitho ab initio vrinæ tenues nigræ; id quod in medio pendebat sublime quandoque erat, quandoque non. Et circa quartam decimam etiam eiusmodi erãt, & tamen seruatus est centesima vigesima. Et Nicodemo in prima die vrinæ tenues nigræ, idem in secunda, & seruatus est in vigesima quarta.] Subiungit autem duo magis admiranda quòd liberata est in quarta die, & quod febris acuta fuit. Quod dicunt quidam vrinas tales non dixisse Galenum significare semper mortem, sed nunquam illum vidisse quenquam seruatum; non est verum, quia Galenus vidit Hippocratem, & est ac si ipse vidisset. Accidunt etiam ista adeò frequenter vt Galenus nõ sic veniat excusandus: quinimo Actuarius sæpius vtiles esse dixit: solum in acutis lethales fore pronunciat, maximè si in die indicatiua apparuerint. Reddit etiam rationẽ, tales vrinæ solum sunt perniciosæ cum significãt causam mortis idest immoderatum calorem qui vrat, aut frigus quod extinguat: sin autem fiant ex fæce sanguinis aut nigro humore, non sunt lethales. Quid ergo voluit dicere Galenus? Dico quòd intelligit in vrinis quæ tales euadunt vi morbi, non alia causa: uam ibi comparat vrinas ad proprias causas vt in morbo, seu ergo acutus sit, seu alius omnes sunt lethales, quia à morbo non possunt tingi nisi vel à vehementi caliditate vel frigiditate; nam solutio continui, & morbi in compositione non tingunt vrinas, nec humidum aut siccum: sed ad nigritiem non nisi à vehementissimo calore aut frigore à quibus natura superata sit, ergo necesse est vt moueãtur: si integræ vires non valuerunt resistere, multò minus fractæ; cur ergo lethales sint perspicuũ est. Quomodo dignoscantur quòd sensim ad eos colores accedunt, non repente: quòd tenues sunt, aut admodum crassæ: à calore enim, & frigore pariter euenit vtrunque, quòd in indicatoriis diebus, & quòd cum aliis prauis symptomatibus. Quo pacto autem tingantur dictum est, in lib. de vrinis.

CONTRAD. XLV.

Caseus an vtilis ventriculo, an frigidus & humidus in secundo ordine? Oxygala an butyri an casei species?

Dioscorides inquit lib. 2. [Caseus recens benè nutrit, & ventriculo vtilis est.] Oppositum Princeps in 2. lib. [Caseus salitus est malus ventriculo, similiter & non salitus:] Et Dioscorides dixit quod non salitus est vtilis ventriculo, & hoc est ex his in quibus est ambiguitas.] Vides in hoc modestiam eius quem dicunt barbarum, cum ipsi moribus suis declarent seipsos esse barbaros. Antea verò docuerat quod est frigidus atque humidus in secundo ordine. Oribasius secundo Synopseos ponit recentem caseum inter moderate refrigerantia. Aëtius etiam pro Principe est: [Omnes casei ructus ascidos generant, & flatu ventriculum implent, ægre secedunt aluo, & pituitam vstumque procreãt. Solus Oxygalactinus idest ex acido lacte factus omniũ melior est, & innoxius ventriculo.] Cum tamen Oribasius dicat caseum esse astritigentis facultatis & benè nutriat, liquet ventriculo vtilem esse. Serapio inquit. [Caseus recens est ventriculo vtilis, plurimum nutrit, boni saporis, facile ad membra permeat, carnem auget, & impinguat. Quæ omnia Dioscoridi non solum conueniunt, sed experimentũ illa comprobat. Sed Rhasis oppositum dicit, eius enim verba sunt postquã recitauit sententiam Dioscoridis. [Et omnis species casei est mala, & inimica ventriculo.] Et ab hoc sumpsisse vt in plerisque aliis Principem sententiam suam haud obscurum est. En vides quam in obscuris tenebris latuerit ars Medicinæ à Galeno tradita. Respondeo ergò, vt etiam in primo variari de tuenda sanitate dixi, caseum primo variari penes regiones & conficiendi modum; adeò vt Pergami & Romæ malus esset, adeò vt Galenus cogeretur præferre Oxygalactinum tanquam ventriculo innoxium, cum tamen ei merito contradicat Rhasis, adeò vt possit dari regula generalis, nec scio in quo fallat, quòd omne acidum est ventriculo, itemque neruis inimicum. Dioscorides autem vidit regiones & homines qui benè conficerent caseum, veritas autem est quod caseus si sit recens & non salitus, & ex bonis pascuis, boni saporis, & non misceatur cum alio cibo prætẽrquam cum pane, & quis comedat paucam quantitatem in comparatione ad panem, quòd est optimi alimenti, & ventriculo maximè amicus: nam nutrit benè, & solidum exhibet nutrimentum, & est iucundi saporis, & familiaris naturæ humanæ, & temperatus: sed si nimium sumatur ex eo cum sit cibus potens, non subigitur à ventriculo, & si ab eo subigatur, non peruincitur à iecore, & si peruincatur lapides in renibus generat,

generat. Et similiter nulli alio cibo redè iungi potest; nam tenuia deducunt incoctum, aut descendunt ante ipsum: crassa grauant & molestia afficiunt ventriculum. Rhasis in tertio ad Almansorem capite 15. fauet communi consuetudini vt exiguum casei saliti post cibum assumatur, quod etiamsi quis non prætereat metam non laudo, quanto magis, quòd difficile sit seruare modum. Et quod dicimus de caseo recenti, non est ei proprium: sed omnibus conuenit cibis bonis ferme, vt vitellis ouorum, lacti: & generaliter prorsus alimentis omnibus solidi alimenti quamtumuis optimi sint, vt neque plurimum ex eis sumatur, nec alio cibo admixtum, nec cum multo potu, nec vt post exerceatur qui illum assumpsit. Est ergo caseus recens mollis, non salitus, butyri non expers iucundi saporis non lentus, sed nec friabilis, leuis cibus proprius senum.

CONTRAD. XLVI.

Phrenitis an necessariò cum dolore capitis & febre.

[ILlos quos inuadit phrenitis ex humore bilioso (inquit Serapio tract. 1. cap. 20.) Febris acuta detinet toto tempore & dolent, propriè cum fuerit in membrana tegente: Et si in crassiore, dolor magis exterius ad os scilicet ambiens tendit, & in radicibus oculorum est dolor vehemens: Et si fuerit in crassiore dolor est magis pungens, & pulsus durus, & paruus, & est velox ac rotundus quasi ob cerebri figuram.] Et Rhasis nono ad Almansorem c. 3. [Quando aliquem febris conclusa continua inuaserit cum vehementi capitis & oculorum grauedine, & in facie atque oculis vehemens rubor, & capitis dolor, tunc signa phrenesis certissima sunt.] Omisi aliqua ex industria, de febre enim & dolore capitis instituta tantum est disputatio: Quamuis in libro diuisionum cap. 6. omiserit dolorem & pleraque alia turpi certè breuitati consulens. Haliabbas autem 9. Theor. cap. 4. nimis confusus fuit. quoniam non habuit veram litteram Græcorum authorum. Neque etiam nos moueat quòd Hippocrates phreniticos multos nominet quibus sine dolore capitis acuta febris aduenit, vt in ea quæ ex abortu periit tertio Epidemiorum in primis ægris fuitque secunda, & in quatuor vltimis secundi ordinis; docet enim Galenus 2. in 3. Epid. com. 8. & rectè verbum illud (phrenitis) vbique esse ascriptitium. In illo autem quem appellauit phreniticum in eodem secundo ordine palam est adiecisse. [Capitis & colli dolor grauis.] Trallianus more antiquorum satis dilucide in primo suo libro ait: [Exquisita phrenitis à flaua bile nascitur, cum ipsa in cerebrum aut eius membranas distributa inflammationem excitauerit. Priusque enim dispensata atque infixa fuerit, delirium solum, non autem phrenitidem producit cumque delirium propriè solum in statu acutarum febrium accidere soleat, & etiam in declinatione cessare, phrenitis perpetuò perdurat, fit autem alia ex pallida bile mitior, sæuior ex flaua, efferata autem cum flaua immoderatiùs excalefacta fuerit.] Indè dicit in phreniticis adesse perpetuam febrem & caput calidius, sed doloris haud meminit. Oribasius tamen octauo Synopseos capite 12. non ex Galeno sed Philumeno meminit in descriptione non solum inflammationis sed etiam erysipelatis, doloris & maximi in vno, in altero vt flamma esse videatur. Quinetiam in secundo de symptomatum causis cap. 7. affirmat phrenitim fieri ex humoribus calidis cerebri, & eius membranas occupantibus. Et si quis rursus obiiciat quod Galenus in Introductorio cap. 13. non meminerit doloris inter signa phrenitidis: hoc minimè me torquet, cum Galeni liber ille non censeatur. Et si adhuc esset, phrenitidem vt postea dicemus communi nomine definit: verùm quod magis me mouet est vbi agit ex proposito quinto de locis cap. 4. cum inquit. [Nonnunquam occiput dolor infestat: vt dolor capitis, sed delirium, & febris, & symptomata circa oculos magis pathognomica sunt.] Sed neque alibi, neque Celsus lib. 3. cap. 19. dum eius meminerunt, dolorem capitis pro signo pathognomico adiecerunt. Aëtius præterea libr. 6. cap. 2. de propria loquens ait: [Phrenitis inflammatio est membranarum cerebri cum febre acuta, delirium & mentis perculsionem inducens. Raro autem ab initio phrenitis cum febre irruit: plurimis verò à quarta aut quinta aut sexta die incipit & adhuc seriùs, cum ipso periculo fermè incidens; vt iam aliqui septima, aliqui nona delirare incæperint.] Paulus similiter lib. 3. cap. 7. sed sub nomine inflammationis Oribasium secutus dolorem maximum & diuturnum idest non intermittentem ei tribuit, sed sub proprio nomine minimè vt & Princeps in prima tertij, tract. 3. cap. 2. 4. & 5. nam prius omnino tam in propriis quam in communibus non meminit doloris capitis; in inflammatione autem & erysipelate meminit & validi ac vehementis. Et quamuis pars quæ affirmat dolorem adesse minoris sit authoritatis, non tamen debemus sequi morem Medicorum nostri temporis qui circa verba & existimationem nominis Galeni (proh superi?) iugulant impunè ægros, vt cum tam pulchra inuentione librorum Galeni & flore vt vocant bonarum litterarum duplo plures ægri inscitia Medicorum pereant, quam antea, cum illis quos vocant barbaros. Nunc enim primùm minus student bonis artibus vt omnes hi iudicio & ingenij acumine careant: Deinde intenti politæ & ornatæ orationi vt de hoc solum certamen iam sit, obliuiscuntur cognitionis morbi, prognostici, temporum eorum quæ illi acciderunt, denique curæ; nisi quòd horum loco ne omninò videantur ægri obliti, malum maius malo addunt, plura auxilia sine aliqua cogitatione ac ratione adhibent, quibus etiam sponte ad salutem properantem perimant: deinde studiis factionum dum illi barbaros volunt hi solũ Grecos, obliti Dei, obliti humanitatis, obliti fidei quã etiã hostibus seruant Scythæ, illos qui sub manibus eorũ sunt tam

tam obstinatè pugnant, ac in opinione persistunt vt malint centum perire ægros quam melius suadenti cedere vel in vno. Quocirca sæpè mecum dubitaui, hocne accideret iudicio diuino cum tam improbi sint omninò mortales. Quicquid sit tum pulchrum inuentum, totque labores Leoniceni Laurentia Copi Cornarij aliorumque, valdè malè & forsan secus quam illi sperabant cessere. Non ergo nugis relictis res sequi debemus: si fateamur phrenitim esse ab inflammatione membranarum cerebri, cum illæ vel minima ex causa dolore afficiantur qui fieri potest vt sine dolore & ingenti inuadat, nec errorem esse in Galeni sententia adeò clara, est existimandum quin potius in nominis ipsius plura significantis & aliter quam à Latinis accipiatur interpretatione. Experimentum id docet cum dolor incipiat intolerandus, ratio suadet, neque enim minus sentiunt membranæ cerebri vtramuis accipias, quam pectoris qualiscumque sit. Quid dicas de his nostris Galenicis, omnes medentur, omnes curant tam vulgatum morbum, & pace sua dixerim si interroges omnes ignorant: vnus Iachinus vidit difficultatem magnam huiusce rei verba Rhasis exponendo, ac certè satis benè rem explicat. Constat autem vt tertio Epidemiorum habetur cum in Philistæ inquit: In Thaso Philistæ caput diù dolebat, & tandem veterno arreptus aliquantum, decubuit: cum verò pocula febres continuas excitassent, tandem dolor nocte grauior esse cœpit, incaluit primum. Constat hunc ex vera phrenitide in 5. obiisse cum solum in 4. insanisset, vt veræ phrenitidis & plerumque grauiorum cerebri affectum initium sit dolor; omissa ergo mentione paraphrenitidis, & quarumcumque etiam eo nomine significatarum dispositionum in capite cum febre, & delirio perpetuo; Dico quòd (solam volo intelligi nunc phrenitidem quæ est ex abscessu in membranis cerebri, vel cerebro ipso ex humore calido quam etiam Galenus confessus est) solam esse propriam phrenitidem. Dico etiam huius esse quinque species; vel ab humore, vt dixi ex Tralliano, & nihilominus quælibet est cum dolore: vel à loco & quæ est in membrana tenui est cum maximo dolore; quæ in cerebro deterior omnium, sed solum cum dolore graui sed non acerbo, & media in dolore securior tamen omnibus in membrana duriore. Tertia differentia non est propiè phlegmonum, sed ob similitudinem & magnitudinem affectus; & quoniam ad aliud caput reduci non potest, sumitur à loco proprio, & est quod materia aut continetur adhuc in venis cerebri & membranarum, licet sit sub forma humoris & non sanguinis: & ideò potest esse in venis & sub forma sanguinis, & tunc non potest facere vere abscessum, tamen facit tumorem in via Galeni; ideò est magna confusio. Sed clarioris doctrinæ gratia quærimus de abscessu, & tunc non facit abscessum, neque etiam afferre potest noxam magnam; etenim si faciat febrem, non manet diù sub forma sanguinis loquendo de putrida: sin ergo fuerit sub forma humoris biliosi, licet adhuc consistat in cerebro facit phrenitim pessimam: & quamuis non sit cum abscessu, nescio tamen an sit lethalior illa in qua materia iam venis exiuit: an ergo sit in venis, & tunc non facit dolorem prorsus nisi forsan quod aggrauet; an sit extra venas, & tunc vel est sub forma humoris & facit dolorem, sed acutum & acrem; vel sit sub forma sanguinis, & tunc facit phlegmonem cum dolore vehementi, paulò post transitura in phrenitidis materiam id est humorem biliosum. Et sub hac diuisione est quod effusa vel colligitur & facit tumorem euidentem & veram phrenitim: quia vt dixi phrenitis est mentis perturbatio assidua cum febre ex abscessu calido in cerebro, vel membranis eius: Et quandoque spargitur materia per membranas aut cerebrum tenuis & biliosa & fit erysipelas: & tunc adest delirium, & dolor, & febris vt prius; sed calor est longè maior propter materiæ tenuitatem: etsi sit in membranis dolor est vehementior longè maximè in tenui & intimus; in crassa autem obtusior aliquanto, & afficitur periosthon & videtur dolere os: & non abest spes salutis si non retrocedat & bene curetur. Quarta differentia est quòd quædam phrenitis incipit cum febre, & hæc habet dolorem vehementem, & alia incipit post initium febris vt visum est Aëtio, & hæc nihilominus si non præcedat paraphrenitis est cum dolore vehementi etiam iuxta differentias dictas: verùm rarò accidit quin non præcedat paraphrenitis, vel ob intemperiem cerebri ex febre iam aquisitam, vel ob vapores ex infernis partibus ascendentes; vel quoniam, vt dixi materia contineatur adhuc in venis cerebri & membranarum vbi potest facere delirium, & non potest facere dolorem: cum ergo in vno ex his tribus casibus delirium præcedit abscessum, præcedit etiam plerumque dolorem. Dico plerumque quia si delirium fiat ab intemperie calida, vel sicca, vel vtraque membranarum, tunc etiam efficiet dolorem vt prima tertij tractatus 1. capite 19. & sequentibus sed si ob alias causas & etiam ex hac statim vbi delirium incipit, dolor non percipitur ab ægro vt colligitur secundo Aphorismorum sexto. Quòd autem febres faciant phrenitides per abscessum genitum ex materia delata ad cerebrum, colligitur à Galeno secundo in primum Epidemiorum com. 67. Et ideo phrenitides verè fiunt aut ob dolorem seu cum illo & vehementem: & hæc est de qua propriè Serapio, & Rhasis locuti sunt aut post febres acutas vehementes, & hoc est frequentissimum: cuiusmodi sunt plura exempla inter ægros connumeratos ab Hippocrate: & nostra ætate etiam fiunt pro maxima parte: fiunt ex longa vigilia sicut narrat Galenus secundo de locis capite 9. in fine de puero qui bibit vinum potens: & hoc non adeò frequenter accidit vt secundus modus, imò nec etiam vt primus. Quinta differentia est quòd phrenitis quæ incipit ante delirium, idest capiendo phrenitim nunc non pro de-

lirio (hoc enim esse non potest vt aliquid incipiat ante seipsum) sed pro abscessu (ne cogar cum istis Rabulis litigare de verbis) quandoque est in principio & tunc æger sentit dolorem seu sit facta ab initio morbi, seu post initium febris ex transmutatione,modo vt dixi non antea delirare incœperit : & dolorem vehementem , & si non sit dolor vehemens est deterius quia tunc est in cerebro ipso : verum post principium vt dixi superueniente delirio cessat dolor aut saltem sensus doloris : & ideò sensus doloris est semper breuis ; non ità in morbo laterali , & abscessibus membrorum inferiorum , in quibus sentitur dolor per totum morbum : in phrenitide autem cum afficiatur pars quæ dolorem percipere debet , necessariò doloris tempus est breue. Et si sit longum non potest esse vera phrenitis. Cum ergo tot modis impediatur dolor aut sensus doloris primum ratione loci : nam quæ fit in cerebro & si fit abscessus & magnus dolorem non facit nisi grauem (de materia nulla est exceptio , seu sit pallida bilis, seu flaua non exusta , seu flaua exusta , sed nondum nigra , seu iam facta nigra , seu viridis & æruginosa , seu glastea ; ab omnibus enim his & aliis fit phrenitis , quoniam omnes faciunt persæpe dolores , & acerbissimos quam tum est ratione sui) & si adhuc contineatur in venis non facit dolorem prorsùs , nisi vel grauem si sit nimia , vel etiam alterius modi ratione intemperiei cum fuerit in venis membranarum & non cerebri vel si delirium præcedat vt fermè semper accidit cum fit ob febris transmutationem , vel cum principium morbi transierit non sentitur dolor vt dictum est: propterea Græci Authores describentes signa quæ apparent non posuerunt dolorem inter signa phrenitidis : Quia tale signum non potest percipi à Medico cum ipse non sentiat dolorem , nec ab ægro cum præpediatur à delirio. Siquidem φρενῖτις dicta est à φρένες quod est mens , animus ; percellit enim hic morbus mentem & prudentiam seu à φρὴν διάνοια νοῦς , & redit ad idem : at reliqua signa per in saniam non abolentur vt rubor faciei, febris acuta, pulsus durus & paruus , lachymæ , ob id Græci posuerunt signa quæ cognoscuntur : Serapio & Rhasis signa & symptomata quæ ex ratione consequuntur ; & dubium non est quin inter illa sit adnumerandus dolor , cum consequatur abscessum : Et ideò Iachinus ingenuè & vt decet virum magis addictum veritati & vtilitati hominum , quam huic maledictæ pertinaciæ sectarum quod Rhasis melius descripsit signa phrenitidis quam Paulus ; & sub Paulo modestè intelligas Oribasium , & Galenum quia Paulus testatur se esse collectorem dictorum Oribasij; Oribasius quemadmodum & Princeps collectorem dictorum Galeni. Præfert etiam in hoc longe Rhasim Princeps, & pro Principe intellige etiam alios Arabes. Celsus etiam nihil melius habet quam Græci: ideò Rhasis & Serapio dum res non verba quæ etiam Princeps nimium obseruauit respiciunt , hac in parte cognoscendæ veritatis auctores fuere , aliisque omnibus sunt præferendi. Hisque non solum , sed quòd præter id etiam tam fœdè tempora & causas , atque ortum diuersum miscuisse non suffecerit , etiam paraphrenitidem cum phrenitide miscuerunt vt maximum chaos effecerint.

Verum quia dictum est obscurari dolores ex delirio : Dico quòd istud non est simpliciter intelligendum , sed hoc habet ordines & gradus , nam causa doloris nunquam à delirio tollitur , vt mens est Hippocratis in Aphorismo adducto. [Quicumque dolentes aliqua ex parte corporis plurimum dolorem non sentiunt , his mens ægrotat.] Multis ergo modis dolor à delirio sopitur ; primo quidem per interualla , vt quibusdam qui per paraphrenesim alternè aut delirant, aut dolent. Alij etiam in phrenitide dolent & queruntur , quia delirium non est valdè magnum , dolor autem est magnus. Quidam autem cum dolor est magnus valdè, delirium autem non adeò magnum , sed tamen vt tollat rationem ; clamant nec loquuntur sed muti per interualla exclamant. Constat igitur hoc esse maximè lethale , quia est cum imbecillitate virium quia loqui non possunt ; & cum delirio magno quia non possunt significare dolorem ; & cum doloris causa adeò potenti , vt efficiat sensum doloris etiam in delirante. Ex quo patet quomodo opium , mandragora , hyoscyamum, solanum maniacum , nux methel vocata, cicuta , & talia huiusmodi si mitigent dolores , quanto dispendio vitæ id agant ; non enim vt hucusque existimatum est refrigerando cum omnia calida sint , sed sensum corrumpendo id efficiunt. Quidam verò & si doloris causam habeant adeò perturbati sunt à delirio vt non sentiant , sed respondent ad interrogata , & est mirum, quòd constent aliq ıaliter mente , vt possint responderet interrogatis , nihilominus non sentiunt dolorem. Et ideò in his dolor necessariò non potest esse magnus. Aliqui tamen non respondent ad interrogata etsi causa doloris est maxima ; manifestum est quòd tales sunt in maximo discrimine vitæ, & si respiratio sit læsa aut pulsus debilis sunt proximi morti.

Hucusque de contradictione , nunc quædam vtilia ad hoc & consequentia dicam. Scilicet quod phrenitis , & lethargus , & phlegmon cerebri , & catalepsis quæ deterior est omnibus cum etiam cæteri omnes lethalissimi sint ; sed hic fit à melancholia non exusta quæ celeriùs interficit putrescentibus omnibus,itemq; apoplexia catalepsi proxima, non tamen deterior quia materia non est puttida : omnes hi morbi fiunt illis tribus modis , scilicet ex febre , ex dolore capitis, & vigilia. Sed ex febre magis phrenitis , & phlegmon & in iuuenibus: sine febre & in senibus apoplexia , & lethargus:communes autem senibus atque iuuenibus catalepsis , & morbus compositus ex lethargo & phrenitide cum tam materiâ biliosâ quam pituitosâ abscessus constet.Communes febrientibus & non febrientibus

tibus lethargus & catalepsis, rarò apoplexia; nam etsi fiat in febrientibus apoplexia, ex alia materia quam febris fieri solet; & plerumque est ex genere catalepsis. Cum ergò præsertim in sene dolor capitis magis, aut vigilia assidua vexat hominem, vnum ex his aut insaniam expectare oportet iuxta ætatem, & temperementum, habitum, & rationem victus; sub qua etiam comprehenditur robur capitis. Atque his statim occurrere balneo pedum, alui lenitione, cibo humido, deambulatione, abstinentia vini, & ciborum prauorū & multum nutrientium; & si febris inuadat sanguinis copiosa missione, & si non ferant vires, suppleant quæ auertunt: & abluere caput rectè, ex lixiuio calido, benè cocto, cum cineribus lignorum leuium & paucis tempore sanitatis cum homo sentit grauedinem illius, & quandam obtusionem, benèque siccare cum linteis non valde calidis multis vtile est: sicut & pedes benè siccos & calidos ne horum septem pessimorum affectuum per aliquem incurrat. Et quies in lecto ad tertiam diei horam est ferme pro dimidio somni: & vitare vinum, iram, & tristitiam, & laborem.

CONTRAD. XLVII.

An caro melius nutriat quam pisces.

CVm Illustrissimi Gubernatoris atque Magnificorum Senatorum huius almæ vrbis mandato obsequi decreuissem, mecum reuoluebam quidnam eligerem primum quod vna lectione absolui posset, & oblectaret audientes, nec à proposito operis quod profiteri institui alienum esset. Simul me illud angebat, quòd neque librum auspicari liceret ne aduenientes discipuli quererentur: neque tamen aliundè argumentum sumere poteram, ne discordia essent finibus initia. Itaque cum iuxta finem libri hæc scripta essent, cibi autem & potus optimam habent temperiem sunt enim naturæ conuenientiores quæ optima fuerint prædita temperatura. Meritò subit dubitatio qui nam sint hi cibi temperati. Cum verò dicat Hippocrates in libro de affectionibus in fine. [Ex aliis cibis præter panem & mazam, carnes & pisces, vinum & aquam, tenues & imbecilles habentur vtilitates.] Meritò subit dubitatio vna inter reliquas, quinam sit melior cibus caro an pisces? Neque nunc (vt omnia amputem minus vtilia, etsi per se non essent contemnenda) intelligo melius nisi quod ad perpetuam sanitatem facit, & vita longitudinem maiorem & per omnes ætates in corpore temperato, nam ad illud simpliciter tanquam ad Polycleti statuam absolutis simam omnia referuntur temperata, bona, mala, pulchra, turpia, teste Galeno, post etiā de imbecillibus & ægrotantibus dicam. Igitur cum carnes dico, optimas ex his intelligo, sicut rursùs cum pisces scilicet genere, ætate, partibus, aquis, victu; Sed his eos qui spirāt (quorum nō est vsus neque etiam pisces propriè merentur appellari) omninò excludo velut & amphibia omnia cancros, ranas, testudines. Discrimen tamen vnum illorum effugere non possum, scilicet eorum qui in aquis dulcibus & salsis degunt, quorum fiet comparatio: vt sciamus rursùs quinam sint magis carnibus conferendi. Nam tam etsi dubium non sit ex Galeno eos qui degunt in salsis aquis esse præferendos, fieri tamen posset vt qui in mari degunt tanto essent carnibus meliores, vt etiam fluuiales possent cum carnibus de bonitatè certare. Igitur Hippocrates in eodem libro de affectionibus postquam tradidit illam pulchram sententiam. [Quod cibis bonis quis intempestiuè, aut incommode, aut immoderate vtatur, morbos subibit, & sæpiùs etiam mortem; malis autem quouis modo vtatur malè afficietur. Subiicit. [Sunt cibi boni ijdem quos supra commemoraui dempta aqua.] Atque priùs erat testatus quod cibaria quæ inducunt sanitatem sunt quæ moderatè sumpta ad extinguendam famem & sitim, facilè secedunt; at quæ robur addunt, quæ sanguine crasso implent, & carnes augent: vt liqueat non eadem quæ sanitatem tuentur, & quæ vires. Post docet quid intersit inter debiles & validos cibos dicens. [Debiles quidem ac leues cibi ventrem quidem non lædunt neque corpus, eo quòd calefacti non intumescunt neque replent, sed citò mollescunt, & concocti secedunt; namque humidum quod corpori accedit debile est, & neque augent neque robur memorabile exhibent: at validè vbi quis eos deuorauerit intumescunt replent, difficilius ac tardiùs concoquuntur, tardiùsque secedunt, verùm humor ab ipsis incorruptus, robur & incrementum corpori addit. Indè sequitur ex carnibus leuissimæ sunt, & leporis:] Paulòpost Pisces leue sunt edulium & elixati, & assati, & per se, & cum aliis.] Vt videatur pisces velle præferre quoad salubritatem corporis. Et si quis dicat librum hunc non esse Hippocratis, satis concludit ratio quia assumptiones hæ omnes sunt, verissimæ. Sed Galenus 3. de alim. cap. 26. hanc difficultatem discutit dicens: [Laudatissimus verò est, qui inter hos exactè est medius, qui ex pane optimè præparato (de quo primo libro egimus) & animalibus volucribus, de quibus diximus; perdice scilicet aliisque id genus: quibus ex marinis piscibus, pelagij sunt propinqui.] Manifesta igitur in hoc est sententia Galeni quòd genus carnium est melioris alimenti quam piscium, piscium autem quam quadrupedium: quod colligitur, in libro de attenuante victu cap. 8. & de cibis boni & mali succi clarè cap. 9. imo nec dignatur nominare quadrupedia, quamuis tertio de alimentis cap. 2. in principio dixerit carnem suillam generare optimum sanguinem. Oribasius meo iudicio si quis alius videtur rem declarare appositè primo Euporiston cap. 32. in principio dicens [Omnium ciborum optimum est lac recenter mulctum, post oua sorbilia tremulaque gallinarum & phasianorum.] Nec dicit vitellos tantum: propinqua his aues & pisces: sed post cap. 31. ponit carnes porcinas quas videtur æquare ipsis auibus modo

benè

benè concoquantur, sunt enim coctu difficiliores. In vniuersum non solum saxatiles, sed pelagios qualem dicit Galenus esse lupum qui venetiis vocatur varolus, optimi alimenti esse dicit & proximum pani, atque perdici; vt constet Galenum nutrimentum panis ac perdicis in primo ordine constituisse, sed vt ad rei inquisitionem veniamus; illud primum statuamus de quod haud dubium est, scilicet pisces saxatiles esse facillimæ coctionis tribuereque alimentum tenuissimum: Quod & primo de alimentis & secundo de temperamentis & secundo Aphorismorum testatus est Galenus, quanquam sui planè immemor, in tertio rursùs de alimentis dixerit humorem genitum ex saxatilibus piscibus esse planè medium inter crassum & tenuem. Nisi dicamus (quod tamen vera sectanti dici non potest) Galenum intellexisse comparatiuè tantum ad suillam, cuius paulò ante meminerat collatam: sed id non excusat quoniam dicit facile difflari alimentum, quod verum non est si fateamur esse planè medium. Tandem cap. 30. in fine, apertè concludit rem in hanc sententiam: [Pisces quorum caro mollis est & friabilis vt sunt saxatiles omnes (& præter illos enumerat gobium, passerem, asellum, murenam, lacertam, iecoranum, vmbram) vtiles sunt otiosis, senibus; imbecillibus, & ægris, maximeque ad sanitatem conferunt quod optimi sint succi & facillimè concoquantur; nihil enim ad sanitatem tuendam adeò confert vt succi bonitas.] Quo in loco si quis aduertat comparatio fit ad reliquos tantum pisces, non simpliciter. Idem quarto de tuenda sanitate cap. 10. de febricitantibus loquens inquit. [Quod si etiam carnes æger gustare velit, dabis sexatiles pisces aut asellos ex iure albo benè coctos.] Vndè in febricitantibus eos præfert auibus & quadrupedibus. Hanc autem partem vt manifestam prætereibo; scilicet quod dubium non sit quin in febre magis conueniant pisces illi marini, magisque carnes auium & quadrapedium, tum etiam vt dictum est in senibus, otiosis, & imbecillibus: præcipuè ex ventriculo. Idem docuit septimo methodi cap. 6. pag. 3. iu curanda siccitate quauis seu cum consumpta est solidorum substantia, seu quòd frigore concreuit vt caro & adeps; seu alimentum horum quod est in cauitatibus pro nutriendis his partibus: seu quod est in osculis venarum paratum vt sint quatuor ordines distincti ac clari hecticæ de quibus toties dubitauere Medici, etiam alium ordinem subiecit eorum restaurandorum. Primum quidem pisces saxatiles & asellos ex iure albo. Secundo testes & carnes glandosas auium; Tertio paruas aues & perdices; Quarto suillam. Nũc videamus an fluuialium aliquis sub hoc ordine contineatur: huiusmodi ambiguitatem dissoluit Galenus optimèque Tertio de alimentis cap. 29. dicens. [Optimi pisces sunt qui in puro mari, ac medio degunt, pessimi qui in fluminibus iuxta vrbes vbi sordes abundant, medij reliqui idest littorales & qui in ostiis fluuiorum & qui in puris fluminibus degunt.] Idque rationi consentaneum: nam cum nutriatur ex aqua pu[illegible] & quæ mouetur celeriter puri sunt: cum autem aqua illa sit frigida & minimè pinguis solidum alimentum, neque concoctum præstare possunt. Quocirca valeant pisces fluuiatiles; deteriores aut his sunt lacustes, omnium pessimi palustres, ac stagorum. Verum id nos docet esse genus medium inter fluuiatiles & marinos, qui ex mari in fluuios ingrediuntur quos anadromos Græci vocare solebant; hique præcipuè (cum sint plurium generum) erunt hi tres salmo, alosa & sturio vocatus de quo certatur quo nomine antiquitùs significaretur. Hi ergo erunt omnium præstantissimi modo in puris fluuiis inuenti fuerint, sed hac ratione vt salmo & sturio qui plurimum cressant tum duræ etiam carnis fiunt vbi creuerint, paruos quos porcellatas & paruos salmones appellare soliti sumus eligemus. Atque hoc solo & differt & præstantior est salmo trotta, in cæteris fermè omninò similis quod trotta nihil habet commune cum mari. Hoc volui dixisse vt intelligeretis nullam vrbem hoc piscium præsidio destitutam esse, liquet autem post hos quartum esse genus optimorum piscium longa progenie à maritimis descendentium, quod vocatur perca; nã & maritima in nullo à fluuiali discrepans inter sex sexatilium, genera connumerata est: hactenus ergo quinque piscium genera à locis connumerauimus vt de primis tantum duobus generibus disputatio introduceretur. Verùm tantum præstant alimento pisces carnibus, vt Alexander Trallianus lib. 1. cap. 15. in morbo comitiali cum dixisset à carnibus abstineant, vtrumque horum piscium genus cõmendat & vesci illis suadeat: Cum tamen fateatur comitialem à pituita aut melancholia fieri quorum humorum vterque palam frigidus est. Quod fit vt magis demiror Galenum in consilio illo pueri comitiali morbo laborantis cui cum pisces concedat, & hædum inter quadrupedia cuius genus fertur hoc morbo laborare & leporem alimentum est melancholicum. Sed munus est probi viri si quid tale animaduertat in clarissimo scriptore imitari gemmarios qui cum lituram aut scabritiem maculamve vllam in gemma nobiliore animaduerterint, neque illam abiiciunt neque omninò negligunt quæ tria vitia nostra ætate in iudicio authorum maximè vigent; sed detergere & expolire agrediuntur quæ cum ego in Aristotele & Galeno fecerim, mihi præcipuè ea ex parte laudem deberi existimarem, vnde mihi calumniam inurere conantur. Ergo de lepore & hædo ea ratione factum puto quod ob ætatem & alia iudicia suspicio melancholici humoris abesset. Haliabbas ponit vitulos sex mensium, agnos, hædos & gallinas & pisces cum oleo frixos intelligit de iure albo non de sartagine: De quadrupedibus reliquit suem quem non edunt Mahumetani vt nec Hebræi, ideò loco illius substituit agnum qui in vsu est vtrisque. Atque hæc est communis fermè opinio Arabum. Galenus primo de victu in Acutis com. 27. vbi enumerat ea quæ dicit Medicos dare ægris consueuerunt oua, testes gallorum, & alas, atque columbos (vnde sumunt quidam argumentum in febribus talia

debere concedi; & est locus singularis in Galeno quamquam non quid agendum sit ibi ille doceat, sed quid perperã agant Medici) pisces etiam non inter vltima cibaria adnumerauit; vt constet omninò paria esse carnes ac pisces, aut fermè quantum ad Galenum attinet; quare rationibus agendum est vter ciborum alter alteri præferri debeat.

Galenus igitur in primo de facultatibus naturalibus docet carnes esse multò facilioris coucoctionis, & melius nutrimentum exhibere quam radiculam: pariter & panem quam lactucam quia colore & substantia radicula plus differt à sanguine quam caro, & lactuca quam panis. Hoc si verum est, caro est maximè propinqua sanguini comparatione piscium, ergo melius exhibebit alimentum, & plus & facilius concoquetur; nam hæc tria complectitur Galenus in eo argumento. Præterea pisces sunt remotiores à temperamento cum sint frigidi & humidi; igitur difficiliùs conficientur, & deterius exhibebunt alimentum. At ob id putarunt multi vescendum esse carnibus ad salubritatem corporis. Sed si ità est cur nullum animal quod carne vescatur longæ vitæ est? Canis si Homerus creditur, dum fingit recognouisse Vlyssem post vinginti annos reuertentem:

Progressus heroi cauda blanditus inani
Demittensq; aures illi assentatur vtrasque
Non tamen ad dominum potuit iam tardus Vlyssem
Admouisse gradum senio.

Et Lupi & Pantheræ, ac Leones, Tygresque, aliudve animal quadrupes carniuorum non attingit quadragesimum; Cum Elephantes ad ducentesimum procul dubio & ex ordine consueto, imò etiam ad trecentesimum perueniant, teste Aristotele, & de Camelis ad centesimum (omitto modo de Ceruis) qui herba, truncis, ac frondibus, fructibusque arborum vescuntur. Oportet igitur hanc vnam inuenire rationem optimi cibi, & est vt facillimè concoquatur; id autem quod facillimè concoquitur, etiam optimè conficitur modo densum sit, nam rarum substantia cibum vix conficere queat: Camelus enim longà abstinentia euincit ac subiit cibum, tum quia ruminat & solus inter ea animalia quæ cornua non habent, horum neutrum homini concessum est. Elephas magis arboribus quam herbis vescitur. Quid ergo est quod ad optimum faciat succum nisi concoctio optima, non rei similis vt opinatur Galenus qui ipsemet fatetur sanguinem esse difficilis coctionis, cum nihil sit sanguine similius. Omissis ergo falsis suppositionibus dicamus eã esse proportionem quæ tum à natura, tum à consuetudine ortum ducit; vndè videmus aliquos malis vsos cibis ad senectutem extremam incolumes peruenisse: quod non ex alia causa accidit quam quod is cibus, naturæ illius & ex consuetudine ei maximè congrueret. Namque si æquè bonum alimentum restauraretur cum eo qui absumitur, dubio procul est aut nunquam interiturum hominem, aut ad multa secula saltem peruenturum non id ei euenit quoniam deterior in dies reparatur. Propterea gulosis breuis vita & morbosa valetudo. Porrò in hoc vno quod est facilè concoqui, omnia quæ necessaria sunt contineri dico. Primum quidem optimè: nam quod facile concoquitur, id in eodem spatio temporis vt exactè concoquatur necesse est quod in omnibus actionibus & præcipuè huic similibus videre licet, velut carnibus quæ assantur: At quæ optimè & facilè concoquuntur, pariter his parum excrementi inest; impedire enim coctionem si plurimum esset: tum antequam separantur: crudum enim cocto coniunctum retrahit à coctione, ne dum si ante concoctionem ei iungatur. Rursus multum id nutrire necesse est à quo parum excrementitij resecatur: si enim parum excrementitij resecatur necesse est vt nutriat copiosè nisi diffletur. Illud idem corruptioni obnoxium esse non potest, quoniam iam optimum est cum subactum est, & antequam subigatur cum facilè concoquatur verti aliò non facile potest: igitur difficilis erit corruptionis. Constat ergo quòd facile concoquitur, optimum quoque præbere alimentum & plurimum paucis cum excrementis, & minime corruptioni esse obnoxium. Quibus constitutis quærendum est rursus quid faciliùs concoquatur optima caro an optimus piscis? Principium ergo primum assumere oportet quod quæ facilè nutriunt humida esse debet & friabilia & consueta, vt maxime vigesimo primo problematum declaratur, & demum substantiæ nostræ similia: humida quidem quia cohærent, & friabilia quia in minimas partes diuisa ideoque facilius commutantur; Consueta autem quia primum ventriculus illis gaudet, & magis amplectitur, & melius clauditur, vt secundo Aphorismorum: Et quoniam voluptate illius plus confluit caloris ad locum, ideoque concoctio quæ à calore celebratur melius fit: & quoniam corpus, non solum ventriculus cibo illi assuetum iam simili illi ex parte factum est: ideoque minus distat ab eodem, & ob id celerius commutatur in illius similitudinem. Vnum igitur est ratione qualitatis, aliud substantiæ, tertium familiaritatis seu naturalis seu consuetudine facta. Duo prima in piscibus melius sunt quam in carnibus: sunt enim magis humidi & facilius in minima rediguntur vt contundenti in mortatio liquet; De vsu dispar ratio. ergo quibus pisces in consuetudine sunt his pisces omninò facilius concoquentur: at cum plerisque carnes sint magis familiares, his carnes forsan videbuntur facilioris coctionis. Pisces ergo simpliciter melius nutriunt, carnes autem ob consuetudinem. Et hæc de sanis & robustis.

Rursus in imbecillibus, & senibus, & studiosis haud dubie propter authoritatem Galeni adductam præsertim vbi ventriculus fuerit imbecillis, erunt longe meliores atque præstantiores At demum ægrotantibus ex febre præsertim, pisces sunt longè salubriores non solum quia facilioris coctionis, sed quoniam contrarij temperamenti; vnde faciliùs concoquuntur secundo de facultatibus naturalibus, & quod magis conueniant

ratione

ratione humorum libro de cibis boni & mali succi. Et quod emendare conueniat semper præter naturalem intemperiem libro artis Medicæ cum in naturali vtrumlibet facere possimus & conseruare & permutare vt in arte medica quarta causa est generalis dicta ob imbecillitatem. Omnes authoritates quæ carnibus fauent sunt exponendæ pro his, vt dicebat Galenus, qui vel grauibus exercitiis laborant, aut ob consuetudinem. Memineris tamen in piscibus exigi maiorem diligentiam quam in carnibus, & maxime vt sint admodum recentes, nam breuissimo temporis spatio corrumpuntur; Et magis qui optimi sunt ob carnis mollitiem.

Ad authoritatem Oribasij de lacte & ouis. Respondeo quòd non pertinet ad hunc locum, cum fiat comparatio solum inter carnes & pisces. Et si quis obiiciat quod iuxta hanc sententiam olera in consuetis magis conseruarent sanitatem, & diuturniorem efficerent vitam carne, quia & ipsa habent conditiones facilis coctionis. Sed hoc est contra Hippocratem dicentem quinta particula sexti Epidemiorum: [Imbecilles cibi breuem vitam efficiunt.] Qui autem sint imbecilles cibi iam declarauerat in quarta particula cum dixit: [Imbecili victus frigidi, validi verò calidi.] At non solum olera sed etiam pisces frigidi sunt, ideò ergo non poterunt conducere ad vitam, maximè cum subiiciat Galenus imbecilles cibos esse olera & fructus. Et de hoc non est dubium tam apud Hippocratem in libro de affectionibus, tum apud Galenum secundo de alimentis, tum Celsum. Ideò dico quòd olera sunt facilis separationis, non tamen coctionis quoniam coctio condensat quarto metheororum; & ipsa sunt rarissimæ substantiæ: secundo quia sunt remotissima à natura nostra, non vt censet Galenus quia viridia: nam vt dixi sanguis est difficilis coctionis & tamen ruber, sed & cicera rubra sunt & difficillimæ coctionis & carottæ & mala punica etiam, & plura huiusmodi. Sed quoniam olera sunt in primo genere refractionis elementorum, animalia in secundo, homo in tertio; ideò natura humana licet facilè separet olera in ventriculo, tamen difficilè concoquit. Et cum dicis quòd imbecillis victus est frigidus, validus verò calidus: dico quòd per victum intelligit & cibos & exercitationem. Et quod præsupponit Hippocrates quod homo viuat otiosus. Et vt liberè loquar sententia Hippocratis, & veritas est quod ad longitudinem vitæ requiritur cibus calidus & solidus mediocriter, & est caro, sed in valde parua quantitate propter panem qui & ipse calidus est, & solidus, & multum nutrit; quia melius coniungitur panis carni, quam piscibus: & cum deambulatione & exercitatione non mutante anhelitum vt est dolare. Proximus huic est victus studiosorum cum pane, sed leuiore & piscibus optimis, & sola deambulatione. Tertius est debilium, & conualescentium, & decrepitorum cum frictionibus loco exercitij, & pane cocto aut madefacto saltem in iure & cum piscibus. Et hæc est verissima & absolutissima determinatio, & iuxta Hippocratē & Galenum, & omnes Authores, & veritatem; vt excludantur omnia olera & fructus horæi, & qui non sunt è genere nucum: nam illis coctis & cum sacchato vesci licet.

CONTRAD. XLVIII.

Oculorum splendores an tenebricosa à bile in ventriculo.

HIppocrates iuxta Galeni interpretationem secundo de victu in acutis loquens de vomiturorum signis, ex cibo post inediam intempestiuè sumpto inquit: [Incerti & discurrentes lucis splendores oculis obiiciuntur.] Idem quarto prognosticorum ex diuisione nostra cum Hippocrates dixisset, aut etiam tenebricosum aliquid ante oculos apparuerit, [Quantum (subiicit Galenus) bilis fuliginis ad oculos permeat turbulentiorem in eis reddit humorem splendidum natura ac purum quemadmodum in aëre purissimo ac lucidissimo excipiens visorius tenebricosa reddit, non secus ac in suffusionibus.] Hîc sibi Galenus contradicit nec scio qua ratione Vega tanquam concordes hos adducit: nam in prima authoritate vult manifestè quod bilis in ventriculo maxime excalefacta vel etiam assata præ oculis splendores adducat, in secunda autem tenebricosa vt non valde sibi constet & videatur præ celeritate confudisse. Postea ponens distinctionem Hippocrates inter signa fluxus sanguinis è naribus ab oculis sumpta & sunt splendor vel hebetudo, & vomitus bilis & ponit tenebrositatem oculorum, concordat cum secunda authoritate. In tertio verò de crisi: [Propria autem signa fluoris sanguinis quidam fulgoris motus oculis obuersantes, quoniam humor est flauus.] Iam inconcinna connexio Galeni dictorum, sed obscurior lōgè reddita: Respondent bilem flauam non exustam splendorem efficere posse quod flaua sit, vt etiam sanguis scilicet biliosus non est hebetudinem facit, non splendores; sola ergo exusta bilis tenebras iuxta hos efficiet. At hoc non vult Hippocrates, sed splendorem significare fluxum sanguinis narium, non autem vomitum bilis. Ideo authoritas secundi de victu in acutis intelligitur quoniam ab inedia & cibo alia proueniunt symptomata, quam ex vera bile in ventriculo coaceruata: siquidem spiritus accensi ob inediam & calorem ventriculi circumferuntur in oculis: nam & ieiunis talia absque bilis concusu contingere solent.

CONTRAD. XLIX.

Galenus in prædicendo an vmquam aberrauerit.

GAlenus tertio prognosticorum hæc haber: [Nunquam hallucinari supra captum hominis est, sed quam minime aberrare

rare, solius artificis: sed cum magna ea in re diuersitas habeatur qui vicies in præsentiendo semel aberrat, melior est multo quam qui decies prædicendo semel aberrat. Et qui centies præsentiendo semel aberrat rursus eo qui vicies prædicendo semel aberrauerit.] Ac rursus eo ipso qui ducenties prædicendo semel duntaxat eo qui centies adhuc melior est. At tertio in primum Epidemiorum inquit. [Nos (quod Deo approbante dicam) nulla re in prędicendo vnquam offendimus.] Diximus aliàs etiam de hoc, sed pro nunc sententia est quod præsentiendo etiam optimus Medicus in mente cogitur aberrare, quoniam multi sunt casus adeo dubij vt non possit certò præcognoscere veritatem, verum prudentia abstinebit à prædicendo: in animo tamen cuicunque contingit decipi. Et ob id vbi Galenus habet in prima authoritate prædicendo, legi debet præsentiendo, vt etiã ibi in commentariis ipsis admonuimus. Sed si quis obiiciat morituri sunt solis prognosticis relinquendi; Ergo vel cogetur relinquere superfuturos, aut curare morituros, & ita deprehendetur error Medici? Respondeo quod in casibus dubiis debet excusare se dicens artem non eo extendi, adducendo illud ex secunda particula Aphorismorum: [Acutorum morborum non omninò sunt certæ pronuntiationes salutis aut mortis.] Et ità Galenus se excusabat neque turpe est Medico fateri dubia aliqua esse in arte. Sed dices, igitur non est certa scientia prædicendi, vt dixi in prognosticis loco superiùs adducto. Dico quod Hippocrates constituit tres ordines in prædictione: generalem rationem quæ facit scientiam; euidentem præsentionem quæ admittit certam prædictionem; & coniecturalem notam in qua præcognoscere licet in pluribus non tamen semper, ideò prædictionem securam non admittit, à qua Galenus abstinuisse se confitetur.

CONTRAD. L.

Semen abundans effusum an lædat.

GAlenus libro artis medicæ loquens de calida & sicca temperie testiculorum inquit: [Si cogatur hæc temperies ad venerem cum statim satietur offenditur.] In calida verò & humida paulo post inquit: [Sed minori detrimento venereis indulgent, abũdant enim semine: adeò vt nolit cum semen abundat illos lædi nisi ab immoderata venere:] Cum tamen dicat sexto de tuenda sanitate: [Pessimus est status illorum qui semen copiosum calidumque gignunt, quod eos ad sui expulsionem prouitat postque & ventris os illis resoluitur, & ipsi toto corpore relaxantur imbecillique fiunt, sicci graciles, pallidi, cauisque oculis euadunt.] Idque iure merito, nam quid humida temperies testiculorum prodesse debet si semen multum effundatur, nec cor, iecur, cerebrum, ventriculus, totusque habitus lædatur: nec dici potest quod testiculi lædantur in calida & sicca temperie, non solum totum corpus; in calida autem & humida solum corpus ipsum quia hoc est inauditum prorsus quod testiculi lædantur ex venere nisi iam patiantur aliquem magnum morbum. Præterea dico quod dictum sexto de tuenda sanitate est imperfectum, aut quia præsupponat imbecillitatem membrorum principalium, aut quod verisimilius est humidam temperiem testiculorum sed cum caliditate vehementissima & robore maximo, adeò vt trahant à toto corpore vehementius à membris. In arte autem media non præsupponit nisi qualitates ipsas absque robore immodico.

CONTRAD. LI.

Aër an semper humectet.

[AB aëre quidem ambiente quia aut calefit (corpus) aut refrigeratur, aut siccatur, aut humectatur, aut secundum totam permutatur substantiam.] Libro artis medicæ Galenus inquit. Quod exprelsè docet secundo de crisi dum dixit aërem calidum & siccum febres producere tertianas. Et primo de tuenda valetudine. [Aër ambiẽs nos excalefacit, aut refrigerat immodicè, aut siccat aut humectat.]Quæ videtur etiam fuisse Hippocratis sententia tertio Aphorismorum. [Austrinæ dicit constitutiones humectant:] In oppositum est Princeps prima primi: [Calor naturalis post ætatem consistendi minuitur quia humidum innatum quod est eius materia ab aëre consumitur.] Idem secunda primi inquit: [Imo aër in omni dispositione exsiccat corpora nostra, propter id quod illi inest de viribus solis & stellarum:] Et Galenus primo de symptomatum causis: [Nam quoniam cute tenus vnumquodque animal in ambientem aërem digeritur, accidit vt membra quæ sub ea sunt prima vacuentur: quorum ingenita vis est vt à proximis trahant.] In primo tamen de tuenda sanitate vbi venatur causas senij ac mortis, aëris non meminit; sed solius caloris innati. Est tamen ratio euidens pro Principe, quoniam homines in quibusdam regionibus senescunt quadragesimo anno, vt Garamantes in Africa; in aliis senium extremum aduenit iuxta centesimum trigesimum annum vt in India iuxta Calecutum in Goa ciuitate, tum locis propinquis; ergo aër est præcipua causa consumptionis humidi. Dico quod ratio Galeni est quòd calor omnis siccat, quia in hominibus & cæteris animalibus igneus est, & proprium ignei caloris est siccare: igitur humidum innatum siccatur à calore naturali, & non par est vt siccetur à duabus causis; igitur non ab aëre. Respondeo quod aër imbutus vi stellarum habet etiam motum, ideo non per se siccat sed vi illa & ob motus vehementiam; siccat autem non humidum membrorum, sed quod est in cauitatibus. At si plurimum consumat etiam siccat substantiam membrorum; aër autem humectat madefaciendo exteriùs mẽbra: nunquam tamen humidiora illa secundum

dum substantiam reddere potest. Aër igitur Indicus nullam fermè facit resolutionem;& etiam causa est ratio victus cum abstineant à vino & carnibus, & animalibus omnibus, & vescantur optimis fructibus solum ac pane ob legem eorum. Concludo quod aër ciendo motum in calore naturali siccat.

CONTRAD. LII.

Nomina diuisionis continui.

[SOluta continuitas in carne vlcus vocatur: in osse catagma, id est fractio: in neruo spasma, id est conuulsio. Eiusdem generis sunt & quæ Græcis apospasma,& Rhegma,& thlasma dicitur: illud in ligamentis, hæc vasis musculisque ex violento ictu aut graui casu, vel alio quopiam motu vehementiore excitata.Est & ecchimosis quæ cũ ruptione, & cõtusione incidit; & anastomosis ex vasorum apertione; Diapedesis aliud solutæ cõtinuitatis genus,& anabrosis cum ex erosione soluitur cõtinuitas:] Quarto Artis curandi. Idem in sexto rursùs hæc habet: [Cum enim in carne fuerit solutio continuitatis vlcus vocatur: cum in osse catagma seu fractio: in neruosis fibris spasma: in musculis vlcus & ruptio: quorum differentia iam dicta est.Idem tamen morbus cum in neruum,vel arteriam, & venam inciderit nullam propriam appellationem est sortitus; mutuatur tamen interdum vlceris,interdum vulneris,aut ruptionis appellationem.] Hæc videntur prorsus contraria: siquidem in secundo loco dicit non esse proprium nomen quando fractio est in vena, vel arteria, vel neruo; cum superiùs dixerit in neruo vocari spasma & hic in neruosis fibris: si enim idem sunt, igitur habet nomen & non habet: si diuersa igitur malè appellat spasma ruptionem in neruo. Præterea Rhegma est fractio in venis, non ergo hoc caret omninò nomine. Anabrosis etiam,vt & hic ait, & alibi & diabrosis, & anastomosis, & diapedesis, imo etiam ecchymosis omnia sunt è genere solutæ continuitatis in vasis vt liquet: igitur talis solutio non caret nomine. Rursus idem in fine quarti dicit quod Rhegma seu ruptio fit in profundo carnis,& in tertio libro expresse quod fit in carne vt non fit in vasis. Verum nec in tertio de his quæ in medicatrina idem dicit quod hic;sed θλάσματα contusiones appellat, & σπάσματα vulsiones in neruorum fibris quod in sexto Artis curandi nomine spasmatis nuncupauit. Sanè ecchymosim constat esse ex venis aut arteriis sanguinis effusioné sexto Aphorismorum, & sexto etiam Epidemiorum. dico quòd Galenus in huiusmodi nominibus multum se exercuit, & veritas tamen est quòd spasma antiquitùs significabat conuulsionem fibrarum, non ruptionem totam: recentiores talem vulsionem σπάσματα vt dixi vocarunt. Sed vera ruptio nomen non habuit;in vasis autem plura nomina iuxta species sortita est solutio continui, at generale nomen non habet. Melius tamen in eiusmodi fuisset solum vti nominibus certis & vsitatis sine ambiguitate:in reliquis rem describere, potius quam imponere nomina dubia ob ambitionem vt bonus Grammaticus videretur, scilicet vt circumscriberet vulsionem, quandoque dicendo transuersim neruus distractus frangitur, quandoque diuelluntur solum illius fibræ hinc inde.

CONTRAD. LIII.

Callus ossium fractorum mala cum figura consolidatorum, an frangi debeat.

[SI fractione aliqua alicuius membri non rectè conformata figura illius fuerit vitiata, cui substantia callosa innasci præuenerit,si quid est hæc adhuc recens extiterit perfringere oportet, ac rursus rectè efformare, deinde callum superinducere.] libro artis Medicæ inquit Galenus. Princeps autem quinta quarti distinguit:[Si os magnum fuerit non debet frangi si modo necessitas cogat debet emolliri, si non potest incisa carne, tunc os subiectum debilitetur,id est, propriè cum serra & radendò illud, inde frangatur.] Hic cum dixit quòd si sit magnũ non debet frangi nisi prius mollis reddatur callus,quoniam periculum est ne os frangatur non callus, igitur vbi sit mollis etiam quod magnum sit os vult quod frangatur:in duro tamen etiam fractionem admittit. Sed vbi de ossium fractorum consolidatione agit in sexto methodi huius non meminit: vt nec Hippocrates qui tam diffusè de hoc egit in libro de fracturis:at Paulus libro sexto hæc habet. [Quibus membrum distortum callus firmauerit, difficultate functionum obeundarum haud exigua subsequente præsertim si in pedibus fuerit, repositionis quidem modus non recipiendus est, vt qui extrema non inferat discrimina. Verum si callus nondum radices egerit, laxantibus superfusionibus, & cataplasmatis ex ficis pinguibus & columbarum stercore,aliisque medicamentis quæ à callo soluendo porolityca dicuntur vtimur. Insuper per manus fictione & confractione hunc dissoluemus.Quod si lapidosus euaserit scalpello superficie diuisa, excisoriis scalpris consortium ab osse liberabimus, deindè fracturæ medebimur, vt superiùs à me dictum est.] Concludo ergo quod vbi figura sit ità vitiata, vt functio lædatur, quod tunc si callus sit mollis dissoluendus est non frangendus, si durus detecto osse vbi iungitur callus ossi, separandus est; vt frangere nunquam conueniat: si enim operationem non lædat dimittendus, quoniam Galenus loquitur de forma vitiata quæ lædit operationem:si lædat & mollis sit, dissoluendus: si non queat separandus callus ab osse, hoc per fractionem intelligit. Nam si frangatur etiam quod os integrum maneat & sit mollis tamen apices ossium & fragmenta mouent primum dolores vehementes: periculum etiam est ne sinus intus relinquatur,vndè corruptio; & ne non rectè

coaptetur

ctè coaptetur. Cur autem Hippocrates non corrigat callum cum multorum aliorum errorum in curando meminerit, velut in primo de fracturis; causam esse suspicor quod non existimat Medicum egregium eo deuenire posse vt antea non animaduertat, sed si imperitus sit nec corrigere poterit. Verum dices si quisquam alius iam aberrauerit (nam & hoc docuit in vulneribus capitis) quid agendum? Dico in his non adeò esse necessariam curam, in illis autem agi de hominis vita. Sed ad Principem dicemus intelligendum cum auxilia Pauli ibidem enarrata seu potius Oribasij non potuerint callum dissoluere. Ideo Pauli authoritas apud me magna est, & apud cordatum virum esse debet cum sit duorum clarorum virorum Pauli & Oribasij eadem sentientium semper, plerunque trium vt pote etiam Galeni, vel Antylli, aut Ruffi, aut Philotini, alteriusve similis nobilioris ex antiquis.

CONTRAD. LIV.

Hecticæ quot signa, & an inseparabilia?

[Febrium hecticarum duo hæc sunt propria signa si perpetuo illæ sibi similes sint nec inuasionem vllam accessionis, nec incrementum, nec vigorem, nec remissionem habeãt: nec febricitare se percipiat ægrotus] tertio de præsagio ex pulsibus: & hoc idem confirmatur in libro de inæquali intemperie. Verùm primo de differentiis febrium hæc habet: [Maximum verò tibi atque indubitatum hoc erit eius naturæ indicium, si cibum homini obtuleris eo tempore, quo maximè omnes horas suspectas subterfugisse videtur; Statim enim hora vna aut duabus post acceptum cibum quicumque ægrotantem tetigerint, alteram febris accessionem adesse opinabuntur. Nec deerunt qui eos qui cibum obtulerint increpent, quod haud in tempore dederint, sed tunc cum futura accessio erat, & quod oportebat cibum longius tempus differre, & quod annotatio tardius sit subsecuta. Res autem non ita se habet. Omnibus siquidem hecticis febribus hoc proprium & inseparabile adest indicium, allato cibo quidem caliditatem accendi, ac pulsum ad magnitudinem ac velocitatem augeri, ita vt incompressa annotatio facta videatur. Voco autem annotationem incompressam, in qua nec horror aliquis, neque extremarum partium frigefactio facta est, neque veluti quædam dormitatio, neque aliqua insignis pigritia aut omninò inæqualitas aliqua vel in caliditate vel in pulsu: adhuc autem magis neque paruitas, neque debilitas, neque horum aliquid aliud, sed quemadmodum & cuicumque alteri ex cibo maior statim ac velocior pulsus efficitur. Fit quidem aliquando & in quibusdam febribus aliis incompressus accensus; atque hac quidem ratione non videretur febrium hecticarum proprius & inseparabilis casus. At non parum differt, si vniuersum locum indiciorum aceruum inspexeris, in omnibus siquidem febribus aliis huiusmodi introitus præter cibum assumptum fiunt, incompressi, in febribus autem hecticis res omnino contrario modo se habet neque penitus fit aliqua annotatio in tempore aliquo: sed est vna febris continua, sicuti quæ proprio nomine synonchus appellatur. At illa quidem quandam veluti flammam plurimam admouenti manum habet, præter id quod pulsus in ea maximi sunt, celerrimi ac frequentissimi, in hecticis autem febribus, neque multa occurrit caliditas, pulsusque tanto minores, rariores ac tardiores sunt in his qui febribus synochis appellatis existunt quantò etiam caliditas minor existit. Commune est itaque omnibus hecticis febribus, quod pusillæ ac semper à principio vsque ad finem sunt æquales. Proprium autem his quæ tabi coniunctæ sunt, est siccitas: quoniam sine siccitate sæpius hecticæ febres consistunt, cum non transmutantur ad tabem quemadmodum multis hoc tempore in magna pestilentia contigit.] Post hæc duo signa ibidem subiungit tertium de quo supra, scilicet fieri hecticam semper à causa præincipiente phlegmone, putrida, ephemera & similibus. Non ergo conuenit nisi in secũdo signo scilicet non habere tẽpora vlla, aliter non posset ei conuenire illud primum in primo de differentiis febrium. Et ita omittit secundum ex tertio de præsagio ex de pulsibus: in hac ergo authoritate omittit vnum signum quod ponitur in prima authoritate, in prima authoritate omittit duo. Prætereà non meminit proprij nec inseparabilis. Dico ad secundum quod est facilius quod cum ibi loquatur de hectica pestilenti quod vbi enumerat duo illa signa pestilentium quæ mutuantur febres illæ ab hecticis; nam primum & tertium in febre breui non adeò erant perspicua. De tertio absurdo non erat locus neque in prima neque in secunda authoritate distinguendi signa per propria vel communia, inseparabilia vel quæ non omnibus conueniunt sed proprius locus tractationis fuit vbi distinxit: quia peculiari titulo ei tractationi dicatus. Ad tertium absurdum præstitisset meminisse non solum ob sensum febris ipsius, sed etiam incompressæ annotationis. Et videtur intellexisse hoc idem de vtroque scilicet quòd non sentiunt, tum quia de febre, vt docui alibi, testatus sit, tum quia non dicendo illos sentire & docendo signa per quæ Medicus deprehendat intellexisse videtur. Non proposuit autem quia id commune erat cum multis aliis lentis febribus.

CONTRAD. LV.

Cor an magno sensu preditum sit.

Galenus in libro de Renum affectibus inquit. [Cum verò demonstratum sit cor iecur & renes in concauitate non sentire, in superficie autem sentire (quoniam nerui qui sentiunt in superficie feruntur, in concauitate autem nulli sunt) quomodo hæc

dolorem

dolorem persentiunt: quomodo dolor sentitur? an quia cauitas grauatur, dolor exurgit: extenditur membrana exterior.] At oppositum à Principe quinto de anima, cum dixit cordis dolores esse intollerabiles, & maiores cæteris doloribus. Adeo vt videatur etiam intelligere de profunda parte, nam ibi disputat contra Galenum qui admittebat sensum in superficie: ergo cum contradicat illi, oportet vt intelligat de parte profunda, & eadem quam Galen. negat habere sensum, & quòd experimentum sit verum. Esset enim nimis absurdus velle reprehendere Galen. ex experimento falso. Et si quis vellet negare autoritatem Principis? Dico quod experimentum illud docet. Propterea dico quod sensus est triplex; verus qui est cum cognitione & diuiditur in quinque; & hic non habetur absque neruis, & hic est exiguus in superficie cordis, & prorsus nullus in eius profundo. Secundus est doloris in specie: & hic est datus ligamentis etiam circa neruos, & partibus neruosis velut vesicæ, ventriculo, membranis, quibusuis intestinis; & hic est magnus: In corde autem, maximè in profundo nullus est aut perexiguus; quia ibi neque nerui sunt, neque neruosa substantia. Tertius est sensus molestiæ vt est pars animati, anima principe sensus: & hanc molestiam sentit plus omnibus aliis membris vt in quo sit primum animæ vinculum scilicet vita. Et hæc omnia sunt perspicua, nec Galeno aduersantur qui propriè de secundo sensus genere agit.

CONTRAD. LV.

In contusionibus vel vulneribus ex quo latere secanda vena.

RHasis 6. ad Almansorem inquit: [Si quis læsus fuerit in capite aut aliqua parte corporis, mittatur ei sanguis ex aduersa parte.] Princeps prima tertij in cura doloris capitis ex percussione & hemicranei mittit sanguinem & maximè ex euna fontis, temporum, & nasi; sed in ictu ex humeraria aut communi, & licet dicat cum attractione ad contrarium, intelligit generaliter à superiore parte ad inferiorem non contrariam partem lateris, hoc enim dixisset. Et quia Galenus in secundo de compositione medicamentorum secundum locos, neque in vno, neque in altero loco meminit. Inquit enim primo loco: [Ad dolorem capitis ex plaga seu casu, & nisi vitalis facultatatis debilitas appareat à venæ sectione curationis initium facere oportet.] In secunda de hemicrania: [Prius quali purgatione, aut venæ sectione æger opus habeat.] Vt manifestè videatur intelligere de sectione venæ eiusdem lateris, quia illam vbique collaudat Paulus libro 3. & ipse præmittit sectionem venæ, sed cuius non dicit. Sed & Aëtius in sexto eius auxilij eodem modo meminit. Hippocr. ergo nullã adhibet sectionem: Galenus & Paulus ex eodem latere. Et cum dico Paulum, intelligo Oribasium vt in quarto Euporiston, & octauo Synopseos Arabs ille ex aduerso. Dico quod vt secundo de dentibus cap. 18. in fine, cum quadruplex sit venæ sectio, vbi corpus repletum sit alleuiare oportet, & ex aduerso: cum verò vacuum, sufficit Hippocrati euacuatio ex vulnere: ideo non applicauit acetum aut album oui ne caput refrigeraretur, & vt sanguis flueret; ideo etiã cauet à laboriosis, ac dolorosis auxiliis. At qui adhibent sanguinem reprimentia & auxilia dolorem facientia, in pessimo medendi more minus aliquid mali excogitarunt vtendo sectione venæ mixta ex deriuatiua & reuulsiua, atque ob id ex eodem latere sanguinem commodè educunt; eoque magis si iam phlegmon fieri cœperit.

CONTRADICENTIVM MEDICORVM, LIBER SEPTIMVS.

CONTRAD. I.

In vesica fellis an neruus vllus?

GALENVS 3. de facult. c. 12. inquit: [At non in ea vesica quæ iecinori subest similiter se habet, vt quæ neruorum planè sit expers.] Sed neque neruorum meminit sexto Anatom. aggressionũ dum de vesica agit. At in lib. de neruorum dissectione ait: [Ad iecur, lienem, & renes, atque etiam ante hæc ad totum ventrem, ac ad omnia viscera nerui à cerebro partim à tertia, vt dictum est, coniugatione, partim à sexta peruenire conspiciuntur.] Et clarius quinto de vsu partium: [Habent autem ipsi renes neruum quantum hepar, lien, & bilem excipiens vesica.] Sed & Vesalius illos adesse affirmat in lib. 5. cap. 8. constatque eos esse exiles & in exteriore superficie. Hanc contradictionem citat Iacchinus & ideò legit aliter priora verba: sed illa non constant: Quæ neruorum planè sit expers. Si verò legas: Quæ neruorum planè non sit expers: non conueniũt ea, Nec tamen id similiter se habet in vesica iecinoris: scilicet vt sentiat pondus, aut acrẽ humorem velut cætera membra: sensu toti communicato. Declarat igitur sensum inesse particulæ qualis est venis & arteriis: nam & ille nimium pressè humoris multitudine aut acrimonia etiam eiiciunt contentum humorem: [At qui si tũ in his quæ in vtero sunt, tũ ventriculo, tum intestinis, superque in vesica ea, quæ lotium recipit, luculenter apparet vel tensio quæpiam esse, vel morsus, vel pondus, quod

quod singula instrumenta ad expulsionem proritet non magno negotio; id in bilis quoque vesica intelligas, æquè scilicet vt in reliquis instrumentis omnibus : quorum è numero, tam arteriæ, quàm venæ sunt.] Quis non videt comparationem fieri ad instrumenta quæ sensu naturali tantum prædita sunt; cum non prioribus sed tantum venis atque arteriis bilis vesicam comparet. Propterea dico quod vt habetur qnarto de partibus animalium : [Homines (inquit) quidam fel habent, quidam omninò non habēt, quod etiam in muribus & ouibus conspicitur.] Vndè reddens causam subdit : [Quibus iecoris constitutio salubris est, & sanguinis natura quæ iecur subeat, dulcis accedit his nullum fel suo in iecore habent : aut venulis quibusdam inclusum cont nent : aut partim habent, partim non habent. Propterea iecinora eorum quæ felle vacant dulcia sunt probéque colorata, prope dixerim omnium, particula etiam iecoris quæ felli subdita est dulcissima est.] Cum ergo iecur felle carere possit, potest etiam carere omnibus quæ in eo sunt, atque ideò etiam neruis; quorum enim constitutio fortuita est, eorumdem etiam compositio eiusmodi est.

CONTRAD. II.

Morbo regio laborantibus, an venæ sectio conueniat.

[SI Arguato sanguinem mittas ægrumque subleues, & pallorem è cute eiicias; me tibi omni supplicio deuinctum trado. Sin autem non modo quicquam profeceris, sed hominem in extremam perniciem egeris, ad meliores sententias redi, & Hippocratem sequare. Galenus libro de purgantium medicamentorum facultate. Et rursus in libro de atra bile eandem sententiam repetit ferme ad verbum, vt sectionem venæ in eiusmodi refugiat. Quocirca neque Oribasius in libro de curandis affectionibus, & est quartus ab Eupotisto mittit sanguinem, neque Rhasis in diuisionibus vllo in casu, quamuis in nono ad Almansorem mittat in magna repletione totius : nec Serapio nisi in iecoris phlegmone, nec Hippocrates in libro de affectionibus, nec in libro de internis affectionibus nisi in ea quæ fit ob crapulam & ebrietatem, vt neque in 7. Epid. vbi omnia talia auxilia commemorat. Attamen è diuerso Paulus in ea quæ fit ex obstructione mittit lib. tertio; Et Aëtius magis effusè dum inquit: [Arguati qui ratione bonæ indicationis febribus perfectè solutis fiunt, facillimè sedantur. (Et quibus docet) in reliquis autem ictericis duo maxima remedia principatum obtinent, sectio venæ, & purgatio. In quibus igitur multitudo sanguinis vnà cū bile in toto corpore abundat, & quos circa hepar aut splenem dolor aut distentio infestat, nihil venæ incisione commodius fieri potest, si nulla alia re id facere præpediaris, particulatim autē, & per vices sanguis est detrahendus, ne per coaceruatam euacuationem vires ægri prosternantur: neque verò ineptè clyster adhibetur, si venæ sectio impediatur, à venæ autē incisione, & commodè clyster assumitur, qui propter stercorum euacuationem spirandi facilitatem inducit, intestinaq; irritando ac mordendo humores ad cutis superficiem delatos, ad ipsa retrahit & reuellit.] Haliabbas quoque septimo practicæ mittit sanguinem vbi ab obstructione vesicæ fellis contingat, vt dubium non sit morbo ipso non deberi sectionem venæ, multò minus symptomati, Et rursum coniunctis causæ & habitui posse deberi, vt immodicæ repletioni; phlegmonique. Restat dubitatio sola de obstructione: nam vt dixi quidam volunt, quidam non; quamquam quæ dicit Aëtius ad habitum corporis, & morbum coniunctum, & causam morbi omnia referri possint: vt in quarto de dentibus docuimus.

CONTRAD. III.

Regius morbus an ante septimum diem malus?

[IN biliosa febre morbus regius cum rigore ante septimum diem si fiat morbum soluit. Si verò præter occasionem absque rigore superuenerit pestiferum est.] quarto de victu in acutis. Auenzoar etiam primo Theisir: [Medici vituperant morbum regium qui fit in principio morbi; ego autem dico quod cum sit motus, potest esse celerior causa agentis & patientis, & concoqui materiā secunda & maximè quarta die, præcipuè in iuuene, tempore æstiuo regione calida, locis orientalibus, ac meridionalibus; in his enim concoctio acceleratur:] Auerroës quoque quarto Collectaneorum. [quod dicit Hippocrates si morbus regius superuenerit in acutis febribus ante septimum malum: reprobatum est experientia in omnibus nostris regionibus; & si veniat in quinto, est laudabile & maxime in tempore & corpore calidis:] Et hæc est sententia omnium Medicorum Persiæ & Indiæ maioris, & maioris partis illorum qui habitant in Tarraconensi Hispania. Vulgatum est autem oppositum ex quarto Aphor. [Morbus regius si ante septimum diem accidat malus in febribus. In septimo autē, nono, vel vndecimo, vel quartodecimo bonum; nisi dextrū hypochondriū obduruerit. Si verò non, non bonum.] Galenus reddit rationem cōnexam, scilicet quòd in eo tempore non possit esse concocta materia, & ob id est signum impedimenti naturæ velut tumoris alicuius calidi aut frigidi, nō verò quod ea via se exoneret, & ob id bonū signum non est. Scripsimus de hoc in cōmentariis & Conciliator diff. 78. adeò vt nisi adiiceret multa nimis præter propositum, quod necessarium est illis qui in scribendo volunt seruare eundem numerum partium suffecerat ipse, quanquam in responsione nutet. Constat autem non alium magis lancinatum Aphorismum vt etiam à Plinio: nam & Brasauolus, & nos vidimus multos seruatos ex aduentu huius morbi ante septimum, quod Hippocrates non negat : neque enim dixit valde malum aut lethale, sed malū esse.

Si

Si ergo transmutatur morbus ex acuto in diuturnũ, minus redditur periculosus; transmutatio ergo semper bona. At in eo quod superuenit febre non deficiente malum etiã est semper: In febribus ergo cum superuenit morbus regius, si ante septimum, non solet cessare febris nisi cum rigore superueniat, nam criticus is est; sed si sine illo habemus Hippocratem bis consentientem, vnde deterior erit quam si vel cum rigore & ante septimum, vel si in septima sine rigore adueniat. Est igitur malus simpliciter, quia exceptio prohibet quod sit Iudicatorius. Possunt tamen illi omnes sanari, qui eo non superueniente fuissent sanati: sicut cibus omnis in morbi vigore malus. Multos tamen cibatos tarda excepit declinatio salutaris, qui sine cibo multò facilius sanati essent. Altera exceptio est quæ tollit vim rationis contrariæ, & est valde bona & vera, & est Ioannis Baccanelij Medici Regiensis: Quòd talis morbus regius non sequatur aliam euacuationẽ, putà crisim factam per aluum, vomitum, vrinam, sed præcipuè sudorem. Tunc enim materia poterit esse concocta maxima ex parte, & crisis fieri bona, & morbus regius qui consequitur erit ad perfectionem crisis. Et similiter non est necesse vt qui fit post septimum diem bonus fit vt Galenus in priore commento dixit, nam poterit fieri morbus regius post septimum diem vel in septimo ipso, & manere obstructio, inflammatio, vel phlegmon; & ita etiam erit malus & non bonus. Ergo vt ad principale reuertar. Responsio primæ difficultatis habetur ab Hippocrate, ad litteram vt dici solet, Epidem. I. [Quibusdã morbus regius accidit sexta die. Verum his purgatio per vesicam, vt aluus exturbata profuit, aut larga sãguinis eruptio. Velut Heraclides qui decũbebat apud Aristocydem: nam huic & ex naribus sanguis erupit: & aluus turbata est, & per vesicam purgatus est, vigesima die iudicatus est: non velut Phanagoræ seruus, cui nihil tale factum est, & mortuus est.]

CONTRADICT. IV.

Phagedena an morbus cum putredine.

Galenus sexto de composit. medic. per genera dicit, quòd phagedena non vt quædam alia vlcera fit absque febre & putrilagine; nam multa alia febrem accendunt ob putredinem sibi coniunctam. Verum in lib. de cibis boni & mali succi dicit quòd phagedenæ adueniebant cum febre, & multi ex eis peribant. Est autem phagedena vt in lib. de tumoribus præternaturam vlcus cum tumore, & depascitur cutim & etiam carnes; in quo ab herpete differt vt 6. Aphor. Et licet in lib. de inæquali intemperie velit quod sit tumor, intelligit tamen quod non est sine tumore; nam cum solum est vlcus depascens carnes, vocat phagedenicum vlcus non phagedena. Tertio in 6. de morbis vulgaribus. Ergo in lib. de cibis boni & mali succi vult (cum loquatur de constitutione pestilenti) quòd licet phagedena non sibi iungat febrẽ, vt cum iunxerit sibi febrem vt sit pestilens atque lethalis admodũ: nam febris est causa potius phagedenæ, quam phagedena febris.

CONTRAD. V.

Phagedena an ex atro humore.

Simili ratione controuersum est illud an phagedena fiat ex atro humore, quemadmodum inquit 2. de Crisi de ea carbunculo & elephantiasi. Vnde etiam comparat carcinoma erysipelati, velut phagedenam herpeti. Etenim herpes & erysipelas à flaua bile fiũt, vna quiescente, altera mobili; ita carcinoma & phagedena ab atra, vnum quiescente, alterum mobili. Verùm in lib. de cibis boni & mali succi, & etiam in 3. de temperam. dicit quòd oritur à cacochymia. Respondeo fit ab humoribus mixtis, atrâ tamen bile prædominante; quoniam erosio illa non nisi ab eo humore fieri potest, nam cutis à salsa pituita ichoribus & à bile exeditur: plerumque autem in phagedena etiam aliquarum partium cuius sola exeditur, & abundante atra bile adeò vt carnes exedat, abundant etiam alij humores corrupti.

CONTRAD. VI.

Vini & aquæ comparatio tam in sanis quam ægris.

Vinum esse vtilius aquâ vt potum seu vt alimentum, Galen. edocuit 7. art. cur. dicens, comparando vinum ad aquam: [Aqua diù residet in vẽtriculo, & fluctuationes excitat, & quod in flatum cõuertatur inde corrumpatur: & neque vrinas, neque sudores proritet, nec cibum distribuat, & demũ quod ventriculum labefactet, quorum omniũ contrarium efficere vinũ, vt ei è regione natura oppositum, affirmet; vt enim ipsa frigida est, & astrictionis expers, ita vinum calefacit & astringit, soluit flatus, alimentum deducit, celeriter excrementa eiicit, humores bonos efficit cum bonũ præbeat nutrimẽtum, etenim boni succi est, & instrumentorum omnium vires adauget.] Idem quarto in 6. Epidem. ait: [Vinum aquæ præstat ad concoctionem quæ in ventriculo fit, ad concocta distribuenda, ad sanguinem creandum, ad nutritionem, ad lotium ciendum, & benè valentium corpora difflanda.] Adeò verò probat vinum pro ventriculo, vt in quarto de tuenda sanitate dicat vinum dilutum in quibusdam ventriculum subuertere, omnibusque ob id suadeat vt eo saltem vtantur, plerisque tamen vt meracum bibant. Quod videtur sumpsisse ab Hippocrate (nam quod sæpiùs, dixi ille omnia ab aliis sumpsit) Quarto de victu in acutis primùm cum dixit, [His qui ex ieiunio exhausti sunt, vinum exhibere & meracum oportet: paucum non potest siccum corpus humectare, quantum oportet, dilutum dissoluit ventriculi robur.] Idem paulò infra Hippocrates seu eius libri author: [Vinum dilutum superiorem ventrem, (id est, pectus) humectat, inferiorem flatuosum efficit: Meracum verò venarum palpitationem (febrem scilicet si adsit augendo)

do) & capitis grauitatem & ſitim facit:] Et in tertio de temperamentis videtur in eandem ſententiam dixiſſe. [Vino inter reliqua proprium eſt mutationis celeritas, velut ſtupæ tæde elychnio pici vt in ignem conuertantur, idque non vt calefaciens medicamentum, ſed vt cõueniens nutrimentum, calefacit nos.] Et in libro de cauſis morborum cum dixit quòd vinum calorem naturalem auget: id ſanè contingit vt nutrimentum non vt medicamentum. Plura huiuſmodi inuenies apud Galenum. Sed & contrarium apud eundem veluti tertio de alimentis cum dixit. [Vtrùm neque ventriculi ſtruthiocameli, aut mergi facile concoquuntur ab ipſo ventriculo, neque aliis quæ in eo continentur vt facilè concoqui poſſit auxiliantur, velut piper & zinziber: & præterea alia ratione vinum & acetum.] Quis non videt hæc non vt iuuantia ventriculum alimenti nomine non laudari, ſed medicamenti. Quod etiam ſed de compoſitione Medicamentorum ſecundum locos dum agit de ventriculi affectibus, & poſterius etiam de iecore: [Concoquit, nutrit, roborat, putredini; etſi intemperies in eo facta ſit humida atque frigida, eam abſque moleſtia ſecureque perſanat.] Et ſeptimo Aphoriſmorum: [Calefacit enim vinum corpus totum, citoque mouetur in omnes partes & præter id humores etiã omnes optimos reddit. Quod verò proponitur in lib. de cibis boni & mali ſucci in vtramque partem trahi poteſt, quaſi & vt nutrimentum & vt medicamentũ ventriculo proſit; inquit enim, [Vinum contemperat humores frigidos, & robur addit ventriculo vt ſuperflua & noxia expellat: vndè multis qui ex potu aquæ (præſertim malæ) capitis dolore vexantur confert, eoſque liberat. His tamen qui temperamento calidiſſimo prædici ſunt ſeu natura tales ſint ſeu ob ætatem, vtiliùs aqua bibitur quam vinum. Quòd ſi aliquando vino indigeant, paucum multa aqua dilutum dandum eſt.] Quam ſententiam ferme repetiit quinto de tuenda ſanitate. Sed in his verbis vinum præferre generaliter aquæ videtur præterquam in calidiſſima temperie, quamuis nec in hac ſibi conſtare videatur; adducens enim illud ex ſexto Epidemiorum octauo artis medendi ſcilicet, [Calido natura perfrigeratio, potus aqua:] inquit: Et quamquam in ſexto Epidemiorum ſenſit Hippocratis ſeu Theſſali (vt authoritatem eleuet dicti) forſan voluit vt pluri aqua vtantur hi potius quam à vini vſu tales prohibuerit. Simile eſt illud, ſed tamen potius ad curam pertinens quam alimentum. Quinto de locis cum Grammatico qui ex ira, vel cogitatione, aut inedia comitiali morbo corripiebatur, conſuluit, vt panẽ ſolum, aut ſi liceret vino albo modicè aſtringenti diluto infuſum aſſumeret: [Hoc enim, inquit, & ventriculum corroborat, & caput minimè tentat.] Forſan quis meritò quærat cur adeo anxie hanc differentiam quæramus? Et reſpondemus plurimum intereſſe an vinum proſit ventriculo vt alimentum ſic enim aquæ præferendũ erit: nam ex prima coctione ſequentes omnes, & ex ventriculi robore & incolumitas & vitæ longitudo pendent. Si vero vt medicamentum ſolum, ſanè poſt habẽdum erit in continuo vſu ipſi aquæ. Qualecunq; enim ſit non conuenit medicamentum niſi ægris, & etiã ex diutina conſuetudine natura ignaua redditur, & intemperiem aliquam progigni eandẽ oporteat ſeu caliditatem nimiam ſeu frigiditatem, ſeu ſiccitatem, ſeu aſtrictionem, ſeu appetitum cibi nimium ex quo in morbos homo deueniat neceſſe ſit, ſeu in nimis paruam vt contabeſcat, ſeu bilis corruptum, ſeu pituitæ defluxum: certè nullum medicamentum tam innoxium eſſe poteſt quin ex illius perpetuo vſu non ſequatur aliquod incommodum. Verùm Galenus in tertio de alimentis videtur hanc dubitationem ſuſtuliſſe, fatetur enim & medicamentoſam & nutriendi facultatem habere. Vnde dicit, [Quæcunque de vino dicta ſunt in lib. de victu in acutis ad facultatem medicamenti non alimenti pertinent.] Vnde quamuis alat, à pluribus non inter alimenta numeratur. Quo cognito quæri meritò poteſt quid vtiliùs an aqua an vinum in continuo vſu: nam pluribus modis iam prælatum vinum eſt, & quod etiam Galenus dicat quarto de tuenda ſanitate [Vinum ſemicoctos humores concoquit & ſomnum conciliat.] Quæ duo bona certè valdè præſtantia ſunt. Idem in ſexto Epidemiorum [Vinum bene valentibus, & moderatum tempeſtiuéque ſumptum prodeſt.] In lib. quoque de Renum affectibus vini potum longè aquæ præfert, quoniam, inquit, ipſũ ſolum bene nutrit, cum alij potus aut omnino non nutriant, aut malè nutriant. Et in libro de affect. cum meminiſſet vini & aquæ vt potuum ſubiicit. [Vinum & mel ſũt iudicata hominibus optima. Hoc autem ob ſuauitatem contingere conſentaneum eſt.] Sed Galenus vt dixi in lib. de Renum affectibus ad familiaritatem refert de vino, cum ipſum melli anteponat. Hippocrates etiã in 1. de victu in acut. (dicit Galen.) exhibuit vinum & ptiſanam tanquam magis humectantia ipſâ aquâ. Verum dices Galenus in 1. de cauſis pulſuum inquit [Exercitatio, & ira, & vinum mutant maximè pulſum.] Reſpondeo quòd intelligitur de vini & potentis multitudine: nã antea dixerat. In exercitationibus ac potionibus vehementer pulſus offenduntur. Palam eſt quod de potu multo vini & potentis intellexit. At illud diſcutere difficilius eſt, cũ dixit 3. de ſimpl. Medic. Vinũ potens & quaſi Lesbium eſt, & vetus & actu calidum totum corpus calefaciunt, ideo inquit. Extremè perfrigeratos hoc potu aliquando ſanaui. At nobis non Lesbio vino opus erit habẽtibus vinum prannium & eius copiam tum aquæ ardentis quæ multo calidior ac tenuior eſt & Lesbio & Falerno quæ ſolebãt eſſe calidiſſima & haberi vetuſtiſſima. Hoc tamem non efficit vt non poſſit vinum aliud eſſe melius aqua in diurno vſu & potu quotidiano. Magis aduerſatur opinioni huic Oribaſij authoritas qui in quinto collectaneorum pudicè & verecundè vt dicebat arguit hanc ſententiam rationibus euidentibus quaſi ſuppreſſis nominibus eorum & quaſi illos excuſans ac dicta interpretatus, vt nolit & maximè in febribus aquam puram dari, ſed aliquo

quo adiecto ex calidioribus ac tenuioribus potibus quale magis conducere videri potest velut oxymellite, mellicrato, vel vino pauco cum multa aqua; ità vt aqua sit potus, sed respersa illis. Prima illius ratio est sumpta ab experimento. Medici inquit perculsi aliis potibus vini, oxymellitis, & mulsæ coacti sunt aqua vti. Et certè quidam solidus, nescio an ex ignorantia, an quod Hippocratem sequi se existimaret vinum laboranti laterali morbo exhibuit, & intra paucas horas coarctato spiritu, & conuulsione succedente obiit æger. Secunda ratio huiusmodi potus magnas efficiunt mutationes, sed magnæ mutationes in magnis morbis sunt periculosæ; tum quia vires sunt imbecilles maximè animalis secũdo Aphorismorum ex Galeno ipso, & cui præcipuè vini potus obest, tum etiam quia materia est cruda & coctione indiget, coctio autem quiete, ideò talis potus non est idoneus. Tertia est quoniam dicit aqua maximè humectat, exuere enim potest frigiditatem; at nunquam licet feruens quin humectet effici potest, humidum autem conuenit & febricitantibus ipsis 1. Aphorismorum & sputis & conseruandis facultatibus, ac corpori quæ omnia in humido sedem habent. Hippocrates autem tertio de victu in acutis præter aquæ incommoda superiusve citata plurima in laborantibus morbo acuto, ex his autem præcipua sunt quinque: primum quod prorsus nullum commodum nullamque vtilitatem afferat: secundum quòd debilitet imò prosternat vires: præcipuè cum vacuo corpore bibitur, & adhuc magis dum pedes frigidi sunt; quod non adeò periculosum esse putat in aliis potibus: quamuis in hoc casu etiam refugiat ptisanam. Tertium quòd lienem & iecur intumescere faciat. Quartum quòd vertatur in bilem. Quintum quod amarum os reddat, vndè postmodum sitiunt & fastidiunt cibos. Horum non meminit Galenus in septimo artis medendi quia detrimenta hæc pertinent ad ægros, ibi autem Galenus de conualescentibus agit. Rursus quod ad sanos attinet videtur Oribasius etiam præferre vsum aquæ vino: quoniam dicit aqua non nutrit, neque aliud quicquam agit nisi quòd est pro vehiculo cibi, vnde patet quòd est longè melior vino; nam distributio cibi fit à natura per singulas partes vt à Galeno habetur tertio de facultatibus naturalibus cap. 13. cum membra priora ex eo acceperint quod sibi necessarium est: cui ergo vsui erit illa distributio ante tempus vt cruda permeent & membra priora puta ventriculus proprio alimento destituatur, alia verò immodicè repleantur: nam distributio cibi debet fieri à natura membrorum coucordi, & non vi medicamentosa, nisi in casibus necessariis, qui sunt in paucis ægris, quanto rariùs in ægris. Et certè demiror Galenum quid sibi voluerit cum illa præcipiti distributione à vino; sed accepit, vt toties dixi, ab aliquo alio hæc & & inconsideratè illuc ascripsit. Aut dicendum quòd ibi consulit conualescentis restaurationi in quo facultates membrorum naturalium sunt imbecilles, & nihilominus necessitas restaurandi membra exsiccata vrget ne amplius siccentur & debilentur, & ideò incommodum malæ restauratinis & cruditatis compensatur maiore necessitate ne vel victus cadat, vel languens in hecticam incidat, quod certe non esset extra rationem si contingeret. Nam quòd ad reliqua etiam incommoda ibidem recitata attinet peræquè absurda sunt vt hoc primum: Nam quod aqua fluctuet in ventriculo oportet vt sit multa, quo in casu si tantundem dederis vini, præter id quod pariter fluctuabit, exuret etiam iecur, affliget caput, & forsan ægrum interficiet. Quod moram ducet in ventriculo, dico quod bene permista cibo exibit cum illo, sed hoc est longe melius quam si antè exeat; fieri enim nunquam potest in æternum vt si vinum cibo admistum exeat ante cibum concoctum quin aliquam eius deducat crudam ad meseræum, & iecur, & multa incommoda non pariat. Et ideo deteriora sunt vina dulcia longè ob hoc quæ etiam diffamarunt saporem dulcem qui in cibis est bonus non malus, maximè aquam bibendo, sed cum vino quod ad iecur sua tenuitate & caliditate ante tempus penetrat & magnorum malorum causa est. Ergo rationes illæ Galeni si non de conualescentibus intelligantur, potius concludunt aquâ quam vino in vsu quotidiano cum cibo vtendum esse. Sed & nos alias rationes adducimus. Aqua est à Deo & natura facta, vinum arte; ergo aquæ perfectionem vinum æquare non potest, fuisset enim maximus error naturæ vt in tam præclara vtilitate omnium maxime animantium defecisset, nam illius potu omnia viuunt. Quod si alicubi mala sit, hoc est ex defectu materiæ sicut in claudis, cæcis, mutilis, stultis, deformibus, aliud enim est nõ constituere certam rationem conficiendæ rei & aberrare quod diuinum est, aliud non posse semper quod diuinum est materiam superare, hoc enim tam frequens est vt vix in mille actionibus vna perfecta succedat. Præterea aqua potest destillari & hæc est optima, si non componi cum aliis vnde tot potiones in oriente & præcipuè factæ cum oriza, & in septentrione cum hordeo vel cum melle, aut saltem coqui cum aliquo semine vel odorato ligno, vt cassia lignea vel ligno aloës, vel iuniperi sicco; vel succo aliquo vt melle, vel saccharo & ita erit longè melior vino & vtilior. Tertia ratio est ab experimento quæ certa est videmus enim eos qui centum annos excessere, & nunc plures apud Indos orientales sunt qui multo longius progrediuntur & prope centesimum quinquagesimum, certè vltra centesimum, & trigesimum omnes abstemios esse & vti aqua cum saccharo vel aromatibus: Quin etiam in Sarmatia quam Poloniam vocant, homines viuunt vltra centum annos, plures attingunt & si aër minimè probatus sit frigidus humidus grauis & ipsi helluones, adeo vt hoc ipsum tribuant quod à vino abstineãt. Igitur clarũ est potum humanũ esse aquã & non vinũ. Quid ergo si vires deperderẽtur & interirẽt an destituemur potu salubri, & vitã nostrã necessariũ esset pessum ire. Quarta ratio, est quòd aqua coctione semper melior euadit, vinum semper corrumpitur, at in no-

bis vtrumque concoqui necesse est. Similiter in vno & eodem libro variè locutus est de hoc potu quod ad animū attinet; prius enim dixit potum vini moderatum animum reddere securiorem & mitiorem: primum ad beatitudinem propriam pertinet: nihil enim melius esse potest non solum hominibus, sed & Diis ipsis securitate, deinde quod mitiorem facit ad aliorum qui secum versantur commodum: præcipuè qui sub eius imperio reguntur, vt filij vxor, domestici omnes. Sed paulò post eodem scilicet in libro cui titulus est quod animi mores corporis sequantur temperaturam, quasi à veritate coactus subscribit Platonis authoritati negantis vinum expedire vel militibus pugnaturis, vel consulturis de aliquo magno negotio, aut pueris, aut seruis, neque operam daturo literis: solum senibus dicit vt obliuionem malorum inducant. Vide pulchrum consilium, & non satis senes sunt obliuiosi nisi etiā hoc addant, vt deliri prorsus videantur; nā non ob aliud senes stulti habentur quam quod obliti rerum, vnam rem pro alia dicant aut exigant. Quòd si dicas obliuionem duntaxat tunc expedire: quid proderit tam breui tempore? deinde in conuiuio vt insani habeantur & etiam cerebrum sæpius hoc modo perculsum alioquin imbecille reddetur, vt facilè in morbum attonitum quali certè Plato ipse periit incidat: aut in resolutionem quali Spensippus illius nepos. Verisimile enim est & hoc illos ebrietatis vitio laborasse quandoquidem nemo vitium aliquod laudat, qui non deteriora faciat. Sed forsan Galenus ad publicam vtilitatem non respexit, in hoc inferior platone. Sed longè superior eo quòd semper parcum vini vsum probauerit, immoderatum nunquam. illud non omittam quod etsi ad præsens argumentum non pertineat, vtilissimum tamen esset si antiquorum Romanorum morem sequeremur, quorum fœmineum genus totum abstemium erat teste Atheneo. Sed iam redeamus ad principalem quæstionem scilicet an in febribus vsus vini præstantior sit quam aquæ. Et certè Galenus in diariis vinum exhibet modo temperamentum ægri, aut causa quæ præcessit non obstet. Vnde octauo Methodi proximo loco iam citato inquit: [Vinum tu conscius es me in huiusmodi (scilicet causis quæ sunt cutis densitas, vstio, ira, refrigeratio, vigiliæ, tristitia, lassitudo, cum temperamento calido & sicco atque omnibus aliis, excepto calido & humido) sed quod tum aspectu, tum viribus sit aquosum: id enim ad omnia vtilius quam aqua est: vt pote quod concoctionem iuuet & vrinas ac sudores prouocet. Constat autem & Hippocratem non in diariis modo febribus, sed etiam in acutis in his quæ de acutarum febrium victu prodit vinum dare.] Vndè illud etiam controuersum relinquitur quod in tertio de victu in acutis colorem scripsit nihil ad actionem præstare, verum est; sed sic intelligendum est, quod tamen naturam vini indicat. Adeo vt aliquando ausus sit dicere nullum vinum exquisitè album calidum esse. Et certè vina ex albis vuis maturis nulla arte mutata si fuerint prorsus alba & tenuia, calida non solum non erunt, sed non multum ab aquæ natura different. Vt rursus vix inuenies rubrum vinum prorsus astrictionis expers & flauum coloris, & nigrum tenuissimæ substantiæ: sed in hoc regio, vuæ modus, ac ætas spectanda sunt vt omnino non fallaris. Duo verò sunt genera causarum Diariæ in quibus vinum non admittitur, cum ab obstructione fuerit vt in eodem octauo Methodi docet, vel cum à bubone donec ruptum fuerit ad Glauconem primo; sed tertium indiscussum & ipse, & Princeps reliquerunt siquidem quod à cruditate. Similiter in hecticis etiam vinum Princeps prohibuit, nisi imbecillitas vrgeat quarta quarti. Sed & in pestilentibus ibidem aqua omninò vtitur.

De acutis autem audiuisti quid Galenus censeat quod etiam in diuturnis est intelligendum, nam de intermittentibus dat concocta materiā quidem primo ad Glauconem in tertianis quidem, quod etiam de quotidianis est intelligendum, ante autem minimè, sed in quartanis etiam ante coctionem; quòd interuallum longum sit & materia frigida, quare multo minus in continuis vinum dandum erit. Scripsit autem de hoc in vndecimo methodi his verbis: [In febribus quoque putridis si notæ concoctionis præcesserint & vires minus validæ sint, vinum dabis.] Sed qua ratione tum in his, tum in abscessibus omnibus internis consulere oportet Hippocratem in initio tertij de victu in acutis vbi proponit tria vinorum genera; dulce quod in morbis pectoris tanto vtilius est, quanto magis nocet mēbris naturalibus capiti mediocre: vinosum album, id est flauum capiti inimicum sed naturalibus membris expurgandis vtilissimum: nigrum austerum naturalibus membris imbecillitate vel fluxione laborantibus vtile, pectori semper tantundem inimicum: capiti iuxta quod vinosum aut leue fuerit. Galenus primo ad Glauconem in febribus vinū prohibet quatuor in casibus in viscerū inflammatione, in delirio, in magnis capitis doloribus, & in febre incendente cū materia est cruda adhuc. probat in deliquiis virium, non dico animi. Nam in animi deliquiis neque corpus refrigeratur, nec homo ob imbecillitatem in facie sudat, nec pulsus deficit, aut adeò languidus fit aut varius vt formicans aut vermicularis, aut interceptus: Ergo in syncope maior est necessitas & minus periculi, in lypothomia contra vnde in hac nō conuenit, periculum est enim conuulsionis: in illa conuenit nisi adsit iam conuulsio, tum enim mors adest cum conuulsionem excipit syncopis aut syncopem conuulsio. Ergo si inflammatio viscerum adsit syncopem conuulsio sequitur, si ex vini diluti cum offa panis exhibitione vires releuantur, plures seruantur; nam vinum, vt diximus, vires quam celerrimè restaurat, & humores meliores reddit, & excrementa propellit, vnde viribus restitutis magna est spes salutis. Altera causa quæ alios latuit hucusque Medicos, est quod cum vinum febres accēdat, & vapores atq; humores atros ad cor, & cerebrum, ac iecur deferat, simul enim ad

hæc

hæc tria ferfur; vndè nihil eſt quod celerius & certius occidat intempeſtiue exhibitum: vt contra quod à morte reuocet tempeſtiuè datum, poſt ſyncopem neutrum illorum malorum facere poteſt, venenum enim peſtilens non propinatum aut exterius adueniens, ſed ex putredine ortum cum ſenex extinguitur, non amplius reſurgere poteſt, neque febrilis putredo eadem redire: ſed vel omninò materia in cineres redigitur, vel alio ſub putredinis genere collocatur. Quod ſi redierit ſignum eſt internæ inflammationis. Ergo & in peſtilentibus febribus, & in aliis ardentibus, & hecticis poſt ſyncopem conuenit flauum dilutum pro ratione cum offa panis, non ante ſyncopem; ante ſyncopem in effluxionibus omnibus in his quæ nimia tenuitate exoluunt; vndè ſyncopem non aduenire in mala febre non adeo bonum eſt vt multi exiſtimant. Deceptos etiam vidi plures Medicos in hac vrbe vnde plurimi perierunt ægri dyſenteria laborantes ad ducentos vt audiui, interpretantes Hippocratis dictum quòd vinum nigrum & auſterum in effluxionibus ob imbecillitatem inteſtinorum, & quòd meracum eſt præſtantius diluto: nam non ab initio illud exhibet, neque vbi diarrhea dyſenteriæ iungitur, neque abſque cibo dat vt illi faciebant: demum, nec emplaſtrum calidum vehementer & aſtringens præcordiis imponebant, quæ omnia cum iſti facerent, ægros planè iugulabant.

In vulneribus præterea capitis omnes à vino abſtinent, velut & Fallopius in ſuo cōmentario cap. 25. & ad carnes citiùs refugiunt, quamquam non ſit regula generalis; febri enim & vbi corpus mundum ſit periculoſior eſt caro: nam vinum his rationibus tutum eſt; vbi autem contuſum ſit os aut cacochymia in corpore, caro tutior eſt vino, vt in Epicraſi, verùm in vlceribus viſcerum ſi ſine inflammatione (non loquitur autem Galenus quarto methodi cap. 7. de inflammatione illa quæ rarò accidit ſeiuncta ab vlcere, ſed ei coniuncta & quæ ad ipſum ſequitur vt rupto vaſe in pulmone) vinum melius eſt: expurgat enim excrementa vlcerum & ea ſiccat, cura autem vlcerum eſt ex ſiccatio. Conuenit etiam in laterali morbo magis quam peripneumonia cum ſputum incœpit, & iam concoctum eſt & non eiicitur, quia animalis vis quæ pectus mouet imbecillis eſt. Et hoc eſt diligenter obſeruandum, nam & cum prouenit temerarium eſt vt ſcire videaris, aut vt experiaris quomodo interpretandus ſit Hippocrates prodere ægri ſalutem, ſi non coctum eſt ſtultum. Od id in ſuppuratis etiam tutius eſt & magis neceſſarium. Nam in huiuſmodi morbis maximè indigemus robore facultatis naturalis vt materia concoqui poſſit, & animalium vt eiici, & vitalium, vt inediam æger poſſit tolerare. Sed in conualeſcentibus hæc habet Galenus ſeptimo methodi cap. 6. loquitur de his qui è ventriculi ſiccitate conualuerunt: [Quando hoc vno (vino ſcilicet) in potu vtendum cenſeo omnibus quibus corpus refici eſt opus, ſi non febricitant) vt ſumnum quemadmodum dixi auxilium in talibus eſſe cenſeam: ſed potius neceſſarium quam vtile. Scio enim tales in obſtructiones plerumque iecoris, meſeræi, & lienis incidere conſueſſe.] De pueris vinum à Galeno manifeſtè exploditur primo de tuenda ſanitate cap. 11. Ità contraria ratione ſenibus probatur in quinto eiuſdem cap. 5. [Calefacit enim inquit corpora eorum & excrementa per vrinas eiicit.] Adderem ego & exhilarat eos, ac ſomnum prouocat. Solet enim cum humores omnes tum atram bilem non ex flaua exuſtam, ſed vtramque ſanguinis fœcem & exuſtam & non exuſtam dulcorare. Quòd ad febres tamen. Reſpondeo quod febres vt febres non expoſcunt vinum niſi cum illis conditionibus vt ſint intermittentes, vel ſi continuæ vt notæ coctionis proceſſerint cum imbecilli virtute, at Petronas dabat in omnibus & omni tempore. Caput autem læditur à vino, vel quia vinoſum, vel quia imbecille & læſum: aut ſi ſit imbecille ſolum, homo aſſuetus cum crapula & vinum fuerit multum licet leue: vt in ſecundo de aëre aquis & locis.

CONTRAD. VII.

Habitantes in calida regione an longioris vitæ.

Hippocrates dicit in libro de Aëre Aquis & locis quòd homines qui habitant in locis Boreæ expoſitis ſunt longioris vitæ aliis. Huic aſtipulantur quæ de Britannia referuntur: quos incolas ad centum viginti annos peruenire affirmant. Strabbo Seres adducenteſimum: hi ad Boream poſiti ſunt è regione Indorum, à quadrageſimaquinta parte ab Æquinoctiali circulo ad quinquageſimam & ſupra. Conſtat autem noſtris temporibus proculdubio frigidam eſſe & aquoſam. Sarmatæ quoque Aſiani quos nunc Polonos vocant, frequentes ſunt qui centeſimum excedant annum: plures quoque ad centeſimum decimum & aliqui vigeſimum, cum etiam inconditè viuant. Eſt ratio pro eo, quoniam vita conſtat calore intus, & humido plurimo ac denſo & pauca reſolutione: quæ omnia habentur in locis frigidis iuxta etiam Aphoriſmum appetunt vt antea dixerat & plus edunt quam bibant, concoquunt optimè & ſecernunt: ideò omnia ad vitæ longitudinem faciunt Philoſophus autem in libro de longitudine & breuitate vitæ vult quòd in regionibus calidis: Et habet rationes plures pro ſe, vt etiam quartodecimo problematum quarum principalis eſt quòd mors eſt ſiccitas & refrigeratio caloris; in calidis autem regionibus minus calor refrigeratur, & quoniam eſt pinguius humidum minus reſoluitur, minus etiam putreſcit; nam corpora ſunt ſicciora ab humido aqueo. Declarat hoc etiam natura Æthiopum quos Herodotus lib. 3. affirmat maximè eſſe longæuos: item Indorum qui viuunt ad centeſimum trigeſimum annum: & noſtra ætate compertum eſt in India Orientali & in Goa non procul à Calecuto

etiam excedere, baptizarunt enim senem agentem centesimum & trigesimum sextum annum; verum etsi Princeps secunda primi dicat quod in regionibus calidis parum viuunt, illud intelligendum est de terris inhabitis ob siccitatem maximè vt etiam in regione Congo, non tantum ob caloris immoderantiam, quantum quòd destituuntur omnibus vitæ humanæ commodis Aristoteles autem præsupponit terram calidam & humidam, non siccam & fertilem, non aridam: Et de hac est disputatio, non de sicca. Quinimo ratio suffragatur ei, quoniam ibi aquæ, fructus, & herbæ, tum carnes, & reliqua edulia meliora proueniunt: natura autem nostra assimilatur alimentis ex quibus nutritur; idque inquit bifariam, & quòd alimentum sanguinem generat sibi similem, & ex sanguine membrum & quod pars affecta aliter mutare non possit. Ideò vt dixi calidis in locis diutiùs viuunt. Galenus in primo de tuenda sanitate cap.3.& 4. videtur velle quod in neutra, sed in regione temperata; quoniam neque ab ambiente calor resoluitur atque humidum vt in calida: neque rigent & densantur corpora vt partim calor ab aëre externo intus attracto extinguatur, partim exteriùs obrigeant. Et quod regio temperata omnia habet meliora. Diceret Philosophus quòd primum vt de magnitudine corporum quæ certè est maior in calidis regionibus ac frigidis quam in temperatis, itá etiam de vita longa; quia temperamentum facit plus ad mores & commoda, quam ad robur, aut magnitudinem, aut vitæ longitudinem. Et ad hoc etiam facit quod Elephantes, quos ducentos annos viuere in confesso est, oriuntur & habitant in calidis regionibus & non temperatis, multo minus frigidioribus. Et similiter de Camelis. Ideò dico quòd Aristoteles vera dicit & maximè circa mare, quia cum oporteat regionem esse calidam, oportet etiam vt sit humida, aliter humidum hominis consumeretur, sed in regione calida & humida fierent multæ putredines, & homines etiam suffocarentur, ideò oportet vt sit maritima, nam sic erit salsa, & ob id à putredine tuta, & ventosa ac perflata ne suffocentur habitantes. Hippocrates autem non loquitur de regionibus, sed habitationibus solum in quibus considerat situm incolumiorem. Et forsan quòd verba illa longioris vitæ aliis non ad omnes sunt referenda, sed illos duntaxat quos dixerat esse expositos meridiei cum tot incommodis. Et enim aliud longe de regione quam de habitatione. Galenus autem loquitur de regione quæ plures habet homines longæuos, non quæ maximè longæuos. Et etiam non dicit hoc expresfsè.

CONTRAD. VIII.

Tempore pestis an in humilibus locis habitandum?

GAlenus ex relatione Rhasis trigesimo continentium tract.13. cap.2. fol. 320. col. 2. dicit quòd in quadam regione contigit pestis quæ omnes interficit præter venatores, & ideo patet quòd aër debet esse liber. Et adducit etiam illum ex sexto Epidemiorum dicentem quòd melius est habitare in cubiculis & intelligit occultis ab aëre seu conclusis licet legatur diuersis, & in locis aliis quoniam aër ibi mouetur: Et tamen ibidem dicit, quòd vbi habitandum sit in locis liberis melius est vt aër sit tranquillus quam quod agitetur, & vtrumque habet rationem non obscuram; motus enim auget impressionem prauam aëris: & cum hoc perhibet aërem ne putrescat & illum liberat à putredine. Idem Rhasis quarto ad Almansorem cap.25. dixit. [Mansiones in quibus habitant frigidæ sint, & parte qua patent fenestræ Boream respiciant.] Et non multò post inquit. [In domibus est morandum, & aërem calidum vitare oportet.] At in decimo cap. 16. Dicit quod habitare debent in locis frigidis & perflatis. At Auerroës sexto Collectaneorum cap.17. circa finem inquit. [Si verò pestis à corruptione substantiæ aëris aduenia, in cauernis & domibus subterraneis est habitandum.] Et licet aliquis dicere posset quòd vult habitandum esse in domibus excelsis quando corruptio est à calore: Dico quòd Rhasis cum dicit habitanda loca altiora ex Galeno, intelligit in peste vera, quòd ibi aër mouetur. Et rei veritas est quod Medici cum mentē habēt ad Lunam & ad mille versutias animum habent intentum nihil sani scribere possunt, quandoquidem nec qui perpetuis studiis incumbunt. Est res magni momenti, nec scio an alia maior: & tot habet capita vt distinguere illa fuisset difficillimum, nobis autem non leue. Primum errat Auerroës, quia præsupponit substantiā aëris posse corrumpi. Est tamen error quod ad curam attinet leuis, nam perinde erit si dicamus vapores vel sunt corrupti qualitate, vel substantia, hoc interest tamen quia vapores à sole discutiuntur aëre rariore facto, & à ventis pelluntur, vndè aër liber vtilis est: aër si corrumperetur nequaquam esset admittendus. Cum ergo nos veritatem doceamus, non ad vanam opinionem respicimus: dicimus aërem liberum esse meliorem flante borea, vel in locis sublimibus cum purus fuerit quia eò minus vapores ascendunt, secus tutior est aer conclusus, quia ab igne & vaporibus odorum emendatur. De subterraneis domibus stultum est commentum contra omnem rationem & experimentum, aer enim ille semper est malus, & ibi pestis sæuire solet: sunt enim loca illa humida; nam terra vbique aquæ permixta est, & vaporibus plena cum deberent esse sicca; de venatoribus fuit experimētum periculosum, quoniam ita contigit laudandum: sed si quis se exerceat sic non omnino purus, & robustus, vel in aliquo delinquens periclitabitur. Sequamur igitur principum consuetudinem latere in delitiis sæpius flammam accendere, vt locus tamen non valde calefcat: suffire clausa cubicula, aperire illa vento salutari, secus non: deambulare, mentem adhibere iocis, moderato cibo vti; ventrem fluidum habere, loca eligere incolumiora,

cum

cum venti calidi flant, aut molles, aut subfrigidi conclusa omnia habere.

CONTRAD. IX.

Indicationes contrariæ an prohibeant, & quis locus eligendus in sectione venæ.

DVplices sunt indicationes contrariæ, aliæ quia non oportet, aliæ quia alio loco: sunt autem ex tribus; vel ex naturalibus vt ætate decrepita, infantisvè, vel imbecillitate virium: aliæ ex rebus præternaturam vt immodico calore frigorevè aeris, & puerperio, aliæ contranaturam vt diarrhoea valida, tabe, hydrope maximè ascite, vel timpanite. Memineris autem quoniam neque ex febre, neque ex peripneumonia, nec phrenitide propriè dicta Græcorum sumitur vlla indicatio mittendi sanguinem. Sed tria principaliter postulant duo idest morbi lateralis seu phlegmon in iecore aut in cerebro: & modus morbi scilicet magnitudo & præsertim cum plenitudine sanguinis. Supponamus ergo vnum illorum vtpote lateralem morbum cum plenitudine, & robore virium & ascitem hæc enim prohibet; aut puerperam, hæc enim non prohibet sed locum mutat an mittendus sit sanguis & qua ex parte, nam ex brachio retinebuntur menses. Aut ob rem naturalem vt decrepitam ætatem; aut non naturalem vt maximus calor in æstate & regione calida vt sint tres oppositiones simpliciter rei præternaturam ad aliam præternaturam idest contra, ad rem non naturalem ad rem naturalem. Ratione autem loci præternaturam ad rem præternaturam, ad causam morbi, & ad generalia præcepta & constitutionem corporis, ità erunt sex. Oportet autem statuere quod dixi de Hippocrāte vt neque in febre sola, neque in magnis vulneribus, aut contusionibus mittat sanguinem secundo & tertio de fracturis tex. 29. tex. 48. & 49. Galen. autem mittit veritus periculum phlegmonis, aut ob doloris magnitudinem, aut ad inhibendam putredinem per corporis refrigerationem. Demiror tamen quòd nec Galenus, cum posteriores faciant, nec in magnis contusionibus, nec ossium fracturis mentionem sectionis venæ fecerit. Ergo de gerentibus in vtero pronunciauit quod purgandnm sit si materia turgeat quarto Aphorismorum. Vult ergo morbi magnitudinem naturali statui anteponendam in purgatione. In quinta autem videtur ponere sectionem venæ parem conditioni prægnantis. In præternaturali autem consideranda sunt quatuor, præcipuè morborum magnitudinem & breuitatem, & robur virium, & causam; vnde si hecticus laboret morbo laterali, si sit secundæ speciei mittemus sanguinem quia citius potest accidere morbus lateralis & si tertiæ non, quoniam maior tum est hectica, vnde in paribus oppositis considerabimus reliqua media ætatem, vires præter omnia, consuetudinem, aeris statum, habitum corporis atque eiusmodi causarum, vt in ascite, & morbo laterali; si ascites fiat suppressione mensium, aut hæmorrhoidarum mittemus, quoniam in vno conuenit ratione causæ simul. Non naturalium autem rerum cum præternaturalibus collatarum ratio æque non est: sed plusquam mediocribus morbis summus status aer putà calor conferri potest, decedente semper gradu vno: vt que præternaturam sunt vincāt, & virium indicatio morbos. Consideranda etiam sunt reliqua vt dixi media consuetudo, habitus, atque reliqua.

At de loco sectionis velut vt dixi in febre ex mensium suppressione, aut in puerpera quæ non purgata est inflammatio, primum considerare oportet quæ aliàs dicta sunt si non incœperit morbus, causæ satisfaciemus si incœperit, aut per deriuationem, aut diuersionem: inde ad causam reuertentur. In re verò præternaturam opposita manifestum est quod periculosiorē semper præmittere oporteret, & ideo acutiorem: velut in phlegmone vteri & pectoris (nam de huiusmodi rara sunt exempla) si pectoris grauis sit morbus mittemus ex iecoraria, secus ex saphena, quoniam numero præsidiorum exuperat, tripliciter enim iuuat. Ità in coxendicis dolore mittimus vbi adsit plenitudo primum ex vena iecori, indè pedis. Consideranda ergo præcipuè sunt magnitudo morbi & causa: & cum generalia comparantur propriis, si morā patiatur morbus, generalia præcedere debent: & ideò in longis semper: si non propria. Nam non licet diuersas sectiones venæ facere, statim vnam post aliam, sed diem interponere oportet, aliter natura confunditur. Ex eadem autem vena licet, Galenus eam fecit. Reliqua autem quandoque minuunt.

CONTRAD. X.

Fames an maior in hyeme, an in æstate. Et an resolutio membrorum, & humidi fiat à calore aeris ambientis.

GAlenus primo Aphorismorum 15. inquit. [Calor naturalis hyberno tempore meliores facit coctiones, & appetentiam ciborum auget.] Concordat etiam cum his quæ dixit in Arte medica cap. 63. quòd ventriculus frigidus bene appetit. Ratio suadet quoniam hic appetitus sequitur concoctionem quæ tum validior est, operationes enim naturæ sibi in magnitudine respondere debent nisi peruertantur. Oppositum à Principe tertia decima tertij tract. 2. cap. 12. qui dicit quòd appetitus magnus fit plerumque à caliditate ambientis aeris. Et videtur etiam rationi consentaneum vt in primo de symptomatum causis cap. 7. vbi proponit hunc ordinem causarum famis dicens quinque symptomata ad famem exiguntur sibi inuicem succedentia: resolutio quæ fit ab aere nos ambiente: Appetitus restaurationis naturalis in membris pro eo quod deperditum est

est: suctus ventris idest ab ipso ventre, nam si suggeret non sequeretur quartum, quod est sensus naturalis talis suctus, & demum animalis appetitus. Vndè videtur fateri humidum nostrum & membra resolui ab ambiente, nec meminit caloris naturalis: at in primo de tuenda sanitate cap. 1. & 2. meminit solum innati caloris, ambientis aeris nullam facit mentionem. Quocirca Princeps ob hæc tam inter se dissidentia perplexus suo more, cum nec distinguendo loca posset conciliare, vtramque posuit causam prima primi Doc. 3. cap 3. Ob hæc itaque dicemus quod fames naturalis maior est in hyeme per se, scilicet ratione finis, in æstate causæ efficientis: & ideò & comedendo & abstinendo à cibo melius fertur hyeme: æstate autem minus vtrumque & læditur. Et quia aliquis diceret quòd hoc non satisfacit, fateor; ideò declaro, hyeme est maior, æstate magis vrget tum quia ferendo plus nocet, tum quia est magis assidua. Ad aliam, resolutio humidi innati est longè alia à nutritione, tum quia in resolutione causa est calor internus non aer, nec fit nutritio nec restituitur; & fit in membris principalibus tantum aut maximè, & sensim ac tardè, & non consumitur terreum.

CONTRAD. XI.

An vinum dilutum melius sit ad expurgandam vesicam meraco.

Hippocrates cõsulit in lib. de Aëre Aquis ac locis sect. 3. tex. 30. melius esse pueris vt bibant vinum quam aquosissimum dare, quòd minus adurat (dicit) ac reficcet. Idem in tertio de victu tex. 8. in Acutis laudat vinum dilutum quod visicæ expurgandæ commodum est dicens: [Quod autem superiora quidem omnia vesicamque minus offendet si dilutius fuerit neminem latere debet; cum tamen antea dixerit: vinum album ac vinosum ad vesicam vino alio magis penetrat; vrinasque prouocat & perpetuò purgat: multaque ad opem ferendam his morbis facit, nempe & si vino alio ad cætera inhabilius sit, attamen quæ in vesica ab eo fit purgatio, liberat, si propinetur quale oportet.] Tametsi vinosum Galenus dubitet quomodo sit intelligendum an potens, an austerum & vt opponitur dulci: certum tamen est aduersari dilutiori eique esse contrarium. Credendum est sententiam vtriusque loci eo tendere vt vinum album vinosum sit optimum ad expurgandam vesicam & quæ in eo continentur, ad cætera tamen vt ad expuitiones & caput cum dulce non sit deterius sit; vinosum vt dulce sit, & potens (fallitur que Galenus) Hippocrates vult. Hoc non diluit, sed quæ interponuntur verba ostendunt cum est austerum, seu nigrum, seu fuluum meracum quidem nocentius esse vesicæ, quòd vrinam retineat, ob id dilutius minorem affert noxam, vndè si Galeni detrahas dubitationem litteræ erit lucidissima.

CONTRAD. XII.

Lac an ex sanguine menstruo?

[Lac matris ad sugendum infanti dandum est, ipsum est nutriens quod magis simile est substantiæ præteritorum nutrientium, quibus alebatur dum in matrice erat, scilicet mensium matris, quoniam ipsa sunt quæ in lac conuertuntur.] Tertia primi inquit Hasen. Quæ sententia fuit Haliabbatis, atque Isaac. Galenus quoque quartodecimo de vsu partium. [Necesse erat mammas vtero per vasa iungi, vt dum in eo fœtus formaretur atque augeretur, illi soli venæ communes nutrimentum exhibeant, quando verò infans natus fuerit, rursùs mammis nutrimentum totum affluat. Quæ causa est vt eodem tempore menses non benè procedere possint, atque simul fœmina lactare: altera enim, harum partium dum sanguis ex vna in aliam defertur, sicca relinquitur. Cæterum ante conceptum in muliere ætate florente, quidquid sanguinis superflui colligitur, natura per venas ad vterum peruenientes singulis mensibus excernit.] Et in primo de tuenda sanitate cap. 7. [Optimum est infantibus lac ipsum matris si vitio habitu non sit censendum est, nam dum in vtero sumus à sanguine nutrimur, lac verò ex sanguine fit exiguam in mammillis mutationem adepto.] Quod idem affirmat author libri de spermate. Et videtur fuisse mens Hippocratis qui toties in Aphorismis repetiit mammas detumescere ac extenuari in prægnantibus fluentibus mensibus, vt in quinta particula apparet, quod non videtur posse demonstrari ex alia causa quam si fateamur eundem esse sanguinem qui erumpat in mensibus & ex quo lac generatur. Quæ sententia fuit expressè Auerrois secundo Collectaneorum, quam videtur accepisse ab Aristotele quarto de Generatione Animalium cap. 8. In oppositum est Auenzoar tertio Theisir. [Et nutrimentum (inquit) fœtus est ex sanguine qui ad vterum descendit, quem quia Galenus appellauit menses, existimarunt plurimi sapientes fœtum ex mensiũ sanguine nutriri. Sed hoc non ità se habet, Galenus enim mẽses vocat quicquid est sanguinis quod ad vterum descendit: sicut abscessus omnes pectoris, morbum lateralem, & gutturis Schinanchen ex quouis humore fiãt; & podagram eodem modo pedum omnes abscessum. Ergo fœtus non ex sanguine qui expelli solet nutritur, non enim viuere posset cum sit excrementum; sed ex eo qui optimus est, & ad vterum ea causa transmittitur.] Et huic sententiæ fauet Galenus quinto Aphorismorum com. 37. cum dixit fœtum dulcissimum sanguinem ad se trahere. Et sumpsit ab Hippocrate libro de natura fœtus. [Alimentum & augumentum quod à matre descendit non amplius sufficiens est puero, vbi decem menses præterierint & fœtus auctus fuerit; trahit enim quod dulcissimum est in sanguine ad se, simulque etiam lacte modicè fruitur.] Adiiciamus etiam rationes à

purgatione vt ille ait maximè concipiunt mulieres, igitur sanguis ille mensium est excrementum, non alimentum fœtus. Præterea à partu maxima quantitas effunditur sanguinis, adeò vt referat ibidem Hippocrates ad heminam vnam cum dimidia primis diebus illam accedere, & deindè perpetuò minui vsque ad triginta dies saltem. Igitur constat cum hæc quantitas excedat purgationem hanc, excedere quantitatem collectorum decem mensium, sanguinem qui effluit non esse partem fœtus, quare neque lactis. Et Princeps duodecima tertij: lac non generantur nisi ex sanguine bono, non ergo ex mensibus, vaccæ etiam & asinæ, ac sues mensibus carent, & si habent sunt valde pauci; & lac copiosum generant. Et illud etiam quod de hirco, nos de viris diximus lac generantibus. Accedit quòd vt Plinius refert & experientia docet, sanguis ille menstruus valde aduersatur naturæ humanæ; igitur non poterit esse alimentum pueri, nec materia lactis. Habet autem prima opinio pro se rationem validam ex experientia sumptam, quòd lactantes aut prorsùs aut magna ex parte mensibus destituuntur. Respondeo breuiter quòd fœtus non fit ex sanguine illo qui solet fluere ob rationes dictas, sed ex sanguine cuius excrementum est ille sanguis qui fluere solebat. De causa verò quare dum corrumpitur fœtus mammæ detumescant, in commentariis super Aphorismos dictum est. De lactis autem generatione alia ratio est; nam pars etiam inutilis sanguinis menstrui, non totus sanguis ille transit in lac: causa differentiæ duplex est, nam fœtus nutritio cum etiam fiat ab initio est dum ille debilis est, ideò à quouis vitio sanguinis fœtus corrumpi posset: ac cum nutritur ex lacte tunc est perfectus & validior, ideò lac potest fieri ex impuro etiam sanguine, non solo bono & dulcissimo. Alia causa quod dum fœtus nutritur è sanguine, non fit nisi vna mutatio è sanguine in fœtum; dum è lacte duplex sanguinis in lac à matre, & lactis in fœtum ab ipso fœtu: ideò tametsi sanguis ille ex quo lac generatur non sit adeò purus vt ille ex quo fœtus in vtero alitur, non adeò refert. Ad autoritates in oppositum, intelliguntur de sanguine qui defertur ad vterum cuius excrementum reiicitur; tametsi enim totus sanguinis menstruus secundum Aristotelem sit excrementitius, excrementi tamen excrementum est ille qui eiicitur. Ad argumentum quòd dum vtero gerunt retinetur etiam ille excrementitius: dico quòd dum vtero gerit aperiuntur venæ magis quam ante in vtero, & ideò si vterus esset apertus efflueret bonus sanguis cum excremento: Ideò dicit Galenus in tertio de facultatibus, quòd tempore gestationis vteri adeò clauditur os vteri superius, vt nec acus acies ingredi posset. Ex hoc sequitur quòd mulieres quædam à partu sanescunt, patefactis osculis venarum vteri, cum anteà non planè purgarentur sed pars excrementi retineretur; & quòd nonnullæ mulieres non edunt nisi primum fœtum & sunt vniparæ, quoniam cum sint latarum venarum in vtero ante conceptionem nimis dilatantur ex conceptione, & ità non possunt concipere. Et quòd generaliter mulieres concipiendo fiunt fœcundæ, & maximè quæ antea ob venarum angustiam steriles fuerunt. Ad secundum quòd in lactatione supprimantur menses. Dico quòd in his quæ sanguine abundant verum non est, imò purgantur singulo mense, & harum lac si alia non obsit causa optimum est, quibus verò paucus est sanguis dum optima pars excrementitij retinetur & auertitur ad mammillas vt in lac conuertatur, residuum quod paucum est siccatur in vtero. Et tales ex lactatione persæpe hac ex causa steriiescunt.

CONTRAD. XIII.

Lactis quot partes.

Lactis duæ sunt partes serosa & casealis, secundo de Elementis, & libro de cibis boni & mali succi; Et sumptum est ab Aristotele tertio de natura animalium dicente: [Genus vnumquodque lactis habet saniem dilutam quam serum vocamus, & corpulentum quoddam, quod caseum dicimus.] Galenus tamen quarto de simplicibus medicamentis cap. 17. posuit tres, pinguem, butirosam, crassam casealem, & tenuem serosam; quod etiam in decimo libro repetit, & tertio de Alimentis; quem secuti sunt Paulus, Aëtius, Hasen, Rhasis, Serapio, Haliabbas quinto Theoricæ, aliique omnes. Sed visus est Hasen in illis verbis: Et Alleba est tardæ concoctionis, crassi alimenti, & tardi descensus: quartam innuere substantiam quam Galenus non ignorauit loco iam adducto vocans eam Pyriaton antiquo nomine seu Pyriephton; Venetis in vsu maximo est appellaturque caput lactis: Latinè lac primarium vertit Cornarius. Plinius libro vndecimo aliam partem quæ nobis vulgaris est vt nihil frequentius agnouit, dum inquit: [Exprimo semper à partu colostra fiunt, quæ nisi admisceatur aqua, in pumicis duritiem coeunt.] Et rursus ibidem: [Mirum est barbaras gentes quæ lacte viuunt, ignorare aut spernere tot sæculis casei dotem, densantes id alioquin in acorem iucundum & pingue butirum.] Quod ad verba attinet hæc difficultas soluitur à Serapione dum dixit. [Lac autem vaccæ ob pinguedinem recoctam habet. Ità constat in eo esse quatuor partes, in reliquis aliorum animalium tantum tres. Mirum est de socordia Galeni totque aliorum, sed præcipuè illius qui cum posset modico labore & sumptu experiri quæ quotidie in manibus erant, maluit incerta & falsa tradere; & nunc ob authoritatem non de veritate certant. Sed ne Galenus errasse videatur, subiiciam ergo quæ quisque potest experiri cognita mihi. Dico egò in vaccarum lacte me agnoscere quatuor manifestas substantias diuersas: butirum quod primò extrahitur pingue, humidum, valde concretum, & suaue, pinguis saporis, albi coloris, ad flauum paululum declinantis, quod vetustate fit flauum: Caseum duriorem, pinguem satis, candidum

didum colore, suauem', sed non admodum dulcem, lentum: recoctam (seu illa sit colostra, seu non vt potius credo; nam oscitanter admodum eam historiam vt pleraque alia distentus negotiis ambitiosis Plinius tractauit) non adeò lentam, sed friabilem; atque hæc duplex est leuis & spumosa, & quæ densatur, candida vtraque & dulcis, sed prior magis; secunda est cibus pauperum insipida, & quæ coacta pro caseo à quibusdam venditur. Præter has partes quas etiam Matthiolus agnouisse visus est, Rhasimque, Hasen, & Isaac citat, atque vtinam locum etiam addidisset.

Multa sunt quæ ex lacte fieri solent partim ab authoribus cognita, partim non. Ex his est lac primarium cognitum vt dixi Aëtio, & Matthiolo, Amatoque, vtquod vt dixi in Italia vulgare sit à butiro differt quod dulcissimum sit candidius etiam, atque suauius & mollius; mediam enim habet ad vnguem substantiam inter concretum ac non concretum lac, candore non inferius, dulcedine præstantius est. Igitur optima butiri pars & magis pinguis. Est etiam spuma lactis quam vocant lac mel, quæ constat sero & butiro agitatis: indicio est quòd vbi spuma hanc detraxerint, butirum detrahere non amplius possunt; res est spumosa, candidissima leui dulcedine. Nec Matthiolus, nec Amatus, videntur agnouisse, nec antiquorum quisquam; cum tamen nihil magis Mediolani sit in vsu. Post est lac concretum vocant Mediolanenses zoneadam: duplex huius genus, vnum in quo coagulo quatuor omnes lactis partes concreuere dulce admodum & tenerum, alterum à quo serum colliquatum excidit, caseum, recoctum & butirum solum continens solidius; hoc notum fuit antiquis. Est præterea caseus acidus qui è lacte acido exemptus est. Est & lac coctum dysentericis vtile admixta aquæ parte quarta, coquitur donec ad dimidium peruenerit, perpetuò & absque intermissione agitando: lac verò in quod chalybs aut lapides candentes extinguuntur ter aut quater nulla interposita mora scissile appellatur. Fit & caseus pinguis butiro admixto, atque ità omnes species partium lactis si quis diligenter enumeret erunt quindecim; lac primarium, spuma lactis, recocta prima & secunda, serum purum, & serum simpliciter butirum, caseus, lac coagulatum, molle & densatum lac acidum, caseus acidus, lac coctum & scissile. Ad auctoritates de duabus partibus considerantur vt à Philosopho qui diuidit lac in partem densam & concretam, ac raram & tenuem. Galenus ergo cum tres tantum statuit partes de partibus loquitur communibus omni lacti, non autem vaccini tantum.

CONTRAD. XIV.

Quænam lactis genera tenuiora.

HAliabbas quinto Theorice cap. 26. ordinem in tenuitate hoc modo statuit: [Tenuissimum est lac camelinum quod nec butiri nec casei partem habet effatu dignam, sed totum serosum est; indè equinum, post asininum, caprinum, ouillum, & vaccinum quod crassissimum est.] Et est sententia Isaac: sed Isaac est vnus idem cum Haliabbate, vt Serapio cum Damasceno. Et Constantius Monachus ab Isaac surripuit libros quos conscripsit, nominique suo dicauit. Galenus decimo de simplicibus medicamentis etiam vaccinum crassius ouillo facit, vt etiam tertio de natura animalium. Aetius tamen & si non adeò clarè ouillum facit, bubulo crassius, & suillum omnium crassissimum dicens ipsum coagulari sponte & in coctura celerrimè coagulari, & minimum seri secernere. Sed Hasen loco adducto, & Galenus dicunt suillum lac esse aquosum maximè, & crudum. Rhasis autem vltimo continentium dicit autoritate Ruffi quod ouillum est crassius omni lacte; Et forsan sumpsit à Galeno libro de cibis boni & mali succi cum dixit in ouillo est plus de caseo, siccut pinguis in vaccino. Quis possit oscitantiam adeò clarorum virorum tam frequentem æquo animo ferre? Hieronymus Acorombonus in suo tractatu de natura lactis dicit diligenter scisscitatum à rusticis in hoc negotio, experimento illos affirmasse lac ouillum plus casei efficere, vaccinum pinguius esse. Soluitur hæc difficultas facilè: ouillum est crassius, id est densius; partes enim crassæ suæ etiam terreæ sunt, vaccinum autem habet plus casei & butiri simul, ideò minus aquæ. Crassum igitur prout aquoso opponitur, de vaccino magis quam ouillo dicitur; crassum pro terreo, magis de ouillo. Ad contradictionem de suillo lacte, non inueni apud Rhasim nisi quod confert phthoe: & quod illius vsus assiduus generant impetiginem albam. Propterea dico quòd hîc necesse est damnare Galenum aut Aetium, & minus veresimile est Aetium adducentem tot causas aberrasse. Hasen verò vt & reliqui sequitur Galenum clausis oculis.

CONTRAD. XV.

Lac an calidum?

GAlenus inter moderatè calida alimenta lac posuit quinto de simplicibus medicamentis, & tertio de temperamentis: [Oleum calidum est quod facile conuertatur in flammam; ità vinum, caro, mel, lac, quod in sanguinem.] Quam sententiam sequitur Isaac in libro de Diætis, statuens ipsum calidum si recens sit in initio etiam secundi ordinis. Rhasis quoque statuit calidum in medio primi ordinis accedens ad sensententiam Isaac, additque calidissimum esse camelinum. Hasen vigesima tertij connumerat inter cibos & potus qui excalefaciunt & humectant. Et Rinaldus de Villanoua hoc idem affirmat in speculo suo introductionis medicinarum. Adduci etiam solet authoritas falsa ex quarto Metheororum vbi lac conuertit ille pro coagulo. Accedunt rationes non leues: lac dulce est, dulcia sunt

sunt moderate calida; igitur lac calidum est. Et si dicas quòd est diuersarum partium vt cichorium, quod est frigidum & amarum: contra in omnibus suis partibus dulcis sapor aut pinguis differat, igitur omnes partes sunt calidæ, nam pinguis sapor fit à calido etiam maiore quam dulcis, ergo totum lac. Et præsertim quod Galenus dixerit nullum ægregiè dulce frigidum esse: lac autem est res non obscuræ dulcedinis. Præterea alimentum optimum est simile ei quod nutritur, infantes lacte nutriuntur & sunt calidi & humidi, igitur & lac tale est. Accedit quod secundo de generatione & corruptione, Aristoteles inquit quæ plurimum nutriunt calida sunt & humida, lac autem plurimum nutrit; igitur calidum est lac. In oppositum Galenus 5. Aphorismorum com. 40. [Adenes (inquit) præsertim qui sunt in mammis exangues natura sunt, & proculdubio frigidi, omne enim exangue frigidum est: quamobrem sanguinem qui ad illos deuenit ad frigidius commutant: quantóque adenes carne hepatis sunt frigidiores, tantò lac sanguine.] Et quarto de simplicibus medicamentis cap. 17. In lacte calor potius vincitur à frigiditate, quam frigiditas à calore; propterea coctum lac nunquam amarescit, & ideò etiam lac potius acescit. Cum enim ex tribus substantiis pinguis modicè calida sit, crassior autem ad ea declinet, serosa autem frigida sit & humida, lac totum à corpore paulò calidiore longo interuallo distat. Hîc recte Acorombonus demiratur incostantiam Galeni ac detestatur & iure quam tot alij reprehenderunt; Alexander Trallianus primum ex antiquis Græcis, Hasen, Vesalius, alijque multi. Sed & Auerroes quinto Collectaneorum. [Res omnes quæ spissæ sunt & non à calore vt lac frigidæ sunt.] Auenzoar secundo Theisir inquit. [Lac est omnium quæ bibuntur frigidissimum post aquam; indicio est quod viatores in magna siti nullo magis potu refrigerantur quam lactis camelarum.] Haliabbas, Rhasisque loco adducto, & tertio ad Almansorem frigidum esse dixerunt. Acorombonus existimauit hanc contrarietatem non posse tolli, & licet legeret Paduæ octingentis coronatis, nihil tamen scripsit præter breuem illum tractatum de lacte, quem non scripsisse illi præstabat. Solutio tamen perfacilis est etiam perbreuis. Calidum etiam frigidum apud Medicos interpretando (omissis discriminibus ab actu & potestate, ab intus & extra, quæ hîc non sunt necessaria) trifariam distinguitur, vel comparatione speciei eiusdem & alterius, vel simpliciter & comparatione sanguinis, vel vt medicamentum & cibus. Sed neque hac distinctione egemus; quia tamen præclara est volo illam docere. Dico ergo quòd cibus ex lactucis & melle pari pondere est calidus vt medicina, calefacit enim ventriculum, quia calidius est mel quam lactuca frigida, & tamen refrigerat vt alimentum; quia lactucæ maior pars in alimentum transit quam mel: lactuca enim plus nutrit quam mel: Et si non placet dicas de carne piscis, loco lactucæ. Venio modo ad rem quam duobus verbis absoluo, lac est calidum comparatione temperamenti suæ speciei, quia tamen homo est calidior qualibet specie animalis cuius lac est in vsu: ideò lac capræ, & vaccæ, & cameli, & asini, & ouis est frigidum ad hominem comparatum. De humano autem dico quod lac est frigidum comparatione sanguinis, & calidum comparatione temperamenti humani; ideò est medium inter illorum temperamentum, lac etiam dum in vbere est, habet copiam spirituum quæ reddit illud calidum, substantia tamen est frigidum. Cum ergo extrahitur ab vbere & præsertim in ambiente frigido multum mutatur, quamobrem si fugatur alium longè facit effectum quamsi bibatur, per hæc patet clarè ad argumenta & authoritates hiccinde. Ad contradictionem inter Rhasim & Auenzoar de lacte camelino. Dico quod camelinum dicitur calidum quia plurimum purgat, & quia salsum est vt inquit Hasen: Auenzoar verò dedit exemplum de eo quod maximè erat in vsu, & ratione nutrimenti, pars enim aquea in camelino abundat quæ frigida est.

CONTRAD. XVI.

Aqua lactis an frigida?

IVxta hoc oritur dubitatio de aqua lactis, quarto enim de medicamentis simplicibus cap. decimoseptimo Galenus eam frigidam esse ait. Quam sententiam Rhasis in continentibus repetit. Et Hasen decimaoctaua tertij idem confirmat dum dixit, & in aqua casei est refrigeratio. Idem tamen secundo Canonis Tractatu secundo capite tertio in principio, posuit calidam, & cum eo est Mesue qui posuit eam calidam in secundo ordine, & cum his turba Arabum, Haliabbas quinto Theoricæ, cap. de aqua lactis, & Isaac in dictis quamuis vt dixi vnus sit & idem author. Acorombonus distinguit de aqua lactis quæ fluit coagulato: lacte quomodo coagulatur? pluribus modis, sed his præcipui.

Coagulo primum omni vnde nomen sumpsit: flore cnici, mirabolanis vt Auenzoar docet: Gallio & flore rubentis cardui, & herba præssura; lac etiam arborum & præcipuè ficus: & caprifici, & mori, oxymel concreto ad ignem inditum, & si in vase stanneo vt Galenus ait, coctum immittatur in frigidam aquam. Dictum est de his in septimo de subtilitate; & quonam pacto omnis lactis aqua vires retinet eius per quod coagulatur lac. Verùm dicit Acorombonus hæc lactis aqua propriè dicitur, sed omnis eiusmodi frigida est: quæ verò relinquitur detracto caseo butiro recocta calida est, debuerat hic vir causam ostendere huius differentiæ cum aqua vtraque sit, tametsi hanc serum,

non lactis aquam appellet. Causa ergo contrarietatis est quòd aqua lactis extracta à Galeno coagulo non immiscetur, sed solum calefacto lacte & immisso in aquam frigidam, vel addito oxymelliti. Arabes autem vim illius considerant admixto coagulo; nam detracto butiro caseo, recocta coagulum cum aqua remanet, coagulum autem calidum est; Princeps enim secundo Canonis cap. 119. coagulum omnes calidum est, & siccum, & igneum. Non negauerim etiam aquam illam quæ sponte effluit ab initio coagulationis; vel quæ relinquitur per moram concreti lactis esse frigidiorem illa quæ relinquitur detrahendo butirum caseum, recoctam, partim attritione, partim igne quibus attenuatur & incalescit, cum verò fit tam diuersarum facillimè corrumpitur, cuius causa quæritur.

CONTRAD. XVII.

An lac conferat in febribus putridis.

RHasis, Hasen, Dioscorisdes, Mesue, Haliabbas, Serapio prohibent illud in putridis febribus: Sed quia omnes ab Hippocrate sumpserunt, audiamus illum quinto Aphorismorum. [Lac dare caput dolentibus malum, malum verò & febricitantibus.] Est etiam ratio quia facilè corrumpitur vt visum est, licet partes separatæ difficulter; tum quia simplices sunt, tum quia vi ignis coaguli resoluta parte aquea quam diximus esse causam corruptionis in omnibus, non corrumpitur, cum ergo facilè corrumpatur, & in febe putrida sit calor corrumpens, palam est non conuenire. Alia causa est quòd tales febres sunt acutæ, nam lentas excludit Hippocrates; sed acutæ indigent tenui victu & ratione multitudinis & substantiæ, scilicet tenuis, lac autem vtróque modo tenuitati aduersatur, exhibet plurimum alimentum & crassum; igitur lac non conuenit putridis febribus. Præter hæc dulcedine parit vermes, & inflammat hepar; & dulcedine cum crassitie parit obstructiones, & parte pingui facilè ardet, additur sexta ratio, quòd plerisque febricitantibus acutæ, plurimus inest biliosus succus; at his non conuenit lac vt ibidem habetur: ad hoc etiam facit quòd prohibetur siticulosis. In oppositum quarto de victu in Acutis in ardente febre inquit: Verum si nec vomitu, nec clystere venter aperiatur, lacte asini cocto purgabis. Respondeo quòd Aphorismus intelligitur de lacte loco cibi, non medicinæ; sicut nec calida medicamenta nocet vt rhabarbarum ex bile febricitantibus, quia plus iuuant educendo bilem: Sed & in biliosis deiectionibus vel propter dysenteriam, vel vt bilis euacuetur potest dari lac maximè asininum medicamenti loco, vt in Eratelai puero septimo Epidemiorum. Ad auctoritarem primam etiam dicerent quartum illum librum non esse Hippocratis.

CONTRADICT. XVIII.

Lac capræ an præstantius.

[LAc caprinum valet ad tussim, sputum sanguinis, maciem, & permutatur in bonum sanguinem.] Inquit Rhasis vltimo continentis. Accorombonus quoque circa finem libelli inquit: [Dedi ego lac asinæ, sed frequentius caprinum; ex quo vidi corpora laborantia febre putrida magis iuuari longè quam ex asinino, & tabida instaurari: iuuat & magis imbecillem ventriculum, asininum autem magis humectat & purgat ventrem.] Sed & in libro de cibis boni & mali succi præfertur aliis omnibus. ac multum laudatur quasi medium inter reliqua genera. Sed Hasen, & Dioscorides dicunt quòd melius est visceribus lacte cæterorum animalium, quia capra nutritur plantis astringentibus vt rubo ac lentisco. Circa quod notandum est quod lac habet maximam vim, quia efficit operationes alimentorum quibus animal nutritur; & ideò possumus conferre quibusvis morbis, veluti iecoris & ventriculi, dando sonchum intibum cichorium, & troximum quod est omnium præstantissimum; adeo vt referat Alexander hoc solo olere multos esse sanatos à diuturnis morbis horum membrorum. Est autem troximum seris vt exponit Andernacus in Æginetam: seris autem Scariola vt Amatus & Fuschius ex Plinio. Et ita nutriendo aristolochia, glandibus, rosis, thure, chamelea, cyclamine brassica, hedera, chelidonia, verbena, prassio, centaurio minore vlceribus: tussilagine autem & solano abscessibus, atque ità in aliis. Sed vt ad rem redeam Varro de re rustica libro secundo inquit: [Capras sanas sanus nemo promittit, nunquam enim sine febre sunt.] Itaque stipulantur paucis exceptis verbis. At Manilius scriptum reliquit sic: Illas capras hodie rectè esse ac bibere posse: habereque rectè licere, hæc spondes ne? Solutio est quòd in Italia multum cauere oportet & maximè iuxta Romam, vt sanæ sint capræ quæ frequenter ægrotant. Verùm in frigidis regionibus non ità, huiusmodi enim animalia quæ densis ac solidis sunt carnibus, & aculeatæ plantæ, melius in frigidis regionibus & in vmbra proueniunt, vt etiam rosæ agrestes.

CONTRAD. XIX.

Lac humanum an asinino melius.

GAlenus septimo Artis curandi in sicca vêtriculi intemperie curanda sic ait: [Ac optimum quidem vtpote cognatum muliebre lac est: sed quoniã exhiberi sibi cum pueris plerique recusant, vtique asininum ipsis dare conuenit. Expediret autem humanum è

papillis

papillis ipsis sugere; tantum enim spei in hoc posuerunt Euriphon, Herodotus & Prodicus vt etiam Phthoe laborantes lac ab vbere sugere iuberent. Quod etiam in quinto eiusdem cap. 12. dum Phthoes curam conscribit, & prætulit omnibus aliis. At decimo eiusdem cap. 11. dum hecticam curat ne humani quidem facit mentionem, sed solius asinini. Paulus verò lib. 7. cap. proprio dicit temperatissimum muliebre, post caprinum, indè asininum. Cum Galeno tamen est Alexander, & Hasen prima quarti; idem tamen in secundo libro hecticis post humanum laudat vaccinum: hac ratione quòd vaccæ natura magis similis sit humanæ quam asinæ, vel capræ; nam mulier & vacca nouem mensibus in vero fœtum gerunt, capra autem quinque, & asina duodecim, vt sexto de natura animalium habetur. Hîc plures sunt contradictiones si quis animaduertat, quam verba. Prima est in Galeno quodnam lac sit præferendum, asininum an humanum in hecticæ curatione. Secunda an caprillum sit asinino præstantius ex Paulo. Tertia in dictis Hasen qui vaccinum anteponit asinino. Ad primam dico mentem Galeni sectando potius quam verba, quòd vult in Phthoe, & in ventriculi siccitate præferri humanum atque etiam in hectica. Sed quia iam in septimo dixerat multos esse qui recusarent humanum lac, illud vt notissimum prætermittit, tum magis quod huiusmodi lac velut humidissimum frigidissimum à lacte muliebri in cura hecticæ non adeò distat vt in Phthoe, & ventriculi siccitate, quæ non est febri iuncta. Adeò verò hoc discrimen magnum est vt quidam in hac cura asininum humano prætulerint, velut Hasen secundo libro cum esset iunior, visum est enim ei quod cum lac asininum & caprinum essent tenuiora, minus pinguia, frigidiora & humidiora humano quod magis conueniunt hecticæ, atque ideò phthoe magis quam humanum, omnes enim phthisici etiam sunt veri hectici ac maximè: indè senior factus animaduertit mentem Galeni, sed priorem errorem non correxit, & forsan leuem existimauit: tum quòd asinam liceret pascere herbis magis vtilibus, tum quod si febris putrida iungeretur minus esset periculum in lacte asinæ & capræ, quam humano, tum etiam quod multi vt dictum est, lac humanũ sugere recusent: tum etiam quod in biliosis temperaturis credidit minus esse detrimenti ab asinino lacte, quam humano; Et de vaccino loquitur generaliter non in cura hecticæ. Et forsan subticuit humanum, non tanquam minus vtile asinino & caprillo, sed quoniam ab initio capituli prætulit ipsum in omni causa omnibus aliis speciebus lactis, & sic intelligendus est: nam quomodo potuit in phthoe prætermittere humanum lac, cum Galenus ipsum præferat. Et etiam oportuisset ipsum contradicere Galeno: quod solet facere cum ab illius placitis discedit. Melius est ergo referre omnia ad illa verba in principio. [Lac quod melius est hominibus, est lac muliebre.] Sed ex hoc sequitur quòd vaccinum in omnibus morbis sit præferendum asinino & caprino? Dico quòd similitudo illa nõ debet intelligi nisi in vsu sanitatis, cũ quis vt contingit in defectu nutricis vellet lactare infantem. Vidi enim plures qui lactati sunt à capra quia tutius est subiicere infantem capræ quam vaccæ. Et etiam quia puellus non potest apprehendere & sugere à vacca sicut à capra. Ad id Pauli loquitur solum de temperamento, non autem de substantia, ideò ponit vaccinum vltimum ab humano, cum Hasen statuat propinquissimum.

CONTRAD. XX.

An post lac dormiendum.

[ILlum qui lac bibit non oportet vt super ipsum dormiat.] Inquit Hasen libro secundo. Idem Aetius, & Rhasis trigesimoseptimo continentium. Idem iubet Mesue in suo Grabadin. Oppositum vigesima tertij; & capiat ouillum lac & superdormiat. Dicet aliquis nullam esse contradictionẽ, cum prima auctoritas sit in cura phthisis: secunda in regimine eius qui plurimo coitu vtitur. Dico quod mirum esset de Galeno qui in hac lactis exhibitione adeò diligens fuit vt quasi superstitiosus appellari possit ne verbum quidem de hac vigilia habuerit si tantum in somno periculum erat. Hieronymus quoque Accorombonus recitat se exhibuisse lac prius cum hac obseruatione, nec quicquam contulisse. Post adhibuisse somnum & vehementer ægros esse iuuatos vt de præcepto illo qui id audierant admirarentur. Et inter reliquos recitat tres Cardinales Guerram, Carpum, & Bembum; sed tum solus Guerra Cardinalis erat Comensis, qui ab assumptione lactis dormiendo iuuati sunt: adeóque vt cum anteà vigilantes læderentur ex eo potu dormiendo sanitati sunt restituti. Et Bembus inter cæteros vt ille narrat, cum iam penè esset deploratus; nos quoque aliquando sic dantes contulimus non parum ægris. Adducit ille rationem empiricam ad hoc, nam infantes nunquam melius proficiunt, quam cum ex suctu lactis somno atque eo prolixiori se dedunt. Propterea non confidens experimento suo vult ille quod experiamur an iuuentur an lædantur à somno; si iuuentur vtantur, si lædantur abstineant. Verùm dico errorem ex hoc procedere quod Hasen, & Aetius, & reliqui dabant lac phthisicis horâ tardâ & loco cibi postquam æger perfectè somnum absoluerit: ideò si dormierint lædentur, tum quia ab assumptione lactis replendo caput, tum quia somnus erit immoderatus & nimius, tum quia propter horam, idest post tertiam diei partem. Itaque Galeno non opus fuit vt admoneret nos de hoc tam absurdo errore, sed omninò prætermisit. At Medici nostri temporis assueti ægros replere cibis, dant lac hora matutina sicut etiam dent post prandium, & tunc partim ob impedimentum somni dum euigilant illos intempestiuè, tum quia non concoquitur lac ante prandium cum vigilia, & ità lædunt ægros & si dormiant licet somnus post lactis exhibitionem non

non conueniat; recuperato tamen somno amisso, & concocto melius lacte, magis iuuantur quam si vigilauerint.

CONTRAD. XXI.

De quantitate lactis exhibendi.

ERatolai puero in singulos dies dedit author Septimi Epidemiorum cyathos duos bubuli lactis: primum quidem admiscens aquæ sextam partem vini pauxillum, & hoc ad dies decem vsque; post vsque ad quadragesimum sine aqua cum vino tamen. Vbi duo consideranda reliquit: primum quòd non dabat cibum nisi semel in die ad vesperam, vt superius dixi: secundum quòd dedit in quadraginta diebus quatuor heminas Atticas, & singulis diebus duos cyathos, igitur octuaginta cyathi sunt quatuor heminæ Atticæ. Quatuor hæminæ Atticæ sunt vnciæ lxiiij. cyathi autem lxxx. vnciæ centum; discrimen vnciarum xxxvj. Propterea intellexit totam summam idest vncias lxiiij. & cyathos duos idest supra vnum, & fuit cyathus cum dimidio fermè: vel lege heminas sex Atticas, vel quod maximè congruit vt primis diebus duos cyathos idest in decem diebus vncias xxv. in triginta sequentibus singulos & sunt vnciæ triginta septem cum dimidio, quæ iunctæ faciunt sexaginta duas cum dimidio, hæc sunt quæ ex tanta vetustate excipi possunt. Ergo vt ad propositum redeam secundo de fœminarum morbis post illa verba (defluit multum velut vrina ouilla) curam instituit dans lac bubulum à sex heminis. Incipit autem à duabus in singulos dies addendo vnam donec ad sex peruenerit, atque mutuo redit descendendo donec ad duas peruenerit, , atque id ità repetere oportet donec ad quadraginta dies perueniat, vel in quadraginta diebus sint centum sexaginta heminæ, libræ siquidem ccxiij. Galenus autem in asinino dabat ascendendo ab vno cyatho ad dosim mediocrem addendo cyathi dimidium singulo die decimo Artis Curatiuæ cap. 11. Hasen prima quarti dicit ascendendo à drachmis decem, idest cyatho vno minore ad drachmas triginta, seu tres cyathos minores; sic enim littera etsi aliter videatur scripta intelligi debet. Palam est autem quod vbi eo perueneris consistere vsque ad finem curationis oportet; nam quandoque ad menses vsque sex dari consueuit. Solutio habetur ex Aetio lib. 2. cap. 93. certa quantitas constitui non potest, debet tamen esse modica; additio etiam per dimidium primæ quantitatis. Ad Hippocratem in secunda autoritate præsupponit corpus robustum quod vult reficere bonis humoribus & non mouere, quia est cum fluxu mensium & ideò dat lac bubulum iuxta quod vt in hydra lernea oritur dubitatio.

CONTRAD. XXII.

Lac bubulum an purget aluum.

[LAc bubulum minus secedit per aluum capillo.] secundo de diæta. Et vt supra visum est secundo de fœminarum morbis, dum tantam quantitatem exhibet, videtur voluisse simul purgare atque reficere. Et Princeps in secundo lac vaccinum lenit ventrem & quandoque soluit illum quia non concoquitur. Haliabbas dicit tamen quòd moram ducit in ventriculo. Et Paulus libro primo exhibet coctum lac ad sistendam aluum, sed non dicit cuius animalis, intelligitur caprillum, ergo & bubulum. Sic verò exponit Alexander, sed dicit præponi debet caprillum & vult dari coctum, sed adiicit: [Hoc enim bilis & humores corrupti modicè expurgantur.] Breuiter Rhasis vltimo continentium bis repetit lac bubulum lenire aluum modicè, atque subducere. Et licet bubulus à boue aliquo modo differat, qui tamen verterunt semper bubulinum pro vaccino intellexerunt; solum ouinum aluum sistit. In magna quantitate non solum lac, sed etiam multa alia purgant ratione à Principe adductâ. Hali vult quod tardè secedat, hoc non impedit quin soluat. Galenus tertio de simplicibus medicamentis. [Lac inquit parte serosa purgat, caseosa autem sistit.

CONTRADICT. XXIII.

Lac coctum melius an crudum.

GAlenus quarto de simplicibus medicamentis vult quod lac coctum dulcius euadat: Et id sit frigidum comparatione habitâ ad hominem illud quod est animalis alterius vt supra visum est, coctione fiet temperatius, & ità bifariam nutriet melius; lac etiam asininum coctum non crudum dabat Hippocrates libro de ratione victus in acutis; ad purgandum: ergo etiam in hoc præstantius. In oppositum Galenus iubet vt sugatur ab vbere, ergo non coctum. Item pro purgatione secundo de morbis mulierum dabat crudum. Respondeo quod asininum purgandi causâ coctum datur, vt septimo Epidemiorum in Eratolai puero quoniam dabat duodecim heminas saltem, idest libras decem, quæ quantitas inflationem secus peperisset; aliter ab vbere dandum est.

CONTRAD. XXIV.

Lac an dentibus noceat.

LAc omne dentibus nocet, tertio de alimentorum facultatibus. Oppositum lib. de facilè parabilibus omnino Galeni dum de dolore dentium agit dicens: [Lacte asinino os frequenter colluatur, præter enim quòd dolorem illorum sedat eos etiam confirmat.]

Soluunt

Soluunt hanc contradictionem Aëtius in secundo libro dicens : lac erodit gingiuas, corroditque dentes : Asininum tamen ob sui tenuitatem non solum non obest illis, sed etiam eos iuuat atque confirmat. Et Princeps similiter : lac omne etiam si vitiet dentes, asininum tamen iuuat.

CONTRAD. XXV.

Lac an vtile lieni.

LAc obstructiones generat in iecore, liene, & renibus quinto de tuenda sanitate. Et secundo de morbis mulierum inquit Hippocrates. [Et si lienosa non sit serum dabis, si reliquæ conditiones adfuerint.] Princeps tamen qnartadecima tertij lac camelinum iecori, lieni, & hydropisi multum prodesse vult. Et præcipuè in ascite. Antea etiam laudat illud sed cum vrina eiusdem in cura cachexiæ. Quin etiam dicit quòd in duritie & abscessu lienis multum confert lac idem. Dico quod Hippocrates & Galenus non agnouerunt lac Camelinum quia Græci erant; hoc animal autem non nisi in calidissimis regionibus viuit. Quocirca etiam Dioscorides simpliciter illud protulit quòd omne lac iecori, & lieni obest, tum febri; nec excipit Camelinum. Dico quod sumpserunt Arabes à Rhasi tertio ad Almansorem, & in vltimo continentium vbi inquit. [Lac camelarum est salsum & acre, & confert obstructionibus iecoris.] Vbi etiam (si quando in illius exhibitionem incideremus) tria obseruare; primum ne non ante quadraginta dies à Camelæ partu exhibeatur: secundum vt non nisi cum delectu ciborum: tertium ne in hyeme. Ideò Græci ex hoc cum non cognouerint sunt arguendi. Cæterum quòd dicat Dioscorides omne lac obesse iecori & lieni rectè dixit non tamen sic, sed lienosis, ac iecoris vitio labotantibus; secus lac vtile est membris his cum sana fuerint. Aliter malè natura consuluisset infantibus cibo noxio membris adeò vitæ necessariis, multum enim interest dicere lac nocet lieni, & lienosis, atque ità de cæteris.

CONTRAD. XXVI.

Lactis electio.

PAulus notat octo conditiones in lactis nutricis electione libro primo capite tertio. Quod bonæ idest mediocris substantiæ, & quod impositum vngui claritatem habeat æqualem, mediocriterque diffluat; inde à calore, odore, sapore, copia, & quod coagulatum in vase vitreo vtriusque partis solidæ ac serosæ substantiæ mediocritatem obtineat. Aëtius nec copiæ, nec experimenti memini, cæteris concors Paulo. De colore laudat candidum vt etiam Dioscorides. Aristoteles verò tertio de historia animalium lib. 2. cap. 63. vtilius lac quod ad liuorem trahit ad πελιδνότερον vocat, quam candidum. Galenus est pro Aëtio primo de tuenda sanitate candidum præferens: Princeps cum Aristotele sentit dicens color ad albedinem declinet quasi non probet exquisitè album, cum Galenus dicat liuidum non sit. Aristoteles & Princeps considerant candorem in comparatione ad candidissima vt nix & calx. Galenus & Aëtius in comparatione ad lac cæterorum animalium: & sic oporet etiam simpliciter candidum, apud illos autem subliuidum quasi. Ego verò maximè si quis mih fidem adhibeat recenti à partu eligam eius quæ infantem robustum ediderit, boni habitus per mensemque nutrierit.

CONTRAD. XXVII.

Lac an facilis coctionis.

ALexander libro octauó inquit. [Post tres horas ab assumptione lactis dabis pulticulam aut panem siccum, vel micam panis.] Et septimo Artis curatiuæ post lactis assumptionem inquit, factam post primam lauationem quatuor aut quinque horis interpositis, possumus denuò lauare ac cibum solidum dare velut suillas carnes, & tamen ventriculus est imbecillis: quantò magis in validiore vt cum hectica laborat æger absque peculiari vitio ventriculi. Et Princeps in secundo libro lac etiam facilis coctionis: quod etiam affirmat Mesue cap. 442. dicens in phtisi lac præbet tres vtilitates, facilitatem coctionis & reliqua. At contra enumeratur à Galeno tertio de temperamentis cum pane & farre inter ea quæ ab imbecilli ventriculo non subiguntur. Et libro de dissolutione continua: lac boni est alimenti, verùm crassum est & facilè cogitur in ventriculo, etiamsi statim mulctum sit. Et videtur etiam infra illud adnumerari inter cibos crassitiem in visceribus facientes. Hippocrates quoque secundo de fœminarum morbis, & septimo Epidemiorum cum dabat lac mane nihil exhibebat vsque ad vesperam: ergo signum est quod sit difficilis coctionis. Respondeo quòd tunc dabat in multa quantitate, ideò abstinuit à cibo. De reliquis dico quod etiam difficilis coctionis quoniam facilè vel concrescit, vel in acidam substantiam vertitur, aliter facilè concoquitur. Indicio est quòd infantes singulis tribus quatuor horis assumunt lac nec læduntur, quod fieri non posset si difficilè concoqueretur. Considerandа tamen lactis natura & assumentis tum ætas, consuetudo. Quòd verò crassi sit alimenti id ratione caseosæ partis contingit, non simpliciter. Quòd autem crassitiem in visceribus faciat est ratione dulcedinis, quia antequam concoctum sit trahitur.

CONTRAD. XXVIII.

Cichorium an frigidum in secundo ordine?

GAlenus octauo de compositione medicamentorum secundum locos dicit cichorium esse subfrigidum & subamarum; vndè etiam non solum videtur esse parum frigidum, sed etiam calidum: nam amarum dicit quarto de simplicibus medicamentis fieri ab immodico calore. At in octauo eiusdem dicit id esse frigidum ac siccum in primo ordine domesticum verò etiam magis quam in eo scilicet in secundo frigidum: sed & plurimum humidum admixtum habere. Hæc certè admiranda videri possent cum ibidem seri affirmet esse subamarum. Respondeti potest per modicè frigidum vel subfrigidum intellgi frigidum in primo ordine. In octauo de compositione medicamentorum intelligere de agresti cichoria, non autem satiua. An autem omne amarum calidum sit dicemus infrà, vel dicamus subfrigidum idest in principio primi ordinis: frigidius autem non ad ordinem sed syluestrem referatur, vt sit in eodem ordine idest primo.

CONTRAD. XXIX.

Acuti morbi præter pestiferos an omnium lethalissimi.

HIppocrates primo de victu in Acutis tex. 8. & 9. cum enumerasset morbos acutos lethargum, phrenitim, lateralem morbum, peripneumoniam, febrem ardentem, & consimiles; subiicit quòd hi sunt omnium lethalissimi ex sporadibus qui his similes sunt. Quamquam vt primo Epidemiorum dictum est, Galenus aliter locum exponat: nihilominus hoc ad rem nihil facit. Sed difficultas est quia primo de morbis dicit idem ipse quòd morbi lethalissimi sunt tabes & hydrops, nec enumerat hos inter lethales nisi sint in vtero gerente. Respondeo quòd plures moriuntur ex acutis quia plures corripiuntur his morbis, & sunt etiam plura genera, non tamen, sunt lethalissimi. Hoc sufficit illi ad ostendendum vtilissimam esse hanc doctrinam morborum acutorum, nec requiritur ad id demonstrandum supponere quòd morbi acuti sint maximè lethales inter omnes morbos. Et ità etiam stat comparatio ad pestilentes: nam seu sint illi lethales, magis, seu non ipsis acutis, hoc sufficit Hippocrati quòd plures ex pestilentibus moriuntur quam ex acutis. Sic & aquæ timor lethalior est acutis morbis longè, non tamen est in maiore consideratione apud Medicum quia pauci eo corripiuntur.

CONTRAD. XXX.

Febris ardens quæ.

HIppocrates primo de morbis qui genuinus est hæc habet: [Febris ardens corripit biliosos, corripit item pituitosos; corripit autem hoc modo, cum bilis commota fuerit per corpus, & contingerit vt venæ & sanguis bilem attrahant, eamque plurimam ex carnibus ac ventriculo, ad eum qui prius inest: vt pote cum etiam natura calidissimus sanguis in corpore existat. Cum itaque incaluerit ex carnibus & ventriculo supra eum qui iam inest, adhuc magis à bile excalescit etiam reliquum corpus. Et quædam partes humido abundantes penitùs resiccari non possunt, si verò resiccatæ fuerint homo moritur: Extremæ verò corporis partes vt pote natura siccæ exsiccantur: plurimumque earum humidum exuritur. Et si eas contingere velit frigidas ac siccas esse inuenies. Quapropter hi qui à febre ardente corripiuntur internis quidem partibus à febre exuruntur, externis autem frigidi sunt, & lingua ac fauces ab interno spiritu caloreque exasperantur & arescunt. Quantum autem in ventriculo ac vesica bilis inest, quod quidem in ventriculo est, nonnunquam deorsum excernitur, plerumque verò in primis diebus euomitur: aut in quatuor quinquéve; vomitur autem hac de causa cum supernus ventriculus supercalefactus fuerit attrahit in seipsum & fit vomitus. Et ob hoc etiam ex febre ardente & laterali morbo in peripneumoniam maximè mutatio fit. Cum enim supernus ventriculus supercalefactus fuerit trahit in seipsum & suscipit pulmo; & fit peripneumonia. Et si plerumque pereunt nihil mirum, cum enim debiles iam sint & morbo nouo insuper addito tantum perdurare nequeunt donec sputum in pulmonibus concoquatur; verùm plerumque ob imbecillitatem pereunt, tametsi etiam aliqui euadant. At quibus in vesicam confluit bilis, his crassa vrina mingitur: crassa autem à pituita, biliosa verò alui excrementa prodeunt eò quòd quæ in ventre erāt exusta sunt.] Signa quoque eius ponuntur secundo de morbis, & tertio. [Febris tenet, & sitis vehemens, lingua aspera & nigra, & cum virore pallida & sicca, & valde rubicunda. Et oculi cum virore pallidi, excrementum quoque alui rubicundum, & cum virore pallidum; similis & vrina & multum spuit.] Et in tertio penè eadem quamquam multum diuersa videantur. [Sitis tenet (idest continua) multa: lingua horret, primum suum retinens colorem, verum valdè sicca; processu autem temporis dura, aspera, crassa ac nigra euadit. Et quo citiùs hæc fiunt, citiùs etiam iudicantur. Sputum verò ob caliditatem & siccitatem superassatum & crassum existit: vrinæ biliosæ & cruentæ affectum grauiorem ostendunt, remissiorem flauæ. Et generaliter lingua horum similis est peripneumoniam patientibus in quam etiam sæpè transmutatur.]

Rursus

Rursus in quarto de victu in acutis ponit duo genera febris ardentis, vnum à flaua bile, alterum à pituita salsa; signaque illarum docet quæ hîc non est necessarium referre, cum non sine ex intento. In tertio quoque Epidemiorum παρθένον πυρετὸς ὀξὺς καὶ καυσώδης ἔλαβε. Id est virginem febris acuta & ardens inuasit. Similiter & vbi describit constitutionem tertio in tertium constitutio febrium ardentium (καύσων) erat huiusmodi.[Initio soporosi erant, fastidiosi inhorrescebantque:febris non acuta, neque deliri:] Et rursus in eodem de Heropytho: [Febris, inquit, ardens & acuta ;vomitus ab initio multorum biliosorum, multa molestia, vrinæ tenues nigræ:] Indè subiicit: [Quadragesima, multus sanguis è naribus erupit: post sequentibus diebus vsque ad sexagesimam frequenter & paulatim.] Quæ sententia confirmatur ex his quæ dixerat in quarto de victu in acutis quòd ardens febris finitur aut per sanguinem narium, aut per sudorem.Describit etiam ardentem libro de affectionibus his verbis.[Penè febris ardens continua est,& sitis valida, & lingua aspera nigraque: Et color sub biliosus,sputa biliosa: & æger exterius friget, interius autem calidus est:] Et in septimo Epidemiorum: [Chartadi (inquit) febris ardens, vomitus bilis multus, alui egestio, & iuxta splenem tumor rotundus. Tertia die mane surrexit strepitu circa ventrem citra dolorem percepto; vbi verò aluum exoneraret sanguinis plusquam congij mensura subiit.]Dicebat in secundo Epidemiorum. [Febres ardentes in æstiuis fiunt & in aliis temporibus, sed in æstate magis resiccantur.] Dicit in Coacis prædictionibus senibus fieri febres ardentes ob ventris duritiem. Et quod si æstas & autumnus pluuiosa fuerint & australia pituitosis, & his qui quadragesimum excesserint annum fient febres ardentes. In libro quoque de indicatione ponit ardentem febrem terminari per omnem modum ex quinque consuetis & etiam per abscessus, & per mutationem in lypiriam septima vel quartadecima die, & perdurare quadraginta diebus, & transire rursus post in Epialam.In his igitur omnibus exigua est contradictio, nam apud Hippocratem vndequaque ardens febris ex bile fit in venis contenta, vt solum illud mirum sit cur si à bile fiat iudicationes ex sanguinis fluxu eis conueniant.Si quidem scripsit toties & maximè primo Aphorismorum: [Si qualis oportet purgare purgentur confert; & bene ferunt: si verò non, contrarium:] Quomodo igitur si bilis peccat sanguine euacuato, soluitur morbus? Nam ardententem febrem esse causonidem apud Galenum etiam illa verba declarant secundo de differentiis febrium,acetuatam esse bilem amaram in febribus ὥσπερ ἐν τοῖς τριταίοις καὶ καύσοις. Et in quarto Aphorismorum τοῖς ὀλεθρίοις ὑπάρχοντα καύσοις. Id est in lethalibus qui existunt καύσοις. Et infra ὑπὸ καύσου ἐχομένῳ, vt palam sit ardentem vbique febrem intelligi quæ ex bile ortum habet cuius tot iam signa prodita sunt ab Hippocrate. Sed & eandem esse descriptam à Galeno ostendunt verba illius primū quarto Aphorismorum ibidem dum reddit causam cur rigor soluit ardentem febrem inquit: [Quoniam expurgat bilem vomitibus & sudoribus à qua febris ardens gignitur.] Et rursus secundo in tertium Epidemiorum: [Ardentem febrem ex biliosis humoribus oriri scimus:]Et secundo in primum:[Fiunt febres ardentes excrementorum retenta euaporatione totius corporis,vbi ipsum magnopere sit biliosum:] Et rursus in eodem sed paulò post. [Ostensum est in commentariis de febrium differentiis, tum de iudiciis ob flauam bilem exuperantem febres tertianas ardentes fieri, sed loco differre; nam in ardentibus bilis est in venis præcipuè iecoris & ventriculi, in tertianis totius corporis carnes bile affluunt;tertianæ enim ex biliosis excrementis generantur, ardentes non, sed calore in vasis ac visceribus aucto fiunt. Contingit hoc aut iusto plus exercitatis,aut sollicitis,aut qui iusto plus apricati: aut cibis (vel potibus) adurentibus vsi sunt.] Et rursus in libro de palpitatione & conuulsione: In ardentibus propriè & in tertianis etsi rigor adsit, calor tamen in intimis partibus sentitur,quod signum inquit eas à quartanis distinguit. Et licet vomitus virulentorum non sit proprium ardentium febrium signum, eas tamen subsequi solet & consequens est ad febres adurentes; dicebat idē intertio super tertium.Addit quòd in eisdem pulsus licet sint crebri, si sint valde vrentes, tamen aliquæ ex illis sunt extra periculum. Secundo de præsag.ex pulsib.[Qui vrentibus febribus laborant, pulsus habent velocissimos,creberri mos, & maximos. Sed de maximis ad synochas potius pertinent.] Et in octauo de decretis Hippocratis & Platonis. [Ardentissimas febres scimus ex flaua bile fieri:] Clarissimè autē tertio in tertium Epidemiorum ex signis quæ ponit hoc dignoscitur. Duo enim propria tantum & pathognomica ardentis febris signa sunt,æstus qui ab ægro sentitur, & sitis assidua. Quòd si etiam sint vehementissima, vrentis omnino febris signa sunt. Reliquorum scilicet excretionis biliosæ & delirij & vomituum nullum est pathognomicum: sed delirium fit in malignis tantum, cum humor biliosus inquit in secundo super primum permeat cerebri venas:sicut & rigor cum ab initio incœperit & frigus extremitatum, at accessio per dies impares, ita est propria ardentibus vt si aliter fiat, exitium portendat, sic & sudor. Nam excrementa biliosa aut mera aut colliquationes, malignarum sunt indicia; non omnibus nec solis ardentibus communia. Ob id dicebat in coacis prædictionibus: [In febre ardente si aluus eruperit lethale est: Vomitus autem bilis ersi consequens sit ardentibus febribus vt tertio in tertium de morbis vulgaribus,non tamen est perpetuum signum, vt neque fastidium cibi de quo prius dixerat, vbi de duobus tantum pathognomicis egimus, vt generaliter constet tales febres à flaua bile fieri. Verùm Galenus secundo de crisi videtur intelligere per febres ardentes synochos, cum diuidit eam in duo genera quæ semper minuitur, & quæ stat.Palam est quod synochis solis hoc con-

uenit. Et secundo in primum Epidemiorum: [Sanguinem stillare in febribus ardentibus est perniciosissimum, quandoquidem profluuium illis sit familiarissimum.] Et primo Aphorismorum. [Nam & in ardentissimis febribus si vsque ad animi defectionem sanguis mittatur, statim totius corporis habitus refrigeratur, & febris extinguitur: plurimis etiam aluus citatur, & sudores emanant, ac quidam eorum prorsus sanitati sunt restituti: alij valde sunt adiuti, & vehementiam morbi absciderunt.] Sed manifestum est quod hoc auxilium maximè conuenit eoque vtitur Galenus in sanguinea febre absque putredine nono methodi vbi ponit exẽpla duorum iuuenum quibus venam secuit vsque ad animi deliquium. Et in libro de venæ sectione: [Cæterum vbi feruescentis inest sanguinis plenitudo acutissimam accendens febrem, subito ac simul euacuare expedit eàque inanire tentandum vel ad animi vsque deliquium.] Nec dicendum ardentem febrem fieri ex bile, sed incensum profluere sanguinem à natura, quod videtur sentire Hippocrates quarto de victu in acutis in verbis illis: [Et si è naribus fluxerit sanguis, soluitur morbus.] Animaduertendum est etiam quod Hippocrates alias vocat febres acutas, alias ardentes, alias prorsus igneas, vt ibi Σιληνὸς πῦρ ἐλαβε, & in 3. Epid. Ερμοκράτην πῦρ ἔλαβεν. Hæc quamquam haud necessaria commemorare volui, vt ex locorum comparatione discrimen appareat inter ardentem febrem & ignem; habemus parte vna Silenum & Hermocratem pro igne: virginem illam atque Heropythum pro ardente acuta. Dico ergo quod non potest intelligi febris ardens à bile quæ transeat in synochum: quoniam synochi primum sunt illæ tres species quas non habet vlla febris putridæ: præterea febris ardens putrida est, synochus non; non igitur synochus febris ardens est. Aliud etiam est terminari per sanguinem narium febrem, aliud sectionem venæ conuenire, imò esse necessariam vsque ad animi defectionem. Et ideò difficultas Galeni est longè maior imo alia à difficultate quæ est in verbis Hippocratis, Quoniam apud Hippocratem inueniuntur febres ardentes & ignis, & omnes intelliguntur per febres à bile. At synochas vocat febres valde rubras vt sexto de morbis vulgaribus sectione prima. Meminit & ibidem antea sed sine authoritate synocharum quas comitatur grauitas capitis, sed planè & verè continuas ab Hippocrate appellari docet tertio in primum de morbis vulgaribus: vbi docet quod Hippocratis tempore synochas & alias continuas febres nomine continuarum appellabant. At Galeni ætate continuas quæ non intermittebant nec habebant declinationem solum synochas, reliquas cõtinuas nullo adiecto epitheto. Manifesta est etiam differentia inter synochas & ardentes, paulò post cum dicit super illud Hippocratis: [Sunt autem acutissimi, grauissimi, maximi morbi, ac præ cæteris omnibus lethales in continua febre.] Quod istud intelligendum est de synochis propriè. Quare constat Hippocratem agnouisse synochos; subiungit Galenus quod synochi sunt in quibus hæc accidunt, tum in aliis quibuscumq; quæ accessiones habent, constat autem ardentes febres tertianas habere accessiones, secundo de febrium differentiis. Exemplum synocharum quas propriè Hippocrates vocat vehementes, est apud illum primo Epidemiorum in Methone, cum dixit: [Methonem febris vehemens corripuit, lumborum grauitas dolorosa.] Et paulò post: [Quinta effluxit ex sinistra nare sanguis largus merus, sudauit, iudicatus est.] Et dicit quod vrinæ erant subnigræ nec subsidebant, sed habebant aliquid innatans diuulsum & subnigrum. Et mirum est de Galeno qui de hoc non admonuerit nos, & cuius generis fuerit febris illa. Secundus casus est ibidem in Clazomenio: vbi dicit, [Febris vehemens corripuit, dolebat autẽ caput, collum, lumbos ab initio: sanatus autem est per tubercula:] Vbi rursus Galenus nihil ad propositũ morbi exponendo dicit: [Nec perturberis quod permutata sit post modum in acutam, nam ex synocho vehementi febre fit permutatio in synocham putridam febrem & acutam.] Tertium exemplum similiter est ibidem de muliere quæ decumbebat in littore, sed non est adeò exquisitum. Est & exemplum in morituris in tertio Epidemiorum de Hermocrate: [Febris vehemens corripuit, cœpit dolere caput, lumbos, præcordij distentio molliter: vrinæ crassæ, rubræ, depositæ, non subsidebant. Et infra, vrinæ crassæ subrubræ. Ex quibus demiror cur sanguinem non miserint Medici illi, nec Galenus meminerit huius auxilij. Sed de hoc in commentariis. Forsan dices non fuisse synochum quia ascripserit: [Lingua ab initio adusta est:] quominus etiam sanguinem miserit, sed de hoc alibi. Est etiam dubitatio in eodem libro post constitutionem de Pericle, & de virgine in sacra via de qua supra actum est: Et de virgine in Larissa de quibus suo loco in commentariis agitur; vt iam sit comspicuum quæ sit febris ex sanguine seu synochus, tam apud Galenum quam apud Hippocratem. Reliquum est vt ostendamus quomodo ardenti febri sectio venæ vsque ad animi defectionem conueniat, quæ certè vt dixi sit propria synocho, & non ardenti febri. Imò si quempiam ardente febre laborantem sic euacuaueris, perdes ægrum & forsan eadem die, & forsan ipso temporis momento. Et propterea soleo dicere contra hos qui se adeò iactant Galenicos, nihil esse in medendo infelicius his hominibus. Quod tamen euenit quadam socordia Galeni: nam in rebus tanti momenti & si non ipse erraret, non debuit pigere verbum vnum adiungere (in febribus synochis ardentissimis: aut in febribus ardentissimis ex sanguine.) Haud dubium enim est ipsum de illis scripsisse quod Græcè satis est manifestum cum dixerit: καὶ πυρετῶν διακαεστάτων. Et infra: τοῖς θερμοτάτοις, πυρετοῖς: vt sensus sit & febrium feruentissimarum, & febribus calidissimis, vt aliud velit significare quam exurentem calorem qui inest ardentibus febribus, sed maximum qui in synochis. Paulus valdè anceps fuit ob hoc continentem synochem & ardentem

distinguens

distinguens, sed tamen in hoc benè sentit quod ardenti potum frigidæ aquæ præbet, synochæ adhibet sectionem illam venæ, sed & aquæ potum in synocha concoctis humoribus quod apud Galenum tanti cum sit momenti confusum est; Sed tamen concludit quod ardens febris est continens biliosa ad vnguem. Errat interpres synochus distinguens à continentibus; verùm de hoc locuti sumus in commentariis primi Epidemiorum. Et Princeps prima quarti vult vt tertiana continua fiat ex sanguine putrido, ardens ex bile vel salsa pituita, Nec in ea admittit prorsus sectionem venæ.

CONTRAD. XXXI.

Febris ardens an acuta, & an cum siti vehementi?

HIppocrates 3. Epid. hæc habet. [Febriũ ardentium constitutio erat huiusmodi: initio soporosi erant, fastidiosi, inhorrescebantque. Febris non acuta: neque multum erãt sitibundi, neque deliri.] Galenus in commento dicit irrepsisse mendum dicique debere febris acuta, & hoc bis repetit. Aliter inquit febris non valde acuta. Hoc dicit quoniam sicut ad febrẽ ardentem necessaria est vehemens sitis & vehemens calor qui ab eis sentiatur, dicit enim hæc duo signa sola esse pathognomica & quæ essentiam febris ardentis declarent vt superius visum est, & tamen dicit Hippocratet non fuisse multum sitibundos, ità pariter dicam febrem fuisse acutam sed non valdè. Et ità contradicit Hippocrati, nam in prima responsione apertè; sic enim possumus omnes contradictiones conciliare. Quia si ex primo principio de quolibet dicitur esse vel non esse, ergo præpositio, non, cum mutet sensum in contrarium seu neget & faciat affirmantem, seu affirmet & faciat negantem omnem, sic ad libitum sensum mutare licebit nec expositione indigebimus. Similiter secunda licet non adeò apertè: nam sicut dixit non multum sitibundi, dixisset etiam non multum acuta non simpliciter, non acuta. Præterea si acuta in ardente includitur est illi genus, at genus addere speciei est, vt Aristoteles vult, nugacem facere orationem: igitur & hoc ipso damnatur Hippocrates, tum maximè quod in sexcentis locis dicat febris acuta & ardens velut in virgine quæ decumbebat in sacra via, & Heropytho tertio Epidemiorum in vltima ægrorum descriptione & multis aliis: quamquam Cornarius in prima omiserit (acuta) cum tamen Græcus codex apud Galenum habeat πυρετὸς ὀξὺς καὶ καυσώδης. Est etiam alia ratio acutæ quæ est à motu veloci, & ardentis quæ est à sensu magni caloris ac siti vehementi, modo vt visum est supra, hæc duo contingunt ex loco materiæ & natura: scilicet quod sit iuxta ventriculum vel iecur in venis & biliosa, vtrumque enim nisi quid impediat efficit vt sitim faciat perpetuam & æstum; ità enim iuxta Galenum vehementem, interpretari oportet non autem à magnitudine intolerandum sed assiduum. Cum ergo in hoc casu materia possit esse crassa, & ob id lenti motus, poterit serò terminari morbus præcipuè si sit pauca. Igitur liquet maximè in secundo sensu Galeni interpretando vehementem æstum & sitim pro assiduis, quod poterit manifestè febris esse ardens, & nõ acuta: Et ità benè dicit Hipp. & ardens & acuta & ardens & nõ acuta, cum vtrũq; possit contingere. Respondeo igitur quòd solutio & conciliatio est clara inter Hippoc. & Galenum, quia Hippocrates intelligit de acuta propria quæ in quatuordecim diebus terminatur secundo Aphorismorum, Galenus autem de quomodocumque acuto qui terminatur in quadraginta diebus primo prognosticorum. Et ad hoc facit Galeni ratio, quia cum ardens febris habeat sitim & æstum assiduum nec intermittentem, necessariò intra quadragesimum diem finietur. Et sic concordat ad vnguem.

CONTRAD. XXXII.

Febris ardens an à retentis excrementis totius corporis.

[QVia impeditã totius corporis euaporatione, illa quæ naturæ cuique prouenire excrementa solent, vacuatione prohibita, peculiares sibi morbos excitauerunt; nam qui erant magnoperè biliosi, hi, quod naturæ eorum erat solemne in ardentem febrem inciderunt.] Secundo in primo Epidemiorum Galenus. Idem paulò post ponens discrimen inter tertianas & ardentes dicit: [Tertianæ fiunt cum totius corporis carnes bile flaua affluunt; proinde spiraculis earum impeditis qui natura biliosi sunt quantum bilis in carnoso genere expurgabatur in hoc statu purgatum tertianas generauit ardentibus frequentiores. Nam perinde hæ non trahunt originem ex biliosis retentis excrementis, sed calore in vasis, vel visceribus aucto vel inflammato statu.] Et reliqua. Respondeo in prima authoritate loquitur absolutè: in secunda autem comparando ardentem ad tertianam.

CONTRAD. XXXIII.

Sanguinis è naribus profluuium in ardente febre an laudabile.

GAlenus in germana ardente febre familiare profluuium sanguinis narium esse docet secundo in primum Epidemiorum, & aliis multis locis, tum præcipuè quarto de victu in acutis etiã ab Hippocrate. Sed Princeps prima quarti inquit: [Et oportet vt caueatur superfluus sanguis narium, est enim ex illis in quibus magnus est timor.] Qui amant magis homines quam veritatem, dicere possent Principem loqui de ardente notha, sed verè loquitur etiam de facta à bile flaua: veritas est, vt visum est superius, quod Galenus confudit

confudit ardentem in exponendo Hippocratem cum synocha: in qua conuenit fluxus sanguinis narium. Nam in prima authoritate secundi Epidemiorum, non malum quod paucus sanguis stillauerit quia plurimus deberet effluere: sed quia omnino non debuit. Ad Hippocratis authoritatem dico quod ibi proponit genus mistum ex ardente febre & synocho, quod apparet ex illis verbis: [Et corpus velut ex ossium lassitudine detentum, delassatur ac dolet. Fit autem plerumque ex longo itinere.] Palá est autem hæc conuenire synocho non ardenti, reliqua ardenti febri. Et hæc mixtio fuit causa erroris omnium qui illum secuti sunt in hoc quæsito de ardente febre.

CONTRAD. XXXIV.

Hemitritæus quid.

GAlenus secundo in primum de morbis vulgaribus de hemitritæo loquens hæc habet. [Quæ verò parem assumpsit crudum humorem, exquisita efficitur semitertiana, Romæ illa incolis frequentissima, vt quæ illius sit vrbis familiarissima. Hæc quidem cum horrore venit atque cum reduplicationibus, quas vocant fit: accedens non tantum priori die, sed & postridie: quæ quidem accessio præcedente minor est, minusque horrifica, tum repetitionem vel minorem, vel certe prorsus habet nullam.] Et in secundo de differentiis febrium. [Iam verò tempus est vt ad propositum institutum reuertamur. Si pituita putrescens, ex qua febrem illam quæ singulis diebus accessionem facit, accendi dicebamus, misceatur amara bilis humori, ex quo tertiana gignitur febris, duplex iam causa ac dispositio coniungeretur. Alter siquidem humor affert quotidie accessioné, alter verò tertio quoque die: itaque alter quidem dies duas habet accessiones, alter verò vnam tantummodo, nisi accessionum tempora in easdem horas conueniant: Si enim conuenerint, fiet vna febris confusa, quæ neque puræ tertianæ, neque quotidianæ formam præ se fert. Quoniam verò vtriusque febris duplex est species, quatuor ex ipsis fient complexiones vna quidem in qua tertiana quotidiana intermittenti commiscetur: altera vero in qua tertiana quotidianæ continuæ coniungitur. Et tertia quotidiana intermittens tertianæ continuæ miscetur. Quarta in qua permiscetur quotidiana continua tertianæ continuæ. Harum verò nuper dictarum complexionum omnium duæ sunt differentiæ, cum aliquando quidem in eandem horam accessiones occurrant, non nunquam verò diuersis temporibus superueniant. Sed hæ quidé cognitu faciles sunt nisi quod aliquando intermittens ignoratur ab inexercitatis, ea ratione, quoniam ægrotus nunquam à febre liberatur.] Et post infra: [Adolescens in quo factam dixi complexionem tertianæ cum quotidiana continua, mane quidem prima hora rigoré pati cœpit exquisitæ tertianę familiarem, aderantque alia omnia eiusdem febris iudicia vsque ad horam sextam & repentinus vomitus biliosus, & multus: & ventris deiectio copiosa, & hæc ipsa ipsa biliosa, & pauci sudores, inter quos statim homo contraxit se atque horruit, ac subindè incipiente annotatione, pulsus erat paruus, inæqualis, deinde vsque ad horam vndecimam cum paulatim adhuc succenderetur, plura quidem signa habebat annotationis propria, paucis tamen intermistis augmenti indiciis. Hinc verò vsque ad quartam noctis horam, febris certissimè intendebatur, deindè quantum sensu percipi poterat, vsque ad sextam noctis horam in eadem magnitudine persistebat, mox iam manifestè declinabat vsq; ad diei sequentis horam quartam. In hac enim iam & contrahebatur, & annotationis signa ostendebantur refrigeratis iam extremis partibus paruoque existente pulsu, & iam ad vesperas vsque intédebatur paulatim, neq; horroré neq; inæqualitaté aliquam præ se ferés: deinde rursus in summo consistebat circa quartam noctis horá, sexta verò manifestissimè cœpit remitti. Quod igitur tertio die hora secúda quotidianam annotationem expectare oportebat, in ambiguo non erat, nó tamen vtrum tertiana eandem horam esset seruatura; satis constabat. Hora igitur secunda accessio superuenit horrida, quæ celeriùs ea quæ in primo, & secundo die quotidianæ continuæ facta erat, inualescens vsque ad horam quintam. Aliud rursus ab ea quæ post quintam horam fecit initium in quo aderant omnia similia his quæ in secunda hora contigerant accidentia. Hinc verò rursus promptius inualescens vsque ad horam octauam; denuò in eadem horruit, ac paulò post accresscés accessio expeditè ascendebat, adeò vt hora noctis quarta iam ad summum peruenerit. Et quid aliud hoc erat quam accessio exquisiti hemitritæi, duabus eadem hora inuadentibus febribus? Quoniam quotidiana duabus horis celerius, tertiana autem totidem tardius accedebat, adeò vt quicunque facultatem haberet febrium figuras agnoscendi, tertianę ac quotidianæ continuæ accidentia in vnum confusa, manifestè deprehenderet. Nam cum tertianæ insultum rigor comitaretur, quotidiana autem sine rigore inuaderet, mista ex vtraque febris horrorem continuo afferebat, rem quidem rigore minorem, maiorem autem refrigeratione tantoque hac ipsa maiorem, quantú à rigore magnitudine superatur, adeò vt cum ab vtroque extremo æqua distet proportione, horror medius inter ambo rigorem scilicet & frigefactionem collocetur quod quidem maxime fieri consueuit, cum extremitates confundantur. Non ab re igitur inditum est, huic febri nomen hemitritæi, id est, semitertianæ; Nam ex quotidiana continua & tertiana intermittente tota eius natura confusa dimidiam partem vtraque ex dictis febribus retinet.] Et rursus. [Deinde die vndecima rursus hora octaua, exquisitæ referens pituitæ naturam: deinde prima noctis hora tertianæ febris, quæ quatuor tardauerat horis, horrida accessio facta est: deinde sexta noctis hora aluus biliosum excreuit, ac quidem per vniuersum

corpus

corpus veluti sudores exhalarant, post quos tota declinatio fere ad infebricitationem peruenit. Neq; iam in ambiguo erat, quin tota febris tertiana omnino desiisset, sola autem ea quæ ex pituita ortum habebat remanserat quæ & ipsa iam remitti incipiebat.] Et rursus. [Estque inter varios affectus veluti pugna quædam, cum æger nonnunquam inualescente febre tertiana atque ad cutem humores impellente vehementiùs calefiat. Contra verò remorante, atque ad interiora reuocante ipsius motum febre quæ ex pituita ortum habet, vt quæ tardi ac difficilis motus, frigidaque ac lenta existat natura. In hoc autem certamine cum humor frigidus superauerit systolæ idest summissiones, horrores, atque extremarum partium & cutis refrigerationes sequuntur adeò vt videatur altera rursus accessio renouari. Cum verò calidior vicerit, tunc statim totum corpus calefit ac iam videtur febris penè in summo consistere; mox paulò post ad pituitam redeunte victoriâ ægroti denuò contrahuntur, refrigerantur, & horrent.]Neque hoc terminum vllum habet, donec febris ad summum peruenerit, quod quidem citiùs accidit quã pro more pituitæ tardiùs tamẽ quam in bile fieri consueuit. Nã huius quidem celeritatem cohibet pituita, ac rursus pituitæ tarditatem atque hebetudinem excitat bilis. Talis quidem est exquisitus hemitritæus ex æquali duarum febrium temperatura compositus, quoniam etiam ex duorum humorum æquali temperatura constat. Atqui exquisitus non est, vbi aut bilem, aut pituitam habet præpotentem. Secunda est duarum febrium, tertianæ scilicet ac quotidianæ copulatio ac commistio quæ similem quidem nuper dictæ facit accessionem quandam. In eo tamen differt, quoniam in hoc febris ad infebricitationem definit, & quoniam die secunda cum rigore aut horrore sola quotidiana febris inuadit. Non igitur erit hæc febris hemitritæus, siquidem ex numero continuarum hemitritæus existat. Quod si etiam in vtroque genere hemitritæus collocetur, non hæc tantum; sed multæ aliæ febres hemitritæi vocabuntur.] Et iterum. [Rursus igitur ad res ipsas redeamus hoc est ad eum quem Hippocrates vocat hemitritæum horridum atque continuum, quem facit tertiana quotidianæ continuæ commista. Intermittenti autem non item: quoniam quæ ex ambabus componitur febris, necessario & ipsa intermittitur: Non tamen ex duabus continuis, quarum altera ex bile, altera ex pituita generatur, potest hemitritæus consistere, quoniam hæc commistio febrem horridam, ac quæ multas habeat, reduplicationes non facit. Nam cum omnis febris continua sui quidem ratione cum exquisita fuerit, neque horrorem habeat, neque rigorem, neque etiam quæ ex eisdem componitur horrida fiet. Necesse est igitur si horridus simul atque continuus sit hemitritæus futurus ex duabus ipsum febribus generari, quarum altera sit intermittens, altera verò continua. Atque idcircò tertiana quidem cum quotidiana continua confusa facit hemitritæum, cum neque vtraque continua, neque vtraque intermittens huiuscemodi queat febrem generare. Vna igitur sola adhuc mixtio relinquitur ex quotidiana intermittente, & biliosa continua; quæ ex ipsa potest continuam simul atque horridam febrem efficere.] Præterea in libro de Typis hæc habet. [Semitertianorum tamen typorum proprium est ipsa accessionum productio, quodque reditus accessionum, appellamus, sæpissimè cum perfrigeratione ac vigoribus nondum completis, assideant. Periculosa porrò est semitertiana, vt quæ non ventriculum solummodo ac neruosas partes, & summatim media attingat, sed & veternosas cataphoras, vigiliasque cum delirio, ac syncoposas diaphoreses inferat; linguam præterea validè exiccet, atque animi defectionem efficiat, vehementer quæ in profundo sunt, commouens. In vniuersum ferus, periculosissimusque hic typus est. Sanè aliàs à primo die constituitur, aliàs à secundo, & à tertio incipit, vnde maxima deceptionis causa Medicis oritur ob eiusmodi inuasionem. Generatur autem à tertiana extensa: & cum soluitur, nunc in tertianam reuertitur: aliàs ob longitudinem accessionis, in duas tertianas, ac quotidianas discinditur. Cæterum frequentius visitur, quod ad sexum, in viris: quod ad ætates, in vigentibus: quod ad anni tempora in autumno magis, quando nimirum valde periculosus existit. Est autem non semper continua, verum & intermittens reperitur semitertiana febris traditumque ab Hippocrate est ipsam non modo inter acutos morbos, sed etiam inter diuturnos connumerandam esse. Habet autem tres in magnitudine differentias: nam vna parua, altera media; tertia magna semitertiana est. Parua igitur ẽst, quæ circa viginti quatuor horas vertitur: media, quæ circa vigintisex, magna quæ circa quadragintaocto quæ profecto continuæ febri proxima est.] Et in libro de morborum temporibus. [Itaque semitertiana ex mistura & temperamento quotidanæ & tertianæ febris fieri demonstratũ est. Subinde etiam semitertianæ simplex aliqua febris copulatur, vel tertiana vel quotidiana. At huiusmodi varietas ad hunc librum non pertinet. Satis enim hîc est propria vnius cuiusque febris tempora diligenter inquirere quoniam sic complexum earum promptè nos decernere poterimus. Exactè igitur simplices prius dictæ sunt, de commixtis deinceps disseram. Itaque horridus ibi insultus aliquando est, omnes principij peculiares notas habens præter rigorem: interdum & huius significationem. Etenim vehemens horror, vel initium aliquod rigoris, vel paruus rigor esse videri potest. At exactum rigorem, qualis in tertianis, quartanisque est, huiusmodi febris non accipit. Atque ob hoc ipsam φρικώδη, idest horridam appello: & multo magis, quod vbi signa quædam secundi temporis permonstrauerit, initium rursus alterius inuasionis, horrificum efficit: quod nonnulli repetitionem, alij reduplicationem appellant. Aliquando hoc secundò, quibusdam tertiò facit: deinde vix æquabiliter simplex redditur ad vsque statum increscens.

Hæc

Hæc febris ad integritatem nunquam desinit: nam permultum temporis vsque ad vigorem ipsa habet, item declinationem sine perspiratu sensili, multò verò magis abest vt cum sudore ad integritatem proficiscatur. Quemadmodũ igitur à primo insultu accessio ad vigorem vsque multo tempore peruenit, eodem modo à vigore paulatim diminuitur: ideoque postridie altera ipsa accessio horrida quidem similiter aduenit sed quæ non item cum priore repetitiones habeat: aut si quando, idque rarò habuerit, vnam duntaxat faciet, breuem & exiguam. Porrò & hæc accessio ad vigorem longo tempore ascendit, nec exiguo pariter inclinat: atque ob hoc ipsum tertio die eadem quæ primo accessio succedit: postea rursus quarto similis ei quæ secundo habita est, idque ordine perpetuo. Hanc ego febrem compendiosæ claræque doctrinæ gratiâ vno volens appellare vocabulo, imposui ei nomen semitertianæ. Si igitur Hippocrates quoque talem febrem semitertianam vocasset, vt ego persuasum habeo, duo ex sermone vno commodè consequeris: nempè rem medicam disceres, & nomen vetus ei imponeris. Quod si aliam quandam febrem ab Hippocrate semitertianam vocatam esse putas, falli me in vocabulo ratus, rem ipsam addiscas. Quod enim talis febris, qualem dixi, accidit, neque hic testimonium, vel Hippocratis, vel alterius cuiusque oratio requirit, cum quotidie ferè nos ipsã videamus, potissimũ Romæ sicut enim in aliis locis alia, sic in illa ciuitate hoc mali abundat. Porrò alia quædam ei adiecta est, quæ nec secundo die aliam ferat accessionem, nec primo & tertio repetitiones. Habet autem nec ipsa modum vnum ac simplicem: interdũ etenim sine horrore, aliquando cum horrore inuadit: aliàs cum extremis partibus membrorum manifesto in algentibus. Visa est autem interim etiam citra sensile frigus febris hæc quinque tempora obtinere: principium, inæqualitatem, incrementum, statum, & inclinationem.] Et in primo super primum Epidemiorum. [Et fit bifariam: modo cum reduplicationes faciat intensio: modo hoc ipsum solum, inæqualem scilicet ascensum. Diuersitas in temporis consistit quantitate. Nam breuibus si internallis à sese sint mutuo motus horrifici dirempti, inæqualis dicitur & horrificus motus: sin ampliora sint interualla, sit illud symptoma & reduplicatio, dicitur. Hæc fit præcipuè in semitertianis, vt vocant, febribus: quocirca ternæ plerumque & quaternæ sunt.] Et rursus tertio in primum. [Earum verò quæ ad integritatem non veniunt; quædam cum horrore venientes, cum à primo impetu ad incrementum, quod vocant se contulerunt, tametsi esse iam mediocriter prægressæ videantur, alterum horrorem cum constrictione inducunt, ob hoc alterum incrementum, deinde aliam constrictionem, & horrorem. Nam iterum hæ & ter repetunt. Postridie aliam habent priore minorem accessionem, sine priorum repetitione, isque illis est perpetuus deinceps orbis, vt binæ, quas dixi, binis fiant diebus accessiones. Præterea aliæ habent tertio quoque die accessionem citra horrificas illas quas diximus inuasiones, & repetitiones, vnamque habent accessionem tertio quoque die, atque accessione carent secundo die. Vnum hæ & continuum habent & æquabile ab inuasione ad vigorem incrementum.] Inde subungit semitertianam Hippocratis non posse esse intermittentem, quandoquidem lethalis sit; inde addit illa verba. [Quæ ad integritatem non veniat, sed horrificas primo quidem die facit repetitiones, altero simplicem vnam accessionem, semitertianam hanc appellamus: sin autem simpliciter tertio quoque die inuadat, tertianæ naturam referentem.] Paulò vero ante dixerat litem hanc parum referre, quandoquidem constet aliquas esse tertianas, similes tertianis, & semitertianas: sed quæ nomen mereantur non constare esse de semitertianis velut quotidianis. Ast prorsus intermittentes illas solum remittentes. Et in libro de Medico semitertiana modò inter continuas, modo intermittentes reponitur. Sed omnia euertit secundo de crisi cum dixit. [Inuadat igitur febris aliqua horrida simul, atque omninò in inæqualis in pulsibus, atque in eo, qui per totum corpus sentitur, calore, vt sæpe propius statum esse existimetur, vel medium augmenti obtinere: rursùs vero horrida fiat: & pulsus minores, & debiliores, ac tardiores, & rariores habeat, & calorem quidem ab extremis partibus recedentem, circa verò ventrem atque thoracem redundantem: hanc non absque ratione quispiam hemitritæum, id est, semitertianam fore speret, vel potius iam esse: à multis verò in tertio die noscetur. Sed hæc quidem mista est ex biliosa & pituitosa febre, de quibus antea sermo habebatur, non iam inuicem complicatis, sed per se totas confusis. Quæ autem ex complicatione fit, quadrupliciter consistit, vel tertiana quotidianæ commista: vel ea, quæ quotidie accessionem habet continua illi quæ per tertium continua est, vel tertiana ei, quæ singulis diebus accessionem facit continuæ: vel quotidiana ei, quæ per tertium diem continua est. Et infra. Multos verò earum quæ ita complicantur febrium Medici, qui circa talia sunt exercitati; siquidem acutiores videantur, omnes vocant semitertianas: si vero tardiùs moueantur, erraticas. Cum enim semel copiam acceperint putandi in semitertianis suppressiones multas fieri, & in erraticis inordinata principia: omnes sic febres, in quibus non inueniuntur compositionem semitertianas vel erraticas appellant cum tamen sæpiùs manifestissimam habeant proportionis similitudinem.] Post subiungit casum de adolescente qui ægrotauit triplici tertiana in fine autumni.

Hîc multiplices sunt cõtradictiones. Prima quòd in prima autoritate vult semitertianam fieri ex complicatione & cõfusione febriũ, in vltima negat excomplicatione fieri posse sed solũ ex cõfusione. Secunda quod in prima authoritate vult omnem semitertianã esse continuam, in introductorio diuidit dicens aliquando intermittentem. Et in libro de typis adeò breuem vt minimæ semitertianæ

accessio

accessio duret solum viginti quatuor horis maxima solum continua sit. Tertia in septima authoritate vult in semitertianam fieri horrificam accessionem secundo die, quandoque non fieri; cum in quinta dicat in secunda die fieri accessionem horridam sine repetitione, imo quoque cum ea etiam sed exigua: non igitur fit absque horrore, quodque aggrauat rem est quia dicit hanc fuisse frequentem Romæ. Quarta pendet ex illa cum depingit per adolescentem illum secundo de differentiis febrium semitertianam vt ibi dicit quæ apparet Romæ, negat tamen horrorem adfuisse in secunda die. Et tamen videtur illum fateri cum dixit loquens de quotidiana. [Septima hora inuasit, & post hora nona accessio facta est.] quinta difficultas est quod non reddit rationem quomodo reduplicatio fieret, cum non fiat contractio in continua febre: neque ostendit quia aliquis posset dicere quod fuisset duplex tertiana cum continua quotidiana, & maxime quod cum abscesserint diuersis temporibus constat non fuisse vnam febrem. Sexta quod non reddit rationem cur vt sit febris composita ex tertiana intermittente & continua pituitosa: cur non fiat facilius etiam ex tertianis duabus, vnâ intermittente, aliâ continuâ.

Respondeo quòd nomine hemitritæi multipliciter Galenus vtitur: primo iuxta vulgus & secundo de Crisi. [Febres complicatas quæ acutæ sunt semitertianas vocant:] Alio modo generaliter vt in libro de typis complicatam ex duabus intermittentibus: Alio modo secundum Hippocratem: Et de hoc non habeo quid dicam inquit ille: scio esse febrem horridam continuam quæ tertio die exacerbatur. Quartus modus est vt exquisitè & est continua pituitosa cum intermittente tertiana aut contrario modo, & de hoc dedit illud exemplum. Et hæc in die vna saltem habet duas accessiones, & quandoque tres vel quatuor; sed prima solum est accessio, reliquæ reduplicationes altera die solam annotationem incompressam in qua licet sit accessio continuæ, tamen perfrigerantur extrema & pulsus contrahitur, quia istud fit etiam in continuis libro de morborum temporibus sed in sola systole non in diastole. Et in plerisque etiam latet initium illius contractionis ob celeritatem, at non in hac quia apparet etiam frigus extremitatum, ideò potest fieri totus pulsus paruus & inæqualis. Et frigus illud non declarat accessionem intermittentis, quia non adest vllus horror, & est notandum. In talibus ergo secunda die non adest nisi illa annotatio incompressa quotidianæ, potest tamen adesse vt tertio in primum Epidemiorum, sed hoc nihil vetat quin sit exquisitus hæmitritæus. Sed loco vnius tertianæ duas suscipit: hoc autem non corrumpit illius essentiam, sed potius adauget. Demum exquisitissimus est cum accessiones fuerint confusæ non complexæ vt in adolescente illo. Confusæ accessiones tempore non distinguntur nec diuersæ sunt, sed signa habent media & conflata ex vtrisque velut horrorem ex rigore & frigore: Et finem habent eundem. At fieri potest secundum Galenum vt confusæ accessiones quædam sint & quædam non. Secundum Hippocratem autem videtur semitertiana fuisse ad vnguem similis tertianæ cum dicat septimo Epidemiorum: [vxori Theotimi in semitertiana anxietas, & vomitus, & simul horror incipiente febre, & sitis: progrediente tempore incipiente febre calor ingens. Et ibidem Andream ante Pleiadem horror febris vomitus ab initio semitertiana apparebat, verùm tertiana erat. Cum rursus in foro versaretur inhorruit febris acuta, vomitus bili meracæ, delirium ad noctem. Quarta rursus melius se habebat, quinta difficulter.] Et si quis dicat librum illum non esse Hippocratis: sit sane, at saltem cuiuscumque fuerit cum esset eius ætatis esse non poterat nisi eius qui quod Hippoctates per semitertianam continuam validam & acutam qualiscumque illa sit. At eum multis rigoribus si sit aut multiplici horrore non iam eo nomine dignatur, sed similem alterutri appellat scilicet tertianæ vel semitertianæ.

CONTRAD. XXXV.

Medicus an debeat de ægris prædicere?

Hippocrates primo Epidemiorum inquit: [Præterita dicito, præsentia cognoscito, futura prædicito.] Idem primo prognosticorum & adducit rationem his verbis: [Præsentiens enim & prædicens coram ægro præsentia, præterita, & futura, quæque infirmi omittunt enarrans, creditur magis agnoscere ægri conditionem; hinc audent homines se concredere Medico: ità curationem optimè molliens prænoscendo ex præsentibus futuras affectiones.] At in secundo prædictionum hæc habet. [Consulo vt quam prudentissimè Medici agant, tum in reliqua arte, tum in huiusmodi prædictionibus, illius probè memores: quod si cui successerit prædictio, is apud ægrum intelligentia præditum in admiratione fuerit, si vero aberrauerit supra hoc quod habetur odio, fortasse etiam insanire videbitur.] Galenus in libro de constitutione artis medicæ distinguit dicens. [Cum omnis certa prædictio sit de futuris necessariis, si materia mobilis est nulla potest haberi certa prædictio: quia & ex nobili loco decumbendo in ignobilem salutem, & ex ignobili in nobilem mortem insperatam afferre poterit. Si verò materia fixa fuerit tunc ad mortem poterimus absolute prænuntiare, ad salutem, non nisi præmissa obtestatione, quod æger in nullo aberret; nec astantes, nec reliqui.] In progn. autē hanc partem facit coniecturalem his verbis: [Fidi Medici est inuestigare qualiter in ægris futura prædicendo magna ex parte verus sit, rarò falsus.] Et rursus in tertio: [Nunquam enim in prædicendo hallucinari supra captum hominis est, sed quam minimè aberrare solius artificis.] Et in libro de

de prædictione ad posthumum: [Cuidam ex ægrotantis familiaribus submissa voce præcepi vt vas sanguini excipiendo sub veste promptum haberet, atque inde conuersus ad Medicos alta voce dixi: si parumper expectaueritis sanguinem è dextra nare fluétem videbitis.] Et quæ sequuntur, nam sanguis statim ex illa profluxit. Hoc idem de medicina coniecturali qua parte prognostica est, & certa in reliquis proponit Conciliator: suaderque numquam simpliciter prædicendum adducens multa & primum ex Auerroë illud: [Accidunt monstra in medicina, velut in natura.] Et illud Principis vulgatum secunda quarti, quamquam parum ad propositum: [O quoties signa timoris vidimus, & tamen facultas vicit morbi materiam & expulit:] Sed euidentiùs post, dum dicit seruatam eam ex qua totus vterus excidit. Ex Galeno autem illud præcipuum tertio de locis affectis: [Itaque medicinam hoc pacto professus vsque ad senectutem, nullam in hodiernum vsque diem calumniam subii, neque curando neque præsagiendo, id quod celeberrimis quibusdam Medicis interdum accidisse memini. Docuerat autem statim ante morborum raro euenientium notas præuenientes artificiosa coniectura cognosci posse, aliàs autem etiam certa. Indè in quinto cum explicasset Medici siculi casum in dubiis ambigua prædictione vsus est, in certis aperta. Quapropter dico præcognoscendum morbum, prædicendum autē de his quæ omnino certa sunt; vnde maximè coram ægro suadet Hippocrates id faciendum, non ergo de morte aut de salute, cum neutrum afferre illi possit bonam de te opinionem: nam mors metum & desperationem, salutem cum te expertus fuerit rectè pronunciasse, iam liber à morbo non erit tibi obsequens. Apparet igitur de pathognomicis & assidentibus symptomatibus loqui Hippocratem, non prognosticis ad salutem vel mortem. Et quamuis in tractatione de illis etiam agat id necessario facit quod omnia signa docere velit. Vnde Galenus vt multa alia non distinxit. Hæc igitur certa: illa non nisi raro aut sero. In quibus postmodum delectus est habendus primum ne proferas nisi rogatus, & à grauibus viris non mulierculis, stultis, aut seruis, aut pueris, qui etiam persæpè eius quod dixeris oppositum concipiunt, putantque te dixisse secus quam dixeris. Post etiam si certus fueris, procrastinando trahes; securior enim euentus, magis distincta prædictio, & magis grauis videberis, existimabuntque si voluisses etiam ab initio potuisse dicere, & in quibusvis morbis: nec te latere quicquam. Quod si ad salutem sit, alacriter pronunciato, sed sub conditione si nulla ex parte erratum fuerit, verba tamen non sint efficacia sed moderata: velut optimè spero si nihil aliud superuenerit. At in exitio tristis pronūciabis, sed significantius. Prædictio enim futurorum quantum addit opinionis apud peritos de artis scientia, tantum apud vulgus & imperitos leuitatis, aut diuinationis ab arte alienæ; & si male cedat ansam maledicendi æmulis præbet si benè maximā conflat inuidiam, quod etiam Galenus ipse testatur Quod si exitus non admodum certus est, omninò prædicere non debes, sed tanto diligentius opem exhibere in curando. Hippocratis autem sententia illa non est de prædictione medica; sed ea admirabili scilicet vt abstineas, aliam prudenter exerceas, id ergo vt non nisi coactus & cum certo noueris quid futurum sit, & per verba moderata & grauia. Illud aliud genus quod securum est etiam ad salutem ægri necessarium est. Imitare bonos nautas qui dicunt procella vel tempestas imminet: in periculo erimus ne submergamur; non dicunt submergemur. Quod si id adiiciant tertium euademus forsan, exactum erit; postquam si submergantur nullus superfuturus sit accusator.

CONTRAD. XXXVI.

Sileno an sanguis è naribus fluxerit.

IN Philisco & Epaminone, & Sileno in quarta ac quinta die parum de naribus stillauitur & mouebantur. Primo Epidemiorum. De Philisco illud apparet in narratione, sed in Sileno non commemorat quod sanguis fluxerit. Galenus neque vnum neque alium locum exponens meminit huius contradictionis. Videtur quòd sit idem Silenus vtrobique & sunt ægri illius constitutionis; Propterea deesse in in enarratione existima. Verisimile est autem fluxisse sanguinem propter ea quæ scribuntur ibidem. [In ardentibus, capitis & colli dolor cum grauitate sanguinem è naribus erupturum significat, paucum autē quia morbus erat lethalis:] Respondeo quod Philiscus est idem cum eo qui scribitur inter quatuordecim, Silenus autem non est ille cuius subiicitur historia; nam in enarratione non scribitur quod fluxerit sanguis & mortuus est in vndecima, cū prior Silenus obierit vt inquit in constitutione, sexta. Poterat præterire, sed volui addere vt attentior esset, quoniam sæpè huiusmodi causæ errorum contingunt.

CONTRAD. XXXVII.

Iecur lupi an vtile morbis iecoris?

GAlenus vndecimo de simplicibus medicamentis inquit: [Iecur lupinū sæpe numerò in medicamentum indidi hepaticum quod ex eupatorio conficitur, nec tamen quod mentione dignum sit amplius præstare comperi, ad illud videlicet cōparans quod sine ipso componitur. Idem tamen 8. de med. secundū locos dicit: Videntur autē hæc iuxta totā substantiā efficacia esse, nō secundū vnā aut alteram qualitatem, quale est lupinū hepar cuius abunde experimentum habemus, benignum enim (paulò post subiiciens) hoc visceri ipsum nutrire potens & medium in calidi & frigidi oppositione: Et ob id talia medicamenta omnibus conuenire videntur vt quæ substantiæ proprietate commoditatem ex se exhibent, neque calidas neque frigidas

gidas intemperies lædant.] Hanc contradictionem primus videtur proposuisse & si non animaduertisse Rhasis decimoseptimo continentium & in vltimo eiusdẽ: in priore enim sequutus est Galenum in libris de composit. medicamentorum secundum locos, in posteriore de Simp. med. agentem. Sed hac in parte agit potius librarium, quam Medicum. Princeps in eiusdem difficultates incidit, secundo enim canonis recitat auctoritatem ex lib. de simp. med. verùm in quartadecima tertij laudat medicamentum hoc valde maxime in imbecillitate iecoris. Quin etiam Galenus ipse sexto rursus de composit. medic. secundum locos ad crustas oris hoc commendat medicamentum velut iecori maximè congruens & per se inquit, & cum pastillis ex ex eupatorio. Solet responderi primum Galenum in libris de simp. med. non bene expertum iecur lupi, dum autem consenesceret ac scriberet lib. de medic. secundum locos (quos conscripsisse senem existimant) deprehendisse medicamenti vtilitatem. Sed res opposito modo se habet: nam vt habetur 9. de simp. med. postquam octo primos de medicamentis libros conscripsisset, viginti ferme quieuit annis antequam nonum adoriretur; adeò vt liqueat vltimos tres cum neque posteriorum faciat mentionem in senio confectos esse. Quinimo & quartodecimo methodi meminit librorum de compositione medicamẽtorum, quamquam ad illos qui sunt per genera referri possit, ita ostendere non possunt quod etiam falsum esse puto libros de composit. med. secundum locos fuisse à Galeno in senectute conscriptos: vt cõstat de tribus vltimis de simplicibus medicamentis, libris de locis affectis, libris de alimentis, libris de arte curandi, & tribus vltimis libris de simplicibus medicamentis: Mirum igitur videtur etiam si dicas quod vt dixi falsum est libros de composit. medic. fuisse posteriores vltimo lib. de simp. med. in viginti continuis annis non potuisse Galenum deprehendere an iecur lupinum morbis iecoris prodesset, sed semper falsum fuisse in experimento. Inde post tot annos quibus parum superuixisse necesse est, cum ad sexagesimum saltem compositio vltimi libri de simp. med. extendatur, ipse verọ obiit anno sexagesimo septimo, repente mutasse sententiam parum verisimile est. Sed vt dixi dubium non est libros illos vltimos de simp. med. posteriores fuisse his qui de compositione medicamentorum per genera inscripti sunt. Alij dixerunt Galenum in libris de simplicium medicamentorum compositione non negare lupinum iecur esse vtile, sed valdè vtile: in libris autem de compositione medicamẽtorum velle solum vt vtile sit. Sed hoc planè verba eius refellunt; si quidem tot præconiis vt dixi, ipsum commendat vt dubium non sit qain vtile valde existimauerit. Subtiliùs quidam interpretantur dicentes Galenum in libro de simplicibus medicamentis velle vt lupinum iecur non inutile sit morbis iecoris, sed his solum quibus medicamentum ex eupatorio paratum est, & prodesse solet, scilicet his qui à manifestis illius qualitatibus iuuantur; per se tamen citra hoc quod refrigeret, aut excalefaciat prodest proprietate sua. Sed huic obstant verba ex sexto de compositione medicamentorum secundum locos: verùm de lupino hepate non habeo quod dicam; ad hepaticas enim affectiones scio hoc pharmacũ tũ per se, tũ pharmaco ex eupatorio mixtum bibi. Itaque non solum per se, cũ est, illo etiam efficax esse putat; aut si non cum illo nec per se. Est etiam perabsurdum credere medicamentum efficax per se alteri efficaci licet alterius ordinis iunctum non prodesse. in huiusmodi nebulis versati sunt maiores nostri, vt ancipites fuerint quid dandum, quid non dandum: nec paruo labore opus fuit vt ab his nos liberaremus. Dico ergo quòd Galenus reprobat iecur lupinum apertè & hoc cum ex professo de illo agat; nam vt dixi, multò antea composuerat libros de medicamentis secundum locos, quam conscriberet librum vltimum de simplicibus medicamentis: dum ergo scriberet librum de medicamentis secundum locos inuenit iecur lupinum valde laudatum ab antiquis maximè Archigene, & Asclepiade: ideo illos secutus laudauit & ipse, sed non sub propria authoritate. Interim in eo spatio viginti annorum expertus est ipsius vires, & vidit nil iuuare vltra ipsum medicamentum Eupatorium, seu vt isti vocant Diaeupatorium: quapropter suam addidit censuram qua illud omnino elisit ex ordine medicamentorum quæ iecori prosunt. Atque hæc mera est veritas: quæ confingi possunt, multa sunt, sed falsa omnia & nugæ prorsus. Nec est aliud in quo damnari possit Galenus in hoc, nisi quòd post illam censuram non meminit correctionis illorum locorum, quod ex multitudine negotiorum & scribendi occupationibus contigisse reor. Quæ post hanc responsio assignari potest quã quasi Princeps insinuauit, est vt dicamus in libris de compositione medicamentorum loqui de imbecillitate sola iecoris: in libro de simplicibus medicamentis de illius morbis.

CONTRAD. XXXVIII.

Animæ subiectum an membrum, an spiritus.

Galenus in libro de vsu respirationis capite quinto hæc habet: [Licet autem animæ substantiam ignoremus, attamen ex diuisione ratiocinari, iis quæ euidenter apparent in demonstrationum assumptis, ex quorum numero & hoc est spiritum qui in ventriculis circa cerebrum cõtinetur alterum ex duobus necessarium esse, aut animæ ipsius scilicet substantiam, aut instrumentum. Sed si primum? cerebrum in seipso animæ substantiam habere necessarium est; hanc insitam esse caliditatem, aut spiritum, aut totam ipsius constitutionis spiciem, aut si qua alia præter ipsam incorporea facultas existit. Sed in septimo de decretis Platonis, & Hippocratis rursus sic loquitur de eadem re capite tertio: Ex

quibus sensui patentibus re suspicari posset forrasse aliquis alterum ex duobus, vel si in corporea est anima, spiritum illum qui in cerebri ventriculis continetur, primum animæ quasi domicilium esse: vel si anima corpus est quoddam, spiritum ipsum esse animam. Sed quia videmus collisis ventriculis animam paulò post rursus sentire ac moueri, neutrum horum existimare debemus. Verùm rectius fuerit si credamus in ipso cerebri corpore habitaculum esse animæ qualiscumque ipsius fuerit substantia, instrumentum verò primum ad sensus omnes & motus qui ex voluntate procedunt spiritum ipsum esse; vndè fiat vt eo euacuato animal non pereat, sed tandiu stupidum & absque sensu ac motu maneat donec rursus collectus restituatur; nam si spiritus animæ esset substantia, fieri nullo modo posset, quin ipso euacuato, simul animal interiret. Consentaneum igitur est spiritum hunc in cerebri ventriculi oriri. Dubium ergo non est quin Galenus animam in hac authoritate ponat in membro, non in spiritu; quod etiam applaudit deffinitioni animæ datæ ab Aristotele secundo de anima, scilicet quòd est actus corporis Physici seu naturalis, organici seu instrumenta habentis, potentiâque vitam. Verum in prima authoritate dicit si quis eã subtiliter contempletur quod anima est in spiritibus, aut est ipse spiritus, vt non possit esse in membris, si enim est spiritus non est in membris nisi vt vinum in dolio, & etiam verius dicitur spiritus de anima quam de mẽbro. Sed si animæ instrumentum spiritus primum est, anima non est in membris vt in primo subiecto, quia membra sunt instrumenta ex diffinitione Aristotelis, & non prima quia spiritus; igitur anima non est primum in membris. Ideò necesse esset dicere quod anima est in membris primo, & quod membra non sunt instrumenta sed spiritus, sed vt dixi hoc est absurdum. Princeps primo Canticæ videtur primæ authoritati astipulari dicẽs quod anima est in calore naturali, & anima se habens vt ignis, panis, & clibanus. Cor clibanus, calor naturalis ignis, anima vero panis in igne & clibano. Et videtur sumptum à Philosopho secundo de de anima & septimo primæ Philosophiæ. Respondeo quod anima est in membris verè secundum Galenum (nam vt aliàs declaraui ipsa est in mundo incorporeo & non in aliqua corporis parte) præterea quæ dixit in libro de dogmate. Ad aliam authoritatem dicendum (post quæ non agitur de veritate rei nec aliorum opinioni sed propria Galeni) quòd cerebrum non est instrumentum quo vt spiritus; sed est principale quia anima est forma illius vt in superiore libro vidimus.

CONTRAD. XXXIX.

An sub æquinoctij circulo sit habitatio?

PRinceps prima primi doctrina quarta capite primo dicit quòd temperatissima habitatio est sub æquinoctij circulo & adducit duas rationes; primam quia sol parum imprimit, & hoc ob duas causas licet non declaret eas, velocitatem motus cum sit maximus circulus sed hæc non est generalis cum fuerit in circulis extremis: altera generalis est quoniam nox semper est longa & duodecim horarum: alia causa est quoniam dicit non fit ibi mutatio temporum, sed omnia tempora sunt similia. Idem in secunda parte primi doctrina secunda quinta prima cap. 3. & 8. causæ caloris sunt tres, propinquitas, rectus aspectus, & mora; sed mora differre plus potest quam aspectus directus. Sed dicet quispiam in quo differt propinquitas ab aspectu recto? Dico declarat se in priore anctoritate, quod loquitur de apogeo solis quod æstate contingit, est enim circa cancri principium & perigeo quod contingit in hyeme: igitur cum interuallum hoc sit maius quam differentiæ distantiæ æstatis ac hyemis, quoniam terra est velut centrum & punctum respectu orbis in quo est sol & tamen maior sit calor æstatis quam hyemis: ergo ratio aspectus plus post quam propinquitas. Quod verò subiicit de radiis ex centro, à libris de subtilitate, tertio scilicet & quarto petendum est. Si ergo mora plus potest quam radij directio, igitur & multo magis quam propinquitas. Declarat posteriore loco hoc duobus exemplis, & quod hora post meridiem maior est calor quam in meridie & quod dum sol est in leone maior est calor quam dum est in cancro, quia iam moram traxit, igitur mora plus potest quam directio radij. Aliam addit causam de declinatione solis quæ magna est iuxta æquinoctij circulum, & circa tropicos ferme nulla: ideo subtilibus his rationibus & Principe Medicorum dignis ac Philosopho præclaro maximum esse calorem sub tropicis post etiam extra & intra tropicos ad quindecim gradus, post sub æquinoxiali. At dicet quispiam, ergo saltem sub æquinoctij circulo erit maior calor quam in regione temperata nostra vt circa Rhodum, ergo non erit simpliciter temperata? Ad hoc hic respondet dicens quòd verum est hoc quod est calidior, sed quia est magis æqualis ideò est magis temperata. Ideò constat hæc ratio in tribus propositionibus seu sententiis, quarum prima est: nihil magis facit ex tribus causis ad caliditatem morã: & hanc probat duobus exemplis. Secunda mora minima est solis super verticem habitantibus sub æquinoctij circulo: & hæc probatur tribus rationibus longitudine noctis perpetua: declinationis variatione, & magnitudine circuli in quo est sol. Tertia temperamentum regionis est non solum ob caliditatem mitiorem sed minorem temporum varietatem: quam constat verisimiliter talem esse magis sub æquinoctij circulo. Reliquæ rationes de ventis, montibus non sunt Principis, nec ad essentiam pertinent. Ptolomæus quoque narrat in vndecima Asiæ tabula auream Chersonessum esse sub æquinoctij circulo: & sub ea esse Coli ciuitatem: quam verisimilius est esse eam quæ hodie

hodie Malaca vocatur, cùm dimidio gradus tantum distet ab æquinoctiali Ioanne Barro Lusitano auctore, quam vt ipse ponit Zabam quæ ferme partibus quinque ab eodem versus Boream distat, atque ideò à Malaca M. passuum plusquam ducentis quinquaginta.

Auerroës secundo Metheororum conatur oppositum probare primum quòd calor in regione ab æquinoctio distante per septem partes, distante à tropico quatuor mensibus à solstitio durat & augetur, vt eo tempore sol redit ad locum distantem plusquam quadraginta duabus partibus à loco illo, igitur cum sub æquinoctij circulo erit sol duplo maiorem calorem efficiet, quam eo in loco tempore solstitij, & non potest recedere ab æquinoctio nisi viginti tribus partibus quæ sunt plus dimidio recessus solis à loco illo in quatuor mensibus: imò minus dimidio totius recessus: & non potest recedere plusquam tribus mensibus, ergo prius redibit quam incrementum caloris finiatur: & calor vtraque ratione tum solstitij tum distantiæ ab illo est duplo maior: igitur locus ille erit omnino inhabitabilis. Secundum absurdum est quòd ibi erunt octo tempora anni imò verius duodecim, igitur elementa non poterunt conseruari: nam totidem oportet esse tempora quot elementa. Tertium quia datur regio inhabitabilis ob frigus sub polis, ergo etiam propter calorem quia si vnum contrarium est in natura, erit & reliquum. Quartum est quasi ratio tertij: vt enim sub polis propter tarditatem motus cœli & remotionem à sole fit summum frigus, ità sub æquinoctij circulo ob contrarias causas summus calor. Demum dicit, videmus quod homines sub tropicis inhabitant speluncas; quanto minus sub æquinoctiali viuere poterunt? Adducit & rationem ex Aristotele sumptam: venti corrumpuntur à meridie venientes ob caloris magnitudinem, igitur regio illa est calidissima. Respondeo breuiter venti corrumpuntur à tota zona, non à parte sola æquinoctio subdita. Ad aliud maior est calor sub tropicis quam æquinoctio propter tres causas à Principe assignatas. Ad reliqua duo etiam quòd ibi esset summus calor posset tamen regio habitari quia calor naturæ magis conuenit quam frigus: & alit plantas, & animalia ad victum. Ad secundum non est necesse vt tempora sint æqualia numero elementis, etiamsi quatuor essent; sed solum vt responderent illis naturâ. Ad primum maior est calor sub tropicis & in loco distante septem gradibus quam sub æquinoctio. Ad Aristotelem dico quòd nesciuit hoc quod postmodum innotuit. Et similiter de Ptolomæo magnæ compositionis Auctore qui etsi hoc negat, nesciuit quæ alius Ptolomæus Geographus scripsit: quem credo fuisse posteriorem Pheludensi. Turpe fuit Auerroi qui multo post Ptolomæum Pheludensem floruit talia ignorasse, cum Princeps nouerit. Et ideò constat quod regio illa est habitabilis & satis temperata, non tamen absolutè sunt etiam partes casu temperatæ propriè vbi vigent venti & maxime frigidi, & vbi sunt montes altissimi.

CONTRAD. XX.

Tumor lædens operationem an præter naturam.

GAlenus in libro de tumoribus distinguit tumores præter naturam à tumoribus non naturalibus, inquit: [Obesi & graciles non sunt præter naturam dispositi, sed non secundum naturam, quia deficiunt vel excedunt: est enim tertia quædam dispositio quæ neque naturalis est, neque omninò præter naturam; sed cum sit posita in excessu vel defectu naturalis, non naturalis est appellanda. Tumor autem præter naturam dicitur is qui fit in aqua intercute, & gracilitas quæ fit in tabe.] Paulò post dicit etiam tumores non secundum naturam cum adeò magni fuerint vt operationem lædant sunt præter naturam. Idem in fine. Iam igitur tempus est finire sermonem nulla adhuc tumorum præter naturam specie, quæ dicta non sit, relicta. Et tamen de non naturalibus tumoribus modum excedentibus locutus non est. Et etiam vult præter naturam dici tumorem qui fit à causa præter naturam, non ergo illum qui fit ex adipe, vel carne. Respondeo quod tumor dicitur præter naturam vel ob causam ipsam, vel ob effectum: ideo non naturalis cum excesserit, præter naturam etiam erit. Sed de hoc cum vno verbo illum expresserit, causa non superest ob quam specialiter sermonem alium facere debuerit.

CONTRAD. XLI.

Sectio venæ an purgationi præmitti debeat?

GAlenus sexto Epidemiorum inquit: [Manifestum est quod cum sectione atque purgatione opus est, sectionem venæ esse præmittendam.] At Auerroës septimo collectaneorum inquit. Rhasis dixit quod vidit in hospitali magno ægros qui laterali morbo laborabant, misso sanguine, ante purgationem periisse. Adiicitq; Auenzoar iussisse ante sanguinis missionem aluum esse leniendam: aliter venas exsuggere humores prauos à sãguinis missione, fœcesq; exsiccari ait. Et rursus infra inquit: [Rhasis testatus est quod laborantes morbo laterali quibus sanguis ante purgationem missus est, perierunt:] At Galenus 1. ad Glauc. in cũ tertianæ nothæ consulit vt statim ab initio sanguinem mittamus si modo mittere opus sit. Princeps autẽ quarta primi hæc habet; [Cũ autẽ minutio & ventris purgatio necessaria fuerint, cũ elleboro aut alia medicina violenta, eã Hippoc. in Epid. præcipit, præmittendã esse venæ sectionẽ. Et hæc est veritas, seu sanguis, seu pituita superabũdauerint: sed si bilis aut humores viscidi tũc illorum euacuationẽ (sic enim legi debet) præmittere oportet:] Quod inferius etiam clarius exponit. Rursus Hippocrates primo de victu in acutis: [Si hominem nuper

nuper cibatū morbus lateralis corripuerit, si validæ fuerint vires, euacuare oportet ventrem lauante medicamento, si imbecilles glandem supponere expedit.] Et in quarto. [Si hominem apprehenderit epilepsia, aut paraplegia secanda est vena statim:] Subiicit Galenus: [Si venter non demiserit, prius clysterem immittere oportet:] Et post: [Si hominem nuper cibatum aut cum vetere excremento febris apprehenderit, tantisper quiescere oportet donec cibus descenderit aut excrementum.] Et Galenus in libro de sectione venæ, [Cum periculum imminet ne materia in membro principali decumbat, vel cum iam decumbere incœpit, statim sanguinem mittere conuenit.] Attamen paulò post inquit. [Nec dum in ventriculo cibus est, nec dum humores semicrudi sunt in venis sanguinem mitere expedit.] Et primo ad Glauconem in cura quartanæ præcipit vti mollibus clysteribus. Auerroës priore loco distinguit de medicamentis primum purgantibus validis & lenientibus, deinde etiam de morbis: quidam enim dant inducias in quibus à medicamento est inchoandum: quidam non, & in illis à sanguinis missione. Respondeo breuiter, vel est indicatio de mittendo sanguine, non tamē sanguis mittendus est ob humores viscidos in venis contentos, vt duodecimo artis curandi: Et tunc oportet vt illi humores prius dissecti oxymellite, & extenuati frictionibus ac inedia, euacuentur, quia multum interest an sit mittendus sanguis, an sit indicatio mittendi sanguinem. Et quod vbi sanguis mittendus sit statim expedit mittere, quia mittendus est: si tamen sit sola indicatio, & obstet aliquid, vtpote virium robur, differri potest, aut omninò omitti. Et hoc est quod dixit Princeps, si humores sint viscidi in sanguine; nam tales humores cum abundauerint, febrem facere solent huiusmodi, scilicet cum syncope. Secunda distinctio est, quòd si humores biliosi sint cum sanguine, qui faciant materiam turgentem, tunc oportet prius illos euacuare, quarto Aphorismorum. [Medicari in valde acutis si materia turget eadem die:] Et hoc etiam tangitur vt dixi à principe. Tertia si materia non turget, viscida est, tunc sectio venæ si necessaria est, prætermittenda est. Probatur hoc ratione, nam vel vna est indicatio, vtpote sectionis venæ, & tunc ad quid medicamento purgare? vel amborum: cumque non sit materia turgens, non potest purgari nisi in fine status morbi primo Aphorismorum, igitur non potest tunc secari vena, secundo Aphorismorū. At cum expediat mittere, necesse est igitur ab initio mittere. Quarta distinctio, si morbus indiget sola sectione venæ, fuerint tamen plena loca ventriculi, & intestinorum. Quinta si non det inducias, & aluus plena sit, & vires validæ, vel cibus in ventriculo adhuc residet, leniente medicamento educere oportet si autem aluus astricta sit & sicca, non tamen plena, clysteribus mollibus vacuanda est. Septima si vires sint imbecilles, & aluus astricta, aut plena, glande euacuare expedit.

CONTRAD. XLII.

Synochus decrescens an detur.

SYnochum dari qui perpetuò minuatur ab initio, docebat Galenus nono artis curandi dum ponit tres species in putrido ac non putrido genere, dicit autem hoc contingere quia pars quæ accenditur minor est ea quæ exhalat; quod euenire necesse est cum tenuior pars ac copiosior prius inflammatur. At hìc duo obstant primum quod vt habetur in libro de totius morbi temporibus omnis morbus habet principium, incrementum, & statum: nam coctionem incipere & augeri necessarium est & deduci, ad summum aut peruersionem: igitur non potest ab initio minui. Præterea. Quarto Aphorismorum non potest quicquam cum crudus est humor vtiliter excerni, igitur non poterit minui plusquam augeatur, eo quod maior pars resoluatur quam inflammetur. Respondeo quòd tempora sumuntur in morbis vel penes causam morbi, vel essentiam, vel symptomata. Penes essentiam conseruant illibatum ordinem, penes causas & symptomata non ità, quandoque enim causa statim ab initio minui incipit, vnde eodem libro de totius morbi temporibus: [Synochus ad statum peruenit in tribus aut quatuor horis.] Et tertio de crisi dicit quod est quasi totus status, ideò etiam quoad causam & magnitudinem habet quatuor tempora ordinata, sed quæ vix sentiantur. Quo ad sensum ergo dicitur ab initio minui, necesse est tamen partem ante partem accendi, sed hoc est momentaneum. Et si dicas ergo absque crisi potest resolui materia? Dico quod hoc videtur sentire Paulus libro secundo.

CONTRAD. XLIII.

Sanguinis caliditas & crassities an causa fortitudinis.

ARistoteles secundo de partibus animalium dicit quòd animalia habentia sanguinem tenuiorem, habent & frigidiorem; & quæ frigidiorem habēt sunt etiam timidiora, nam metus refrigerat, ostendit hoc duobus argumentis: primum quod sanguine carent sunt timidissima, quia non habent humorem calidum; contra quæ habent sanguinem crassum fibrisq; refertum, sunt animosa, iracunda, & furibunda, vt tauri & apri. Et hæc sententia à Galeno probatur libro quòd animi mores corporis sequantur temperamentum. Sed idem Philosophus tertio de partibus animalium dicit quòd animalia timida sunt quibus cor est grande fortia quibus mediocre aut paruum. Causas duas reddit, vna quod in magno corde sanguis velut in magno vase cui paruus ignis subditus sit refrigeratur: altera quod ratione venarum quæ pulsant & cauitatis maioris; maiore copia aëris ingrediente, magis

refrigeratur

refrigeratur sanguis. Concordia habetur, quoniam cordis magnitudo est causa remota amoris, & duplicata sanguinis refrigerati per se & causa multitudinis aëris; sanguis autem est causa prima, vt illa remota. Eodem modo in prima auctoritate tenuitas & puritas sanguinis sunt causa ingenij, in secunda mollities cordis. Vnde illa auctoritas secundo de anima: molles carne apti mente.

CONTRAD. XLIV.

Pituita an frigidissima?

GAlenus primo de Humana natura & primo de temperamentis. [Frigidissimum & humidissimum quod est in corpore, est pituita.] Et Princeps prima primi: [Frigidissimum in corpore nostro est pituita.] Sed post dum loquitur de humoribus. [Pituita dulcis est quæ non est valde frigida; imò corporis comparatione parum frigida est licet bilis & sanguinis frigidior dici possit.] Et rursus quod mirabilius est: Et est (dicit) phlegma dulce quod non est naturale, & est saporem non habens. Quomodo igitur dulce si sapore caret? Et declarat quod est illud quod ex se non habet saporem, sed fit dulce ex admistione sanguinis. Sed ad primam respondeo quòd pituita comprehendit sub se plures species, & est aliquod eorũ quod est frigidissimum vtpote vitreum & inde acidum: & ob id proprietas speciei tribuitur generi; sed hoc modo non est humor naturalis. Dicemus ergo quod pituita est humor vt à calore destituitur, & ideo cum hæc destitutio non habeat præscriptum terminum, sic dicitur ab eo quod inest ei secundum naturam propriam: nam ossa etiam sunt frigida, sed nõ ea ratione vt à calore naturali sint destituta. Pituita ergo quæ frigidissima est, genita est in ventriculo: quæ vero parum frigida est, in venis.

CONTRAD. XLV.

Pituita naturalis an dulcis.

[PItuita naturalis dulcis est, & apta vt aliquando in sanguinem transeat cum sit sanguis non planè coctus:] Prima primi, & sumpsit à Galeno secũdo de facultatibus naturalibus. [Pituitæ quod dulce est id naturale & animanti salutare; quod verò alterius saporis præternaturale.] Oppositum libro de atra bile capite secundo. [Pituita naturalis est expers saporis, quæ vero præternaturalis est, alia acida, alia dulcis:] Et idem primo Canticæ textu, & commentario 57. Respondeo quòd pituita naturalis quæ conuerti debet in sanguinem continetur in venis, & est dulcis sed non est humor in actu vt alibi dixi. At humor in actu est insipidus, & ideo dixit Princeps quòd non est dulcis nisi per admixtionem sanguinis.

CONTRAD. XLVI.

Mucus an res secundum naturam.

HIppocrates in libro de locis in homine dicit quod mucus est res secũdum naturam, & quod cum bene se habuerit articuli moueri possunt, & lubrici sunt. Et Princeps prima primi dum proponit commoda pituitę naturalis, proponit motum in iũcturis: itaque mucosus humor erit naturalis. Secundo quoque de facultatibus naturalibus: Et sexto Aphorismorum appellat humorem qui in articulis congeritur mucosum. At in oppositum hic Princeps vbi numerat mucilaginosum inter species pituitæ præter naturam. Et tertio de articulis inquit. [Mucosus humor lentore & albedine præditus est, & circa cartilagines abundare solet dum vix concoctrix fuerit imbecillis. Vnde etiã in oculis lippitudo λημῶν:] Et paulò post docet quod non in carnibus, sed iuxta ossa cartilagines & membranas generatur: & ideò difficulter curatur, quia non potest dissolui nisi in flatum vertatur, aut lentus fit, nec cataplasmatibus, nec insessibus, nec perfusionibus discuti potest: ideò concludit veniendum esse ad ignis auxilium, sic vt tamen ad os non penetret nec incalescat. Hic idem humor ad abortum facit quinto Aphorismorum 45. Galenus quintodecimo de vsum partium inquit quod humor ille propter duo in vteris factus est, vt scilicet partus tempore vincula fœtus laxet, & vt fœtum labi faciat. Quomodo verò pituita fiat spumosa, qualis ex ore saliua prodit & ex naribus persæpe declarabat Galenus quod ob duas causas, scilicet calorem & flatum, septimo Aphorismorum. Respondeo quòd mucus qui è naribus descendit est excrementum naturale, non tamen pituita naturalis; ideò multum interest dicere mucus est pituita naturalis, vel naturale excrementum pituitosum. Et in eodem genere est pituita quæ in vteris inuenitur, est enim naturale excrementum, non humor. Qui verò inuenitur in iuncturis duplex est alius quidem secundum naturam & est pituita quam mucum Hippocrates nominat, quia est tenuior pituita communi, est tamen humor naturalis sed à similitudine sic ab eo appellatur. Qui vero ibi præter naturam gignitur, collocatur sub pituita præter naturali & est mucilaginosus humor similis illi qui à capite descendere solet sed magis terreus. Princeps & hunc & eum qui per nares descendit, & quemuis talem nimis lentum sub præternaturali collocauit; quia vt est humor cum non sit naturalis, necessario est præter naturam: proprium enim pituitæ naturalis est vt possit conuerti in sanguinem. Tribus autem in locis secundum naturam inuenitur humor mucosus in uncturis vt vertantur, in intestinis vt exeant fœces, in vtero ob fœtum tempore gestationis, vt hora partus possit commodius exire.

CONTRAD. XLVII.

Quot sint pituitæ genera à saporibus.

PRinceps prima primi ponit quatuor genera pituitæ præter naturam à saporibus sumpta, salsum, dulce, acidum, & insipidum. Et ibidē ponit etiam Ponticum idest astringens & acre quod distinguit ab acetoso vt sint sex genera. Verùm multa obstant, primum quia primo Canticæ insipidus sapor solum naturali, non præternaturali pituitæ tribuitur; & est cum ratione: nam non est sapor ille præter naturam cum sit naturalis; aliud enim est dicere quòd pituita insipida sit præter naturam, aliud quod sapor ille sit pituitæ præter naturam, sequitur etiam ex hoc quod nullus erit sapor pituitæ secūdum naturam. Sed ad hoc diceret, quòd est species vna dulcis. Præterea ibidem connumerat solum tres species saporum præternaturalis pituitæ, salsum, acidum, & dulce; igitur non sunt quatuor. Hanc sententiam accepit à Galeno secundo de differentiis febrium, vbi connumerat hos tres tantum sapores; Et videtur velle licet non expresse affirmet quòd vitrea habeat saporem acidum. Est alia difficultas etiam de acri quia sapores acres omnium sunt calidissimi quarto de simplicibus medicamentis. Respondeo quòd primum per acrem intelligit acidum, non simpliciter vt quidam credunt, explicat enim se quòd sit hic sapor per admixtionem atræ bilis cuius sapor est velut aceti: & maximè præternaturalis. Et ideò neque est calidissimæ rei cum non sit purè acris: neque proprius pituitæ, sed quatenus admiscetur melancholiæ. Similiter astringens seu ponticus fit per mixtionem atræ bilis, vel ob nimiam frigiditatem quæ astringit pituitam illam acidam sicut Hasen dicit in textu. Relinquitur sola difficultas de insipida. Et ideò quia Princeps posuit pituitam naturalem dulcis saporis, coactus est insipidam appellare præter naturam. Et hoc est quia Princeps non credit generari pituitam in ventriculo de quo infra, ideò illam si quæ sit existimat esse præter naturam. Galenus autem cum statuat eam humorem, appellauit insipidam.

CONTRAD. XLVIII.

Pituita an aliqua crassa.

GAlenus primo de alimentis hæc habet: [Porrò, si quis nostrum panibus illis vtatur, quibus dixi athletas vti, succus ex eis abundabit crassus ac frigidus, qualem proprie crudum succum nominare consueuimus. Est sanè & pituitæ succus crudus & frigidus, non tamen crassus, vt qui humiditatem multam habeat, & spiritum flatulentum: crudus autem succus proprie nuncupatus, talis est, quale id apparet, quod in vrinis subsidet, puri quandoque adsimile: verum pus & graueolens est & lentum, crudus vero succus crassitie & calore illi duntaxat est similis, vt qui neque graueolens est, neque lentus. Non tamen febricitantibus quidem ex crudorum humorum copia solis in vrinis subsidet, cuiusmodi dixi, sed & sanis, qui post multos exantlatos labores cibos duros ac confectu difficiles esitant.] At verò Princeps prima primi vult pituitam vitream esse crassam imo & alia quam vt crudam & gipseam: quin etiam crudum humorem appellat pituitam. Respondeo pituitæ proprium vt habetur secundo de differentiis febrium est vt sit frigida & humida, quod etiam dixit in primo de alimentis; cum tamen sit humor potius corruptus quam iuxta naturam vocabitur crudus, nam crudus humor est etiam siccus. Ideò lis est in verbis, Princeps nomine pituitæ vocat omnem humorem frigidum & humidum: Galenus autem qui solum sit frigidus & humidus. Vnde tertio de alimentis sicut ex mollis carnis piscibus pituita, ita ex dura humor crudus gignitur.

CONTRAD. XLIX.

Pituita an in ventriculo generetur.

FRigidioris autem iecoris venarum angustia, pituita abundantior, libro artis medicæ: & Princeps in prima primi, cum dixit, quòd illud quod concoctionem subterfugit, est pituita. In oppositum est Galeni sententia, in libro de atra bile dicentis: [Declaratum est pituitosum humorem ex pituitosis cibis in prima ventriculi concoctione generari, vti bilosum & melancholicum in iecinore.] Et rursùs idem quinto de vsu, & in secundo virtutum naturalium concedit: addens etiam illam in intestinis, non solum in ventriculo generari: videtur & ratio huius reddi in tertio virtutum naturalium: [Ventriculus, inquit, cum cibos assumpserit, antequam distribuat concoquit, vesciturque eorum optima parte, demum emittit in intestina.] Igitur si nutritur ventriculus interiore parte à cibo, & non nisi ab humore, igitur ventriculus humorem generat, & non nisi pituitam. Adducunt quidam rationem aliam: [Homo non potest esse sine quantuor humoribus, sed pituita fit à concoctione diminuta in iecore:] Igitur dato pauco cibo, & calido, & subtili totus perfectè concoquetur, igitur nulla erit tunc pituitæ generatio; Assumta propositio est Hippocratis in primo de humana naturâ, dicentis: [Si quis humorum penitus deficiat, protinus anima interibit.] Quod in secundo de Elementis, testatur Galenus, sed cur ergo dixit in tertio virtutum naturalium. [Deficiente alimento serosa superfluitas à iecore trahitur, non solum biliosa etiam pituitosa.] Et in secundo regiminis acutorum: pituita fit cum sanguinis semicoctus euadit: Non est autem obscurum, sanguinem in iecore & venis generari. Conciliator tenuit illam potius in iecore generari, adductus hoc argumento quod humores omnes vnum instrumentum

mentum & agens habere debent. Quod verò in ventriculo generatur est imperfecta pituita, quia Princeps palam confessus pituitam in iecore generari: inquit tamen & plurimum, quod in ventriculo generatur, est pituita: igitur intelligit per eam chili, vt dicunt substantiam, aliudque pituitæ genus. Sed hæc expositio non est sufficiens, quia subiungit: [Quoniam chilus est propinquæ naturæ ipsi pituitæ.] Igitur aliud vult esse pituitam ab ipso chilo. Adducitur alia ratio à quibusdam pro opinione contraria, contingit hepar generare prauam pituitam, sicut & bilem; si pituita in hepate generatur, igitur necessarium erit vas recipiens, vt in vesica vrinæ fellis, & lienis: sed non datur secundo virtutum naturalium, igitur non ibi potest generari. Ideò hi tenent pituitam generari in ventriculo, secundum Galeni sententiam. Respondent autem præsenti autoritati, quòd multiplicatur quia parum de ea in sanguinem conuertitur, à iecore si sit frigidum. Dico quòd ista opinio potest defendi ad mentem Galeni: possumus tamen hoc adducere fundamentum aduersus illam, omnis pituita trāsit per iecur, & iecur est agens naturale; igitur agit in illam: & forma quam introducit iecur, manet in ea dum est in venis, igitur pituita quæ est in venis in iecore generatur. Melius est ergo dicere, quòd pituita habet duas formas sicut diximus de vtraque bile, & hæc est vera opinio Galeni, alteram prout est humor extra venas, & sic generatur in ventriculo, & nutrit eum, sicut nigrā bilis splenem, & flaua suam vesicam, & sic trium humorum sunt tria vasa, & ventriculus erit conceptaculū pituitæ. Aliud genus pituitæ est humor perfectus, & hîc generatur in iecore cum aliis: & sic stat mens Principis, & Galeni, & veritas: non differt, igitur pituita ab aliis humoribus, nisi quia in aliis quod est extra venas in conceptaculis fit, ex eo quod est in venis: at in pituitæ genus quod est in venis, fit ex eo quod in conceptaculis est. Galen. autem appellat humorem qui est in conceptaculo qui est in actu separatus saporem & colorem retinens: quod verò est in venis sanguinem pituitosum. Princeps autem eum qui est in ventriculo non vocat humorem quia nec est sanguis nec illius excrementum, nec in loço generationis humor genitus, qui verò in hepate vocat. Cum verò dicitur, contingit peccare iecur, dico quod tunc in bilem, vel melancholicum humorem transibit, & quòd vasa non sunt ordinata propter peccatum naturæ, sed vtraque bilis generatur vtilitate naturæ. Alia quoque ratio non procedit, quòd non generabitur bilis, dato frigidissimo alimento, sed tamen ob hoc animal non carebit pituita, aut bile. Si tamen eueniat vt eodem careat, morietur.

CONTRADICT. L.

Pituita cur salsa.

PRinceps prima primi videtur assignare causam salsitudinis esse admixtionem terrei amari cum aqueo insipido, aut exiguum saporem habente. Et reprehendit Galenum qui secundo de differentiis febrium inquit: Altera species est salsa, aut propter putridinem aut salsi serosi humidi admixtionem. Vt secundum Galenum quatuor in vniuersum sint causæ salsedinis computatis his duabus, nam tertia ponitur quarto de simplicibus medicamentis scilicet materia terrea à calore elaborata. Inquit enim amarus & salsus sapor propinqui sunt inter se, nam ambo terrei & calidi, sed tamen dissident quòd amarus à calore arido plus sit extenuatus. Deinde subiicit. [Et ex salsis qui magis talis est & subamarus, is in tenuiore & laxiore substantia est, vt qui spuma nitri appellatur. Quamquam & inter aphronitra quædam sint crassæ duræque substantiæ, sed ea sunt vitiosa. Et tertio de alimentis docet quòd decoctione diuturna aqua efficitur salsa etiamsi nihil miscueris salis. Deinde vbi salsitudo creuerit etiam per vlteriorem decoctionem amara redditur. Sed & in quarto de simplicibus medicamentis docet pituitam fieri salsam inde etiam amaram, vt in saliua videtur ob exustionem quæ contingit in ieiunio, dicens si totum corpus haberet sensum gustus vt lingua per ieiunium quandoque sentiret vbique salsitudinem, atque amarorem. Ex quo patet quòd ipse ponit transitum salsitudinis in amarorem: & causam eiusdem exustionem, aut putredinem, aut mixtionem serosi humidi salsi, quale est vrina vel sudor vt habet libro de atra bile vbi videtur velle quod hæc fiant salsa per admixtionem tenuis humidi biliosi cum aquea substantia; Princeps ergo conatur redigere ad vnam causam scilicet mixtionem terrei amari cum insipida aquea substantia. Et quoad putredinem, vult quòd amarorem pariat ob terreum quod resecatur ex putr edine ab illa exustum: ad id de mixtione aquei, vult vt legatur couiunctim hoc modo. [Salsum fit ex putredine & aquæ admixto.] Sed hoc contigit ob malā translationem quam habuit: cum apud Galenum non legatur aqueum, sed salsum, serosum, humidum admixtum quod non negaret Princeps: Sed & de putredine possent esse concordes, cum Princeps primam causam i, dest proximam salsitudinis, Galenus autem primam in ordine exposuerit. Sed differentia est in hoc quòd Galenus non dicit quòd ex amaro fiat salsum per admixtionem, quoniam hoc contradicit sensui; quantumcunque enim minimum aloes hepatici vt vocant, aut colocynthidis, aut gentianæ, vel absynthij, vel alterius rei amaræ aquæ simplici miscueris, salsum non efficies sed amarum aut prorsus remanebit vt priùs insipidum. Et si dicas quòd bilis tenuis exigua efficit hoc in vrina aut sudore; dico quod illa bilis nondum est perfecta, nec amara sed salsa. Ideò non oportet linquere experimentum propter rationem. Vult ergo Galenus quod salsum fiat in terreo densiore & cum minore gradu caloris quam amarum, ideo ex salsò semper est transitus in amarum; at amarum quantumuis modicum mixtum aqueo nunquam efficit salsum quia gradus caloris non

non potest minui: nec substantia tenuis crassior reddi, sed potius fit tenuior. Ad Principem dico quòd exponit Galenum, de putredine non redarguit. Et cum dixit fieri salsum ex admixtione terrei amari, intelligit de eo quòd per vlteriorem coctionem amarum redderetur. Cum verò proponitur alia causa salsitudinis serosum salsum humidum, dicet Princeps hoc non esse causam salsitudinis simpliciter quæ est vna tantum, sed pituitæ vel sanguinis & hoc est per admixtionem quam nemo negaret. Est enim perinde ac si quis dicat: salsa multa fieri per admixtionem salis, quod nemini dubium est. Ad illud de vlteriori coctione responderet Hasen quod reddit salsum quia exurit terreum & & permiscet cum aqueo melius. Et ita ex quatuor causis Galeni reducit in vnam.

CONTRAD. LI.

Salsa an ventriculo amica?

[Seriphon abrotano minus calidum, absynthio tamen calidius est stomacho inimicum. Nempe cum amaritate salsitudinem quandam præ se ferens: sed & quandam licet minimam astrictionem obtinet. Sic abrotanum, & santonicum admodum infesta sunt stomacho, solum autem inter ea absynthium, & maximè ponticum gratum est stomacho, quia plurimam astrictionem continet.] Sexto de simplicibus medicamentis. Antea verò dixerat quòd amarum ipsum omnifariam infensum est stomacho; vt statuerit amarum inimicissimum, astringens amicissimum, salsum inimicum. In oppositum tertio de alimentis. [Salis namque facultas (vt in opere de medicamentis simplicibus demonstrauimus) est composita: nam corporum quibus admouetur humores superfluos attenuat ac digerit, & preterea corpora ipsa cogit in sese, ac condensat.] Deinde dicit quod quæ aptè salita sunt & mollia si edantur humores crassos & glutinosos attenuāt. In vndecimo enim de medicamentis simplicibus ait. Igitur cum qualitas salsa simul digerat & contrahat contractam ab ipsa substantiam aphrolitron in hoc differt, quòd in ipso vnum modo saporem exuperantem habet, quem vocant amarum vim habentem digerendi haud etiam contrahendi veluti sal: nam hîc quidem quicquid in corporibus humidum inest absumit: & quod reliquum est substantiæ solidæ contrahit.] Ex quo patet quod ex ratione adducta vtile esse debeat stomacho. In quam sententiā Paulus libro primo, & Aetius libro secundo descendunt. Oribasius in secundo iquit Sarda salita ori grata appetitū excitat. Tynni autē venter recens stomacho idoneus vt in genere sale conditorum boni est succi. Hîc triplex vt liquet amphibologia, velut stomacho idoneus, in genere sale conditorum quia omnia talia sunt: aut in comparatione quasi dicat nullum sale conditum stomacho vtile, sed hoc minus inutile: vel inter sale condita boni succi. In tertio autem de his quæ stomacho idonea sunt ipsumque roborant connumerat oliuas sale conditas, quod & Princeps facit in secundo libro. Soluitur difficultas ex Oribasio ipso quintodecimo libro, sal astringente & detergente facultate constat, ideo cum altera sit ventriculo salutaris, altera noxia, non est facile definire iuxta exuperantem facultatem. Vt si humor sit in ventriculo viscidus, salubre erit sal vtroque modo: si non quod prorsus amarum non est & moderate etiam salsum ac terreum stomacho confert, quod autem secùs nocet. Itaque Galenus quarto de simplicibus medicamentis hæc habet. [Omni enim sali obscura quædam astringendi vis inest, qua eas quæ condiuntur carnes constringit densatque: potissimum vbi durus & minimè fragilis extiterit. Talis est exactissimus quidem fossilis ferè omnis, minus autem illo marinus: tum qui multis in locis aquis leuiter salsis arescētibus prouenit tertium locum obtinet, abstergere magis quam adstringere contrahereque potens. Proximas his vires habet Sodomiticus æquè atque marinus durus, cæterum admixtam habens amaritudinem, facultatem habens valentius abstergentem ac digerentem quam marinus. Nec ignoro exemplaria Græca aliquantulum ab his dissidere.

CONTRAD. LII.

Dysenteria an à salsa pituita.

Paulus libro tertio ponit dysenteriam à triplici causa à bile flaua, ab atra, & ab imbecillitate iecoris quam solet vocare cruentam. Aetius vero libro nono ponit quatuor causas: cruditatem, acres cibos, flauam bilem, & atram, vt nullus meminerit salsæ pituitæ, neque acidæ, nec etiam acris. Tertio quoque de symptomatum causis dum quatuor species dysenteriæ enumerat, huius quæ ex pituita fit ne meminit quidem. Et sextadecima tertij. [Et abradens est materia biliosa, aut sanguinea acuta, aut virulenta, aut saniosa fæculenta.] Et rursus Princeps post: [Et si causa fuerit phlegma curetur cum eis quæ illud educunt.] Idem Haliabbas libro nono Theoricæ; & causa dysenteriæ est aut bilis acuta, aut phlegmatica salsa. Potest autem fulciri Arabum opinio ex verbis Galeni secundo de compositione medicamentorum secundum locos dicentis: [Cum itaque hic mordax humor fuerit amarus, pallida & flaua bilis appellatur: cum verò pituitosus aut acidus aut salsus fuerit.] Propterea dico quòd hi humores sunt mordaces & possunt erodere partes molliores, & non assuetas vt pulmoni substantiam maximè tussis auxilio: per se tamen non possunt erodere intestina quæ sunt crassa & assueta, & hoc sufficit Græcis: cum tamen erosa fuerint ex abnndantia pituitæ acris, salsæ maximè, aut acidæ vlcus augetur. In febribus etiam pituita salsa potest fieri acris vt erodat intestina, & hoc sufficit Arabibus.

CON

CONTRAD. LIII.

Tenesmus an possit fieri ex pituita?

PRinceps sextadecima tertij inquit: [Si causa tenesmonis fuerit humor putrefactus infractus ex pituita aut bile, aut fuerit pituita viscida, curabis eum cum ablutione.] Sed Paulus & Aetius volunt quòd omnis tenesmus fiat ab inflammatione. Respondeo quòd vt habetur à Galeno libro de differentiis morborum, inflammatio duplex habet significatum, phlegmonem, & quemdam feruorem absque phlegmone; sub quo sensu solebat intelligi ab antiquis. Est ergo primum tenesmus inflammatio recti intestini, scilicet feruor, non phlegmon. Princeps huius feruoris causas diuersas retulit, Græci autem morbum ipsum; nam tenesmus est symptoma.

CONTRAD. LIV.

Lepra & scabies qui morbi, & à quibus humoribus.

AEtius libro decimo tertio inquit. [Lepra fit ex humore crasso ac viscido & magis atræ bilis participe quam vitiligo alba, de qua dixerat ante, quæ fit ex pituitoso lento ac viscido sanguine.] Inde subiungit. Differt autem lepra ab vtraque vitiligine, leuce, & alpho quòd aspera est & pruritum locorum inducit, cutis enim sola est quæ affecta est: vnde & excoriata cute, caro subiecta sana reperitur.] In leuce verò velut dictum est, subiecta cuti caro tota per profundum transmutata est ad albidiorem colorem. Ab impetigine verò seu papulis, vt Celsus libro quinto, quòd impetigo orbiculatim ad vicina loca proserpit: à scabie quoniam lepra facit retrimenta sicut squammas piscium, scabies autem furfuribus similia. Verum Paulus dicit quod lepra & scabies fiunt ab humore melancholico: pruritus autem post dicit à materia pituitosa putrida, vel salsa. Galenus libro de cibis boni & mali succi dicit lepram & scabiem fieri ex humore melancholico, sed in quinto de medicamẽtis secũdũ locos dicit quòd fiunt ex crassis, serosis, tenuibus, & acribus simul mixtis. Idem quartodecimo methodi dicit quòd lepra, & scabies, vitiligo, Elephantiasis, & sphacelas sunt vitia solidarum partium. Et quod herpes est vitium solius cutis, quia est à tenuissimo humore. Princeps septima quarti videtur cognouisse contradictionem de causa lepræ: quam vocat Saaphati, sicut elephantiasim lepram: inquit enim Saaphati (quod est lepra Græcorum) est duplex, aliud enim est materia crassa serosæ admixta, aliud quod prauum est ex melancholia. Sed dum vnam sedat, aliam excitat; nam post dicit quòd scabies est duplex vna quæ est sicca & fit ab atra bile, alia humida, & fit à pituita salsa sanguini mixta. Dico quòd opinio Principis est vera, nec sequitur scabies & lepra fiunt ab humore melancholico, ergo omnis scabies & lepra ex eo humore fiunt. Nam intentio Galeni est ibidem docere solum qui humores quos morbos creare possint, non qui morbi ex quibus humoribus constent. Non sequitur enim pituita potest efficere pustulas, igitur pustulæ omnes ex pituita constant: Sunt enim aliæ biliosæ, aliæ sanguineæ, aliæ serosæ. Et similiter Paulus transtulit scabiem humidam ad caput de prurituvt differentia solum sit in verbis. Ad secundam respondeo quòd tales morbi sunt solius cutis per se quia natura intendit protrudere totam materiam ad solam cutim, sed quandoque contingit quòd est adeò multa & praua vt ob moram corrumpat etiam carnem. Colligitur etiam solutio prima primi à Principe cum dixit: Malancholia alia est quæ est cinis pituitæ & quòd de ea adustum fuit: Et si pituita valde subtilis & aquea fuerit, eius cinis erit salsus: & si crassa acris (idest qualis aceti) & ponticus idest acerbus, sunt enim iidem conferendo verba Galeni quarto de simplicibus medicamentis cum verbis Principis in secundo libro.

CONTRAD. LV.

Sapor acidus an in sola pituita

GAlenus sexto Aphorismorum. [Non fit ructus acidus præter coctionis frustrationem nisi pituita præsertim acida in ventriculo abundet.] In oppositum octauo de Decretis Hippocratis & Platonis: [Atra bilis est acidissima.] Et tertio de victu in acutis. [Bilis atra est acida.] Et quartodecimo artis curandi, & in libro de atra bile. [Bilis atra est saporis aceti.] Et quod magis mirum est antea dixerat eam esse saporis acidi. Princeps in prima primi ait: Quæ cum sanguine procedit ad venas dulcedinis & acerbitatis particeps est, quæ verò ad lienem acris (idest saporis aceti.) Respondeo quòd Galenus quarto de simplicibus medicamentis docet saporem acidum esse frigidum, aceti autem non exquisitè frigidum sed habere calidas partes & acres. Et post. [Sapor quidem acidus est simplex in oxalide, & oxylapatho, atque syncerus non acerbo mixtus vt in maturescentibus fructibus, nec acri vt in aceto.] Et rursus ante hæc ibidem. [Vinum cum putrescit fit acetum & eius pars tenuis ex qua calor eius resoluitur exquisitissimè frigida est acida, quæ vero aduritur calida, & acris; ideò acetum non solum acidum, sed & acre est.] Et in primo rursus. [Quo magis senescit acetum eò acrius fit.] Quare pituita sola acida est simpliciter, atra bilis autem pro fæce sanguinis acerba & dulcis: Quæ ad lienem permeat acida & acerba vt libro de atra bile: quæ corrupta & exusta est aceti saporem refert, acre enim caliditatem demonstrat, acerbum terreum: horum alterum inesse melancholiæ necesse cum sit, solam pituitam acidum saporem syncerum referre palam est.

CONTRA



CONTRADICENTIVM MEDICORVM, LIBER OCTAVVS.

CONTRAD. I.

Acetum & mel cuius temperaturæ, oxymel quale, & quotuplex.

[MEl est calidum & siccum in secundo ordine.] Septimo de simplicibus medicamentis. Idem Paulus libro septimo, & Aetius libro primo: At Galenus primo de simplicibus medicamentis videtur ponere quòd acetum sit calidum obscurè, & frigidum moderate & infra [Cæterum vinum & acetum aquæ immixta velut alas illi ad permeandum omnes corporis partes exhibent, licet ipsa nequaquam frigida sint & humida.] Inde subiicit. [Vtrum autem acetum refrigeret ac deducat aquam, an autem solum deducat nec refrigeret per se vt vinum, ex hoc considerandum est an sitim faciat, an non, sed sedet, videtur enim à vino sitis semper increscere, ab aceto autem modo increscere, modo minui.] Idem in octauo libro : [Acetum est in tertio ordine exsiccantium, partes autem habet frigidas & calidas, sed frigida calidam exuperat.] At in eodem & tertio de temperamentis dicit dubium fuisse antiquis an calidum, sit an frigidum. Sexto quoque de medicamentis secundum genera acetum inter acria medicamenta calida numeratur. In oppositum primo de Simplicibus medicamentis; [Acetum strenue refrigerat.] Et in tertio eiusdem. [Acetum est ex valde refrigerantibus.] Et rursus in quarto. [Acetum multis numeris frigidius est quam sit mel calidum.] Respondeo quòd si quis vellet concordare hæc ad mentem Galeni facile esset, dicendo acetum esse frigidum & siccum in tertio ordine, verùm habere quasdam partes acres quæ sunt calidæ, atque ità acetum erit frigidius quam mel calidum : hoc tamen est propter hominem ambitiosum velle perdere humanum genus ; neque enim iustum est primùm existimare antiquos dubitasse de aceto an esset frigidum, cum supponatur in tertio ordine. Deinde nullum opus eiusmodi in acein aceto visum est quod simile esset his quæ proueniunt à portulaca & sedo & similibus. Quin etiam decimo artis curandi vbi oxalidis & oxilapathi meminit, non docuit an essent ex tertio genere infrigidantium : cum tamen hæc sint pure acida & syncera non vt acetum mixta, quarto de simplicibus medicamentis. Et quod magis mirum est inquit acetum mixtum vnguento è rosaceo oleo & cera in frigida abunde refrigerato, efficere vt medicamentum magis refrigeret atque humectet cum tamen velit esse siccum in tertio. Acetum etiam cum transeat è vino calido ad acorem, primum quidem reddetur temperatum: deinde diù manebit frigidum in primo ordine & diutiùs in secundo antequam ad tertium transeat. Quomodo ergo acetum erit ex ordine refrigerantium in tertio? Quòd si dicas valdè acre esse frigidum respondebo ex Galeno quod acris sapor est calidus. Hic error totus ortus est partim studio contradicendi antiquis quo Galenus ad satietatem tenebatur, vt Cicero se ipsum laudandi; partim quòd mel posuit calidum & siccum in secundo ordine vt visum est, oxymel autem vt inquit octauo artis curandi nec accendit febres, nec excalefacit; mulsa autem excalefacit, vndecimo eiusdem igitur oportet vt acetum sit frigidius quam mel calidum. Sed rei veritas est quod mel neque calidum est in secundo ordine, neque multo minus siccum. Sed antequam eo deueniam, dico quòd duplex est oxymel crudum & inueteratum, & coctum recens. Crudi & inueterati meminit Plinius libro quartodecimo. Mellis libræ decem, aceti veteris eminæ quinque idest libræ tres, vncia & dimidia; aquæ pluuiæ sextarij quinque idest libræ sex, vnciæ tres, salis marini libra : feruefacere decies atque elutriare oportet idest quod trasuasare dicimus, inde seruare. Aliam habet descriptionem libro vigesimo tertio, mellis libras decem, aceti veteris eminas quinque idest libras tres, vnciam cū dimidia, aquæ marinæ sextarios quinque idest libras sex, vncias tres. Salis marini libram, thymbræ quadrantem Hæc parum à præcedente differt nisi quod thymbram addit & aquam marinam assumit pluuialis loco. Dioscoridis descriptio differt à prima solo aceti pondere, nam loco eminarum quinque, habet sextarios totidem, quod est duplum, & ideò credendum est in Plinio esse errorem; Verùm cocti oxymellitis quatuor descriptiones ponit Galenus quarto de tuenda sanitate. Prima est sine aqua ex melle despumato & dimio aceti, sed postmodum bibitum cum aqua. Inde ex tribus scilicet partibus quatuor aquæ & aceti, ac mellis partibus duabus quod est validissimum, alia mediocris quæ etiā est Mesue & in vsu quotidiano, constat aquæ partibus quatuor, duabus mellis, & vna aceti : debilissima aquæ partes quatuor, mellis vna, & aceti dimidia. Vnde malè faciunt qui vnicam semper in vsu habent. Reuertendo ad rem dico quod acetum

acetum verè est frigidum non vltra primum ordinem cum dimidio,mel autem calidum in fine primi, & vix siccum,nisi vetustate corruptum sit. Ipse enim Gal. statuit dulcedinem esse in calido temperato quarto de simplicibus medicamentis. Et in sexto eiusdem.Verùm quod clarius est in eodem quarto dicit quòd vt dulce est calidum plus aut minus, etiam est humidum plus aut minus: mel ergo cum dulcissimum sit,quomodo poterit esse siccum & maximè in secundo ordine? Quod ergo fefellit Gal.est mellis substantia tenuissima quæ statim trãsit in fuliginem, & ob id creditum est esse calidum & siccum. Cum igitur mel editur à calida sicca intemperie,statim commutatur in bilẽ,tum ob substantiæ tenuitatem;tum quod trahit à iecore ante coctionem in ventriculo. Aliter etiam quod quis comederet libram mellis non sentit calorem vllum.Vt mel sit calidum in fine primi ordinis,saccharum in medio,humidum in initio primi.Sed adeò vt euanescat statim; si enim esset siccum,esset odoratum;est enim tenue.

CONTRAD. II.

Acerba an in profundum agant.

ACida quidem in profundo magis agunt, acerba autem in superficie.] Quarto de simplicibus medicamentis:at primo eiusdem inquit.] At quod deficcat & contrahit linguã & in multam profunditatem illã exasperat, id totum acerbum appellamus.] Resp. quod vtrinque loquitur comparatiuè in secunda auctoritate austeri & astringentis, in prima autem acidi.

CONTRAD. III.

An omne amarum sit calidum.

GAlenus quarto de simplicibus medicamentis vult omnẽ amarum esse calidum, & non solum calidum,sed etiam siccum,non tamen omne calidum & siccum est amarum; acria enim quædã calida & sicca sunt amaritudinis expertia.Dicit ad hoc vt aliquid sit amarum quatuor requiruntur; quòd sit calidum,siccum,tenue,atq; terreum. Et dicit argumẽtũ quod sit omne amarũ siccum, quod amara valde prohibẽt generatione animaliũ, & genita etiam fugant ac occidunt. Auerroes autem secundo de anima,& quinto collectaneorum adducit quinque rationes in oppositum;prima est ab experimento cucurbitę si liquæ,glãdes immaturæ,opium,rosæ, cichorium sũt amara, imò opium amarissimum est & frigidissimum.Sed quia Gal. 4. de simplicibus medicamentis respondet huic dicendo quòd licet amaritudo appareat,tamen dominatur alia substantia quæ nõ est calida,dicit Auerr. medicus est artifex sensitiuus, & iudicat à gustu & ideò si apparet amaritudo & calor est causa amaritudinis, igitur debet iudicare illud medicamentum calidum. Et ad hoc respõdeo quòd amarum excedit propter naturã saporis quia magis sentitur quam insipidum;ideò valet,amarus sapor sentitur,ergo in hoc medicamento sunt partes calidæ,non tamen sequitur,igitur prædominatur caliditas.Et si dicas quomodo cognoscetur temperatura à medico? Resp. quòd ex aliis saporibus qui semper sunt in eis. De opio diceret quòd habet saporem abominandum,non tamen amarum sicut nos diximus aliàs.Similiter etiam de odore prauo de quo 4.de simplicib. medicam. illius herbæ quam attulit centurio qui erat valde grauis & malus,ex quo Gal.existimauit eam esse venenosam, sic opium. Et ideò credendum est illam herbam habere saporem horribilem,non tamen amarum,vocabatur lycopersium quasi lupus persicus. Vnde colligitur regula duplex quod valde grauis odor apud Gal.significat venenosam qualitatem : quodque is odor indicat de graui sapore. Secunda ratio,sapores calidi per vlteriorem coctionem amarescunt secũdo de facultatibus naturalibus,tertio de alimentis, Et quarto de simplicibus medicamẽtis:Sed fructus amari immaturi per vlteriorẽ concti onem fiunt dulces;igitur temperatura illorũ fructuum antea non erat calida, & est validum argumentũ.Ad hoc sumitur responsio ex Gal. 4. de simplicibus medicamentis quod nullus sit talis fructus.Pręterea non intelligitur hoc de elixatione, imò dicit oppositũ in 3. de alim. quia dicit quod aqua bene induit saporem,sed quod coquitur exuit.Diceret Auer.quòd succus qui recipit saporẽ remanet in ipso fructu,ideò fructus deberet esse amarior,Ideo dicimus quod expresse intelligitur hoc de coctione artificiosa cum igne in qua nulla fit additio noui succi: sed coctio fructuũ est à calore solis & per cõtinuã additionẽ noui succi.3.ratio est cõtra formam argumenti Gal.amara sunt calida in comparatione ad hominem,ergo fiunt à calido simpliciter. Ad hoc responderet Gal.ex 3.de simp. medic. quòd Medicus considerat omnia in comparatione ad hominẽ, & hoc ei sufficit. Argumentũ etiam concludit in calido ab homine ad ordinem rerum. Quarta ratio amarus sapor magis consequitur siccitatem quã calorem.4. de simplic.medic.ergo aucta siccitate in immensum & sublața caliditate adhuc remanebit sapor amarus.Ad hoc diceretur à Gal. quod est comparatio siccitatis ad calorem in hoc vt circuli æquinoctij ad echipticam in ascensu,nam aucta siccitate vsque ad certam metam, & diminuto calore augetur amaritudo:post tamẽ dum nimis calor diminuitur etiam quod siccitas augeatur decrescit amaritudo. Quinta ratio si sapor amarus esset calidus Aristot.in lib.de sensu & sensili vult quod amarum sit priuatio dulcis & probat ex hoc quod omnia dulcia exusta redduntur amara.Item amarũ est quod prorsus nõ nutrit,dulce quod maximè nutrit,igitur si amarum est priuatio dulcis : at amarus sapor & dulcis calidi per Gal. 4. de simplic. medic. igitur omnes sapores essent intermedij. Et media sunt ex natura extremorum. Resp.ad hoc quod Gal. diceret dulce & amarum non esse cõtraria quoad causas,sed quoad sensum iucundi & horribilis, & effectum nutriendi maximè & non nutriendi:licet etiã quoad causas dulce cum fiat ab humido, & amarum à sicco possent dici contraria.

CONTRAD. IV.

Vesicæ duæ an habeant vnicam tunicam.

GAlenus quinto de vsu partiũ,& princeps quintadecima tertij aperte testantur tam vesicæ vrinæ quam fellis esse vnicam tantum tunicam,& ob id dicit Gal. necessarium fuit vt vtraque earum triplici genere villorũ constaret vt omnes functiones perficere posset. Et hanc sententiam confirmat in sexto Anatomicarũ aggressionum. In decimanona tertij dicit quòd vesica vrinæ habet nisi tunicam vnam, vbi iungitur meatibus vrinariis, ibi enim habet duas. Confirmatur hoc de vna tunica claré 3.de natural.facult. Subscribit huic opinioni Vesalius lib.5.In oppositum Falloppius in obseruatio. Anatomicis. [Scias igitur (ait) vesicam tres habere tunicas vti ventriculus,& intestina habent:vnã à peretonæo communem, & duas proprias, quarum altera tenuis est admodum neruea lucida & candidissia,omniq; fibrarum genere densissimè cõtextam,institutam vt videtur ne omnino ex vrina quid excolet,hæc tunica facillimè si aliquantisper vesica infletur ab exteriore separari potest,ita vt ego aliquando totam fermè separauerim absque negotio magni momenti. Alteram etiam habet exteriorem carnosam subalbidam, qualis est caro ventriculi & intestinorum,quæ cum extẽditur satis tenuis est:atq; per hanc nisi prima obstaret facilè vrina dilaberetur; hæc plurimis fibris per longitudinem ac latitudinem abundat:verum obliquis duntaxat paucis. Mirum autem est Anatomicos præterire potuisse.] Dicendum quòd tunicæ duæ sunt, sed ob paruum discrimen in operatione pro vna habentur.

CONTRAD. V.

Sanguis an in iecore generetur?

GAlen. 6. de decretis Hippoc. & Plat. demonstrare nititur sanguinẽ non in corde, sed iecore generari. Adducitque rationẽ primam; nullum vas est in corde ex quatuor illis quæ adsunt quod sanguinem per vniuersum corpus deducat, nam vnum dicit quod est in dextro ventriculo sanguinem admittit ex iecore, nec emittit cum ab intus ad extra claudatur.Secundũ verò sanguinẽ in pulmonem immittit. In sinistro primũ spiritum recipit è pulmone reliquum emittit receptum. Neque negat emittere sanguinem arterialem qui generetur in corde, sed contra Erasistratum arguit: qui etiam sanginem venalem in dextro cordis ventriculo ex quo totum corpus nutritur generari affirmabat:Secunda ratio infrà habetur:cuicumq; membro propria quædam est facultas iuxta quam est peculiaris etiam substantia,qualis est caro pulmonis, iecoris,oculorum humor crystalloides;igitur caro iecoris propriam habebit functionem. Porrò nulla alia potest assignari nisi sanguinis generatio, cum vnumquodque à simili generetur, appareat autem sanguinis substãtiam esse simillimam iecoris carni, adeò vt iecoris caro nihil aliud sit quam sanguis cõcretus.Nam venarum substãtia,dicit,cum sit membranosa, non potest sanguinem generare:ideò malè, inquit, existimant qui credunt sãguinẽ in venis generari. Et quia obiici poterat,etiam caro cordis rubra est? Dicit Gal. verum est, sed non adeo humida, ideo alium generat sanguinem arterialem qui eo magis est flauus calidus atq; siccus,quo cordis caro carne iecoris,cum igitur caro cordis defferat à carne iecoris cui simillimus est sanguis venarum non solum colore, sed etiam substantia,igitur sanguis venarum in iecore generatur. Tertia ratio sumitur ex venarũ ortu. Venæ enim inquit,ex iecore ortum habent, par autem est eandem esse originem seruiẽtis instrumenti ac deferentis,tum eius cuius causa membrum seruiens seu pars facta est.Quarta ratio in eodem 6. de decretis Hippoc.& Plat. habetur. [Omne membrum quod alteri præparat materiam,nullum habet alium meatum præterquã eum qui ad illud defert:ideo quod totam materiam illi reseruat,sicut ventriculus & intestina quæ iecori præparant:& pulmo cordi aërem non alium habet meatum nisi ad cor tendentem,& ità seminis vasa testibus, reticularis plexus cerebro;At ex iecore diffunduntur venæ passim quæ ex inferiore parte cauæ prodeunt, à quibus etiam nutriuntur omnia membra inferiora septo transuerso.] Igitur iecur sanguinẽ non præparat cordi. Quinta ratio nutrimentum corporis non debet esse ex sanguine duorum generum,nec perfecto ac imperfecto,sed cõstat dissectione partes inferiores nutriri sanguine ex iecore illico prodeũte,igitur neq; sanguis in corde perficitur, nec si perficiatur nutrire poterit reliquũ corporis.Vltima ratio,ibi generatur sanguis,vbi sunt vasa quæ illius excrementa recipiunt;sed iuxta iecur & iecori connexa sunt vasa quę sanguinis excrementa recipiunt,renes serosum,lien atrum,fellis vesica quæ biliosum;constat igitur sanguinem in iecore generari.Hæc Gal.nimis anxiè certè contra Erasistratum & cupidè dogmatis tuendi gratiã potius,quã veritatis studio disseruit atq; aduersus Aristot. Auerr.ergo 3.de partib. animal.existimat tres esse rationes ab Arist. positas quarum prima est. Principium vnum esse debat omnium functionũ, sed cor est principiũ caloris, & vitæ ac sensus;igitur & nutritionis, quare & sanguinis corpus nutrientis.Secunda,venæ ortum habent ex corde,igitur & sanguinis. Gal.statim negaret assumptum intelligens per venas eas quæ non pulsant.Et rectè inquã vt suo loco visum est. Tert. illud mẽbrũ est sãguinis principiũ quod in seipso sanguinem absq.vena continet.Sed nulla in parte sanguis cõtinetur in substantia mẽbri tanquã in lacu quodã absq;venis præterquã in corde,igitur sanguinis principiũ est cor.Hîc mihi duo necessariũ est facere,primũ demonstrare veritatem rei & est opinio Aristotelis,secundò illud in quo decepti sunt Galenus & Auerroës.Vel igitur sanguis arteriarum est vnus cum sanguine venarum,& cum cõstet etiam per Galenum arterialem in corde generari igitur sanguis in corde generabitur.Vel dissident,& tunc vel erunt duo humores aut vnus:si duo humores, igitur erunt quinque humores: scilicet sanguis arterialis & venalis,flaua bilis,& nigra,ac pituita quod

Hippocrati

Hippocrati & Galeno repugnat, atque omnibus ferme qui de natura locuti sunt. Relinquitur igitur vt distinguatur inter se, & vterque sit sanguis vnusque perfectus dignusque nomine propriè sanguinis & propter se genitus; alius inperfectus & propter reliquum genitus, indignusque sanguinis nomine. Videndum est igitur an perfectus ille sit arterialis vel venalis & diceret Aristoteles, vt etiam ab authore libri de anatomia viuorum quod arterialis continet spiritus, & vitam, & vim pulsandi fitque ex venali non vt excrementum; igitur arterialis sanguis solus meretur dici & appellari sanguis, & erit perfectus, & hic generatur in corde; igitur cor est verè sãguinis principium. Et de hoc sanguine & his venis propriè idest arteriis intellexit Aristoteles, non de his quæ non pulsant. Quia Aristotelis sententia est interpretanda eo modo quo ille eam demonstrat. Neque enim torquet Aristotelem quod alius sanguis imperfectus in iecore generetur, nec quod sint aliæ venæ quæ illum vehant, sicut neque quod chilus non generetur in corde, sed in ventriculo, nec per arterias, sed per venas meseræi deferatur. Nam quęstio est quis sit verus sanguis atque perfectus, & vbi ille generetur? nõ de mutationibus quę ante illius generationẽ fiunt, imo diceret Aristoteles quod cum imperfectum & perfectum non in eodem loco generentur, quod sanguis venarum nõ potest generari in corde. Causa igitur huius erroris fuit quia Galenus & Auerroës de venali intellexerunt, quanquam etiam diuersis modis, nam Auerroës de vtroque interpretatur Arist. Gal. de venali tantum sequutus Erasistratum qui solum eum admittebat sanguinem vt idẽ Gal. recitat negans in arteriis vllum contineri. Argumenta igitur Gal. ex hoc diluta sunt præter 4. ac 5. Ad 4. igitur diceret Philosophus quod totus in vnum locum defertur idest, cor vel arterias cum singulis venis arteria societur. Nam & chilus dum defertur ad intestina spargitur, verum ex illis ad venas meseræi totus defertur, ita sanguis præparatur totus cordi vel arteriis, & ad hæc membra totus fertur, sunt arteriæ cor potentia: Cur autẽ non simpliciter ad cor totus, ostẽdam inferius. Sed nec argumentum illud concludit, nam posset dici quod vt sanguis fæculentus ad lienem deriuatur, ità imperfectus ad membra inferiora; at nutritur, nutrit & is qui ad lienem defertur. At qui ad lienem defertur imperfectus est? Sed & ille qui ad intestina & ventriculum, & neruos etiam ipso teste Galeno sanguis est pituitosus & aqueus. Ad aliud primum naturæ intentum est, vt cor nutriatur per se, tum pulmo, & hæc membra arteriali sanguine nutriuntur: quo fit vt ille etiam teste Galeno deberet esse principalior. Mirumque cum Gal. concedat pulmonem arteriali sanguine nutriri, & lienem melancholico, & ventriculum chilo; quomodo velit concludere quoniam pars corporis venali sanguine nutriatur; ideò non posse nutriri etiam arteriali, eandẽ simul atque aliam partem solum ipso. Sed secundum Aristot. cor & pulmo quæ sunt membra, solũ per se necessaria, imo vt docui cor verè solum est homo, nutriuntur substantia veri sanguinis idest arterialis tantum; reliqua membra arteriali ac venali vt ab arteriali transmutatus est. Quod si neget hoc Gal. dicat quæso cur ipsomet teste arteriæ vbique venis coniunctæ sint? Neque enim alia potest causa assignari quam quia venalis sanguis solus nutritioni aptus non erat. Atque ideo frigido corde & in quibus hic calor per febres aut alios morbos resoluitur in anasarcam transeunt. Sed cur, dices, non totus sanguis in corde permutatus est? Quia dicet Aristot. necesse fuisset cor longe maius reddere & totũ corpus ob id à debita proportione remouere. Commodius igitur factum vt ab arteriis etiam cordis vi hæc transmutatio fieret, tum præsertim quia hæc sufficit ad ignobiliora membra nutrienda. Indicioque esse anastomosin à Gal. cõcessam. Ratio igitur demostratiua de qua dixi descripta est in seqũeti lib. & sumpta est ex secũdo de generatione animalium. Qua enim ratione concessum est arterialem sanguinem nutrire, & cum clarum est in corde generari: & qui nutrit verè sãguis est. Concluditur ex his tribus orationibus sanguinem in corde generari; eorum enim quæ agunt illud agere dicitur propriè quòd est perfectius in eo genere; sed sanguis arterialis cum ex venali generatur & in corde perfectior est, & nutrit; igitur est propriè & perfectè sanguis, & is in corde generatur: igitur generatio sanguinis est in corde vt censuit Aristot. imperfecti autẽ in iecore. Quare Gal. cũ Philos. cõcors est.

CONTRAD. VI.

Sanguis an in solo iecore generetur.

GAlen. 4. de vsu partiũ declarat quod sãguis in iecore ab illius carne generatur, quodque illa sit primum eius generationis instrumentum. Argumento sumpto à venarũ illius gracilitate vt & diutiùs manens, & à carne eius arctius contentus rubicũdior euadat. Idem quoque 7. eiusdem & 6. de decretis Hippoc. & Plat. Sed oppositum secundo eiusdem cum dixit [E iecore in vẽtriculum pertinẽtes venæ in quibus primũ sanguis gignitur.] Et quarto rursus de vsu partium:]Iecur postquã à venis mesereis velut à famulis, iam præparatũ ac quasi obscuram & rudem sanguis formam referentem alimentum acceperit, postremum ei inducit ornatũ ad sanguinis exacti generationẽ. Princeps puto ob id posuit quatuor concoctiones, vt suo loco visum est. Resp. quod sanguis solũ in mesereis generatur, nõ in aliis venis extra iecur. Deinde solum iecoris virtute, non propria: tertiò absque rubedine, sed sanguis perfectus ac ruber in solo iecore generatur. Et iuxta id quia sãguis generatur vbi humores reliqui, dubitatur an humores ipsi in solo iecore generẽtur.

CONTRAD. VII.

Humores an extra ventriculum & iecur generari poßint.

GAlenus secundo de temperamentis quem Princeps secutus est prima primi posuerunt

runt bilem pituitam præsertim generari in iecore aut ventriculo: De aliis humoribus nullibi nisi vt dictum est in iecore & meseræi venis, nec de his nisi in commemoratis locis quòd generari possent, mentionem fecerunt. Et verè Galenus & in libro artis medicæ, & secundo facultatum naturalium statuit illorum generationem solum in iecore. Attamen secundo prognosticorum inquit: [Vrinæ fiunt acres, biliosæ, fætidæ propter vim concoctricem quæ in toto corpore viget. [Respondeo corruptio humorum potest fieri in toto corpore, quare & generatio humoris corrupti. Sed naturalis humor non potest gigni nisi in locis dictis in tribus his contradictionibus.

CONTRAD. VIII.

Febris putrida an morbus factus.

FEbrem putridam Galenus vndecimo artis curatiuæ, duobus in locis præcipuè diuidit ratione curæ; in putredinis ablationem, vt febris quæ fit vt est in generatione tollatur, & ablationem iam factæ. Ponitque curam iam factæ partis alio modo, & post eam quæ fit, nec illam quæ fit febrem appellat simpliciter, sed solum febrem quæ fit: illud idem clarissimè habetur libro de differentiis symptomatum: dicit, omnis morbus est affectus, affectus autē res quę aliquanto tēpore manet: omnis igitur febris putrida si fit morbus, manet etiam sublata causa. Contrarium tamen videtur quia Galenus secundo Aphoris. distinguit morbos qui fiunt ab his qui facti sunt & ratione curæ. Et de hoc dicemus infra. Sed dices non loquitur de febre, imo sic? & postquam in hunc sermonem incidimus de quo in septimo libro egimus, & ex quo difficultas orta est: operæ pretium est declarare illius loci sententiam. Diuidit Galenus morbos in eos qui solum fiunt, & quia iam factissunt, reliquit factos, quia de illis difficile erat demonstrare quod sublata causa tolleretur morbus, de his qui fiunt sermonem aggreditur, docetque in his verissimum esse quod dicit Hippocrates, quod ablata causa statim morbus cessat. Quòd etiam ostendit ex dicto Galeni de optima secta vbi docet quod intentio curandi debetur causæ non morbo de quo etiam dictum est. Igitur in illo Aphoris. volens per exempla hoc declarare, docet quod si calor faciat morbum, sublato eo per frigida, statim tollitur morbus; ex quo apparet quod cum calorem causam morbi appellet, causam continentem in morbis qui fiunt dari. Inde declarat quod longæ inediæ febres accendunt; cum igitur loquatur de morbis qui fiunt oportet, febrē inter morbos qui fiūt adnumerari. Posset etiam adduci ex declaratis quod putredo nunquam facta est, sed semper fit, igitur & febris. Sed neutrum horū cōcludit, nam febris ex inedia accensa est morbus iam factus, & est exemplum nō morborū qui solum fiunt vt distinguuntur à manentibus, sed morborum qui ab euacuatione fiunt. Similiter illud de putredine non demonstrat, quia licet putredo sit quidam motus, successione tamen acquirit continuitatem, ex qua poterit fieri impressio manens, velut à calore solis cum sol semper quiescat. Illud est quod maiorem facit difficultatem, quod amota putredine possit esse febris putrida? nam amota albedine à pariete paries nō potest dici albus. Nec possumus dicere quod propter putredinem iam factam, nam sic albus posset dici paries absque albedine præsenti: & hoc esset confundere ordinem rerum omnium. Et etiam esset quæstio de nomine, non de re, de qua est, nam & indicatio debet sumi ab hoc vel ab illo iuxta quod medicus debet imponere nomina. Causa autem præterita, dicebat Galenus quarto artis curatiuæ, non indicat de curatione sed tantum docere potest morbum. Dixerunt alij calorem illum putridum esse idest alterius generis quam succensiuis accendi soleat. Sed obstat Gal. primo de febriū differētiis, dicens, quod si in inguinibus bubo fiat, solus calor peruenit ad cor, fuligine iuxta bubonem manente, & ob id febrem eam non iam putridam esse, sed ephemeram: quia ad putridæ generationē necesse est fuliginem vsque ad cor ascendere. Cum igitur ille calor sit à putrida materia, & fuligine excitatus, nec tamen sufficiat febrem putridam facere, quia fuligo non adest; igitur sublata putredine nō amplius remanet febris putrida. Dico igitur quod dictum Galeni vndecimo artis curatiuæ potest trifariam interpretari, vel quod intelligat de febre facta idest quæ facta sit, non tamen maneat, vt ab ea quæ nondum facta est distinguitur. Et hæc nimis curiosa est expositio. Et etiam sic febris non erit morbus. Vel quod intelligat, quod aliud febris genus relinquatur idest accensa in sanguine, citra putredinem de qua dicebat nono artis curatiuæ, quod cum talis febris non sit ex aliquo trium generum febrium, nec velit ponere quartum genus, ideo appellare eam ephemeram, cum tamen non sit, sed est illi proximior quia est absque putredine, & in re proxima spiritibus idest in sanguine. Non vocauit autem sangineam ob duas causas, primò quia illa succensa febris genere differt ab aliis, sanguinea autem est species quæ sub genere continetur. Secundò quia quis credere posset quod putrida esset, hæc autem omninò putredine caret. Hoc igitur modo intelligendo dabitur febris facta absque putredine omni, sed non erit febris putrida; & ità non erit verum quod sit febris putrida manens & facta, quia sublata putredine licet remaneat febris, non tamen remanet putrida febris. Excogitandus igitur est quartus sensus vt possimus dicere febrem putridam esse factā. Et est quod vt videmus in domibus fumo repletis, sublato igne ac sarmentis viridibus prorsus manet diù fumus & calor in domo, vt etiā in fumo fuligo: ità sublata materia putrida nil prohibet sanguinē accensum ab illo calore cū vaporibus in corpore aliquod tēpus manere. Et est febris putrida quia habet quatuor conditiones ad eam necessarias, quarū quatuor declarantur lib. de differētiis symptomatū, & cōueniunt febri vt morbus est affectus præter naturam, lædens operationes, per se; duæ verò vt putrida: Fervor

uor sanguinis in corde cum præsenti putredine; vapor enim ibi calidus sanguinem feruere facit ex quo opera naturæ impediuntur. Et hoc videtur sensisse Galenus cum dixit, quod post febrem quandoque calor manet per vnam diem integram vt speciem ephemeræ præbeat. Verba igitur Galeni intelligenda sunt quod amoto humore putrido nō putredine adhuc febris manere potest. Febris ergo putrida ad humorem putridum comparata, est morbus factus; ad putredinem autem fiens. Ideo dicemus morborum vt affectus sunt non esse causas coniunctas, qnia causa coniuncta prohibet ne affectus dici possit: dicitur ergo antecedens: vt verò passio, causam coniunctam febris habet. In eis autem nec hecticis spiritus non accenduntur quia calidior est spiritus sanguine. Quòd si contingat illos ob putredinem accendi sequitur sudor ille perniciosus qui mortē paucis horis antecedere solet. Similisque est madori ephæmeræ cum pulsus mollitie, & casu virium. Et si dicas febris simul erit affectus & πάθος seu passio, & manens, & non manens; & habebit causam coniunctam, & non habebit? Respondeo quòd febris quælibet duplex est potior pars & maior (de putrida loquor quæ semper fit (& habet causam coniunctam, & non est verè morbus, sed solum vt nata est transire in morbum: & quæ est affectus iam, & est facta, & caret causa coniuncta: & est minor portio.

CONTRAD. IX.

Aqua calida an comitialibus morbis conueniat.

PRinceps curam morbi comitialis tractans ait: [Et deuitet ablutionem cum aqua penitùs: cum calida quidem propter laxitatem quam inducit: cum frigida quia stupe facit nocetque spiritui sensus.] In tractatione autem de aqua inquit: [Qui comitiali morbo laborant, iuuantur ab aqua tepida, & nocentur à calida.] Et rursus dum de viribus aquæ agit dicit: [Et illi quibus aqua calida confert, sunt hi qui morbum comitialem patiuntur.] Manifestum est autem quòd vbique de balneo intelligit, & non de potu: Et manifestum est etiam quòd calidam hîc à tepida distinguit. Scripsimus de aqua peculiarem tractatum, sed nunc de comitiali morbo tantum sermonem habemus, ibidem enim luculenter de vsu aquæ in hoc morbo egimus. Rhasis in continentibus Ioannitium citat dicentem quòd potus aquæ vtilis est comitialibus, arthriticisque, quoniam hi morbi sanguine haud tenui indigent: qui dum penetrat, creat augetque eos; at aqua hoc prohibet, sanguinemque gignit crassiorem. Exponit autem hæc auxilia de tepida ipse Rasis Ruffi autoritate potius quam de calida. Dico aqua tepida in potu licet mala sit sanis, quia tamen vt in libro de aqua diximus, humores educit, nec petit caput melior est; calida autem exteriùs iuuat, & licet conferat causæ, nocet tamen ratione morbi quoniam maiore impetu materias ad caput deducit. Cum verò dixit abstinendum à lotione, intelligit nondum repurgato corpore.

CONTRAD. X.

Vinum an in comitiali morbo vtile sit.

IDem Auicenna in cura comitialis morbi inquit: [Et neque multum vtantur vino quoniam ipsum vehementer replet cerebrum.] Deinde. [Si excusari non possunt quin ipso vtantur, sit illud paucum astringens, clarum, & antiquum.] Paulò post dicit: [Repletio verò vini valde nocet, sed parum ex ipso sumptum dilatat animam, & & confortat spiritum, & acuit ipsum.] Et excusat ab aquæ copia quæ est maximè noxia: Videtur igitur probare hic potum vini superius solum propter necessitatem admittere. Cumque videatur hoc paruum discrimen, maximi tamen momenti est. Galenus hac in parte à vino abstinet, oxymel potius dilutum præbet; quod sane vt tutissimum, ità etiam præstantissimum est auxilium. Itaque Auicenna copiam aquæ refugit, vinumque illi præfert. Purgato etiam corpore; nam id iuxta medium capitis scribit vini aliquantulum exhibere, non nocet, nondum purgato dissuadet in capitis initio.

CONTRAD. XI.

Plethoræ an balnea vtilia.

BAlneum non esse tutum nisi prius corpus sit inanitum docuit Galenus quinto de tuenda sanitate, & tertio de victu in Acutis. [Balnea non debent adhiberi nisi prius vacuato corpore.] Et septima à Aphorismorum inquit. [In quibus ignea est inflammatio ob putridinem ex phlegmone, aut etiam citra phlegmonem accensam tutæ non sunt balneæ nisi à concoctione morbi vel post ipsam purgationem.] Attamen in plenitudine collaudat balneum tanquam instrumentum curationis Tertiodecimo artis curatiuæ, & secundo Aphorismorum: Sed clarissimè quarto de victu in Acutis. [Curatur etiam plethora, inquit, absque sanguinis missione, imo ne semper necessaria est vel vtilis sola frictione inedia, frequētibusque balneis.] Quod fermè repetit libro de sanguinis missione dicens. [Licet enim frictionibus multis, balneisque, ambulationibus, aliisque motionibus ad hæc vnctionibus digerentibus celeriter plenitudinem exhaurire: si vtique videbitur non esse crassi sanguinis abundantia. Talis est vt plurimum melancholica, rarò verò crudorum quos vocant humorum. Cæterum in redundantia sanguinis melancholici sanguinem mittere præstat, aut certe omnino medicamento vti atram bilem expurgante. At vbi crudi succi exuperant antequam morbus inuaserit, cautè euacuabis; sed vbi iam febris corripuerit: nequaquam.] Ex quibus verbis colligitur tum ex his quæ in quarto de victu in acutis; quod si morbus

aut dolor adſit, balneum non eſt tutum ante euacuationem aut coctionem, poteſt tamen adhiberi poſt coctionem vel parte iam cocta vt tertia eiuſdem. Si verò morbus non adſit, nec inſtet, nec dolor & plethora adſit ex tenuibus humoribus poteſt & debet cum inedia, frictionibus, exercitationibus, vnctionibus digerentibus, ſolum autem nequaquam vt quinto de tuenda ſanitate; plus enim mouet & accendit quam reſoluit: Si verò plethora ſit ex craſſis humoribus ne quidem cum aliorum præſidiorum adiectione citra euacuationem ſanguinis, vel purgationem tutum eſt balneum.

CONTRAD. XII.

Aquæ intercutem an balnea conueniant.

IN morbo aquæ intercutis Aetius inquit. [Aliquando etiam lauentur propter fatigationē.] Et rurſus. [Porrò cum res feliciter ſucceſſerit, tumor fuerit imminutus ac vires aliquantulum reſtitutæ, præ omnibus lauatio ex frigida fiat.] Paulus concors eſt Aetio ferme de calida, adiicit tamen. [Aliis autem lauacris ideſt ex dulci aqua abſtinebunt.] Alexander autem his contradicit maximeque Aetio dicens : [Balneorum autem vſus hydropicis præſertim ex frigida intemperie noxios eſſe ſcire licet, quoniam & ipſa potius refrigerant quam calefaciant.] Verum Auicenna Aetio ea parte conſentire videtur qua ille diſſentit à Paulo dicens. [Verùm ſubmerſio in frigida pura in fine, rei vehementer eſt conueniens.] Nam de tepida aduerſatur dicens : [De balneis verò illa quæ ſunt humida ſunt magis horrenda.] Quod etiam dixerat ſuperius. Dico balnea tepida è dulci aqua nunquam vtilia ſunt ratione morbi, ſed ratione eius quod ad morbum ſequitur quandoque ſunt neceſſaria vt in fatigatione, ideſt laſſitudine. Frigidæ lotio iuuat ad confirmandum calorem, ad condenſandum, & cogendum corpus.

CONTRAD. XIII.

Balnei pars prima an calidior.

GAlenus decimo artis curatiuæ de balneis loquens, hæc habet. [Calefactio febribus haud vtilis eſt; fuſio verò & rarefactio, & excrementorum vacuatio, tum relaxio quæ omnia ex prima balnei parte habentur his qui putrida laborant vtilia ſunt. Atque hæc quidem ex prima balnei parte iis, qui ità laborant prouenire, modo tempeſtiue balneo vtantur, memoria teneamus. Tranſeamus modo ad ſecundam eius partem, quæ erat id, quòd maximè proprie lauacrum vocant. Ergo in hac, ſicut ex humectatione iuuantur, ſic ex calore nihil illis commodi accedit. Accedamus & ad tertiam, in qua & refrigerantur innoxiè, quæ fuerant excalfacta, & vires firmantur. Si quæ verò & rarefacta, & iuſto plus ſunt laxata, ea in naturalem balnei redeunt mediocritatem, id quod quarta balnei pars indicat. Quippe quibus omnia ritè ſunt adhibita, ij poſt frigidæ vſum adhuc ſudant, & omnia ipſis excrementa vacuantur.] Et rurſus paulò poſt inquit. [Volo æge in balneum ſuperlectulo deportetur, in cuius prima è tribus domo nudetur, ac transferatur in ſindonem calentem promptè in id ipſum paratam. Sint autem quatuor: qui hanc teneant, à quoque fine vnus. Ac ſiquidem prima domus ſatis calida ſit, æger in ea nudatus, in ſecundam portetur: Sin tibi frigidior videatur, non nudus ſed coopertus, vel alia ſindone minime frigida, vel tali aliquo inuolucro. Conſtat autem & ſindonem eam qua portabitur, eſſe valentiorem oportere. Aut ſi imbecilla per ſe ſit duplicari eam erit ſatius. Eſto autam media domus non tantum ſitu media, ſed etiam temperie, tantò ſcilicet prima calidior, quanto eſt tertia frigidior. In hac domo oleum tepidum eſto, quo æger ſuper ſindonem illatus protinus perfundatur. Hoc facto tertiam ingrediantur domum, ducantque hominem vbi ſolium eſt ſic, vt per tres balnei domos duntaxat tranſierint. Per quas nec celeri gradu tranſibunt ij qui ægrum portant, ſed tantiſper in prioribus domibus morabuntur, dum in alteram transferatur. In media verò perfundatur oleo. Eſto auautem aër cuiuſque domus nec ſummè caleus nec etiam frigens, ſed admodum temperatus, & modicè humidus. Id fiet ſi aqua temperata ex labro ſit liberaliter proiecta, vt perfluat per omnes domos.] Nemo eſt artis peritus qui non animaduertat ſtatim his ſibi contradicere Galenum; in hac quidem vltima autoritate ſemel, dum vult balneum eſſe tēperatum totum, & ante dixerat partem mediam debere eſſe tantò calidiorem primâ, quanto frigidiorem tertiâ; in quo & illud mirum eſt quod velit ægrum perfundi frigida in loco calidiore vt ibi docet. Sed euidentior eſt ſecunda contradictio quia hic cum conſtituiſſet primam partem balnei temperatiorem, ſequentes autem per ordinem calidiores, atque tertia lauacrum; in priore autoritate primam partem calidiſſimam conſtituit, ſequenter mitiores, atque in ſecunda etiam lauacrum. Hic ſermo certè inutilis eſt, non Galeni ignorantia, ſed quòd multa ſcribentibus euenire ſolet illi contingerit, ſcilicet vt ſcripſiſſe quæ non ſcripſerit exiſtimauerit. Primum igitur ab initio deſcribit balneum vt ſolebat præparari calidiore ſecunda parte quam prima, indè tertia quam ſecunda, aut homines ſenſim tranſeuntes ex vna in aliam minus afficerentur. At ægro introducto ſecundam & tertiam partem balnei aquam ſpargendo temperare oportebat quod hectici ab eo calore offendatur à quo ſani iuuari ſolent; atque hæc contradictio optimè diſſoluta eſt. In frigidam autem mergi in calidio aëre decet vt etiam æſtate; frigida enim, vt in noſtris balneis iuxta terram manet, neque decet balneum frigidæ admoueri in aëre frigido ſed ſtatim traducuntur lectulo in frigidum etiam

etiam aërem vbi decumbunt, hæc itaque rectè se habent. At vero sanis quod nudarentur, vt sudarent antequam lauarentur prima balnei pars calidissima erat, vbi sudassent pat erat lauari; igitur in secunda lauabantur calida, in tertia vt prius frigida. Quarta pars balnei erat locus extra balneum vt etiam nunc in quo decumbebat in lecto. Sunt igitur quatuor partes adnumerato cubiculo; sed sed verè illud cum haber aërem frigidum, balnei pars non est. Balnei autem tres præparationes, prima pro sanis in qua prima pars est calidior secundâ, & secunda tertiâ; & in prima nulla aqua est, in secunda calida & tepida, in tertia frigida. Secunda erat præparatio balnei non consueta, sed conuerso modo vt prima pars sit frigidior secundâ, & secunda tertia. Et vt ostendamus id esse verum, declarant illa verba. (Esto autem media domus) declarat enim quod non esset hæc constitutio consueta & vulgaris sed mutata, tertia verò præparatio erat in translatione, vt statim ingresso spargendo aquam aër secundæ & tertiæ domus temperaretur ne vires ægri considerent & calor alioqui etiam nimis per se magnus adhuc amplius incenderetur.

CONTRAD. XIV.

Epicrasi quando vtendum.

[Concocta medicari atque mouere, non cruda neqne in principiis modo non turgeant, plurima verò non turgent:] Inquit Hippocrates primo Aphorismorum. Itaque constat vel vnico medicaméto vel vnico iucio expectandam esse solutionem morbi. Et item prius docuerat duo, & quod victus mediocris est qui fit per ptisanam hordeaceam, & quod perpetuò victus vsque ad vigorem morbi est attenuandus. Dictum est & alibi quòd hoc intelligitur de cibi qualitate, non quantitate. Atque hæc vera est Hippocratis de curandis morbis sententia maximè autem febribus continuis, quæ si rectè regantur vigesimum diem nunquam excedere possunt, nam sicut natura humana acutiem morbi quæ fit per successiua incrementa & valida vltra decimamquartam non fert: ita febrium periodus continuarum quæ ab vna congerie oriuntur, non vltra vigesimum diem procedit. Nihilominus medici nostræ ætatis quorum interest vt ægris possint placere, illosque nutrire vt mulieribus satisfaciant simul & vt morbus producatur, cum & laudi ac gloriæ illorum hoc conducatur, & vt æger se magno morbo liberatum existimans, plus etiam longè illis debeat; tum verò præmium maius accipiant ex diurna opera quæ illis persoluitur: Ex Auicenna modum hunc medendi venati sunt: vt dando carnes, oua, & vinum in diuturnis febribus (nam nunc carnifices omitto qui etiam iuxta vigorem acutarum hæc dant) sæpius præparent materiam, & sæpius purgét. Iuxta primò Auicennæ vt dixi sententiam: Et cum virtus valida non fuerit, & materia multa, & mala ipsam paulatim euacuat. Et rursus vbi agit de febribus quæ ex materia pendent crassa: [Et non euacuetur plurimum simul, vt non cadat virtus.] Et tertia primi: [Cumque corpus repletum fuerit malis humoribus atque tenuibus, ipsum nutrientibus bene copiosè reficies.] Et sæpe etiam conceditur illi qui prauis abundat succis vt rem bonam largiter commendat. Videntur autem hæc desumpta ex Galeno primo Aphorismorum dicente: [Autumnus morbis qui ex corruptione fiunt assimilatur; quapropter qui eo febricitant tempore, continua boni indigent adiectione: & si vires validæ fuerint, sæpè & multa dabimus; si imbecilles, pauca & sæpiùs.] Idem duodecimo artis curatiuæ: [Si mordens humor est ex quo dolor oritur (de dolorum enim generali curationem agit) postulat huius generis (si modo curandus est) vt ea quæ contristant vacuentur: si id fieri nequeat omnino, vt per epicrasin sanetur. Sin id quoque fieri non possit, vt medicamenta quæ stuporem inferant exhibeantur.] Quænam verò sit epicrasis, & quòd morbi tum febres ipsę imo continentes quæ aliter curari (id enim propriè est de quo dubitatur) nequeunt, per epicrasin curari possint ac debeant nono eiusdem declarauit dicens. [Ergo quod corruptum est, id alienum à natura est, quod tale est id se auferendum dictat. Si ergo cum viribus imbecillibus corruptela incidit, vtique quod affectus remedium est, id cum virtutis custodia pugnat. Siquidem affectus vacuandum esse præcipit, idque vel vena incisa, vel purgatione. Harum auautem neutram ferent imbecillæ vires. Quoniam igitur in omnibus eiusmodi repugnantiis incerta succurendi ratio est, aliàs insanabilis omnino affectus relinquetur, aliàs spatio & ægrè, idque si nactus sit magnum Medicum sanari poterit. Oportet namque vbi indicationes ità sibi aduersantur & paulatim quod vitiosum est vacuare, & paulatim inuicem quod salubre est, pro eo reponere. Vocant Medici eiusmodi vitiosi succi curationem Græcè Epicrasin.] Hæc fuit Galeni sententia difficilis & valde dubia, quæ meritò (si eos existimarem illam vidisse) à Medicos errare fecit. Nam & primo de victu in Acutis proponit duos ægros morbo laterali laborantes, quorum alter (vt reliqua præterea) validis viribus & plenus bonis humoribus sit, alter vacuus vel malis refertus humoribus atque imbecillis, igitur inquit si primum inedia contineas, secundum copiosè nutrias, vtrumque seruabis: si contra feceris vtrumque perimes; atque hic videtur quasi casus, similis ei quem de epicrasi proponit, licet non ad vnguem. Diximus autem aliqua de his superiùs in sanis, in quibus & ratio & experimentum nos docet quid agere oporteat: Si quidem & vacuos citra purgationem multo cibo & bono replere, & restaurare solemus: & si humores mali cuiuscunque generis abundent, vt in equis malè tractatis, à nutritione sanguinem copiosum mittere, ac denuò nutrire, ac rursus sanguinem mittere sæpiùs repetentes donec pinguescant & robusti euadant ità si nouus humor superabūdet post restauratioǹe cū pleniore & optimo cibo factam, purgamus, ac denuò nutrimus.

At in ægris maior est difficultas, nam si epicrasis vtilis est quia restaurari virtus bonis cibis potest, cur quisquis moritur? nam restaurata pro libito virtute quisnam, & maximè in diuturnis morbis succumbere poterit? Deinde cur potius in his quam illis epicrasi vtimur? imò si hæc excellentior via est & claris Medicis peculiaris, in insaniam horum præsentium Medicorum incidimus, qui omnes sic curari volunt. Rursus quid opus est illa inedia vt ægros excruciemus more Hippocratis, nam hoc Galenus de illo fatetur si per epicrasin satisfacere ægris, atque astantibus possumus. Demum cum materia multa mala fuerit, & vires imbecilles non dicimus ægrum moriturum? quomodo igitur seruabitur per epicrasin? Certè Galenus hac in parte si vnquam aliàs defecit, vixque excusatione dignus videri potest, cum esset hic locus docendi; si tantum valet hic modus curandi, cur non in omnibus morbis eo vtamur? & qualis sit eius vsus? ac quonam pacto Hippocrates eum intermiserit? [His dum angerer, à somno inueni solutionem quæ mihi rursus dormienti genio comprobari visa est, dum harmoniam suauissimam mihi audire visus sum.] Ea igitur est; morbis lethalibus nulla epicrasis necessaria est, cum vt sæpe dictum est morituri sint, solis prognosticis reliquendi. Salubrium autem sunt species: aut enim pestilentes sunt, aut cum abscessu, aut materia continetur in vasis, seruaturque vni expulsioni; aut sensim putrescit in illis, & sensim postulat educi, aut extra vasa putrescit in intermittentibus naturaque singulis accessionibus expellit: seu manifestè, seu absque nostro sensu & occultè omnino. Dico igitur ex sex casibus non conuenire epicrasim nisi in duobus: igitur non est cura per epicrasin generalis. Eosque casus declaratos à Galeno & etiam ab Hippocrate: sed ab eo exemplo: igitur Galenus non defecit in tradendo artem. Dico etiam manifestum fore quonampacto dum vires succumbunt materiæ, mors necessariò sequitur, si materia sit materia morbi coniuncta: sin autem præparata, & quam vocant antecedentem, hoc non est necessarium. Et cum materia coniuncta superat vires, tunc non licet restaurare, ideò non possunt omnes sanari: cum verò mareria præcedēs est validior natura, fieri potest vt restaurentur; igitur quoque contingit sanari viribus defectis: & multa materia peccante. In continuis etiam, & abscessibus non fit hæc restauratio nec per carnes, nec per oua, sed per solam ptisanam: ergo nihilominus peccant Medici etiam in epicrasi. Demum ad curandum per epicrasin sex requiruntur, igitur oportet vt Medicus sit excellētissimus, non vulgaris, aut mediocris qualis sufficiet in cura communi & Hippocratica, & maximè quia hæc scripta est ab authoribus & nondum deffinita. Nos tamen nunc eam declarabimus & cum ea omnia quæ proposuimus. Vnde liquidò patebit solutio difficultatum propositarum. Suppono igitur quod curatio per epicrasin fit euacuando per interualla materiæ concoctam, atque interim nutriendo, non obiter aut æqualiter; sed ab euacuatione copiosius tum propter vires debilitatas ab euacuatione, tum quia materiæ reliqua pars quæ concoqui debet nondum concoqui cœpit. Sub euacuatione autem ipsa minus nutrire oportet, in medio mediocriter; ità vt tempus ab vna euacuatione ad aliam distribuatur, quemadmodum totum tempus vnius morbi in quo materia tota concoquitur vt simul sub crisi tota expellatur: nam tunc in initio talis morbi nutrimus copiosiùs, deinde sensim procedimus attenuando versus statum, ita vt ipso morbi vigore parum aut nihil demus cibi: ita ergo faciendum est in epicrasi ab vna euacuatione ad aliam.

Quibus intellectis declaro quod proposueram: in febre pestilenti non possumus curare epicrasi, quia non curatur per euacuationes vt docebat Galenus cum dixit libro de theriaca ad Pisonem, aut theriaca luto Armeno curandos nono de simplicibus medicamentis adiiciens eos qui luto Armeno sanari non potu erunt omnes interiisse. Itaque constat hos non indigere epicrasi, Medicosque nostra tempestate omnes qui sic laborant iugulare purgantes Rhabarbaro & trifera persica vt vocant: cum constet alexipharmacis solum pestem esse curandam. Victus autem qualis esse debeat, non est hic locus vt dicamus. Satis est curam non esse faciendam per epicrasin. Qui verò laborant abscessibus cum ratione materiæ quæ abscessum facit non mereantur purgari à Medico, curam per epicrasin admittere nequeunt. Sectio venæ quæ adhiberi solet non euacuat de materia morbi collecta in loco, sed prope locum, igitur cum non fiat euacuatio materiæ peccantis, non fiet restauratio per epicrasin. Quia verò post concoctionem euacuatio fit à natura, ideò restauratio etiam fit similis ei quæ per epicrasin: nam cum euacuatur materia concocta vt in morbo laterali duabus causis debemus restaurare; & quia morbus interim mitigatur, & quia indigemus robore virtutis animalis ad expellendum quod concoctum est. In abscessibus pectoris robore duarum virtutum indigemus, naturalis pro cōcoctione residui materiæ, & animalis pro expulsione partis materiæ iam concoctæ. Hoc igitur declarauit Hippocrates primo de victu in Acutis dicens ptisanam dandam esse cum sputum incœperit, docet & simul quod dandum scilicet ptisanam hordeaceam, non carnes & oua vt hodie faciunt interficientes ægros. Eius autem laudem iam descripserat. Igitur ordinem epicrastici victus plenè docet in eo & sequentibus duobus libris: nec in aliquo defferunt nisi quod Hippocrates loquitur de euacuatione à natura facta, epicrasis euacuatio fit à Medico: In continuis verò febribus in quibus tota materia simul computruit, vel si non tota simul computruit, tamen tota ad vnam iudicationem reseruat, neque epicrasi vtendum est, tum quia nulla fit euacuatio à Medico, tum quia procedentibus concoctionis signis æger est in tuto; igitur nutritio non potest commodi afferre, sed solum adiicere aliud materiæ morbi, & impedire naturam à coctione. Febres etiam intermittentes quæ singulis accessionibus finiuntur, iuxta illud Hippocratis:

eratis. [Quibus quotidiè in febribus rigores fiũt quotidiè febres soluuntur:] dum materia accessionis expellitur manifestè vt per sudorem, vrinas, aluum vel occultè, non indigent euacuatione à Medico; ergo neque curari possunt per epicrasin. Vnde solertes Medici curant diligenter vt singulis accessionibus soluatur materia, præcipuè per sudorem ne cogantur aliter euacuare, & hoc cum potu aquæ calidę in qua decoctum sit aliquid euacuans materiam morbi per sudorem, non hordeum semper; victus tamen in his est sicut in epicrasi quia tales febres abscessibus proportione respondent. In hoc tamen casu licet dare carnes, & oua, & cerebra suum vt primo ad Glauconem. Atque solum in hoc differt ratio victus febrium harum à victu abscessuum qui iam concoqui incipiunt. Liquet igitur in his quatuor casibus epicrasi non vtendum esse, tametsi in secundo & quarto similis victus constituatur & qualiter inter se differunt. Vbi verò in continua materia non tota simul putrescit, tunc non est expectanda crisis, quia natura non solet facere in vno morbo plures crises, sed vnam tantum, & ad summum duas, vt in exemplis ab Hippocrate in Epidemiis positis liquet. Et etiam ratio id docet quia crisis fit conatu naturæ qui non solet fieri vbi parua pars materiæ solum corrumpatur. Et si dicas cur non expellit illam paruam partem? dico quod cum sit materia contenta in venis quia febris est continua, si fieret tanta agitatio maius incommodum esset, quam vtilitas: quia eodem motu reliqua pars cruda materiæ agitaretur. Vbi ergo virtus sit imbecillis & materia præparata multa, quia putrescens non potest esse multa, aliter casus esset mortalis, non salubris vt dictum est: & nos supponimus casum salubrem, ergo paulatim vbi concocta fuerit & præparata debet educi: sed intermedio tempore vt in abscessibus nutrire ægrum oportet, aliter deficiet virtus propter morbi longitudinem, oportebit & statim ab euacuatione nutrire copiosius, tenuius autem concocta parte materiæ dum euacuare illam propositum est. Quibus verò alimentis? non carne & ouis vt medicorum vulgus, in perniciem ægrorum facit, sed hordeacea ptisana cuius rei inter reliquas sententias Galeni perpulchram habes octauo Artis curat. his verbis: [Expedit igitur tales homines illis nutrire cibis, quicunque nec medicamentosam vllam sensu perceptibilem vim habeant, sed nec ipsum quod nutrit plurimum: quando hoc quoque si exuperat, vitio non caret. Principio namque nec quæ in ventriculo eorum agitur concoctio est exacta, nec si ventriculus ea superet quæ in venis obitur est absolutum. Quòd si hic quoque haud magnus sit error, saltem tertiam (quæ singulis partibus propria est) difficilè fuerit in omnibus illis ritè perfici. Conueniet profectò huic, & vt frigidum humidumque quodammodo ei nutrimentum adhibeas, vbi corpus tum calidius, tum siccius solito est redditum. Quare commodissimus huic est ptisanæ cremor ad vnguem coctus, in quo nullum sit superfluum condimentum, vtpotè qui & refrigerare & humectare, ac sine siti seruare hominem potest cum eo quod nec halituosum, nec humidum, nec siccum detinet excrementum.] Atque hoc circa alimenti qualitatem: porrò circa quantitatem adhuc maiore solertia indigemus, scilicet vt ne virtus quoquomodo deficiat nec materia morbi antecedens, vt vocant, augeatur: si igitur virtus constat, morbus autẽ augetur tardaturque coctio materiæ, plus cibi te exhibere quam oporteat intelligas. Quod si morbus quidem minor fiat & concoctio celeriter perficitur, sed vires non sustinent minus das quam par est: si morbus augetur & virtus deficit, plus adhuc te dare intelligas quam si virtus constaret; impossibile enim est in morbo salubri morbum augeri & virtutem minui nisi per oppressionẽ quæ ex immodica nutritione fieri solet contingat. Solum igitur moderata quantitas cibi est cum qua celeriores fiunt coctiones, aut morbus minuitur, vel vtrunque contingit cum virium constantia. Vires intelligo omnes, sed propriè naturalem per quam humores concoquuntur, separãtur & expellũtur; hæc enim omnia virtutis naturalis munia sunt. Ex his igitur liquidò cõstat quantum & qualem Medicum esse oporteat qui epicrasi rectè vti norit. Primum quidem oportet vt dignoscat an morbus salubris sit ne suam epicrasin infamem reddat. Secundũ vt cognoscat non ex eorum genere esse qui vniuersim materiam agitant, & ad vnũ iudicium naturæ reseruant. Tertium vt intelligatur quando concocta materia fuerit, vt simul etiã præparatam habeant, néve præparatio prior aut posterior coctione fit, expulsione similiter; aliter si anticipauerit, materiã peruertet & ægrum in deteriorem conditionem deducet: si postposuerit, periculum est ne sanguis vniuersus corrumpatur. Quartum vt norit quibus educenda sit medicamentis, quamque validis & per quam viam ne more Medicorum huius sæculi semper ad aluum materiam deducat. Quintum vt sciat cibum vberiorem adhibere ab euacuatione attenuando vsque ad aliam euacuationem, cauereque accessiones. Sextum vt deprehendat eam quantitatem quæ opportuna sit, ne aut vires collabantur, aut accessio fiat materiæ morbificæ: modo intelligis cur dixerit Galinus opus esse magno Medico. Et certè magno, quando sub hoc nomine omnia quibus laudari medicus meretur contineantur. Liquet verò quam multi qui seruarentur imo omnes qui in has difficultates incidunt intereant, quandoquidem ne hanc quam hic tractaui generalem curandi per epicrasin ratione teneant, cum nos primũ eã inuenerimus ac tradiderimus; ne dum illam quæ in vnoquoque quod facere deceat vt sic curetur norint. Viuere igitur omnino possunt quibus vires materia morbi couinncta fuerint validiores, tametsi cũ præparata sint imbecilliores, seu sint abscessus seu febres cõtinuæ, & multo magis intermittentes, quia interim nutriri possũt. Nutriri autẽ possũt quia in his calor corruptus non est, aut non admodum vt in continuis cum remissione, statim maximè post euacationes; ideoque concoqui cibus potest, & corpus ac vires restaurari. At si materia quæ morbo coniuncta est validior

lidior fit viribus ægrotantis, non concoquetur cibus ob caloris corruptionem si morbus fit calidus, aut ficcus; aut impedimentum & paruitaté si frigidus aut humidus. Septimũ viribus nulla omnino fiet restauratio si fæuissimus fit morbus. Aut quoniam admodum in mitioribus minor quam fit accessio quæ fit ad morbum. Quare vtrouis modo (licet hoc posteriore serius) æger morietur. Ex quibus liquet cur in aliquibus morbis restauretur virtus à cibo, in aliquibus non. Nam in his vires restaurantur in quibus morbus minor est viribus ipsis, tametsi causa maior sit; non restaurantur vbi morbus est validior viribus. Et hoc in morbis ex putredine ortum habentibus vt abscessus & febres, non ita in hecticis ac doloribus. Rursus manifestum est quinam sint lethales, & qui non. Libet autem repetere in causa tam vtili Hippocratis more, nam lethales sunt morbi quibus vires sunt inferiores morbo seu illius causæ coniunctæ. Salubres & difficillimi quibus vires morbo sunt superiores, materiâ tamen præparatâ inferiores. Salubres & tuti ac etiam faciles quibus vires, & morbo & materia præparata sunt validiores. Voco vires spiritus sanos & vim sanam innatam membris maxime principalibus, & illius etiam quod laborat morbo. Seu in eo sit materia collecta, seu in venis contenta. Materiam morbi voco illam quæ morbum facit aut factura est ante coctionem vllius partis. Materiam præparatam quæ factura est morbum post coctionem alterius partis, vt videmus in abscessibus manifestè, & intermittentibus & in quibus febribus continuis, lentis maximè in quibus coctio perficitur in excrementis, propriè autem vrinis ac fæcibus. Contingit etiam quandoque casu, sed persæpe errore medici vel ægri vt impedita coctione partis materiæ, alia pars ex præparata adiungatur morbum faciens, & ita morbus qui erat inferior viribus fiat superior, & ex salubri in mortalem conuertatur. Diximus enim quod cum morbus validior est viribus, necessariò semper mors irreparabilis sequitur. Nam aut finitur per se morbus, atque ita etiam vires ante illum: vel cibo restaurantur & tunc magis morbus augetur quia non fit coctio bona, & ita crescit excessus morbi supra vires ipsas. Vel quærimus diminutionem per euacuationem quæ fit medicamento vel venæ sectione. Et ita virtus magis minuitur quam morbus. Et hoc est quia materia quæ facit morbum non cedit naturæ nec medico nisi postquam concocta fuerit: & iam concoqui nequit quia morbus est superior viribus. Ideò solum in restauratione ossis luxati aut fracti contingit vt morbus superior viribus sanari possit, & hoc auxilio medici. Sunt tamen in materia præparata quædam seminaria putredinis propter quæ non potest expelli. Porro hæc comparatio virium & morbi trifariam est distinguenda, in abscessibus quidem si sint in membris pectoris ad facultatem naturalem & animalem, vt dictum est, vnamquamque per se. In abscessibus qui sunt iuxta vias veluti renum interioribus, & in febribus omnibus tam continuis, quam intermittẽtibus ob similitudinem facilitatis expellendi per vias liberas ad facultatem naturalem tantum. In abscessibus qui sunt procul à viis vt in substantia cerebri ad impedimentum membri. Et itá tales fermè sunt insanabiles. In febribus autem continuis & intermittentibus in quibus non fit excretio symptomatica ad naturalem facultatem tantum. In morbis verò in quibus apparet expulsio citra perfectam coctionem vt in fluxibus & vomitibus ad vtilitatem aut iacturam. Si enim expulsione morbus minuitur & vires ferunt, leuabitur æger. Si autem vires plus detrimenti accipiunt quam morbus minuatur, tunc autem membrum est imbecille quod dignosces ex his quæ membro vires reparant si nec sic cessat expulsio, plus iusto nutris ægrum, ideò subtrahe cibum. Si subtracto perseueratur, vires sunt morbo inferiores. Vltimus modus est febris intermittentis cuius materia accessionum non expellitur, nam ibi epicrasi vtendum est. Quod ad cibos attinet vt in intermittente cuius materia à natura per singulas accessiones educitur. Huius autem modus superiùs descriptus est, minus tamen nutrire oportet quam in illis ob duas causas, & quod calor non ita purus reddatur sicut in priore, quandoquidem exquisitiùs materia à natura expellatur quam medicamento ipso vel alia ope, & quod celeriùs educta maius tempus intermissionis efficiat. Quod verò ad purgationem aut aliam euacuationem attinet, non male faciunt qui singulas post accessiones medicamentum statim leue exhibent, si materia tali euacuationi idonea sit, hoc enim tutissimum & vtilissimum est. Hic vero victus modus conuenit quibuscumque morbis absque febre nisi quod vberiùs nutrire oportet quoniam nulla coctio interuenit, sed sola præparatio. In reliquis conuenit cũ febre intermittente in qua fit excretio per singulas accessiones à natura. Ex his patet quod generaliter euacuatio valida, in initio maxime abscessuum, modò natura ferat per venæ sectionem, & in aliis vbi materia sit præparata, etiam per purgationem multum conferunt, prohibendo ne materiæ præparatæ tanta fiat accessio, vt postmodum curari non possit. Patet igitur quot modis medici nostri temporis ægros perimant, vt quod aliàs dixi, melius longè esset sine illis esse, etiamsi bono animo sint. Placuit tamen Deus vt hæc præter spem inuenirem atque docerem, cui gratias perpetuas ago, neque enim parum hæc ad illuminandos eos medicos qui probi sunt prodesse putarint.

CONTRAD. XV.

Comitialis morbus an transmutetur in paralysim.

GAlenus quarto de locis inquit. [Comitialis morbus in paralysim non finit.] Verum Princeps aliter sentit, dicens, [Et quemadmodum apoplexia conuertitur

uertitur ad paralysim etiã ità vt plurimũ comitia is morbus.] Nec contentus eo repetit: his verbis idem: [Et sæpenumerò conuertitur comitialis morbus ad paralysim.] Respondeo quòd Paulus ponit stridorem dentium inter signa prædicentia futuram paralysim. Aliud verò est dicere paralisym esse finem apoplexiæ, aliud comitialem in paralysim transmutari: vbi enim transmutetur non tamen est illius finis, appoplexia enim quæ soluitur, in paralysim sẽper terminatur.

CONTRAD. XVI.

Apoplexia an in substantia cerebri.

GAlenus quarto de locis inquit: [Soporis comitialis & apoplexiæ causa est humor lentus, crassus, frigidus: verùm in sopore & comitiali magis ventriculos quã cerebri substantiam affligit, in apoplexia verò substantiam magis quam ventriculos.] Oppositum secundo Aphorismorum. [Fit apoplexia ventriculis cerebri pituitoso humore repletis.] Nec est quod dicas illa verba: [aut propter aliquam dispositionem inflammatiuam in ipso cerebro constitutã.] Nam id genus est aliud ab eo quod causam habet communem cum comitiali & sopore. Paulus censet ventriculos subito repleri. Videtur tamen sentire quod quandoque etiam spinalis medulla repleatur. Aëtius etiam sentit in ventriculis fieri obstructionem, vocat autem syderationem interpres. Sed princeps diuidit eam in factam ex contractione qualis decrepitis in maximis frigoribus accidit, & ex obstructione quæ duplex est, alia cum abscessu quæ omninò lethalis est, peruersam ille appellat; & ex materia citra abscessum. Hujusmodi autem fit aut in ipso cerebro, aut venis atque arteriis ad cerebrum venientibus. Et dabat exemplum de his quibus constrictis arteriis apoplecticis concidunt attoniti: concludit autem quod fiat in ventriculis cerebri & præcipuè posterioribus hæc obstructio. Dicendum tamen Galeni sententiam esse vt cerebri substantia afficiatur quoniam si ventriculi tantum, per accessionem finiretur, non tamen cadunt donec etiam ventriculi impleantur. Vndè parum diligenter posteriores Galeni sententiam interpretati sunt: conspicuum est etiam alium modum apoplexiæ statuisse principem quam Galenus non ponit, existimans vix fieri posse vt à tam magna vasa, & tam vehementi motu obstruantur.

CONTRAD. XVII.

Apoplexia an ex atra bile.

GAlenus vt clarum est statuit locis prædictis materiam apoplexiæ pituitam, quem sequuntur Paulus & Aëtius. Princeps verò etiam sanguinem addit, omnes casus quos imaginari licet amplectens. Nam etsi sanguis in cerebrum effusus morbum creet, non statim tamen sequitur vt apoplexia gignat. Sexto tamen Aphorismorum expresse affirmat ex melancholia fieri apoplexiam, sanguinis haud meminit. Dico apoplexia fit ex atra bile de mente Hippocratis & verè. Quia tamen etiam ex humore crudo, & ex pituita congelata cuius saporem astringens & ex sicca fit humor similis atræ bili vt Princeps prima primi. Hæc enim pituita habet vim atræ bilis, & refrigerando facit attonitum morbum, non primo sed refrigeratis neruis ac sanguine, & quoniam multi morbi sunt similes attonito qui fiunt ex pituita, ideò dixerunt plurimi apoplexiam fieri ex pituita: Sed non fit ex illa nisi per congelationem redacta sit ad formam veneni.

CONTRAD. XVIII.

Comitialis morbus in senibus an sanabilis.

[QVibuscumque morbi comitiales fiunt ante pubertatem, mutationem accipiunt: quibuscumque autem vigesimoquinto commoriuntur.] Hippocrates quinto Aphorismorum. Aëtius tamen libro sexto docet curam senum, deindè subiicit. [In valdè senibus si consenuerit morbus, curari nullo pacto possunt: si verò casu eis aduenerit, possunt liberari.] Galenus illo commento quo aphorismum explicat, vult Hippocratem hoc solum decreuisse quod qui ea ætate laborant beneficio ætatis succedentis non curantur. Atque hoc satis est vt nos à contradictione explicemus. Cæterum curari quosdam constat vt in nostra parua arte medicinæ edocuimus, vbi octo auxilia ad omnem morbum validissimum descripsimus vt breuitas libri postulabat. Nam decem chartis totam medicinam cum chirurgia & prædictione amplexati sumus, non minore vtilitate quam miraculo, vt etiam nullus morbus liberis inexpugnabilis supersit. An verò hæc Galeni expositio ad mentem Hippocratis sit, in expositione illius aphorismi dictum est.

CONTRAD. XIX.

Apoplexia validissima an cum pulsu.

COnciliator hanc discordiã animaduertit: inquit enim Galenus 2. Aphor. [In apoplexiis totum corpus repente motu priuatur & sensu, solus restat anhelitus.] At Princeps prima tertij dicit: [Et quandoque in apoplexia contingit vt iaceant sicut mortui, & anhelitus nõ deprehendatur vt nos videmus.] Solutio habetur à Galeno tertio de locis: hoc enim quod de motu dixerat intercepto, exponit de voluntario qui fit per neruos, non pulsatili. Verumtamen animaduertendum est quod hoc genus apoplexiæ persæpe etiam tollit pulsum manente anhelitu, & hoc est lethale, quoniam cum necessitate respirationis cessat functio illi necessaria. Et ideò hæc comprehenditur sub Galeni dicto, sed lethalis est.

CON

CONTRAD. XX.

Vrina an ab initio morbi concocta.

[VRina optima est si candidum sedimentum fuerit,læueque & æquale per omne tempus dum morbus indicetur, securitatē enim & morbū fore breuem significat:si verò intermittit atque interdum puram emittit vrinā,interdum subsidet candidum ac læue, morbus diuturnior ac minus securus est.] inquit Hipp.2.progn.Rationem in commento reddit Galenus quia talis vrina concoctionem significat, atque ideò naturalis facultatis robur ; adiicit etiam illud de morbis qui cum febre sunt hæc esse intelligenda.Oppositum lib. de totius morbi temp. his verbis. [Quaproter nullus morborum qui soluuntur est qui non hæc quatuor tempora pertranseat, non tamen ex alio quam cruditatis ac concoctionis signis quæ ex recrementis deprehendūtur cognitio ipsorum constat. Quis enim nescit vrinam in vasis ipsis concoctione esse frustratā aquosam conspicies?]Et idē 4. Aph.[Quoniam magna ex parte in febribus ex vrinis ab initio tenuibus fit ad crassiores conuersio , tendente iam ad solutionem morbo.]Deinde subdit aliud maius: contingit enim per initia morbi vel non multo post vrinas factas crassiores propter grauitatem habere sedimentum. His igitur vrinis sedimentum bonum signum non est, sicut aliis quæ ab initio tenues mingantur, inde totius morbi coctionis causa sedimentum adipiscūtur.] Galenus ipse soluere nititur hanc difficultatem post priorem rationem quæ in prognosticis habetur dicens:[Si vrina concocta à prima die fuerit aut nocte subsequente,die prima decretoria, aut nocte scilicet quarta si sine accessione sit morbus , aut tertia si cum accessione soluetur morbus.] Hæc sanè solutio defendi potest, sed non est ad mentem Hippocratis qui vult quod per totum morbum talis apparere possit:quamuis etiam in multos dies extendatur, neque enim dierum metam adiicit.Hæc difficultas aliàs multum me torsit , sed postquam animaduerti rem ipsam de qua etiam superius egimus, clara est. Sedimentum tum in ægris quam in sanis fit in ventriculo vt ex primo de Crisi:& concoquitur tum in iecore , tum in venis membrorum : vbi natura non sit impedita euadit album , læue & æquale. Non impeditur vel quia morbus est extra venas , vel quoniam est morbus non materiarius vt in ephemera, vel hectica:vel quia sit pestilens & petat cor per arterias,non per venas:vel quoniam non adsit febris licet sit in venis materia, & ideò in intermittentibus sunt vrinæ persæpè concoctæ. Hæc extra aleam : sub alea est quod morbus sit exiguus, materia pauca , & benigna & adeò vt natura sufficiat ad concoquendum non solum ipsam, sed etiam alimentum , & cum eo sedimentum: Et ideo pessimum est dare alimentum cum vrina est cruda: talis ergo vrina cocta non est cum materia cocta, sed cum materia quæ naturam non impedit. Et si quis dicat, si ergo vrina sit cocta & morbus crudus , quomodo cognoscam tempora morbi ? Dico quod in talibus morbis cognoscam ex magnitudine febris & symptomatum. Et ideò Galenus intelligendus est vt plurimum posse deprehendi.

CONTRAD. XXI.

Vesica an vrinam trahat.

GAlenus primo de facultatibus naturalibus volens contra Asclepiadeum disputare asserentem vrinam ingredi vesicam ob tenuitatem ipsius, quòd antea sit in vapores conuersa cum nequeat inclusa foras emitti etiam comprimendo , videtur assignare causam attractionem conuenientis ex Hippocrate sumptam , quasi vesica conueniens ad se trahat : clarius in secundo libro his verbis. [Necesse est fateri vim quampiam in renibus esse, quæ eiusmodi qualitatem qualis in vrina percipitur ad se trahere sit habilis superiore libro monstrauimus.Illud quoque commonefacientes non esse diuersam rationem qua vrinæ per renes ferantur in vesicam,& qua sanguis in omnes animalis partes, nec etiam qua flaua secernatur bilis. Quippe si monstratum sit in vno aliquo organo tractricem haberi vim, nullum negocium est iam ad reliqua transferre.Neque enim renibus natura talem facultatem contulit , vasis his quæ biliosum humorem trahunt eandem negauit. Nec rursus his quidē tribuit, reliquis autem omnibus ademit. Videtur igitur manifestè velle vesicam trahere vrinam:]At 6.de loc.affect. oppositū ad vnguem,his verbis:[Quippe in lib.de nat.facul. iam ostensum est iecur ex ventriculo per mesenterij venas,veluti arbores à terra per radices cibum ad se allicere, sic etiam renes id quod aquosum in sanguine est. Verum vesicam non trahere à renibus, quemadmodum neque intestina à venticulo , sed renes quidem per vreteres excernendo in vesicam mittere , ventriculum autem in ieiunum per eam partem quam Herophilus dodecadactylon vocat à duodecim digitorum longitudine, nomen ei imponens. Itaque renum potius imbecillitas accusanda est , vt manifestum sit vrinam à vesica non trahi,cum iam fateatur illam potius à renibus propelli.Respondeo quamuis solutio sit difficilis, & Galenus quasi oblitus hæc simul pugnantia tradiderit quod Galenus non negat, quòd vrina admittitur à vesica , sed quod non trahitur , impulsa enim recipitur. Sed hæc responsio effugit vim verborum , non ipsam sententiam. Propterea dico quod est vis attractrix in vesica,sed non eo modo quo in gula,scilicet efficax & manifesta , vt neque in intestinis : verùm ipsi inest.

CON

CONTRAD. XXII.

Nigra bilis an validis purganda medicamentis, & an solum per interiora.

IN quartanis ab initio nullum validum medicamentum exhibere oportet; vbi verò cocta materia fuerit, iis quæ humores atros exinaniendi vim habent nec semel tantum, sed sæpiùs si necessarium fuerit vti oportet: vtendum est autem vomitibus post cibum continuè. Et si nihil prohibuerit helleborum album est exhibendum, primùm quidem permixtum radiculis: quod si nihil fecerit helleborum ipsum. Qui vero nequeunt euomere hi per inferiora validiore medicamento purgandi sunt. Galenus primo ad Glauconem cap. 11. Oppositum dicit in libello quos & quando purgare opporteat: [Nigra bilis per inferiora semper purganda est.] Ibidem consentit de atra bile purganda valido medicamento. Sexto quoq; Aphorismorum sæpe & valido medicamento purgandam atram bilem docet. Auicenna quoque prima quarti tractatu secundo capite 63. in easdem pene difficultates nos induxit dicens: [Et si oportet euacuetur à principio de humore faciente febrem aliquid propter alleuiationem, non vt humor totus educatur.] Ità in febris initio videtur velle vt possit hic humor educi, cum & crassities, & Hippoc. authoritas repugnent. Inde etiam subdit: [Et si modicus ausus fuerit ab initio materiam educere medicamentis validis, ita vt æger ob id curetur, curatio illa errore facta dici poterit. Sūpsit autem hoc à Rhasi in continentibus. Verùm concoctâ materiâ non purgat nisi leuibus medicamentis dicēs? [Et ex his quæ materiam concoctam educunt est decoctio mirabolanorum, epithymi, & sennæ in syrupo acetoso in quo violæ decoctæ sint:] Et rursus paulò post loquens de vera melancholia, aut atra bile ex ea facta inquit. [Et euacuetur cum his quæ sunt sicut decoctio mirabolanorum citrinorum nigrorum, & fumiterræ, ac passularum.] Et ratio idem suadet, nam quorsum hæc leuia medicamenta quę ante coctionē ex præcepto Hippoc. sunt inutilia si non possunt post coctionem exhiberi? Quod si dicas quod cum aliis validis repugnat hoc præcepto eiusdem dum dixit. [Si duæ medicinæ eundem humorem purgantes iungantur, quarum vna valida sit, alia imbecillis, purgatio fiet diuersis horis & debilitabuntur ægri vires. Propterea, inquit addere oportet aliquid quod debilioris medicamenti vim acceleret.] In tertio quoque canticæ ponens ea quæ purgant melancholiam, connumerat lapidem cæruleum quem lazuli vocant Arabes, epithymum, polypodium, mirabolanos nigros, sennam, fumariam, & buglossam. Auerroēs exponens inquit prima quatuor eo ordine educere melancholiam sic vt cæruleus lapis sit validissimus: sennam & fumariam non atram bilem sed solos humores exustos educere, buglossum neutrum. Liquet igitur quod à validis medicamentis abstinet. In cura quoque melancholiæ in initio prima tertij tractatu quarto, capite vigesimo dicit: Amplius euacua cum medicinis leuibus: sed exponit dictum suum, id est, cum epithymo colocynthide; & pauco scammonæo. Respondeo quandrifariam contingit euacuare atra bilem, vel vt præseruemus vt elephantiasi, & tunc præparata validissimo & semel medicamento aut ad summum bis expurganda est: validissimo quia humor contumax est, & vires ferunt: & semel tum quia validissimum, tum ne lædatur æger; vel in morbo citra febrem, & tunc sensim mediocri tamen medicamento & præparatâ prius materiâ vt in melancholia, concoctâ tamen etiam validissimo & frequenter, quia longius delitescit & iam absoluta est, & quoniam vix ferunt validissima multitudine medicamenta. In febribus lenibus quibusdam ab initio iuxta id Pauli libro secundo capite decimo octauo in putridarum febrium initiis tenues humores per vrinam, sudores, & aluum sunt educendi: at melancholicus humor cum difficulter per vrinas, & difficiliùs per sudorem educatur, per aluum subducendus est quasi lenientibus medicamentis. Vbi autem materia concocta fit validis propter naturam humoris: & sæpe quoniam æger non fert, & vix fieri possit ob inæqualitatem vt totus humor simul conquatur; quod enim difficulter fit, necessario & inæqualiter fit: at hic humor contumax est ad coctiones. Per vomitum non educitur si simplex fuerit, sed quod impedit: multa enim pituita ob frigiditatem generata illi iungi solet, & ipse humor eidem iunctus commodi sic educi potest, & maximè à cibo.

CONTRAD. XXIII.

Quartana an melancholia & humoribus exustis solum constet? an curanda semper calidis, tum medicamentis, tum cibis? an post statum in ea sanguis mittendus?

ALexander Trallianus cum θειότατον Galenum, diuinissimum appellet, illum tamen acerbissimè insectatur in cura quartanæ, pluribus in causis illum accusans; primum quòd exhibeat in cura semper calefacientia cum cibo piper & salsamenta ex medicamentis diatrium pipereon, diaspoliticon, laseris succum, & theriacam hoc fretus argumento quod fiat ex humore frigido: ob idque etiam ab omnibus refrigerantibus & humectantibus abstinere iubet. Dicit si ob id ergo calefacientibus humectantibus, non autem siccantibus indigebit; nam ab his humor terreus fiet magis. Adde inquit quod à calidis & humidis, non calidis &

& ſiccis maximè coctio iuuatur: tales autem vt exactè concoquant indigent. Præterea dicit aliquæ quartanæ exusta bile fiunt atque calido humore, quibus non ſolum cura per humectantia, ſed etiam infrigidantia debetur, eamque curam inſtituit. Inde ſubiicit ſi ſanguinem abundare videris, poſt ſtatū venam ſecabis: nam tunc humorem maturum natura euacuare ſolet, igitur & medicus debet. Rurſus verò Theriacam antidotum ex ſulphure & quod omnibus Galenus conuenire dixerat ex ſucco cyrenaico damnat in temperamento calido, ſicco, bilioſo, & in his qui ex exuſtione in id genus morbi prolapſi ſunt. Quin etiam in his (verſa omnium rerum facie) catapotia exhibet ex opio, cicuta, hyoſcyamo in ipſa acceſſione, dicens multis ex ſomno in initio acceſſionis leuiorem factam ipſam acceſſionem ægroſque etiam longè leuius tuliſſe. Hæc ille. Sed non animaduertit hæc calida & ſicca non deberi materiæ quartanæ, ſed quæ quartanam comitatur. Cum enim humor ille frigidus ſit & ſiccus, ideò maximè coctionem corrumpit, ideo generantur cruditates multæ; ac magnæ quæ coctionem materiæ febris impediunt. Quod verò non diſtingueret tempora Galenus, falſum dicit; primo enim ad Glauconem, & libro de prædictione ad poſthumum ait ex intempeſtiuo theriacæ vſu, ex ſimplici quartana, duas ac tres quartanas ſuperueniſſe, demum continuam etiam vni ex qua mortuus ſit. Sed cur in initio theriacam adeò reformidat quæ primum ordinem caliditatis non excedit, aut vix; piper autem quod tertij finem ſuperat non reformidat. Hoc eſt quod meritò debuit quærere Alexander. Dico igitur non ob calorem timeri theriacam, ſed ob tenuitatem & robur, ac quoniam medicamentum ſit, non autem cibus, qualis eſt piper quod ob conſuetudinem mitius eſt. Fieri autem quartanam ex humore calido Galenus negabit. Oportet enim & ſi ab initio fuerit calidus exuſtiorem, aut alia cauſa frigidum eſſe factum. Aliter nec typum, nec frigus, nec reliqua quartanæ ſymptomata retineret. Quomodo vero ſomnus in initio acceſſionis conueniat generali ratione conſtat fieri non poſſe: aliquo certo in caſu vt in longa vigilia conſumptis id non tollit generale præceptum. Sed ſicut præſcindere membrum res eſt mala & pernicioſa ſemper, cogimur tamen vt carcinoma auferamus, ità & de ſomno in quartanæ initio. Hic tamen ſomnus longiorem morbum proculdubio reddet. Conuenit tamen magis quam in quotidiana ob ſiccitatem humoris, & quam in tertiana ob illius frigiditatem, ſomnus enim verè corpora excalefacit & humectat. Tertianis etiam non adeò eſt neceſſarius quia ob breuitatem morbi vigilia non poteſt eſſe longa. Secare autem venam in morbi vigore an tutum ſit neſcio, nam illud primum Hippocrati in ſecundo Aphoriſmorum contradicit, neque materia illa in magnis venis cum non contineatur (febrem enim non intermittentem faceret) ſectione illa venæ educi poterit. Si tamen vitioſus factus ſit ſanguis ex diuturno morbo, quod contingit vbi acceſſiones graues fuerint, corpus plenum, & cacochymum, & victus ratio praua, vt cibis plurimum nutrientibus ac malis vſus fuerit, miſiſſe ſanguinem præſtiterit non ob humorem febri proprium. Quamobrem videtur mihi malos gladiatores imitatus Alexander qui partem armis munitam in hoſte perfodere conantur, eam verò quæ nuda eſt non obſeruant; nullo enim ferme in loco Galenus minus merito accuſari poteſt quam hac in cauſa. Multa tamen dicit Alexander in hac cura quæ prætermiſiſſe abs re erit, nā vtiliſſima ſunt: velut quod humectari debent horum corpora, incidi humor, ſomnus prouocari, vrina cieri: ſanguis nonnunquam circa morbi ſtatum mitti, quæ omnia tamen ſunt aliquando neceſſaria, vt ſi quis ea neglexerit, æger ſit ex morbo alioqui periturus.

CONTRAD. XXIV.

Sanum vt multum, an parum deficiat à ſano ſemper.

ΩΣ τὸ πολὺ δὲ, τὸ τῆς ἀρίστης κατασκευῆς ἀπολειπόμενον οὐ πολλῷ. Quæ verba ſic interpres vertit: vt multum autem quòd conſtitutione optima non valde admodum deficit. Verba enim ſunt in libro artis medicæ: adeo vt πολὺ nomen multum exponat πολλῷ aduerbium admodum valde, ſignificat autem & multo & cum quadam emphaſi, nam & πολλῷ, multo ſignificat. Aſtipulantur & verba illa inferius: [Vt multum verò inſalubre eſt corpus quod ab huius quidem vitio recedit, nondum tamen in medio conſtitutum eſt:] Ergo vult quod ad medium vſque dicatur inſalubre vt multum. Eſt etiam ratio, quoniam ſi parum recedit ſanum vt multum à ſano vt ſemper, aut ægrum ab ægro; ſub hoc ſenſu quòd vltimus terminus diſtans ab ægro vel ſano vt ſemper parum diſtet à ſano vt ſemper, quod multum non admodum diſtabit cum non poſſit eſſe neutrum nec ægrum ſimpliciter erit vel ſanum aliud præter dicta duo genera, vel recurremus ad nugas illorum qui ſanum vt nunc intra latitudinem ſanitatis naturalis inter neutrum primi modi, & ſimpliciter ſanum reponebant. Ita ergo illa verba ἀπολειπόμενον οὐ πολλῷ ſeu non valde admodum, exponenda erunt in ſenſu hoc, quod ſanum vt multum eſt quod non omninò multum, non tamen valde multum. Alij verò exponebant oppoſito ſub ſenſu πολλῷ multo, id eſt, non multo diſtat quod eſt dicere parum. Et magis ad ſenſum huius aduerbij οὐ πολλῷ non multo deficit, vel magis latinè non valdè. Facit ad hoc ſeries verborum infra talis. Eorum autem quæ ab ipſa optima conſtitutione deficiunt, ſalubria tamen exiſtunt, quædam in conſimilium temperatione vitium quoddam paruum habent, quædam in commenſuratione inſtrumentorum & hoc quidem perexiguum. Hæc contradictio dedit occaſionem tot nugis: interpres tamen ille oculatus fuit, & ideo ſcire oportet quòd in hac vltima authoritate Gal. vt doceret ſigna ſanorum

rum ſimpliciter, deſcripſit ſigna finis ſanorum ſimpliciter: & hunc finē appellat optimā conſtitutionem; nam cum ſanum ſimpliciter latitudinem amplam habeat, non poterāt deſcribi ſigna illius, ergo cogebatur ſcribere ſigna optimæ conſtitutionis ab hac igitur parum deflectit ſanū ſimpliciter. Sed dices quomodo ſanum vt multum, multum à ſano vt ſemper deficere poteſt, & ſanum totum ſimpliciter ab optima conſtitutione parum? an pars erit maior toto? aut res aliqua à ſuo fine diſtare poterit? Reſpondeo quòd vult vt intelligamus duas proportiones, vnam totius latitudinis ſanitatis ad ſanitatem ſimpliciter, aliam ſanitatis vt multum ad ſanitatem vt ſemper quæ ambæ ſunt magnæ: ideo ſanitas vt ſemper eſt exigua pars ſanitatis ſimplicis, ideo dicitur ſanitas vt multum extendi ad magnam diſtantiam à ſanitate vt ſemper in comparatione ad ſanitatem vt ſemper, non autem quod ſit magna latitudo. Neutrum verò dicitur medium illud ad quod inſalubre vt multum non peruenit, non quidem medium quòd æqualiter ab extremis diſtet, ſed medium quod in medio poſitum ſit & habet latitudinem & plus appropinquat optimæ conſtitutioni quam peſſimæ hoc autem eſt neceſſarium, aliter operationes haberet valde læſas. Eſt ergo ac ſi præſupponeret ſanitatis latitudinem vnius menſuræ, neutri duarum, ægri trium aut quatuor. Redegit autē totā ſanitatis ſimpliciter ſeu ab origine acquiſitum in tres partes vt eam aſſimilaret ſanitati iam acquiſitæ in comparatione ad tempus præſens; nam ſumma ſanitas facit ſanum vt nunc minima earum, vt nunc media, neutrum ſimiliter vt nunc.

CONTRAD. XXV.

In ſanguine an quatuor humores.

GAlenus ſecundo de facultatibus naturalibus ponit in venis ſanguinem, & duo excrementa biliosum & melancholicum, dās exemplum de vino; ita vt ſint tantum tres humores, quod etiam confirmatur aptè quarto de tuenda ſanitate. Et ideò ſciendum quod ſanguis duo habet ſignificata ſecundo in ſextum de morbi vulgaribus, vel vt quartus humor, vel vt aggregatum ex omnibus. Conſtat igitur eſſe quatuor humores quos ibi enumerat in ſanguine ſcilicet adiecta pituita, quod etiam teſtatur in authoritate ſecundi de facultatibus naturalibus. Thuriſanus adducit ſeptem rationes quod ſint niſi tres humores negando ſanguinem eſſe quicquam diſtinctum à tribus aliis humoribus. Prima ſenſus in ſectione venæ non plures quam tres partes oſtendit: ſecunda non datur ſanguis ſanguineus, ſed biliosus: tertia totidem partes ſunt in lacte, igitur non plures in ſanguine cum lac ex ſanguine fiat: Quarta natura ſeparat dulce ab amaro quia ſolum dulce nutrit, quarto de ſimplicibus medicamentis capite decimo ſed bilis eſt amara, ſanguis dulcis, ergo non mixti. quinta ſanguinis nullum eſſet ſuperfluum, nam omnes humores eſſent tanquam ſuperflua. Sexta agaricus & helleborus purgant tres humores, aliqua duos, aliqua vnum, nullum autem ſanguinem: ſeptima datur febris ex ſanguine, ſi igitur eſſet ſanguis aliud à tribus humoribus non poſſet eſſe intermittens quia humor continetur in venis, nec continua quia eſt vnius humoris. Ad hæc reſpondeo quòd ſanguis eſt aggregatum quatuor humorum ex ſēſu, ex temperaturis, & anni temporibus. Et quod ſenſus oſtendit omnes quatuor partes. Et in lacte non apparet ſeparatio pituitæ quia mutatur ad naturā ſāguinis ſed quatuor aliæ butirum pro ignea, Caſeus pro aërea, coloſtra pro terrea, ſerū pro aquea. Ad ſecundam cū dicimus pulchrum, dicimus ſi milem exquiſito ſanguini ad quartam ſunt ſeparata virtute trahente quod eſt ſimile 2. de elementis. Ad quintā ſuperfluum ſanguinis eſt humor ſi pro puro ſanguine intelligatur: ſi pro aggregato militat & contra ipſum. Sexta ratio contra ipſum facit, helleborus enim & agaricus ſanguinem purgarent quia tres humores purgant. Febris ex ſanguine iam putrido non datur, quia in humores conuertitur. Cum tamen incipit eſt continua vt ſecundo de febrium differentiis. Dictum eſt etiam in ſeptimo de his.

CONTRAD. XXVI.

Siccitas an craſſiores faciat humores.

GAlenus in libro artis medicæ ponens, ſigna ſiccæ temperaturæ teſticulorum, dicit quod habent ſemen paucum, & modicè craſſum, quod idem dixit ſupra de ſanguine iecore ſicco. Oppoſitum tertia Aphoriſmorum: [Siccitas minuit humores, & bilioſiores facit:] Concordat in primo, diſcordat in ſecundo. Reſpondeo ſiccitas naturalis cogit, quia eſt ſine motu, ſed aëris vt in tertia aphoriſmorum exacuit, eſt enim cum motu.

CONTRAD. XXVII.

An dextrum & ſiniſtrum diſcrimen faciant in oculis.

GAlenus ſexto Epidemiorum inquit quod non eſt differentia dextri & ſiniſtri in membris hominis, præterquam in manibus. Et dat exemplum de oculo. Sed Hippocrates ſecundo Epidemiorum dicit quod differentia eſt dextri ac ſiniſtri in oculo, & mammis. Et probat hoc quia dicit maſculi in dextra parte generantur, fœminæ in ſiniſtra: ergo calidior pars eſt dextra, quam ſiniſtra, atq; ideo etiam robuſtior. Reſpondeo quod de mammis propter conſenſum cum vtero non eſt dubium; ſed de oculis dicendum quod ſit diſcrimen, ſed non adeò manifeſtum

nifestum, quia non in propria oppositione. Et si animaduertamus, non solum oculus dexter est robustior sed etiam sinistro melius videt. Galenus autem loquitur de manifesto discrimine.

CONTRAD. XXVIII.

Seminis abundantia an ad vitæ longitudinem.

QVi semine abundant breuis sunt vitæ, dicebat Aristoteles libro de longitudine & breuitate vitæ. Galenus tamen in arte medica dicit quod qui humidam & calidam testiculorum temperiem habent, excernunt semen absque detrimento: & quod plurimum illo abundant. Respondeo abundant, nec læduntur ob id ex eiectione: nihilominus etsi non lædantur: seu tamen eiiciant, seu non, breuis sunt vitæ: quoniam tantominus corpus & vires restaurantur, quantò plus transit in excrementum.

CONTRAD. XXIX.

Coitus an conferat renibus.

COitus alleuiat renes, & sedat dolores, vt Auicenna docet: ibidem paulò post dicit quod nocet renibus. Duplici modo concordatur, in prima authoritate loquitur stante repletione renum, & de coitu moderato in secunda ex immoderata venere, & renibus vacuis.

CONTRAD. XXX.

Pulsus an signum proprium temperaturæ totius.

GAlenus in libro artis medicæ, non ponit inter signa temperati corporis pulsum. Idem tamen secundo de dignoscendis pulsibus ponit pulsum inter signa moderatæ temperaturæ corporis, quod etiam refert Rhasis secundo ad Almansorem: Respondet Galenus in secunda authoritate quod pulsus temperati difficilis sunt cognitionis. Ideò maluit ponere signa magis nota, sicut fecit etiam Paulus & alij omnes. Vel dic vt habetur quarto de præsagio ex pulsibus quod pulsus ex quacunque causa & motu variatur, ideò non decet sumere indicium ab illo.

CONTRAD. XXXI.

Pectus magnum an cor magnum necessariò.

GAlenus sexto Epidemiorum ponit cordis, & pulmonis magnitudinem necessariò consequi magnitudinem pectoris. Sed idem post negat quod sit necessarium, vt etiam in libro artis medicæ. Respondeo quod non sunt necessaria nisi ex suppositione quod cerebrum non dissentiat. sed contra quia cor calidum debet esse paruum vt Aristoteles refert: ergo paruum pectus in corde calido contra Galenum in libro artis medicæ: dic quod regula Aristotelis tenet in cordibus diuersorum specie animalium; Galeni autem in eadem specie, & in hominibus inter se comparatis.

CONTRAD. XXXII.

Corpora calida an macilenta.

GAlenus in libro artis medicæ dicit quod corpora calida minus pinguedinis habent, de carne nihil dicit: Istud videtur concordare cum eo secundo de temperamentis frigida pinguia sunt, humida carnosa: calida igitur neque gracilia, neque pinguia; calidum enim opponitur frigido, non humido. Rhasis secundo ad Almansorem, & Aëtius libro quarto dicunt quod sunt gracilia & & macilenta, Haliabbas autem dicit carnosa Respondeo quod sunt gracilia ob pinguedinem assumptam. De carne autem sunt carnosa, sed latet bonus habitus: quia tanto plus de pinguedine ab sumptum est. Ideò macilentum nõ opponitur bono habitui, sed pingui.

CONTRAD. XXXIII.

Pinguedo an calida: De differentia seui & adipis.

GAlenus secundo de temperamentis dicit quod pinguedo est frigida, & paulò post dicit quod fit à frigido. Auicenna, quoque prima primi collocat eam inter partes corporis nostri frigidas: sicut carnem inter calidas. Aristoteles autem reponit pinguedinem inter partes calidas secundo & tertio de partibus animalium, secundo quoque de animalium, generatione: & Auerroës quinto collectaneorum, & in commento magno quarti metheororum. Tertio verò de alimentis Galenus ponit eam de natura olei, ideo videtur esse calida, dicit etiam quod concoquit decimo de simplicibus medicamentis, & quarto de vsu partium commemorat de gladiatore illo cui excisa parte omenti non concoquebat. Galenus de simplicibus medicamentis disputat hanc quæstionem ex professo, & dicit quod abundat in corporibus robustis, igitur videtur esse calida, talia enim abundant sanguine, carne bona, coctione, & validis viribus fruuntur. Inde probat quod frigida, abundat enim in regionibus frigidis Germania, Gallia, & Ægypto: & animalibus similiter frigidis vrsis, suibus, alpinis muribus, non leonibus, ac canibus. Dices istæ rationes non sunt propriæ, nec demonstratiuæ. Respondeo ergo quod calidum quadrifariam dicitur in hoc proposito

sito vt alimentum quo circa pinguedo frigida est & humida, tale enim exhibet alimentū;vel simpliciter vt est expers venarum & arteriarum, & ità est etiam frigida: quia nullas venas vel arterias excipit: aut ratione materiæ & sic est calida, probat hoc secundo de partibus hac ratione: fit ex sanguine, indicio quod non nisi in habentibus sanguinē animalibus inuenitur; sanguis autē calidus. Item pinguedo est igneæ, aëreæque naturæ, igitur calida. Indicat hoc quod ardeat facile & quòd sit leuis & candida. Vltimo dicitur calida quoniam diù retinet calidum vaporosum, & ità calefacit mutuò. Eadem ratio de seuo militat quoniam est vt bene refert, adeps corpulentior atque terrestrior. Differunt igitur substantia primum, deinde natura, nam sæuum concrescit postquam fuerit liquefactum, sed pinguedo differunt quoniam seuum in his animalibus abundat quæ cornuta sunt, & vnum tantum habent dentium ordinem vt boues, capræ; sed adeps in his quæ tam superius, quam inferius dentata sunt. Ratio non obscura est cornuta enim animalia fibris refertum habent sanguinem, & ideo magis terrestrem. Addit & alias differentias tertio de natura animalium: seuum est in fine carnis vt renum, adeps inter carnem & cutim, adeps in piscibus inuenitur: seuum non: adeps non frangitur, seuum frangitur: seuum longè melius ardet quam adeps. Sed Aristoteles hoc nesciuit, hic enim vsus adhuc ignotus erat; omentum & renes in cornutis seuo, in dentatis vtrinque adipe referta sunt. Si horum vnum nimis excreuerit animal perit, quoniam pars crescit quæ sensus est expers, animal autem sensu constat. Forsan melius esset dicere quod meatus pondere & copulentia sua obstruat, nam & ossa si crescant quamuis sensu careant non occidunt hominem.

CONTRAD. XXXIV.

Aqua an calidis temperamentis conueniat?

HIppocrates sexto Epidemiorum inquit. [Calido naturâ, refrigeratio:] potus aqua, quiescere. Galenus tamen exponit de his qui acri sunt calore primum, deinde aquosam potionem aut aquam, dari suadet, non aquam omnino, octauo autem de Medicamentis secundum locos prohibet vinum habentibus calidam iecoris intemperiem. In libro de salubri diæta interpretatur autorem illum Galenus de vino diluto & frigido quod cum refrigeret, commoda etiam vini præbeat. Idem quod ferme ad quæstionis solutionem quinto de tuenda sanitate facit, multis modis distinguit: primum quidem vbi calor abundauerit velut in athletis, haud conuenire aquam sed vinum potius existimat, quod qua ratione velit non sat perspicio, in intemperie verò calida hoc esse verum vult. Sed quomodo, adhuc docet: si mediocris sit his excessus, vinum dilutum præbet: si immoderatus vel caliditas cum siccitate, vel cum humido iungitur; atque his aquam deberi fatetur, aut cum neutro, tuncque etiam vinum concedit dilutum: quod hæc intemperies summa vt ità dicam esse, nec manere possit. Hactenus de Galeni sententia cæterum quod ad veritatem rei pertinet tum in libris de sanitate tuenda, tum de aqua & aëre dictum est.

CONTRAD. XXXV.

In ossium fractura an alimenta crassa & sicca conueniant.

PRinceps inquit quinta quarti. [Oportet vt in ossium fractura vtaris his alimentis quæ sanguinem generant spissum, & siccum:] Imo dicit non spissum & siccum, sed lentum & spissum, atque id iure: viscida enim faciunt ad conglutinationem. At primo de fracturis inquit Galenus quod in ossiū fractura debemus vti cibis mollibus veluti ptisana hordeacea, cucurbita, beta, malua. Respondeo Galenus considerat duo pericula: vnde secundo de fracturis si febris fracturæ superueniat, acida mulsa solum vtendum est. Et in tertio vulnus vt grauius eo tenuiore victu opus est. Secundum quod os restauratur, eo quod in eo collectum est iam diu tertio de naturalibus facultatibus. Princeps respicit ad naturam morbi: & loquitur de fine illius: Galenus de periculo & initio, & sunt concordes; nam in fine morbi tametsi os restauretur maiore maiore ex parte collecto humore, nihilominus etiam portione aliqua illius quod in dies gignitur.

CONTRAD. XXXVI.

Timor in melancholia an à nigritie, vel qualitate humoris?

GAlenus secūdo de symptomatum causis & tertio de locis: Dicit quod quēadmodum homo in tenebris timet ac mœret. Sic ob melancholiæ quæ in cerebro existit nigredinem, terretur spiritus animæ. Quam sententiam secutus est Princeps prima tertij, & Serapio 1. pract. & Aëtius lib. 6. Cum veluti caligo quædam rationali animæ parti circumfusa fuerit, necesse est hominem quasi perpetuò timore detineri: vt qui causam timoris secum circumferat. Et sicut in profundis tenebris pueri timent atque adulti imperiti; ita melancholiæ color velut tenebræ animam obumbrās timorem efficit. Contra hanc opinionem Auerroës 3. Coll. Et primo Canticæ adducit quinque rationes. Si homo tristatur, ob nigredinem sanguinis lætabitur ob albedinem; & ità cum homo erit hilaris habebit sanguinem album. Ad hoc diceret Galenus quod obscuritas, non nigredo est causa timoris sicut videmus quòd nō timemus in officina carbonaria, sed in tenebris & obscuritati contraria est claritas, & à claritate manifestè lætamur. Secunda color

color non potest lædere operationes, quia sic esset morbus, ergo essent quatuor prima genera morborum cum non possit reduci ad temperiem, nec compositionem, neque coniunctionem. Morbus autem est quicquid per se primo operationes lædit de differentiis symptomatum. Ad hoc possumus respondere bifariam; vel quòd diuisio illa in tria genera est morborum corporeorum: non eorum quorum symptoma est proprium operationi animæ; neque enim inconuenit quod ob tristitiam homo non dormiat, & tristitia hæc erit morbus animi, nam vigilia est symptoma præter naturam, & si dicas quòd sit à causa externa, illa tamen non agit nisi per tristitiam. Et ideò si omnis tristitia est morbus, videretur quòd deberet esse præter naturam. Igitur iuxta Pyrrhonem homo de nulla re tristari deberet; Sed hoc est ingredi magnũ chaos. Vel dicemus quòd ex obscuritate spiritus refrigeratur, & ex frigiditate fit timor cuius indicio est quod quidam nõ timent etiam coram tormentis ac morte ob ferociam: alij timent sine causa vt mulieres, ac pueri. Tertia color non est color nisi propter oculum, vnde secundo de anima hæc est in secundo modo dicendi per se: igitur non habet vllam operationem nisi in comparatione ad oculum, sed in cerebro, non est oculus, igitur nigredo in cerebro nihil operatur. Respondeo vt priùs quod obscuritas quæ nigredini coniuncta est, est causa vt spiritus impediatur ab operatione cuius causa corpus refrigeratur. Alia ratio morbi omnes qui contingunt animæ, contingunt ei vt corpori alligatur & ex intemperie vt obliuio vigiliæ velut à Galeno tertio de locis, secundo de symptomatum causis, & libro quòd animi mores corporis sequantur temperaturam: sed timor est morbus animi, igitur aduenit illi vt est coniunctus corpori & per primas qualitates, igitur non ob calorem. Et si dicas quòd aduenit ob frigus: dicet Auerroes, ergo non aduenit vt dicit Galenus ob obscuritatem per se: velut quando est in tenebris? Hic videndum esset an timor esset operatio animæ solius vt crededit Plato, an totius hominis vt Aristoteles primo de anima. An potius vitæ solius, non animæ vt Plotinus cui ego assentior. Sed cõdonemus vt sit operatio totius velut voluit Galen. qui sequitur Philosophum, videndum est quomodo homo timeat per exteriores & clarum est quia non potest perficere suas operationes, sed istud quia refrigeratur, ideo Galenus non vult quod color sit causa propria timoris, sed quòd sit causa frigiditatis, in spiritu & ideò timoris adeò vt differentia inter Galenum & Auerroem est exigua, nam vterque vult quod frigiditas in spiritu sit morbus & causa timoris qui est symptoma: sed huius frigiditatis in spiritu Auerroes causam vult esse frigiditatem in materia melanchoolica, sed Galen. nigredinem & obscuritatem, quæ impediunt motum spiritus. Quod autem mouit Gelenum ad hoc vt crederet hanc potius causam alienam quam propriam & per se, fuit quod dantur humores pituitosi longè frigidiores melancholia: est enim pituita vt diximus omnium quæ in corpore sunt frigidissima, & tamen tales non fiunt melancholici. Et alij habent caput repletum pituita frigida, & non incurrunt melancholiam sed stuporem potius, ad hoc diceret Auerroes quod melancholia non fit à sola frigiditate, sed siccitati coniuncta. Galenus diceret ad hoc quod atra bilis præter naturam etiam quod parum sit frigida facit timorem: & bilis flaua hoc non facit cum sit siccissima: Et videmus quòd humores nigri hoc faciunt, & non nigri non faciunt qualescunque sint; igitur nigrities est causa timoris, non temperatura. Et pendet ex regula dialectica, quòd in his quæ conuertuntur affirmando & negando si alia non conuertuntur in genere causarum cum non potest assignari alia causa, illa per quã conuertitur est causa propria. Et est demostrata in dialectica nostra quantumuis breui. Demum dicit Auerroes obscuritas est priuatio, timor perturbatio & non priuatio; igitur oportet inuenire causam præsentem & in actu non priuationem. Respondeo quòd vt habetur quarto Physicorum est causa sine qua non quæ consequitur principia actionum: Et sic dum tollitur causa illa, sequitur effectus contrarius ab aliis causis contrariis. Velut audire fit ab effusione spiritus: vbi effusio ob frigus & siccitatem impediatur oritur timor. Et ideo cum parum adeò differant hæ opiniones possunt dici concordes, quod ad originem autem attinet verisimilior videtur ratio Galeni ob causam dictam.

CONTRAD. XXXVII.

Acida an tenuia?

[MEmento quòd quæ acida sunt tenuium partium.] secundo de alimentis. Quod sæpiùs in quarto de simplicibus medicamentis repetit. Oppositum decimo artis curandi: [Non est inuenire substantiam absolutè frigidam, & tenuium partium.] vbi probat in aceto necessario ob hoc esse partes calidas. Respondeo quòd non est dubium acida esse frigida, quarto de simplicibus medicamentis: attamen ibidem docet quòd acida fiunt inchoata, non perfecta actione. Sunt ergo acida frigida & tenuium partium: at si debeant absolutè, frigida esse tenuia, oportet acida esse tenuissima & frigidissima; sed non sunt frigidissima, nec tenuissima. Sed si tenuissima calore participare debent. At si Galenus agnouisset limunium hoc non dixisset; succus enim ille maximè acidus, maximè frigidus, & tenuium maximè partium est etiam magis quam aceti. Ideò nec in hac parte reprehensione dignus: inquit enim inuenire fortasse non est, non autem non licet.

CONTRA

CONTRAD. XXXVIII.

Carnes, oua & vinum an febrientibus conueniant.

PRimum quidem illud considerandum primo Aphorismorum. [cum morbus peracutus est, statim extremos habet labores, & statim extremè tenui victu vtendum est.] Et extremè tenuis victus vt ibi declarat Galenus est nihil dare ad statum vsque, vel mellicratum tantum. Peracuti morbi dicuntur primum Attonitus morbus, secundo Aphorismorum Cynanche & Synanche quarto Aphorismorum: Comitialis, conuulsio; quinto Aphor. itemque distenti, & de distentione bis agit. Acutos autē libro de victu in Acutis sic deffinit: [Sunt autem hi acuti quos veteres nominauerunt pleuritidem, peripneumoniam, phrænitidem, febrem ardentem, & alij morbi qui ex his hærent, quorum febres omnino continuæ sunt, & occidunt. Et in primo de morbis. [Febris ardens, phrenitis, peripneumonia, Angina vna, pleuritis cito decernunt. [Videtur & ibidem connumerasse cum dixit. [Dubij autem morbi vt perdant & non tales sunt peripneumonia, febris ardens, phrenitis, pleuritis, angina vna, hepatitis, splenitis, nephritis, dysenteria, in muliere fluxus sanguinolentus.] Quamquam pauci ex his diuturni sint. Et breuiter Acuti vt peracutos etiam sub se comprehendunt sunt omnes qui cum periculo vitæ sunt, & breui terminantur: Quare tales sunt vel ratione intemperiei, & sunt febres ardentes; vel prauitatis & sunt febres pestilentes, licet non forsan toto genere peracutæ sint, sed tamen acutæ saltem vt prima quarti, & quæ syncopem adducit duodecimo artis curandi. 3 cum ratione phlegmō, omne enim phlegmon in aliquo è tribus ventribus febrē acutam sibi associat, Quinto artis medicæ, & sæpe lipyriæ vt quarto Aphor. de quibus suo loco dicemus. Quarto cum ratione effectus membri principalis maximè cerebri vt in attonito totius morbi ratione, in comitiali ratione accessionis. In omnibus his debetur victus tenuis vt habetur primo Aphorismorum, vbi diuidit victum in acutis in tenuem simpliciter, & est inquit per ptisanæ succum, & tenuem valdè, & tenuissimum in extremo. Et primo de victu in Acutis irridetur Diæta Petranæ qui dabat carnes assas & vinum in acutis morbis. Et quia multi adhuc dubitant de hoc, adducam seriem Galeni in octauo artis curandi quæ talis est. [Expedit igitur tales homines illis nutrire cibis, qui nec medicamentosam vllam sensilem vim habeant, sed nec ipsum quod nutrit plurimum, quando hoc quoque si exuperat vitio non caret. Principio namque nec quæ in ventriculo eorum agitur concoctio est exacta, nec si ventriculus ea superet, quæ in venis obitur est absoluta. Quod si hic quoque haud magnus sit error saltem tertiam quæ singulis partibus propria est difficile fuerit in omnibus illis ritè perfici. Conueniet profectò huic & vt frigidum humidumque quodammodo ei nutrimentum exhibeas, vbi corpus tum calidius tum siccius solito est redditum. Quare commodissimus huic est ptisanæ cremor ad vnguem coctus, in quo nullum sit superfluum condimentum, vt pote qui & refrigerare & humectare, ac sine siti seruare hominem potest. Cum eoque nec halituosum, nec humidum, nec siccum detinet excrementum.] Et loquitur de febre diaria ex meatuum constipatione. Sed & ratio adest talia pinguia vt oua, & carnes magis difficile superantur; facilè putrescunt & inflammantur, & obstruunt; sed hæc omnia obsunt febri, igitur huiusmodi omnia sunt perniciosa in febribus, præsertim acutis. In oppositum solet adduci auctoritas ex primo de victu in acutis huiusmodi: Contraria autem pollent facultate panis, & chondrus; nempe virtutem quidem roborant, sed neque humectant neque secant, quod neque alteri cuipiam inest eorum quæ medici languentibus dare consueuerunt, verbi gratia ouis gallorum, testiculis, alis, piscibus, iuuenibus columbis, & quibuscumque id genus sunt.] Et infra. [Quòd si æger aquam mulsam ptisanamque fastidierit, pisces saxatiles sunt maximè idonei: ex aqua scilicet, & porro, & anetho, & sale & modico oleo parati, atque ex non saxatilibus aselli; sed antea oxymel propinare oportet.] Vbi in prima auctoritate videtur concedere carnes & oua in acutis, cum sermo sit de huiusmodi morbis; Et in secunda, licere pro ptisanā vti piscibus saxatilibus, & ideò etiam panem nam sine pane quis edat? Neque enim tanquam ptisana, aut chondrum sorberi possunt, sed mandere oportet. Adest & auctoritas in duodecimo artis curandi, vbi licet ille inscripserit capitibus de curanda syncope in his qui tenuissimos succos, & qui facile exhalant obtinent. Ex concordia tamen Aetij libro quinto, & Principis in capite de symcopali febre minuta, & etiam in ea quæ fit ex crudis humoribus dat panem cum vino, & in minuta etiam nutriunt. Vnde Galenus. [Tum cibi his dandi non admodum promptè diffluant, non aqua mulsa, non ptisanæ cremor; sed panis, & alica, & aliquando oua, præcipuè vitelli; album enim eorum ægrè concoquitur: præterea gallinaceorum lacte sint alti testiculi, itemque suillum cerebrum, sed vel diligenter assum (quando si cruentum detur summopere lædit) vel in albo iure legitimè elixum, porro & anetho iniectis. Vinum verò aquosum his per initia post sumptum cibum necessarium est. Quòd si ex sententia omnia responderint, etiam carnei aliquid nutrimenti post alia dabimus, potissimum post quartum diem, succis, qui febrem excitauerunt iam ad concoctionem venientibus:] Sed & in pestilenti febre rursus Rhasis decimo ad Almansorem dat lac acetosum cum farina hordei, dicitque quod sunt cogendi ad assumendum cibum. Et in libro diuisionum clarius. [Ciba eos pullis assatis, & vitellis ouorum, & da eis in potu vinum album odoriferum cum quintuplo aquæ.] In attonito morbo Princeps dat panem cum ficubus siccis. Aetius quoque in cura phlegmonis cerebri dat ptisa-

nam & alicam, & morbo mitigato oua & lactucas. Adducuntur etiam rationes quædam ex secundo Aphorismorum, morbus acutus est qui sæua habet symptomata; at verò symptomatibus virtutem prosternentibus illico dandus est cibus primo Aphorismorum: igitur in acutis & valde acutis eo magis dandus est cibus. Alia ratio est Brudi Lusitani in primo de victu in acutis. In tenui victu parum minuuntur vires, teste Galeno, saltem persæpe, sed si vires constarent, materia concoqueretur in statu, igitur in tenui victu non erit materia concocta; in statu ergo peruertetur ordo temporum, & æger non liberabitur. Alia sumitur ab experimento: vulgus multos sanat à medicis destitutos cibis exhibitis vt cõtusis ouis, vino; & tamen succubuerat natura iam in iudicio; igitur exhibito antea cibo huiusmodi facilius liberabuntur. Quarta est hiusmodi: morbus perpetuò augetur ad statum, sit ergo vt ex sexto ordine ad octauum perueniat; hoc enim & Hippocrates, & Galenum definiunt, statum quòd morbus sit maximus & symptomata habeat sæuissima, sed virtus decrescit tum vi morbi, tum etiam inedia: sit ergo vt ex vi morbi, & symptomatibus deueniat ex duodecim ad octo, & ex inedia ex octo ad septem, tunc non seruabitur æger: quia non quilibet excessus virium ad morbum est sufficiens ad seruandum ægrum; igitur morietur æger, qui si pleniorem assumpsisset cibum, remansissent) vires sub octauo ordine, & in proportione sexquitertia, quare natura superasset morbum & euasisset æger. Sic autem agendo cum vires bifariam minuantur, morbus augeatur, pauci admodum illorum seruabuntur. Præterea grauius peccatur in tenui victu quam crassiore; at certa meta incognita est, igitur magis declinandum ad crassiorem victum quam ad tenuem. Additur sexta ex eodem Aphorismo si contingat euacuatio aliqua perperam aut immodica, dicit Hippocrates quòd grauius læduntur hique tenui victu vtuntur quam qui paulò pleniore; ergo cum id intelligat ex Galeno de omni errore seu fiat ægro volente, seu nolente, seu à medico, seu à natura: constat, quòd in euacuationibus, vt dixi, immodicis quæ vel à medico perperam fiunt quas etsi vitare possumus, durum tamen est ac difficile vel à natura quas omnino deuitare non possunt tutiorem reddi ægrum. Et hæc ratio habet aliquid energiæ, quòd tutiores aduersus pericula sint. Deinde deducit argumentum generaliter hoc modo: qui ieiunus est magis læditur à labore, à sole, à nauigatione magis conturbatur vt experientia docet; quamquam de hoc dubitatio sit: Mondeguetus enim id negat omnino, sed sine illo stat vis argumenti, & experimentum: At in omni morbo sunt symptomáta & grauia si sit acutus, igitur in omni morbo acuto grauius læditur ieiunus quam qui assumpserit vinum, & oua, aut carnes leues. Octaua est ab anctoritate Galeni primo ad Glauconem vbi dat carnes colliquatas, & oua, & talia in cura tertianæ puræ. Est & auctoritas Principis prima quarti de cura febris ardentis à bile: [Et cum times lapsum virtutis, necessarium est cibare ægros quamuis non appetant, & propriè cum ex quo resoluitur res plurima, sæpe enim perueniunt ad boulimum ex defectu sensus. Alia auctoritas clarior & generalis ante hanc: inquit enim. Et illi qui sequuntur latus pleni alimenti sunt sicut gallinæ extremitates. Et subtiliores his sunt alæudæ & pulli gallliculi: & subtiliores his sunt alæ pullorum & perdicum & oua sorbilia pauca subtilia & pices parui. Vndecima sumitur à natura humoris, & temperaturæ vt ibidem habetur; nam biliosi & qui facile resoluuntur, & consueti cibis multum nutrientibus vti, etsi humor qui peccat sit biliosus exigunt hæc cibum qui nutriat & plurimum. Et hoc etiam experimentum docet, & qui habent imbecillem ventriculum. Et ibidem in casu virtutis; virtutis enim defectus propriè vitalis est, quæ indicat de cibo exhibendo vt etiam, primo de victu in acutis. Et similiter si iungatur fluxus ventris, aut præcesserit inedia, vel superflua venus, vel immodica sanguinis euacuatio. Quintadecima ratio si prohibendus est plenior victus in ægris hoc est sine dubio ne materia morbi augeatur, & natura in concoquendo non laboret, sed non est necesse cibum crassi alimenti esse difficilis coctionis, & dat exemplum de alica quæ facile concoquitur, & est crassi alimenti: Et est verum vt etiam de pedibus iuuencorum diù valdè percoctis. Sed neque necesse est vt sit similis in substantia & qualitate: substantia si quidem, vt sit obnoxius putridini qualitate vt sit calidus & siccus; poterit enim præparari sic caro perdicis, aut turdi, vel passerum vt sit frigida & humida, & quod si maneret per mensem non corrumperetur vt coquendo illas cum endiuia, lactuca, portulaca, oxalide, prunis, cerasis acidis, hordeo; inde addendo seu infundendo in aceto albo rosaceo, & omphacio, violaceo, ac nympheæ candidæ floribus imbuto. Præterea dicit Hippocrates secundo de victu in Acutis quandocunque apparuerit signum euacuatorium, aut proritatorium vt illius verbis vtar crassiori victu vtendum esse; vbi Galenus per proritatorium intelligere inquit Hippocratem, omne quod potest labefactare vires velut morsum, lumbricos, vigiliam, iram, mœrorem, pruritum, quæ omnia sub proritatorio & hypochondrio comprehendi affirmat. Peculiariter autem de vino adducit auctoritatem. Ex libro de victu in acutis, vbi Hippocrates ait. [Fuluo autem vino, & nigro austero in his vti poteris morbis in quibus nec capitis grauitas, nec mentis percussio, nec sputum ab ascensu prohibitum, nec vrina suppressa; alui autem egestiones humectiores, & ramentosiores fuerint. In talibus sanè vel maximè conuenit ex albo transmutationem facere, & si qua his similia existunt.] Et infra. [Vbi tam in his morbis suspicatus fueris aut capitis grauitatem vehementem, aut mentis pelculsionem, penitus à vino abstinendum est, & aqua in tali vtendum, aut vinum album & aquosum & prorsus inodorum dandum, & post ipsum modicum aquæ superbibendum.] Vt conspicuum sit ex Hippocratis sententia vinum

in

in nullo casu prohiberi. Imo ille passim dat vt in secundo de morbis in cura pleuritidis bis dat carnes: primum secunda die postquam febris reliquerit, in vltima post decimam quartam diem; eligit autem catulorum vel auicularum. Et in peripneumonia dat vinum album ab initio. Et infra dat vinum in ardente febre, & quod maius est vinosum. Similiter in lethargo quem tamẽ peracutum esse vult quod in septem diebus occidat. Addit etiam Brudus rationes duas generales, quarum vna est indicatio de victu quæ sumitur à morbo non solum, sed à statu morbi; sed status morbi tantum differri potest vt æger pereat ante, aut debilior reddatur; igitur nutrimẽtum antea dandum est. Assumptum probat ex duabus auctoritatibus, prima habetur primo. Aphorismorum ibi: vbi igitur peracutus est morbus, statim extremos habet labores, vbi non supple (tanto serius extremos habent labores) tantum cibi indulgendum est, quanto morbus extremis mollior fuerit. Et ibi primo de victu in acutis: Postea si dolor quispiam vel periculum: Galenus ait, si validus est æger vsque ad septimum diem oximel, aut melicratum dare expedit solum: qui verò morbo simpliciter acuto laborant, & qui ad duas finiatur septimanas sorbitione vtentur & exempli gratia tota ptisana; sed si ad vndecimum vsque, tenuiori velut cremore ptisanæ. Alia ratio, viriũ robur est diuersũ in ęgrotãtibus & iuxta illud dare cibũ expedit vt visũ est, igitur aliquos nutrire pinguib. expedit. Probat quod proposuit ex Galeno Prima Aphorismorum dicente: Totius victus formam duos inspiciens scopos constituit, nempe ægrotantis vires & morbi constitutionem: Deinde reprehendit abstinentiam cibi quatuor dierum dicens [sanus in hac abstinentia iacebit semimortuus, quanto magis æger afficietur, ita vt necesse sit hominem mori.] Et cum tales morbi, inquit, periculosi sint sui natura, si æger intereat videbitur inedia periisse, non vi morbi, atq; ita medicus magnũ discrimen subibit nominis, & forsan maius. Dicit solum conuenire his qui consueti sunt in sanitate eam perferre vt Iudei qui singulo anno vt inhibeant veneris stimulos superfluos triduo abstinent à cibo, in non consuetis oportere multa in vnum conuenire vtpote morbi naturam, materiam illius, ætatem, temperaturam, hyemem, ac eiusmodi. Addit autem vnum pulchrum quod vitalis vis quantitas dignoscitur præsens ex pulsu: futura verò ex habitu corporis raro (molli & exangui, & immodicis effluxionibus sanguinis, aut rerum corruptarum) succorum tenuitate (sub quibus aëris etiam status comprehenditur) sed & ex consuetudine cuius postmodum alibi meminit vt in vniuersum sint sex. Dicit præterea Anglis non deberi vllo modo tenuem victum, tum ob regionis naturam quæ frigida cum sit calorem validum efficit in corporibus naturalem, & ob consuetudinem cum multis ac crassis cibis assueuerint, etsi redundẽt multis humoribus; quia tamen boni non sunt sed corrupti ideò hac causa etiam plenior non tenuior victus est adhibendus: secus esset vbi crudi essent & boni, nam in sanguinem per inediam transmutarentur. Atque sic constituit rationem victus in vnoquoque morbo acuto, in ardente febre spuria dat ius pulli atque vt ita dicam cremorem adiectis tamen quæ refrigerant, humectant, dissecant: vbi attractoriarum sorbitionum meminit. De quibus Hippocrates ῥοφήματα ἐπισπαστικὰ δίδου, id est, sorbitiones superattractorias dabis. Et sunt quæ nutriunt simul, & purgant. Huiusmodi habes exemplum à Galeno in methodo de cura phlegmonis iecoris, cum mercurialem sorbitionibus miscet. Dat & in tertiana continua in reliquis omnibus præterquã sanguinea seu intermittentibus, seu continuis à pituita, vel atra bile dat etiam carnes ipsas: sed vberius in pestilenti reficit, Dando oua quorum in aliis febribus non meminit. In colliquantibus tamen febribus solo cremore pullorum vtitur, haud tamen carnibus. De tertianis puris non est mirum, cum ex Galeno habeatur. Non tamen exhibet horum quicquam in variolis aut morbillis, putans non esse augendum sanguinem vllo modo; sed in variolis pisces exhibet salitos, non in morbillis. In lipyriis cum eas more Arabum intelligat, & epialis suadet cremorem pullorum; sed in epialis specialiter galli antiqui. At in febre cum fluxu suadet vt vtamur crassiore victu, non tamen excedit pullæ cremorem cum herbis incoctæ quæ facultatem habeant temperandi caliditatem, & siccitatem humoris ac febris. Si tamen aluus ob imbecillitatem retinendi fluat, carnes dat phasiani, & iecora gallinarum assata. Atque hoc de victu febricitantinm diffusè, ac vt ita dicam curiosè. De victu autem eorum qui abscessibus laborant quid senserit inferius dicam, neque enim in his quicquam adiicere audet. Quem constat etsi egregius vir sit, deceptum tamen esse in iudicio victus acutorũ morborum quod etiam quasi ipse in primo libro fatetur dum illud Hippocratis citat postea [si dolor quispiam vel periculum comparauerit, sorbitionẽ dare oportet neque multam neque crassam, sed post septimam vel nonam si validus sit.] Et illud. [ciborum autem adiectioni intendẽdũ multo minus, subtrahere verò omnino sæpenumerò expedit, cum æger sufficere possit donec morbus maturescat.] Vbi etiam propriam sententiam de abscessibus internis declarat dicens. [Præterea cum inflammatio [in aliqua parte excitatur ab humoris affluxu siue phlegmone], aut erysipelas fit, non aduertisti nullum cibum quantumcũque leuissimum fluxione durante laborantes posse sumere; quandoquidem à cibo dolores & fluxus insigniter crescunt.] Et fuit sumpta à Galeno expresè in methodo vbi dicebat quod in talibus vnica spes est vt sit virtus adeò valida, vt sine cibo perdurare possint.

Verùm quanto ingeniosior in differendo est, & doctior in contradicendo videtur, eò maiorem noxam affert, vt si non essemus oculati, posset nobis magno damno imponere; Si tamen Phrinis non fuisset, Timotheus

theus non fuisset dicebat philosophus. Secundo primæ philosophiæ:ita hic vir multa bona nos docuit nec contemnendus est:cum etiam nobis oculos aperuerit vt hanc contradictionem adeò perfectè construeremus. Constat enim Hippocratem abhorruisse non solum in abscessibus, sed etiam in febribus omnibus præsertim acutis victum hunc pleniorem idest pinguibus eduliis, & vino, vt primo Epidemiorum; Et in tertio. [Appollonius in Abderis cum edisset carnem bubulam, ac bibisset intempestiuius incaluit parum primum: decubuit, lacte vero vsus decocto, & crudo caprino, ac ouillo, & victu malo omnium, læsiones magnæ sequutæ sunt: Nam & febres exacerbatæ sunt, &c.] Et in libro de victu in acutis. [Propter has igitur causas & alias adhuc magis qui tota ptisana vtuntur, septima die & citius moriuntur.] Docet autem causam vt ibi manifestum est ob quam intereunt strangulati solum ex assumptione ptisanæ quod de aliis? Propter hæc dico quòd comparando generaliter & specialiter victum pleniorem qui fit cum carne & ouis, vel vno eorum ad tenuiorem, plures morientur longè ex pleniore victu, quam tenuiore. Idest si quis capiat centum febricitantes, alius totidem eodem modò pariter febricitantes, & primus exhibeat solam ptisanam suis ægris: Secundus autem oua, aut carnes, aut vinum omnibus, plures peribunt longè ex his quos secundus curauerit, quam primus. Et rursus si primus habeat centum febrientes, & secundus totidem eodem modò febrientes & reliqua sint paria, & vterque distinguat iuxta regulas dandas in curando eos vt oportet: sed primus habeat decem de quibus dubitet, secundus etiam totidem, & primus vtatur tenuiore, secundus pleniore; plures seruabuntur à primo medico quam à secundo. Verùm si dicamus quòd primus det omnibus ptisanam, secundus autem distinguat & det ptisanam cui debetur, aliquibus etiam oua & carnes, aut vinum quibus conueniunt; in hoc casu secundus plures sine dubio, & celerius, & minore cum iactura ægrorum sanabit quam primus. Si ergo generaliter comparare oportet, ad tenuem victum declinare debemus:& abstinere à carne, ab ouis & vino est securius, quam exhibere. Si autem specialiter & illud idem tutius ; eri ; sed optimum est distinguere in quibus dare expediat & in quibus abstinere. Sic ergo præmittere oportet quis sit tenuis victus de quo hic intelligitur. Et est primum qui sua substantia parum nutrit vt ptisana, & ea minus cremor. Secundo qui alimentum tenue exhibet, & ità lens est tenuis primo modo & non secundo. Tertio dicimus tenuem victum qui facile concoquitur & ita lens valde cocta, est tenuis victus, mediocriter cocta crassus. Quarto dicimus tenuem victum qui non est pinguis, & ita auiculæ & alarum extremitates in pullis sunt tenuis victus primo & secundo & tertio modo, non tamen quarto, idem dico de vino quia facile ardet quamuis tenue sit. Quinto dicimus tenuem victum respectu quantitatis, scilicet cum modica quantitas etiam bubulæ, est tenuis victus:& magna quantitas valde etiam cremoris ptisanæ, plenior. Sexto qui attenuat vt sunt fœniculus, petroselinum, aromata pleraque, nam attenuant cibos. Septimo pro his quæ incidunt, illa enim diuidunt in minima vt acida & acria fere omnia, & acetum quod vtrumque saporem obtinet. Præterea res à quibus sumitur indicatio cibi sunt quinque, calor naturalis & virtus, morbus & morbi causa, & propinquitas status. Et hanc distinctionem ignorauit Galenus, omisit enim causam morbi, & calorem naturalem ; existimans illum eundem esse cum viribus, cum tamen habeant contrarias indicationes. De causa autem quandoque meminit, quandoque non ; virtus ergo vitalis quanto validior extiterit vt visum est clare habetur à Galeno primo de victu in acutis, eò magis indicat de abstinentia à cibo: at calor naturalis quanto validior fuerit eo magis indicat de dando cibum, cuius rei nos admonet Hippocrates primo Aphorismorum: Et hoc propter duas causas, prima, quia melius possunt concoquere, & ità non impeditur coctio materiæ morbi: Propterea dixit. [Senibus verò paruus calor inest, & ob id à multis fomentis calor extinguitur.] Secunda est quòd corpus absumitur. Et ideò dixit. Alioqui corpus absumitur. A morbo quanto maior extiterit, tantò minus dandum de cibo ; ob duas causas, tum quia natura est magis impedita circa coctiones: secundo quia minus bene concoquitur quia calor naturalis est mutatus in igneum, vt habetur secundo de facultatibus naturalibus expresè. A causa quæ quanto fuerit maior & plus de materia & magis corpori iuncta vt in abscessibus, eo minus de dando cibo indicat, & semper de contrario in qualitate vt etiam morbus, quia sunt res præter naturam. Et materia crassa indicat de tolerantia mediæ & tenuis contrarium. Et consuetudo edendi multum frequenter, & cibos qui plurimum nutriunt, indicat de casu virium vbi cibum non dederimus contrarium in contrario. Reliqua similiter ad hæc reducuntur, tempus enim anni ad raritatem texturæ, & tenuitatem humorum reducitur vel contrarium. Symptomata quoque quæ virtutem destruunt aut opprimunt, indicant de dando cibum quatenus destruunt vires & sunt syncopis, lypotimia, qualiscunque defluxus superfluus etiam, & qualitas venenosa; Et quæ fiunt ab immodicis qualitaticus primis : Reliqua vt tremor seu palpitatio cordis, dolor, vigiliæ, conuulsio, & critica omnia, de non dando cibum:quia habent rationem morbi vt impediunt coctiones; temporum vero ratio vt distant à statu, sciendum ergo quòd in abscessibus sunt tria genera status: status symptomatum, status essentiæ morbi, & status penes coctionem materiæ vt dictum est in quarto libro. Hic ergo intelligendum est de statu symptomatum, non morbi, neque coctionis materiæ: non morbi quia secundo Aphorismorum in statu iuxta Galenum morbi essentia est mitior, & tamen tunc non est dandus cibus prorsus. Neque coctionis vt colligitur libro de victu in Acutis ibi: Et quantò copiosior purgatio

purgatio fuerit, tanto plus dare oportet, vsque ad indicationē: maximè duobus ab indicatione diebus. Vbi Galenus exponit tutissimum esse post indicationem duobus dare scilicet ne morbi reliquiæ vel die sequenti ob propinquitatem, vel tertia die ob circuitum renouent morbum. Nam videtur ex his etiam iudicium exclusisse quia in eo sæuiunt symptomata. Symptomata autē, vt dixi, impediunt coctionē, ideò cibi etiā exhibitionē Ergo in statu coctionis tunc enim est cū plurimū expuitur de materia, non prohibemur dare cibum. Relinquitur ergo quod hæc mensura sumatur à distantia temporis à statu symptomatum. Simile est de febribus nisi quod in illis statis coctionis coincidit cum statu symptomatum, licet non morbi.

His visis, deuenio ad dissolutionem quæstionis per duodecim distinctiones. Prima est ratione tenuis, nam victus tenuis tertio modo omnibus morbis conuenit, patet ratio clara. Sic & quinto modo; in aliis regula non est generalis. Secunda distinctio est ratione morborum: In hectica indigemus (ex his quinque modis residuis primo, secundo, quarto, sexto, & septimo) pleno omnibus modis: sicut in abscessibus internis tenui omni modo. In acutis verò mediocri primo modo ab initio; in peracutis tenui valde omni modo. Tertia est ratione temporum interuallo intermittentium indigemus, & in declinatione generali primo & quarto modo crasso, sed non omnino: verum vt caro auicularum, in reliquis tribus modis rursus tenui. Quarta est ratione virium, in omni collapsu virium vel vbi adsunt signa virium quæ casuræ sint indigemus mediocriter crasso primo & secundo, & quarto modo. Sexto autem & septimo neque crasso neque tenui, sed oportet vt sit cibus purus. Quinta distinctio est ratione ciborum & potus. Nam vinum vt visum est, aquosum ferme in omnibus morbis conuenit cum materia fuerit semicocta, magis tamen in longis, & magis in febribus quam in abscessibus, magis in abscessibus membrorum pectoris, quam naturalium. Oua verò sorbilia magis conueniunt quam carnes ex se, minus tamen per accidens non ità possunt corrigi vel immutari sicut carnes, parum enim possunt immutari oua. Inter carnes autem auiculæ quæ herba potius quam granis vescuntur. His etiam meliores sunt per se pisces petrosi, sed parum mutantur à præparatione; quare auiculæ & post pulli valde teneri sunt meliores. Sexta distinctio est ratione temporum morbi: cum symptomata multum sæuiunt competunt ea quæ sunt tenuissimi alimenti primo, secundo, & quarto modo, aliis duobus nec crassa nec tenuia, nisi prosternantur vires. Septima est ratione euacuationis materiæ: nam conueniunt pleniores victus primo, secundo, & quarto modo, vt in copia sputi in morbo laterali, reliquis duobus modis tenuis. Octaua est ratione caloris naturalis: vbi enim maior fuerit calor: ibi pleniore indigemus alimento primo & quarto modo, non tamen secundo, nec sexto, nec septimo, vt nec tenuiore. Nona est ratione causæ morbi, nam cum materia fuerit multa & crassa, indigebimus victu tenui secundum omnem modum: Et si multa & tenuis, indigebimus pleniore victu iuxta primum, & secundum, & sextum mddum, nec tenui secundum septimum modum, iuxta quarquartum autem modum aliquando pleniore cum tenuissima fuerit, vel pleno admodum leuiter vt sunt extremitates alarum pullorum, & pedes tum pullorum, tum suilli, vel vitulini. Et si pauca & tenuis, indigemus tenuiore victu quo ad primum modum crassiore iuxta quartum modum æquali, cum multa iuxta reliquos tres modos. Sed si fuerit crassa & pauca, tunc indiget crassiore quam in multa & crassa iuxta primum & quartum modum, in cæteris autem æqualiter. Decima est ratione consuetudinis, & ita oportet illam sequi in primo secundo & quarto modo, & in sexto, & septimo, postmodum adhibere tenuiorem pro crassiore in aliis primis tribus modis, & crassiorem pro tenuiore. At æstate crassiorem iuxta omnem modum, hyeme tenuiorem. In regione autem frigida in indigenis, crassioribus iuxta primos tres modos, & tenuioribus secundum duos reliquos, in frigida secundum omnes modos in calidore contrario modo. Vndecima est ratione ventriculi, quibus enim est imbecillis valde, his cogimur in primo & quarto modo vti crasso victu: nisi sit phlegmon internum, vel ardentissima febris. Et non oportet etiam vti adeò tenui in secundo, sexto, & septimo. Et rarò possumus prohibere vinum & extremitates pullorum, aut vituli, vel suis pedes, vt supra diximus, gallorum testes qui lacte nutriti sint, & ouorum vitella, & suillum cerebrum. Et in hoc est rectè considerandum ne virtus ventriculi deficiat. Duodecima distinctio sumitur à ratione diuersitatis concoctionum, velut caro difficilioris coctionis est in iecore, caules autem in ventriculo; quoniam substantia carnis est proprior naturæ chili quam caulium: caro tamen cum plus nutriat, maiorem laborem in iecore venis & membris exhibet, quam caules. Et ideò in morbis primum quærendum quid sit propius laboranti particulæ an iecur, an ventriculus: Et noxæ ventriculi maiorem molestiam pariunt velut vigilias, dolores, & accendunt febrem, sed iecoris magis augent materiam. Ergo in acuta febre vt sit exemplum medium inter diuturnas & phlegmones aut peracutas, dabimus carnea & prius vinum in declinatione & in effluxionibus, & immo dicum cibum assumere assuetis, & in manifestis signis futuri casus virium, vel in ipso casu, & vbi calor naturalis fuerit maximus, & cum venæ fuerint inanes, & cum ventriculus fuerit valde imcecillis, quia ipse solus nutritur ex cibo inter omnia membra. Et si iam materia expuitur in morbo laterali, vel suppurata aliunde exit. Et in his est ordo plenioris & pinguioris victus: vinum oligophorum album primo, sorbitiones iurulentæ, carnea: & sunt extremitates animalium & cerebrum: post ouorum vitella, vel auicularum caro, postea pulli. Et omnia temperata vt dixi. Et pisces petrosi sunt

ſunt adeo tenuis alimenti iuxta omnem modum, vt inter iurulenta & carnea interponantur. Sic ergo erunt ſeptem, vinum, ius pingue, piſces petroſi, carnea, lutea ouorum, auiculæ, & pulli. Hoc ordine. De quibus nec in febribus longiſſimis eſſet deguſtandum ob rationes ab initio aſſignatas, accendunt enim febres, putreſcunt, nimium nutriunt, & obſtruunt. Vinum tamen album oligophorum facile admittitur poſt iurulẽta vbi materia ſemicocta fuerit, reliqua niſi ventriculus ſit imbecillior: & ideo non oportet reducere in regionem neque conſuetudinem, nam hæc non indicant niſi vt offendunt ventriculum. Et hoc colligitur expreſſe ex Galeno ſecunda Aphoriſmorum quia ventriculus maximè mouetur à conſuetudine, nam diuerſis occurrit: & ideo læditur omiſſis his quæ diligit, reliquorum membrorum parua eſt varietas; nam iecur ſemper occurrit chilo, & reliqua membra ſanguini, aut proprio humori. Et ideo ſi lædatur tranſeundum eſt ad carnea in ſecundo ordine; & ſi adhuc non poteſt ferre ad carnes & oua in tertio ordine, ſed temperata.

Ad auctoritates & rationes, dicam ſolum ad euidentes quarum ſolutio non ita apparet ex dictis. Ad primã de ratione victus loquitur de medicis vulgaribus non ſequentibus Hippocratis normam. Ad id de morbo peracuto cum habuerit ſymptomata ſolum propria, non euertent vires. Ad id quòd materia non erit concocta in ſtatu, reſpondeo quòd virium diminutio à Galeno preſupponitur quod ſit exigua & hoc expreſſe dicit. Ad tertiam ſimiliter ille exceſſus vel eſt ſufficiens & ſic ſeruabitur æger; vel non ſufficiet, & ſic addito cibo omnino & celerius & magis, certè morietur. Ad quartam de experimento in talibus cecidit virtus à naturali vt animalis & vitalis, & ob hoc fallitur medicus cum non ſint neceſſariæ vitæ. Et ſi dediſſes cibum, cecidiſſet naturalis & victa fuiſſet, & mortuus eſſet. Ideò hoc non admonet nos de dando cibum, ſed vt ſimus oculati poſt criſim, ne relinquamus ægrum niſi conſideremus an ſit euerſa facultas naturalis, vel ſit anhelitus factus breuis & frequens, aliter poterit ſeruari: & ideo hic error non eſt medicorum omnium, ſed imperitorum quorum tamen eſt maxima copia; nam ego nunquam reliqui ægrum pro mortuo qui vllo caſu ab aliquo ſeu medico ſeu alio ſeruari potuerit: quia requirebam vnum è duobus dictis ſignis pro certiſſimo. Ad quintam dixi in commentariis primi libri Aphoriſmorum. Ad ſextam dico quod eſt verum de erroribus medici, non de operationibus naturæ importunis; imo plenior victus illas excitat quas natura non eſſet factura niſi onerata à cibo. Ad ſeptimam non eſt par ratio de ſano & ægro. Dico etiã quod labores immodici ſunt magis cauſa morborum in ſanis à cibo quam ante cibum, expreſsè libro de cibis boni & mali ſucci. Ad vltimã Principis auctoritatem loquitur de tenui alimento ſecundo & tertio modo, non quarto. Ad vndecimam omnia reducuntur ad ventriculi imbecillitatem vt etiam illud de regionibus; Ideò Galenus hoc animaduertit primo ad Glauconem & conſulit vt illius facultatem quibuſvis modis tueamur, vt non ſit noſtrum commentum. Ad id de euacuationibus indicant effluxiones de cibo, vt indicant de futuro caſu virium. Ad decimam quintam nunquam poterunt adeo permutari vt non multum nutriant ac facile ardeant, ideo melius eſt relinquere. Si tamen cogamur vti, laudo conſilium ſuum, & ſequor vt corrigantur. Ad id ex ſecundo de victu in acutis, non imperat ob id vt demus carnes aut oua. Sed poſſumus tranſire inquit, ad ſorbitiones cum huiuſmodi ſigna apparuerint. Per ſorbitionem autem intelligit ptiſanam, vel ptiſanæ cremorem vt manifeſtum eſt. De vino, reſpondeo quòd auctoritas illa intelligitur quando conuenit: nam in omni morbo conuenire poteſt, ſed non ſemper: hoc vult Hippocrates inſinuare, & ita concludit argumentum. Ad alias auctoritates pariter; neque enim concedit vinum ab initio niſi egregiæ alicuius vtilitatis cauſa. Et hoc in vno vel duobus caſibus. Ad alias rationes dico quod vbi ſtatus ſit longior, & morbus grauis, neceſſe eſt ægrum mori. Si autem leuis ſit morbus, iam fatemur quod vbærius alendum eſt; oportet tamen vti victu tenui quarto modo. Et ſimiliter cum dicitur quod virtus poterit eſſe debilis, dico quod morietur ſi morbus ſit magnus. Cum autem obiicit quod Galenus iubet inſpici morbi magnitudinem, & virium robur dico quod præſupponit quod vires ſint morbo potentiores; in hoc tamen caſu contingit ſi demus minus quam oportet debilitari ægrum, ſi plus morbum inualeſcere & occidere. De abſtinentia quatriduana dico quod ego expertus ſum triduanam: melius fert æger ſano, vi morbi ita expoſcente: imo ita fert ſi velis dare non libenter recipiat: aliter non tentabis, cum verò ita fert vide an melius ſe habeat (oportet enim eſſe oculatum) ſecunda die perſeuera, ſi non retrahe pedem; bonum eſt etiam vt dicit Hippocrates in caſibus arduis vocare alium medicum: & ſi ſolus ſis age hoc proteſtando. Et ita his tribus præceptis tutus eris ab omni periculo, & officio boni medici fungeris: aliter enim dum nimis proſpicis ſecuritati tuæ, æger tua culpa perire poterit vt veriſimile ſit Brudo aliquoties accidiſſe.

Non prætermittam quæ commemorat ad excitandam appetentiam cibi: fit autem iunctis tribus cauſis attractione totius à ventriculo quæ ſi intereat, parua ſpes ſupereſt, imo ferme omnino nulla: conſtrictione ventriculi: hæc ſi vitietur, plura habet auxilia & valida: & ſenſu in ore ventriculi, qui ſi pereat & ipſe vix poteſt reſtitui: eſt tamen minus malum primo. Proponit autem tria principalia, cappares cum aceto ob calidam & humidam intemperiem; allium ob frigidam & humidam; & piſces ſalitos maximè cum muria. Quæ omnia & maximè allium probat in peſtilenti febre. Aut cæpa cruda cum ſale, aceto & pipere. Sic & oliuæ etiam vtiles ſunt ſi mundus ventriculus, ius lentium quoque. Allium cum omphacio

rectè

rectè componit vt exficcet, & non calefaciat, frigidæ potum adhibet in calida & ficca intemperie. Dico vinum ex abſynthio iuuat multum ſi ex defluxu bilis ex iecore ad ventriculum fuerit; aſtringit enim ventriculum, & educit bilem per vrinam & aluum: ſic & menta cum opportunis liquoribus, & ego ſoleo exhibere intinctus ex oxylapatho, mēta, zinzibere & aceto ac petroſelino. Exterius oleum ex nuce myriſtica & abſinthij, tum garyophyllis ac corallis, ſed & maſtiche, ladano, vide apud Galenum in cura quotidianæ. Sed hæc parerga.

CONTRAD. XXXIX.

Criſis bonæ conditiones quot.

GAl. primo Aphoriſmorum exponens cōditiones bonæ criſis, enumerat ſex. Prima quòd fiat per euacuationē, non per abſceſſum, & vt humor redundans ac peccans, non alius, euacuetur. Et quod rectò tramite, & è directo ad alia ex parte, & cocta materia, & in die iudicatoria, & bona ægri tolerantia. Sed in tertio de criſi, vbi eaſdem enumerat, addit quod ſit indicata, omittit quòd fiat per euacuationem; nam per abſceſſus dicit conuenire in diuturnis febribus omittit & redundantiam materiæ; ſed loco eius ponit quod ſit euacuatio conueniens morbo: omittit etiam illud, κατ' ἴξιν ſcilicet per partem conuenientem. Et interpretatur id cum bona tolerantia, vt morbus plene ſoluatur: quod deficiebat in Aphoriſmis. In primo autem de diebus criticis hæc habet. [Abſolutam voco criſim quæ in morbo nihil facit reliqui, fidam, firmam, ſecuram, quæ redit nunquam, tutam quæ ſine periculoſis ſymptomatibus accidit. Sic manifeſtū cui excretio quædam, vel abſceſſus inſignis ac conſpicuus adeſt. Cum bonis ſignis accidit quæ à contēplatorio prius indicata eſt; bonam eſſe quæ ad ſanitatem definit non puto quempiam latere.] Hic ſi animaduertis, tres ſunt contradictiones. Prima quoniam euacuatio totius materiæ, in Aphoriſmis non præſupponitur, hîc præſupponitur. Secunda quia hîc, & in tertio de criſi criſi probatur criſis per abſceſſum, in Aphoriſmis damnatur. Tertia quoniam in Aphoriſmis prætermittitur dies indicans, quod etiam videtur eſſe ex ſententia Hippocratis quarto Aphoriſmorum, dum dicit ſudores qui non finiunt febrem, eſſe malos: & in ſecundo Epidemiorum. [Decretoriaquæ non decernunt, mortem, aut difficilem indicationem ſignificant.] Attamen iſtam indicationem Galenus in aliis duabus auctoritatibus apponit. Reſpondeo totus ſcopus bonæ criſis bono accipitur ex duobus; quòd ſit perfecta, & benè tolleretur. Illud perfectum vel poteſt ſumi ab effectu, & eſt vt morbus amplius non redeat; vel à cauſa, vt tota materia euacuetur, ergò vbi ponitur vnum horum, non debet poni reliquum, & ità patet reſponſio ad primam. Secunda contrarietas eodem modo diſſoluitur, quia criſis perfecta dici poteſt vel vt liberetur plenè ab eo morbo, vel à morbo ſimpliciter: primo modo abſceſſus conuenit, liberare enim poteſt plenè ab eodem morbo, ſi ſit bonus (nam dantur etiam abſceſſus pernicioſi, primo Epidemiorum) non tamen ſecundo modo poteſt dici bona criſis, quia non liberat prorſus à morbo, cum relinquatur abſceſſus ipſe qui curatione indiget. Ad tertiam dico quòd dies debet eſſe indicata etiam ſecundum Hippocratem, quarto Aphoriſmorum [Quibus ſeptima iudicatur, iis nubeculam habet quarta die rubram, & alia ex ratione.] non tamen erit euacuatio neceſſaria, vt ſudoris, vel ſanguinis & multo minus eiuſdem modi, vt etiam exponendo Aphoriſmum illum febricitanti ſudor ſuperueniens eiuſdem particulæ. Prætermittitur autem in Aphoriſmo dicto à Galeno hæc conditio, quoniam includitur in illa quod ſit cum coctione materiæ: nam ſi materia debet eſſe cocta in die decretoria, igitur in die indicante oportet vt ſit ſemicocta, vt ita dicam, & colligitur ab Hippocrate Aphoriſmo illo. [Septenorum quartus eſt index. Secundæ particulæ. Quòd verò omittatur in vltimis auctoritatibus illud κατ' ἴξιν quod ponitur in prima, id euenit: quoniam aliter non poterit perfectè tota materia euacuari. Sunt igitur plures conditiones. bonæ criſis, velut quòd materia peccans euacuetur, & extra corpus, & concocta, & tota, & præcedente indicatione, & in die critica, & cum facili tolerantia, & ſine ſymptomatibus grauibus, & quòd morbus tollatur, & non amplius reuertatur, & fiat κατ' ἴξιν, vt ſint vndecim: ſed quia ex vna alia pendet, vel plures, modò ad quinque, modò ad ſex, modò ad pauciores redigatur: nam & illa quod euacuatio ſit morbo congruens, quod ſit (vt dictum eſt) fida, firma, ſecura, fient quindecim, & etiam plures: cum tamen ad paucas, vt dixi, redigantur. Sunt etiam conditiones ex his ad iam factam pertinentes, aliæ verò ad futuram bonam dignoſcendam.

CONTRAD. XL.

Senes an humidi.

HIppocrates primo de diæta dicit. [Senes ſunt frigidi & humidi.] Et addit rationem, quoniam inquit calor igneus in illis abſumptus eſt. In oppoſitum Galenus quinto de tuenda ſanitate reprehendit illos qui dicebant ſenes eſſe humidos, quod multis extrementis pituitoſis & ſeroſis abundarent. Et ideò dicit humida, non ſicca conueniunt, & ſiccis læduntur. At libro de Tabe modo Hippocrati fauet dicens oportuiſſe ſiccari membra, vt fierent dura & actionibus idonea; cumque duo eſſent elementa ſicca, terra & ignis, ab initio, terram prædominari non potuiſſe, fuiſſet enim impedimento omnium; igitur neceſſarium fuiſſe ignem, igitur eo abſumpto

absumpto, homo fiet humidior & frigidior. Adiicit etiam auctoritatem Hippocratis dicentis : [Interficit igitur nos ille idem calor qui non generat. Quòd verò addit est mirabile, scilicet corpora senum debiliter trahere nutrimentum ob siccitatem. Respondeo igitur quod senes sunt sicciores quoad humidum pingue, & de hoc intelligit Galenus; & humidiores quoad humidum aqueum , de quo intelligit Hippocrates. Et rursus senex est humidior in contentis vt sanguine , est enim magis aqueus ob causam dictam. Princeps prima primi videtur has ambas distinctiones innuere cum dixit esse humidiores humido extremo atque madefaciente. De siccitate dico quod impedit, quia non permittit extendi membrum.

CONTRAD. XLI.

Senes an minus ægrotent.

SEnes, inquit Hippocrates , minus ægrotant abscessibus & suppurationibus. Et reddit causas ; prima quia in laboribus magis sentiunt noxam , & ideo celerius absistunt : secunda quia corpora eorum sunt frigidiora : Tertia quia minus sanguine abundant. Et rursus secundo Aphorismorum. Senes iuuenibus magna ex parte ægrotant minus.] In oppositum tertio eiusdem , enumerat plures morbos qui illis accidunt qui longè plures sunt his qui contingunt aliis ætatibus. Et ratio etiam id docet, nam vt Hippocrates referebat eodem loco, senes habent carnes laxiores & humidiores. Et Primo de diæta sanissimi pueri, post adolescentes, morbosissimi senes.] contra est illud ciceronianum in libro de senectute. Adolescentes facilius in morbos in currunt, grauius ægrotant, difficilius curantur. Celsus libro secundo videtur voluisse conciliare, hanc contradictionem, est quòd, senes longis morbis, iuuenes acutis, magis corripiuntur. Hoc verum est, sed non dirimit quæstionem, quæro enim simpliciter. Et respondeo quod Hippocrates & Galenus , & alij quandoque considerant hominem, senes minus; ægrotant quia prudentiores : si corpora , magis sunt enim imbeciliores. De euentu ergo respondeo quod facto senes minus egrotaant, cum iuuenes deberent minus senibus ægrotare.

CONTRAD. XLII.

Laßitudinum species quot? Erasistratus an prohibuerit venæ sectionem.

GAlenus Quarto de tuenda sanitate ponit tria genera lassitudinum tantum vlcerosam, tensiuam, & quæ est cum phlegmone : Idem libro de multitudine. At videtur ossea lassitudo connumerata ab Hippocrate, quam etiam Ætius libro quarto appellat ὀστόκοπον : postea etiam meminit lassitudinis ex gracilitate , & ex veneris vsu immodico. At tertio de sanitate tuenda tres facit simplicis lassitudinis species: quibus complicatis cum tres aliæ fiant compositæ , & vna è tribus fient lassitudinis species septem : & rursus post adiecta gracilitate facit quatuor simplices , cum antea statuerit tantum duas tensiua & vlcerosam, nam quæ cum phlegmone est, compositá ex illis esse ait. Solutio ex his constat , lassitudo primum ossea non distinguitur ab aliis specie, sed vt dicebat Galenus tertio de tuenda sanitate. Quod si etiam tum tendonibus, tum neruis lassitudo incidat vt quasi contusæ partes , aut phlegmone obsessæ videantur ὀστόκοπον , id est ossium dolorem Græcè nominant , vt de hoc non sit dubitatio. Sed lassitudines aliæ diuiduntur) nam principales nunc nomino & veras) in tria genera: aut obfrequentiam, & sic sunt tria genera tensiua, vlcerosa , phlegmonodes; quamvis enim composita sit , quia tamen adeò frequens primaria esse videtur : & primaria simplex , ideò inter simplices connumeratur, tametsi primaria dici possit, simplex nequaquam ; si enim ad naturam respicias, ex tensiua & vlcerosa videtur esse compositæ; nec tamen hoc dicit Galenus ibi sed dicere videtur : quod autem verum est , id est quod quoad sensum & symptomata est composita : nam & punctionem, & grauedinem, tensionem parit : quoad morbi essentiam tertium est quoddam genus; nam cum abcessu quodam persæpè est , à quo illæ absunt. In quarto enim libro docet huiusmodi lassitudinem (nisi statim sanguis detrahat , atque is copiosus & iterato febrem excitare. In quo etiam illud admiratione dignum est quòd cum toties Erasistratum damnauerit quod ægris nunquam detrahere vellet sanguinem , hic etiam absque eo quòd ægrotent tribuit vt sectionem venæ imperaret. Sed hoc omisso proponit postmodum lassitudinum non verarum species quale illud quod ex gracilitate fit. Id totum ex hoc nomine κόπος oritur quod quidam falsò interpretantur lassitudinem , aut molestiam spontaneam, nam non oportuisset secundo Aphorismorum adiicere ad κόποι αὐτόματοι & πόνος quod est labor & dolor & quæcunque lassitudo & læsio. Ideò ad huiusmodi imbecillitates atque impotentiæ quæ labores subsequi aut euacuationes solent non haberent vbi reponerentur ad lassitudines translatæ sunt. Galenus tamé & Ætius & alij non volunt eas esse lassitudines : quandoquidem lassitudo sit affectus, imbecillitas autem ratione contracta non est principium morbi nec prona in illius transitum , sed sufficit quiescere ac reficere corpus: vnde Hippocrates secundo Aphorismorum : ἐν πάσῃ κινήσει τοῦ σώματος ὁκόταν ἄρχηται πονέειν τὸ διαναπαύειν εὐθὺς ἄκοπον : intellegit de ea delassatione quæ est cum sola imbecillitate neque enim aliæ lassitudines statim abscederent, neque per πονέειν lassitudinem veram ex vna trium intellexit sed vt dixi solam imbecillitatem. Quærendum igitur esset si ob resolutionem spirituum ea contingat, nec alius sit doloris sensus cum symptoma sit præter naturam, an imbecillitas sit morbus , hoc autem alibi.

CONTRA.

CONTRAD. XLIII.

Humida secunda quot?

GAlenus primo de naturalibus facultatibus ponit quinque genera humidorum; primum quod est in osculis venarum secundum quod spatium est, tertium quod membris adiungitur, quartum quod assimilatur. Declarat autem inter se differre illa, & maximè tria postrema, volens quod λευκὴ fiat ex corruptione humidi agglutinati, non tamen assimilati: ἀνατάρκα ex adhærente, non agglutinato. At Princeps prima primi ponit tantum quatuor, & concordat in duobus primo & secundo quod rorē vocat: nam quartū ponit humidum innatum ab ipso ortu contractum quo ipsa membra compaginantur. Tertium verò statuit medium inter quartum & quintum Galeni, vt assimilatum in qualitatibus, licet non in substantia. Respondeo quòd solutio huius quæstionis pendet ex his quæ dicta sunt in duodecimo libro: Quia vt dixi, ista genera humidorum sunt magna ex parte somnia, nam neque fit appositio, nec multo minus agglutinatio: sed solum spargitur sanguis in vacuis membrorum, post deducitur actu in potentiam, & permiscetur toti, & fit substantia membri; ideò fit sine quantitate, aliter corpus penetraret corpus, & nutritio fieret magis per vnam partem quam per aliam; & ita esset acervus, non nutritio. Pro concordia tamen Galeni cum Principe. Dico quòd princeps animaduertit humida loco distincta, & ideò sunt quatuor; innatum quod est intus, appositum quod est extra, sed tamen tangit; & quod est in cauis partibus membri, & quod est in venis, Galenus autem ratione oppositionis: nam quod est in osculis, est sub forma sanguinis; quod in cauis sub forma roris, quod est additum, non habet propriam formam, quod est agglutinatum est simile in qualitatibus, sed non in substantia membro quod est transmutatum perfectè, & fit vnum cum innato. Ideò princeps comprehendit tria genera sub vno applicatum, non agglutinatum non assimilatum, & assimilatum, quia sunt in eodem loco.

CONTRAD. XLIV.

An humida differant à sanguine?

ARistoteles in libro de somno & vigilia, & in libro de iuuentute & senectute, & in secundo de partibus animalium, dicit quod sanguis est vltimum alimentum: quod confirmat Galenus libro, quod animi mores corporis sequantur temperamentum, recitans etiam Aristotelis verba: & princeps prima primi dicit quòd sunt quædam membra quæ ex ipso sanguine nutriuntur absque permutatione: At oppositum habetur à Galeno primo de facultatibus naturalibus, & à principe prima primi. Galenus tertio de naturalibus facultatibus declarat hanc difficultatem docens carnes viscerum parua transmutatione facta: illa tamen transmutatio dicitur exigua solum ratione temporis, non ordinis, nam per eadem transit. Auctoritates illæ omnes intelliguntur de sanguine dealbato vt Auerroës vult quarto Collectaneorum. Vtrum verò illa humida secunda constituant speciem, dico quod nōn iuxta ea quæ diximus in duodecimo libro, dum de nutritione loqueremur, & alibi dum de generatione; non sunt enim entia quæ maneant.

CONTRAD. XLV.

Sanguis an habeat calorem suum à corde.

ARistoteles secundo de partibus Animalium, & Galenus primo de temperamentis dicunt quod sanguis suum calorem habet à corde. Oppositum libro de formatione fœtus: [Sanguini etiam præter calorem cordis, quædam tepida inest caliditas.] Soluitur facile, calore iecoris dicit Galenus sanguis est tepidus, ille tamen calor secundum Aristotelem gignitur & seruatur à corde: at secundum Galenum calor iecoris seruatur solum à corde, non ab illo maneat. Sed si volumus, possumus dicere plenè eos concordando cor esse fontem omnis caloris esse ratione originis quia motus, & ità Aristoteles bene dicit: Galenus quoque quia seruatur ab origine non semper in ipso iecore rectè dicit. Et ita sunt omnino concordes.

CONTRAD. XLVI.

Sanguis cur rubeus.

GAlenus octauo de dogmate Platonis & Hippocratis dicit quod sanguis est rubeus quia calor igneus agit in humidum, & hoc de mente Platonis. Oppositum quarto de vsu partium: [Caro hepatis est rubra, ob id sanguis qui ab eo gignitur ruber efficitur:] Solet responderi quòd caro hepatis est causa tanquam materia & continens, sed ignis tanquam agens. Hæc responsio non est bona, quoniam non tota rubedo ex vno eorum penderet. Sed dic quod calor igneus in iecore est causa vt iecur sit tale: & ipse cum iecore facit sanguinem rubrum, & dicitur causa tota quia est secundum ordinem sicut Deus horum inferiorum, explet enim duas causas, & perficitur opus in ordinatione, de quo aliàs.

CONTRAD. XLVII.

Humores quot sint?

[HVmores sunt quatuor, bilis, sanguis, pituita, & melancholia; cuius duæ sunt species, altera naturalis cuius sapor medius est inter dulcem & acidum, & alia præternaturalis: naturalis autem est sāguinis fæx:] Prima primi: sed in secūda eiusdē dū ponit signa quatuor

quatuor humorum abundantium choleram nigram vocat, quam existimat atram bilem necesse est vt atra bilis sit humor naturalis, cum ibi agat de naturalibus humoribus: sed si melancholia hanc videtur habere difficultatem propterea quòd Galenus secundo de elementis recitans opinionem Hippoc. duas ponit biles, flauam, & nigram; inquit enim, & post educit nigram bilem, adeo vt χολὴν, idest bilem nigram, non humorem nigrum appellauerint. At tertio de locis inquit. [Sed ea quam fæci crassæ similem esse dixi in terram effusa non inducit feruorem, nisi forte in ardente febre eam præassari contingat: neque vlla etiam acida qualitate participat: tumque ipsam nominare consueui melancholicum succum, seu melancholicum sanguinem.] Et quarta Aphorismorum. De deiectionibus nunc ipsi est sermo quæ à priscis quidem medicis nigræ vocantur, bilis vero nigra exquisitè non est, nam acre, & acidum, & corrodens non habent, multò verò minus in terram effusæ ebulliunt. Quibus haud obscurè discrimen patefacit melancholiæ quæ est fæx sanguinis, & atræ bilis. Cum verò atram bilem statuat humorem, non erit melancholia humor: nam fæx sanguinis calida est & humida, vt quælibet fæx correspondeat suo humori; at quartus humor est frigidus & siccus. Præterea fæx dicitur de sanguine vt etiam serosa pars, nullus humor dicitur de sanguine; igitur fæx non humor, vt nec serosa pars. Præterea nullus humor concrescit præter sanguinem: vnde libro de atra bile inquit: [Quoniam igitur non concrescit, ab atro sanguine distincta est, non tamen ab his quæ nigra nominantur.] At fæx sanguinis concrescit, igitur fæx sanguinis non est humor. Philosophus etiam tertio de natura animalium, & secundo de partibus docet quòd sanguis concrescit quia fibras habet, at humores carent fibris, igitur humores non sunt pars sanguinis, neque fæx. Præterea Galenus secundo de facultatibus naturalibus reddens rationem cur naturam pituitæ nullum vas fecerit, respondet quoniam immiscetur sanguini: ergo si natura melancholiæ delegauit lienem, melancholia non potest esse immixta sanguini. Rursus si bilis flaua admixta sanguini corrumpit illum, quanto magis melancolia? Et rursus ibidem. [In sanguine generando quicquid abundè crassum, ac terreum, ex ciborum natura in nutrimento fertur, nec commode à naturali calore alteratur, id lien ad se trahit: Quod verò assum, vt sic dicam vstumque nutrimenti est, fuerit sanè hoc calidissimum in eo atque dulcissimum, qualia sunt tum mel, tum adeps, id cum flaua bilis factum est per vasa vocata fellis expurgatur.] Inde sequentibus verbis paulò post: [Pari modo & id nigri succi, quod nondum illam velut ebullitionem, fermentationemque terræ efficit, est naturale: quod autem in talem mutatum est vim, ac speciem, id iam præter naturam est: seu quod ex vstione non naturalis caloris acrimoniam adsciuerit: ac veluti cinis quidam euaserit: sic quodammodo fæx vsta à non vsta dissidet, illa namque admodum calida est, adeò vt carnem vrat, liquefaciat, ac corrumpat; altera quæ nondum exusta est vim habeat refrigerandi, siccandique.] Demum post pauca. [Verùm seri genera quæ in succis habentur omnia sunt excrementa, puruque ab his postulat esse corpus animalis: ea verò quæ prædicta sunt, vsum aliquē naturæ conferunt, & quod crassum est, & quod tenuæ purgaturque ab iis sanguis, tum per lienem, tum per eam quæ iecinori subest vesicam. Seponitur verò tanta talisque portio vtriusque, quanta qualisque si in totum ferretur animalis corpus, noxam aliquam inferret. Quod enim est crassum, ac terreum, ac prorsus eam quæ fit in iecinore mutationem subterfugit, lien ad se trahit. Quod verò mediocri est crassitudine idque absolutum iam est, id in totum corpus fertur: requirit enim sanguis in non paucis animalis particulis crassitudinem quandam, æquè, vt arbitror, & quæ in ipso feruntur fibras.] Clarissimè verò hæc eadem sexta Aphorismorum his verbis. Dictum est autem quoniam eam quæ est velut sanguinis fæx exquisite loquendo quidem, nondum atram bilem nominamus, sed melancholicum humorem. Abutentes autem nominibus & ipsam nigram aliquando vocamus, postquam paulò post futura est nigra nisi præoccupet euacuatio. [Rursus verò libro de atra bile cum doceat atram bilem si sit in corpore pessimos morbos generare, carcinomata, elephantiasim: vnde & illud quarto Aphorismorum. [Difficultas intestinorum, si ab atra bile incæperit letha is est.] Sed è diuerso libro artis medicæ inquit calidiorem temperaturam atque ficciorem iecoris parere atram bilem in ætate consistentiæ; ita vt videatur velle atram bilem esse naturalem humorem. Respondeo igitur ad hæc quod humores sunt tantum quatuor quia istud ex coniugationibus qualitatum potest planè demonstrari. Sed videndum est de sanguine, & atra bile qui videntur duplices, vt sexto de decretis Hippocratis, & Platonis vbi dicit quòd sanguis arterialis est calidior, siccior, tenuior venali. Pro quo sciendum quòd hic sanguis venalis non differt specie ab arteriali, sed perfectione & puritate. De atra bile dico quòd accipitur bifariam, primo pro excremento fæcis sanguinis cum perustum fuerit, & sic non est humor propter rationem adductam ex libro de atra bile; nullus enim humor naturalis est causa morborum per se, nec naturæ horribilis; Sed nec ipsa fæx sanguinis quæ transit in venas cum sit pars illius, coaguletur, & fibras habeat. Reliquum est vt dicamus illud quòd trasmittitur ad lienem esse humorem quartum, & demonstratur quia habet proprium vas, non concrescit, frigidum est & siccum, & non est admixtum sanguini. Vocatur autem melancholia Græco nomine, latino autem sumpto à Cornelio Celso atrabilis. Galenus autem atra bilem duplici nomine & significato dixit, scilicet pro atrabile quæ est exusta, & ille non est humor secundum naturam; & pro non exusto, & ille est verus humor. Et quandoque abutitur vocabulis; sed res ita se habet.

CONTRA

CONTRAD. XLVIII.

Sanguis arterialis an nutriat.

ARistoteles Primo de historia animaliū inquit [hepar adhæret venæ magnæ, nō autem arteriæ] & tertio eiusdem [in hepar & lienem nulla arteria Aorta seu magna protenditur.] Et secundo collectaneorum [Galenus credit quod sanguis sit factus propter alteram duarum rerum, vel vt nutriat corpus vt sanguis iecoris, vel vt deferat spiritum vt sanguis qui in arteriis contenetur.] Prima quoque primi docet Princeps quomodo venæ illæ diuidantur & dispergantur in corpus, deinde in venas capillares, ita vt nutriatur ex illis, non sic de sanguine arteriali. Idem duodecimo de animalibus. Nec obstat quòd dicat Princeps quintadecima tertij. [Et in splene sunt venæ quæ pulsant & quæ non pulsant in quibus concoquitur sanguis:] nam tertiodecimo artis curatiuæ inquit Galenus quod lien nutritur ex limoso sanguine vt crasso: vt auctoritas Principis sit intelligenda sic, quòd arteriæ sunt factæ in splene ad concoctionem sanguinis atri & crassi similiter Galeni auctoritas sexto de vsu partium, dum inquit [natura fecit arteriam venalem in pulmone, id est sextuplo tenuiorem solito, vt pulmo posset sanguine illo arteriæ nutriri.] Deinde subdit quòd quædam membra nutriuntur crasso sanguine & quædam tenui. Dico quòd ea ratio ostendit oppositum, nam nullibi arteriæ sunt tenues præter quam in pulmone, sed sextuplo crassiores vt vis, ergo nullibi membra nutriuntur sanguine arteriali nisi pulmo. Auerroës secundo collectaneorū dicit quòd mens Aristotelis est quod nutrimentum fiat ex vtroque sanguine misto quia vnus habet rationem formæ, alter materiæ; vnus cocti, alter crudi. Et hoc videtur sensisse Galenus tertio de locis, cum dixit quod vertiginosis (etsi non omnibus) venæ post aures incisæ iuuant. Et tertiodecimo artis curandi in morbis oculorum, arteriæ post aures, vel in fronte vel circumcirca quisque calidiores extiterint si præcidantur curant. Sed ad hoc possemus dicere quòd sectione arteriæ locus refrigeratur, non autem subtrahitur alimentum. Est etiam auctoritas Aristotelis secundo de generatione animalium vbi vult quòd cor est principium nutritionis; sed ex corde prodeunt arteriæ, igitur sanguis arterialis est materia nutritionis. Alia ratio homo nutritur ex his ex quibus generatur, sed dum fœtus est in vtero nutritur ex arteriis quia vna arteria, saltem sed persæpe binæ cum duabus venis ingrediuntur per vmbilicum: igitur nutritur homo etiam ex arteriali sanguine. Quòd si dicas quod non nutritur per arterias illas, ergo fœtus totus repleretur sanguine arteriali. Istud argumentum Aristotelis est demonstratiuum & non intellectum ab aliquo ad hanc vsque diem. Quidam concedunt nutriri hominem etiam arteriali sanguine, sed dicunt non differre à venali substantia; ideò perficitur, non generatur in corde, sed in iecore. Et quia ego dicebam quod est tertia concoctio in membris, ideò per illam generatur sanguis in iecore. Dicunt ergo illi, in omnibus membris generatur sanguis, quia in omnibus membris est tertia concoctio. Ideo isti non intelligunt dialecticam. Sanguis per nos perficitur in corde, & non nisi per tertiam coctionem, quia secunda perfecta fuit in iecore; igitur sanguis nouam substantiam acquirit in corde, præsertim quod ibi sunt duo ventriculi, magni & diu ibi moratur sanguis, & bis ibi concoquitur. Præterea anima vitalis est alia prorsus ab anima naturali distincta substantia, facultate, & loco; & sanguis arterialis est primum instrumentum vitalis animæ, & generat spiritum in quo est vita; naturalis nihil horum potest facere, igitur isti sanguines sunt distincti specie. Propterea respondeo quod solutio hæc pendet ex anastomosi posita à Galeno tertio de facultatibus naturalibus, & sexto de vsu partium, & à Principe prima primi; nam copia & materia est ex venali sanguine sed venalis nutrit in virtute arterialis sanguinis.

CONTRAD. XLIX.

Putredo an semper fiat, an aliquando facta?

[PVtredo consistere non potest, nec colorem, aut odorem habet vnum. Sed semper secundum substantiam permutatur, & multis modis euariat quod putrescit. Altera autem putrefactio quam & coctionem esse diximus, semper ad vnam putredinis speciē terminatur, coloremque ac consistentiā suscipit vnam, & odorem.] Primo de differentiis febrium. Et rursus in secundo. [Qui in prima putredine calor accenditur, est quidē acrior atque mordacior eo qui secundum naturam. Tantum vero augetur quantū & superfluorum naturæ suppeditat. Hæc enim ad eum qui ab ipsis calor augetur similem fere habet rationem, quam & ligna ad ignem. Non tamen ad infinitum tempus permutationem hanc suscipiunt, sed est quidam transmutationis terminus cum eo vsque possint exuri, quousque natiui liquoris aliquid habuerint. His ex toto consumptis ardere iam desinunt; reliquiæ vero quæ supersunt cineres appellantur. Et quidem omnino putrescentiū humorū caliditas eodē modo permanet donec ex toto fuerint assati. Parum autem terrestrium reliquiarū ex humoribus restare verisimile est, non quemadmodum ex lignis plurimum quoniā in humorū substantia humidū & non siccum præualet elementum; ita vt si aliqui ex exteriorib. humoribus elixare volueris, veluti oleum, vel vinum, parum aliquod terrestre relinques, reliquum autem omne extenuatum in aerem & vaporem resoluetur. Et quidem feruentibus in putredine humoribus à caliditate extenuatis, eorundem substantia cum febres consistūt atque declinant, in ambientem aerem dissipatur. Superfluū vero vel exiguum in crassioribus humoribus remanet, aut nullum in serosioribus.] Et rursus in primo: [Quod putrescere natura aptum est, semper ad con-

tinua dispertitam obtinet caliditaté. Quemadmodum in agro nuper conspexi excrementa iumentorum simul ac columbarum quædam ex parte à sole adeò vehementer excalefacta quod instar fumi multam euaporationem in sublime emittebant, non parum mordacem ac dolorificam, & si quis proximè accessisset nares oculosque lædentem. Ipsa etiam excrementa tangentibus adeò sentiebantur calida vt qui longiori tempore manus & pedes admonisset exurerentur. Non tamen continuo huiusmodi casus perdurabat, sed in die qui sequebatur quicquid die superiori ad summum peruenerat feruoris refrigerabatur. Quod autem hinc continuum erat dum prima pars quæ calorem conceperat in summo esset feruore ipsum interim quod prius erat succensum paulatim mox priori se feruore remittente, iterum incalebat, atque efferuescebat, & paulò post priori parte refrigerata, ipsum summum feruorem obtinebat: hocque rursus deferuescebatur dum pars continua paulatim succendebatur, quæ paulo post vehementius accensa ad summum feruoris perueniebat. Hic autem circuitus in vnius fere diei ac noctis spatio peragebatur: Adeò vt quotidianæ febris propriissimum esset exemplum.] In omnibus his Galenus velle videtur nihil esse quod sit putrefactum, sed omnia putrescere. Pro hac opinione duæ etiam rationes sunt, altera si esset tunc nullam haberent formam propriam, aliter calor naturalis esset præternaturalis quia calor ille præternaturalis esset forma mixti, & ita fieret naturalis; Iam si corrumpit adhuc calor, adhuc putrescit. Si non, igitur vel est finitus, vel factus naturalis. Secundo si esset humidum quæ enim sicca sunt nullo modo possunt putrescere 3. Epidemiorum; igitur cum calor præternaturalis corrumpat humidum adhuc putredo sæuiet, & non erit perfecta. Oppositum vndecimo artis curatiuæ quod perfectè putrefactum est eiici debet, igitur datur quod putridum est. Item mutatio omnis est ad terminum quempiam, sed putrescentis est putrefactum, generationis genitum, corruptionis corruptum; igitur datur putridum. Galenus etiam secunda aphorismorum: Quod enim vinis accidit acescentibus, tale quiddam in sanguinis permutatione contingit: id autem quod vinis accidit tale est; vbi enim ex toto acida facta sunt, non redeunt amplius ad vini naturam: vbi verò paruo momento acidum saporem contraxerint, nec tamen acetum facta sint multa ex his in priorem redeunt statum. Constat igitur putredinem quoque factam esse. Accedit ratio, nam si putrescat ouum aut malum in sole, remoueantur auté à sole nec amplius putrescat sub eo gradu putredinis, manebit quod corruptum est, atque eadem ratione quod perfectè computruit. Rursus humidum quod putrescit dum ex toto est putrefactum vel putridum est, & habeo intentum; vel non est putridum, & sic terminus mutationis erit contrarius ei quod per mutationem ei acquiritur. Dices forsan quod non erit putridum sed siccum, igitur putredo non augetur sed minuetur; nam sicca nec putrida esse possunt, nec putrescere. Pro concordia sciendum primò est quod Galenus vndecimo artis curatiuæ vult quod ad putredinem faciendam necessarium sit id quod putrescit esse humidum & calidum primò, secundò constitutum esse in loco calido & humido, tertiò quod sit nec perflatus locus nec ventilatus. Sed forsan non omnia hæc ad putredinem, sed solum inchoandam necessaria videbuntur. Nec forsan omnia hæc ad inchoandam putredinem; Namque secundo de differentiis febrium sequutus Aristotelem, inquit putredinem ab aliena oriri caliditate. Ipse enim Aristoteles Metheororũ quarto dixit. [Putrefactio est corruptio in vnoquoque humido propriæ caliditatis secundum naturam ab externo calore.] Exponit autem quinam calor externus, & dicit ambientis. Ex hoc cócludit duo Philosophus nec ex quo sequitur tertium: primum quod omne quod putrescit à frigore naturali & calore externo putrescit, nam calor intimus & naturalis prohibet putredinem, igitur quatenus putrescit est frigidum intus. Secundũ quod quæ putrescũt siccãtur, ideò dicit fiunt terra & tandem fimus, nam calore naturali corrupto cum exhalet, secum diflatur & humidum. Putredo igitur primo perseque est corruptio caloris naturalis, inde ob id etiam humidi in quo fundatur. Tertium est quod ad demonstrationẽ secundi assumitur: & est quod humidum non trahitur nisi à calore naturali; & calor naturalis destruitur; igitur non trahitur, sed exhalat, igitur siccatur non tamen penitus siccari necesse est, quia humidum aqueum calori naturali minimè coniunctum est, ideo non est necessarium humidum tale exhalare, ob id subiunxit Philosophus terra vel fimus. Prius verò dixerat putrefactionem dici de his quæ secundum partem corrumpuntur. Igitur non datur putridum. Dico ergo quod putridum perfectè non datur; & ratio est quia si putredo est corruptio caloris naturalis exhalante humido, igitur postquam perfectè computruit, exhalauit humidum naturale, igitur non potest esse putridum; Sed datur putridum id est putrefactum sicut mortuum. Ad authoritatem Galeni, & secundo aphorismorum distinguit putredinem validam & quæ corrigi non potest non autem perfectam à putredinis initio quod corrigi potest vt in comento aphorismi ex sequentibus verbis deprehendi potest. Ad primam rationem terminus putredinis est extinctio natiui caloris, nó auté actio externi. Sed talis extinctio cum siccatum fuerit manet, non autem putredo quæ humidum persupponit nullam caloris extinctionem. Ad secundam non est de perfecta putredine. Ad vltimam dico quod non erit putridum, sed siccum. Cum dicis igitur putredo minuitur, respondeo quod verum est, quia actio illa remittitur iuxta finem consumpto humido; cum igitur calor naturalis & externus sunt maxima, tunc putredo est maxima, sed res tunc nó est maximè putrefacta. Hoc enim cótingit in motibus quibus non acquiritur forma eadem quæ per motum inducitur. Ideò dico quod putridum est illud in quo putredo

pro

pro motu est, ideò & maximè putridum cum maximè putrescit, non cum putredinis finis aduenit. Hoc autem in generatione & calefactione ac talibus verum est. Maximè enim talia sunt iuxta finem motus, non cum motus aut mutatio maxima est. Dico igitur quòd datur vltimum putrefacti & summum putredinis quæ diuersa sunt, non tamen datur vltima putredo in qua consistat, sed solum in gradu. Vt enim ignis vbi ad summum ascenderit statim declinat, & ita non perstat vnquam, sed augetur aut minuitur perpetuò; habet enim duplicem motum in qualitate & in magnitudine. Et in summa putridum habet duo significata, vel vt humidum est corruptum, & sic nunquam consistit: aut vt contrarium naturali, & sic in fine est tale; concoctio vero aliud est ratione caloris naturalis, attamen quia & calor naturalis agit, aliud est.

CONTRAD. L.

Coctiones an tres vel quatuor.

Coctiones Princeps prima primi quatuor declarat per longum processum cum suis excrementis, & modis; ventriculi scilicet primam, iecoris secundam, venarum tertiam, membrorum quartam: & de duabus primis non est dubitatio cum habeant propria vasa, & de quarta etiam cum sit finis coctionum scilicet membrorum nutritio. Ponit etiam coctionis quoddam genus mandendo quod tertio de alimentis vocat elaborationem. Et innuit id in libro de cibis boni & mali succi, & tertio de naturalibus facultatibus. Princepsque hoc probat tribus rationibus: primo quòd mansa mutant saporem & odorem: & quod appositum triticum super furunculos maturat illos, non autem coctum in aqua: tertia quod saliua vim habet coquendi, & lichenum est remedium. Quòd ad posteriores quatuor coctiones attinet Galenus primo de tuenda sanitate eas visus est admittere dum dixit: Reliquum excrementorum genus in singulis animalis particulis nascitur ex ipso vnde aluntur succo: aliud quidem seu semicoctæ quæpiam quæ assimilari nutriendæ parti nequiuerunt: aliud quod transmittendi alimenti fuit vehiculum, nunc functum officio humidum tenueque superest: quale nimirum serosum illud dictum, quod ex vasis idest venis & arteriis in vesicam defluit: huic excremento nullus certus à natura meatus præscriptus est; expellitur tamen partim actum per ipsa molliora corpora, quæ fluentis eius violentiæ cedunt, potissimum cum à spiritu maiore irruente vi impellitur: partim etiam per exiguos omnes corporeæ molis meatus πόρους Græci vocant: quorum non modo reliquum corpus vniuersum, sed etiam tota cutis plena est. Ergo tenuissimum huius generis excrementum facilè sanè eiicitur, partim in speciem halitus ab insito calore solutum, partim violento motu confertim erumpere, appellant verò quod ita excernitur sudorem. Alterum verò cui nullū publicè nomen est, quod videlicet nec vulgo est cognitum, vt quod conspectum præ tenuitate effugiat ab his qui id ratione contemplati sunt. In hoc insensili per flatum etiam aliquid crassioris excrementi excernitur. Huic autem & vehementiore deducente calore & impetu maiore impellente opus est. cum alioqui periculum sit ne ante itineris finem sistatur saltem ad cutim. Ab hoc excremento tum pilus tum iis quæ circa cutem coaceruantur sordibus omnibus origo est. Rursus secundo de decretis Hippocratis & Plat. vult quod prima generatio sanguinis sit in venis quæ sunt à ventriculo ad iecur, & hoc colligitur ex quartadecima tertij dum afferuntur signa fluxus mesaraici in quo apparet sanguis. Vt fiunt hoc modo quinque coctiones. Verum Gentilis negat ibi esse sanguinem, illum autem qui ibi conspicitur vult esse expressum à iecore. At tertio de naturalibus facultatibus dicebat quod primum tempus concoctionis est dum cibus est in ventriculo, & mutatur, & ponitur: Secundum dum agglutinatur in ventriculo apponitur in iecore, & distribuitur in membris: In tertio assimilatur in ventriculo, agglutinatur in iecore, apponitur in membris; Nec datur quartum tempus; ergo nec quarta coctio. Respondeo quod coctio venarum meseræi est coctio infecta & fit viribus iecoris, & est quædam præparatio. Verum verba illa ex primo de tuenda sanitate non ostendunt nisi coctionem tertiam, non quartam, loquitur enim de coctione in membris. Quòd verò ad principis autoritatem dico non esse discordiam cum Galeno, quia venæ quæ sunt in membris commutant sanguinem ex Galeno primo de naturalibus facultatibus. Verum coctio illa non est perfecta ratione finis, sed ratione tantum operationis: Nam in prima forma est chilus, & finis nutritio ventriculi: in secunda humor, & nutritio iecoris: in quarta membrum & finis illius nutritio: in hac forma est humidum secundum, finis nullus. Propriè autem in tertia commutatur pituita in sanguinem. Venæ enim Quarto de vsu partium habent vim generandi sanguinem vt orta principij. Et in eis commutatur pituita vt in iecore chilus. Ergo duplex est commutatio atque concoctio venarum iecoris antecedentium ad imperfectum sanguinem: & post cauam venam pituitæ quæ est in venis. De coctione in ore: dico quod Princeps vt medicus omnem mutationem tametsi non perfectam considerat & ibi erat locus non alibi tractandi de hoc, & etiam de ea sermonem faciendi. Et vt summatim agam, coctiones erunt tres ratione finis vt considerantur à Galeno chili, sanguinis, vel humoris, & membrorum. Vna est elaboratio quæ est principium coctionis quę non mutat formam, duæ aliæ in venis quarum altera est imperfecta, ideò Princeps cum ratione eas distinguat omnes connumerat, quatuor tamen tantum esse vult.

CONTRAD. LI.

Mortis naturalis causa quæ?

PRinceps prima primi ponit quatuor causas per se mortis,& vnam fortuitam:Prima inquit est aër, secunda est calor, tertia exercitium, quarta est defectus naturæ ad resistendum illi semper. [Omnes enim inquit virtutes corporeæ sunt finitæ;hoc enim demonstratum est in scientia naturali. Eius ergo operatio nō semper perficere potest restaurationem. Etsi etiam hæc virtus infinita foret, & semper restauraret, quantum est id quod resoluitur, fieret tamen resolutio, non secundum quantitatem vnam; sed in dies augeretur ipsa resolutio,adeò vt non tantum posset restaurari quantum est id quod consumitur,& humidum absumeretur.] Quintam causam ponit ex errore cruditatum, sed nos nihil vulgare attingimus. Omissis etiam secunda & tertia causa de quibus locuti sumus in primo libro, relinquuntur tres difficultates; Prima quomodo aër exficcet scilicet an calidus & humidus minus, an frigidus & humidus. Secunda an virtus infinita quoad permansionem possit esse in corpore. Tertia quomodo illud verum esse possit quod dicit scilicet supposita æquali restauratione, tamen omnia in deterius semper defluere. De primo igitur violetur aër frigidus & humidus,minus consumere humidum ex rationibus propositis à naturalibus, quæritur etiam de tenui. Aristoteles in libro de longitudine & breuitate vitæ hæc habet: [Eadem quoque tepidis in regionibus ætate magis prouehuntur, quàm qui in frigidis degunt.] De aëre tenui princeps secunda primi:[Ciuitas quæ orienti exposita est & ex ea parte aperta,sana est, & boni aëris; exsufflant enim in eam venti subtiles quos Sol præmittit.] Alia difficultas est in verbis ipsis cum dicat; si æqualiter restauraret, non tamen æqualis fieret restauratio. Tertia est quoniā terra est perpetua,& homines,& reliquæ species,& eo magis Cœlum iuxta Philosophum; quomodo ergo dicit in naturali philophia demonstratum esse omnes materiarias finem habere. Videtur autem (vt ab vltima incipiam) Aristoteles & in octauo Physicorum, & in duodecimo primæ philosophiæ attingere hanc rationem. Nulla virtus quæ mouet æterno tempore potest esse in materia,qui si infinita esset moueret subito;sed non mouet subito, igitur non potest esse infinita & in materia:ipsa sequela facile deducitur, quoniam velocitas motus consequitur proportionem virtutis mouentis ad mobile. At si finita, non posset durare æterno tempore, quia permansio infinita correspondet virtuti infinitæ; potentia enim actum similem sibi præsupponit : igitur si potentia est infinita, erit etiam actus aliquis infinitus,ergo virtus illa est extra materiam. Ex quo patet quòd vel est infinita, vel non; omni potentiæ correspondet actus quando actus est in re quæ non est in materia,& potentia in materia. Patet etiam quòd secundum Aristotelem Dei potestas finem non habet, sed nec est infinita idest versatilis ad omnia quam vocat omnipotentiam;istud enim est proprium legum non philosophorum : Sed est actus perfectus,& nullo termino præfinitus, in essentia sua. Tertio patet quòd Cœlum & elementa non habent permansionem infinitā ex se: Sed solum potentiam ad illam quæ perficitur à Deo, vel intellectu. Dubium est autem an hi qui orbes cœlorum mouent habeant esse æternum, nam viderentur perfecti in actu ; & si non haberent , non different à materiariis, sed hæc alibi discussa sunt. Nunc satis sit ostendisse materiaria non habere virtutem neque potentiam ad motum æternum actiuam, sed solum passiuam. Actiua enim prorsus oportet vt sit extra materiam , & hoc est quod vult Princeps. Dico vt clarè loquar Cœlum habet potentiam ad motum perpetuum passiuam tantum,& illa perficitur ab intellectu mouente; actiuam autem neque ex se, neque ab intellectu, quia non est pars illius.

Difficultas verò in verbis est huiusmodi, & est alibi declarata vt dixi : licet generaretur simile alimentum ei quòd resoluitur, quod tamen fieri non potest.Nam quod resoluitur est solum pingue, & quòd gignitur habet aliquid fæculentum admistum necessariò , quamquam cadat difficultas de nutritione in qua fit defluxus & restauratio totius substantiæ vt visum est;attamen adhuc non remaneret idem quod restauratur,& sit exemplum : sit A cor,& sit B humidum quod consumitur,& loco eius restauratur C æquale omnino ipsi B in quantitate & perfectione : & dum consumitur B,calor agit in A restaurando etiam , & sibi adiungendo C, C fit deterius B ; igitur A fit deterius quam antequam esset idest minus pingue, licet temperatus vsque ad tempus statûs, scilicet trigesimum quintum aut quadragesimum annum : post autem etiam deterius absolutè.

Quòd ad aëris qualitatem, dico quòd aër fit tenuis vel à calore,vel à ventis, vel à siccitate; & per contrarias causas crassus. Qui ergo est tenuis propter has causas simul & moderatè sumptas vt in regione temperata, & cum paucis aquis leniterque labentibus,& aura molli, is facit ad vitæ longitudinem,& ità laudatur ab Hippocrate libro de Aëre, Aquis, ac locis:Qui propter vnam causam ex istis, sed potentem vt penuriam aquarum omnino facit ad breuitatem vitæ non restaurando humidum spirituum : Si ob immoderantiam caloris colliquat humidum, inde exficcat: Sin autem propter ventos validos siccat motus ratione,sed non colliquat. Et ideo quia rarus est tenuis aër ex moderato concursu harum trium causarum , ideò securior est aër crassus quam tenuis; tenuis tamen si sit vt dictum est, præstantior longè est. Indicium verò eius est cum perpetuo aura flat & nunquam vehementer; & regio est temperata in calore & frigore, & humido,& sicco. Aër autem frigidus & humidus facit magis ad vitæ longitudinem per se,quia minus resoluit humidum innatum, & corpora reddit robustiora.Quia tamen plurimos

generans

generat morbos vt Hippocrates docet, ideò Aristoteles prætulit calidum & humidum; morbi enim breuiant vitam. Sed dicetis, Princeps secunda primi docet quòd Boreales sunt longioris vitæ, & adducit rationem quia abundant sanguine bono, & calore naturali plurimo: Et ideo dico quòd si viuerent recta ratione istud esset verum.

CONTRAD. LII.

Galenus an post vigesimum octauum annum sanus perstiterit?

GAlenus libro de cibis boni & mali succi inquit. [A vigesimo octauo anno vsque ad præsentem diem pluribus annis, sani ego & socius viximus, exercitationibus vsi, & cruditates, tum etiam horeos fructus vitantes; cum ante ex assumptione talium fructuum, singulis vel alternis annis ægrotarem.] Idem quinto de tuenda sanitate. [Post vigesimum octauum annum sola victus ratione quam mihi institui, etsi non inculpatam valetudinem ab ortu nactus sim, nec vitam liberam sortitus multasque noctes peruigilauerim, & multis corporis partibus fuerim percussus, nunquam tamen bubone vel alio morbo præterquã diaria, quamquam febre ob lassitudines etiam contracta correptus sum.] tamen libro de libris propriis scribit hac verba. [Persuasus autem Antoninus qui tunc Romæ post Lucij mortem imperabat vt dimitterer; cum ex me audiuisset diuersa Deum patrium Æsculapium cuius me esse medicum nouissem, ex quo is mortali me apostemate laborantem seruauerat iubere, reueritus Deum, expectare me reditum suum iussit.] Præter id igitur quod demonstrauimus in expositione tituli artis medicæ, quod annus mortis Lucij Imperatoris fuit trigesimus septimus ætatis Galeni in quo pestis ipsa sæuiit, ostenditur in initio eiusdem diuisionis parum ante, hæc scribere, postquam iam secundò Roma discessisset annum trigesimum septimum natus. Etenim in primò de antidotis docet mortuo Demetrio qui theriacam Antonino Imperatori conficiebat se quod illi astitisset semper dum componeret ab ipso Antonino vocatum sub eisdem temporibus, quibus pestis grassabatur in Italia. Sed & quod secundo iam Romani venisset ostendit libro de præsagio ad Posthumum. Scio quid possint dicere qui Galenum tueri velle videntur absque pudore, illum decepisse Antoninum, quo nihil sit absurdius. Ergo vera responsio est, quod dum quintum de tuenda sanitate scripsit, & librum de cibis boni & mali succi, pestis illa quidem iam inchoauerat, finitaque videbatur. Sed tamen iterum rediit truculentior, vnde fessus quasi, quinto artis curatiuæ inquit: in grauis huius pestilentiæ initio quæ vtinã aliquando cesset: durauitque multis non solum mensibus, sed etiam paucis annis; in cuius fine bubone ad mortem vsque laborauit forsitan. Quis verba illa ad vigesimi octaui anni periculum referat, cum scripserit libros de cibis boni & mali succi hæc verba: Cumque periculum esset tunc temporis ne ea pars qua iecur septo transuerso annexum est abscessu corriperetur, ita vt liberatum se potius metu bubonis quam bubone intelligat, nec post annum vigesimum octauum, sed ipso anno, & quod vt fieri; solet voto concepto singulis, annis dum viueret Æsculapio sacrificaturum esset pollicitus. Ad hoc facit quod aliàs ostendi, libros de tuenda sanitate in senio à Galeno esse perfectos. Sed illa verba ex quo is mortali me laborantem apostemate, non metum sed morbum nuntiant. Ergo summa hæc victus gloria & exactæ normæ, non plus decennio illi profuit: nos vero qui imbecilliorem habuimus illo temperaturam, laboresque & aduersa, tum curas (ne studia dicam) maiores triginta octo annis sanitate potiti perpetuis sumus, ab octauo scilicet ad quadragesimum sextum, interpellati solum in vigesimo septimo duplici tertiana, & trigesimo ob vehementes curas, empyemate, ex sola tamen pituita putrefacta; Atque etiam decimonono bubone pestifero; sed in his duobus temporibus quamquam periculosissimis, nunquam decubui. Ergo de ratione instituti vitæ quod nos melius custodiuimus satis sit.

CONTRAD. LIII.

Curationis indicatio an à morbo, causa, aut symptomate.

GAlenus secundo methodi habet τὴν γὰρ οἷον ἔμφασιν τῆς ἀκολουθίας, ἔνδειξιν λέγομεν. Idest, voco indicationem ipsam certè qualis est significatio consequentis. Declarat autem paulò post dilucidius vt sensus quam verba vertantur. Demonstratio faciendorum ex præcedentibus designata, aliter methodus ipsa sumpta ab his quæ citra experientiam sunt ab indicatione sumpta est. Vel sic, quicquid est præter experientiam à quo sumi possit recta ratio agendorum vocatur indicatio. Dicit autem sumi ex his quæ secundum naturam consequuntur; Eam verò ab affectu primum & maximè docet esse sumendam: Tertio & quarto methodi nec ab vlla causa quæ non maneat, & dabat exemplum de vlcere dicit, si autem causa illius maneat vt pote vitiosus succus, omnino ab hoc aliqua sumeretur indicatio. Differt igitur indicatio seu ἔνδειξις à scopo seu σκοπῷ, Græcè non solũ nomine, sed quod scopus est id à quo sumitur indicatio, vel propter quem. Propter quem est finis qui à medico intenditur; à quo autem vnde sumitur recta ratio agendorum. Differt autem indicatio à methodo, quia methodus est recta ratio eorum quæ ab indicatione sumpta est. Scopus actionem non includit, Indicatio actionem includit generalem, & scopum facit ac definit; methodus autem sigillatim exequi docet & mensuram agendorum: Sumi autem persæpe ex tribus docuit nono artis curatiuæ. morbo, causa morbi, & ægrotantis viribus. Post autem docetur quoque scopos esse duos

vt

vt affectum secundum naturam & præter naturam, indicationem tamen esse vnam remotionem scilicet præternaturalis affectus. In vniuersum igitur à tribus sumuntur scopis vt ibi colligitur; affectu naturali, & sub eo virtus continetur, & præternaturali: & ambiente aëre: oriuntur & totidem indicationes, sed vt dixi quodammodo remotio præternaturalis affectus,& restitutio proprij coincidere videntur. Sed primo ad Glauconem inquit. [Eas verò quæ habentur ex accidentibus & morbis indicationes, non simpliciter, sed secundum causas considerandum. [Igitur etiam ab accidentibus indicationes sumit. Et clarius secundo methodi: [Indicatio autem & ab affectibus, & symptomatibus,& passionibus, & sanitate ac robore sumenda erit seorsum,à pluribus tamen modicis prætermissa.] In oppositum libro de optima secta indicatio omnis curatiua, non morbo,nec symptomati,sed soli causæ debetur,ostenditque hoc tribus rationibus. Auxilia non effectis, sed facientibus aduersantur, quia cum auxilia sint sub genere causæ efficientis & contraria sint in eodem genere auxilia efficientibus non effectis contraria erunt: sed morbi sunt effecti seu facti, causæ autem agunt; igitur indicatio auxiliorum est à causis,non à morbo. Rursus auxilia tollunt causas vt multitudinem euacuatione, non autem lenitate curamus grauitatem quæ fit à multitudine;igitur curationem per contrarium. Accedit inquit quod contrarium morbo est morbus vt calori frigus, astrictioni laxitas; nam constat laxitatem & frigus morbos esse:cum igitur conueniat infrigidare, non autem frigidum reddere, & laxare non laxum reddere istud causæ debetur. Si autem velis traducere in contrarium morbo; cum sit affectus calidus, oportebit inducere affectum frigidum & ita morbum, igitur cura morbi non esset nisi alterius morbi generatio quod est absurdum. Respondeo, indicatio alia est auxiliorum, alia eius quod per se intenditur, alia eius sine quo perfici non potest, alia coniunctorum. Auxiliorum debetur causæ,per intentum est morbi ablatio, sine quo fieri non potest est virtus, & illi annexa;coniunctorũ debetur symptomatibus.

CONTRAD. LIV.

Symptoma an præter naturã necessariò.

GAlenus symptomata vocat quæ gignuntur à causis etiam secundum naturam, & dat exemplum de colore in vmbra primo artis curatiuæ. Idem dicit in libro de symptomatum differentiis quod commune est omni symptomati vt sit præter naturam,non tamen vt lædat operationes. Nam hoc proprium esse Epigenemati quod est vt species symptomatis. Solutio est quod symptoma semper est res præter naturam, potest tamen hæc res præter naturam à causa naturali contingere vt pallor sedenti in vmbra.

CONTRAD. LV.

Causa & symptoma an affectus.

GAlenus secundo artis curatiuæ dicit quod causæ, & morbi, & symptomata sunt affectus omnia præter naturam. Et rursus ibi: [Ex reliquis affectibus qui præter naturam sunt eos qui hunc præcedunt, causæque ratione obtinent, causas tamen dicimus non pathema qui illum sequuntur si actionum offensæ sint, & symptomata & pathema igitur saltem causas collocat semper,] sub affectu. Sed de symptomatibus libro de differentiis symptomatum dicit quod non est necesse vt sub affectu constituantur, quãdoq; enim sunt passiones. Sed & in primo artis medicę ponit causas esse quãdoque passiones, non semper affectus. Respondeo quod causam non vult esse affectum propter hoc, quia vt habetur ibi, datur causa externa; causa tamen quæ intus est ex genere est effectus, symptoma autem duplex quoddam quod sequitur ad morbum vt læsio, operationis hoc est passio, non affectus, secundo artis curatiuæ. Verba autem illa, [Quippe quæ non magis morbi quam causæ & symptomatis deffinitio est, quando omnia ea affectus sunt præter naturam, verum si breuis spatij sint constat & acuta esse, si ægrè auellantur diuturna.] Referendum est ad illa superiora verba, ergo nec is qui morbum esse motum præter naturam dixit,intellexit quæ diceret. Affirmat igitur quod verum est hæc tria esse præter naturam, sed errasse quod dixerit motus, quia non solum morbus non est motus, sed affectus; sed etiam causæ & morbi sint affectus, scilicet quandoque, non semper, nam hæc proposito ex parte sufficit ad illorum generalem deffinitionem euertendam quæ erat quod morbus est motus, nam genus in deffinitione generaliter de deffinito dici debet.



CONTRADICENTIVM MEDICORVM,

LIBER NONVS.

CONTRAD. I.

Gonorrhæa an absque penis distentione.

GAlenus sexto de locis ait. [Ergo est seminis excretio inuita, quam inuoluntariam quoque nominare licet: Sed significantius dixeris, seminis assiduam excretionem, cole haudquaque extenso. Priapismus vero est, quum colis & in longitudine & circulo totus augetur, nullo stimulante ad libidinem, aut desiderio, aut acquisito calore, vt quibusdam accidere consueuit, qui supini decumbunt, sic enim quidam ipsum descripserunt.] Inde paulò post subiicit:[Proinde haudquaquam absurdum fuerit in seminariis vasis, & quidem solis aliquando huius modi dispositionē excitari, quemadmodum & Gonorrheam, quæ vrinæ, quam quis inuitus emittit, proportione respondet, dum contentricē videlicet facultatē resolui contigerit. Igitur Gonorrhæa instrumentorū seminis affectio est, non pudendorum quæ seminis genitalis via sunt, qua excernatur.] In hoc toto & absque penis distentione fieri Gonorrhæam vult, & esse affectum non pudendorum, sed seminis instrumentorum. Sed audi quæ dicat in secundo de symptomatum causis. [Veluti etiam Gonorrhææ alia est differentia: si quidem rigido pene fiat, velut quædam conuulsio est: si non rigeat penis, ad retentricis facultatis imbecillitatem referri debet.] Et rursus in tertio eiusdem ait. [Similiter autem & qui priapismus vocatur, tumescentia] & inflatio inuoluntaria est marium pudendi, symptoma scilicet à flatuoso spiritu natum. Quin etiam Gonorrhææ quæ absque tensione pudendi sunt, ex imbecillitate retentricis seminalium vasorum virtutis fiunt. Tenso verò quodammodo pudendo, quasi cum conuulsioni quid simile instrumenta patiuntur, eueniunt. Non est igitur quod de eiusdem symptomatis pluribus differamus.] Vides in his locis duas facere Gonorrhææ species, vnum cum veretri tensione, alia sine. Est igitur etiam generalium instrumentorum, non solius seminis vitium. Verùm sciendum quòd non est nisi difficultas in verbis, nam in libro de locis comprehendit satyriasmum sub priapismo eo quod fiat cum tensione virgæ, & ità Gonorrhæa cum excludatur à priapismo, & satyriasmo in quibus tenditur virga, non est cum tensione virgæ. In libris de symptomatum causis satyriasmum distinguit à priapismo, & collocat sub Gonorrhæa quia seminis fit effusio, satyriasmus enim est affectus quasi compositus ex Gonorrhæa & priapismo, cum in eo fluat semen & virga assiduè tendatur. Melius & apertius in libro de definitionibus. Satyriasis est affectus, cum genetalis membri tentigine, simul se tendentibus eius particulis: Sunt & quibus seminis eiaculatio cum voluptate fiat, &c.

CONTRAD. II.

Carnis quot genera.

GAlenus libro de partibus artis medicæ numerat duo carnis genera; vnum simplex, aliud quod peculiare vnicuique membro, quamquam non nulli parenchyma illud appellent. Idem decimo artis curandi proponit tria, simplex quod est caro musculorum, & parenchyma idest affusio qualis in pulmone & iecore, & propriam vnicuique membro, velut ventriculi & intestinorum. Idem primo de natura humana apponit quartum genus carnis glandulosæ, de quo sextodecimo de vsu partium dicit quòd sunt duæ species, vna quæ est solum ad separanda vasa quod caret venis neruis & arteriis: alia quæ est ad generandū succum vtilem, & est triplex quæ saliuam, quæ semen, quæ lac; & habet inquit, neruos & venas, ideo in excidendo illas non leue periculum est profluuij sanguinis, vel offensionis motus aut sensus. Quintum genus additur ex primo de vsu partium, & est mixtum, ex carne & neruis. Respondeo caro simplex est caro musculi, & distinguitur à propria vniuscuiusque membri substantia, & à glandosa. Sed propria substantia est duplex, alia quæ est parenchyma, & est similior simplici carni, vt caro iecoris, vel pulmonis: vel propria quædam substantia quæ fibris constat, & ita potest numerari pro vno & duobus generibus; Simplex etiam vt à composito distinguitur quatuor prima genera continet. Sed caro glandosa non connumeratur in primis auctoritatibus quia non est generalis toti corpori, sed solum peculiaris quibusdam locis. Et si pro carne glandosa dicamus glandulam, dicit Hippocrates habet quatuor conditiones, quod est alba, rara, fribilis, & pinguis; vbi etiam dicit quòd cerebrum est simile glandulæ, non tamen glandula; Et quod insunt multæ venæ, intellige plerisque, & etiam quia

quia aliis sunt prope; quoniam vt dictum est, sunt factæ ad diuidenda vasa. Potest autem hæc non numerari inter carnes: vt à Galeno sæpe; vel quia non rubra sed alba: vel quia sub simplici contineatur.

CONTRAD. III.

Caro propter quid facta.

HIppocrates libro de ossibus dicit quod caro facta est ad colligandas partes: Aristoteles autem vt sit instrumentum tactus, secundo de partibus animalium. Galenus verò primo de vsu partium, dicit quod propter duo primum ad æquanda ossa, ideò non est facta in iuncturis, quoniam illa ossa obliqua esse oportebat. Secundum vt esset propugnaculum ossibus propter res duras, & calorem & frigidus: ideò facta est calida & humida, quia videmus balneum maximè recreare frigore & calore affecta corpora, quod sit calidum & humidum. Pro solutione dico quòd Hippocrates intelligit per colligationem optimum colligandi modum, & ita æquabit ossa & cauitate. Ad Aristotelem caro est necessaria ad temperãdum neruum,quia tactus fit à temperato; sed neruus est frigidus & siccus, igitur oportuit carnem adesse. Vnde secundo de anima: instrumentum tactus est ipsa caro & quod vicem eius subit.Et inde quoniam sensus immediocritate quadam consistit. Scito tamen quod apud Galenus secundo de temperamentis caro est valde humida. Sed vt ad rem redeam Galenus posuit vtilitates carnis ibi magis manifestas. Nam si de omissis ab illo contradictiones vellemus obseruare nullus esset finis.

CONTRAD. IV.

Cutis an exactissimi sensûs.

PRinceps prima primi dicit quòd cutis digiti indicis est temperatissima, & hoc est quia debet esse in medio eorum quæ tanguntur vt iudex & maxime summa illius pars. Verùm Aristoteles tertio de natura animalium inquit: [Cutis non sentit, maximè capitis quia carnem subiectam non habet.] Oculus etiam tertiodecimo artis curãdi maximo sensu præditus est; vnde docet terenda esse medicamenta subtilissimè quæ oculis imponuntur, ex quauis enim leui causa offenduntur. Idem ostendit sensus ipsa atque experimentum. Primo verò de symptomatum causis dicit quòd os ventriculi exquisitissimum habet sensum. Sexto verò de locis, affectis dicit quòd glans virgæ vehementem habet sensum. Propterea dico quod sensus dicitur exactissimus quia facillimè patitur, & in hoc nihil oculo præfertur: vel quia maxime appetit, & sic os ventriculi: vel quia maximè delectatur, & ità glans in virga: vel quia exactissimè iudicat,& ità cutis summæ partis indicis digiti. De eo quod non sentiat dicemus in sequenti contradictione.

CONTRAD. V.

Athletæ an robustarum virium.

GAlenus in libro de optima secta ad Thrasibulum dicit quod athletæ sunt inualidi ad in vera, arma, & rem rusticam. Oppositum libro de multitudine. [Athletis robur virium cum sanguine augetur.] Galenus in libro de bono corporis habitu fatetur hos homines validis viribus esse, cæterum non possunt neque perferre labores, neque in eo statu diù permanere. Quocirca validæ vires vel ad obeunda munia, vel perferenda referri possunt: Primo modo habent validissimas; secundo verò mediocribus inferiores. Ex quo colligitur regula multitudinem bonorum succorum facere ad robur musculorum, at proportionem debitam facere ad tolerantiam.

CONTRAD. VI.

Ventres cornigeris quot,& quæ animalia coagulum habeant.

PHilosophus tertio de partibus animalium dicit, quòd animalia quæ cornigera sunt vt ouis, capra, bos, quatuor habent ventres. Idem post dicit quòd coagulum est lac ignem habens intra se cum animalis tempore contractum; inestque ruminantibus, tum etiam lepori. Quæ ruminant tamen plura sunt quam cornigera,nam camelus cùm cornua non gerat,ruminat.Princeps animalibus tribuere videtur Aristoteli quòd senserit nullum animal quod non ruminet habere coagulum, præter lepores. Galenus sexto Anatomicarum aggressionum dicit quod animalia quæ vescuntur duris cibis, & carent dentibus superioribus,tres habent ventriculos], Aristot. etiam quatuor camelo tribuit; etenim & ipse dentibus caret superioribus. Princeps autem ibidem coagulum vrso, & Galenus decimo de simplicibus medicamentis equo & Phicæ. Respondeo Galenus posuit primos ventriculos scilicet ventrem, reticulum, omasumque:sed abomasum addit Philosophus qui inter vetres adnumerari non meretur,vt alibi idem refert. At de coagulo,non negat aliis non inesse,sed lepori præter ruminantia.Princeps habuit malam translationem.

CONTRAD. VII.

Qui cibi meliores.

ET sanguinis causa materiaria est quod de cibis est temperatum, & de potibus bonis, Princeps prima primi. Primum hic obiicitur

obiicitur ex libro de cibis boni & mali succi: calidi & sicci cibi pituitosis; frigidi & humidi biliosis, glutinosis quibusdam: aliis humidi, vel sicci aliis vt quibus corpora non transpirant magis conueniunt quam temperati. Sic tertio de alimentis, mel pituitosis conuenit cum sit calidum & siccum. Respondeo ex Galeno sexto de tuenda sanitate cibi temperati conueniunt magis corporibus temperatis de quibus sic loquitur Princeps. Et licet idem videatur in libro artis Medicæ dicere, tamen cibi bene temperati non solum temperatis hominibus magis conueniunt, sed etiam generaliter omnibus intelligendo de comparatione vniuersali. In inæquali etiam intemperie sunt meliores, cum fuerint medij inter eas.

Secunda difficultas est de cibis diuersorum generum quamuis temperatis, vt carnibus, ouis, lacte, piscibus, & vino; qui cum seorsum à Galeno laudentur, nihilominus tertio de victu in Acutis cibaria diuersorum generum ventriculo turbationem afferunt. Quod & repetit Princeps tertia primi, & Salomon in Ecclesiaste. [In multis escis est infirmitas.] Peculiariter autem dicebat Princ. loco adducto quod lac cum piscibus facit leprā id est elephantiasim, & alios prauos morbos. Et ego vid ihoc in Hibernis viris dum essem in Scotia. Et similiter caro & pisces generant febres pestilentes, quod obseruatum est in Germania, postquam cœperunt vesci vtrisque simul: & caseus cum piscibus generant colicam, & renum ac vesicæ lapidem. Et deprehensum experimento est quòd vinum corrumpit lac. Sed tamen in libro de dissolutione continua dicit Galenus vtatur modicè cibis & commistis cū aliis, igitur mixtio est vtilis. Respondeo quod cibi mixti facile corrumpuntur decima tertia tertij; verùm hîc loquitur de natura simpliciter ciborum, non ordine. Ad illud de dissolutione continua loquitur de cibis crassis & malis, adeò vt per mixtionem fiant mitiores, vt etiam venenum.

Tertia dubitatio est, quia quinta particula sexti Epidemiorum Hippocrates inquit. [Cibaria imbecillia breuem vitam reddunt.] Vbi Galenus dat exemplum de oleribus & fructibus. Nos tamen videmus quòd Eremitæ omnes qui fuerunt longioris vitæ, ab omnibus eduliis validis abstinerunt. Quin etiam multi pauperes nostra ætate, & virgines Vestales quæ centesimum excesserunt annum, vsæ sunt imbecillibus cibis. Et audiuimus de quodam medico Parthenopeo qui accessit ad centesimum annum, & solis fermè fructibus vescebatur cum pane. Alium Indum referunt ad trecentos annos peruenisse, qui superstitionis suæ causa perpetuò carnibus, ouis, lacte, etiam vino ipso abstinuerat; quorum exemplo & ego à carnibus iam multis annis magna ex parte abstineo, & vescor fructibus & cum per tot labores & curas transierim, videor sexagesimum primum annum ætatis agere; Atque vtinam hoc multo ante & diligentius obseruassem. Propterea dico quod alimentum temperatum vt habetur tertio de alimentis est quod medium est substantia inter crassum vt pix liquida, & tenue admodum idest serosum gignit: Et hoc proculdubio tale esse debet, nam vtrumque extremum certè malum est pro sanitate, & vitæ diuturnitate. At in iuuenta & eo qui exercetur ferri possunt cibaria leuissima, sunt apud Hippocratem libro de affectionibus. [Potus & obsonia quæ moderatè in in corpus ingesta aut paulò plus quam deceat, neque replent nec tormina aut flatum generant, neque aliud quippiam huiusmodi, sed celerrimè concoquuntur, & concocta secedunt, & per omnem diem ingesta minimè molesta sunt etiamsi diu antea fuerint ingesta: Grauia verò quæ moderatè exhibita aut infrà modum repletionem & dolorem exhibent, & quæ neque dari, neque edi aut bibi possunt, vt non dolorem exhibeant. Et si quis ipsam per tempus rursus edat aut bibat, etiam sic dolorem exhibent, nec pro ratione secedunt. Ad sanitatem autem optima sunt quę modicè ingesta sufficiunt, & famis ac sitis sunt medela, & plurimo tempore corpus ipsa suscipit, & pro ratione secedunt. Ad robur autem optima sunt quæ carnem plurimam & densissimam producunt, & sanguinem crassum efficiunt, & pro ingestorum ratione secedunt, & corpus plurimo tempore ipsa suscipit.] Quæ autem in specie sint imbecillia & valida cibaria declarat paulò post. [Cibaria & potus & obsonia excepto pane, maza, carnibus, piscibus, vino & aqua, omnia tenues & debiles vtilitates exhibent ad augumentum, ad robur ac sanitatem: tenuia item ac debilia mala ab his fiunt.] Antea verò docuit quænam essent vtrorumque opera dicens: [Debiles quidem ac leues cibi ventrem non lædunt, neque corpus eo quod calefacti non intumescunt, neque replent; sed cito mollescunt, & concocti secedunt. Humidum verò quod ex ipsis accedit corpori debile est, nec augumentum illi nec viribus memorabile exhibent; At validi cibi intumescunt, vbi in ventrem ingesti fuerint & replent, & difficilius ac serius concoquuntur, & non secedunt. Verùm humor ab ipsis robustior & incorruptus accedit, qui viribus corporisque augumentum præbet.] Iam ergo constat qui cibi dicantur imbecilles, & qui validi: pluribus ergo validis iuuenis robustus vti potest, at non necesse est nec vtile modò vnus adsit: dictum est autem panem esse validum edulium, non imbecille: ergo cur necesse erit vti carnibus vel ouis eiusmodi; tum præcipuè quòd si illis quæ imbecillia dicuntur vtatur homo, assuescet natura exactæ coctioni, atque intimum succum extrahere contra illorum consuetudinem qui non mandunt. Ergo dicamus generaliter (tametsi vt retuli in iuuenibus robustis qui exercitantur cibi validi admitti possint) loqui Hippocratem de his qui antiquo tempore quorum magna erat copia pane carentes fructibus vescebantur. Vnde in libro de arte: Quamquam multa & grauia ferino victu (quo omnes homines vsos ab initio fuisse puto) vtentes ac robusto paterentur. Et secundo de

morbis vulgaribus: In Aetio ex assiduo leguminum esu masculi fœminæ crurum impotentes facti sunt. Quis credat sermonem intelligendum de hominibus qui legumina cum pane ederent? nam nihil mirum esset vixisse, sed panis loco vsos leguminibus censendum est. Horum igitur vsum explodit Hippocrates; atque hæc prima sit distinctio, vt non tollatur panis vsus aut mazæ vnde Eremitæ qui solis radicibus & oleribus vixerunt breui vitam finiere. Et illud rectè constitutum aut recitatum etiam illos qui cum diuis consuetudinem in solitudine habuere, pane vsos: sic vt panem à Geniis acciperent, quemadmodum referunt de diuo Paulo primo Eremita. Altera diuisio est vt segregemus fructuum genera, quidam enim sunt horei vt pruna, cerasa, fraga, pepones, & hos ne Milo quidem Crotoniates in bonum alimentum transmutaret. Alij prorsus boni è quibus oleum exprimi potest vt amygdalæ, pineæ, pistacia, nuces ponticæ, & auellanæ, nuclei chrysomalorum, persicorum, crasorum, & hi omnes cum similibus tametsi parum alant, optime tamen alunt. Et nutrimentum eorum quamuis tenue sit, est tamen densum; & quamuis ægrè conficiantur, corpus tamen benè nutriunt, & mediocriter in consuetis præsertim, si recentes & cum saccharo aut melle optimo edantur, neque enim morbos vllos creant, non febres, non putredinem, sensuum imbecillitatem; sed viridem senectam ad extremum vsque senium, cum nec granent hominem, nec humidum, terreum aut aqueum gignant, sed pingue & resoluto quam simillimum: nec inter imbecilles cibos, sed mediocres sunt adnumerandi. Proximo loco sunt olera, & ficus, & vuæ passæ & pyra siccata, tum cotoneta, radicesque pleniores vt allia, cæpe, bulbi, porri, scalongiæ, radiculæ fragiles & dulcedinis participes, legumina cocta; hæc etiam vtilia sunt, sed non quantum priora. Postque limonia citria seu medica arancia punica: inter hæc præstantissima quæ non putrescunt nisi admodum serò, verùmtamen pinguis humidi sunt expertia imbecillima vt horei fructus, sed præstantiora illis quod diù durent inter quæ medium possident locum vuæ recentes, ficus, & pyra, quæ nondum siccata, abundantque aqueo humido, pinguis non expertia. Lupini aqua edulcati cum passis vuis. In secundo ordine reponi debent: vt oliuæ conditæ in primo & inter optima; quibus inferiores non parum sunt saxatiles pisces. Mel verò non inter cibos, sed embemmata numerabimus. Ergo ex huiusmodi victu membra nutritionis exercentur, membra enim imbecillia exercitatione confirmantur vt Hippocrates docet; quin etiam exiliunt vires & coguntur, vt sæpè intemperies frigida à frigido, non à calido curetur. Excipiendi etiam sunt febrientes vt etiam ex ephemera octauo artis curandi, vbi damnantur oua & carnes.

CONTRAD. VIII.

Membra læsa an exercenda.

Hippocrates libro de articulis inquit: [Si itaque elapsus non fuerit repositus femoris quidem os breue fit, affligitur autem totum crus, & augumento destituiturr & multo magis ex carne fit, eo quod ipso non vtantur.] Inde subiicit: [Omnia enim quæ in corpore ad vsum facta sunt. Si quis moderate ipsis vtatur, & in his laboribus exerceat, ad quos singula sunt adsueta, sic quidem sana sunt & augescunt, & cito consenescunt: si vero quis non vtatur, sed quiescat, morbosiora fiunt, & non augescunt, & citò consenescunt. Inter hæc autem non minimè perpetiuntur hoc & articuli, & nerui si quis non ipsis vtatur. Propter has igitur causas, magis in hoc luxationis modo quam in aliis affliguntur. Totum enim crus & in ossium, & in carnium natura, augmento destituitur.] Et licet aliquis obiicere posset Hippocratem loqui solum de sanis corporibus, quasi innuat ob id fieri deteriora non quia non exerceantur sed quia exerceri non possint, apparet tamen si quis rectè pensitet eius verba illum velle vt partes imbecilles exerceantur, quin etiam Galenus docet quinto de tuenda sanitate, sed excipit senes dicens: [Non exercitari vero imbecillis partibus, solis senibus suadeo: ex cœteris quanto quisque remotior à senio fuerit, tanto illi magis exercitanda pars infirma est. [Hoc idem suadet sexto Aphorismorum in podagricis scilicet vt mediocriter membra debilia exerceant. Oppositum videtur sensuisse idem quarto Aphorismorum cum dixit: Quæ vero ex motibus pluribus lassitudines accidunt, ipsis adest proprium peculiare articulos caliditas: quare in eis nil mirum ad articulos abscessus decumbere: vt qui vná cum musculis laborauerint, & cum ipsis concaluerint.] Videtur igitur periculosum exercere partes maximè articulorum quas dicit esse laxas, & quæ cum exercentur cum sint imbecilles concalescunt, atque ob id materiam ad se trahunt, præsertim non probe purgato corpore. Item in quinto de tuenda sanitate de senibus loquens ait, [Ergo qui imbecilliores sunt, hos potius gestatione quam exercitatione dimouebis.] Porrò tertio decimo artis curandi censet aut dolorem aut calorem morbosum esse causam attrahendi in particula humores ad locum: quocirca cauendum est vt exercitatio in omnibus constet quæ nec dolorem nec calorem, cum cacochimia excitet, At verò ibi sed longe euidentius in libro de sanguinis missione docet fluxiones fieri prompte ad particulas quascunque laxas atque imbecilles. Itaque cum artus in podagricis aut pulmo laxa sint membra & expellendi facultate tum maxime artus destituta, vbi quoquo modo eiusmodi exercueris fluxionibus corripietur, indeque morbis. Et par est

ratio

ratio illi quæ de balneo scribitur vndecimo methodi his verbis: [Ergo cum parti imbecilli propter calorem sua sponte trahenti alia quæpiam occasio extrinsecus ex his quæ potestate excalefaciant accessit, necesse est affectum intendi.] Idem videtur sensisse primo de alimentis nihil scilicet esse deterius quam excalefacere partes imbecilles; & dat exemplum de renibus & artubus. Verùm expresse Galenus vult partes infirmas exercendas esse ahibita victus tenui ratione aut saltem moderata, sexto de tuenda sanitate: nec est vt in cæteris partibus medicinæ in dubium Galeni sententia reuocanda cum de curandi indicio agit, quippe ea in tractatione admirabilis: vt in reliquis persæpe cæcutiens. Colligamus igitur methodum membrorum exercendorum. Membra in senibus non sunt exercenda nec præter consuetudinem, nec si sint senes valde imbecilles, nec si membra imbecillia; fatigantur enim necessario, quare & necessario incalescunt. In reliquis si imbecillia sint & corpus plenum præsertim malis humoribus quiescendum tantisper donec euacuetur, si altera solum adsit conditio moderatè exercendum. Si autem validum sit & corpus mundum aut etiam imbecille, sed necessariæ operationis vt ventriculus & virile membrum paulatim validioribus est exercendum operationibus. Si enim crura & cerebrum quæ non sibi præparant robustiora euadunt quanto magis ventriculus & genitale membrum?

CONTRAD. IX.

Quæcunque sanis & robustis nocent, an magis ægris noceant & imbecillibus.

[ÆGros & debiles detrimenta quæquæ magis afficiunt quam sanos atque robustos.] Secundo de victu in acutis Gal. dicebat. Oppositum secundo aphorismorum vbi docet Hipocrates quod qui sani sunt & salubre corpus habent malè afficiuntur medicamentis, & etiam exsoluuntur. Videmus etiam quod qui febre laborant ardente melius sustinent potum aquæ frigidæ multæ, & esum peponum, alij qui pituitam in ventriculo habent melius inediam, pluresque nondum benè robusti ex morbo ciborum benè nutrientium copiam, quam qui robusto sed pleno sunt corpore. Respondeo quod Galeni dictum duobus modis debet exponi: primò vt cætera sint paria, nam à vehementer siccis plus lædetur sanus, quam qui ascitem patitur: quam morbi causam habet cibo repugnantem; Secundò vt vterque per se lædatur ab eo auxilio.

CONTRAD. X.

Oximel an nutriat.

GAlen. primo de victu in acutis dans differentiam inter cibum simpliciter medicamentum, & cibum qui virtute medica sit præditus, huius loco ptisanam pro exemplo ponit, Chôdrum vero loco cibi exquisiti, velut oximel quod nihil nutriat loco medicamenti. Itaque videtur oximel penitus non nutrire. Oppositum quarto de tuenda valetudine. [Nutries autem eos oxymelite, vel mulsa, vel ptisanæ succo, nam ob crudorum humorum copiam victum si qui alij tenuē exigunt.] Igitur vult quod nutriat: Clarius secundo de victu in acutis dum facit tres comparationes an æger sit alendus ptisana, vel ptisanæ cremore tanquam pleniore victu, aut dare aquam solam pro tenuissimo, aut quasi in medio melicratum, aut oximel. Duodecimo quoque artis curatiuæ cum suasisset crudis humoribus assistentibus dari mulsam vsque ad septimam dicit, si affatim subesse crudos humores fueris suspicatus, pro mulsa oximilite vteris. Inde subiicit, si vsus huius assiduus tædio esse cœperit; ad ptisanam ac mulsam, deinde ad oxymel reuerteris. Nomē etiā dum de mulsa loquitur alendi vsurpat, neque est verisimile quam hos ęgros per septē dies omnino sine alimento deducere velit. Tertioquoq; de victu in acutis docens Gal. interponendum esse tempus inter ptisanæ & oxymelitis exhibitionem ait: [Nempe antea didicisti cibos multiplices & pręsertim facultate dissimiles magnā progignere in ventre turbationem.] Respondeo oxymel solere cōparari ad ptisanā, vel ratione substantiæ & qualitatis, vel alimenti: Si substantię ratione, non dicitur alere, sed esse potius vt potus à sorbitione seiungitur sicut & mulsa, tertio de victu. Sic & ratione qualitatis quæ vehemens est ab alimentis seiungitur: Vnde octauo artis curatiuæ ex cibis ptisanam, ex medicamentis oximel, mulsam etiam quod viriū & qualitatis non sit exuperantis inter cibos collocat. Simili ratione 13. art. cur. inter med. oxymel aqua mixtum cōnumerat, cum ptisanam inter cibos laudasset: nutrit igitur vt potus, sed parum admodum vt mulsa nisi cū inter crudos humores mixtum cogit eos concoqui. Ergo propter vehementem qualitatem substantiamq; quæ potui apta est, exiguumq; nutrimentū inter medicamenta numeratur.

CONTRAD. XI.

In Crudorum humorum abundantia, num mittendus sanguis.

GAlen. in 12. art. curat. [Qui laborāt febre cum crudorum humorum abundantia, hi etsi vacuari, venæ sectione postulēt, maximè tamen à venæ sectione offenduntur: quam ob rem ab ea abstinere oportet, neq; aliud inueni illis auxilium, quam frictionem:] Oppositum in libro de venæ sectione, cum adueniēs febris fuerit cum abundantia crudorum humorum virtus redditur imbecillis, ob idque sectione venæ multiplicem facere docet, exiguam sanguinis pro qualibet vice detrahēdo qualitatem: resp. quod in 12. art. curat. adiicit quod cum os vētriculi læsum sit: ob id dicit. [Si detrahas in syncopem cadunt.] Itaque aut febris est ardens, detrahimusque sanguinem affatim ac simul totum vt corpus refrigeretur: vel mitis cum humorum crudorum abundantia siue offensa oris ventriculi, tuncque sanguinis parum & sæpè detrahimus, intermedio tempore concoquimus ac dissecamus, ac si opus est nutrimus: vel cum abundantia illa crudorum humorum adest

adest oris ventriculi imbecillitas, tuncque sola frictione vtimur.

CONTRAD. XII.

Quintana à Galeno an visa.

[NVllum circuitum vltra quartum diem, nec quintanum ipsum vidi:] Primo de febrium differentiis: sed oppositum primo Epidemiorum. [Septimanos & nonanos circuitus nec clarè, nec obscurè vnquam vidi, quintanos certè obscuros vidi.] Vbi Galenus quasi reprehendit Hippocratem, primò quod non docuerit quemadmodum in aliis quo ex humore hi circuitus fiant. Secundo quod in tam mirabili re vt in aliis solet nullum ascripserit exemplum. Respondeo illud liquidò quod in primo loco adiicitur dum de differentiis agit febrium σαφῶς Græcè ostendit quod clarè hoc non vidit, sub hoc sensu quod quintanum clarum non vidit, obscurum tamen non negat se vidisse.

CONTRAD. XIII.

In primis diebus, an deterior victus tenuior pleniore.

HIppocrates secundo regim. acutorum vult quod magis tutum sit declinare ad tenuem quam ad plenum victum vbi seruari possit æger, & hoc vt docebat Galenus in commento quoniam noxa emendari potest, non autem in pleno sicut docet paulò infra; adeò vt velit quod emendando & transeundo à tenuiore victu ad debitum æger nullo pacto lædatur, sed infra primam authoritatem docet quòd minus malum est peccare dando aliquid plus ab initio, deinde si oportet minuere cibum, quàm à principio vtendo victu tenuiore, postmodum cogi ad dandum cibum pleniorem, & hoc est rationi consonum; primò quia in hac mutatione à debita victus ratione quæ est attenuare versus morbi statum recedit, quod præceptum est ab Hippocrate in primo aphorismorum: secundò quia magis recedit à consuetudine repente, vbi nimis ab initio cibi quantitas minuatur. Sed tamen pro primo processu à tenui ad plenum videntur esse authoritates in primo de victu in acutis, fecimus generalem contradictionem de hoc in primo libro, nunc attingimus difficultatem de primorum dierum victu, vnde hæc ab illa plurimum differt. Sic & hic quærimus de errore qui contingit in vno vel duobus diebus dum pleniùs aut tenuiùs quā debeat cibatur æger. Respondeo igitur quod absque errore contingit vt victus versus statum, non symptomatum augeatur, sed morbi. Vbi vero error contingat deterius est ob rationes dictas vt à tenuiore ad pleniorem fiat transitus quam si pleniore ad tenuiorem. Sed hoc in principio; at in statu secus, nam in contrarium accidit; & de hoc loquuntur primæ authoritates.

CONTRAD. XIV.

Syncope adueniente an panis cum vino dandus.

IN syncope adueniente ex humorum crudorum abundantia Galen. 12. artis curat. cum os ventriculi læditur dat panem cum vino, & hoc si hyems sit aut tempus non immoderatè calidum, sin calidum vehementer cum aqua sed calefacta. Paulò post dat in syncope ex biliosis humoribus ad os ventriculi confluentibus vinum cum frigida aqua vel ipsum per se frigidum præbet, nulla panis facta mentione: sed nec aquæ meminit an admisceri debeat, vel non. Hanc eandem sententiam confirmat Auerroës dicens in syncope quæ ex abundantia crudorū humorum aduenit, micam panis vino infusam præbebis. Idem præbet eamdem micam vino in his qui linquuntur animo ex caliditate, vel siccitate renum, tum etiam vbi propter defectum cibi in accessionibus, ad syncopem deuenerunt, quod sumpsit à Galeno 1. artis curat. ad Glauconem, & 10 art. curat. sed ptisanam dabat non panem. Princeps etiam in 1. 4. dat in syncopali quam vocat humorosam, & est illa de qua Gal. loquitur 12. art. curat. ante syncopem panem cum vino, non meminit tamen quod in syncope debeat dari. Similiter post dum tractat de syncopali minuta, nullo modo meminit vini dandi. Quod maius est loco citato ad Glauconem. [Vbi syncope ex multitudine humorum contigerit, ab omni cibo & vino etiam est abstinendum.] Quod confirmabat Princeps dicens, [Multi medici in hoc casu stulti cibum dando ægros præfocant.] At nemini dubium est quod syncopem de qua Galenus loquitur euenientem ex humorum crudorum abundantia, esse etiam ex illorum multitudine. Princeps etiam in syncope ex fame, & inanitione loco nuper allegato dat vinum solum cum aqua carnis absque cibo Galenus ad Glauconem alicam & panem etiam cum vino. Difficultas multiplex, prima an in ea quæ ex crudis humoribus est, cibus competat & vinum. Secunda an ante, an in ipsa accessione, an post. Difficile enim videtur in hora syncopis panem exhibere cum vix potum recipere possint. Tertia an in syncope ex biliosis humoribus Galenus panem intelligat cum vino exhibendum? durū enim videtur in ea quæ est cum crudis humoribus panem adiicere vino in calido adeo affectu quali ex biliosis fit humoribus ad ventriculi os accedentibus, vinum dare absque fræno. Quarta an in syncope quæ antecedit inuasiones aut eas concomitatur propter siccitatem dandum fit vinum vt 1. ad Glauc. cum pane, an ptisana sola vt 10. art. curat. an aqua carnis cum vino vt apud Principem. Ad primā respondeo ex Galeno 1. ad Glauconem cum syncope aduenit ob frigiditatem oris ventriculi, tunc vinū cum calida supple, nisi calor immensus temporis prohibuerit cū cibis qui calefacere possint dandum est. At dices etiam quod crudi humores ob frigus cibum & vinum exigant non ob multitudinem, quonam

pacto

pacto in multitudine biliosorum humorum dare iubet Galenus? Respondeo non vt multi cibum expetunt sed vt acres; ità crudi non vt multi cibum, sed vt frigidi. Ad secundam in ipsa accessione & ante si siccat, & post si in accessione non licuit. Sed panis micam bene expressit Auerroës melius quam frustum, nam diluta vino potest deuorari, alioqui si promptum esset daremus alicam vel ptisanam, hæc enim facilius deuorantur, sed neque adeò facile parabilia sunt vt mica panis, nec tamdiu in ventriculo vinum retinent, quod in crudorum humorum oppressione propositum est. Ad tertiam in biliosis humoribus panem non adhibere aut alicam vel aliquid simile non magno vacat periculo, attamen in his maximè quærit Galenus humoris dignotionem per vrinas ac sudores & exhalationem, quæ omnia à solo vino aquæ mixto facilius fiunt. Ad vltimam interrogationem si syncope absque siccitate sit in accessionum initio cauere oportet omnem cibum, primo ad Glauconem: in aliis quæ à siccitate per accessiones fiunt vbi parata sit ptisana melior erit in alica; si non mica panis loco eorum datur. Galenus verò decimo artis curatiuæ præsentem habebat ptisanam quam parauerat: panem vero dare absque vino inutile non solum fuisset, sed malum, at ptisana vino nõ indiget. Alia causa discriminis adest, nam si virtus vehementius collapsa sit ex longa syncope, vinum est magis necessariũ vtpote morbi remedium. Si in initio vt in casu Galeni cibus qui causæ syncopem faciente resistit. At vero vbi ex inedia fit aquam carnis Princeps primo exhibet, veritus ne cibus à ventriculo fame macerato concoquatur: serius tamen concoctus detrimentum non leue procrastinatione sua diuturna inferat.

CONTRAD. XV.

Ambulatio à cibo, somnus meridianus an vtilis.

GAlenus secundo de victu in acutis super illud (conuenit autem his) exponit quod comedentes in prandio præter consuetudinem, vt prius docuerat Hippocrates debent dormire: quod si nequeant multos lentè ambulando absoluere circuitus. Oppositum huius habetur in libris de cibis boni & mali succi: inquit enim. Nam sicuti ante cibum bonæ valetudini exercitatio maximum affert commodum, sic qualiscumque sumpto cibo motus, noxius admodum est. Alimentum enim ex ventre ante concoctionem in diuersas corporis partes distribuitur, propterea crudi humoris copia per venas aggeritur quę multiplices morbos affert, nisi aut multis laboribus is humor dissoluatur, aut iecinoris venarumque facultate concoctus, versusque in sanguinẽ fuerit. Quod attinet ad id de valida exercitatione suo loco dicemus, dum de rusticorum habitu tractabimus. Hîc verò meo iudicio quæstio dissoluitur, quid Hippocrates eligit eam deambulationem, vt minus malam quam vt ægrè se habeant; & toto corpore sint graues ac desides quod iam testatus erat paulò ante. At vero cum imperet post ambulationem nihil cœnare, aut veritus consuetudinem cœnandi pauca & innocua, confidit vt nocte sequenti iuxta Galeni præceptum iam adductum humor ille crudus genitus, iam in iecore atque venis concoquatur, nec credendum quod imperet ambulationem solius descensus cibi ad imum ventriculi causâ, nam tunc frustra præter consuetudinem à cœna abstinere iuberet. Sed quod percipiat somnum à prandio atque ideò meridianum videtur aduersari his quæ dicuntur secundo prognosticorum: [somnus quemadmodum ex natura, & in consuetudine est interdiu vigilandum, noctu dormiendum est:] Et Princeps: [Dormire quoque in die est malum, generat enim morbos & destilationes, corrumpit colorem, & auget splenem, debilitat neruos, & pigros efficit, appetitum cibi tollens, & generat febres.] Non tamen perhibemur vt dicebat Galenus in secundo prognosticorum dum consuetudo adest dormiendi in die, neque vbi defuerit diurnus somnus vt Hippocrates ibi docebat in textu; deterius est nec die nec nocte dormire quam est præter consuetudinem in die, licet & causam cruditatis vt in libro de cibis boni & mali succi ad reparandam coctionem, vt etiam in imbeciliatate ventriculi: tertio cum dolor aliquis sæuit.

CONTRAD. XVI.

Concocta materia an febrem faciat.

IVxta hoc dicebat Gal. libro artis medicæ quod concoctio est mutatio finiens putredinem manente substantia; igitur finietur febris putrida saltem si putredo finita est. Suadet id etiam ratio quia coctio fit ad finiendam febrem & putredinem. Videtur etiam ratio Galeni cum authoritate ad hoc facere secunda aphorismorum: sanguis vbi ex toto exustus fuerit, residuum fit pus, quemadmodum in lignorum exustione fit cinis, & ideo eo tempore dolores & febres sedantur & quamuis addat præsertim cum pus excretum fuerit, intelligit de calore qui conseruatur. Accedit ratio, nam febris fit ob feruorem; at concocta materia cessat feruor. Oppositum secundo prognosticorum vbi vult quod febris assidua sit purulentorum signum, tunc verò materia plene concocta est. Galenus etiam quinto de simplicibus medicamentis in suppuratione non planè vincit calor naturalis, sed opus est medium inter veram coctionem ac putredinem. Princeps quoque in secunda quarti, [Et scias quod cum coctione facta, febris non augetur;] Quasi dicat manet tamen. Ad sunt & duæ rationes, prima quia concoctio fit in statu, ità quod tunc materia plane cocta est libro de totius morbi temporibus, & secunda aphorismorum innuit in commento cum dixit quod dispositio ex qua fiunt casus insalubris morbi statu mitior est; sed status morbi

morbi est robustior morbi pars primo de crisi,igitur tunc febris nondum cessauit. Galenus etiam octauo artis curatiuæ. [Si febris causa iam desiit, solum consilium sanandi erit vt refrigeretur.] Et rursus in vndecimo eiusdem in febre putrida duæ se exhibent indicationes,altera à putredine,reliqua à febre; igitur facta coctione adhuc superest febris. Conciliator mouet hanc difficultatem sed tenet quod febrem possit facere, cuius verò generis? Galenus secundo prognosticorum videtur velle quod hecticam quia conseruat & auget priorem caliditatem. Dico facit febrem in eo quod putrida, sed putredo est leuissima, ideo talis est sufficiens ad inducendam hecticam conseruando priorem calorem, constant in phlegmonibus quod erodit pus, & dolorem facit ac molestiam. Princeps quoque. [Cum fuerit concoctum quod collectum est in phlegmone; dolor mitigabitur, & eius loco pruritus quidam adueniet,& febris magnitudo cessabit.] Ad authoritates respondeo quod finitur per coctionem putredo fiens, incõuenit iuxta Gal. sententiam manere factam putredinem in coctione; idest calorem illum in cinere qui ab huiusmodi naturali fotus adhuc exhalat aliquid putridum. Dicimus autem putredinem factã (vt vndecimo artis curatiuæ) cum humor non perfectè computruit,sed tantum vt non nisi expulso eo liberari possit æger. Ergo si concocta materia non protinus expelletur præter id quod febrem leuem facit hecticam, sparsa accendit,vel loco vno contenta membrum erodit.

CONTRAD. XVII.

Continua ex bile an possit facere accessionem in tertia die.

GAlenus secundo de differentiis febrium diuidit febres ex bile in continuas continentes quæ carent accessione, & eas quæ habent accessionem,& tamen sunt continuę. Facit autem tria genera harum; vel enim singulo tertio die inuadunt, & sunt ex bile propriè: aut singulis diebus, & sunt ex pituita:aut singulo die quarto & sunt ex atra bile;Igitur quæ habent accessionem alternis diebus sunt ex bile quamquam & quæ singulis die bus,sed ad pituitæ naturam magis accedunt. In oppositum opportet finiri accessionem & materiam expelli, atque ideò prius, separari quarto Aphorismorum;igitur coctio etiam erit in initio. Præterea Galenus primo aphorismorũ materia cõcoquitur, nisi turgens sit,donec expellatur;cum igitur non possit esse concocta,non finietur putredo.Est enim coctio mutatio finiens putredinem manente substantia libro artis medicæ.Respondeo quod materiæ quæ accenditur pars est duplex, vna tenuis quæ quotidie resoluitur, & resoluta videtur finiri exacerbatio: alia crassa & hæc concoquitur, & huius merito necesse est febrem esse continuam: secundo quod nisi sanguis effluat necesse est symptomata augeri morbi: Semper verò coctionis materiæ intelligo genus, non magnitudinem;cum enim materia minuitur, & coctio augetur, symptomata quoad magnitudinem bene possunt fieri minora, sed genere sunt sæuiora: Velut mentis perturbatio leuis deterior est genere magno dolore capitis, non tamen necessario propter paruitatem deterior.

CONTRAD. XVIII.

Febribus an fames conueniat.

EAdem sententia sexti Epidemiorum prohibemus famem febrientibus adhibere, cum tamen ex primo Aphorismorum nihil magis conducat. Ex quo probatur non iam febri ipsi, quare nec morbo inediam deberi, cum vterque tam morbus quam fames & siccet immodice, & vires minuat. Nihil tamen prohibet famem non couenire febri,necessariam tamen esse causæ febris,cuius contemplatione adhibetur. Nam non febris ipsa concoquitur, sed quæ febrem facit putrescens materia.

CONTRAD. XIX.

Febribus an frictio vtilis.

QVi ex stipata cute ephemera laborant frictionibus multis, tum etiam balneo sed non adeò copioso lauandi,at qui siccitate febrem eam contraxerunt copiosius lauãdi,minus fricandi. At ex ira,curis,vigiliis, ac tristitia febricitantes neque balneis, nec frictionibus multis indigent inquit Galenus octauo methodi, libro etiam aduersus Erasistratios qui Romæ agebant. [Multos qui per ignauiam nec sectionem venæ,nec purgationem sustinebant,sola frictione euacuauimus; multo enim magis frictio,inquit,inedia corpus euacuare potest.] sexto Epidemiorum Frictio inutilis in febribus & mala, dicebat Hippocr. Galenus adducebat incommoda quia excalefacit. Dico præter id debilitat,& mouet materiam ex loco atque ita impedimento est coctioni. Respondeo quod ex Galeno vt visum est in febribus nisi fiat euacuationis causâ debet esse mollis ac non multa & ita tria illa incommoda effugere licet,nam refrigerat quia facit corpus transpirare, vt etiam colligitur à Galeno in secundo de tuẽda sanitate. Sed quod cõueniat in febribus etiam putridis præter alias est anthoritas Galeni duodecimo artis curatiuæ qua docemur in febre syncopali vti frictionibus loco sectionis venæ ac purgationis adiicitque modum fricandi in febribus qui talis est vt ibi describitur. Primo quidem à cruribus superne deorsum, deinde à brachiis eodem modo etiam post cum supercalefieri incipiet ne lassitudine corripiatur, artus oleo perfundendi atque fricandi, bene inde detergendum oleum; quartò spina sicca frictione,demum cum oleo fricanda. Post ab hac ad crura,inde ad brachia te conferes eadem ratione, demum ad spinam; atque in

his frictionibus tota dies ferme donec vigilat consumenda. Habet hoc vt ibi inquit Galenus præter alia commoda frictio vt etiam somnum conciliet. Talis autem multa est quia necessaria, & loco medicamenti, ac sectionis venæ administratur. In secundo quoque de tuenda sanitate linteolo docet prius corpus fricandum donec incalescat, mox oleo perfundendum fricandumque tunc parum, manusque ad hoc sufficere vult. Eodem loco docet ministrum retro debere collocari tum maximè cum dorsum fricatur, frictionemque modò in dextram, modò in sinistram agi debere. Ventris autem frictio dicebat in tertio libro quatuor pericula affert, ne concoctionem cibi impediat, ne humores crudos in corpus transferat, ne ventriculum subuertat, & ne caput turbet; ideò maxime cauenda est.

CONTRAD. XX.

Apotherapia an frictione constet.

[VOcetur autem nobis velut recentioribus Gymnastarum aposterapia ea frictionum pars quæ exercitationibus adhibetur.] Galenus secundo de tuenda sanitate. Hic nemo est qui non intelligat apotherapiam frictionem esse. At vide quæ in tertio libro eiusdem dicat: omnis exercitationis probè peractæ postrema pars apotherapia dicitur. Constat his esse exercitationem, non frictionem apotherapiam. Soluitur ex his verbis quæ infra subscribit: [Oleo igitur copioso cum multa frictione est vtendum die primo quo suspectam forte lassitudinem omnino declines : Secundò vero vt si qua incidit discutiatur. Discutit porro eam exercitatio quæ apotherapia dicitur: in qua scilicet motus adhibeas quantitate mediocres, qualitate tardiores, idque cum frequenti his interposita quiete qua vtique fricare hominem oportet pluribus contrectantibus, quo nec refrigescat pars vlla & excrementa ocyssime digerantur. Porrò frictionum plus adhibebitur in his qui in cute ac sub ea excrementorum multitudinem collectam habent: motuum vero quos ipsemet edat in altera lassitudine, scilicet in qua plus est in ipsis musculis congestum.] Apotherapia frictione, & exercitatione constat interposita quiete. Exercitationem solam dixit à nobiliori & maiore parte, frictionem autem cum de frictionibus sermo haberetur tantum appellauit.

CONTRAD. XXI.

Frictio an quæ in musculis sunt digerere queat.

[QVæ in musculis coacta excrementa sunt, sola frictio educere non potest] inquit Gal. 3. de sanitate tuenda c. 6. Oppositum duodecimo artis curatiuæ cap. 3. dum eam loco medicamenti, aut sectionis venæ adhibet in his febribus quas syncopales vocat à crudis humoribus excitatas. Atque ibi etiam docet exacte frictionis modum atque lassitudinis ab ea excitatæ curam. Modus inquam à cruribus ad brachia, atque ab his ad spinam. Quod si lassitudo superueniat oleo relaxate vngendus est. Clarius in libello de sectione venæ aduersus Erasistratios qui Romæ degunt. [Frictio præstantior non paulò ad euacuationem inedia existit.] Frequenti enim frictione non paucos istorum euacuauimus, cum aliàs præ animi ignauia, neque purgans medicamentum assumere auderent, nec sectionem venæ sufferrent, nec vult esse impedimento quin eo pro sectione vel purgatione vtamur nisi cum vel non assueti minime eam perferre possunt aut densa cutis cohibet, nec sufficienter euacuentur, quo in casu in lassitudines deueniunt. Moleste igitur ferre frictionem cutis densitatis indicium est, atque ob id nihil prope euacuari, sed magis in lassitudinem peruenturos : Multos igitur & assidua vt continuis diebus percipiatur duodecimo artis curatiuæ sufficienter euacuare potest: Pauca, qualis est qua vtimur in apotherapia non potest, imo si admodum modica fuerit replet eas partes, nedum vt euacuet.

CONTRAD. XXII.

An recidiua sit periculosior priore morbo.

REcidiua deterior est primo morbo dicebat Princeps, quoniam morbus redit & virtus est imbecillis. Oppositum habetur de Anaxionis recidiua tertio de morbis vulgaribus, nam minus vexatus est cum morbus reuersus est vigesimo septimo die, quam à principio ad vigesimam die. Et Galenus primo de diebus iudicatoriis si morbus quieuerit cum abscessu magno aut euidenti excretione, non est timenda recidiua : Quod si citra hæc, timere oportet in morbis quidem paruis, si non vsus fuerit recto regimine; paruam : si recto, nullam, in aliis cum bono regimine dicit non admodum grauem, sine bona victus ratione formidandam & deteriorem primo morbo; igitur vult quod absque mala victus custodia recidiua non sit deterior radice. Respondeo quod recidiua non est deterior primo morbo nisi vt supponitur illi æqualis, hoc autem non fit nisi malum præcedat regimen. Ideo Princeps supponit æquales esse morbum qui reuersus est, qui primo fuit. Sed dicetis contra Princeps ibidem, deterior est recidiua quæ aduenit absque errore quam quæ cum errore. Respondeo quod verum est data æqualitate, quia causa tunc erit ignota, nam Princeps loquitur tam de mortali quam salubri; Galenus autem de salubri tantum. Sed in hac error victus reddit eam maiorem. Conciliator tangit hanc difficultatem, sed Princeps in prima quarti videtur velle quod recidiua sit omnino deterior radice, vnde dicit,

[Ne festines ad curationẽ quia oportet agnoscere modum eius prius, plerumque enim ipsa est sæua.] Quis enim dicat quod præsupponat æqualitatem morbi cum hoc sit de quo iam est quæstio. Dico igitur quod recidiua alia est quam nullum præcessit iudicium, & hæc est sæuior; Primo morbo cum eadem materia ac tota maneat. Alia verò in qua pars materiæ est eiecta, & hæc est mitior priore morbo nisi præcesserit malum regimen. In Anaxione autem præcesserat indicium in vigesima. Et breuiter recidiua alia salubris morbi, alia mortalis est deterior. Salubris autem melior nisi præcedat mala victus ratio. Princeps loquitur de vtraque, Galenus de salubri tantum; ideò non pugnant dicta eorum.

CONTRAD. XXIII.

Conuulsionis pulsus an magnus,

Conuulsorum pulsus exiguus & rarus inquit Paulus. Oppositum quarto de causis pulsuum. [Pulsus conuulsorum magnus est atque vehemens, non tamen adeo magnus atque vehemens vt videtur: verum non est paruus. Eadem verba in introductorio ad tyrones, nam verba quæ in libris de causis pulsuum pro isagoge exponuntur & habentur pro textu sunt ex introductorio ad tyrones; adeò vt tertius & quartus liber de causis pulsuum sint commentaria eius partis introductorij ad tyrones, quæ incipit à capite nono seu de pulsuum causis vsque in finem. Prima voro pars introductorij exponitur quæ octo continet capita diuersis in locis librorum de differentiis pulsuum tum alibi, sed non ita vt formam commentariorum vllibi retineat. Sed ad rem reuertor: Galenus primo de pulsuum differentiis vibratis arteriæ magna distentio, conuulsiuis semper parua; igitur non concordat sibi ipsi. Respondeo quod pulsus paruus de quo Paulus loquitur est duplicis distentionis seu conuulsionis in qua tum ob nimiam arteriæ distentionem in longum, tum ob facultatis imbecillitatem non potest pulsus magnus fieri : Galenus verò vult quod in simplici conuulsione pulsus non sit paruus nisi secundum profunditatem & latitudinem, secundum longitudinem enim magnus est, & secundum latitudinem vel profunditatem. Verùm secundum has duas quantitates multo maior etiam quam videtur.

CONTRAD. XXIV.

Cucurbitulæ an malleolis applicandæ.

Κένωσις δ' ὁμοτίμως ἁπάντων τῶν χυμῶν, ἡ μὲν ἀκριβεστάτη, διὰ φλεβοτομίας ἐστὶν, ἐγγὺς δ' αὐτῆς ἡ τε ἀποσχαζομένων τῶν σφυρῶν ὥσπερ ἡμῖν ἔθισαι. Scripsit Galenus secundo Aphorismorum seu Latinè ita dicas. Euacuatio autem sumitur omnium humorum quæ quidem exquisitissima fit per venæ sectionem: proxima autem huic quæ per scarificationem τῶν σφυρῶν, idest maleolorum quæ in vsu generaliter est. Vbi aduertendum quod aduerbium ὁμοτίμως melius per similiter quam æqualiter vertitur. Vt sit sensus sectio venæ non plus est apta euacuare de vno humore quam de alio, non tamen æqualiter educit, quia vbi bilis abundauerit plus de bile trahit quam de aliis humoribus, vt potius ita ὁμοτίμως explicetur iuxta rationem eandem seu proportionem. Caremus enim Latinè hac voce, quam Græci habent, quoniam non potest tam aptè exprimi quam à barbaris hoc suo propottionaliter, sed Latina vox non est: Possemus dicere æqualiter pro multitudinis cuiuscunque humoris ratione. Sed postquam intelligis sensum iam ad propositam difficultatem accedamus, per τῶν σφυρῶν malleolos exponunt. Meminit & per eadem verba libro de venæ sectione vbi retentis mensibus in muliere pingui & alba vtiliores cēset cucurbitulas malleolis applicatas cum incisione cutis, ipsa sectione venæ. Proxima igitur in hoc casu imo melior scarificatio quam venæ sectio. Nam ob carnem dicit abundantem paruas habent venas, vnde etiam secta vena sanguinis parum profluet. Ex scarificatione autem plurimum, quia tenuis est talium mulierum sanguis. Tria verò sunt quæ difficultatem faciunt, primum quod si per σφυρῶν malleorum interpretemur experimentum docet vix eo loco posse hærere cucurbitulas : deinde etiam si hæreant sanguinem nullum propomodum educunt. Vix autem verisimile videtur Galenum elegisse locum maximè incommodum huic negocio è toto corpore: tum vero ex quo minimum sanguinis educi posset. Secundum est quod Princeps quarta primi appellat locum Alcahab, nec vult quod purget corpus totum, sed iuuet solum in retentione mensium, podagra & ischiadico dolore. Qui etiam exponunt Alcahab ex illius placitis non iam maleolos & ossa prominentia, sed partem exponunt quę malleolos & calcaneum interiacet depressam, est tamen nomen ambiguum vt clarum est in prima primi. Sed tertium est quod Galenus ipse meminit in quarto de tuenda sanitate, quod ibi sectione venæ vti non possumus, vel ob timorem ægri qui nolit se commitere ei auxilio, vel ob ætatem, largius purgandum, non dixit cucurbitulis esse vtendum. Visus est & alibi frictionem præponere omnibus auxiliis, vt maximè similis esset venæ sectioni vt supra ex illius authoritate in libello de venæ sectione aduersus Erasistratios, quæ Romæ degunt recitauimus. Quomodo igitur cucurbitulæ proximè erunt venæ sectioni, ità vt frictio illi in commento Aphorismi postponatur. Aetius dixit prodesse ad seruandam valitudinem plerumque, omissa consuetudine sectionis venæ quæ nimium vitalis spiritus exhaurit, & totum habitum frigidiorem reddit, cunctaque naturalia opera imbecilliora, vt cucurbitulis in membris ignobilioribus vtamur velut sunt crura. Suidas inquit σφυρὰ τὰ περὶ τοὺς ἀστραγάλους, idest quæ sunt circa astragalos. Nihilominus Vesalius

Malleolos

Malleolos depinxit per τὰ σφυρά idest quas non vocamus cauillas pedum rotundas intusque prominentes : talum autem astralagum esse vult atque os quod tangi per se nequeat, sed lateat. Sit iam ita, sed hoc tamen in loco Galenum interpretari melius est quod per σφυρά intelligere velit partes iuxta astralagos, non ipsos malleolos ne in illud duplex absurdum incidamus. Neque enim corpus à plenitudine alleuiari poterit nisi sanguis mediocriter detrahatur, quod ex malleolis fieri nequit. Sciendum quod vt testatur Rhasis in continentibus illud quod refert Princeps in quarta primi vsque ad ea verba (Quidam præterea dixerunt) totum fuit extractum ex libro Galeno attributo de cucurbitulis & venæ sectione, quod patet conferendo verba verbis quæ eadem sunt recitata à Rhasi ibi, & Principe: ideoque nullius sunt momenti. Pro concordia igitur omnium horum, præsupponendum est vnum principium positum ab Aëtio quod est cucurbitulas longe plus attrahere quam euacuent, loquendo de siccis, verum est etiam illud de his quæ scarificantur. Vnde probatur quod admota cucurbitula membro principali magnum detrimentum affert. Dicebat Aëtius cucurbitula admota præcordiis intempestiuè, strangulat eadem die & præsertim in continentibus febribus vel semitritæis, & præcipuè assistente delirio, & sensu obtuso. Vires cucurbitularum omnium colliguntur à Galeno tertio de locis & sunt duæ, auocare ex profundo humores & siccare, atque in hoc conueniunt. Dissident quæ scarificantur quod refrigerent educendo sanguinem cum aliæ locum excalefaciant. Iam vero cum nobis nunc sermo sit de cucurbitalis quæ cum sectione adhibentur tres illarum operationes in vnum colligantur, exinanire locum profundum & violenter attrahere, ipsam vero partem refrigerare, siccare, atque reddere imbecillem. Sane quod violentissime cucurbitula attrahat, atque ob ib inuentam testatur Galenus quarto artis curatiuæ dum curam tractat ecchymosis, est autem ecchymosis cum ex apertione vasis in profundo partis, pars ipsa sanguine ipso repletur. Vnde licet profundas etiam phlegmonas cucurbitulis ad cutem reuocare, libro de constitutione artis medicæ. Iam igitur licet quandoque necessitatis causa vt in phlegmone membranorum cerebri & pulmonis, corpore iam mundo existente extrahere ex patiente particula vitiosum humorum teste Galeno. Sed & in Aphorismorum quinta parte curare docet fluxiones oculorum per cucurbitulas occipitij scarificatas. Idem in secundo de compositione medicamentorum secundum locos cucurbitulæ occipitio affixæ connumerantur inter reuulsoria humorum ad partem anteriorem capitis confluentium, aut ad oculos auxilia. At ex hoc facile est explorare Galeni mentem, vt scilicet si absit necessitas quam longissimè à membris principalibus applicentur. Atque ita non super malleolos, sed quam proxime fieri potest. Illud vero obseruandum quod Paulus libro sexto præcipit super carnosam partem non debere imponi cucurbitulam, nisi prius cute præcisa: at super loca exanguia prius cucurbitula applicetur, inde scarificetur locus, ac denuo cucurbitula apponatur. Moderata sectio est pro cutis profunditate, minus si sanguis tenuis sit, nec plurimum educere consilium sit. Pessimus igitur abusus eorum qui inter spatulas applicant cucurbitulas; nam vel teste Principe ventriculum debilitant, & cordis generant palpitationem. Videnturque solum in spirandi difficultate iuuare. Cum igitur dixit Galenus purgatione vtendum vbi sectio venæ prohibeatur, de crudorum humorum abundantia loquitur, quo in casu cocurbitula inutilis est. Princeps verò de cruribus intellexit idest ea parte quæ iuxta malleolos commode potest sanguinem trahere : nam quæ super Alcahab ponuntur, non iuuant quia parum possunt; euacuare autem humores non solum sanguinem præter id quod dicebat Paulus, declarat Galenus tertiodecimo artis curatiuæ. At rem absurdam facere videtur, nisi vsus omnes cucurbitularum his adiicerem perpurgato tamen corpore. In fronte nullius est vtilitatis: super coronalem quam vocant suturam in phlegmonibus membranarum cerebri; & super occiput in frontis labore, in defluxu humorum ad oculos vel palpebras. Sub occipitio in collo morbis aurium, tremori capitis, difficultati spirandi, præfocanti anginæ. In colli concauitate posteriore dolori, dorsi tremori, fœtori oris, & ingenium acuit. Sub mento dentium doloribus, conferunt gutturi, & imaginatricem vim iuuăt. Sub auribus cerebri phlegmonibus & oculorum morbis & capitis grauitati. Inter spatulas alleuiant difficultatem spirandi ex sanguinis abundantia ortam, super iecur retinent sanguinem ex dextra fluentem nare, super lienem ex sinistra, supra vmbilicum continent medicamentum ne euomatur, ventriculumque plurimum confirmat. Super ventrem est directo doloris sanant coli dolorem ex flatu statim. Super pectus in laterali morbo & peripneumonia, è directo patientis loci. Super nates in superiore parte alleuiant podagram, varices hæmorrhoides, conferunt lepræ, & elephantiasi. Quæ super ischiam illius iuncturæ doloribus. Quæ super anum, prouocant hæmorrhoidas & corpus, præsertim caput alleuiant. Quæ inter coxas prouocant & ipsa menses, & hæmorrhoidas, & alleuiant caput. Quæ supra crura, vel iuxta malleolos totum corpus purgant, prouocant menses, hæmorrhoidas, & membra principalia alleuiant. In omnibus autem obseruandum ne supra nates sanguis detrahatur.

CONTRAD. XXV.

Caros an respirationem lædat.

[SI anterior cerebri pars sola aliquando afficitur, necesse est supremum ventrem ipsius ei consentire : atque cogitandi actiones vitiari; & qui ita affectus est neque motionis

tionis, neque sensus munere fungitur, spirandi tamē facultas haud quaquam læditur, vocaturque hic affectus caros idest sopor.] Quarto de locis. Et paulò post. [Cum autem osse quopiam terebra perforato medius ventriculus fuerit contusus, sopor hominem occupat: sed neque conuulsione, neque difficili facta spiratione; hæc syderatione, illa morbo comitiali peculiaris est; haud secus quam catalepsi soporique seruatur secundum naturam spiratio. [Vt videatur prorsus in caro non offendi spiratio. Oppositum quinto eiusdem: Ex quibus causis inuenimus cur affecto cerebro in vehementi syderatione, cor quoque lædatur ex iisdem ipsis, secundum alium modum causam quis inueniet: quamobrem in syderatione minore, catalepsi, sopore, morbo comitiali, lethargo, animal ità affectum non pereat; namque si diligenter consideraueris inuenies per huiusmodi affectus quomodo spirent laborantes. Quippe videbis & violentam & difficilem spirationem, perinde ac si vinculo quodam constrictus thorax attolli prohiberet.] Maiorem liceat videre inconstantiam in tertio libro vbi vix duobus versiculis interpositis sententiam proferre videtur contrariam. Nempe prior ita habet: [Sanè quemadmodum dormientes spirant quamuis nulla alia accedente actione quæ à consilio prodeat; nimirum cum supini iaceant in cubili; ità in soporosis affectibus omnibus quamuis neque sentiat corpus, neque moueatur, tamen sola spiratio quæ musculorum pectus mouentium munus est seruatur.] posterior huiusmodi. [Cum itaque spirationem vehementer impeditam difficulterque procedentem videris, non paruam in cerebro morbidam dispositionem esse coniicere debes, idque in soporiferis morbis: quos nimirum omnes in cerebro fieri manifestum est.] Solent plerique confugere ad solutiones communes quæ sunt comparatio, homonymia.] Magnitudo, & transitus, seu mixtio. Cōparatio vt si dicamus quòd in sopore difficultas adest spirandi, ita in catalepsi: Sed tamen adeò leuis in vtraque passione vt comparata syderationi seu apoplexiæ nulla videatur, sed salua spiratio prorsus & qualis dormientium. Magnitudo vt dicamus in soporibus profundis valde lædi spirationem, in mediocribus ac leuibus nequaquam. Vnde etiam ad regulam ducta hæc responsio melior ac magis elaborata videbitur, vt si quis dicat non esse læsionem spirationis ex essentia soporis, illi tamen cum inualuerit conuenire posse, imò ad eam sequi, vt sit proprium magnitudinis morbi, non morbi, quemadmodum iecoris abscessuum, tractus iuguli; quinto de locis. Has responsiones præter id quod sint vt dixi nimis communes, impediunt ipsa verba Galeni: Οὐδὲν δ᾽ εἰς τὴν ἀναπνοὴν βλάπτεται: Quod est nullam in respiratione offensam: tum illud ἡ κατὰ φύσιν ἀναπνοὴ σωζομένη: scilicet, secundum naturam respiratione seruata. Homonymia turpis est: in eodem libro turpior, in quatuor lineis turpissima. Miscere verò aliis morbis & transitum fingere vnius in alterum, nil aliud est quam fateri se responsionem ignorare. Respondendum est igitur quòd duplex est spirandi difficultas; per se cum vitium adest instrumenti vt in his qui ex nimis acuta febre pereunt musculis exsiccatis: per accidens cum sine vitio facultatis functio vitiatur, vt in lethargo: Vnde Galenus tertio de difficultate spirandi docet in delirio adesse magnam & raram respirationem, non læsis tamen instrumnetis respirationis. Quæ autem in syderatione contingit ex vtraque causa composita est. Vnde tertio de locis Affectis: [Cumque ex anatome didiceritis neruos qui per faciei partes sparsi sunt à cerebro demitti si earum aliqua simul cum toto corpore resoluta est, haud quaquam vos latere debet resolutionis dispositionem in ipso cerebro consistere, vbi verò illæsæ permanserint spinalis medullæ initium affici sciendum est; accidit verò nonnullis vt faciei partes duntaxat afficiantur, quemadmodum & vna aliqua particula vt lingua, oculus, & mandibula, labrum; etenim non omnibus ab vno loco principium influit vt pote quæ ex diuersis cerebri partibus neruos suscipiunt: id quod in anatomè haud obscurè conspicitur. Igitur syderatio omnibus animalibus actionibus noxam inferens cerebrum affectum esse manifestè declarat. Discernetur autem affectionis magnitudo ex noxæ quam spirationi infert vehementia, cum enim naturalem ordinem plurimum excedit, magnam; cum verò paulum impedimenti est, paruam in cerebro noxam esse coniicere oportet. Sanè omnium pessima spiratio putanda est quæ & intermittitur, & magna cum violentia trahitur sanè mori contingit syderatos ob id quòd spirare non possunt, sicuti partium immobilitas ad vitæ quidem functiones inutilem reddit hominem: non tamen breuem infert moram. Itaque vidimus quemdam qui reliquis partibus omnibus resolutis nullam quæ ad faciei partes pertineret actionem amisit, seruata etiam spiratione. Quomodo enim viuere diutius potuisset ipsa deperdita, in quo primario affici putauimus illam spinalis medullæ partem quæ paulo inferior est processu neruorum ad septum transuersum tendentium. Quin etiam & vrinam, & alui sedimina ipsum præter voluntatis imperium emisisse manifestum est. Insuper vidimus alium cui propter casum omnes inferiores partes, demptis manibus, erant resolutæ. Quemadmodum autem resolutio quando in toto fit corpore faciei partibus illæsis indicat passionem in spinalis medullæ initio esse; eundem modum si toti corpori conuulsio acciderit, eundem spinalis medullæ locum affectum esse declarat, faciei partibus omnino seruatis illæsis. Si verò hæ quoque afficiantur, in cerebro noxam esse ostenditur. Vbi verò pars aliqua conuulsa est, neruum qui eius motioni deputatus est aut musculum affici necesse est. Igitur si ex anatome neruorum ad singulas partes venientium principia didiceris, melius earum & sensum & motum deperditum curabis.] Ex his clarè patet propositæ quæstionis solutio: quoniam cum in caro afficiatur cerebrum verè, nec catelepsi, nec spiratio per se læditur: cum tamen

men sensus occupetur fit quædam spiratio vt ille vocat perinde ac si vinculo quodam astrictus thorax attolli prohibeatur. Solum id obstat quod hæc verba maiorem difficultatem spirandi præ se ferre videntur quam quæ ex delirio contingit, scilicet rara & magna. Neque enim in huiusmodi respiratione Hippocrates tantam difficultatem ostendit, neque genus huiusmodi malæ spirationis. Proinde dicendum quòd cum in caro cerebrum etiam plenum sit vaporibus illis, id superaddere vt grauatim nerui ineant functionem illam, quòd perspicuum est res ipsas inspicientibus & expertis in arte; non tamen tensi sunt nerui, vt se spiritus agant, non exquisita naturalis respiratio reddatur. Sunt igitur quatuor huiusmodi respirationum non consuetarum & quasi impeditarum genera: Primum prorsus naturale in somno, nam maior est & rarior paulisper quam in vigilis nullo tamen cum suspirio, nec inequalis: Secundum in delirio maior, & rarior, & inæqualis, & cum suspiriis; non tamen impedita, nec laboriosa: Tertium in caro & catalepsi, magna, rara, inæqualis, laboriosa, non impedita; & ideò nec diminuta, nec deficiens, nec intercepta vt quæ fiat solum torpente natura, non prohibita: Quartum, cum est difficilis, inæqualis, impedita & quæ ad interceptiones deuenit, nec illa retinet magnitudinem vt in syderatione. Quæ vero fit ex conuulsione est crebra, non rara, & minor, & inæqualis. Ex quo patet quod transitus ex vna in aliam est malus, vt si sanus in somno suspiret, aut grauiter respiret: hoc carum minatur, vel catalepsim; illud autem delirium.

CONTRAD. XXVI.

Aqua an humectet.

HÆc ergo propria aquæ natura humida est, & frigida: porrò aliunde calorem adepta, excalefacit quidem & humectat quibus est admota. Verùm haud similiter ambo præstare potest, summè namque humectat seu tepida sit, seu temperata, seu & calidior. Summè autem non calefacit nisi quæ extremè ferueat.] Primo de simplicibus medicamentis. Et paulò post. [Perinde res se habet in perfusionibus & lauacris, omnique adeò ex aqua calida irrigatione, si quidem humores qui in vasis aliisque inanibus spatiis sunt exhauriuntur omnes: at ipsa vasorum corpora, & vniuersum genus, carnosum, seipso fit humidius. Atque hanc solam facultatem nunquam aqua (scilicet dulcis) deponit.] Idem tamen quarto Aphorismorum. [Aqua neque epota, neque extrinsecus occursans, naturâ apta est solidas animalis particulas humectare.] De interiore humectatione satis perspicua est concordia ex nostris principiis, nam duplex est humectatio secundum substantiam vt ibi in eo commento dicebat; & hæc non inest, quia ex alimento fit, vnde tertio de victu in Acutis. [Atque nullo pacto nutriunt vt aqua]: Et rursus. [Aqua quidem non vt alimentum vires recreat, sed vt medicamentum.] Et infra. [Quòd autem aqua non alat antea dictum est, quo fit vt neque facultatem vitalem roborare possit.] Quin etiam hoc addit ibidem. [Neque præterea sitim sedat quod in amplis tum ventris, tum intestinorum animalis instrumentis plurimo maneat tempore, neque prorsus imas ipsorum penetret partes, neque ariditatem humectet.] Cum tamen superiùs dixerit penè contrarium. Quod enim ventriculi ariditas ab aqua irrigetur, eo fit vt ægri ex potu aquæ diutius durent. Quòd ergo non nutriat, ideoque secundum substantiã non humectet apertum est, secundum qualitatem tantum. Ariditatem exteriorem breui humectat, quia humida est: non tamen extinguit profundam sitim quia intima penetrare nequit; atque ità ex tribus contradictionibus, duæ sedatæ sunt. At quod non humectet etiam secundum substantiam exterius admota, multa sunt decimo artis curandi cum hecticos balneo curat humectãdo semper & nonnunquam refrigerando. Et libro de tabe. [Remedium hoc (de balneo loquens) manifestè, conspicitur exsiccatos humectare, & sitim sedare & à quacumque causa fuerint resicati madefacere, atque reficere.] Et infra. [Hecticis quæ non fuerint cum aliis febribus complicatæ balneum quouis tempore competit.] Mirum fuit huius viri studium contradicendi, adeò vt etiam quæ rectè sentiebat male diceret. Balneum hoc modo humectat, quod causas omnes exsiccantes tollit. Quin etiam frigida extincto calore hecticæ humectat magis, ideò per tepidæ balneum nunquam hecticus impinguabitur. Ergo balneum vt humidum est, siccitatis causas tollendo humectat, non tamen restaurat: nec solida potest, imo neque carnes interius humidiores reddere, vt autem frigidæ & remisso calore externo & naturali aucto, verè potest humectare, & feliciter aliquando succedit; sed hoc non per se, verum ex accidenti & fortuito, connexis tamen causis apud medicum per se, sed non primo dici poterit. Carnes autem & vacua quæque per se humectat, & somnos conciliat, vtrum autem aqua potentia humida sit alibi dictum est.

CONTRAD. XXVII.

Cucurbitulæ an purgare possint corpus.

GAlenus in libello de cucurbitulis, & Paulus negãt applicandas nisi prius purgato corpore, quomodo igitur euacuatum euacuabunt. Idem Paulus dicit humores traducit, spiritus euacuat. Princeps contra, dicit enim cucurbitula triplicem affert vtilitatem quæ cum scarificatione est, nam primò humorem euacuat, secundò spiritum retinet, tertiò quia possumus etiam tuto ex principali membro euacuare. Respondeo ad primam quod loquitur Galenus de cucurbitulis absque scarificatione, indicio est caput sequens quod de scarificatione agit. Et hoc imitatur

Aetius,

Aëtius; Paulus verò quia non fecit nisi vnum caput de cucurbitulis, ambiguam reddit sententiam de hoc. Sed interpretandus iuxta Galenū cuius est Paraphrasta. Ad aliam Paulus per spiritum flatum intelligit, Princeps animæ instrumentum, Oribasius in septimo libro fatetur multitudinem scarificatione minui: sed & de hoc aliàs ex mente Galeni locutus sum.

CONTRAD. XXVIII.

Signa mala plurima, an ad mortem significandam necessaria.

[SI cui conualescere contingat, omnia bona signa adesse necesse est: sin autem moriendum vnum tantum malum signum sufficit.] Secundo prognosticorum inquit Galenus. Oppos. tertio prognosticorum. [Oportet illum qui de sanandis ac morituris iudicium ferre volet, omnia signa interstinguere, ac diligenter robore eorum considerato comparare ea, atque ferre, tum demum sententiam. Quam sententiam ipse vt recitat primo de crisi in eum locum ex prognosticis transtulit. Respondeo quod authoritas secundi prognosticorum ad textum referri debet. Textus loquitur in purulentis, seu his quibus, in pectore ruptus est abscessus empyicos vocare solent. Atque in his cum morbus per se sit lethalis, vnum sufficit prauum signum ad mortem: plurima dicit Galenus & Hippocrates mala signa, non moriturum, sed breui atque celerius significant moriturum. In morbis vero non adeo lethalibus signa expendere oportet ac comparare. Ex quo liquet hunc morbum esse valde perniciosum.

CONTRAD. XXIX.

Allium an siticulosum, & an flatus moueat.

[ALlium omne siticulosum est, & inflationes gignit.] Dioscorides ait. Sed Galenus duodecimo artis curatiuæ, allium non modo non siticulosius est cœpis, sed ne omnino sitim mouet, flatū quoque discutit. Sed & quarto de victu in acutis cum dixisset author in textu quod allium flatum gignit, negat hoc constanter Galenus in comento, reprehenditque authorem. Igitur non generabit flatum iuxta Galeni sententiam, sed solum discutiet. De siti etiam illud mirabilius quod Aëtius in primo libro dixit cum ipsum extinguere sitim refert, & tamen ipsum ponitur à Galeno octauo de simplicibus medicamentis in quarto ordine, tam siccantium quam excalefacientium. Princeps secundo libro vult quod resoluat flatum. Solutio colligitur ex Galeno in quarto vt dixi de victu in acutis: resoluit flatum, non excitat; quia in corporibus mundis, non solum facit grauitatem capitis, sed tollit eam; discutit enim flatus, non excitat cum sit calidum & siccum, vbi enim siccitas est validior caliditate, plus resoluitur quam excitetur: & ita non excitat. Excitare tamen videtur quia impellit vel iam genitam, vel quam generat vbi adsit materia pituitosa; nam Galenus vocat excitare eam quæ nocet, Discorides omnem etiam eam quæ impellitur. Excitat igitur, sed magis expellit quam excitet, ob id Galenus negat excitare. Sitim sedat vbi adsunt crudi humores vt Aëtius: nec mouet vt Galenus, siticulosum alioquin vt Dioscorides, exhibitum vbi pituita non adsit, Galenus autem tractabat de cura doloris coli dum materia pituitosa in causa esset. Aliter dicamus allium crudum mouere flatum, at sitim licet discutiat, & de hoc loqui Diæscoridē coctum discutere, sed nec sitim mouere. Vel dic quod recens humidum plurimum continet succum quo sitim non prouocat, sed cum siccatum fuerit tunc sitim affert, quoniam eo præsidio destituitur.

CONTRAD. XXX.

Plantæ an sentiant.

PLantas sentire & esse animalia Galenus in libro super Timeum Platonis declarat duabus rationibus; prima, plantæ sunt animatæ; & quod est animatum habens animam est; & quod habet animam, animal est: quare plantæ animalia possunt dici. Rursus dicit demonstratum est in libris de naturalibus facultatibus plantas refugere quod sibi noxium est vtile ac familiare nutrimentum attrahere; cum igitur id citra cognitionem fieri nequeat. Et cognitio non sit absque sensu: palam est plantas sentire. Theophrastus quoque secundo de causis plantarum vitem vocauit olfactricem quod non solum vinum facile omnes excipiat odores, sed quod ipsa vitis brassicam, & laurum refugiat, quasi odore illarum ingrato offendatur. Idem in quinto libro censuit plantas respirare, cuius testimonio affert hoc quod pinus inter reliquas nimia pinguedine velut, & animalia quædam non solum prohibito alimento, sed & spiritu suffocantur. Accedit quod & spongiæ euidenter sentiunt, cum tamen inter plantas numerentur; adhærent enim teste Philosopho in quarto de partibus animalium, non solum solo, sed auulsæ pereunt; & quod magis etiam ad plantas pertinet, auulsis partibus complentur: sic enim ipse scripsit quinto de animalium historia. Eas vero sentire palam est quòd cum auelluntur contrahuntur, sed & videntur & ipsæ instrumenta habere velut animalia. Sed oppositum demonstrat Philosophus ipse in primo de plantis quatuor rationibus: prima, carent sensu quantum licet nobis ex sensibus colligere: videtur autem mirum quod si sentirent aliqua, sensus veri vestigium non ostenderet. Secunda carent parte propria quæ sentiat; non enim in eis neruos aut oculos videre licet, aut aliquid simile. Tertia carent motu, itaque si sentirent frustra sentirent, cum nec sequi,

sequi, nec fugere liceret. Quarta quod vias non habent ad sensile excipiendum: vt in hominibus narium cauitas ad odores, aurium autem ad sonos. Ad id de spongiis: respondet in quarto de partibus eas esse medias inter animalia & plantas, ideoque hoc argumento magis videri plantas, & non sentire. Quin etiam ipse in quinto de historia animalium in dubium id reuocat an spongiæ sentiant, videtur tamen esse communis sententia quod spongiæ sentiant & his etiam hebetius verticelli. Quamobrem dicendum est sensum quidem dici vel ratione cogitationis, atque sic plantas non sentire, ob id nec delectari vel tristari: Vel quod cognoscentis opus imitetur vtile trahendo, inutile reiiciendo, atque sic sentire plantas: Cum autem medicus hoc spectet quod ad opus pertinet vt sciat facultates conseruare, & quibus etiam conseruari debeant dignoscere: Et quod si nutrimentum inconueniens trahans non secus ægrotare quam animalia; merito medicus plantas sensum habere dicet, ac sentire eas Galenus rectè confessus est. Aliter & ad idem ferme deuenit vt aliàs diximus habere plantas sensum generis idest vtilis & noxij, non autem speciei vt calidi, frigidi, amari, vel dulcis.

CONTRAD. XXXI.

Animalia è putri materia genita an eiusdem speciei cum genitis ex semine.

ANimalia è putrida materia genita qualia sunt, mures, eiusdem esse speciei cum his qui è semine generantur abunde aliàs Principis authoritate declarauimus, cui etiam Theophrastus primo de causis plantarum subscribit dicens. [Plantæ quædam velut & animalia tam ex semine quam etiam è terra prodeunt, ac generantur.] Stat igitur demonstratio hoc modo: plantæ aliquæ vt experimento patet de terra cribrata & cum aqua mixta, & in sole posita generantur, & illæ producunt semen ex quo aliæ generantur, atque ita perpetua fit generatio; igitur hoc idem contingere potest in animalibus cum vbique indigeamus forma illa cælesti & diuina, vt duodecimo Philosophiæ primæ Auerroës in comento. Hoc igitur declarato species illa potest in perpetuum propagari & tale per putredinem etiam generari, igitur manifestum est de aliquibus: vnde Conciliator dedit etiam exemplum de serpentibus qui generantur in sepulchris ex mulierum capillis, & multiplicantur postmodum masculo & fœmina simul generantibus alios. Adducitur etiam duplex ratio valida ad hoc, nam operatio facit cognoscere formam, tertio Cœli; cum igitur & generent & habeant eandem morum naturam, imo, & figuram (sunt autem figuræ, vt inquit Auerroës tertio cœli, ex qualitatibus associatis formis substantiarum perfectarum) sequitur quod sint eiusdem speciei. Secunda ratio est quoniam si non ex putredine potest generari verus mus, est vel quia materia non potest præparari ad suscipiendā formam animalis perfecti, & huic obstat experimentum; vel quia non potest suscipere huius, quia deest sanguis menstruus, & hoc non quia different animalia non ratione seminis, sed menstrui sanguinis; & etiam quia potest præpari, vel ratione seminis, & tunc oporteret quod semen esset agens; Sed hoc est falsum, est enim solum in potentia & deducitur ad actum calore stellarum; & si dicas est præparatum, igitur præparatio etiam potest fieri à syderibus. Philosophus quoque decimo problematum querit cur animalia quædam coitu, quædam sponte proueniant: affirmat ab initio quidem omnia sponte orta ob magnas commotiones adhuc etiam generari sponte. Et clarius infra cur quædam animalia solo coitu generantur, vt homo & equus? alia & coitu & sponte? Causam adducit tempus breue generationis vt etiam sponte generari possint; nam si prolixum sit, fieri non potest vt vicissitudine cœli non interrumpatur generatio. In oppos. Philosophus primo de generatione animalium deducit ad hoc inconueniens dum vult ostendere mures non generare qui sint ex putrida materia geniti; nam dicit in infinitum multiplicarentur species, nam primus à secundo differret quia primus ex putredine, secundus ex semine genitus esset. Cum igitur primus & secundus iam differant, semina illorum etiam specie distinguuntur: at ex primi semine secundus generantur, ex secundi semine tertius; igitur secundus & tertius distinguentur specie atque ita fiet processus in infinitum. Quare cum hoc esse non possit primi quidem generant; at secundi qui geniti sunt prorsus sunt steriles; hoc autem non contingeret vt secundi semper steriles euaderent, si ex eadem essent specie cum aliis. Sexto quoque de animalium historia impleri fœminas mures absque mare si sal gustabant, & in Persidis quadam parte mures fœminas in prægnantium matrum vteris (quod supra fidem omnino est) concepisse antequam natæ essent, non tamen ex putredine gigni illos affirmat. Sed cum causam multitudinis incredibilis afferat in prolificationem refert. Poterat autem maximè in agrestibus generationem ex putredine causam esse tantæ multitudinis dixisse. Auerroës quoque octauo physicorum duas adducit rationes: prima est quia si homo gratia exempli, potest generari ex materia putrida; igitur vel semper, & sic numquam ex homine? vel vt plurimum & sic rarius ab hominibus quorum vtrumque experimento falsum est: vel raro, & sic à casu? Hoc autem tribus rationibus oppugnat prima quod à casu fit, fit per accidens & vult id natura, non per se; sed quod natura per se facit, per se vult, igitur idē natura per se vellet, & non vellet per se. 2. in per se genitis est connexio causæ ad effectū necessaria, si igitur a casu generaretur nō esset hæc connexio, sed posset etiam homo ab homine nō necessario, sed per accidens generari imo generaretur. Tertia illud à casu dicitur fieri quod fit ex causis per se, sed oblæsis aut impeditis; sed homi-

hominem sic generari ex putredine, non est generari ex propriis causis impeditis sed alienis, non igitur à casu homo potest generari. Inde subiicit, si igitur homo potest generari à causis per se impeditis, vel læsis quia hoc est generari proprie à casu; igitur homo poterit ex semine etiam asini generari, & semine tritici. Secunda ratio illius hæc est: quæ ex putrida materia generantur non sunt æterna, sed solum sunt per accidens; sed videmus quod genita ex semine sunt æterna, quia natura addit causam æternitatis, licet habeant coniunctum semper motorem extrinsecus velut in motu ex loco in locum. Quatuor modis animalia generari licet imaginari: aut quod ex putrida materia genita, etiam ex semine generentur; hoc esse non potest quia pleraque ex his adeò manca sunt vt semine, & pariendi facultate destituantur. Vel quod omnia è semine genita etiam ex putrida materia fieri possint, & hæc est opinio Principis cui cum Aristotelem habeamus cōtradicentem minime subscribere debemus: cum nec ratio vlla, nec experimentum nos cogat, admittatur de fibro, de homine non concedemus. Fiber autem cum in aqua degat melius forsan sic potuit generari. Neque auditum est vnquam à sæculo inter tot miracula sic hominem genitum. Ad Aristotelis problema dicimus Platonicos eum tunc sequi, nam commotionum generalium meminit, quas palam est ipsum ex propria sententia non admittere. Tertius modus est Auerrois vt nullum animal possit vtraque via gigni; huic tum rationes, tum experimenta, tum etiam authoritas secunda in problematibus obstat. Reliquum est igitur vt quædam animalia, tum plantas vtroque modo produci posse concedamus, quod & authori libri an animal sit quod in vtero continetur consentaneum, est siue Galenus ille fuerit, seu alius inclytus vir: mures enim affirmat à limo etiam vt vermes nasci. Et ratio id suadet, nam animalia dantur quædam adeo imperfecta vt ex semine generari nequeant, igitur & quædam tam perfecta vt non ex putredine, alia verò quæ media vtroque modo poterunt generari. At dices si omnia ex putri materia generantur vides esse sui generis, cur vis mures esse eiusdem speciei cum his qui à semine ortum habeat. Respondeo solum illa videri sui generis quæ adeo fuerunt imperfecta, vt in speciem ac generationem transire nequiuerint: Nam etsi vermes qui ex solano nascuntur cornutos propagari videremus vt bombyces, non illos sui generis diceremus, nec admiraremur: quamquam quod vetat ne bombyces, cum tamen hi propagentur, admiremur referamusque in animal sui generis. Ad Philosophi authoritatem de muribus, nihil amplius voluisse dicimus quam in his in quibus generatio subsistit velut muribus, aliam suspicari esse speciem. Cum enim tales sint steriles, mures autem propagatione geniti fœcundi, palam est non esse hos & illos eiusdem speciei. Ad Auerrois rationes negamus hæc animalia esse à casu, imò à natura intenta, duobus quidem modis; altero quidem perpetuo sed difficiliore; altero autem faciliore, sed non perpetuo; ex duobus autem vnum confecit. Sic ad reliquam dicimus non esse æterna quamquam per generationem perseuerant, sed potius vt in potentia & stellarum virtute consistunt quinimo hoc casu contingit, ne propagatio & perpetuitas abrumpatur. Non igitur ex quacumque materia quodcumque gigni potest, tum quia homo non gignitur à putri materia nec forsan equus: dubium autem videtur de omnibus præterquam de homine, sed non apud Aristotelem qui solum animalia quæ diù moram in vtero trahunt excipit, tum quia quæ generantur ex putri materia non ex quacumque, sed certo genere procreantur.

CONTRAD. XXXII.

A frigore an quicquam possit in humano corpore concrescere in duritiem

[NEque enim in humano corpore duritiē quicquam potest adeo à frigore concrescere vt in duritiem vertatur.] Gal. 2. de temperamentis: Et ratio est manifesta quia oporteret maiorem esse frigiditatem quam in summa hyeme ac perseuerare. In oppositum Galenus decimo de simplicibus de tophis quos Græci πώρους vocant, constat enim illos duros esse & à frigore, non à calore congelari, quia in articulis vbi minimus calor viget congelantur. Item secundo de generatione animalium vngues, cornua, & rostra dura redduntur à frigore. Item Princeps. [Qui autem caliditatem superfluam cum obstructione medicatur, cauere debet ab infrigidatione superflua, ne in conuertendo obstructionem in lapidem augmentum faciat:] Igitur lapis in corpore humano à frigore poterit generari. Ad primam authoritatem dico quod prius à calore siccantur antequam à frigore congelentur. Sunt etiam tophi res præter naturam. Ad secundam rostra & cornua, & vngues, non à frigore animalis de quo Galenus loquitur, sed externo durescunt. Ad tertiam authoritatem dico quod non intelligit per lapidem absolute lapidem, sed duritiem similem generationi lapidis. Et hoc contigit vitio conuersionis, non Principi. Et ob id Gentilis prætermisit tanquam non esset in suo codice.

CONTRAD. XXXIII.

Caro viscerum an simplex.

[IEcinoris, lienis, pulmonis, renum caro simplicis cuiusdam naturæ est, non quemadmodum cordis quę non est simplex carnis natura; sed sunt in corde fibræ quibus caro circumstat veluti in musculis cernimus.]

Ex

Ex hoc dicto Galeni 2. de temperamentis clarè patet synceriorem esse carnem, ac naturam illius habere quæ est viscerum quam musculorum. Cuius oppositum habetur decimo artis curatiuæ, vocatur caro tantum ea quæ in musculis est, reliquarum nullam homines vocant carnem præterquam admodum pauci, sed quæ in visceribus, iecore, liene, renibus, pulmone visuntur, eas parenchymata (quasi dixeris affusiones) Græci vocant. Respondeo caro simplex dicitur vel quia propriè, & sic caro viscerum non est caro, nec dicit eam quæ in musculis est esse simplicem, decimo artis curatiuæ; sed simpliciter possumus hanc vocare carnem vt simpliciter ab eo quod cum adiectione dicitur, distinguamus. At potest caro simplex intelligi vt à composita distinguitur vt secundo de temperamentis, & sic musculorum caro simplex non est, sed mixta; viscerum autem simplex quia non est mixta. Aliud igitur est mereri nomen carnis simpliciter & sine adiectione, vt simpliciter ab eo quod tale est similitudine distinguitur: aliud carnem esse simplicem vt à mixto simplex differt.

CONTRAD. XXXIV.

Quæ repellunt materiam an purgatione nondum peracta conuenire possint in erysipelate.

[NOn periculosa toti corpori esse non potest vehemens refrigeratio in erysipelate, quod bilis interim ad aliquod princeps membrum fertur. Quippe cum si vel sanguis ipse abundet, haud tutum sit ex minoris notæ membris fluxionem eius repellere. Tanquam igitur in illa post totius corporis euacuationem apocrusticis, idest repellentibus vocatis auxiliis vsi sumus ita nunc quoque faciemus: Sed pro sanguinis missione medicamento quod bilem trahat purgantes, ipsam vero afflictam particulam refrigerantes.] Hæc Galenus quartodecimo artis curatiuæ scribens, iubere videtur ne in erysipelate vtamur retro agentibus medicamentis, nisi prius corpus purgauerimus. Oppositum paulopost. In principio affectuum quæ vel ab atra vel flaua bile ortum habent dum in membrum aliquod materia decumbit, tam in ipso purgationis tempore, quam ante repellere conuenit, vbi autem totum corpus exquisite purgaueris digerere. Respondeo Galenus vetat repellentia vbi nolis aut differas corpus purgare, admittit autem vel vbi iam purgas, vel vbi statim purgaturus es. Ex quo liquet statim vtrumque facere oportere: sed si differas repellere, periclitatur pars laborans tum mora tum incremento humoris: si purgare, ne in aliquod principale membrum impellatur retro acta.

CONTRAD. XXXV.

Cognitio proprij temperamenti an difficilis admodum, & ex quibus.

COgnoscere ad vnguem temperamentum corporum est plane difficile: iubetque Galenus illud venari maxime ex septem: propriis indiciis, ætate, anni tempore, regione, statu cæli, victu, conuersatione. At in libro Artis medicæ dicit regionem non temperatam, & victum absonum impedire iudicium ab indiciis sumptum. Quinimo nec meminit nisi raro ætatis in eo libro ad deprehendendam temperaturam, nec vnquam temporis anni. Respondeo, in nono artis curatiuæ docet signa assequendi temperamentum compositum ex ascititio & naturali: probatur enim duo talia esse tertio de causis pulsuum, in libro artis medicæ naturalis tantum vnde nec ætas, nec anni tempus consideranda veniunt. Ex prima autem authoritate liquet non naturale temperamentum solum quod multi credunt in morborum cura, sed mixtum ex naturali & ascititio esse obseruandum.

CONTRAD. XXXVI.

Tempus an prohibere posit, vel tollere indicationem secandi venam.

SI propter medicorum ignorantiam, aut timorem propinquorum, vel ægri ipsius procedente tempore sanguinem mittere prohiberis, ad frigidam exhibendam accedes. Galenus inquit nono artis curatiuæ; vbi verbum, prohiberis, ad processum temporis manifestè referri debet, non ad timorem vel ignorantiam quia frustra adderetur tempore procedente. Oppositum videtur velle libro de venæ sectione dum dixit; expediet quacunque die sanguinem mittere, etiamsi tempus huius auxilij sit omissum. Soluitur ex sequentibus verbis, modo indicatio seu scopus maneat. Est autem dicit triplex, magnitudo morbi, ætas, & virium robur. At hoc vltimum quandoque temporis processu & maximè ob inediam deficit, non igitur vnquam ratione temporis indicatio mutatur: sed persæpe mutatione scopi quæ tempore prouenit.

CONTRAD. XXXVII.

Excrementa an morborum signa.

[OPtimæ constitutionis signa ab essentia, & necessariò consequentibus operationibus, ac accidentibus sumenda sunt.] Dicebat Galenus in arte medica. Idem in libro de constitutione dum genera signorum enumerat à quibus morborum cognitio habetur tria posuit, læsionem

operationum, accidentia corporibus, excrementorum immoderantiam, prætermittit sumpta ab his quæ secundum essentiam insunt, addit excrementa: In libro de differentiis symptomatum sumit ex affectibus, operationum læsione, & his quæ concomitantur hæc. Et talia dicit partim esse excrementa partim res sensibus subiectas. Hic excrementa ponit, sed collocat sub his quæ concomitantur. Solutio est quod affectus & ad ipsum pertinentia locum habent eorum quæ sunt ratione essentiæ in arte medica, quos prætermittit in libro de constitutione, vbi loquitur solum de symptomatibus, sed inferius iubet præter symptomata non solum essentiam morborum, sed etiam causas perscrutari. Operationes vbique considerantur à Galelo, sunt enim primum & principale signum per se sanitatis & morbi; sed de excrementis aliter consideratur in libello de symptomatum differentiis, aliter in libro de constitutione artis medicæ, aliter in arte medica. In libro de symptomatum differentiis considerantur vt symptomata, non vt signa, ideo comprehenduntur sub vno genere cum accidentibus, idest sub genere eorum quæ concomitantur operationes; distinguit tamen ea ab aliis accidentibus, nam infra prius tractat de accidentibus quæ visui, olfactui, gustui, & tactui subiiciuntur, cum ista etiam absque excrementis possint considerari. Demum de excrementis, cum quibus de sono etiam tractare conuenit. At in libro de constitutione tractat de omnibus signis atque ideò accidentia, & excrementa sunt duorum generum, illa enim manent quasi corpori annexa, hæc autem eiiciuntur. At in arte medica excrementa non debuerunt connumerari vt separata signa ab operationibus, ibi enim intendit docere signa morborum & sanitatis; sed excrementa non sunt signa alterutrius horum, sed operationum læsarum aut integrarum, læsio autem operationis non est morbus, sed symptoma libro de symptomatum differentiis, & signum vt in arte medica; igitur excrementa non sunt signa morborum, vel sanitatis, sed signa signorum. Cum igitur in libro artis medicæ intendat numerare signa tantum per se, ob id prætermisit signa ab excrementis. Quòd autem sub operationibus excrementa contineantur probatur, quia paulopost cum enumerasset sex signorum genera in arte medica à quibus cerebri temperies ac constitutio esset sumenda, operationes quinto loco naturales, inde sexto facilitatem patiendi ab extrinsecis causis collocauit, inde cum quatuor prima signa exposuisset, quinti dum meminit, excrementorum rationem solum habuit, vt excrementa operationum naturalium loco haberentur; post quod signum, sextum signum explicauit quod non facile pateretur ab externis causis.

CONTRAD. XXXVIII.

Corpora temperata an mollia.

GAlenus in arte medica dicit quod corpora optimè constituta debent esse mediocria in mollitie, & duritie. Philosoph 2. de anima dicit quod duri carne sunt rudes, molles ingeniosi Simplicius exponēs locum dicit quod homo est mollissimus animalium, quia temperatissimus. Et quod inter homines temperatiores quicunque molliores. Auerroës tamen quarto collectaneorum dicit quod caro bene temperata in partibus maximè pectoris bonam ostendit cordis tēperiem. Et propterea Galenus secundo de temperamentis docet quod caro mollis humidam ostendit qualitatem. Dico quod mollities Galeni est quæ cum laxitate coniungitur. Et hanc merito damnat, quæ est cum soliditate est propria homini. Aristoteles autem, & Simplicius ab aspero non duro distinxere mollitiem; Galenus à laxo & eneruato: vnde media optima est.

CONTRAD. XXXIX.

Color roseus, an temperamenti signum.

GAlenus primo de tuenda sanitate probat in temperatis colorem medium inter cādidum & nigrum. Quod etiam Paulus in primo libro, & Aëtius in quarto confirmant. Galenus quoque non meminit in libro de optima constitutione, nec in arte medica vbi agit de signis optimæ constitutionis corporis. Sed postmodum in eodem libro dum agit de signis corporis temperati dicit quod debet esse commixtus ex albo & rubro. Quam sententiam confirmat Rhasis secundo ab Almansorem, & Princeps secunda primi, & Auerroës quarto collectaneorum, & Galenus secundo de temperamentis dicit quod debet esse viuidus, & solutio clara est quia vt habetur primo Aphorismorū color corporis ostēdit humores nisi intus accubuerint. Cum igitur intelligatur de parte vbi dignoscuntur, color faciei roseus erit iuxta sanguinem qui dominatur in corpore temperato; residui corporis fuscus qui est medius inter albū & nigrū iuxta tēperiem corporis citra humores.

CONTRAD. XL.

Quænam sint signa certiora.

GAlenus secundo de temperamentis vult cognitionem firmissimam à sensu & substantia ipsarum rerum esse suscipiendam, & dicit quod tactus iudicat optimè de his. Et ideò ponit ibi signa temperati à tactu sumpta. Et videtur ordo in lib. artis medicæ hoc postulare: nam signa ab essentia sumpta præposuit aliis. Et si quid facit ad hoc Hali huic sententiæ in commento fauet. Sed Princeps secunda primi vult quod signa ab operationibus præferantur. Respondeo quod

non

non clare hoc dicit: signa tamen ab operationibus nobis sunt certissima quia exquisitius à nostris sensibus comprehenduntur, ab essentia autem per se sunt certiora.

CONTRAD. XLI.

Corpora rara an pestilentibus febribus paratiora.

GAlenus primo de differentiis febrium aduersus febrem pestilentem docet vt cacochyma purgemus corpora, humida siccemus, obstructa. aperiamus. Ex qua sententia declaratur quænā sint ei morbo obnoxia: scilicet cacochyma, obstructa, humida. Princeps prima quarti dicit cacochyma, debilia, rara. Rhasis in continentium decimoseptimo, dixit obstructa, calida & humida: paulò post quasi oblitus sui dicit epidemia quæ fit in autumno, fit plerumque propter siccitatem. Et quòd corpora obnoxia pesti maximè sunt sicca: adducens Galeni authoritatem quinto artis curatiuæ. Respondeo rara in cute, & obstructa in meatibus sunt obnoxia pesti, tum debilia & calida, & humida, & plena malis humoribus: Galenus prætermissit constitutionem raram quia poterat argui non emendari: item debilitatem eadem causa si sit à natura, vel vt per se notum. Ad id de siccitate sumptum à Galeno quinto artis curatiuæ, legi debet vt apud illum; inquit enim corpora eorum qui pestilenti morbo laborauerunt, siccata omnia sunt: quod nonnulli vomuerint, omnibus autem venter profluxerit. Quod vero dicat in autumno ob siccitatem fieri Epidemium morbum, intelligi debet vt verba iacent, epidemium non pestilentem. Epidemium verò fieri ob hoc patet, quia vt Galenus dicit tertio Aphorismorum, cum autumnus siccus fuerit, bilis immodicè siccata parit ardentes febres, vt etiam Hippocrates in textu affirmat. Palam est autem fieri morbum hunc Epidemium, quòd à causa generali procedat quippe aëre, & re quæ in vniuersis existit corporibus: namque ipsa bile flaua qua nemo caret.

CONTRAD. XLII.

An morbus omnis lædat operationes.

[MOrbus est affectus præter naturam per se operationes lædens.] libro de symptomatum differentiis. Sed tamen primo de symptomatum causis hæc habet. [Crystalloidi transferri, ac sede moueri morbus existit. Translatio siquidem ea versus alterum angulorum facta fuerit, nihil quod æstimandum sit incommodi affert: sin sursum deorsumve inclinat, duplicia omnia videre facit.] Et paulò infra: Foramen rhagoidis tunicæ neque si à natiuitate, neque si post detortum, aut fractum, fuerit, quicquam quod æstimatione dignum sit visui detrimenti affert. Iam enim vidimus ex parua rhagoidis procidentia detortam pupillam postquam cicatrice inclusa est, nec tamen hominis visum impeditum fuisse. Propter hoc igitur dixit Auerroës, tertio collectaneorum tunicas oculorum habere sanitatem in situ, non morbum. Hoc vnum enim existimabat non posse esse morbum citra offensam operationis. Atque ideò videtur hoc concludere non esse tot genera morborum, quot sint sanitatis. Respondeo est neutra dispositio vt à morbo distinguitur, ideo leuiter operatio læditur; sed vocatur morbus à Galeno vt morbus neutram dispositionem continet, & tota sanitatis latitudo in duo tantum diuiditur. Nec est necesse si in tria diuidatur vt in arte medica, morbos esse totidem, quot sanitatis species; nam quædam vitia adeò naturâ leuia sunt, vt ad morbi magnitudinem non ascendant. Itaque tot sunt vitiorum genera non autem morborum, quot sanitatis.

CONTRAD. XLIII.

Durities membrorum an à primis qualitatibus.

[NAturæ facultates quæ mutant seu afficiunt, quæ omnes propriæ sunt substantiam tunicarum vteri, ventriculi, & intestinorum qualis est effecerunt; compagem vero plexum, cauitatem, ortumque; alia quædam virtus formatiua, quam artificiosam esse dicimus.] Primo de naturalibus facultatibus, inquit Galenus. Oppositum vndecimo de vsu partium: [Natura magna sapientia vsa est in dando situm & duritiem loco cui pili palpebrarum implantari debuerant.] Solutio: durities à primis qualitatibus perficiscitur: quòd autem huic loco tribuatur, imperantis est naturæ quæ artificio vtitur.

CONTRAD. XLIV.

Corpus Eucraton an norma aliorum.

[COrpus eucraton est cuius comparatione alia corpora metimur, velut & pictores equum fingunt perfectissimum cuius contemplatione pingunt.] dixit Galenus primo de temperamentis. Oppositum in libro artis medicæ: [Dicemus de insalubribus ex quibus sana & neutra cognoscentur.] Solutio est quod temperatum cum consistat in mediocritate, non habet adeo euidentia signa quod ad sensum vt insalubre: At quoad intellectus rationem temperatum est, cuius comparatione omnia cognoscuntur, dicente Philosopho primo de anima, rectum est index sui & obliqui.

CONTRAD. XLV.

Medico an pertineat ſcire quot ſint membra principalia.

PRinceps dicit quòd ad medicum non pertinet ſcire an ſint quatuor membra principalia, an vnum tantum: Et hoc etiam dicit Hali in commento artis medicæ. Sed Auerroës in ſecundo ſuorum collectaneorum reprehendit hos qui ſentiunt medicis hoc ſcitu neceſſarium non eſſe. Reſpondeo eſſe principale vel intelligitur ratione operationis propriè, & ſic pertinet. Quia Galenus tertio de locis reprehendit Archigenem qui cum exiſtimaret memoriam in corde eſſe; eâ oblæsâ auxilia & cucurbitulam capiti applicabat. Vel de principatu originis; itâ vt licet cerebrum virtutem ſenſitiuam diſtribuat tum recipiat eam à corde; & hoc nō referre omnino non dicant, ſed bene parum, quandoquidem auxilia cordi applicata vbi originem contineat omnium virtutum in omni etiam morbo ſint profutura.

CONTRAD. XLVI.

Ad medicum an pertineat, ſcire an oſſa & alia membra nutriantur facultate à iecore tranſmiſſa.

PRinceps rurſus dicit ibi quod ad medicum non pertinet ſcire an membra virtutem nutriendi quam habent à iecore ſuſcipiant, an ſit eis propria atque coniuncta. Galenus tamen in arte medica docet quod membra ſimplicia habent hanc virtutem innatam, & hoc clariùs primo de vſu partium vbi docet quòd ſolum conſeruatur virtus hæc à iecore. Idem primo de locis affectis ponit triplicem diſtinctionem membrorum vt ad has facultates comparantur; prima quia naturalis ſolum conſeruatur, dicit per venas & arterias quia membris ſponte ineſt, ſed ſenſitiuam & motricem in ea cerebrum influit. Secunda quia cum naturalis vitiatur, neceſſe eſt membrum vitiari, at ſenſus dicit poteſt auferri abſque vitio membri, ſed per ſolum conſenſum. Tertia quod ſi prohibeatur virtus conſeruans neceſſe eſt lædi multum membrum pereunte propria ex hoc virtute, at non ſic ſublata virtute ſentiendi. Vnde reſolutio diuturna eſſe poteſt, membro non aliter in ſubſtantia læſo; ſed ſi vel vena, vel arteria intercipiatur; peribit vis naturalis membri, atque mēbrum corrumpetur. Sed contra quia nono artis curatiuæ dicit quod facultas & anima nutritiua ſedem habent in iecore, & venas velut canales ſparſos per totum corpus: igitur non eſt in omnibus membris, aliter daretur functio abſque facultate. Et maximè quia in primo de vſu partium dicit quod venæ accipiunt virtutem φυτικὴν à iecore ideſt qualis ineſt plantis. Quod ſi anima talis ſparſa eſt per totum corpus, nec erit in iecore tantum, nec illius functionem ſpargit, aut facultatem iecur per venas in totum corpus. Quod ſi facultas abſque anima in membris, igitur ligatis venis ceſſabit omninò. Reſponſio breuis colligitur ex ſecundo prognoſticorum à Galeno, virtus quæ eſt in iecore, eſt generandi ſanguinem, & hac conſeruat duobus modis virtutem nutriendi in toto corpore per venas, ſubminiſtrando primò alimentum, & conſeruando virtutem quæ in eis ab initio ab anima in iecore exiſtente indita eſt. Hoc autem ita factum eſt quia membra non poterant viuere abſque nutritione, vel momento temporis ſecundo de anima; ergo ſi penderet & à iecore influeretur, in quacunque venarum interceptione membrum corrumperetur. Dico ergo quod ad medicum pertinet ſcire an omnino nullo indigeāt auxilio principalium membrorum, aut non; non tamen ſcire eſt neceſſarium quòd virtus quam iam habent, originem aliunde ducat vel non, poſtquàm iam eſt inſeparabilis.

CONTRAD. XLVII.

Caro an membrum tantum recipiens.

PRinceps prima primi, doctrina 5. cap. 1. dicit quòd manifeſtum eſt quod caro eſt membrum quod recipit & non tribuit, & poſt dicit quod eſt ex membris quæ nec recipiunt nec tribuunt. Et rurſus dicit quod non eſt manifeſtum an recipiant, an habeant innatam; Et in hoc etiam contradicit Galeno in arte medica. Solutio eſt quòd ratione virtutis ſenſitiuæ & pulſatilis caro recipit, & non tribuit: ratione nutritiuæ, nec recipit nec tribuit, in hoc tamen fatetur ſe cōſentire Gal. quia ſecundum Philoſophos vt dictum eſt, omnes virtutes à corde profluunt. Ex quatuor enim membris quæ ponit Princeps, Philoſophi cum Medicis concordant in vna tantum quod recipit & non dat: Philoſophi poſtmodum ponunt dans & non recipiens, & dans ac recipiens. Vnde opinio Principis non eſt Philoſophorum nec Medicorum.

CONTRAD. XLVIII.

Conuulſio à ſiccitate an curam recipiat.

GAlenus duodecimo artis curatiuæ inquit. [Conuulſio quæ ex ſiccitate fit prorſus eſt inſanabilis; quippe quod in libro de maraſmo docuerim ſiccitatem ſolidorum membrorum eſſe inſanabilem, & ob hoc de hoc ſymptomate nihil eſt dicendum.] Et tamen antea dicit quod humectantibus ſi curari poteſt ſanatur, & quod quæ à febre procedit non poteſt curari. Et quinto aphoriſmorum dicit quod difficile ſanatur. Paulus verò etiam eam quæ febri ardenti ſucceſſit pene inſanabilem dicit, ideo duplex contradictio

dictio de ficca fine febre, & de ficca cum febre. Solutio habetur in arte medica; fi humidum membri folidum confumptum eft, reparari nequit, & hoc in febribus quæ cum phreniti de quia cerebrum ficcatur, non de omnibus febribus: omnis autem à ficcitate propemodum infanabilis, quia fecundo Aphorifmorum conuulfio eft morbus acutus, humectatio longo tempore indiget.

CONTRAD. XLIX.

Conuulfio inanitione an alia ab ea quæ à ficcitate.

Galenus duodecimo artis curatiuæ ponit genera diftincta conuulfionum à ficcitate, & ab euacuatione; fed tertio de locis factam à ficcitate confundit cum facta ab euacuatione. Solutio eft quod omnis facta à ficcitate eft ab euacuatione eft etiã à ficcitate, fed fi confideremus humorem qui euacuatur qui duplex eft contentus in concauitatibus, & tunc propriè illo euacuato dicitur ab euacuatione & curam recipit; & contentus in propria fubftantia, & hæc conuulfio propriè dicitur à ficcitate.

CONTRAD. L.

Aloës an ventriculo noceat.

[Aloës fi quid aliud medicamentum gratum eft ventriculo.] Galenus fexto de fimplicibus medicamentis.] Et Princeps in fecundo libro dicit quod lædit hepar. Sed Mefue de ipfo loquens dicit quòd confert hepati. Sed Rhafis quinto continentis dicit quod non debet fimpliciter dictum Galeni intelligi, fed quod iuuat ea ratione quod minus omni alio medicamento noceat. Et iftud videtur effe iuxta Galeni præcepta qui dicit quòd eft longè amarior quam aftringens; igitur plus ventriculo nocet, quam iuuet: nam amarum eft ventriculo, inimicum. Refpondeo Aloës eft inter medicamenta vtile ventriculo & iecori, fimpliciter etiam morbofis, ideo Mefue fubiicit laboranti regio morbo, non autem fanis. Dupliciter igitur vtile & reliquorum medicamentorum comparatione, & quia vbi purgandum corpus fit, nocet vt purgat, non vt eft aftringens, vt verò purgauit etiam vtile eft, amota morbi caufa.

CONTRAD. LI.

Amygdalæ an ficcæ.

Galenus quinto de tuenda fanitate numerat amygdalas cum terebinthi femine inter ficcos cibos. Hoc etiam videtur infinuare fexto de fimplicibus medicamentis, cum dixit quod omnes quantuncumque dulces lenem fub dulcedine amaritatem continere, quæ proceffu temporis emergat. Princeps tamen pofuit ipfas dulces ad humidam temperiem. Idem Auerroës quinto collectaneorum, ponitque calore temperatas, fed humidas. Serapio etiam collocauit inter ea quæ calida & humida cenfentur in primo ordine. Quamuis dicat quod recentes cum cortice comeftę ficcent humorem fuperfluum ventriculi. Ratio ipfa etiã Arabibus fauet, plurimo enim abundant oleo, fed Galeni fententia verè eft quod dulces obfcurè ficcent, & eum Græci fequuntur. Humectant tamen recentes, nam hoc genus fructuum vt & pineæ, auellanæ, piftacia, ac nuces recentes cibi exactam rationem fubeunt.

CONTRAD. LII.

Spiritus naturalis an detur.

Hali in commento noni capitis artis medicæ dicit quod naturalis fpiritus per venas tranfmittitur. Auerroes quoque fecundo collectaneorum dicit quod licet non appareat fenfui, tamen Galenum eum pofuiffe. Et quod eft contra experimentum quia vbi eft fpiritus, ibi feruor ficut in corde & arteriis. Princeps quoque primo canticæ enumerat illum ante alios. Et in primo de virtutibus cordis ponit illum, & in quinto etiam de anima adducit hanc rationem. Si anima multiplicatur, multiplicatur & primum animæ inftrumentum quia forma eft propter operationem, & operatio non poteft effe fine inftrumento: Sed fpiritus eft primum animæ inftrumentum, vel ipfa anima libro de vfu refpirationis: & anima multiplicatur apud Galenum, vt in fragmento de virtutibus naturalibus, & alibi fæpè; igitur datur fpiritus naturalis. Auctor introductorij medicorum ponit tria fpirituum genera animalem in cerebro, naturalem in corde, hecticum ideft fixum in toto corpore. Galenus in libro de renum affectibus vult quod vnà cum fanguine multum fpiritus vitalis excernatur. Sed poffet dici quod per anaftomofim ingreditur ex arteriis. Nam Galenus duodecimo artis curatiuæ dicit: An fit aliquis fpiritus à vitali & animali diftinctus dubium eft. Manardus adducit tres rationes quod non detur, prima quia vel gratiâ nutrimenti, & hoc non; quia fufficit fanguis; vel virtutis nutritiuæ, & hanc innatam iam habent membra. Dico etiam membra habent virtutem vitalem innatam ficut nutritiuam primo de locis, fed fpiritus defert virtutem conferuantem, aliter vitalis effet fruftra; & ità argumentum concludit oppofitum, quia fanguis cum non fit inftrumentum animæ, non poteft virtutem vllam nec nouam, nec conferuantem deferre. Alia ratio, cum plura membra nutriantur quam fententiant, oportuiffet plures arterias ad iecur quam ad cerebrum deferri quod eft falfum ex fenfu. Refpondeo ex Principe primo Canticæ, naturalis præcedit vitalem ficut nutritio vitam, ideò non fit naturalis in arteriis ficut animalis qui fequitur vitalem, ideò cum fiat ex vitali fit etiam neceffario in arteriis. Vt enim in libro de fœtus formatione cor præcedit cerebrum in generatione,

ità iecur cor ipsum. Non igitur spiritus deferuntur per arterias vt dictum est, nec per venas, tum quia carent aëre qui est alimentum spiritûs, tum quia carent motu qui spiritui est proprius; vnde arteriæ subsiliunt perpetuo propter vitalem, tum quia venæ rariores sunt; ideo spiritum minimè possent continere. Respondeo quòd hic spiritus cum sit crassior, non indiguit motu manifesto, nec potest penetrare venarum tunicas, nec indiguit aëre. Tertia ratio ex Galeno quarto de vsu partium cum natura vult fabricare aliquid, præparat instrumenta propria vt retiformem nexum in cerebro pro animali spiritu faciendo, sed nihil tale in iecore est. Si quis dicat non inueniri talem nexum ex Vesalio libro septimo; Dicet Manardus quod inuenitur de mente Galeni, & hoc sufficit ad demonstrandum quod Galenus non existimauerit dari spiritum naturalem, licet non probet quod absolute non detur. Et similiter in cerebro sunt cauitates quas vocamus ventriculos. Respondeo quod iecur his non indiguit quia spiritus naturalis potest confici in vena caua: credendum est igitur dari quia Auerroes constanter illum Galeno tribuit: sed libri vbi eum posuit ad nos non peruenerunt, & etiam quia Principis ratio demonstrat.

CONTRAD. LIII.

Spinalis medulla an sit diuisa per longum.

GAlenus octauo de vsu partium hæc habet. [Cum non liceret spinam duplicem esse neque etiam spinalem medullam, neque eum etiam ex quo ipsa oritur ventriculum posteriorem duplicem esse licuit. Vnus igitur factus est. Et quia omnibus neruis inseruire debuit abunde magnus.] Similiter tertiodecimo de vsu partium vbi præstitisset tantæ vtilitatis reddere rationem eius non meminit, scilicet quod per longum diuisa esset. Oppositum octauo anathomicarum administrationum. Spinalis medulla cum iuxta longitudinem supernè deorsum recta linea diuisa fuerit, nullum neruum intercostalium nec dextra: nec sinistra parte resoluit: cum vero transuersim omnes ordine iuxta rectum seu dextra, seu sinistra neruos resoluit: vnde si semiuocale animal reddere voles in hunc modum dissecabis, si mutum totum transuersim diuides. Et tertio de locis: diuisa ad medium solum medulla paralysis ex eadem parte efficietur, per totam autem in vtraque parte. Et quarto de locis. [Si dimidium solum medullæ spinalis ex inteperie aut aliter afficietur, paralysis ex eadem parte subsequetur; si autem tota, ex vtraque parte.] Princeps quoque inquit. [Et scias quod dispositio spinalis medullæ in diuisione dextri ac sinistri est velut cerebri, licet sensus eam non percipiat.] Et probat hoc duabus rationibus prima quia oritur à cerebro quod sic diuisum est: secunda quòd vna pars læditur, alterâ non læsâ. Vesalius libro quarto ostendit in duobus similem esse medullam spinalem cerebro in substantia, & in productione neruorum; dissidet in duobus, quia cerebrum mouetur motu pulsatili & os quo continetur immobile est. Sed spinalis medulla continetur osse mobili ipsa immobilis existens. Esse autem diuisam non bifariam, sed multis modis velut sunt cordulæ quas micantes digitis atque officulis contexunt mulieres, nec totam sed solum medietatem inferiorem. Igitur ea parte sensim dicit hinc atque illinc distributæ abeunt in neruos, relinquentes truncum semper tenuiorem donec in fibram tenuissimam spinalis medulla, finiatur ad os chartilagineum. Exeunt autem sic ex ceruice paria septem, ex thorace duodena, ex lumbis quina, ex osse sacro sena. Paria igitur neruorum sunt triginta, nerui autem sexaginta. Carolo-Stephanus ex sententia Galeni facit paria neruorum viginti nouem; cæterum duo addit ex propria vt sint in vniuersum paria xxx.] Præter singularem, quem quia rubicundus sit & instar crassæ meningis non esse neruum existimat. Sed hæc alibi tractanda, cæterum iam de diuisione spinalis medullæ cum Vesalio consenserat. Illud addens esse in ea cauitatem mucoso oppletam humore quà dorsi medulla in laboribus restauratur. Respondeo spinalis medulla non est per medium diuisa: Galenus enim tertio de locis inquit cerebrum est principium omnium neruorum propriorum quidem primum, aliorum autem per medullam spinalem: cum autem ipsum sit diuisum, poterunt offendi partes seorsum ratione cerebri, non autem medullæ. Arabes tamen vt Rhasis primo continentium decepti verbis Galeni male intellectis ita censuerunt. Causa igitur læsionis vnius partis tantum est propinquitas origini neruorum, non diuisio; quod luce clarius demonstro ex authoritate Galeni adducta ex octauo de anathomicis administrationibus: nam cum dicat ibi quòd diuisâ medullâ spinali per longum non offenduntur nerui, sed impossibile est vt diuidatur in medio exquisitissimè, ergo dummodo non lædatur pars affinis neruis, non læduntur; igitur nerui offenduntur quia pars propinquior medullæ afficitur, non quia medulla sit diuisa ex eadem parte. Transuersa igitur diuisio prohibet ne vis cerebri ex illa parte ad neruos permeet: potestate ergo diuisa est.

CONTRAD. LIV.

In septi transuersi inflammatione, spiritus an rarus & magnus.

VIdetur homini inflammatum fuisse septum transuersum, inquit Galenus tertio in primũ Epidem. dum de Sileno loqueretur. Dixerat autem priùs quod & Hippocrates in textu habuisse raram, ac magnam spirationem. Sed quinto de locis ponens differentiam inter spirationem quæ fit in vera

vera phrenitide quæ fit cerebro se per affecto spiratio magna est, & ex longis semper interuallis; quæ verò fit laborante septo transuerso inæqualis, vt modo exigua sit ac frequens, modò magna & angustiosa. At Hippocrates loco adducto dixit à primo die ad vltimum raram & magnam spirationem perseuerasse. Respondeo, Galenus secundo de difficultate spirandi docet quod delirium per se facit raram spirationem, exemplo matulæ cuius obliuiscuntur; cum enim respiratio motus sit à voluntate perturbata ratione, obliuiscitur natura officij sui, igitur rara est respiratio: Sed cum rara est, oportet sarciri quod raritate prætermissum est, igitur magna & rara. Sed ex dolore parua propter metum ne augeatur, quare frequens; miscentur autem affectus vt ibi docet, altero alterum vincente. Sed ibidem paulòpost docet quod Sileno nullus aderat dolor, quod ex mollitie etiam ac distinctione ad vmbilicum declarat. Quomodo igitur inflammatio in septo transuerso; nam paruam inquit fieri respirationem vel ob dolorem, vel ob compressionem: Si ergo dicat fuisse inflammationem in parte carnosa septi, saltem fuisset parua ob compressionem. Nam cum septum transuersum laborat inflammatione, fit spiratio parua saltem ob compressionem si in parte carnosa; si in neruosa & robur virium steterit duplici causa ob compressionem & dolorem; si calor extinguatur homine iam moriente, minima ob tres causas, compressionem, dolorem, & caloris naturalis extinctionem. Dicendum est igitur Silenum vt ibi in commento Galenus laborasse inflammatione in septo transuerso quia dicit hypochondria erant distenta sine tumore & mollia, sed si fuisset (ait) inflammatio in hypochondrio, fuissent tensa cum duritie & tumore. Sed causa raritatis & magnitudinis fuit delirij magnitudo; ob id dixit fuisse comatosum, & locus inflammationis in parte carnosa septi, neque doluit vnquam, vnde ob dolorem non potuit fieri parua respiratio. Et paruitas inflammationis quæ non comprimebat spiritum, indicio est fuisse submolle hypochondrium, quod non solum non laborare ipsum inflammatione, ad hoc enim sufficiebat non adesse tumorem in eo, sed paruitatis eius quæ in septo erat fuit argumentum.

CONTRAD. LV.

Febris hectica an ex putredine.

[Febres omnes fieri ex putredine putat Athenei chorus cui maxima ex parte consentio, nisi quòd ephemeras excipio.] Galenus primo de febrium differentiis. Ex quibus videtur velle quod hecticæ etiam ex putredine adueniant. Oppositum posterius, vbi docet putridæ & hecticæ coniunctarum, signa & in secundo lib. vbi enumerat species putridæ cõtinuæ, vel intermittentis. Respondeo posset intelligi prima propositio de origine, non subiecto; nam hectica persæpe etiam fit ex putrida, vt infrà docet. Vel melius, quia etiam hectica fit ab ephemera: quamquam dicas quod hectica fit ex putredine secundorum humidorum; non dicitur tamen putrida quia non fit ex putredine certi humoris, nec certorum humorum, sed humidi secundi quod est sparsum vbique & commune toti corpori. Quod autem in hectica tale humidum putrescat probatur, quia laborat calore non naturali, sed vt habetur à Philosopho quarto metheororum, putredo est corruptio proprij humidi facta ab aliena caliditate; Hoc autem totum cum in hecticis contingat, erunt omnes hecticæ ex putredine factæ.



CONTRADICENTIVM MEDICORVM, *LIBER DECIMVS.*

CONTRAD. I.

Membra an habeant innatam virtutem naturalem tantum.



[SOLA virtus sentiendi ac mouendi influitur, non autem nutritio & vita; quia venæ & arteriæ solum sunt ad conseruationem.] Primo de locis, & primo de semine, & primo de vsu partium. [Nerui deferunt à cerebro virtutem animalem, sed arteriæ fouent calorem naturalem, & venæ defferunt nutrimentum.] Oppositum tamen habetur in vltima authoritate vbi dicit quod arteriæ defferunt facultatem pulsatilem à corde cui consentit experimentum. Item posset animal extincto corde viuere, quod tamen negat Galenus quinto de locis. Tertiò sequeretur quod plantæ possent habere virtutem vitalem si potest haberi absque corde. Respondeo quod pulsatilis virtus certè à corde defertur per arterias; si igitur esset eadem vitalis, non esset vitalis innata, sed differunt. Ad aliud, Galenus concessit secundo de decretis viuere animal exempto

exempto corde: non tamen totum viuet, sed pars animalis nec diù. Ad tertium possent plantæ habere virtutem vitalem & calorem naturalem, sed non possunt conseruare quia carent corde. Natura autem non dat, quod conseruari non potest.

CONTRAD. II.

Ablata sentiendi operatione membrum non est affectum.

[ABlata sentiendi facultate, vel mouendi membrum non est affectum, sed bene sublata nutriendi, aut viuendi facultate.] Primo de locis. Oppositum libro artis, læsio operationum est signum ægrorum. Respondeo membrum laborat, vel vt instrumentum, & sic sublata virtute animali & sic est membrum quarti generis in diuisione data libro artis medicæ; vel vt membrum simplex, & sic est ex tertio genere, hocque modo loquitur primo de locis.

CONTRAD. III.

Virtutes omnes sensitiuæ an à cerebro per neruos descendant.

GAlenus primo de vsu partium, tum alibi sæpè fatetur sensum & motum à cerebro per neruos defferri. Attamen in libro de fœtuum formatione docet quod vnumquodque membrum, dans exemplum de renibus & vtero, propriam complet absque alterius auxilio operationem. Diximus aliàs de crystalloide quod esset instrumentum visus, nunc de neruis ventriculi quibus fames sentitur, quæ cũ sit ventriculo propria operatio, non videtur ex cerebro descendere. Nam Galenus primo de symptom. causis famem vt proprium ventriculi affectum numerat inter reliquos. Respondeo ex tertio de vsu partium, natura dedit neruos maximos ventriculo vt haberent sensum defectus alimenti: Est igitur fames propria ventriculo vt soli conueniens, non vt illius naturam ac substantiam consequens, sed neruorum non quorumlibet, sed horum atque ad hoc membrum venientium: operationes autem cæteræ non ad sensum & motum pertinentes per se perficiuntur.

CONTRAD. IV.

Pili an partes.

GAlenus vndecimo de simplicibus medicamentis loquens de ouis; hæc non sunt partes, hucusque autem de partibus loquutus sum. Est autem loquutus ante de pilis, igitur pili sunt partes. Non videtur tamen sentire in arte medica quod pili sint membra, dicens quod eorum seu capillorum & vnguium nõ est regimen. Respõdeo pars dupliciter, dicitur vel pro eo quod naturaliter inest homini nec sponte separatur, & sic oua non sunt partes, pili sunt: Vel pro eo quod habet virtutem aliquam innatam vel influentem, seu quod commodis corporis participat; & sic pili non sunt partes corporis.

CONTRAD. V.

Sanies quibus indiciis dignoscatur.

PRinceps decima tertij, sanies inquit descendit in aqua & fœtet super ignem posita: imò dicit & per se fœtet; & in his duobus distinguitur à pituitâ; verùm ego expui materiam crudam per multos menses descendentem in aqua & quæ plurimum fœtebat. Ideo animaduertendum quòd non sequitur primum; sanies descendit in aqua, igitur quod descendit in aqua est sanies. Deinde ponit signa distinctionis saniei à pituita, non ab humore crudo. Haliabbas autem nono Theoricæ ponit tantum vnum signum quod vbi ab hora manserit in aqua, si supernatat pituita est; si manet in fundo, sanies. Sed tu intellige quòd dissoluatur, aliter poterit esse humor crudus solum. Galen. secundo de natura humana dixit pus ab humore crudo distinguitur colore, substantia, & odore: colore, quia cinereum est inquit idem Galenus secundo de fracturis. De substantia & odore dicebat primo de alimentis pus graue olet & est lentum; crudus verò succus duntaxat colore & crassitie illi similis est; cæterum neque olet malè, neque lentus est. Et si quis arguat Galenum de manifesta contradictione, cum in alio loco dixerit pus colore atque substantia esse dissimile, hîc vero contraria affirmet, cum crassities ad substantiam pertineat, dicendum quod lentore differunt quia ad substantiam pertinet; de colore quod ob vrinam assimilantur in qua vtrumque subsidere præsuponit. Sed maior est difficultas de re (hîc reclamabunt qui oculis fidem non adhibent sed authoritati veterum solum adhærent) nunquid cõstat quod sanies in aqua soluitur in minima, & humor crudus per aliquot horas in vnum coactus. Vndè manifestè patet quòd sit totum oppositum; neque enim alio vllo signo magis dignoscitur pus ab humore crudo, quam quòd pus dissoluitur in minima, & hoc vidi centies in sputis phthisicorum, crudus autem humor coniunctus residet. Quod etiam ratio suadet: nam pus gignitur è sanguine, re friabili: pus est è genere pituitæ quod totum lentum est. Cum igitur pus ex sanguine fiat vix accidere potest vt non aliqua ex parte non concoctum plenè sit & tunc est subrubrum. Indicium ergo puris quod ad colorem attinet, est vt sit coloris cineris & aliqua modica parte subrubrum. Et hæc fuit sententia Alexandri Medici in priore conuersione; vbi inquit cognoscitur odore & colore, & addit tertium quod etiam dixi: scilicet quia pus soluitur in minima cum proiectum fuerit in aquam; & ob id pus descendit

descendit non ob grauitatem, verùm potius quia tenue cum sit descendit ad ima. Et hoc patet experimento in multis rebus quæ propter corpulentiam & latitudinem non merguntur, redacta in puluerem vel parua frustula statim descendunt. Est autem quoddam medium inter humorem crudum seu pituitam, & saniem; quia crudus humor cum putrescit diuiditur minutim,& descendit, & malè olet:nec tamen est vera sanies, sed non adeo fœtet vt sanies vera; neque adeò descendit, sed magis diuiditur quam pus ipsum quod ex sanguine constat. Cum enim pus fiat ex sanguine, sanguis autem non dissoluitur in aqua, quod maximè diuiditur in illa est pus ex pituita, quod ei proximum est, est ipse humor crudus, post est pituita; pus autem verum velut & sanguis concretus non soluitur in aqua. Quia verò pus duobus modis intelligitur, vno cum est concoctum etiam à calore naturali, & ità non malè olet nisi valdè parum, & hoc est magis lentum quia nō adeò à natura sanguinis remotum: & pus quod est ex mera corruptione, & hoc pessime olet, & in aqua soluitur dicitur sanies propriè, sicut impropriè pus, & sanies impropriè & est pituita aut humor crudus putrefactus. Demum humor crudus non putrefactus, & pituita non corrupta vt sint quinque ex quorum varia comparatione incidit, vel error in Galeno, vel in intellectu eius.Hîc animaduertendum quod pus illud corruptum aliquando fit ex substantia membri putrefacta & hoc fœtet maximè, nec dissoluitur in aqua nisi per particulas paruas, cum illud quod ex sanguine generatur & dicitur impropriè, dissoluatur. Est etiam septimum genus humidi sanguis scilicet mali coloris, qui concretus facile soluitur maximè niger, & est semiputridus, nondum tamen malè olens.

CONTRAD. VI.

Oxymel an æstate frigidum exhibendum.

[VBi dolor aliquis vexauerit oxymel bibendum dabis hyeme calidum, æstate frigidum.]Primo de victu in Acutis.Oppositum habet in tertio: cum autem dare oxymel volueris, perquam tepidum dabis inquit; nec tempus anni vllum excipit. Quidam dixerunt existimates se Galenum in commento sequi dum morbus crudus est periculosum esse frigidum dare, seu oximel,seu quiduis aliud; nam dicit vt antea dixit, scilicet in primo libro in quo oxymel frigidum exhibet, cum tamen tum loquatur de crudiore quam nunc morbo. Aliam respōsionem videtur innuere ibi Galenus non ob oximel, sed ob frigidam aquam multamve, quos potus frigidos æstate exhibet non solum ob tempus ipsum calidum, sed sitim sedandam & intemperiem etiam morbi calidioris. Et ad hoc adducunt Rhasim ex libro diuisionum qui in morbo laterali frigidam exhibet. Sed non loquitur de actu frigido, sed potestate vt mucoso psyllij succo, atque aliis. At hoc non est dissoluere contradictionem, nam frigidam dare liceret, non exacte tepidum. Differt autem tepidum à temperato; ad calidum enim vergit tepidum; quod calidum sentitur cum voluptate, temperatum autem non sentitur qualitatis ratione; non ergo exacte temperatum, sed exquisitè tepidum est. Ergo de calido & frigido abunde disseruit Hippocrates in secundo de dieta dicens. Aquæ potus calidus attenuat, similiter & frigidus; at vero & spiritus, & cibus, & potus humidus in corpore congelant si excellenter frigida fuerint: & per congelationem aluos sistunt. Nam animæ humidum superant, similiter & calidum si excedat idem efficit vt diffundi non queat: Et est sensus calidum & frigidum exsiccant corpora: hoc quidem vt cogat, illud vt resoluat: ab horum extremis tepidum abest, aliud quod frigidum retardat transitum & interim cum oxymel siccum sit,prius exsiccabit quam incidat aut attenuet. Tertia causa quoniam frigidum nocet pectori membro calidissimo, quoniam immodico calori membrum assuetum quomodo pati poterit frigus. Verùm vt tandem ad rem deueniam;oxymel mediocre, de quo in primo libro sermo est, frigidum dari potest æstate, cum ab aceto noxa non timeatur velut etiam mulsa & aqua: at acre nullo modo quodnimis pūgeret & sitim excitaret: ob id non solum acria, sed etiam amara valdè tepida dare solemus: hîc autem de acri oxymellite sermo est.

CONTRAD. VII.

Ex bile flaua & sanguine an tumor fiat?

FActa fuit superiùs difficultas an erysipelas sit tumor profundus. Verùm alia occurrit quot sint verè tumorum genera? Quarto enim Aphorismorum videntur statui tria tumorum genera; durum quod vocetur scirrhus, molle quod œdema, dolorosum quod phlegmō. Secundo autem de crisi quatuor genera inflammationum simplicium esse ostendit; cum enim inquit multa influxerit, erysipelas efficitur: cum sanguis purus,inflammatio quæ nomen generis retinet: si atra bilis,carcinoma; si pituita,œdema. Liquet ergo inflammationem fieri posse ex puro sanguine antequam putruerit atque tumorem: neque enim putredo ad alterutrum horum exigitur,non tamen citra putredinem fieri potest febris putrida. Vnde non sequitur, quatuor sunt genera tumorum, vel inflammationum;igitur febrium putridarum etiam totidem, nam cum sanguis inflammationem aut tumorem efficit, sanguis esse potest & nomen eius mereri: at cum febrem putridam gignit, non amplius sanguinis nomen promeretur: At etiam in dictione œdema vt testatur Gal. diuersitas est, quoniam antiquo tempore pro omni tumore intelligebatur, Galeni ætate, & post solum pro tumore molli ac parui sensus. Quod verò visus

sit Galenus secundo de crisi ponere solum tria genera inflammationum id nihil est: sed vult solum tria esse genera inflammationum quæ nomen mutant: nam quæ à sanguine fit, nomen suum retinet.

CONTRAD. VIII.

Suppuratio ventris interius rupta, an deterior rupta foris?

[QVæcunque intro rumpitur optima est si cum exteriori sede nihil communicat, sed adducta est, nec dolet, & omnis exterior locus vnicolor est.] Galenus in commẽto contradicit Hippocrati dicens optima est non omnium, sed earum duntaxat quæ intro atque foris simul rumpuntur. Dubium enim non est, inquit quin quæ foris tantummodo rumpuntur non sint minus malæ, tum quia locus interior nobilior est, tum quod materia saniosa, quæ intus spargitur si super intestina crassa spargatur, erodit illa, si super tenuia deiicit appetentiam, nec licet admouere auxilia manibus quemadmodum in externis. Præterea dicit quæ interius rumpuntur tunc deteriora his quæ intra tantum, ità sunt meliora his quæ in vtranque partem scilicet intus & extra. Talibus delectantur medici nostri temporis omnibus bonis artibus destituti; sed de his non miror, sed Galeno qui gloriatur se scripsisse xxiiij. libros de demonstratione, nam si ad eas quæ rumpuntur vtrimque comparat illam quæ solum intus rumpitur appellatque optimam, quid opus est amplius verbis: nec dolet, & omnis exterior locus vnicolor apparet; dictio enim quæ excipit si illi addatur alia non remanet vniuersalis. Propterea dico quod est simpliciter prolata: quoniam per ea verba, si cum exteriori sede nihil communicat, iam ex confesso tutior est, & facilioris sanationis omni ea quæ vtrinque rumpitur: Per illa autem quæ post adduntur, etiam ea quæ solum exterius rumpitur; nam vbi non doleat, & vnicolor sit fieri non potest cum calor ibi sit longè validior quin celerius finiatur alterâ. Et quòd non lædantur viscera declarat color, fieri enim non potest si quicquam è visceribus patiatur quin partes cutis quæ illi sunt è regione positæ varientur. Atque hic modus est sedandi contradictiones in quibus ex prauo intellectu Interpres authorem redarguit.

CONTRAD. IX.

Appetitus corruptio an à frigiditate etiam?

[OMnis immoderata intemperies, propriæ facultatis opus deiicit.] Vt secundo Aphorismorum Galenus inquit. At Aëtius inquit maxima deperdendi appetitum causa est caliditas: vbi inquit quinque ordinatim ad famem gignendam concurrunt: resolutio corporis: sensus eius resolutionis, exsuctio à venis ob id: sensus eius exsuctionis: Et inde sensus oris ventriculi per neruos sexti paris animalisque, ob id & sumpsit à Galeno primo de symptomatum causis. Vbi plura essent dicenda vnde ille sensus naturalis tum membrorum, tum venarum & quomodo distinguantus. Et ideò quamuis corruptio horum esse potest causa destructionis appetitus: Et Princeps confitetur quod à quauis intemperie cadere potest appetitus. Oppositum cum dicit. [Et vehementia caliditatis ventriculi similiter est causa inappetentiæ, sicut aëris etiam calor vel frigus.] Vnde intemperies frigida ventriculi non videtur esse causa. Et etiam quia ventriculus bene appetit vt in arte medica, si frigidior sit. Respondeo distinguendum esse, nam à præternaturali quauis intemperie potest fieri ἀσιτία & ἀποσιτία; à naturali autem non nisi cum corruperit membrum, frigiditas non tollit appetitum cibi. Præterea ex frigiditate cruditates fiunt, & ita per accidens vt dici solet intercipitur: quemadmodum etiam à quauis materia corrupta, præsertim calida. Deinde considerandum an sit casus functionis aut vitium: nam & quædam frigida vt lactuca cucumeres corrupta, vel intemperies ab illis orta, dum corrumpunt vim appetendi etiam destruunt. Frigiditas autem naturalis ac simplex nec immoderata non deiicit appetitum cibi, aut forsan alium eius loco similem progenerat. Principis etiam sententia est quòd frigiditas præter naturam non potest tollere appetitum, quia videmus quòd auget aliquando illum, nihil potest in contraria eodem modo; sed vel in vnum per se, in aliud per accidens: vel in vtraque per accidens, vel vt in genus illorum velut lux in colorem tanquam genus, ideoque album & nigrum, & mixtio in saporem amarum & dulcem: cum ergo frigiditas per se augeat famem, non minuet nisi vt est in materia vel vt deiicit actum virtutis membro læso, vt cum est immodica: aut corrumpit quoniam est coniuncta malæ alteri qualitati vt odori sapori, vel putredini. Et hæc illius opinio non est prorsus aspernanda. Cum verò dicit quod non solum ab euacuatione, sed à quauis intemperie: intelligit quod vt euacuatio per se semper auget appetitum cibi, deiicit tamen sæpius illum quam augeat facultatem, aut vsum eius deiiciendo, aut ob prauum humorem sibi coniunctum velut putridum aut exquisitè biliosum, vel quia reliquiæ supersint: vel quia ob motum maior fiat illius impressio: ità de intemperie.

CONTRAD. X.

Oleum an vlceribus prosit?

GAlenus quarto de medicamentis secundum genera loquens de vlceribus malignis inquit: [Porrò in his nihil tam nobis euitandum est quam pharmaca generis oleosi quæ

si quæ Hippocrates malthacode idest mollicina appellat, cuiusmodi sunt omnes adipes: præsertim porcorum: dein omnes resinæ, postea cera. Alia verò ratione, quæ indurata remolliunt malactica Græcis dicuntur non conueniunt galbanum, bdellium, medullæ: Et neque acria, sed alia ratione velut piper, gingiber.] Idem non multo post hæc habet ad vnguem illi contraria: [Propterea pharmacum de quo sermo est oleum & adipem quadraginta annorum recipiens, semper apud me vlcera diuturna præter modum maligna quàm opinio ferret melius sanauit.] Et si quis dicat ob vetustatem id contingere; dico quòd etsi oleum & adeps vetustate desinerent esse oleum & adeps, tamen non desinerent esse oleosa. Forsan aliquis diceret quòd intelligit de oleo & adipe solis; sed hoc non, quoniam antea dicit propterea neque aqua, neque oleo solis, neque cum aliis mixtis vteris, quoniam immodicè humida sunt, sed duntaxat cera cui cum medicamentum vult esse actius miscet tertiam partem medicamentorum siccorum; cum imbecillius solum, quartam. Aut dices quod cum loquitur de mollicinis non applicandis, intelligit extrinsecus solum, nam hoc iam explicarat; at intus non prohibet; in secunda igitur authoritate intelligit de medicamentis vlceris, in prima de emplastris exterius imponendis. Sed cum in toto capite cum connumeret plura medicamenta intra vlcus imponenda, nec misceat oleum, aut adipem, aut ceram non videtur solutio hæc satisfacere: præterea vt dixi post etiam prohibet oleum in mixtione non per se solum. Præterea si talia nocent exterius apposita, quomodo intus posita proderunt. Ideò nota quòd malè faciunt qui in huiusmodi defendunt responsiones falsas: & modò tueantur quod dixerunt, credunt se esse doctos; quinimo imperitum vulgus, & quod maius est dedecus & magna pars potentium, & illorum etiam qui indignè publicè profitentur approbant illos; & eorum non solum dicta, sed etiam vitam suam suorumque illorum iudicio, & sapientiæ committunt, cum multo melius esset committere se his qui dicunt nescio: neque enim medicina tot subtilibus indiget, hi enim laborant ignorantia, solum simplici quæ est imperitia; illi autem errant. Qui errat necessariò lædit & errat: qui ignorat non necessariò lædit, & forsan diuinabit vel iudicio, vel diligentia, vel casu, vel admonitus, hic etiam emendabilis est, ille non. Hic conscius suæ imperitiæ industriam acuit, laborem non subterfugit, paulatim experitur, melioribus cedit, quorum nullum facit qui se putat scire quod nescit, itaque hic multis numeris peior est & inferior imperito, & empirico. In huiusmodi ergo errare longè peius est quam in philosophia aut mathematicis, cum non solum veritas amitatur brauium studiosorum studiorumque, sed ægrorum salus prodatur, vt in hoc casu contingeret. Dico ergo quòd sententia Galeni est quod oleosa omnia seu intus seu extra vlcus malignum apposita sunt pessima si per se apponantur, vel si recentia sint: inueterata tamen & optimis medicamentis permista ingentem & supra spem afferunt vtilitatem. Quæ enim nocitura sunt egregiè, velut venena in medicamentis oleum aut ærugo per se sola in vlceribus, si prosint temperata semper plusquam mediocriter prodesse consueuerunt quoniam robur illorum magnum est vt in quamcunque partem inclinauerint manifestos effectus ostendant.

CONTRAD. X.I

In inflammationibus membrorum spiritualium, an aqua conueniat?

[Aquæ quæ in acutis bibitur morbis, nullum sane aliud habeo quod concedam illi officium. Neque enim in peripneumonicis tussim sedat, neque sputum educit, imò cæteris minus, si quis aquæ potione prorsus vtatur. Verùm si inter oxymel, & mulsam paululum aquæ instilletur ob qualitatis potionum transmutationem sputum educit: Nempe intus inundationem parit, aliàs neque sitim sedat, sed amarescit. Nempe ei qui suapte natura biliosus existit, ea est biliosa; hypochondrio præterea est infesta, malaque, atque etiam pessima, biliosissimaque, & virium maxima labefactatio, vbi in vacuitatem venerit. Adde quod lienem auget, iecurque vbi phlegmone obsidetur fluctuatque & innatat. Tardè siquidem meat, quòd frigida & incoctibilis sit, neque aluum deiicit, neque vrinas mouet, atque ex eo quoque nocua est, quod stercoris suapte natura expers sit. Quam si pedibus frigentibus aliquando quis biberit, ea his omnibus multo magis nocebit, ad quoduis eorum venerit.] Hæc Hippocrates tertio de victu in Acutis. At Alexander Trallianus dum de morbo laterali agit hæc habet in quibus etsi Hippocratem videatur interpretari, plurimum tamen ab illius verbis abesse videtur; Galeno autem manifestè contradicit, hæc illius eo lo o verba sunt. [Tepidã verò aquam exhibeto, & non vt vulgo, biliosam ipsam esse putato: quippe hoc ridiculum existit. Accusant manifestè Hippocratem, ignorantes quomodo hoc dictum sit: calorem igitur experientibus, vehementer siccis & febri laborantibus, quis hac præstantius inuenerit quæ & bili resistere, & euincere eam queat, si quis cibos etiam ad nutriendum efficaces offerat; quoniam ipsa per se, vt quæ simplex existat, neque nutrire, neque humectare propriè ægrũ potest, sed tum siccum tum amarum ipsum inediæ potius ratione efficit. Itaque cum vino mulsa, & aliis cibis ipsa conferens hoc dixit, quare tepida reprehendi non debet, ipsa namque est, quæ efficit vt & alij cibi tum concoquantur, tum celerius in corpus distribãtur hoc est quod dicitur humiditas, alimẽti vehiculũ. Quare nõ desinas tepidã exhibere, interea dũ cibus, & aliæ potiones exhibẽtur, id namque ipse docuit, vbi dixerit, mixtã quidẽ mulsam, vel apomeli cõmodius exhiberi, quoniam per se sola non alit, neque medicamẽtum esse potest, omnia autem præstat cũ aliis cibis, omniumq; ciborũ vehiculũ est.

[...]nim siccum, neque medicamentum [...]more in alium peruenire potest, sed in [...]ficie permanet nullam actionem osten[...]s: vbi verò humidiorum alicui commix[...]m fuerit tunc etiam in altum penetrare potest, ac frigiditatem aut caliditatem largitur: quare aqua etiamsi aliqui eam non vt alimentum existimarint, eo quod simplex existat; attamen ipsa etiam sola vniuersa nutrienda curat, & in corpus alimentum deducit, diuisa continet, & in vnitatem redigit. Si enim & terram siccam, & dispersam adunit, continuamque hanc reddit, vt diuersa perficiantur vasa; ad hæc si panem ipsum, qui comeditur cum farina est, componit maximam vim obtinet, & nihil adeò contulerit aut animantibus, aut stirpibus, vt humor, vt ex quo & generatio existat; atque id semper obseruandum est, quod & alia ipso potissimum vnit, & continet.] Mihi vt antea dixi vtilius videtur rem amplecti quam speciem: neque enim dubium est si morbo laterali laborantes vnus vino alat, alter autem aqua; decuplo plures sanandos ex his quibus medicus suus aquam, quam qui vinum propinabit. At Hippocrates non ita comparat vt cibum assumant, sed de his loquitur qui solo potu continenti esse coguntur; nam hi pessimè se habebunt qui solam aquam bibent, vt contra inter eos quibus tota ptisana exhibebitur maximè ab initio vt mollioribus morbis, & ægris qui vinum biberint.

CONTRAD. XII.

Crassa, an tenuia magis excalefaciant?

GAlenus quarto de simplicium medicamentorum facultatibus inquit. [Procedit vsque ad vstionem medicamentorum caliditas, vbi videlicet in crassa fuerit substantia. Quæ verò subtilium sunt partium calida, nonnunquam omninò non mordicant, sed calefaciunt duntaxat. Est autem vbi & mordicent, non tamen vrant.] In vndecimo autem eiusdem dum de castoreo agit hæc habet: [Castoreum quod impensè sit subtilium partium ob id plus valet quam alia quæ similiter vt ipsum calefaciunt & exsiccant; nam quæ tenuium sunt partium medicamenta, iis quæ sunt plus crassarum, plus sunt efficacia, etiamsi parem sortita sint facultatem, nimirum quia penetrent, & in altum subeant admota corpora, potissimum si ea densa fuerint, veluti nerueacea.] Hîc duplex difficultas; prima quia videtur absurdum quod penetret corpora in altum præcipuè si densa sint velut nerueacea; nam mollia potius ac rara, citiusque penetrare deberet. Respondeo quod sensus est castoreum penetrat dura, & ideo est efficacius aliis medicamentis pariter calidis ac siccis in huiusmodi corporibus, nā in aliis corporibus laxis mollibus & raris nō est adeo euidēs operationis discrimē, quia ex æquo ob laxitatem etiam penetrant & agunt. Sed 2. difficultas maior est quia si quæ tenuia sūt, sunt efficaciora; igitur etiam magis vrent. Respondeo quòd efficacius bifariam intelligi debet, aut quod in eandem partem inæquali tempore paruo & præsertim duram & profundam agit, & sic tenuia, ac densa magis agunt; scilicet tenuia crassis, densa raris. Aut; longo tempore, & sic densa & crassa raris, & tenuibus magis agunt. Et propterea etiam vrunt quia quo tempore actio tenuis desinit & rari, crassi & densi augetur & intenditur: Et in partes præsertim minus profundas & molles, ac laxas. Ideo obscuritas est quod etiam posito profundo & duro pro vno, & caloris magnitudine vna atque eadem: & actione interiore atque externa, quæ tamen efficerent tres alias differentias. Dico quod supersunt quatuor differentiæ & fiunt sexdecim coniugationes simplices, quia sunt duæ differentiæ actiuæ tantum velut crassum magis in superficiale quam profundum, & tenue magis in superficiale quam profundum, sed tenue magis in profundum quam crassum, & in minori tempore quam crassum, crassum autem magis in longo tempore quam tenue: cum ergo voluerit quæ pluribus distinguenda erant, admodum paucis distinguere, ideo magnam reliquit confusionem; adeo vt quis non intelligit verè rem ipsam nisi sit exercitatus in opere de subtilitate, saltem in primo libro. Nunc dum scriberem Senator Bononiensis Camillus Bologninus misit ad me semiunciam olei de plūbo, est autem grauius oleum illud substantia chalybis, iussi vt puer vnus è domesticis annorum xiiij. ipsum degustaret vix ex decima parte grani frumenti erat vt cuspis acus penè insensilis & cœpit expuere sanguinem; quem cum vidissem quater aut quinquies expuisse, iussi vt exereret linguam, quam vidi excoriatam in superficie à latere sinistro longitudine duorum digitorū, latitudine valde exigua, rubrā ac si detracta fuisset. Admiratus celeritatem negotij; consideraui quòd id contingebat partim ex artificij natura, fit enim aut ex plumbo & calce, vel melius ac purius ex plumbo in calce redacto. Et ob id erat calidissimum contra naturam plumbi, eademque ratione ob ignem tenuissimum: sed ob naturam plumbi erat densissimum, & celerrimæ actionis ob substantiæ tenuitatem. Et dubium non erat quin esset venenum acre.

CONTRAD. XIII.

Quid propriè medicamentum sit dicendum.

[CVm quod assumitur assimilari omnino potest, nutrimentum est; cum autem nequit vel sic agit in corpus vt non patiatur & est venenum. Vnde venenum nutrimento prorsus è regione opponitur: vel corpus agit in illud, sed postmodum corrumpitur ab eo in quod egit & putrescit, itidemque etiam venenum est: aut agit repaturque corpus, sed non corrumpitur; verum solum incalescit; aut refrigeratur, aut purgatur, atque idem verè medicamentum. Demum cum corpus agit in illud repatiturque, inde tandem vincit atque transmutat

vocaturque medicina quæ nutrit,seu alimentum ac medicina, tertio de temperamentis inquit Galenus. Hic obstant multa. Primum quiam medicina temperatam vt oleum rosaceū, & cataplasma ex chamæmelo dicit Galenus tertio & quinto de simplicibus medicamentis, non operari in corpus temperatum calefaciendo nec refrigerando; igitur non omnis medicina agit. Princeps etiam, secunda primi inquit omne quod assumitur à corpore, vel non mutat, vel mutat: si primum, vel mutatur & est alimentum, vel non mutatur & est medicina temperata: si verò mutat; aut non mutatur; est venenum; aut mutatur, & tunc vel conuertitur in corporis substantiam,& est medicina quæ nutrit,vel non conuertitur, estque medicina pura.Eius quæ nutrit medicinæ, quæ proximior est medicinæ, suum proprium retinet nomen; quæ autem alimento, alimentum medicum. Differunt igitur primum quod Galenus ponit medicinam temperatam quæ agit in corpus,Princeps quæ non agit. Galenus medicinam vocat quæ non lædit corpus: Princeps quæ superatur à calore naturali, vltimò quòd Galenus non diuidit medicinam quæ nutrit vt Princeps facit. Respondeo quòd medicina temperata non agit in corpus temperatum, sed natura agere potest: quia agit in calida & frigida. Princeps autem accipit medicinam temperatam non simpliciter, sed vnicuique & ità nunquam aget vt illius comparatione temperata est. Ad aliud: quæ non lædit medicina, ob id non lædit quia mutatur à corpore. Ad tertium illud fuit voluntarium,ad maiorem, distinctionem. Sed obstat vnum argumentum quod fuit mihi factum Mediolani à Medico iuuene:& cum in responsione nutarem parum abfuit ne prouinciam profitendi quam nondum susceperam recusarem. Fuit autem huiusmodi: si nutrimentum tam in via Galeni, quam Principis est quod patitur à corpore & non agit in corpus, & omne alimentum agit in corpus, quia secundo Cœli omne agens agendo repatitur, igitur nullum est simpliciter alimentum. Dico ergo quòd non omne agens repatitur, secundo de anima;quoniam alimentum assimilatum non est contrarium ei quod nutritur,& antequam assimiletur, non tamen agit in ipsum à quo mutatur. Dico ergo quòd dictum illud secundo Cœli intelligitur de eo quod agit in dissimile qualitate. Et si dicas si qualitates sunt similes non fiet. Respondeo quòd non possunt esse similes, quia qualitas in animato est in actu, & in inanimato in potentia.

CONTRAD. XIV.

An detur medicamentum temperatum?

Princeps admittit medicamentum temperatum prima primi: & licet dicat quod hoc esse temperatum intelligitur tribus modis: vnus vt sit simpliciter temperatum, idest æqualiter ex elementis omnibus mixta: & hoc, dicit, esse non potest: prædominantur enim elementa grauia saltem mole: vel vt sit humano corpori simile: neque hoc, esset enim animatum corpus & humanum: sed in hoc sensu vt non calefaciat, nec refrigeret, vel humectet & hoc sumpsit à Galeno quinto de simplicibus medicamentis, Medicina dicitur temperata quæ nec calefacit, nec exsiccat. Et ponit exemplum de oleo rosaceo, tertio eiusdem vt dixi supra. Ostenditur idem Auctoritate Serapionis enumerantis duodecim medicamenta temperata vbi agit de simplicibus, & sunt Aspatagi, cassia nigra, capillus veneris, cera, citrum, gliciriza, lens, licium, macer, myxa, manna, trifolium. Quidam addunt fabas & cadmiam. Et quod magis mirum est pineas, quæ sunt valdè calidæ. Sed neque de cadmia satis ad propositum videtur. Simus ergo contenti his quatuordecim; circa quod scire operæ pretium est medicamenta illa statui solum temperata, vel in primo, aut secundo vel quouis alio ordine in qualitatibus, actiuis scilicet calido & frigido, non autem humido & sicco. Sed vt ad propositum redeam, sunt etiam rationes quæ id probant: dantur medicinæ intemperatæ, ergo temperatæ; quia ex secundo Cœli, si vnum contrarium est in natura, est etiam reliquum. Et quoniam ab effectu illud deprehenditur, & etiam indiciis odore, atque sapore; quoniam nullam aut exiguam præ se ferunt qualitatem. Item si imperfectum, igitur perfectum: Et si extrema, ergo medium. Item quoniam necessaria videtur vsibus humanis. Contrarium videtur sentire Galenus primo de simplicibus medicamentis. [Proprium medicamenti est mutare corpus, vt alimenti augere.] Et Auerroes quinto collectaneorum. [Melius est tribuere temperamentum cibo, & intemperiem medicamento.] Respondeo omissa opinione Auerrois qui aliter rem accipit: medicamentum à substantia dicitur quod subigi non potest: ideò semper aptum est mutare corpus, vbi dissimile inueneris. Sed potest tamen esse temperatum in illo tertio sensu, cum potest mutare corpus; quia principium illud inest illi ratione substantiæ, non autem qualitatis. Si quis obiiciat medicamentum ad actum deductum erit homo si sit temperatum. Respondeo quòd membrum ipsum imbuit vim medicamenti, nec deducitur medicamentum ad actum, sed membrum: licet qui non profundius prospexerunt aliter sentiant. Et hoc ostendit nostrorum principiorum firmitatem.

CONTRAD. XV.

An conueniat mutare medicamenta dum proficiunt.

Princeps prima primi inquit. [Præcipitur in medela temperaturæ, vt cum vnum auxilium

auxilium non contulerit, ad aliud deueniamus:] Et quarta eiusdem;& non est standum in vno medicamento, sed oportet permutare se ad aliud. Et adducuntur tres rationes, prima in prima auctoritate: quia inter corpora & medicamenta sunt proportiones, ideo non omne medicamentum calidum in primo ordine conuenit morbo frigido in primo ordine. Secunda quoniam permutatur tempus anni, morbus, hora diei; ergò necesse est permutare medicamenta. Tertia quoniam medicamentum consuetudine fit inefficax. Eadem ferme sententia habetur à Paulo in cura podagræ sanguineæ, modò cum similibus, modò cum contrariis pugnandum. Galenus dicit in secundo de compositione medicamentorum secundum locos vbi recitat hunc Aphorismum, dicit. [Sæpè quidem ad aliud quod idem promittit transeo.] Et declarat se post,dicens. [Debemus permutare, si nocuerint.] Oppositum secundo Aphorismorum. [Omnia secundum rationem facienti, & non euenienti secundum rationem non est transeundum ad aliud, stante eo quod à principio visum est.] Hîc videndum est an ad oppositum, an cum non iuuat in genere, an in specie, an etiam quòd iuuet. Ad oppositum licet cum morbus est ignotus, vt secundo in sextum Epidemiorum: Per adiectionem contraria adhibere, & interquiescere. Secundò cum cognito morbo,symptoma vrget vt in podagra ex Paulo; quandoque enim laxantibus, repellentibus, purgantibus, euacuantibus, calefacientibus, refrigerantibus propter morbum, causam, & symptoma quæ diuersa. Si verò non iuuent & sit cognitus morbus debemus transire ad aliud in eodem genere, non diuerso; & hoc sufficit Hippocrati. Si autem iuuent licet transire, vel propter tempus morbi vt in abscessu à repellentibus ad concoquentia; illa sunt frigida & sicca,hæc calida & humida; vel quia insuauia: vel vt à leuioribus incipiamus, vide in commentariis in primam primi.

CONTRAD. XVI.

Quomodo medicamentum trahat humores?

GAlenus tertio de simplicibus medicamentis vult quod medicamentum trahat humorem propter sui similitudinem, vbi de cnico educente pituitam verba habet,meminitque vnius modi demonstrandi suo more quem recitabo;quia difficilis est & huic tractationi accommodatus,est autem huiusmodi. Quoties aliquid inesse posse demonstrari cum necessariis principiis demonstrabitur necessario esse,velut quòd in cnico sit succus pituitosus demonstrari non potest, sed quod inesse possit.Verùm illud demonstrari potest quod omne quod trahitur, à simili trahitur; & cnicum trahit pituitam, igitur cnicum succum habet pituitosum. At dicet quispiam, quid indigeo ô Galene, hoc supposito quod possit inesse, quia sine illo esse demonstrabo: Videmus quod omnia trahunt substantiæ similitudine,igitur attractio fit propter similitudinem: sed cnicum attrahit pituitam, igitur cnicum habet substantiam pituitæ similem. Et quia aliquis dicere posset, trahit leniendo vt cassia nigra bilem: dicit cum possit habere illum succum vt trahat, igitur habet. Et est demonstratio artificiosa non simpliciter probãs,sed vtilis inquit medico, architecto,& similibus. Deuenio ad rem:Serapio in suo libro de medicamentis dicit quod medicamentum trahitur à corpore propter cibi societatem: inde ob abominationem expellitur cum humore abundante, cuius societate, & ipse humor abundans expellitur. Similiter vult quòd firmetur medicamentum in ventriculo. Humaim autem ibidem argumentatur, ventriculus trahit, & continet res iucundas, intestina horribiles; sed & validius expellunt intestina, quam ventriculus, igitur attractio medicamenti fit ad intestina, non ad ventriculum. Secunda ratio natura facit optimum, sed si humor trahitur ad ventriculum deterius est quam si ad intestina, igitur attractio hæc fit ad intestina. Et si dicas quòd intestina non habent vim attrahendi. Respondebit non cum villis, sed tamen habent communem illam quæ inest omnibus membris, secundo Aphorismorum, esset tamen ratio hæc pro Serapione: post purgationem sæpè reuomitur medicamentum,igitur ipsum quiescit in ventriculo. Galenus quoque secundo de victu in Acutis, vult quod quiescat in fundo ventriculi. Quã sententiam confirmat in tertiò de facultatibus naturalibus, licet nominet ventrem,cum tamen de eo agat qui famis tempore attrahit, ventriculum intelligit. Diceret itaque Galenus ad Serapionem quòd nimis serò medicamentum traheret à iuncturis, nec post purgationem reuomeretur. Breuiter dico quòd ventriculus infectus qualitate medicamenti, non medicamentum trahit; quia omnes operationes sunt viuentis & medicamentum non viuit.Vnde quidam etiam solo odore medicamenti purgantur, & etiam reiecto medicamento per vomitum toto post horam vnam', nihilominus purgantur: Trahit ergo ventriculus materiam similem naturæ medicamenti substantiã & qualitate, sicut cum est naturaliter dispositus trahit cibos. Sed vbi medicamentum est potens cum concoqui nequeat, reiicitur. Sed si vis attrahendi est in ventriculo,cur trahitur humor ad illum vt reiiciatur? non ne præstaret vt ad intestina traheretur? quandoquidem, nec læderetur ventriculus, nec cogeretur ex duodeno in ventriculum; & ex ventriculi imo, ad pylorum humor ascenderet. Propterea credo quod inficiantur etiam partes intestinorum proximæ ventriculo vt humores ad illas trahantur absque ingressu in ventriculum:sed statim eiiciantur. Et hoc consentit omnibus experimentis.

CONTRAD. XVII.

Venenum & Medicina quomodo operentur?

MEdicamentum frigidum velut cicuta ob id operatur quia in minima diuiditur, frigiditas tamen augeri à calore nostro nequit: at calida diuiditur ad minima, & etiã à calore nostro maiorem recipit vim, tertio de temperamentis. Auerroës quinto collectaneorum argumentatur contra hanc opinionem, quia dicit ex tali diuisione non potest deduci ad actum; nam cicuta fieret animal. Galenus ad hoc diceret quod ex ea diuisione recipit impressionem maiorem à calore naturali quia minus resistit, & ideò deducitur ad actum. Conciliator adducit rationem validam contra ambos: Si calor naturalis potest euincere cicutam vt permutetur, igitur permutatam magis euincet, ergo non erit venenum. Propterea ponit suam opinionem, quòd sicut calx ab aqua intus contracto calore accenditur, & marmor soli expositum circũdatum multis linteis redditur frigidius, ità cicuta à calore naturali nõ euicta sed per antiperistasim collecta frigiditate magis refrigeret; nam tantò magis refrigerat, quantò magis à calore naturali vexatur. Sed istæ opiniones sunt falsæ, nam si opium & cicuta frigitate interficerent, prius dolores magnos in ventriculo mouerent sicut humor ille vitreus secundo de locis faciebat in intestinis; Qui cum non interficere posset, attamen adeò sæuos excitabat dolores, quantò magis hæc? Gal. 3. de medic. simplic. ponit tres modos quibus medicamentum frigidum attenuatum euadat venenum, cum antea non esset. Primũ quia penetrat ad intima, & refrigerat membra principalia. Secundum quia vbi incaluerit refrigeratur, & magis quam antea frigidũ euadit; & dat exemplum de cibis qui semicocti euadunt frigidiores. Tertium est quòd licet sint actu calida, per illam tamen caliditatem impressam, imprimunt frigiditatem elementarem & natiuam; sicut si quis sedeat super marmor tepidum diù, incurret dolores frigidos. Et dat Gal. vnum exemplum in 1. de simplic. medic. cum dixit quòd natando per vnam diem in aqua tepida, homo necessario refrigerabitur; vndè ex hoc haberetur cura diabetis. Sed quamquam vera sint, hæc tamen præter primum non conducunt proposito nostro. De opio ergo dico quòd est compositum ex duabus substantiis calida & sicca, & alia frigida & sicca; si enim esset adeò frigidum, non esset amarum; omnia enim amara calida sunt, & esset expers odoris; at habet odorem atrum. Operaretur etiam sicut lactuca copiosè comesta, scilicet vt dixi prouocando dolores. Papauer etiam album est frigidum in primo ordine quod edunt homines familiariter, quomodo verisimile est cum sit eiusdem speciei, quod nigrum ob solum colorem sit in quarto ordine? nec inueniantur in secundo & tertio? Et tamen papauer album conciliat & ipsum valde somnum, & portulaca quæ est in secundo ordine, & non solum frigidior, sed etiam humidior hoc non potest. Ergo ista facultas veneni cum opium occidat, somnum prouocando profundum, & somnus ex frigiditate non proueniat; nec sint in opio signa vlla vehementis, nedum extremæ frigiditatis, opium occidet alia ratione, quam frigiditate. Propterea dico quod opium & cicuta interficiunt congelando sanguinem. Et hoc quia elementa in eo sunt valde mixta secundum minimas partes. Vnde sciendum ex hoc quòd modus quo occidunt est quia mixtio illorum est ex minimis partibus, & cum calor naturalis agit in illa resolutâ parte calidâ, pars frigida & sicca propter subtilitatem penetrat ad intima cordis & totius sanguinis & illum congelat vt coagulum lac, & ità facit carum & mortem spiritus extinguendo. Et ideo validissima venena quoad qualitates sunt ex animalibus, inde plantis, post metallicis; Elementorum enim qualitates venenum esse non possunt, licet sint summæ: nam crassa est substantia, & ideò actio illorum est exterior & actui similior quam potentia; & ideò modus agendi latere non potest, ideoque nec possunt esse venena. Et similiter quæ destillatione ob acutiem interimunt sunt manifesta & propiora actui quam potentiæ, ideò non sunt venena. Vt ergo sit venenum, oportet, vt sit causa occidens quæ tametsi nota esset, occulto tamen modo occideret. Et huiusmodi causa est qualitas in tenuissima substantia frigida vel sicca cum modo putredinis. Et in animalibus qualitas est obscurior quia magis refracta, sed substantia tanto tenuior; est enim tenuis ob mixtionem, inde ob animam vegetatricem quæ miscet vlterius, demum ob calorem animalis qui inest illi actu. Quę verò malè mixta sunt aut omnino simplicia, non sunt venena. Opium ergo ob partem calidam & siccam rarefacit sanguinem & ita sanguis excipit frigiditatem & siccitatem longè magis, sicut corpora calefacta auram frigidam vt docebat Gal. 3. de tuenda sanitate; & plus facit substãtiæ subtilitas quam qualitatis magnitudo ad hoc vt sit maximè exitiale. Quæ verò substantiâ occidere videntur vt auripigmentum, & alia metallica, & ipsa occidunt ob substantiæ tenuitatem: nam neque marmor licet durius, neque piper licet calidius id facere possunt. Similiter quæ post tempus occidunt, vel quia sensim attenuantur, vel quia sensim partes sanguinis corrumpunt, vel quia sensim ad loca principalia permeant vt canis rabidi spuma, dictum est autem de his aliàs diffusè.

CONTRAD. XVIII.

An venenum possit vsu transire in cibum?

EX Pincipe sexta quarti, turdi napello vescuntur: & anus vna assuefecit puellam esui veneni. Galenus in tertio de simplicibus medicamentis dicit quod puella illa erat Atheniensis nutrita cicutâ. Auerroës quinto collectaneorum dicit quod sturni napello nutriuntur sicut coturnices ellebo-ro. Hîc sunt duæ contradictiones: Prima

ma quia Princeps dicit turdos, Auerroës sturnos: secunda quia Princeps dicit veneno, Galenus cicuta de puella loquentes. In prima est error interpretis, & in hac editione principis emendatus; nam Galenus tertio de temperamentis dicit sturnos non refrigerari, sed vesci cicuta. Quod ego vidi æstate quadam iuxta ripam aquæ, selegit ex quatuor aut quinque plantis cicutæ parum in singulis immoratus, nescio an germina, an flores, an semen. Apud Auerroëm etiam est error; lege ergo loco napelli cicutam, accepit enim à Galeno. Sed de principe difficultas est an omninò debeamus legere cicutam pro napello: Quia clarum est quod princeps sumpsit illa verba à Rhasi qui trigesimo quinto continentis hæc habet. [Æthiopes cum volūt occidere principes suos, nutriunt puellas veneno, signumque puellæ sic nutritæ est quòd solo contactu moriuntur herbæ, & animalia conspersa illarum saliua pereunt: quam etiam fugiunt muscæ.] Ideò alia est auctoritas principis ab ea qnæ est Galeni. Apparet igitur quòd venenum illud Rhasis erat calidum & siccum, & corrumpens. Auerroës septimo collectaneorum nititur ostendere quod puella illa, seu anus non potuit nutriri cicuta, quia fuisset extra naturam humanam; nam temperatura sua fuisset similis cicutæ quia nutriens ei quod nutritur simile est, igitur cum cicuta sit extra naturam humanam cum sit illi venenum, erit etiam puella illa. Ponzeta libro de venenis dicit potentiam esse rem latam, nec Galenus vult quòd illa anus interficeret homines, ideo vt dixi cicuta non est verè venenum, nec frigidum in quarto ordine; ideò nihil ad rem, quia natura puellæ erat media inter naturam cicutæ & humanam, potest enim etiam inueniri aliquis homo in natura & temperatura cicutæ sicut aliàs declaraui in secundo libro, & alibi quòd natura humana æquatur latitudine temperamenti omni mixto, sed est refracta ad 5. ordinem mixti, plantæ animalis, animalis sanguinei & hominis. Velut homo vescitur suilla carne; sus cochleis & cancris; cochleæ & cancri herbis; herbæ fimo. Sed de veneno dicendum est eodem modo quia assumitur ab initio modicum & alexipharmacis mixtum, est enim in latitudine vt dixi: licet corrumpat quia in extremo & non refractum: ideò maximè contrarium naturæ humanæ.

CONTRAD. XIX.

Vlcerum recentium, an inueteratorum Hippocrates curam ponat.

Galenus quarto methodi medendi recitans verba Hippocratis de cura vlcerum, ex libro de vlceribus hæc habet: [Veluti Hippocrates fecit, cum dixit. Tum ab inueteratis vlceribus, confert, assiduè sanguinem efluere facias, vtrumque id opportunum videbitur, non vtique curationem indicante vetustate, sed sanguinis vitio. Quippe ipse mox subiicit: prohibet nàque maximè quidem eiusmodi vlcera sanescere. Post verò etiam reliqua omnia, putredo sanguinis, & si quid ex sanguinis transmutatione est ortum.] At verò in libro de vlceribus Hippocratis quem habemus longè aliter res se habet hic textus: [Omni recenti vlceri, præter quam in ventre, conducit frequenter sanguinem defluere prout oportunum esse visum fuerit, & ab ipsis partibus vlcus complectentibus, tum aliàs, tum si in tibia vlcus fuerit, aut in digito pedis aut manus, magis quàm si alicubi in alia corporis parte. Sanguine enim defluente, gracilescentia ficciora fiunt ac minora. Prohibet enim hoc maximè talia vlcera humectari: deinde verò omnibus, putredo sanguinis ex sanguinis transmutatione fit.] Constat verò non alibi hoc dixisse in eo opere, aut repetiisse: quare de recenti vlcere intelligit. Reliqua etiam principalia conueniunt vt liquet. Græcè ἕλκεϊ νεοτρώτῳ, παντὶ. In Galeni codice legitur ἀπὸ τῶν πεπαλαιωμένων ἑλκῶν. Ideo videamus in hac tanta difficultate quid suadeat ratio: nam deducere sanguinem ex vlceribus vt siccentur quod iubet Hippocrates, non conuenit in antiquis quæ pure potius abundant quam sanit: sed recentibus: recentia ergo Hippocrates vocat à signo idest rubra, & ex quibus adhuc sanguis effluere potest: Galenus autem antiqua dixit, idest quæ non consolidantur.

CONTRAD. XX.

Empirici an Ambitiosi.

Empiricus minimè erit superbus & ambitiosus; sed mitis nec contentiosus qualem fuisse perhibent inter philosophos pyrrhonem, inquit Galenus, laudatque Empiricos adeò sequentibus verbis, vt Hippocratem quasi vnum ex illis videatur extollere: inquit enim cum de Empirici præsagio egisset. His enim officiis Hippocrates omnium posteriorum iudicio Æsculapij gloriam adeptus est, lib. de subfiguratione emperica iuxta finem; cum tamen antea dixisset in eodẽ libello. Quod arrogantia plerumque vtuntur Empirici: & primo Aphorismorum de Hippocrate loquens, cum tamen constet authorem huius libri minimè fuisse Empiricum, sed Dogmaticum. Dicemus autem de hoc quoad dogmatici nomẽ attinet, num Hippocrates Dogmaticus fuerit. Respondeo igitur quòd Empiricos propositũ est aduersus Methodicos laudare, quoniam libri institutum ad hoc tendit: Optat ergo illos perhumanos esse vt institutum seu sectam quæ multò melior est methodica extollere; nam, methodicæ sectæ Medicos aliàs docuimus, dogmaticam sequenti ratione, cum eadem esset cum methodica. Dogmatici tamen alij erant ab his qui sequebantur dogmaticam sectam, erant enim rationales, & è schola Hippocratis. Hippocrati igitur Empiricos assimilat vt magis collaudet, præponatque Methodicis Thessalo infensis.

CONTRA

CONTRAD. XXI.

Animalia an voluptate, an molestia ferantur in venerem.

GAlenus quarto decimo de vsu partium hæc habet.[Omnibus animalibus natura concipiendi instrumenta tribuit, ipsisque instrumentis eximiam quamdam vim voluptatis effectricem, animæ verò ipsis vsuræ incredibilem quamdam atque ineffabilem vtendi cupiditatem coniunxit, à qua animalia incitata ac stimulata, etiamsi mentis ac rationis expertia,ætateque tenera sint; prouidet tamen non secus, ac si essent prudentissima, vt genus suum sit superstes. Cum enim (vt ego arbitror) non ignoraret substantiam, ex qua animalia est molita, perfectam sapietiam non admittere, pro ea, quod solum recipere ipsa poterant, id eis est largita, escam scilicet atque illecebram ad salutem generis ac conseruationem, incredibilem voluptatem vsui partium coniungens.] Videtur ergo Galenus prncipium venerei vsus in voluptate eximia collocasse: vt stimulo eo impellantur: quasi præcognoscant futuram voluptatem, quem tamen stimulum in memoria reponere non licet, cum etiam in iuuenculis animalibus & inexpertis vigeat. At contra sexto de locis affectis in molestiam potius seminis quam voluptatis appetitum traducit; vnde ibidem: [At planè constat modestos viros non ob voluptatem, sed vt ab impedimento præseruentur,libidini indulgere:perinde ac si nulla esset ei voluptas coniugata: sic etiam reliqua animalia ad coitum exercitari arbitror, non quòd existiment voluptatem boni cuiuspiam speciem præ se ferre, sed vt semen, quod ob retentionem ipsa molestat, excernant:haud secus, quam deiiciendi stecoris, excernendæque vrinæ desiderio suapte natura moueri consueuerunt.] Subiicit etiam statim exemplum de muliere quæ ex retentione seminis in praua symptomata deciderat.Verùmdubitatio ipsa multiplex est:primũ quòd in secundo loco negat animalia ad libinem incitari voluptatis causâ, sed imitari modestos viros qui repellendæ molestiæ causâ id agunt; at in primo loco dicit expresè quod ob voluptatem in venerem irruunt. Secundum quod in secunda autoritate refert causam appetitus venerei in excretionis naturale desiderium cuius in prima ne meminit quidem. Tertium quòd in prima autoritate vult animalia bruta præuidere generis propagationẽ per veneris actum animo,corpore aut sentire voluptatem veneris quorum vtrumque videtur absurdum bruta scilicet animalia prospicere propagationi generis quam vix homines multo consilio & ab aliis edocti faciunt: voluptatis autem sensum esse in causa huius appetitus cum sit etiã in pullis antequam experti sint venerem. At quanto satius fuisset dicere bruta præcognoscere hunc voluptatis sensum, atque ita vtrique satisfecisset: nec prouidentiam belluis tribuisset: nec à iuuenculis animalibus cognitionem voluptatis venereæ sustulisset. Ad primam dico animalia moueri ad venerem naturali motu propter excrementum: & animæ sensu præditæ ex naturali principio præcognoscente, sicut etiam dirigit musculos. Et ob hoc cogimur vt sæpius dixi, ponere in illis ipsam animam & principium extra ipsa animalia. Cum ergo equus mouetur ad equam, mouetur ex vi imaginandi,etiamsi nunquam concubuerit, cuius indicium est quod mouetur ad illam postquam vidit eam, aut odore sensit. At si antea vsus est venere mouetur etiam à memoria; cum hoc etiam tenditur virga ex spiritu transmisso à corde.Sed postquam illam ascenderit, & cum illa coniunctus est, mouetur ad excretionem & stimulnm seminis sicut in scabie quæ scabere nos cogit,non autẽ propter voluptatem:nam voluptas est in excretione, animalia autem partim quod non sunt experta, partim quod non meminerunt non mouentur ob eam ad excretionem, ob id rectè dixit vtrumque. Ad secundam dico quod loquitur postquam cœperint coire, in secunda autoritate de appetitu excernendi semen; in prima de ap petitu coniunctionis ante initium coitus. Ad tertiam respondeo quòd præuident, id est habent actum similem præuidenti: nec deceptus est Galenus in hoc, sed fuit modus loquendi; dixit enim eodem modo de hædo, sexto de locis quòd cognoscit motum suorum membrorum, id est nouit vti: nam non tam rudis fuit Galenus vt quod nec vlli homini quamtumvis peritissimo concessum est, scilicet scire quomodo omnia sua membra operentur, id hædo concessum sit;& ita anima equi quæ est in seipso & in corporeo mundo dirigit corpus equi ad veneris vsum absque eo quod equus sciat quid agat aut acturus sit; non enim hirundo cognoscit se facere nidum, ergo nec equus. Verùm restat dubium quia frustra esset voluptas in coitu quæ nec moueat ante sensus, nec nutricem animam in ipso autem actu non videtur necessaria.Respondeo quod sic,quia dum eiicitur si non adesset delectatio, cessaret excernendi actus ante excretionem; ergo voluptas est in belluis solum ad perficiendam excretionem seminis, in hominibus autem etiam ad appetitum.

CONTRAD. XXII.

Palmulæ an capiti noxiæ

GAlenus secundo de medicamentis secundum locos hæc habet de capitis dolore ex meri potu loquens. [Abstinendum verò à glandibus palmarum, proprietatem enim quamdam habent dolorem capitis inducendi.] Idem repetit secundo de alimentis dicens. [Difficiles sunt cõcoctu, & capiti dolorem inferunt.] Et in libro de facile parabilibus de capitis dolore: [At à palmulis in totum abstinendum, vtpote natura sua inducentibus capitis dolorem.]Non memorabo Arabum auctoritates, planum enim

est iam hoc. Verùm illud admirabile quòd cum ex professo in libro de cibis boni & mali succi de his agat, & enumeret earum detrimenta; quod scilicet sint graues coctione, obstruant iecur, & lienis vias; distinguat in tres species optimas quas paretas vocat, & aduehuntur ex Syria Palestina, & pessimas Ægyptias & medias, non tamen memini huius noxæ, nec vbi de illo agit octauo de simplicibus medicamentis. Vbi aduertendum triplicem illius esse vsum fructus, & est melior pars medullæ interioris quam cerebrum palmæ vocare solent & germinis quod vocant elateri quæ deteriora sunt quod ad sanitatem attinet. Sed & in sexto de compositione medicamentorum secundum locos dat palmulas in his qui corrumpunt cibum, quamuis dixerit concoctu esse contumaces. Quin quod mirabilius est in eodem, secundo de compositione medicamentorum. Secundú locos hæc habet: [Quicunque verò panem citra obsonium edere non possunt, his oliuas, aut palmulas, aut vuas, aut aliquid tale addemus.] Et loquitur in cura doloris capitis. Et in consilio pueri morbo comitiali laborantis: [Et ex arbore palma dactyli, quorum comestionem penitus illi non interdico, sed opportunè & moderatè illis vti permitto: assiduè autem, multum illis vti minimè velim.] Respondeo dat palmulas in dolore capitis ex vitio stomachi: quia magis conferunt ventriculo, quam noceant capiti. Neque ratio valet, dolorem capitis faciunt, ergo comitialibus nocent habentibus dolorem capitis, quia in talibus præsupponitur capitis imbecillitas; nam in aliis non possunt generare dolorem & maximè quæ sunt optimæ, & valdè dulces.

CONTRAD. XXIII.

Febrium circuitus longitudinis accessionis & morbi causæ, ex arte medendi parua.

FEbrium circuitus causam intermittentium (nam eadem & par ratio est exacerbationum continuarum, secundo de differentiis febrium, quæ accessionum in intermittentibus) describere videtur Galenus primo de febrium differentiis cum dixit [Quod putrescere naturâ aptum est, semper ad continua dispertitam habet caliditatem. Quemadmodum aliquando in agro conspexi excrementa iumentorum simul ac columbarum, quædam ex parte à sole adeò vehementer excalefacta, quòd instar fumi multam euaporationem in sublime emittebant, non parum mordacem ac dolorificam: Et si quis proximè accessisset, nares oculosque lædentem. Ipsa etiam excrementa tangentibus adeò calida sentiebantur, vt qui longiori tempore manus & pedes admouisset exurerentur. Non tamen continuò huiuscemodi casus perdurabat in die quæ sequebatur; quicquid superiore die ad summum feruoris peruenerat, refrigerabatur: quod autem huic continuum erat, dum prima pars quæ calorem conceperat, in summo esset feruore, ipsum interim paulatim succensum, mox priori se feruore remittente iterum incalebat atque efferuescebat, paulò pòst priori parte refrigerata, ipsum summum feruorem obtinebat, hocque rursus deferuescebat, dum pars continua paulatim succendebatur, quæ paulò post vehementius accensa, ad summum feruoris perueniebat: prior autem refrigerabatur. Hic autem circuitus in vnius ferè diei ac noctis spatio peragebatur, adeò vt res quotidianæ febris, quam Græci amphimerinam appellant, propriissimum esset exemplum. Quòd si duobus diebus ac noctibus idem circuitus factus fuisset, tunc febris tertianæ eo modo fuisset exemplum: & si tribus, quartanæ: & quatuor quintanæ, si tamen & quintana febris existat: ego enim nondum liquidò vidi, neque huiuscemodi circuitum, neque alium qui vltra quatriduanum protenderetur. Sed de febribus quæ per circuitum accessiones habent, postea dicetur.] Quo autem in loco, certè in secundo cum inquit. [Nihil igitur mirum, vel cerebrum, vel vniuersum aliquando caput aceruatam in eis superfluitaté ad partes imbecilliores expellere veluti aures, oculos, tempora, labra, dentes, vel malas, vel palatum, vel gingiuas, ad gargareona, & paristhmia, aut ad eos qui sunt in huiusmodi partibus, adenas: & cum nihil in istis imbecille constiterit, ad thoracem, pulmonem, fauces, stomachum, ventriculum, fluxio delabitur. Sicuti igitur caput talium hominum morborum sæpius est causa, ità & eas quæ in hepate fiunt ac splene inflammationes, aliquæ partes vicinæ, vel etiam per Iouem ex remotioribus aliqua vna, vel plures generat, auget, immittit, ac per circuitum exacerbat. Neque mirandum est similem eisdem contigere affectum, qualis in excretionibus excrementorum ventris conspicitur. Sicuti igitur quisque quantum quaque die excernitur, intuens, si causam rei eusdem ignoret, ordinem miraretur: sic quemcunque latet superfluitatum in capite generationis atque excretionis causa, qua ratione nonnullæ quidem ex ipsis ad exteriora; nonnullæ verò ad aliquem alium confluant locum, hæret atque miratur hanc confluxus proportionem. Sic & quicumque non nouit, neque quæ partes materiam inutilem ad hepar transmittant, neque causam propter quam transmittant intelligit, miratur in febribus quæ ex hepate accenduntur, ordinis proportionem. At qui nescius non est primam inflammationis originem ex fluxione in hepar incidente prouenisse, ac quòd deinceps exacerbetur, causam in ipsa parte patiente consistere, mirari iam desinit. Duplex autem est huius fluxionis occasio, altera quam nuper diximus, quando materia inutilis ad imbecilliores partes ab aliis detruditur, altera quando eadem attrahitur, de qua iam sermonem faciemus, sumpto hinc etiam ab illis initio, quæ omnibus sunt manifesta.] In hac secunda authoritate vult Galenus causam abscessuum & generationis febrium esse defluxum materierum genitarum in membro

vno

vno ad aliud membrum, generationemque materiæ ipsius in eo membro. Sed quis non videt illum docere quæ nesciat: non docet cur hæc febris quotidie, cur illa alterius, illa triduo reuertatur. Primum si materia illa singulis diebus generaretur ex inedia, febris intermittens desineret; at non desinit, igitur non generatur. Et etiamsi generaretur, non possent signa lethalia ab initio apparere; persæpe non apparent, igitur materia in singulos dies non generantur. In morbo etiam sanabili coctionis signa in dies augentur, quæ minuerentur variarent: imò cum variant indicium sunt malæ rationis victûs per quam materia augetur. Præterea non fieret crisis, sed plures in quouis morbo. Curatio quoque cuiuslibet febris esset non per coctionem materiæ & euacuationem, sed per curam intemperiei illius membri talem materiam generantis. Si quis etiam recta victus ratione vteretur nunquam interiret, quia materia non posset adeò abundare. Nec possent alicuius morbi signa certa haberi de salutæ nisi in statu; multa quoque alia sequerentur inconuenientia. Imo veritas rei quam nunc exponemus docebit hanc opinionem esse aut falsam si secundo modo intelligatur, aut imperfectam si primo modo.

Dico igitur quòd siccitas maximè resistit putredini, inde etiam coctioni; frigiditas autem coctioni, inde etiã putredini. Igitur frigiditas & siccitas resistunt putredini, & coctioni ambæ, & magis quam vna sola per se: sed frigiditas coctioni magis quam putredini: siccitas putredini magis quam coctioni: Cum verò materia putrescit in venis magnis, fit febris continua feruida: cum in paruis, nec expellitur, lenta: cum in eisdem & expellitur, intermittens. Et necesse est vt memineris eorum quæ diximus in septimo, & duodecimo libro, scilicet quòd humores sunt potentiâ solum in venis. Quibus intellectis sanguis cum non habeat causam aliquam qua resistat putredini, ideò continuo & continuè etiam putrescit; ideò Galenus dicit febris sanguinea in tribus aut quatuor horis peruenit ad statum. Si autem fit ex humoribus in potentia, fiunt humores in actu, secundo de differentis febrium; non quòd humores illi ex sanguine generentur, sed ex potentia reducuntur ad actum. Remanet tamen febris continua quia locus non potest perfrigerari, sed exacerbationes custodiunt circuitum humoris contenti in venis qui putrescit. Ponamus ergo exemplum in intermittentibns clarioris intellectus causâ: Et dico quòd si sit febris amphimerina, materia est in venis quæ à iecore ad ventriculum: Et si tertiana, in venis iecoris prope vesicam fellis: Et si quartana, in venis à iecore ad lienem, & iuxta lienem. Cum ergo putrescit hic humor, facultas naturalis venarum satagit vt propulset illum humorem: Et quia sunt coniunctæ cum iecore, iecur afficitur & in bile concutitur, & fit rigor validus, cuius exemplo omnes musculi etiam rigent tum maximè quia portio aliqua materiæ affunditur super illos. Iste motus est in iecore naturalis vt propellat quod sibi noxiũ est & abominandum. Et similiter in amphimerina horret & friget paululum, ideò in tali febre nisi bene curetur, iecur aut ventriculus œdemate corripitur. Et eodem modo in quartana friget & riget iecur; ideò solet quartana ex illa astrictione parere scirros in iecore vel liene: Effunditur autem hæc in proprium vas, scilicet bilis in vesicam fellis, pituita in ventriculum, & melancholia in lienem. Quòd si hæc vasa iam sint plena vel semiplena, quod superabundat in ventriculum reiicere solent; bilis flaua ascendit per duodenum, atra autem ex splene in eundem descendit quâ parte splen ventriculum tangit: Vnde in initio intermittentium fit nausea fermè semper, nisi in amphimerina propter familiaritatem pituitæ cum ventriculo, sed maximè in tertiana ob leuitatem humoris. Quibus stantibus accessio amphimerinæ durat per horas octodecim, quoniam frigiditas impedit coctionem; tertianæ autem duodecim horis quoniam siccitas vt dixi, minus impedit coctionem quam frigiditas: & quartanæ viginti quatuor horis, quoniam frigiditas & siccitas plus resistunt coctioni, quam frigiditas sola. Eadem quoque ratio est totius morbi, nam amphimerina durat sexaginta diebus, tertiana septem, quartana centum viginti; numerantur enim accessiones, non dies: ideò tum dixit princeps prima quarti, quod terminus quartanæ est dies centum viginti. Ex quo sequitur quod breuitas accessionis significat breuitatem morbi, nisi materia fuerit multa; & longitudo accessionis longitudinem morbi, nisi materia fuerit pauca. Ita ergo respondent accessiones sibi inuicem trium febrium per æqualia interualla; tertianæ duodecim horarum, amphimerinæ xviij. quartanæ viginti quatuor. Et itâ morborum longitudo licet non æqualibus interuallis sed parum distantibus, tertianę septem dierum, amphimerinæ sexaginta dierum, quartanæ centum & viginti.

Accessionum autem circuitus quia in illis non concoctio, sed putredo attenditur; ideò minus requiritur de tempore in amphimerina vbi nulla est siccitas sed sola frigiditas; ideo vnius diei spatium idest horæ viginti quatuor, in tertiana horæ triginta sex, quia bilis est sicca, sed in quartana quadraginta quia obstat frigiditas & siccitas. Quomodo autem accendatur humor accipe: flagrante in quartana exempli gratia in die præsenti portionem melancholiæ per febris calorem incalescit proxima pars, quæ cum conclusa sit paulatim extincta etiam febre accenditur, donec termino quadraginta octo horarum parum plus aut minus verè accenditur, & fit secunda accessio: & itâ tertia ex secunda, & quarta ex tertia. Ex quo probatur quòd in qualibet intermittente vera quæ ad interuallum deuenit, vna abrupta accessione tollitur febris; nam extinguitur ille calor prorsus, deestque sic fomes ad sequentes accessiones. Intercipitur vna accessio per amuleta quæ collo suspenduntur, per validos & repentinos timores toto corpore refrigerato: Per vehementer refregerantia; per ea quæ cogunt difflari calorem apposita arteriis & plantæ

plantæ pedum, vt cæpas & fuliginem cum aceto, aut felle tauri, aut vino mombasi, per ea quæ à corde repellunt vt per moschum. Ex quo patet quòd licet tales liberentur à febre, quia tamen retinetur materia, parati sunt vel vt reuertatur: vel vt morbus deterior adueniat: nam si quartana liberat à magnis morbis sexto Epidemiorum; igitur sublatâ quartanâ, & relictâ materiâ, paratus ille erit magnis morbis. Propterea non nego quin bonum sit auertere quartanam tertianam, & amphimerinam. Sed postmodum vitam optimam custodire debemus, concoquere etiam materiam, atque purgare, ac sic vtiles erunt hæ curationes physicæ.

CONTRAD. XXIV.

Alexipharmaca an naturâ media inter venenum & hominem.

GAlenus quinto de simplicibus medicamentis hæc habet: [Facultates quæ deleteria medicamenta permutant, naturam habent mediam inter corpora patientia, atque medicamenta ipsa lædentia: vt videlicet eadem sit proportio corporis, ad facultatem alexiteriam, quæ illius ad deleteriam: Et rursum deleterij ad alexiterium, quæ alexiterij ad corpus. Ea propter propemodum omnia quæ deleterijs aduersantur, si largius sumpta fuerint, grauiter animantis corpus lædunt.] Paulò post subdit rationem: [Omne deleterium venenum à foris impositis medicamentis euacuatur, nempè aut caliditate attractionem molliente, aut totius substantiæ similitudine:] Et rursus. [Cum sint deleteriæ facultates corporibus nostris maximè aduersæ, itaque si à similibus temperie deleteriis euacuentur, erunt & hæc corporum naturis contraria. Sanè sunt quadantenus contraria, non tamen adeò vt interimant: sed ambigant potius in medio situ eorum quæ ex professò corpus animantis lædunt & quæ iuuant.] Porrò opio miscet nono de medicamentis secundum locos euphorbium, pyrethrum, piper. Eadem ratione in octauo miscet piper & castoreum. Et Paulus in quinto libro, & Princeps in quarto dant castoreum, & piper pro cura opij: cum igitur opium sit frigidum septimo de simplicibus medicamentis, imò in extremo vt perimat, & hæc sint calidissima, non poterunt esse media inter naturam veneni & hominis. Præterea si alexipharmacum esset medium inter naturam humanam & deleterij, nullum posset omnino esse alexipharmacum commune; fieri enim potest vt vno constituto termino, idem sit medium inter illud & multa, nam ex demonstratione mathematica, illa etiam necessario essent idem. Præterea Galenus fatetur in eodem loco quod venena curantur contrarij natura. Atque hoc idem docet Hippocrates regula generali: scilicet quod omnis cura fit per contrarium. Dicitur autem opium ab ὁ πιον idest pingue ac quasi solidum, teste eodem Galeno nono de compositione mendicamentorum secundum locos: nec est succus vt putant plerique, sed lachryma secundo de Antidotis; vbi docet curam etiam per contraria, non similia. Propterea respondeo quòd alexipharmaca vt ibi docet duorum sunt generum quæ corrigunt venenum, & hæc semper sunt contraria: alia quæ euacuant, & hæc duplicia, alia trahunt quia calida & tenuium partium, alia substantiæ similitudine. Primum genus non est esse medium inter venenum & naturam hominis, sed secundum tantum, cum ergo dixit alexipharmaca esse naturâ media inter humanum corpus & & venenum, nam alibi pluries repetit vt sexto in sextum de morbis vulgaribus, vbi simpliciter dicit alexipharmaca interficere; intelligitur de alexipharmacis vltimo modo venena curantibus, quamquam & de contrariis hoc etiam esset verum. Sed de horum differentia diximus in secundo de venenis.

CONTRAD. XXV.

Vrina crassa facta tenuis, an bona.

[QVibus vrinæ crassæ, grumosæ, paucæ non sine febre, multitudo veniens ex his tenuis iuuat. Præcipuè verò tales veniunt quibus ab initio vel breui sedimentum est.] Quarta Aphorismorum. At in decretorio dicit. [In principio, vrinæ si non similes fuerint, sed ex tenuibus crassæ fiant, & penitus tenues, malè iudicant hæ & inconstantes sunt huiusmodi.] Citant hanc pro contradictione strenui Viri Brasauolus & Fuschius, sed Brasauolo ignoscendum qui videtur attigisse per transennā quasi & primus: at Fuschius qui ab illo acceptam tanquam suam, etiam Græcis appositis verbis, dum quædam omittit, sensum mutat magna reprehensione dignus est. Neque enim est contradictio cum sit sensus auctoritatis in decreterio vrinę quæ commutant, seu ex tenuibus in crassas, seu in prorsus tenues malæ sunt &c. vide in commentariis Aphorismorum.

CONTRAD. XXVI.

Elementa quæ sint & quot?

PRinceps prima primi docet elementa esse quatuor, ignem, aërem, terram, & aquam. Et Philosophus quarto Cœli, & secundo de generatione, & Hippocrates in libro de natura humana enumerat singula. In oppositum sunt plura, primum quod Galenus, in secundo de temperamentis inquit. [Optima secta dixit elementa esse calidum & frigidum. Hippocrates quoque in libro de carnibus connumerat terram, aquam, & aërem, æther quod dicit esse immortale, & cuncta cognoscens. Palam est igitur omittere ignē, & Cœlum intelligere, & itā nos documus esse tria tantum. Et Philosophus primo Cœli ostendit

ostendit hoc ex ratione locorum, quia datur leue, graue, & medium. Et primo physicorum adducit aliam rationem, vt sint duo contraria, & vnum quod patiatur ab ambobus. Mihi autem videtur quod sit vnum tantum; nã quæcumque transmutantur inuicem citra generationem, specie non distinguuntur; at ex aqua fit aër per solum ignem, & ex aëre aqua propter immensum frigus, hæc autem nihil generant secundo de generatione & corruptione, igitur elementa inter se specie non differunt. Respondeo ergo quòd sunt vnum tantum ex hoc fundamento; & non multum abhorret ab opinione Philosophi hoc loco dicto: Sicut neque quod tria vt Plato dicit, Philosophus in libro diuisionum credidit. Fuit autem liber is Aristotelis sub nomine Platonis concinnatus de his quæ ab illo audierat. Vt igitur verè sunt, sunt vnum & magis quam corpora cœlestia, quæ tamen vnum sunt, quamuis sui intellectus specie differant: vt verò in mundo ratione loci, tria; vt in comparatione ad mixtionem vt diximus in libris de subtilitate, quatuor; terra enim exusta est, ignis & aqua attenuata, aër: quia ergo ex aqua dum calescit fit aër, existimarunt, aërem esse calidum & humidum; humidum propter aquam, calidum ob calorem generantem illum: sic cum viderent ignem hunc calidum & siccum, & rem potentissimam ex duabus quæ affirmant, fecerunt syllogismum quod est: elementum est potentissimum, ignis est potentissimus, igitur ignis est elementum. Ad id Galeni respondeo quòd Hippocrates dum loquitur ex communi vsu, appellat ignem auctorem nostri & elementum; vt ex propria disciplina, calidum immortale & sapiens.

CONTRAD. XXVII.

Elementum an substantia.

ELementum dicitur ad aliquid octauo de decretis; quoniam inquit, elementum dicitur alicuius elementum: sed quinto primæ philosophiæ dicit quod sunt substantiæ elementa, soluitur paulò post, quædam sunt per se relatiua vt duplum & dimidium, agens & patiens: quædam autem per se sunt substantiæ; accidit autem illis comparari ad aliud ex quo genere est elementum, comparatur enim ad mixtum. Et hoc modo etiam Medicus est ad aliquid, est enim alicuius medicus. Et est discordia in verbis potius quam re.

CONTRAD. XXVIII.

De motu Elementorum.

AVerroës octauo Physicorum. [Impossibile est mouens & motum esse idem secundum formam.] Et infra etiam. [Omne quod mouetur, habet alium motorem à se.] Et quarto physicorum elementa cum sint corpora simplicia, constant ex materia prima & forma simplici; igitur si mouentur, materia erit quæ mouetur, & forma quæ mouet: quare vt declaratum est octauo physicorum, non poterunt ex se moueri, aliter mouerentur in instanti, quia absque resistentia mouentur. Et rursus octauo physicorum dum loquitur de elementorum motu ad propria loca: inquit. [Elementa non dicuntur ex se moueri, quia nou mouentur nisi moueantur ab aliis.] Aristoteles autem in textu dicit quòd mouentur à generante, vel remouente prohibens. Auerroes autem antea dixerat dum generans dat formam, dat accidentia quæ formam consequuntur è quibus vnum est moueri in loco. Sententia verò opposita habetur in eodem libro ab Auerroë. [Elementa mouentur ex se ad loca propria, & ab aliis ad opposita.] Quam sequitur Hasen prima primi in capite de elementis. Et clariùs quarto Cœli. [Forma quæ mouet eadem est ei quæ mouetur.] Idem tertio Cœli. [Forma vt ex se mouet materiam & eam mouendo seipsam mouet vt est in materia.] Et ità respondet primæ dubitationi, quomodo idem mouet & moueatur. Deinde dicit quod mouet materiam, hoc modo quòd mouet aerem, & ità mouet aliud: ipso discedente ne detur vacuum descendit vt pote lapis, & ita non mouet se ipsum, sed aliud; & est secunda difficultas. Tertio quòd cum generatur moueretur ad suum solum, sed quia impeditur remanet cum illo nixu vbi euenerit occasio diuiso aere si sit gratia exempli lapis ad suum locum descendit & ita mouetur à generante, atque ita dissoluit tertiam difficultatem. Nam vt dixi prima difficultas est quomodo idem se ipsum moueat, & idem sit quod mouet & mouetur: Secunda quomodo moueatur à remouente prohibens: Tertia quomodo à generante quod corruptum est, sed verè quantumuis se torqueat nodum difficultatis reliquit intactum, scilicet quomodo remoueat prohibens seu aerem qui non mouetur nisi ab aliquo: & illud non potest mouere aerem nisi prius seipsum moueat. Et ità non euadit difficultatem.

Simplicius octauo physicorum respondet tertiæ quæstioni quæ facilior est aliis, scilicet quod generans dum formam generat quæ est causa motûs, est etiam causa motus ipsius elementi quod etiam verum est in animalibus. Themistius autem videtur propinquius accedere pro prima & secunda dubitatione cum dixit; motus duplex est cum agitatione, & est cum ex loco in locum mouetur: Et sine agitatione vt cum tu tenes pilam plumbeam in manu sentis illam premere manum tuam, licet, non moueatur loco: tunc facit motum sine mutatione loci, & hunc motum à generante habet. Ità quod videtur mens Aristotelis vt sint quatuor, & tres ordines: sed quod formam præbendo præbet motum sine agitatione, ex hoc motu sine agitatione cedit aer, aere cedente ne vacuum detur descendit graue. Hæc sunt speciosa, sed dubia: Nam aer vel mouetur prius tempore, vel natura, vel neutro modo: si neutro modo, non mouetur lapis à remo-

tente prohibens: Sin prius tempore, igitur dabitur interim vacuum: Sin solum naturâ, ita vt simul moueantur & motus sine agitatione sit causa motus aeris cum agitatione, & motus aeris cum agitatione causa motus lapidis cum agitatione: istud defendi potest. Sed si ponamus animam mundi cum Platone, cuius declinandæ causâ Aristoteles commentus est hoc negocium; dicemus lapidem moueri à natura propria quæ est in eo impressa ab anima mundi:& ille mouebit aerem; nam motus ille sine agitatione est commentitius, cum non differat ex principio à motu cum agitatione: sed idem sunt nisi quia in vno adest quod resistit, in alio non. Etenim pila plumbea in manu detenta perpetuò mouet etiam motu agitationis comprimendo cutim & carnem palmæ manus. Quòd si quis velit tueri Aristotelem, dicat moueri in loco propter appetitum qui ei inest à generante: Et natura mouet in seipsa à calore solis vt in generatione plantarum:& ab appetitu in motu locali,quia lapis in aere est in perpetuo appetitu ad locum proprium, & cum natura facit motum: sed non indiget motu illo aeris spontaneo, imo aer mouetur quia natura in materia lapidis medio appetitus mouet lapidem. Et si dicas non mouet seipsum aliquid:respondeo quod natura mouet & non seipsam, sed lapidem: nam mouet etiam ad generationem,est enim in omnibus mouens & est natura: & motum & sicut Sol mouet naturam ad generationem,ita appetitus siue ab anima mundi secundum Platonem, siue à generante secundum Aristotelem mouet loco. Animalia autem mouentur ab anima eodem modo dum appetit, & anima non mouet seipsam sed corpus. Sed in his quia est forma corporea præter formam incorpoream hæc distinctio est manifestior;sed redit ad idem,fiunt enim motus in loco à naturâ ab appetitu incitata, quæ natura in animatis est ipsa anima.

CONTRAD. XXIX.

Elementum an in elementum contrarium transire statim possit.

PHilosophus secundo de generatione & corruptione dicit. [Elemētum in elementum contrarium transire potest, etsi difficilius quam in aliud quoniam vtramque qualitatem commutare simul cogitur.] Oppositum Galenus tertio de temperamentis. [Ex aqua, inquit, non potest fieri ignis, nisi prius fiat aer.] Hîc tria sunt consideranda:primum quòd quæstio videretur inanis quia vt superius dixi, ignis non est elementum, nec plura sunt elementa. Sed ad hoc respondeo quòd quæstio est generalis de omnibus contrariis, seu sint elementa, seu mixta, secundum de veritate quæsiti, & videmus quòd pauca aqua in ignem magnum proiecta illum statim accendit & ipsa consumitur. Et maxime in oleum ardens ex magna flamma. Tertium est vt conciliemus illos. Et dico quòd loquendo de vera generatione mediæ formæ sunt vt aliàs dixi imperfectè, aliter oporteret statuere formas infinitas; sunt enim elementa in potentia in mixto, & sub forma mixti in actu vt in duodecimo libro: dum verò mixtum generatur, nullam habent formam quæ sit substantia, quoniam sunt in motu seu mutatione; quod verò mutatur aut mouetur sub nullo est termino. At dices,igitur aliqua substantia composita erit forma? Respondeo quòd substantia composita imperfecta potest esse sine forma perfecta. Sunt tamen gradus & ordines sub quibus sunt formæ hæ quæ sunt cum mutatione coniunctæ secundum Aristotelem, vt fœtus cum viuit vitâ plantæ:nos tamen formam illius non in fœtu ponimus,& animam quæ intelligit in qua omnes sunt facultates; ordines autem in vita, substantia verò humana est & imperfecta. Et si dicas, ergo substantia suscipit magis & minus: dico quòd non, quia homo & scarabeus sunt substantiæ & æqualiter substantiæ & animalia: sed non sunt tamen æquales in perfectione. Et ideò in transmutatione illa Aristoteles negat esse necessarium medium in actu puta aerem simplicem, quoniam est in motu: Galenus autem vult esse medium sicut in omni mutatione, sed non est elementum simplex, verùm compositum.

CONTRAD. XXX.

An in omni quod gignitur vincat calor & humidum.

AVerroës secundo collectaneorum vult quod in omni eo quod gignitur vincat calor & humidum ex quarto Metheororum, Et potest demonstrari principiis nostris; nam frigidum nihil agit cum sit priuatio sola caloris, & siccitas nihil patitur cum sit sola humidi priuatio;igitur in omni eo quod gignitur calor & humidum necesse est vt vincant oppositas qualitates. In oppositum. [Multa genita sunt frigida & sicca.] Primo de temperamentis. Respondeo calor cœlestis est ille qui generat: vnde secundo de generatione & corruptione: [Incuruus autem obliqui orbis habitus profectionis & reuersionis auctor est;ita enim accidit solem modò remotum, modò propinquum existere cuius aduentu & propinquitate rerum ortum excitat,digressu & longinquitate interitum.] Et secundo de generatione animalium;calor in animalibus non igneus, sed proportione respondens elemento stellarum.Deceptus est ergo Auerroes in pluribus:primum quod calor qui miscet non est elementi: tum quia nullum elementum sit calidum, tum quia omnia genita essent calida, tum quia idem ageret in seipsum, aut pars secundum materiam in totum. Secundò quia non est idem quod gignitur his à quibus gignitur, frigida enim & sicca generantur à calido & humido,sed non manent principia. Tertium quia agens est anima exterior quoad formam, & quoad materiam Sol;instrumentum

Solis

solis calor, animæ autem semen, aut quid illi proportione respondet. Sed in hoc tertio potest defendi Aristotelis patrocinio. Qui verò dicunt quòd possunt esse frigida & sicca in comparatione ad hominem, simpliciter autem calida & humida, aberrant sensu; neque enim lapides sunt calidi & humidi simpliciter, nec in comparatione ad hominem. Et rursus Galenus secundo de temperamentis, cum dixit omne viuens seu animal calidum esse & humidum comparatione mortui, secundum rationem errauit: cum nihil prohibeat etiam viuentia aliqua frigida esse & sicca, vt lignum & ossa præsertim leporum: sed dum generantur, talia esse non possunt.

CONTRAD. XXXI.

Elementi qualitates an extremæ sint.

Videbitur & hæc forsan superflua dubitatio apud nos; quoniã elementis qualitatem solam humidam atque eam in actu nec in extremo ponimus, cum alia sit aquæ, alia aeris: sed illud quærendum est vt Aristotelis sectatoribus satisfaciamus, tum verò vt videamus illud idem in mixtis. Galenus primo de elementis non vulgarem adducit rationem; si elementa possunt esse sine vtraque extrema qualitate, poterunt esse plura quàm quæ dicuntur, imo innumerabilia. Aristoteles secundo de generatione, & corruptione dicit quod ignis est plus calidus quam siccus, & aër humidior quam calidus, aqua frigidior quam humida, terra siccior quam frigida. Auerroes quarto Metheororum dicit quòd si elementa haberent vtramque qualitatem extremam, non posset fieri generatio. Istud tamen argumentum multis modis peccat, primum quia vt dixi, generatio non fit ab elementis, sed ex elementis à calore solis, & stellarum à semine; deindè cum fit generatio amittunt actum: & etiam concluderet quòd vnam tantum haberent extremam qualitatem. Dico ergo quòd Galenus 1. de elementis cap. 6. & 9. non vult ibidem hoc esse necessarium cum dicat. [Summa caliditas materiæ adueniens constituit elementum.] Sed contra nono de simplicibus medicamentis vbi agit de terræ differentiis inquit. [Terra simplex est frigida & sicca in extremo, quod enim corpus est extremè frigidum & siccum terram nuncuparit.] Respondeo quod intelligendum est simul idest quod est frigidum & siccum, plusquam sit vllum aliud corpus; nam etsi aqua sit frigidior, non tamen est siccior: liquet autem quod etsi ponamus mixtum frigidius & siccius terrâ, quod cum neutram habeat in extremo qualitatem & terra sit sicca, quod addendo terram fiet siccius, igitur fiet frigidius & siccius quam prius; igitur illud mixtũ non fuit frigidum & siccum in extremo: volunt ergo quod habeãt elemẽta vnam qualitatem in extremo, & aliam non in extremo gradu simpliciter, sed qui possit cũ alia qualitate iũgi: vt in terra, siccitas sit in extremo simpliciter; frigiditas autem minor frigiditate aquæ, in extremo tamẽ & maxima inter frigiditates omnium corporum quæ sicca sint; nec tamen dicere conuenit quod loco siccitatis quæ ad summum in igne deficit sit aliquid humidi; nam tunc in simplici igne esset portio aëris, quia caliditas summa cum humido aërem componit. Sed vt dicebat Auerroes quarto cœli, licet aër & aqua non sint grauia nec leuia simpliciter, sunt tamen naturæ simplices; ità vt nec in aëre aliquid sit grauitatis, nec in aqua leuitatis: non enim sunt remissa per admixtionem contrarij, sed ob simplicem naturam suam quæ plus non exposcit de qualitate. Quòd si quis obiiciat illud vulgatum ex tertio Cœli Auerrois. [Ignis non est ignis in actu nisi per summam caliditatem ac siccitatem quæ in illo est.] Respondeo quòd est intelligendum summum simpliciter in vna, in alia quod potest eius naturæ conuenire. Et hoc argumentum obiecit mihi socius discipulus meus valde ingeniosus. Sed hæc iuxta placita Peripateticorum. Dices verò, si elementa non sunt cum qualitatibus extremis, vbinam ergo erunt hæ qualitates. Respondeo quòd summa grauitas & leuitas etiam apud me sunt in elementis puris: terra est maximè grauis, aer maximè leuis; & hæc ex natura: nam sicut est frigiditas in glacie maior quam aqua, & calor in igne nostro quam in sole, ità potest esse maior raritas in igne quã aere propter motũ, & ideò etiam leuitas: & maior densitas in auro & plumbo quam in simplici terra, & ideò maior grauitas. Qualitates autem primæ in potentia sunt in mixtis, quia respondent lumini stellarum; cum nec terra, nec aqua, nec aer habeant vllam vim seu potestatem, aliter non essent conuenientes materiæ mixtorum; oportet enim recipiens esse nudum & expers naturæ eorum quæ recipit. Sed calor cœlestis exurens terram efficit partem igneã; id verò in quod non agit remanet frigidum & siccum & vocatur terra. Et similiter idem calor cœlestis agens in aquam concoquit illam, & efficit eam calidam & humidam, & pars permutata vocatur aer: quæ verò non permutatur, vocatur aqua quia est frigida & humida potestate, idest quod assumpta in corpus humanum dum calor noster in illa agit, vel præparata inuenit, vel non: si præparata, excitat calorem & agit & patitur velut in piper & zinziber: si non, solum patitur vt à terra lapis, indicio est quoniam nihil in calcem agit quãuis calida sit, quia calor ille non est cœlestis, & ità agit in humidum non siccum. Cum ergo sint quatuor qualitates potestate calor est potentia & res quædam; frigus autem potestate & sola priuatio caloris: & humidum est potestate, & res: siccum potestate, sed priuatio solum. Ex liquido autem quod est humidum in actu dum calor cœlestis in illud fit humidum potestate quod est qualitas. Et ità se habent qualitates potestate, duæ enim scilicet calor & humidum fiunt à calore cœlesti; sed humidum

dum fit ex humido in actu, calidum verò ex impressione cœlestis caloris: quæ autem frigida & ficca potestate fiunt ex materia vel in quam non egit calor cœlestis, & sunt priuationes: vel sunt species caloris cœlestis adiuuantes repugnantiam materiæ quam patit priuata calore cælesti, & humido elementari. Materia enim dum repugnat simile quid actioni efficit, velut etiam graue quod fertur dum insistit agere videtur, cum sit potius passio nostra & impedimentum. At qualitates in actu calor est in sole & motu, & frigus est in quiete; & ideò est in priuatione, omne animal ideò est calidum quia motum habet, & habet calorem cœlestem; nulla planta calida esse potest, quia nulla motum habet; calor autem qui non est in origine, sed in re vt in calce, sulphure, bitumine, vbi aquas calidas fumum & ignem exhalare videmus, est ex motu etiam. Ideo non est proprius alicui substantiæ, humidum verò actu nihil aliud est à liquido; ideò oleum, vinum, lac, sunt humida actu idest liquida; quod verò liquidum non est actu, siccum appellatur.

Quæ ergo potestate refrigerant & humectant vt portulaca & lactuca abundant aquea parte in quam agit calor exiguus & proportione respondens frigido actu ipsius aquæ vt quasi conseruet illum: & vt dixi, deducit frigidum illud actu non frigidum potestate. Et propterea non datur medicamentum frigidum & humidum in extremo, quia non potest habere frigiditatem potestate maiorem eâ quæ actu in aqua inuenitur. Nam opium non est frigidum saltem valde, sed solum coagulat sanguinem vt in præcedenti libro visum est. Si autem quis dicat opinionem hanc esse difficiliorem quam Peripateticorum, queratur de Deo quòd noluerit tam facile eam subiicere menti nostræ, an decet comminisci nugas in motibus cœlestibus. Ita Deus ordinauit quia optimum erat, & vt omnibus satisfieret. Vnde etiam vno immutato principio in infinitos errores incidimus: Sed videntur difficiliora hæc quia insueta, consuetudo facillima omnia reddit. Si quæ scripsimus in libris de subtilitate dum de elementis & mixtis agimus, diligenter perpendas, & hæc paucula sæpiùs legas, nec sinas te à falsis opinionibus dimoueri, sed solum res ipsas spectes; non solum intelliges aliter dispositas esse non posse, sed faciliorem esse hanc rationem longè quam Peripateticorum. Calidissimum igitur in actu est ignis atque siccissimum, glacies frigidissima: siccissimum naturale terra, humidissimum aqua: calidissimum & humidissimum homo ex naturalibus, calidissimum & siccissimum actu naturale leonem credo: potestate autem calidissimum & siccissimum venenum reguli, & euphorbium: frigidissimum & humidissimum portulaca. Et hæc exempli loco, nihil enim prohibet alia esse potentiora. Quòd ad priuationem autem attinet elementa in extremo qualitates habent, quoniam eo sunt elementa.

CONTRAD. XXXII.

An aqua sit causa vt terra cohæreat?

PHilosophus secundo de generatione & corruptione dicit quòd aqua fuit necessaria in mixtis vt terra cohæreret: quam sententiam secutus est Princeps prima primi Doctrina secunda capite vnico, dum enumerat aquæ commoda in mixtis. Galenus nescio quo dæmone nunciante primo de Natura Humana, com. 38. dicit quòd si terra simplex inueniretur esset durior adamante. Respondeo quòd Galeni sententia fundamentum ex hoc accipit quod omne elementum habet propriam compaginem: quare cum in aqua sit tanto firmior quam in aere, quanto erit firmior in terra. Sed terra quæ admixtionem venit cum sit necessarium eam esse diuisam ad minima, & aerem inter illa intercipi; ideo indiguit aqua, itaque terra huiusmodi non est simplex.

CONTRAD. XXXIII.

Febris hepiala, an morbus lenis dicendus.

HEpialam sunt qui scribant falsò hepialam cum dicatur ab ἠπίως ἀλεαίνειν, quod est lentè calere, etiam Hippocrates libro de superfœtatione hepialon vocans. Et Galenus secundo de differentis febrium capite sexto declarat, quonam pacto illa sit ex genere earum quæ quotidie affligunt longissima, etenim fit à vitreo humore qui vix putrescere potest quòdque sint illius duo genera, vnum in quod frigus sentitur cum calore mixtum, aliud in quo dum mouetur solum. Meminit & harum generaliter tertio de simplicibus medicamentis capite decimo sexto dum vult docere frigus & calorem simul sentiri posse. Meminit Aetius libro quinto capite octuagesimo septimo etiam eius dicens vitreum humorem & acidam pituitam cum non putrescunt solum rigorem sine febre inducere; cum mediocriter putruerint, hepialam generare: cum perfectè, febrem in qua frigus præcedit, inde subsequitur calor. Galenus libro de inæquali intemperie capite octauo hæc habet. [Hepialæ febres dicuntur in quibus ab interna parte secundum minutissimas partes sentitur calor simul & frigus per totum corpus vt non sit inuenire particulam in qua non vtrumqne simul sentiatur. Cum verò interius calor sentitur, & exterius frigus, lipyriæ appellantur, aut ardentium febrium genus quoddam perniciosum.]

At

At Arabum sententia prima quarti est vt hepiala sit dum calor in exterioribus est manifestus, interius autem frigus latet in profundo. Verum post nullo nomine loquitur de epiala Græcorum, non est vt enarrem errorem Rhasis qui existimauit esse lipyriam. Dico non est error, quoniam Princeps duo capita facit loco vnius, licet illud primum genus aliter accipiat, vt sit quæstio de nomine.

CONTRAD. XXXIV.

Qualitates contrariæ an in eodem subiecto?

[Contraria in vno eodemque esse non possunt: nec ab eodem sensu sentiri simul vt dulcor & amaror.] dicit Philosophus in libro de sensu & sensili, & in quinto primæ Philosophiæ; cum verò contradictionem de eodem asserere impossibile sit, manifestum est, nec contraria simul eidem inesse posse. In oppositum Galenus 3. de simplicibus medicamentis capite decimo sexto dum ex professo tractaret hanc quæstionem egit hominem subtilem, & quatuor exemplis duas construit rationes, vnamque dissoluit quæstionem. Exempla autem sunt, si quis ponat pedes in calidam, manus in frigidam, totum corpus simul calore ac frigore afficietur. Quod idem dicit in lipyriis & epialis febribus licet alio modo contingit. Secundum in lapidibus proiectis in aquam in quibus fiunt circuli duorum generum, & non videtur vnus impedire alterum, & dicit fiunt in eisdem partibus aquæ. Tertium mel cum absynthio mixtum bene afficit linguæ partes omnes dulcore & amaritate, & penetrat amaror ille per totam linguam, & nulla est pars quæ sit expers ambarum qualitatum. Quartum est solani & anthemidis exemplum, calefacit enim & refrigerat emollit & astringit singulas partes; igitur contrariæ qualitates peruagantur totam substantiam; Et hæc est prima ratio. Secunda est deducta ex hoc quarto exemplo, & est: Quòd emplastro apposito vel vnum eorum agit, vel ambo, vel nullum ex his quæ ingrediuntur: si nullum, non mutaretur cutis prorsus; sed experimentum docet quod mutatur, igitur non possumus dicere quòd nullum ex his agat. Si vnum. vtpote anthemis, solùm tantum calefaceret quantum si ex anthemide sola cōstaret, at hoc repugnat experimento, igitur relinquitur quòd ambo agant in quamcunque minimam partem. At quæstio quam dissoluit est vt prima affectio & materiaria sit in vnam partem tantum, alia in aliam: sed similitudo vtriusque diffundatur in omnem partem, & ita videtur dissoluere quæstionem primam Aristotelis, quod contraria sint in eodem subiecto. At secunda manere videtur quia Aristoteles negat aperte posse simul sentiri dulcorem & amarorem; Galenus vt dixi in libro de inæquali intemperie videtur velle quòd sint distinctæ etiam per species. Sed vterque cum non tractet ibi rem ex professo dicet Philosophus sensus est indiuiduus, igitur non potest simul percipere contraria sed bene percipiet dulcorem, post amaritatem, aut mixtum saporem. Dicet Galenus verum est hoc, igitur cum mixtio sit quæ facit sensum indiuiduum, ille sapor erit vnus; sed non potest esse vnus nisi sit mixtus perfectè; & non potest esse mixtus perfectè nisi ambo sapores sint in eadem parte: igitur in eadem parte est dulcor & amaror. Solutio habetur ex Philosopho in libro de sensu & sensili: quod sapores potentiâ cum miscentur sunt in lingua, & à sensu percipiuntur in actu: & tunc non est nisi vnus sapor mixtus. Et quæcumque propagantur ac diffunduntur, quoniam sunt in motu, potentiâ quidem dicuntur esse. Galenus ergo effectum considerat, Aristoteles autem actum.

CONTRAD. XXXV.

Cor an spirandi difficultatem facere possit.

Galenus quinto de locis capite secundo in fine dicit: [Cæterū nulla à corde difficultas spirandi oritur, nisi hæ quas diximus dum de dyspnæa loqueremur.] Et addit quam intelligat, quia corde calefacto fiunt spiritus crebri, celeres, magni, & calidi velut refrigerato exiguus & ratus. Hoc consentit cum his quæ dicebat secundo de decretis Hippocratis capite quarto in fine, cum docuit exempto etiam corde animal currere, respirare, & vocem emittere. In oppositum est sententia Galeni quarto de præsagio ex pulsibus capite tertio, dum dixit. [De genere dyspnææ hoc loco nihil necesse habeo dicere, vt in pulmone oportebat distinguere: nam modo cor primum offenditur, modo pulmo.] Respondeo verba illa referuntur ad antecedentia in quibus discrimen posuerat dyspnææ ex sola intemperie vel humoribus in pulmone. Dicitur igitur thorace affecto, nō semper pulmo afficitur vt fiat dyspnæa, sed cor quandoque. Sed dices quid cum afficitur pulmo? Respondebit Gal. tunc afficietur sola intemperie, & itá non est necessarium distinguere.

CONTRAD. XXXVI.

Galeni pater quis.

In libro cui titulus est προτρεπτικὸς λόγος πρὸς τὰς τέχνας: inscribitur Γαλενοῦ τοῦ Μενοδότου. Idest Galeni Menodoti, supple filij. Suidas dicit fuisse filium Niconis. Vt enim, apud Arrianum in historia Alexandri, & Tucidytem, & Xenophuntem in Cyri minoris ascensu, Græci adiiciebant nomen patris pro familia. Sed maior fides est

habenda Suidæ, maxime quod libellus ille inscribatur Γαληνοῦ παραφραστοῦ, idest Galeni paraphrastæ, qui mos est alienus à Galeno Medico huius libri authore. Pater igitur Nicon vocatus est, & teste Suida Arithmeticus, & Architectus. Tum & Pædagogus, & Doctor Græcarum literarum, secundo de differentiis pulsuum, cap. 5. Atque etiam suæ linguæ dicit peritissimus. Fuit & Architectus vt dixi, & Astrologus etiam Arithmeticus, Geometra libro de curandis animi morbis. In libro autem de cibis boni & mali succi, addit Dialecticus, & quod fuit in omnibus his summus. Auum autem, & proauum Dialecticos, & Arithmeticos, & Geometras, vt illas disciplinas hereditario iure sit consecutus. Testatur libro de libris propriis. Et quod pater fuerit humanissimus, & diues docuit libro de præsagio ad posthumum. Magnæ tamen socordiæ Galenum cap. 4. in vltimus verbis liceat accusare qui illius nomen vbique suppresserit.

CONTRAD. XXXVII.

An tria tantum expositori permittenda.

GAlenus in primo super primum Epidemiorum in proœmio: dum decebat omnia commemorare quæ expositori in initio libri sunt necessaria, meminit nominis libri & authoris tantum, & ordinis, ac proportionis, sed satis obscurè. In secundo autem super tertium in proœmio authoris nomen ponit, & docet quantum intersit codicem habere quam emendatum, & causam quare ipse Galenus scripserit. Duas priores conditiones repetit in proœmio primi libri, sexti Epidemiorum. In primo autem libro de medici vulnerarij munere in proœmio eadem repetit quæ in primo Epidemiorum, omisso ordine cuius loco subiectam doctrinam ponit: Vt ad summum sint quatuor. Haliabbas tertio Theoricæ. capite tertio ponit illa octo vno excepto quæ Auerroes. Nomen Autoris libri, intentionem, vtilitatem, diuisionem, ordinem, & viam doctrinæ; omittit proportionem, loco eius excellentiam doctrinæ ponens, quod more Arabum vno libro se totam disciplinam complecti posse existimet. Vnde fit vt pars ad quam proportio spectat, totius ad quod excellentia, locum teneat. Pro solutione duo sunt vbique necessaria vt codex sit emaculatus, & genuina lectio: in primo autem libri non generalis, quatuor, nomen libri, nomen authoris, proportio, & ordo. Nam reliqua quatuor sunt communia omnibus libris in illa scientia, explicataque iam sunt in proœmio libri primi in ea disciplina, vt in proœmio libri physicorum. Sed contra quia proœmium libri de medici vulnerarij munere, est proœmium totius artis; igitur octo illa ibi explicari debuerant. Respondeo proœmium Hippocratis est tale, non tamen liber ille est primus in ordine, sed liber de humana natura.

CONTRAD. XXXVIII.

Sextus Epidemiorum an Thessali constitutiones.

ERrant qui librum sextum Epidemiorum Thessali constitutiones apellant, quamuis Thessalus secundum & sextum Epidemiorum ex Hippocratis scriptis collegerit. Sed neque Epidemij sunt, quamuis eam susceperint appellationem; non enim quicquam continent quod ad morbos passim vagantes pertineat, vt primus ac tertius. Galenus primo in sextum Epidemiorum in proœmio dicebat. Sed in secundo super tertium Epidemiorum in proœmio dicit Thessalum secundum & sextum ex scriptis Hippocratis composuisse, adiectis quibusdam ex suis sententiis. Quod amplificat tertio de difficultate spirandi capite primo dicens: in secundum, quartum, & sextum, Thessalus non pauca ex suis immiscuit. Meminit & in secundo eiusdem, capite octauo, & in secundo de diebus decretoriis capite quarto: Et secundo in sextum Epidemiorum, commentario decimo quarto. In prima autoritate, vel nulla, vel perpauca, immixta vult, in aliis non pauca. Sed in prima authoritate aliorum, in aliis propriam de hoc recitat sententiam.

CONTRAD. XXXIX.

Ordo necessarius an in libris Galeni.

GAlenus facit librum de ordine propriorum librorum. Et in arte medica, capite vltimo, & secundo artis curatiuæ, capite sexto, ponit ordinem librorum legendorum. Oppositum, primo de his quæ in medicatrina capite sexto: Mos antiquorum est non seruare ordinem, & adducit exemplum. Et primo de fracturis, capite sexto Hippocrates non seruat ordinem rei, sed à magis necessario inchoat. Solutio est quod in libris seruandus est ordo quia habent integras tractationes, in aliis est bonus, non tamen, adeò necessarius, vt semper Hippocrates eum seruauerit.

CONTRAD. XL.

Libri de demonstratione an prius legi debeant introductoriis.

LIbros de demonstratione prius legendos introductoriis suadet libro de ordine propriorum

priorum librorum; sed tamen paulò post enumerat eos inter libros apodixeos qui vltimò debeant legi: idem videtur velle in libro de libris propriis. Respondeo libri de demonstratione & alij posterius debent legi quia sunt extra artem, sed tamen ob vtilitatem nihil prohibet quin prius legantur. Circa quod animaduertendum quod ordine doctrinæ libri Apodixeos idest Grammaticæ, dialecticæ philosophiæ vniusque præcedunt libros medicos: Sed Galenus postponit ratione finis celeriter assequendi. Vel dic quod per libros Apodixeos intelligit libros in quibus artis principia demonstratur, non de demonstratione.

CONTRAD. XLI.

Doctrina optima an mediocris, an idem doctrinæ & rei Principium.

[DOctrina optima quæ vtrumque vitium effugit prolixitatis nimiæ, & breuitatis.] Inquit Galen. secundo de crisi, oppositum tamen primo de alimentis optima doctrina est quæ voce perficitur, nam nemo fit nauclerus ex commentariis: post eam quæ per longissima commentaria. Ex quo colligitur quod meliora sunt quæ per viam Dialogi. Respondeo inexpertis prolixa, eruditis mediocria. Similiter dicit sexto de decretis Hippocratis, & Platonis: quod doctrina quæ est secundum rem debet initium sumere à rei initio, Stultumque esse aliud doctrinæ, aliud rei inuenire principium. In oppositum est dictum Philosophi primo Physicorum. [Innata est nobis via, vt ex notioribus nobis ad naturæ notiora procedamus.] igitur principium doctrinæ est ab effectu, cum initium rei sit à causa. Et similiter Galenus in præsenti libro dicit primò sanum, ægrum, & neutrum dici de causa, inde de corpore: sed tamẽ infra incipiendum à corporibus docet, non à causis; nam vt ibi habetur primum de corporibus dicit tractandum, inde de signis, post de causis. Respõdeo quod in inueniendo oportet à facilioribus & à fine inchoare in artibus: in tradendo inuentis principiis ab ipsis tractationem in artibus exordiri, vt elementis inde humoribus; in operando tamen ab vtilioribus, secundo de tuenda sanitate.

CONTRAD. XLII.

De nominibus an habenda ratio

GAlenus secundo de differentiis febrium: [Non est de nominibus, inquit Plato, cura habenda quibus tantarum rerum cura proponitur.] Et secundo artis curatiuæ. Non esse eius qui de rebus sit peritus, vt de nominibus ipsis contendat. Et rursus tertio eiusdem: [Milies dictum est non oportere de nominibus contendere.] Et vndecimo de vsu partium vt nullibi alibi: Equidem de nominibus, nunquam laboraui; & modo de re ipsa conueniat liceat tibi solem tenebras, & illius supra terram stantis claritatem noctem appellare. Quo in sensu etiam recte mihi Princeps dicere visus est prima primi: [De nominibus non disputamus, sed intentiones idest res ipsas, & differentias intelligere debemus.] De hoc sunt infinitæ Galeni vt de nulla alia re authoritates. In oppositũ sexto de decretis, [Initium ipsius doctrinæ à recta nominum deffinitione ortum habere debet, succedit enim recte nominum interpretationi solutio multarum quæstionum.[Et tertio artis curatiuæ loco ferme in contrarium adducto: caput ad vitandam deceptionem est, vt definita oratione vtaris. Respondeo nomina vel sun alterius vt Hippocratis, & tunc rectè sun interpretanda, quia sensum commutant, atque ideo in rebus errorem inducunt: Vel nouè finguntur, & tunc dicit Galenus ego non curabo de nominibus dummodo rem ipsam non varient, & ab omnibus perspicuè intelligi possint; aliter sollicitudo de eis habenda est.

CONTRAD. XLIII.

Pulmo an moueatur vacui necessitate.

GAlenus in libro de thoracis motu cõnatur ostendere pulmonem moueri vacui metu à thorace, quod thorace quiescente pulmo quiescit; non autem versa vice, igitur pulmo à thorace mouetur: & non inquit quia illi sit annexus vlla ex parte, igitur vacui ratione. Idem 5. de locis pulmo ex se nullum habet motum quo dilatatur, sed thoracis motu distenditur, ex se autem subsidet flatu expresso quemadmodum spongiæ. Quod exemplum potius contrario modo se habet, nam humore expresso dilatantur, vt ad naturalem statum redeant Idem sexto de vsu partium expresè, & de vsu respirationis: repetit idem secundo de decretis Hippocratis & Platonis: & primo de difficultate spirandi quod etiam fermè in septimo de vsu partium dixit alia non pauca declarans: nam distento inquit pulmone ne vacuum detur aer consequitur, impletque pulmonem: ex quo pars etiam quædam licet parua vt octauo administrationum anatomicarum docet. Hæc tam multa volui scripsisse, vt liceat cuique loca videre, diligentiusque mentem Galeni contemplari, falsò tamen credit pulmonem non esse annexum pectori, in hominibus enim hæc experiẽtia docet & Vesalius testatur 6. de fabrica humani corporis. Sed & Auerroës 2. collectaneorum respondet rationi Galeni dicens

cens quòd pulmo in pectoris vulnere cessa à motu, non quia non possit trahi cessante vacui ratione, sed quia ex vulnere refrigeratus est. Et ad aliam rationem rursus dicit si pulmo cessat cessante pectore, & ob id à pectore mouere creditur, igitur pectus eadem ratione moueri à pulmone dicitur, quia cessat à motu, cessante pulmone. Et dicit ad primam rationem dans aliam responsionem, quòd per consensum læditur pulmo in pectoris vulnere. Inde adducit rationem contra Galenum, dicens si pulmo moueretur à pectore vacui necessitate, violenter moueretur. Propterea concludit quòd principium motus voluntarij est musculus, & naturalis cor. Et ideò ab illius virtute mouentur sponte pectus & pulmo, altero alteri consentiente. Respondeo quòd pectus dum extenditur per fibras dilatatur pulmo, & trahit aërem, & dum trahit parte illa extenditur totus eadem vi, atque ità impletur spiritu. Et sic sunt perfectè concordes.

CONTRAD. XLIV.

Deffinitio nominis an vtilis?

Galenus quarto de differentiis pulsuum ostendit deffinitionem nominis esse prorsus inutilem hoc argumento: nam vel rei essentia est cognita, & ità illa deffinitio est superflua; vel ignota & sic non necessaria, cum res indigeat longa declaratione, ob id dicit præstat incipere ab explicatione prolixa terminorum: inde accedere ad deffinitionem in eodem libro dicit deffinitio nominis non debet iungi deffinitioni essentiæ, sed ex cognitione vnius in aliam expedit peruenire, igitur vtilis est. Item in eodem libro dicit quod deffinitio nominis in duobus tantum casibus necessaria, primò cum nominis rei de qua agitur significatum est ignotum; secundò cum est contentio de nominis significato cum aliquo sophista, tunc expedit nomen illud deffinire, in aliis inquit casibus est superflua; igitur non semper est superflua. Aristoteles etiam in secundo posteriorum eam ponendo, comprobare videtur. Respondeo vult in prima authoritate contradicere his qui omnia deffinitionibus tractant & hoc testatur, ideò dicit neque tyronibus deffinitiones essentiæ ab initio sunt vtiles, quantumuis enim diligenter explices, & sis eloquentissimus, obscurus tamen euadis.

CONTRAD. XLV.

Tota Medicina an tradenda ordine deffinitiuo.

Totam medicinam in arte medica Galenus profitetur se traditurum in illo libro ordine deffinitiuo: Quod tamen reprehendit quarto de differentiis pulsuum, vbi damnat eos qui omnia deffinitionibus docere conantur. Respondeo solutio est quod his tradit doctrinam, non docet imperitos: nam inquit ibi, ad docendum imperitos neutra deffinitio vtilis est ob breuitatem, cum illi indigeant prolixa explicatione.

CONTRAD. XLVI.

Libri de Artium constitutione an duo, vel vnus.

Galenus in fine artis medicæ suadet duos libros de artium constitutione, ante librum de constitutione artis medicæ legendos esse. Vt cum libro de constitutione artis medicæ omnes tres sint qui artium constitutioné agunt. Sed idem in libro de constitutioné artis medicæ, inquit. [Vt cum methodo perdiscere curares artem ô Patrophyle, librum vnum de constitutione artium composui, quem propter magnitudinem in duos diuisi. Alterum ac secundum quem nunc inchoamus aperientem quonam pacto eadem atque vna ratio, ac via medicinam vt cæteras artes constituerit. Et verò sumendum iam his sermonis exordium est.] Respondeo alterum ac secundum ad primam diuisionem referri debet: vt sit sensus: duos composui libros, in primo docui quod omnes artes ex finis notione procedunt, altero docui non secus medicam artem atque alias ex finis cognitione procedere: Verùm primus liber cum esset admodum magnus in duos est diuisus, qui ambo iam erant absoluti. Itaque hoc modo tres fient. Hæc est explicatio potius quam contradictio.

CONTRAD. XLVII.

Sanum & salubre, ægrum & insalubre an differant.

Nihil autem differt seu νοσωδῶν ἤ νοσερῶν quis dicat. Interpretatur Leonicenus in libro artis medicæ per νοσωδῶν insalubrium; per νοσερῶν ægrorum, vt sit hoc discrimen quidem inter verba Græca, sed quod Galenus ex sententia illud tollat. Ad quam sententiam facit quod paulò post Galenus vtendo hoc nomine νοσῶδες, idest vt Leonicenus exponit insalubre, subiicit hæc verba: [Insalubre nunc verò est corpus, quod eo tempore quo tale dicitur ægrotat: neque obscurum est & hoc ipsum eo quo dicitur tempore ægrotâs.] Itaque constat quod inter insalubre & ægrum nullum facit Galenus discrimen. Oppositum tamen obseruat Leonicenus in traducendo qui primum pro νοσερὸν modò ægrum, modò insalubre vertit; sed potius ægrum; pro νοσῶδες autem insalubre, vt distinguat Latinè inter insalubre & ægrum. Et ad hoc videtur facere Galeni authoritas dicentis parum ante: Καὶ τὸ ἐπιδεικτικὸν σῶμα τῆς ὑγιείας, inde subiicit paulò post

lopost ἅπαντα ταῦτα καλοῦσιν οἱ Ελληνες ὑγιεινά. Vt sit sensus. Corpus enim susceptiuum sanitatis: & post subiicit & signum & causam, omnia hæc Græci vocant salubria. Respondeo quod ex ἐπὶ quod hîc significat in, & δέχομαι, quod est admitto fit ἐπιδέχομαι quod est intus suscipio; indè ἐπιδεκτικὸν nomen verbale intus suscipiens. Laurentianus rectè exposuit, Leonicenus perperam susceptiuum cum traduxisset salubre dicit. Quasi ad suscipiendam sanitatem falsò aptum, cum sit sanum. Sed contra quia homo suscipiens sanitatem non potest sanus verè, vt nec albedinem albus: igitur salubre non sanum corpus dici debet, & ita fiet necessaria distinctio inter salubre & sanum, Respondeo quod Galenus voluit ponere differentiam ibi, inter corpus, causam, & signum; tamen etiam similitudinem illorum, non inter sanum & salubre: quia etiam causam salubrem vocat & signum; cum tamen actum illa, non potentiam significent. Suscipiens est duplex significatum, vel pro præsenti tanquam actu idest acquirens, & tunc nō posset dici sanum suscipiens, nec in hoc sensu Gal. intelligit: vel pro eo quod est subiectum sanitatis, & ità potest dici sanum, & verius quam salubre. Rursus contra, quia Galenus in eodem libro vbi de causis salubribus partium instrumētalium loquitur, inquit. [Quælibet pars simplex optimum vel habet situm, vel paulò ab eo euariat, salubreque efficit adhuc corpus: Quod si amplius à modo recesserit insalubre. Et quarta, quod iam corpus ægrum plurimo recessu reddit.] Igitur inter insalubre & ægrum est discrimen apud Galenum. Dico litera Galeni græca sic habet, καὶ τρίτη νοσερὸν καὶ τετάρτη τὸ ἤδη νοσοῦν. Quod est tertia ægrum: quarta iam ægrotantem. Vbi probatur per νοσερὸν, non insalubre, sed leuiter ægrotans intellexisse. Quod etiam & aliis diuisionis membris conijcitur. Differunt tamen salubre & sanum in significato partis artis, quia salubrem dicimus artem non sanam quæ sanitatem custodire docet vt in Trasybulo. Ita sanum & ægrum propriè de corpore dicitur, insalubre & salubre impropriè: De causa autem, & signo propriè; sanum & ægrum impropriè.

CONTRAD. XLVIII.

Aer an inter admouenda adnumerari debeat? Euacuatio an causa conseruans sanitatem.

GAlenus primo de tuenda sanitate adnumerat aërem inter ea quæ admouentur corpori vt etiam cibus & potus; paulò infra numerat inter ea quæ exterius incidunt velut & in Thrasybulo, cum ibi non adnumerat inter ea quæ admouentur. In arte autem medica ponitur separatus à cibo & potu, & seorsum adiicitur. Dico quod illa sex ibi posita reducuntur ad illa quatuor posita in Thrasybulo omisso aëre & euacuatione, & in primo de tuenda sanitate. Nam ad facienda venus, motus, & frictio, & somnus à Galeno in duobus locis postremò adductis reducuntur. Ita etiam, & animi affectus ad idem in Thrasybulo: euacuatio manet suo loco, & cibus & potus ad admouenda, & aër cū lauacris & inunctionibus ad exterius incidentia. Aër tamen prætermittitur vt inter admouenda in Thrasybulo breuitatis causa, annumeratur in primo de tuenda sanitate vbi copiosius rem declarat. In Arte medica quia duas causas amplectebatur seorsum ponitur. Sed euacuatio in primo de tuenda sanitate cum quatuor causas ad tres reducit, adnumeratur non causis, sed his quæ fiunt: In Arte medica & Thrasybulo cum aliorum secutus sit opinionē vt habetur primo de tuenda sanitate inter causas seorsum adnumeratur. Nam vt repletio potest, esse morbus ita & vacuitas, quæ à medicamentis. Non est autem necessarium admouere euacuationem, sed illam industria paramus. Vel dic quod in arte medica causas omnes considerat morborum & sanitatis seu à natura seu arte factas: inter quas est euacuatio: in libris de tuenda sanitate causas solum à medico paratas: è quibus non est euacuatio. Princeps autem licet prima primi adnumeret præter res non naturales sex alia vt ætatem, artem, consuetudinem, & etiam casus vt vulnus: dico quod enumerat omnes tam morborum quam sanitatis, & tam eas quæ sunt in potestate nostra, quam quæ non sunt: Galenus solum quæ possunt parere sanitatem & morbum, non morbum solum, & quæ sunt in potestate nostra.

CONTRAD. XLIX.

Corpus simpliciter sanum an bene temperatum.

COrpus simpliciter sanum benè temperatum in primis particulis Galenus dixit libro artis medicæ dum illud deffiniret. Oppositum dixit in libro de constitutione artis medicæ, dicens quod corpus salubre intelligit simpliciter, non solum in optima temperie consistit, sed in octo etiam temperaturis inæqualibus, quod sic probat, quia dicit, aliter vnum duorum esset necessarium; vel quod omnes ægrotent, vel quod omnium sit vna temperies virorum, mulierum, puerorum, senum, & ità de aliis. Ratio hæc in hoc constat quod si temperatura æqualis est solum sana, vel singulæ ætates, sexus, habitus, habebunt diuersas temperies, vel eandem; si diuersas, igitur inter mille non erit nisi vnus temperatus, quia omnes alij habent diuersam ab illo temperiem; igitur omnes alij habebunt inæqualem intemperiem, igitur omnes ægrotabunt: vel habebunt omnes eandem temperiem quod est absurdum, & ita necesse est in alterum duorum incidere. Solutio est quod vel ibi distinguit ægrum à sano vt sub sano simpliciter neutrum continetur, & ità malæ intemperies leues cum sub neutro contineantur, continebuntur etiam sub sano. Vel dic quod

bene temperatum non optimè intelligit, & æqualiter, sed simplciter bene. Et vera responsio constat ex his duabus, scilicet quod intemperies leuissimæ sub sano simpliciter continentur, aliter sanum simpliciter non posset diuidi in sanum semper & multum; leues autem intemperies continentur sub neutro in arte medica, sed sub sano in libro de constitutione, quia ibi neutri rationem non habet, sed sub sano ipsum comprehendit. Quod modò ità sit quod leues intemperies sub neutro non sub sano comprehendantur probatur quia ponit signa sanorum simpliciter ante signa malarum temperaturarum. Vnde videtur segregare vtramque, speciem simpliciter sani à mala temperie. Mala autem temperies grauis vtrobique constituit ægrum simpliciter. Notandum etiam quod vt vult Galenus primo de tuenda sanitate optima sanitas latitudinem habet, quare & optima temperies; non quia ita sit, sed quia medicus ita debet existimare.

CONTRAD. L.

Corpora humida an faciliùs patiantur.

[Corpora laxa, & mollia, atque humida facilè morbis corripiuntur] dicebat Galenus libro de assuetudinibus, & in libello etiam de pulsuum vsu: sicca verò dicebat idem Galenus, & multum resistunt morbis: si eis corripiantur celerrimè sponte ad suum statum redeunt: & dabat e, xemplum de ramis arborum durioribus qui, difficiliùs disttrahuntur, & distracta statim vt licet magno impetu redeunt. Oppositum Hippocrates in libello de locis in homine corpora sicca facilius ægrotant humidis, & difficiliùs sanantur. Princeps prima quarti in pestilenti febre humida paratiora dixit. Respondeo licet Hippocratis liber ille non censeatur, humidum naturale est substantia, & quò magis eo corpora abundant, difficiliùs ægrotant, & faciliùs sanantur: humida verò qualitas horum vtrumque] contrarium efficit. Galenus ergo de hoc antiquis, ille de naturali loquitur. Æqualis etiam causæ comparatione humida faciliùs ægrotant, & difficiliùs restituuntur; æqualis autem morbi sicca magis afficiuntur, & ideò etiam difficiliùs sanantur.

CONTRAD. LI.

Memoratoria signa an aliquid conferant in ægri salutem.

Cognitio signorum memoratoriorũ vni medico vtilis cui libeat artem suam ostentare, cæterum aliis inutilis; inquit Galenus primo prognosticorum. Et in libro de partibus artis medicæ: Pars significatiua in duo diuiditur, cognitionem præsentium, & præcognitionem futurorum, sine quibus ars esse non potest, prætermittit igitur memoratoria. Et in libro de constitutione artis medicæ vbi artem constituere docet, meminit demonstratiuorum & prognosticorum, nequaquam memoratoriorum. Princeps quoque dicit quod memoratoria seu Anamnistica vtilia sunt soli medico, demonstratiua seu diagnostica soli infirmo, sed prognostica vtrique. Tribuitque hoc Galeno. Oppos. Galenus in libro artis medicæ. Vsus minor est signorum qui memoriæ subiiciuntur. Et Hippocrates primo prognosticorum hæc tria genera signorum simul numerat, vtilia dicens vt infirmus medico se credat. Hali adducit hanc rationem in arte medica, quoniam inquit curatio non perficitur nisi cognita consuetudine & temperatura ægri vt Primo ad Glauconem habetur, hæc aut memoratoriis signis habentur, ideò illa non solum vtilia erunt sed etiam necessaria. Propter hoc quibusdam placebat sententia Auerrois, quod signa salubria memoratoria solum essent vtilia ægroquorũ respectu cura constitueretur, non autem morbi. Sed responsio hæc non est vera, quia signa sanitatis vt nunc non conferunt cum illa præterierit, nec simpliciter quia illa etiam manent tempore morbi, vt non sit necessarium perquirere memoratoria. Respondeo signa memoratoria sunt vtilia medico absque dubio, infirmo non per se, sed per accidens vt dici solet: atque hoc bifariam; primò vt dicat Hippocrates, vt infirmus medico se credat, & credendo tum ex spe tum ex obedientia salutem consequatur: Secũdò vt habetur ex quarto artis curatiuæ vt dispositio quæ ignota est ex illis cognoscatur. Cuius rei quatuor proponit exempla Galenus; libro de prædictione ad posthumum tria, primum de muliere quæ Pyladem histrionem amans ægrotabat, & de seruo qui quòd multa domino deberet quæ soluendo non esset, languebat ex mœrore; & post de puero Boethi Cyrillo qui panem abscondens sub matris velo clanculum comedebat, vnde curari non poterat. Quartum exemplum est Erasistrati primo prognosticorum Galeno teste filium Regis nouercam amantis agnouit, is qui amabat Antiochus, noruerca Stratonice, vxor hæc Demetrij fuit. Raro tamen hæc sunt necessaria vbi illa adsint quæ primo Aphorismorum Hippoc. connumerat, ægri, astantium, exteriorum opportuna dispositio.

CONTRAD. LII.

Demonstratiua signa an solum ægro vtilia.

Diximus ex principe demonstratiua signa ægro solum vtilia. Sed oppositum scripsit Galenus primo prognosticorum, ea vt oculta detegunt vtilia esse etiam medico dicens. Et hoc quasi innuit in arte medica cum dixit, veteres solitos hæc tria genera signorum prognostica appellare. Vel igitur legamus literam Principis sic, memoratoriorum vsus maior medico quam ægro, demonstratiuorum-

monstratiuorum plus ægrè quam medico vtilitatis, prognosticorum par vtrique commodum, vel dicas quoad demonstratiua vel docent quod cognita sunt, & ita nulla digna admiratione, vel quod ignota adhuc, & ità illi qui assident non credunt: aut quæ paulopost detegentur, & ità non demonstratiuorum sed prognosticorum potius rationem habent. Galenus tamen quinto de locis in siculi medici morbo ex demõstratiuis signis maximam apud Glauconem gloriam est consequutus.

CONTRAD. LIII.

Morborum quot genera propria.

GAlenus in libro artis medicæ dum vtriusque insalubris meminit, duo tantum genera morborum ponit; alterum in similibus particularis ex intemperie, reliquum in instrumentis ex mala mensura. Idem verò docet infra dum signa eorum ponit, sed & ibi adnumerat continui diuisionem. Sed hoc ex ex his quæ ibi dicit, & in libro de differentiis morborum facile soluitur. Nam temperies est propria similibus, commensuratio instrumentis; At neutri propria, sed communis est vnitas vtrique. Ità igitur si proprium sumas quod nulli alteri conueniat, neque per se nec aliter, vnus est tantũ morbus in commẽsuratione, nam hæc similibus nullo modo conuenit. Si proprium appelles morbum qui per se solum vni conuenit, licet alteri non per se, sic duo sunt: nam similibus intemperies per se conuenit, licet non per se etiam instrumentis contingat. At si propria & communia genera prima morborum colliges erunt tria. Intemperies, mala mensura, & vnitatis solutio. Sed iam adhuc plura obstant, nam primo de temperamentis & primo de vsu partium; oculus non videt quia calidus aut frigidus, sed quia perspicuus. Et ita ossa non sustinent quia frigida & sicca, sed quia dura tertio de symptom. causis: si igitur durities ab ossibus & perspicuitas ab oculo tollantur, morbis hæc membra laborabunt, quia priuata functionibus, nec tamẽ vllo prædictorum, igitur quartum genus morbi dabitur. Color etiam alienus in oculo vitiat functionem per se, & tamen cum sit morbus ad nullum horum reduci potest. Et similiter cui perturbata est ratio ob virtutis imaginantis impedimentum morbo laborat, & nullo tamen horum trium. Et vertigo quæ cõtingit ob vapores est morbus nec tamen aliquis istorum. Et lapis in vesica dicunt quod est morbus in numero contra non potest esse in eo sanitas, igitur nec morbus, sunt enim hi affectus viuentis, nõ lapidis. Tinnitus etiã in aure morbus est, nec aliquis horum. Et eadem ratione linguæ amaritas morbus est, nec tamen aliquis horum. Amor quoque heroicus ex amatæ pulchritudine, item melancholia, tum fascinatio morbi sunt præter hæc genera. Nam cura fascinationis cum fiat per incantationes, ostendit morbum non esse in temperie. Et musculus retinens fœces immobilis morbum patitur, & qui vrinam continere debet si sit laxior morbis aliis ab his laborant. Quod si cui forma praua membro sit nec lædat operationes tãtumque frigiditatis vt nec ipsa per se operationes læsura sit demum ex ambobus lædatur operatio quod frequenter contingit, morbus, erit nullius horum generum. Fernelius quoque in secundo de abditis rerum causis ostendere nititur in similibus partibus fieri tria morborum genera, vt vniuersa sint quinque. Tria sunt quæ possunt vitiari materia forma & temperamentum, nam per temperiem potest os (verbi gratia) fieri siccius quam oportet, propter materiam autem laxum aut astrictum, aut durum, aut molle, rarum vel densum, tenue vel crassum, vt ita dicit vidisse militem cui ossa crurum & brachiorum erant facta mollia vt cera. Et quibusdam ob raritatem ventriculus non concoquit citra vllam intemperiem. In forma quoque cum vel iuncta putredine vel absque ea corrumpitur substantia. Quod si dicas fit hæc pura corruptio cum calore? Contradicit, refrigerata parte morbus adhuc manet, igitur ille morbus non est intemperies calida, vel alia. Ideo dicit corruptio putrida certè non est citra manifestam intemperiem: sed quæ putrida non est citra illam etiam est. Secundum fundamentum est ab authoritate, & pro vitio à materia, est Gàleni sententia secundo ad Glauconem qui cum docuisset curam per contraria fieri inquit; in principalibus aut membris vt corde & iecore, atque his quæ licet non virtutem distribuant, opus tamen impartiuntur, vt ventriculus quæ immoderatè laxant, robur resoluunt membri, igitur præter imtemperiei emendationem aliud est quod obseruari oportet quodque morbus debet appellari. Pro corruptione autem quæ maximè citra putredinem est Galenus inducitur quinto de simplicibus medicamentis dicens. [Ostensum est autem medicamenta mutare qualitate vna simplici, aut pluribus coniugatis, vel etiã tota substantia sicut cum venenorum alexiteriorumque, tum purgantium medicamentorum omnium atque attrahentium pleraque.] Alia inferius huius penè sententiæ quatuor modis alexiteria venenis resistunt vel qualitate qualitatem, aut tota substantia venenorum vim comprimendo, aut illius substantiam educendo caliditate subtilium partium, vel etiam substantiæ similitudine, circa quod illud obseruare oportet quod ibi Galenus docet non intus exhibenda quæ purgent venenum, sed exterius tantum apponenda. Cum enim curationem per contraria in qualitate subiungit: omne deleterium venenum foris impositis medicamentis euacuatur: nempè aut caliditate attractionem moliẽtibus, aut totius substantiæ similitudine. Vnde natam puto non contemnendi auxilij consuetudinem, vt qui lethale ebibisset venenum, exenterato mulo protinus se includerent. Tertia authoritas est Hippocratis in libro de aëre & aquis dicentis: [Considerare autem oportet exortus syderum, maximè arcturi, & canis, atque occasum pleiadum, nam morbi in his tum in solsticiis, ac æquinoctiis iudicantur, & occidunt. Hoc autem (inquit) non nisi substantiæ proprietate contingere potest.] Quòd verò ad morbos

morbos qui cum corruptione putrida contingunt authoritas Galeni secundo de natura humana citatur dicentis: cum igitur in euaporationibus corpora lædantur magis ex totius substantiæ proprietate, quam ex simplici qualitate, probe curationem scripsit, spectantem ad duos scopos, scilicet ad mutationem regionis & exiguæ inspirationis necessitatem. Tertia ratio ab auxiliis sumpta est: in curandis morbis cum contrariis curatio perficiatur non solis primis qualitatibus indigemus, sed non secundis tantum, aut tertiis etiam quæ substantiæ proprietate agunt, igitur & morbi in his consistunt. Quod si dicas astringentia ob id astringere verbi gratia, quod frigida sint ac sicca? Contra dicit quia ex quinto de simplicibus medicamentis non solæ qualitates hæ sed etiam crassa substantia propriè στεγνωτικῶν id est eorum quæ cutim occludunt constringendo est. Rursus inquit cum medicus sit artifex sensitiuus, videat autem non calida quæ laxant, aut frigida iuuare sed non astringũt qualia quæque sint, cur non laxitatem hãc morbum potius dicet quam vllam aliam intemperiem. Morbi etiã qui in obstructione ac asperitate consistunt; cum citra temperiei modum curari nequeãt, inter morbos primarum partium numerabuntur: quod, circa primarum qualitatum auxilium curari nequeant: cum tamen constet illos ad compositionem referri debere, instrumentisque proprios esse. Respondeo primo quod insalubria tantum constant in intemperie, & compositione non moderata: quia cũ sint talia à natiuitate solutio vnitatis numerum, necessario autem formam vitiat, aut magnitudinem, vel situm: nec est sic propriè continui diuisio cum à natiuitate fuerit, ideo inter insalubris genera non connumeratur continui solutio, cum insalubre simpliciter dictum fuerit. Ex his autem quæ insalubria nunc dicuntur, vnitatis diuisio vt dixi est morbus & communis, sed Galenus proprios solum ponit, tamquã communes insalubri simplicter & vt nunc. Accedit quod solutio continui non propriè est species morbi, cum non habeat aliud genus quam morbum, nec genus cum sub se non contineat plures species velut intemperies, & mala compositio quæ plures sub se continent species. Quia igitur neque species neque genus propriè quia nulli parti propria, sed communis: quia non conuenit simpliciter insalubri, ideo persæpè numerando genera morborum prætermittitur. Adde quartam causam quando nec in similibus absque intemperie, nec in instrumentis absque mala compositione contingere potest. Sed & Galenus libro de membrorum differentiis facit vnitatis solutionem secundum genus morborum compositionis, & ità vt plurimum sub eo comprehenditur. Esse verò tantum tria genera argumento Galeni libro de morborum differentiis occultè demonstratur. Nam opus actionis in instrumentis fundatur: quod etiam dicebat Aristoteles secundo de partibus animalium; sed non vitiantur functiones vt in illis consistunt nisi vitiata compositione, igitur in instrumentis non datur nisi vnum genus morbi. Ergo cum etiam passiones in similibus fiant, non benè recipere cum primæ qualitates sint instrumẽtum functionis primo de tuenda sanitate non contigit nisi per illas, igitur impossibile est esse morbum nisi illis vitiatis. His cognitis facilè est omnia obiecta diluere. Perspicuitas in occulo & color proprius tum durities in ossibus, tinnitus in aure, ad formam pertinent; est autem forma vna ex quatuor speciebus compositionis. Sed dices forma rursus in quatuor species diuiditur libro de morborum differentiis, tum etiam libro de morborum causis, in meatum cauitatem, figuram, & superficiem, ad quam speciem reducentur? Dico ad figuram. Dices at inter figuræ species hæc à Galeno non numeratur. Respondeo quod ibi numerat species figura generales; at nullum esse aërẽ in aure præter naturam ad solam autem pertinet, & nullum esse colorem in oculo, & esse perspicuum ad solum oculum, ideoque hæc non connumerauit. Ossa verò mollia non vitiant actionem ullam nisi cum flectuntur, flexio igitur cum sit species malæ figuræ & à Galeno numerata inter species prauæ figuræ nihil prætermissum erit ab ipso; ipsa verò mollities est morbi causa, non morbus: neque enim per se lædit operationem, sed quia flectitur. Cui ratio perturbatur ex corrupta imaginatrice virtute, non est morbus vllus in ratione, imò illa constat, sed imaginatrice absque intemperie corrupta non potest esse, vertigo est symptoma, non morbus: vaporum motus calore suo vitiat spiritum vel dic quod in compositione vitium est. Nam locus spiritus purus esse debet. Vnde figura vitio affecta est. Lapis in vesica est morbus in numero, imò etiam figuræ vitium est, vel potius formæ, quod cauitas occupata sit; vesica igitur morbo laborat & ipsa viuit. Sufficit autem vt subiectum viuat, non necessarium morbus vel sanitas viuant: morbus enim est sed lapis, nec in lapide morbus. Et hoc est quod nostros expositores, cum facile tamen sit perturbauit. Amaritas in lingua, vt dixi opera sensuum sunt magis diuina quam vt primis qualitatibus perficiantur, inter ipsas primas qualitates & actiones aliquod potest intercedere. Vel dicas quod non amaritatis amaritas, sed intemperies calida & sicca cum materia eiusmodi causa sit vt Galenus voluit. Fascinatio & amor non sine primis qualitatibus offendunt, nam corrumpunt substantiam membrorum & illorum functiones. De melancholia dico quod in via Galeni tenebræ offendunt imaginatricem virtutem, vndè contrahuntur spiritus, vndè refrigeratur cerebrum & cor, vndè fit timor; ergo refrigeratio est morbus in intemperie, timor autẽ symptoma. De duritie musculi, Galenus libro de differentiis morborum duritiem inter species morborum in forma numerauit. Idem dico dè laxitate quæ enim laxa sunt proprium nequeunt retinere situm, est igitur morbus in situ. Ad vltimum dico quod est morbus mixtus ex duobus generibus; nec hoc est incõueniens vt ex duobus imperfectis fiat vnum perfectum.

Ad Fernelij argumenta quamvis pulcherrima: Respondeo quod venenum & febris pestilens prout corruptio est in substantia

sunt

sunt causæ, & non morborum genera; quia non nocent operationibus nisi cum qualitate. Et si dicas auferatur qualitas. Respondeo non potest hoc fieri stante corruptione: cum dicis quædam venena necant tota substantia, & quædam qualitate; dico quod Galenus intelligit de venenis quæ sola qualitate occidunt, & quæ qualitate cum substantia coniuncta. Si dicas qualitas illa non occidit, dico quod qualitas illa occidit à corruptione directa, sicut dens canis rabidi occidit, quia venenum non infigitur nisi per dentem; & sicut scorpione phasellus emissus excutit oculum, ita parua qualitas præter naturam à corruptione substantiæ impressa occidit, & etiam breui. Ideo quoque pestis ob nimium frigus extinguitur, & quoque ob nimium calorem, quia licet causa maneat quæ est corruptio, tollitur tamen qualitas quæ est instrumentum. Vnde fit vt pestis quæ nimio calore desinit, nunquam reuertatur finitâ putredinis causâ; quæ verò hyeme desinit, vere reuertitur quia solum instrumentum sublatum est. Et si dicas qualitas præcedit corruptionem. Respondeo quod non semper eadem qualitas fuit causa corruptionis. Et quando istud contigerit, non est inconueniens quod similis qualitas producatur post ab ipsa corruptione, cuius medio corrumpat non corrupta sicut à consimili qualitate genita fuit. Igitur causæ morborum plurimæ erunt ac longe plures, quam quis existimet; item species illorum, genera tamen tantum tria erunt. Sed adhuc supersunt tria dubia, primum quia qualitas quæ occidit putà calor in peste; vel sola agit, vel iuncta qualitati corruptionis; si primum non occidet; si secundum, igitur illa alia qualitas erit morbus. Aliud dubium est quia dolor per se lædit operationes, igitur erit morbus. Sed ad hoc facilè respondetur, nam vt sit morbus oportet vt sit affectus, libro de differentiis symptomatum; sed dolor cum semper fiat non est affectus sed passio. Tertium dubium est circa demonstrationem: Nam secundo artis curatiuæ dantur actiones quæ in membro sunt simili, vt ambulandi vis licet sit in crure, principaliter tamen est in neruo; actio autem formam in simili parte desiderat, sicut in instrumento. Respondeo quòd principium actionis tantum in simili membro, non actio esse potest. Principium autem actionis est à temperie. Ad primũ dico quod illa qualitas habet modũ annexum ex corruptione, vtpote tenuitatem, vel horribilitatem, vel etiam putredinem, vel corruptionem, sed quæ posterius imprimatur qualitate non simul, ideò est modus & non agens per se; igitur corruptionis imago non erit morbus, sed modus morbi; velut in gustu excitans vomitum non est sapor, non tamen potest excitare sine sapore.

Notandum circa causas primo morborum vt habetur à Galeno in commentario de humoribus; humores generant animi affectus, atque animi affectus humores: quæ sententia est expressa in libro etiam de multitudine. Et fuit Principis in primo libro. Et author libelli de præcantatione & colli suspensione, narrat quod cum quidam sibi persuasisset se esse ligatum (vt dicunt) atque ob id ad venerem impotens redderetur: lecto libro Cleopatræ vbi dicitur quod venefica hæc soluuntur si quis vnguatur felle corui cum oleo sesamino, inunctus liberatus est. Cum igitur spiritus amoueatur à propria functione, imaginatio refrigerat locum, aut mouendo sanguinem excalefacit; igitur in fascinatione, & amore, ac huiusce modi morbus est intemperies: sed qui existimantur morbi sunt illorum causæ. Docet autem ibi de smaragdo suspendendo collo aduersus morbum comitialem: ideoque dicit solere appendi nobilibus pueris. Et quòd sarda somnia mala prohibeat. Simili ratione Hippocrates aduersus eos qui dicebant comitialem morbum à Deo procedere quod causa esset ignota, & quod præcantationibus curaretur? Dicebat multi morbi habent causas ignotas vt qui certis redeunt circuitibus, & tamen non sunt à Deo. Præcantationes etiam illæ fiunt cum abstinentia ciborum, sed Deus talibus auxiliis non indiget. Frustrantur etiam curâ, sed Deus non potest frustrari. Sunt etiam qui curant impij & scelesti, sed Deus talibus non fauet. Ipsi etiam se dicunt multa posse, non igitur Deorum est potestas, sed hominum. Deinde subiungit biliosis non accidit hic morbus, pituitosis accidit; non igitur ex Deo. Capris etiam & ouibus quibus hic morbus contingere solet, cerebrum disciso osse & fœtens & madens velut sudore quodam inuenitur. Sunt igitur animi affectus dum corpus immutant causæ morborum, non morbi, nec fascinationes. Sic amor heroicus auertendo spiritus à coctione & siccitate, morbum facit vigilias inducendo, inde etiam cruditates, atque eo modo tabefacit hominem & languere facit. Vltimò dubitatur quia debilitas virtutis cum fuerit præter naturam vitians operationes nam datur triplex earum vitium, inter quæ est diminutio, tertio de symptomatum causis, videbitur esse morbi quartum genus? Respondeo quod oportebit adesse causam si facultas maneat & illa erit morbus: quod si facultas sit imminuta, tunc operatio non propriè dicetur læsa sed facultas. Quòd si contendas, dicam esse frigidam intemperiem quæ loco caloris natiui inducta est; nam si functio perit, vel membrum, vel calorem periisse necesse est.

FINIS.